COMMENTARIA

IN

SCRIPTURAM SACRAM

R. P. CORNELII A LAPIDE

E SOCIETATE JESU,

SANCTÆ SCRIPTURÆ OLIM LOVANII, POSTEA ROMÆ PROFESSORIS,

ACCURATE RECOGNOVIT AC NOTIS ILLUSTRAVIT

AUGUSTINUS CRAMPON,

DIŒCESIS AMBIAN. PRESBYTER.

EDITIO NOVA

ACCURATE EXPURGATA MENDIS QUÆ IN PRIOREM IRREPSERANT.

TOMUS PRIMUS

COMPLECTENS EXPOSITIONEM LITTERALEM ET MORALEM

IN PENTATEUCHUM MOSIS

GENESIS ET EXODUS



PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM

13, VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13

—

M DCCC LXXIV

REVERENDISSIMO AC ILLUSTRISSIMO

DOMINO

HENR. FRANC. VANDER BURCH,

ARCHIEPISCOPO ET DUCI CAMERACENSI,

S. R. I. PRINCIPI, COMITI CAMERACESII.

Opportune, Deo ita disponente, accidit, Illustrissime Domine, ut quo tempore Archiepiscopus, et S. R. Imperii princeps Cameraci inauguraris, Moses hic meus tibi a primo sui conceptu destinatus, multisque nominibus debitus, in lucem ederetur.

Sciunt omnes quam arcta inter nos a multis annis fuerit animorum conjunctio, quam naturæ et affectionum, ac studiorum similium sympathia conciliavit, familiaritas auxit, Dei gratia in simili pene vitæ utriusque instituto firmavit, et perfecit. Quocirca Mechliniam a te ad Metropolitanam Ecclesiam, cui Decanus præsidebas, tanquam pœnitentiarius solemnioribus anni festis evocatus per multos annos tuo semper hospitio et convictu familiariter et liberaliter sum usus, donec Societas nostra in ea urbe et Novitiatum et Collegium collocavit. Verum quod dixit S. Joannes Baptista de Christo: «Illum oportet crescere, me autem minui,» hoc ego de tua Illustrissima D. et me ab olim, esto non sim vates, præsagii; quod omnes evenisse reipsa cernimus, et gratulamur.

Moses dux et Pontifex.

Cui vero aptius Moses hic conveniat quam Illustrissima D. T. qui Dei populo præes ut Dux Ecclesiasticus simul et sæcularis, ut Antistes simul et Princeps; pariter ac Moses qui Hebræorum Ecclesiam æque ac Rempublicam formavit, rexit, direxit, atque ex Ægypto per avia deserta, perque innumeros hostes, incolumes imo victores ad terram promissam deduxit. Ecclesiam enim cæremonialibus, Rempublicam judicialibus, utramque moralibus decalogi præceptis a Deo acceptis instituit et gubernavit. In Mose ergo æque ac in Melchisedech, Abraham, Isaac, Jacob, aliisque priscis patribus utraque summa potestas, nimirum principatus et sacerdotii conjuncta stetit, ut quasi Princeps civilia, quasi sacerdos, Pontifex, et hierarcha sacra administraret; donec alterum, nimirum sacerdotium in fratrem Aaronem transtulit, eumque Pontificem consecravit. Quocirca Moses pastor fuit, primo ovium, deinde hominum, quos virga sua pastorali tot miraculorum operatrice, et a Pharaone vindicavit, et sanctissimis legibus utriusque fori moderatus est; non minus enim Rex et Princeps quam sacerdos et Pontifex pastor sit oportet, instar Mosis: qua de causa prudenter Homerus Aga-

memnonem regem vocat ποιμένα λαῶν, pastorem populorum, quod eos, ut pastor oves, non deglubere, sed pascere debeat.

Ergo, Illustrissime Domine, nobis Moses Belgicus esto, et Mosen hunc nostrum inspice, ac, uti facis, moribus magis magisque exprime; ita populum Dei non in terram Chananæorum Judæis promissam, sed in terram viventium et in cœlis triumphantium deduces, imo perduces, quod Moses facere non potuit.

S. Basilius Moses Christianus.

Fuit S. Basilius sui ævi Moses, inquit illi compar B. Gregorius Nazianzenus, orat. *De Laud. S. Basilii*, et a Mose Mosen agere didicit. Fatetur id ipsemet S. Basilius, epist. 146 *ad Libanium Sophistam*: « Nos quidem, inquit, o præclare vir, cum Mose et Elia, similibusque beatis viris versamur, qui nobis barbarica voce doctrinam suam tradunt, et nos, quæ ab illis audivimus, loquimur sensu quidem vera, verbis autem rudia. » Quam Mosen triverit S. Basilius, docent vel soli libri *Hexameron*, quos ipse in Genesim Mosis ita elucubravit, ut eos transtulerit S. Ambrosius, atque non tam suum quam S. Basilii fœtum latinis auribus dederit in tract. *De Opere sex dierum*.

Mosis et Basilii studium.

Testatur Ruffinus S. Basilium cum S. Gregorio Nazianzeno postquam Athenis eloquentiæ et philosophiæ studuissent, ipsos tredecim annos Mosi et sacris Litteris volvendis et meditandis operam dedisse. Norunt omnes quam impense, Illustrissime Domine, Mose et Sacra Scriptura delecteris, quam studiose, cum per occupationes licet, eam legere, volvere et perscrutari soleas : meministi quam multus de ea inter nos in mensa, cum tuo uterer hospitio, consueverit esse sermo : meministi nos uno prandio decem aut duodecim capita Geneseos lectitasse : atque plurimas tum difficiles circa ea quæstiones mihi proposuisti, quas ego ex tempore quantum ferebat memoria, resolvi : verum illas in hoc opere ab ovo et longo examine ac continuo filo diductas, explicatas et pertractatas videbis.

Prosapia et nobilitas.

Fuit Moses nobili Patriarcharum stirpe prognatus, et Abrahæ abnepos. Abraham enim genuit Isaac, hic Jacob, hic Levi, hic Caath, hic Amram, hic Mosen.

Fuit et S. Basilius oriundus parentibus tam pietate quam genere illustribus, Basilio et Emmelia, quæ et filium in eremum secedentem secuta est. Tuam prosapiam, Illustrissime Domine, virtute non minus, quam sanguine conspicuam tui cives suspiciunt. Avum habuisti Præsidem Concilii Flandriæ, qui eo honore magna sua laude, et Reipublicæ gratulatione perfunctus est. Parens summi judicii, et dexteritatis vir Præses fuit primum magni Parlamenti Mechliniensis, deinde Concilii privati, qui in fide sui Principis in miris et magnis hisce Belgii fluctibus et turbinibus stetit immotus et inconcussus, eamque ob causam Regi Catholico Philippo II, gloriosæ memoriæ, extitit charissimus. Atque maximis hisce honoribus et officiis plurimis annis perfunctus, quibus ingentes opes congerere potuisset, rem tamen familiarem non auxit, semper in bonum publicum intentus, ut sua privata negligere videretur.

Testis est Thomas Stapleton. in Vita Mori, cap. VIII.

Idem præstitit inclytus ille Angliæ Cancellarius et martyr B. Thomas Morus, qui in Republica quinquaginta annos versatus summosque gerens magistratus, annuum tamen censum non auxit ad septuaginta aureos. Quinimo parens tuus res suas imminuit, et gravia fortunarum damna subiit, eo quod in obsequio Principis sui fidelis et firmus consisteret. Anno enim 1572, hæreticis ex improviso Mechliniam occupantibus, in carcerem infamem conjectus est, et multis molestiis affectus, gravem quoque fortunarum jacturam pertulit : et nisi subito Dux Albanus cum exercitu supervenisset, jam erat morti destinatus. Anno vero 1580, cum eadem urbs iterum ab hæreticis occupata fuisset, domus ejus rursus spoliata, omnisque supellex

MUTIUS VITELLESCUS,

SOC. JESU PRÆPOSITUS GENERALIS.

Cum *Commentarios in Pentateuchum P. Corneli Corneliit a Lapide*, nostræ Societatis Theologi, tres ejusdem Societatis Theologi, quibus id commissum fuit, recognoverint, et in lucem edi posse probaverint : facultatem concedimus, ut typis mandentur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, et sigillo nostro munitas dedimus, Romæ 9 januarii 1616.

MUTIUS VITELLESCUS.

FACULTAS R. P. PRÆPOSITI PROVINCIALIS

PROVINCIÆ FLANDRO-BELGICÆ.

Ego Carolus Scribani Societatis Jesu in provincia Flandro-Belgica Præpositus provincialis, potestate ad id mihi facta a Reverendo admodum P. N. Mutio Vitellesco Præposito generali, concedo hæredibus Martini Nutii, et Joanni Meursio typographis Antuerpiensibus, facultatem typis mandandi *Commentarios in Pentateuchum Mosis, auctore P. Cornelio Cornelii a Lapide*, Societatis nostræ Theologo. In quorum fidem has litteras manu mea scriptas, et officii mei sigillo munitas dedi, Antuerpiæ, 23 augusti, anno 1616.

CAROLUS SCRIBANI.

CENSURA.

Hic *Commentarius R. P. Cornelii Cornelii a Lapide*, Societatis Jesu Theologi, est doctus et pius, ac omnibus modis dignus qui in publicum prodeat, ut omnes doctrinæ avidos et erudiat, et in pietate promoveat. Quod testor 9 maii, anno 1615.

EGBERTUS SPITHOLDIUS,
S. T. L. Canonicus, et Plebanus Antuerpiensis, librorum Censor.

Annotationes quibus *P. Cornelii a Lapide Commentarios in Pentateuchum* illustravit ac ditavit Aug. CRAMPON, presbyter diœcesis Ambianensis,

Nil obstat quin imprimantur.

Datum Ambiani, 2 mai ann. 1859.

† JACOBUS ANTONIUS,
Ambian. Epise.

direpta, et insuper pro uxore, quæ fuga sibi consulere non potuerat, redimenda, multa millia florenorum dependere coactus fuit.

Moses non statim provolavit, sed per gradus ascendit ad imperium. Primis 40 annis in aula Pharaonis educatus fuit omni sapientia Ægyptiorum, didicitque cum magnatibus agere. Secundis 40 annis pascens oves contemplationi se dedit : inde annum agens 80, populi pastoratum et ducatum adiit. Idem fecit S. Basilius, de quo S. Nazianzenus : « Cum prius, ait, sacros libros lectitasset, et eorum explanator fuisset, factus est presbyter ab Hermogene Episcopo Cæsareensi, » etc. Profectus et ascensus.

Pari modo laudat S. Cornelium Pontificem Romanum S. Cyprianus, lib. IV, epist. 2 *ad Antonianum* : « Iste (Cornelius) inquit, ad episcopatum non subito pervenit, sed per omnia officia Ecclesiastica promotus, et in divinis administrationibus Dominum sæpe promeritus, ad sacerdotii sublime fastigium cunctis religionis gradibus ascendit. Tum deinde episcopatum ipsum nec postulavit, nec voluit, nec ut cæteri quos arrogantiæ et superbiæ suæ tumor inflat, invasit : sed quietus et modestus, et quales esse consueverunt qui ad hunc locum divinitus eliguntur, pro pudore virginalis conscientiæ suæ, et pro humilitate ingenitæ sibi et custoditæ verecundiæ, non ut quidam, vim fecit, ut Episcopus fieret, sed ipse vim passus est ut episcopatum susciperet. » Nonne hisce verbis quibus Cornelium, te quoque, Illustrissime Domine, tuosque virgineos mores depingit S. Cyprianus ? Gradatim ad apicem sacerdotii conscendisti : Primo canonicum, et sacerdotem egisti non inertem et otiosum, sed familiam religiose instituendo, confessionibus audiendis vacando, studiis incumbendo, psalmodiæ jugiter inhærendo, consiliis æque ac eleemosynis indigos adjuvando, hospitalitatis et misericordiæ operibus insistendo. Hæc innocens et pura æque ac charitatis et zeli plena vita omnium suffragia excivit, ut te in Decanum Metropolitanum Ecclesiæ Mechliniensis deligerent, quo loco quid præstiteris etiamnum chorus et clerus Mechliniensis, qui toti Belgio virtutis et religionis est speculum, me tacente loquitur. Mox ab Illustrissimo Archiepiscopo Mechliniensi creatus es Vicarius generalis, quo in munere totam Ecclesiæ praxin pervidisti, et pertractasti ea fide, diligentia, gratia et dexteritate, ut ubique disciplinam Ecclesiasticam restitueres, augeres, sancires, dignus tanto magistro discipulus, qua in re illud fuit memorabile, te utrique muneri ita exacte satisfecisse, ut nec chorus suum unquam Decanum, nec diœcesis Vicarium requireret. Primus semper eras in choro, in media quoque hyeme, summo frigore, etiamsi peregre ex visitatione fessus domum redires, nullam corpori indulgens quietem. Iloc gradu ad episcopatum Gandensem a Serenissimo Archiduce nostro, qui in Præsulibus deligendis acre et singulare adhibet judicium, nec quidquam gratiæ, aut sanguini, sed totum virtuti concedit, evocatus es, in quo te ita eidem et toti Belgio probasti, ut jam ad archiepiscopatum non inviteris, sed pene cogaris.

Moses in deserto suæ perfectioni vacavit antequam ducatum capesseret, ut perfectus ipse perficeret alios. S. Basilius Moses evangelicus idem præstitit. Sic enim de se scribit ipse epist. 79 *ad Eustachium* : « Inveni sane multos (ascetas) apud Alexandriam ; alios in Palæstina, et in Cœlesyria et Mesopotamia, quorum admiratus sum tum in servanda diæta temperantiam, tum in obeundis laboribus tolerantiam ; ad quorum obstupui precandi vigorem et constantiam : cum observarem, quo pacto nec somno victi, nec aliqua alia naturæ necessitate deflexi, sublimem semper et invictum animi sensum in fame et siti, in frigore et nuditate servarent. Cum illa admirarer, vitamque virorum illorum ob id beatam judicarem, quod ipso opere se mortificationem Jesu circumferre declararent, cupiebam et ipse, quantum mihi Solitudo et perfectio.

possibile esset, illos æmulari. » Æmulatus est, vitamque monasticam, imo angelicam ante episcopatum egit, quam ut imitaretur, utque S. Basilii consortio frueretur, S. Nazianzenus asserit, quod ad eum in eremum se contulerit quæsiturus, ait, remedium

> Doloris ex amici consuetudine,
> Plane viri divini, qui istic cum Deo
> Sub nube agebat ut alter Moses :
> Hic erat Basilius vivens cum angelis.

Atque hæc fuit causa S. Basilio, cur in solitudinem Ponticam ad ripam Iris fluminis, ut ipse scribit *epist.* 79, se receperit, nimirum ut mores componeret, ut studio sacrarum Litterarum vacaret, ut cum angelis versaretur, ut modum alios regendi et perficiendi meditando condisceret, itaque nesciens ad episcopatum qui a Deo ei destinabatur, se compararet. In Pontica ergo solitudine velut in pharetra sua Deus S. Basilium et Nazianzenum quasi sagittas electas abscondit, ut eos spiritu ibi concepto plenos opportuno postea tempore educeret, quasi novos Joannes Baptistas ad faciendam vindictam in nationibus, et increpationes in populis.

Ante præsulatum, Illustrissime Domine, pariter solitudinem domi coluisti per multos annos simplicitati, pietati et perfectioni tuiipsius incumbens. Cum vero nuntium de episcopatu accepisti, extra domum per plures dies in secretum te abdidisti, ubi cum solo Deo ageres, futurum onus præciperes, difficultates et tempestates eminus quasi ex specula prospiceres, teque contra eas munires et armares, atque leges tum familiam tum episcopatum pie et sancte administrandi tibi ipsi præscriberes. Testis et particeps hujus tuæ solitudinis, et sanctorum desideriorum ac consiliorum ipse fui; plura non dicam, parcam modestiæ tuæ, nec secreta mihi credita evulgabo; neque puduit te publice hunc secessum, hæc exercitia pietatis profiteri : atque hoc ipso, novo tuo exemplo plures ad te, imo ad Mosem, Basilium et Nazianzenum sequendum incitasti. Plures jam Episcopi, antequam episcopatum inirent, hac pia solitudine et rerum divinarum commentatione, ac oneris sibi impositi consideratione, ad illum magna sua consolatione, magnoque suo et Ecclesiæ bono se compararunt.

Sobrietas. Moses sobriam egit vitam, nec tam cibo quam verbo Dei vixit, adeoque accepturus a Deo tabulas legis, bis 40 dies sine cibo et potu, sola oratione et contemplatione vivens traduxit.

S. Basilius Moses Orientis priscam Monachorum abstinentiam sectatus est, eamque constitutionibus suis monasticis sanxit. De studio paupertatis et abstinentiæ S. Basilii ita scribit Nazianzenus in *orat.* jam sæpe citata : « Illi, ait, tunica una, et pallium unum, et humi cubatio, et balnei contemptus, et vigiliæ; et cœna suavissima, atque pulmentum illi erat panis, et sal; et potio sobria, quam nobis nihil laborantibus fontes proferunt. » Hinc ei vultus pallidus, et caro emaciata, ut solis fere ossibus et pelle constare videretur. Hinc illud ejus elogium : « pallor et macies decent virum religiosum. »

Basilium et imagine, et vultu, ac colore circumfers imo præfers. Pallor indicat et ornat abstinentiam tuam, quam omnes norunt et deprædicant. Ego oculatus sum testis et quotquot hospites tui fuerunt. Totas quadragesimas quotannis exigis ea cibi tenuis parcimonia, ut fere tantum pomis, radicibus aut leguminibus vescaris, ut mirum sit te in tot laboribus vigere, vitam et vires sustinere. Pisces æque ac ova natura tua aversatur : Deus a puero te quasi alterum Samsonem Nazareum sibi auctoravit.

Hæc scribo non adulando (nihil enim in hoc mundo ab Illustrissimo D. T. aut a quoquam

mortalium exspectò, quia nihil desidero), sed ut aliis sint in vitæ speculum, tibi in stimulum, ut cum magno illo Episcopo S. Paulo ad ulteriora extendas teipsum, ad destinatum persequare, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu.

Moses vocatus a Deo ad ducatum tertio et quarto, ad indignationem usque Dei, honorem et onus detrectans se excusavit *Exodi* IV : « Obsecro, inquit, Domine, non sum eloquens ab heri, et nudius tertius, et ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris et tardioris linguæ sum : obsecro, Domine, mitte quem missurus es. » S. Basilius pariter fugit episcopatum Neocæsareensem, ut ipse scribit *epist.* 164. Similiter cum ægrotanti Eusebio Episcopo Cæsareensi amico suo fideliter ad mortem usque astitisset, eo mortuo mox abdidit se, deprehensus morbum simulavit, ac reluctans et renitens Episcopus creatus est. Fuga dignitatum.

Cum Vicarium ageres, onus excutere voluisti, ac secedere, tibique et Deo vivere; idque reipsa perfecisses, nisi R. P. Provincialis noster, tuus olim in Philosophia præceptor, te ab hac mente abduxisset, ac persuasisset ut colla oneri pio rursum supponeres.

Porro cum Serenissimus Archidux ab episcopatu Gandensi te transferre cogitaret, teque Archiepiscopum Cameracensem nominasset, bone Deus! quam indoluisti, quanto tempore detrectasti, quot effugia quæsivisti, ac non nisi importunis multorum precibus et pene minis ac vi impulsus et coactus, ne Deo tot indiciis vocanti reluctari videreris, invitus munus suscepisti.

Fecit idipsum præcedente sæculo orbe admirante Joannes Fischerus Episcopus Roffensis, illustris Angliæ martyr, qui ob incomparabilem doctrinam et vitæ innocentiam ad episcopatum Roffensem evectus est; cumque hoc beneficium tenuius postea pro viri tanti meritis videretur, et Henricus VIII ad amplius eum promovere vellet, nunquam adduci potuit, ut sponsam suam, tenuiorem quidem illam, sed Dei vocatione primam, et a se multorum annorum laboribus utcumque cultam, pro locupletiori quacumque dimitteret, illud adjiciens, « se perbeatum futurum, si de hoc saltem minuto concredito sibi grege, deque non adeo inde magnis acceptis emolumentis, in die Domini recte respondere possit, cum et de bene curatis animis, et de recte expensis pecuniis tunc reddenda sit ratio exactior, quam mortales fere putent aut curent. » Sanderus, lib. II *De Schism. Anglic.*

Mosi hoc elogium dat S. Scriptura, quod fuerit mortalium mansuetissimus. S. Basilius Moses Christianus sua constanti benignitate vicit adversarios, uti de eo scribit S. Nazianzenus. Mansuetudo.

Tuam, Illustrissime Domine, humanitatem omnes mirantur, qua omnes comiter excipis, honorifice salutas, omnibus serenum vultum, sermonem, mentem exhibes. Hac ratione Gandensium animos in tui amorem attraxisti, scandala sustulisti, Ecclesiasticam disciplinam restituisti, Parochos solutioris vitæ vel correxisti vel amovisti, ut novus jam Ecclesiæ Gandensis nitor, imo splendor quasi novum jubar toto Belgio resplendeat. Sicut enim Belgium orbis, ita Gandavum Flandriæ et Belgii est ocellus, Caroli V invicti Imperatoris, ut alia taceam, natali clarus. Hinc illæ te per plateas transeunte plebis mussitantis voces : « En transit angelus. En angelus noster. » Sapientissima illa Dei providentia quæ totum mundum divine gubernat, teste Sapiente, « attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. » Hanc imitaris, ut suavitate difficultates mollias et penetres, fortitudine evincas. Itaque quidquid animo destinas, feliciter conficis, et ad exitum perducis. Merito ergo emblema tuum esto : *Suaviter et fortiter.*

Mosis in populum durum materna fuit charitas, adeoque pro eo optavit deleri de libro Charitas

et zelus. vitæ. Hinc quasi nutrix illum per 40 annos in deserto pane cœlesti puta manna pavit : multo magis animis ejus ad Dei timorem et amorem inflammandis insudavit, patet id ex toto Deuteronomio. S. Basilii in suos studia et beneficia recenset Ruffinus, lib. II, cap. IX : « Basilius, inquit, Ponti urbes et rura circumiens, desides gentis illius animos et parum de spe futura sollicitos stimulare verbis, et prædicatione succendere, callumque ab his longæ negligentiæ cœpit abolere : subegitque abjectis inanium rerum et sæcularium curis, suimet notitiam recipere, in unum coire, monasteria construere : psalmis et hymnis et orationibus docuit vacare, pauperum curam gerere, virgines instituere, pudicam castamque vitam omnibus pene desiderabilem facere. Ita brevi permutata est totius provinciæ facies. »

S. Basilio concionanti suggerentem sermonem columbam vidit S. Ephrem, columbam inquam, quæ index et hieroglyphicum est Spiritus Sancti, uti testatur Gregorius Nyssenus. Co-
Orat. *De laude S. Basilii.* gita ergo, qualis, quam zelosus et accensus fuerit ejus sermo? Famem publicam S. Basilii studio levatam testatur S. Nazianzenus : « Pavit, ait, omnes; et quonam pacto? Audi. Aper-
Orat. citata. tis oratione sua et cohortatione locupletum horreis, facit quod est in Scriptura : Cibum esurientibus frangit, panibusque pauperes satiat, alitque eos in fame, atque esurientes animas implet bonis. Quo tandem modo? Cum famelicos in unum coegisset, nonnullos etiam spiritum ægre trahentes, viros, feminas, puerulos, senes, omnem ætatem commiseratione dignam : omnia ciborum genera, quibus fames depelli solet, corrogans, atque ollas pulmento plenas proponens : ac deinde Christi, qui linteo præcinctus discipulorum pedes nequaquam lavare gravabatur, ministerium imitans, simulque puerorum sive conservorum suorum ad eam rem opera utens, corpora pauperum animasque curabat. Talis erat novus noster procurator et secundus Joseph, » etc. Addit vero germanus ejusdem Basilii Gregorius Nyssenus, tum etiam S. Basilium patrimonium ipsum in pauperes erogasse.

Tuam charitatem, sollicitudinem, studia, officia in omnes deprædicant universi Pastores, et clerici æque ac laici. Plura templa, prædia et domos episcopales restaurasti, in hisce et similibus officiis non tantum proventus Ecclesiæ, sed et ipsa patrimonii tui bona expendisti. Charitatem tuam celebrant omnes pauperes, mœsti et afflicti; hucque te natura incitat, propellit
Cap. XXXI, 18. gratia; vere dixeris illud S. Jobi : « Ab infantia mea crevit mecum miseratio, et de utero matris meæ crevit mecum. »

Dixisti mihi non semel, idque experientia ita esse deprehendi, nil te libentius agere, nihil magis esse volupe, quam hospitalia et domos pauperum ac miserorum visere, eos solari, juvare eleemosynis, omnique misericordiæ officio recreare. Experti sunt eam hoc anno Hannones et Montenses. Cum enim gravissima pestilentiæ lue, quæ multa eorum millia assumpsit, laborarent, nec malo sistendo ullum superesset remedium, misisti ad eos reliquias, corpus S. Macarii Archiepiscopi olim Antiocheni in Armenia, quod mox ut in urbem illatum est, lues quasi cœlitus repercussa cedere et minui cœpit, nec cessavit decrescere, donec plane exstincta fuit. Id omnes Montenses confitentur, et publice celebrant, ac in gratiarum actionem argenteam lipsanothecam S. Macario liberali sumptu erexerunt.

Religio. Moses Nazareos instituit, eis leges dictavit *Num.* v. S. Basilius cœnobitarum Moses monasteria toto Oriente suscitavit, eisque constitutiones monasticas præscripsit. Arguebant eum hac de causa hæretici, quasi novarum rerum inventor extitisset, quibus ille respondit, *epistola* 63 : « Accusamur, inquit, et hujus vitæ, quod homines habeamus monachos pietatis studiosos, qui mundo renuntiarint, et universis sæculi curis, quas Dominus comparavit spinis fertilitatem verbi impedientibus : qui hujusmodi sunt, mortificationem Jesu corpore cir-

cumferunt, ac cruce quisque sua accepta Dominum sequuntur. Ego vero omnem vitam meam impenderem, ut mihi possent ista impingi delicta, habercmque apud me viros, qui me doctore hoc pietatis studium amplexi hactenus fuerint, » etc. Subdit deinde ejusmodi Philosophiæ Christianæ sectatoribus esse refertas Ægyptum, Palæstinam atque Mesopotamiam : quin et feminas ejusdem studii æmulas par vitæ institutum esse feliciter assecutas : quod sublime vivendi genus, cum jam apud se inciperet coalescere, optare, ut illud latissime propagetur ; cui quidem rei invidere, nihil aliud esse, quam diabolum ipsum superasse malitia, his, quæ subdit, verbis declarat : « Illud, inquit, vobis assero, et confirmo : quod quæ hactenus pater mendacii Satanas non est ausus dicere, ea temeraria corda jam, et nullo retenta moderationis fræno ora indesinenter, et cum summa licentia loquuntur. » Ex quibus perpende, quales habendi sint Religiosorum hostes hæretici, et perditi Christiani.

Tu, Illustrissime Domine, instituto et domo Religiosus non es, sed quod magis est arduum, in sæculo religiosam vitam agis : domus tua, familia tua ita composita est, ita religiosa, ut videatur esse monasterium. Unde hoc? nimirum quia, quod de S. Basilio ait Nazianzenus : « Basilii vita omnibus fuit canon vivendi, » in te quoque competit. Amicus es Societatis nostræ ac Religiosorum omnium qui veri Religiosi sunt, ac præsertim eorum, qui non sibi soli, sed et aliis vivunt, suamque operam animabus ad salutem dirigendis impendunt.

Monasteria virginum toto archiepiscopatu Mechliniensi olim, et episcopatu Gandensi nunc a te ita crebro visitata, reformata, et sanctis ordinationibus erecta et directa sunt, ut omnes te quasi parentem colant, ament, et in te recumbant.

Moses Pharaoni ejusque Magis mira constantia restitit, hostes populi Dei quaquaversum sustinuit, vicit, domuit. S. Basilius Julianum Imperatorem apostatam debellavit et occidit : sic enim ex Helladio scribit Damascenus, orat. 1 *De imaginibus* : « Basilius, ait, pius astabat Dominæ nostræ imagini, in qua etiam Mercurii celebris martyris figura descripta erat, astabat autem supplicans ut impius Julianus apostata tolleretur. Ex qua quidem imagine didicit, quid esset eventurum. Vidit enim martyrem ad exiguum tempus obscurum, non multo autem post hastam cruentam tenentem. » Constantia et fortitudo.

Porro cum Valente et Arianis quam gloriosa fuere S. Basilii certamina? Modestus Valentis Præfectus, teste Nazianzeno, urgebat Basilium, ut religionem Imperatoris sequeretur. Abnuit ille; tum Præfectus : « Nos qui hæc imperamus, quid tandem tibi videmur? Nihil sane, inquit Basilius, dum hæc jubetis; non enim personarum dignitate, sed fidei integritate christianismus insignitur. » Hinc ira accensus et assurgens Præfectus : « Quid, inquit, potestatem hanc non pertimescis? » — « Cur vero pertimescam? inquit Basilius, quid fiet? quid patiar? » « Quid patieris? intulit ille, unum e tam multis, quæ meæ sunt potestatis. » — « Quænam hæc? subjunxit Basilius : fac enim intelligamus. » — « Bonorum, inquit ille, proscriptionem, exilium, cruciatus, mortem. » Tum Basilius : « Si quid aliud habes, id mihi minitare : horum enim, quæ adhuc commemorasti, nihil nos attingit. » « Quonam modo? » inquit ille. « Quoniam, inquit Basilius, bonorum proscriptioni obnoxius non est, qui nihil habet : nisi forte laceris et detritis hisce pannis indiges, ac paucis libellis, in quibus omnes mihi facultates et copiæ sunt. Exilium autem haud cognosco, qui nullo loco circumscriptus sum : ac neque terram hanc, quam nunc incolo, meam habeo; et eam omnem, in quam projectus fuero, pro mea duco; imo, ut rectius loquor, universam terram Dei esse scio, cujus advena ego sum et peregrinus. » Audi majora et majores animos. « Jam tormenta quid accipere queam, cum corpore caream? nisi forte primam plagam dixeris : hujus enim solius penes te arbitrium et

potestas est. Mors porro beneficii loco mihi erit : citius enim me ad Deum transmittet cui vivo, et munere meo fungor, maximaque ex parte mortem obii, et ad quem jampridem propero. Ignis autem et gladius, et bestiæ, et ungulæ carnem lacerantes, voluptati nobis ac deliciis potius sunt, quam terrori. Proinde contumeliis nos affice, comminare, fac quidquid collibuerit, potestate tua fruere ; audiat hæc etiam Imperator, nequaquam profecto nos vinces, nec efficies, ut impiæ doctrinæ assentiamur, ne si his quidem atrociora miniteris. »

Hac libertate fractus Præfectus adit Imperatorem : Imperator, inquit, ab hujus Ecclesiæ Antistite victi sumus, minis superior est, sermonibus firmior, verborum blanditiis fortior. Ignaviorum alius quispiam tentandus est. Quare recte Præfecto huic, qui postea ægrotans coactus fuit exposcere Basilii auxilium, Cyrus Theodorus hisce versibus insultavit :

Præfectus es tu cæteris quidem omnibus,
Modeste, verum Basilio Magno subes.
Præesse quamvis gestias, subes tamen ;
Formica sane es, rugias licet ut leo.

Theodoretus lib. IV, cap. XVII, hæc addit : Aderat, inquit, etiam quidam nomine Demosthenes culinæ imperatoriæ præfectus, qui more plane barbaro orbis terræ magistrum Basilium reprehendit. At S. Basilius subridens : « Demosthenem, inquit, illitteratum vidimus. » Ubi vero ille majore exardescens iracundia minari cœpit : « Tuum est, inquit Basilius, jusculorum curare condimenta : nam cum aures habeas oppletas sordibus, sacrosancta dogmata audire non potes. »

Tua pro fide et disciplina constantia, Illustrissime Antistes, ubique celebratur; vident enim omnes te non desistere, donec eam sancias, ac rebelles suaviter ad jugum Domini reducas, ut ipsi postea se manus dedisse, seque ita immutatos mirentur. Dictitant nonnulli iyngis et illicis tibi esse philtrum, eo quod cuivis quidvis persuadeas, nec cesses donec quemlibet in tuam sententiam, id est ad sanam mentem pertrahas. Multa dura hac in re devorasti, duriora adhuc devorabis, sed aderit Deus, dabitque ea superare.

Veneratio. Moses ad patres abiens ingens populo sui desiderium reliquit, « fleveruntque eum filii Israel in campestribus Moab triginta diebus. »

In morte et funere S. Basilii scribit S. Nazianzenus tantum fuisse lugentium, etiam Judæorum et Ethnicorum concursum, ut plures in turba obtriti et exstincti sint.

Quis tuorum Gandensium sit dolor tuum abitum quasi parentis obitum lugentium, tota urbs loquitur. Per compita hæ voces audiuntur : Eheu ! tanto viro digni non fuimus, peccata nostra hunc Antistitem nobis eripiunt. Ingens hoc Dei flagellum reputamus. Angelus noster abit, quis nos custodiet? quis diriget? Ex adverso quantus est planctus Gandensium te amittentium, tanta est exultatio Cameracensium te recipientium; lætantur Montes, exultant Valencenæ, jubilat Cameracesium.

Magna hic tibi exurgit messis magno labore metenda : Parochiæ ad octingentas administrandæ; quot hic millia fidelium pascenda? quot millia animarum salvanda? Hic tua acuetur industria, charitas excitabitur, zelus ignescet : præsertim dum cogitabis et nunc cogitas illud S. Nazianzeni : « Basilius per unam Cæsareensem Ecclesiam toti præluxit orbi. »

Habes in Annalibus Ecclesiæ Cameracensis, quæ antiquissima est, et inter primas Belgii, Antistites ejus permultos Sanctorum catalogo adscriptos, qui mira sanctitate præluxerunt, quisque sua virtute et exercitatione sibi propria.

S. Vindicianus locis sacris construendis, et fidelium conventui adaptandis māgnas opes et operas impendit : monasteria et templa potissimum erexit. S. Episcopi Cameracensis.

S. Lietbertus « injurias cautissime, ait auctor Vitæ ejus, vitabat, æquissime ferebat, citissime finiebat : amorem pecuniæ certissimum totius spei suæ venenum esse credebat : amicis utebatur ad rependendam gratiam, inimicis ad patientiam, reliquis ad benevolentiam. » Hierosolymam discedens secum traxit ter mille homines, qui comitati eum sunt in peregrinationem. Ejus sanctitas miraculo claruit. Nam cani ejus post mortem redierunt in pristinæ juventutis colorem et decorem.

Autbertus mira humilitate et sanctimonia Cameracensibus et Hannonibus præluxit. Quare sub illo cœpit in Christiana fide florere Hannonia, adscitis multis sociis in auxilium, ut S. Landelino, S. Gisleno, S. Vincentio Comite Hannoniæ, et S. Waldetrude uxore Vincentii. Quapropter non raro ad S. Autberti colloquia percipienda veniebat Dagobertus Francorum rex. Tanto zelo efferbuit ad convertendum unum peccatorem, ut præ lacrymis et pœnitentiis pene se consumpserit. Hic etiam Sanctorum reliquias decentissime ornavit.

S. Gaugericus adhuc puer fuit propensissimus in res sacras : plurimos reos miraculose eripuit e carceribus et vinculis, qua gratia maxime excelluit. Templa multa exstruxit 39 annis quibus sedi præfuit.

Huic suppar fuit S. Theodoricus, cujus virtutes deprædicat Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus.

Item S. Joannes ejus successor, ab eodem Hincmaro celebratus.

S. Odo Cameracensis Episcopus tanta in Deum et Ecclesiam fuit fide et constantia, ut ab Henrico IV Imperatore pulsus a sua sede, quod virgam et annulum quæ consecratus ab Ecclesia acceperat, dono illius iterato accipere renueret, Aquicincti reliquo vitæ tempore exularit, et in exilio hoc obierit.

Hæc tibi domestica erunt specula, hi stimuli ad gloriosos labores pro eadem Ecclesia exantlandos, ad gloriosos agones pro eadem fortiter obeundos. Perge ut cœpisti : cooperatores sinceri et strenui non deerunt, eos sagaciter selige, ac in sancti operis consortium invita et coopta. Mosen per omnia imitare, Basilium exprime. Divinam bonitatem precor, et precari non cessabo, ut utriusque spiritum copiosum et duplicem in te effundat, quo tot animarum millia tibi credita in Dei timore, cultu et amore pascas, atque ad beatam æternitatem perducas. Huc urget me amor et sollicitudo tuarum rerum, quam nosti.

Succisivis horis opus hoc lectitare licebit : spero, historiarum, exemplorum, rituum et cæremoniarum priscarum varietate et amœnitate oblectabit, atque ex eo Mosen magis agnoscens ad ejus æmulationem magis incitaberis. Methodus mea hic eadem est quæ fuit in Paulinis, nisi quod hic verbis sum brevior, re amplior. Major enim hic est materiæ varietas et amplitudo, æque ac facilitas et amœnitas (multa enim historica sunt, alia typica, et pulchris figuris ac symbolis decorata) : quæ duo me compulerunt verbis parcere, ne opus nimis excresceret : qua etiam de causa sculpturæ arcæ, Cherubim, altaris, tabernaculi, et aliorum peperci. Expressi hic ea quæ a viginti annis in Pentateuchum commentando, et secundo ac tertio eadem docendo comparavi. Allegorias solidas et jucundas veterum cæremoniarum passim attexui, conditas selectis priscorum sententiis, exemplis et apophthegmatibus. Movit me illud Poetæ : Methodus operis.

Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci.

Verum ne Epistolæ modum excedam, de Mose et methodo plura dicam in proœmio.

Accipe ergo, Illustrissime Domine, hoc amoris et observantiæ tum meæ, tum Collegii Lovaniensis et totius Societatis nostræ erga te symbolum et tesseram; et quia jam hinc alio avocor forte in hoc mundo Illust. R. T. non visurus, hoc sit perenne mei apud te mnemosynon, ut corpore ad tempus absentes, spiritu semper præsentes post brevem et miseram hanc vitam Christo Domino nostro, cui omnis hic labor noster desudat, in cœlesti gloria conjungamur, accipiamusque uterque, tu ample, ego pro meo tantum modulo, illud a Daniele promissum : « Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam eruditiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. » Amen.

CORNELII A LAPIDE VITA[1].

Cornelius Cornelii a Lapide, natione Belga, patria Eburo, Bucoldianus, honestis ortus parentibus, a primo rationis usu Deum colere cœpit fide, spe et charitate; adolescens se in Societatem Jesu dedit anno salutis 1692, 8 julii; in ea ante juventutis egressum, sacerdos factus, quotidie sacram Hostiam, ad usque vitæ extremum, quasi juge sacrificium immolavit. Sacram linguam Lovanii, et divinas litteras plus annis 20 publice docuit, unde Romam a Moderatoribus accersitus, easdem ibi summa cum celebritate nominis complures annos interpretatus est, donec labori cedens totum se ad privatam scriptionem convertit; quo tempore quale instituerit vitæ genus, nullis aptius quam ipsiusmet verbis explicuero; ea ipse cum Deo loquens ita concepit : « Hosce meos labores, et fructus, omnia studia, omnem doctrinam, omnem commentationem, tuæ gloriæ, o sacrosancta Trinitas, et trina Unitas, consecravi, optavique ut omnis mea actio, omnis passio, totaque vita non esset aliud, quam continua laus tua. Tu menti meæ ab olim te revelasti, ut te unum æstimarem, et quærerem, cætera omnia velut exilia, inania et fugacia flocciducerem, et fastidirem. Quocirca aulas et oras fugio : silentium et secessum mihi jucundum, aliisque non inutilem sequor cum S. Basilio, Gregorio, Hieronymo, cujus sanctam Bethleem ab eo in Palæstina sollicite quæsitam ego Romæ inveni. Olim junior egi Martham, nunc in devexa ætate magis Magdalenam ago et adamo, memor brevis ævi, memor Dei, memor instantis æternitatis. Cellæ (quæ mihi fida, tota terra charior est, adeoque cœlum terrestre videtur), et silentii solius sum incola, cellicola et sacri Musæi assecla, cœlicola esse contendo, sanctæ contemplationis, lectionis, scriptionis, otium, imo negotium persequor. Deo uni et trino, ejus oraculis et inspirationibus excipiendis, meditandis, celebrandis incumbo; ad Christi pedes sedeo, ut ab ore ejus pendulus verba vitæ hauriam, quæ deinde in alios effundam. » Hæc ille senex agebat, et diuturnæ sanctitatis meritis cumulatus; nam ab ipso statim in Societatem Jesu ingressu, beatæ æternitatis perenni consideratione, ita est ad humanarum rerum contemptum et cœlestium desiderium incitatus, ut ex eo nihil aliud, præter Christi perennem voluntatem, laudem et gloriam, in vita et in morte, in tempore et in æternitate intenderet; eam unam celebrare et promovere omnibus votis et studiis, omnibusque corporis et animi viribus, intenderet et satageret; nihil in hoc mundo a quoquam mortalium exspectaret, nihil desideraret; hominum judicia et plausus non moraretur; soli Deo placere cupiens, et displicere timens, hoc unum spectaret, unum hoc postularet, huc omnis ejus lectio et scriptio, huc omnis labor desudaret, ut sanctum ejus nomen sanctificaretur, ejusque sancta voluntas fieret sicut in cœlo et in terra. Ardentissimum martyrii subeundi desiderium ab ipso primo tyrocinio divinitus haustum, adeo semper retinuit, ut omnibus votis eam sibi lauream assidue efflagitaret. Eam pene jam manibus erat complexus, anno 1604, cum degens apud ædem Deiparæ Aspricollensem miraculis illustrem, haud Lovanio procul, et adventantes turmatim religionis causa mortales, per confessiones, conciones aliaque sacra officia adjuvaret, ab Hollandico equitatu improviso in eam incurrente ipso festo nativitatis Deiparæ die, cunctaque ferro et flamma vastante, circumseptus est, et tantum non captus et trucidatus; verum sacrosanctæ Eucharistiæ quam ex æde sacra, ne ab Hæreticis

(1) Auctore P. Alegambe, *Biblioth. Scriptorum S. J.*

violaretur, efferebat, ac Deiparæ, quam voto nuncupato implorabat, ope, periculum non sine miraculi opinione discussum est; ipse mira providentia servatus incolumis. Cæterum quam nunquam illi exciderit cupido martyrii, satis ea verba declarant, quibus sanctos quatuor Prophetas, absoluto in eorum vaticinia Commentario, ita compellat : « O Prophetæ Domini, fecistis me prophetiæ vestræ et doctoralis laureæ participem; facite, quæso, et martyrii, ut et ego veritatem, quam a vobis hausi aliosque docui, et conscripsi, sanguine meo obsignem. Nec enim ante perfectus et consummatus erit doctoratus meus, nisi hoc sigillo pariter claudatur, a triginta prope annis vobiscum et pro vobis lubens, volensque continuum subeo martyrium religiosæ vitæ, et martyrium ægritudinum, martyrium studiorum et scriptionis : impetrate, obsecro, mihi pro coronide et quartum martyrium sanguinis. Exhausi pro vobis spiritus vitales et animales; exhauriam et sanguinem. Omnis laboris mei per totos annos exantlati, quo vos Dei gratia explicui, illustravi, et novo sermone loquentes et prophetantes effeci, ac vobiscum quasi prophetavi, vestrum mihi quasi prophetæ stipendium, martyrium dico, a Patre luminum æque ac misericordiam obtinete. » Mox ad beatissimam Dei Matrem conversus, cui se suaque omnia deberet, a qua fuisset indignus ad sanctam Filii ejus Societatem vocatus, in ea miro modo directus, adjutus, instructus, martyrii se per eam compotem fieri postulat; deinde Dominum Jesum, amorem suum, per Genitricis et Prophetarum promerita obnixe efflagitat, ne inertem agat vitam, ne inertem in lecto mortem, sed ligno illatam, aut ferro. His consentanea fuere cæterarum ornamenta virtutum, quæ longius prosequi non est hujus operæ.

Nihil illo videri potuit mitius, nihil modestius, nihil temperantius. Tam humili erat de se sensu in tanta doctrinæ atque omnis humanæ divinæque sapientiæ vastitate, ut affirmaret : « Vere et in conscientia mea, stultissimus virorum ego sum, et sapientia hominum non est mecum; sum puer parvulus nesciens introitum et exitum meum. » Alibi quoque ita pronuntiat : « Jam pene a 40 annis sacro huic studio incumbo, a 30 annis nihil aliud ago, quin et continuo sacras litteras doceo, et tamen sentio, quam parum in eis profecerim. » Religiosæ severitatis adeo tenax fuit, ut ne quid illa caperet sua causa detrimenti, nollet sibi quidpiam eximium ad victum proponi, tametsi valetudine semper esset imbecillima, annis impedita, studiis Ecclesiæ Dei profuturis impensa, nec posset edulia, quæ cæteris apponebantur, conficere. Obedientia illi semper, et veritatis amor præ vita fuit. Hanc in omni scriptione primam habuit, illam vero ductricem ad proferendas scriptiones ad publicam lucem, quas alioquin æterno fuerat damnaturus silentio. His ille studiis sanctimoniæ intentus, quum 70 superasset annos ætatis, debitum tandem naturæ solvit, in Urbe sancta, ubi semper optarat sanctorum ossibus sua miscere, die 12 martii, anno 1637. Cadaver auctoritate majorum proprio inclusum loculo, ut olim internosci posset, humatum est. Catalogus ipsius operum est, qui sequitur : *Commentaria in Pentateuchum Mosis*, Antuerpiæ 1616, rursum 1623 in-folio; in libros *Josue*, *Judicum*, *Ruth*, *Regum*, *Paralipomenon*, Antuerpiæ 1642, in-folio; in libros *Esdræ*, *Nehemiæ*, *Tobiæ*, *Judith*, *Esther*, *Machabæorum*, Antuerpiæ 1644; in *Proverbia Salomonis*, Antuerpiæ et Parisiis apud Cramoisy 1635; in *Ecclesiasten*, Antuerpiæ 1638, Parisiis 1639; in *Sapientiam;* in *Canticum Canticorum;* in *Ecclesiasticum;* in quatuor *Prophetas Majores;* in duodecim *Prophetas Minores;* in quatuor Jesu Christi *Evangelia;* in *Acta Apostolorum;* in omnes *D. Pauli Apostoli Epistolas;* in *Epistolas Canonicas;* in *Apocalypsim* S. *Joannis Apostoli.*

Reliquit imperfecta in libros *Job*, et *Psalmorum.*

CONCILII TRIDENTINI DECRETA

(SESSIO IV).

I.

DE CANONICIS SCRIPTURIS.

Sacrosancta œcumenica et generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, præsidentibus in ea eisdem tribus Apostolicæ Sedis legatis, hoc sibi perpetuo ante oculos proponens, ut, sublatis erroribus, puritas ipsa Evangelii in Ecclesia conservetur : quod promissum ante per Prophetas in Scripturis sanctis, Dominus noster Jesus Christus Dei Filius proprio ore primum promulgavit, deinde per suos Apostolos tanquam fontem omnis et salutaris veritatis, et morum disciplinæ, omni creaturæ prædicari jussit : perspiciensque hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis, et sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt : orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam veteris quam novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor, nec non traditiones ipsas tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel ore tenus a Christo, vel a Spiritu Sancto dictatas, et continua successione in Ecclesia catholica conservatas, pari pietatis affectu et reverentia suscipit, et veneratur. Sacrorum vero librorum Indicem huic decreto adscribendum censuit, ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa Synodo suscipiuntur. Sunt vero infra scripti : Testamenti veteris : quinque Moysi, id est, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Josue, Judicum, Ruth; quatuor Regum ; duo Paralipomenon; Esdræ primus et secundus, qui dicitur Nehemias; Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum, Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel; duodecim Prophetæ minores, id est, Osea, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias; duo Machabæorum, primus et secundus. Testamenti novi : quatuor Evangelia, secundum Mathæum, Marcum, Lucam et Joannem; Actus Apostolorum a Luca evangelista conscripti; quatuordecim Epistolæ Pauli apostoli : ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos; Petri apostoli duæ; Joannis apostoli tres; Jacobi apostoli una; Judæ apostoli una, et Apocalypsis Joannis apostoli. Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in Veteri Vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, et traditiones prædictas sciens et prudens contempserit, anathema sit.

II.

DE EDITIONE SACRORUM LIBRORUM.

Insuper eadem sacrosancta Synodus, considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur, sacrorum librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit et declarat, ut hæc ipsa vetus et vulgata editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, præ-

dicationibus et expositionibus pro authentica habeatur : et ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat vel præsumat.

Præterea, ad coercenda petulantia ingenia, decernit, ut nemo, suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei, et morum, ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat, etiamsi hujusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contravenerint, per ordinarios declarentur, et pœnis a jure statutis puniantur.

Sed et impressoribus modum in hac parte, ut par est, imponere volens, qui jam sine modo, hoc est, putantes sibi licere quidquid libet, sine licentia superiorum ecclesiasticorum, ipsos sacræ Scripturæ libros, et super illis annotationes et expositiones quorumlibet indifferenter, sæpe tacito, sæpe etiam ementito prælo, et, quod gravius est, sine nomine auctoris imprimunt, alibi etiam impressos libros hujusmodi temere venales habent : decernit, et statuit, ut posthac sacra Scriptura, potissimum vero hæc ipsa vetus et vulgata editio, quam emendatissime imprimatur; nullique liceat imprimere, vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine auctoris; neque illos in futurum vendere, aut etiam apud se retinere nisi primum examinati probatique fuerint ab ordinario, sub pœna anathematis et pecuniæ in canone a concilii novissimi Lateranensis apposita. Et, si regulares fuerint, ultra examinationem et probationem hujusmodi, licentiam quoque a suis superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris, juxta formam suarum ordinationum. Qui autem scripto eos communicant, vel evulgant, nisi antea examinati probatique fuerint, eisdem pœnis subjaceant quibus impressores. Et qui eos habuerint, vel legerint, nisi prodiderint auctores, pro auctoribus habeantur. Ipsa vero hujusmodi librorum probatio in scriptis detur, atque ideo in fronte libri, vel scripti, vel impressi authentice appareat : idque totum, hoc est, et probatio, et examen, gratis fiat : ut probanda probentur, et reprobentur improbanda. Post hæc temeritatem illam reprimere volens, qua ad profana quæque convertuntur et torquentur verba et sententiæ sacræ Scripturæ, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones impias et diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos : mandat, et præcipit, ad tollendam hujusmodi irreverentiam et contemptum, ne de cætero quisquam quomodolibet verba Scripturæ sacræ ad hæc et similia audeat usurpare, ut omnes hujus generis homines, temeratores et violatores verbi Dei, juris et arbitrii pœnis per episcopos coerceantur.

PRÆFATIO AD LECTOREM [1].

In multis magnisque beneficiis, quæ per sacram Tridentinam Synodum Ecclesiæ suæ Deus contulit, id in primis numerandum videtur, quod inter tot latinas editiones divinarum Scripturarum solam Veterem ac Vulgatam, quæ longo tot sæculorum usu in Ecclesia probata fuerat, gravissimo Decreto authenticam declaravit. Nam, ut illud omittamus, quod ex recentibus editionibus non paucæ ad hæreses hujus temporis confirmandas licenter detortæ videbantur, ipsa certe tanta versionum varietas atque diversitas, magnam in Ecclesia Dei confusionem parere potuisset. Jam enim hac nostra ætate illud fere evenisse constat, quod S. Hieronymus tempore suo accidisse testatus est, tot scilicet fuisse exemplaria quot codices, cum unusquisque pro arbitrio suo adderet, vel detraheret. Hujus autem Veteris ac Vulgatæ editionis tanta semper fuit auctoritas, tamque excellens præstantia, ut eam cæteris omnibus latinis editionibus longe anteferendam esse, apud æquos judices in dubium revocari non posset. Qui namque in ea libri continentur (ut a majoribus nostris quasi per manus traditum nobis est), partim ex S. Hieronymi translatione, vel emendatione, suscepti sunt, partim retenti ex antiquissima quadam editione latina, quam S. Hieronymus Communem et Vulgatam, S. Augustinus Italam, S. Gregorius Veterem translationem appellat. Ac de Veteris quidem hujus, sive Italæ editionis sinceritate atque præstantia, præclarum S. Augustini testimonium exstat in secundo libro *De Doctrina Christiana*, ubi latinis omnibus editionibus, quæ tunc plurimæ circumferebantur, Italam præferendam censuit, quod esset, ut ipse loquitur, verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ. De S. vero Hieronymo multa exstant veterum Patrum egregia testimonia : eum enim S. Augustinus hominem doctissimum, ac trium linguarum peritissimum vocat, atque ejus translationem ipsorum quoque Hebræorum testimonio veracem esse confirmat. Eumdem S. Gregorius ita prædicat, ut ejus translationem, quam novam appellat, ex Hebræo eloquio cuncta verius transfudisse dicat : atque idcirco dignissimam esse, cui fides in omnibus habeatur. S. autem Isidorus non uno in loco Hieronymianam versionem cæteris omnibus anteponit, eamque ab Ecclesiis christianis communiter recipi ac probari affirmat, quod sit in verbis clarior, et veracior in sententiis. Sophronius quoque, vir eruditissimus, S. Hieronymi translationem non Latinis modo, sed etiam Græcis valde probari animadvertens, tanti eam fecit, ut Psalterium et Prophetas ex Hieronymi versione in Græcum eleganti sermone transtulerit. Porro qui secuti sunt, viri doctissimi, Remigius, Beda, Rabanus, Haymo, Anselmus, Petrus Damiani, Richardus, Hugo, Bernardus, Rupertus, Petrus Lombardus, Alexander, Albertus, Thomas, Bonaventura, cæterique omnes, qui his nongentis annis in Ecclesia floruerunt, S. Hieronymi versione ita sunt usi, ut cæteræ, quæ pene innumerabiles erant, quasi lapsæ de manibus theologorum, penitus obsoleverint. Quare non immerito catholica Ecclesia S. Hieronymum doctorem maximum, atque ad Scripturas sacras interpretandas divinitus excitatum, ita celebrat, ut jam difficile non sit illorum omnium damnare judicium, qui vel tam eximii doctoris lucubrationibus non acquiescunt, vel etiam meliora, aut certe paria, præstare se posse confidunt. Cæterum, ne tam fidelis translatio, tamque in omnes partes Ecclesiæ utilis, vel injuria temporum, vel impressorum incuria, vel temere emendantium audacia, ulla ex parte corrumperetur, eadem sacrosancta Synodus Triden-

(1) Hujusce *Præfationis* præcipuus auctor Card. Bellarminus habetur, unus e selectis viris quibus Vulgatam bibliorum editionem a Sixto V correctam, denuo castigandi atque perficiendi cura demandata est a Pontifice Maximo Clemente VIII. Eorum quidem congregationibus Summus Pontifex non aderat præses, sed in iis regulæ ab eo præscriptæ observabantur, imo ipse controversias omnes ac dubia dirimebat. *Præfatio* quoque, non secus ac ipsa Clementiniana editio, Pontificis probatione et quasi auctoritate commendatur. Cf. quæ de hac re disseruit doctissimus Ungarelli in *Annali di Scienze religiose*. Roma.

tina illud decreto suo sapienter adjecit, ut hæc ipsa Vetus ac Vulgata editio emendatissime, quoad fieri posset, imprimeretur, neque ulli liceret eam sine facultate et approbatione Superiorum excudere. Quo Decreto simul typographorum temeritati ac licentiæ modum imposuit, et Pastorum Ecclesiæ in tanto bono quam diligentissime retinendo et conservando, vigilantiam atque industriam excitavit. Et quamvis insignium Academiarum Theologi in editione Vulgata pristino suo nitori restituenda magna cum laude laboraverint, quia tamen in tanta re nulla potest esse nimia diligentia, et codices manuscripti complures et vetustiores Summi Pontificis jussu conquisiti, atque in Urbem advecti erant, et demum, quoniam executio generalium conciliorum, et ipsa Scripturarum integritas ac puritas ad curam Apostolicæ Sedis potissimum pertinere cognoscitur : ideo Pius IV, Pontifex Maximus, pro sua in omnes Ecclesiæ partes incredibili vigilantia, lectissimis aliquot sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, aliisque tum sacrarum litterarum, tum variarum linguarum peritissimis viris, eam provinciam demandavit, ut Vulgatam editionem latinam, adhibitis antiquissimis codicibus manuscriptis, inspectis quoque hebraicis, græcisque Bibliorum fontibus, consultis denique veterum Patrum commentariis, accuratissime castigarent. Quod itidem institutum Pius V prosecutus est. Verum Conventum illum, ob varias gravissimasque Sedis Apostolicæ occupationes jamdudum intermissum, Sixtus V, divina Providentia ad summum Sacerdotium evocatus, ardentissimo studio revocavit, et opus tandem confectum typis mandari jussit. Quod cum jam esset excusum, et ut in lucem emitteretur idem Pontifex operam daret, animadvertens non pauca in sacra Biblia præli vitio irrepsisse, quæ iterata diligentia indigere viderentur, totum opus sub incudem revocandum censuit atque decrevit. Id vero cum morte præventus præstare non potuisset, Gregorius XIV, qui post Urbani VII duodecim dierum Pontificatum Sixto successerat, ejus animi intentionem executus, perficere aggressus est, amplissimis aliquot Cardinalibus, aliisque doctissimis viris, ad hoc iterum deputatis. Sed eo quoque, et qui illi successit, Innocentio IX, brevissimo tempore de hac luce subtractis, tandem sub initium Pontificatus Clementis VIII, qui nunc Ecclesiæ universæ gubernacula tenet, opus, in quod Sixtus V intenderat, Deo bene juvante, perfectum est. Accipe igitur, christiane lector, eodem Clemente summo Pontifice annuente, ex Vaticana typographia, Veterem ac Vulgatam sacræ Scripturæ editionem, quanta fieri potuit diligentia castigatam : quam quidem sicut omnibus numeris absolutam, pro humana imbecillitate affirmare difficile est, ita cæteris omnibus, quæ ad hanc usque diem prodierunt, emendatiorem purioremque esse, minime dubitandum. Et vero quamvis in hac Bibliorum recognitione, in codicibus manuscriptis, hebræis græcisque fontibus, et ipsis veterum Patrum commentariis conferendis, non mediocre studium adhibitum fuerit : in hac tamen pervulgata Lectione, sicut nonnulla consulto mutata, ita etiam alia, quæ mutanda videbantur, consulto immutata relicta sunt : tum quod ita faciendum esse, ad offensionem populorum vitandam, S. Hieronymus non semel admonuit ; tum quod facile fieri posse credendum est, ut majores nostri, qui ex Hebræis et Græcis Latina fecerunt, copiam meliorum et emendatiorum librorum habuerint, quam ii, qui post illorum ætatem ad nos pervenerunt : qui fortasse, tam longo tempore identidem describendo, minus puri atque integri evaserunt ; tum denique, quia sacræ congregationi amplissimorum Cardinalium, aliisque eruditissimis viris ad hoc opus a Sede Apostolica delectis, propositum non fuit, novam aliquam editionem cudere, vel antiquum interpretem ulla ex parte corrigere, vel emendare ; sed ipsam Veterem ac Vulgatam editionem latinam, a mendis veterum librariorum, nec non pravarum emendationum erroribus repurgatam, suæ pristinæ integritati ac puritati, quoad ejus fieri potuit, restituere ; eaque restituta, ut quam emendatissime imprimeretur juxta Concilii œcumenici Decretum, pro viribus operam dare. Porro in hac editione nihil non canonicum, nihil adscititium, nihil extraneum apponere visum est : atque ea causa fuit, cur liber III et IV Esdræ inscripti, quos inter canonicos libros sacra Tridentina Synodus non annumeravit, ipsa etiam Manassæ regis Oratio, quæ neque Hebraice, neque Græce quidem exstat, neque in manuscriptis antiquioribus invenitur, neque pars est ullius canonici libri, extra canonicæ Scripturæ seriem posita sint : et nullæ ad marginem concordantiæ (quæ posthac inibi apponi non prohibentur), nullæ notæ, nullæ variæ lectiones, nullæ denique præfationes, nulla argumenta ad librorum initia conspiciantur. Sed sicut Apostolica Sedes industriam eorum non damnat, qui concordantias locorum, varias lectiones, præfatio-

Fin de l'aperçu

La suite du livre est en qualité visuelle diminuée. Le livre est toutefois complet.

Il est possible de se procurer à prix abordable une édition papier du livre en visitant le site suivant :

canadienfrancais.org

Ce PDF peut être distribué librement. Plus de détails à la dernière page.

nes S. Hieronymi et alia id genus in aliis editionibus inseruerunt: ita quoque non prohibet, quin alio genere characteris in hac ipsa Vaticana editione ejusmodi adjumenta, pro studiosorum commoditate atque utilitate, in posterum adjiciantur, ita tamen, ut lectiones variæ ad marginem ipsius Textus minime annotentur.

CLEMENS PAPA VIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Cum sacrorum Bibliorum Vulgatæ editionis Textus summis laboribus ac vigiliis restitutus, et quam accuratissime mendis expurgatus, benedicente Domino, ex nostra typographia Vaticana in lucem prodeat: Nos, ut in posterum idem Textus incorruptus, ut decet, conservetur, opportune providere volentes, auctoritate Apostolica, tenore præsentium districtius inhibemus, ne intra decem annos, a data præsentium numerandos, tam citra quam ultra montes, alibi quam in nostra Vaticana typographia a quoquam imprimatur. Elapso autem præfato decennio, eam cautionem adhiberi præcipimus, ut nemo hanc sanctarum Scripturarum editionem typis mandare præsumat, nisi habito prius exemplari in typographia Vaticana excuso: cujus exemplaris forma, ne minima quidem particula de textu mutata, addita, vel ab eo detracta, nisi aliquid occurrat, quod typographicæ incuriæ manifeste adscribendum sit, inviolabiliter observetur. Si quis vero typographus in quibuscumque regnis, civitatibus, provinciis, et locis tam nostræ S. R. E. ditioni in temporalibus subjectis, quam non subjectis, hanc eamdem sacrarum Scripturarum editionem intra ecennium prædictum quoquo modo, elapso autem decennio, aliter quam juxta hujusmodi exemplar, ut præfertur, imprimere, vendere, venales habere, aut alias edere vel evulgare; aut si quis bibliopola a se vel ab aliis quibusvis, post datam præsentium, hujus editionis impressos libros, seu imprimendos a præfato restituto et correcto Textu in aliquo discrepantes, seu ab alio, quam a typographo Vaticano, intra decennium excusos, pariter vendere, venales proponere, vel evulgare præsumpserit, ultra amissionem omnium librorum, et alias arbitrio nostro infligendas pœnas temporales, etiam majoris excommunicationis sententiam eo ipso incurrat: a qua nisi a Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo constitutus, absolvi non possit. Mandamus itaque universis et singulis, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis cæterisque Ecclesiarum et locorum etiam regularium Prælatis, ut præsentes litteras in suis quisque Ecclesiis et Jurisdictionibus ab omnibus inviolate perpetuo observari curent ac faciant. Contradictores per Censuras ecclesiasticas aliaque opportuna juris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ac in generalibus, provincialibus, vel synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus, ac quarumcumque Ecclesiarum, Ordinum, Congregationum, Collegiorum atque Universitatum, etiam studiorum generalium, juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, ac privilegiis, indultis, ac litteris Apostolicis in contrarium quomodocumque emanatis et emanandis: quibus omnibus ad hunc effectum latissime derogamus, ac derogatum esse decernimus. Volumus autem, ut præsentium transsumptis etiam in ipsis voluminibus impressis eadem, in judicio et extra, fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IX novembris MDXCII, Pontific. Nostri anno I.

M. VESTRIUS BARBIANUS.

S. HIERONYMI PRÆFATIONES.

I.

PROLOGUS GALEATUS.

Viginti et duas litteras esse apud Hebræos, Syrorum quoque lingua et Chaldæorum testatur, quæ Hebrææ magna ex parte confinis est; nam et ipsi viginti duo elementa habent eodem sono, sed diversis characteribus. Samaritani etiam Pentateuchum Moysi totidem litteris scriptitant, figuris tantum et apicibus discrepantes. Certumque est Esdram scribam legisque doctorem, post captam Jerosolymam et instaurationem templi sub Zorobabel, alias litteras reperisse quibus nunc utimur, cum ad illud usque tempus iidem Samaritanorum et Hebræorum characteres fuerint. In libro quoque Numerorum, hæc eadem supputatio, sub Levitarum ac Sacerdotum censu, mystice ostenditur. Et nomen Domini tetragrammaton, in quibusdam græcis voluminibus, usque hodie antiquis expressum litteris invenimus. Sed et Psalmi, trigesimus sextus, et centesimus decimus, et centesimus undecimus, et centesimus decimus octavus, et centesimus quadragesimus quartus, quanquam diverso scribantur metro, tamen ejusdem numeri texuntur alphabeto. Et Jeremiæ Lamentationes, et Oratio ejus, Salomonis quoque in fine Proverbia, ab eo loco in quo ait, « Mulierem fortem quis inveniet? » iisdem alphabetis vel incisionibus supputantur. Porro quinque litteræ duplices apud Hebræos sunt, Caph, Mem, Nun, Pe, Sade: aliter enim scribuntur per has principia medietatesque verborum, aliter fines. Unde et quinque a plerisque libri, duplices æstimantur, Samuel, Melachim, Dibre hajamim, Esdras, Jeremias, cum Cinoth, id est, Lamentationibus suis. Quomodo igitur viginti duo elementa sunt, per quæ scribimus Hebraice omne quod loquimur, et eorum initiis vox humana comprehenditur : ita viginti duo volumina supputantur, quibus quasi litteris et exordiis, in Dei doctrina, tenera adhuc et lactens viri justi eruditur infantia.

Primus apud eos liber, vocatur Beresith : quem nos Genesim dicimus.

Secundus, Veelle semoth : qui Exodus appellatur.

Tertius, Vaiicra, id est, Leviticus.

Quartus, Vajedabber, quem Numeros vocamus.

Quintus, Elle haddebarim, qui Deuteronomium prænotatur.

Hi sunt quinque libri Moysi, quos proprie Thora, id est, Legem appellant.

Secundum, Prophetarum ordinem faciunt : et incipiunt ab Jesu filio Nave, qui apud eos Josue ben Nun dicitur.

Deinde subtexunt Sophetim, id est, Judicum librum. Et in eumdem compingunt Ruth, quia in diebus Judicum facta ejus narratur historia.

Tertius sequitur Samuel, quem nos Regum primum et secundum dicimus.

Quartus Melachim, id est, Regum, qui tertio et quarto Regum volumine continetur.

Meliusque multo est Melachim, id est, Regum, quam Mamlachot, id est, Regnorum dicere. Non enim multarum gentium describit regna, sed unius Israelitici populi, qui tribubus duodecim continetur.

Quintus est Isaias.

Sextus, Jeremias.

Septimus, Ezechiel.

Octavus, liber duodecim Prophetarum : qui apud illos vocatur Thare asar.

Tertius ordo, Hagiographa possidet.

Et primus liber incipit a Job.

Secundus a David : quem quinque incisionibus et uno Psalmorum volumine comprehendunt.

Tertius est Salomon, tres libros habens : Proverbia, quæ illi Misle, id est Parabolas, appellant.

Quartus, Ecclesiasten, id est, Coheleth.

Quintus, Canticum canticorum, quem titulo Sir hassirim prænotant.

Sextus, est Daniel.

Septimus, Dibre hajamim, id est, Verba dierum : quod significantius Chronicon totius divinæ historiæ possumus appellare, qui liber apud nos Paralipomenon primus et secundus inscribitur.

Octavus, Esdras : qui et ipse similiter apud Græcos et Latinos in duos libros divisus est.

Nonus, Esther.

Atque ita fiunt pariter veteris legis libri viginti duo : id est, Moysi quinque, et Prophetarum octo, Hagiographorum novem. Quanquam nonnulli Ruth et Cinoth inter Hagiographa scriptitent, et hos libros in suo putent numero supputandos, ac per hoc esse priscæ legis libros viginti quatuor : quos sub numero viginti quatuor seniorum Apocalypsis Joannis inducit adorantes Agnum, et coronas suas prostratis vultibus offerentes, stantibus coram quatuor animalibus, oculatis ante et retro, id est, in præteritum et in futurum respicientibus, et indefessa voce clamantibus : Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est.

Hic prologus, Scripturarum quasi galeatum principium, omnibus libris quos de Hebræo vertimus in Latinum, convenire potest : ut scire valeamus, quidquid extra hoc est, inter apocrypha esse ponendum. Igitur Sapientia, quæ vulgo Salomonis inscribitur, et Jesu filii Syrach liber, et Judith, et Tobias, et Pastor, non sunt in canone. Machabæorum primum librum, hebraicum reperi. Secundus, græcus est : quod ex ipsa quoque phrasi probari potest. Quæ cum ita se habeant, obsecro te, lector, ne laborem meum, reprehensionem existimes antiquorum. In templo Dei offert unusquisque quod potest : alii aurum, argentum, et lapides pretiosos : alii byssum et purpuram et coccum offerunt, et hyacinthum : nobiscum bene agitur, si obtulerimus pelles et caprarum pilos. Et tamen Apostolus contemptibiliora nostra magis necessaria judicat. Unde et tota illa tabernaculi pulchritudo, et per singulas species, Ecclesiæ præsentis futuræque distinctio, pellibus tegitur et ciliciis, ardoremque solis et injuriam imbrium ea quæ viliora sunt prohibent. Lege ergo primum, Samuel, et Melachim meum : meum, inquam, meum. Quidquid enim crebrius vertendo, et emendando sollicitius et didicimus et tenemus, nostrum est. Et cum intellexeris quod antea nesciebas, vel interpretem me æstimato, si gratus es ; vel paraphrasten, si ingratus : quanquam mihi omnino conscius non sim, mutasse me quippiam de Hebraica veritate. Certe si incredulus es, lege Græcos codices, et Latinos, et confer cum iis opusculis quæ nuper emendavimus : et ubicumque discrepare inter se videris, interroga quemlibet Hebræorum cui magis accommodare debeas fidem : et si nostra firmaverit, puto quod eum non æstimes conjectorem, ut in eodem loco mecum similiter divinarit. Sed et vos famulas Christi rogo (quæ Domini discumbentis pretiosissima fidei myrrha ungitis caput, quæ nequaquam Salvatorem quæritis in sepulcro, quibus jam ad Patrem Christus ascendit), ut contra latrantes canes, qui adversum me rabido ore desæviunt, et circumeunt civitatem, atque in eo se doctos arbitrantur, si aliis detrahant, orationum vestrarum clypeos opponatis. Ego sciens humilitatem meam, illius semper sententiæ recordabor : Dixi : Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me. Obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis.

II.

HIERONYMUS PAULINO.

Frater Ambrosius tua mihi munuscula perferens, detulit simul et suavissimas litteras, quæ a principio amicitiarum, fidem probatæ jam fidei, et veteris amicitiæ præferebant. Vera enim illa necessitudo est, et Christi glutino copulata, quam non utilitas rei familiaris, non præsentia tan-

tum corporum, non subdola et palpans adulatio, sed Dei timor, et divinarum Scripturarum studia conciliant. Legimus in veteribus historiis quosdam lustrasse provincias, novos adisse populos, maria transisse, ut eos quos ex libris noverant, coram quoque viderent. Sic Pythagoras Memphiticos vates, sic Plato Ægyptum et Archytam Tarentinum, eamque oram Italiæ, quæ quondam magna Græcia dicebatur, laboriosissime peragravit : ut qui Athenis magister erat, et potens, cujusque doctrinam Academiæ gymnasia personabant, fieret peregrinus atque discipulus, malens aliena verecunde discere, quam sua impudenter ingerere. Denique dum litteras quasi toto fugientes orbe persequitur, captus a piratis et venumdatus, etiam tyranno crudelissimo paruit, captivus, vinctus et servus ; tamen quia philosophus, major emente se fuit. Ad Titum Livium lacteo eloquentiæ fonte manantem, de ultimis Hispaniæ Galliarumque finibus quosdam venisse nobiles legimus : et quos ad contemplationem sui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxit. Habuit illa ætas inauditum omnibus sæculis, celebrandumque miraculum, ut urbem tantam ingressi, aliud extra urbem quærerent. Apollonius, sive ille magus, ut vulgus loquitur, sive philosophus, ut Pythagorici tradunt, intravit Persas, pertransivit Caucasum, Albanos, Scythas, Massagetas, opulentissima Indiæ regna penetravit : et ad extremum, latissimo Phison amne transmisso, pervenit ad Brachmanas, ut Hiarcham in throno sedentem aureo, et de Tantali fonte potantem, inter paucos discipulos, de natura, de motibus siderum, ac dierum cursu audiret docentem. Inde per Ælamitas, Babylonios, Chaldæos, Medos, Assyrios, Parthos, Syros, Phœnices, Arabes, Palæstinos, reversus Alexandriam, perrexit Æthiopiam, ut gymnosophistas, et famosissimam Solis mensam videret in sabulo. Invenit ille vir ubique quod disceret, et semper proficiens, semper se melior fieret. Scripsit super hoc plenissime octo voluminibus Philostratus. Quid loquar de sæculi hominibus, cum apostolus Paulus, vas electionis et magister gentium, qui de conscientia tanti in se hospitis loquebatur : An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus ? post Damascum Arabiamque lustratam, ascenderit Jerosolymam, ut videret Petrum, et manserit apud eum diebus quindecim ? Hoc enim mysterio hebdomadis et ogdoadis, futurus gentium prædicator instruendus erat. Rursumque post annos quatuordecim, assumpto Barnaba et Tito, exposuerit Apostolis Evangelium, ne forte in vacuum curreret, aut cucurrisset. Habet enim nescio quid latentis viva vox, et in aures discipuli de auctoris ore transfusa, fortius sonat. Unde et Æschines cum Rhodi exularet, et legeretur illa Demosthenis oratio, quam adversus eum habuerat, mirantibus cunctis atque laudantibus, suspirans ait : Quid si ipsam audissetis bestiam, sua verba resonantem ? Hæc non dico, quod sit in me aliquid tale, quod vel possis a me audire, vel velis discere : sed quod ardor tuus et discendi studium etiam absque nobis per se probari debeat. Ingenium docile, et sine doctore laudabile est. Non quid invenias, sed quid quæras consideramus. Mollis cera, et ad formandum facilis, etiam si artificis et plastæ cessent manus : tamen virtute totum est quidquid esse potest. Paulus apostolus ad pedes Gamalielis legem Moysi et Prophetas didicisse se gloriatur, ut armatus spiritalibus telis, postea diceret confidenter : « Arma nostræ militiæ non carnalia sunt, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et captivantes omnem intellectum ad obediendum Christo, et parati subjugare omnem inobedientiam. » Ad Timotheum scribit ab infantia sacris litteris eruditum, et hortatur ad studium lectionis, ne negligat gratiam quæ data sit ei per impositionem manus presbyteri. Tito præcipit ut inter cæteras virtutes episcopi, quem brevi sermone depinxit, scientiam quoque in eo eligat Scripturarum : « Obtinentem, inquit, eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem : ut potens sit exhortari in doctrina sana, et contradicentes revincere. » Sancta quippe rusticitas solum sibi prodest : et quantum ædificat ex vitæ merito Ecclesiam Christi, tantum nocet si destruentibus non resistat. Malachias propheta, immo per Aggæum Dominus : « Interroga, ait, sacerdotes legem : » in tantum sacerdotis officium est interrogatum respondere de lege. Et in Deuteronomio legimus : « Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi ; seniores tuos, et dicent tibi. » In psalmo quoque centesimo decimo octavo : « Cantabiles mihi erant justificationes tuæ in loco peregrinationis meæ. » Et in descriptione justi viri, cum eum David arbori vitæ, quæ est in paradiso, compararet, inter cæteras virtutes et hoc intulit : « In lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte. » Daniel in fine sacratissimæ visionis ait, justos fulgere sicut stellas, et intelligentes, id est, doctos, quasi firmamentum. Vides quantum

inter se distent, justa rusticitas et docta justitia? Alii stellis, alii cœlo comparantur. Quanquam juxta Hebraicam veritatem utrumque de eruditis possit intelligi. Ita enim apud eos legimus : « Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti : et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. » Cur dicitur Paulus apostolus vas electionis? Nempe quia legis et Scripturarum sanctarum erat armarium. Pharisæi stupent in doctrina Domini : et mirantur in Petro et Joanne quomodo legem sciant, cum litteras non didicerint. Quidquid enim aliis exercitatio, et quotidiana in lege meditatio tribuere solet, illis hoc Spiritus Sanctus suggerebat, et erant juxta quod scriptum est, θεοδίδακτοι. Duodecim annos Salvator impleverat, et in templo senes de quæstionibus legis interrogans, magis docet dum prudenter interrogat. Nisi forte rusticum Petrum, rusticum dicimus Joannem, quorum uterque dicere poterat : « Etsi imperitus sermone, non tamen scientia. » Joannes rusticus, piscator, indoctus? et unde illa vox, obsecro : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum? » Verbum enim græce multa significat, nam et verbum est, et ratio, et supputatio, et causa uniuscujusque rei, per quam sunt singula quæ subsistunt : quæ universa recte intelligimus in Christo. Hoc doctus Plato nescivit, hoc Demosthenes eloquens ignoravit. « Perdam, inquit, sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo. » Vera sapientia perdet falsam sapientiam; et quanquam stultitia prædicationis in cruce sit, tamen Paulus sapientiam loquitur inter perfectos : sapientiam autem non sæculi hujus, nec principum sæculi istius, quæ destruitur; sed loquitur Dei sapientiam in mysterio absconditam, quam prædestinavit Deus ante sæcula. Dei sapientia, Christus est; Christus enim, Dei virtus, et Dei sapientia. Hæc sapientia in mysterio abscondita est : de qua et noni psalmi titulus prænotatur, « Pro occultis filii, » in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei absconditi. Et qui in mysterio absconditus erat, prædestinatus est ante sæcula : prædestinatus autem et præfiguratus in lege et Prophetis : unde et Prophetæ appellantur videntes, quia videbant eum, quem cæteri non videbant. Abraham vidit diem ejus, et lætatus est. Aperiebantur cœli Ezechieli, qui populo peccatori clausi erant. « Revela, inquit David, oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua. » Lex enim spiritualis est, et revelatione opus est, ut intelligatur, ac revelata facie Dei gloriam contemplemur. Liber in Apocalypsi septem sigillis signatus ostenditur : quem si dederis homini scienti litteras ut legat, respondebit tibi : Non possum : signatus est enim. Quanti hodie putant se nosse litteras, tenent signatum librum, nec aperire possunt, nisi ille reseraverit qui habet clavem David, qui aperit, et nemo claudit; claudit, et nemo aperit? In Actibus Apostolorum sanctus eunuchus, immo vir (sic enim eum Scriptura cognominat), cum legeret Isaiam prophetam, interrogatus a Philippo : « Putasne intelligis quæ legis? respondit : Quomodo possum, nisi aliquis me docuerit? » Ego (ut de me loquar interim) nec sanctior sum hoc eunucho, nec studiosior; qui de Æthiopia, id est, de extremis mundi finibus, venit ad templum, reliquit aulam regiam : et tantus amator legis divinæque scientiæ fuit, ut etiam in vehiculo legeret litteras sacras. Et tamen cum librum teneret, et verba Domini cogitatione conciperet, lingua volveret, labiis personaret, ignorabat eum, quem in libro nesciens venerabatur. Venit Philippus, ostendit ei Jesum, qui clausus latebat in littera. O mira doctoris virtus! eadem hora credit eunuchus, baptizatur, et fidelis et sanctus factus est; ac magister de discipulo, plus in deserto fonte Ecclesiæ, quam in aurato synagogæ templo reperit. Hæc a me perstricta sunt breviter (neque enim epistolaris angustia evagari longius patiebatur), ut intelligeres te in Scripturis sacris sine prævio et monstrante semitam non posse ingredi. Taceo de grammaticis, rhetoribus, philosophis, geometris, dialecticis, musicis, astronomis, astrologis, medicis, quorum scientia mortalibus vel utilissima est, et in tres partes scinditur, τὸ δόγμα, τὴν μέθοδον, τὴν ἐμπειρίαν. Ad minores artes veniam, et quæ non tam lingua, quam manu administrantur. Agricolæ, cæmentarii, fabri metallorum, lignorumque cæsores, lanarii quoque, et fullones, et cæteri qui variam supellectilem et vilia opuscula fabricantur, absque doctore esse non possunt quod cupiunt. Quod medicorum est, promittunt medici; tractant fabrilia fabri : sola Scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vindicant. Scribimus indocti doctique poemata passim. Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent antequam discant. Alii, adducto supercilio, grandia verba trutinantes, inter mulierculas de sacris litteris philosophantur. Alii discunt (proh pudor!) a feminis, quod viros doceant; et ne parum hoc sit, quadam facilitate verborum, immo audacia,

edisserunt aliis quod ipsi non intelligunt. Taceo de mei similibus, qui si forte ad Scripturas sanctas post sæculares litteras venerint, et sermone composito aures populi mulserint, quidquid dixerint, hoc legem Dei putant; nec scire dignantur quid Prophetæ, quid Apostoli senserint, sed ad sensum suum incongrua aptant testimonia: quasi grande sit, et non vitiosissimum docendi genus, depravare sententias, et ad voluntatem suam, Scripturam trahere repugnantem. Quasi non legerimus Homerocentonas, et Virgiliocentonas, ac non sic etiam Maronem sine Christo possimus dicere christianum, quia scripserit:

Jam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna;
Jam nova progenies cœlo demittitur alto.

Et Patrem loquentem ad Filium :

Nate; meæ vires, mea magna potentia solus.

Et post verba Salvatoris in cruce :

Talia perstabat memorans; fixusque manebat.

Puerilia sunt hæc, et circulatorum ludo similia, docere quod ignores : immo, ut cum stomacho loquar, ne hoc quidem scire quod nescias.

Videlicet manifestissima est Genesis, in qua de creatura mundi, de exordio generis humani, de divisione terræ, de confusione linguarum et gentium, usque ad exitum scribitur Hebræorum.

Patet Exodus cum decem plagis, cum Decalogo, cum mysticis divinisque præceptis.

In promptu est Leviticus liber, in quo singula sacrificia, immo singulæ pene syllabæ, et vestes Aaron, et totus ordo Leviticus spirant cœlestia sacramenta.

Numeri vero nonne totius arithmeticæ, et prophetiæ Balaam, et quadraginta duarum per eremum mansionum mysteria continent?

Deuteronomium quoque secunda lex, et Evangelicæ legis præfiguratio, nonne sic ea habet quæ priora sunt, ut tamen nova sint omnia de veteribus? Hucusque Moyses, hucusque Pentateuchus: quibus quinque verbis loqui se velle Apostolus in Ecclesia gloriatur.

Job exemplar patientiæ, quæ non mysteria suo sermone complectitur? Prosa incipit, versu labitur, pedestri sermone finitur; omnesque leges dialecticæ, propositione, assumptione, confirmatione, conclusione determinat. Singula in eo verba, plena sunt sensibus. Et (ut de cæteris sileam) resurrectionem corporum sic prophetat, ut nullus de ea vel manifestius, vel cautius scripserit. « Scio, inquit, quod redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum : et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo. »

Veniam ad Jesum Nave, qui typum Domini non solum gestis, verum etiam nomine præfert; transit Jordanem, hostium regna subvertit, dividit terram victori populo, et per singulas urbes, viculos, montes, flumina, torrentes, atque confinia, Ecclesiæ cœlestisque Jerusalem spiritualia regna describit.

In Judicum libro, quot principes populi, tot figuræ sunt.

Ruth Moabitis, Isaiæ explet vaticinium, dicentis : Emitte agnum, Domine, Dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion. »

Samuel in Heli mortuo, et occiso Saul, veterem legem abolitam monstrat. Porro in Sadoc atque David, novi sacerdotii novique imperii sacramenta testatur.

Melachim, id est tertius et quartus Regum liber, a Salomone usque ad Jechoniam, et a Jeroboam filio Nabat usque ad Osee, qui ductus est in Assyrios, regnum Juda et regnum describit Israel. Si historiam respicias, verba simplicia sunt : si in litteris sensum latentem inspexeris, Ecclesiæ paucitas, et hæreticorum contra Ecclesiam bella narrantur.

Duodecim Prophetæ in unius voluminis angustia coarctati, multo aliud, quam sonet in littera, præfigurant.

Osee crebro nominat Ephraim, Samariam, Joseph, Jezrahel, et uxorem fornicariam, et fornicationis filios, et adulteram cubiculo clausam mariti, multo tempore sedere viduam, et sub veste lugubri, viri ad se reditum præstolari.

Joel, filius Phatuel, describit terram duodecim tribuum, eruca, brucho, locusta, rubigine vastante consumptam : et post eversionem prioris populi, effusum iri Spiritum Sanctum super servos Dei et ancillas, id est, super centum viginti credentium nomina, et effusum iri in cœnaculo Sion. Qui centum viginti, ab uno usque ad quindecim paulatim et per incrementa surgentes, quindecim graduum numerum efficiunt, qui in Psalterio mystice continentur.

Amos pastor et rusticus, et ruborum mora distringens, paucis verbis explicari non potest. Quis enim digne exprimat tria aut quatuor scelera Damasci, et Gazæ, et Tyri, et Idumææ, et filiorum Ammon et Moab, et in septimo et octavo gradu Judæ et Israel ? Hic loquitur ad vaccas pingues, quæ sunt in Samariæ monte, et ruituram domum majorem minoremque testatur. Ipse cernit fictorem locustæ, et stantem dominum super murum litum vel adamantinum, et uncinum pomorum, attrahentem supplicia peccatoribus, et famem in terram : non famem panis, nec sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei.

Abdias, qui interpretatur servus Dei, pertonat contra Edom sanguineum terrenumque hominem ; fratris quoque Jacob semper æmulum, hasta percutit spiritali.

Jonas, columba pulcherrima, naufragio suo passionem Domini præfigurans, mundum ad pœnitentiam revocat : et sub nomine Ninive, gentibus salutem nuntiat.

Michæas de Morasthi, cohæres Christi, vastationem annuntiat filiæ latronis, et obsidionem ponit contra eam : quia maxillam percusserit judicis Israel.

Nahum, consolator orbis, increpat civitatem sanguinum, et post eversionem illius loquitur : « Ecce super montes pedes evangelizantis, et annuntiantis pacem. »

Habacuc, luctator fortis et rigidus, stat super custodiam suam, et figit gradum super munitionem, ut Christum in cruce contempletur, et dicat : « Operuit cœlos gloria ejus, et laudis ejus plena est terra. Splendor ejus ut lux erit, cornua in manibus ejus : ibi abscondita est fortitudo ejus. »

Sophonias, speculator et arcanorum Dei cognitor, audit clamorem a Porta piscium, et ejulatum a Secunda, et contritionem a collibus. Indicit quoque ululatum habitatoribus Pilæ, quia conticuit omnis populus Chanaan, disperierunt universi qui involuti erant argento.

Aggæus, festivus et lætus, qui seminavit in lacrymis, ut in gaudio meteret, destructum templum ædificat, Deumque Patrem inducit loquentem : « Adhuc unum modicum, et ego commovebo cœlum et terram, et mare, et aridam, et movebo omnes gentes, et veniet desideratus cunctis gentibus. »

Zacharias, memor Domini sui, multiplex in prophetia, Jesum vestibus sordidis indutum, et lapidem oculorum septem, candelabrumque aureum cum totidem lucernis quot oculis, duas quoque olivas a sinistris lampadis cernit et dextris : ut post equos nigros, rufos, albos et varios, et dissipatas quadrigas ex Ephraim, et equum de Jerusalem, pauperem regem vaticinetur et prædicet, sedentem super pullum filium asinæ subjugalis.

Malachias aperte, et in fine omnium Prophetarum, de abjectione Israel, et vocatione gentium : « Non est mihi, ait, voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum : et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus : et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda. »

Isaiam, Jeremiam, Ezechielem et Danielem, quis potest vel intelligere, vel exponere ? Quorum primus non prophetiam mihi videtur texere, sed Evangelium.

Secundus virgam nuceam, et ollam succensam a facie aquilonis, et pardum spoliatum suis coloribus, et quadruplex diversis metris nectit alphabetum.

Tertius principia et finem tantis habet obscuritatibus involuta, ut apud Hebræos istæ partes cum exordio Geneseos ante annos triginta non legantur.

Quartus vero, qui et extremus inter quatuor prophetas, temporum conscius, et totius mundi lapidem præcisum de monte sine manibus, et regna omnia subvertentem, claro sermone pronuntiat.

David Simonides noster, Pindarus, et Alcæus, Flaccus quoque, Catullus atque Serenus, Christum lyra personat, et in decachordo psalterio, ab inferis excitat resurgentem.

Salomon, pacificus et amabilis Domini, mores corrigit, naturam docet, Ecclesiam jungit et Christum, sanctarumque nuptiarum dulce canit epithalamium.

Esther in Ecclesiæ typo, populum liberat de periculo ; et interfecto Aman, qui interpretatur iniquitas, partes convivii, et diem celebrem mittit in posteros.

Paralipomenon liber, id est, instrumenti veteris ἐπιτομή, tantus ac talis est, ut absque illo si quis scientiam Scripturarum sibi voluerit arrogare, seipsum irrideat. Per singula quippe nomina juncturasque verborum, et prætermissæ in Regum libris tanguntur historiæ, et innumerabiles explicantur Evangelii quæstiones.

Esdras et Nehemias, adjutor videlicet, et consolator a Domino, in unum volumen coarctantur, instaurant templum, muros exstruunt civitatis; omnisque illa turba populi redeuntis in patriam, et descriptio Sacerdotum, Levitarum, Israelis, proselytorum, ac per singulas familias murorum ac turrium opera divisa, aliud in cortice præferunt, aliud retinent in medulla. Cernis me Scripturarum amore raptum, excessisse modum Epistolæ, et tamen non implesse quod volui. Audivimus tantum, quid nosse, quid cupere debeamus, ut et nos quoque possimus dicere: « Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore. » Cæterum illud Socraticum impletur in nobis : « Hoc tantum scio, quod nescio. »

Tangam et novum breviter Testamentum.

Matthæus, Marcus, Lucas et Joannes, quadriga Domini, et verum Cherubim, quod interpretatur scientiæ multitudo, per totum corpus oculati sunt, scintillæ emicant, discurrunt fulgura, pedes habent rectos, et in sublime tendentes, terga pennata et ubique volitantia, tenent se mutuo, sibique perplexi sunt, et quasi rota in rota volvuntur, et pergunt quocumque eos flatus Spiritus Sancti perduxerit.

Paulus Apostolus ad septem scribit Ecclesias : octava enim ad Hebræos a plerisque extra numerum ponitur. Timotheum instruit ac Titum, et Philemonem pro fugitivo famulo deprecatur. Super quo melius tacere puto, quam pauca scribere.

Actus Apostolorum nudam quidem sonare videntur historiam, et nascentis Ecclesiæ infantiam texere : sed si noverimus scriptorem eorum Lucam esse medicum, cujus laus est in Evangelio, animadvertemus pariter omnia verba illius, animæ languentis esse medicinam.

Jacobus, Petrus, Joannes, Judas, septem Epistolas ediderunt, tam mysticas, quam succinctas, et breves pariter ac longas : breves in verbis, longas in sententiis : ut rarus sit, qui non in earum lectione cæcutiat.

Apocalypsis Joannis tot habet sacramenta, quot verba. Parum dixi, et pro merito voluminis laus omnis inferior est. In verbis singulis multiplices latent intelligentiæ. Oro te, frater charissime, inter hæc vivere, ista meditari, nihil aliud nosse, nihil quærere. Nonne tibi videtur jam hic in terris regni cœlestis habitaculum? Nolo offendaris in Scripturis sanctis simplicitate, et quasi vilitate verborum, quæ vel vitio interpretum, vel de industria sic prolata sunt, ut rusticam concionem facilius instruerent, et in una eademque sententia aliter doctus, aliter audiret indoctus. Non sum tam petulans et hebes, ut hæc me nosse pollicear, et eorum fructus capere, quorum radices in cœlo fixæ sunt : sed velle fateor. Sedenti me præfero; magistrum renuens, comitem spondeo. Petenti datur, pulsanti aperitur, quærens invenit. Discamus in terris, quorum scientia nobis perseveret in cœlo. Obviis te manibus excipiam, et (ut inepte aliquid, ac de Hermagoræ tumiditate effutiam) quidquid quæsieris, tecum scire conabor. Habes hic amantissimum tui fratrem Eusebium, qui litterarum tuarum mihi gratiam duplicavit, referens honestatem morum tuorum, contemptum sæculi, fidem amicitiæ, amorem Christi. Nam prudentiam et eloquii venustatem etiam absque illo ipsa Epistola præferebat. Festina, quæso te, et hærentis in salo naviculæ funem magis præcide, quam solve. Nemo renuntiaturus sæculo bene potest vendere quæ contempsit ut venderet. Quidquid in sumptus de tuo tuleris, pro lucro computa. Antiquum dictum est : Avaro tam deest quod habet quam quod non habet. Credenti totus mundus divitiarum est : infidelis autem etiam obolo indiget. Sic vivamus, tanquam nihil habentes, et omnia possidentes. Victus et vestitus divitiæ christianorum sunt. Si habes in potestate rem tuam, vende : si non habes, projice. Tollenti tunicam, et pallium relinquendum est. Scilicet nisi tu, semper recrastinans, et diem de die trahens, caute et pedetentim tuas possessiunculas vendideris, non habet Christus unde alat pauperes suos. Totum Deo dedit, qui seipsum obtulit. Apostoli navem tantum et retia reliquerunt. Vidua duo æra misit in gazophylacium, et præfertur Crœsi divitiis. Facile contemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum.

DU CULTE

DE

JÉSUS-CHRIST DANS LES ÉCRITURES.

Le premier lieu où l'on rencontre ceux que l'on aime, c'est leur histoire. L'histoire est le passé de la vie se survivant à lui-même dans un souvenir écrit. Il n'y aurait pas d'amitié, si la mémoire ne ressuscitait dans l'âme et n'y tenait présents ceux à qui nous avons donné notre cœur. C'est là qu'ils vivent de notre propre vie, là que nous les voyons avec nous, là que leurs traits et leurs actions demeurent empreints et se conservent dans un relief qui fait partie de notre être. Mais la mémoire, même la plus fidèle, est courte par quelques endroits, et, si elle veut se transmettre à d'autres en leur léguant l'image aimée, il faut qu'elle se transforme en histoire et se grave sur un airain qui méprise le temps. L'histoire est la mémoire d'un siècle immortalisé. Par elle, les générations se rapprochent, et, si pressées qu'elles soient dans leur cours et leur disparition, elles puisent au foyer du souvenir l'unité qui fait leur âme et leur parenté. Un homme qui n'a pas d'histoire est tout entier dans sa tombe; un peuple qui n'a pas dicté la sienne n'est pas encore né. D'où il suit que la religion, étant la première entre toutes les choses humaines, doit avoir une histoire qui soit aussi la première, et que Jésus-Christ étant le centre et le fondement de la religion, doit tenir aux annales du monde une place qu'aucun autre, conquérant, philosophe ou législateur ne saurait atteindre. Ainsi en est-il, mon cher Emmanuel. On a beau creuser l'antiquité ou redescendre aux âges nouveaux, rien n'apparaît avec le caractère de nos Ecritures, ni rien avec la majesté de Jésus-Christ. Je ne m'arrête pas à vous le montrer; je l'ai fait ailleurs, et il est entendu qu'entre vous et moi ce n'est pas la question d'apologie qui nous préoccupe, mais la question de la vie, c'est-à-dire de connaître et d'aimer Dieu par la connaissance et l'amour de Jésus-Christ.

Or, soit pour connaître, soit pour aimer, il faut s'approcher de l'objet qui a conquis les pressentiments de notre cœur, le regarder, l'étudier, y revenir sans qu'aucune lassitude interrompe jamais cette ardeur de découverte et de possession; et, si la mort ou l'absence l'ont enlevé de nos yeux, si les siècles ont jeté entre lui et nous de longs intervalles, c'est à son histoire qu'il faut le redemander. N'avez-vous pas remarqué, dans le cours de vos études classiques, l'incompréhensible et divine magie de l'histoire? D'où vient que la Grèce est pour nous comme une patrie qui ne meurt pas? D'où vient que Rome, avec sa tribune et ses guerres, nous poursuit encore de son invincible image, et domine de ses grandeurs éteintes une postérité qui n'est pas la sienne? Pourquoi ces noms de Miltiade et de Thémistocle, pourquoi ces champs de Marathon et de Salamine, au lieu d'être des tombeaux oubliés, sont-ils des choses de notre âge, des couronnes tressées hier, des acclamations qui retentissent et s'attachent à nos entrailles pour les ébranler? Je ne puis, quoi que je fasse, me dérober à leur puissance; je suis Athénien, Romain, j'habite au pied du Parthénon, et j'écoute en silence au bas de la roche Tarpéienne, Cicéron qui me parle et qui m'émeut. C'est l'histoire qui fait cela. Une page écrite il y a deux mille ans a vaincu ces deux mille ans, elle en vaincra deux mille encore, et ainsi toujours, jusqu'à ce que l'éternité remplace le temps, et que Dieu, qui est tout l'avenir, soit aussi pour nous tout le passé. Mais vous entendez

(1) Hac epistola, ex opere cui titulus, *Lettres à un jeune homme sur la vie chrétienne, par le P. H. D. Lacordaire*, Paris, 1858, apud Poussielgue-Rusand, tum Auctoris, tum Editoris benigno concessu excerpta, editionem nostram locupletari, imo exornari, ex Lectoribus nemo non gratus accipiet.

bien que cet empire sur la mémoire des hommes n'appartient pas à la première page venue écrite par le premier scribe venu sur n'importe quels gestes de ses contemporains. Non, l'histoire est un privilége, un don fait au génie en faveur des grands peuples et des grandes choses. Il n'y a pas d'histoire du Bas-Empire, il n'y en aura jamais; c'est Rome qui a fait Tite-Live avant de mourir, et c'est elle encore qui inspirait Tacite, en lui ramenant sous Néron l'âme de ses consuls.

Mais qu'est-ce que Rome ou la Grèce devant le christianisme? Qu'est-ce qu'Alexandre ou César devant Jésus-Christ? La religion n'est pas l'intérêt d'un peuple, elle est celui de l'humanité; son histoire n'est pas l'histoire d'un homme, elle est celle de Dieu. Et si Dieu a donné des historiens à quelques nations parce qu'elles avaient des vertus, et à quelques hommes parce qu'ils avaient du génie, que n'aura-t-il pas fait pour son Fils unique, prédestiné dès l'origine à venir parmi nous, et à remplir de sa présence tous les temps et tous les lieux? L'histoire de Jésus-Christ est l'histoire du ciel et de la terre. Là sont et doivent être les plans de Dieu sur le monde, les lois primordiales et universelles, les commencements des races, la succession des événements qui ont agi sur le cours général des choses humaines, les directions de la providence, les prophéties de l'avenir, l'élection des peuples et des siècles, la gloire des hommes prédestinés aux desseins éternels, la lutte du bien contre le mal dans ses manifestations les plus profondes, la promulgation authentique de la vérité, et enfin, par-dessus tout, du sommet à la base, la figure du Christ éclairant tout de sa lumière et de sa beauté. Vous reconnaissez à ces traits nos saintes Ecritures; vous savez qu'elles ont été tracées sous l'inspiration du souffle de Dieu, qui a mû la volonté des écrivains, suscité et dirigé leurs pensées, et qu'ainsi elles ne sont pas seulement un édifice admirable d'antiquité, d'unité et de sainteté, mais un édifice divin, l'ouvrage substantiel de la vérité infinie, où les prophètes n'ont mis que le vêtement de leur style et l'accent de leur âme, afin qu'il y eût de l'homme en cela comme en tout, et que l'immuable divinité du fond apparût d'autant plus à travers les accidents variables de l'élément humain. Œuvre de quatre mille ans, la main de plusieurs y apparaît, mais une seule intelligence y préside, et c'est la rencontre de l'un et du multiple dans une si longue durée qui est le premier miracle de cette sublime rédaction. Quand on l'ouvre sans en connaître le véritable auteur, comme un simple livre, on ne peut résister à l'ascendant de son caractère, et on y reconnaît, à tout le moins, le monument d'histoire, de législation, de morale et d'éloquence le plus étonnant qui soit sous le ciel. Mais pour nous, qui savons quel a été l'historien, quels le législateur et le poète, un bien autre sentiment s'empare de nous : ce n'est pas l'admiration seulement ni la stupeur, c'est l'adoration de la foi et le tressaillement d'une gratitude surnaturelle. Là, dès la première ligne, viennent tomber à nos pieds l'erreur de l'homme enfant et l'erreur de l'homme dégénéré, les fictions de l'idolâtrie, qui voit Dieu partout, et les négations du panthéisme, qui ne le voit nulle part. *Au commencement, Dieu créa le ciel et la terre* (1). De ce premier mot au dernier : *Que la grâce de Notre-Seigneur soit avec vous tous* (2), la lumière marche en croissant toujours, semblable à un soleil qui n'aurait pas de déclin, et dont l'ascension continue augmenterait à tout instant l'éclat et la chaleur. Ce n'est plus une écriture, c'est une parole; ce n'est plus une lettre morte cachant sous ses plis des vérités découvertes par le raisonnement et l'observation, c'est une parole vivante, la parole éternelle de Dieu.

Quel mot, Emmanuel, la parole de Dieu ! Il n'y a rien de plus doux que la parole de l'homme quand elle sort d'une intelligence droite et d'un cœur qui nous aime; elle nous pénètre, elle nous touche, elle nous charme, elle endort nos douleurs et exalte nos joies, elle est le baume et l'encens de notre vie. Que doit-ce être de la parole de Dieu pour qui sait la reconnaître et l'entendre? Que doit-ce être de pouvoir se dire : Dieu a inspiré cette pensée; c'est lui qui me parle en elle, c'est à moi qu'elle est dite, c'est moi qui l'écoute? Et lorsqu'on en est venu, de page en page, à la parole même de Jésus-Christ, à cette parole qui n'a plus été une simple inspiration intérieure et prophétique, mais le souffle sensible de la divinité, l'expression palpable du Verbe de Dieu, entendue des foules aussi bien que des disciples, que reste-t-il qu'à se taire aux pieds du maître, et à laisser retentir dans notre âme l'écho de sa bouche?

L'Ecriture est tout ensemble l'histoire de Jésus-Christ et la parole de Dieu. Elle a d'un bout à

(1) Genes. I, 1. — (2) Apocal. XXII, 21.

l'autre ce double caractère. Dès la première page, sous les ombrages émus du paradis terrestre, elle nous annonce la venue du Sauveur des hommes. Cette promesse, transmise aux patriarches, prend de livre en livre une clarté qui remplit tous les événements et les pousse vers l'avenir comme une préparation et une préfiguration de ce qui est attendu. Le peuple de Dieu se forme dans l'exil et le combat; Jérusalem se fonde, Sion s'élève; la race du Messie se détachant du fond primitif des tribus patriarchales, s'épanouit en David, qui passe des troupeaux de Bethléem au trône de Juda, et de là contemple et chante le fils qui lui naîtra de sa postérité pour être le roi d'un *royaume sans fin* (1). Les Prophètes reprennent sur le tombeau de David la harpe des jours qui ne sont pas encore; ils suivent Juda dans ses malheurs, ils l'accompagnent dans sa captivité; Babylone entend, au bord de ses fleuves, la voix des saints qu'elle ignore, et Cyrus, son vainqueur, lui parle du Dieu qui a fait le ciel et la terre, et qui lui a ordonné de rebâtir le temple de Jérusalem. Ce temple renaît. Il écoute les gémissements et les ardeurs des derniers prophètes, et, après un intervalle, après avoir été souillé par les nations et purifié par les Machabées, il voit venir le Fils de Dieu dans les bras d'une Vierge, et, de ses portiques au sanctuaire, du sanctuaire au Saint des saints, il se redit la parole suprême du vieillard Siméon : *Maintenant, Seigneur, vous laisserez aller votre serviteur en paix, selon votre promesse, parce que mes yeux ont vu votre salut, le salut que vous avez préparé à la face de tous les peuples, pour être la lumière de leur révélation et la gloire de votre peuple d'Israël* (2). Jésus-Christ est venu. L'Evangile succède à la loi et aux prophéties, et la vérité, accomplissant la figure, resplendit sur le passé, qu'elle explique après en avoir reçu le témoignage. Tous les temps se rencontrent dans le Christ, et l'histoire prend sous ses pas son éternelle unité. C'est lui qui est tout désormais, c'est à lui que tout se rapporte, de lui que tout procède; il a tout créé, et il jugera tout. Le Jourdain le reçoit dans ses eaux sous la main du précurseur qui le baptise; les montagnes le voient gravir leur pente suivi de tout un peuple, et elles entendent de sa bouche cette parole qu'aucun autre n'avait encore proférée : *Bienheureux les pauvres, bienheureux ceux qui pleurent.* Les lacs prêtent leurs bords à ses discours, et leurs flots à ses miracles. D'humbles pêcheurs plient leurs filets en le voyant, et le suivent pour devenir sous lui des pêcheurs d'hommes. Les sages le consultent dans l'ombre de la nuit, les femmes l'accompagnent et le servent à la clarté du jour. Tout malheur vient le trouver, toute blessure espère en lui, et la mort lui cède, pour les rendre à leurs mères, des enfants déjà pleurés. Il aime saint Jean, le jeune homme, et Lazare, l'homme mûr. Il parle à la Samaritaine, et bénit l'étrangère. Une pécheresse embaume sa tête et baise ses pieds, une adultère trouve grâce devant lui. Il confond la vaine sagesse des docteurs, et chasse du temple ceux qui faisaient un lieu de trafic du lieu de la prière. Il se dérobe à la multitude qui veut le proclamer roi, et, lorsqu'il entre à Jérusalem précédé des hosannah qui saluent en lui le fils de David et le rédempteur du monde, il y rentre sur une ânesse recouverte des habits de ses disciples. La Synagogue le juge, la Royauté le méprise, Rome le condamne; il meurt sur une croix en bénissant le monde, et le centurion qui le voit mourir entre les insultes de la foule et les blasphèmes des grands, reconnaît, en frappant sa poitrine, qu'il est le Fils de Dieu. Un tombeau le reçoit des mains de la mort; mais, le troisième jour, ce tombeau, gardé par la haine, s'ouvre de lui-même et laisse passer triomphant le maître de la vie. Ses disciples le revoient; leurs mains le touchent et l'adorent, leur bouche le confesse; ils reçoivent de lui ses dernières instructions, et, tout ce qui doit être visible étant consommé pour l'homme, le Fils de Dieu et le fils de l'homme prend sur une nuée le chemin du ciel, laissant à ses apôtres le monde à vaincre. Bientôt Pierre, le pêcheur, tout illuminé des commotions de l'Esprit-Saint, descend aux portes du cénacle et harangue la multitude, étonnée de l'entendre, malgré la diversité de ses origines et de ses langues. Paul, le persécuteur, ne tarde pas à paraître à côté de lui; il porte le nom de Jésus aux nations, dont il est l'apôtre; Antioche le possède, Athènes l'écoute, Corinthe le reçoit, Ephèse le chasse et le bénit, Rome enfin touche ses chaînes et abreuve de son sang sa glorieuse poussière. Jean, le plus familier des disciples du Christ, l'hôte sacré de sa poitrine, se tient debout sur les rivages de Pathmos, et, le dernier des pro-

(1) S. Luc, 1, 33. — (2) Ibid., 29 et suiv.

phètes, il annonce à l'Eglise ses transfigurations dans le malheur et la gloire jusqu'à la fin des siècles.

L'histoire de Jésus-Christ se partage ainsi en trois périodes distribuées en quatre mille ans : les temps prophétiques, les temps évangéliques et les temps apostoliques. Dans la première, Jésus-Christ est attendu et préparé ; dans la seconde, il se manifeste, vit et meurt au milieu de nous ; dans la troisième, il fonde son Église par les apôtres, qui ont vécu avec lui, qui ont reçu ses enseignements et hérité de ses pouvoirs. Ce tissu ne s'interrompt jamais et porte en lui par lui-même la démonstration de sa vérité. Mais autre chose est de sentir la vérité d'une preuve, autre chose de se nourrir de la vérité sentie. De même qu'il y a deux moments dans l'amitié, celui où l'on s'assure que l'on nous aime, et celui où l'on jouit du bonheur d'être aimé, il y a aussi dans la vie surnaturelle du christianisme deux moments distincts, celui où l'on reconnaît Jésus-Christ dans la divinité de son histoire, et celui où l'on s'abandonne à l'ineffable douceur de cette histoire vérifiée. A ce second moment, les doutes se sont enfuis, la certitude est maîtresse ; on ne cherche plus, on n'examine plus, on ne s'offense plus : l'histoire devient parole, la parole même de Dieu, et cette parole coule dans l'âme comme un fleuve de lumière et d'onction. Elle pénètre jusqu'aux dernières fibres de nos plus lointaines puissances, comme le sang qui anime nos veines se fait jour jusqu'aux extrémités de nos plus mystérieux organes ; elle nous dégoûte de tout autre aliment spirituel, ou plutôt tout ce que nous lisons et tout ce que nous pensons se transfigure au contact de ce flot de grâce et de vérité qui nous vient de l'Ecriture, et, par l'Ecriture, de l'esprit même de Dieu.

Car, il faut que vous le remarquiez, c'est le Saint-Esprit qui est l'inspirateur de nos livres sacrés. Le symbole chrétien nous le dit expressément : *Je crois au Saint-Esprit qui a parlé par les Prophètes.* Et saint Pierre l'énonçait en ces termes : *Ce n'est pas une volonté humaine qui nous a fait don des prophéties ; mais, inspirés par l'Esprit-Saint, ce sont de saints hommes de Dieu qui les ont parlées* (1). Jésus-Christ lui-même n'a ouvert sa bouche pour nous instruire qu'après que l'Esprit-Saint fut descendu sur lui au jour de son baptême ; et, prêt à quitter ses disciples, il leur laissait comme son testament cette dernière promesse : *Je prierai mon Père, et il vous donnera un autre Paraclet qui demeurera en vous éternellement, l'Esprit de vérité, que le monde ne peut concevoir, parce qu'il ne le voit pas et ne le sait pas, mais que vous connaîtrez, parce qu'il demeurera et sera en vous* (2). Et ce fut le miracle de la Pentecôte qui, réalisant cette promesse, donna aux apôtres la lumière de leur foi et le courage de leur amour. Jusque-là ils n'avaient été que des hommes investis de la confiance de leur maître et de prérogatives qu'ils ne comprenaient qu'à demi ; l'effusion de l'Esprit-Saint en eux les fit martyrs, évangélistes, prophètes, les colonnes inébranlables de l'Eglise et les pères de toute la postérité des saints. Le même mystère s'accomplit en nous. Bien que le Verbe de Dieu soit le flambeau où s'allume notre raison, et que sa parole manifestée dans la chair soit le principe d'où découle notre foi, cependant, ni comme Verbe ni comme Christ, il ne suffit seul à la transfiguration surnaturelle de notre être ; il y faut encore l'action de l'Esprit-Saint, qui, étant le lien du Père et du Fils par une charité coéternelle à tous trois, est aussi en nous tous le souffle de l'amour, et par l'amour le nœud qui nous attache à la lumière et à la croix de Jésus-Christ. De même qu'il inspira les Prophètes, il nous inspire à notre tour dans une moindre mesure ; c'est lui qui nous prépare à entendre les livres qu'il a dictés, et c'est lui que nous retrouvons à chaque page de ces livres, pour y être notre onction intime, mais une onction qui nous ramène à Jésus-Christ notre médiateur, notre exemplaire et notre vie.

Cela étant, mon cher Emmanuel, quelle est la place que les Ecritures doivent obtenir dans votre existence de chrétien ? Vous resteront-elles fermées ? les regarderez-vous comme un livre scellé que le prêtre seul a le droit d'ouvrir, don mystérieux fait au sanctuaire, charte d'alliance du Nouveau Testament cachée derrière les voiles du temple, et que les fidèles ne peuvent ni voir de leurs yeux, ni toucher de leurs mains? Avez-vous même senti le besoin de les connaître ? Vous qui avez étudié les livres de l'antiquité païenne, qui avez jeté des regards avides sur tous les

(1) IIe Epître de S. Pierre, I, 21. — (2) S. Jean, XIV, 16 et 17.

grands monuments de la littérature et de l'histoire, avez-vous une seule fois tourné les pages où la sagesse divine a déposé, dans un travail de quarante siècles, les annales de sa providence sur le genre humain? Avez-vous lu l'Evangile, sauf dans le texte grec où l'on exerçait votre esprit aux tours harmonieux de l'hellénisme? J'en doute, et je ne serais pas surpris que vous me demandiez, à votre tour, s'il est permis à un simple chrétien de se hasarder dans les profondeurs de la parole de Dieu, s'il n'y a pas des abîmes cachés dans cet océan qui porte le vaisseau de l'Eglise, et si ce n'est pas toucher au protestantisme que de lire la Bible avec l'intention d'y fortifier sa foi et d'y enflammer sa charité.

Il est vrai, mon cher ami, qu'au treizième siècle, pour la première fois, le pape Innocent III défendit à nos ancêtres, les fidèles de France, la lecture des saints livres traduits en langue vulgaire. Jusque-là l'Eglise n'avait point improuvé ces traductions ni leur usage, et rien n'est plus célèbre, dans l'antiquité, que les travaux d'Origène pour populariser les versions primitives de l'Ancien Testament, et que ceux de saint Jérôme pour donner à l'Eglise d'Occident un texte latin plus pur que celui dont elle se servait. Au témoignage de ce Père, confirmé par saint Augustin, il y avait de son temps d'innombrables traductions romaines de la Bible, entre lesquelles on en distinguait une qui s'appelait l'*Italique*, et qui, conservée en partie, en plus grande partie remplacée par la sienne, est devenue cette *Vulgate* que le concile de Trente a déclarée authentique. L'empressement à multiplier les versions était unanime; il répondait au besoin des peuples et aux exhortations que les Pères des deux Eglises d'Orient et d'Occident ne cessaient d'adresser à leurs fidèles pour leur inspirer le goût des textes sacrés. On touchait encore à Jésus-Christ, aux Apôtres, à ces temps où la vérité n'était qu'hébraïque, et l'on se hâtait de la tirer d'une langue trop étroite pour lui ouvrir, par les deux idiomes grec et romain, toutes les portes du monde civilisé. Mais, au treizième siècle, la situation n'avait plus le même caractère, et l'œil d'Innocent III avait entrevu, dans les hérésies naissantes de l'âge moderne, la pente qui devait les conduire au protestantisme, c'est-à-dire à la négation de l'autorité dans les choses de l'ordre surnaturel, et, par suite, au renversement du sens de l'Eglise par le sens privé. L'Ecriture devenait ainsi l'arme, non pas d'une erreur dogmatique, comme l'avait été l'arianisme ou le nestorianisme, et en général toutes les hérésies d'origine grecque, mais l'arme d'une conjuration directe et réfléchie contre la société chrétienne. Au lieu de docteurs égarés par l'orgueil de la science et disputant à l'Eglise des lambeaux de la vérité, on allait voir le peuple lui-même appelé à se faire juge des termes de la révélation, et ne reconnaissant plus, pour se guider dans les mystères de la parole divine, que les illusions de son propre esprit. Dès lors il y avait péril à laisser les saintes Lettres aux mains d'une multitude sans préparation, et que la docilité d'une foi sincère ne préservait plus des piéges de l'ignorance. Ce fut la pensée d'Innocent III. Loin d'interdire le champ des Ecritures à la chrétienté, il n'en ferma que l'issue par où un peuple sans culture pouvait s'y précipiter, et encore ne la ferma-t-il qu'à un seul peuple, celui qui, en France, se trouvait sous l'empire immédiat du mouvement vaudois et albigeois.

Trois siècles plus tard, lorsque enfin le protestantisme, longtemps couvé dans les entrailles de l'esprit européen, éclata sur l'Eglise, le souverain pontife Pie IV, s'inspirant des précautions d'Innocent III, les étendit à toutes les parties de la chrétienté, mais en réservant aux évêques la faculté de permettre la lecture de la Bible en langue vulgaire à tous ceux qu'ils jugeraient capables de n'en pas abuser. Vingt ans après, Clément VIII retira cette faculté aux évêques, et la transporta à la seule congrégation de l'*Index*. Cette rigueur, toute modérée qu'elle était, ne tarda pas à s'adoucir par la force même des choses et à mesure que le protestantisme, jugé par ses œuvres, perdit de l'ascendant que le premier feu de son éruption lui avait donné. On vit paraître dans toutes les langues de l'Europe des versions de la Bible émanées d'auteurs sincèrement dévoués à l'Eglise; on les vit s'imprimer et se propager avec l'approbation même des Pontifes romains, telles, par exemple, que la version polonaise, publiée à Cracovie sous la protection authentique des papes Grégoire XIII et Clément VIII; telles encore que la version italienne de l'archevêque de Florence Martini, plus récemment recommandée par le pape Pie VI. Il n'est pas de nation catholique qui n'ait aujourd'hui à sa portée les Ecritures traduites dans son idiome national par des écrivains d'une foi irréprochable et de l'assentiment exprès ou tacite, soit de l'épis-

copat, soit de la papauté. L'esprit de l'Eglise ne change pas. Dépositaire de la parole de Dieu, elle n'a jamais craint d'en exposer le texte véritable aux regards du genre humain ; elle ne l'a pas tenu caché sous le linceul d'une langue hiératique, comme le secret du sanctuaire, et, tout en attribuant à l'antique version latine le caractère de l'authenticité, elle a permis à tous les peuples chrétiens de se la rendre propre dans une interprétation populaire. Elle a respecté les sources primitives, créé une traduction privilégiée, pourvu à l'exactitude des versions de second ordre, accepté toute propagation empreinte de sincérité, et ainsi, tout à la fois économe et libérale, elle a donné à la parole de Dieu une diffusion qui embrasse l'univers.

Mais encore, mon cher Emmanuel, qu'il fût strictement interdit à un catholique de pénétrer dans les livres saints à l'aide d'une langue contemporaine, ce serait là une barrière sans importance pour vous. Grâce à Dieu, vous êtes lettré ; vous appartenez à cette portion des hommes qui a eu le bonheur de se naturaliser par l'étude dans la cité de l'intelligence. La langue de l'Eglise, qui est celle de votre foi, est aussi celle de votre pensée. Chrétien par le cœur, vous êtes grec et romain par l'éducation, c'est-à-dire que vous êtes initié aux lettres, aux actes, aux idiomes et aux événements dont la Providence s'est servie pour préparer la venue de son Fils et en être le berceau. Si votre science est bornée, votre culture ne l'est pas ; vingt ans d'assiduité aux choses de l'esprit ont aiguisé en vous l'arme souveraine des grands combats. On ne peut vous en imposer par une érudition fausse ni par une philosophie apparente ; vous pouvez faire descendre de leur trépied ceux mêmes qui en savent plus que vous, parce que vous avez acquis le plus précieux des dons, qui est la perspicacité de l'entendement. Tandis que d'autres n'ont que le sens des quantités mathématiques, de perspective que les lois et les phénomènes de la matière, vous avez habitué votre âme aux spéculations de l'ordre moral ; elle s'est rendu familières les choses qui ne se pèsent ni ne se mesurent à l'aide de la balance ou du compas, et, là même où vous ignorez, vous pouvez sentir encore l'absence du vrai. Vous êtes donc digne de lire la parole de Dieu, non parce que vous êtes capable de la lire dans le texte d'une langue morte, mais parce que vous êtes capable de mépriser les inévitables ombres qui couvrent ça et là des pages où se pressent à la fois les mystères du temps et ceux de l'éternité. Un mot obscur ne vous troublera pas ; un usage mal connu ne vous laissera que l'impression de votre impuissance : un acte incompatible avec nos mœurs ne vous sera que le témoignage de l'antiquité où se perd le récit. La lumière surabondante et progressive de l'ensemble vous conduira sûrement, et, au lieu de juger par des points et des virgules d'un livre qui a changé le monde, vous le jugerez par sa substance, son cours et sa toute-puissante unité.

Mais ce qui me rassure encore plus, c'est la droiture de votre cœur et la justesse de votre sens chrétien. Né dans un pays catholique, c'est-à-dire dans un pays qui a conservé Jésus-Christ tout entier, vous avez reçu la tradition vivante du christianisme. Vous vous sentez disciple, et non pas maître. Comme Marie, la sœur de Lazare, se tenait aux pieds du Seigneur en l'écoutant ; comme Jean, l'apôtre bien-aimé, s'appuyait sur sa poitrine en le regardant : ainsi vous tenez-vous aux pieds et sur la poitrine de l'Eglise, cette immortelle héritière du Christ, qui a reçu de lui sa parole dans les Ecritures, sa grâce dans les sacrements, sa personne même dans l'Eucharistie, et enfin son autorité pour conduire les âmes et se conduire elle-même dans les voies de la rédemption. Vous n'avez aucune peine à lui reconnaître ces traits, et, les reconnaissant, vous n'avez aucune peine à lui soumettre l'onction que vous avez reçue par elle de l'esprit de Dieu. Vous l'appelez votre mère, parce que vous la croyez l'épouse de Jésus-Christ, et la certitude de sa maternité vous inspire la tendresse et l'abandon de l'amour filial. Vous ne la séparerez donc pas des Ecritures, pas plus que vous ne la séparerez de Jésus-Christ ; vous ne ferez pas un divorce entre ces trois et indivisibles objets de votre affection. Si les Ecritures vous ont conduit à Jésus-Christ, et Jésus-Christ à l'Eglise, l'Eglise à son tour vous donnera la force de suivre Jésus-Christ, et la grâce de ne pas errer dans les Ecritures au gré d'une interprétation sans règle. C'est là le triple nœud de la vérité parmi nous ; qui brise l'un brise les autres, et il ne lui reste bientôt dans les mains que la poussière de ce monde. Quand les protestants rejetèrent l'Eglise, je veux dire l'Eglise véritable, celle qui remontait à son auteur par la tradition de l'épiscopat et de la primauté romaine, ils crurent qu'ils se tiendraient fermement à la personne du Christ sur le fondement de

la parole de Dieu. Mais la négation de la divinité de l'Eglise les amena bientôt à la négation de la divinité de Jésus-Christ, et celle-ci à la négation de la divinité des Ecritures. Qui rompt le faisceau par un point le détruit tôt ou tard. Sans doute il est encore des protestants, et beaucoup peut-être, qui croient sincèrement à la Bible et au Christ; mais la pente historique du protestantisme est où je l'ai dit, et les efforts des simples ou des ardents pour retenir la vérité scripturaire ne peuvent cacher au monde la dispersion de Babel.

Je ne crains pas pour vous cet écueil, mon cher Emmanuel; le cours de votre siècle n'est plus où il était il y a trois cents ans. Alors, dans l'inexpérience d'une séparation qui n'avait jamais été tentée, on croyait possible le règne de Dieu sans le règne de l'homme; aujourd'hui l'épreuve est faite, et il est constant que l'homme a sa part nécessaire et voulue dans le règne de Dieu. Qui détrône l'Eglise détrône Jésus-Christ. C'est pourquoi ce n'est pas l'hérésie, mais l'incroyance; ce n'est pas l'abus des Ecritures, mais leur mépris, qui est la blessure de notre âge. Echappé que vous êtes au grand naufrage des convictions, l'erreur inconséquente est sans péril pour vous. Vous êtes sauvé tout entier par cela seul que vous êtes sauvé. Aussi est-ce une autre crainte qui me préoccupe à votre sujet, la crainte que vous ne lisiez pas ou que vous lisiez sans profit nos codes sacrés.

Car, ne vous y trompez pas, c'est une lecture difficile, et difficile par une raison à laquelle peut-être vous n'avez pas songé. Je ne fais pas allusion à votre ignorance des langues originales de l'Ecriture; vous ne savez pas l'hébreu, et vous n'avez du grec qu'une teinture trop légère pour vous servir. Mais là n'est pas l'obstacle. Si un protestant, qui est seul au monde en présence de la Bible, a un besoin logique d'en connaître les sources, et par conséquent les idiomes où repose son antiquité, il n'en est pas ainsi d'un catholique, qui sait ce qu'il est. Vivant dans l'Eglise perpétuellement assistée de Dieu pour la conduire et l'éclairer, il lui suffit qu'elle sache ce qu'il ignore. Sa science est la sienne, sa lumière lui appartient, et, dans l'immense communion des siècles et des docteurs chrétiens, il puise l'honneur invincible de parler toutes les langues, d'entendre et de résoudre toutes les difficultés. L'Eglise est née dans les régions sémitiques; ses premiers apôtres étaient de la race d'Abraham, et, par eux, elle a connu tous les secrets de la postérité de Sem. Elle en a recueilli les traditions, partagé les mœurs, épelé les dialectes. Tout ce vieux monde hébraïque a été son berceau, et elle s'est jouée du Nil au Sinaï, du Sinaï à Jérusalem et à Babylone. Le monde grec en même temps lui ouvrait ses portes démantelées par où s'échappait tout le fleuve de la première Europe, et Rome, maîtresse de tout, l'introduisait de la terre latine aux entrailles de l'Occident. Car il y avait à cette heure-là trois choses présentes partout : les synagogues juives, les colonies grecques et les légions romaines. Saint Paul était à la fois juif par son origine, grec par la ville de Tarse, lieu de sa naissance, romain par le droit de cité, et quelque part qu'il se portât, il n'était étranger que par Jésus-Christ, jusqu'à ce que le lendemain ce titre lui créât une quatrième fraternité. Toutes les langues et tout le savoir humain s'étaient ainsi donné rendez-vous au berceau de l'Eglise; et, depuis, à mesure qu'elle s'est avancée entre les ruines du monde ancien et les rudiments du nouveau, elle s'est initiée toujours, avec une fidélité digne de sa mission, aux progrès de la science humaine. C'est pourquoi ses enfants, certains de son infaillibilité surnaturelle, certains aussi de son universelle culture, se reposent sur elle des dons qu'ils n'ont pas reçus, et tranquilles dans sa double lumière, pauvres ou riches, ils apportent à la table commune de la vérité une faim dont ils ne rougissent pas.

Ne vous inquiétez donc pas d'ignorer l'hébreu ou de mal savoir le grec; l'Eglise les sait pour vous, et elle ne vous demande que la bonne volonté de les apprendre pour elle, si tel était l'honneur de votre prédestination. Mais, Emmanuel, il y a dans l'Ecriture une plus grande difficulté que celle des langues, une difficulté plus intime encore et plus profonde, c'est celle de sa beauté. L'Ecriture est belle d'une beauté qui n'a rien d'humain, qui ne procède d'aucune passion et qui n'en provoque aucune. En tout autre livre, les choses nous touchent par leur nature, qui est la nôtre, et, si le génie de l'écrivain les a couvertes d'éloquence ou de poésie, elles nous ravissent aisément jusqu'à l'enthousiasme ou au moins jusqu'à l'émotion. Il n'en est pas de même de l'Ecriture. Elle est, d'un bout à l'autre, surhumaine par son fonds, quoiqu'il n'y soit question que de l'homme et de ses destinées; et il y règne un souffle si simple, si chaste, si peu terrestre, que

jamais le côté faible et ardent de notre être n'y trouve son aliment. C'est à peine si ça et là, dans quelque fragment d'une histoire plus proche de nous, nous sentons légèrement s'émouvoir la brise de l'humanité. Joseph retrouvant ses frères qui l'ont autrefois vendu, Tobie embrassant son vieux père après une longue absence et de plus longues alarmes, les Machabées délivrant leur patrie du joug de l'étranger : ces scènes et quelques autres nous ramènent au foyer de notre nature, mais rarement et avec une sorte de divine parcimonie. Quand je lus ce fameux *Cantique des cantiques*, que Voltaire appelait avec tant de goût *une chanson de corps de garde*, je fus étonné de demeurer si froid devant une si grande et si orientale nudité d'expression; je me demandai pourquoi, ne comprenant pas encore que, s'il y a un art de cacher le vice sous des formes de style savamment calculées, il y a aussi un art de cacher la vertu sous des couleurs qui sembleraient celles de la passion. Il en est du *Cantique des cantiques* comme du crucifix : tous les deux sont nus impunément parce qu'ils sont divins.

Mais si cette perfection est un témoignage de divinité, elle est aussi une épreuve pour le lecteur. Il se lasse aisément d'être emporté si haut, loin des parfums et des illusions de la terre. Comme les Israélites errant dans les solitudes de l'Arabie regrettaient, sans le vouloir, la captivité de l'Egypte, il regrette les champs bien-aimés des littératures qui l'ont ému. Le souffle lui manque pour suivre l'inspiration des prophètes et le langage des martyrs; il y croit, il les goûte même par l'onction intérieure de l'esprit de Dieu qui habite en lui; mais *le poids de cette gloire*, pour me servir d'une expression de saint Paul, est trop pesant à une âme qui n'a pas encore atteint la virilité de l'âge surnaturel. Aussi l'Eglise, qui le sait, n'impose-t-elle pas à ses enfants cette grande lecture comme un devoir; semblable à une mère prudente, elle leur distribue la parole de Dieu dans une mesure qui convient à leur faiblesse. Un mot, une phrase lui suffisent pour les instruire et les toucher. Soit qu'elle leur parle du haut de la chaire par ses ministres, soit qu'elle dicte pour eux des livres à ses docteurs, c'est toujours l'Ecriture qui est sur ses lèvres ou sous sa plume, comme un or précieux qui, sans rien perdre de sa substance et de son prix, se déroule entre les doigts de l'artiste et y reçoit l'alliage de son génie. Cet alliage, il est vrai, quand il es appliqué à l'Ecriture, est un alliage humain, l'empreinte d'un art moins parfait que celui de Dieu. Cependant, à cause de l'alliance entre Dieu et l'homme par la grâce, nous pouvons parler la parole de Dieu sans la profaner, et ce que nous y mêlons de notre âme est un attrait qui la rapproche heureusement de notre infirmité. Quand, par exemple, vous lisez l'Ecriture dans Bossuet, quelle majesté, quelle force, quelle lumière n'en jaillit pas à vos yeux? Le mot qui vous eût laissé froid vous remue; c'est un prophète expliquant un prophète. La foi est ravie sans être abaissée, et c'est notre faiblesse même qui est ici le char où nous montons vers Dieu.

Il y a peu d'années, les *Martyrs* de M. de Chateaubriand me tombèrent sous la main; je ne les avais pas lus depuis ma première jeunesse. Il me prit fantaisie d'éprouver l'impression que j'en ressentirais, et si l'âge aurait affaibli en moi les échos de cette poésie qui m'avait autrefois transporté. A peine eus-je ouvert le livre et laissé mon cœur à sa merci, que les larmes me vinrent aux yeux avec une abondance qui ne m'était pas ordinaire, et, rappelant mes souvenirs sous le charme de cette émotion, je compris que je n'étais plus le même homme, et que, loin d'avoir perdu de ma tendresse littéraire, elle avait gagné en profondeur et en vivacité. Ce n'était pas seulement l'âge qui l'avait mûrie; un nouvel élément l'avait transfigurée : j'étais chrétien. Les *Martyrs*, qui n'avaient parlé qu'à mon imagination et à mon goût de jeune homme, leur parlaient encore sans doute, mais ils trouvaient dans ma foi un second abîme ouvert à côté de l'autre, et c'était le mélange de deux mondes, le divin et l'humain, qui, tombant à la fois dans mon âme, l'avait saisie sous l'étreinte d'une double éloquence, celle de l'homme et celle de Dieu. Aucun écrivain, avant M. de Chateaubriand, n'avait eu cet art au même degré. Saint Jérôme, le plus passionné des Pères, avait bien retenu de l'antiquité profane et des ardeurs de sa jeunesse un accent qui retentissait dans son style; mais, pénétré de Jésus-Christ jusqu'à la moelle des os, le saint diminuait en lui les restes du poète et du voyageur. Il se frappait la poitrine au souvenir de l'ancien Jérôme, et ce qui s'en entendait encore n'était plus que le cri du lion affaibli par l'immensité du désert. En M. de Chateaubriand l'homme avait survécu. Comme le solitaire de Bethléem, il avait assisté aux révolutions des empires; il avait vu tomber Versailles et persécuter le chris-

tianisme; comme lui, victime d'une mélancolie native que les événements du monde avaient nourrie, il avait cherché dans de lointains exils le remède de ses douloureuses contemplations; la foi lui était venue de ses larmes, et, purifiant tout à coup son génie jusque-là sans règle, elle lui avait inspiré, sur les ruines de l'Eglise et de la monarchie, les premières pages qui eussent consolé le sang des martyrs et les tombes de Saint-Denis. Mais, si chrétien qu'il fût, l'homme était demeuré; il se remuait tout vivant dans la magie de son style, et jamais le christianisme n'avait eu pour prophète une âme où le monde eût tant d'éclat et Jésus-Christ tant de grandeur. Jusque dans ses traits, M. de Chateaubriand portait cet illustre combat de sa destinée contre elle-même. Il y avait dans sa tête la majesté pensive de la foi, les rayons de la gloire et ceux de la solitude, mais non pas toute la paix du chrétien qui depuis longtemps s'est assis au calvaire en face de la Croix. Dieu nous l'avait donné aux confins de deux siècles, l'un corrompu par l'infidélité, l'autre qui devait essayer de se reprendre aux choses divines, et sa muse avait reçu le même jour, pour mieux nous charmer, la langue d'Orphée et celle de David.

Ainsi en est-il plus ou moins, mon cher Emmanuel, de tous les interprètes de l'Ecriture. Leur mission est de nous en adoucir la divinité, comme on verse dans une eau précieuse par elle-même une goutte d'un parfum trop puissant pour être respiré par nos faibles organes. Les catholiques sont accoutumés à ces ménagements de la bonté de Dieu. Ils ne croient pas déchoir en lisant les Pères et les docteurs de l'Eglise, en écoutant la voix de leurs pasteurs ou l'éloquence qui perpétue dans la chaire évangélique les traditions de l'apostolat. Ils sont persuadés que tout est vivant dans l'œuvre de Jésus-Christ, et que l'Ecriture elle-même, en passant de l'airain qui la garde aux lèvres qui la répandent, ne perd pas sa nature ni son efficacité. Cependant n'en concluez pas que sa lecture directe soit inutile au chrétien qui s'y applique. Elle ne lui est pas nécessaire, mais elle lui est profitable. C'est la pensée de tous les Pères de l'Eglise, et je tiens, en suivant leurs traces, à vous ouvrir ce chemin, l'un des plus consolants par où l'âme puisse s'élever vers Dieu.

Quoi que fassent, en effet, les prédicateurs de la parole divine ou les docteurs de la science chrétienne, ils ne nous dispensent l'Ecriture que goutte à goutte, dans un ordre brisé par le cadre de leurs discours ou l'objet de leurs travaux, et, tout en recueillant de leur exposition la doctrine céleste, elle n'a plus, sous cette forme, la suite lumineuse et progressive que l'Esprit de Dieu lui a faite dans le cours des temps. Le pain est rompu, il est vivant, il est distribué à tous les besoins dans la proportion de toutes les forces; mais son architecture a disparu par le succès même de la charité. Si, au contraire, lentement instruits par l'Eglise, pénétrés de son souffle vivifiant, nous entrons avec un cœur docile dans le monument même de la vérité tel que Dieu l'a construit, nous rencontrerons bien des ombres dans les profondeurs, des passages où il faudra courber la tête, des sublimités où notre intelligence sera sur le point de faillir; mais, soutenus par l'Eglise elle-même, notre compagne inviolable, nous marcherons de clartés en clartés sous le firmament de la sainte parole, nous jouant avec elle dans les plans découverts de l'éternité, admirant de proche en proche Jésus-Christ qui s'avance, l'attendant avec les patriarches, le regardant venir avec les prophètes, le saluant sur la harpe des psaumes, jusqu'à ce qu'enfin, au seuil du second temple, il nous apparaisse tout chargé de sa gloire et de sa mort, victime prédestinée de la réconciliation des âmes, et souveraine explication de tout ce qui est par tout ce qui fut. Cette vision de Jésus-Christ ne remplit pas seule le long tissu des saints livres; elle s'y entrelace aux grands événements du monde. Le chrétien les y voit sous la main de la Providence, conduits par des lois de justice et de bonté. Il démêle à cette lumière la succession des empires, l'avénement et la chute des races fameuses; il comprend que le hasard n'est rien ni la fatalité non plus, mais que tout marche sous la double impulsion de la liberté de l'homme et de la sagesse de Dieu. Cette vue de l'histoire dans la vérité de ses causes le ravit. Il y puise un entendement de la vie qu'aucune expérience ne lui donnerait, parce que l'expérience ne révèle que l'homme, tandis que l'Ecriture révèle à la fois Dieu dans l'homme et l'homme en Dieu. Cette révélation ne se fait pas seulement sentir aux grands moments de la Bible; elle est partout. Dieu ne s'absente jamais de son œuvre. Il est au champ de Booz, derrière la fille de Noémi, comme il est à Babylone au festin de Balthazar. Il s'assied sous la tente d'Abraham, voyageur fatigué du

chemin, comme il se repose au sommet du Sinaï dans les foudres qui annoncent sa présence. Il assiste Joseph dans sa prison, comme il couronne Daniel dans la captivité. Les moindres détails de la famille ou du désert, les noms, les lieux, les choses, tout est plein de lui, et c'est dans une route de quarante siècles, de l'Eden au Calvaire, de la justice perdue à la justice recouvrée, qu'on suit de la sorte et pas à pas tous les mouvements de sa tendresse et tous ceux de sa force. Qui pourrait revenir insensible d'un si profond pèlerinage? Qui pourrait, conduit par la foi sur de telles traces, ne pas rentrer meilleur au foyer de sa propre vie? La Bible est tout à la fois le drame de nos destinées, l'histoire primitive du genre humain, la philosophie des saints, la législation d'un peuple élu et gouverné par Dieu; elle est, dans une providence de quatre mille ans, la préparation et le germe de tout l'avenir de l'humanité; elle est le dépôt des vérités qui lui sont nécessaires, la charte de ses droits, le trésor de ses espérances, l'abîme de ses consolations, la bouche de Dieu sur son cœur; elle est enfin le Christ Fils de Dieu qui l'a sauvé.

Et si l'humanité l'ignorait, Emmanuel; si, pervertie par les bienfaits mêmes de ce livre, qui l'ont élevée si haut, elle venait à le méconnaître dans l'orgueil d'une grandeur qu'elle y a puisée, nous, chrétiens des derniers âges, quel ne devrait pas être notre culte pour ce monument éternel de la grace qui nous a choisis et de la vérité qui nous a faits? Comment en délaisserions-nous les pages dans la froide poussière d'une inactive adoration? Sans doute, elles vous coûteront de la peine, je vous l'ai dit; mais cette peine elle-même est encore un don; car, parmi les avantages attachés à l'étude directe des Ecritures, il faut compter l'appropriation lente et personnelle que nous nous faisons de leur substance. Lorsque nous en lisons le texte dans les docteurs, ou que nous en écoutons la voix dans la chaire de nos temples, c'est la pensée d'autrui qui dirige la nôtre, et qui, en nous épargnant tout travail, ne creuse pas toujours assez avant dans notre âme le sillon de l'Esprit-Saint. Mais si, au contraire, placés en présence de la lettre elle-même comme en présence d'un or inculte, nous y appliquons avec ferveur toutes les forces de notre entendement et toutes les énergies de notre foi, il se crée peu à peu entre le livre et nous un mystère de transsubstantiation. Notre âme entre dans chaque mot; et chaque mot, pesé au poids d'une conscience qui adore, pénètre notre âme, l'éclaire, l'échauffe, l'émeut, la ravit, lui donne Dieu dans une suave onction. Qu'importe le temps? qu'importent les sueurs? Je ne vous presse pas d'aller vite, et Jésus-Christ ne vous presse pas non plus. Il attend sans peine l'homme après que l'homme a mis quarante siècles à l'attendre. Il faudra même vous résoudre à passer des choses que vous n'entendrez pas tout d'abord; c'est le conseil que vous donne l'*Imitation*. « La curiosité, dit-elle, nous arrête souvent dans la lecture des saints livres, parce que nous voulons comprendre et discuter là où il faudrait passer simplement (1). » A la longue, cependant, et en vous aidant d'ailleurs quelquefois d'un commentaire ou d'un conseil, votre esprit se formera au style de Dieu, comme aussi à la grammaire abrupte et quelquefois barbare de saint Jérôme. Vous prendrez goût à ce divin banquet; vous vous y asseoirez tous les jours non pas de longues heures, je ne vous le demande pas, mais quelques instants, le matin, lorsque le fardeau de la veille aura été enlevé de votre cœur par le repos, et que celui du jour n'aura pas encore courbé votre esprit. Vous ferez de ce lever dans la parole de Dieu l'aurore bien-aimée de tous vos travaux. Elle les colorera d'un reflet du ciel; elle y fera descendre comme un baume la rosée qui tombe des saintes régions. Vous vous direz, en fermant le livre après avoir lu, ce que Jésus-Christ disait à saint Pierre sur les flots du lac de Galilée : *Duc in altum*, « Avance-toi maintenant dans la haute mer. »]

Ce moment du réveil dans l'ombre ou la clarté du matin, selon les saisons, est un moment sacré. L'âme qui n'en connaît pas le prix ne s'initiera jamais bien avant aux voies du Dieu qui a réglé le cours des astres en même temps que la vie de l'homme, et fait de l'une et de l'autre une harmonie calculée. Le mépris de cette harmonie, funeste à la santé et au travail, l'est bien davantage encore à la piété. L'homme qui prolonge son sommeil au-delà du matin, parce qu'il a prolongé sa veille au-delà d'une juste nuit, trouve à son chevet le bruit et les affaires du monde. Il est saisi par leur éclat tumultueux, et cherche en vain pour Dieu l'heure tranquille qu'il a perdue par sa faute. Il ne trouve que des devoirs qui se précipitent, des ennuis qui s'appellent, l'oubli de son âme et

(1) Liv. I, II.

le silence de la vérité. Aussi était-ce, aux temps plus chrétiens que le nôtre, une maxime de toutes les familles fortes et de tous les esprits vigoureux, de se coucher de bonne heure pour se lever de même, et, lorsque je quittai ma province, à l'âge de vingt ans, pour venir à Paris, un homme éminent qui s'intéressait à ma jeunesse, me dit cette parole, qui m'est toujours demeurée présente : « Si vous voulez être tout ce que Dieu demande de vous, et vivre autant que le comporte votre nature, ne veillez jamais au-delà de dix heures du soir. » Aujourd'hui, par une aberration commune, mais sévèrement punie, on veut unir au prestige des travaux sérieux la jouissance des plaisirs vulgaires. On est homme du monde par-delà minuit, et l'on se réveille écrivain, savant, magistrat, ministre même, en attendant que la nature, accablée de ce double fardeau, se venge du génie lui-même par un idiotisme qui attriste l'admiration, et que l'antiquité n'avait pas connu.

Vous, mon cher Emmanuel, quelle que soit votre carrière, vous permît-elle d'être moins ménager de vos nuits, respectez-en la prédestination divine. Suivez, dans votre sommeil comme dans tous vos actes, l'ordre sacré de la nature. Ce n'est pas en vain que vous en violeriez la majesté, ce n'est pas en vain non plus que vous honorerez dans ses lois la main qui les a tracées, et qui, en créant l'univers pour l'homme, a mis partout dans son œuvre un bienfait pour qui la vénère, un châtiment pour qui la profane. Le matin est le réveil du monde, qu'il soit aussi le vôtre. Consacrez-en l'aube virginale à la méditation de cette aube plus splendide encore et plus pure, qui est la parole de Dieu. L'une est la lumière de vos yeux, l'autre est celle de votre cœur; que toutes les deux se lèvent en même temps sur vous pour éclairer votre vie. La sortie du sommeil est comme la sortie du tombeau, et, quand Jésus-Christ s'élança du sien, au jour de sa résurrection, ce fut un ange qui renversa la pierre du sépulcre.

Mais dans quel ordre lirez-vous l'Ecriture sainte? Sera-ce au hasard, selon que l'instinct vous guidera, ou bien d'après une pensée directrice? Le hasard n'étant que l'abandon de soi-même à l'inconnu, vous ne pouvez vous fier à lui dans une affaire aussi sérieuse que celle de communiquer avec Dieu par sa parole. Vous suivrez donc un ordre préconçu; quel sera-t-il?

L'Ecriture, comme une haute montagne qui serait le phare du monde, se partage en deux versants, le versant de l'antiquité et celui des temps modernes, l'un qui regarde l'occident et l'autre l'orient de l'humanité. Tous les deux portent le nom de *Testament*, parce que tous les deux renferment le témoignage de Dieu et la charte de son alliance avec l'homme; mais, par le côté qui regarde la préparation de cette alliance, le testament divin prend le nom d'*ancien*, par le côté qui en regarde la consommation, il prend le nom de *nouveau*. L'un et l'autre, considérés dans leur distribution intérieure, se composent des mêmes éléments : l'histoire qui dit le passé, la prophétie qui dit l'avenir, la théologie qui unit le passé à l'avenir dans le sein de l'éternelle vérité.

Or, entre ces deux perspectives, dont l'une vous reporte à des temps qui ne furent qu'un préambule, l'autre à des temps qui durent encore et ne finiront qu'avec le monde, je n'hésite pas un instant. Vous êtes né sous Jésus-Christ; son siècle est le vôtre, sa lumière a éclairé toute lumière, et, de même que ceux qui furent avant lui le regardaient venir, ceux qui sont après lui doivent le regarder venu. Après comme avant, il est le point unique où le ciel et la terre se rencontrent. Sans doute, les chrétiens de l'Ancien Testament passaient au-delà du Christ pour contempler dans la suite des choses l'admirable effet de sa mission; mais ce second regard n'était que le prolongement du premier. Ils voyaient d'abord Jésus-Christ, et, cette vision satisfaite, ils adoraient en elle l'avenir mystérieux du genre humain régénéré. Nous aussi, chrétiens du Nouveau Testament, nous pouvons bien considérer au-delà du Christ les institutions et les événements qui en ont préparé la venue; mais c'est en traversant sa personne qu'il nous faut atteindre ce passé où il ne régnait pas encore et qui n'était qu'un crépuscule et une ébauche de son apparition au milieu de nous. Notre premier regard tombe sur lui naturellement; il est l'objet cherché avant tous les autres, la splendeur qui rejaillit sur les siècles incomplets, comme elle illumine les siècles de perfection.

Vous commencerez donc par l'Evangile, qui est Jésus-Christ vivant. Là, dans sa chair, expression de son âme et voile transparent de sa divinité, vous le verrez lui-même. Ce n'est point Moïse, ni David, ni le prophète Isaïe, si grands qu'ils soient, qui vous parleront de lui; c'est sa

propre bouche qui vous dira sa pensée, ses regards qui vous diront son amour, sa main qui pressera la vôtre pour vous encourager en vous bénissant. Vous le verrez naître dans le silence d'une nuit, sur la paille d'une étable, et vous lui apporterez avec d'humbles bergers les prémices de l'adoration du genre humain. L'Orient, terre antique des ressouvenirs, enverra visiter son berceau, et, dès cet éveil d'une gloire qui doit remplir le monde, le sang innocent coulera pour l'étouffer. Une terre impure recevra dans l'exil l'enfant qui purifiera tout et fera de l'univers une seule patrie. Vous reviendrez avec lui au toit de ses ancêtres, non plus le palais de David, dont il est le dernier fils, mais l'obscure maison d'un artisan qui vit de ses mains, et là vous admirerez cette enfance, objet de tant de présages et ensevelie dans de si simples vertus. Vous retiendrez votre souffle pour entendre le sien, et l'histoire, muette tout exprès, ne vous apportera qu'un mot ou deux, mots énigmatiques qu'une mère alarmée pèse dans le sanctuaire de son inaltérable virginité. Sion enfin s'émeut, la Judée se trouble; toutes les douleurs accourent au-devant de Celui qu'elles attendaient; Jean le baptise, le peuple l'écoute, les docteurs le haïssent et le persécutent, les pêcheurs quittent leurs barques pour le suivre, et la parole de Dieu, s'échappant de sa source à toute heure, court du tombeau des âmes au tombeau des corps pour rappeler partout la vie. L'homme voit ce qu'il n'avait jamais vu, la souveraine bonté dans la souveraine puissance, et la plus haute lumière dans la plus populaire simplicité. L'Evangile est au monde, immortel désormais, plus profond que les sages, plus pur que les vierges, plus fort que les rois, encore inconnu de Rome, où sera son trône, et déjà maître du temps qui ne l'a pas consacré.

Oh! qu'écrirai-je de l'Evangile, puisque l'Evangile est écrit! Ouvrez-le, vous qu'il a fait mon fils, et, après y avoir imprimé vos lèvres rassurées, livrez-vous à lui comme à l'âme de votre mère. Votre mère venait de Dieu, et elle vous aimait; l'Evangile aussi vient Dieu, et c'est le seul livre qui ait reçu le don d'aimer. Par un prodige aussi admirable que lui-même, quatre hommes l'ont écrit sous l'inspiration de Celui qui l'avait parlé, et, malgré la différence personnelle de leur caractère et de leur génie, on retrouve en tous quatre le même naturel sublime et simple, le même accent, la même vérité, le même amour et le même Dieu. C'est toujours l'Evangile, parce que c'est toujours Jésus-Christ.

Après l'Evangile viennent les actes de ses premiers disciples, de ceux qui avaient entendu et vu le Sauveur. Je ne vous le cache pas, les *Actes des Apôtres* m'émeuvent plus que l'Evangile. En celui-ci tout est trop divin, si l'on peut parler de la sorte; en ceux-là l'homme paraît, mais en quel moment et sous quel souffle! Jésus-Christ vient de quitter la terre, y laissant les traces ineffaçables de son passage, y laissant quelques amis de son choix avec lesquels il a vécu, qui l'ont touché dans sa chair comme un homme, et l'ont cependant adoré comme un Dieu. Les voilà seuls, en face de l'univers, qui ne croit rien de ce qu'ils croient, qui n'en sait même rien encore, et qu'ils doivent convertir à leur foi du pied de la croix qui a vu périr leur maître. Y eut-il jamais pour des hommes un semblable moment? Et quels hommes? des artisans, des pêcheurs. Ils vont dire au monde les premières paroles de la prédication chrétienne; ils vont faire dans les âmes, après la leur, les premiers miracles de la toute-puissance apostolique, et tracer dans la corruption du siècle les premiers linéaments de ces mœurs, où la charité s'enflammera des glaces de la pureté. Toutes les origines et toute l'éloquence du christianisme sont dans ces courtes pages où saint Paul, qui n'avait pas vu le Christ et qui le persécutait, se lève à côté de saint Pierre, désormais inséparable de lui, moins grand par l'autorité, plus éclatant par la parole, égaux tous les deux en trois choses, leur amour, leur supplice et leur tombeau.

Là, entre ces deux hommes, vous verrez apparaître toutes les scènes de l'antiquité chrétienne : la communauté des âmes et des biens, la fraternité, l'apostolat, la hiérarchie, l'esprit de secte déjà naissant, la vindicte de l'excommunication, le premier concile avec le premier oracle de l'infaillibilité, la foi donnée aux gentils contre l'attente universelle et à la surprise des apôtres eux-mêmes, les flammes de l'Esprit-Saint tombant avec le don des langues sur quiconque croit et adore, tout l'ordre intérieur enfin de l'Eglise manifesté au dehors par des signes sensibles, et ce qui s'accomplira secrètement dans toute la suite des siècles, accompli ouvertement à la face de trois mondes, le monde juif, le monde grec et le monde romain. C'est à Jérusalem qu'a commencé ce drame surnaturel; c'est à Rome qu'il se termine, après avoir passé par Antioche, Athènes et

Corinthe. Saint Paul, tout chargé de chaînes, apporte aux Romains la liberté de l'univers, et le bruit de ses pas dans la capitale future du christianisme est la dernière parole qu'on entende de lui.

Que d'heures, mon cher Emmanuel, que d'années il vous faudra donner à cette lecture de l'Evangile et des Actes ! Je ne vous les nombre pas ni ne vous les détermine; mais vous vous garderez d'aller plus loin avant que cette image de Jésus-Christ et de ses Apôtres ait pris de votre cœur une immortelle possession.

Que ferez-vous alors? Dois-je prévoir le temps où l'Evangile aura pénétré dans l'intime familiarité de tout votre être, et vous tracer d'avance les étapes de votre itinéraire dans la longue suite des Ecritures? Je le crois préférable pour ne pas rompre l'unité de ces lettres, et parce que de brèves indications me suffiront d'ailleurs pour vous guider au-delà du point où nous sommes parvenus.

Peut-être attendez-vous qu'après l'Evangile et les Actes, qui composent la partie historique du Nouveau Testament, je vais vous introduire sans intermédiaire dans sa partie théologique, c'est-à-dire dans les Epitres des apôtres, et particulièrement de l'apôtre saint Paul. Cet ordre semblerait naturel, mais il vous précipiterait trop tôt dans les profondeurs du dogme chrétien. J'aime mieux vous y conduire avec plus de lenteur pour vous y conduire avec plus de sûreté. C'est pourquoi je vous ramène de mille ans en arrière et de Jésus-Christ à David, son plus illustre aïeul. David n'est pas seulement prophète, il est le prince de la prière et le théologien de l'Ancien Testament. C'est avec ses Psaumes que prie l'Eglise universelle, et elle trouve dans cette prière, outre la tendresse du cœur et la magnificence de la poésie, les enseignements d'une foi qui a tout su du Dieu de la création, et tout prévu du Dieu de la rédemption. Le Psautier était le manuel de la piété de nos pères; on le voyait sur la table du pauvre comme sur le prie-Dieu des rois. Il est encore aujourd'hui, dans la main du prêtre, le trésor où il puise les aspirations qui le conduisent à l'autel, l'arche qui l'accompagne aux périls du monde, comme au désert de la méditation. Nul autre que David n'a mieux prié; nul autre, préparé par plus de malheurs et plus de gloire, par plus de vicissitudes et plus de paix, n'a mieux chanté la foi de tous les âges, et mieux pleuré les fautes de tous les hommes. Il est le père de l'harmonie surnaturelle, le musicien de l'éternité dans les tristesses du temps, et sa voix se prête à qui la veut pour gémir, pour invoquer, pour intercéder, pour louer, pour adorer. Empruntez-la, Emmanuel, vous si jeune encore dans la prière, si nouveau dans les élans de l'âme vers Dieu; empruntez cette voix dont l'Eglise a fait la sienne, et qui, depuis trois mille ans, porte aux anges les soupirs et la joie des saints. Que votre psautier vous accompagne partout comme un ami fidèle. En quelque situation que la Providence vous jette, David vous y a précédé. Serez-vous pauvre? David fut berger. Serez-vous soldat ou capitaine? David a vécu dans les camps, et son heureuse épée a dicté la victoire dans la guerre civile et dans la guerre étrangère. Serez-vous l'hôte d'un palais, l'ami des rois? David a pratiqué les cours, il en a connu les ingratitudes. Serez-vous trahi, persécuté? David le fut avant vous, il erra longtemps dans l'exil, incertain de son sort. Aurez-vous le bonheur de rencontrer une âme qui se donne à la vôtre? David aima Jonathas et fut aimé de lui. La rivalité de leur destinée ne sépara point leurs cœurs, et le fils de Saül, enveloppé dans la réprobation de son père, perdit le trône et la vie sans perdre l'amitié. Serez-vous fidèle à Dieu? David le fut. Serez-vous pécheur? David le fut. Les revers vous précipiteront-ils du faîte de la fortune aux extrémités de la misère? David s'enfuit devant la trahison d'un fils, et la fortune ne lui revint que sur le cadavre de l'enfant qu'il voulait sauver. Il n'y a pas, dans la vie de l'homme, un péril, une joie, une amertume, un abattement, une ardeur, pas un nuage et pas un soleil qui ne soient en David, et que sa harpe n'émeuve pour en faire un don de Dieu et un souffle d'immortalité.

C'est donc lui qui vous recevra des mains de l'Evangile pour vous conduire à saint Paul. Saint Paul est le théologien du Nouveau Testament et le dernier degré de la profondeur dans les choses divines. Venu après Jésus-Christ, quand la révélation de tous les mystères était consommée, homme de science avant d'être l'homme de Dieu, il a porté dans les abîmes de l'incarnation et de la rédemption une lumière si énergique, qu'elle éblouit d'abord, et une intrépidité de foi dont l'expression abrupte cause une sorte de vertige à l'entendement qui n'y est pas préparé. Saint

Paul a une langue à lui, une sorte de grec tout trempé d'hébraïsme, des tours brusques, hardis, brefs, quelque chose qui semblerait un mépris de la clarté du style, parce qu'une clarté supérieure inonde sa pensée et lui paraît suffire à se faire voir elle-même. Insouciant de l'éloquence comme de la lumière, il rebute d'abord l'âme qui vient à ses pieds; mais, quand on a la clef de son langage, et qu'une fois, à force de le relire, on s'est élevé peu à peu à l'entendre, on tombe dans l'enivrement de l'admiration. Tous les coups de sa foudre ébranlent et saisissent; il n'y a plus rien au-dessus de lui, pas même David, le poète de Jéhovah, pas même saint Jean, l'aigle de Dieu; s'il n'a pas la lyre du premier ni le coup d'aile du second, il a sous lui l'océan tout entier de la vérité et ce calme des flots qui se taisent. David a vu Jésus-Christ du haut de la montagne de Sion, saint Jean a reposé sur sa poitrine dans un banquet; pour saint Paul, c'est à cheval, le corps en sueur, l'œil enflammé, le cœur tout rempli des haines de la persécution, qu'il a vu le Sauveur du monde, et que, renversé à terre sous l'éperon de sa grâce, il lui a dit cette parole de paix : *Seigneur, que voulez-vous que je fasse!*

Saint Paul étudié et goûté, mon cher Emmanuel, les Ecritures sont à vous. Vous les ouvrirez à la première page, et vous les lirez à votre aise dans l'ordre où la tradition de l'Eglise en a placé les livres. Vous arriverez ainsi à l'Apocalypse de saint Jean, qui est la prophétie du Nouveau Testament et de tout l'avenir de l'Eglise sur la terre. Je ne vous en dis rien. Saint Jean, dans cette vision fameuse, a vu tomber la Rome idolâtre, les monarchies chrétiennes se former des débris de l'empire romain, une puissance opposée au règne du Christ s'établir dans le monde, des chutes et des erreurs se succéder, et enfin s'ouvrir à la fin des temps la dernière et la plus formidable des persécutions, dont l'Eglise triomphera par le second avénement du Christ. Prise dans son ensemble, cette prophétie est d'une extrême clarté; mais, dans ses détails, elle échappe aux efforts qui veulent la suivre pas à pas et en appliquer les scènes aux événements accomplis. Ce travail plus ou moins ingrat n'aura de succès qu'aux derniers jours, lorsque, la destinée de l'Eglise touchant à son terme, l'œil de nos descendants remontera d'époque en époque le cours de tous nos malheurs et de toutes nos vertus. Jusque-là l'ombre entravera la lumière, et ce ne doit pas être un regret pour ceux qui vivent comme nous entre le passé et l'avenir de la foi, sous la splendeur des deux Testaments.

I.

E. F. CAR. ROSENMULLERI

PROLEGOMENA IN PENTATEUCHUM [a].

I.

Pentateuchi appellatio.

Quod in omnibus, quotquot hodie exstant, sacræ bibliothecæ gentis Hebrææ codicibus et antiquis illius versionibus primum locum tenet, quinque librorum syntagma, Hebræis חמשה חומשי תורה *quinque quinquerniones legis*, vel concisius, חמשה חומשים *quinque quinquerniones* ab illorum numero vocatur. Singuli appellantur חומש *quinta pars*. Hebraicæ illi appellationi plane respondet Græcorum πενταπευχος, *volumen quinquepartitum* (1). Cæterum universus Pentateuchus Hebræis vulgo תורה *Lex* appellatur, quia religionis et reipublicæ Hebrææ constitutiones a Mose jussu divino conditas complectitur.

II.

Pentateuchum esse a Mose scriptum, vetus et communis opinio. Quibusnam argumentis nitatur.

Pentateuchum Mosi auctori tribuit omnis Hebræa et Christiana antiquitas (2), neque id vana quadam opinione, aut incerta fama, sed rationibus, quæ vel ex ipso ductæ sunt opere, vel aliis testimoniis nituntur.

(a) Cornelii Commentariis Rosenmulleri in Pentateuchum Prolegomena præmittere nobis visum est: quanquam neque auctorem alias Rationalistis nimium favere, ignotum; neque omnibus quæ affert in his ipsis Prolegomenis, calculum nostrum adjicimus. Virum tamen eruditissimum, liberiorisque ingenii, cujus auctoritatem Acatholici, nedum inficias eant, revereri solent, quasi testem catholicæ veritatis juvat adducere, ut hoc saltem exemplo pateat, neque ab omnibus, neque a clarioribus Germaniæ interpretibus, ut temere quidam apud nos clamitant, auctori Mosi Pentateuchum abjudicari. Cæterum multa tum corrigemus, tum addemus in Notis quas vel stellula, vel litteris a) b) c), etc. præsignatas fore Lectorem monemus.

Qui plura voluerit, adeat libros infra memoratos:

Duvoisin,	*L'autorité des livres de Moïse établie et défendue contre les incrédules.*
Hengstenberg,	*Die Authentie de Pentateuchs. — Beitræge zur Einleitung in's alte Testament.*
Drechsler,	*DieEinheit und Aechtheit der Genesis.* 1838. — *Die Unwissenschaftlichkeit im Gebiete der Alt. Testamentlichen Kritik. — Welt'schen Kritik Mosaischer Geschichte.*
Havernick,	*Einleitung in's alte Testament.*
De Ranke,	*Untersuchungen über den Pentateuch.* 1834-1840.
De Kurtz,	*Beitræge zur Vertheidigung und Begründung der Einheit des Pentateuchs.* 1844.
Lenormant,	*Cours d'histoire ancienne*, etc. *Introduction à l'histoire de l'Asie Occidentale.* Paris, 1838. Cap. IV.
Glaire,	*Introduction hist. et crit. aux Liv. de l'Anc. et du Nouv. Testam.* Tom. III. Sect I.
Meignan,	*Les Prophéties Messianiques de l'Anc. Test.* Paris, 1856.
Welte,	*Nachmosaisches im Pentateuch.* Carlsruhe. 1841.
Herbst u. Welte,	*Historisch-Kritische Einleit. in die heilig. Schriften des alt. Test.* P. II. Karlsruhe, 1842.
L. H. Pareau,	*Institutio interpretis Vet. Testamenti.* Traj. ad Rh. 1822. *Disputatio de mythica sacri codicis interpretatione.* Traj. ad Rh. 1824.

(1) Compositum enim est vocabulum e πέντε *quinque*, et τεῦχος, quod et *vas*, et *volumen, librum*, denotare constat. Quare errant, qui Πενταπευχος per ellipsin pro ἡ πενταπευχος βίβλος dici opinantur. Qua de re fusius quam necesse erat, disseruit Stange in Commentatiuncula, quæ inscripta est, *Cujus generis sit Pentateuchus?* inserta *den Analekten für das Studium der exeg. und Systemat. Theologie*, vol. I, p. 22 seqq., ubi non *Pentateuchus Mosaicus*, sed *Pentateuchus Mosaicum* scribendum præcipit, quum Græcum τεῦχος, quod omnes norunt, neutro sit genere. Nos quidem sequimur receptum, qui per plura sæcula invaluit, loquendi usum, ex quo *Pentateuchus* tanquam nomen latinum generis masculini tractatur.

(2) Nazaræos si exceperis (qui utrum ad Judæos an ad Christianos referendi sint, dubium est), quos Joannes

Atque ad argumenta quidem quod attinet, ex ipso Pentateucho petita, quæ Mosen illius auctorem arguant, et sub finem operis, *Deut.* XXXI, 9—13, 22, 24—26, disertis verbis Moses testatur, esse *hunc integrum librum a principio usque ad finem* a se conscriptum, proceribus populi et sacerdotibus traditum, ut in adyto sacri tabernaculi penes arcam fœderis custodiatur, et septimo quoque anno, diebus festi Tabernaculorum universo populo prælegatur; et in opere ipso passim nunc singulas leges, nunc rerum gestarum narrationes a se in hoc libro consignatas esse Moses ait. Ita *Exod.* XVII, 14, insidias quas Amalekitæ Hebræis itinere defatigatis et debilibus struxerunt, prælium, quod consequutum est, et decretum illis futuro ævo excidium, Moses dicit se divino jussu *inscripsisse libro*, incœpto haud dubie, et in quo jam plura exaraverat, ut inde colligitur, quod cum articulo בַּסֵּפֶר (non בְּסֵפֶר) scripsit, quo innuit, se de certo quodam et satis noto libro loqui. Postquam Israelitæ cum Jova fœdus pepigissent ad montem Sinai, et leges a Mose accepissent, *scripsit Moses omnia verba Jovæ in libro fœderis, quem universo populo prælegit, Exod.* XXIV, 4, 7. His præceptis quum postea plura alia addita essent, iterum jussus est Moses ea litteris consignare, *Exod.* XXXIV, 27. Porro *Num.* XXXIII, 1, 2, Moses profectiones et itinera Israelitarum, prout ibi leguntur, ex Jovæ mandato perscripsisse dicitur. Numerorum liber clauditur, XXXVI, 13, his verbis : *Hæc sunt præcepta et jura, quæ Jova per Mosen Israelitis dedit in locis campestribus Moabitarum ad Jordanem e regione Jerichuntis.* Denique in Deuteronomio, quo legum in tribus, qui præcedunt, libris traditarum ἀνακεφαλαιωσίς, explicationes et supplementa continentur, Moses in suis ad populum adhortationibus iterum iterumque *hanc legem* XVII, 18, 19, XXXI, 9—11, et *hujus legis librum* XXVIII, 61, XXIX, 19, 20, 26, commemorat. Imprimis notabilis est locus XXVIII, 61, ubi in oratione, qua Moses Israelitis, si divinis præceptis non obtemperarint, infausta omnia minatur, inter alia hæc leguntur : *Omnes etiam morbos, omnesque plagas, quæ non scriptæ sunt in libro hujus legis, immittat tibi Jova.* Ex quo sequitur Mosen hunc librum, in quo comminationes istæ perscriptæ erant, populo tradidisse, adeoque sermones suos ipsum litteris mandasse *.

* Reponunt adversarii, hæc loca, nedum Pentateuchi authentiam arguant, eam e contra evertere. Sic autem ratiocinantur : Si Moses ipse Pentateuchum, qualis nunc exstat, scripsisset, frequens hujusce muneris a Deo ipsi impositi commemoratio esset inutilis; imo quod interdum atque ex intervallo tali legi aut narrationi ea addatur, non ubique et singulis legibus aut narrationibus, miratu dignum est; denique inconcinnum videtur scriptorem, absoluta narratione quadam, hoc apponere : *Et ipse* (auctor) *illud scripsit.* Quæ dicendi formulæ recte explicari nequeunt, nisi concedatur, ab auctore Pentateuchi præsupponi *Mosaicorum monumentorum* existentiam, quæ ipse *legis* vel *fœderis* librum nominat, et a quibus *historiam* a se scriptam secernere intendit. Cf. *Allg. Literatur-Zeitg.* Halle 1839. Febr. p. 153 seqq.

Respondet Herbst, *Histor. Krit. Einleitung in's A. Test.* Part. II, sect. I, p. 54 : Moses, in ultimis suis ad populum concionibus, ut summatim et una locutione quid attendant Hebræi significet, sæpius commemorat τὸν *legis librum* (ספר התורה הזה), certum scilicet atque notum, omnia continentem ipsis observanda et agenda, ut sint et remaneant divini *fœderis populus.* His autem verbis suum legis librum pro *fœderis libro* habendum esse innuit; imo diserte, quanquam indirecte, significat, dum addit, in eo libro *fœderis maledicta* (אלות הברית) contineri, *Deut.* XXIX, 20. Cum igitur hypotheticus Pentateuchi scriptor librum hunc a Mose ipso tanquam *fœderis librum* designari sinit, patet eum hujusmodi denominatione non eo fine uti, ut suam *historiam* (Pentateuchum hodiernum) inter et monumenta vere Mosaica faciat discrimen. Non enim ipse, sed Moses ita suum librum appellat, idque non ad eum ab aliis scriptis sejungendum, sed ut vocabulo proprio rebusque congruo eum insigniat. Porro, si cui miratu dignum videtur, Dei jussionem talia vel talia scriptis mandandi interdum atque ex intervallo tantum a Mose commemorari, nonne merito miraretur magis, si hujusmodi jussio vel ubique et singulis narrationibus aut legibus fuis-

Damascenus in libro *de Hæresibus*, § 19 (apud Cotelerium, tom. I *Monumentorum Ecclesiæ Græcæ*), Pentateuchum non esse Mosis statuisse, dicit, aliosque illi substituisse libros. Τὰς δὲ τῆς Πενταteύχου, inquit is, οὐκ εἶναι Μωϋσέως δογματίζουσιν, ἄλλας δὲ παρ' αὐτὰς ἐχεῖν διαβεβαιοῦνται. Post illos Ptolemæus quidam, scriptor Gnosticus, in epist. *ad Florum*, quam servavit Epiphanius *hæresi* 33, recudi fecit et Grabius, in *Spicil.* tom. I, et Massuetus *ad Irenæum*, p. 357 seqq., trifariam Legem omnem distributam esse statuit : esse, quæ Deum habeant auctorem; alia Mosis ipsius consilio atque instituto deberi; alia ad seniores populi referenda esse. Hieronymus in lib. *Adversus Helvidium*, dicit : « Sive Mosen dicere volueris auctorem Pentateuchi, sive Esram ejusdem instauratorem operis, non recuso. » Similiter Tertullianus in lib. *De Cultu fœminarum*, cap. II : « Omne instrumentum Judaicæ litteraturæ per Esdram constat restauratum. » Quæ sententia pluribus Græcis et Latinis Patribus probata, nititur illis quæ Hebræi tradunt de libris sacris ab Esra et Synagoga recognitis, et in eum quem nunc referunt, ordinem digestis; vid. Buxtorfii *Tiberias*, lib. I, cap. X.

Hisce in Pentateucho ipso obviis locis, quibus Moses sese illius scriptorem diserte nuncupat, accedunt plura reliquorum Veteris Testamenti librorum loca, quibus hoc ipsum opus nomine *Legis Mosis, Legis quam Jova per Mosen dedit,* commemoratur. In libro Josue, qui etsi hujus ducis ætate multo recentior est, tamen maximam partem e commentariis si non plane coævis, certe satis vetustis, fere ad verbum, uti fert mos scriptorum Orientalium, haud dubie compositus est, legimus cap. I, vers. 7, 8, mox post obitum Mosis monitum fuisse Josuam, ut *librum legis Mosis perpetuo legat;* et Josua in oratione ad populum habita, cap. XXIII, vers. 3—16, monet primores Israelitarum, ut faciant omnia, quæ in *libro legis Mosis scripta essent;* pluresque non tantum leges, verum etiam res gestas in eo descriptas, comminationes et promissiones in eo propositas commemorat. In comitiis quoque ultimis, quæ Josua cap. XXIV habuisse narratur, præcipua Pentateuchi capita ille summatim repetit, fœdus cum Jova instaurat, idque addit *libro legis Jovæ,* vers. 26, qui haud dubie idem est liber, qui I, 7, 8, et XXIII, 6, VIII, 32, dicitur *liber legis Mosis,* et VIII, 34, *liber legis.* Davides moribundus Salomonem filium hortatur, I *Reg.* II, 3, ut servet omnia præcepta, jura et statuta, prouti *scripta illa sint in lege Mosis.* Nihil plane dubitationis admittit locus II *Reg.* XIV, 6, quo Amazias, rex Judæ, pepercisse filiis perduellium dicitur, *sicuti scriptum* (præscriptum) *est in libro legis Mosis,* subjectis statim ex illo verbis, quæ huc spectant, quæ illa ipsa sunt, quæ hodienum *Deut.* XXIV, 16, leguntur. II *Reg.* XXII, 8, *liber legis,* qui paulo inferius cap. XXIII, vers. 2, *liber fœderis,* et II *Chron.* XXXIV, 14, distinctius *liber legis per Mosen scriptus* dicitur, ab Hilkia summo pontifice in templo repertus narratur, e quo Saphanes, scriba regius, Josiæ regi prælegerit *promissiones et comminationes,* quæ vix aliæ esse possunt, quam quæ *Levit.* XXVI, 3—45, et *Deut.* XXVII, 11—XXVIII, 68, continentur; atque e I *Reg.* XXIII, 21-23, patet, Josiam regem Paschatos festum iisdem solemnibus ac ritibus instituisse, qui in *libro fœderis* ab Hilkia reperto, perscripti fuissent (1). II *Reg.* XXIII, 25, dicitur, nullum comparandum esse

set addita, vel nunquam omnino in memoriam revocata? Denique, quod scriptor, absoluta narratione, clausulam supponat: *Ipse* (auctor) *illud scripsit,* adeo non est ineptum quid atque insolitum, ut idem fecerint et alii scriptores haud ignobiles, v. g. Abdollatif, in fine suorum *Ægypti Memorabilium.*

Igitur absque idonea ratione asserunt adversarii loca supra citata intelligi non posse, nisi sumatur, iis indicari distinctionem inter Pentateuchum et monumenta alia vere Mosaica. Nunc expendendum est, utrum *liber ille fœderis, Deut.* XXIX, 20, XXX, 10, memoratus, quem Moses intendit, et sacerdotibus, tanquam Israelitarum theocraticæ institutionis codicem, in manus traditurus est, sit totus Pentateuchus, an Deuteronomium tantum, an collectio præceptorum et legum in Pentateucho, qualis nunc existit, passim dispersarum, an denique liber omnino deperditus, e quo auctor (ex hypothesi) nostri Pentateuchi plura hausisset fragmenta et capita. *Postremum* hoc admitti nequit. Nam hujusmodi librum, a Mose ipso tam enixe commendatum, Israeliticæ genti tam necessarium, imo sacrum et venerandum, stante republica unquam periisse, quis credat? Insuper Pentateuchi scriptor, cum deperditum jam librum, cujus fragmenta quædam in sua *historia* inseruerat, suæ genti tanquam religionis et totius πολιτείας codicem, jurisque omnis et actionum regulam, imponere intenderet, nonne sensu omnino caruisset, si quænam essent ea fragmenta, certis notis neglexisset indicare? Quæ ratio contra *tertium* etiam valet. *Secundum* falsum ab Hengstenberg, *Beitræge*, tom. III, p. 159, demonstratur. *Primum,* igitur admittatur, necesse est, scil. locutione *liber ille fœderis* Pentateuchum designari. Et vero libri auctor certe in animo habebat, suæ genti legum sacrarum et politicarum, maxima auctoritate commendatarum, codicem dare: ut talem Mosis scripta affert, Mosenque ipsum ut harum legum latorem proponit. Cum igitur librum a se scriptum pro hujusmodi codice haberi, imo quod in eo continetur ipsis Mosis verbis commendari vult, liquet eum etiam voluisse suum librum tanquam Mosaicum quid, et a Mose auctore scriptum tradere. Quod confessi sunt, et pluribus demonstraverunt ipsi *authentiæ* adversarii, v. g. Hartmann, qui ait, *scriptorem quatuor postremorum librorum Mosen putari voluisse;* rursum, in locis *Deut.* XXVIII, 58, 61, XXIX, 29, XXXI, 9 seqq. *omnia legis præcepta, totum Mosaicarum legum codicem memorari, et ut fideliter atque in æternum observentur commendari.* Historisch-Kritische Forschungen, etc. p. 538 et 556.

(1) Librum legis ab Hilkia in templo repertum non fuisse codicem aliquem legum breviorem, quo Judæi inde a Davidis aut Salomonis ætate usi fuissent, quæ Vateri est sententia in Commentatione super Pentateucho, ejusdem Commentario in eumdem addita, neque, ut alii volunt, decalogum duntaxat, aut librum fœderis *Exod.* XXIV, 7, memoratum, angustissimis limitibus circumscriptum, sed integrum Pentateuchum, pluribus demonstravit Leonh. Bertholdt, in Dissertatione *de eo, quod in purgatione sacrorum Judaicorum per Josiam regem facta omnium maxime contigit memorabile.* Erlang. 1817, p. 17 seqq. «Celebratio, inquit, paschatis ab Josia rege quam maxime solemniter, uti ex libro ab Hilkia reperto cognitum habuit, instituta suadet, ut hunc librum non Deuteronomion, vel minorem librum postea in hoc conjectum, sed totum Pentateuchum fuisse credamus. Pauciora sunt quæ Deuteronomion de

regem Josiæ, regi Judæ, qui se ita ad Jovam tota mente, toto animo summaque ope, *uti fert tota Mosis lex*, converterit. Postquam e Babylonicis terris in patriam rediisset pars Judæorum, Josua sacerdos, ejusque cognati sacerdotes, et Serubabel ejusque cognati, aram Dei Israelitarum instituerunt construere, ad offerenda in ea holocausta, *quemadmodum præscriptum est in lege Mosis, viri divini, Esr.* III, 2; intelliguntur quæ *Levit.* VI, 1 (alias 7), de holocaustis offerendis præcipiuntur. In dedicatione templi secundi, *Esr.* VI, 18, ministrasse dicuntur Levitæ et sacerdotes, in suas classes et curias distributi, *secundum præscriptum libri Mosis*, videlicet *Num.* III, 6, VIII, 11, 14. Nehemias in precatione, quæ cap. I libri de ipso appellati legitur, confitetur Israelitas non servasse præcepta, instituta, jura, quæ Jova Mosi, ministro suo, mandasset, oratque Deum, meminerit eorum, quæ Mosi promiserit his verbis : *Vos cum transgressi fueritis mea præcepta, et ego inter nationes vos dissipavero, nihilominus si ad me reversi fueritis et præcepta mea servaveritis, etiamsi ad cœli extrema dispersi fueritis, vos inde colligam, et in locum, quem nomini meo collocando delegero, adducam*, quæ prorsus conveniunt cum iis quæ *Levit.* XXVI, 41; *Deut.* IV, 26, 27, XXVIII, 64, XXX, 1, legimus. Quæ loca etsi in iis libris exstent, quæ pluribus post Mosen sæculis sunt scripti, partim brevi ante eversum per Chaldæos regnum Judaicum, partim post restauratas, Cyro favente, res Hebræas, tamen hoc probant, fuisse ista ætate, id est, sexto ante Christum natum sæculo, libros, e quibus leges, promissiones et minæ superius commemoratæ afferuntur, communi gentis Hebrææ judicio pro talibus habitos, qui a Mose essent conscripti. Jam vero si cogitemus, tale judicium non paucorum quorumdam hominum opinione formari, sed niti debere eo, quod majoribus acceptum per plures ætates propagatum esset; loca illa e reliquis Veteris Testamenti libris a nobis allata argumentum neutiquam leve Mosaicæ Pentateuchi originis præbent. Accedit autem huic argumento non parum roboris inde, quod res sacras et civiles Hebræorum omni tempore, a Josuæ inde ætate, ad legum, quæ in his libris traditæ sunt, normam conformatas fuisse deprehendimus. Quodsi enim quædam illarum nonnunquam per aliquod temporis spatium neglectæ erant, paulo post tamen omnia ad ea, quæ in Pentateuchi libris præscripta essent, restituebantur. In libris veteris Testamenti historicis perpetuo laudantur, quæ libris illis consentanea, et reprehenduntur, quæ iis contraria acta sunt. Prophetæ toti sunt in eo, ut populares cohortentur ad obsequium eorum, quæ in Pentateucho sunt præscripta, iisdem, quas in illo legimus, propositis bonorum promissionibus et malorum comminationibus. Præterea plura, quæ a majoribus sunt facta, iisve evenerunt, eodem plane, quo in Pentateucho ea narrata legimus, modo commemorant, ut vix dubium sit, hausisse illos ex hoc fonte. Hic igitur prophetarum, et quidem jam antiquiorum, quorum supersunt scripta, Hoseæ (1), Joelis (2), Amosi (3), Michæ (4), Jesaiæ (5), tam frequens ad ea, quæ in Pentateucho præscripta et enarrata sunt, respectus, pro argumento habetur, exstitisse illum iis, quibus vixerunt illi, temporibus, et tantum apud eos habuisse auctoritatis et fidei, quantum merebatur opus, quod a rerum suarum conditore profectum credebant*.

* Aliud argumentum proximo huic haud absimile affert Guilielmus Meignan, *Les Prophéties Messianiq. de l'Anc. Test.* p. 44—60. Cujus argumenti summa est : Pentateuchi authentiam tota Hebræorum testatur historia; quintuplici autem constat propositione, quam singulam magna arte atque eruditione auctor

paschate cap. XVI, 1—8, exhibet, neque illa omnem rem concernunt; lex principalis de festo azymorum celebrando exstat *Exod.* XII, 1—20, et *Num.* XXVIII, 16—25, quam rex Josias in ordinandis solemnibus ob oculos habuerit necesse est. »

(1) Vid. IX, 10 collat. cum *Num.* XXV, 3; *Hos.* XI, 8 coll. cum *Gen.* XIX, 24, 25; *Hos.* XII, 4, 5 coll. cum *Gen.* XXV, 22, 26, XXXII, 24, 25; *Hos.* XII, 13 coll. cum *Gen.* XXVIII, 5, XXIX, 20.

(2) Cap. I, 9, 13 queritur vates desiisse *ferta* et *libamina*, quæ e præscripto legum *Levit.* II, 1 seqq. VI, 14; *Num.* XV, 4, 5, 7, XXVIII, 7, 14, offerenda erant. *Joel.* I, 6, manifesta est allusio ad sacrificia eucharistica et primitias in templo oblatas, quibus hilares vescebantur lege ita jubente *Deut.* XII, 6, 7, XVI, 10, 11.

(3) Cap. II, 9 coll. cum *Num.* XXI, 21, 24; *Amos.* IV, 4, memorantur præter sacrificium quotidianum (*Num.* XXVIII, 3, 4) et *decimæ*, coll. cum *Exod.* IV, 3 seqq.; *Amos.* IV, 11 coll. cum *Gen.* XIX, 24, 25; *Amos.* IX, 13 coll. cum *Levit.* XXVI. 5.

(4) Cap. VI, 5 coll. cum *Num.* XXII, 2 seqq. et XXV, 1 seqq.; *Mich.* VI, 6 coll. cum *Levit.* IX, 2, 3; *Mich.* VI, 15 coll. cum *Levit.* XXVI, 16; *Deut.* XXVIII, 33.

(5) Cap. I, 11—14, commemorantur eadem sacrificia et festa, de quibus pluribus Pentateuchi locis præcipitur. Vid. et *Jes.* XII, 2 coll. cum *Exod.* XV, 2. Prætermitto loca *Jesai* LI, 2, LIV, 9, quorum priori ad *Gen.* XII, 2, XVII, 2, posteriori ad *Gen.* VIII, 21, IX, 11, respici, nemo dubitat, quia pars posterior libri ejus, qui a Jesaia nomen habet, a vate quodam recentiore scripta videtur.

Argumenta autem illa (*externa* dicere possumus), quibus Mosen Pentateuchi auctorem esse colligitur, confirmat totius operis indoles, argumentum et conformatio. Nam quæ illo continentur historica, religiosa, politica et geographica remotissimæ antiquitatis, ea maxime quæ ad historiam eorem naturalem Ægypti et Arabiæ spectant, ita sunt comparata, uti a viro qui veteri ævo in Ægypto liberaliter educatus et instructus esset, qualis erat Moses, consignata esse credibile est (*a*). Tum quæ in Pentateucho legimus de exitu Hebræorum, Mose duce, ex Ægypto, eorumque per Arabiæ desertæ itinere, plane sunt consentanea locorum et temporum, quibus facta narrantur, rationibus. Quod ipsum valet de legibus institutisque, quæ populo, quem duxit, tradidisse in hisce libris Moses dicitur. In eorum librorum postremo eumdem, qui populum suum per plures annos gubernavit, eique leges, qui tribus superioribus libris continentur, promulgavit, ad eumdem populum loquentem audimus; sed jam ætate provectum, quod probat stylus latior et diffusior, quem in Deuteronomio omnes observant. Audimus in hoc libro ducem morti propinquum, suis omnia, quæ ipsis, se moderante, accidissent, in memoriam revocantem, eosque ad eas, quas ipsis divina auctoritate tradidisset leges diligenter servandas graviter adhortantem, nonnullas quoque leges retractantem et supplentem. Deuteronomium vero scriptos ponit tres, qui præcedunt, libr , ad qu rum argumentum sæpe provocat, observationem legum, quæ in illis leguntur urget, et a gestis, quæ in iis narrantur, rationes obtemperandi legibus depromit, ita ut sine libris illis lectores Deuteronomion ne quidem satis intelligere potuissent. Ordo orationis non ubique commodus, et oratio ipsa progreditur sæpe per disrupta sine nexu fragmenta, haud raro singulari clausula terminata; quæ arguunt auctorem non continenter scribentem, sed sæpius interruptum, qualem novimus Mosen, tot tantisque negotiis obrutum, continuisque migrationibus distractum. Dispositio denique totius operis est ea, qualis a viro, qui populo rudi leges et jura dare, et civita-

evolvit. In Pentateuchi igitur authentiam contestatur *primo*, rerum gestarum ordinem, chronologia et genealogiis ita intime, imo logice connexum et concatenatum, ut nil ex iis demi possit, quin tota series abrumpatur. *Les temps du second temple*, ait Bossuetius in sua *Histoire universelle, supposent ceux du premier, et nous ramènent à Salomon. La paix n'est venue que par les combats; et les conquêtes du peuple Hébreu nous font remonter jusqu'aux Juges, jusqu'à Josué, jusqu'à la sortie d'Egypte* : adde, usque ad Josephum, Jacobum, Isaacum, Abrahamum, diluvii tempora, imo protoparentum peccatum et creationem. *Secundo*, prodigiorum quæ in Pentateucho narrantur, perpetuam apud Judæos fidem. Cf. *Jud.* v, 5; *Ps.* LXVII, 18, etc. *Tertio*, Judæorum institutiones religiosas, civiles, politicas, quolibet reipublicæ sæculo aut statu consideratas. Cf. Duvoisin, *L'Autorité des Livres de Moyse*. *Quarto*, dissidia inter varias Israelitarum tribus, a primis temporibus orta, nec unquam extincta (*b*). *Quinto*, repugnantiam inter populi Israelitici tum cæteras cupiditates, tum idololatriæ studium, et legem Mosaicam. Cf. *Deut.* XXXI, 26, 27; II *Paral.* XXX, 22, 23; XXXV, 18; *Nehem.* VIII, 17; *Exod.* XXXII, 23, etc.

(*a*) Vid. Hengstenberg, *Moses und Ægypten*, et G. Meignan, op. cit. p. 81. *Exod.* XIII, 16, et *Deut.* VI, 7 et 18, alluditur ad *amuleta* apud Ægyptios usitatissima; imo Talmudici vocem טוטפת, ornamentum brachiorum vel frontis, Ægyptiacam esse dicunt; quod probatur Jablonskio in *Opusc.* P. I, p. 347. Sermone enim Ægyptiorum, ait, TOT *manum* dici, pervulgatum est; ΦΩT*h* vero significat *sculpere, affabre effingere* : ut TOTΦΩT*h* sit *sculptile manus*, vel *monile in manu* aut in brachio, et per extensionem alia corporis parte gestandum. *Deut.* XXVII, 2, 3, lapides calce lævigari seu obduci Moses jubet, ut verba legis iis inscribantur : qui mos Ægyptiorum fuit, nec desunt in Musæis nostris stelæ, vel cippi, calce prius obducti, deinde symbolis hieroglyphicis inscripti. Lex *Deut.* XX, 5 seqq. iterum Ægyptia est, ait Hengstenberg, ibid. Item *prostratio* sontis dum cæditur, *Deut.* XXV, 2. *Deut.* XI, 10, describitur machina, quali Ægyptii aquam Niloticam hauriunt, atque ad loca altiora deducunt, quæ a Nilo non irrigantur. Vid. not. ad h. l. *Deut.* VIII, 8, ita terra Chanaan describitur ut Israelitis persuasum sit, eam multo Ægypto præstare. Lex *Deut.* XXII, 5, opponitur mori in festis Ægyptiorum usitato. Prohibitio *Deut.* XVII, 16, lata tempus adhuc *Exodo* proximum haud dubie præsupponit. Cf. *Exod.* XVIII, 12; VII, 18; II, 15; VII et VIII; XIV, 6; XXXVIII, 9—21; *Num.* XIII, 23; *Deut.* VII, 15; XXVIII, 60, 68; XXIV, 18, 29; VI, 21 seqq.; VII, 8, 18; XI, 3, etc.

(*b*) Quod ipsimet fatentur Rationalistæ. « La Palestine, ait Renan, cui tamen non in omnibus consentimus, a cela de commun avec la Grèce, la Toscane et tous les pays qui ont vu naître des civilisations originales, d'offrir, dans l'espace de quelques lieues, les différences de caractère les plus tranchées. Chacune des vallées de la Grèce avait sa civilisation, ses mythes, son art, sa physionomie intellectuelle et morale. Une critique attentive trouverait peut-être des différences non moins sensibles entre chacun des cantons de la Palestine. La prépondérance tardive de la tribu de Juda n'effaça pas ces variétés locales. Ephraim, avec sa montagne de Garizim, rivale de Sion, sa ville sainte de Béthel, ses nombreux souvenirs de l'âge patriarcal, était, sans contredit, la plus considérable des individualités qui luttaient contre l'action absorbante de Jérusalem. *La rivalité de ces deux familles en Israël date des époques les plus reculées de leur histoire.* Au temps des Juges, Ephraïm, par le séjour de l'arche à Silo et par son importance territoriale, tint vraiment l'hégémonie de la nation. L'idée d'une monarchie Israélite faillit un moment être réalisée par Ephraïm, lors de la tentative d'Abimelech. Après la mort de Saül, nous voyons cette tribu grouper autour d'elle toutes les tribus du nord, opposer sans succès Isboseth à David, l'habile et généreux champion des prétentions de Juda; puis, après la mort de Salomon, faire enfin triompher ces tendances séparatistes par le schisme du royaume d'Israël et l'avénement d'une dynastie Ephraïmite, 975 ans avant J.-C. » *Histoire des lang. Sémitiq.*

tem bene moratam beneque constitutam instituere in animum induxerat, exspectetur. Nam in primo libro atque priori secundi libri parte, quasi præfatione tradendarum legum præstituta, ea præmittit, quæ aut ad rerum sequentiam et ordinem necessaria erant, aut animis Israelitarum ad religionem et cultum unius Dei, rerum omnium creatoris et moderatoris, informandis inservire poterant, de quo plura in *Proœmio ad Genesim* dicemus. Legibus ipsis immiscet fere sola illa gesta, quæ illis occasionem præbuerunt, vel ad commendandam legum observationem spectant; legesque fere omnes exhibet eo ordine, quo promulgatæ fuerunt (*a*). Quæ quum ita sint, nihil obstare videtur, quo minus hosce libros ab eo scriptos credamus, cui et communis omnium temporum opinio, et reliqua Veter. Test. monumenta illos, uti auctori, assignant (*b*).

III.

Quæ sententiæ, Pentateuchum esse a Mose scriptum, adversari videantur?

Veteri tamen illi et communi Judæorum et Christianorum sententiæ, esse Pentateuchum, qualem nunc legimus, a Mose scriptum, ætas recentior plura opposuit, in opere ipso obvia, quæ illam minime admittere videantur. Alia ex linguæ ejus indole, alia e conformatione et indole totius libri, alia e singulis ejus locis petita sunt. Et ad linguam quidem quod attinet, eam, qua Pentateuchus est scriptus, dicunt ab illa, qua novissimi sacræ Hebræorum bibliothecæ libri sunt exarati, multo minus differre, quam in libris tanto temporis spatio a se distantibus jure quis exspectat. Easdem enim in iis, qui exilii Babylonici temporibus scripti sunt, deprehendimus vocum formas, flexiones, significationes, quas in libris, qui Mosi tribuuntur. Quis vero, inquiunt, credat, fuisse soli omnium sermoni Hebræo tantam stabilitatem, ut mille annorum decursu nullam experta esset vicissitudinem (1)? Ad conformationem autem et indolem totius operis quod spectat, aiunt esse plura, quæ arguant, non esse opus uno contextu ab uno homine scriptum, sed ex pluribus variorum temporum et auctorum monumentis compositum. Quo pertinent primo singularum operis partium, argumentis suis invicem sejunctarum, sæpius recurrentes et inscriptiones (vid. *Gen.* II. 4; V, 1; VI, 9; XXV, 12, 19; XXXVI, 1; *Exod.* VI, 14; *Num.* XXXIII, 1) et clausulæ (v. g. *Levit.* VII, 37, 38; XXVI, 46; XXVII, 34; *Deut.* IV, 45), repetitæ earumdem rerum mox pro-

(*a*) Tres qui in Pentateucho medios tenent libros, ait Herbst, op. cit. p. 16 seqq., dum Israelitæ per desertum peregrinarentur scriptos fuisse, multa produnt loca. — I. Castrametantur Israelitæ: *Lev.* IV, 12, 21; XIII, 46; XIV, 3, 8; XVI, 27, 28; XVII, 3; XXIV, 14, 23; *Num.* XV, 35, 36; XIX. — II. Hactenus vagi, terram sibi promissam, certamque sedem quærunt: *Lev.* XIV, 35,53; XIX, 23; XX, 22; XXV; *Num.* XV, 2. — III. Scriptor suum tempus singulis factis assignat: *Exod.* XV, 22; XVI, 1; XIX, 1-3, 6; XL, 17; *Lev.* IX, 1; *Num.* X, 11; XII, 1-16; XIII, 25. — IV. Res singulæ sigillatim enarrantur: *Exod.* XV, 27; *Lev.* X, 1-2, 4; *Num.* VII; XXV, 1-17. — V. Plures leges data occasione feruntur: *Num.* IX, 6-12; XV, 32, 37; *Lev.* XXIV, 10-18; *Num.* XXVII, 1-11; XXXVI, 1-9; I-IV; XIII, 1, 13; XXVI. — VI. Scriptor quædam scripsisse et ad populum legisse dicitur: *Exod.* XVII. 14; XX. 22; XXIII, 33; XXIV, 4; *Num.* XXXIII, 1-49.

(*b*) Aliud afferi potest argumentum, quod dicunt *ex absurdis*, ex eo scilicet institutum, quod recentioris ætatis scriptor pro Pentateuchi auctore haberi nequeat, quin simul insulsa, improbabilia, imo impossibilia admittantur. Quod ita perstringit Munk:

«Le Pentateuque renferme un grand nombre de données historiques, politiques et géographiques, qui s'adaptent très-bien au temps de Moyse. Un auteur hébreu postérieur à Moyse n'aurait pu posséder une connaissance aussi parfaite de l'Egypte et de l'Arabie, que celle qui se révèle dans le Pentateuque. Et dût-on admettre, ce qui est peu probable, qu'un auteur eût cherché à s'approprier ces connaissances par l'étude, il n'aurait pu manquer de se trahir par des incertitudes et des anachronismes. Dans la Genèse X, 11 et 12, la célèbre Ninive est encore une ville de peu d'importance; la grande ville de l'Assyrie, c'est Résen, dont il n'existe aucune trace dans les autres livres de la Bible. La ville de Tyr, si célèbre dès le temps de David, et dont le nom se trouve déjà dans le livre de Josué, XIX, 20, n'est mentionnée nulle part dans le Pentateuque; un auteur récent aurait-il manqué de la placer dans la table généalogique de la Genèse, ch. X, à côté de Sidon? Le Pentateuque parle souvent des dieux Cananéens et de leurs autels, mais il ne leur connaît pas encore de temples, que nous trouvons pourtant à l'époque des Juges. C'est donc un auteur très-ancien qui nous parle dans le Pentateuque: alors pourquoi ne serait-ce pas Moyse lui-même?» *Palestine*, in *Univers Pittoresque*, p. 136. Et infra:

«D'ailleurs, si le Pentateuque datait du règne de Josias, ou de quelque autre époque depuis David, on n'aurait pas manqué d'y introduire quelques détails sur les ancêtres de la famille royale, à qui on aurait donné une autre origine que celle dérivée d'un inceste, *Gen.* XXXVIII. La royauté aurait été traitée plus favorablement que ne le fait le Deutéronome XVII, 15-20; on n'aurait pas reconnu tant de priviléges à la race de Joseph, *Gen.* XLIX, *Deut.* XXXIII, 16; on n'aurait pas non plus défendu de faire la guerre aux Moabites, aux Ammonites et aux Edomites, que David combattit avec succès. Moyse et son successeur Josué avaient seuls intérêt à recommander des ménagements à l'égard de ces peuples.»

(1) Quod imprimis urget Nachtigal in *Commentat.* Not. (2) pag. XXXVIII laudanda.

lixiores, mox breviores narrationes (1), quæ tamen in singulis haud raro inter se discrepant (2), styli quoque varietate, et diversarum de iisdem rebus dictionum usu varios scriptores prodant (3). Accedit duorum illorum, quibus Hebræi summum numen appellare solent, nominum, *Elohîm* et *Jehova*, usus alternans, cujus hæc est ratio, ut in aliis longioribus ejusdem argumenti capitibus Deus constanter *Elohîm*, in aliis *Jehova* appelletur, illisque particulis, in quibus nomen *Elohîm* usurpatur, certæ loquendi formulæ atque dictiones sint propriæ et peculiares, quæ in illis, quæ nomine *Jehovæ* uti solent, non reperiuntur (4). Porro vulgo receptæ de Pentateucho a Mose scripto sententiæ opponunt plura illius loca, quæ seriorem ætatem prodant, nec ab eo consignata esse possint. Commemorantur enim urbes iis nominibus, quæ illis post Mosen demum indita sunt (5); adjiciuntur, explicationis causa, hic illic quæ a Mose addita esse vix credibile est (6); de rebus denique pluribus mentio injicitur eo modo, qui arguat scriptorem, qui longo post Mosen tempore vixerit (7) *.

* Vix est quod moneamus ex his locis adversus Pentateuchi authentiam nil inferri posse. *Primum* quidem, scil. *Gen.* XII, 6 et XIII, 7, six explicat Munk : « Le texte de la Genèse porte : *Le Cananéen étoit alors dans le pays.* Le mot אז, *alors*, peut s'expliquer ad libitum par *déjà*, ou par *encore*. Déjà Aben-Esra a remarqué qu'il vaut mieux adopter le sens de *déjà*, et supposer que les Cananéens avaient enlevé la Palestine à d'autres habitants plus anciens ; et il fait entendre en même temps que si l'on traduisoit *encore*, on pourroit inférer de là que Moyse n'est pas l'auteur de la Genèse. Les paroles obscures dont Aben-Esra a enveloppé sa pensée ont été longuement commentées par Spinoza (*Tractatus Theologico-Polit.*, cap. VIII), et les critiques modernes se sont emparés de ce passage de la Genèse pour prouver que Moyse n'est pas l'auteur de ce livre. Mais le sens de *encore* ne nous étant nullement démontré, nous n'hésitons pas à nous ranger du côté des partisans du *déjà* : les philologues et les historiens jugeront si c'est là abuser du langage et de l'histoire, comme le prétend Bohlen, *Die Genesis*, p. 162. » *Palestine*, p. 78. De *secundo* loco, scil. *Gen.* XXXVI, 31, vide nostras ad h. l. annotationes. De *tertio* denique non male Clericus iis, qui hunc locum a Mose scribi non potuisse contenderent, hæc opponit : « In animum revocandum est, Mosen non modo suæ ætati scripsisse, cui ejus pater et avus novissimi erant, sed sequentibus etiam sæculis, quæ velut alloquitur hoc in loco, non æquales homines, qui hæc satis noverant. Intererat probe sciri, Aaronem illum, qui frater Mosis fuit, a Levi fuisse oriundum, eumque familiarum sacerdotalium esse γενεάρχην. Mirum igitur videri non debet, hoc in loco Mosen et Aaronem quasi intento digito, eorumque stirpem

(1) Veluti eorum quæ eluvionem Noachicam præcesserunt *Gen.* VI, 13, 14, 17-22, et VII, 1-5. Manna bis describitur : *Exod.* XVI, 14 seqq. et *Num.* XI, 7 seqq. Ita quæ *Exod.* XL, 36-38 dicta sunt, repetuntur *Num.* IX, 15-23. Vid. et *Deut.* V, 2-6 collat. cum IV, 10-13 ; et XII, 20-24 coll. cum vers. 13-16.

(2) Sic *Gen.* XXVIII, 19, appellat Jacobus locum, quo in itinere in Mesopotamiam pernoctavit, *Bethel*, quo respicit XXXV, 1-7 ; sed XXXV, 6, 8-15, Deus Jacobo ex Mesopotamia reduci apparuisse, et nomen *Israelis* indidisse narratur, unde Jacobus locum illum appellarit ; contra XXXII, 26, 28, mutat Deus nomen Jacobi postquam cum ipso luctatus esset : oppidum autem *Bethel* jam *Gen.* XII, 8, Abrahami temporibus memoratur. *Deut.* II, 29, Edomitæ et Moabitæ Hebræis transitum et commeatum, pro pretio soluto concessisse dicuntur ; sed XXIII, 3, 4, Ammonitas et Moabitas Hebræis terram illarum transeuntibus commeatum denegasse legimus, non commemoratis Edomitis ; *Num.* XX, 18, vero Edomitæ Hebræis transitum denegasse dicuntur, nulla Moabitarum et Ammonitarum mentione facta.

(3) Argumenta, quæ Pentateuchum ex variis variorum temporum et auctorum scriptoribus compositum esse arguant, diligentissime exposuit J. S. Vater in *Commentatione* ad calcem partis tertiæ *Commentarii in Pentateuchum* sermone vernaculo a se editi, p. 421-515.

(4) Quod quidem in Genesi potissimum observatur (de quo plura in Prolegomenis ad hunc librum). Verum et in Exodi particulis pluribus usque ad cap. XXII, nomina *Elohîm* et *Jehova* vicissim usurpantur ; sed in reliqua Pentateuchi parte *Elohîm* rarius occurrit, partem illam, quæ de Bileamo agit (*Num.* XXII-XXIV), si excipias : nam in Bileami oraculis constanter *Elohîm* legitur, excepto *Num.* XXIV, 6, ubi *Jehova* exstat.

(5) Veluti *Gen.* XIII, 18, occurrit nomen *Hebron*, quod nonnisi post tempora Mosis impositum oppido, uti liquet e *Jos.* XIV, 15 ; XV, 13, ubi nomen mutasse temporibus Calebi et Josuæ dicitur. Similiter *Gen.* XIV, 14, et *Deut.* XXXIV, 1, commemoratur urbs *Dan*, quæ tamen post divisos a Josua Cananææ agros id nominis consequuta, propterea quod a Danitis capta esset ; antea vocabatur *Laisch* aut *Leschem*, *Jos.* XIX, 47 ; *Jud.* XVIII, 29.

(6) Ita *Gen.* XIV, 7, nomini urbis עין משפט additur, eam nunc dici קדש ; et vers. 8, oppidum *Bela* nunc dici *Tsoar*. Similia vid. vers. 17 ; XXIII, 19 ; XXXV, 19 ; XLVIII, 7 ; *Deut.* IV, 48.

(7) Sic *Gen.* XIII, 7, verba, *Cananæi vero et Pherezæi tunc temporis*, Abrahami et Lothi ætate, *eum tractum tenuere*, nonnisi ab aliquo, qui post Cananæos sedibus suis expulsos vixerit, scribi potuerunt. *Gen.* XXXVI, 31, leguntur hæc verba : *Hi vero sunt reges, qui in Idumæa regnarunt, antequam Israelitis rex esset constitutus.* Tum recensentur octo regum nomina, posteriores prioribus mortuis successerunt, usque ad vers. 39. Totam igitur hanc novem commatum περιοχὴν ab aliquo, qui postquam regnari Hebræi cœperunt, additam esse oportet. *Exodi* VI recitato Aaronis et Mosis genere vers. 26 : *Ille Aaron et Moses, quibus dixit Jova : E terra Ægyptia educite Israelitas. Illi convenerunt Pharaonem, regem Ægypti, ut educerent Israelitas ex Ægypto, ille Moses et Aaron :* in quibus verbis non urgetur tertia persona, qua de se loquutos constat varios historiarum scriptores ; sed pronomen demonstrativum הוא et הם, *ille* et *illi*, quod a vivente Mose et de seipso scribente vix adhiberi potuisse videtur. Alia hujusmodi loca recenset Vater, l. cit. p. 635 seqq.

IV.

Eorum, qui Pentateuchum Mosi abjudicant, variæ de illius origine sententiæ.

Qui argumentis supra allatis ducti Pentateuchum a Mose scriptum esse negant (1), in diversas de illius origine sententias discedunt, quas, pro instituti ratione, breviter recensebimus.

Thomas Hobbes, in *Leviathane* (Lond. 1651) P. III, cap. XXX, Pentateuchum de Mose appellatum putat, non quod ab eo scriptus sit, sed quod de eo agat; quamvis concedat, fieri posse, ut ea scripserit, quæ his libris ab eo scripta narrantur, veluti codicem legum, qui, uti ipsi videtur, continetur a cap. X Deuteronomii usque ad finem cap. XXVII.

Isaaci Peyrerii opinio fuit (2), scripsisse Mosem diurnos commentarios rerum omnium memorabilium, quæ a se et aliis sua ætate gestæ fuissent, quibus præmiserit Judæorum fastos ab Adamo ad sua usque tempora; sed illos libros jam dudum periisse, eorumque nunc nonnisi excerpta quædam superesse. Ex istis Mosaicis commentariis conflatum putat *Librum bellorum Jovæ*, Num. XXI, 14 commemoratum, e quo deinceps liber Numerorum excerptus fuerit.

Benedictus Spinoza, in *Tractatu Theologico-politico* (Amstelod. 1670), cap. VIII, IX, p. 103, omnes Vet. Test. libros historicos, qui res ante Esræ ætatem gestas enarrant, unum habere auctorem, contendit, quem Esram fuisse suspicatur. Deuteronomium vero primum eorum librorum esse conjicit, qui ab Esra conscripti sint, partim quia leges patrias continet, quibus populus maxime indigebat, partim quia iste liber nulla conjunctione antecedenti alicui annectitur, sed soluta oratione incipit, *hæc sunt verba Mosis*. Deinde Esram studium adhibuisse credit ad integram historiam gentis Hebrææ describendam, a mundo condito usque ad urbem a Chaldæis eversam, cui librum Deuteronomii suo loco inseruerit. Addit Spinoza, forte Esram primos quinque librorum historicorum a se conscriptorum nomine Mosis vocasse, quod in iis potissimum res ab eo gestæ sint traditæ. Neque tamen Esram huic operi ultimam manum imposuisse, nihilque aliud illum fecisse autumat, quam historias ex diversis scriptoribus colligere, et quandoque nisi simpliciter describere, ita ut eas neque examinatas, neque ordinatas posteris reliquerit. Quæ autem causæ impediverint, nisi forte intempestiva mors, quo minus Esras hoc opus omnibus suis numeris adimpleverit, fatetur se non posse conjicere. Hos denique qualescumque Esdræ commentarios non nisi mancos, mutilos, multisque mendis fœdatos ad nos pervenisse vult, sic ut de prisca historia integrum habeamus nihil, quod non multa correctione indigeat. Quæ omnia prolixe exequitur Spinoza, et argumentis exemplisque firmare studet (3).

futurarum ætatum Israelitis monstrari. » *Dessertat. de scriptore Pentateuchi* suo *Commentario* præmissa. Præterea quod Aaron hoc versu Mosi præponitur, versu proximo vero Moses prior nominatur, Hebræi fere observant, hoc versu nativitatis, sequenti dignitatis rationem esse habitam : natu enim majorem fuisse Aaronem, Mosen autem dignitate superiorem; propterea postea Mosen semper præponi, si loca excipias, quæ sunt mere genealogici argumenti.

(1) Quibus non accensendi illi, qui Pentateuchi libros, quales nunc legimus, serioribus temporibus retractatos, atque additamentis nonnullis, quæ illustrandi causa adjecta essent, auctos statuunt. Ex quibus est *Andr. Masius*, qui in Præfatione ad suum in Josuæ librum Commentarium postquam dixisset, sibi hanc esse opinionem, ut putet, Esram sive solum, sive cum æqualibus, non solum Josuæ, verum etiam Judicum, Regumque libros ex antiquioribus annalibus compilasse, in hunc modum pergit : « Quin ipsum etiam Mosis opus, quod vocant Πεντάτευχον, longo post Mosen tempore, interjectis saltem hic illic verborum et sententiarum clausulis, veluti sarcitum, atque omnino explicatius redditum esse, conjecturæ bonæ facile afferri possunt : nam, ut unam, exempli causa, dicam, Cariath-Arbe sæpe illic Hebron nominatur, et tamen hoc illi urbi nomen a Calebi filio Hebrone impositum esse, graves auctores tradiderunt. » Et in Commentario ipso ad *Jos.* XIX, 47, hæc leguntur : « Est quidem hoc nuncupatus nomine (Dan) is locus (Laish, sive Leschem) in Mosis libro, XIV, 14. Verum ne Mosis quidem memoria sic fuisse dictum, est ex iis verbis perspicuum, quæ nunc tractamus. Neque Mosis libros sicut nunc habentur ab illo esse compositos certum est, sed ab Esdra, aut alio quopiam divino viro, qui pro vetustis et exoletis locorum nominibus, alia, quibus rerum gestarum memoria posset optime et percipi et conservari, reposuerit. »

(2) In *System. theologico ex Præadamitarum hypothesi* (Lugd. Batav. 1655) lib. IV, cap. I, p. 185 seqq., ubi et recenset eas partes, quas longo post tempore additas putat illis commentariis. De famoso isto libro ejusque auctore quædam lecta non injucunda tradidit Rich. Simon, *Lettres choisies*, tom. II, lettre 1 et 4.

(3) Quod Aben-Esram secum consentire dixit Spinoza, non satis ingenue fecit; nec enim dubium est, Aben-Esram id tantum velle, ratione carere communem illam et vulgatam apud Judæos sententiam, quæ verba omnia, a primo

Richardus Simon, in *Historia critica V. T.* Gallico sermone scripta (quæ primum prodiit Lutet. Paris. 1678, Latine 1681, tum aucta Roterodami 1685), lib. I, cap. II, difficiles nodos, quibus Pentateuchi interpretem implicant et frequentes in illo earumdem rerum repetitiones haud raro in singulis inter se pugnantes, et loci, qui ætatem Mose multo seriorem arguunt, facillime expediri posse arbitratur, si Pentateuchum e variis publicorum scribarum, quos Moses more Ægyptio constituisset, commentariis et membranis disjunctis inordinatisque compositum esse sumamus.

Simonii sententiam dum in censuram vocaret *Joannes Clericus*, in libro qui inscribitur, *Sentiments de qq. Théologiens d'Hollande sur l'Hist. critique du V. T.* Amsterd. 1685, Lettre 6, cum illo in eo quidem consentiebat, quo Mosi Pentateuchi conscriptionem abjudicabat; sed quod illius originem attinet, hanc proponebat conjecturam, compositum esse eo tempore, quo veteres Hebraicæ litteræ, quibus primum scriptus esset, notiores essent novis, quas in Babylonico exilio adoptassent, et ab eo auctore, qui neque Samaritanis, neque Judæis esset suspectus, atque e cujus manu illum haud illubenter susciperent. Hæc omnia convenire in sacerdotem illum Israeliticum, e Babylone missum, ut novos Palæstinæ incolas edoceret ritum quo Deus regionis istius amabat coli, II *Reg.* XVII, 27, 28. Credere par esse, sacerdotem hunc, sive solum, sive adjutum ab aliis, ut rudes illos populos a πολυθείας errore abduceret, molitam esse historiam de mundo unius Dei virtute condito, et epitomen historiæ Hebraicæ usque ad exitum Hebræorum ex Ægypto, ut palam fieret, non nisi unum Deum esse, eum nimirum, quem colunt Hebræi. Scripsisse autem hanc historiam Hebraice, antiquis litterarum characteribus, vel quia Chaldaicæ linguæ nondum satis gnarus esset, vel ob aliam causam nobis incognitam. Annum, quo hæc facta sunt, determinare difficile esse, videri tamen contigisse post decimum octavum regni Josiæ. Hoc enim anno inventus fuit liber legis, sine quo extremam manum operi suo imponere sacerdos ille non potuisset, quippe qui maximam Hebrææ historiæ partem contineret, et ad institutionem novorum Samaritanorum apprime fuerit necessarius. Quæ si ad hunc modum facta esse ponamus, facile creditu esse, sacerdotes Hierosolymitanos hanc Bethelici sacerdotis historiam calculo suo comprobasse, quum in ea nihil invenirent, nisi quod pium, atque rerum gestarum veritati consentaneum esset (1).

Joannes Godofredus Hasse, in libro : *Aussichten zu künftigen Aufklærungen über das alte Testament, in Briefen*, Jen. 1785, Epist. IV—VII, Pentateuchum exilii Babylonici tempore e monumentis veteribus compositum conjecit, adhibitis quidem Mosaicis iis, quæ tunc superessent, sed multis illis auctis et varie immutatis (2).

Fridericus Carolus Fulda (3) Pentateuchum, qualem nunc legimus, posse non ante Davidis tempora conscriptum esse contendit, atque paucis quidem in illo vere Mosaicis plura alia, partim Mose antiquiora, partim eo recentiora ita intexta esse, vetera autem ita mutata et interpolata, ut, quæ vere sint Mosaica, nunc vix discerni possit. A Mosis manu proficisci non dubitat Decalogum, seu *librum fœderis* (eum enim, *Exod.* XXIV, 3 memoratum, a Decalogo haud diversum opinatur), epinicium post mare Erythræum transfretatum *Exod.* XV, atque recensum mansionum

ad ultimum, per hos quinque libros ad Mosen refert auctorem. En Aben-Esræ verba ad *Deut.* I, 2 : « Si attendas mysterium τῶν *duodecim* (id est, versus ultimos duodecim Deuteronomii, qui describunt Mosis mortem), tum loca hæc : *Deut.* XXXI, 9; *Gen.* XII, 6; XXII, 14; et *Deut.* III, 10, 11, cognosces veritatem, » videlicet, non omnia ac singula in Pentateucho a Mose posse scripta esse, sed quædam post eum ab aliis explicationis causa esse addita. A Spinozæ sententia cæterum haud longe discedit *Ant. van Dale*, qui in libro *De Origine et progressu idololatriæ*, Amstelod. 1696, p. 71, Pentateuchum ab Esdra cæterisque prophetis ex captivitate redeuntibus tum ex ipsa lege Mosis, tum ex reliquis libris propheticis in illa memoratis adornatum putat. Quod repetit p. 686, suæque sententiæ rationes pluribus exponit in *Epist. ad Steph. Morinum* libro isto addita, p. 42 seqq.

(1) Abjecit tamen Clericus ipse hanc suam sententiam, ut apparet e Dissertat. II *De Scriptore Pentateuchi*, Commentario suo in Pentateuchum præmissa. Refutavit quoque illam, præter Witsium in *Miscellaneis Sacr.* P. I, lib. I, cap. XIV, Sebast. Edzardus in peculiari Dissertat. *Utrum Pentateuchus a sacerdote Samaritano sit conscriptus?* Viteberg. 1695. Cf. Eichhorn's *Einleit. in das A. T.* P. II, § 411, p. 257, edit. tert.

(2) Mutavit tamen postea sententiam, et Pentateuchum Mosi vindicavit in libro, cui hæc epigraphe : *Entdeckungen im Felde der ältesten Erd- u. Menschengeschichte aus näherer Beleuchtung ihrer Quellen.* Hal. 1805.

(3) In Commentatione posthuma, quæ inscribitur, *das Alter der heiligen Schriftbücher des A. Test.*, in *dem neuen Repertorio für bibl. und Morgenländische Literatur, herausgeg. von Paulus.* P. III. Cui jungendæ duæ aliæ ejusdem auctoris Commentationes posthumæ, altera hæc : *Cosmogenie, Androgonie und Menschengeschichte nach der Noachischen Fluth*, in *den Memorabilien*, P. II; altera sic : *Fulda's Resultate Freimüthiger Untersuchungen über den Canon des A. T.*, in *den Memorabilien*, P. VIII.

Israelitarum ab exitu ex Ægypto usque ad campos Moabiticos *Num.* XXXIII. Alia a Mose consignata recentioribus scriptionibus intexta putat (1), neque tamen ultra decem monumenta vere Mosaica superesse.

Qui *Otmari* nomine latuit, *Joannes Christianus Nachtigal* (2), postquam præter illa quæ supra § III commemorata sunt, recentioris Mose ævi argumenta, in Pentateucho obvia, attulisset et alia, quibus probare studeret, exstitisse apud Hebræos ante Samuelis tempora præter tabulas genealogicas tribuumque stemmata, aut nulla, aut sane paucissima litterarum monumenta, et fuisse rerum a majoribus gestarum memoriam nonnisi ore propagatam, carminibusque aut lapidum monumentis servatam, contendit esse Samuelis tempore demum in scholis prophetarum primum carmina historica, quæ magnam partem e picturis imaginibusque rerum gestarum lapidi aut æri insculptis hausta fuissent, litteris mandata, tum esse procedente tempore a viris sapientibus et litterate peritis conscriptos plures libros, qui carmina, narrationes de rebus vetustis, legesque collectas continerent, atque ex hujusmodi libris esse junctis plurium hominum doctorum studiis, moderante forsan Jeremia propheta, sub exilii Babylonici tempore Pentateuchum compositum (3). Mosaica in illo vix alia statuit, quam decem præcepta, duabus tabulis lapideis insculpta, recensum stationum Israelitarum per Arabiæ deserta iter facientium, stemmata et carmina nonnulla breviora.

Joannes Severinus Vater, etsi Pentateuchum qualem nunc legimus, non ante exilii Babylonici tempus certo exstitisse statuat, tamen majorem Deuteronomii partem, singulasque cæterorum librorum pericopas iam inde a Davidis et Salomonis ætate paulatim compositas censet.

Guilielmus Martinus Lebrecht de Wette in *den Beitrægen zur Einleit. in das A. T.* P. I, examinatis librorum Vet. Test., præter Pentateuchum, locis iis, in quibus ejusdem mentionem fieri vulgo creditur, ex illis hoc effici contendit, prima Pentateuchi nostri vestigia haud multo ante eversam a Chaldæis rempublicam Hebraicam occurrere; quod Josia regnante, ab Hilkia sacerdote in templo repertum narratur, II *Reg.* XXII, 13 seqq., volumen legis, fuisse tantummodo Deuteronomium, quod a prioribus Pentateuchi libris diversum, alius cujusdam recentioris auctoris opus esse, atque librorum priorum epitomen quemdam, jam prius in peculiari Dissertatione (quæ verba supra posita in fronte gerit, prodiitque Jenæ 1805) ostendere studuerat. Librorum quatuor priorum partes singulas, e quibus illi sub exilii tempore compositi et contexti fuerint, esse Davidem inter et Joramum diversis temporibus scriptas, maximam quidem partem : nam esse in iis et pericopas quæ Babylonicum tempus arguant (4).

Leonhardus Bertholdt, in *Historisch-Krit. Einleit. in das A. und N. Test.,* tom. III, p. 821 seqq., in exploranda ætate atque origine Pentateuchi, qualis nunc exstat, non ultra initia dignitatis regiæ apud Hebræos introductæ regrediendum esse censet. Verisimile ipsi, esse Pentateuchum a Samuele in suam formam redactum, atque ad arcam fœderis repositum, illiusque exemplar a Samuelis manu linteo Ægyptio lævigato inscriptum, esse illud legis volumen, quod ab Hilkia in templo repertum fuerit.

(1) Veluti narrationem de prælio cum Amalecitis, *Exod.* XVII, 14; præcepta *Deut.* XXXI, 9 commemorata; explanationem decalogi, quæ inde a *Deut.* I, 5 usque ad IV, 45 legitur; tum quæ *Deut.* XII-XX, XXVII, XXX, 10 seqq. continentur; denique Carmen Mosis *Deut.* XXXII, ejusdem ad populum et singulas tribus verba novissima, XXXIII.

(2) In Commentationibus tribus, quæ hunc gerunt epigraphen : *Fragmente uber die allmählige Bildung der den Israeliten heiligen Schriften, besonders der sogenannten historischen.* Insertæ sunt *dem Magazin fur Religions philosophie, Exegese und Kirchengeschichte, von Henke,* P. II, IV.

(3) Libros veteres, quinque numero, e quibus undecim priora Geneseos capita deprompta censet, definire conjectura tentavit in Commentatione quæ inscribitur, *Neue Versuche uber die ersten eilf Abschnitte der Genesis,* etc., in *dem Magazin herausgeg von Henke,* P. V. Sed omnem illam Nachtigalii de origine Pentateuchi sententiam examinavit refutavitque Eckermann in *den Theologischen Beyträgen.* Tom. V. Quod illius opinionem attinet de pluribus Pentateuchi narrationibus, quæ imaginibus sculptisque rerum gestarum repræsentationibus ortum suum deberent, quam sit illa supervacanea et idoneis argumentis destituta, ostendit Vater in sua de Pentateuchi disquisitione, Commentario suo adjecta.

(4) Ad eas refert mythum de linguarum confusione *Gen.* XI, qui inimicum in Babelem animum prodat. Cæterum cum de Wettio in sententia de seriore Pentateuchi origine in rei summa convenit G. Gesenius, qui in Commentatione *de Pentateucho Samaritano,* p. 6-8, quinque libros, quos Mosaicos vulgo vocamus, post reditum demum e Babylonico exilio in hodiernam formam redactos esse censet. Argumenta, quibus de Wette Mosaicam Pentateuchi originem impugnavit, singula examinavit refellitque Kelle in libro quem inscripsit, *Vorurtheilsfreie Würdigung der Mosaischen Schriften,* etc. Freiberg. 1811.

Carolus Franciscus Volney, in opere quod inscripsit, *Recherches nouvelles sur l'histoire ancienne*, P. I, cap. VI—VIII, p. 59 seqq., quamvis minime inficias eat, continere Pentateuchum nonnulla scripta vere Mosaica (veluti *Exod.* XX, 2, — XXIV, 1. *Num.* XXXIII), illum tamen, qualem nunc habemus, non dubitat procusum esse junctis Hilkiæ pontificis maximi, Jeremiæ prophetæ, Saphanis scribæ regii, atque Achboris (quorum opera in reperto libro legis II *Reg.* XXII, 8 seqq. laudatur) studiis, haud inscio Josia rege, eo consilio, ut dubiis illis et periculosis temporibus, quibus Judaico regno, Ægyptum inter et Babyloniam posito, ab utraque hac parte prætereaque a Scythis, in Syriam borealem impressionem facientibus, maximum periculum et extremum pene discrimen imminebat, Judæorum animi, revocata veteri Mosaica institutione, patriæ amore incenderentur, confirmarentur, atque ad fortiter resistendum, unitis viribus, communibus hostibus incitarentur, et ab instante interitu respublica hoc modo servaretur *.

* His nominibus recentiora quædam addemus, duce Hengstenberg, *Die Authentie des Pentateuchs.*

Tres sunt, ait, hodie in Germania opiniones circa Pentateuchi originem. *Prima* est eorum, qui totum vel fere totum Pentateuchum Mosi abjudicant. Hanc imprimis patrocinatur de Wette, in sua *Einleitung in's alt. Testament*, cujus singulæ editiones cum variis, sed levis momenti emendationibus in lucem prodiere. Adde Gramberg George, Hartmann, Augusti, Gesenius, Hitzig, de Bohlen, Vatke, Ewald, etc., hoc in uno tamen consentientes, quod Mosen auctorem esse Pentateuchi negant omnes, in cæteris maxime discrepantes inter se, imo acerrime decertantes. Gesenius quidem, in *Commentatione de Pentateuchi Samaritani origine*, etc., Halæ 1815, in Genesi tribusque seqq. libris capita reperit, quæ ad Prophetarum tempus pertinent, dum quinti libri compositio propius accedit ad Judaicum exilium; rursum in *Geschichte der hebraischen sprache* quædam in Pentateucho indigitat fragmenta, remotissimam antiquitatem redolentia, recentius tamen novo stylo elaborata et conscripta; nuper vero, in sui *Elementarbuch* (10ª edit.) præfatione, verecundius asserit, litem, an Moses Pentateuchi scriptor habendus sit, nec-ne, adhuc sub judice esse. Ilgenii, Vateri atque Eichhornii sententiam, Pentateuchum esse e variis remotæ ætatis fragmentis a compilatore quodam contextum, revocavit Gramberg, in opere cui titulus : *Libri Geneseos secundum fontes rite dignoscendos adumbratio nova*, Lip. 1828; qui tamen hæc fatetur, p. 68 : « Vicem nominis *Jehova* et *Elohim* pro criterio satis certo ad auctores diversos dignoscendos haberi non potest : hic (cap. XXVIII, 16 seqq.) enim in oratione inter se connexa modo *Elohim*, modo *Jehova* legimus. » Et p. 75 : « Hic etiam (cap. XXXI, 17 — XXXII, 3) nomina quæ Deo tribuuntur, nobis criteria esse nequeunt : legitur enim *Elohim* vers. 24, 29; sed vers. 49 *Jehova*, et vers. 50 *Elohim*, denique vers. 53 et cap. XXXII, 2, 3 *Elohim*, » etc. Sed nemo acrius et doctius, quam Hartmann, impugnavit hanc fragmentorum distinctionem alternanti nominum *Jehova* et *Elohim* usui innixam : vide ejus *Historisch-Kritische Forschungen über die Bildung*, etc., *der 5 Bücher Mosis*, Rostock, 1831, p. 116 - 147. Libri Numerorum cantica Mosis auctoris esse de Wette affirmat, negat Vatke. Tuch, *Commentar über die Genesis*, censet, vetustam mundi historiam usque ad Josue tempora, in qua Deus nomine *Elohim* vocabatur, in manibus fuisse *Jehovistæ* cuidam recentiori scriptori Pentateuchi, qualem nunc habemus. Geneseos librum parum cohærentem, et disparilibus partibus consutum, nullo, nisi temporis, ordine servato, quam multi affirmarunt? E contrario Ewald, in libro inscripto, *Die Composition der Genesis kritisch untersucht*, Braunsweig 1823, hæc duo evincenda sibi proponit, primum scilicet, fragmentorum hypothesin nulla idonea ratione inniti; secundum, Genesim ita conformari, ut unum sibique cohærens opus affirmari debeat. Ab opinione, plerisque Rationalistis probata, nempe Deuteronomium fuisse aliis Pentateuchi libris recentiori ætate scriptum, recedit George, qui autumat hunc librum cæteris antiquitate antecellere. Authentiæ adversarios non minus invicem discrepantes, si historicam Pentateuchi spectes auctoritatem, reperies. De Bohlen, *Die Genesis historisch-kritisch erläutert*, Kœnigsb. 1835, decipiendi consilium Pentateuchi scriptori plane affingit; idem insinuat Vatke, cæteri negant. Mayer, Eichhorn, Bauer, Berthold et Gesenius Pentateucho fidem adhibendam esse opinantur, quando gesta ibi enarrantur quæ rerum humanarum naturam non superant : miracula sola mythis adscribenda; Vater de omnibus omnino dubitat, incertaque omnia, licet forsan non falsa, existimat; de Wette, de Bohlen, Bauer, Vatke omnia mythis annumerant : in hoc tamen dissentientes, quod Bauer et Vatke latitantem in iis Pentateuchi mythis veritatem eruere satagunt, dum id ne fieri quidem posse de Wette contendit. Quas hactenus inter adversarios authentiæ memoravimus discrepantias, maximi momenti quæstiones referunt, nam minutiores alias quis posset recensere? Hoc tantum confidenter affirmamus, nil hactenus Pentateuchi authentiæ a Rationalista quodam oppositum esse, quin illud ab alio jam fuerit eversum atque confutatum; nec, quæ hodie vigent opiniones, diu pervincent.

> Ut silvæ foliis pronos mutantur in annos,
> Prima cadunt : ita *verborum* vetus interit ætas,
> Et juvenum ritu florent modo nata virentque.

Hæc protulit recentissimus Ewald, in tomo I suæ *Geschichte des Volkes Israel* : Auctores prodit Penta-

V.

Argumenta quibus Pentateuchus Mosi abjudicatur, quid habeant momenti?

Variæ illæ de recentiore Pentateuchi origine sententiæ, quia triplici potissimum argumentorum genere nituntur, *primo*, e linguæ et sermonis cum libris serioribus convenientia; *altero*, e totius operis conformatione; *tertio* denique, e locis in Pentateucho obviis, quæ a Mose scripta esse plane non possint, petito (vid. § III): quid illa ad abjudicandum Mosi Pentateuchum valeant, iam videamus (*a*).

teuchus quinque, ita tamen ut quatuor priorum opera, quasi sui novique libri materiam, postremus auctor seu compilator digesserit, retractarit, ex iisque effecerit Pentateuchum, qualis nunc existit, addito insuper libro Josue. Quatuor serioris ætatis opera hæc sunt: primum, vetustissimumque, *Liber fœderum et pactorum*, Samsonis tempore scriptus; secundum, *Liber originum*, a Levita quodam, regnante Salomone, editus; tertium, *Libri prophetiarum*, pars prior, auctore Judæo quodam schismatico, in regno Israelitico temporibus Eliæ vel Joelis degenti, qui primus primitivam mundi historiam in *prophetias* vertit; quartum, ejusdem *Prophetiarum libri* pars posterior, sermone oratorio et poetico res olim gestas adornans, in lucem autem edita circa ann. 800-750 ante Christum. — De iis qui hodie in Gallia Pentateuchi authentiam impugnant, vix est quod loquamur, tum quia paucissimi sunt, et, ut aiunt, *rara avis*; tum quia nil novi hactenus attulere, ne excepto quidem E. Renan, qui, sive in *Histoire des langues Sémitiques*, sive in *Etudes d'histoire religieuse*, mira licet dicendi arte scriptis, vel nonnisi trita apud Germaniæ scriptores argumenta fere recudit, imo levissime perstringit, vel controversam rem pro demonstrata fidentius habens, plura effutit quæ comprobanda nil videtur curare.

Secunda sententia est eorum, qui Pentateuchi magnam partem Mosi adjudicant. Quos inter eminet Eichhorn, qui, postquam in prioribus suæ *Einleitung in's alte Testament* editionibus Pentateuchi authentiam propugnavisset, in posterioribus mutavit sententiam: affirmat nempe Pentateuchum constare maximam partem tum commentariis sive a Mose ipso, sive ab aliis ejusdem tamen ætatis auctoribus scriptis, tum recentioribus appendicibus, a compilatore quodam in unum opus digestis hoc temporis intervallo quod Josuam inter et Samuelem effluxit. Bleck in *Annalibus*, p. 186, criteriis mere internis ductus, leges omnes Mosi asserit; ita et Stâudlein, *Commentationes duæ de legum Mosaicarum momento, ingenio, collectione et effectibus*. Gôtting. 1796. His adnumerandus est Herbst, qui, licet in *Observationes quædam de Pentateuchi quatuor librorum posteriorum auctore et editore*, Erlang. 1817, Mosaicam Pentateuchi originem defenderit, in aliis tamen operibus τὸ Rationalistarum πρῶτον ψεύδος admittere videtur, scilicet Mosis commentarios, seu diaria, primum sparsos et disparatos exstitisse, deinde a quodam recentioris ætatis compilatore non modo collectos fuisse, sed pluribus etiam additamentis auctos. Cæterum ejus *Historisch-kritische Einleitung in's alte Testament*, a Welte notis emendata et locupletata, optimum est in hoc genere Enchiridion.

Tertia denique sententia est eorum, qui Pentateuchum, qualem nunc habemus, Mosi adjudicant. Nominibus supra, p. 33, not. (*a*) citatis, adde Hug, Movers, Herz, Jahn, Pareau, Kelle, Fritzsche, Scheibel, Sack, Kanne, Dettinger, etc.: qui tamen Pentateuchi libros antiquorum librorum sorte mansisse immunes, nec vel in paucis fuisse corruptos, minime contendunt, quanquam hic Jahn adversariis plus æquo concedit.

(*a*) Apposite Meignan, op. cit. p. 95, Peutateuchi authentiam impugnantibus opponit *præjudicia legitima*, quæ licet eorum argumenta directe non diluant, valde tamen ea quatiunt et infirmant. Hæc autem *legitima præjudicia* sunt: *Primum*, quod interpretes Germani (hoc enim ex fonte Rationalistæ omnes hauriunt), audacioris quidem ingenii, sensumque communem parum curantes, novas semper atque inauditas captent hypotheses, quas deinde absque idonea ratione aut recognitione positas in lucem proferunt. Minimi pendunt egregiam Cartesii regulam: « N'admettre un fait qu'après l'avoir bien observé; multiplier les expériences, en contrôler les résultats; ne procéder que suivant les règles d'une sévère induction; n'affirmer que ce qui est évidemment démontré. » Audi de Rémusat: « L'esprit systématique est, dans le sens le plus compréhensif du mot, l'esprit germanique. Toutes les fois que, par l'alliance de l'imagination et de la métaphysique, un talent ingénieux et confus, subtil et vague, parvient à combiner les faits les plus divers sous une généralité qui ne les unit qu'en les mutilant ou les exagérant, transforme les faits en idées, personnifie les principes, formule les individus, soyez assuré que c'est l'Allemagne qui vous parle. Il est difficile de marcher d'un pied aussi superbe sur la tête du sens commun. » *Revue des Deux-Mondes*, 1854. 15 mart. *Secundum*, quod inter se non minus quam nobis discrepent, imo decertent. Vide quæ pag. præced. adnotavimus. *Tertium*, quod haudquaquam libero, omnique præjudicata opinione expedito animo rem perpendant: nimirum miraculis et prophetiis offensi, innituntur tacito syllogismo: « Si Moses hanc miraculorum historiam scripsisset, vera et divina essent, quæ ibi narrantur miracula; atqui miracula fieri non possunt: igitur Moses hanc historiam non scripsit. » Pro concesso itaque ponitur, quod erat demonstrandum. Sæpissime de Wette hoc utitur enthymemate: « Miracula sunt philosophice impossibilia: ergo Pentateuchi narrationes, in quibus ea reperiuntur, mythis sunt adnumerandæ. » Illo autem Ewaldus: « Futura prævidere nemo potest: ergo omnia Pentateuchi capita quæ prophetias continent, recentioris Mose sunt auctoris. »

Atque primum quidem quod dicunt, posse a Mose non scriptum esse librum, cujus lingua tam parum differat ab ea, qua libri pluribus post Mosen sæculis editi, sunt scripti; illud ipsum, quo hæc argumentatio nititur, omnino verum esse negamus. Nam etsi archaismi grammatici et orthographici admodum pauci in Pentateucho hodie reperiantur, cujus rei ratio haud dubie in eo est posita, quod procedente tempore ab iis, qui librum variis temporibus descripserunt, et recognoverunt, multi illorum sensim essent sublati, ne lectores recentiores iis offenderentur (1); tamen supersunt. Quo pertinent non tantum notissimæ illæ voces נער et הוא, de maribus æque ac feminis usurpatæ (2), in quibus archaismum agnoscunt et illi, qui Pentateuchum Mose recentiorem statuunt (3), verum et personæ tertiæ femininæ pluralis numeri Futuri sine ה in fine scriptæ (4), atque ה *locale* in Pentateucho multo frequentius, quam in reliquis Vet. Test. libris. Præterea haud exiguus est numerus vocum et phrasium, quæ Pentateucho ita sunt peculiares, ut in aliis Vet. Test. libris aut nunquam, aut rarissime occurrant (5), uti contra plures aliæ in libris recentioribus frequentes in Pentateucho nusquam aut rarius reperiuntur. Neque illud est prætereundum, peregrina vocabula in Pentateucho legi nulla, nisi antiqua Ægyptiaca (ut אחו, אברך, טוטפות, יאר, פענח, צפנת, שעטנז, שש). Denique in omni hac quæstione de Hebræi sermonis in Pentateucho indole reputandum est, linguas eas, quibus Hebræa accensetur, quum in scribendo vocum consonæ tantum poni soleant (6), multo minus in scriptis variare, quam nostras, quæ et vocalium enuntiationem litteris exprimunt. Unde factum ut Arabicus sermo Corani et vetustissimorum carminum, Mohammedis tempore editorum, parum diversus appareat ab Arabico sermone eo, quo recentiores libri sunt scripti. Quod ipsum de lingua Syriaca valet. Quam exigua enim sit Syriaci sermonis ejus, quo antiqua illa Novi Test. translatio, quæ *Peschito* dicitur, est scripta, ab

At quis non videt istiusmodi argumentis in quæstione historica et critica nullam vim inesse? *Quartum* denique mutuamur ab Jahnio, qui in sua *Introductione ad Pentateuch.* hæc habet : « Minimo (adversariis) sufficit, movisse dubia, protulisse suspiciones, opposuisse conjecturas, arguisse dispositionem operis in fragmenta, observasse aliquam styli et linguæ variationem, et sollicitasse quæpiam loca, a Mose et ætate ejus aliena, verum interpolata; sed comprobandum erat, characterem scriptoris, argumentum, linguam, stylum, formam et dispositionem operis, atque finem ad quem totum aut partes aliquæ tendunt, Mosi, et ætati, ac locis commorationis ejus *prorsus repugnare*, ut ab hoc auctore et ex illa ætate descendere non possit, nec historice ut opus Mosis et ejus ætatis cogitari possit. Nam nequaquam æqualis est adversariorum et defensorum hac in controversia causa : hi enim arcem habent in subscriptione auctoris *Deut.* XXXI, 9, 13, etc., et in ejus commemoratione *Num.* XXX, 1, 2; *Exod.* XVII, 14, etc., atque in testimoniis, quæ inde a Josua, in omnibus libris dispersa sunt (conf. supra); arx hæc est inexpugnabilis : nulla enim testimonia contraria adduci possunt..... Minutis conclusiunculis suspectam reddidisse illorum testimoniorum fidem, nihil evincit; siquidem conjecturis et artificiis hujus generis, etiam integerrimorum fides in dubium vocari potest, quin labefactetur judici integro. »

(1) Quemadmodum in versionis S. S. a Luthero confectæ exemplis recentioribus plures veteris orthographiæ teutonicæ formæ sensim sunt sublatæ. Ita in N. T. versione Vitebergæ 1522 a Luthero ipso edita quavis pagina legitur, *ynn, yhn, wortt, Gottis, vnnd, seyne, vnsawber, reychtumb, weyszsagen, treuw*, pro quibus nunc legimus *in, ihn, wort, Gottes, seine, unsauber, reichthum, weissagen, treue.*

(2) Quæ ubi feminine usurpantur, a Masorethis iis vocalium signis sunt instructæ, quibus feminina in libris serioribus efferuntur, veluti נַעַר, *Gen.* XXIV, 14, 17, 28, 57, 58; XXXIV, 3, 12, etc.; et הוּא, quod ducentis fere Pentateuchi locis exstat. — * Cf. Meignan, op. cit. p. 90.

(3) Ut Vaterus in Commentat. supra laudata, p. 616. Cf. Gesenius, *Geschichte der hebr. Sprache und Schrift*, p. 31. —* Ratio est, quia genus commune, quum labentibus sæculis in masculinum vel femininum distinguitur, eo ipso antiquitatis est indicium. Ita Munk, *Palestine*, p. 137; Hartmann, op. cit. p. 647.

(4) Ubi illi, qui puncta vocalia apposuerunt, litteræ *nun* semper *camez* adpinxerunt, ut *Gen.* XXVI, 35; XLI, 36; XLIX, 26; XIX, 33, 35; XIX, 36; XXX, 38; *Exod.* I, 19; II, 19. Cæteras hujusmodi formas in Pentateucho obvias diligenter recensuit J. Jahn in Commentatione posthuma, quæ inscribitur, *Beiträge zur Vertheidigung der Ächtheit des Pentateuchs* (cujus pars prior de linguæ Hebrææ in Pentateucho ratione agit), inserta *dem Archiv für die Theologie*, etc. *von Bengel*, tom. II. Formas istas in Pentateucho tam frequentes reliquis Vet. Test. libris *septem* tantum locis observantur, I *Sam.* cap. XVIII, vers. 7; *Ruth.* cap. I, vers. 9, 12, 20; I *Sam.* cap. XVIII, vers. 7; *Ezech.* cap. III, vers. 19 (20); cap. XXXIII, vers. 13.

(5) Sic is mensis, qui in Pentateucho semper *mensis abib*, et simpliciter *abib*, Esræ et Nehemiæ vocatur *Nisan*. Phrasis *colligi ad populos suos*, id est mori, priva est Pentateucho, nam in aliis libris legitur, vel *colligi ad patres suos, Jud.* II, 10, II *Chron.* XXXIV, 28; vel colligi ad sepulcra sua, II *Reg.* XXII, 20; II *Chron.* XXXIV, 28, dicitur. Dictio *retegere nuditatem* (feminæ) de coitu usurpatur tantum in Pentateucho; sensu diverso occurrit *Ezech.* XVI, 36, 37. Verbum דגה, *multiplicatus est*, reperitur tantum *Gen.* XLVIII, 16, uti זכד, *donavit*, tantum *Gen.* XXX, 20. Vox זכור pro זכר, *mas*, nonnisi in Pentateucho legitur; sed *Ps.* CIII, 14, *memoratum esse* notat. Sed hujusmodi voces et integras dictiones, quæ in reliquis Vet. Test. libris, quia procedente tempore ab usu recesserunt, nunquam aut rarius occurrunt, plusquam ducentas recensuit Jahn loc. cit. p. 585-630.

(6) Nam signa vocalium, quibus codicis Hebræi hodierna exempla sunt instructa, ævo recenti esse adjecta, vix est quod moneamus.

eo, quo Abulpharagius multis post sæculis scripsit, diversitas, sciunt omnes, qui illius linguæ haud sunt ignari (*a*).

Transeamus ad aliud, quod Mosaicæ Pentateuchi origini opponunt, totius operis conformationem ; neque enim illam ab uno homine scriptam esse, sed e variis variorum hominum et temporum scriptis monumentis compositum, arguere stylum plane inæqualem, nunc concisum et pressum, nunc latum et diffusum, tum repetitas et tamen inter se discrepantes de eisdem rebus narrationes, frequentes denique singularum pericoparum inscriptiones et clausulas. Sed quod attinet styli inæqualitatem, parum profecto illa valet ad evincendam scriptorum diversitatem, quum et optimos quosque scriptores in iis, quæ per plurium annorum intervalla scripserunt, stylum ita variare constet, ut a se ipsis diversi esse videantur (1). In scriptis autem viri qui per longam annorum seriem imperatoris, legumlatoris et judicis personam unus solus sustinuit, stylum varium et minus æquabilem ultro quisque exspectat. Accedit, quod pro argumenti et consilii scribentis varietate stylum quoque variare oportet, aliumque esse debere ejusdem scriptoris res antiquissimas e vetustis monumentis referentis, alium a se ipso aut ab aliis sua ætate gesta narrantis, alium leges et instituta præscribentis, alium denique præcepta a se tradita explicantis, supplentis, et ad ea servanda monentis : quæ quidem omnia in Pentateucho observamus. Neque magis diversos auctores probant repetitæ, nec satis sibi semper consonæ de iisdem rebus narrationes, quæ nequaquam mire alicui esse possunt in opere per plurium annorum intervalla, et a viro maximis occupationibus districto, sensim conscripto (2). Minimi denique momenti habent ad

(*a*) Aliud argumentum e lingua desumptum adversarii attulerunt. Haud paucæ, inquiunt, locutiones in Pentateucho reperiuntur, quæ, cum sint libris intermediis prorsus inusitatæ, rursum in libris durante vel absoluta captivitate scriptis comparent : ex his autem *postmosaicis* locutionibus Pentateuchum durante vel absoluta captivitate scriptum fuisse, jure infertur. Respond. *primo* : Nego consequentiam. Hanc enim adversariorum illationem mancam esse atque invalidam, illud Horatii arguit :

> Multa renascentur quæ jam cecidere, cadentque
> Quæ nunc sunt in honore, vocabula, si volet usus,
> Quem penes arbitrium est, et jus, et norma loquendi.

Bene Hirzel animadvertit, hujusmodi vocum aut locutionum, quæ, vetustissimis linguæ monumentis frequentes, intermediis inusitatæ, rursum in recentissimis apparent, vicissitudines, in omnibus linguis deprehendi : Græci recentiores, e. g., locutiones adhibent, quas nonnisi apud Homerum reperire est; Italis quoque hodiernis plures locutiones usui sunt, quæ non item Ciceroni aut Livio, sed veteri Plauto fuere. Cf. Lenormant, *Cours d'hist. anc.* p. 160. seqq. Respond. *secundo* : Paucissimæ sunt istæ locutiones, nec istiusmodi, ut viro cordato eas attente perspicienti præbeant indicium, quo Pentateuchus tempore captivitatis scriptus arguatur. Vide egregium opus, cui titulus, *Nachmosaisches im Pentateuch*. Carlsruh. 1841, auctore Welte, ubi sigillatim hæ postmosaicæ locutiones expenduntur. Paucis tamen exemplis ostendere juvat, ad quas ratiunculas, subtiliorisque ingenii minutias descendant adversarii, ut Pentateuchum auctori Mosi denegent. Hartmann, op. cit., in toto Deuteronomio postmosaicas locutiones invenit *undecim!* Prima est vox זְעוָה, *vexatio, commotio*, *Deut.* XXVII, 35, quæ extra Pentateuchum semel tantum eadem forma reperitur, scil. *Ezech.* XXIII, 46 : at nonne eam e Pentateucho Ezechiel potuit recepisse? Secunda est זְרִים, XXXII, 16, vox dubiæ significationis, nulli ex Prophetis usitata, nisi Jeremiæ, idque bis tantum eodem sensu quem habet in Deuteronomio. Tertia est יֶרַח, *mensis*, ter tantum in Pentateucho reperienda, dum τὸ ejus συνώνυμον חֹדֶשׁ decies octies ibidem adhibetur; deinde יֶרַח, Mosi ipsi infrequens, neque Josuæ, neque libri Judicum auctori usui fuit; rursum quidem, sed rarissime apparet apud Prophetas, qui τῷ חֹדֶשׁ vulgo utuntur: quid inde inferri potest? Nec magis valent aliæ Hartmanni postmosaicæ locutiones, quas ideo scrutari omittimus. Similes locutiones ex Genesi desumptas diligentissime recensuit de Bohlen; qui tamen postea, lucem proferente Hirzelio, se multa pro chaldaismis falso habuisse confessus est. Cf. Meignan, op. cit. p. 183 seqq.

(1) Leve est, quod afferunt ad probandum, esse Deuteronomium alius auctoris, quam ejus, qui libros quatuor priores scripsit, quod de capitis pœna in Deuteronomio phrasis, *tollere malum ex Israele* (XIII, 6, XVII, 7, 12, XIX, 19, XXI, 11, etc.), in reliquis vero Pentateuchi libris *exscindatur hæc anima e populo tuo* usurpatur; potuit enim idem scriptor post aliquot annos alii phrasi ad eamdem rem exprimendam assuescere. Eodem pertinet, quod nomen *Sinai* montis, in Exodi libro tam frequenter obvium, in Deuteronomio nunquam legatur, sed ejus loco semper aut *Horeb*, aut *mons ille* memoretur. Attamen *Horeb*. et in *Exod* III, 1, XVII, 6, XXXIII, 6, et *mons ille* eodem libro, veluti XXIV, 12, 15 legitur. Cf. quæ de horum nominum usu monuit Jahn, *Archiv*. vol. III, p. 219 seqq.

(2) Ejusmodi sine necessitate iteratas, nec raro inter se discrepantes de iisdem rebus narrationes reperiri et in aliis eorumdem auctorum operibus, nemo, nisi in re litteraria plane hospes, ignorat. Exempla plura ex unius Diodori Siculi Bibliotheca collegit Jahn, loc. cit. p. 557. Singula Pentateuchi loca, quibus eædem res iterato, nec tamen prorsus consone, vel vere narrantur, vel commemorari videntur, hic persequi longum foret. Videbimus de iis in Commentariis. Nonnulla illorum examinavit Jahn, l. c. p. 562 seqq.*.

* In Pentateucho, etsi per fragmenta exarato, omnia tamen cohærent in fine ad quem tendunt, ut doctrinis, legibus, historiis, promissionibus et comminationibus ducant ad religionem et religiosam morum probitatem. Adde, antiquis, imo et multo etiam recentioribus Orientalibus, non fuisse eam artem scribendi, quæ omnia disparata apte nectere novit. Cæterum, de *rerum* repetitis narrationibus, vide tum Cornelium nostrum singulis locis, tum Meignan, op. cit. p. 159. tum Herbst et Welte *Einleitung*, etc. p. 25 seqq. *De legum* vero, quæ sibi non satis semper videntur consonare, repetitionibus, recte notat Meignan, op. cit. p. 189, easdem Mosaicis legibus interpretandis regulas observandas esse, quas in interpretandis Jus-

demonstrandum, esse e variis variorum hominum scriptis compositum Pentateuchum, frequentes singularum ejus partium inscriptiones et clausulæ, quum eos perspicuitatis causa, ut diversi argumenti pericopæ facilius invicem discernerentur, appositas esse pateat. Præterea quatuor librorum posteriorum parum inter se cohærentes et dispariles partes ita consignatas esse patet, uti locorum et temporum rationes ferebant, unde varium illi et miscellum opus constituunt, in quo vix alium, nisi temporis, ordinem servatum videmus. Sane si quidquam scriptorum monumentorum reliquit Moses, ea vix aliter sese habere credibile est, quam ita, uti conformatum videmus Pentateuchum. Nam si quis recentioribus temporibus aut legum codicem, aut rerum a Mose gestarum historiam contexere voluisset, rem eum multo aliter instituisse verisimile est (1).

Restat tertium argumentorum genus, quo Mosaicam Pentateuchi originem impugnant, loca in eo obvia, quæ a Mose scripta esse plane nequeunt, quia recentioris ætatis scriptorem arguunt (vid. Not. § III, sub finem). De iis tamen, si demamus quæ dubia sunt, nec pro argumentis certis serioris Mose ætatis haberi possunt, pauca restabunt, quæ certe a recentiori manu consignata statuamus. Talia autem reperiri in tam vetusto nec exiguæ molis libro, nemo jure miretur, et tam parum obstant, quo minus Mosis opus hosce libros esse dicamus, quam parum Æneidi aut Georgicis inserti spurii versus obstant, quo minus illa carmina Virgilii esse credamus. Libros hos a communi antiquorum librorum sorte mansisse immunes, et non fuisse varie interpolatos, exspectandum non est. Etsi enim Hebræi tanti illos æstimabant, ut quidpiam mala fide in iis mutare, summæ sibi religioni ducerent, id tamen non impediebat, ne hic illic supplementa historiæ, et explicationes rerum et vocabulorum antiquiorum adjicerentur.

Vidimus argumenta, quibus Mosaica Pentateuchi origo impugnatur (2), tantum roboris non habere ut infringant ea, quibus nituntur illi, qui hosce libros Mosis esse putant. Quare non dubitamus, Pentateuchum longe maximam partem esse Mosis opus, sed habere nos eum varie retractatum recognitumque, interjectis passim verborum et sententiarum clausulis veluti sarcitum

(1) Vere, nostro quidem judicio, Staeudlin in Commentat. II *de legum Mosaicar. momento*, etc. p. 19, hæc observat: « Leges Mosaicæ haud paucæ ita comparatæ sunt, atque ea serie congestæ, ut Mosis operam et manum aperte prodant. Multæ scilicet leges imperfectæ, haud absolutæ, parum finitæ ac fere mancæ sunt, eoque ipso ingenium atque diligentiam acutissimorum interpretum frustra nonnunquam exercent, ac monstrant, eas populo adhuc per solitudinem erranti, nec in domicilio perpetuo in civitatem coacto, atque a legislatore, reipublicæ fondamenta jacente, et, quamvis sapientissimo, tamen nondum plane exercitato, et periculis atque experientia longa subacto, esse scriptas. Sunt etiam leges, quæ non valebant nisi in deserto, e. g. de colligendo manna. Accedit *repetitio legum multifaria*, et *ordinis* in tradendis iis *neglectus*, quo facile intelligitur, has leges ad nos pervenisse, quales primum, variis temporibus, per longam in deserto moram, a Mose latæ et conscriptæ sunt. Si enim ex libris Mosis deperditis refictæ, aut a seriore auctore collectæ et novis subinde legibus auctæ essent, næ illæ majore ordine resectisque repetitionibus, ut fieri solet, fuissent digestæ. Quando autem ponimus, Mosen leges suas paulatim tulisse, ac scripto publicasse, ratio evidentissima reddi potest, cur quævis lex quovis loco inserta sit. * »

(2) Ea præter Jahnium in Commentatt. laudatt. ponderavit quoque C. F. Fritsche in libro, cui titulum fecit, *Prüfung der Gründe, mit welchen neuerlich die Ächtheit der fünf Bücher Mosis bestritten worden ist*, Leipz. 1814. Cf. Eichhorn *Einleit. in das A. T.* P. II, § 408 seqq.; J. D. Michaelis *Einleit. in die göttlich. Schriften des Alt Bundes*, P. I, § 27; C. F. Staeudlin Commentat. II *de legum Mosaicarum momento et ingenio, collectione et effectibus*, Gotting. 1799, p. 16 seqq. Cf. ejusdem Viri doctissimi Commentationem teutonice scriptam, qua leges in Pentateucho perscriptas Mosi vindicat (*die Ächtheit der Mosaischen Gesetze vertheidigt von Stäudlin*) in *dem Kritisch. Journal der neuest theolog. Literatur* a Bertholdtio edit. Tom. III et IV; G. Grisinger *uber den Pentateuch*, Stuttgard 1816.

tiniani Novellis aut Institutis legisperiti servant. Harum autem regularum prima est: Quando duæ leges secum videntur certare, earum sensus attentius et penitius exquirendus est: veri enim simile non est, repugnantias inesse legibus, quæ tot sæculis totius gentis publicum jus exstitere. Secunda est: sæpissime duæ leges, quæ videntur invicem discrepare, reipsa non certant, quia utrique non idem tempus, aut locus, aut personæ, aut objectum, intenditur. V. g. locus *Levit.* XXIII, 18, non certat cum *Num.* XXVIII, quia hic de eo agitur quod fit in sabbato quolibet, ibi de eo quod fit in sabbato circa finem messis hordeaceæ. Tertia est: Idem legum lator præscripta quæ invicem discrepent, mandavisse sæpe censendus est, nempe si leges prius latas emendavit, abrogavit, etc. prout rerum eventus et circumstantiæ postulabant. Sic, v. g. *Exod.* XIII, 2, non certat cum 13; neque *Num.* IV cum VIII, in quibus de Levitarum ætate agitur, etc.

* Recte Herbst, in *Observation. de Pentateuchi quatuor librorum posterior. auctore et editore*, Tubing. 1817, p. 13: « Fac vero, otium Mosi fuisse, opus suum maxima cum cura componendi, fac, Mosen præ cæteris omnibus jam tunc temporis mentis facultatibus polluisse, ut omnibus numeris librum suum absolvere sciret, nec tamen aliter prodire potuerunt quæcumque scripserat, quam fragmentis. Ipse sacer textus rem hanc innuit; quotiescumque enim in Pentateucho refertur, Mosen relationem quamdam rei gestæ scripsisse, sive id faceret sua sponte, sive altiori nutu impulsus, rem vel ipse gesserat, vel ei saltem intererat: non ergo ut cæteri historici, historiarum supellectilem ad manum habebat jam promptam, quam pro lubitu, pro concesso sibi otio seligere et disponere poterat; sed suppeditabat tantum materies temporis successus, quas non aliter disponere poterat, quam prout tempore se excipiebant, sensim sensimque, frustatim, nec prius apte conjungi seorsim fragmenta scripta poterant, quam mors rebus ab eo gerendis finem faceret.

et explicatius redditum, et ad continuandam historiæ seriem dispositum. Accessiones autem istæ, quum pleræque ipsæ tales se prodant, a genuinis discernere haud admodum difficilis et ardui negotii videtur *.

* Plus æquo Rosenmullerus hic authentiæ adversariis indulget; imo quod firmissimis argumentis probatum posuit, imprudenter absque idonea ratione quasi e manibus dimittit. Qua de re nota 1°. Pentateuchus totus dici potest ac debet Mosis opus, quanquam in eo nulla omnino recentioris ætatis vestigia deprehendi non negamus, in quibus discernendis conjecturæ criticæ, ut aiunt, auxilium merito invocetur. Hæc tamen vestigia et mendæ multo rariora sunt, atque levioris momenti, quam Jahnio et Herbst placuit. Sic, v. g. pericopam *Deut.* III, 9, 11, 14, Mosi vindicavit Hengstenberg. Locum *Deut.* II, 12, multi cum Vatero post Mosem insertum arbitrati sunt, quem, si recte intellexeris, Mosi certe adjudicabis, vertendo scilicet, *quemadmodum facit,* id est, in eo est ut faciat, *Israel terræ possessionis suæ:* verba enim quæ actionem indicant, haud raro sunt capienda de re, quæ in procinctu est, ut fiat; vel per *terram possessionis suæ* eam intelligendo quæ ad orientalem plagam Jordanis sita est. A Mose, *Exod.* XVI, 35, 36, scribi *potuisse,* per se patet. Cf. *Nachmosaisches im Pentateuch.,* p. 171, 189, 194, etc., auctore Welte.

Nota 2°. Errat Herbst, catholicus licet, qui Pentateuchi, qualem nunc habemus, originem et scriptionem hujusmodi conjicit: Moses, ait, dum peregrinaretur in deserto Arabico, litteris mandavit leges, easque, quales scripserat, edixit, ut tum statim tum in futurum vitæ norma Israelitis fierent, deinde juxta arcam, sacram veluti custodiam, reposuit. Similiter insigniores suæ ætatis eventus, ut posteris documento essent, scripsit, scriptos sacro mandavit repositorio, aut certe servandos familiarum capitibus tradidit (*Exod.* XV, 1-21; *Num.*, XXI, 5; *Deut.* XXXI, 9). Alios eventus cantica excepere, alios oralis singularum generationum traditio servavit. Longo post tempore, scilicet Davide regnante, sapiens Israelita quidam, Mosis scripti e sua eduxit custodia, varia tum cantica, tum singularum familiarum traditiones collegit, atque hæc omnia juxta temporum seriem novo opere digessit, cui titulum facere potuisset, *Mosaicarum institutionum historia.* Davidis igitur demum tempore Pentateuchus, qualis nunc exstat, conscriptus atque in lucem editus fuisset. Herbstianam sententiam egregie refellit Welte, *Einleitung,* etc., p. 51, cujus argumentationis hæc est summa. *a*) Si res ita se haberet, ut vult Herbst, multa in stylo, locutionibus, sententiis nominibusve facile deprehenderentur indicia, quæ recentiorem Compilatorem proderent. Atqui ex dictis constat (si demas additam Deuteronomio clausulam, de qua alias)', paucissima recentioris Mose ætatis vestigia in Pentateucho reperiri, quæ *mendæ* potius dici debent, quales, imo iis multo pauciores, vetustis libris omnibus librariorum incuria aut ignorantia inurit, e quibus proinde hujusmodi retractatio nullo jure arguitur. *b*) Nostra quidem ætate venit in morem, ut litteratores scripta defuncti alicujus viri in ordinem digerant, imperfecta absolvant, edantque in lucem: at idem antiquis Semitis in usu fuisse, cuinam saltem valde dubium non videbitur? *c*) Hujus modi autem hypothesis, cum de Pentateucho agitur, non vero absimilis tantum, sed impossibilis omnino dicenda est. Pentateuchus enim, etiamsi non fuisset nisi omnium Iraeliticæ gentis legum, theocraticæque institutionis instrumentum, ideoque mere quid profanum, sua tamen auctoritate et reverentia contra adulteratoris cujusque manum defensus fuisset; sed habebatur insuper tanquam divinæ revelationis codex, a maximo Prophetarum conscriptus, ita ut, revelatione illa vim habente, eum retractare ac adulterare nemini in mentem quidem venire potuerit. *d*) Moses ipse suum librum incorruptum omnino retineri haud semel jusserat, *Deut.* IV, 2: nempe in sanctissima tabernaculi parte, juxta arcam, coram Jova veluti suæ legi invigilante, a sacerdotibus asservabatur, *Deut.* XXXI, 26. Quis sacratissimum illud asylum temerare ausus fuisset? Nec, arca a Philisthiim capta I *Sam.* V, liber legis e sua capsella fuit extrusus, *ibid.* VI, 11, 15. *e*) Lex vere et proprie omnium Israelitarum in manus nunquam a Mose tradita fuit, sed solis sacerdotibus concredita. Illud patet, tum *Deut.* XXXI, 28, tum quia id officii sacerdotibus imposuit, ut legem coram populo legerent atque interpretarentur: quam officii partem eos adimplevisse ante Saulis aut Davidis tempora, nemo inficias ibit. Hoc autem posito, scilicet sacerdotes jam inde a Mosis temporibus legem asservasse, coram populo legisse atque explanasse, quomodo, quæso, ipsi postea eam retractare potuerunt? aut quomodo hæc lex ab alio quodam retractata, imo adulterata, multis videlicet additis ex canticis et familiarum traditionibus, pro genuina et mosaica *Thora* recepta fuit a sacerdotibus, qui hanc in manibus habebant, imo quorum sors et existentia ab ea pendebant. Quod de Judæis in universum ait Dupin, *Dissert. prélim. sur la Bible,* lib. I, cap. III, p. 204 sec. edit.: « Il est impossible qu'ils aient pris les livres d'un autre pour ceux de Moïse.... et qu'ils aient souffert qu'on en ait substitué d'autres à la place, » a fortiori de sacerdotibus valet. *f*) *Doctus* ille Israelita, qui mosaica scripta denuo ordine digerendi et multis additamentis perficiendi munus assumpsisset, sapientis doctive nomine indignus multis sane videretur, tum quia præstantissimi prophetæ librum adulterasset, tum saltem quia eum inconcinne retractasset, quod arguit ordo rerum minus accuratus, nec satis plena atque luculenta expositio: quanquam inconcinnitas hæc recentioribus criticis veluti per microscopium aspecta multum exaggerata fuit, et Mosen potius auctorem demonstrat, ut supra diximus. *g*) Si concedatur ab aliquo, Davidis tempore, mosaica scripta esse retractata, idem sub Judicibus

VI.

De Pentateucho Samaritano.

Samaritanis Palæstinam incolentibus suus est, non secus ac Judæis cæteris, hebraice scriptus Pentateuchus, characteribus ille veteribus Phœniciis exaratus. De cujus ætate ac origine, unde primum haustus, et ex quibus codicibus sit descriptus, multum et varie est disceptatum. Sunt autem

fieri saltem potuisse haud erit negandum; item, si compilator unus his scriptis plura addi potuerit, alium ex iis aliquid resecasse, credere quis vetat? Cuilibet hypothesi, ut patet, porta datur. Ergo sententia quæ post Mosen Pentateuchi, qualis nunc exstat, scriptionem reponit, omnino periculosa, temeraria et Catholicis rejicienda est. Ita Welte.

Nota 3°. Richardus Simon, *Histoire crit. du V. T.*, lib. I, cap. II, p. 17, conjectavit Mosen non scripsisse, nisi leges, historiam vero notariis publicis, qui prophetæ dicti fuerint, scribendam reliquisse. Respondet Jahn: « *a*) Stylus pro variis diversorum auctorum scriptis magis variaret. *b*) Notarii prophetæ nunquam commemorantur, nec genealogi, proprie *scribæ*, unquam nomine prophetarum salutantur. Esto autem, *c*) ut hi quæpiam consignaverint, uti, e. g. tabulam receptarum partium tabernaculi, *Exod.* XXXVI, XXXIX, catalogum populi et Levitarum, castra et ordines Hebræorum, dona principum, *Num.* passim, et quæpiam alia, quorum stylus acta publica redolet; Moses tamen ea acceptando fecit sua. Ex quibusdam autem locis apparet, Mosen nonnunquam, more olim valde usitato, notariis dictasse. Denique, *d*) castra Israelitarum, atque adeo historica, teste loco *Num.* XXXIII, 2, a Mose conscripta fuerunt. Quæ R. Simon protulit Fl. Josephi, Rabbinorum et Patrum Ecclesiæ loca, nec edicunt quæ vult Simon, nec factum tam antiquum contestari possunt. »

Nota 4°. Pentateuchus non fuit refictus. — I. Argumenta quæ refictioni, in quamcumque ætatem rejiciatur, obstant: *a*) « Si opus Mosis fuisset refictum, indoles linguæ et styli recentiorem saperet ætatem, offenderentur verba, quæ in recentioribus operibus obvia sunt; verba autem Pentateucho peculiaria, saltem pleraque, et archaismi essent a refictore eliminati; nam hæc omnia minutiis deputata, nec adeo studiose curata fuissent. Characterem hunc styli his libris et imprimis Deuteronomio nullus imprimere, nullus ita totus personam Mosis induere, atque hac ratione ad populum in illis adjunctis constitutum loqui potuisset. *b*) Quicumque scripta Mosis refinxisse statuatur: 1. non quælibet, uti in diario fieri solet, prout tempore sese excipiebant, digessisset, ut jam leges, jam gesta, jam monitiones referret; 2. nec leges quaspiam toties repetiisset, quoties promulgatæ fuerunt; aut 3. saltem leges, quæ in Deuteronomio mutantur, in prioribus omisisset; neque etiam 4. post accurate descriptam formam tabernaculi et omnium partium utensiliumque, rursus, quum omnia parata fuissent, totam illam minutam descriptionem omnium partium repetiisset: tale quid hac ratione scribere et repetere non potuit nisi is qui scripsit, cum hæc omnia conficienda mandabat, et cum ea confecta recipiebat, ut in publicis actorum commentariis fieri consuevit. *c*) In opere quod sub Davide, aut recentiori ætate fuisset refictum, mentio quæpiam honorifica de majoribus stirpis regiæ, de ordine successionis, contra schisma regni; quæpiam de precibus et cantandis in tabernaculo Dei laudibus, imprimis *Num.* VI, 22, 27; quæpiam de ædificando templo; leges contra ebrietatem, aliaque plura exspectanda essent, uti e contrario plura fuissent omissa, quæ leguntur, præsertim illa, quæ invicem pugnant, et quæ sequiori tempore erant mutata, aut neglecta, uti annus jubilæus, dimissio mancipiorum anno septimo (conf. *Jerem.* XXXIV), et alia similia. *d*) Decem tribus refictum sub Davide aut recentiori ætate opus vel ideo rejecissent, quia vitulos aureos, sacerdotes qui non sunt de genere Aaronis, et festum Tabernaculorum mense octavo, damnat. — II. Dicant jam, qua ætate reficta fuisse scripta Mosis censeant. *a*) Nec Esdras, nec quisquam ejus ætatis hanc potuit linguam et hunc stylum scribere. Esdras ex suo libro notus est, ex quo perspicitur, linguam et stylum Pentateuchi ipsius opus esse non posse. Quæ Judæi ac quipiam Patres retulerunt, legem amissam, et ab Esdra, qui eam memoriter tenebat, restitutam fuisse, fabulæ sunt absurdæ. Denique Samaritani opus ab Esdra refictum nunquam recepissent. *b*) Sacerdos a rege Assyriæ in Samariam missus, ut colonos religionem Jehovæ doceret, erat exul, et sacerdos vituli, qui multo minus linguam hanc et stylum scribere, ac omnia recentiora evitare potuisset, et saltem illam historiam de vitulo aureo, et mandata illa de sacerdotibus Aaronicis et de festo Tabernaculorum mense septimo, omisisset, ut taceam, regnum Judæ opus, a sacerdote vituli refictum, nunquam suscepturum fuisse. *c*) Chilkias, qui forte, II *Reg.* XXII, 8; *Paral.* XXXIV, 14; conf. *Jerem.* XI, sub prætextu codicis in templo inventi, refictum librum obtrudit, unde et territus fuit rex. Verum rex non miratur, inventum fuisse librum Mosis, sed auditis demum ominosis imprecationibus, quarum complementum per Chaldæos jamjam imminebat, exterritus fuit. Accedit Samaritanos librum ab Hilkia, sacerdote Judæo, refictum rejecturos, et antiquam libri formam conservaturos fuisse. *d*) Sub Davide, ut jam monuimus, inserta quæpiam fuissent de majoribus familiæ regiæ, et omissæ non modo leges regibus scriptæ, *Deut.*

duæ potissimum, sibi plane oppositæ de hac re sententiæ (1). Alii enim antiquissimum statuunt illum codicem, eumque eadem, qua hodie superest, forma jam ante Jeroboamum apud decem tribuum cives exstitisse arbitrantur; alii contra, qui Pentateuchum non Mosis opus, verum sub exilii demum temporibus compositum putant, exemplar Samaritanum non antiquius templo Garizitano faciunt, codicemque Pentateuchi Hebræo-Judaicum a Manasse, sacerdote a Judæis transfuga, ad Samaritas translatum, indeque in characterem veterem Phœnicium, cui adsueti essent Samaritæ, transfusum fuisse volunt (2). Habent utriusque sententiæ defensores argumenta satis gravia, quæ hic examinare atque inter se comparare longum foret (3), neque instituti nostri fert ratio. Nos quod movet, ut in priorem sententiam propensiores simus, illud est, quod toto illo temporis spatio, quod a defectione decem tribuum usque ad regni Samaritani excidium effluxit, prophetæ Israelitici æque ac Judaici, populares ad cultum soli Jovæ præstandum, qualis in Pentateucho injungitur, atque ad totum illum legum in eo præscriptarum complexum observandum graviter semper hortati sunt : idem plane Mosaicæ institutionis tuendæ insigne studium in veris vatibus tam Judaicis, quam Israelitis elucet. Quæ Prophetarum utriusque regni summa consensio in commendandis inculcandisque institutis Mosaicis communem omnibus aliquem legum codicem fuisse arguit. Unde illis, quæ supra (§ II) attulimus antiquitatis Pentateuchi argumentis novum hoc accedit, quod jam longe ante eversam a Chaldæis rempublicam Judaicam regni Israelitici cives illum legum codicem habuerint. Quod vero codicis Hebræo-Samaritani indolem attinet, tantum abest ut sinceritate æquiparandus sit Judaico, sive Masorethico, ut potius illo multo sit inferior, quippe qui scateat mendis et vitiis, quæ partim librariorum incuriæ, partim hominum semidoctorum emendandi et supplendi libidini ortum debent, id quo Gesenius, in Commentatione modo in nota laudata, ita demonstravit, ut dubitationi jam non sit locus relictus.

cap. XVII, 6, 12; sed etiam illæ de non expugnandis Moabitis, Ammonitis et Edomitis, *Deut.* II, 4, 9, quos David armis suo subjecit imperio. » Hæc Jahn, *Introduct. in Pentateuchum.*

Nota 5°. Quod sæculo XVIII nostri *Encyclopedistæ* fidenter asserebant, Mosen Pentateuchum scribere non potuisse, quia scribendi artem tum temporis Hebræi adhuc ignorabant, vix est quod refellamus. Ipsi enim authentiæ adversarii omnes, exceptis *hypercriticis*, ut aiunt, Hartmann et Bohlen, scripturam Mosi notam fuisse vel expresse docent, vel pro concesso habent, dum scilicet quasdam Pentateuchi partes, v. g. leges et cantica, vere Mosaicas esse fateri coguntur. Cæterum id expresse docent Munk, *Palestine*, p. 140 seqq.; Gesenius, *Geschichte der Hebräischen Sprache*, p. 142; Renan, *Histoire générale des langues Jémitiques*, p. 107 seqq.; Winer, *Biblisches Realwörterbuch*, v. *Schreibkunst*, qui ait : « Mosen potuisse scribere dubio caret, tum quia *scribi* dicuntur monumenta, quæ ex omnium sententia auctori Mosi sunt adscribenda; tum quia legis tabulas jam in deserto extitisse negari nequit (*Exod.* XXXI, 18; XXXII, 15); tum quia partem saltem legum specialium quæ in Pentateucho reperiuntur, peregrinantibus Israelitis scriptam fuisse, affirmandum est. »

(1) Alias nonnullas recensuit J. C. Carpzovius in sua *Critica sacra Veteris Test.*, p. 600 seqq.

(2) Ita statuunt Rich. Simon in *Histoire crit. du N. T.* lib. I, cap. X; Prideaux, *das A. und N. Test. in Connex. mit der Juden und benachbarten Völker Geschichte*, tom. I, p. 414; Fulda in *den Memorabilien*, P. VII, p. 21; de Wette in *den Beytraegen zur Einleit. in das A. T.* P. I, p. 214, et Gesenius in *Commentat. de Pentateuchi Samaritani origine, indole et auctoritate*, p. 9.

(3) Factum hoc nuper a Viro quodam docto, qui tacito suo nomine edidit Commentationem, quam inscripsit, *Einige Zweifel gegen die neuerliche Annahme, als ob aus den Samaritanischen Pentateuch kein Beweis für das frühere Alter des Pentateuchs geführt werden könnte*, inserta *dem Archiv für die Theologie* ed. a Bengel, tom. III. Cf. Kelle *Vorurtheilsfreie Würdigung*, etc. P. I, p. 59 seqq.

II.

E. F. CAR. ROSENMULLERI

PROLEGOMENA IN GENESIN.

I.

Libri argumentum.

Primus Pentateuchi liber, Hebræis בראשית, *in principio*, a primo illius vocabulo, Græcis γένεσις ab argumento appellatus, quod rerum omnium generisque humani origines exponit, ut ait S. Athanasius in *Synopsi Script.* Opp. tom. II, p. 66, proœmium quoddam quatuor, qui sequuntur, librorum constituit. Continet enim ea, quæ aut lectoribus scitu sunt necessaria ad intelligenda ea, quæ in libris, qui sequuntur, narrantur, aut quæ inserviunt ad edocendum, Deum unum omnium creatorem et moderatorem esse colendum, atque ad præparandos lectorum animos ad eum, qui in cæteris libris continetur legum complexum. A rerum origine generisque humani initiis exorsus scriptor, a primo homine ad conditorem usque gentis Hebrææ, Abrahamum, continuam stemmatum, et historiæ iis intextæ seriem perducit, ut sic gentis illius origines ab ultimis repeterentur orbis terrarum generisque humani primordiis, quæ originis vetustas plurium antiquitatis populorum gloria fuit. Post relatam hominum per orbem terrarum dispersionem in unam Heberi familiam cogit historiam, versoque ad Abrahamum stylo fere unice in hujus viri et posterorum ejus rebus enarrandis versatur, selectis potissimum iis, quæ ad magnificas iteratasque promissiones, majoribus illis gentis Hebrææ a Deo factas spectant, atque ex iis illorum factis, unde eorum in Deum pietas et erga eum fides elucet. Originem morum, qui apud Hebræos obtinent, indicat (veluti abstinendi a nervo femoris in cibum adhibendo, XXXII, 32 seqq.); sacrificiorum quoque rituumque, veluti circumcisionis, occasiones et historias persequitur. Proxilior est in exponenda vita Josephi, cujus morte liber clauditur, ut cognoscerent lectores Hebræi, qui factum sit, ut majores ipsorum in Ægyptum devenerint, et in ea terra sedem fixerint.

II.

Librum Geneseos esse a Mose scriptum.

Quod si quæ in quatuor posterioribus Pentateuchi libris continentur, a Mose sint consignata, id quod in superioribus ostendere conati sumus; ab eodem illo et librum primum scriptum esse oportet, quippe qui cum secundi libri initio arctissimo nexu cohæret, atque ea continet, quæ ad recte intelligenda ea, quæ in reliquis libris traduntur, plane sunt necessaria. De illis libris Genesim si demas, opus habebis imperfectum et ἀκέφαλον. Sublata hac Pentateuchi parte ignorassent Hebræi, quisnam sit majorum suorum Deus, quem eumdem regem suum colebant, a quo leges recipiebant, in cujus honorem sabbatha et festa celebrabant, cui sacrificia et primitias offerebant; ignorassent quænam sint toties illa in reliquis libris commemorata promissa, majoribus suis a Deo ipsorum custode data (vid. *Exod.* VI, 4; XIII, 5; XXXIII, 1; *Deut.* I, 8; IX, 5; XXIX, 13; XXX, 20; XXXIV, 4, quæ loca omnia manifeste respiciunt ad *Gen.* XII, 7; XIII, 15; XV, 18; XVII, 8; XXIV, 7; XXVI, 3, 4; L, 24). Legem primariam de celebrando sabbatho inculcans Moses, *Exod.* XX, 11; XXXI, 17, illius rationem inde petit, quod sex diebus cœlum et terram condidisset Deus, septimo

vero die nihil fecisset et quasi quievisset, quæ nemo dubitet spectare ad illa, quæ initio Geneseos (II, 2, 3) ea de re diserte commemorantur. Præterea et in aliis libris is observatur libri primi cum reliquis consensus, qualem in unius ejusdem auctoris opere exspectes (1).

III.

De Fontibus unde hauserit Moses quæ in Genesi tradidit, et quomodo illis fuerit usus?

Quum in Genesi ea exponantur, quæ ante Mosen sunt gesta et facta, oritur quæstio, num is primus illa litteris consignarit, an vero quæ habet, hauserit ex antiquioribus monumentis, quæ postea interciderint. Si primus hæc scripsit Moses, nunquam antea litteris mandata, oportet quæ habet ei aut sint a Deo revelata, aut ab hominibus, qui ea memoriter tenerent, narrata; neque enim aliter ei innotescere potuerunt. Nusquam autem sibi hæc a Deo patefacta dicit, neque quisquam, Mose tacente, pro comperto adfirmare sustineat (*a*). Memoria vero tot nomina, totque annorum summas, quales in decem prioribus potissimum capitibus leguntur, potuisse servari, vix credibile est. Scripta autem monumenta ante Mosis ætatem inter Hebræos si quæ exstiterint, sane admodum pauca fuisse est verisimile. Nam illorum majores, qui in Cananæa vitam pastoritiam et erraticam degebant, scribendi artis si non plane rudes, tamen parum in ea exercitati fuerint, neque eam, posteaquam in Ægyptum migrassent, dura servitute oppressi ita excoluerint, ut veterum rerum memoriam scriptis mandare operam navarent. Quæ quum ita sint, Mosen, quæ de populi Hebræi majoribus refert, partim e priscis narrationibus carminibusque, inter Hebræos ore propagatis, partim e scriptis tribuum stemmatibus et familiarum genealogiis hausisse credibile est (*b*). Illa autem quod attinet, quæ de rerum ortu, deque generis humani initiis, et primis sæculis progressibus et fatis apud eum leguntur, videtur quæ cultiores tunc Hebræis populi vicini, Phœnicii atque Ægyptii, de illis rebus tradiderunt, in suos usus ita convertisse, ut illa iis, quæ ipse de uno Deo, conditore et moderatore omnium, colendo doceret, accommodaret, atque Hebræorum animos a vicinorum fabulis, adeoque religionibus, quæ iis sæpe nitebantur, alienare studeret (2).

Qualia fuerint et quot prisca monumenta litteris consignata, quibus usus fuerit Moses in concinnando libro Geneseos, quamvis vix quisquam exspectet definiri posse post plus quam triginta sæculorum intervalla, fuere tamen et sunt viri docti et sagaces, qui illud explorare aggrederentur. Quo in negotio adjumento sibi futuras sperabant, præter repetitas earumdem rerum narrationes, et singularum libri partium inscriptiones (3), et diversas summi numinis adpellationes, dum

(*a*) Genesim Moses eo modo eaque inspiratione divina scripsit, qua suos libros conscripserunt alii θεόπνευστοι auctores. « Non enim, ait S. Petrus II *Epist.* I, 21, voluntate humana allata est aliquando prophetia (id est *sacra Scriptura* in genere, ut ipse Rich. Simon fatetur), sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. » Et Sapiens, cap. X, vers. 16, de Mose dicit : « Intravit (sapientia, divina scil.) in animam servi Dei. » Cf. Glaire, *Introduction*, etc. tom. I, p. 18; et Cornelium nostrum in II Epist. *ad Tim.* III, 16. Quæ dicta sint, ut simul, quid de fine hujus Rosenmulleri paragraphi sentiendum sit, pateat.

(*b*) Cf. Meignan, op. cit. p. 109 seqq.

(1) Conf. *Exod.* XIII, 19 cum *Gen.* L, 25; *Exod.* XXXII, 13 cum *Gen.* XXII, 16; *Levit.* XVII, 14 cum *Gen.* IX, 4; *Num.* XXIII, 24, XXIV, 9 cum *Gen.* XLIX, 9; *Num.* XXIV, 9 cum *Gen.* XLI, 13; *Deut.* II, 5 cum *Gen.* XXXVI, 8; *Deut.* II, 12 cum *Gen.* XIV, 6, XXXVI, 20; *Deut.* X, 22 cum *Gen.* XLVI, 27; *Deut.* XXVI, 5 cum *Gen.* XXXI, XLVI, 4, 5; *Deut.* XXIX, 23 cum *Gen.* XIX, 24. Geneseos librum esse ejusdem, qui reliquos Pentateuchi libros scripsit, auctoris opus, pluribus argumentis probavit Hasse in *den Entdeckungen der ältesten Erd- und Menschengeschichte*, P. II, p. 198 seqq.

(2) « Non modo mundum creatum docet, quod videntur etiam credidisse vicini; sed etiam quot fuissent ætates ab initio mundi ad sua tempora ostendit; singulasque *personas generatas* enumeravit, ut ingenti illi numero ætatum, qui ab Ægyptiis jactabatur, et in sua quidem regione fuisse dicebatur, verum opponeret. Auctor enim est Herodotus, lib. II, cap. CXL, 2 seqq., Ægyptios prodidisse, postquam Dii cessassent in Ægypto regnare, ad suum ævum fuisse quinque et trecentos quadraginta ætates, quibus fiunt decies mille quadringinti septuaginta tres anni. At ostendit Moses, *Gen.* X, 6, post diluvium demum a Chami posteris, e Babylonia illuc profectis, fuisse cultam Ægyptum..... Multa jactabant Ægyptii de rerum omnium apud se inventione, quæ apud Diodorum, lib. I, leguntur. Quorum pleraque obiter confutat Moses, alia plane narratione aliisque rerum inventoribus indicatis. » Clericus in Dissertat. *de Scriptore Pentateuchi*, Commentario suo præmissa, § VII, 4.

(3) Ex iis, potissimum e sæpius redeunte תולדות, *generationes*, initio novæ particulæ, colligit Vitringa, *Observation. Sacr. S.*, lib. I, Dissert. I, cap. IV, § 4 seqq., librum Geneseos a Mose esse compositum ex variis fragmentis et monumentis Patriarcharum; « quæ Patriarcharum ὑπομνήματα Moses cum suis inscriptionibus maluerit ad posteritatem transmittere, quam integram ex iis continuæ seriei contexere historiam. »

in aliis continuis libri partibus nomine *Jehovah*, in aliis *Elohim* illud nuncupatur, et singulis quidem laciniis, in quibus alterutrum illorum nominum usurpatur, certas loquendi formulas atque dictiones proprias et peculiares esse observarunt. Illa vero antiqua scripta Mosen plane intacta servata, ne verbo quidem uno aut altero mutato vel de suo addito, inter se conjunxisse volunt, ita ut diligenter observatis istis variorum monumentorum notis definiri possit, cujusnam eorum sint singulæ libri particulæ, singuli adeo versus. Quot autem fuerint veteres commentarii, e quibus contextus sit Geneseos liber, viri docti, qui ita statuunt, ipsi inter se dissentiunt. Nam qui primus illum, quo liber compositus sit, modum detexisse sibi visus est, Astruc (1), *duodecim* tam majoribus quam minoribus scriptis Mosen usum fuisse ostendere statuit; Eichhorn (2), e *duobus* potissimum, quibus tamen hic illic alia quædam inserta sint; Ilgen vero (3) e *tribus* antiquioribus monumentis librum Geneseos contextum arbitratur. Quæ ipsa opinionum de hac re diversitas arguere videtur, minime satis certas tutasque esse notas illas, quibus singula monumenta discerni posse existimant viri illi docti (*a*). *Repetitiones* quidem quod attinet, quas dicunt indicia esse variorum, e quibus liber haustus sit, fontium, minime illæ quod volunt probant, quum aliæ meræ sint styli et sermonis variationes, aliæ nimio perspicuitatis studio scriptoris usu nondum satis subacti sint tribuendæ (4), aliæ vero necessariæ essent ad juvandam lectoris memoriam, postquam narrationis filum abruptum fuerit inserta alienæ alicujus rei commemoratione (5), aliæ denique ne recte quidem habeantur iteratæ earumdem rerum narrationes (6). *Inscriptiones* autem, quæ variis libri partibus præfixæ reperiuntur (ut cap. II, 4; V, 1; VI, 9), minime probant esse eas diversorum scriptorum lacinias, sed præmissas patet ab eo, qui integrum librum conscripsit, eo consilio, ut singulorum ejus capitum argumenta indicaret. Neque certius denique diversa, e quibus compositus liber, fragmenta explorandi et discernendi adjumentum præbet alternans nominum *Jehovah* et *Elohim* usus, quum is in cæteris omnibus Vet. Test. libris observetur, neque tamen inde quis colligat esse libros illos e variis variorum scriptorum laciniis consutos (7), aut illorum nominum ope varias istas partes invicem discerni singulasque suis auctoribus restitui posse statuat. Quam incertum diversorum fragmentorum argumentum sit illorum Dei nominum vicissitudo, inde patet, quod ea nec sibi constans observatur. Ita in ea,

(*a*) Si in qua alia, tum maxime in pericopa *Gen.* VI-IX, qua diluvii narratio continetur, deprehendi indicia duorum, ex quibus illa coagmentata sit, monumentorum, statuunt plerique recentiorum post Astrucium, v. g. Ilgen, Eichhorn, Gatterer, Kelle: alternantem videlicet nominum Dei, *Elohim* et *Jehova*, usum, frequentes earumdem rerum repetitas commemorationes, et certas loquendi formulas, quæ alterutri illorum scriptorum sint propriæ, satis illud arguere, earumque notarum ope, quæ cujusque illorum sint, discerni posse arbitrantur. Sed quam parum certi duces sint illæ notæ ad discernenda duo, e quibus hanc pericopam compositam esse volunt, monumenta, illud ostendit, quod auctores præfati in secernendi negotio, quod susceperunt, mirum quantum inter se discrepent. Sæpe enim quæ unus assignat veteri monumento ei, in quo nomen *Elohim* usurpatur, eadem alter tribuit alteri monumento, cujus auctor nomine *Jehova* uti solet, et contra. Est præterea aliud, quod omne illud, quod viri illi sumunt de duobus monumentis in hac pericopa inter se junctis, suspectum facit. Aut enim Geneseos scriptor illa monumenta integra invicem coagmentavit, aut ex utroque nonnulla duntaxat selegit, quæ inter se conjunxerit. Hoc si sumas, mirum erit, cur non repetitiones et ἐναντιοφανείας omiserit; illud vero, apparebit in utroque monumento seorsim sumpto narratio manca et hiulca, quod cuique rem diligenter inquirenti patebit.

(1) In libro, cui hunc titulum fecit, *Conjectures sur les mémoires originaux, dont il paraît que Moyse s'est servi pour composer le livre de la Genèse, avec des remarques qui appuient, ou qui éclaircissent ces conjectures.* Brux. 1753.

(2) *Einleit. in das A. T.* P. II, p. 274 seqq. edit. tert. Cf. J. F. G. Moelleri Commentationem, quæ sic inscribitur, *Ueber die Verschiedenheit des styls in den beyden Haupturkunden der Genesis in gewissen Stellen*, Goett. 1792.

(3) Ejus liber hanc gerit epigraphen, *die Urkunden des ersten Buchs von Moses in ihrer Urgestalt*, etc. Hal. 1798.

(4) Quales sunt pleræque in narratione de eluvione Noachica, *Gen.* VI-IX. Aliæ pro meris dictionis variationibus sunt reputandæ.

(5) Ita postquam cap. XXXVII, 36, Josephum esse in Ægyptum adductum et Putiphari venditum dixerit, inserit cap. XXXVIII narrationem de Juda et Thamare; qua finita initio cap. XXXIX in Josephi historia perrecturus præmittit: « Josephus itaque (uti diximus) in Ægyptum abductus erat. » Quod tantum abest, ut diversos scriptores arguat, ut potius probet, qui caput XXXVII scripsit, eumdem et quæ deinceps exstant scripsisse. Neque magis quod Noachi filii cap. V-X quater commemorantur, diversorum scriptorum fragmenta arguit. Nam prima vice, cap. V, 32, comparent in tabula genealogica integra inserta; secunda vice, VI, 9, a scriptore ipso initio novæ narrationis indicantur; tertia vice, IX, 18, repetit illa post interjecta quæ IX, 1-17 continentur, juvandæ lectoris memoriæ causa; quarta denique vice, X, 1, initio tabulæ ethnographicæ repetere illa necesse fuisse, cuique legenti patet.

(6) Quo pertinent plures repetitæ Abrahamo, Isaaco et Jacobo factæ promissiones de eorum posteris mirum in modum augendis, atque terræ Chananææ possessoribus futuris. — Cf. Ewaldi *die Composition der Genesis*, Braunshweig 1823.

(7) Ita cum *Jon.* IV, 1-4 nomen *Jehova*, vers. 6 *Jehova-Elohim*, vers. 7-9 *Elohim*, et vers. 10 iterum *Jehova* usurpatur, nemo inde colligat, caput quartum e tribus diversis scriptis compilatum esse.

quæ inde a capitis II versu 3 usque ad finem capitis III decurrit narratione, in qua de Deo fere nomen compositum *Jehovah-Elohim* usurpari solet, ter tamen (III, 2—5) comparet solum nomen *Elohim*. In alia narratione continua, de somnio Jacobi de scala cœlesti illiusque voto (XXVIII, 19 seqq.) nomina *Jehovah* et *Elohim* ita promiscue usurpantur, ut singuli versus, in quibus alterutrum horum nominum occurrit, nonnisi violenter divelli, atque duobus, e quibus desumpti sint, scriptis, tribui possint (*a*). Neque enim prudenti scriptori facile in mentem venerit, plurium librorum lacinias et centones tam operose, quam viri illi docti volunt, in unum aliquod opus historicum consarcinare, ne sublatis quidem repetitionibus, aut quas deprehendere visi sunt, diversarum inter se narrationum repugnantiis. Parum præterea credibile est, exstitisse ante conscriptum Geneseos librum aliquot ejusdem argumenti scripta, in quibus singulis illa Dei nomina usurpata fuerint (1).

Bertholdtus, *Historisch-Krit. Einleit. in das A. und N. Test.* P. III, § 239, primitus eam tantum primi hujus libri partem exstitisse putat, quæ cap. V-XXXIII continetur, eamque e pluribus antiquioribus monumentis a Mose compositam esse eo consilio, ut promissionibus, quæ in illis Hebræorum majoribus factæ leguntur, doceret, Hebræos optimo suo jure terram Cananæam occupasse, hunc que suum librum apposuisse Mosen arcæ sacræ, in qua tabulæ legum custodiebantur. Reliqua, quæ primis quatuor libri capitibus, uti quæ inde a cap. XXXIV usque ad finem leguntur, primo illi libro Mosaico post Mosen quidem, attamen ante Samuelis tempora adjecta fuisse, præter Jacobi carmen fatidicum, cap. XLIX, quod ab iis demum, qui Saulo regnante Pentateuchum in ordinem redegerint, additum fuerit. Verum enim vero et illa, quæ Vir doctissimus Mosi adjudicat, necessario iis, quæ in libris quatuor posterioribus traduntur, a Mose præmittenda fuisse, observavimus supra § II.

Geneseos librum, qualem nunc habemus, ita ortum esse, ut Mosaicis juncta et inserta essent plura Samuelis tempore in scholis Prophetarum a sacerdotibus familiæ Ithamaris procusa additamenta et imitamenta, statuit Kelle (2), qui et plurimum operæ et studii in eo consumpsit, ut quæ priscis illis Mosaicis monumentis adsuta atque inserta essent, secerneret, et sic genuinam libri

(*a*) Nemo Astruci et Ilgenii sententiam de Geneseos auctoribus e vicissitudine nominum *Jehova* et *Elohim* discernendis, acrius et copiosius oppugnavit, quam Hartmann, *Historisch-kritische Forschungen*, etc. p. 116-169. Juxta Hartmannum, indiscriminatim usurpantur nomina illa, nec aliam ob causam variantur, nisi forsan aliquando ut polytheismi opinio, quam nomen *Elohim* præ se fert, usu nominis *Jehova* præcaveatur. Sed authentiæ defensorum plerique hunc horum nominum alternantem usum ex varia utriusque nominis significatione repetunt, ita ut Moses nunc *Elohim*, nunc *Jehova* usurpet, non indiscriminatim et pro lubitu, sed prout postulat res et, quod intendit, consilium. Alii tamen aliter id explicant. *a*) Sack in speciali Commentatione *De usu nominum Elohim et Jehova in libro Geneseos*, Bonnæ 1821, ait, nomine *Elohim*, ut indicat pluralis forma, *plenitudinem divinitatis in genere*, seu ens infinitum, omnipotens, incomprehensibile, a quo omnia entia finita et visibilia ducunt originem, et, ut verbo dicam, Dei cum natura non revelatam, sed quasi visibilem relationem, designari: *Jehova* autem Deum dici, quatenus ut unicus, verus et omnipotens hominibus revelatur; vel brevius, nomen *Elohim* designat divinitatem in genere, nomen *Jehova* strictius significat Deum quatenus per apparitiones et collocutiones certis quibusdam hominibus se manifestat. Idem, *Christliche Apologetick*, Hamburg. 1829, p. 157 : « *Elohim* divinitatis generalem per naturam operationem, *Jehova* ejus ens et velle hominibus revelatum designat. Quod discrimen in religioso hominum sensu fundamentum habet, imo in recentioribus linguis reperitur, *Gott der Her, Dieu le Seigneur, God the Lord*; nec scriptorum varietati est adscribendum. Quum enim ante scribendi inventam artem nomen *Jehova* jam notum esset, appellationem ita Israelitis gratam a scriptore Israelita tam parce usurpatam fuisse, quis credat? » *b*) Welte *Nachmosaisches*, etc. p. 85 seqq., censet, non modo in Genesi, sed etiam in Veteris Testamenti cæteris libris, juxta Hebræorum loquendi morem, nomine *Elohim* Deum vocari quando intenditur in genere, nulloque vel neglecto ad theocratiam respectu, alias Jehovam nominari. *c*) Delitzsch vocem *Elohim* deducit ex hebr. אלה, arab. *aliha*, id est *timuit*, ut *Elohim* sit ὁ *Terribilis*; *Jehova* vero e rad. הוה, φῦναι, *fieri*, *esse* oritur, itaque Dei essentiale attributum, scil. τὸ *ens*, exprimit. Nostram opinionem quod attinet, cum doctissimis illis viris in eo consentimus, quod nominibus *Elohim* et *Jehova* vera sensus discrepantia insit, variumque Dei attributum ita singulis designetur, ut unum usurpetur præ altera prout postulat res et, quod intendit scriptor, consilium. Illud ex eo etiam confirmatur, quod in Psalmis quoque eorumdem nominum consultus et prudens usus, minime vero fortuitus, factus fuisse videatur, ita ut hodierni interpretes ex hac sola divinorum nominum nota Psalmos in certas classes distribuere potuerint. Quænam autem sit utriusque divini nominis propria notio, unde ejusdem usus repeti debeat, res est nondum satis explorata nec constans inter omnes.

(1) Omnem illam sententiam de Geneseos libro e variis diversorum monumentis ita consuto, ut singula eorum verba retenta et inter se conjuncta fuerint, Ilgenianam præsertim de hac re sententi m, diligenter examinavit, momentisque suis singulis ponderavit J. G. Hasse in *den Entdeckungen im Felde der ältesten Erd- u. Menschengesch.* P. II, p. 196 seqq. Refutavit quoque illam Vater in Disquisitione *de Mose et auctoribus Pentateuchi*, ad calcem Commentarii ipsius.

(2) In libro quem inscripsit, *Die heilig. Schriften in ihrer Urgestalt*, tom. II, lib. I. In quo opere retractavit, quæ de libro Geneseos prius scripserat in *der Vorurtheilsfreien Würdigung der Mosaisch. Schriften*, etc. Freyb. 1812.

partem in pristinam suam integritatem restitueret. Verum uti omne illud, quod nobis Vir doctissimus narrat de simultate inter utramque familiam sacerdotalem, Eleazaricam et Ithamaricam, quarum prior genuina Mosaica scripta penes se servasset, altera autem, quæ Silunte sedem habuisset, æmulatione incitata, Mosaicis similia in Prophetarum scholis finxisset, nullo solido argumento nititur (1); ita et alterum, quod sumit, fuisse in nostro Geneseos libro genuinis Mosaicis ea quæ a sacerdotibus familiæ Ithamaricæ illis similia procusa essent, iisque haud raro repugnantia, Davidis jussu eo consilio juncta, ut simultas ista tolleretur, et utraque familia inter se conciliaretur, tale est, quod nonnisi ei, qui hæc excogitavit, verisimile videri possit. Argumenta porro, quibus alia Mosi vindicat, alia serius addita probare studet, infirma sunt et pro lubitu adscita (2). Sejunctis denique illis, quæ Viri doctissimi opinione recentiora sunt, ab iis, quæ vere Mosaica judicat, ita luxata comparent omnia et lacera, ut mirum sit, posse talia auctori probabilia videri *.

* Cui tamen sententiæ recentius Tuch et de Bohlen calculum suum adjecerunt. Juxta eos, Genesis (sicut et Pentateuchus in genere) ex monumentis auctoris *Elohistæ*, ut aiunt, primitus constabat; deinde compilator quidam Jehovista eam refinxit, et fragmentis *Jehovistis* auxit. Sed falsa est, cujus fundamento nituntur præfati auctores, opinio, auctoris scilicet Elohistæ capita, exclusis Jehovistæ capitibus, opus bene ordinatum et sine rima conformatum efformare, non item Jehovistæ auctoris fragmenta, seclusis Elohistæ. Nam si ex Genesi, qualis nunc exstat, primum Protoparentum peccatum, eaque quæ inde secuta sunt, ab auctore Jehovista conscripta, tanquam recentius additamentum recidas, reliqua libri pars luxata, nec satis connexa facile apparebit. Primarius enim Geneseos auctor Elohista (ex hypothesi) historicam theocratiæ præparationem tradere intendit; atque tamen rem, quæ theocratiæ instituendæ causa fuit, et sine qua theocratiæ neque origo, neque finis, neque effectus intelligi nequeunt, memorare omisisset! Et vero nonne mirum omnibus videretur, ab Elohista auctore, postquam hominem recens creatum, bonum rectumque descripsisset, statim et quasi ex abrupto terras sceleribus omnisque generis corruptione inquinatas describi?

(1) Nam loca I *Sam.* II, 31 seqq., I *Reg.* II, 27, I *Chron.* XXV (al. XXIV), 3 seqq., e quibus colligit, adversarias sibi fuisse illas familias, nihil de earum simultate dicunt. Quid? quod ne certum quidam sit, Eleazarem illum, Abinadabi filium, cui ex I *Sam.* VII, 1, arca fœderis Gibeæ custodienda tradita fuit, quemque Kelle sacerdotem familiæ Eleazaricæ facit, omnino sacerdotem fuisse.

(2) Ut cum descriptionem situs Paradisi, cap. II, 10-14, serius insertam esse pronuntiat, nullo alio argumento ductus, quam quod narrationis filum ea interrumpi sibi videtur; aut cum in tabulis genealogicis, cap. V et XI, 11-32, notas omnes annorum quot vixerint Patriarchæ tanquam supposititias censet ideo, quod illæ in textu Hebræo, Samaritano et Græco Alexandrini interpretis inter se diversæ sunt.

PROŒMIUM.

De sex dierum opificio veteres theologi qui Petri Lombardi vel S. Thomæ Aquinatis methodum sequebantur, satis fuse agere consueverunt, persequentes, non sine ingenii et diligentiæ laude, quæstiones eas quæ ex historia mosaica (I et II Geneseos capite) sua veluti sponte exoriuntur. Verum non aliter hæc pertractare poterant, nisi uti illa ferebant tempora et status naturalium scientiarum valde imperfectus. Recentiores autem theologi qui summam aliquam et quasi curriculum sacræ doctrinæ tradiderunt, vel de hisce quæstionibus omnino tacent, utpote qui de dogmate tantum adstruendo solliciti sunt, vel de Deo creatore loquentes, generatim tantum de creatione et de mosaica creationis historia, non vero, ut veteres illi, de singulis ejus partibus disserunt.

Cum tamen hæc tractatio non parvi momenti mihi esse videatur, quumque inimicorum objectiones et naturalium incrementa scientiarum effecerint, ut divinam creationis historiam sine maxima fortasse difficultate, et minus imperfecte exponere, et validius ab adversariorum telis vindicare præsenti tempore possimus; utile fore existimavi, si brevis de sex dierum opificio tractatus conficeretur, qui prælectionum sive cursuum theologicorum veluti appendix quædam haberi posset.

Hunc ego conscribere ausus sum in usum paucorum theologiæ auditorum, dum Georgiopoli in America degerem, quæ urbs est Baltimorensis archidiœceceos et in illa Marilandiæ parte sita, quæ modo, a cætera regione veluti separata, *districtus Columbiæ* vulgo appellatur. Hunc ipsum modo typis committo, confidens, eum non inutilem theologiæ studiosis juvenibus futurum. Quod si vitam Deus viresque concesserit, ampliorem adhuc de sex dierum opificio tractationem pervulgare mihi mens est; ut ostendam et naturales scientias, et profanas quorumdam populorum traditiones, et divinas litteras ad easdem conclusiones cosmogonicas nos adducere.

Veniam peto scriptis, *quorum non gloria nobis caussa, sed utilitas officiumque fuit.* Ab homine latinæ scriptioni non assueto nemo, ut puto, elegantiam exquisitiorem sermonis expectat. Nemo mirabitur si non modo multa minus ornate, sed etiam quædam minus latine dixero. Istæ laudes ab illis jure exigantur, qui eas assequi et possunt et volunt : me autem neque posse, ego ipse ingenue fateor, neque voluisse, oratio ipsa declarabit.

IN

HISTORIAM CREATIONIS MOSAICAM

COMMENTATIO,

AUCTORE JOANNE BAPTISTA PIANCIANI, SOC. JES.

Editio nova, ab auctore recognita, emendata et aucta.

Quam pulchrum est in principiis, in origine rerum
defixisse oculos et nobile mentis acumen!
Pervolat huc sapiens. (POLIGNAC, *Anti-Lucret.*)

I. S. Thomas, *Summ.* part. I, *Quæst.* LXVI et seq., aliique e schola theologi commentarium theologicum, sive theologico-philosophicum in cap. I *Geneseos* tradere consueverunt. Id commodius et utilius nostro ævo mihi videtur fieri posse, et id præstandum aggredior. Ac primo integrum illud caput exponendum puto, non ut legitur in optima vulgata versione quam hic describere supervacaneum esset, cum omnium manibus teratur, sed pressius hebraico textui inhærendo. Verbum verbo curabo reddere fidus interpres.

1. In principio creavit Deus cœlum (sive *cœlos*, ita alibi) et terram.

2. Et erat terra deserta et vacua (seu *informis*, ἄμορφος *confusa, invisibilis*) et tenebræ (obscuritas, ital. *tenebra, tenebria*), super faciem abyssi, et spiritus Dei movens super faciem aquarum.

3. Et dixit Deus: sit lux (vel *ignis*), et lux fuit. (Melius ital. *sia luce, e luce fu.*)

4. Et vidit Deus lucem quod (esset) bona, et divisit Deus inter lucem, et inter tenebras.

5. Et appellavit Deus lucem *diem*, et tenebras *noctem*. Et fuit vespera, et fuit mane, dies unus.

6. Et dixit Deus: sit extensio (seu *firmamentum*, ita alibi) in medio aquarum, et sit separans inter aquas et aquas.

7. Et fecit Deus extensionem, et separavit (seu *separari fecit*) inter aquas quæ sunt sub extensione, et inter aquas quæ sunt super extensionem. Et ita fuit.

8. Et vocavit Deus extensionem *cœlum*. Et fuit vespera, et fuit mane, dies secundus.

9. Et dixit Deus: congregentur aquæ (quæ sunt) sub cœlo in unum locum, et appareat siccum. Et ita fuit.

10. Et vocavit Deus siccum *terram*, et congregationes aquarum *maria*. Et vidit Deus quod (esset) bonum.

11. Et dixit Deus: germinet (pressius ad litteram, *herbescat*) terra herbam parvam, herbam facientem semen, et arborem fructiferam facientem fructum juxta speciem suam, cujus semen sit in ipsa super terram. Et ita fuit.

12. Et produxit terra herbam parvam, herbam facientem semen juxta suam speciem, et arborem facientem fructum, cujus semen est in ipsa, juxta suam speciem. Et vidit Deus quod (esset) bonum.

13. Et fuit vespera, et fuit mane, dies tertius.

14. Et dixit Deus: sint luminaria in extensione cœli, ut dividant inter diem et inter noctem, et sint in signa, et tempora, et dies, et annos.

15. Et sint ut luminaria in extensione cœli, ut illuminent super terram. Et ita fuit.

16. Et fecit Deus duo magna luminaria, luminare majus ut præesset diei, et luminare minus (vel *parvum*) ut præesset nocti, et stellas.

17. Et posuit ea in extensione cœli, ut illuminarent terram.

18. Et ut præessent die ac nocte, et ut separarent inter lucem et inter tenebras. Et vidit Deus quod (esset) bonum.

19. Et fuit vespera, et fuit mane, dies quartus.

20. Et dixit Deus: aquæ producant copiose reptilia (vel *scateant aquæ reptilibus*, vox hebræa significat *pisces et reptilia aquatilia*) animalia viventia; et volet volatile super faciem extensionis cœli. (Vulg. *sub firmamento cœli.*)

21. Et creavit Deus cete grandia (*magna aquatilia*) et omne animal vivens, repens, quæ (animalia) aquæ produxerunt copiose juxta speciem suam, et omne volatile alatum juxta speciem suam. Et vidit Deus quod (esset) bonum.

22. Et benedixit eis Deus, dicens: generate filios et multiplicamini, et replete aquas maris, et volatile multiplicetur super terram.

23. Et fuit vespera, et fuit mane, dies quintus.

24. Et dixit Deus: producat terra animalia vi-

ventia secundum suam speciem, jumentum (vel *cicures animantes*, vel *animalia herbivora*), et reptile, et feram terræ secundum suam speciem. Et ita fuit.

25. Et fecit Deus feram terræ juxta suam speciem, et jumentum juxta suam speciem, et omne reptile terræ juxta suam speciem. Et vidit Deus quod (esset) bonum.

26. Et dixit Deus : Faciamus hominem ad nostram imaginem, secundum similitudinem nostram, et dominetur piscibus maris, et volatili cœli, et quadrupedi terræ, et omni terræ, et omni reptili super terram.

27. Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei eum creavit, masculum et feminam.

28. Et benedixit illis Deus, et dixit illis Deus : generate filios, et multiplicamini, et replete terram, et subjicite eam, et dominamini piscibus maris, et volatili cœli, et universæ bestiæ moventi se super terram.

29. Et dixit Deus : Ecce dedi vobis omnem herbam producentem semen, quæ (est) in superficie universæ terræ, et omnem arborem in qua (est) fructus arboris continens semen, vobis erit in escam.

30. Et omni bestiæ terræ, et omni volatili cœli, et omni repenti super terram in quo (est) anima vivens, omnis herba virens in escam. Et ita fuit.

31. Et vidit Deus omne quod fecerat, et ecce (erat) bonum valde. Et fuit vespera, et fuit mane, dies sextus.

DE HEXAEMERONE MOSAICO GENERATIM.

II. Antequam ad textus expositionem accedam, nonnulla præmittenda existimo. Et primo referam prudentissimam sententiam P. Pererii S. J., qui Genesim doctis sane et laboriosis, atque, ut ea ferebant tempora, optimis commentariis illustravit : « Illud diligenter cavendum, et omnino fugiendum est, ne in tractanda Mosis doctrina, quidquam affirmative et asseveranter sentiamus et dicamus, quod repugnet manifestis experimentis et rationibus philosophiæ vel aliarum disciplinarum. Nam, cum verum omne semper cum vero congruat, non potest veritas sacrarum litterarum veris rationibus et experimentis humanarum doctrinarum esse contraria. » Idipsum Augustinus docuerat his verbis : « Si manifestæ certæque rationi velut sacrarum litterarum objicitur auctoritas, non intelligit qui hoc facit, et non Scripturæ sensum (ad quem penetrare non potuit), sed suum potius objicit veritati; nec id quod in ea, sed id quod in se ipse velut pro ea invenit, opponit, » epist. 8 *ad Marcellin.* Plura in eamdem sententiam habet in libris *De Genes. ad litt.* Unum aut alterum afferam. « Hoc indubitanter tenendum est, ut quidquid sapientes hujus mundi de natura rerum veraciter demonstrare potuerint, ostendamus nostris libris non esse contrarium; quidquid autem alii in suis voluminibus contrarium sacris litteris docent, sine ulla dubitatione credamus id falsissimum esse, et, quomodo possumus, etiam ostendamus; atque ita teneamus fidem Domini nostri, in quo sunt absconditi omnes thesauri sapientiæ, ut neque falsæ philosophiæ loquacitate seducamur, neque simulatæ religionis superstitione terreamur, » libro I, cap. XXI. « Sed, ait aliquis, quomodo non est contrarium iis qui figuram sphæræ cœlo tribuunt, quod scriptum est in libris nostris : *Qui extendit cœlum sicut pellem?* Sit sane contrarium, si falsum est quod illi dicunt : hoc enim verum est quod divina dicit auctoritas potius quam illud quod humana infirmitas conjicit; sed si forte illud talibus illi documentis probare potuerint, ut dubitari inde non debeat, demonstrandum est, hoc quod apud Nostros est de pelle dictum, veris illis rationibus non esse contrarium, » lib. II, cap. IX. Vide et lib. I, cap. XIII, 19; lib. II, prop. fin. Similia habet non uno in loco S. Thomas (1).

III. In hujus capitis expositione præcipuus meus scopus est, ut demonstrem, nullam e scientiis naturalibus contra Mosis narrationem solidam objectionem consurgere, quinimo spero me ostensurum, quædam a Mose narrata, accurate scientiis naturalibus congruere, et veritates per multa sæcula post Mosen hominibus ignoratas, indicare : ut non infirmum inde pro divina illius historiæ revelatione argumentum exsurgat. Ut hoc commode fiat, ante omnia tollendam de medio puto difficultatem, quæ ultro sese offert, quæque nostrum commentarium turbaret.

Chronologia mosaica opponi videtur doctrinæ recentiorum geologorum multis et accuratis observationibus suffultæ; nam temporis intercapedo, quam inter mundi creationem et conditum hominem isti ponunt longissimam, nimis a Mose videtur contrahi.

Animadverto in primis, doctiores modo profiteri, non aliam a Mose veram et proprie dictam chronologiam proponi, præter eam, quæ sola non parvi momenti est, quæque ad terram supremo jam opere perfectam, adeoque ad homines pertinet; nec accuratam chronologiam belluarum, stirpium, aut montium divinum scriptorem texere voluisse.

Deinde animadverto, duplicem esse viam huic et similibus difficultatibus satisfaciendi. Prima esset, negare positionem geologorum, eamque falsam aut saltem parum probabilem ostendere; quam viam non pauci inierunt, sed exitu, ut puto, non valde felici. Difficultates enim validissimæ occurrerunt quæ, non in hypothesi aliqua aut systemate, sed in factis, et copiosis, et diligenter observatis, fundantur. Præterea oporteret multa de profanis scientiis et præsertim de histo-

(1) *Summa*, I part., Quæst. LXVIII, art. 1; et *Opusc.* X

ria naturali theologum nosse, quantum, in homine aliis studiis distento addictoque sanctiori ministerio, vix sperare licet. Nec si quis ex hujusmodi hominibus hanc spartam adornandam susciperet, facile, uti arbitror, a multis theologiæ studiosis intelligeretur. Tandem dum laboriose refellere studet theologus objectiones ex observationibus petitas, ecce novæ ex aliis observationibus objectiones exsurgunt, quibus, quum ignotæ essent, ipse respondere non potuit, adeoque vix non oleum et operam perdidisset.

Aliam modo video prudentiores et doctiores theologos et religionis defensores inire viam, quæ et commodior est, et a molesta cura perscrutandi terrestrem corticem, et inquirendi in formationem lapidum et montium, in fossilia regnorum organicorum, in conchas, in ossa deperditorum animalium, et in alia pene innumera quæ ad scientias naturales pertinent, theologum liberat. Dicunt hi, nullo modo longitudinem quamcumque temporis contrariam esse Mosis historiæ, cum hic de tempore a creatione cœli et terræ usque ad Adami creationem nihil omnino definiat. Ita isti, quin ulterius geologorum placita et rationum momenta excutiant, longas temporis periodos quas illi expostulant cum sacro textu conciliant. Hujusmodi autem conciliatio triplici ratione fieri potest.

IV. Sed antequam has conciliationis vias ostendam, illud mihi liceat præmittere, quod si ad veritatem sacrarum litterarum cum naturali veritate conciliandam necesse haberemus aliquot textus et verba Mosis nove quidem, sed non absurde interpretari, cum hic non agatur de fide aut de moribus, sed de chronologia, cum antiqui Patres in horum verborum et locorum interpretatione non conveniant, nova illa interpretatio non esset rejicienda. Naturalium enim rerum cognitio in dies crescens, facit aliquando ut sensum quorumdam locorum e profanis scriptoribus melius assequamur : ergo multo magis aliquid lucis verbo Dei, quando hoc de creaturis agit, potest illa adjicere. Dixi, *multo magis* : quia si dicta profanorum antiquorum, quibus minus nota erat natura, recentiori aliquando scientia indigent ut intelligantur, quanto magis verba illius qui in immensum vincit scientiam nostram! Ecclesia semper in quæstionibus chronologicis libertatem concessit opinionum; licet quæstiones de homine et de Domini nostri Jesu Christi progenitoribus, majoris profecto momenti essent, quam illæ quæ de chronologia plantarum et belluarum occupantur. Accipe ejus rei exemplum. Juxta Geneseos textum hebraicum, et Vulgatam qua utitur Romana Ecclesia, ab Adamo ad æram usque christianam, quadraginta circiter sæcula intercedunt. Natalis Alexander ponit 4000 annos accurate; Bellarminus et Petavius 3981; Sixtus Senensis et alii 3960; A Lapide 3953; Scaliger 3950; S. Hieronymus in *Quæst. Hebr.* 3941. Ecclesia has aliasque opiniones pariter tolerat; at in Martyrologio romano, ubi Dominica nativitas enuntiatur, sequens versionem græcam Septuaginta Interpretum, 5199 annos fuisse cum Eusebio commemorat. At nec qui Septuaginta sequuntur Interpretes inter se conveniunt, nam ex. gr. Clemens Alexandrinus ponit 5624 annos, et S. Julianus episcopus Toletanus (sæcul. VII) 6011.

V. Jam in re nostra fortasse opus non est, ut ad novas et omnino inauditas locorum et verborum explicationes confugiamus; animadversiones enim jam notatæ ab interpretibus sufficiunt. Venio nunc ad primum ex tribus conciliationis modis.

Qui hunc sequuntur, ponunt longas periodos geologicas post creationem cœli et terræ, quæ versu 1 indicatur, et ante ortum lucis, quod opus fuit primæ diei. Revera quod primis duobus versibus, aut certe quod in primo legimus, præcedit dies in quibus audimus divina verba : *Sit lux*, etc. « Fecisti ante omnem diem cœlum et terram, » ait Augustinus (1). Et Venerabilis Beda : « Duas res ante omnem diem et ante omne tempus condidit Deus, angelicam videlicet creaturam et materiam informem, » *De Gen.* cap. I. Petrus Lombardus docet, « in principio Deum creasse cœlum, i. e. angelos, et terram, scilicet materiam elementorum adhuc confusam et informem, et quæ a Græcis dicta est chaos, et hoc fuit ante omnem diem, » II *Sent.* dist. XII. Superfluum foret testimonia addere in eamdem sententiam ex SS. Ambrosio, Basilio, Bonaventura, Theodoreto, Alberto Magno (2) et aliis. Statuere igitur possumus, terram fuisse ante primam diem, qualis exhibetur vers. 2, videlicet erat *inanis, et vacua*, etc. Inter creationem et primam diem breve fuisse tempus putat Pererius : at brevius viginti quatuor horis fuisse, dicere non audet. Prudenter quidem, sed prudentius Petavius de tempore ante primam diem scribit, « quod intervallum quantum fuerit nulla divinatio potest assequi, » *De Oper. sex dier.* lib. I, cap. 18, § 6. Intervallum illud valde longum putavit Gennadius Massiliensis (seu auctor libri *De Eccles. dogmatibus*) infra citandus.

Legitur quidem in *Exodo* : « Sex diebus fecit Dominus cœlum et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt, » cap. XX, vers. 11, et cap. XXXI, vers. 17. Verum hic sermo est de sex dierum opificio, non de prima creatione, aut de tempore inter hanc et illud interposito. Locum illum interpretari hoc modo possumus : « Sex diebus Dominus fecit (ex materia antea ab ipso creata), vel « complevit, » aut « perfecit cœlum et terram, » etc. His enim respondet hebraice עָשָׂה quod verbum ideam creationis ex nihilo, non includit, nec vetat credere, creationem hanc, tempore aliquo quoad nos indeterminato, sex illos dies præcessisse. Patroni sententiæ, de qua loquor, putant, hoc tempus

(1) *Confession.*

(2) *Summa*, part. II, Tract. XI, Quæst. XLV,

valde diuturnum fuisse, et tunc cosmologica et geologica phænomena, quæ temporis magna intervalla requirere videntur, evenisse. Nonnulli ex his ponunt, globos seu cœlestia corpora tunc ex creata materia efformata fuisse, immo arbitrantur tellurem ipsam per totum illud tempus luce non caruisse : fuisse tunc *aridam* separatam ab aquis; fuisse plantas et bruta animantia; quorum utraque ad easdem viventium classes quæ nobiscum sunt, et ad eadem sæpe genera pertinebant, non tamen omnino ad easdem cum illis species referri debent. Supponunt quoque, per id tempus plures naturales revolutiones, inundationes, elevationes montium et alia hujusmodi accidisse; de quo tempore, dicunt, Genesis nil homini narrat, quia tempus illud ad hominem non pertinebat. Supponunt tandem, ob maximam quamdam catastrophen omnem vitam in terris periisse, terram aquis coopertam mansisse, «inanem factam et vacuam, et tenebras fuisse super faciem abyssi» illius, fortasse ex densis vaporibus et aliis corpusculis productas; demum incepisse die primo renovationem telluris, quæ hominis creatione consummata est (1).

In hac sententia, quæ ab Ecclesia toleratur, illud est incommodi, quod nimis separatur versus secundus a primo. «Creavit... terram. Terra erat inanis...» Videntur hic res sibi proxime succedentes, et prima terræ facies describi, non vero status ad quem post multa sæcula et plurimas vicissitudines terra reciderit. Duriusculum autem mihi est ponere, lucem fuisse ante Dei vocem : «Sit lux;» stirpes et animalia, antequam Deus diceret : «Germinet terra herbam... scateant aquæ reptilibus.. volet volatile super terram,» etc. Præterea minus verisimile videtur, Deum tellurem creatam, et ita ornatam vitaque plenam, destruxisse, licet mediantibus causis secundis, antequam hominem faceret, qui eum cognoscere ejusque opera contemplari posset. Nec adparet, si dies Mosaicos faciunt 24 horarum, cur Deus mundum illum antiquum qui ante hominem deletus est, tam diuturna molitione, et legibus naturæ operantibus, perfecerit; hunc vero quem nobis concessit, tam cito atque una sua omnipotenti virtute, refecerit. Tamen si quis hoc systema sequendum putat, hoc ipsi licet. Ipse Victorius De Bonald, quanquam geologis theoreticis nimis fortasse infensus, fatetur tamen, tempus inter principium et diem primum, a Mose non determinari, adeoque fas esse, si placeat, cosmologicas vicissitudines, quantum velis diuturnas, in illa temporis intercapedine supponere, et sæcula ad libitum multiplicare, quin aliquid ex hoc detrimenti divina capiat Religio (2).

VI. Secunda ex hypothesibus quas ad Genesim cum geologia conciliandam excogitatas indicavi, diuturnas periodos geologicas post sex mosaicos dies collocandas putat : quam viam aperuit S. Augustinus. Cum S. Doctor dierum illorum explicationem jam secundo tentasset, *De Gen. Contra Man.*, *De Gen. ad lit. imperf.*, cumque de vulgari interpretatione persuaderi non posset, conscripsit, jam Episcopus, libros, quos *De Genesi ad litteram* appellavit, duodecim. In his itaque, ac postea in opere *De Civ. Dei*, lib. X, cap. VII, XXIX, XXX, XXXI, sex dies illos, pro uno eodemque die, aut pro uno momento, accipit; quod autem et vesperam et mane habuisse dicantur, hoc refert ad Angelorum notitiam, qua singula Dei opera primum in Verbo cognoverunt, deinde in operibus ipsis; et cognitionem in Verbo *matutinam*, in ipsis conditis rebus *vespertinam*, nominat. Vide *De Gen. ad lit.* lib. IV, cap. XXVI et seqq. : «Quid ergo opus erat, ait, sex dies tam distincte dispositeque narrari? Quia scilicet ii qui non possunt videre quod dictum est, *creavit omnia simul*, nisi cum eis sermo tardius incedat, ad id quo eos ducit, pervenire non possunt.» Hæc expositio, ut verum fatear, ingeniosa mihi quidem, sed potius allegorica aut mystica, quam litteralis, videtur. Sed nunc hoc maxime advertendum est, Augustinum locis citatis non docuisse, omnia quæ *Gen.* cap. I recensentur, uno die vel momento actu extitisse (quod cum Philone Judæo et Origene alii docuerunt), sed multarum, aut omnium rerum corporearum tunc materiam tantummodo *productam* (quod Basilius, Gregorius Magnus aliique innumeri docent), post sex vero dies illos, in successione temporis *formatam* fuisse. Peculiare Augustino hoc solum est, ut sex dies Mosaicos in unum contrahat. Ejus doctrina ad hæc capita revocatur : *primo*, omnia simul a Deo fuisse producta; *secundo*, cum ipsa ita disponi queant, ut infimum gradum materia elementaris, supremum puri spiritus, occupent, interjectos et medios tum mixta, seu chimica composita, tum corpora physice composita, ut saxa, tum præcipue corpora organica. Hinc quæ ad infimum supremumque gradum spectant, et si quæ alia sunt, quæ naturæ viribus neque nunc producuntur, plene et perfecte tunc fuisse producta; quæ vero interjectis gradibus continentur, et nunc naturæ viribus producuntur, virtute duntaxat et seminaliter seu *causaliter* tunc Dei imperio extitisse. Augustini opinio, semper ab errore immunis habita, pluribus placuit theologis, quos inter Alberto Magno, in II part. *Summ.*

(1) Ita sentit præsertim Dr Buckland Oxoniensis professor nobilisque geologus, et cum eo Dr Chalmers; nec non catholicus professor Parisiensis Desdouits. Adde L. F. Jehan in *Nouveau traité des sciences géologiques*.... 1840. — Guiraud, *Philos. Cathol. de l'Hist.* — De Genoude, Gosselin, Bonnaire et Mansuy. Hanc quoque opinionem cæteris prætulit clarissimus et eruditissimus vir Nicolaus Wiseman, nunc S. R. E. Cardinalis amplissimus et Angliæ Metropolita. His autem omnibus præisse videtur R. Abhhu, apud Mosem Maimonidem, qui ad principium Geneseos adnotabat : « Hinc habemus quod Deus ædificaverit mundos, et illos iterum destruxerit. »

(2) *Moïse et les géologues*, cap. III, p. 55.

Tract. IV, Quæst. XIV, membr. 3, art. 2. S. Thomas, in *Summa*, part. I, Quæst. LXXIV, art. 2, eam reveretur, et nec ipsi, nec vulgari doctrinæ præjudicandum censet. At in opere anteriori, in II *Sent.* dist. XII, art. 2, ita scripserat : « Augustinus vult in ipso creationis principio quasdam res per species suas distinctas fuisse in natura propria, ut elementa, corpora cœlestia et substantias spirituales; alia vero in rationibus seminalibus tantum, ut animalia, plantas et homines (N. B. ego certe minus audebo), quæ omnia postmodum in naturis propriis producta sunt in illo opere, quo, post senarium illorum dierum, Deus naturam prius conditam administrat, de quo opere *Joan.* cap. V, dicitur : *Pater meus usque modo operatur, et ego operor;* nec in distinctione rerum attendendum esse ordinem temporis, sed naturæ et doctrinæ. Naturæ, sicut sonus præcedit cantum natura sed non tempore, et ita quæ naturaliter priora sunt, prius facta memorantur, sicut terra priusquam animalia, et aqua priusquam pisces, et sic de aliis. Doctrinæ vero ordine, sicut patet in docentibus geometriam : quamvis enim partes figuræ sine ordine temporis figuram constituant, tamen geometria docet, constitutionem fieri trahendo lineam post lineam, et hoc fuit exemplum Platonis. Ita etiam et Moses rudem populum de creatione mundi instruens, per partes divisit, quæ simul facta sunt. Ambrosius vero et alii Sancti ponunt ordinem temporis in distinctione rerum servatum, et hæc quidem positio est communior, et magis consona videtur litteræ quantum ad superficiem, sed prior est rationabilior, et magis ab irrisione infidelium S. Scripturam defendens, quod valde observandum docet Augustinus, *sup. Gen.* lib. I, ut sic scripturæ exponantur, quod ab infidelibus non irrideantur; et hæc opinio plus mihi placet. » Obiter animadvertendum est, vidisse Aquinatem vi ingenii, quæ summa in eo fuit, longe ante recentiorum observationes et inventa, non facile Mosaicam creationis historiam ab infidelium irrisionibus omnino defendi, si vulgari intelligentiæ adhæreamus, et illud in primis habuisse persuasum, facilitatem defendendæ ab hujusmodi irrisionibus scripturæ præ oculis habendam a sacro interprete, dum non satis perspicua loca pertractat, nec Ecclesiæ judicio declarata. Videbat fortasse vir acutissimus, facile profanos homines irrisuros historiam Dei nomine expositam, quæ Deum repræsentat omnia immediate operantem et pluries ad opus, ad instar humani artificis, redeuntem, qui cum omnipotentiam suam præclare ostendere posset, si perfecta omnia momento temporis efficeret, cum ostendere quoque posset sapientiam si quæ per simplices ac fœcundas naturæ leges ab ipso constitutas et conservatas perfici poterant, his ipsis legibus perficienda relinqueret, tamen nec omnipotentiam actus sui unitate, nec sapientiam legum suarum actione demonstrat; Deum qui unoquoque die uno aut paucis momentis operatur, deinde per totam diem quiescit, qui confusionem creat et ordinem regnare vult, qui ante ortum animalium lucem nescio quam facit, ut fere statim evanescat aut ad astra fugiat, terramque recens creatam aquis late contegit, ut quamprimum ex illis eam extrahat.

VII. Quid ex his concludimus? *primo,* vulgari interpretationi quæ dies Mosaicos naturales dies, verius civiles viginti quatuor omnino horarum, esse contendit, præeuntibus Augustino et Thoma aliisque multis doctoribus, tuto pede valedicere possumus. Cumque liceat per Ecclesiam breviare dies Mosaicos, eosque in diem unum aut in unum temporis momentum contrahere; licebit pariter, ubi satis valida ratio id suadeat, dies illos longiores ponere. Præterea ex dictis et præsertim ex diligenti lectione operis *De Gen. ad lit.,* præcipue lib. VI, cap. IV, V, VI, VII, apparet, et Augustinum non quamcumque temporis successionem in creationis operibus inficiari (quod sane esset lucem meridiani solis negare), sed putat ille, quæ II *Gen.* vers. 5, narrantur, revera « secundum intervalla temporum » evenisse : quæque et nunc ex creata materia gignuntur, uti semina, stirpes et animalia, in principio rerum facta fuisse tantum *causaliter, invisibiliter, potentialiter, quomodo fiunt futura non facta.* « Causaliter, tunc dictum est, produxisse terram herbam et lignum, id est, producendi accepisse virtutem, » ait lib. V, cap. VI, Vide et lib. VI, cap. VI, et lib. VIII, cap. III. Ita cum commune sal in aqua dissolvimus, et liquidum sinimus libere evaporare, tunc cubicas salis crystallos facimus, sed futuras. Hoc tamen est discriminis, quod crystalli fiant, quanquam de sale, quod solutum manet, nihil amplius cogitemus : fiunt enim ex lege naturæ quæ Dei lex est : contra « Creatoris potentia et omnipotentis atque omnitenentis virtus causa subsistendi est omni creaturæ : quæ virtus ab eis quæ creata sunt regendis si aliquando cessaret, simul et illorum cessarent species, omnisque natura concideret. Neque enim sicut structor ædium cum fabricaverit abscedit, atque, illo cessante et abscedente, stat opus ejus; ita mundus vel ictu oculi stare poterit, si ei Deus regimen sui subtraxerit, » Augustinus, *De Gen. ad lit.* lib. IV, cap. XII. Jam vero ea quæ initio temporum *causaliter* et *invisibiliter* creata fuerant, postea extra suas causas et visibiliter esse cœperunt, non quidem, juxta Augustinum, in illis mysticis diebus qui a nostris omnino diversi sunt, verum « per temporalia spatia, per istos notissimos lucis corporalis dies qui circuitu solis fiunt, » lib. VI, cap. V. Quantum vero temporis illa *temporalia spatia* occupaverint, quot fuerint hi solares dies quibus ad actum processere quæ *potentialiter* antea solummodo fuerant, hoc nemo nobis revelat, adeoque manet nobis tempus istud indeterminatum, quod tantum dilatare unicuique licebit, quantum id ratio faciendum suaserit.

Revera hæc sententia subobscura et involuta

videtur. Scribit Petavius : « Etenim huc et illuc vertant se licet, nihil qui ita sentiunt dicere poterunt Scripturæ narrationi consentaneum et congruens, » *De Oper. sex dier.* lib. V. Ipse Augustinus scripsit : « Quisquis... aliam requirit in illorum dierum enumeratione sententiam, quæ non in prophetia figurate, sed in hac creaturarum conditione proprie meliusque possit intelligi, quærat et divinitus adjutus adinveniat; neque enim ita hanc confirmo, ut aliam, quæ præponenda sit, inveniri non posse contendam, » *De Gen. ad lit.*, lib. VI, XXV; lib. V *Retract.* II, 24.

Nihilominus fixum manet, integrum cuique esse ut cum Augustino opinetur dies illos Mosis longe ab ordinariis diebus fuisse diversos : licere ut voces has *dies*, *vespera* et *mane* aut cum ipso quis interpretetur, aut alio modo, si quis videbitur litteræ congruentior; licebit tandem asserere, in prima illa visibilis mundi veraque creatione totam e nihilo materiam Deum eduxisse, ipsique leges quibus regeretur constituisse; postea vero vi harum legum naturæ impositarum atmospheram factam, item maria, lacus, flumina, saxea strata, insulas terrasque continentes, ut cum Augustino dici possit, quod a principio Deus « rebus factis rerum faciendarum causas inserebat, et omnipotenti potentia futura faciebat. » Quoad stirpes et animantia, in principio pariter eorum materiam solummodo Deum creasse, quumque leges naturæ statueret, quidquid necessarium erat, ut organicæ substantiæ omnes vivere, crescere et multiplicari possent, jam ab eo tempore præparasse : quum vero, secundum naturales vicissitudines, opportunæ conditiones adfuerunt, tunc imperio creatoris varias viventium classes, varia genera et species (quin vel atomum unum materiei de novo crearet) ad vitam fuisse evocatas. Qui ita res exponit, non modo jam factas observationes, sed et faciendas qualescumque cum Genesi conciliat, quin viam deserat ab Hipponensi Doctore repertam; imo, quod ad viventia spectat, multo mitiorem illam ac tolerabiliorem facit. Hanc conciliationis viam amplexus est cl. Waterkeyn, sacerdos et professor Lovaniensis, in duobus opusculis, quorum alterum Lovanii, alterum Leodii, edidit (1).

VIII. Tertius restat conciliationis modus, qui diuturnas periodos nec ante hexaemeronem, nec postea collocat, sed in ipsis diebus Mosaicis, imo periodos illas cum his confundit; aut, quod fere idem est, concedit illos fuisse vulgares dies, sed non immediate alterum alteri successisse, et periodis ignotæ diuturnitatis fuisse ab invicem discretos. Tertius hic modus, ni fallor, ad scopum nostrum, nempe ad defensionem, uti veritatis revelatæ ita et naturalis, est opportunior. Et hic fundatur in principio longo abhinc tempore interpretibus cognito. Vocem *diem*, יוֹם, sumi sæpe pro *tempore* in Scripturis (uti etiam apud profanos) jamdiu animadvertere theologi et interpretes. Arabi diem ab ortu ad occasum solis, quod proprie Hebræis est יוֹם) dicunt *nahar*, quod est splendor. Voce *jaum* (cujus evidens est cum hebraica *jom* cognatio) temporis periodum significant : in numero vero plurali cum articulo, *alajjam*, dies rebus gestis celebres (Sacy, *Gramm. Arab.*). Quod *Genes.* II, *4*, legimus : « In die, qua fecit Deus cœlum et terram, et omne virgultum agri... » plurimi interpretantur, *in tempore*. Augustinus, qui in lib. XX *De Civit. Dei* cap. I, admonet *diem* poni solere pro *tempore*, in II *De Gen. contra Manich.*, cap. III, scripsit : « Superius septem dies numerabantur; nunc unus dicitur dies, quo die fecit Deus cœlum et terram et omne viride agri; et omne pabulum, cujus diei nomine *omne tempus* significari *bene* intelligitur. » Ita locum hunc interpretantur versio Arabica, Beda et alii multi et Catholici et heterodoxi, Natalis Alexander, Alphonsus Nicolai, Duguetus, Clericus, etc. Ait Petavius : « Dies ille pro tempore vel spatio simpliciter sumitur, sive pro diebus, ut plerisque placet : nam singularis pro plurali sæpe in Scriptura ponitur, » *De Oper.* lib. I, cap. V; et alibi : « In illo cap. II *dies* quo cœlum et terra procreata dicuntur, pro tempore usurpatur et spatio toto, quo creatio ordinatioque processit, » cap. XIII. « Dicunt Doctores communiter, ait Molina, Moysen eo loco sumpsisse diem pro tempore, juxta illud *Deuter.* XII, *juxta est dies perditionis*, et alibi sæpe in Scripturis sumitur dies pro tempore, » in I part. *De Oper. sex dier.* « Cum eo (hac in re) concordat Bannes. Dies potest accipi pro quacumque duratione et mensura; » in I part., *Quæst.* LXXIII, Pererius scribit : « Sic frequentissime est apud Prophetas, qui nomen diei usurpant pro tempore. » Probabiliter nonnulli ex hisce scriptoribus *diem* pro *tempore* accepissent et in I *Gen.*, ubi legitur : « Dies unus, dies secundus, » etc., si vidissent, quod nos videmus, vulgari interpretationi non vana opinionum commenta, sed accuratas opponi observationes, quæ *naturæ judicia* sunt. « Opinionum commenta delet dies, naturæ judicia confirmat, » ait Tullius. Nec solum in plurali numero, ut quidam theologus scripsit, sed et in singulari *dies* in Scripturis pro indeterminato tempore sumitur. *Amos.* VIII legimus : « Ecce dies veniunt, et mittam famem... *in die* illa (i. e. *in tempore illo*, ut explicat Targum quod dicunt Jonathæ) deficient virgines pulchræ in siti. » Vides, *diem* singularem idem significare ac *dies*. *Mich.* IV : « Et erit in novissimo dierum : erit mons domus Domini præparatus in vertice montium. » Hoc loco *novissimus dierum* ultima vel postera tempora significat, et ita vertunt Septuaginta Interpretes, Syrus, et Arabs, et Targum Jonathæ, in *Polygl. Londin.* Ita etiam P. De Carrieres

(1) *De la géologie et de ses rapports avec les vérités révélées.* — *La science et la foi sur l'œuvre de la Création*, 1845.

et Clericus. Singularis est locus *Nahum* III, 17, ubi dies exprimere videtur *tempus frigidum*, præsertim nocturnum : « Custodes tui sicut locustæ, et parvuli tui sicut locustæ locustarum quæ confidunt in sæpibus in *die* frigoris (1). Ortus est sol, et avolaverunt, et non est cognitus locus earum, ubi fuerint. » Vide *Job* cap. XXXVIII, vers. 22, 23; *Ose.* cap. II, vers. 16, 21; *Ezech.* cap. XXX, 2, 3; *Joel.* III, 18; *Abd.* V, 11, 14; *Soph.* III, 11; *Zach.* VIII, 11, etc. S. Irenæus plures affert expositiones comminationis Adæ factæ « quocumque die comederis ex eo, morte morieris, » et hanc inter alias : primi parentes « in ipsa die mortui sunt in qua manducaverunt, quoniam conditionis dies unus, » i. e. interprete Petavio, quia « totum illud spatium quo mundus perseverat, unius diei instar est » (2). Addit Irenæus (et consonat Justinus in *Dialog. cum Triph.*), Adam dici posse mortuum eo die quo peccavit, quia intra millesimum annum decessit : sunt autem mille anni dies unus, *Ps.* LXXXIX. Rabbini distinguunt inter dies divinos et humanos. R. Nechonja, libro *Bahir* : « Dies Dei S. B. sunt mille anni, » *Psal.* XC, nobis LXXXIX, vers. 4, etc.; *Jalkut Rubeni* : « Dixit Deus S. B. Ecce ego vivum relinquam hominem per unum diem; sic enim dixi ipsi : quocumque die comedes, morte morieris; sed vos non nostis an dies intelligendi sint divini, an vero humani. Ego vero dabo ipsi diem unum ex meis, hoc est mille annos, ita ut ille vivere debeat 930 annos, » apud Schoetgenium, *Hor. Hebr.* tom. I, pag. 1052. « Dies magnus Dei, mille annorum circulo terminatur, » ait Lactantius (3).

IX. At PP. et expositores, cum fateantur *diem* sumi sæpe in Scripturis pro tempore, anne concorditer sex illos dies, cap. I *Genes.*, accipiunt pro diebus 24 horarum? Minime sane; sed juvabit advertere, quod etiamsi talis exstaret consensio, tamen exposita interpretatio, quæ validis et cogentibus causis innititur, minime foret anathemate digna. Revocanda est doctrina sapientissima Angelici Doctoris : « Quæ ad fidem pertinent, dupliciter distinguuntur : quædam enim sunt *per se de substantia fidei*, ut Deum esse trinum et unum, et hujusmodi; in quibus nulli licet aliter opinari. Quædam vero *per accidens tantum*, in quantum scilicet in Scriptura traduntur, quam fides supponit Spiritu Sancto dictante promulgatam esse, quæ quidem ignorari sine periculo possunt ab his qui Scripturam scire non tenentur, sicut multa historialia, et in his etiam Sancti diversa senserunt, Scripturam divinam diversimode exponentes. Sic ergo circa mundi principium aliquid est quod ad *substantiam* fidei pertinet, scilicet, mundum incepisse, creatum a Deo, et hoc omnes Sancti concorditer dicunt : *quo autem modo et ordine factus sit, non pertinet ad fidem nisi per accidens*, in quantum in Scriptura traditur, cujus veritatem diversa expositione sancti salvantes, diversa tradiderunt, » in II *Sent.* loc. cit. In hac igitur quæstione *de modo et ordine quo factus sit mundus*, non pertinente ad fidem *per se*, sed tantum *per accidens*, licebit et nobis *diversa sentire* quod *Sancti* fecerunt, et *veritatem Scripturæ salvando*, novam expositionem proferre naturalium scientiarum incrementis congruentiorem.

Verum PP. et interpretes in vulgari dierum illorum expositione consensisse, falsum est; imo vero doctissimi viri ac probe orthodoxi profitentur, compertum nullatenus esse et definitum, quid illorum dierum appellatione significetur. Sufficerent ad hoc ostendendum quæ ex Augustino, Thoma et aliis attuli, quibus addere potuissem Athanasium, Clementem Alexandrinum, Procopium aliosque non paucos. Imo Nicolaus Spedalieri scripsit (4), majorem numerum theologorum putare mundum in instanti a Deo conditum, cujus potentia tempore non indiget; quod tamen minus vere dictum puto. Inter theologos, qui pro hac sententia stare videntur, est qui admittat pro sex diebus aliquod brevissimum tempus, ut P. Serry.

Explicans diem primum, sive *unum*, ait : « An hic dies temporis totius nomen est, et omnia volumina sæculorum hoc vocabulo includit, ideoque non dictus est *primus*, sed *unus* dies? » *De Genes. ad litt.*, libro I, capite XVII. Eadem et fere iisdem verbis leguntur apud Bedam. Nullus ex geologis nec amplius nec tantum postulat. Idem Augustinus ab hac sententia, quod nempe dies illi sint periodi indeterminatæ, non semper abhorrere visus est; in libris enim *De Genes. contra Man.*, et *ad litt. imperf.*, alienus est a vulgari intelligentia illorum dierum, et tamen *aliquam temporis successionem* admittere videtur, e. g. terram prius invisibilem et informem, postea huic nostræ similem; ex quo videtur dies illos sumere pro indeterminato tempore. *De Gen. contra Man.*, lib. I, XIV, ait : « Tres dies superiores quomodo esse sine luce potuerunt?... Restat ut intelligamus in ipsa quidem mora temporis ipsas distinctiones operum sic appellatas, vesperam propter transactionem consummati operis, et mane propter inchoationem futuri operis, de similitudine scilicet humanorum operum, quia plerumque a mane incipiunt et ad vesperam desinunt. » Eadem et fere iisdem verbis leguntur in *Comment. in Gen.*, qui S. Eucherio Lugdunensi episcopo vulgo tribuitur, quique ipsi tribui videtur a S. Isidoro Hispalensi. Lib. *De Gen. ad litt. imperf.* cap. VI, scribit Augustinus : « Quæri potest quem diem dicat et quam noctem. Si illum diem vult accipi

(1) *Nel freddo tempo.* Ita vertit Archiep. Martini.

(2) *Contra Hæres.* lib. V, cap. XXV. Vid. Petavium, *De Opif.* lib. II, cap. XIX.

(3) *Divin. Institut.* lib. VII, cap. XIV.

(4) *Analisi dell' Esame critico di Freret*, etc., cap. X, art. 8, § 4. La maggior parte de' teologi si dà a credere che tutto Iddio avesse fatto in un solo istante, etc.

quem solis ortus inchoat et claudit occasus, et illam noctem quæ a solis occasu usque ad ortum tenditur, non invenio quomodo esse potuerit, antequam cœli luminaria facta essent. » Singularis prorsus est locus ex cap. XV hujus libri, ubi loquitur de quinta die : « Hic plane quivis tardus jam vigilare debet, ut intelligat quales illi dies enumerentur. Cum enim certos seminum numeros Deus animantibus dederit servantes miram certo ordine constantiam, ut certo dierum numero pro suo quoque genere, et concepta utero gerant et edita ova calefaciant, cujus naturæ institutio Dei sapientia conservatur, quæ... disposuit omnia suaviter : quomodo uno die potuerunt concipere et utero gravescere, et parta fovere atque nutrire, et implere aquas maris, et multiplicari super terram? Ita enim subjungitur : *Et sic factum est* : ante vesperæ adventum. » Ut verum fatear, hoc ratiocinium falsæ nititur lectioni quæ Augustinum decepit; ibi enim verba illa : *et sic factum est,* nec in Hebræo sunt, nec in ulla cognita versione. At verum manet, S. Doctorem hoc in libro magis opinioni quæ diuturnas ponit periodos quam vulgari favere.

Locum afferam S. Cypriani, subobscurum quidem, et cui nihil luminis contextus affert : « Ut primi in dispositione divina septem dies annorum septem millia continentes, » epist. ad Fortun. *De exhort. Martyrii.* Probabiliter indicat, septem illos dies esse veluti typum septem mille annorum mundi, et consonat cum antiqua epistola quæ S. Barnabæ nomine circumfertur, ubi legitur : « Attendite, filii, quid dixit *Consummavit in sex dies.* Hoc dicit, quia consummabit Deus omnia in sex millia annorum. Dies enim apud illum mille anni sunt. Ipse mihi testis est, dicens : *Ecce hodiernus dies erit tanquam mille anni.* » Similia invenies apud Irenæum, lib. V *Contr. Hær.* cap. XXVIII, et apud Victorinum Episcopum et Martyrem, *De fabrica mundi,* num. 3, ap. Gallandi, tom. IV, pag. 50. Quamprimum fortasse hæc meminisse juvabit.

Dies illos pro diuturnis periodis accepit sæculo præterito Bertier, presbyter Oratorii (1), et recentius alii non pauci catholici, etiam ecclesiastici, amplexi sunt; uti Episcopus Becchetti O. P., et recentius Augustinus Ghisi ex Barnabitarum familia, et cl. Abbas Rohrbacher (2). Hermenegildus Pini Barnabita fere in eamdem sententiam venerat (3). Bossuetus (4) scripserat, Deum voluisse mundum facere *sex diversis progressibus, quos appellare voluit sex dies.* Id cum eo dicit Abbas Flotier (5). Bossueto anterior et S. Bernardo coæva idem scripserat S. Ildegardes (6). Video modo theologos hanc sententiam citare saltem ut licitam et ab omni nota immunem (7). Qua declaratione, quasi post longum bellum, inter Theologiam et Geologiam sancita tandem pax est, quæ utique utilis erit utrique; quare de illa non modo humanæ scientiæ cultores, sed magis Religionis amici et ministri lætari debent.

Animadverte, hanc sententiam cum illa prima consistere posse; et licere nobis, ut assumamus tum inter primam creationem et diem primum, tempus aliquod, fortasse non breve, intercessisse, tum sex Mosaicos illos dies tanquam periodos indeterminatas habendos esse.

X. Venio ad ea quæ opponi possunt. Admoneo generatim, objectiones peti a vocibus *dies, vespere*

(1) *Hist. des premiers temps du monde,* p. 108.

(2) *Discours de réception à la société roy. de Nancy.*

(3) « Che intendono essi per un giorno? Intendono forse il tempo di ventiquattro ore? Questo senso non è attribuito al nome di giorno dal sacro testo, nè vi si può attribuire dal contesto. I giorni di creazione non sono certamente giorni da prenderli in senso volgare, nè valutabili in ore : perciocchè Mosè indica ciascuno dei seguenti giorni colla frase stessa con cui indicò il primo, dicendo : Sera e mattina si fece un giorno, cioè il secondo, il terzo, etc. Ora tra la sera e la mattina volgarmente si computa la notte, e non il giorno. Dunque il giorno indicato con quella espressione non è giorno da prendersi in senso comune, al più potrebbe prendersi in tal senso quando avesse detto: mattina e sera si fece un giorno, perchè tra la mattina e sera volgarmente si computa il giorno. Aggiugnesi che alla prima mattina non poteva essere antecedente la sera, perchè questa non si computa che dopo il mattino. Quindi intendesi che un giorno di creazione neppure può intendersi per un giorno astronomico di ventiquattro ore, mentre questo comprende notte e giorno, laddove quello è tra sera e mattina. Il nome di giorno, anche volgarmente, si suole usare in diversi sensi, e anche in senso metaforico : non dee pertanto sembrare strano se si dirà, che ognuno dei giorni di creazione incominciati dalla formazione della luce abbiasi ad intendere in un senso superiore al comune, e a riguardarlo come un atto di creazione indipendente da tempo. La creazione è un atto della potenza divina, con cui essa dà l'esistenza ad alcuni possibili : il passaggio degli esseri dalla non esistenza all'esistenza, il quale dal voler divino si compie in un istante, è a noi come il passaggio da sera al mattino, dalle tenebre alla luce, e da questo passaggio ci vien presentato il giorno, nome da Dio stesso dato alla luce. Questo senso è certamente metaforico e misterioso; ma è quello che corrisponde all'opera di creazione a noi incomprensibile, e di cui conveniva che ne parlasse uno storico divinamente ispirato. Ora tra i giorni e gli atti di creazione può intendersi un intervallo qualunque di tempo, poichè i sacri libri non dicono che fossero immediatamente seguenti l'uno all'altro. Quindi tra la formazione de' mari, de' vegetabili e degli animali, e la creazione dell'uomo, possiamo supporre una serie di secoli anche incalcolabile : tempo che avrà servito di consolidamento della terra ferma che già era stata in una fluidità acquea, ed a prepararla all'abitazione dell'uomo. Un geologo pertanto il quale rispetti i sacri libri, può trovare in essi un tempo incalcolabile anteriore all'esistenza della specie umana. » (P. Ermenegildo Pini. — *Sui Sistemi geologici,* Milano, 1841, p. 86 e seg.)

(4) *Elevat.* V.

(5) *Annal. de philos. chrét.* Août 1839.

(6) « Sex enim dies, sex opera sunt, quia incœptio et completio singuli cujusque operis dies dicitur. » (S. Ildegard. *Epist. ad Colonienses.*

(7) Videri possunt Libermann, *Institut. theolog.,* tom. I, p. 301; Schnappinger, *Doct. dogm. Eccles.* V, 1, § 122, n. 1, I; Hermann Jansen, *Hermen. Sacr.* V, 1, p. 245; Perrone, *Præl. Theolog.,* tom. III, pp. 84-98, Romæ 1836.

et *mane*, quæ certe minus ad litteram explicantur in sententiis Origenis, Augustini, Athanasii, et omnium qui sex illos dies in punctum temporis vel in tempus brevissimum, aut certe ordinario die non longius, contraxerunt. Igitur eos æque augent ac nos, et vero magis. Quod illi reponunt, et nos reponere possumus. Possemus itaque dicere : id respondemus quod Augustinus, et pro eo Aquinas (ll. cc.), quod Augustini recentiores vindices Henricus Card. Norisius, *Vindic. Aug.* cap. III, et Sylvester Maurus, *Theol.* tom. I, lib. IV, Quæst. XI, quod Cardinalis Cajetanus, Serry, Berti aliique respondent.

Nescio utrum alicui difficultatem facere possit, quod juxta hanc sententiam in creationis historia nomen *diei* duplici sensu sumi videatur, nempe pro tempore lucis vers. 3, et pro tempore indeterminato vers. 5 et seqq. De hoc infra erit sermo. Nunc hoc unum adverto : qui vulgari sententiæ adhærent, hoc non objicient; nam et ipsi hoc facere necessarium habent; imo tres sensus voci illi dare solent, *primo* temporis lucis, cap. I, vers. 3; *secundo*, diei 24 horarum, vers. 5 et seqq.; *tertio*, temporis in genere vel dierum sex, cap. II, vers. 4.

Hoc potius objicere possunt. Scriptum est *Exod.* cap. XX, vers. 9 seqq. : « Sex diebus operaberis et facies omnia opera tua. Septimo autem die, Sabbatum Domini Dei tui est : non facies omne opus in eo... Sex enim diebus fecit Dominus cœlum et terram et mare et omnia quæ in eis sunt, et requievit in die septimo; idcirco benedixit Deus diei Sabbati, et sanctificavit eum. » Non intelligitur præcepti ratio, immo nulla hujusmodi ratio est, si dies illi ordinarii dies 24 horarum non sunt. — Respondeo, periodos quæ diei nomine veniunt, non absurde sumi pro symbolo et prototypo et dierum communium laboris, et diei ultimi hebdomadæ quieti destinati. Nam vocem hanc diversimode aliquando accipi in uno contextu, et ipsi fateri debent, ut nuper observabam. Augustinus aperte dicit, dies hebdomadæ repræsentare aliquo modo dies creationis (*illorum vicem quamdam exhibere*) et non esse *illis similes, sed multum impares* (1). Ita in immensum distant Dei opera ab operibus hominum, et hominum necessaria requies a requie Dei, quæ mera est a novis operibus cessatio. Requies humani sabbati horis viginti quatuor continebatur. At quis dicet Dei cessationem simili limite circumscriptam? Septima divinæ quietis dies an post horas 24 cessavit? *Dies septimus sine vespere est, nec habet occasum*, ait Augustinus (2); similesque locutiones de die hac leguntur apud Rabbinos. Vide Ugolini, *Thesaur.* tom. I, pag. 569. Tandem meminisse debemus, Hebræis præscriptum fuisse etiam *sabbatum* septimi anni. Deus jubet, *Lev.* cap. XXV, vers. 2, seqq.: « Quando ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, *sabbatizet sabbatum Domino*. Sex annis seres agrum tuum, et sex annis putabis vineam tuam, colligesque fructus ejus : septimo autem anno, sabbatum erit terræ, *requietionis Domini.* » Vide et *Exod.* cap. XXIII, vers. 11 seqq. Age vero : hi dies creationis vel dies ordinarii hebdomadæ, septem annorum typus existunt : cur igitur sex aut septem longiores periodi sex aut septem dierum solarium exemplar esse non possint? Addendum est, etiam in Levitico post annum sabbaticum statim Hebræis præscribi, ut *numerent quoque septem hebdomadas annorum*, i. e. *septies septem, quæ simul faciunt annos* quadraginta novem : post hos erat *sanctificandus annus quinquagesimus* seu *annus jubilæi*. « Non seretis, neque metetis sponte in agro nascentia, et primitias vindemiæ non colligetis, ob sanctificationem jubilæi, sed statim oblata comedetis; anno jubilæi redient omnes ad possessiones suas, » etc., cap. XXV, vers. 8—15. Denique, si per Irenæum perque alios ex antiquioribus PP. sex aut septem dies, sex vel septem mille annos, § 9, significare possunt, cur contra sex periodi longiores typi esse nequeunt sex dierum?

XI. Maxima objectio in hanc sententiam trahitur ex vocibus quæ sexies *Gen.* cap. I, repetuntur : « Et fuit vespera et fuit mane, dies unus... dies secundus, » etc. Quæ tamen objectio pari ratione aut magis urget Augustini aliorumque sententiam, qui illos dies pro temporis momento vel pro una die accipiunt. At vero directe respondeo *primo*, si revera voces illæ demonstrarent, sex dies Mosaicos a nostris solaribus diuturnitate non differre, posset quis dicere, minime necessarium esse illos dies sine intervallo alterum alteri successisse; sed fuisse tantum solemnes illos dies, quibus maximi quidam eventus, ut prima lux, astrorum manifestatio, primæ terræ ex undis emersæ, prima animalia, etc. apparuerunt. Supponere posset inter primum et secundum diem longum temporis intervallum interjectum, et sic inter alios; ut unusquisque memoratorum dierum novæ periodi novæque operum evolutorum seriei initium fuerit. Hæc opinio non admodum differt ab ea quam Hermenegildus Pini, loc. cit. § 9, proposuit, nec a sententia Antonii Rosminii (3), qui

(1) *De Genes. ad lit.* lib. IV, XXVI.
(2) *Confess.* lib. XIII, cap. XXXVI.

(3) « Io penso che quei giorni segnino e distinguano certi periodi di tempo per lo rinnovarsi forse d' un fenomeno di luce, che doveva manifestarsi a ciascheduna di quelle grandi operazioni. Notate che il giorno, secondo che noi prendiamo questa parola, è un giro del sole che nasce, tramonta e rinasce. Ora in questo senso non può certo pigliar Mosè la parola *giorno;* chè il sole non era creato. Volle adunque dire altro. Alcuni intesero che per *giorno* s' intendesse da Mosè certo spazio di tempo. Ma considerata ogni cosa, parrebbe a me più verisimile che per giorno, come vi diceva, si esprimesse piuttosto il finire e il cominciare di periodi di tempo fra un giorno e l' altro trascorsi quasi fra due splendori.... La luce è chiamata *giorno*, e *notte* le tenebre, dunque a formare il giorno non entraron le tenebre. Quindi l' espressione *e si fece della sera e della mattina un giorno*, equivale a quest' altra : *E nacque un passaggio dalle tenebre alla luce*, il qual

putat hosce dies fuisse lucis quasdam apparitiones; nam *lux* appellatur *dies* inter periodos operum singulorum interpositus.

Animadverto *secundo*, etiam de tribus prioribus diebus dici ut de reliquis quatuor : « Et fuit vespera, et fuit mane, dies... » At tribus primis diebus sol adhuc non erat, qui accedens ad horizontem ab eoque recedens, et mane et vesperam efficeret. Igitur generatim concludo : cum a sole Mosaici dies non pendeant, cum a solari die diversi sint, consequitur, *mane* quoque et *vesperam* quæ de illis prædicantur, communi more accipienda non esse. Si tamen quis arbitretur omnino tenebras aliquas et lucis initium vocibus illis designari, hunc monemus satis habere nos, ut in singulis diebus, licet ii pro indeterminatis temporis periodis accipiantur, lucis aliquod initium post obscuritatem aliquam inveniamus. Sed et de hoc postea.

Respondeo *tertio*, possumus recipere explicationem Augustini et Eucherii, § 9, nempe quod « vespera sit transactio consummati operis, et mane inchoatio futuri. » Etiam in I *De Gen. ad lit.* cap. XVII, scribit Augustinus : « Vespera, in toto illo triduo antequam fierent luminaria, consummati operis terminus non absurde fortasse intelligitur; mane vero tanquam futuræ operationis significatio. »

Tandem *quarto*, vespera hebraice עֶרֶב mixtionem quoque et confusionem significat, a radice עָרַב miscuit, quia vespertino tempore lux et tenebræ quodammodo commiscentur atque visibilia omnia coloresque confunduntur : revera Aben-Ezra monuit עֶרֶב vesperam vocari, quod misceantur rerum figuræ tempore vespertino, Abarbanel *in Legem* fol. IV. Ex hac voce derivatus videtur *Erebus* Græcorum, quem cum *Chao* ponebant in mundi initio : vid. V Hesiod., de quo Ovidius : « Erebumque Chaumque invocat. » Mane vero בֹּקֶר derivari commode potest a radice arabica *bachara*, quæ significat *dividere, dilatare, aperire*, vel ab alia ejusdem idiomatis voce *bakaron*, quæ significat *mane* nec non *primogenitum*. Mane enim sive Aurora aperit, ut poetæ loquuntur, diei portas, lucem generat, parere videtur solem, resque antea obscuras revelat et discernere facit. Etiam hebraice et chaldaice habemus בָּקַע *scindere, dividere*, et בָּכַר *parere* vel potius *parere primogenitum*. Similis vox idem significat lingua Æthiopica, Job. Ludolphus, *Lexic.* pag. 244 : primogenitus *qui aperit vulvam* dicitur בְּכוֹר hebraice; בּוּכְרָא chaldaice et syriace. *BOKI* coptice significat *gravidam*, seu *parturientem*. Hebræis igitur vox *vespera* mixtionem et confusionem indicabat; vox *mane* divisionem, partum, ortum. Si ita, juxta etymon vocis, nomina illa interpretemur, ea sane in unoquoque e sex diebus facile apteque explicantur; in singulis enim *aperitio* quædam est vel *evolutio* vel *nativitas*, *commixtione* aliqua vel *confusione* rerum præcedente : verum hoc melius infra apparebit.

Dices, hoc modo verba illa potius figurate et poetice quam juxta litteram intelligi. At quot sunt apud Orientales voces locutionesque poetice et non ad litteræ corticem intelligendæ! Hoc Geneseos primum caput, quamvis illud carminibus non audeam dicere conscriptum, poesim tamen ubique sapit, quod fortasse materia ipsa fere necessarium faciebat. Et revera loquitur hic Deus creaturis quæ sensum non habent, quæ tamen eum audiunt, et voci ejus obediunt. « Qua lingua, ait Augustinus, vocavit Deus *diem* lucem, et tenebras *noctem?* Utrum hebræa, an græca, an latina, an aliqua alia? Apud Deum est sine strepitu et diversitate linguarum purus intellectus, » *De Gen. ad lit.* I, cap. X. Nonne poesim id redolere videtur, quod Deus videt lucem et alia sua opera, et, veluti artifex suo opere lætus, ea adprobat (Vidit quod bonum)? Si poetica hæc dicere veremur, de voce non ero sollicitus. Color certe, ut ita dicam, et phraseologia hujus capitis tam extra communem usum posita videtur, tam ab usitato historiarum et chronicorum stylo differt, quam extraordinarii prorsus et a cæteris historiis diversi eventus illi sunt qui ibi narrantur. Licet igitur concludere, ut alibi scripsit Hieronymus, « diem pro tempore accipe, » in *Isai.* cap. XVIII.

XII. Oggeret quis præterea : His vocibus *vespere* et *mane* diem naturalem Hebræi designabant, ut constat ex *Dan.* cap. VIII, vers. 14 : « Usque ad vesperam et mane, dies duo millia trecenti, et mundabitur Sanctuarium; » et vers. 26, « visio vespere et mane. » Hebraicus textus non habet vers. 14 illud *dies* (uti etiam versio Syriaca et Arabica), quæ vox, expositionis gratia, additur in græca versione et in vulgata. Habet hebraicus codex vers. 14 : *Usque ad vesperam mane;* et vers. 26 : *visio vespere et mane*, seu *matutini*. Dicit itaque Daniel : usque ad *vesperam mane* duo millia trecenta, cum vellet dicere, usque ad *dies* bis mille trecentos. Ita nos cum dicere volumus, quemdam in certa aliqua urbe triginta dies esse commoratum, commode dicimus hominem in urbe illa solem meridianum aut solis occasum tricies vidisse, vel indicamus hominem septuaginta annos natum, affirmantes, septuaginta hyemes illum numerasse. Tot enim sunt solis accessus vel ad meridianum vel ad horizontem quot sunt dies, et tot hyemes quot anni.

Respondeo : Nescio primum utrum hic loquendi modus, tempore Mosis, in usu fuerit apud Hebræos, nec certum est, illum usitatum fuisse Danielis ævo, qui fortasse, ut interpretes animadverterunt (1), ideo posuit *vespera-mane* pro *die*, quia

passaggio, cioè il farsi repentino della luce costituisce un giorno, cioè un tratto di luce. » (*Disc. parroch. ed istruz. catech.* vol. II, *Catech.* XXXII.)

(1) A Lapide in I cap. Vide etiam Pererium, Maldonatum, Menochium.

alludebat ad juge sacrificium, quod vespere et mane offerebatur, quodque per eos dies cessare debebat. Utut autem res habeat, aliud profecto est ponere pro die *vespera-mane*, aliud scribere : *Et fuit vespera, et fuit mane, dies*, etc. Præterea, ut jam indicavimus, si genesiaci dies a solaribus diebus diversi sunt, genesiaca quoque *vespera* et *mane* a vulgaribus differant necesse est.

Nonnulli putant, eas voces in sua narratione selegisse Mosem, quæ viam ipsi ad sabbati præceptum melius præpararent, ut ita *homines allicerentur ut sex diebus laborarent et septimo Deo vacarent*, ait Melchior Canus, apud Bannes in I part. *Quæst.* LXXIV, art. 2, qui tamen opinatur sex illos dies unum tantummodo esse. Hæc autem doctrina caute est accipienda. Moses revera non hoc sibi proposuit; ut plene cosmogoniam doceret, sed primo, ut suos amoveret a superstitioso cultu creaturæ, inculcare voluit, Deum a mundo distinctum et omnium creatorem esse; secundo autem ponere causam exemplarem, ut Hebræi sanctificandi Sabbati memores essent. Verum neque ad hæc fictione opus habuit, nec omnino quidquam minus vere affirmavit. Potuit tamen ad indicanda satis longa tempora quæ tamen determinata essent ac duobus terminis circumscripta, licet longitudinis nobis incompertæ et probabiliter inæqualis, vocem *diem* assumere : potuit etiam vocis *diei* usum illum inducere, ut voces *vesperam* et *mane* aliis, quibus uti poterat, præferret.

Tandem adverte, verba illa *vespera* et *mane* interpretibus cujuscumque sententiæ aliquid semper negotii facessere. Quomodo enim fuit mane sine sole? Quomodo vespera? Quidam putant, lucem in Oriente apparuisse, quidam in Occidente; verum Oriens et Occidens ad regiones varias referuntur : neque tamen primis illis diebus regio ulla erat. Si post duodecim horas lucis nescio cujus solis vice fungentis, in uno loco vespera facta est, in alio tunc factum est mane, quapropter tunc tam mane fuit quam vespera. Ait Augustinus, *De Gen. ad lit.* lib. I, cap. x : « Si hoc dixero, vereor ne deridear et ab iis qui certissime cognoverunt et ab iis qui possunt facillime advertere, quod eo tempore quo nox apud nos est, eas partes mundi præsentia lucis illustret, per quas sol ab occasu in ortum redit, ac per hoc omnibus viginti quatuor horis non deesse per circuitum gyri totius alibi diem, alibi noctem. Numquidnam ergo in parte aliqua posituri sumus Deum, ubi ea vespera fieret, quum ab ea parte in aliam partem lux abscederet? » Præterea tempus inter vesperam et mane tempus est tenebrarum, *nox* est non *dies*. Nonnulli, sed *improprie*, ut ait Cornelius a Lapide, *vesperam* vocari totam noctem, et *mane* totum diem volunt. Ubinam in Scripturis hujus sensus exemplum invenere? Cum Moses scripserit vers. 5, quod appellavit Deus *lucem diem*, et *tenebras noctem*, cur statim in eodem versu et in sequentibus lucis ac tenebrarum tempus non *diem* et *noctem*, sed *vesperam* et *mane* appellasset? Cum vespera multi putant incipere dies illos : at primus dies, alii subsumunt, tunc incœpisse videtur cum dixit Deus : *Sit lux* : uti cæteri alii Dei verbis incœpisse videntur vers. 6, 9, 14, 20, 24. Quidam primæ lucis tempus conjungunt cum præcedentibus tenebris ut primum diem efficiant : aliis videtur absurdum, tenebras universales poni ut partem diei in illo eodem versu quo *lucem* appellari a Deo *diem* docemur. Et præterea in hemisphærio quod illi ubi lux adparuit opponebatur, prima dies fuisset perpetua nox. Igitur nec in vulgari sententia difficultate carent verba illa *vespera* et *mane*. Putarunt etiam per enallagen scriptum : *fuit vespera et fuit mane*, dies *unus*, ponendo præteritum pro futuro : sol enim non erat primis tribus diebus (1). At plane non video quomodo vel in præterito vel in futuro dici id queat de primis diebus, cum nec illorum vespera et mane a sole tunc primum producta sint, nec vero essent unquam in posterum sine sole producenda.

Inter tot difficultates, interpretationes et dubitationes, quid melius, quid tutius præstare possumus quam tolerare id quod Ecclesia tolerat, nec ea rejicere tanquam Dei verbo contraria quæ naturæ observatores concorditer asserunt, quos inter et multos existere ejus scientiæ peritissimos, et multos veritatis sinceros amatores esse, non paucos etiam divini verbi veneratores, nemo neget? Dicamus cum S. Thoma : « Mihi videtur tutius esse, hæc quæ Philosophi commune senserunt et nostræ fidei non repugnant, neque esse sic asserenda ut dogmata fidei, licet aliquando sub nomine Philosophorum introducantur, neque sic esse neganda tanquam fidei contraria, ne sapientibus hujus mundi contemnendi doctrinam fidei præbeatur occasio, » *Opusc.* X. Sequamur ergo quam exposuimus sententiam; cui si valedicere difficultas aliqua insolubilis sive theologica sive physica jusserit, integrum tunc nobis erit ex reliquis duabus quas antea indicavimus conciliationis viis, unam aut alteram capessere.

XIII. Quorsum hæc? dicet aliquis. Quæ nos impellit ratio, ut ad eam explicationem quæ minus obvia est confugiamus? An non potuit Deus, sicut ipsi placuit, operari? Eccur dici nequeat, fuisse dies illos sex e nostris hisce diebus ac revolutione telluris circa proprium axem definitos? Cur longissimas et forsan inæquales periodos in illis latere putemus? — Respondeo : quia et hoc ipsum satis innuit Scriptura, quod infra videbimus; et non leves patitur difficultates vulgaris interpretatio, quod jam ex parte ostensum est; tum qui alia ratione Mosis cosmogoniam, juxta præsentem scientiarum statum, explicare nequeo. Quia ubi hanc explicationem acceperis, non modo omni difficultate expeditam habebis Mosis narrationem; sed divinam quam habet originem, miro

(1) *Quæstion. scripturisticæ*, Lovanii, 1833, p. 7.

prorsus modo confirmatam reperies. Præterea quia hæc est vel omnium geologorum, vel saltem plurium eorumque doctissimorum hac de re certa sententia; ac juxta prudens Aristotelis placitum ea probanda sunt quæ vel ab omnibus alicujus scientiæ cultoribus, vel a pluribus, vel a principibus docentur. Denique quia rationum momenta, quibus eorum innititur doctrina, summi ponderis esse videntur. Revera cum perspiciamus tot naturæ discipulos in hoc convenire, quorum plerique ex innata gloriolæ cupiditate nihil malunt quam nova proferre et alios refellere, qui inter se in theoreticis quæstionibus sæpe dissentiunt, qui sæpe in multis, acriter aliquando, pugnant sive pro aqua sive pro igne (unde Neptunistarum et Vulcanistarum vel Plutonistarum appellationes ortæ), quorum alii sincera animi religione revelatas veritates defendunt, alii de his vix aut ne vix quidem cogitant, alii illis aperte adversantur; profecto hujusmodi consensus validissimis dicendus est gigni argumentis, cujusmodi sunt quæ e factis sensu perceptis, iisque magnis, insignibus et constantibus sponte dimanant. Profecto satis clare natura loquatur oportet, ut inter se ejus interpretes tam mire conveniant (1). Ex his, vel naturalium scientiarum imperitus, quivis concludere debet, saltem valde probabilem eorum doctrinam esse, docente Suario: « Sententiæ magis philosophicæ et rationi conformi magis inhærendum est, quando Scriptura non cogit, » *De Oper. sex. dier.* lib. II, cap. VII.

« Poterat Omnipotens et uno momento temporis omnia facere, » ut verbis Augustini (2) utar, et res universas cogitatione ipsa celerius elaboratas completasque proferre; poterat elementa et mixta et organis prædita corpora tum vegetantium, tum animalium, simulque animas creare, easque corporibus conjungere. « Verum quis novit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? » Certum exploratumque est, eum id potuisse, noluisse tamen : quod et geologicæ observationes confirmant, et apertissime patet e scripturis, præsertim ex cap. I et II *Gen.*, ubi accurate opera successiva Moses dinumerat, et ex aliis alia producta refert, non vero proprie creata, hoc est, e nihilo facta, ut ex aqua pisces, e terra plantas, quadrupedes terrestres et hominum. « Atqui, ait Petavius, dici hæc ex nihilo procreata necesse est, si momento uno simul exstiterunt (3). » Potuit etiam Deus, post materiæ creationem, materiam ipsam permittere concreatis naturæ legibus (quæ nihil aliud sunt nisi creatoris voluntates universales seu, fortasse accuratius, uniformes et permanentes), ut inde et cœlestia corpora coalescerent, et mixta formarentur et omnia naturæ phænomena exsurgerent, tum solum immediate per se agens, ubi operi a creatore intento naturæ vires impares essent : potuit nempe legibus a se ipso sancitis creatas res non solum conservare, sed etiam modis variis perficere, consociare et aliter atque aliter effingere, atque (ut christiani poetæ phrasi utar) « ornare superinductis informia formis (4), » quod et modo facit. Ita primis illis statim a creatione temporibus ea ratione in mundo operatus esset, ac post priorum creationem parentum semper operatus est, nimirum per naturæ leges, interveniens tamen ipse legum naturalium ministerio ubi istæ deficiunt. Ita Deo placuisse, geologicæ disquisitiones ostendunt, atque innuere etiam aliquo in loco Moses videtur, quod infra indicabimus. Age vero : Si naturæ legibus tum hic quem nos incolimus, tum alii similes globi coaluere, tum quæ mineralia vocant et strata terrestris corticis et montes et alia hujusmodi constituta sunt; certe sex nostrorum dierum hoc opus non fuit, sed temporis longe diuturnioris, quo tempore filii Dei, nempe angelicæ intelligentiæ, creatorem laudantes jubilabant, et mirifica illius opera et concreatas ab eo leges sapientissimas, ac fœcundissimas admirabantur. At hujus temporis intervallum quantum fuerit determinare non possumus (5). Potuit certe Deus iis ipsis legibus quibus etiamnum naturæ cursum moderatur et regit, non modo corpora universa coagmentare, sed et atmosphæram a crassiori materia secernere, et per eam superiores aquas, i. e. nubes, a terrestribus aquis separare, et has in unum locum sive in plura congregare; potuit semina vel minutula germina in arbores amplificare, atque astra cœli telluri nostræ perspicua reddere. Jam vero si Deus legum suarum ministerio usus non est, dicendus erit omnia immediate perfecisse, at nihilominus humani instar opificis, pluries operi admota manu, § 6 prope fin.; imperfectaque fecisse atque ἄμορφα, ut post breve intervallum, ope magnorum miraculorum, ea perficeret atque exornaret: quod plane fuisset leges omnes quas nuper naturæ imposuerat, in ipso naturæ exortu violare. Nisi forte quis suspicetur alias pro eo tempore leges, quasi *provisorium* quoddam u nunc dicunt *gubernium*, et ab iis quæ nunc sun diversas suffecisse creatorem, quas illico post efformatum Adam abrogaret. Hæc omnia nec ullam veri similitudinem præ se ferunt, immo potius videntur absurda. Præterea, cum iis quæ oculis

(1) Brocchi, loquens de peculiari quadam quæstione geologica, scripsit : « Conviene che la natura assai chiaramente si esprima, perchè quattro filosofi sieno d'accordo. » *Stato fisic. del suolo di Roma*, p. 195.

(2) *De catechizandis Rudibus*, cap. XVII. Ante verba citata ait, Deum *sex diebus operatum esse, et septimo requievisse*, ubi videtur vulgarem sequi sententiam, quam tamen, pro doctis scribens, nec antea secutus erat nec postea secutus est in lib. *De Genes. ad lit.*, et *De Civitate Dei*.

(3) Lib. I, cap. V, § 4.

(4) Marius Victor.

(5) Ait Arnoldus Abbas Vallis Bonæ Spei, *De Opere sex dierum* : « Verum illius spatii intercapedinem, quam ante temporum vicissitudinem invisibiliter Dei sapientia prima opera disponebat, definire temerarium est, maxime cum canonicæ Scripturæ de hoc nihil certe tradiderint. »

observantur nullatenus congruunt, et scripturam irrisioni exponunt, quot quantopere sit cavendum, et Augustinus et Thomas docuit, et prudens quisque ac pius facile perspicit.

XIV. Præcipua causa cur Deus sex diebus opera sua molitus sit, quæ momento et simul omnia facere poterat, hæc videtur Petavio, ut humano captui omnipotentis efficientiæ suæ modum accommodaret. Verum nemo, ut puto, ex his qui nostro ævo in scrutanda natura ejusque legibus occupantur, facile dabit, creatorem in condendo universo hunc sibi finem proposuisse, ut suum opificium hominum captui accommodaret. Invenimus, e contrario, quæ rerum naturalium causas investigando homines primo conjiciunt, ea sæpe longissime abesse a veritate; et vere laboris ac tenebrarum plenam aleam dedisse Deum filiis hominum, quum « mundum tradidit disputationi eorum. » Quamvis enim nativa illa sciendi cupiditate excitati, naturæ latebras nunquam non conati sint introire et Dei opera perspecta habere, tamen valde pauca vel ipsi philosophi, meditando, observando, experiendo, supputando, post multa sæcula, post magnos errores, invenire potuerunt; ut docto in primis homini palam esse debeat, omnino datum nobis non esse, ut universa « quæ operatus est Deus ab initio usque ad finem » inveniamus (1). Hæc pluribus confirmare exemplis, et quidem luculentissimis, haud difficile foret, sed non est hujus loci ista disputatio. Illud potius non facile percipio, quomodo Mosis narratio, ut ea vulgo accipitur, sit hominum captui, rudium præsertim, valde accommodata. Puto, facilius homines intellexissent solem in principio immediate a Deo factum, quam ignotam illam primi diei et a sole distinctam lucem, cujus causa et usus et consequens status æque ignorantur; vel tres consequentes dies qui sine sole sunt, at mane habent et vesperam. Puto, facilius *aridam* una cum mari in principio Deum fecisse sibi persuaderent homines, quam terram primo aquis opertam, deinde die tertia Dei imperio ex undis emersisse, tota illa aquarum mole in humiliores globi partes recedente, quasi vero tunc et non antea vim accepissent aquæ per declive labendi, et suopte pondere deorsum tendendi, quod nonnulli existimarunt.

XV. Exponere naturales rationes quæ ad formationem terraquei globi, antequam ab homine habitaretur, longa temporis spatia videntur requirere, hoc esset integrum tractatum philosophicum conscribere, quæ sparta theologorum non est. Ego, ut nonnullorum desiderio satisfacerem, qua potui brevitate hic præcipua collegi.

Multorum fuit sententia, in principio totam telluris materiam cum materia solis, lunæ, astrorumque omnium, in unam massam inconditam et indigestam confusam fuisse et veluti conglobatam; cujusmodi Chaos est Hesiodi et Ovidii (2). Complures antiquorum, ait Petavius (3), initio rerum et ante dierum sex opera, informe quiddam et inconditum a Deo procreatum censent, quod ὕλην vel *materiam* appellant. Augustinus, lib. I *De Gen. contra Manich.* cap. v : « Prima materia, inquit, facta est confusa et informis, unde omnia fierent quæ distincta atque formata sunt : quod credo a Græcis χάος appellari. Sic enim et alio loco legimus dictum in laudibus Dei : *Qui fecisti mundum de materia informi* : quod aliqui codices habent *de materia invisa.* » Et cap. VII : « Informis illa materia, quam de nihilo Deus fecit, appellata est primo cœlum et terra, et dictum est : *In principio fecit Deus cœlum et terram* : non quia jam hoc erat, sed quia hoc esse poterat. Nam et cœlum scribitur postea factum. Quemadmodum si semen arboris considerantes, dicamus, ibi esse radices et robur et ramos et fructus et folia, non quia jam sunt, sed quia inde futura sunt.... Dictum est *cœlum et terra*, quia inde futurum erat cœlum et terra. » Etiam *terræ invisibilis et incompositæ et abyssi et aquæ* appellationibus eamdem putat designari materiam; *sed sub his omnibus nominibus materia erat invisa et informis de qua Deus condidit mundum.* Idem sentit in lib. XII *Confess.* cap. IV, VIII, XII. Hanc interpretationem Augustini exemplo, posuere Albinus Flaccus, Beda, Isidorus aliique qui Augustinum consuevere sequi, nec non Cæsarius, *Dial.* I, interr. 51. Attamen Augustinus in lib. *Contra adversarium Legis et Prophet.*, negat, Deum « informem prius fecisse materiam, » et intervallo aliquo temporis interposito, « formasse quod informe prius fecerat, » sed docet, « eam concreasse mundo. » Idem docet *De Gen. ad lit.* lib. I, cap. XV : quæ opinio a priore diversa videtur, nisi dicamus cum S. Thoma, I part. *Quæst.* LXVI, art. 1, quod his locis « Augustinus accipit informitatem materiæ pro carentia omnis formæ; et sic impossibile est dicere, quod informitas materiæ informis præcessit duratione, hæc erat jam actu, hoc enim duratio importat... dicere igitur materiam præcedere sine forma, est dicere ens actu sine actu, quod implicat contradictionem. » Prioribus vero locis Augustinus ab illa « materia confusa et informi » non exclusit omnem formam, et ita, juxta S. Thomam, Basilius, Ambrosius et Chrysostomus docuerunt, informem materiam ipsius formationem tempore præcessisse. Quomodocumque sit, qui sentiunt, Deum in principio creasse tantum materiam quamdam informem, et quoddam veluti chaos ex quo postea omnia corporea fecerit, videntur et ipsi ponere, ex eadem massa tum terrestria corpora tum cœ-

(1) *Eccles.* I, 13; III, 11.

(2) Vide Petavium, lib. I, cap. IV, § 1, 2; cap. XV § 1, 2.

(3) Lib. I, cap. II, § 1.

lestia formata fuisse, quod et Petavio visum est cap IV, § 1.

Quamvis recentiores philosophi solis et præsertim stellarum notiones habeant longe ampliores quam habuerint antiqui, et magis ad veritatem accedant; tamen hæc sententia non modo eorum placitis non adversatur, quinimo cum his perbelle cohæret. Geologi observatione docentur, creata corpora naturæ legibus commissa fuisse, atque harum ope, quidquid ipsæ efficere potuerunt, effectum; et præterea rerum mixtionem et quamdam veluti confusionem ordini præivisse (quod et Moses docuerat): quæ omnia cum sententia illa optime congruere videntur. Præclare vero cum illa convenit recentium astronomorum hypothesis. Hi in omnibus cœli partibus maculas quasdam luminosas, diffusas, quas *nebulosas* appellant, detexerunt. Quædam ex his, dum per valida telescopia inspiciuntur, in tot stellulas resolvuntur, uti quam *Galassiam* appellant seu *viam lacteam*: aliæ, contra, nec exquisitissimis explorata instrumentis, pari modo resolvuntur; sed aliqua tantum stellula in hujusmodi nebulosis apparet, vel prorsus nulla. Videntur itaque esse massæ quædam tenues, diffusæ et luminosæ materiei. Quæ majores sunt, irregularem ostendunt figuram, ad instar nubium quas trahit agitatque ventus: minores circulari formæ accedunt. Aliquando, inter duas ex hisce maculis quæ rotundæ, distinctæ et circumscriptæ sunt, tenue quasi filum nebulosæ substantiæ adparet, utriusque circumferentiam conjungens, quasi index et testis communis originis. Harum macularum lux valde tenuis esse solet et uniformis; verum huc et illuc spatiola quædam adparent magis luminosa, ubi densior luminosa materia creditur. Porro condensatio hæc ab universali gravitatione repeti potest, quæ circa quædam attractionis centra materiam conjungit. Si ita se res habet, nebulosa materia pluribus in locis hac vi dimota aperiatur et dividatur necesse est; quæque una erat massa, resolvatur in plures distinctas, proximas et aliquando per tenuem aliquam nebulositatem conjunctas, donec moleculæ istæ conformentur in sphæram cujus densitas a perimetro ad centrum crescat: ita paulatim satis distinctus a tenui circumstante materia nucleus fiet; qui tandem, dicunt, evadet stella quæ per aliquod tempus tenui aliqua nebulositate circumdata conspicietur. Sic, juxta illos, tot fient stellæ, quot attractionis centra in nebulosa illa exstiterunt.

Jam, temporis intervalla quæ ab hujusmodi transformationibus requiruntur, brevia esse non possunt; multum quoque juxta varias nebulosæ materiæ circumstantias variare inter se debent. Illæ igitur nebulosæ, quin earum materiam diverso tempore supponamus creatam, diversos status ex illis quos exposuimus exhibere nobis possunt, ut eas conspiciamus plus vel minus a perfectione sua, sive, ut ita dicam, a maturitate remotas. Illud adde etiam, quod distantiæ horum corporum a nobis valde inter se differre credendæ sunt: igitur etiamsi omnia ad eumdem maturitatis gradum pervenissent, nobis nihilominus diversos illos gradus diversa ostenderent. Dicunt hujus doctrinæ asseclæ, nos verarum stellarum formationem testes inspicere: verum in hoc non nihil est adnotandum. Nos enim revera non præsentia, sed præterita videmus: certum enim exploratumque est, in tempore lucem propagari. Quum itaque agitur de terrestribus rebus, certe sine sensibili errore præsentia nos perspicere, nobis ipsi persuadere possumus. At quum de remotissimis objectis sermo est, uti sunt stellæ fixæ et nebulosæ, decursus aliquis annorum necessarius est, fortasse sæculorum, ut, quoad remotiores nebulosas vix telescopiis perspicuas, multorum fortasse sæculorum, ut lux ab illis ad nos usque perveniat. Harum igitur speculator, non quod modo evenit videt, sed quod a longo tempore fuit. Potest quoque fieri ut in una videat quæ tempore *quartæ diei*, seu quartæ periodi genesiacæ, eveniebant; in altera quod ante quartam diem accidit, in altera quod prima *die* vel prima periodo. Possibile est, stellas, quarum formationi assistere se dicit astronomus, a multis jam sæculis esse perfectas, et ab eo fortasse tempore quo sol primo adparuit « in firmamento cœli, ut illuminaret super terram et præesset diei. »

Hujus doctrinæ, quam exposui, probabilitatem philosophice examinare Theologi non est. Hoc unum dico, nihil in ea, si quid video, rectæ fidei contrarium esse, dummodo confiteamur ab uno Deo omnem materiam creatam legesque, quibus illa regitur et perficitur, concreatas; neque reprehendendum puto summum physicum Andræam Ampere, qui scripsit hanc hypothesim nihil continere quod non optime cum textu Geneseos concilietur. Video modo idem asseri a canonico theologo Josepho Gatti (1).

Si hanc doctrinam admittimus, vel si, ab ea præscindendo, fateamur primis temporibus materiam solis et stellarum, tum errantium tum inerrantium, una cum parvæ nostræ telluris materia confusam in unam massam et conglobatam fuisse, magnam quoque temporis diuturnitatem admittamus necesse est, ut tellus nostra et Sol et Luna et Stellæ ab invicem separatæ, et aliæ luminosæ per se, quædam luce aliena indigentes, homini se conspiciendas exhiberent, quemadmodum sexta die vel periodo Adæ adparuerunt, et etiam quinta et quarta adparuissent, si tunc Adam creatus fuisset. Idem dico, si supponimus in eamdem massam fuisse conglobatam non omnium stellarum materiam, sed solaris tantum systematis et stellarum illarum quæ minus ab illo distant; imo etiam in hypothesi, quod unam

(1) *La prima settimana del mondo.* Torino, 1847, p. 128.

longe minorem confusam massam sola corpora ad solare systema pertinentia conficerent.

XVI. Præterea, stellarum fixarum lux ad nostram terram non pervenit, nisi post quoddam annorum intervallum, idque ob maximam earum a nobis distantiam, quamvis lucis velocitas velocitatem superet soni vicibus circiter 1 000 000. Astronomi distantiam astrorum determinant methodo, quam vocant, parallaxeos. Notum est, edita corpora, si e diversis locis perspiciantur, ad diversa cœli puncta a nobis referri. Ut minus corpora distant, ita magis distant inter se hæc cœli puncta, et e converso. Si maxima est corporis elevatio seu a tellure distantia, semper nos illud ad eadem cœli puncta referimus, hoc est, nulla observatur parallaxis. Jam, conspiciatur stella a duobus punctis extremis diametri orbitæ terrestris, id est duabus observationibus, quarum altera alteram post sex menses sequatur. Angulus quem cum una perpendiculari facit utraque linea visualis, diversus erit, nisi distantia tanta sit, ut pro infinita possit haberi; atque ita major erit diversitas, ut minor est distantia. Jam vero Astronomi, adhibitis licet exquisitissimis curis et instrumentis, nullam hujusmodi diversitatem invenerunt: et tamen aliquam advertissent, quod ex Trigonometria deducunt, si fixarum distantia a tellure radium orbitæ terrestris non excederet nisi vicibus 206 000, id est, nisi octo millionum milliones excederet leucarum. Hinc sequitur, nullam e stellis fixis quæ melius ad hunc diem observatæ sunt et magis observationi sese exhibent opportunæ (quin et probabiliter nullam e fixis), adeo nobis proximam esse, ut lux ejus ad nos perveniat ante duos annos.

Recentiores huic methodo præferunt observationem positionis relativæ duarum stellarum quæ valde sibi proximæ adpareant, verum altera post alteram sita longeque elatior sit, in qua positione notari immutatio aliqua potest. Parallaxis hæc adeo parva est, ut eam determinare difficillimum sit. Insignis astronomus Bessel, observationibus pluribus laboriosisque inquisitionibus parallaxin *stellæ duplicis* in constellatione *Cygni* determinavit, et adeo parvam, ut ex ea deducatur, radios lucis ab illa ad nos nisi post fere decem annos non pervenire. Cl. W. Struve determinare conatus est parallaxim stellæ quæ *a* Lyræ vocatur, et adeo exigua ipsi apparuit, ut lux illius ad nos pervenire nequeat, nisi post annos duodecim. Pulcherrimæ inter stellas duplices cœli australis, quæ *a* Centauri dicitur, parallaxis determinata ab astronomis Henderson et Maclear, major ipsis visa est: videtur stella minus remota, inter eas, quarum distantia aliquo modo determinata fuit: lux ejus ad nos perveniret triennio et paulo amplius. Parallaxim paulo majorem, adeoque minorem distantiam, alteri stellæ *Ursæ Majoris* assignandam putaverat Faye; verum observationes diligentissime institutæ a Peters, ab Ott. Struve et a Schlüter ostendere videntur hanc parallaxim minorem illa *Cygni* a Bessel determinata, adeoque hanc stellam illa remotiorem esse (1). Age vero: de visibilibus loquitur Moses, ut docet S. Thomas: ergo quando refert vers. 16, 17, Deum quarta die non modo solem, lunam et *stellas* fecisse, sed et « posuisse eas in firmamento cœli ut lucerent super terram, » certe indicat, ex illa die vel periodo non modo solem et lunam, sed et stellarum magnum saltem numerum, luce sua terram illustrasse. Quare, multo magis sexta die *militiam cœli* seu multitudinem stellarum, Adam contemplari potuit. Tamen, si dies illi fuerunt 24 horarum, quot stellas fixas videre potuit Adam illa, qua creatus est, die? Quot primo aut secundo anno quo in lucem venerat? Modo circiter octo millia fixarum sese exhibent oculis nostris nullo adjutis instrumento; tunc ne unam quidem fixam vidisset Adam, sed solum quinque errantes stellas, Saturnum, Jovem, Martem, Venerem et Mercurium, qui postremus ob nimiam solis propinquitatem vix unquam per breve tempus conspicitur; aliæ vero quatuor raro simul omnes super horizontem adparent. Hæ totam constituissent *militiam cœli* ab Adamo primis annis inspiciendam; quod cum Geneseos contextu non satis mihi congruere videtur. Ad miracula confugere, nullis testibus, ridiculum esset: non est tali *dignus vindice nodus*. Docet enim ad rem Suarius cum TT. communi: « Opera miraculosa vel extraordinaria absque necessitate vel sufficienti testimonio audienda non sunt, » *De Opere sex dierum*, lib. II, cap. VII. Hinc probabilius fit, tempus quod hominis creationem antecessit haud ita breve fuisse. Verum e cœlo sidereo in terram descendamus.

XVII. Parvam globi terraquei partem, scilicet, corticem solummodo, explorationi humanæ permissum esse, satis constat: conjiciendo tantum et phantasiæ habenas relaxando philosophi et poetæ inferius descendunt. Crassities explorati corticis vix pervenit ad leucam; quæ est 1/1400 pars terrestris diametri. Exploratio tamen hujus tenuis corticis satis fuit, ut multa certo, multa vero probabiliter determinarentur quoad geogoniam, quæque cum Mosis narratione optime conciliantur (2), dummodo angustis temporis limitibus geologicæ operationes non alligentur. Hoc unicum est geologiæ postulatum; quo concesso,

(1) Humboldt. *Cosmos*, trad. par H. Faye, tom. III, p. 226-230. Paris, 1851.

(2) « Cependant les résultats obtenus par la seule considération de cette fraction minime, ont suffi pour tirer des conséquences très-importantes, et pour déduire d'une manière assez plausible un système de *géogonie* satisfaisant pour notre intelligence, et parfaitement d'accord avec le récit des livres saints; résultat d'autant plus remarquable qu'à l'époque où ces livres furent écrits, on n'avait encore aucune connaissance directe sur la structure de la terre. » Salacroux, *Hist. nat. géolog.* (Paris, 1836), p. 913, v. p. 917.

non inutilem illa sociam et amicam religioni sese offert.

Quomodo hic cortex constitutus sit, brevissime inspiciamus. Telluris epidermis terreno cultui idoneo seu, ut modo dicunt, *terra vegetali* componitur. Multis in locis adparent vel sub terreno illo inveniuntur, sive fluvialium alluvionum depositiones, sive aliæ aquarum continentalium, plerumque *calcareæ* (ut lapis *tiburtinus* appellatus), sive corpora a *vulcanis* ejecta; quæ circumscriptæ et locale *formationes* sunt vel recentes vel temporum non adeo antiquorum, vel certe *formationibus* magis extensis et subjacentibus recentiores. Sub hac epidermide, si fodiatur, reperitur series stratorum quæ plerumque, si in planitie fodimus, horizontali directioni valde accedunt, alterum alteri superimpositum, et inter se tum crassitie duritieque differunt, tum natura substantiarum mineralium seu inorganicarum quibus constant, nec non ob præsentiam vel absentiam, copiam et diversitatem *fossilium organicorum*, quæ sunt reliquiæ corporum ad regna organica pertinentium, quæ ex illis sæpe effodiuntur. Verum si satis progredimur, fossilia hæc deficiunt, et distinctio stratorum minus manifesta evadit; et si ultra etiam excavatio produceretur, tandem nullum hujus indicium adpareret, sed probabiliter massa saxea compacta reperiretur ignotæ profunditatis: talis enim massa, quasi basis quædam, semper strata cernitur sustinere, ubi ultimum ex his conspicitur. Si in terreno collino vel montano fodimus, eadem invenimus, nisi quod strata plus vel minus obliqua esse solent. Aliquoties verticalia sunt: verum super hæc obliqua aut verticalia nonnunquam alta extenduntur horizontalia: aliquando stratum directionem mutat, et ex obliquo fit horizontale, vel opposite obliquum: nonnunquam strata abrupta sunt et pars altera inferius reperitur, vel duæ partes ab invicem recessisse videntur, et vallis interponitur: sæpe vero hiatus repletus invenitur materiis mineralibus a materia parietum omnino diversis. At si in montis vertice fodimus, ubi rupes sit *compacta* nullaque adparent strata; tum nulla, quantumvis effodiamus, strata reperiemus, sed semper *continuam* saxeam rupem, illis similem quæ stratorum in plano et in minoribus montibus bases esse videntur. Hæ rupes *continuæ* (sine stratis), aliæ item haud absimiles illis eisque immediate superpositæ, sed in strata distinctæ, et etiam sæpe foliacæ seu, ut dicunt, *schistosæ*, quæque pariter fossilibus organicis carent, *primitivæ* seu primordiales dici solent. Fossilifera dicuntur *terrena* (1) in quibus fossilia organica reperiuntur, quæ terrena primitivis illis superimposita sunt.

(1) *Terrenum* dicitur Geologis summa massarum inorganicarum quæ, quantumvis differant quoad speciem et originem, producta tamen videntur eadem temporis periodo. Ita dicuntur *terrena primitiva*, *secundaria*, *inferiora*, *superiora*, etc.

Una cum tellure creatos *montes primitivos* veluti *certam veritatem* sumebant nonnulli, inter quos Gerdilius (2). Verum hæc doctrina non potest amplius defendi. Nam in *terrenis*, ut vocabant, *primitivis*, longe magis quam in aliis, plus minusve distincta aut confusa, perfecta vel imperfecta *crystallisationis* opera perspiciuntur, quæ naturalium legum operationem manifeste produnt, et anteriorem fluidum statum supponunt. Secundo, in physicis characteribus magnam analogiam terrena illa ostendunt cum terrenis vulcanicis, quod etiam originis similitudinem indicare videtur. Tum substantiæ quæ primitivæ dictæ sunt, ut *granitum*, aliquando ex imo se ejaculatas satis ostendunt, et in interstitia superjacentium rupium insinuatas. Præterea sæpe ad latus primitivarum rupium adjacent strata fossilifera, e maris sedimentis formata, quod marinæ ostendunt exuviæ: hæc autem non amplius horizontalem aut fere horizontalem directionem, quam certe primitus habuere, sed valde obliquam et aliquando verticalem præ se ferunt; quam novam positionem procul dubio acceptam referunt substantiis illis, quas dicimus *primitivas*, e profundo erumpentibus et in altum extollentibus quæ ipsis obstabant: quod nonnisi vi subterranei ignis fieri potuisse videtur: ab hoc proinde præsens illorum corporum status originem trahere dicendus est. Tandem inveniuntur, saltem in terrenis primitivis per strata distinctis, in ipsis saxi visceribus, aliorum lapidum fragmenta et ipsa ex primitivis rupibus, at diversæ speciei; quod ostendit, illa nec *primitiva* stricto sensu, nec in eo, quo nunc conspiciuntur, statu fuisse creata. Omnia igitur quæ observantur terrena, post creationem materiei, naturæ viribus, id est juxta leges a Creatore impositas corporeæ naturæ, elaborata fuere. Analogia duce, idem credere possumus de solidis substantiis mineralibus inferioribus, quorum aspectu frui nobis non licet. Revera nulla apparet ratio, cur Deus interiores partes globi immediate perfecisse dicendus sit; corticem vero hominibus datum, veluti rem minoris momenti, causis secundis permisisse. Jam vero si tota telluris pars solida naturæ viribus perfecta est, hoc certo opus non fuit paucorum dierum. Miraculo acceleratos a Deo naturæ effectus asserere, inopportunum esset; quod paulo ante cum Suario advertebam. Nec Pererio placet Deum supponere in perficienda natura frangentem leges a se ipsi naturæ impositas; et confugere in physicis ad miracula non necessaria, ait, idem esse ac rationum defectum fateri (3), quod ejus effatum refert et approbat P. Nicolai (4).

XVIII. Magis evidenter consequentia illa descendit ex digilenti examine terrenorum fossiliferorum, quæ certe facta sunt post creata entia orga-

(2) *Saggio d' istruzione theolog.*, opp. ed. Rom., tom. X, pag. 312.

(3) *In Genes.* II, 5, 6.

(4) *Lezioni sul Genes.*, lez. XVI, p. 295.

nis prædita, et postquam hæc super terram et in aquis multiplicari cœperant. Quæ terrena immediate *primitivis* superextenduntur (1), sæpe valde elevantur ad latera montium primitivorum, et sola etiam montes satis magnos aliquando constituunt. Quæ his recentiora videntur plerumque minus elevantur. Terrena enim quorum strata aliis terrenis superposita sunt, jure illis recentiora censentur. Si tellus nullas passa esset perturbationes, hæc strata, quæ in aquis formata se produnt, concentrica essent atque adhuc aquis cooperta. Igitur necesse erat ut, ante creationem rerum quæ supra terram vivunt, pars terrestris corticis supra aquas elevaretur, et appareret arida. Id evenisse, montium dispositio et inclinatio stratorum ostendunt. Strata non semper *concordantia* (2) seu parallela sunt, sed sæpe *discordantia* (3), quod tum fit quando certam quamdam directionem vel inclinationem strata ostendunt alicujus terreni, et ab illis diversam superposita strata (4). Cum strata ex sedimento maris genita certo (5) perspicimus non parum inclinata, concludendum est, illa perturbata ab originaria positione, sive elevata fuisse. Si supra hæc ad horizontem inclinata latera, adparent alia strata marina horizontalia (6), concludendum est, hæc maris sedimenta posteriora fuisse inclinationi et perturbationi subjacentis terreni (7), atque tum ante tum post perturbationem illam, mare satis tranquillum ibi materiam stratorum deposuisse. Frequentes sese offerunt hæ *discordantes* stratorum dispositiones in montium lateribus; hoc est, in monte vel in montium serie diversa strata non concordant. E. g. hic (8) adparet terrenum quoddam A inclinatum, superpositum vero B horizontale; alibi (9) A et B *concordantia* sunt et inclinata; C vero superpositum, horizontale; alibi (10) terrena A, B, C inclinata sunt, et D superimponitur horizontale, etc. Hinc deducitur, primam elevationem terreni A præcessisse formationem B; secundam factam fuisse inter depositionem B et alteram C; tertiam vero inter C et D.

Præterea sæpe quædam ex hisce terrenis in multis regionibus non reperiuntur, licet adsint inferiora et superiora terrena; sæpe in quibusdam terrenis reperiuntur sedimenta *palustria* seu aquæ, ut dicunt, *dulcis*, omnino a marinis sejuncta; sæpe terrestres inveniuntur exuviæ et præsertim maxima copia vegetalium substantiarum quæ aliquando se ibi viguisse ostendunt unde effodiuntur : ex his sequitur, quasdam regiones e mari emersas, post certam periodum, iterum sub aquas resedisse, ut iterum ex novis marinis sedimentis incrementa reciperent.

In infimis et antiquioribus stratis *fossiliferis* (11) effodiuntur una cum quibusdam zoophytis et testaceis, nostris maribus ignotis, crustacea quædam ex familia *trilobitarum* appellata, quæ in plura genera distribuitur et quam ante primam existentiam animalium vertebratorum periisse credunt geologi : non enim in superioribus stratis nec in mari, ut nunc est, reperitur. In his terrenis sunt strata carbonifera et anthracites. Hæc terrena statim excipit terrenum *carbonicum* (12), ex quo maxima effoditur copia carbonis fossilis et multæ vegetantium reliquiæ quæ vegetationem satis adultam produnt. Tum adparere incipiunt conchylia parva aquæ dulcis et quidam *pisces sauroides*, qui nunc non amplius in aquis reperiuntur. Altius ascendendo (13) detectæ sunt reptilium, nempe *saurianorum* (magis lacertis affinium) exuviæ. In superiore terreno (*trias* vocatur) vestigia adparent quæ ab avium pedibus impressa creduntur, et alterius animantis, unius probabiliter e reptilibus *batracianis* (ex ranarum familia). In terreno, quod dicunt *Jurasticum*, præter vegetabilia et animalia sine vertebris, reperti sunt extraordinarii Sauriani aquatici, et *Pterodactyli*, scilicet volantes reptiles, probabiliter insectivori. In hoc terreno, una cum pluribus marinis fossilibus, repertæ dicuntur primæ reliquiæ mammalium, verum ex minus perfectis animantibus hujus classis: reliquiæ illæ sunt parvæ mandibulæ ex animali illo quod *Didelphus Buchlandii* appellatum est (14): verum nonnullis (15) probabilius hæc ossa ad classem istam non videntur referenda; cl. Agassiz probabile putat, ea ad aliquod mammiferum ex aquatilibus pertinere. Revera exuviæ mammalium in terreno *cretaceo* (quod recentius præcedenti creditur) nunquam repertæ sunt, sed pisces, etiam aquæ dulcis, testudines fluviatiles, sauriani marini et terrestres, exuviæque avium quæ aquæ ripas colunt. His terrenis, quæ *secundaria* appellantur, superinsident quæ *tertiaria* dicuntur. In his, una cum innumeris fossilibus marinis (quæ magis

(1) Hæc a multis *terrena transitionis* vocata sunt, quia repræsentant veluti *transitum* a terrenis sine fossilibus ad *fossilifera*.

(2) Vid. Tab. I.

(3) Vid. Tab. II.

(4) In fig. 1 et 2, tab. II, strata A, inclinata sunt relate ad strata B, et ipsa inclinata.

(5) Ita dico, quia minus experti facile errare possunt in his discernendis. Ita in fig. 5, tab. II, etsi videamus in strato A divisiones ad horizontem inclinatas, non debemus concludere A discordare a strato B; nam illa structura potest non a *stratificatione*, sed a peculiari aliqua circumstantia originem ducere.

(6) Tab. III, fig. 1.

(7) Idem dicendum de casu fig. 4, tab. II, licet terrenum suppositum horizontale sit.

(8) Tab. III, fig. 2.

(9) Ibid., fig. 3.

(10) Ibid., fig. 4.

(11) Terrena *cambriana* et *siluriana* appellantur : hujus pars superior audit terrenum *devonianum* a Devonshire.

(12) *Terrain houiller* Gallorum.

(13) Scilicet in terrenum quod *peneanum* appellant.

(14) Vid. fig. apud Buckland, *Geolog. and Mineralog.*, vol. II, pl. II; Beudant, *Géologie*, fig. 192.

(15) Grant, Blainville. Vid. Blainville, *Comptes rendus des séances de l'Académie des sciences*, 1838, sem. 2, p. 402, 727.

quam præcedentia hodiernis viventibus assimilantur) effodiuntur exuviæ quadrupedum terrestrium : verum antiquiores (1) inter hos adeo a nunc viventibus differunt, ut diversa prorsus genera constituant (2) : recentiores pertinent ad genera aut iis quæ nunc vivunt valde similia (3), aut eadem cum illis, uti sunt genera *Elephas, Rhinoceros, Ippopotamus, Castor, Mus;* quædam etiam ad Simias vel ad feras carnivoras, at raræ sunt.

Pluribus in locis, super hæc terrena sedimenti aquei, adparent deposita illa quæ ab alluvionibus sive a currenti et perturbata aqua repetenda videntur, et tamen a depositis recentium et hodiernarum alluvionum differunt, et antiquiores illis sunt : vocantur autem *terrena diluviana* seu *Diluvium.* Ex his terrenis multæ effodiuntur animalium reliquiæ, tum ex generibus nuper indicatis, tum ex aliis, præsertim equi, cervi, bovis, et etiam ursi, canis, hyenæ, felis, etc.

Ut recentiora sunt terrena, ita fossilia organica, cæteris paribus, minus a naturali statu mutata se præbent, et species animantium quæ adparent ad ordines et classes magis elevatas utriusque regni organici referuntur, et fossilia ad vegetalia et animalia quæ nobiscum vivunt, magis accedunt.

Ex hac brevissima (4) adumbratione ejus status, quem terrena et fossilia obtinent, sequitur, tellurem nostram plures vicissitudines et perturbationes ante tempora historica passam esse; multas regiones maris fluctibus per longum tempus opertas, et quasdam plus semel, fuisse; multas animantium species, quin et integras familias, aliis in earum locum succedentibus, super terram omnino periisse : denique animale regnum (idem fere de vegetali dicendum) non intra breve spatium duorum solarium dierum, sed successive, gradatim et paulatim in lucem editum; atque novas animalium classes tum demum apparuisse, cum alia multa animantia non modo jam creverant et multiplicata fuerant super terram, et aquas maris repleverant, sed jam et vivere et multiplicari cessaverant. (Quæ omnia non intervallum duorum aut quatuor solarium dierum, sed seriem sæculorum postulant. Hoc vero non contrarium esse Dei verbo, sed solum vulgari interpretationi quarumdam vocum cap. I *Geneseos,* et satis probatum puto, et melius ex interpretatione capitis illius demonstratum iri confido.

XIX. Si quis hæc omnia phænomena et fossilium distributionem (dicam cum Lynnæo) noetico diluvio adscribat, qui subito erumpens, cito transiit, hic profecto peregrinus est in cognitione naturæ, et aliorum oculis videt, si quid videt. « Maris conchæ et buccinæ » quæ, ut Tertullianı utar verbis, « peregrinantur in montibus, » a diluvio illo probabiliter olim repetenda putabantur; verum, re nunc longe accuratius explorata, omnem hæc opinio probabilitatem amisit. Et sane, tribuemusne diluvio noetico lapidea zoophytorum spolia, quæ in insula *Timor,* testante Peron, usque ad 223 hexapedas supra maris libellam elevantur? Aut extensum illud stratum madreporicum subterraneum quod ad utrumque latus montis *Pugliasco* (in agro Placentino in Italia) se protendens, observavit Cortesi (5)? qui etiam describit lapideum stratum a vermibus, ut dicunt, lithophagis ubique perforatum, quod aliis stratis conchyliferis subjectum est. His similia memorantur ab Ambrosio Soldani Abbate Camaldulensi et a Baldassarri. Hic (6) vulgari diluviano systemati tria opponit : *primo,* strata a lithophagis perforata; *secundo,* polyparia quæ reperiuntur in ea ipsa naturali positione, quam in mari exhibent; *tertio,* distributionem concharum vel aliorum aquatilium quæ sæpe non confuse et temere miscentur, sed distributæ inveniuntur veluti per familias, quod et in mari observatur. Hæc distributio valde obvia est et a multis adnotata, præsertim a Soldani (7) et a Brocchi (8). Verum id maxime est advertendum in fossilium distributione et serie, potius ordinem successivum creationis, quam tremendi cataclysmi perturbationem indicari atque ipsis oculis quodammodo subjici. Præterea, quis ab ea repetendas putabit continuas montium series, quorum regularia strata confusas et inordinatas diluvii depositiones nullatenus indicare videntur, e. g. Apenninum qui, maxima ex parte ab aquis genitus, multis in locis maris exuvias ostendit? Multa alia ejus strata his carere videntur : verum natura, dispositio et continuatio stratorum unam eamdemque utrorumque originem declarant : et ubi desunt grandiora conchylia, sæpe superabundant minima et microscopica marina corpuscula, quod et præterito sæculo Soldani (9) advertebat (10).

(1) *In terreno* quod *parisiense* appellant.

(2) *Palæotherium-Anaplotherium.*

(3) *Mastodon* quem quidam putant in genere *Elephas* ponendum. Vid. *Mém. de l'Acad. impér. de S. Pétersbourg,* tom. V, p. 474 (1815).

(4) Ampliorem descriptionem vide ex. gr. apud Beudant, *Géologie,* § 90-113.

(5) *Saggi geolog.,* p. 30, 35, 39.

(6) *Atti di Siena,* tom. III, p. 244.

(7) *Saggio orittognostico,* p. 54.

(8) *Conchiol. fossile subapennina,* tom. I, p. 142.

(9) *Testaceographiæ et Zoophitographiæ.... Prolegom.* part. XI (1709) : « Dubitant nonnulli, an prœalti Apennini in Thuscia ex aquis marinis originem duxerint. Incerti adhuc essemus ac sub judice lis penderet, si grandioribus conchyliis dirimenda relinqueretur; his enim, quæcumque exstiterit causa, fere omnia carent Apenninorum strata. Contra hæc ipsa sæpe redundant marinis corpusculis minimis in editissimis locis, ut in eo cui nomen *il Foresto* prope scaturiginem perennis fontis ex quo Arnus ortum ducit, et in ipsis rupibus Alverniæ montis, in illa ejus parte quæ dicitur *la Penna.* Ibi vel integra apparent strata lapideo-calcaria aut arenaria, utraque aliquando conchylifera conchyliis minimis. Quo sane fit, ut jure merito Apenninos, magna saltem ex parte, ab aquis olim genitos judicemus. Hujus rei plura dedimus argumenta in *Specimine oryctographico.* » Sic ipse cap. I.

(10) Ad rem scite Buckland. Ea opinio, quæ montium

Quod si daremus, quod tamen plura ex dictis concedere non sinunt, omnia terrenorum, quæ *tertiaria* appellantur, fossilia diluvii noetici reliquias esse, non inde sequeretur pariter illi tribuenda antiquiora strata fossilifera, quin potius opposita legitime descenderet conclusio. Revera, nonne prodit diversam originem diversitas effectuum, naturæ scilicet, duritiei et inclinationis stratorum, nec non diversa copia et natura fossilium quæ in tertiariis terrenis, et præsertim in recentioribus, similiora hodiernis viventibus reperiuntur? Si epocha una fuit unaque origo terrenorum omnium fossiliferorum, cur quæ antiquiora sunt, pauca fossilia continent, abundant vero metallis, quæ ita deficiunt in stratis, uti hæc recentiora sunt? Cur quæ magis fossilibus scatent, ea nec multum elevari nec valde ab horizontali directione differre solent? Cur hisce illa semper subposita, nunquam vero superimposita videmus? Cur in his marina corpora melius conservata cernimus, et plerumque ipsam eorum testam non petrefactam, non vero vel unum illorum nucleum lapideum aut typolitum? Cur solummodo in recentioribus mammalia reliquerunt exuvias? Quibus interrogationibus sane haud ita facile responderi potest ab his qui hypothesim illam diluvianam tuentur.

Attamen dum negamus, terrena omnia fossilifera diluvio esse adscribenda, non inficiamur profecto illius certissimi eventus veritatem etiam naturalium scientiarum testimonio confirmari, qua profaman confirmatam traditione nullus dubitat sapiens. Verum de hoc alio tempore dicere me posse aliquid confido. Hæc quæ exposuimus, si quid video, sufficiunt ad eos refellendos qui terrena fossilifera omnia repetenda putarent a mari multas regiones vel eodem tempore vel successive occupante in ea annorum intercapedine quæ inter Adæ creationem et noeticum diluvium interposita est; quæ Gerdilii (1) et aliorum opinio fuit. Quod quidem de quibusdam recentioribus sedimentis, non vero de terrenis fossiliferis generatim, concedi potest. Ut mittam, intervallum hoc breve Geologis videri, progressiva illa fossilium distributio de qua locuti sumus, esset in hac hypothesi effectus sine causa.

XX. At accedamus ad sacri textus explicationem quam, post tam multa quæ præmisimus, breviorem facilioremque futuram confido.

« Sex dierum illorum narrationem ac dispositionem omnem, ait Theophilus Antiochenus (2), nemo pro dignitate potest exponere, nec si infinita quidem ora infinitasque linguas habeat: sed neque si innumerabiles annos hac in vita transigat, idoneus erit ad ista, uti par est, explicanda. » Ego certe nec *pro dignitate* illam, neque ut par esset exponere valeo : attamen id conor facere pro modulo meo, quod suis temporibus Basilius Magnus, Ephrem Syrus, Joannes Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus aliique SS. PP. faciebant, quodque veteres Theologi, inter quos SS. Thomas et Bonaventura præstiterunt, nempe ut hodiernarum utens præsidiis scientiarum Mosis narrationem elucidem atque exponam; quæ narratio quamvis simplex sit nec ad fucum affectata, res tamen maximas et arduas continet, etiam juxta litteram accepta. Spiritales sensus qui litterali superadduntur non sunt quidem spernendi, imo sunt nonnunquam permagni æstimandi : verum de his agere non est hujus loci ubi sex dierum opificium juxta litteram exponendum sumpsi.

« Patrum sententias adferam (dicam cum cl. præsule Josepho Rossi), non eas tamen, quæ ad res physicas et astronomicas pertinent : nam Patrum ætate talium rerum cognitio rudis adhuc erat et inchoata : hæc postea cœpit perfici philosophorum solertia : perficitur in dies, et quo perficitur magis, eo hexaemeri scientia magis explicatur. Veniet tempus quo profunda naturæ patefiant; et posteri ea de nobis judicia ferent, quæ nos de veteribus, quos in scientia naturali quas pueros videmus : tunc profecto hexaemeri divinitas pleniori lumine clarescens, oculis etiam adversantium se ultro ingeret (3). »

Explodenda vero omnino est sententia, quæ docet, nihil crassum et corporeum narratione ista comprehendi, sed intelligibilia omnia proponi et a sensibus remota, quæ sensibilibus rebus, velut figuris, adumbrentur; totamque hanc mundi orientis historiam allegoricam esse. Tribuitur hic error Origeni, qui cum in aliis, simplici et litterali spreta vel damnata Scripturarum sententia, ad allegorias figuratosque sensus omnia transtulisse, tum mundi nascentis mosaicam historiam eadem ludificatione pervertisse accusatur.

Hanc Origenistarum insaniam ex professo refellere, hujus loci non est. Satis sit admonere,

strata omnia diluvio adscribit Mosaico, conciliari nequit cum enormi crassitie et infinitis pene subdivisionibus stratorum, neque cum seriebus multiplicibus et regularibus reliquiarum animalium et vegetalium quas continent, et quæ eo magis differunt a speciebus modo existentibus, quo major est stratorum e quibus effodiuntur, profunditas. (*Geology and Mineralogy*, vol. I, p. 16.)

(1) Loc. cit. « Si può supporre, che nella formazione della terra l'asse del l'Equatore fosse perpendicolare al piano dell'eclittica, come hanno pensato molti filosofi: e qui in vece di supporre con questi che l'asse siasi tutto a un tratto inclinato, come è presentemente, non ripugna che quella inclinazione sia venuta a poco a poco nell'intervallo di 1656 anni dalla creazione fino al diluvio, e ciò anche con alternative oscillazioni, sinache siasi equilibrato nella posizione in cui si trova presentemente... Ciò posto, le acque del mare avrano potuto accumulare più facilimente strati su strati nel proprio seno, ed in questi avvolgere sostanze terrestri di ogni genere che la sorte avrà gittate in mare. Le acque, col loro moto progressivo inoltrandosi nelle terre, avranno lasciate scoperte quelle alture e quelle valli, ed in tal guisa si sarrano formate le montagne adiacenti ai monti primitivi. »

(2) Lib. II *ad Autolycum.*

(3) *Hexaemeron.* Neapoli, 1777, p. 2.

illam esse contra omnes hermeneuticæ leges, et neminem qui sanæ sit mentis ita libros historicos interpretari; atque, quod caput est, illam a SS. PP. et ab Ecclesia rejici. Contra Origenem disputat Epiphanius, *hær.* LXIV, et uberius in *Anchorato*, et declamat in ejus asseclas Sophronius Hierosolymitanus (1). «Tantum absumus, ait Petavius, ab eo ut quæ de cœli terræque creatione ac dierum singulorum opificio scripsit (Moses), spiritales ad nescio quas interpretationes transferri patiamur, nullam ut in tota illa narratione, cap. I, nisi corporearum rerum mentionem putemus fieri : de Angelis vero cæterisque corpore carentibus Mosen omnino tacuisse. Nam, *cum ad Judæos verba faceret, qui præsentibus perdite erant affixi, nec intelligibile quidquam imaginari poterant, ab sensibilibus illos interim ad universorum opificem provehit*, ait Chrysostomus (2). Gregorius quoque Nyssenus, lib. *in Hexaem.*, de rebus tantummodo corporeis disputare Mosen existimat, nec non Severianus, *hom.* I, Procopius, et Cyrillus in II *Cont. Jul.* (3).»

(1) *Epist. ad Sergium C. Politanum.*

(2) Homil. 2 *in Genes.*

(3) Petavius, *De Oper. sex dierum.* Procem. § 4 et 5.

DE PRIORIBUS VERSIBUS GENESEOS.

XXI. Primus sacræ Scripturæ liber a Græcis dicitur Γένεσις, quod sonat *origo* vel *natalis*, quia a narratione originis et nativitatis tum mundi tum humani generis exordium ducit. Non nemini placuit Genesim interpretari *terræ originem;* quod non videtur admittendum, quamvis verum sit magis de telluris nostræ natali, quam de rerum omnium origine agere hic Mosen. Hebræi a prima voce hunc librum vocant *bereshith*, pro recepta consuetudine, qua « voluminibus ex principiis eorum nomina imponunt, » ut scribit Hieronymus (1).

« In principio creavit Deus. » Optime a creatione orditur Moses; nihil est enim quod Dei cum hominibus relationes, a Deo hominis dependentiam, ac Dei majestatem, omnipotentiam cæteraque cum illius notione connexa commendet æque ac creationis notio, et creati mundi aspectus. Quare a Deo creatore etiam symbola fidei exordium sumunt : creatio vero ut primus fidei articulus, ita et primus historice eventus est. Dei, quem unum, verum ac bonum profitemur, existentiam, ex hoc aspectabili universo Tertullianus adstruit, lib. I *Contra Marc.*, cujus fictum et commentitium Deum, quem diversum a Creatore et ignotum hactenus ille introducebat, hac potissimum exceptione removet : « Deum ex operibus cognosci debuisse alicujus proprii sui mundi et hominis et sæculi... Unam saltem cicerculam Deus Marcionis propriam protulisse debuerat, ut novus aliquis Triptolemus prædicaretur. » Hinc per Jeremiam, cap. X, 11, Spiritus Sanctus : « Dii qui cœlos et terram non fecerunt, pereant de terra et de his quæ sub cœlo sunt. » « Ex creaturis, ait Hieronymus, intellexi Creatorem; et per singula quæ fecisti et quæ quotidie operaris in universo mundo, totus obstupui et, sensu humanitatis amisso, in sanctam amentiam sum conversus (2). »

« In principio, » hoc est, « ab initio temporis, » uti habet Concilium Lateranense, sive « in principio temporis, » uti ait Augustinus, vel « in exordio mundi, fieri cœpit, quando, » ut loquitur Ambrosius, ante creaturas non erat tempus. « Simul cum tempore cœlum et terra creata sunt, » ait Aquinas (3). « Nullum autem, scribit Augustinus, posset esse præteritum tempus, quia nulla erat creatura, cujus mutabilibus motibus ageretur (4). » Ideo Ambrosius dixit : « In principio, id est, ante tempus (5). » Principium rei alicujus ipsi anterius est, uti primus pedis motus anterior ambulationi : quapropter melius mundus *una cum tempore*, quam *in tempore* creatus dicitur. Nec male, nisi vehementer fallor, aliquis dixit, Deum mundum creasse « in sua æternitate, extra tempus » (6), non ut æternum adstrueret mundum, sed ut anterius tempus excluderet. Actus ipse creationis eorum quæ *in principio* creata sunt, nullum intervallum temporis implevit. « Omnia, scripsit Gregorius Nyssenus, momento fuere et sine ullo temporis spatio : *principium* non sinit ullum nos cogitare intervallum... Ut lineæ punctum, ita momentum est principium temporis. » Et S. Thomas : « Nihil est temporis, nisi *nunc;* unde nihil potest fieri, nisi secundum aliquod *nunc;* non quia in ipso primo *nunc* sit tempus, sed quia ab eo incipit tempus (7). »

Hebraica vox רֵאשִׁית derivata videtur a רֹאשׁ

(1) *Quæst. hebr. in Genes.*

(2) *In Habac.* III.

(3) I part., *Quæst.* XLV, art. 3, ad 1.

(4) *De Civit. Dei*, lib. II, VI.

(5) *Hexaemer.* lib. I.

(6) In sua eternità di tempo fuore,
Fuor d' ogni altro comprender, com' ei piacque,
S' aperse in novi amor l' Eterno Amore.
Nè prima, quasi torpente, si giacque;
Chè nè prima nè poscia procedette
Lo discorrer di Dio sopra quest' acque.

Ita Dantes, *Par.* cap. XXIX, 16-21. Illud *Fuor d' ogni altro comprender*, intelligendum puto *extra omne aliud spatium.* Non in spatio existente Deus mundum creavit, sed una cum spatio : antea erat solus Deus immensus et æternus.

(7) Loc. cit. ad 3.

caput; unde Aquila (interpres *qui non solum verba, sed etymologias quoque verborum transferre conatus est*, ut de illo Hieronymus) (1) vocem illam reddidit hoc loco ἐν κεφαλαίῳ. Hæc vox in bibliis id, quod *primum* est, constanter demonstrat : *primum* dico, sive tempore, ut *Deut.* XXXIII, 21, sive loco, pretio et dignitate, ut *Num.* XXIV, 20, sive etiam causa, ut *Prov.* XVII, 14, quo tamen sensu nunquam hanc vocem a Mose usurpatam scio. Quum primum tempore significat, aliquando ipsum indicat temporis initium, ut *Deut.* XI, 12, et sæpe primitias sive proventuum, *Exod.* XXIII, 19; *Lev.* II, 12, XXIII, 10; *Num.* XV, 21, XVIII, 12, sive filiorum, id est primogenitos, quos רֵאשִׁית אוֹן *primitias roboris,* Hebræi solent appellare, *Gen.* XLIX, 3; *Deut.* XXI, 17. Ex his tribus notionibus, primam, quæ ordinem temporis significat, huic loco maxime congruere et maxime obviam esse nemo non videt. Eam idcirco interpretes omnes, quos novimus (excepto Hierosolymitano, qui vertit, *in Sapientia*) vel secuti sunt, ut Onkelos, Pseudo-Jonathas, Samaritanus, Arabs, Æthiops, Persicus et Vulgatus; vel secuti esse putari possunt, uti Aquila, Syrus, qui vocem hebræam retinuit, et Septuaginta, qui vertunt ἐν ἀρχῇ. Nec melius reddi potest illa vox, quam cum Vulgata, *in principio.* Quod cum absolute et indefinite proferatur, dicendum est significare principium cujuscumque temporis, seu momentum quo tempus cursum incœpit (2). « Initio tu, Domine, terram fundasti; et opera manuum tuarum sunt cœli (3). »

Si bene docuit Rabbi Maimonides (4), illud Mosi ab ipso narrationis exordio fuisse propositum, ut Sabæorum errorem mundo æternitatem tribuentium subverteret, certe a scopo illo aberrasset, si vocem *bereshith* non ea mente adhibuisset, ut primum temporis momentum significaret. SS. Patres satis communiter vocem illam hoc sensu accipiunt. Ita Basilius, ita Joannes Philoponus, ita Procopius (5). Ambrosii jam et Augustini verba recitavi. Hic *Contra Advers. Legis et Prophet.* scribit : « Ut *principium* sit ex quo esse cœperunt. Non enim Deo coæterna semper fuerunt, sed facta : initium ex quo esse inciperent acceperunt. » Tertullianus primam Geneseos vocem interpretatur *a primordio*, lib. I *Contra Marc.* cap. X; et *Contra Hermog.* cap. XIX, ait, « principium initium esse; et comperisse ita poni rebus incipientibus fieri... Ita principium sive initium, inceptionis esse verbum, non alicujus substantiæ nomen » Cyrillus Alexandrinus docet, Mosen voluisse ostendere, non carere principio cœlum et terram, nec eadem cum Deo æternitate constare, sed in tempore potius in lucem prodiisse (6). Addo, Concilium Lateranense, IV, 2 (7), sanxisse, Deum *ab initio temporis* utramque de nihilo creaturam condidisse, angelicam videlicet et mundanam : in qua definitione, licet Genesis non citetur, tamen vix aut ne vix quidem dubium esse potest, quin Concilii Patres in ejus versum primum oculos intenderint.

XXII. Fatendum est, apud antiquos pervulgatam multumque communem opinionem fuisse, *principii* appellatione hoc loco *Verbum* significari, sive *Filium*, quamvis hanc interpretationem excludat Joannes Philoponus (8). Imo ita legi in hebræis codicibus aliqui, Hieronymo (9) teste, affirmabant, quos refellere vanum foret. Tamen opinio hæc et non contemnendis argumentis, et auctorum numero, et antiquitate se tuetur. Et primo, fateri debemus, posse hoc in loco voci illi hanc notionem subesse. Per ipsam enim *causa* quandoque significatur. Filium autem Dei, Verbum æternum, omnium creaturarum causam esse nos docent scripturæ, sive quum omnia *per ipsum* creata fuisse dicunt (10); sive quum ipsum nomine *principii* designant, *Coloss.* I, 16, 17; *Hebr.* cap. I, 2; II, 10; adeoque et « principium creaturæ Dei, » vel « creationis, » *Apoc.* III, 14, operumque a Deo factorum, *Prov.* VIII, 22, vocant. Eccur itaque, inquiunt, hic Dei Filius, æternumque verbum nequiverit ita vocari initio Geneseos, ut vox *bereshith* idem heic valeat ac *per principium,* id est *per Filium, per Verbum ?* Præpositio בְּ hanc quoque vim habet, uti et græca ἐν, et nonnunquam latina *in* (quibus interpretes usi sunt) non modo in scripturis sacris, sed et in profanis; quare Theophilus Antiochenus de primis verbis *Gen.* scripsit : « In principio.., » id est, « per principium » (11). Si autem omnia per ipsum (Verbum) « et in ipso creata sunt, » si ipsum est « principium creationis, » num id in historia creationis erat tacendum ? Si alii bibliorum scriptores, ubi creationem commemorarunt, Verbum Dei non omisere, non ejus meminisse debuit Moses Cosmogoniæ historicus ? Præsertim, testante ipso Christo : « De me enim ille (Moses) scripsit, » *Joan.* V, 46; quod tamen effatum ad prima verba Geneseos non necessario refertur. Præterea docet Moses, Deo *dicente* seu ejus *Verbo*, cætera opera facta fuisse, quibus materiam a se creatam in varias rerum formas digessit : « Patre loquente, dicitur Verbum quod Filius est, » ait Augustinus (12) : probabile igitur videtur, docuisse illum, etiam per Verbum materiam fuisse creatam.

(1) *Ad Pammach.* epist. 58, al Cl. § 11.
(2) Vid. Fr. Xav. Patritii *De Interpret. SS. Scriptur.*, lib. II, Quæst. I, art. 1 et 3.
(3) *Psalm.* CI, 26.
(4) *More Nevochim.*
(5) Basilius, *Hexaemer.* Homil. 1.— Philop., *De Mundi creat.* lib. I, cap. III. — Procop., *in Genes.*
(6) Lib. II *Contra Julian.*
(7) Cap. I, *Firmiter.*
(8) Lib. I *De Mundi opif.*, cap. I.
(9) *Quæstion. hebr.*
(10) *Sap.* IX, 1; *Joan.* I, 3; I *Cor.* VIII, 6; *Ephes.* II, 10; *Coloss.* I, 16, 17; *Hebr.* I, 2; II, 10.
(11) *Ad Autolyc.* lib. II, § 13.
(12) *De Genes. ad lit.* I, 5; *Confess.* XII, XIX, XX, XXVIII.

Verbum *in principio* de Filio Dei dictum esse docuerunt, præter Origenem (1), Theophilus Antiochenus (2), Clemens Alexandrinus (3), Marius Victorinus Afer (4), Evagrius (5), Basilius (6), Augustinus (7), Ambrosius (8), necnon Beda, Eucherius et alii, quibus nec Tertullianus nec Hilarius repugnant, imo nec Hieronymus, qui in hunc sensum verba illa accipi posse concedit (9).

Tot tantisque præsidiis munitæ sententiæ probabilitatem negare non audeo (10). Verum prima illa magis obvia magisque communis omnino retinenda est. Sensus vere litteralis illius *in principio* hic mihi esse videtur, quem et facile Hebræi intelligebant, et tum mundum æternum, tum creationem visibilium a spiritibus creatis factam excludit, « nempe in principio temporis, seu ante omnia. » Nec video quomodo, obvia hac explicatione posthabita, ad arduam divini Verbi cognitionem ascendere potuerint Hebræi qui, ut a Chrysostomo audiebamus, § 20 : « intelligibile quidquam imaginari non poterant. » Hunc vero, de creatione per Verbum, sensum puto esse secundum, at nobiliorem et *spiritalem* qui postea decursu temporis, quando nempe « temporis advenit plenitudo, patefaciendus » reservabatur. Revera plures ex Patribus huic interpretationi faventibus priorem etiam admittunt, scilicet Basilius, Ambrosius, Augustinus et Tertullianus. S. Thomas, *Quæst.* XLVI, art. 6, illud *in principio* exponit « in principio scilicet temporis, » nec non, quod fere idem est, *ante omnia*, et etiam, *in principio*, id est *in Filio*, ad excludendum errorem eorum qui posuerunt « duo creationis principia, unum bonorum, aliud malorum. »« Sicut enim principium effectivum appropriatur Patri propter potentiam, ita principium exemplare appropriatur Filio propter sapientiam ; ut, sicut dicitur : *omnia in sapientia fecisti* (11), ita intelligatur Deum omnia fecisse in principio, id est in Filio, secundum illud Apostoli *ad Coloss.* I : In ipso scilicet Filio, condita sunt universa. » Etiam Albertus Magnus utramque expositionem defendit (12).

XXIII. *Creavit* בָּרָא. Hæc vox apud Mosen creationem veram (ex nihilo, ex non-ente) significat hic et vers. 3 et 4 cap. II ; et aliquando *novum* aliquid et extraordinarium a Deo effectum, ut *Num.* XVI, 30, ubi Moses minatur « novam rem faciendam a Domino, ut aperiens terra os suum deglutiat eos, » nempe Datan et Abiron cum suis. De hac voce, quare in vers. 21 et 27 hujus capitis usurpetur, dicemus infra. Kocherus, vir hebraice doctus, scribit : « Verbum *bara* de illis quæ per Omnipotentiam Dei quasi e nihilo mirabiliter existunt, adhiberi solet (13). Ait David Kimchi (14) *bara* est transitus ex nihilo ad existentiam. » Idem docet Maimonides (15). Audiamus Deylingium (16) : « Docet exemplorum inductio, cui omnino in hac doctrinæ parte standum est, *bara* esse verbum soli Deo dicatum, et quod de divinis duntaxat operationibus adhibetur. Rem actu tetigisse mihi videtur Jacobus Gusetius in *Comm. linguæ hebrææ* sub voce *bara*, quando hunc vocum fecit ordinem, ut עָשָׂה sit genus quoddam, פָּעַל species subalterna actiones rationalium agentium notans, et בָּרָא species specialissima ad actiones Dei restricta. Itaque, quemadmodum פָּעַל non communicatur causis brutis, eo quod involvat proprietatem brutis incommunicabilem, rationis videlicet vim ; sic *bara* non communicatur creaturis, quia involvit attributum creaturis incommunicabile, nempe infinitatem. Quapropter operari per infinitatem, seu per vim infinitam *bara* esse arbitratur, et merito exponi *producere rem ex nihilo*, seu *ex materia indisposita et inhabili*, ad quod utrumque infinitas potentiæ supernaturaliter operantis requiratur. »

At, quod caput est hoc in loco, conjuncta vox *bara* voci *bereshith* nihil aliud quam creationem ex nihilo significare potest. *Bereshith* nunquam pro adverbio usurpatur ab Hebræis, unde non est explicandum, *primo creavit*, id est *prima actio Dei* fuit creatio cœli et terræ. Nec potest intelligi *primum*, id est *prima res creata a Deo* ; obstat enim præpositio בְּ, *in*. Quare propria illius vocis notio, hoc in loco ea est, quam expressit vulgatus interpres, vertens, *in principio*, hoc est *in principio temporis, creavit*. At quomodo in principio temporis, quando nulla erat creatura, fecit Deus aut creavit, nisi ex nihilo sive non-existentibus? Si materia jam erat, tunc sane neque rerum neque temporis principium fuit.

Præterea verba hæc : « In principio creavit Deus cœlum et terram, » aut nihil significant, aut productionem ex nihilo materiæ universæ, aut ejus conformationem. Hanc autem certe non significant ; nam post hanc creationem terra est ἄμορφος, *inanis, vacua* et *tenebrosa*, nec terra proprie dicta, sive *arida*, adparet nisi tertio die ; nec primum cœlum, seu « firmamentum dividens inter aquas et aquas, » constituitur ante secundum diem ; nec astra in cœlo adparent, nisi die quarto. Restat ergo, Mosen illis verbis significasse materiam universam ex nihilo a Deo productam. Vide Patritium, *Quæst.* I, art. 2, 3, 4.

(1) Homil. 1 *in Genes.*, § 1.
(2) *Ad Autolyc.* lib. I ; § 3 ; lib. II, § 10.
(3) *Stromat.* lib. VII, § 7.
(4) *De Generat. div. Verbi*, 127.
(5) *Consult. Zacchæi Christ.* II, cap. III.
(6) Locis cit. et aliis.
(7) *Homil.* 1.
(8) *Hexaemer.* lib. I, cap. IX.
(9) *Quæst. in Genes.* I, 1.
(10) Patritii, loc. cit., *Quæst.* II.
(11) *Psalm.* CIII.
(12) *Summa*, part. II, tract. 11, Quæst. XLII.
(13) *Vindiciæ S. textus hebr. Isaiæ*, ad XLVIII, 7.
(14) *Radic. hebr.*
(15) *More Nevochim*, lib. II, cap. III.
(16) *Observat. sacrar.* part. I, observ. 3, § 3.

Clarius hoc patet si attente consideremus vers. 3, cap. II, ubi legimus : *In ipso cessaverat ab omni opere suo, quod creavit* בּרא *Deus ut faceret* לעשׂות, ubi clare se prodere videtur differentia inter *creare*, utique ex non-existentibus, et *facere* seu *formare*.

XXIV. Judæos verba Mosis in eum, quem tuemur, sensum accepisse, atque adeo nunc accipere, facile intelligimus; cum sententia hæc de rerum creatione temporanea semper illis fuerit communis (1), cujus rei testes sunt locupletes Josephus in *Archæol.* lib. I, cap. I; Philo, *De Mundi opificio;* Eusebius, *De Præp. Evang.* lib. VII, et Moses Maimonides, qui primum ex tredecim articulis judaici symboli eum commemorat, quo Deus creditur mundi auctor ex nihilo. Habemus autem firmiorem sermonem. Salomon aperte negat rerum universitatem ab omni æternitate extitisse, ubi affirmat Sapientiam divinam fuisse ante omnia opera Dei, *Prov.* VIII, 22, hebraice, ante terram, vers. 23-26, ante abyssum, vers. 24, ante fontes et flumina et montes, vers. 25-26, ante cœlos, vers. 27, id est antequam « Deus crearet cœlum et terram, » antequam esset « terra inanis et vacua cum tenebrosa abysso, et aquis. » Ita Jesus filius Sirach, Dei operibus tribuens *initium, Eccli.* XVI, 26. Ita illa « supra modum mater mirabilis, quæ pereuntes septem filios conspiciens, eos hortabatur repleta sapientia, » et postremo qui adhuc supererat, dicebat : « Peto, nate, ut adspicias ad cœlum et terram et ad omnia quæ in eis sunt; et intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, et hominum genus, » II *Machab.* VII, 20-29. Nescio an alicui in mentem venerit opponere, septem martyrum matrem *patria voce* locutam, vers. 27, adeoque quæ in græco libro illo leguntur verba ipsa ad ea prolata non esse : sed eam cum Mose dixisse tantum hebraice *bara;* græcum vero scriptorem reddidisse *ex nihilo* (ex non-ente) *fecit.* At si ita est, habemus scriptorem libri canonici aperte testantem Mosis *bara* significare *creationem ex non-ente.* Qui vero heterodoxi sunt, et hunc librum inter canonicos non ponunt, agnoscere tamen debent, pium atque eruditum illius temporis hominem legisque in primis studiosum minime dubitasse Mosis *bara* ita intelligendum esse; hoc sensu etiam a mulieribus fuisse illud intellectum, adeoque hanc certam interpretationem, ab omnibus receptam et nemini Judæorum ignotam fuisse.

Nec a suæ gentis doctrina discedunt, sed sublimiora exponunt, sive Paulus docens in Christo Jesu « condita universa in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia; omnia per ipsum et in ipso creata, » et ipsum esse *ante omnes,* id est, ut græca ejus verba intelligere suadet contextus), *ante omnia, Coloss.* cap. I, vers. 16, 17; sive Joannes unum ponens « in principio Verbum » (non cum eo materiam), per quod « omnia facta sunt, » (adeoque et materia cœli et terræ), et addens, « et sine ipso factum est nihil, » vel « factum est neque unum, » *Joan.* cap. I, vers. 1-3. Ergo nec informis materia, aut « terra inanis et vacua, » aut *aqua,* aut *abyssus.*

Hos secuta catholica Ecclesia semper professa est, Mosen de vera et non æterna creatione locutum esse, semperque mundum sine Creatore aut sine initio rejecit. Ecclesiæ Patres, initio ducto ab Herma, temporum apostolicorum scriptore, *Pastor.* lib. I, Vis. 1, constanter et unanimiter creationem ex non-existente seu ex nihilo docent. Concilium Lateranense jam laudatum ita profitetur : « Firmiter credimus, quod unus solus est verus Deus... Creator omnium visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, » etc. Ubi Concilium rejicere intendit non modo creaturarum æternitatem, sed etiam, ut docet S. Thomas in Opusc. super hanc Decretal., errorem Origenis « ponentis quod Deus a principio creavit solas spirituales creaturas et postea, quibusdam earum peccantibus, creavit corpora quibus, quasi quibusdam vinculis, spirituales substantiæ alligarentur, ac si corporales creaturæ non fuerint ex principali Dei intentione productæ, quia bonum erat eas esse, sed solum ad puniendum. »

Concludamus : idea seu ratio creationis, juxta mentem Ecclesiæ et Patrum in eo sita est, ut sit rei productio ex nihilo sive ex non-existentibus; quod ante creaturas in tempore existentes non aliud fuerit nisi Deus, in Deo autem idea universorum. Hinc verum est quod docet S. Anselmus (2) : « Ea quæ facta sunt ex nihilo, nonnihil erant antequam fierent, quantum ad rationem facientis. Etenim, inquit, videre mihi videor quiddam, quod non negligenter discernere cogit, secundum quid ea quæ facta sunt, antequam fierent, dici possint fuisse nihil. Nullo namque pacto fieri potest aliquid rationabiliter ab aliquo, nisi in facientis ratione præcedat aliquid rei faciendæ quasi exemplum sive, ut aptius dicitur, forma vel similitudo aut regula. Patet itaque quoniam, priusquam fierent universa, erat in ratione summæ naturæ quid aut qualia aut quando futura essent : quare cum ea, quæ facta sunt, clarum sit nihil fuisse antequam fierent, quantum ad hoc, quia non erant quod nunc sunt, nec erat ex quo fierent; non tamen nihil erant quantum ad rationem facientis, per quam et secundum quam fierent. »

XXV. *Deus* אלהים *Elohim* : unum est ex hebraicis Dei nominibus, quod derivatum ab אל, *fortis,* Dei creatoris potentiam speciatim ostendit. Nomen hoc habet pluralium terminationem : tamen non-

(1) Brucker. *Hist. crit. philos. Per.* II, part. I, lib. II, cap. III, sect. 1, *De Philosoph. Judæorum exoterica,* § 2, num. 31-34.

(2) In *Monologio.*

nisi singulariter sumi potest, quando, uti hoc in loco, singulari verbo (creavit) conjungitur et vero Deo applicatur, cujus unitas ubique in scripturis prædicatur vel supponitur (1). Voltairius hæc verba ita satyrice interpretatur : *Dii fecerunt*, vel *Dii fecit cœlum et terram* (2). Reponit illi Guénée, in hebraica lingua certa quædam nomina, terminatione pluralia, sumenda esse ut singularia, præsertim quum contextus orationis vel conjunctio cum verbo aut cum adjectivo singulari ostendunt de uno aliquo sermonem esse. Ita ait : quamvis Mizraim, Ephraim etc., pluraliter desinant, singulariter sunt accipienda, dum agitur de filio Cham, aut de nepote Jacobi. *Adonim* plurale est : at quando filii Jacobi ita appellant fratrem suum Josephum (3), non potest verti *domini*, sed singulariter *domine*. Ita in re nostra vox *Elohim*. Aliquid simile in nostris linguis existit, in quibus plurale *vos* indicat sæpe singularem personam (4) et est observantiæ indicium. Ideo, addit Guénée, fortasse assueverant Hebræi inflectendis pluraliter vocibus quæ potentiam, vim, aut dignitatem indicarent, uti sunt *Elohim* et *Adonim*. Certum est *Elohim* hebraice, quando Deo tribuitur, semper cum verbo singulari construi : at quando de Angelis vel de Principibus usurpatur, cum plurali verbo sociatur. Nunquam autem Hebræi pluralitatem sub hoc nomine significatam deorum, quamvis ad idololatriam proclives essent, intellexerunt.

Pluralitatem divinarum Personarum doctores quidam conjunctione hac singularis verbi *creavit* cum plurali *Elohim* indicatam crediderunt, ut in singulari verbo unitas divinæ Essentiæ, unico actu *ad extra* in unoquoque opere agentis, et in nomine pluralis terminationis personarum pluralitas significaretur. Saltem fatendum est, iis quibus hoc mysterium revelatione innotuit, constructionem illam apparere congruentiorem.

XXVI. *Cœlum et terram.* Prima vox הַשָּׁמַיִם verti potest etiam *cœlos* : pluralis est terminatio, at nunquam eam adhibent singulari terminatione. « Cœli et terræ nomine universa creatura significata est quam fecit et condidit Deus. » Ita Augustinus (5) : multi alii intelligunt omnes spiritales et corporales creaturas. Missos faciamus modo spiritales : saltem totam universi materiam iis verbis comprehendi, non dubito. *Exod.* cap. XXXI, vers. 17, *cœlum et terra* opera creationis omnia certe comprehendunt. « Sex diebus fecit Dominus cœlum et terram, et in septimo ab opere cessavit. » Nullam certe creaturam excludebat Moses dum carmen suum ita incipiebat : « Audite cœli, quæ loquor, audiat terra verba oris mei, » *Deut.* cap. XXXII, vers. 1. Alibi etiam sacri scriptores *cœli et terræ* nomine rerum universitatem significant. Legimus *Isai.* cap. I, vers. 2 : « Audite cœli, et auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est. Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me; » et apud *Jerem.* cap. XXIII, vers. 24 : « Si occultabitur vir in abscondito, et ego non videbo eum, dicit Dominus? Numquid non cœlum et terram ego impleo, dicit Dominus? » Paulus ponere videtur *cœlum et terram* idem esse cum mundo atque omnibus quæ in eo sunt. Ita enim Athenienses alloquitur, *Actor.* cap. XVII, vers. 24 : « Deus qui fecit mundum et omnia quæ sunt in eo, hic cœli et terræ dominus cum sit, non in manufactis templis habitat. » Profani quoque scriptores cœlum et terram aliquando pro rerum universitate sumpserunt, uti Homerus et Plato. Ab auctore libri *De Mundo ad Alexandrum*, definitur mundus : « Mundus est collectum aliquid e cœlo atque terra, atque ex iis naturis quæ intra ea continentur. » Juxta Maiemonidem vera interpretatio hujus versus est : « In principio creavit Deus res superiores et inferiores, » quod est omnia, sive quæ in cœlis, sive quæ in terra sunt. Nec vero hanc rerum distributionem quis damnet, ex eo quod mundi pars minima terra est. Nam non modo hæc erat Mosi peropportuna distributio, cum non minus de terra, imo multo magis de ea, quam de cœlo et astris loqui vellet, sed fere necessaria; nam, ut animadvertere Christianus Wolfius (6) et Mazzocchius (7), cum careret antiquior Hebræorum lingua vocabulo, quod mundum significaret, ad hanc periphrasim confugiendum erat, qua et modo Ecclesia in symbolis utitur. Præterea hæc distributio valde obvia est, et terrigenarum naturæ conformis : duo enim sunt, quæ sensus nostros percellunt, *cœlum* quod nobis imminet, et *terra* quam incolimus et nobis substat : unusquisque, natura duce, distribuit corpora in superiora ac remota, quæ tantum visu attingere possumus, et in inferiora ac proximiora, quæ aliis quoque sensibus pervia sunt. Aristoteles (8) mundum considerat veluti in duas partes distributum, scilicet in mundum sublunarem et superiorem. Alexander de Humboldt (9) fatetur, scientiam creatarum rerum quoad homines, duas partes habere distinctas, nempe tellurem nostram et spatia cœlestia, omnemque humanam de natura conceptionem, recentissimas non excludendo, semper cœlum a terra veluti duas regiones, superiorem et inferiorem separasse. Concludamus : his verbis

(1) Etiam ubi asserit Dei unitatem Scriptura utitur hac voce, *Deuter.* IV, 33, 39; VI, 4 et alibi.

(2) *Les Dieux firent*, ou, *les Dieux fit le ciel et la terre.*

(3) *Genes.* XLII, 10.

(4) « Ego (addit) si alicui dicam : *Vous êtes un très-bel esprit, mais vous n'êtes pas un profond hébraïsant;* illa *vous êtes et vous n'êtes pas,* licet *pluralia,* conjuncta cum *un*, unique tantum dicta, *singularem* habent sensum. » Guenée, *Lettres de quelques Juifs à Voltaire.* — Vid. etiam Veith, *Scriptura sacra contra incredulos propugnata, Pentateuch.* sect. II.

(5) *De Genes. contra Manich.* I, cap. V.

(6) *Theolog. natur.*, part. I, cap. I, § 68.

(7) *Spicileg. bibl.* tom. I, p. 14.

(8) *Meteorolog.* I.

(9) *Cosmos.*

(*cœlum et terram*) omnem substantiam, saltem materialem, contineri.

Animadverte, eos qui putant *bara* hic non esse creare ex non existente, sed *formare*, necessario dicere *in principio* Deum omnia formasse. Jam vero si *in principio* absolute id præstitit, quid postea fecit? quid ex. gr. quinto vel sexto die, qui certe post principium fuere? dicentne illud *in principio* totum sex dierum spatium comprehendere? At hoc nonnisi absurde dicerent, saltem postquam probatum est, in illis diebus diuturnas periodas et sæculorum seriem latere.

Putant nonnulli, et in his Petavius (1), illa verba: « In principio creavit Deus cœlum et terram, » non peculiare opus aliquod continere, quod initio ante dies sex molitus sit Deus, sed esse generale quoddam effatum, quo omnia quæ sunt a Deo facta Moses complexus sit, qui postea per partes ac singillatim, ut quæque res est elaborata, eam descripsit. Hanc sententiam amplexus erat Cyrillus Alexandrinus (2), ejusque meminit etiam Augustinus (3). Quinimo alibi (4) commemorat tanquam non improbabilem. Eamdem S. Thomas (5) Chrysostomo tribuit : verum hic non ita docuisse ipsi Petavio videtur. Meminit hujus opinionis etiam Basilius (6), sed ab illa dissentit.

Aliis multis dissentiendum videtur, et, si quid video, jure meritoque. Non enim postea narratur materiei creatio, sed supponitur. Statim post illa verba invenimus « terram inanem et vacuam, abyssum et aquam, » quæ quomodocumque explicentur, corporeæ creaturæ sunt; postea vero materiam jam videmus creatam, ex ea enim varia corpora, et ipsum Adæ corpus conficiuntur. Astrorum materiam quarto die creatam fuisse, probabile non est; et Petavius ipse (7) eam ab initio creatam ponit. Adde quod qui ita sentiunt, supposuere, illud *in principio* totum sex dierum intervallum comprehendere, quod, puto, non facerent, si nunc viverent et statum hodiernum naturalis scientiæ cognoscerent. Præterea probavimus, Mosen primo versiculo docere veram rerum creationem ex nihilo : in reliquo capite describit formationem rerum ex jam creata materia; ergo non idem docet vers. 1 generatim, et sequentibus enucleatius ac per partes; sed diversa docet, nempe primo creationem materiei non existentis, postea formationem rerum materialium ex materia jam existente, « creavit ut faceret, » cap. II, vers. 3 : primo docet Deum « in principio creasse, » postea eum in tempore fecisse. Advertendum est illos, quibuscum nunc disputamus, tenere, creationem rerum ex nihilo revelatam esse doctrinam. Jam dicemusne Mosen non ita intelligendum : « In principio Deus creavit cœlum et terram : hæc autem statim ac creata est, inanis erat, » etc.; sed ita : « In principio creavit Deus cœlum et terram; et ecce quomodo hoc Deus fecit : terra erat inanis et vacua? » etc. Quamnam terram hic memorat, si hujus adhuc est narranda creatio? quando vero erat terra inanis et vacua? an antequam crearetur? Hæc opinio fortasse ab eo tantum minus absurde defendi potest, qui neget, Mosen de vera creatione verba facere; quod et ejus verbis et sanctis Patribus atque Ecclesiæ interpretationi et doctrinæ contrarium esset. Num non est Deus mundi auctor, nisi uti sculptor statuæ? Et tamen quis dicat : sculptor ita statuam fecit Apollinis : statua Apollinis erat rudis, etc.; et non potius : marmor erat? etc. « Olim truncus eram, » ait illa Priapi statua apud Horatium, *Satyr.* VII.

Dicendum est igitur, Deum in exordio mundi, in principio temporis totam simul creasse materiam, ex qua postea singula erant corpora efformanda. « Primo facta, postea composita declarantur, » ait Ambrosius (8); et Gregorius (9): « Rerum substantia simul creata est, sed simul species formata non est; et quod simul extitit per substantiam materiæ, non simul apparuit per speciem formæ. »

> Utque istum faceret dives sapientia mundum,
> Cuncta simul genuit; sed post hæc semina rerum
> Ornavit superinductis informia formis.
>
> (MAR. VICTOR., Lib. I *Carm. in Gen.*)

Salomon Ben-Melech cum aliis doctis Judæis prima illa verba interpretanda censet : « In principio creavit Deus essentiam cœli et essentiam terræ. » Cui consonare videntur versio Syriaca et S. Ephrem Syrus (10).

Simultanea creatio materiei satis explicaret illud *Eccli.* : « Qui vivit in æternum, creavit omnia (κοινῃ) *simul*, » XVIII, 1. Verum ait Petavius, nihil aliud ibi significari, nisi omnia *simul*, id est *pariter* et ex æquo creasse Deum, ita ut nihil aliunde ortum ac fabricatum possit afferri (11).

Pro coronide animadversionum in primum vers. Geneseos afferre placet argumentum Tertulliani contra Hermogenem (12). Moses narrat operatorem, nempe *Deum*, et opera, id est *cœlum et terram*, et tacet de *materia ex qua* Deus hæc fecit. « Si materia non editur ubi et opera et operator eduntur, apparet ex nihilo eum operatum : perinde enim ederetur *ex quo*, si ex aliquo fuisset operatus... Cum heic, *Joan.* I, manifestetur et factor, id est *Deus*, et facta, id est *omnia*, et per

(1) Lib. I, cap. II, § 10.
(2) Lib. II *Contra Julian.*
(3) Lib. I *De Gen. ad lit.* cap. III; et *Confess.* XII, XVII.
(4) Lib. I *Contra advers. legis.*
(5) Part. I, *Quæst.* LXVIII, art. 1, ad 1.
(6) *Homil.* 3.
(7) Lib. I, cap. X, § 10, et cap. XV, § 1.
(8) Lib. I *Hexaem.*, cap. VII.
(9) *Moral.* I.
(10) *In Genes.* I.
(11) Petavius, *De Opif.* lib. I, cap. V, 4; *De Angelis*, lib. I, cap. XV, 11, 12.
(12) Cap. XX, XXI, XXII.

quem, id est *Sermo* (Verbum), nonne et unde omnia facta essent a Deo per *Sermonem*, exegisset ordo profiteri, si ex aliquo facta essent? Ita quod non fuit, non potuit scriptura profiteri, et non profitendo, satis probavit non fuisse, quia profiteretur si fuisset.» Addit, «non tantam fuisse necessitatem aperte significandi de nihilo facta omnia, quanta esset, si ex materia facta fuissent. Quoniam quod fit ex nihilo, eo ipso dum non ostenditur ex aliquo factum, manifestatur ex nihilo factum; et non periclitatur ne ex aliquo factum existimetur, quando non demonstratur ex quo sit factum. Quod autem ex aliquo fit, nisi hoc ipsum aperte declaretur ex aliquo factum, dum illud ex quo factum sit non ostenditur, periclitatur primo videri ex nihilo factum; dehinc etsi ea sit conditione, ut non possit videri non ex aliquo, perinde periclitabit *ex alio* longe factum videri, quam ex quo factum est, dum non proponitur unde sit factum... Adeo Spiritus Sanctus hanc scripturæ suæ rationem constituit, ut quum quid ex aliquo fit, et unde fit, referat. *Fruticet*, inquit, *terra herbam fœni, seminantem semen secundum genus, et lignum fructuosum...* Et rursus: *Et dixit Deus: Producant aquæ repentia animarum vivarum.* Si ergo ex jam factis rebus alias res Deus proferens, ostendit per prophetam et dicit quid unde protulerit, si tantam curam instructionis nostræ insumpsit Spiritus Sanctus, ut sciremus quid unde processerit; nonne perinde nos de cœlo, et de terra compotes reddidisset, significando unde ea esset operatus, si de aliqua materia origo constaret illarum? Ut multo magis ex nihilo ea videretur operatus, quando nihil adhuc erat factum, ex quo operatus videretur... Adoro Scripturæ plenitudinem, quæ mihi et factorem manifestat et facta. In Evangelio amplius et *ministrum* atque *arbitrum Factoris* invenio *Sermonem*. An autem de aliqua subjacente materia facta sint omnia, nusquam adhuc legi.» Hæc et plura Tertullianus. Et revera, diligens et eruditus poematis alicujus commentator adnotat unde poeta acceperit, quæ hic ex historicis vel poetis aliis sumpsit, non vero quæ a nullo accepta de suo protulit: quum nihil adnotat, satis ostendit, se credere ea suum poetam non ab aliis sumpsisse, sed e suo ingenio protulisse.

XXVII. Conclusionem præcipuam quam ex vers. 1 *Genes.*, et ex nostris animadversionibus deducimus, scilicet mundum non esse æternum, sed a Deo creatum ex nihilo, *articulum fidei* esse, catholici omnes consentiunt. At nonnulli olim cum hoc dicerent illud intelligebant: veritatem hanc, quod mundus incœperit, sola fide teneri, *demonstrative* autem *probari non posse* (1). At nunc, postquam melius considerata res est, contrarium omnino dicendum suadent et veritatis amor et religionis tuendæ desiderium. Nec repugnat, aliquem fidei articulum demonstrative posse probari: nam quamvis fides sit «sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium,» *Hebr.* II, tamen potest Deus veritatem argumentis philosophicis demonstrabilem hominibus revelare, quæ posteaquam revelata fuerit, evadet et ipsa fidei articulus. Qui demonstrationem ignorat aut eam non intelligit, habebit pro argumento unam fidem: qui vero cognoscit et intelligit, ita debebit animo esse paratus, ut rem illam esset crediturus, etiamsi nulla demonstratio, nullum humanum argumentum accederet. Quidam etiam inter scholasticos ratione probarunt, mundum incepisse: qua de re legendus Toletus in *Arist. Phys.* (2), sed præcipue rem confecit Gerdilius (3).

Rem nullam a Deo creari ex æterno potuisse, communem fuisse veterum Christianorum, qui de hoc tractarunt, sententiam, eoque argumento adversus Arianos sæpe ac libenter usos esse, asserit et probat Petavius (4). Methodius Martyr contra Origenem contendit mundum ex æterno creatum non fuisse, nec potuisse, quia *impossibile est id quod initio productionis est circumscriptum, simul cum eo, quod finem ac terminum nullum habet, fine itidem ac termino carere.* Ita Methodii disputatio plus momenti ad rem nostram habet, quod cum creatis rebus æternitatem detrahit, non sic interpretari licet, ut eam solam adimat, quæ Dei propria est, et nec participata nec mutabilis est. Methodius necessario intelligendus est de æternitate participata et secunda, quam mundo a Deo creato assignabat Origenes, quamque Methodius possibilem negat. Zacharias Mitylenæus fuse probat *æternitatem esse solius Dei propriam, neque mundum ejus posse esse participem.* «Oportet, ait inter cætera, antiquiorem esse opificem opere suo, siquidem quod fit, factore suo posterius est causa et tempore, nisi forte non voluntaria esse debet, minimæque considerata, uti umbræ corpus. Quinam opifex erit opifex, si non volens ejus quod fecit opifex fuerit? Aut si velut umbra corpus, ita simpliciter opificem secutum est casu quodam simul existens cum illo istud universum?» Similiter ratiocinantur Joannes Damascenus et Anselmus in *Monologio*, XXVII. Auctor *Confut. dogmatum quorumdam Aristotelis* inter opera S. Justini (5) plura disputat contra motus et mundi æternitatem; ait inter cætera: «Si quidquid fit, non erat antequam fieret, non ergo æternum et sine principio tempus: idcirco nec motus,

(1) Vid. S. Thomam, I part., *Quæst.* XLVI, art. 2, et Cajetanum in h. l.

(2) Franc. Toleti S. J. *Comment. in Aristot. de Physic.* in lib. VIII, cap. I et lib. II, text. 2, Quæst. I.

(3) *Essai d'une démonstration....* in Oper. Gerdilii, edit. rom., tom. IV, p. 261. — *De infinit. absolut.* tom. V, p. 1. — *Saggio d'istruzione teolog.*, tom. X, p. 273.

(4) *Theolog. dogm. De Deo Deique proprietat.*, lib. III, cap. VI.

(5) In novissima edit. Oper. S. Justini (Ienæ, 1849) hæc leguntur, tom. III, part. I, p. 143.

cujus numerus est tempus, est æternus et sine principio. » Plura leges apud Petavium ex Athanasio, Nysseno, Cyrillo Alexandr., Maximo M., Augustino, Fulgentio aliisque.

Joannes Philoponus librum edidit contra mundi æternitatem, ejusque propugnatorem Proclum. Ibi, ait Petavius, trita illa, sed firmissima adversus Aristotelem objicit, quod et infinitum actu et reipsa ponitur, si mundus existit ab æterno, contraquam ipsi visum est Aristoteli : quippe cum infinita numero individua rerum omnium extiterint, quæ ex infinito intervallo ortum habuerunt; et infinitum transiri exhauririque potuit, quoniam infinitarum generationum quocumque in tempore postrema designari potest. Adde infinitum illud temporis spatium, quod ex æterno fluxit, finitæ singulorum, v. g. hominum vitæ intervalla componere: finitum autem finito additum non potest infinitum aliquid facere. Huc usque Petavius. His adde S. Bonaventuram in II *Sentent.* Quæst. II, art. 1.

Si Deus rerum universitatem non creavit ex nihilo, certe æterna est omnis mundi materia. In hac hypothesi motus quoque est ponendus æternus, nisi fingamus omnino pro arbitrio, materiam illam tota æternitate quievisse, ac tandem, post æternam quietem, motum a Deo accepisse. In prima hypothesi, necesse est ponere infinitum numerum revolutionum, solis, e. g., vel telluris, hoc est, infinitum a motuum serie genitum; quod est evidens absurdum. Nam series 1, 2, 3, 4, 5... nunquam ad infinitum perveniet aut infinitum dabit, sed semper numerum, id est summam unitatum. In numero non nisi absurde infinitum quæritur, et tantummodo in unitate reperitur. *Infinitum* et *numerus* sunt duæ notiones mutuo pugnantes, quarum nempe altera alteram excludit, et simul ambæ nequeunt consistere. Si numerus posset per additiones aliorum numerorum fieri infinitus, talis daretur numerus, qui per unitatis additionem infinitus evaderet : alius numerus esset infiniti dimidium : ipsum autem infinitum esset numerus (id est summa unitatum) sine numero determinato. Sed et alia innumera absurda ex illa profluunt hypothesi. Si mundus initio caruit, infiniti fuere ejus anni, infiniti et dies; et numerus annorum æquare debuit dierum numerum, secus ille infinitus non fuisset, quod fieri non potest, nisi annum æquet una dies, hoc est, nisi sit 1=365. Si cogitatione ascendendo per antiquas revolutiones, multos annos impendimus in subtrahendo annos ab annis, et a sæculis sæcula, semper sumus in principio, semper infinite distamus ab æternitate : mundum invenimus mille ante nos sæcula non minus antiquum fuisse quam modo sit: ejus « cruda viridisque senectus » est quidem maxima, sed nunquam augetur. Nec tot absurditatibus obviam ibis si ponas, motus illos materiæ non regulares fuisse, sed quantum velis perturbatos et irregulares. Numerus enim infinitus motionum, sive irregularium sit, sive regularium, ad eadem nos ducit absurda. An (quod neminem credidisse puto) supponere volumus, omnes atomos materiei tota æternitate perfecte quievisse, ac postmodum, dormientis instar exercitus qui, « si tuba terribili sonitu taratantara dixit, » excitatus consurgit et ad ordines properat, quiescentia illa corpuscula ab æterno somno expergefacta quietem æternam in perpetuum motum mutasse, et sive casu, quæ Epicuri sententia fuit, sive Dei nutu et lege, mundum proprie dictum constituisse? Quæri primo posset, quare tandem materiei leges imposuit Deus, quam æternitate tota exlegem reliquerat. Verum et in hac hypothesi manet tota vis superioris argumenti. Et sane, materia ejusque atomi sunt essentia sua inertes et mobiles, id est motui recipiendo aptæ : ergo, si semper existere, semper moveri potuerunt. Igitur in hac hypothesi necessario esset possibilis motus æternus seu infinita motionum series, quam impossibilem demonstravimus.

Advertendum est, eamdem de rationali creatura ratiocinationem valere. Hæc enim est natura mutabilis et motu spirituali *mobilis*, variis cogitationibus et desideriis movetur; et licet non semper necessario moveatur, sed per aliquod tempus in una aliqua cogitatione vel affectu manere possit immota, ut puta in rei alicujus admiratione, semper est tamen necessario mobilis. Data igitur tali creatura æterna, absurda series infinita cogitationum aut alterius motus spiritalis, vel actu daretur, vel necessario esset possibilis.

Non est autem mirandum, si creationem rerum ex nihilo seu ex non-existentibus, haud satis intelligimus. Qui tot corporeos effectus, sensibus obvios non satis intelligimus, quid mirum, si aperire non possimus ubi clavis sensuum non adest; quid mirum, si opera incommunicabilis potentiæ Dei satis comprehendere non valeamus? Inter mysterium tamen et absurdum, dubia electio esse nequit homini non amenti, præsertim cum mysteriorum omnia plena spectemus. Attamen obvio exemplo res, ni fallor, paulo intelligibilior evadit. Dum nos alteri cuipiam loquentes perceptionem alicujus ideæ aut cognitionem aliquam aut affectum, qui antea in eo non erat (id est antea nihil erat), in ejus animo generamus, tunc perceptio nostra aut cognitio aut affectio non discedit ex nobis: affectio item, cognitio aut ideæ perceptio in illius animo per nostra verba producta, quamvis a nobis producta sit et plus minusve sit nostræ similis, nostra tamen non est, nec est modus nostri spiritus, immo nec omnem cum cognitione, idea, affectione nostra similitudinem habet; nam sæpe minus clara, minusve adæquata erit idea, minus plena cognitio, et aliquando remissior, aliquando vehementior affectio. Hæc igitur producuntur a causa, quæ tam ab ipsis effectibus distincta est, quam undæ aereæ quibus mediantibus hos effectus produxit (dixissem fere

creavit) loquentis voluntas. Nisi quod hæc *ex nihilo* utique *sui* producta sunt, nam antequam existerent nihil erant, sed non ex nihilo *subjecti*.

Nonnullis difficultatem parit argumentum hoc: Deus quod potuit quodam tempore, semper potuit et ab æterno potuit : ergo ab æterno creare potuit; igitur mundus æternus esse potuit. His ego respondere soleo, ut bene advertant quid intelligant, quum dicunt : « Deus creare ab æterno potuit. » Nam sæpe negotium faciunt verba non bene intellecta, quibus, etiam dum iis utimur ad ratiocinandum, notiones mentis non satis claræ nec adæquatæ, imo confusæ, respondent. Si illud « creare ab æterno » significet « creare in æternitate,» tunc non modo concedo, Deum hoc posse; quinimo nego, eum aliter posse creare nisi in sua æternitate, quemadmodum homo opera sua facere nequit nisi in tempore: æternitas enim dici potest id esse Deo quod tempus est nobis. Consequenter dico, Deum creasse in æternitate sua mundum non æternum, uti ipsum utique non immensum in sua immensitate, et nos nec æternos nec immensos in sua æternitate et immensitate creavit. Non puto locutionem illam « creare ab æterno,» intelligere quemquam ut sit : « creare in principio æternitatis,» qui sensus implicaret contradictionem; nam æternitas et principium sese mutuo excludunt, et id quod incipit, vere æternum (*a parte ante*, ut dicunt) esse non potest. Restat igitur ut phrasi illa : « creare mundum Deus potuit ab æterno,» hoc ipsum præterea significetur, quod nempe « potuit Deus creare mundum a parte ante æternum;» alium verborum illorum sensum non video. Et hoc negamus potuisse facere Deum. Nam creare mundum (quod est creare quid contingens, et essentia mobile motu corporeo vel spiritali, id est mutabile), et mundum qui sit æternus, idem est ac possibilem reddere seriem infinitam motuum seu mutationum, quam repugnare ostendimus; est efficere ut sit, aut saltem possibile evadat, id quod natura sua est adeoque semper erit impossibile, seu ut idem simul sit possibile et impossibile. Æternitas repræsentari potest per punctum immobile sine fluxu et sine partibus: linea recta tempus fluens repræsentat, quod principium habeat necesse est, licet forte hoc principium nos non videamus. E puncto fluere potest linea (tempus mundo concreatum), sed non punctum alterum.

Facile erit diluere sophisma quo ideologus Daube demonstrare putat, ideam creationis contradictionem implicare. Accipe ejus demonstrationem(Daube, *Essai d'idéologie*, not. 6) : Si Deus neque uno instanti carere potuit potentia mundum creandi, ne unum quidem momentum supponi potest, in quo mundus non potuerit existere : si enim Deus aliquo momento illum creare non potuit, unde ei postea talis advenit potentia? Notio igitur materiæ et finitæ intelligentiæ comparari potest cum notione æternitatis in suppositione Dei Creatoris. Jam vero notio rei creatæ simul atque æternæ contradictoria est : æternum est enim quod nunquam existere cœpit, et creatum id est cujus existentia initium habuit. Igitur idea Dei Creatoris supponit possibilitatem rei impossibilis, rei quæ habuit et non habuit existentiæ initium.

Primum dico, me admittere definitionem illam creati, nempe, creatum id esse, cujus existentia habuerit initium : verum ideo illam admitto, quia video fieri non posse, ut series infinita actu existat, aut etiam sit possibilis; quia nec possum nec volo rei impossibilis possibilitatem admittere. Verum qui hanc repugnantiam seriei infinitæ non fatentur (cujusmodi sunt, qui mundum ponunt æternum cum ideologo hoc), non video quomodo definitionem illam, tanquam rem per se notam, supponant. Posset enim quis respondere, creatum esse quidquid ab alio ex toto producitur, sine adjutorio alterius causæ aut efficientis aut materialis aut instrumentalis : id autem æternum esse posse; uti productum et quasi ab æterno creatum vestigium esset pedis æterni ab æterno super arenam aut lutum stantis (1). Verum hæc missa faciamus.

Respondeo igitur : repugnat suppositio plurium instantium seu momentorum in æternitate, quia repugnat series infinita quæ possibilis necessario esset, si in æternitate momenta existerent : essent enim hæc numero infinita; et in unoquoque ex his momentis aliquid contingens posset fieri, vel contingentium actio vel passio aliqua : neganda est ergo suppositio cui demonstratio innititur, et basis ruit cui illa superædificabatur. Donec contingentia, id est creaturæ, non fuerunt, ne tempus quidem fuit, nec plura fuere momenta, quæ fluens tempus supponit. Ait Daube, hæc esse « mysteria quæ intelligi non possunt,» quorum ideam nemo habuit aut est unquam habiturus. Quid inde? Nequeunt mortales multa cogitando non invenire mysteria. Intelligentis est, non a mysteriis abhorrere, sed sibi cavere ne in absurda labatur. Fateor hæc ab humana mente non satis comprehendi : attamen, quoniam ad hæc, ratione ipsa duce, pervenimus, aliquam de his ideam habeamus necesse est. In quocumque systemate quanquam æternitas non valde intelligibilis nobis, multo vero minus comprehensibilis sit, aliquid tamen est admittendum æternum; et quoniam demonstratum est, nullum in æternitate tempus esse nullaque sibi succedentia momenta, ita utique sine momentis admit-

(1) Nonnulli cum Scoto (in II *Sent.*, dist. I, Quæst. II) tenuere, in phrasi illa *creare ex nihilo*, particulam *ex* significare antecessionem non duratione, sed natura, et potuisse aliquam creaturam ab æterno creari. Verius S. Bonaventura (in II, dist. II, art. 3, Quæst. II) docuerat, illa particula *ex* declarari creationi congenitum esse et nativum, ut nihilum *duratione* creaturam præcedat : unde sequitur rem nullam creari ab æterno potuisse.

tenda est a nobis æternitas. Daube credit ab his sese præclare extricatum, quum his vocibus, *instans, momentum* vocem *semper* substituit. At si voce hac momenta intendit nobis obtrudere aut instantia, nil ista vocis mutatione proficit. Si vero hujusmodi *semper* significat *ab æterno*, dico, Deum *semper* (non ab initio æternitatis, nam hæc locutio contradictoria est), *ab æterno, in sua æternitate* potuisse mundum creare (id est habuisse illum creandi potentiam), sed solummodo *una cum tempore;* non tamen *semper* nec unquam absurda facere potuit, et mundum condere æternum : mundus enim æternus dicit seriem actu infinitam, quæ implicat contradictionem.

Etiamsi daremus, æternitatem concipiendam esse uti tempus sine initio et sine fine discurrens (ut linea recta sine principio et sine fine, vel uti circulus), tamen non esset concedendum, Deum potuisse creare mundum æternum : nam creare mundum principium habentem nil contradictorium implicat, at creare mundum æternum (quod esset creare in principio hujus temporis sine principio) est evidenter contradictio : ex eo autem quod quis facere potest aliquid non contradictorium, non potest nisi absurde deduci, eum et quæ contradictoria sunt posse perficere. Ergo etiam in illa suppositione dicendum esset, Deum ab æterno potestatem habuisse condendi temporalem mundum, id est initium existentiæ habentem. Verum ad Mosis verba revertamur.

XXVIII. *Terra erat* תֹהוּ וָבֹהוּ *inanis et vacua*, ut ait Vulgata; seu *invisibilis et incomposita*, ut Septuaginta; *deserta et inculta*, ut versio Syriaca; *vanitas et nihilum*, ut Aquila et Theodotion; *iners* sive *vacuum et inconditum*, ut Symmachus; *desolata* seu *deserta et vacua*, uti Onkelos. Quæ omnes interpretationes in eamdem conspirant sententiam. Aben-Ezra substantivum utrumque nomen esse putat et idem significare, *id in qua nihil est solidi vel subsistentis.* Ἐξ ἀμόρφου ὕλης, hoc est *ex informi materia*, Deum terram fecisse, legimus *Sap.* XI. Allata hebraica verba apud Jeremiam cap. IV, 23, terram vastam et desertam designant. « Aspexi terram, et ecce vacua erat et nihili » reddit ibi Vulgatus. Ex his colligimus terram (seu quidquid ibi a Mose terræ nomine indicatur) summam informem innumerabilium corpusculorum in exordio fuisse.

> Ante mare et terras, et quod tegit omnia, cœlum,
> Unus erat toto naturæ vultus in orbe,
> Quem dixere chaos, rudis indigestaque moles (1).

Verum hoc chaos, non increatum, non cæco fato et fortuito atomorum concursui permissum erat, sed Creatoris legibus regebatur; adeoque, mirabili ordine ac pulchritudine gravida, rudis illa indigestaque moles existebat. Augustinus, § 15, « terram inanem et vacuam » idem ac « cœlum et terram, » vers. 1, universamque materiam comprehendere, quod etiam de *abysso* nec non de *aqua*, quæ infra memorantur, dicendum arbitratus est. Probabile videtur tunc terræ materiam a materia astrorum (aut saltem quorumdam astrorum) separatam non fuisse : certe separata memoratur solummodo die secundo. Tamen cum Moses terram nominet et satis adpareat, eum quam citissime post indicatam totius mundi creationem, convertere se ad formationem telluris nostræ (uti postea, breviter narratis humani generis primordiis, totus est in Abrahamo et Israelitis), credere possumus, eum hic de telluris materia (quam nec conjunctam cum alia materia affirmat, nec negat), seu de materia quæ postea globus terraqueus fuit, habere sermonem. Nos de hac tantummodo in sequentibus verba facere intendimus; quamvis quædam in horum priorum versuum explicatione dicenda, etiam aliorum globorum materiæ fortassis aptari possint.

J. G. Rosenmullero (2) chaos istud non sapit. « Mirum est, ait, multos interpretes *chaos* his verbis *thohou wabhohou* indigitari sibi persuadere potuisse... Originem debet hæc opinio, sine dubio, Poetarum græcorum latinorumque figmentis, ab interpretibus Mosi illatis. Sed Mosen ex poetis explicare, quid aliud est, quam aquam ex turbidis rivis haustam inferre limpido fonti? Rabbini qui, fictionibus quod hanc rem attinet haud præoccupati, vim et potestatem vocum indagarunt, multo rectius, ex. gratia Onkelos, *deserta et vacua;* Jonathan, *deserta a filiis hominum, et vacua ab omni jumento*, quocum Targum hierosolymitanum consentit. Et recte. » Non video, quomodo placere cuiquam possit illa expositio, quæ vacuitatem terræ ponit solum ab homine et ab omni jumento : vacua enim erat ab omni animali et arbore et herba, nec ipsa terra proprie dicta, sive ab aquis libera, adhuc erat. Ille vero Rabbi Abbhu qui, apud Maiemonidem (3), ex Genesi deducebat, « quod Deus ædificavit mundos et illos iterum destruxerit, » a chao non abhorrebat; nam terra illa inanis et vacua ipsi erat ruina mundi a Deo destructi. Non poetas paganos (qui hoc ex majorum traditione accepisse videntur), sed sacros libros secuti, christiani interpretes confusionem illam primigeniam posuere, nec solum propter illa duo verba satis obscura et unius linguæ hebraicæ propria, sed tum ex illo *Sap.* XI, 18, *de materia amorpha*, tum præcipue ex Mosis contextu. Terra enim primigenia est et vocatur tenebrosa abyssus, vers. 2, *arida* ex aquis nondum ascendit, adeoque terrestria viventia in ea esse nequeunt, vers. 9; desunt sol, luna et stellæ, vers. 14; aer, aqua et tellus separatæ non sunt, sed commixtæ, vers. 6, 10 : nonne hic status repræsentat chaum? quid mirum, si ita ab inter-

(1) Ovid., *Metamorphos.*, lib. I.

(2) *Antiquis. telluris Hist.*, p. 19-23.

(3) *More Nevochim*, part. II, cap. XXX.

pretibus describitur, et nonnunquam *chaos* nomen usurpant, uti Augustinus quem citavimus, § 15, et christianus vates Hilarius in carm. *ad Leonem* :

> Omnia cum tegeret nigrum chaos, altaque moles
> Desuper urgeret informis corpora mundi,
> Nec species nec forma foret; Deus intus agebat.

Ernestus Frid. C. Rosenmullerus, Joannis G. filius, docet a Mose poni in principio a Deo conditam cœli, terræque materiam, « sed rudem et informem, quæ moles, quum aptanda esset ad commodum animantium domicilium, prius quæ in rudi indigestaque massa confusa jacebant et mixta, secernenda erant atque ordinanda.... Ab initio informam materiam χάος, ὕλην, ex scriptoris mente extitisse, ex qua deinceps omnia expressa atque efficta sint, licet non disertis verbis declaretur, manifestum tamen est ex eo quod singula a se invicem secreta et distincta in sequentibus narrantur, veluti lux a tenebris, aquæ ab aquis, oceanus a continente. Quæ cœli terræque nomine in hoc vers. 1 eorum tantummodo designatur materia quæ omnium primum erat efficienda. » Addit Theodotionis, Onkelosii, Aquilæ, Symmachi et Septuaginta Interpretum mentibus obversatum esse τὸ χάος;...« Quod Moses dicit, ingenti illi aquarum voragini incubuisse noctem, in eo consentientes habet et alios veteres. Hesiodus in *Theogonia*, vers. 123 : *E Chao et Erebus et atra Nox nati sunt.* Et ex Orpheo citat Timotheus Chronographus apud Grotium, *De Verit. Relig. Christ.* pag. 33 : *Erat Chaos et Nox tenebrosa omnia occultans quæ sub æthere* (1).

Sine causa igitur eruditus quidam Anglus (Greville Penn) modo in hoc chaos pugnare mihi videtur (2).

Chaos, ut ita dicam, Mosaicum in hoc præcipue ab illa Ethnicorum differt, quia a Deo creatum est, adeoque non est æternum, sed creatione posterius. Ovidius incipit ab increato chao, *Metam.* I, vers. 5-20, et postea, vers 21, *Deum,* vel *meliorem naturam,* ad eum ordinandum inducit. Et Moses ita fecisset, si terram amorpham et tenebrosam abyssum æternas, neque a Deo creatas, sed solummodo ordinatas putasset; nec prius posuisset neque *in principio* factum, quod postea patratum credebat.

Tum a sacris litteris tum a natura docemur, hoc in condenda et perficienda tellure Deum voluisse, ut a simplici ad compositum, ab imperfecto ad perfectum, ab informi et rudi ad ornatum et perpolitum constans progressus fieret. Cogitare igitur possumus creatas a Deo solummodo substantias chymice simplices seu elementa, quæ primordia rerum et corporum principia appellata fuerunt : mixta vero, « concilio quæ constant principiorum, » ut ait Lucretius, ex illis coaluisse. Multi doctores christiani ita senserunt : ex his unum meminisse sufficiat Joannem Damascenum, lib. II *Fidei Orthod.* cap. V, docentem, Deum fecisse ex nihilo cœlum et terram et omnia quæ in eis sunt; sed alia immediate, scilicet elementa; alia suo jussu ex ipsis elementis formata. Has vero elementares substantias credibile est, quum eæ creatæ sunt, non in majores massas fuisse conjunctas, sed separatas potius in minimas moleculas, quas *atomos* vocant seu *monades* seu corpora prima : nulla est enim ratio admittendi composita physica, potius quam composita chymica, præsertim cum molecularum physice unitarum cohæsio, chymicæ affinitati, adeoque mixtorum formationi resistat. Illas vero atomos imaginandas puto dispersas in spatio, et probabiliter non alteram alteri adeo proximam ut statim vim pati possent attractionum, ut dicunt, molecularium, quæ in minimis distantiis agunt, secus, ut infra adparebit, uno solummodo momento primus ille rerum status, qui hic a Mose describitur, obtinuisset, « et tenebræ super faciem abyssi » vix fuissent memorandæ. Si ita fuit, uti putamus, materia illa elementaris, non modo ex lucis defectu, sed etiam ob exiguitatem et mutuam distantiam atomorum, *invisibilis* esse potuit.

Potest aliquis conjicere, ne elementa quidem a Deo immediate et primitus creata, primamque illam *terram informem* nihil fuisse aliud, nisi primam quamdam materiam ex qua ipsa corporum elementa compacta sint. Quæ sententia nonnullis placuisse videtur, et aliquando fortasse ipsi Augustino. Non omnino absurda est hæc hypothesis, si non de illa loquimur materia prima quæ omni forma, qualitate et determinatione caret, quæ « nunquam subsistere invenitur, » ut Beda (3) scribit, quam existentem ponere « implicat contradictionem, » ut S. Thomas, § 15, docet, quam ne imaginari quidem possumus, quæque est mera intellectus abstractio; sed loquimur de quodam unico elementorum elemento. Placet enim nonnullis materiam supponere homogeneam, cujus atomi sive monades diverso modo et numero sese mutuo conjungentes, moleculas elementorum, id est corporum chymice simplicium efforment. Ita, dicunt, si litteræ alphabeti punctis physicis sibi proximis formatæ fingantur, et si hujuscemodi litteris omnes, quotquot in magna bibliotheca existunt, libri conscripti sint, unum punctum erit verum elementum litterarum, quæ verborum elementa vocantur, adeoque librorum omnium quibus bibliotheca illa exornatur. Hæc igitur, aiunt, tellurem (aut mundum, si mavis, universum) repræsentabit, uti litteræ ea quæ elementa dicuntur, et punctum hujus primæ materiæ vere elementaris atomum exhibebit. Hypo-

(1) *Scholia in Vet. Testam.*, tom. I, edit. tertia. Lipsiæ, pp. 55, 64, 65.

(2) *A comparative estimate of the mineral and mosaical. Geolog.* 2 edit., V, I, p. 197. London, 1825.

(3) Lib. II *De Princip.* cap. I.

thesim hanc minime necessariam ad sacri textus intelligentiam nec a physicis definitam, ad trutitam revocare, non est hujus loci : ac nescio an ea unquam definiri poterit. Aliquid tenebrarum *super faciem* primæ *abyssi* semper fortasse manebit.

XXIX. *Tenebræ* (*erant*) *super faciem abyssi.* Quæritur *primo*, quid « abyssus » sit ? *Secundo*, cur « tenebræ super faciem » ejus? Abyssum vocant Hebræi magnam profundamque congeriem aquarum, *Gen.* cap. VII, vers. 11, et etiam profunditates terræ : « De abyssis terræ iterum reduxisti me, » *Psal.* LXX, vers. 20. Hic *abyssum* dici informem illam et incohærentem mixtionem seu, ut ita dicam, chaoticum fluidum de quo nuper dicebam, non est Augustino peculiaris, sed communis sententia. Tenebræ erant super abyssum; quia « nondum erat, ut ait S. Ambrosius, lux quæ illuminaret, nondum sol : postea enim luminaria facta sunt cœli » (1). Revera corpus omne per se obscurum est; nec materia ulla a nobis cognoscitur quæ lucem seu vibrationes æthereas luminosas, sine alia physica causa, per se suaque natura producat : quare nec solis materia luminosa est per se, nec lucere potuit, donec causa, quæcumque demum ea sit, splendoris illius, qui ei tribuit principatum diei, quantum sat erat, operaretur.

Quod de tenebris primigeniis credit Joannes Philoponus, eas non fuisse nisi uno momento, statim luce consecuta, « mera est hariolatio, ait Petavius (2), nec fidem ullo argumento facit. » « Ego vero, hic addit, aliquanto intervallo putem durasse primas istas tenebras; et fortasse plus uno alterove die, aut etiam longius : cujus temporis modus nobis est incertus. Paulatim enim in rerum conditu progredi divina Sapientia voluit : et rude primum atque imperfectum opus edere, ut qui spectatores erant Angeli, quibusdam veluti gradibus ad perfectæ summi Opificis sapientiæ intelligentiam erudirentur, ac pedetentim per rerum creatarum vestigia pervenirent. »

Tenebras substantivas esse et a Deo factas olim nonnulli putarunt, quorum simplicitas modo ridetur, non confutatur. At Manichæorum multo stolidiorem et vero impium errorem satis superque confutarunt Basilius, Ambrosius, Augustinus et Titus Bostrensis. Tenebras enim eadem cum Deo æternitate potitas, ipsius quoque Dei adversarias, tanquam principium rerum alterum veteres illi Manichæi statuebant. Hæc de tenebris : aliqua difficultas est in sequenti.

Spiritus Dei ferebatur super aquas. Ita Vulgatus. Quæres *primo*, quænam hæc « aqua? » *Secundo*, quinam hic « Spiritus Dei, » et quomodo « ferebatur super aquas? » « Aquam, » ait Augustinus, hic idem esse ac abyssum et « materiam illam invisam et informem; » et « dicta est aqua, inquit, quia facilis et ductilis subjacebat operanti, ut de illa omnia formarentur (3). » Credit S. Thomas (4) « quod Moses propter invisibilitatem aeris et similium corporum, omnia hujusmodi corpora sub aquæ nomine comprehendat. » Ait Petavius (5), abyssi vocabulo aquam significari : « Abyssus et aqua una sunt et eadem res... Abyssi nomine aquam intelligi, una est omnium interpretum opinio. » Apud S. Ephrem legitur : « Tenebræ operientes abyssum aquarum. » Et Rabbi Salomon (6) pariter superiora verba interpretando : « Tenebræ erant super faciem aquarum quæ erant super terram. » Gregorius Nyssenus (7) hanc primam aquam putat diversam a communi aqua quæ deorsum fluit. S. Ephrem (8) aquam proprie dictam primo illo tempore non extitisse, eamque a Deo non una cum cœlo et terra, sed postea creatam existimavit (9). Multo magis, ut puto, Ephrem, Nyssenus, Augustinus aliique Patres aquam illam a communi aqua differre putassent, et hanc *in principio* creatam negassent, si illorum tempore eam non inter elementa, sed in mixtis reponendum esse fuisset perspectum. Illa ad speciem confusa molecularum congeries aqua videtur potuisse vocari, quia et aquæ elementis non exigua ex parte constabat, nullaque pollens cohæsione, fluida omnino nec colorata erat neque opaca. Hydrargyrum, licet opacum, ita vocatur quasi aqua argentea aut argentum aqueum (et ita etiam apud Sinas audit) ob perfectam fluiditatem et cohæsionis defectum. Aquæ maris terram operientes postea indicantur : at nuspiam dicitur hoc ab initio fuisse.

XXX. *Spiritum Dei* רוח אלהים Deum ipsum esse aut ejus virtutem et efficientiam, plerique asserunt tam Latini quam Græci : nominatim vero aliqui Spiritum Sanctum esse dicunt. Ita Cyrillus, lib. II *Cont. Jul. Apostat.*, Basilius, Augustinus et Hieronymus (10). Citatur etiam pro hac interpretatione Athanasius. Ambrosium (11) audiamus : « *Spiritus Dei superferebatur super aquas* : quem etsi aliqui pro aere accipiant, vel aliqui pro spiritu quem spiramus et carpimus auræ hujus vitalis spiritum (habebantne tunc notionem saltem confusam existentis in aere communi spiritus seu aeris vitalis qui nunc oxygenium dicitur?) : nos tamen cum Sanctorum et fidelium sententia congruentes, Spiritum Sanctum accipimus. »

Marius Victor cecinit :

> Et sacer extensis impendens Spiritus undis
> Altrices animabat aquas, dans semina rerum,

Hinc Ecclesia in fontium benedictione Spiritui

(1) *De Opif.*, lib. I, cap. IX, § 1, 2.
(2) *In Hexaem.*, cap. VII.
(3) *De Genes. contra Manich.*, lib. I, cap. V.
(4) I part., *Quæst.* LXVIII, art. 3, ad 3.
(5) *De Opif.*, lib. I, cap. III, § 1 ; V, cap. IV, § 1.
(6) Apud Fagium in loc. h.
(7) *In Hexaem.*, p. 18.
(8) *In Genes.*, cap. I.
(9) Etiam R. D. Jos. Rossi aquam non nisi secunda die factam credebat. *Hexaem.* p. 14.
(10) *Quæst. hebr. in Genes.*
(11) *Hexaem.*, lib. I.

Sancto accinit : « Tu super aquas foturus eas ferebaris. » Albertus Magnus (1) scripsit : « Secundum Damascenum et Gregorium Nyssenum videtur ille *Spiritus Domini* esse aer et ignis... dicendum quod secundum Hieronymum et hebraicam veritatem non potest intelligi de spiritu creato. Dicit enim Glossa : In Hebræo habetur מרחפת hoc est incubabat vel fovebat, more volucris ova calore animantis. Intelligimus ergo non de spiritu mundi dici, ut putant multi, sed de Spiritu Sancto, quia ipse omnium vivificator est. » His subscribit S. Thomas (2). Tantis munitam auctoribus interpretationem contemnere nemo debet. Nemo negabit *Spiritum Dei* tertiam Trinitatis personam optime significare. Cum Hieronymo dici potest : *Deus* Pater, cui omnipotentia tribuitur, in *principio* nempe in Filio, cui tribuitur sapientia et in quo omnia facta sunt, creavit cœlum et terram, quæ *Spiritus* Sanctus, cui tribuitur charitas, amanter *fovebat*, ut cuncta creata fœcundaret.

At tamen et hic dico quod occasione verborum *in principio* paulo ante dicebam, § 22. Est quidem hæc interpretatio reverenter excipienda, satis stabilita et commendatione dignissima : verum potius spiritalis, ni fallor, est quam vere litteralis. Non facile credendum videtur, Mosen, qui non sapientum auribus recondita et abstrusa committebat, sed « ad rudis hebetisque populi captum verba sua sententiasque temperabat, » ut ait Petavius, voluisse tantummodo tertiam Sanctissimæ Trinitatis personam verbis illis indicare, et non etiam aliquid materiale, quod facilius et solum a multitudine Judæorum aliquo modo intelligi posset, quodque ab aliis de quibus modo sermo est, cœlo, terra, abysso, aqua, tenebris et luce non maxime distaret. Hoc effatum : « Et spiritus Dei movens super faciem aquarum » respondere aliquo modo videtur antecedenti : « Et tenebræ super faciem abyssi : » tenebris, scilicet privationi corporeæ lucis, aliquid respondere convenit vel illis simile, vel analogum, vel contrarium, aut certe aliquid physicum; quod tamen rei sublimissimæ, quæque indoctæ plebi impervia foret, figurą esse poterat. Cap. VIII, vers. 1, dicitur quod post diluvium Deus « adduxit spiritum super terram, et imminutæ sunt aquæ. » Targum Jonathæ et Targum hierosolymitanum explicant, « ventum misericordiarum. » Ambrosius credit, non esse ventum, sed Spiritum divinum aut Spiritum Sanctum. Ita etiam Theodoretus. Tamen communis est sententia, *Spiritum* hunc ventum fuisse. Atque sensus hic litteralis tenendus est, quamvis et spiritalis ille admitti queat. « Post historiæ veritatem spiritualiter accipienda sunt, » ait Hieronymus (3). At quinam nostri hujus « Spiritus Dei » erit sensus, non adeo sublimis, at magis litteralis? Audivimus materiam tenuem, aeream vel ætheream, nonnullos credidisse hunc Spiritum Dei. Basilius refert hanc interpretationem eamque Severianus Gabalitanus (4) sequitur : nam de aere, ait, utique meminisse debuit; sic *Psal.* CXLVII : « Flabit spiritus ejus. » Procopius vel Deum vel aerem spiritu illo indicari credit. Stant pro aere S. Ephrem Syrus (5), Theodoretus (6), Diodorus Tharsensis, nec non Moses Maiemonides. Nec Augustinus dissentit, ut infra videbimus. Tertullianus hanc sententiam adprobare videtur (7). Nonnulli non aerem simpliciter, sed ventum interpretantur, qui optime ab Augustino definitur : « Ventus est aer motus et quasi fluctuans. » Ita Aben-Ezra, qui Spiritum Dei ideo vocari putat, quia a Domino missus erat ad terram exsiccandam, quod tamen inepte dicitur, nam recessit aqua et arida adparuit non ante diem tertium. Versio Samaritana, *spiritus Dei sufflans super faciem aquæ*; versio Arabica, *venti Dei insufflabant;* et Persica, *ventus Dei spirabat.* Assentitur et Targum Onkelos. Targum quoque pseudo-Jonathæ, nec non hierosolymitanum, quamvis mystice hunc locum explicare videantur, huic tamen favent interpretationi : scribunt enim, *ventus misericordiæ a conspectu Dei spirabat.* Illud *Dei* vel *Domini*, ut notum est, additur ab Hebræis rebus majoribus aut potentioribus, aut in suo genere præstantioribus, in quibus magis Dei potentia elucet, a quo est « omne datum optimum et omne donum perfectum. » Ita « flumen Dei, » *Ps.* LXIV, 10; « mons Dei *seu* montes Dei, » *Psal.* XXXV, 6, et LXVII, 16; « cedri Dei, » *Psal.* LXXIX, 11. Ninive dicitur, in textu hebraico libri Jonæ, *civitas magna Dei*, cap. III, vers. 3. Legitur etiam « Spiritus Domini malus, » I *Reg.* cap. XVI, vers. 14, 15, 16, 23. « Invasit Spiritus Domini malus Saul, » *ibid.* cap. XVIII, vers. 10. « Factus est Spiritus Domini malus in Saul, » cap. XIX, vers. 9. Nemrod « erat robustus venator coram Domino, » *Gen.* cap. X, vers. 9. Iris dicitur « arcus Dei, » *Gen.* cap. IX, vers. 13, 14, et *Eccli.* cap. XLIII, vers. 12 : « Vide arcum et benedic eum qui fecit illum; valde speciosus est in splendore suo, gyravit (cinxit) cœlum in circuitu gloriæ suæ : manus Excelsi aperuerunt illum. » Psaltes de vento : « Flabit spiritus ejus (Dei), et fluent aquæ, » *Psal.* CXLVII, vers. 7, nempe ex grandinis, nivisque liquefactione. Et Isaias : « Exsiccatum est fœnum et cecidit flos : quia spiritus Domini sufflavit in eo, » cap. XL, vers. 7. *Dei* dici possunt corpora naturalia et phænomena, quia a divina, non a creata voluntate procedunt.

Antequam conemur aliquid hac de re proba-

(1) II part., tract. 11, *Quæst.* XLVII.
(2) I part., *Quæst.* LXXIV, art. 3, ad 4.
(3) *Proleg. Comment. de Isaia.*

(4) Homil. 1 *De creat. mundi.*
(5) « Ex effectu aeris, qui *spiritus* seu ventus est, Mosen ejusdem creationem insinuare voluisse existimamus... Aerem spiritus seu ventus consequitur. » *Oper. S. Ephr.* ex interpret. Petri Benedicti S. J., tom. I, p. 8.
(6) Interrog. 8 *in Genes.*
(7) *Advers. Hermog.*, cap. XXXII.

bile statuere, advertenda est vis hebraicæ vocis *merachepheth*, quæ *movens* videtur ad litteram explicari posse ; quamque LXX reddunt ἐπεφέρετο (*superferebatur*), et Vulgatus, *ferebatur*. Verbum רחף ter invenitur in Bibliis : hic, *Deut.* cap. XXXII, vers. 11, et *Jerem.* cap. XXXIII, 9. *Deut.* loc. citat. ait Moses : « Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos *volitans*, ירחף expandit (Deus) alas suas, et assumpsit eum (Israel). » Jeremias vero ait : « Contritum est cor meum in medio mei ; *contremuerunt* רחפו omnia ossa mea. » Et ossium trementium, et aquilæ super pullos volitantis eosque provocantis ad volatum, lenis est motus nec respondens vehementissimo vento, cujusmodi hunc *spiritum Dei* nonnulli fuisse putarunt. Præterea quænam memorandi hujus venti causa ? Quinam effectus ? Conjunctiones molecularum homogenearum et heterogenearum, sive combinationes chymicæ et crystallisationes, erant primi omnium effectus tum producendi, quibus non adjumento vehemens ventus, sed impedimento fuisset. « Spiritus Dei, » *Psal.* CXLVII, vers. 7, qui nivem et duram grandinem resolvit in fluentem aquam, est quidem ventus, at non vehemens ; vehemens enim ventus præsertim si e regione polari spiret, glaciem e contrario indurat (*agentes frigora venti*, Virg.) : sed potius ventus lenis, tepidus et australis.

Syriaca versio pro *ferebatur* habet *fovens*, quod Sancti Patres adnotarunt. Basilium (1) audiamus. « Dicam tibi non meam, sed viri Syri sententiam, qui tantum a mundi distabat sapientia, quantum ad rerum verarum scientiam appropinquabat. Aiebat igitur, vocem Syrorum et significationem esse, et ob suam cum hebraica lingua cognationem, quodammodo ad Scripturarum sensum propius accedere. Itaque talem dicebat esse hujus dicti sententiam. Illud, inquiebat, verbum *superferebatur* interpretantes sumunt pro verbo *confovebat*, et naturæ aquarum vim tribuebat fœtificandi, instar incubantis avis, et vitalem quamdam facultatem iis quæ fovebantur impertientis. » Similiter Diodorus Tharsensis : « Illud *superferebatur* una quidem apud Hebræos dictio est, apud nos autem (Græcos) una voce exprimi nequit. Dictionis quippe hebraicæ, quæ voci illi respondet, hic est sensus : Uti avis ova pennis molliter contingens, ipsa fovet, ipsisque vitalem calorem imprimit, » sic Spiritus aquis superferebatur, fovens atque calorem imprimens (2). Et Hieronymus : « Pro eo quod in nostris codicibus scriptum est *ferebatur*, in hebræo habetur *merachepheth*, quod nos appellare possumus *incubabat*, seu *confovebat*, in similitudinem volucris ova calore animantis. » Similia habent Ambrosius et ipse Syram versionem citans, Cæsarius Gregorii Nazianzeni frater (3), et Augustinus (4). Ita sentit etiam Salomon-Jarchi. In hac explicatione motus ille habendus erit quantum fieri potest tenuissimus, fovens et calefaciens : calefaciens autem motus non est translationis, sed molecularis, oscillatorius, et sensu non perceptibilis.

R. Nehemanides (5) de aere hunc locum exponit, quem ideo arbitratur cum nomine Elohim conjungi, ut ejus subtilitas qua cæteris est elementis omnibus superior, indicetur. Non videtur tamen de aere communi seu atmosphærico hic agi : non de creatione sermo est quæ, quoad hunc aerem (verius quoad elementa ejus) tunc fuit quando « creavit Deus cœlum et terram ; » nec potest intelligi, aerem hunc jam tunc sphæram formasse circa aqueum globum, quæ fuisset athmosphæræ huic nostræ similis, apta ad dividendum inter aquas et aquas, quam nonnisi secundo die factam docet Moses.

Eritne Spiritus Dei, litterali sensu, substantia illa aere communi valde subtilior, actuosissima, corpora omnia penetrans, calefaciendi atque aliquo modo fœcundandi vi prædita, quemadmodum Galilæo (6) visum est ? Aliquid hujusmodi suspicatus videtur Augustinus dum scripsit (7) : « Potest taliter intelligi, ut *Spiritus Dei*, vitalem creaturam qua universus iste visibilis mundus atque omnia corporea continentur et moventur, intelligamus, cui Deus omnipotens tribuit vim quamdam sibi serviendi ad operandum in iis quæ gignuntur ; qui Spiritus, cum sit omni corpore æthereo melior, quia omnem visibilem creaturam omnis invisibilis creatura antecedit, non absurde *Spiritus Dei* dicitur. » Petavius (8) in hæc verba adnotat : « Ergo invisibilem hunc facit et creatum, puto etiam æthereum, sed in eo genere præstantissimum, utique corporeum. » Chrysostomus huic interpretationi aliquo modo subscribit, hom. 3 *in Gen.* Censet enim indicari « vitalem quamdam vim et efficientiam, aquis insidentem ; ita ut stans aqua non esset, sed agitata et vim habens vitalem. » Theophilus Antiochenus (9) hunc *Spiritum* aliquid relationis habere putavit cum luce et calore. « Hunc, ait, Deus creaturæ dedit ob viventium generationem, quemadmodum homini animam, ut hic spiritus sese aquæ incorporaret, et hæc ab illa penetrata calefaceret creaturam ipsi se commiscens. » Auctor sermonis inter opera S. Augustini (10) scripsit : « Hic *spiritus* res est Dei, qui *ferebatur super aquas*, seminarius est animandæ conditionis : unde et aquæ et terræ

(1) *In Hexaem.*, orat. 2, § 6.
(2) Loc. cit.
(3) *Dialog.* I.
(4) *De Genes. ad lit.*, lib. I, cap. XVIII.
(5) Apud Fagium in h. l.
(6) *In Epist. ad Archiep. Dini.* In edit. oper. G. Galil., Milano 1811, est tom. VII, p. 569.
(7) *De Genere imperf.*, cap. IV.
(8) Lib. I, cap. III, § 5.
(9) *Ad Autolyc.*, lib. III, XIII.
(10) Serm. 134 *De temp.* Modo Augustino abjudicatur, quia negat *Spiritum Dei* esse Deum, quod Augustinus affirmavit. In edit. Maurin. est serm. 157. *Append.* tom. V.

mox jussu Dei emerserunt, quia nec aqua nec terra viveret, nisi hic Dei spiritus animaret, unde et terra fruges, et aqua produxit pisces.» Hæc subobscura videntur : verum satis clara esse nequeunt verba, quæ signa sunt idearum, quando ideæ nimis obscuræ sunt et imperfectæ, cujusmodi erant tunc temporis notiones quæ ad res physicas pertinebant. Aliquid tamen veri in his latere suspicor, et fortasse valde ad veritatem accedit conjectura Augustini in *Oper. Imperf. in Gen.* Dicam quod sentio :. sed meam sententiam ea mente proferam ut, utrum ea probabilis habenda sit necne, iis dijudicandum relinquam qui et de biblicis et de physicis rebus judicare possunt. Eam, ut puto, Chrysostomus, Theophilus Antiochenus et Augustinus, si modo viverent, non admodum improbarent.

Pleræque philosophorum scholæ tum veteres tum recentiores generatim agnovere existentiam certæ cujusdam substantiæ, utique corporeæ, verum crassa, ponderosa et ordinaria materia longe subtilioris, nec parum ab ea diversæ, quæ, ut ita dicam, minus materialis cum sit, spiritus appellatione magis digna est. Hæc magnum semper in physicis exercere influxum credita est. Modo ætheris, modo ignis nomine, aliquando materiæ subtilis, aut etiam lucis, caloris aut fluidi electrici, semper in scenam redit, nec facile e rerum natura eam possunt expellere qui ponderabilem tantum materiam volunt admittere; nam, natura ducente, ea usque recurrit. Sine hac, e. g. lucis effectus quomodo intelliguntur? Recentiores hanc substantiam appellant *ætherem*, quam vocem Græci adhibebant, eamque ab his mutuatam Lucretius et Tullius romana civitate donarunt. Ovidius ita eum describit (1) :

> Liquidum et gravitate carentem
> Æthera, nec quidquam terrenæ fæcis habentem.

Nostro ævo optici effectus omnes tum luminosos, tum calorificos et chymicos radiorum sive solis sive aliorum corporum, ab ejus vibrationibus repetere solent. Probabile quoque est, eum et a fluido electrico non differre, qui non modo in nubium regione omnibus sese manifestat ut *spiritus procellarum* (2), sed in nullo non invenitur corpore, et maximam cum ponderabili materia attractionem habere, et magis minusve cum variæ naturæ moleculis videtur conjungi, tribuens illis electro-chymicas proprietates eas, quibus varia corpora varia ratione instructa se produnt. Absque hoc æthere phænomena mundi explicare, fere idem censeo ac phænomena hominis explicare velle, quin animus admittatur. Enimvero videtur æther hic veluti mundi corporei anima quædam materialis, quæ hunc tanquam

> Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
> Hanc agitat molem, et magno se corpore miscet.
> (*Æneid.* VI).

Deus certe, dum cœlum et terram creavit, ætherem hunc sane non prætermisit, cujus ope corporibus per se obscuris ac frigidis calorem et lucem erat daturus. Illum creavit una cum moleculis ponderabilibus, interque has et ipsum attractionis legem concreavit. Hujus vi attractionis æther monadibus seu moleculis illis se conjungebat, ex qua conjunctione eas proprietates illæ accipiebant, quas in atomis simplicium corporum chymici modo notant. Hinc agitatio illa molecularis oriri debebat, quæ calorem corporum constituit, qui calor, quamvis ad eum gradum non pervenisset ut corpuscula illa ignita et luminosa efficeret, talis tamen erat, ut quasdam chymicas combinationes inter ipsa produceret, statim ac quæ hæterogeneæ erant naturæ ad contactum accederent. Absque hoc vivificante principio, in illa immensa molecularum congerie, probabiliter nulla chymica affinitas, aut iners hæc vis ac veluti mortua ex caloris defectu fuisset. Fortasse nec effectus sequi poterant universalis gravitationis, juxta hypothesim Cl. Mossotti (3), qui ab attractione inter moleculas ponderabiles et electricum ætherem, gravitationis legem repetendam putat. Igitur, quum audio «Spiritum Dei moventem se super aquas,» seu incubantem super aquas, confoventem et fœcundantem illas, intelligere possum hunc ætherem, utique corporeum, sed tenuitate ac vi suæ præstantissimum, quo « omnia corporea continentur et moventur,» qui statim a creatione supra immensam illam molecularum congeriem movebatur eamque pervadebat, qui incubans supra commixta corporum semina (aliquo modo ad instar « volucris ova calore animantis »), ea confovebat et fœcundabat, disponens proxime elementa ad generationem mixtorum, et remote ad vegetalium generationem et ad vitam animalium alendam. Hæ voces, « incubare, confovere, fœcundare,» uti spiritali sensu optime Spiritui Sancto conveniunt, ita sensu magis litterali et proprio ætheri illi congruunt, qui certe, si unquam aliud, dignus erat ut divini Spiritus vivificantis figura et typus exsisteret. Judæi revera tum quum hæc Mosis verba lectitabant, non satis adæquatam ideam hujus ætherei spiritus habebant animo conceptam; verum et ipsi radios illuminantes et calefacientes oculis sensuque usurpabant : adeoque et ipsi subtilem quamdam substantiam, aquas illas primitivas moventem, calefacientem aut fœcundantem, aliquo modo intelligere poterant.

(1) *Metamorphos.*, lib. I, vers. 67.

(2) Can. Ang. Bellani loquens de fluido electrico, ait : «Questo fluido cosi attivo... io sono indotto a riguardarlo per lo spirito delle procelle, di cui parlano le sacre Scritture.» *Giorn. di Fisic* Pavia, 1817.

(3) Mossotti, *Sur les forces qui régissent la constitution intérieure des corps.* Turin, 1836. — Idem, *Prolusione letta all' apertura del corso di Fisic. matem. dell' Univers. di Pisa*, 1847.

Nec vile nobis videatur quod intelligentiam verborum Dei per sensibiles creaturas quæramus. Nam sicut dum doctum aliquod volumen perlegimus, non nos a characteribus atramento delineatis erudimur, sed a scriptore qui ad suos sensus patefaciendos illos adhibuit : ita dum aliquid a magno hoc naturæ libro discimus, ab ejus auctore docemur Deo. Sapientissime S. Thomas scripsit (1) : « Sicut voces ab homine formatæ signa sunt intellectualis scientiæ ipsius : ita creaturæ a Deo conditæ sunt signa sapientiæ ejus. Unde dicitur *Eccli.* I, quod Deus effudit sapientiam super omnia opera sua. Sicut igitur dignius est doceri a Deo, quam ab homine; ita dignius est accipere scientiam per sensibiles creaturas, quam per hominis doctrinam. »

At jam de primo rerum statu sit satis : ad primam diem accedamus.

(1) III part., *Quæst.* XII, art. 5, ad 2.

Quorumdam opinio fuit (2), primam cœli et terræ creationem aut saltem rerum statum vers. 2 descriptum, ad primum diem in quo postea lux apparuit, pertinere. Verum hic dies, alii observant, videtur probabilius incipere a divino mandato; *Et dixit Deus : Sit lux*, non secus ac Deo jubente initium habent quinque posteriores dies. Præterea, cum *dies* sit *lux*, vers. 5, non videtur diei pars ante primam lucem esse ponenda. Certe prima creatio diem omnem præcessit. Tamen animadvertendum est, vix aliquid interesse, si illi dies sunt indeterminati temporis periodi, utrum longior fiat prima periodus, ei addendo tempus præcedens primordialium tenebrarum, aut contra fiat brevior, et illi præponatur alia periodus tenebrosa omni die anterior.

(2) In apocrypho lib. *Esdr.* IV, cap. VI, 38, est : « O Domine, loquens locutus es ab initio creaturæ, in primo die dicens : *Fiat cœlum et terra;* et tuum verbum opus perfectum. »

DE OPERE PRIMÆ DIEI.

(Vers. 3, 4, 5.)

XXXI. « Dixit Deus : Fiat lux, et facta est lux, » vers. 3. Hic primo Hebræorum legislator, naturæ legislatorem loquentem et imperantem inducit. Vera voce Deum usum putavit Theodorus Mopsuestenus apud Philoponum (1), qui hoc deridet et absurdum judicat. Nihilominus Basilius Seleuciensis Theodoro adstipulatur, nec non Theodoretus (2), qui id a Deo factum asserit « in gratiam Angelorum et virtutum invisibilium, ut scirent, ipso jubente, ea quæ non sunt, subsistere. » Qui angelos corporatos putabant, quæ multorum veterum opinio fuit, non adeo absurde cogitare poterant, illorum causa mundi opificem voce usum esse. Dum autem eos omnino spiritales facimus, supervacaneam in designandis operibus sonoram illam vocem esse intelligimus. Quocirca communis iste etiam veterum sensus est et multo magis recentiorum, nullam tum a Deo vocem editam fuisse, sed figurate ita scribere Mosen, « quoniam propter eos qui docentur, utilius esse censemus speciatim figurare præceptum, » ait M. Basilius (3). Theodoretus ipse (4) locutionem Dei ait esse ejus voluntatem. Audiendus Ambrosius (5) : « Plena vox luminis, non dispositionis apparatum significat, sed operationis resplendet effectu. Naturæ opifex lucem locutus est et creavit. Sermo Dei voluntas est, opus Dei natura est. »

Quæsitum est, cur Deus vocem nullam protulisse dicatur, dum cœlum et terram condidit, uti deinceps in dierum singulorum operibus dicitur. Nonne magnificum exordium fuisset : In principio dixit Deus (6) : Sit cœlum, sit terra; et fuerunt cœlum et terra? Ratio hujus rei, præcipua saltem et magis obvia, hæc mihi videtur. Verba Dei sunt ejus imperia. Versio Persica, ubi hebræum habet : *Sit lux*, vers. 3, *Sit extensio*, vers. 6, *Sint luminaria*, vers. 14, ponit, quasi ad alterum loqueretur Deus : *Esto lux, Esto firmamentum, Estote luminaria.* Jamvero non imperatur nisi his qui obedire queunt, non autem nihilo, id est non-existenti quod, cum non sit, obedire nequit. Existentia quæ sunt, quamvis ea irrationalia et inanima sint nec ejus mandata intelligant, tamen Deo obediunt, quemadmodum magneti et manui magnetem admoventi ferrum obtemperat. Non imperavit Deus materiæ cœli et terræ quæ nondum existebat, sed materiæ creatæ atque existenti imperavit ut moveretur motu illo vibratorio qui lucem generat; aeri ut atmosphæram formaret dividentem inter aquas superiores et inferiores; aquis ut ab illa superficie terræ, quæ apparere debebat recederent, etc. Optime igitur Moses inter creationem materiæ in qua usus est verbo creationis, et formationem rerum ex creata materia distinxit. In prima illa operatione Deus operatur, non jubet : non enim sibi ipsi imperat. In secunda operatione operatur et jubet, quæ tamen duo, quando de Dei operationibus in res

(1) Joan. Philopon., lib. I *De Opif.* cap. XXII.
(2) Quæst. IX *in Genes.*
(3) *Orat.* 2.
(4) Loc. cit.
(5) *Hexaem.*, lib. I, cap. IX.

(6) Lib. apocryphus *Esdr.* IV, ita Deum loquentem inducit. Vid. § præced.

irrationales agitur, unum sunt (1). Hinc confirmatur, eum in principio cœlum et terram fecisse *ex nihilo* : secus enim unde hæc diversitas? Cur cœlo et terræ in principio Dominus non imperat? Quare ibi tacet, postea vero loquitur? Silentio nempe succedit vox, quia nihilo seu non-existentibus existentes creaturæ successerant? Scribit Hieronymus in illud Matthæi, *Imperavit ventis et mari* : « Ex hoc loco intelligimus, quod omnes creaturæ sentiant Creatorem. Quas enim increpavit et quibus imperavit, sentiunt imperantem : non errore hæreticorum qui omnia putant animantia, sed majestate conditoris quæ apud nos insensibilia, illi sensibilia sunt, » in *Matth.* VIII.

Non modo Augustinus, § 22, sed plures Ecclesiæ Patres sic illas Dei locutiones cap. I *Genes.* exponunt ut significent, Deum per Verbum ea fecisse quæ facta narrantur. Ita Irenæus (2), Theophilus Antiochenus (3), Athanasius (4), Gregorius Nyssenus (5) et Tertullianus (6).

XXXII. Animadvertendum est, verba hebraica pressius ad litteram reddi: *Sit lux, et fuit lux* (7), quam *Fiat lux, et facta est lux.* Prima versio magis indicare videtur agi hic de productione phænomeni, potius quam de alicujus creatione aut formatione substantiæ. Tamen non puto per verba Mosis eam quæ de lucis natura est, definiri quæstionem quam, ut cætera hujusmodi, Deus hominum disputationi reliquit. Tantummodo « Deus dixit de tenebris lumen splendescere, » II *Cor.* IV. Jam vero, si quis ab altero lumen postulat ut tenebræ dissipentur, nil hic postulat aliud, nisi ut locus ubi ipse est, illuminetur; quod fit vel fenestras aperiendo, vel lucernam accendendo sive accensam afferendo; non ille quærit ut substantia quædam imponderabilis e corporibus ubi latebat exeat, sed neque ut certum motum vibratorium acquirat æther qui ubique sit, adeoque et in suo cubiculo, diffusus.

Voltairius putat se evertere Mosis narrationem, scribens, antiquos omnes credidisse non emitti lucem a sole, sed tantum lucis materiam per spatium diffusam ab eo moveri: sed postea demonstratum esse, lucem a sole emitti. At vero si Moses doceret lucem a sole non emitti, sed tum ab ipso lumen generari, quum luci vel potius ætheri per spatium diffuso motum communicat, gratulandum ipsi Mosi esset, ut præcursori hujus doctrinæ, quæ recentioribus opticis demonstrata videtur. Sed quid Mose antiquiores vel ipsi coævi homines de luce sentirent, omnes pariter, ut puto, ignoramus. Posteriores philosophi non omnes lucem a sole emitti negarunt; quin et nonnulli pro certo id habebant, uti Democriti et Epicuri discipuli, quod vel ex Lucretio (8) discimus; at nemo neque ex veteribus, neque ex recentioribus illud emissionis systema demonstravit. Addit Voltairius, lucem a Deo diffusam per spatium, ut a sole commota mundum illuminaret, et ipsa sic divideretur a tenebris diemque efficeret, non potuisse, antequam esset sol, ista præstare: hoc esse omnino tum physicæ scientiæ, tum rationi contrarium. Quibus profecto nihil insulsius dici potest, aut physicæ doctrinæ ac rationi contrarium magis; immo et communi sensui et vulgari experientiæ magis repugnans. An non apparet lux, neque tenebras pellit, neque ab eis dividitur, etiam quum sol abest, si corpus quodcumque ignitum aut inflammatum adsit? Auroræ boreales, montes ignivomi, magnæ urbis aut sylvæ incendium, festivi ignes arte elaborati, plurimis lucentes facibus viæ, aulæ, urbes, templa, theatra an non lucem emittunt, an non tenebras fugant? Nemo ita bardus et stupidus homo est (canes etiam et feles testari poteram) qui ignoret, lucernarum lumine cubicula per noctem illuminari, satisque culinam et aulam, vel camini igne, splendescere. Quomodo igitur Voltairius lucem absque sole imaginari non poterat? Satis erat, primis temporibus a luce qualibet tellurem nostram aut magnam ejus partem illuminari, ut esset dies: *dies* enim Mosi *lucis* tempus est, non tempus solis. « Appellavit Deus lucem diem, » vers. 5.

XXXIII. Multa de hac luce primæ diei disputata sunt. Dubitavit Augustinus spiritalisne illa an corporea fuerit (9). Ac « si spiritalis fuit, non illa vera, » ait (10): « Patri coæterna intelligenda est, per quam facta sunt omnia, et quæ illuminat omnem hominem; sed illa de qua dici potuit: Prior omnium creata est sapientia. » Multo minus corpoream lucem illam Deo coæternam pateretur Augustinus, quam Græci Palamitæ et Eugubinus posuere. Itaque, « quamlibet lucem significet, ait ipse, factam tamen et creatam debemus accipere.» Ac spiritalem lucem (11), vel angelicam naturam, vel hujus illustrationem interpretatur, aut ejusmodi aliquid. Sed corpoream et aspectabilem Mosen significasse, fere omnes credunt; atque hic est hujus loci solus sensus litteralis.

Quæ hujus lucis occasione veteres scribebant, quum nondum in naturæ scientia facta erat lux,

(1) « In opere creationis utitur verbo creationis, quia in illo corpora simpliciter producuntur ex nihilo. In opere distinctionis utitur hoc verbo *fiat, et fecit*, quia illud non fit ex nihilo, sed est determinatio ad formam et locum : quod ex parte operis est proprie fieri, et ex parte artificis proprie est facere. » Albert. Magn. *Summæ*, part. II, Tract. 11, Quæst. LV.

(2) *Advers. hæres.* IV, cap. XXXII, alias LII, § 1.

(3) Lib. II. *ad Autolyc.*

(4) *Contra Arian.*, orat. 2, § 31.

(5) *Advers. Judæos*, testim. 1.

(6) *Advers. Praxeam*, cap. VII.

(7) Sic italice melius : *Sia luce, e luce fu*, quam cum articulo : *Sia la luce, e la luce fu.* Ita anglice : *Let there be light*, potius quam : *Let there be the light.*

(8) *De Natura rerum*, lib. II.

(9) *De Genere imperf.* cap. I et seq.

(10) *De Genes. ad lit.* I, cap. III et XVII.

(11) *De Genes. ad lit.* I, cap. III.—*De Civit. Dei*, lib. II, VII et IX. — *Confess.*, lib. II, IX et XVI.

et nil fortasse in physicis luce erat obscurius, ea nunc referre et examini subjicere, vanum saltem foret. « Veniam antiquis. » Physica tamen disciplina sententiam quorumdam veterum Hebræorum non improbaret, dicentium, lucem illam fuisse lucem solis, quamvis terræ nondum conspicui (1). Hanc sententiam secutus est S. Thomas (2), et post eum Augustinus Eugubinus (3), Catharinus, Nicolaus Garcia de Londagno (4), Quadros, et Pererius qui scripsit, et fortasse cum veritate, alio modo eam explicare conantes, « prope modum inexplicabilibus difficultatibus impeditos et implicatos teneri. » Putat Scheuzerus (5) solis jam creati suaque jam luce fulgentis radios, cum densa quadam atque opaca omnis generis corpusculorum commixtione detinerentur, ad tellurem in principio non pervenisse: postea vero, opacis illis moleculis magna ex parte præcipitatis, penetrasse solarem lucem usque ad terræ superficiem, non tamen solis faciem telluri fuisse conspicuam, eo quod magna vis aquei vaporis, ingentesque nebulæ cœlum contegerent. Plane ut et modo fit, quando nubilosum est cœlum. Ita sentiunt et Angli Scriptores *Historiæ universalis*. Hæc certe neque rationi, neque scientiæ adversantur: densos autem vapores circa terram primis temporibus fuisse agglomeratos, bene indicatur in libro *Job* XXXVIII, 9. Verum cum in hac Scheuzeri sententia ponatur jam a primo die spatium atmosphæricum, seu hoc primum cœlum, nonnihil pellucidum evasisse nec fere in se retinuisse aliud quam aerem et aquam: illud consequeretur, jam a primo ipso die eum fere statum in atmosphæra obtinuisse, cujusmodi exhibetur nobis post opus diei secundi, vers. 6, 7, in quo atmosphæra constituta narratur. Præterea in hac sententia manifestatio solis die quarto, vers. 14-18, fuit solummodo atmosphæricæ defæcationis complementum, quod astra telluri visibilia fecit. Hæc igitur defæcatio, objectum divini imperii, *saltem* bis, atque opus saltem duorum e sex diebus, primi nempe et quarti, fuisset. *Saltem* dixi: nam si jam a primo die atmosphæra erat nec illa valde a præsenti diversa, esto fuerit multo magis uda : quodnam, quæso; secundi diei opus fuit, nisi minus imperfecta ejusdem aeris defæcatio, qua illa atmosphæræ portio, quæ inter nubes et inferiores aquas interjacet, diaphana evaserit? Uti fit quando humilior nebula resolvitur vel ascendit, sed cœlum nube continua tegitur. Non videtur autem posse concedi, quod in Mosis narratione una eademque operatio bis aut ter a Deo præcepta inducatur.

(1) Apud Maiemonidem, *More Nevochim*, p. 276. Edit. Buxtorf., et Manasses apud Vatablum h. l.

(2) In II *Sent.*, dist. XIII, Quæst. unic., art. 3. *Summa*, I part., Quæst. LXVII, art. 4, ad 1.

(3) In *Cosmopœia*.

(4) *Exam. synops.* I, Quæst. VI, VII, VIII.

(5) *Physic. sacr. in Genes.*

Recentiores quidam conjiciendo asseruerunt, lucem hanc *ætherem* esse qui, in motu positus, undis suis lucem generat. Verum, ut dixi, ætherem a principio creatum una cum cœlo et terra tenendum est. Præterea æther a luce differt, uti aer a sonitu; per se enim non lucet, nisi in illo ab alio corpore per motus communicationem undæ excitentur; adeoque per se nec dici potest אור, quod est *lux* vel *calor lucens* seu *ignis*, nec opponitur tenebris, nec appellandus est *dies*, vers. 4, 5.

Terram, post creationem, magnam pulvisculorum e variis substantiis conglobatam congeriem fuisse, Joannes Andreas De Luc (6) arbitratus est, qui præterea asserebat, aquam tum quidem extitisse, verum non in liquido statu, ex defectu caloris qui, quemadmodum chymicis combinationibus necessarius est, ita pariter requiritur ut statum illum aqua obtineat. Igitur ut solveretur aqua, in eaque substantiæ cæteræ, necesse fuit, ut pulverea illa congeries usque ad quamdam profunditatem ab *igne* penetraretur, ex quo enata solutio temperie chymicis operationibus necessaria polleret. *Ignis*, ait De Luc, fit ex combinatione lucis cum *elemento ignis*: ergo oportebat cum aliis omnibus elementis lucem conjungi: ex hac coitione una phænomenorum omnium geologicorum est origo repetenda. Jam vero hæc *lucis* copulatio cum massa terrestri a nulla physica causa, quæ nobis sit cognita, repeti potest. Ergo natura ipsa de prima Dei jussione a Mose relata nos facit certiores. Hæc sanioris physico-chymiæ doctrinis refellere haud difficile esset; sed hoc in loco id necessarium non puto. Satis erit animadvertere, hæc omnino ad arbitrium excogitata esse; nec verisimile videri quod, si revera exstitit substantia illa quam De Luc *lucem* appellat et adeo necessariam existimat, hæc a Deo non tunc fuerit creata, quum alias corporeas substantias existentia donavit. Præterea ignis seu calor luminosus, ad exsiccandam terrestrem massam et ad aquam in vapores resolvendam aptior est, quam ad aquæ materiem liquefaciendam et ad alias in ipsa minerales substantias dissolvendas. Caloris vero gradus qui ad ebullitionem aquæ sufficit, luminosi caloris temperie longe est inferior; et licet ponamus gradum ebullitionis quoad solutionem illam fuisse non 100° C. (212 Far.), sed 200° vel 210° C. (respondentem pressioni 17 atmosphærarum), hic tamen calor a gradu lucentis caloris seu ignitionis multum distaret: non igitur lucis (אור) nomen mereretur.

XXXIV. Facile, ut mihi videtur, quidnam fuerit lux hæc intelligitur, si legibus a Deo naturæ impositis attendamus. Moleculæ elementares legi universalis gravitatis obedientes, alteræ ad alteram accederent necesse erat, atque ita quæ ad tellurem nostram efformandam fuerant a creatore

(6) *Lettres sur l'hist. physiq. de la terre*, à M. le prof. Blumenbach. Lettr. 2 et 3.

præordinatæ, globum hunc consociatæ constituerent. Igitur, dum undecumque hæ moleculæ sibi invicem occurrerent, postquam altera ad alteram satis accesserant, chymicæ combinationes juxta chymicas leges confici debebant. Ita e simplicibus seu elementaribus moleculis *mixta* efficiebantur : interque hæc magna vis gignebatur vaporis aquei. Ac ne ad hypotheses minime necessarias confugiamus, divinari possumus, combinationes primas fuisse eas, quæ elatam minime requirunt temperiem, sed illa quæ ordinaria est in tellure, etiam hyemali tempore, satis habent. Ita cum oxygenio, quando maxime contritum est, combinatur ferrum, idque non sine emissione luminosi caloris : uritur enim vere ferrum atmosphærico aeri expositum : ita etiam metalla quæ *niccolum*, *cobaltum* et *uranium* appellata sunt. In ordinaria pariter temperie cum ignis emissione *chlorum antimonio* (stybio) aliisque quibusdam metallis, et *iodium phosphoro*, combinantur. Hæc vel alia hujusmodi lucem aliquam generabant, simulque temperiem elevabant : qua ex re novæ combinationes oriri debebant, et lux et calor magis ac magis augeri. Inter has novas combinationes, imo una ex præcipuis, putanda est fuisse synthesis aquæ, quæ magnam vim caloris luminosi producit; cumque maxima ibi adesset copia elementorum illorum ex quibus aqua constat (oxygenii scilicet et hydrogenii), in immensum calor et lux augeri novæque inde affinitates excitari debuere. Potuerunt una cum aqua, vel ob calorem a nascente aqua productum, gigni ea quæ dicuntur *alcalia fixa* et *terræ*, ut *potassa* (kali), *soda* (natron), *calx*, *magnesia*, *alumina*, *silica* etc. *et acida*, e. gr. *acidum carbonicum*, *sulphurosum*, *sulphuricum*, *phosphoricum*, et *sulphureta* et *chlorureta*, etc. Ex his combinationibus nova fiebant incrementa caloris et lucis. Interea istæ syntheses et combustiones una cum luce et calore, quorum et effectus erant et causæ, per spatium diffundebantur. Plura addi possent; at necesse non est : hæc enim ipsa fortasse nimia nonnullis videbuntur. Finge nunc spectatorem aliquem in spatio collocatum, atque in tellurem recens natam oculorum aciem intendentem. Quid iste prospiciet? Principio quidem nihil, quia tenebræ sunt *super faciem abyssi* : post certum vero tempus lucem videbit, initio fortasse modicam ac lenem, at celeriter crescentem et brevi præ nimio fulgore alium quemcumque oculis visum prohibentem. Ergo natura ipsa ad id nos adducit, ut fateamur, unam lucis adparitionem primum in tellure phænomenon fuisse. Neque in hoc quidquam casu vel temere accidebat, sed omnia imperio regebantur et sapientia creatoris. Dicebat : *Sit lux*; jubebat nimirum lucem, hoc est calorem luminosum sive ignem adparere et tunc et postea, quandocumque chymicæ combinationes satis validæ fierent; ejusque imperio obtemperabant corpora, quemadmodum et nunc in luminosis combinationibus, quæ sunt combustiones, obtemperant. Sacer scriptor causam tantum primam, nempe Dei imperium, et effectum visibilem indicat; de aliis effectibus tacet. Cum enim non id sibi præstituisset, ut cosmogoniam aut chymiam doceret Hebræos, non erat fini suo necessarium ut de cæteris institueret sermonem. Ni fallor, hæc lux Mosaica adeo manifesta adparet, ut aliam lucem studiose quærere, idem mihi videatur ac fumosam ex vili adipe tædam accendere dum sol in meridie refulget (1).

Sublimitatem hujus locutionis : « Fiat lux, et facta est lux, » admirabatur ethnicus ille scriptor acris judicii (2), in « Judæorum legislatore divini Numinis potentiam pro dignitate declarante. » Nonne magis in Mosis sermone admirabilis est sapientia illa, qua paucis verbis declarat id, quod tandem post tot sæcula nobis scientia revelat?

Vox אוֹר (lux) bene reddi posset *ignis* (3); nam radix manens in lingua Arabica interpretatur, *inflammavit*, *ussit*. Nec nova est interpretatio hæc. Gregorius Nyssenus primam illam lucem putavit fuisse ignem, qui ex informi et confusa mole, Dei nutu et imperio, subito prodiit et repentino lumine *omnia* collustravit. Etiam Severianus Gabalitanus (4), Cæsarius in *Dialogo* I, interrogat. 58, et S. Joannes Damascenus lucem illam, ignem fuisse crediderunt. His adde quod *Marc.* XIV, φῶς (lux) *ignem* significat, et optime Vulgata reddit : « Sedebat cum ministris ad *ignem*. » Revera vulgo ignis nomine intelligimus rem in statu combustionis luminosæ vel ob maximum calorem ignitam.

Animadvertendum est, Mosen non dicere, lucem hanc fuisse in cœlis, quod scribit vers. 14, 15, 17, de sole et astris; sed generatim, jubente Deo, lucem fuisse. Putabat Petavius, « in vastissima illa nebula et vapore, quam aquam et abyssum Scriptura nominat, » hanc lucem adparuisse, quod Julio Africano et Bedæ placuisse scribit. Verum nec eam tantummodo in tellure aut supra faciem terræ Moses ponit, sed indefinita locutione utens, nos non prohibet quominus incendium longe majus, vel etiam universalem conflagrationem menti nostræ repræsentemus, quam et analogiæ argumentum probabilem facere vide-

(1) Hanc explicationem exposui in dissertatione edita Romæ anno 1839, in *Annali delle scienze religiose*, vol. VIII, fasc. XXIV, hoc titulo : *Saggio sulla Cosmogonia Egiziana*, quæ gallice edita est Parisiis in *Annal. de philosoph. chrétienne*, 1840, tom. XX, p. 107, 245; nec non in alia Bononiæ edita : *Osservazioni sulla Cosmogonia*. Vid. *Nuovi Annali delle scienze naturali. Dicembre* 1847. Cl. Debreyne, cujus cosmogonica doctrina a nostra non parum distat, scribit tamen : « Cette agitation des molécules élémentaires et leurs combinaisons produisirent une immense lumière bornée autour de la terre. » *Théorie biblique de la Cosmogonie*, par P. I. C. Debreyne, doct. en médecine, prêtre et religieux de la Grande-Trappe. Paris, 1848, p. 73.

(2) Auctor libri *De sublimi genere orationis*, qui Longini nomine circumfertur. Sect. VII.

(3) אוֹר ignis, focus. *Ezech.* v, 2.

(4) Homil. 1 et 4, *De Mundi opif.*

tur. Nos tamen de tellure tantum agimus. Cæterum, imago illa nil triste repræsentat, sed potius magnificum quoddam, nec lætitiæ minus quam majestatis plenum spectaculum. Innocens enim incendium illud erat, quod non modo nil damni afferebat, sed et aquam et alia futuris viventibus utilia aut necessaria progignebat.

Ait nec semel S. Ephrem (1), potuisse Deum stirpes non solum creare, sed etiam facere ut crescerent et fructificarent sine aqua; verum, quoniam terræ fœcunditatem aquæ committere decreverat, ideo, inquit, voluit ut aquæ etiam ad primam earum formationem, uti et lux, cooperarentur; ideo et aquas et lucem ante plantas herbasque produxit. Ita dicere nobis licebit, potuisse Deum ab initio aquam creare; verum quoniam statuerat eam non aliter sæculorum decursu progignendam esse, nisi ex suorum copulatione elementorum, ita hæc præexistere voluit et primæ aquæ proprie dictæ formationi inservire. Quod pariter et de aliis mixtis inorganicis dicere possumus; imo magis de his quam de plantis, quæ sola aqua et luce sine præexistente semine non fiunt.

Quibusdam dicentibus, primam « lucem fuisse quamdam nubem lucidam, quæ postmodum facto sole, in materiam præjacentem rediit, » opponit S. Thomas : « Scriptura in principio Genesis commemorat institutionem naturæ quæ postmodum perseverat : unde non debet dici quod aliquid tunc factum fuerit, quod postmodum esse desierit (2). » Id nostræ explicationi opponi posse videtur. Sed facilis responsio esset, si quis istud opponeret. Nos enim substantiam nullam dicimus primo die factam, quæ postea desierit. Tantum in nostra sententia Dei lex de luce a chymicis combinationibus producenda, eo tempore, ut ita dicam, promulgata fuit; quæ lex perseverat adhuc, ejusque vi semper progignitur lux. Præterea valde probabiliter lux in prima illa periodo non in tellure modo, sed et in sole accensa est, fortasse et in stellis fixis, et in his perseverat. Eæ vero substantiæ quas tunc ex illa luce sive igne factas arbitramur, ut puta, aqua et terræ, nequaquam postmodum esse desierunt.

XXXV. *Vidit Deus lucem quod esset bona. Bona* certe et *pulchra* est lux (bonum et pulchrum significat hebraice טוֹב) ; at sensus hujus sententiæ melius, ni fallor, percipitur, si juxta expositam doctrinam, lux illa consideratur ut quæ tot nobis utilia, aquam præsertim, generavit. At laudem hanc cum et luci et suis aliis operibus tribuerit Deus, vers. 10, 12, 18, 21, 25, non illam tamen traditur toti corporeæ substantiæ, quum eam in principio ex nihilo produxit, tribuisse. Cur hoc? Respondet Mazzocchius (3) : « Id quia Ipse per se molitus est, nulla approbatio sequitur. Præparata deinde materia universa, singula pene opera creaturis facienda locasse, hic et in sequentibus scribitur ut : *Germinet terra...* item alibi : *Producant aquæ reptile...* et rursum alibi : *Producat terra jumenta et reptilia.* Non mirum ergo si eadem opera, postquam fuere facta, ad artis suæ, id est divinæ sapientiæ regulas exegisse, ac demum probavisse dicatur supremus artifex. » Ita confirmari videtur, productionem illam cœli et terræ, vers. 1, veram fuisse creationem, non vero sic productionem lucis hac prima die.

Divisit lucem a tenebris, Vulg.; *Separavit inter lucem et inter tenebras,* Hebr. Hæc hucusque dictis minime opponuntur. Non enim narrat Moses, lucem in una cœli plaga ortam, in oppositam occidisse post horas duodecim. Qui hæc dicunt, non ea certe hauserunt ex Genesi, sed ex illa propensione mentis nostræ qua sæpe de rebus remotis et sensui ignotis ex præsentibus et cognitis judicamus. Sententia Mosis generalis est : « fuit lux : » quæ nec ad Judæam refertur, neque ad Ægyptum magis quam ad Mexicum aut ad Marylandiam, præsertim cum nulla tunc regio, nulla insula aut continens terra haberetur. Basilius, Nyssenus, § 34, Ephrem et Procopius Gazæus lucem illam ubique diffusam putaverunt. « Illustrabatur aer, ait Basilius (4), imo permixtam sibi lucem habebat totam in se tota, celeres fulgoris distributiones ad suos ipsius terminos quaquaversus transmittens; sursum enim, ad ipsum usque æthera et usque ad cœlum pervenit, in latitudine omnes mundi partes, tum aquilonares tum australes, tum orientales tum occidentales, in brevi temporis momento illuminabat. » Consentit Ambrosius. « Resplenduit subito aer, et expaverunt tenebræ novi luminis claritatem; repressit eas et quasi in abyssos demersit repente *per universa mundi* fulgor lucis infusus. » Joannes Damascenus idem sentire se ostendit; nam cum Basilio credit diei ac noctis distinctionem eo tempore factam « effusione lucis et contractione, » seu, ut exponit Eustachius, Basilii interpres, « diffusione principalis luminis modo se subducentis, modo denuo reducentis. » Ita Justini nomine vulgata fidei expositio, « contracta et collecta luce, » noctem esse factam asserit. Hanc opinionem commemorat Augustinus, lib. I *De Gen. ad lit.*, cap. XVI : « Emissionem vero contractionemque lucis illius, si velimus diem noctemque intelligere, nec causam videmus cur ita fieret : non enim jam erant animalia, quibus hæc vicissitudo salubriter exhiberetur. » Idem hanc sententiam refert ut non improbabilem, lib. IV, cap. III. Basilius (et cum eo Procopius) illud *divisit lucem...* interpretatur : « hoc est, utrarumque naturam mixturæ cujuscumque incapacem, et alteram alteri ex adverso oppositam Deus reddidit. » Cum tenebræ sint lucis defectus, repugnat

(1) *In Genes.*, lib. I, cap. II.
(2) I part., *Quæst.* LXVII, art. 4, ad 2.
(3) *Spicileg. biblic.*

(4) Homil. 2 *in Hexaem.*, tom. I, p. 19 edit. Maurin.

utraque simul existere : nunquam in eodem loco et tempore lucis ac tenebrarum societas possibilis est, adeoque essentia ipsa sua divisæ sunt. Deus præterea voluit, ut neque perpetuo, neque in omni loco sive lux sive tenebræ dominarentur, sed sua regna utrisque divisit.

XXXVI. Deus *lucem* (seu lucis tempus) *appellavit diem et tenebras* (tenebrarum tempus) *noctum*, vers. 5. Latini aliquando e converso diem ipsum lucem vocant, cujusmodi est illud Tullii : « Centesima lux hæc est ab interitu P. Clodii. » Sane simplex esset qui crederet Deum tunc has voces, quanquam nemo audiret, protulisse, nimirum per vacua spatia resonare fecisse. « Nondum de nominibus agebatur, ait Augustinus ; postea adhibita sunt vocabula et dies et nox. » *Appellavit*, metonymia est : voluit Deus ut aliquo tempore lux regnaret et id efficeret quod dicitur dies, aliquo vero tempore regnarent tenebræ per quas (id est ex lucis defectu) ille rerum status producitur, quem dicimus noctem. « Intelligitur, docet S. Thomas (1), ubique per hoc, quod dicitur *vocavit*, id est dedit naturam et proprietatem ut possit sic vocari. » Præterea, nomina imponere, signum dominii est : mos enim apud orientales gentes obtinebat, ut qui alterius dominio subjiceretur, nomen ab ipso acciperet, IV *Regum* XXIII, 34 ; XXIV, 17 ; *Dan.* I, 6, 7. Quum Adæ dominium in animalia conceditur, primus ejus dominii actus nominum impositio est, II *Genes.* XIX. Pari modo, hac nominum impositione, supremum Dei dominium in diem et noctem, quod est in omne tempus, hic indicari videtur, uti paulo post, vers. 8, 10, dominium Dei in cœlos, terram et maria, quod est in omnia quæcumque existunt in spatio, imposita ab Ipso nomina « cœlum, terra et maria » commonstrant. « Tuus est dies, et tua est nox, » *Psal.* LXXIII, 16. « Tui sunt cœli, et tua est terra. Mare tu creasti... » *Psal.* LXXXVIII, 12.

Mirum est et apud profanos memoriam de nominibus diei noctisque divinitus impositis reperiri. Proclus enim ait, diem noctemque deos esse, « quorum nomina a diis ipsis accepimus. » Putat Mazzocchius, ex hoc loco Geneseos id hausisse Proclum, vel eum certe a quo id Proclus accepit. Proclo antiquiorem Frontonem, M. Aurelii præceptorem, epist. 3 *de feriis Alsiensibus*, videre Mazzocchio non licuit : adhuc enim Frontonis scripta in Ambrosiana bibliotheca latebant (2). En ejus verba ad rem nostram : « Jovem patrem ferunt, cum res humanas a primordio conderet, ævum vi medium uno ictu percussum in duas partes undique pares diffidisse : partem alteram luce, alteram tenebris amicisse : *diem noctemque appellasse* : noctique otium, diei negotium tradidisse. »

Factumque et vespere et mane, (*et fuit vespera et fuit mane*, hebr.) *dies unus* Quod primus hic dies, non *primus* sed *unus* nominetur, mysticum nescio quid et arcanum redolere visum est Philoni, Origeni, Basilio, Cæsario, Procopio aliisque ; at perspicuum videtur tribuendum hoc potius cuidam Hebraicæ linguæ proprietati qua fit, ut cardinales numeri pro ordinalibus frequenter usurpentur, ut *Gen.* VIII, 5, *Num.* I, 1, hebr. In Novo Testamento quam Matthæus, cap. XXVIII, 1, vocat « primam Sabbati, » Joannes, cap. XX, 1, nominat « unam Sabbati. »

Hoc vers. 5, putant plurimi vocabulum *dies* duplicem sensum habere (appellavit *diem* lucem.... *dies* unus), nempe primum temporis lucis, et secundum diei *civilis* ex die et nocte conflati. Versio Syriaca duabus diversis vocibus utitur, quam rem, diligentiam scriptoris laudans, notat L. Hirzel (3). Sed vere hoc mihi non videtur necessarium : potius illud probabilius credam ; cum Moses immediate ante hæc verba dixerit, appellatam a Deo *lucem diem*, quod est verum *diem* esse ipsum lucis tempus (4) : potius, dico, credam, *diem primum* appellari ab eo tempus illud, quantumcumque demum fuerit, quod inter primitivæ lucis initium ejusque finem comprehenditur quodque tenebræ præcesserunt. « Principium diei vox Dei est : fiat lux, » ait Ambrosius. Et Basilius scribit : « Qui status fuit in mundo ante lucis generationem, is non erat nox, sed *tenebræ*. » Et Augustinus (5) : « Illæ tenebræ nondum erant nox, nondum enim præcesserat dies : divisit quippe Deus inter lucem et tenebras, et prius lucem vocavit diem, deinde tenebras noctem, et, facta luce, usque ad alterum mane commemoratus est dies unus : manifestum est, illos dies a luce cœpisse et transacta luce usque ad mane singulos terminatos. » Ita sentiunt complures, inter quos Chrysostomus, Joan. Philoponus qui Theodorum Mopsuestenum contraria docentem refellere conatur, et Victorinus, qui libellum de hac quæstione scripsit editum cum aliis opusculis a P. Sirmondo. Non multum roboris habet ad probandum dies istos incipere a vespera, id quod afferunt, videlicet, diem apud Hebræos a vespera duxisse initium ; præsertim cum dies illi judaici a vespera ad vesperam extenderentur, dies vero Mosaici, si a vespera incepere, quia vespera prius nominatur, iidem cum mane terminasse dicendi essent : quod et valde distat ab Hebræorum consuetudine, et ridiculum est, quia esset dies idem ac nox.

De vocibus *vespera* et *mane* multa superius diximus, § 11 et 12. Credendum videretur, primo die *mane* fuisse, quando lux illa incepit, et *vesperam*, quando deficiebat et languidior evaserat : neque enim verisimile est, illam ad summum splendoris

(1) I part., *Quæst.* LXIII, art. 2, in fine.

(2) Unde multa Frontonis traxit et edidit clar. Angel. Mai, S. R. E. Cardinalis, vir de re litteraria optime meritus.

(3) *De Pentateuch., vers. Syriac.* Lipsiæ, 1825, p. 63.

(4) Tempus lucis etiam a Censorino dicitur *naturalis et verus dies. De die natali*, cap. XXIII.

(5) Serm. 79 *De divers.*

gradum statim pervenisse, aut momento exunctam esse, sed magis credibile videtur, eam gradatim et paulatim usque ad maximum splendorem crevisse, et post certum tempus per gradus defecisse, et tandem omnino fuisse extinctam. Ast hoc asserere non audeo, quia phrasis illa, *fuit vespera,* præmittitur alteri phrasi, *et fuit mane.*

Itaque alterutrum ex his duobus teneri potest: vel quod primus dies, a prima lucis adparitione ducens initium, tum *vesperam* habuerit, quum lux illa cœpit deficere; *mane* autem ibi memoratum fuerit ut initium et veluti aurora secundi diei; quod cum Augustini doctrina, § 9 et 11, optime convenit: vel quod ita Mosis verba explicanda sint: « et fuit obscuritas, (quæ non erat dies, nec diei pars, sed diei anteibat), et fuit mane (lucescebat, et tunc factus est dies primus. »

Hanc vero interpretationem probabiliorem esse in sequentibus adparebit. Si vero placeret secundum vocum origines (§ 11) voces illas עֶרֶב (vesperam) et בֹּקֶר (mane) interpretari; ita Mosis verba explicari possent: *et fuit commixtio, et fuit mano seu adaperitio;* vel ita: *et fuerat commixtio, et fuit mane, adaperitio* nempe et *prima navitas, seu partus primus.* Revera, uti tenebræ quæ in principio fuerunt, minus proprie videntur appellari vespera, quæ latinis est imperfecta obscuritas post lucem et diem: ita optime eis convenit appellatio *commixtionis*, non modo quia in tenebris nihil distinctum apparet, nulla figura, color nullus, sed præcipue quia primo illo tempore nulli rei sua forma manebat, et aer lucis egens, et omnes elementares substantiæ commixtæ erant et confusæ, illæ quoque quæ ad efformanda prima mixta corpora erant destinatæ. Commixtio illa et omnimoda obscuritas non sunt proprie diei pars, sed ideo memorantur, quia diei initium illas anteisse supponit; ex earum enim cessatione fit dies. Primam vero lucem decuit appellari *mane* etiam antonomastice, atque *adaperitionem* et *partum primum,* quia, veluti aperta abysso, ex tenebrosa illa alvo lux prodidit, qua corporeus mundus tunc primum adparuit et in lucem est editus, et primogenita inter compositas substantias tum primitus producta sunt.

XXXVII. Temporis spatium, quo luminosus ille calor perduravit, sive dum globus terrestris formaretur, sive postquam jam satis esset hic constitutus, determinare certe non valeo. Divinare tamen possumus, incendium illud omnium maximum non adeo celeriter deferbuisse. Putandum enim est, hunc recens natum terrarum orbem totum fuisse ignitum, saltem a superficie ad certam usque profunditatem, tum ex corporum combinationibus quæ ibi fiebant, tum ob ignita corpuscula e superiori regione decidentia quibus globi ipsius moles concrescebat. Præterea hæc superior circumstans regio et ipsa ignita cum esset, maximum calorem globi conservabat. Si vero conflagratio ultra sublunaria spatia, et ad alia cœlestia corpora protendebatur, immensa illa radiationis vis ex omnibus cœli partibus tellurem versus convergens, diu sane refrigerationem ipsius telluris, quæ ex proprii caloris radiatione fieri potuisset, impedire ac differre debuit. Placet hic cursim animadvertere, non potuisse hominem, si tunc adfuisset, hoc tempus ignitionis ac lucis metiri; luce enim ubicumque ac semper fulgente, deerant vices illæ, quibus tempus metimur, obscuritatis et lucis. Amisit tandem superficies terrestris temperiem illam luminosi caloris (et citius quoque eam amisit circumstans spatium, quod moleculis variarum specierum occupabatur): sed non illico putandum videtur, diei secundæ opus fuisse inchoatum. Hoc enim supponit veram et proprie dictam, seu liquidam aquam super faciem terræ existentem, vers. 6, 7: aqua vero, statim ac splendor lucis desierat, immo adhuc longe postea, tantum debuit retinere caloris, ut diu liquidum statum obtinere non posset, esto probabile sit, gradum illum temperiei, quo aqua ebullit, ob majorem atmosphæræ pressionem, aliquanto magis per id tempus fuisse elevatum. Igitur hoc secundum temporis spatium constituere potuit vesperam, quæ secundam diem vel periodum antecessit. Cui hoc non arridet, potest hoc, de quo loquimur, obscuritatis tempus ita considerare, ut intervallum aliquod inter primum ac secundum diem interjectum: neque enim necesse est, Mosaicos istos dies immediate, nullo interposito temporis spatio, alterum alteri successisse, § 11.

Animadverte, magnopere me commendare sapientiam, quæ in verbis Mosis elucet, verum de ejus naturalium rerum scientia nihil asserere. An ipse intelligeret physicas veritates eas, quæ sub verborum suorum cortice latebant, quasque sui temporis sapientes æque ac posteriorum sæculorum ignorabant; an vero, hæc et ipse ignorans, scriberet tantum quæ vel ex immediata Dei revelatione vel ex traditione majorum divinitus acceperat; de hac re nihil definitum volo. Hebræi certe illius ævi hujusmodi veritates intelligere non poterant, sed nec erat necesse: satis erat ut crederent. Quoad opus exempli gratia primi diei, sufficiebat illis credere, post rerum creationem, lucem seu ignem, Deo volente, fulsisse; neque hanc lucem Deum, quod docuisse videntur Ægyptii (1), sed tantummodo Dei opus fuisse.

Si qui naturales primitivæ lucis explicationes rejiciendas et ad supernaturalia tantum hac in re confugiendum putarent, vellem equidem ut sibi in memoriam revocarent doctrinam Aquinatis, qui in articulo ultimo circa opus primi diei (2), loquens de posita a Basilio « emissione et contrac-

(1) Vide, si placet, citatum opusculum *sulla Cosmog. Egiziana.*

(2) I part., *Quæst.* LXVII, art. 4, ad 3.

tione luminis » § 35, ait : « Præterea hoc non habet natura corporis lucidi, ut retrahat lumen in sui præsentia, sed miraculose potest hoc fieri. *In prima autem institutione naturæ non quæritur miraculum, sed quid natura rerum habeat, ut Augustinus dicit.*

DE OPERE SECUNDÆ DIEI.

(Vers. 6, 7, 8.)

XXXVIII. Docet Moses, hoc die factum esse, jubente Deo, *firmamentum* dividens inter superiores et inferiores aquas, et *firmamentum* a Deo *cœlum* appellatum. De locutione Dei nihil addam § 31, 36. *Firmamentum* Vulgatæ et Στερέωμα Alexandrinorum interpretum, hebraice est רָקִיעַ. Bene reddi hanc vocem *extensionem* vel *expansionem* ex radice רָקַע *distendit, expandit*, satis communiter affirmant eruditi. « Hac enim significatione, ait Pererius, sæpenumero usurpatur in sacris litteris, ut animadvertere licet *Isai.* LXII ; *Psal.* CXXXV ; *Jerem.* X, aliisque locis. » Extensionem autem intelligunt, non omnino vacuam quæ non *fit* (non enim est substantia), sed subtilem tantum et invisibilem materiam in se continentem ; vacuam, si vis, at non sensu absoluto ut omnem excludat materiam, nec sensu Physicorum (qui vacuum *Torricellianum* et *Boyleanum* appellant illud spatium ex quod elastica fluida, quantum licuit, extraxerunt), sed eo vulgari sensu, quo vacua dicimus pocula, lagenas, arcas, pixides et similia, quando carent his quæ continere solent vel ad quæ retinenda sunt ordinata, et unum continent aerem. Tamen fatendum est saltem in quibusdam Scripturæ locis, uti in eo qui citatur a Pererio, *Psal.* CXXXV, 4, vocem illam non minus *firmitatem* aut *stabilitatem* significare posse quam *extensionem*. Neque enim contemnenda est versio Septuaginta et Vulgatæ (firmamentum), observante Joanne Clerico, apud Syros verbum *rakah* significare *premere* aut *comprimere*. Michaelis scripsit (1) : « Ex his quæ de verbi significatu, usu linguæ hebraicæ et syriacæ firmata diximus, nomen *raqiagh* non erit *expansum*, sed *firmatum*, seu, ut vocabulo vulgatæ utar, *firmamentum*, *Gen.* I, 6 ; vix potest nisi atmosphæra esse, *nubes portans* ; sicque et *Ezech* I, 21, 22, ubi *basis...pavimentum* est currus Dei tonantis. » Addo potuisse Hebræos vocem, quæ proprie significat *firmatum*, usurpare ad significandum *extensum*. Ita *Luc.* XVI, 26 : *Inter nos et vos chaos magnum*, ἐστήρικται, *firmatum est*, hoc est *extensum est*.

His præmissis, quæritur *primo*, quid Moses significaverit nomine firmamenti ; *secundo*, quid aquarum nomine. Miror equidem scripsisse Petavium, omnium quæ in mosaica ista narratione continentur, difficillimum esse opus diei secundæ in qua firmamentum factum est, quod inter aquas interpositum superiores ab inferioribus dirimit. Mihi longe facilius hoc videtur ad explicandum, quam opus primæ diei.

XXXIX. Atque hac in re simplicissima omnino præferenda mihi videtur expositio, *Firmamentum* nempe, sive extensionem hanc esse aerem sive atmosphæram, aut eam partem ipsius quæ non admodum elevata est ac tenuis, sed quæ est inferior terrisque vicina, ubi nubes subsistunt, per quam aves volitant, et homo etiam globis aerostaticis adjutus nonnunquam ascendit. Hæc certe atmosphæræ portio vocatur *cœlum* (quod idem esse ac firmamentum docet Moses) et in Scripturis et in vulgari sermone, a quo scriptores sacri non abhorrent : ita enim legimus (2) : « Qui operit cœlum nubibus ; » et (3) « triste et rubicundum cœlum ; » sunt et ista vulgata : *volucres cœli*, et similia. Paulo infra audiemus Mosen dicentem « volatilem volare super faciem firmamenti cœli, » vers. 20 in hebr. S. Thomas (4) ait : « Potest intelligi ut per firmamentum, quod legitur secundo die factum, non intelligatur firmamentum illud in quo fixæ sunt stellæ, sed illa pars aeris in qua condensantur nubes... Unde Augustinus *secundo*, super *Genes. ad lit.*, hanc expositionem commendans dicit : *Hanc considerationem laude dignissimam judico : quod enim dixit, neque est contra fidem, et in promptu posito documento credi potest.* Mazzocchius scribit hanc sententiam quam ipse sequitur, *Patrum et Theologorum consensu niti*. Revera ei assentiuntur Rupertus, Eugubinus, Pererius, Gregorius de Valentia, Petavius et alii multi. Nec ab ea, quibusdam in locis, alieni videntur Basilius, Ambrosius, Olympiodorus, ap. Nicetam Cat. in *Job* cap. XXXVIII, et alii veteres. Basilius eos refellit (5) « qui per speciem anagogici sensus ac sublimiorum quorumdam nominum ad allegorias confugerunt, asserentes, spiritales nescio quas virtutes corporis expertes figurate in aquis adumbrari : e quibus præstantiores aiunt in loco superiore constitisse supra firmamentum : infra autem in terræ citimis et materialibus locis deteriores subsedisse. » Non tamen nego alibi *firmamentum*, aut *firmamentum cœli* ampliori sensu donari, et ad ipsa spatia, ubi sunt astra, denotanda extendi vers. 14, 15 et 16. Ita *cœlum* ali-

(1) *Supplem. ad Lexic. hebr.*, num. 2330.

(2) *Psalm.* CXLVI.
(3) *Matth.* XVI.
(4) I part., *Quæst.* LXVIII, art. 1, in corp.
(5) Homil. 3 *in Hexaem.*

quando primo illo augustiori sensu accipitur, et hic videtur vocis שמים, *cœlum*, sensus primitivus et magis proprius; nam, vers. 8, « vocavit Deus firmamentum (hoc diei secundæ), cœlum; » alibi secundo ampliori sensu sumitur, et aliquando nobiliori adhuc et spiritali significatione accipitur, ut significet locum, in quo Deus beatis Spiritibus seipsum manifestat. Si ut communis, ita vera est interpretatio vocis *shamaim* (1) quod significet, *ubi aqua*, hæc præclare confirmat quod dicimus: nempe primitus hanc vocem significasse locum ubi nubes sunt et unde pluvia decidit; seu *cœlum qui dicitur aer*, si licet Lucretii verbis uti.

Sequitur ex his, quæ de *firmamento* diximus, aquas superiores seu *supercœlestes* non alias esse, quam nubes et vapores aqueos, quorum conglobatione nubes fiunt, quosque *concretos*, *visibiles* et *vesiculosos vapores* physici vocant. Alia Scripturæ loca simplicem hanc expositionem confirmare videntur. *Psal.* CIII, in quo lyricis coloribus sex dierum opus describitur, exhibetur primo Deus « decorem indutus et amictus lumine sicut vestimento (2). » Ecce tibi opus primæ diei: succedit pone dies alter. « Extendens cœlum sicut pellem (tabernaculum): qui tegis aquis superiora ejus. Qui ponis nubem ascensum (currum) tuum, qui ambulas super pennas ventorum. » Vides hic nihil aliud in secundi diei opere memorari nisi nubes et aera. In lib. *Job* (3) legimus, quod Deus « ligat (claudit) aquas in nubibus suis; » et apud *Jerem.* (4): « Qui fecit terram in fortitudine sua... et prudentia sua extendit cœlos. Ad vocem suam dat multitudinem aquarum in cœlo, et elevat nebulas ab extremitatibus terræ. Fulgura in pluviam facit. » Hic in cœlo quod *extendit* Deus, memorat *multitudinem aquarum*: verum hujusmodi aquæ cujusmodi sint, vides: eæ sunt quæ Dei legibus elevantur a terra in vaporis statu, concrescunt in nubes, et in pluviam decidunt. *Prov.* VIII, 28, legitur in Vulgata: « Quando æthera firmabat sursum et librabat fontes aquarum: » notatque Pererius, vocem quæ redditur *æthera*, proprie *nubes* significare.

Igitur erat tunc circa tellurem in edita aeris regione quasi quædam nubium fornix: Deus autem mediante hac aeria expansione, quam atmosphæram appellamus, eas divisit, seu, quod idem est, per aerem fecit ut eæ dividerentur ab aquis, quæ erant sub atmosphæra, nimirum ab aquis faciem terræ tegentibus. Nec improprie atmosphæra *firmamentum* dicitur. Hæc enim suo pondere et pressione terrestres aquas continet, ne nimium evaporando (quod etiam in ordinaria temperie accideret multoque magis accidisset in hac periodo, cum esset temperies magis elevata) ad regionem nubium ascendant, et cum iis confundantur: pondere item et pressione sua nubes retinet in alto suspensas quæ, remoto hoc obstaculo, in terras deciderent. Revera nubes, vaporesque ex quibus illæ constant, eo magis ascendunt, quo major est aeris pressio, quam hydrargyri columella in barometris indicat. Ita Moses hoc phænomenon explicat, facile illud quidem, at quod Hebræorum admirationem excitare poterat, non minus ac Plinii scribentis: « Quid esse mirabilius potest aquis in cœlo stantibus (5)? »

His præjactis, jam seriem totam eventuum qui secunda hac die sibi successerunt, exponere pronum est. Sic igitur res videtur mihi concipienda. Statim ac in tellure et in circumstante spatio primum illud incendium resedit, descendente infra gradum luminosi caloris temperie, obscuritas fortasse perfecta terram rursus occupavit. Etsi enim valde probabiliter sol tunc erat radios evibrans, quibus lux propagatur, uti non pauci dixerunt, § 30; tamen, quod et S. Ephrem advertit, a densissimo vapore opacisque per spatium disseminatis corpusculis radiorum solarium iter obstruebatur, nec ii ad tellurem usque, nisi forte paucissimi ac debiles, pertingebant. Et revera maxima illa aquæ copia, quæ recens genita fuerat, quæque ob temperiem nimis adhuc elatam super terræ superficie consistere non poterat, cingebat undequaque terram densissima nebula vaporis, ut dicunt, vesiculosi, cui probabiliter innumeræ aliæ opacæ particulæ, sive metallicæ, sive aliarum specierum, commiscebantur ac vere « ponebant nubem vestimentum ejus (terræ), et caligine illam, quasi pannis infantiæ, obvolvebant (6). » At paulatim opaca corpuscula præcipitabant, et quando temperies satis depressa id permisit, maxima etiam vis aquæ decidebat et globo terrestri superextendebatur. Interim multæ terrestres substantiæ in ea solvebantur, et caligo illa gradatim dissipabatur. Post tot *præcipitationes*, magna illa corpuscularis sphæra, quæ globum terrestrem cingebat, satis diaphana evasit. Vapor tamen aqueus concretus, et ille quidem copio-

(1) Vid. A Lapide in h. l.

(2) Sequitur vers. 4: *Qui facis Angelos tuos spiritus, et ministros tuos ignem urentem;* quod de ventis deque igne cœlesti intelligendum videtur. Putat Petavius locum hunc ex hebræo probabiliter ad procellas et fulgura referri. (*De Angelis*, lib. II, cap. V, § 4, 6) *(a)*. Tamen cum Paulus (*Hebr.* I) de Angelis hunc ipsum locum exponat, non dubito et de Angelis hic esse sermonem, saltem sensu spiritali. Aptissime ea verba explicari possunt in hunc modum: *Qui facis Angelos ministros veloces ut ventos, et efficaces ut ignem.* Ita Theodoretus et S. Thomas *(In Epist. ad Hebr.)*; *estque expositio satis apta*, ait Suarius, ut Genebrardus, Bellarminus et alii ibi tradunt (*De Angel.* lib. I, cap. VI).

(3) Cap. XXVI, 8.

(4) Cap. X, 12, 13.

(a) I. Bern. De Rossi ex hebræo vertit: *Egli fa suoi messaggi i venti; ha per ministri un fuoco che arde* (*I Salmi di David*, trad. dal testo originale. Parma 1808).

(5) *Hist. natur.*, lib. XXXI.

(6) *Job*, XXXVIII, 9.

sus, in editis sphæræ hujus regionibus mansit, ubi major fuerat refrigeratio, quam in parte inferiori; atque ita nebulosum veluti fornicem constituit, qui per illam diaphanam atmosphæram ab aqua terram contegente separabatur : hæc itaque « erat dividens inter aquas superiores atque inferiores, » seu quod idem est, *separabat inter aquas,* quæ erant sub hac aeria extensione, *et inter aquas,* quæ supra ipsam constiterant. Nebulosus ille fornix astrorum quidem visum prohibebat, at satis meare sinebat solarem lucem, quemadmodum et modo fit, quum nubes cœlum obducunt. Quid vero discriminis esset inter atmosphæram illam eamque, qua modo utimur, ego certo dicere non audeo : fortasse talis erat illius status atque conditio, ut nequaquam nebulosum fornicem scindi aut dissipari permitteret. Certum interim ratumque est, hæc omnia ratione legum a Deo impositarum, nempe ex voluntate creatoris et conservatoris naturæ, fuisse facta: quare unus jure optimo hæc jussisse ac fecisse dicitur Deus. Ejus enim voluntas una est causa efficiens naturalium effectuum, siquidem hæc a voluntate creaturarum non pendent.

Moses non omnia hæc refert, quæ die secundo evenerunt: satis ipse habet si narret factam divino jussu atmosphæram aquas ab aquis separantem; qua re terra nostra non modice procedebat ad perfectionem eam, quam opifex rerum ante hominis creationem ipsi conferre decreverat.

XL. Occasione hujus loci multi censuerunt, veras aquas, quas et vocabant elementares, supra aeris regionem et per totum cœlum fuisse diffusas, etiam per cœlum stellarum fixarum ac supra illud. His aquis (quas quidam affirmabant longe puriores et sinceriores istis, quas terra sustinet) opus non habemus ad verba Mosis explicanda; quinimo hæc suppositio eis minime congruit. Ubi enim inveniatur *firmamentum* seu *extensio* (realis utique, nam quod non est nemo *fecit*) separans aquas superstellares a terrestribus, et pressione sua illarum cum his conjunctionem prohibens? Præterea quanam re aut in quem finem retinentur aquæ in medio spatio suspensæ, ne in terras aut in aliquem cœlestem globum ruant? Confugiebant quidam ad Dei potentiam; sed prudenter Augustinus (1) eos admonuit. « Nunc quemadmodum Deus instituerit naturas rerum secundum scripturas ejus, nos convenit quærere; non quod in eis vel ex eis ad miraculum potentiæ suæ velit operari. » Audiendus quoque Petavius (2): « Nec me illud latet posse divinitus effici, ut in suprema mundi parte, quamlibet fluxus humor et volubilis sese contineat, neque per subjecta liquida etiam et ipsa penetrabiliaque corpora diffluat. Sed quia contra naturam est aquarum, coerceri eas illic, non est probabile summum illum, nec suavem minus, quam potentem Opificem, in ipso rerum ac naturæ totius exortu, cum maxime suum cuique modum, ordinem ac rationem præscriberet, quam servari in posterum vellet; *quando* (3), ut ait Scriptura, *certa lege et gyro vallabat abyssos; quando æthera firmabat sursum, et librabat fontes aquarum... et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos* : non est, inquam, consentaneum, ab eo tunc illum cœpisse, quod extraordinarium violentumque sit, idque ipsum constans ac perpetuum esse jussisse. »

Dixerunt quidam, nubes ab « aquis quæ super cœlos sunt, » in Scripturis distingui. At *Psalm.* CXLIII, ubi cœlestia et terrestria omnia ad Dei laudem invitantur, nullam video mentionem esse de nubibus, quæ tamen sua valde conspicua magnitudine oculos percellunt : invitantur solummodo « aquæ omnes quæ super cœlos sunt. » In cantico quidem, ut dicimus, trium puerorum, de utrisque est mentio. Prius enim legitur : « Benedicite cœli Domino. Benedicite aquæ omnes, quæ super cœlos sunt Domino. » Et postea rerum meteorologicarum recensio fit, quæ, antequam ad terram descendamus, terminatur iis verbis : « Benedicite fulgura et nubes Domino. » Verum aquæ superiores sunt tum vapores disseminati, qui tantum aeris pelluciditatem minuunt, tum nubes, sive eæ distendantur in *cirros,* sive conglobentur in *cumulos,* sive in *strata* extendantur, quæ sunt tres præcipuæ nubium formæ. Nubes vero quæ cum fulgoribus nominantur, sunt nubes procellosæ, quæ nec cirri, nec cumuli, nec unius tantum uniformis strati seu elatæ nebulæ aspectum præ se ferunt, sed perturbatam formam atque diffractam, quæ cœli tumultum ac perturbationem indicat. Potest ergo responderi : his versibus phænomena potius, quam substantias enumerari (noctes, dies, lux, tenebræ, fulgura); tum *fulgura et nubes* idem esse ac *fulgura nubium* (quæ expositio mihi maxime arridet), vel *fulgura et nubes,* quæ ea jaculantur. Nubes procellosa species est; aquæ superiores genus. In hoc autem cantico nonnullæ species post suum genus compellantur: ut post *omnia opera Domini,* vocantur singula; post *terram,* montes; post *filios hominum,* Israel; post *Israelem,* sacerdotes Domini.

Non ego asseram, aquam nullibi esse, nisi in nostro globo et in ejus atmosphæra. Potest aqua existere, et quidem copiosissima, in multis aliis globis, et quod in aliquo saltem reperiatur etiam probabile est. Utrum vero quidquam de his Mosi revelatum fuerit, ignoro. At nemo sanæ mentis credat, illum de hujusmodi aquis loqui, potius quam de illis, quas Judæi sensibus, tum quum ista legebant, usurpare poterant; aut sibi persuadeat factum a Deo firmamentum, quod separet inter aquas terrestres et illas, e. g., quæ in Martis stella locatæ sunt.

(1) *De Genes. ad lit.* II, cap. I.
(2) *De Opif.* lib. I, cap. XI, 8.
(3) *Proverb.* VIII, 27.

XLI. Nulla apud Mosen mentio est debilis illius lucis, minimeque cum primi diei luce comparandæ, quam secundo huic tribuimus (et tertio tribuemus), uti nec præcedentis obscuritatis, nisi dicamus, utramque eum indicare vocibus *diei*, *mane*, *et vespere*, quod est valde probabile. Saltem terminus primi diei aliquam indicat obscuritatem. Secundo autem ac tertio die lucem aliquam fuisse, communis est Doctorum sententia. « Rursus mane novum, primo jam vespere pulso, Reddita lux fecit, » ait Marius Victor, agens de die secundo. Et sane aliquem ex his diebus Mosaicis sine luce ponere, idem esse videtur, ac ponere diem sine die, vers. 5.

Dices fortasse : opera quæ indicavimus, requirunt spatium temporis certe uno die solari longe diuturnius. Ipse autem sol diem inducebat, quanquam faciem telluri non ostenderet. Ergo secundus hic dies non fuit profecto dies unus, nec uno tantum mane inceptus unaque vespera conclusus, sed summa multorum et vero plurimorum dierum, quorum unusquisque suum mane suamque vesperam habuit.

Hanc difficultatem jam præoccupavimus in præcedentibus, § 11, 12. Præ oculis semper habere debemus in hujus capitis expositione effatum Augustini (1) : « Nec illos dies sicut istos solares..... cogitare debemus. » Præterea meminisse oportet, non hic Mosen hominis alicujus aut populi aut regionis, sed totius globi terrestris historicum agere. Quum de hominum historia tractabit, si *diem* ille vel *noctem* memoraverit, intelligemus, dici hoc de regione, ubi illi erunt, de quibus verba faciet. Quando dicet exempli gratia cap. XVI, Abrahamum *nocte* irruisse in eos, qui Lot captivum ducebant, nemo non facile intelliget, in illa ipsa regione tunc noctem fuisse, non vero apud ejus antipodas. At in vers. 8 cap. I, de quanam regione Moses loquitur ? *Omnia pontus erant*. In aqueo illo globo semper ex quo solis lux adparere cœpit, dies erat, uti et nunc est in globo terraqueo, etiam dum cœlum nubibus tegitur, nisi forte insolita aliqua causa lucem adimat hemisphærio, quod tunc illuminatum esse deberet : hac vero causa præcisa, non quidem in omnibus globi partibus, sed in globo tamen perpetuus est dies. Ita in hac secunda die vel periodo teneamus, post vesperam seu obscuritatem antecedentem, continenter *diem* fuisse, scilicet ex quo solares radii per stratum nebulosum meare cœperunt, nunquam telluris orbem luce hac, quamvis debilis illa fuerit, caruisse. Antequam hæc lux appareret, *fuit vespera;* quum primum hæc oborta est, tum *mane* fuit secundæ diei. Vesper autem iterum fuit, deficiente hac die, de die tertia agentes, dicemus. Modo hoc unum admoneo, non necessario requiri a nobis, ut lucis defectum his in locis ponamus omnino absolutum; non enim hic nox aut tenebræ memorantur, sed *vespera* tantum. Mane autem vers. 13, erit reditus illius lucis, qui diem tertium auspicatur.

XLII. Bene etiam illum vers. 8 interpretari ex Hebræo possumus. *Et fuit* (vel *fuerat*) *commixtio* (ערב), *et fuit divisio*, vel *aperitio*, vel *prima nativitas* (בקר) : *dies secundus*. Initio hujus periodi fuit *commixtio*, aut fuerat ante ipsum immediate, tum ob lucis defectum, tum quia commixtæ erant aquæ superiores cum inferioribus : nullum erat mare, nullæ nubes per pellucidum aerem a subjacente globo separatæ; at postea fuit et *mane*, quod reddita lux fecit et divisio inter aquas superiores cœlestes et inferiores terrestres; *aperiri* cœpit obscura illa et caliginosa nebula, quæ terrenum globum vestiebat ac nascens mare involvebat, et *aperta* per eam via est solari lumini, *primoque nata est* diaphana atmosphæra inter aquas et aquas, nec non lux *dividens* in variis globi partibus inter regnum diei sive lucis, et noctis sive tenebrarum.

Fortasse primis temporibus, cum temperies longe magis esset elevata, minus velox erat telluris rotatio ejusque atmosphæræ, cujus massa et moles longe, quam modo sint, tunc existebant majores. Verum hac una majori longitudine dierum, quos illa rotatio metitur, satis posse fieri phænomenis, quin de alio sensu vocum illarum *diei* vesperæ et *mane* simus solliciti, non credo. Ut demus longiorem primo illo tempore terrestris rotationis periodum fuisse, hæc diversitas non adeo magna esse potuit, ut satis esse queat effectibus, quos geologi observarunt, explicandis : quare nil ita potest conciliari, nihil explicari. Non est igitur in hujusmodi disquisitione immorandum. Quid enim ad rem faceret, si tunc tempus rotationis terrestris quadraginta octo aut quinquaginta horis contineretur? Quid adhuc, si uno mense aut duobus? Adverto tamen, massam in spatio circa tellurem sitam unaque cum hac rotantem non adeo magnam fuisse post secundum diem, imo neque per totum hunc diem, postquam aquis jam operiebatur globus, nec maximam fuisse temperiem, si ea statum liquidum aquis permittebat, nec valde elatam fuisse die tertia quando terra herbas arboresque germinavit : etenim pervulgatum, plantis terrestribus certam quamdam temperiem mediam solum convenire, quæ modo est inter 32° *Fahrenheit* (0° thermometri centigradi et Reaumuriani), et 99° 5 *Fah.* (2) ; nec ea amplius semina germinare quæ temperiem 110°, 75 F. superiorem passa sunt. Diebus autem quinto et sexto est admittenda ejusmodi temperies, quæ animantibus aquatilibus atque terrestribus, et ipsi homini conveniret.

XLIII. Antequam hunc *firmamenti* diem relinquamus, advertendum est, nullo pacto *firmamenti*

(1) *De Genes. ad litt.*, lib. V, cap. V.

(2) 32° F. = 0° R. · 99°, 5 F. = 30° R.; 110°, 75 F. = 35° R.

nomine heic indicari cœlum aliquod solidum ac crystallinum, cujusmodi veteres nonnulli Philosophi ac multo Mose seriores commenti sunt. Ne repetam scripta § 38 : « Firmamentum non a naturæ propria conditione, » ut cum Petavio loquar, « sed ab effectu vocatum est, quod perinde aquas separet ac si murus esset firmissimus. » Ita accipi potest illud ex lib. *Job* XXXVII, 18 : « Tu forsitan cum eo fabricatus es cœlos, qui solidissimi quasi ære fuso sunt? » Hic unus in Scripturis locus est, qui solidis hujusmodi cœlis, quos hominum imaginatio molita est, favere videatur. Hebræam vocem, quam *cœlos* reddit Vulgatus, proprie *nubes* significare ait Petavius; et ultima verba, *sicut speculum fusum* (1). Verum de loco illo parum solliciti sumus : nullius enim est auctoritatis. Non enim illa verba sunt scriptoris libri; neque hic Deum ita loquentem inducit, neque ipsum Jobum, sed illum Eliu, cujus nulla est auctoritas, et cujus loquendi ratio postea a Deo reprehendi videtur iis verbis : « Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis? » cap. XXXVIII, vers. 2.

Interpretes Alexandrini vers. 8 addunt : « Et vidit Deus quod bonum est, » de firmamento dictum : ita Basilius, et hunc imitatus Ambrosius, Chrysostomus Græcique cæteri. Quod tamen nec in Vulgata nostra legitur, neque in textu hebræo aut samaritano, neque in versionibus samaritana, syriaca, atque arabica, nec in Targo Onkelosii, nec demum in græcis versionibus Aquilæ, Symmachi, etc. Quæri igitur solet, cur careat dies secundus approbatione sua et commendatione quæ aliorum dierum operibus accommodatur citatis verbis : « Et vidit Deus, » etc. Hæc ejus rei videtur esse ratio. Opus hujus diei fuit aquarum distributio; hæc autem unius firmamenti ope perfecta non est : divisis enim superioribus, reliquum erat, ut hæ a partibus quibusdam superficiei terrestris recederent, ut appareret *arida*, quæ posset herbarum viriditate vestiri, et animalia sustinere. Operi igitur nondum perfecto non negatur commendatio, sed differtur ac vere tribuitur ipsi vers. 10, quum jam perfectum est : addita approbatione altera peculiaris operis tertiæ diei, productionis plantarum, quæ memoratur vers. 12. Nonnullis tamen placet, emersionem terræ et aquarum collectionem in diem secundam referre, ut sic nullam diem sine approbatione sua relinquant. Itaque quod vers. 9 legimus : « Dixit vero Deus : Congregentur aquæ, » sic accipiunt tanquam scriptum esset : « Dixerat vero Deus. » Verum cum dies secundus claudatur, vers. 8, consueta formula : « Et fuit vespera, » etc., minus laudanda hæc opinio videtur. Cæterum, quod jam admonui § 30, si dies isti sunt ignotæ diuturnitatis periodi, parum refert, utrum ad secundam aut ad tertiam quidam effectus reducantur.

(1) *De opif.* lib. I, cap. X, 9

DE OPERE TERTIÆ DIEI.

(Vers. 9, 10, 11, 12.)

XLIV. Duplex Dei opus nunc Moses nobis exhibet : narrat enim aquas in unum coactas locum, terræ partem nudatam ac futurorum animantium habitationi domicilium paratum esse; terram deinde stirpium ubertate et copia fuisse vestitam.

Jubet Deus : *Congregentur aquæ sub cœlo in locum unum*, vers. 9 hebr., quod Vulgatus interpretatur, *quæ sub cœlo sunt*, uti et Septuaginta (1). Mazzocchius opinatur vocem hebraicam, quæ redditur *congregentur*, fidelius reddi posse, etsi parum latine, *incaventur* (hoc est *in cavo recondantur*) *aquæ... in loco uno. Appareat arida.* Terra aquis non operta etiam a Latinis dicitur *siccum*. Virgilius : « Marinæ in sicco ludunt fulicæ. » Plinius : « Neque in mari neque in sicco. » Latina Ecclesia, *Psal.* XCIV, legendum præbet indiscriminatim : « Et siccam manus ejus formaverunt. Et aridam fundaverunt manus ejus. »

Credunt plures, uti Petavius et Mazzocchius, illud, *in locum unum*, ut ait Vulgatus cum Hebræo, vel *in unam collectionem* (συναγωγήν), ut habent LXX, intelligendum esse distributive, hoc est, in unum aliquem locum unaquæque aquarum collectio confluat; et si plures sint collectiones, aqua tamen omnis certo ac præfinito sibi loco consistat. Basilius docuit, cum plures aquarum sint collectiones, Mosen de principe et omnium maxima loqui; addit, lacus et stagna quælibet non esse proprie collectiones aquarum : quæ vero majores sunt, ut et illæ, quæ velut Caspium vocantur maria, per apertos vel occultos et subterraneos meatus in Oceanum confluere, cum eoque committi. Sic etiam Theodoretus, Procopius et Beda. Tamen valde probabile est, primo illo tempore, quo apparuit arida, hoc est quum retectæ fuere terræ quædam et nudatæ aquis, valde probabile est, inquam, magnas aquarum collectiones omnes (quod ex dicendis apparebit) inter sese communicasse adeoque in unum locum unamque congregationem fuisse collectas, parvo aliquo stagno fortasse excepto.

Ad vers. 9 addunt Septuaginta : *Et congregata*

(1) Et Targum Jonathæ : *Congregentur aquæ inferiores quæ relictæ sunt deorsum sub cœlis.*

est aqua, quæ sub cœlo erat, in congregationes suas, et apparuit arida; quam lectionem Græci recipiunt, et cum his Ambrosius. Verum hæc appendix deest in textu hebræo et samaritano, uti in Vulgata et in aliis versionibus; et tantum implicite id asseritur illis verbis, *et factum est ita.*

Collectionem aquarum Deum appellasse *maria*, est in hebræo vers. 10. Vulgatus pluraliter reddit *congregationes:* ita et Septuaginta συστήματα, *collectiones* seu *concursus* aquarum. Hebræi *maria* vocabant etiam lacus, sive dulcis, sive salsa esset aqua, ut *mare Mortuum, mare Galilææ;* quod et aliæ gentes aliquando præstiterunt (1).

XLV. Inquiramus nunc, quænam causa fuerit vel occasio, qua recesserint aquæ et apparuerit arida. An ea causa fuit unum Dei imperium, « a voce cujus tonitrui, aquæ formidarunt et fugerunt » ut poetice Psalmista ait (2), dum « ascendebant montes et descendebant campi in locum quem fundaverat eis? » Certe nullam aliam causam primam illi effectus habuere. Verum illud Dei imperium distinctum omnino fuisse a legibus, quibus ipse mundum regit (quod est miraculum fuisse), hoc non videtur necessarium, adeoque juxta receptas sapientum regulas non admittendum. Dicunt quidam, sacrum textum tanquam unicum operum *creationis* instrumentum indicare Dei præcepta: « Fiat, congregentur; » adduntque, Deum, hominis instar, externis mediis ad operandum non indigere (3). Advertendum est primo, hic de *creatione* non agi: nihil enim in hoc opere *creatum* dicitur. Dum primam Moses indicat causam, quæ una ad finem quem intendebat erat opportuna, profecto non negat in aliqua Dei lege (nimirum in aliqua uniformi et permanente Dei *volitione,* qua alios multos effectus postea produxit atque adeo nunc producit) peculiarem hanc *volitionem* inclusam fuisse. Mediis certe externis non indiget Deus: sed non est a nobis quærendum, « quid ad miraculum potentiæ suæ operari possit » divina virtus, sed potius, quid ille, qui « disponit omnia suaviter, » facere soleat. Dignius certe videtur Dei sapientia, ipsum per leges a se *in principio* positas et materiæ concreatas effecisse primum, ut tellus recens nata aquis contegeretur, ut dum sub iis delitesceret, magna ex aquæ sedimentis acciperet incrementa; postea vero modo hæ, modo illæ telluris partes ex aquis emergerent, ut plantas ac terrestres animantes sustinere possent. Hæc dum ita concipio, næ illud exclamare cogor: « Omnia in sapientia fecisti, » *Psal.* CIII, 24. Vide quam multi effectus ex paucis ac simplicibus legibus proficiscantur! Ecce quomodo, una Dei volitione, cuncta ad suum scopum procedunt. « Hæc sententia (utor verbis et doctrina Suarii (4)) est magis philosophica et rationi conformis, cui magis inhærendum est, quando Scriptura non cogit. » Idem docet: « Non est ad causam primam recurrendum, cum possunt effectus ad causas secundas reduci (5). » Contra si dicam, solummodo peculiari quodam Dei imperio tellurem aquis fuisse coopertam, postea alia Dei jussione ac priori contraria ipsam tellurem ab aquis emersisse, quin aut causa ulla aut utilis aliquis effectus hujus ablutionis adpareat: vereor equidem, ne sapientum hujus mundi scommatibus Scripturam exponam, quod maxime cavendum jam audivimus; sed expedit plura audire.

Effectus naturales Scriptura Deo tribuit: vere quidem et philosophice. Omnes enim effectus, qui a creata voluntate non oriuntur, a sola Creatoris voluntate oriantur necesse est. Et hæc doctrina plerisque hominum abunde sufficit: qui enim eam didicerunt ac tenent, longe præstant tum iis, qui olim « operibus attendentes, non agnoverunt quis esset artifex; sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aerem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem et lunam, rectores orbis terrarum deos putaverunt, » *Sap.* XIII, 2; tum recentioribus pseudo-philosophis, qui per semitas scientiarum ad veterem ignorantiam reversi, rectores orbis et mundi putant ignem, aquam, solem, attractionem universalem, affinitatem, aliasque naturæ leges, quæ, dum illi Creatorem rejiciunt, sunt effectus sine causa et leges sine legislatore. Illud tamen ut fidei sufficiat, non sufficit et scientiæ, cujus est conari, ut effectus ii, qui certe a peculiari aliqua Dei voluntate ortum non habuerunt (ut creatio et miracula), ad legem aliquam generalem ab eo positam referat. Timæus apud Tullium docet (6), « illum qui intelligentiæ sapientiæque se amatorem profitetur, » necesse esse, ut et *primas* naturæ *causas* conquirat, ac *deinde secundas.* Atque hac quidem scientia, ubicumque aliquis rerum naturalium cum supernaturalibus nexus est, Theologus opus habet, ut potens sit ad eos arguendos, qui contradicunt et veritati resistunt; ut ostendat et in sacris scientiis (quamvis immutabilia sint dogmata, quia veritas sunt) dari « profectum; ut intelligatur ipso exponente illustrius, quod antea obscurius credebatur; ut per ipsum posteritas intellectum gratuletur, quod antea vetustas non intellectum venerabatur; eadem tamen (dogmata) quæ didicit tradens, ut cum dicit nove, non dicat nova (V. Vincentius Lirinensis, *Commonit.*, cap. XXXVII, XXVIII).

XLVI. Ad recessum aquæ revertimur, qua in re illud feliciter accidit, ut geologi communiter cum Mose conveniant. Hi enim ex observatis deducunt, terram quondam aquis opertam fuisse, postea vero perturbationes aliquas accidisse ob

(1) Mazzocchi, *Spicileg. biblic.*, tom. I, p. 22-24.
(2) *Psalm.* CIII, 7, 8.
(3) Ita Nicolai, lezz. VIII, p. 64.
(4) *De Oper. sex dierum,* II, cap. VII.
(5) *De Angelis,* lib. I, num. 8.
(6) Cicero, *Tim.* cap. XIV.

quas « emersere fretis montes, orbisque per undas exsiliit (1); » et strata ex aquæ sedimentis concreta, quæ primitus fere horizontalia fuerant, magna ex parte elevata et inclinata, directionem obliquam et etiam verticalem acceperunt. De Luc supposuit, immensas in tellure fuisse cavernas, ruptisque rupibus superiores fornices sustinentibus, cecidisse illos infra aquarum libellam; tum aquas, ima petentes, in cavitates descendisse, et partes elatiores terreni, quod sub aqua fuerat, ex hac caput extulisse : « Crescunt loca decrescentibus undis (2). »

Verosimilior hæc et magis recepta modo est opinio, montes et alia terrena ex imo ascendisse vi subterranei ignis, cujus maxima virtus certissima est. Multa sunt temporum historicorum etiam recentiorum exempla, quibus aliquando rapide, aliquando paulatim ex imo ascendentes terræ, nec raro ab aquis exhibentur. Hæc referre simulque fundamenta exponere hujus doctrinæ (qua facile explicari phænomena indicata § 18, nemo non videt), et indagare causam physicam, qua subterraneus calor ad hæc operanda excitatur, nostrum non est. Fateor, geologos ex observationibus docere, non semel sed pluries hujusmodi elevationes accidisse, et illas, quæ validius observationibus firmantur, creatione quorumdam viventium (§ 18) posteriores fuisse. Verum Scriptura non dicit terram omnem quæ modo est *arida*, ex undis emersisse die tertio. Moses, qui historiam non scribit vicissitudinum globi, illius tantum meminit, quæ epocham unam summi momenti in historia terræ constituit, ut quæ terram ad perfectionem ipsi debitam valde promovit.

Tunc enim terræ proprie dictæ sive *aridæ* initium fuit : tunc primo plantis, quæ animantibus ipsique homini tam sunt necessariæ, paratus est locus. Posteriores, de quibus geologi agunt, elevationes ad tertium diem non pertinent.

Ante hanc elevationem a Mose memoratam, fuitne similis stratorum elevatio? Si qua fuit, ea parva fuit, nec super aquas terram eduxit. Moses de illa agit, in qua *apparuit arida* et in qua primo dici potuit :

> Et mare contrahitur, siccæque est campus arenæ
> Quod modo pontus erat; quosque altum texerat æquor,
> Existunt montes.
>
> (Ovid. *Metamorph.* II.)

Montes sub aquis exstitisse antequam terra ex undis caput tolleret, indicari videtur *Psal.* CIII : « Super montes stabunt (id est stabant) aquæ (3). Ab increpatione tua fugient : a voce tonitrui tui formidabunt. » Verum ad hæc explicanda non puto necessarium, ut ad elevationes terræ ignis vi factas confugiamus. Etiam antequam istæ fierent, in ea globi parte, quæ solidum jam statum acquisiverat, supponere licet tractus aliquos plus cæteris elevatos (ut et in pomis fit) : atque hi tractus jure dici *montes* potuerunt. Verosimilius tamen videtur, montes istos sub aquis stantes non aliud fuisse, quam terras in montes elevandas.

XLVII. Tertius dies probabiliter debili luce illuminatus fuit, ut de secundo (§ 39) dixi : verosimile est, aliquanto minus debilem hanc lucem fuisse, præcipitatis ex aere multis opacis aut semiopacis moleculis.

Si necesse est invenire obscuritatem, quæ vespera dicatur hujus diei, non absurda hypothesi eam indicabimus. Magna vis ex imo in altum terrena satis extensa agens, atque ad ea super aquas elevanda idonea, si uno aut fere eodem tempore in multis terræ partibus iisque inter se dissitis operata est, potuit materia ex imo in aerem ejaculata obscuritatem quamdam producere, ut sæpe fit in aliqua parte aeris, quum ignivomorum montium fauces eructant. Præter ejaculatam materiam, magnam quoque vaporis vim tunc elevatam et cum vapore innumeras heterogeneas particulas, quæ in aqua tunc erant, æstimare possumus. Nec est necesse perfectam ponere obscuritatem : non enim, ut jam dixi, tenebræ hic memorantur aut nox, sed tantummodo *vespera*.

Nec illud caret probabilitate, ipso initio dierum genesiacorum quarti, quinti et sexti, tres revolutiones fuisse in tellure et ab his elevationes novas, majores adhuc iis, quas tertia hæc periodus adduxit, profectas. Animadverterunt geologi, has telluris perturbationes, ut minus antiquæ sunt, ita majores effectus produxisse; tum quoque vel ante has perturbationes accidisse, vel ab eis fuisse inductas mutationes quasdam in aqua et in aere magni momenti, quibus factum est, ut hæc media existentiæ ac nutritioni novarum classium viventium apta redderentur. Certe valde probabile videtur, aliquam in aere ante periodum quartam mutationem accidisse, ex qua diaphana effecta superior pars aeris, astrorum visum permisit : « Et cœlo terras ostendit et æthera terris (4); » item mutationibus non parvis periodos quintam et sextam incœpisse : videmus enim, in hisce periodis tum terras tum aquas ad conservationem variarum classium animalium fuisse dispositas. Non absurde igitur supponere possumus, operibus trium horum dierum præcessisse obscuritatem a maxima copia vaporum concretorum, arenæ et aliarum molecularum ex imo erumpentium effectam : obscuritatem semper innuo, non noctem, de qua nulla in historia horum dierum est mentio. Dispersio hujus caliginis et

(1) Manilius.
(2) Ovid. *Metamorphos.* I.
(2) P. De Carrières vertit : *Les eaux, qui s'élèvent comme des montagnes.*

(4) Ovid. *Metamorphos.* I.

restitutio lucis, *mane* dici potest; et ita fortasse illud, « et fuit vespera, et fuit mane, » in his diebus potest explicari. Non me latet, ex geologicis observationibus, postquam viventia in terra esse cœperunt, non quatuor tantum, sed plures terrenorum elevationes admittendas videri: quin immo est probabile decurrentibus quinta et sexta periodo majores fuisse elevationes, quam illa fuerit in qua *apparuit arida*, aut altera, quam accidisse antequam adparerent astra, conjicere possumus. Verum nil prohibet, quominus tres ex revolutionibus post primam (diei tertiæ) subsecutis, epochas in terræ historia (ob effectus summi momenti, quibus præiverunt) memorandas determinaverint; et quanquam majores montes non elevaverint, quam aliæ intermediæ aut consequentes, fuerint tamen universales magis, ut quæ eodem tempore pluribus in locis evenerint, ac proinde obscuritatem magis diffusam generarint, forsan etiam ex copia et natura exhalationum magis intensam. Hæc indicasse hoc loco sit satis, nec amplius de obscuritate dierum sequentium aliquid addam.

XLVIII. Emersa ex aquis terra, jubente Deo, herbas arboresque producit: « Germinet terra herbam.... et lignum pomiferum.... Et protulit terra herbam... lignumque faciens fructum, et habens unumquodque sementem secundum speciem suam, vers. 11, 12. » Incipit vita in tellure: plantæ primo loco inter viventia sese nobis offerunt, si in existentium scala a minus perfectis ad perfectiora ascendimus; et primæ in Scriptura terram habitasse leguntur ipsique speciem, ut ita dicam, viventis habitumque dedisse. Moses qui non omnibus numeris absolutam naturæ historiam exponit, de plantis aquatilibus nec non de terrestribus, quæ semine saltem conspicuo carent, mentionem non facit. Credibile est, primam earum existentiam sive ortum multarum ex illis speciebus huic tertiæ periodo referendam esse. Immo ea vegetalis regni classis, quam constituunt plantæ, uti dicunt, *cryptogamæ vasculares*, antiquior esse cæteris, ex doctorum observationibus videtur. Hujusmodi plantæ omni carent flore, et simpliciora organa fructus loco exhibent. Vegetalia autem marina in iis antiquioribus terrenis, quæ terrestria vegetalia continent, nunquam reperta sunt. In *terreno calcareo* quod substat carboni fossili, plures species vegetabiles terrestres, quam marinas, has vero tantummodo ex uno genere reperiit Adolphus Brongniart.

Hic idem suarum ope disquisitionum deducit, viventia prima super terram fuisse vegetalia: ex hoc deduci videtur, prima illa vegetationis periodo multo majorem vim *acidi carbonici* fuisse in aere, quam modo sit: aerem proinde quam opportunum vegetationi promovendæ, tam ineptum animalium respirationi eo tempore extitisse. Ita recens nata tellus stirpibus supervestiebatur, stirpes vero in aere sic præparato opimum alimentum reperiebant. Hoc pacto explicatur cur vegetalis regni creatio præcesserit, et stirpes animalibus sint antiquiores. Revera Providentia divina « omnia suaviter disponens » et faciens in tempore suo, credenda est distulisse formationem animalium, eorum præsertim, quæ liberum aerem respirant, ad illud usque tempus, quo atmosphæra opportunior respirationi evasit. Et quoniam Deus successive res perfici voluit, facile creditur vegetalia, quibus animalia vivunt et crescunt, ante horum ortum in lucem edita et satis propagata fuisse. Addo, primas illas plantas cryptogamas minus aptas videri nutritioni terrestrium animantium, ob foliorum rigiditatem et carentiam fructuum succulentorum et granorum farinam præbentium.

Notatu digna sunt quæ anno 1842 legebat in Academia scientiarum Parisiensi Cl. Gaudichaud: « Deus, tellure creata, eam fœcundare voluit..... Validissima ingenia veteris et recentioris ævi in hoc conveniunt, plantas animalibus præcessisse, terramque illis convestitam fuisse totam, priusquam hæc adparerent, quod idem in historia septem epocharum aut divinorum dierum creationis ab ætate in ætatem transmisit Theologia. Nostri temporis philosophi quidam demonstrantes, hominem in antiquioribus terrenis vestigia suæ existentiæ non reliquisse; alii, quæ simpliciora sunt inter vegetalia illis præcessisse, quæ complicatiori pollent constitutione, magnis epochis priorum temporum scientiæ calculum addiderunt. Omne sæculum suos adducit progressus, atque omnis humani spiritus profectus ad veritatis æternæ confirmationem novum affert argumentum. »

Marcellus de Serres scribit (1): « Juxta Mosen, æque ac juxta geologicas observationes, a vegetantibus et primo a plantis herbaceis vita in tellure incœpit. Saltem magnus ille historicus constanter *herbam* ante *lignum* nominat; quamvis arbores longe magis oculos ad se trahant, quam *herbula*. Hanc ergo veritatem, quæ nunc solummodo post multa observationum sæcula demonstrata est, ille tenebat, nempe viventia in ratione inversa complicationis eorum structuræ altera alteris præcessisse. Hujusmodi stirpium successio, cum hac complicatione relationem habens, valde est attendenda. Mirum est, illam in libro adeo antiquo, uti est Genesis, inveniri; nota enim aliunde non est, nisi ad summum a dimidio sæculo. » De quodam dubio circa anteriorem vegetantium existentiam dicemus cum de ortu animalium agendum erit.

XLIX. Ex consideratione fossilium regni vegetalis, quæ in antiquioribus stratis reperiuntur, colligendum videtur, terram tunc ab aquis relictam quasdam tantummodo insulas efformasse, quandoque in archipelagum conjunctas; temperiem vero magis fuisse elevatam quam in cali-

(1) *Cosmogonie de Moïse...* 1838, p. 69.

dioribus terræ partibus modo sit, et in variis regionibus magis uniformem, quod uniformitas vegetationis ostendit. Abundabant tunc *filices, equisetaceæ* et *lycopodiaceæ* arboreæ, quibus modo vix aliquid simile, in calidioribus tantummodo plagis, reperitur. Hæc vegetantia copiosiora sunt atque majora, ubi calidius et udum clima est. Eo autem tempore calor terrestris superficiei erat præcipue ab interna globi temperie repetendus, et fere a sole independens, adeoque diurnas variationes vix patiens. Fontes thermales calidique vaporis exhalationes, probabiliter frequentiores, insuper et nebulæ nocturnam terræ frigefacientem radiationem temperare debebant. In uda, calida et constante temperie optime evenire plantis compertum est. « Primis temporibus post creationem entium organicorum, tellus quæ non valde elatis insulis constituebatur, cooperiebatur immensa plantarum copia : varietas in his non magna : nullum ex mammalibus, avis nulla; verbo, nullum animal densas has sylvas animabat. » Ita Adolphus Brongniart (1).

Opponunt quidam, plantas solari luce indigere ut robur acquirant, ac præsertim ut earum folia virescant. Obiter adverto, viridantia illa folia nostrum neminem vidisse. In Vulgata quidem legitur : *Germinet terra herbam virentem;* at vox illa *virentem* non adparet apud Septuaginta, qui reddunt, *herbam pabuli,* nec in versionibus syra, arabica, samaritana, persica, nec apud Onkelon et Jonathan. Hebræum potius interpretandum docti putant, *herbam teneram* vel *parvam,* sive *herbulam.* Pro pleniore autem responsione, plura ex physicis adduci possent. Sufficiet tamen admonere, me solis lucem a tertia die non excludere, § 39, 48, licet negem cum Mose, solis faciem ante quartam diem terræ adparuisse. Jamvero debiles solis radii per nubes meantes, satis habent virium, ut virescere faciant folia et vegetationi inserviant : immo melius id præstant quam ignis radii, certe magis lucentes, quibus ad calefaciendum vel illuminandum utimur. Revera in densissimis sylvis et in earum centro, ubi nunquam directi solis radii penetrant, virides arbores videmus. Et in iis regionibus, ubi solis facies fere semper nube velatur, folia tamen virescunt.

Supervacaneum videtur inquirere, utrum stirpes ejusdem speciei omnes ex una oriantur, aut ex duabus, quoad species illas, in quibus organa fœcundationis non sunt in uno eodemque individuo, ut puta, in palmis. Idem, quod ad bruta spectat, inquiri potest. Linnæus quidem contendit « initio rerum, ex omni specie viventium unicum sexus par creatum fuisse (*Philos. Botan.*). » At id non facile demonstrari potest, quamvis non improbabile videatur; Deus enim non solet per se immediate facere, quod per leges a se positas obtinere potest; cujusmodi est incrementum et diffusio viventium (2). In Genesi certe nihil quoad hæc legimus.

L. Divinus liber docet tantummodo Deum jussisse : « Producat terra herbam (pressius ad lit. *herbescat terra herbulam*) facientem semen et lignum pomiferum, » etc. Atque, obediente Creatori natura, addit, herbas et arbores e terra esse productas. Nec quoad stirpium originem humana scientia plura nos docet. Et ipsa, nisi velit effectus admittere absque sua ratione, in imperio et voluntate Creatoris primam vitæ et plantarum causam quærere debet. Perquisitionibus ipsa suis confirmat, terram ante animalium ortum plantis convestitam luxuriantemque fuisse : aliquid de quarumdam regni vegetantis familiarum relativa ætate determinare conatur : at ubi ab ipsa postulamus, ut modum nobis quo primæ stirpes ortæ sunt edisserat, obmustescit illa, et silentio ipso suo eloquens, tanquam indicem in cœlum intendat, ab alio id repetendum clamat. Ac loquax cum sit satis aut plusquam satis, dum in cœlestium globorum aut maris aut montium formationem inquiritur; si de grano sinapis interrogetur, vel de prati flosculo, vel de minuta herbula, ejus superbia deprimitur, veluti si ab his parvulis sed mirabilibus creaturis sibi dictum audiret : « Huc usque venies et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos (3). » Modo, ut ait Tullius (4), « terra semen tepefactum complexu suo diffundit, et elicit herbescentem ex eo viriditatem, quæ nixa fibris stirpium sensim adolescit. » At semen unde est, nisi ex planta? Planta vero undenam, nisi e semine progerminat? Quid ergo præcessit, semen aut planta? Est illa vetus, ac seria simul et jocosa quæstio : utrum prius extiterit gallina an ovum? « Sic et animalia, ait Augustinus (5), potest incertum esse, utrum ex ipsis semina, an ipsa ex seminibus : quolibet tamen horum prius, ex terra certissimum est. » Igitur huc usque, opem ferente analogia eorum, quæ videmus, et eorum, quæ homines in physicis experimentis operantur gradu longe minori, tum etiam divinando quod maxima illa ac antiquissima phænomena esse potuerint naturæ legum consectaria quædam, et ejus ordinis ac cursus rerum, qui nunc est, veluti peculiares casus, his, inquam, auxiliis adjuti, aliquid de prima mundi historia intelligere conati sumus. At nunc analogia experimentaque deficiunt, naturæ leges obmutescunt; nihil prorsus hisce præsidiis de vitæ initio comprehendere nobis datur. Vitam nunc gigni non videmus nisi a viventibus : adeoque de prima ejus origine a

(1) *Considérat. sur la nature des végétaux qui ont couvert la superficie de la terre aux diverses époques de sa formation.* Instit. académ. des sciences; Paris, tom. XVI, p. 423.

(2) Romano, *La scienza dell' uomo interiore,* vol. III, *Teologia.* Neapoli, 1849, p. 385.

(3) *Job.* XXXVIII, 11.

(4) *De Senectute.*

(5) *De Genes. ad litt.,* lib. V, cap. XXIII.

scientiis, quæ observatione rerum nituntur, nihil omnino sperare possumus. Materiam, ut dicunt, *brutam* in organicam transformare, nisi extra vivens aliquod corpus, prorsus nescimus. Itaque nihil aliud naturalis scientia concludere potest, nisi Deum voluisse ex creata materia fieri plantas et semina, sive semina et plantas; et ita factum esse.

Putavit, ut jam vidimus, § 7, Augustinus, hoc die terram germinasse « tantum causaliter et potentialiter herbam et lignum, » id est « producendi accepisse virtutem. » Quæ appellari solent vires aut virtutes a Deo naturæ inditæ, ipsi sunt « numerosæ rationes incorporaliter corporeis rebus intextæ (1), » vel intimæ rationes « quas, tanquam seminaliter; sparsit Deus in actu creationis, quum dixit et facta sunt (2), » quæ doctrina obscurior mihi est. Nam, si rationes istæ sunt leges per quas Creator et nunc naturales operatur effectus (quum, e. g. plantas novas producit, aut species per semina multiplicat), ut secunda Augustini innuere videtur definitio, non intelligitur cur hæ leges primos illos effectus non amplius producant, scilicet aut sine semine plantas *facientes semen*, aut sine plantis semina. Nec sacro textui satis conformis videtur germinatio illa *causalis* tantummodo et *invisibilis* : nam post divinum imperium statim ait : « Et protulit terra, » etc. Verum, ni fallor, parva aliqua immutatio hujus sententiæ, et eam cum textu Geneseos et hunc cum geologicis observationibus, quæ veluti naturale quoddam commentarium illius textus habendæ sunt, perbelle conciliat. Sic itaque rem statuamus. Deus in æternitate sua plantarum, uti et aliarum rerum omnium, creationem decrevit : decretum vero hoc die tertio promulgavit, ut ita dicam, suis ipsis verbis, id est efficaci imperio, quum primas e terra plantas produxit. Vegetale itaque regnum tunc oriebatur easque primo stirpes terra proferebat, quibus clima illud, illa terrena, illa aeris conditio, quæ tunc erat, conveniebant, easque proferebat vi præcepti quod acceperat a Creatore, fortasse etiam mediante aliqua causa secunda quam ipse præparaverat, si aliqua nobis incognita ratione ad hunc effectum tellurem disposuit. Dum hæc fierent, nonne dicere possumus simul creatas *in causa* productasque *potentialiter et seminaliter* species cæteras, quibus tum tandem germinatio ipsa reservabatur, quum aliqua alia periodus e sequentibus advenisset eaque simul rerum adjuncta attulisset, quæ vitæ et propagationi earum futuræ erant opportuniores ? In iis ipsis speciebus, quæ tertia die actu conditæ sunt, individuæ quædam plantæ actu, aliæ vero omnes nonnisi *causaliter* extiterunt, productione earum ac germinatione in aliud tempus dilata. Itaque effectus divini imperii ultra hanc periodum sese extendit; neque id de secundo solum imperio vers. 11 et 12 dicendum puto, sed et de illo vers. 9, quo aridæ detectio imperatur : nam et post tertiam periodum terras ex aquis emersisse, dubitare non possumus; et id summopere probabile est evenisse per eas ipsas causas, quibus prima terrena detecta sunt, earumque vi legum, quæ a Creatore ab æterno sancitæ cum essent, hac die patefactæ sunt. Itaque pari ratione ac de plantis, licebit nobis affirmare de terris, quasdam hac die actu, cæteras vero *causaliter* tantum atque *invisibiliter* hac die ipsa super aquam fuisse elevatas.

Novi Augustinum non adprobare (3), « si forte quis dicat, non omne ligni genus tertio die creatum, sed dilatum aliquid quod sexto crearetur, quum homo factus est atque in paradiso constitutus. » « Frustra, ait, per singulos dies tam diligenter distincta sunt omnia, si permixtionis dierum potest ulla suspicio residere, ut cum herba et lignum diei tertio sint attributa, aliqua ligna etiam sexto die creata esse credamus, quæ ipso sexto die Scriptura tacuerit. » Nec ego laudarem profecto eum, qui duplicem plantarum creationem faceret, eo quod de plantis a Deo conditis iterum sermo sit cap. II, 4 seqq. Sed neque Augustinus, ut credo, improbaret, qui unam poneret vegetantium creationem eamque die tertia totam utique *potentialiter* factam, sed et actu inceptam, et per sequentes dies continuatam et evolutam; hæc inquam Augustinus non improbaret, si nobiscum videret et hanc doctrinam ex naturæ notatione deductam esse intelligeret. Qui hæc probe norunt et Augustinianam interpretationem hexaemeronis sequuntur, per longissimam temporis periodum plantarum formationem distribuant necesse est. Hi autem ab Augustino ipso didicerunt, tertia die *causaliter* eas factas universas; postea vero « visibiliter in opere pertinente ad temporum cursum, sicut usque nunc operatur. »

Facile quisque videt, in operibus hujus diei post *vesperam* fuisse *mane*, vi vocum hebræarum (§ 11) attenta. *Commixtio* (ערב) fuit aquæ cum terra, quum proprium et distinctum locum terra non habebat, et aquæ operiebant et *inebriabant* (4) *aridam*, item *commixtio* inter materiam, quæ efformanda erat in plantas et quæ in statu materiæ brutæ debebat manere : distinctio itaque nulla inter organicam materiam et inorganicam. Hanc commixtionem excepit duplex *divisio* (בקר), *aperitio* et *partus primogenitorum*. *Divisum* est inter *mare* et *aridam* : *apertum* est mare multis in locis, et *parere* visum est *primogenitas* inter terras : rursum terra *aperta* est plurimis in locis, et stirpium *primogenitas in lucem edidit*, ac primo organica ab inorganica materia in terris distincta est.

Ut plene Mosis doctrinam de tertiæ diei opere

(1) *De Genes. ad litt.*, lib. IV, cap. XXXIII.
(2) *De Genes. ad litt.*, lib. IV, cap. XXXIII.
(3) *De Genes. ad litt.*, lib. VI, cap. IV.
(4) « Cataclysmus aridam inebriavit, » *Eccli.* XXXIX, 28.

et de plantarum formatione assequamur, inquirendum nobis superest in insignem locum ex *Gen.* II, ac sane difficilem. Postquam Moses sex dierum opificium cap. I descripsit, mox in sequenti omnia universim colligens ait vers. 4: « Istæ sunt generationes cœli et terræ (id est nativitas seu formatio cœli et terræ), quando creata sunt, in die quo fecit Dominus Deus cœlum et terram. » Quæ verba non primum diem designant, ut quidam putaverunt : nam creatio cœli et terræ fuit ante omnem diem, et de luce nulla hic est mentio; sed intelligenda videntur de tempore illo, quo Deus, post creationem ex nihilo materiæ universæ, cœlum et terram (usque ad creationem hominis, ad quam descendit vers. 7) elaboravit atque perfecit : id enim vox *fecit*, Hebræis ipsis interpretibus, significare videtur. Addit Moses, vers. 5 : « Et omne virgultum agri, antequam esset in terra, et omnem herbam regionis priusquam germinaret. Non enim pluerat Dominus Deus super terram : et homo non erat, qui operaretur terram. Vers. 6 : sed fons (אד) ascendebat e terra irrigans universam superficiem terræ.» Ita Vulgata. Jam multiplex oboritur ex hoc loco quæstio. Cur, in generali et perbrevi repetitione divinorum operum, peculiaris herbæ et virgulti mentio est? Certumne est, tunc pluviam nondum descendisse? Cujusmodi *fons* ille fuit? Multi enim cum versionibus arabica et persica *vaporem* pro fonte ponunt; aut *nubem*, ut est in versione samaritana, in Targo Onkelos, et in aliis paraphrasibus chaldæis. Insuper, legendumne est cum vulgato aliisque interpretibus, *et..... ascendebat;* aut potius cum Arabico, *nec vapor ascendebat?* Hebræorum aliqui, uti Kimkius, repetendam hic putant negationem ex commate præcedenti. Non facilis est his quæstionibus certa responsio.

Primæ dubitationi Petavius respondet (1) : « Mihi Moses videtur, mirificum illud et stupendum; quod die tertio contigit, diligentius inculcare voluisse, quod stirpes et sata sicca ex humo nec ullis aquis aut imbribus irrigua germinaverint, eaque obtendente se nube confota sint, quæ nubes pluviæ et irrigationis instar fuerit. » Ipse putat, « nubem illam vaporemque esse primigeniæ aquæ reliquias, quæ, in nebulam attenuatæ interposito aere, ab inferiori aqua dividebantur; quæ nubes alebat tunc stirpes atque herbas sine imbribus ullis, solo incubitu atque fotu; ingenti miraculo, et accuratius ideo posteris commendando. » At si revera sine aquæ ope herbæ et arbores germinarunt atque creverunt, hoc fuit ex una Omnipotentis voluntate, non ex nebula quæ solummodo *fovendo* illis prodesse non poterat, nisi insuper in terram usque descenderet, aut aquæ humorem in eam demitteret, sive id sensibili ratione fieret sive insensibili. Igitur nullum per nebulam hanc miraculum Deus patravit, nullumque de hoc indicium in verbis Mosis exstat. Cur plantarum hic Moses meminerit, nescio. Fortasse quia de arboribus Paradisi, in quo Deus hominem posuit, mentio statim erat facienda vers. 8, 9; et quia illæ utiles nobis summopere sunt, et majori nos admiratione inter Dei opera percellunt, si animalia excipias quorum formatio post Paradisi descriptionem innuitur vers. 19. Recentiores aliqui suppositum nostrum negant et contendunt, punctum post versum quartum ponendum, et cum hoc nil habere commune versum quintum : ita ut legatur : « Fecit Dominus Deus cœlum et terram. Et omne virgultum agri nondum germinaverat....»

LII. Pluviam tunc descendisse, Moses aperte negare videtur. Attamen apud Maiemonidem legimus (2): « Sapientes nostri observant, quod Deus herbas et arbores e terra demum produxerit, posteaquam pluvia illam rigavit : quod dicitur, *et vapor ascendit de terra*, contineat narrationem rei prioris, præcedentis illud : *herbescat terra herbam.* Hinc transtulit Onkelos : *Et nubes ascenderat e terra,* » etc. Cæterum, possible est statum primitivum illius atmosphæræ, nobis non satis notum, pluvias prohibuisse; aut saltem eo tempore, admodum raro (uti et modo fit in quibusdam regionibus) pluisse; aut demum, nunquam cecidisse pluvias super aridam, id est super terras e quibus mare recesserat, quæ forsan post primam emersionem non multum extendebantur (nam de primis hisce terris loquitur vers. 5 : « Non pluerat super terram), » donec, multis jam plantis exsistentibus iisque propagatis, tertiæ periodo quarta successit.

Defectus pluviæ videtur poni ut causa, cur plantæ non ortæ essent aut germinassent : « non enim pluerat. » Verum hoc esse nequit; nam plantæ non fuerunt ante recessum aquarum, ac per id tempus pluviæ defectus certe illarum germinationi non obfuit; postquam vero recesserunt aquæ, copiosum vaporem pluviæ loco fuisse docemur. Nec de particula כי, *enim*, valde solliciti esse debemus, quæ omittitur in versione arabica, ubi est tantum, *non pluerat.* Particula autem illa multiplicem habet significationem. Aliquando significat *enim* (3), aut *quia* (4); et sæpe vertitur *ut* (5); sæpe etiam indicat *quum, quando* (6); et non raro dicitur interpretanda *quamvis, etsi* (7); et aliquando *certe, profecto, omnino,* etc. (8).

Vocem אד Vulgatus cum Septuaginta et Syro reddit *fontem.* Augustinus suspicatur (9), *fontem* illum esse multos fontes, qui regiones quisque

(1) *De Opif.*, lib. I, cap. XIV, 1, 2.

(2) *More Nevochim*, part. II, cap. XXX, vers. Buxtorf.
(3) *Genes.* II, 17; III, 5, 19.
(4) *Genes.* III, 14, 17; XXX, 14.
(5) *Genes.* XVIII, 15; XXIV, 4. *Exod.* XVI.
(6) *Genes.* IV, 12.
(7) *Psalm.* XLVIII, 18; *Genes.* VIII, 21.
(8) Vid. Christ. Stokium, *Clavis linguæ sanctæ*, p. 523.
(9) *De Genes. ad litt.*, lib. V, cap. IX, X.

suas irrigabant (1). Communius Hebrææ linguæ periti et orientales versiones reddunt *vaporem* (2), vel *nubem* quæ est vaporum visibilium collectio. Et re quidem vera, ubi copiosa est evaporatio, ibi valde udus est aer, rorisque tanta copia herbas humectat, ut bene pluviæ defectui suppleat. Equidem non credam, minorem evaporationem et copiosum rorem in terris primo detectis fuisse, quam modo sit in oris Ægypti, aut Erythæi maris et Sinus Persici, aut in Chiliensi, aut in Brasiliensi littore, quæ nunc loca propter roris copiam celebrantur. Terra primi temporis dicitur *arida*, comparatione terrarum, quas adhuc aqua tegebat, sed illam aridam *inebriaverat* universalis oceanus, et calor ea tempestate fervebat magnus; omnia præterea, ut videtur, vel littus erant, vel prope littus : quapropter magna omnino debuit esse evaporatio. Eæ siquidem regiones, cæteris paribus, copiosus irrorari dicuntur, quas mare alluit, vel quæ prope lacus aut flumina sitæ sunt; tum etiam ea loca, ubi venti a maris plaga spirantes dominantur, nec non regiones æquatori proximiores. Fortasse minor eo tempore, quam modo sit, differentia inter diurnam nocturnamque temperiem, roris proprie dicti copiam minuebat : verum quo minus roris decidebat, eo magis crescebat in aere vapor elasticus et concretus qui pluviæ vice fungi poterat et ceu fons terras irrigare. Vulgatus sequutus est Septuaginta, quibus frequens est, sicut et N. T. Scriptoribus, ut πηγὴν (fontem) pro qualicumque humoris eruptione ponant (3).

Cornelius a Lapide *éd* ait, esse *gurgitem vel inundationem, puta abyssum* (4) *illam primigeniam aquarum*, atque ita locum verti posse : « In die (primo mundi) quo fecit Deus cœlum et terram, omne virgultum agri (hoc enim est טֶרֶם, ut patet *Exodi.* IX, 30) nondum erat in terra, et omnis herba regionis nondum germinaverat, sed inundatio, » scilicet, « abyssus aquarum, quæ a terra videbatur emergere vel ascendere, irrigabat et tegebat totam terram. » Etiam versio syra, Targum Pseudo-Jonathæ, et Hierosolymitanum reddunt *nondum*, ubi Vulgatus habet *priusquam*, cum Septuaginta Interpretibus necnon Samaritano, Arabo et Persico. At ponere pro *ascendebat*, quod habent interpretes omnes, « videbatur emergere vel ascendere, » violentum est, ni fallor, et parum congruit. Certe nunc aquæ maris quæ tantam sphæræ terrestris partem occupant, non videntur emergere vel ascendere e terra. Petavius ad defensionem ejus sententiæ, quam retulimus § 51, ait, *ascendere* heic idem esse atque *eminere, supra consistere, elevatum esse* : sed nullum exemplum pro se affert aut testem. Quæ præsertim opponuntur interpretationi de *gurgite*, fere omnibus interpretibus ignotæ, duo sunt. Primum, quia hunc sensum convenire voci hebraicæ non probatur. *Jobi* XXXVI, 27, a Vulgato quidem hæc vox *gurges*, sed ab aliis explicatur *nubes* aut *vapor* aut *parvæ guttæ*, quæ a vapore concreto vix differunt (5). Secundum et præcipuum, quia omnino rationi opponi videtur : pluvia enim ibi ponitur veluti quiddam quod plantis utile esse poterat. Innuitur insuper, hominem, si is adfuissset, *operari terram* potuisse. Quæ quidem absurda sunt, si illud tempus describitur, quo tota aquis tellus operiebatur. Fœcundassetne pluvia aquarum abyssum? Potuissetne homo ibi arare, serere et metere? Cur vero, nec id paucis verbis, dicitur, defuisse eo tempore *arbusta agri* et *herbam regionis?* quod, in illa explicatione, physice necessarium nemo non videt.

LIII. Nunc vero quid dicam de illa negativa particula, quam nonnulli addunt, § 51, legentes, *nec fons* (vapor) *ascendebat?* — Si quis contendit, negationem in originali textu fuisse, uni antiquo codici, quem nobis oggerunt quemque lectum dicunt a Saadia, opponam universos codices, qui supersunt, etiam samaritanos et antiquos codices, quibus usi sunt tum Septuaginta, tum cæteri qui versiones bibliorum concinnarunt, ut Hieronymus et alii veteres. Si dicunt, negationem subaudiendam esse, et alibi ab Hebræis subaudiri, respondeo, ab Hebræis subintelligi negationem, vel quando ex contextu ipso sermonis, quod et in nostris fit linguis, manifeste patet eam esse supplendam (secus intolerabiliter æquivoca esset locutio, præstaretque tacere quam ita loqui); vel quando juxta morem poeseos hebraicæ, repetitur in secunda commatis parte, quod in prima dictum est, omissa negatione, uti et de aliis fit vocibus ex prima parte supplendis. Ita in *Psal.* XLIII, 19 : « Et non recessit retro cor nostrum : et (nec) declinasti semitas nostras a via tua (6). » Jamvero evidenter intelligendam esse negationem in loco, quem pertractamus, quam fere omnes interpretes et expositores ne suspicati quidem sunt, intelligi posse, nemo puto affirmabit, nisi forte ex præconcepto animi judicio, quo sibi quis persuaserit, ingens hic a Mose enarrari miraculum : herbas nempe atque arbusta sine ullo humoris adjumento, quum tellus maxima ariditate squalesceret, germinasse atque adolevisse. Si dicam e. g. hac tertia die nullus erat piscis in aquis, nec ullum animal supra terram gradiebatur, aut

(1) Ita Philo. Ita etiam Nicolaus Papa, *ad Michaelem Imperat.*

(2) Ut Aquila, Pererius, Molina, Del Rio.

(3) Grotius in h. l, et *in Marc.* V, 29.

(4) Hanc interpretationem amplectitur P. Jos. Romano, sed *diem*, vers. 4, latiori sensu sumendum indicat, at necessario extendendum saltem ad tres dies. *La scienza dell' uomo interiore*, vol. III. *Teologia*, p. 397.

(5) *Qui aufert stillas pluviæ, et effundit imbres adinstar gurgitum.* Ita Vulgat. Septuaginta reddunt : *Qui numerat stillas pluviæ, et effundit eas guttatim.* Vide, si placet, Pinedam et alios *in Job* XXXVI, 27.

(6) Ita *Psalm.* IX, 19, Hebr. *Job.* III, 10, XXX, 20; *Isai.* XXIII, 4. In his exemplis negans particula suppletur ab interpretibus.

per cœlum avis volabat, facile intelligitur, et in hoc tertio membro negationem subintelligi. Si vero dico : hac die nullum erat animal in aquis, nullum in terris, et stirpes germinabant super terram; quis nisi stulte dicet, in hoc tertio membro intelligendam negationem, idque certum et evidens esse? *Parallelismum* autem, ut vocant, *poeticum* si quis in his versibus reperire vult, sunt hi a præcedentibus separandi, atque ita ex hebræo verti et disponi debent :

Et omne virgultum argi nondum erat in terra,
Et omnis herba regionis nondum germinaverat :
Non enim pluerat Dominus Deus super terram, הָאָרֶץ
Et non homo ad operandam terram, הָאֲדָמָה
Et vapor ascendebat de terra, הָאָרֶץ
Et irrigabat omnem faciem terræ, הָאֲדָמָה

Nempe ascendebat de terra (ut irrigaret), et (descendendo) terram irrigabat. Aliquando ex inciso vel membro priore negatio in posteriore suppletur, ut animadvertimus : at nunquam ex alio versu (1). Sed uti parum rationi philologicæ negatio illa congruit, ita adversatur omnino rationi philosophicæ : nam, ex paulo ante dictis, vaporis exhalatio non modo aliqua, sed magna esse debebat et terræ faciem abunde irrigare.

His adde quod, ut hæc negatio intrudatur, necesse est, ut statuamus siccitate squalentem eo tempore terræ superficiem (quod sine miraculo fieri non potuit, saltem in vulgari sententia de diebus 24 horarum); insuper evaporationem quoque circumstantium aquarum a Deo continenter impeditam fuisse : quæ miracula (quorum nemo testis est) seminum vel stirpium, quas Deus fecerat, germinationi, incremento, vitæ adversabantur : ita duo miracula ad id ordinabantur, ut tertium aliud miraculum necessarium fieret, nempe ut plantæ sine humore ipsis physice necessario crescerent. Si quis talia admittere nullo idoneo teste non dubitat, nonne hic bellum philosophiæ indixisse dici potest? Nonne id conari hujusmodi sapiens videtur, ut Scripturam, quam sequi se affirmat, naturæ studiis opponat, horumque cultores a fide alienos faciat, dum ipse ab eis irridetur? « Non tam molestum est, dicam cum Augustino, quod errans homo deridetur, sed quod auctores nostri ab eis, qui foris sunt, talia sensisse creduntur, et cum magno eorum exitio, de quorum salute satagimus, tanquam indocti reprehenduntur atque respuuntur (2). »

Dicunt, Mosen his verbis inculcare, stirpes una Dei voluntate factas esse et adolevisse : cur igitur id aperte non dicit? Nonne sat erat ad opus Dei immediatum ostendendum, nulla ante hunc diem semina fuisse? Num homines, quantumvis rudes, ignorant, plantas saltem eas, quæ sive utiliores sunt sive majores, ex semine oriri? Ac si dies tertius ordinarius fuit dies, nonne hoc declarabat satis (et longe melius quam defectus pluviæ super terram nuper ex aquis eductam) opus Creatoris immediatum? An vulgus ignorat, plantas et præsertim arbores, nec si largissima pluvia irrigantur, tam cito crescere sine miraculo non posse?

Qui negationem illam obtrudunt, æque ac qui gurgitem et inundationem fontibus aut vapori præferunt, ex eo moventur, quod putent, his versibus indicari rationes, cur plantæ non germinassent. Potius puto revelari primæ germinationis causam instrumentalem, quum nullæ laberentur pluviæ nullaque esset artificiosa irrigatio. At præterea ridiculum videtur quærere causam, qua terrestres plantæ non essent, antequam *arida* apparuisset, uti quærere causam defectus ovorum, quum gallinæ et aliæ aves non erant, aut lactis, nondum creatis vaccis aliisve lactiferis animalibus.

De illis vero qui dividunt omnino vers. 5 et 6 a superioribus, quid dicemus? De hac divisione nil definio : hoc tantum statuo : si versus illi a præcedentibus sejunguntur, eos certe sensum aliquem per se exprimere debere; non enim conjungi queunt cum vers. 7 : « Formavit igitur (*et formavit* Hebr.) Dominus Deus hominem de limo terræ. » Quando enim factus est homo, sane herbis, arbustis et arboribus tellurem convestitam invenit. In hac igitur hypothesi evidentius excludenda est illa negatio. Quid enim, hac posita, ii versus narrant? Nimirum, non fuisse (at quandonam?) arbusta aut herbas, nec pluviam descendisse, nec vaporem (aut fontem) ascendisse, sunt meræ negationes quæ nihil nos docent; quin et in errorem inducere legentem possunt : nam cum narratio de ortu hominis postea sequatur, adduceremur ad credendum, hunc ipsum rerum statum primo homini se obtulisse, quum *factus est in animam viventem* (3). Igitur si vers. 5 et 6 a superioribus sejungantur, omnino est rejicienda istiusmodi negatio; et sensus erit : « Priusquam germinarent arbusta et herbæ; » vel : « Nondum germinaverant arbusta... Sed vapor ascendebat de terra ad irrigandam... et hujus ope pluviæ gerentis vices, creverunt stirpes a Deo factæ; » vel : « Tametsi non plueret... tamen vapor... irrigabat. » Nam particula connexa וְ, *et* (quæ *Proteus particularum* ab Heinsio vocatur), aliquando

(1) « Dubito an negatio repeti possit ab uno versu ad alium. Exemplo caret. » Drusius. Vid. Malvenda apud Poli in *Synopsi*.

(2) Vid. *De Genes. ad litt.*, lib. I, cap. XVIII, XIX. Idem ait alibi : « Cum audio christianum aliquem fratrem ista (naturalia) nescientem et aliud pro alio sentientem, patienter intueor opinantem hominem, nec illi obesse video, cum de te, Domine Creator omnium, non credat indigna, si forte situs et habitus creaturæ corporalis ignoret. Obest autem, si hoc ad ipsam doctrinæ pietatis formam pertinere arbitretur, et pertinacius affirmare audet quod ignorat. » *Confess.* V, cap. V.

(3) I *Cor.* XV, 45.

reddi potest *sed*, uti hic Vulgatus reddit, aliquando, *autem, at, vero,* vel *quum* vel *quamvis* vel *tamen, nihilominus,* vel *nam, enim, quia,* etc.

LIV. Juverit nonnulla indicare consectaria quæ alicujus momenti mihi videntur. Pluvia hic indicatur uti res, quæ plantis illius periodi fuisset opportuna. Verum si plantæ illæ, juxta vulgarem sententiam, germinarunt omnes,

> Quum Deus æquoreis ereptam nuper ab undis
> Arboribus viridique ornaret gramine terram (1);

si plantas terra produxit vix paucis elapsis horis ex quo fuerat supra mare elevata, si eas protulit dum adhuc tota esset aquis inebriata, pluvia certe omnino inutilis erat; imo damni potius fuisset illis stirpibus, quæ terreno aridiori magis quam udo gaudent. His enim expediebat potius ut nimia humiditate liberarentur, quam ut humiditas ex pluviis adhuc cresceret. Ergo si plantæ, ut modo fit, irrigatione indigebant, necesse est ut dicamus, hunc diem (verius hujus diei partem secundam) longe ultra spatium 24 horarum fuisse productum, immo etiam ultra id tempus quo magna illa aquæ copia evaporando evanuit, ita ut novæ terræ, jam exsiccatæ aridæque, vel pluviali vel artificiali vel alia quavis demum irrigatione indigerent.

Præterea, si una ordinaria die aut primis horis tertiæ diei plantæ omnes ad eam magnitudinem Creatoris potentia creverunt, ut quinto et sexto die omnibus animantibus ipsique homini, cap. I, 29; cap. II, 16, præsto esse suis usibus possent: num opus erat ut admoneremur, in hac tam brevi temporis intercapedine pluvias super terram non descendisse? Certe tam mirandæ rei vis pluviæ impar est; hoc erat et Hebræis notum. Si vero omnia immediate Deus operabatur, quid pluvia fecisset? Dicendum igitur restat, Deum fecisse quidem semina vel surculos stirpium, sed voluisse simul ut ordinario quod statuerat medio, id est aqua, crescerent ac fructus afferrent suos: sed ut hoc medio plantæ crescerent, sane opus est tempore 24 horis longiore. Jam citavi S. Ephrem docentem, Deum ordinasse ut formationi primarum plantarum opem suam aqua ferret (§ 34, prope finem).

Consequentia hæc invicte confirmatur vers. 6 (nisi intrudatur illa, quam rejecimus, negatio), ubi indicatur humiditatis fons, scilicet vapor, qui pluviæ defectus supplebat, irrigando «universam superficiem terræ;» quod profecto inutile fuisset, nec memorandum in vulgari sententia. Adverto, etiam in sententia Bucklandii, § 5, hunc diem longe diuturniorem ordinario die ponendum esse: hic enim de diebus Mosaicis agimus, non de phænomenis quæ ad tempus dies illos præcedens amandari possunt.

(1) Ut ait Leon. Paris presbyter, lib. I *Hist. vet. Testamenti.*

Et hoc adnotabo: *Arida* a Deo appellata fuit אֶרֶץ cap. I, 10. Jam vero in capite hoc secundo legimus, per certum tempus nec herbam nec virgultum super *erets* germinasse, nec Deum pluisse super *erets*, et fontem, seu vaporem tunc ascendisse de *erets*. Igitur aliquo temporis spatio, inter primum et secundum opus tertii diei, sine plantis *arida* fuit. Si hoc tempus ponimus unius aut paucarum horarum, eratne operæ pretium de adeo parvis et inutilibus rebus tam diligenter scribere?

Ludovicus de Dieu vult, locum hunc ita solummodo intelligi, ut plantas tantum agriculturæ opo excultas primis temporibus non fuisse, inculcetur. « Monemus, ait, tria hic esse vocabula quæ attentionem requirunt, quorum nullum cap. I exstat. *Primum* est שִׂיח quod virgultum significat, id est virgarum multitudinem ex præcidanea radice pullulantium. *Secundum* שְׂדֶה, quod non absolute terram, sed terram cultam et, sive sationi sive pecorum pastui adaptatam, denotat. *Tertium* צָמַח, quod germinare, pullulare significat, itaque de surculis et stelonibus dicitur, qui ex præcidaneo semine aut radice exsurgunt. Tale nihil fuit in prima creatione, ad quæ pluvia et cultura requiruntur. Herbæ et arbores, de quibus cap. I, non ex semine et radicibus pullularunt, sed ipsamet fuerunt prima omnium plantarum semina et radices. » Sic ille, cui assentiuntur Hassius et Gussetius. Omnes vero refellit Ernestus Fridericus Rosenmuller qui sic disputat. « Neque quod vocabula hoc loco usurpata ad agriculturam pertinere dicunt, solido argumento nititur. Nam *siach* pro frutice seu arbusculo plerumque sumitur (vide *Job* XII, 8; cap. XXX, 4, 7), quomodo et hic usurpatum eo magis videtur, quo significaretur, ne fruticem quidem agrestem sive insativam, nedum sativam aut hortensem, aut arborem proceram aliquam exstitisse, quum Deus terram crearet. Porro *sadeh* nequaquam terram culturæ aptam denotare, sed latius patere, constat e vocis hujus usu, qui infra vers. 19, 20, cap. III, 1, observatur, ubi חַיַּת הַשָּׂדֶה non dubium est dici *feras agrestes* a pecudibus distinctas; *tsamach* denique in genere *oriri* notare, et de iis quæ ratione naturali proveniunt usurpari constat. Quod igitur scriptor hoc loco aliis nonnullis vocabulis quam supra (cap. I, 11, 12), de eodem agens utitur, præter עֵשֶׂב (herba) quod et illic occurrit, pro mera styli variatione habendum erit. Cum autem, in decursu narrationis, de totius mundi intra sex dierum spatium ortu, plantarum originem die tertio summatim memorasset, jam ad telluris hominumque antiquissimam historiam progrediens, primum accuratius exponit, qua ratione procreatæ sint plantæ, vers. 6, præmittitque hoc vers. 5, cum primo creasset Deus cœlum et terram, non simul plantas exstitisse in arido solo, quod etsi ex superiore narratione apparet, hic tamen diserte commemorat, ut transitum faciat ad ea, quæ se-

quuntur. » Quibus addo, etiam voces cap. 1, significare plantas nascentes ex *præcidaneo semine* et ex præcidanea radice; pluviam (sive quid aliud æquivalens) requiri etiam pro plantis, quæ « nullis hominum cogentibus, ipsæ sponte sua veniunt; » et tandem nullas omnino exstitisse plantas, quando creavit Deus cœlum et terram, proinde superfluum esset monere nos, quod plantæ ex agricolatione ortæ tunc non exsistebant : qua de re nullum poterat esse dubium, cum homo adhuc non esset.

Audiatur iterum Rosenmuller : « Loco pluviæ et irrigationis erat vapor *éd,* quo universa telluris superficies humefiebat eō tempore, quo tener terrarum orbis primum concreverat... antequam sole novo lucescente crearentur pluviæ, ad procreandas et conservandas plantas. » Addit vero : « Quod supra cap. 1, 11, plantas divino jussu exortas dixit, non excludit causas naturales, quibus, tanquam instrumentis usus sit Deus. Neque opus est ad hujus versus 6 initium e superiori repetere negandi particulam. » Jamvero si juxta Mosen voluit Deus, ut per naturales causas aut semina germinarent aut surculis grandescerent : sacer historicus dicendus est non obscure indicare, tertium hunc diem non periodum viginti quatuor horarum, sed longitudinis valde majoris et nobis ignotæ fuisse. Quomodo igitur idem Rosenmuller affirmare potuit, hanc dierum genesiacorum interpretationem esse *contra omnes interpretandi leges totiusque narrationis indolem, quidquid dicat Henslerus?* Estne contra totius narrationis indolem illa interpretatio, quæ ex ipsa narratione deducitur ? Concedo, Mosen inculcare voluisse « sex diebus laborandum, septimo quiescendum; » at non ex hoc deducam, eum, veritatis loco ejusmodi systema nobis obtulisse, in quo « disciplinæ omnis physicæ et astronomicæ infantia » sese prodat. Non equidem asseram, versatissimum Mosen in physicis scientiis aut eximium aliquem astronomum fuisse : verum si ille non alias res aut potuit aut voluit nobis exponere, nisi vulgares indoctæ plebis opiniones, cur, quæso, lucem, quæ splendore suo diem faciat, biduo ante solem induxit? Qua de causa hoc Moses paradoxum statuat, nos tandem luce recentioris scientiæ illuminati, explicare possumus, § 34. At certe non erat hæc tam obvia ac vulgaris cogitatio, ut menti hominis qui esset physicarum rerum ignarus, aut rudi mancipiorum vulgo, sine lucis cœlestis adjutorio, per se facile affulgere posset. Cur plantæ ipso auctore antequam astra adparerent exortæ sunt ? Estne talis doctrina hæc, quæ in indocti hominis capite sponte sua fruticare queat, nisi « pluat Dominus Deus de cœlo super » aridam ejus mentem et irriget illam? Iis quidem verbis iisque imaginibus Moses utitur, quæ essent ad vulgi captum accommodatæ, ut saltem narrationis suæ corticem vulgus tenere ac gustare posset : verum medulla, quæ sub eo cortice latet, tam longe abest ut a rudis vulgi sensu haustam sese prodat, quam a philosophorum illius ævi doctrinis abhorret.

Obiter hic liceat mihi animadvertere, non posse tam facile his nostris temporibus doctos viros in medio consistere, ut nec inter physicas scientias et mosaicam narrationem, aliquam viam conciliationis ultro admittant, neque illam, quasi antiquorum temporum ignorantiam redoleret, contemnant.

Redeamus ad cap. 1, et trium, quæ remanent, dierum opera persequamur.

DE OPERE QUARTÆ DIEI.

(Vers. 14, 15, 18, 19.)

LV. Deus jubet ut « sint luminaria in extensione cœli (vel cœlorum), ut dividant inter diem et noctem, et sint in signa temporum, dierum et annorum (vel in signa et tempora)..., et illuminent super terram. Et ita fuit. » Extensio vel *firmamentum* vers. 6 et 7, dividens aquas ab aquis aere occupatur, super hanc extensionem adparent astra : vorum extensio cœli רָקִיעַ הַשָּׁמַיִם vel cœlum cœlorum, ubi astra sunt, æthere tantum repletur.

Si corpora cœlestia quarta die *creata* fuissent ex nihilo, verum non esset, in principio temporis, ante omnem diem *cœlum* (vel cœlos) et terram, scilicet rerum universitatem, creata esse a Deo : minima enim mundi ac materiæ cœlestis portio in principio creata fuisset. Et re quidem vera non adhibetur hoc in loco verbum בָּרָא, sed dicit Deus *fiant,* ut est in Vulgata, vel, ut in Hebræo, *sint* (sicut quum de luce actum est dixit : *lux sit*). Item vers. 16 non dicitur *creavit,* sed *fecit Deus duo luminaria magna* (vel majora), *et posuit in extensione cœli, ut illuminarent super terram.* Quæ loquendi ratio non modo non impedit quominus materiam horum astrorum jam a principio creatam dicamus, sed etiam videtur ita posse intelligi, ut etiam ante quartum diem astra ipsa jam essent formata atque perfecta, sed non ante hunc diem adparuerint in firmamento, nec ante munere a creatore sibi injuncto, ut terræ luminaria essent, perfungi cœperint. Si hæc accipiatur explicatio, illud *fecit* pro *fecerat* usurpatum dicere deberemus; quod absurdum non est, cum plures præteriti temporis formas Hebræi in sua lingua non habeant.

Creata ab initio astrorum materia, in globos concrevit et luminosa facta est (§ 34). Luminaria cœlestia jam a primo die extitisse, nec luce solem caruisse, plures crediderunt et christiani (§ 33) et Hebræi (1). Ait Maiemonides (2): « Scribunt in *Berescit-bara* sapientes nostri de luce primæ diei: Ista sunt luminaria, quæ creata fuerunt primo die, sed non suspendit ea usque ad diem quartum. » Luminaria in extensione cœli, denso nebulæ fornice terram circumtegente, ad hanc usque diem terra non viderat. Proinde non adhuc erant luminaria terræ, de qua tantum hic loquitur Moses. Finge tibi triclinium cœnæ paratum, cujus altitudo spatii horizontali tabulato bifariam dividatur. Si in superiori ejus parte lampas suspensa sit, ea profecto inferiori parti, ubi convivæ sunt vel exspectantur, conspicua non erit; neque, donec tabulatum removeatur, lampas dici poterit in triclinii laqueari splendescere. Ita prorsus dicito de luminaribus terræ. Erant illa quidem, sed ante dissipatam nebulam luminaria terræ non erant. Nec si e sole, ut conjeci (§§ 39, 41, 47, 49), die secunda et tertia mediantibus nubibus debilis aliqua lux terram aliquantulum illustrabat, non idcirco absurde postea præcipitur: Sint luminaria in extensione cœli. Nam si in cubiculum, ubi tu sedes, aliquantulum penetret per januam luminis ex lampade, quæ in proximo cubiculo collucet; impeditne lumen hoc non directum nec a speculo reflexum, sed a muro illuminato diffusum, ut rationabiliter famulum jubeas: affer lumen? Monet, nec semel, S. Thomas, « Mosen ea tantum proposuisse, quæ in manifesto adparent (3): » ita de sole tacuit donec hac quarta die manifestus adparuit, fortasse etiam quia cum Israelis populum a cultu astrorum removere satageret, erat ipsi opportunum, ut astrorum principem solem, post herbarum atque arborum ortum memoraret: « Ne forte elevatis oculis ad cœlum, videas solem et lunam et omnia astra cœli, et errore deceptum adores ea, et colas quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cœlo sunt. » Ita Moses, *Deut.* IV, 19.

LVI. Processisse astra paulatim, ut de tellure factum est, a statu primitivo imperfecto ad eum quem nunc habent, id quidem credi probabiliter potest. Non tamen facile credam, solem per totam primam diem sine luce fuisse, dum jam luminosa tellus erat (§ 33); verum fortasse tunc a nostra terra sol non erat separatus, immo cum pluribus aliis magnis globis erat conjunctus. Probabile vero est, primo tempore, quo globum per se constituit, magna luminosa atmosphæra solem cinctum fuisse, ejusque lucem magis tunc quidem diffusam, at forte minus intensam effulsisse. Tamen hæc luminosa atmosphæra ad orbitam telluris non perveniebat, saltem post terminum lucis illius quæ primo die memorata est. Etenim donec in illo lucis oceano involuta fuit tellus, lux diei primi non cessavit, nec dies ille primus finem habuit. Qualiscumque vero fuerit solis status prioribus periodis, ipse se telluri non ostendit; ejusque radii directi, multoque minus cæterorum astrorum ad tellurem non pervenerunt, quoadusque densior caligo, aut saltem ingens concretorum vaporum massa tellurem undequaque circumtegens involvebat. Venit postea tempus, quando hic nebulosus fornix disruptus, apertus ac tandem dissipatus fuit; idque vel gradatim ob naturales causas lente et assidue operantes, vel quod fortasse probabilius est, ob aliquam magnam catastrophen quæ terrestri atmosphæræ notabilem attulit mutationem, et continuos illos vapores disperdens, aerem radiis astrorum permeabilem fecit. Utrum etiam in sole et in astris notabilis aliqua mutatio in hac periodo evenerit, definire non audeo.

Item, quando hæc in nostra atmosphæra facta sit mutatio, ob quam astrorum radiis non amplius interclusum est iter, hoc ex physica scientia, uti nunc est, scire non possumus: sed neque ex hac quidquam, quod alicujus momenti sit, objici potest Mosi narranti, solem et astra telluri adparuisse inter periodum primæ vegetationis et creationem animalium ad eas classes pertinentium, quarum in opere quinti diei fit mentio.

Quartum hunc diem probabiliter præcessit magna aliqua perturbatio, ex qua obscuritas super terræ faciem per aliquod tempus facta est (§ 47), novæque e mari terræ emerserunt; quæ etiam sive ob aliquam in aere mutationem, sive ob decrescentem calorem telluri proprium, sive ob crescentem solarem influxum, dum plantæ propagabantur, fortasse aliquantulum modificabantur, novas stirpes germinante tellure, quum iis opportunæ conditiones advenerant.

Et in hac periodo *commixtio* (§ 11) quædam præcessit, et subsecuta est *divisio, aperitio et partus novus et maximus*. Qualiscumque antea fuerit luminarium cœlestium status, certe quod ad terram spectat, erant illa veluti commixta et confusa, atque ab illa concretorum vaporum *commixtione* eorum adspectus telluri prohibebatur. Postea fornix nebulosus *divisus* est cœlumque *apertum*, et primo, quoad nostram tellurem, astra orta sunt.

LVII. Distinctionem aliquam inter diem naturalem et noctem, si vera est nostra hypothesis (§ 39 etc.), jam secunda et tertia periodo faciebat mediate quidem lux solis adhuc telluri incogniti, immediate vero radii ipsius luminosi a nebuloso fornice non specularitèr reflexi, sed diffusi (4).

(1) Vid. Petavium, *De Opif.* lib. I, cap. XV, num. 2.
(2) *More Nevochim*, part. II, cap. XXX.
(3) I part., *Quæst.* LXIX, art. 2, ad 3.

(4) Inter veram seu specularem reflexionem, et diffusionem lucis a corporibus illuminatis jure distinguunt Eulerus aliique accuratiores Physici.

At modo incipit fierit immediate a sole, qui *præest diei* et per diem radios directe in tellurem effundit. Luna quoque et stellæ mensurandis temporibus inserviunt, quæ homines, astrorum ope, in dies et menses partesque mensis, tum et in annos annique tempestates partiuntur. *Temporis instrumenta* a Platone dicuntur, et Claudianus cecinit:

Ille Pater rerum, qui tempora dividit astris.

Hinc Deus per Mosen dicit: « Ut dividant inter diem et noctem, et sint in signa temporum (mensium, vel quatuor anni tempestatum), dierum et annorum. » Hæc, ut mihi videtur, probabilis interpretatio hebræo non adversatur, nec Vulgatæ, quæ cum illo habet, *in signa et tempora et dies et annos*. Notum enim est, particulam ו, *et*, tum apud Hebræos tum apud Latinos, quando duo nomina copulat, indicare aliquando posterius nomen genitivi vel adjectivi loco positum esse. Ita *Gen.* III, 16: « Multiplicabo dolorem et conceptum tuum, » id est dolorem conceptus tui. Ita *Act.* XXIII: « De spe et resurrectione mortuorum ego judicor, » id est de spe resurrectionis. *Ibid.* XIV, 11: « Sacerdos tauros et coronas afferens, » quod probabiliter interpretabere, tauros coronatos. Ita *Rom.* I, 5: « Per quem accepimus gratiam et apostolatum, » quod est, gratiam apostolatus. Et I *Cor.* XI, 7: « Quia imago et gloria Dei est, » id est imago Dei gloriosa, vel imago gloriæ Dei. Talia sunt illa Virgilii: « Molemque et montes insuper altos imposuit (1), » et « Pateris libamus et auro (2); » et apud Lucanum, « Chalybem frœnosque momordit. » In sacra Liturgia quotidie postulamus, ut *perceptio Dominici corporis non sit nobis in judicium et condemnationem*, quod est, in judicium condemnationis. Multi tamen in hoc vers. 14, malunt omnino sejungere nomen *signa* ab alio *tempora*: signa vero vel interpretantur menses ex Zodiaci signis (quanquam antiquissima mensium discriminatio a luna fuit, atque etiam nunc lunari mense utuntur rudiores gentes, aut magis antiquitatis tenaces), vel indicia esse putant, quæ ab astris accipimus serendi, plantandi, metendi, navigandi, etc., vel signa pluviæ, etc. Ait S. Thomas (3): « Ex luminaribus cœli accipitur significatio pluviosi temporis vel sereni, quæ sunt apta diversis negotiis, et quantum ad hoc dicit: *ut sint in signa*. » Etiam hoc indicari loco isto, non est improbabile; et etiam illud, quod ad festos dies determinandos, astris homines essent usuri. « Luna, ostensio temporis et signum ævi. A luna signum diei festi, » *Eccli.* XLIII, 7. Eadem fere ac Aquinas docuere Basilius, Ambrosius, Theodoretus aliique, qui et astrologorum et genethliacorum commenta redarguunt arbitrantium, futuras et fortuitas res in cœlestibus corporibus, veluti in quibusdam signis esse descriptas. Superstitiosa aut vana signa reprobat Deus per Jeremiam (cap. X, vers. 2) dicens: « Hæc dicit Dominus: juxta vias gentium nolite discere; et a signis cœli nolite metuere, quæ timent gentes. »

LVIII. Sol hac tertia periodo et sequentibus dies metiebatur; at non hinc sequitur, diem quartum, quintum et sextum, cap. I, ordinarios dies 24 horarum fuisse. Nihil obstat quominus dies illi longæ periodi fuerint, plane ut primus et sequentes duo; ac forte etiam longiores. Sol enim plus quam dimidiam terraqueæ sphæræ partem illustrans, in diversis quidem globi partibus vices dierum ac noctium, at in globo ipso longam et continuam diem (hoc est tempus lucis) constituebat, cui in quarta et sequenti periodo, *vespera* tantum illa (quam obscuritatem a subterraneis emanationibus et telluris perturbationibus productam esse conjecimus, § 47) finem imponebat. Ad hæc vel ipse dies, quem in aliqua mundi parte producit sol, non semper viginti quatuor horarum ambitu continetur. Idem enim sol, qui in maxima mundi parte viginti quatuor horis diem metitur, in polaribus regionibus integro anno diem facit æqualem. Nemo itaque nos cogit, ut credamus, postquam sol terris apparuit, tres genesiacos dies, qui sequuntur, a tribus prioribus natura habendos esse diversos. Alioquin supponendum foret, solarem telluris diem usquedum homo creatus fuit, non quidem viginti quatuor horis aut paulo longiori temporis intervallo, sed multis annis et vero sæculis constitisse: id quod aliquis, verum solummodo uti possibilem hypothesim, proposuit, quæ ita se habet. Cum luna eamdem semper faciem telluri ostendat, tempus rotationis ejus circa proprium axem æquale est tempori ipsius periodico quo per orbitam suam circa tellurem defertur. Si et terra, dum in sua orbita circa solem transfertur, idem perpetuo hemisphærium soli obverteret, profecto nulla esset nobis dierum ac noctium successio. At fingito, tempus rotationis telluri datum non omnino æquale esse tempori, quo orbitam suam circa solem percurrit, sed alterum altero minima quantitate esse celerius: erit aliquis in terra locus, ubi longus continenter meridies ad sensum habebitur, ac deinde post multos annos aut multa sæcula, mensurabili aliquo spatio a primo loco dimotus sol adparebit, donec tandem, post crepusculum plurium sæculorum sol occidet, longissima hemisphærium illud nocte demersum deserens. In hac igitur hypothesi esset quidem solaris hic dies, at nullam prorsus cum diebus hisce nostris viginti quatuor horarum proportionem haberet. Hoc si in diebus Mosaicis accidere potuisse dicas, rem sane dicis, quæ non repugnat; tamen cum nihil de hoc in Scriptura ne obscure quidem innuatur, cum nullam adhuc astrorum scientia rationem suppeditet, qua maximum hoc discrimen

(1) *Æneid.* I.
(2) *Georgic.* II.
(3) Art. cit. in corp.

inter velocitatem rotationis terrestris, quæ nunc est, et eam quæ tunc fingitur fuisse, probari nobis possit : profecto ne probabilis quidem hæc hypothesis dicenda est. « Rationabilium mendaciorum potestatem » concessam esse poetis, sed non largiorem, docet Augustinus (1) : multo magis conceditur Philosophis et Theologis, ubi lux certitudinis deficit, ut ad hypotheses confugiant, sed eæ rationabiles esse debent, hoc est, rationi probabili innixæ : quæ vero sunt tantum possibiles, eæ recipi nunquam debent; ac tum solummodo in medium adduci possunt, quum nulla alia ratio suppetit, ut ostendatur, rem aliquam, quæ vel ex humana scientia vel ex revelatione deducitur, ut omnino impossibilem rejiciendam non esse.

Cur sol dicatur *præesse diei*, et aliquo modo per diem dominari, nemo non videt. Statim ac ad horizontem accidit potens ille diei Rex (2), cætera astra omnia pallent, ac præpotenti ipsius luce conteguntur. Sol unus inter astra omnia est nobis « vas (instrumentum) admirabile excelsi, exurens montes, radios ignitos exsufflans, » *Eccli.* XLIII, 3, et magnus fons lucis ac vitæ, pulchritudinis et lætitiæ (3) : quamvis per se hæc tanta non præstet, sed qua creatoris minister constitutus est. Luna quoque dum fulget in cœlo, non pauca obscurantur astra, ut ipsa principatum quemdam ac veluti *potestatem noctis* tenere videatur. Ad illam præcipue populorum oculi diriguntur adeo, ut ipsam tanquam *cœli reginam*, uti est apud Jeremiam (4), ethnici populi superstitiose venerarentur. *Luminaria magna* vocantur sol et luna, quia longe majores aliis astris adparent, et quia revera sunt *majora* (sic etiam verti potest) *luminaria* telluris, nam eam multo magis, quam stellæ illuminant. At luna, quæ stellis comparata vocatur *luminare magnum* vel *majus*, dicitur collata cum sole, *luminare parvum* vel *minus* : utroque enim modo verti potest vox hebræa (5), cum comparativis careant Hebræi. Audiamus S. Thomam (6) : « Sicut Chrysostomus dicit, dicuntur duo luminaria magna, non tam quantitate, quam efficacia et virtute. Quia etsi aliæ stellæ sint majores quantitate quam luna, tamen effectus lunæ magis sentitur in istis inferioribus, et etiam secundum sensum major adparet. »

LIX. Hæc luminaria ait Moses, vers. 15 et 17, a Deo facta, *ut lucerent in firmamento cœli, et illuminarent terram.* Quemadmodum in verbis non intendit dicere, quod sol per noctem, ac luna per diem luceant in firmamento et terram illuminent, ita nec innuere vult, lunam ad hoc fuisse in cœlo positam, ut singulis noctibus ac toto noctis tempore terras illustret. Illud unum de luna prædicat, quod ipsa facit, eaque tantum ratione asserit a luna noctes illuminari, quemadmodum ab ipsa præstari, oculis quisque suis videt. Cumque usus rerum, præsertim qui naturales sunt, sint fines a Deo rebus ipsis constituti, ideo ad hoc duo illa luminaria facta dicit a Deo, ut terram illuminent. Lunam dixit Secundus philosophus esse *solis æmulam, maleficiorum inimicam, solamen iter agentium*, et Epictetus *diei adjutricem*, et *noctis oculum.* Audiendus iterum S. Thomas (7) : « Moses, ut populum ab idololatria revocaret, illam solam causam tetigit, secundum quod sunt facta ad utilitatem nostram. »

La Place scripsit, quosdam fautores causarum finalium commentos esse, lunam telluri datam, ut eam per noctem illuminaret, atque his opponit, multas esse noctes quæ hac luce carent ; ipse vero indicat quomodo luna disponi potuisset, ut perpetuo totam faciem illuminatam nobis ostenderet. Sed collocata luna ut eam ipse ponit, nempe extra conum telluris umbrosum, ne radii solares ad lunam directi a terræ umbra intercipiantur, luna ipsa sexies minor nobis adpareret, adeoque nunquam lucem satis copiosam nobis ministraret. Præterea docti geometræ demonstrarunt, positis naturæ legibus, ut eæ statutæ sunt, neque in illa hypothesi posse a luna totam partem illuminatam telluri semper ostendi : ex quo illud tandem futurum esset, ut luna per longum temporis intervallum suam lucem telluri omnino subduceret. Non erat autem conveniens, Deum immutare suas leges, ut aliquando melius terra illustraretur, eo præsertim tempore, quod hominum mitiorumque animantium quieti destinatum est. Lunam Deus fecit etiam ad hoc, ut terram scilicet illuminaret, non vero per cunctas noctes nec optimo, quo fieri posset modo, sed ita solum, quemadmodum eam illuminare percipimus.

Stellas Moses solummodo memorat, quia, licet maximam creationis materialis partem ipsæ constituant, minimam tamen habent cum tellure et hominibus necessitudinem. Si ea tantummodo attendimus, quorum Moses expresse meminit, profecto opus hujus quarti diei brevi admodum tempore perfici potuisse videtur. Tamen ex hac die non infirmum argumentum deduci, ad confirmandum in his diebus longas latere periodos, superius ostendimus § 16.

LX. Astra esse animata, plures rati sunt ; quam opinionem, ex Academia et profana philosophia derivatam, Philo Judæus amplexus est, uti etiam Maiemonides, qui eam legi, id est Mosis doctrinæ, maxime consentaneam judicavit. Docetur insuper hæc opinio in pluribus libris Origenis ; et in com

(1) *De Ordine*, I, II, 14.

(2) « The powerful king of day. » Thomson, *Seasons Summer.*

(3) « ..... Great delegated source
Of light, and life, and grace, and joy below. »
(Idem, *ibid.*)

(4) Cap. VII, 18 ; XLIV, 17, 18, 19, 25.

(5) הַקָּטֹן

(6) I part., *Quæst.* LXX, art 1, ad 4.

(7) I part., *Quæst.* LXX, art. 2.

mentariis in Joannis Evangelium, pro astris ipsis suspicatur hic auctor passum esse Christum. Tamen in libris *De Principiis* Origenes scribit, quod hac de re *manifeste non traditur*. Supposititius Clemens in lib. V *Recognition.*, in eadem versatur opinione. At generatim Patres commento isti contradicunt, ut Eusebius Cæsariensis, quamvis Origenis admirator et fautor, Basilius, Chrysostomus, Theodoretus, Dionysius, seu auctor libri *De Div. Nom.*, ejusque scholiastes Maximus Martyr, Cyrillus Alexandrinus, Joannes Damascenus, Procopius, Lactantius, et Petrus Chrysologus, quorum loca collegit Petavius, *De Opif. sex dier.* lib I. cap. XII.

His adde Didymum, *De Trinitate,* lib. II, cap. VII, serm. 87, et Rufinum, seu auctorem lib. *De Fide,* qui Rufino adscribitur. Hic de astris ait : « Hæc nonnulli, mentis errore decepti, animalia rationabilia esse dixerunt, quorum dementiam etiam nefarius Origenes secutus est. » Et Orosius inter errores Origenistarum hunc ponit : « Creaturam quoque subjectam corruptioni non volentem, intelligendam esse dicebant solem, lunam et stellas, et hæc non elementares esse fulgores, sed rationales potestates (1). »

In Origenis doctrinam propendere videntur Ambrosius et Hieronymus, uterque uno tantum in loco. Verum Ambrosii verba (2) pie interpretanda et ad figuram sunt referenda ; qua et Paulus usus esse videtur in loco, quem imitatus est et dilatavit Ambrosius, nempe *ad Rom.* cap. VIII, 19 : « Exspectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat. Vanitati enim creatura subjecta est non volens : sed propter eum, qui subjecit eam in spe.» Ubi creaturæ nomine totam rerum universitatem significari plerique veterum existimant. At prosopopæiam ibi esse Chrysostomus adnotat, instar ejus, qua Prophetæ rebus inanimis sensum et intelligentiam accommodant. Quid quod Ambrosius, *Hexaem.* II, 4, illam opinionem refellere videtur? Hieronymi quoque verba benignam patiuntur interpretationem ; qui præterea ab illa sententia pluribus in locis se alienum ostendit, et doctrinam *quæ omnia putat animantia, errorem hæreticorum* appellat. Augustinus olim de astrorum anima dubitavit ; verum postea tum alibi, tum in II *Retract.* cap. VII, ostendit in ea se obfirmatum sententia, astra anima sensuque omnino carere. Justinianus Imperator in *Epist. ad V Synodum* adversus Origenis errores, Origenem ipsum accusat amentiæ, quod cœlum, solem, lunam ac stellas et aquas quæ sunt super cœlos, animata esse dixerit : et inter anathematismos, qui epistolæ subjecti sunt, sextus est : « Si quis dicit, cœlum et solem ac lunam et stellas, necnon aquas quæ sunt supra cœlos, animatas et rationales (alii *ratione præditos*) esse quasdam virtutes, anathema sit. » Refert hos anathematismos Nicephorus Callisti (3), eosque ab ipsa Synodo pronuntiatos scribit. Nimirum ex Justiniani epistola illos sumpserunt, et auctoritate synodica ratos fecerunt Episcopi, quod testatur Cedrenus.

Cajetanus cœlos animatos asseruit (4), Ecclesiæ fretus auctoritate, quæ in sacra Liturgia canit : « Cœli cœlorumque virtutes, ac beata Seraphim.» Indignum, inquit Petavius, acuti ingenii Theologo ac plebeium argumenti genus, quod si ullam vim habet, eodem et terram et elementa omnia, ac nihil non denique animatum esse confeceris : nam hæc omnia sic interdum Scriptura commemorat, tanquam iis animam ac spiritum et rationem tribuat ; quod tropice et figurate intelligendum esse, ne pueris quidem ignorare licet.

LXI. S. Thomas, *Contra Gentes,* II, astrorum animæ favere videtur : verum cap. LXX, aperte profitetur, quæ de illa quæstione veluti affirmando dixit, non se « quasi asserendo dixisse secundum fidei doctrinam, ad quam nihil pertinet, sive sic sive aliter dicatur. » « Quamobrem, ait Petavius, eatenus sententiam suam edidit, ut neutram in partem pronuntiatum esse ab Ecclesia dixerit, cum quintæ Synodi acta decretaque de Origene non exstent. De cujus tamen auctoritate et judicio non posse modo dubitari arbitror : idque tum ex Justiniani epistola, et anathematismis ibidem expositis, tum ex Nicephori aliorumque testificatione satis constare : tametsi non eousque, ut pro hæretico, qui illam asserat, habendus videatur. » Idem S. Thomas in Part. I *Summæ*, latius eam quæstionem pertractat, *Quæst.* LXX, art. 3, argumentaque eorum, qui cœli luminaria animata ponunt, dissolvit, ac demum concludit, « quod corpora cœlestia non sunt animata eo modo quo plantæ (quod tunc schola docebat) et animalia, sed æquivoce. » Quod est : non sunt revera animata, quia nulla anima est eorum forma, aut ipsis conjungitur ut unum compositum efformet ; sed sunt illis conjunctæ intelligentiæ motrices « per contactum virtutis, sicut motor unitur mobili. » Addit S. Doctor : « Unde inter ponentes ea esse animata et ponentes ea inanimata, parva vel nulla differentia invenitur in re, sed in voce tantum. » Hoc ex præcedentibus explicatur : « Platonici etiam animas corporibus uniri non ponebant, nisi per contactum virtutis, sicut motor mobili. Et sic per hoc quod Plato ponit corpora cœlestia animata, nihil aliud datur intelligi, quam quod substantiæ spirituales uniuntur corporibus cœlestibus, ut motores mobilibus. » Et revera, si ita declaretur sententia hæc, quæ esse astra animata docet, valde illa accedit ad eam motorum cœlestium doctrinam, quam semper toleravit Ecclesia ; quamque Philosophia, quæ modo eam

(1) *Commonit. ad S. Augustin. De errore Priscillianist. et Origenist.*

(2) Epist. *ad Horatian.* 38.

(3) Lib. XVII, cap. XXVII, XXVIII.

(4) Vid. contra eum Catharin. in cap. I, *Genes.*

rejicit, illo tempore non modo tolerabat, sed et necessariam putabat. Tamen Platonici, licet non recte animæ cum corpore combinationem declararent, probe tamen norant dolore affici animum, cum corpus percutitur; necnon crescere, senescere et infirmari una cum corpore ipsas animi vires; quod certe motori non accidit : non enim dolorem patitur equus, si vehiculum percutiatur, nec moritur ille aut in morbum incidit, dum ipsum vehiculum omnino confringitur. Jam si illi ita sentiebant, ut interpretatur Aquinas, pejus certe loquebantur quam sentirent. Quis enim currum, eo quod ejus motor scilicet auriga sit rationalis, « ratione præditum » diceret, « et luce cognitionis illuminatum a sapientia, » quod de astris dicit Origenes (1)? Nec aureum solis currum animatum aut rationalem fingit Ovidius, eum nonnisi Phœbus ageret, sed animatos ignemque vomentes et ambrosiæ succo saturos equos illum trahentes.

Nostro certe tempore intelligentias motrices non cogitabat ille philosophus (Schelling) qui, quum astra appellavit *animalia rationabilia*, *animalia beata*, *Deosque immortales*, stultitiæ profecto, non vero sapientiæ amicum se ostendit.

Non est necesse ut moneamus, motrices illas intelligentias nullum in Scripturis fundamentum habere, sed ideo solummodo a multis theologis fuisse receptas, quod illas ad cœlestes motus producendos Philosophia, per ea tempora, necessarias putaret; qua in re non dicam laudem, sed veniam certe ipsi merentur. Cum vero nunc astrorum motus simplicissimis legibus a Deo naturæ impositis optime explicentur, non magis ad intelligentias motrices ii sunt referendi, quam vel casus gravium, vel aquarum per declive descensus, vel quicumque alius motus a naturalibus causis, ut puta a colore aut ab electrica vi aut a chymica affinitate, derivatus.

(1) Lib. IV *Contra Celsum*.

DE OPERE QUINTÆ DIEI.

(Vers. 20, 21, 22, 23.)

LXII. De animatis, non in quarta die ubi de astris, sed in quinta hac loquitur Moses. Dies hæc videtur fuisse periodus longissima cui magna aliqua terrestris perturbatio præcessit, obscuritatem per aliquod tempus probabiliter inducens, et sive aquæ sive aeris statum vitæ animali reddens aptiorem.

Jussit Deus scatere aquas reptilibus (שרץ), et volatile volare super terram, *super faciem extensionis cœli* (firmamenti) (1). Ita textus hebræus et samaritanus, ita versiones syra et samaritana. Vulgatus, minus verba quam verborum sententiam spectans, ita reddit : *Sub firmamento cœli*. At sensus idem est : volatilia enim volant et per cœlum qui dicitur aer, et sæpe super inferiorem ejus partem. *Et creavit* (ברא) *Deus cete grandia* (התנינם הגדלים) *et omne animal vivens, repens* (aut natans), *quod produxerant* (id est produxerunt) *aquæ et omne volatile alatum*. Nunc primo post creationem cœli et terræ vers. 1, utitur Moses verbo *bara creavit*. Quare hoc, si materia corporum animalium creata erat *in principio? Produxerunt aquæ* (vers. 21) corpora aquatilium animalium, quæ, non magis quam plantæ tertii diei, ex nihilo creata dici possunt. Videtur hoc verbo, ni fallor, hic indicari (et clarius vers. 27 ubi de homine sermo est) Creatorem, dum animalia fecit, non modo ex creata materia corpora quædam organis prædita effinxisse, quod fecit et quum plantas formavit; verum etiam aliquid non antea existens illis adjecisse, quod ex nihilo crearit. Videtur nimirum illud verbum indicare hic vel supponere, principium aliquod esse in animantibus a materia distinctum, hoc est, animam immaterialem a Deo immediate creatam. Non tamen nego et aliam rationem ita loquendi Mosen habuisse. Ægyptii enim divinis honoribus animalia prosequebantur, pronique erant Hebræi ad eos imitandos, quod vel una vituli aurei historia abunde ostendit (2). Ille igitur, ut suos ab hoc periculo averteret, de animalibus loqui incipiens, ea, verbis quam maxime disertis, Dei opus omnino esse edicere debuit. Tamen ab hac voce abstinuit, dum de astris die quarta locutus est.

Hoc verbo Moses non utitur vers. 25, ubi de cæterorum animantium formatione agit; verum non inde sequitur non potuisse et in eo loco voce hac uti Mosen, nec eam sine justa causa vers. 21 adhibuisse. In sexto die (ad quem pertinet vers. 25), quum de creatura Dei imaginem referente, quum nempe de animæ humanæ creatione sermo est, tum vero vox illa adhibetur ad nobiliorem usum reservata. Præterea creatio animæ brutorum die sexto nova res non erat, nec primo tunc a Mose narrabatur : jam promulgata erat lex, qua fuerat sancitum, corpori animali organis rite prædito animam esse conjungendam, nec Moses, cujus scopo parum aut nihil istud proderat, necesse habuit hoc rursus docere. Pari modo Deus, animantibus die hoc quinto creatis, « benedixit eis, dicens : Crescite et multiplicamini et replete aquas maris, avesque multiplicentur super terram, »

(1) Vel, *contra firmamentum cœli*.

(2) *Exod.* cap. XXXII.

vers. 22. Verum hanc benedictionem super animantia superioris ordinis die sexto repetitam non legimus : tantum super hominem ipsa profertur. Tamen animalia quoque, die sexto producta, crescere seu filios generare et multiplicari et replere terram debebant. Sed jam quinto die toti brutorum familiæ benedictio fuerat tributa; quia quum quibusdam classibus et ordinibus data est, ad cæteros quoque ordines et classes extendebatur, uti ea quæ primis certæ speciei individuis data fuit, totam speciem comprehendit. Ita S. Thomas (1) : « Benedictio Dei dat virtutem multiplicandi per generationem. Et ideo quod positum est in avibus et piscibus, quæ primo occurrunt, non fuit necessarium repeti in terrenis animalibus, sed intelligitur. » Docet idem, individua quæ « nunc generantur, præextitisse in operibus sex dierum non solum materialiter (quoad materiam corporum), sed etiam causaliter, in primis individuis suarum specierum (2). »

LXIII. Cur Deus animantibus dicit : « Crescite et multiplicamini... » quod non dixerat stirpibus, quanquam et ipsæ generari, multiplicari et replere terram deberent? Hæc videtur ratio. Nil imperandum erat plantis; nam cum eæ cognitione omni et facultate volitionis, etiam instinctivæ, sint destitutæ, nequeunt conservationi propriæ aut propagationi speciei active cooperari. Moleculæ materiales plantarum legibus obediunt Creatoris, per quas tum individua vivunt et crescunt, tum species propagantur; verum plantæ ipsæ, in quibus hæ moleculares operationes peraguntur, ipsis cooperari nequeunt. Ait S. Thomas (3) : « Plantæ nullum habent propagandæ prolis affectum, et sine ullo sensu generant, unde indignæ indicatæ sunt benedictionis verbis. » Brutis vero divinum præceptum conveniebat; quæ, quamvis Deum non norint, et ratione reflexisque notionibus careant, sentiunt tamen leges suæ volitivæ facultati a divina Providentia impositas (uti calorem solarem sentiunt et vident corpora a sole illuminata, etiam ii qui solem non vident, aut solem esse nesciunt), internoque stimulo, fame, siti aliisque hujusmodi ad illas leges explendas impelluntur; tum et instinctiva voluntate et corporis aut membrorum motu, divini præcepti executioni active cooperantur : quod machinæ nullæ, quantumvis exquisitissimo planeque divino magisterio efformatæ, unquam præstabunt. Homines præterea imperant cicuribus animalibus, et sæpe obtinent ut ea voluntatem propriam acceptis imperiis accommodent, quod certe a plantis nemo ausit exspectare. Nolim sacræ Scripturæ verbis quæstiones definire, quas divina sapientia disputationi hominum reliquit. Attamen liceat animadvertere, hos versus 21 et 22 magis favere opinoni, cui et ratio suffragari videtur, nempe brutorum animas esse substantias immateriales a Deo creatas, quam opinioni arbitrantium vel animalia esse machinas sine sensu, vel eorum animam, quamvis sentientem et instinctive volentem, materiam esse, aut materiæ modum aut formam nescio quam substantialem, quæ nec substantia sit, nec substantiæ modus. Quod vero maxime mirandum est, animantia huic præcepto : « Crescite et multiplicamini, » sollicite obediunt : vitam et incolumitatem omni studio conservare nituntur, atque ea quæ ad vitam necessaria sunt, sibi comparare; nec de ipsis dicitur, quod de multis hominibus, præsertim apud cultiores gentes, quod nempe « tædio vitæ, lucemque perosi projecere animas (4). » Nec minus mirabilis est ille, qui in animantibus, statis temporibus, manifestatur generationis instinctus, et amor in filios, ex quo tanta erga ipsa ova sollicitudo ac cura dimanat in illis quoque speciebus, quæ ea fovere necesse non habent, tum et in illis, in quibus matres visuræ non sunt eos filios, quibus habitationem et victum tam sollicite præparant; quod in multis evenit insectis. Profecto hujusmodi instinctus, regni animalis conservationi et propagationi tanta sapientia accommodati, luculentissimum sunt potentiæ, sapientiæ providentiæque divinæ testimonium.

LXIV. Voces illæ vers. 21, *juxta speciem suam* (seu *in species suas*, ut habet Vulgata), inculcare videntur, Deum *species* creasse, id est omne quod generationi et propagationi animalium erat necessarium, ac proinde utrumque sexum produxisse. Cum enim viventia faceret, moritura faciebat; sine utroque autem sexu nec vera species extitisset, nec individua super terram multiplicari aut aquas maris replere potuissent. Unus tantum e bino sexu in hac rerum ordinatione fœcundus non est; non igitur conveniebat fini a Creatore intento, *nec erat bonum, illum esse solum*. « Mentionem fecit de genere et specie, ut designaret generationem similium ex similibus. » Ita S. Thomas (5). Hæc animadversio applicatur et his quæ habentur vers. 24, 25.

Dum dicitur (vers. 20) : *Producant aquæ* (vel *scateant aquæ*), uti infra, vers. 24, *producat terra*, et vers. 11, *germinet terra*, nemo sane cogitat, terram aut aquas, quamvis ex Dei imperio, artifices animalium aut plantarum fuisse, verosque eorum parentes. Intelligenda sunt ea verba de loco ubi hæc existere cœperunt, ac si diceret : « Producantur in aquis, producantur in terra. » Nihilominus, quanquam neque de aquis vers. 20, neque de terra vers. 24 expresse dicatur, fuisse hæc materiem ex qua animantium corpora coagmentata sunt, credendum tamen est, ex materia ibi degente ea fuisse conficta, nempe aquatilia

(1) I part., *Quæst.* LXXII, art. 4.
(2) I part., *Quæst.* LXXIII, art. 3.
(3) I part., *Quæst.* LXXII, ad 4.
(4) Virgil., *Æneid.* VI.
(5) I part., *Quæst.* LXXII, ad 3.

ex aqua et ex materiis in ipsa aqua, aut in limo terrave aquis subjacente, existentibus ; terrestria vero sexti diei e terra (ex qua etiam hominis corpus factum novimus), non quidem ex illa pura et elementari terra, quæ veterum fuit figmentum, neque ex aliqua *terrarum*, quas chymica recenset, ut puta ex calce; sed ex ordinaria ac vulgari terra, quæ semper est ex pluribus heterogeneis et compositis substantiis commixtio. At quid de volatilibus hac die factis dicemus? « Producant aquæ reptile... et volatile super terram sub firmamento cœli. » Ita Vulgatus, vers. 20, cum Septuaginta. Et Onkelos : « Et volatile *quod* volat... » illud *quod* dicunt in Hebræo, uti alibi, subintelligi. Verum nullum de hoc indicium est in originali textu, nec in aliis versionibus, ut puta in syra aut in samaritana. Nec adparet cur volatilia, illa quoque quæ nullam cum aquis relationem habent, cur denique *aves cœli* in aquis factæ sint, et ex aquis exierint (pennis utique udis) ut *volarent super terram*. In Vulgata ipsa legimus cap. II, vers. 19 : « Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ et universis volatilibus cœli..» Licet ultima verba referri possint ad illud *formatis*, et non ad aliud *de humo*, fatendum tamen est, hunc locum iis, qui volatilia orta volunt ex aqua, parum favere. Favet his apocryphus lib. IV *Esdr.* cap. VI, vers. 47 : sed hujusmodi testimonium opinionis antiquitatem solummodo probat.

Augustinus non dubitabat Scripturam docere, ex aquis producta volatilia uti aquatilia ; id tamen ita explicat (1) : « Quidquid aquarum sive labiliter undosum et fluidum est, sive vaporabiliter tenuatum atque suspensum, ut illud reptilibus animarum vivarum, hoc volatilibus appareat distributum. » Idem sentiunt Rupertus (2), et S. Thomas (3). Idem valet hoc ac si dicerent, volatilia non in mari aut in aqua proprie dicta, sed in humido aere formata fuisse.

Quæ de plantis dicebam § 50, et hic de animantibus essent repetenda. Quoniam vero illa omnia, nonnullis tantum mutatis verbis transcribere piget, auctor lectori sum ut illa, si placet, iterum legat et ad rem præsentem applicet.

LXV. Ut melius opus hujus diei intelligamus, aut saltem certa a dubiis secernamus, quædam sunt accuratius animadvertenda. Et primo, qua ratione apud Hebræos in classes animalia distribuerentur, debet nobis esse perspectum. Simplicissima omnium partitio adeoque antiquissima in quatuor omnino classes animantes tribuebat, prætermissis inferioribus familiis, quæ sunt locomotionis expertes : *primo*, in ambulantes, seu quadrupedes בְּהֵמָה ; *secundo*, in volantes, seu alatos עוֹף ; *tertio*, in repentes seu reptiles רֶמֶשׂ ; *quarto*, in pisces, seu natantes דָּג. Hæc distributio a Mose indicatur versu 26 hujus cap. et cap. IX, 2, nec non *Lev.* XI, 46, et *Deut.* IV, 17, 18. Hinc de Salomone, zoologorum vetustissimo, legimus, III *Reg.* IV, 33, quod *disseruit de jumentis* (quadrupedibus), *et volucribus, et reptilibus, et piscibus*. Revera homo ex locomotionis facultate qua bruta gaudent, ea primum a plantis discernit, multoque serius animadvertit, quasdam existere creaturas quæ, quamvis locomotione careant, aliquo tamen spontaneo motu sensuque præditæ esse videntur. Sed primo statim obtutu advertit, quod, ut Tullii verbis loquar, « alia animalia gradiendo, alia serpendo ad pastum accedunt, alia volando, alia nando (4). » Hinc simplex illa distributio.

Litophyta (quæ apud recentiores constituunt eam classem quam *polyporum* vocant (5), nec formas nec locomotionem animalium ostendentia, nunquam a veteribus inter animalia collocata sunt; nec quando illi de animalibus loquuntur, de istis censendi sunt loqui. Revera si animalis nomine intelligebant creaturam locomotionis facultate pollentem, organisque ad eam exercendam aptis instructam, et forma plus minusve ad magis nota animalia accedentem, sane litophyta inter animalia ponenda non erant. Neque modo essent in animali regno collocanda, uti nec alia viventia quæ continentur in ultima hujus regni divisione quam *radiantium* seu *zoophytorum* vocant, si verum esset quod docet Lamarkius, nullam in hujusmodi creaturis esse sensitivam facultatem, sed omnino eas *apathas* existere. Animalia non sunt, juxta S. Thomam, quæ « carent locali motu et sensu, quibus animatum ab inanimato maxime distinguitur, » et in quibus ipsa « vita est occulta » (6). De his non loquitur Moses, neque zoophyta poni possunt inter *reptilia* aut *cete* aut inter *volatilia*. Idem S. Thomas ait, Mosen non loqui de mineralibus, quia hæc « non habent manifestam distinctionem a terra (7). » Ita de zoophytis ipse nunc diceret, quia manifestam a plantis distinctionem non habent. Igitur si demonstraretur a geologis, quasdam species ex hac classe, seu potius provincia, ante hanc diem productas fuisse, nihil inde profecto contra sacram historiam deduci posset.

Nunquam de animali in genere in hac narratione meminit Moses. Quare dicere possumus, formationem eorum animalium quæ ad classes quinto et sexto die indicatas non referuntur, quæ nimirum nec volatilia sunt, nec repentia, nec natantia (*anima vivens atque motabilis*), nec pedibus gradientia (8), ipsum omnino silentio præteriisse.

(1) *De Genes. ad litt.*, lib. III, cap. III.
(2) *De Oper. Trinit.* lib. I, cap. L.
(3) I part., *Quæst.* LXXI, ad 3

(4) *De Natura Deorum*, II.
(5) Quæ infima est. « Infima animalia parum distant a plantis. » S. Thom. *Summa*, part., Quæst. CVIII, art. 6.
(6) I part., *Quæst.* LIX, art. 2, ad 1.
(7) Loc. cit., ad 3.
(8) « De conchyliis mollibus sine testa et zoophytis nil, aut fere, in Scripturis : nihil omnino in historia creationis. » Verba sunt, ni memoria me fallit, Sam. Bochart.

Prætèrea, ut audivimus § 55, a S. Thoma, « Moses ea tantum proposuit, quæ in manifesto adparent.» Igitur non absurde aliquis diceret, eum tacere de innumeris illis animalculis microscopis, quæ fossilia reperiuntur, ut tacet de corporibus illis mineralibus, quorum non parvam partem ipsa constituunt. Idem dici potest fortasse de *trilobitis*, qui licet familiam unam olim constituerint in classe crustaceorum, tamen certe non sunt inter ea, « quæ in manifesto adparent. » Nam eorum antiqua existentia non modo Hebræis ignota erat, sed etiam naturalis historiæ cultoribus veteribus atque recentibus, usque ad hæc novissima tempora, in quibus jam petrefacti e terrenis effossi sunt atque accurate inspecti; nec nisi post multam disquisitionem de iis factam compertum, ad crustacea eos pertinere, nec pedibus caruisse, quamvis ii fere nunquam reperiantur. Si casu aliquo nonnulla ex his petrefactis animalculis veterum oculis sese offerebant, illa, ut puto, corpora esse inorganica, et naturæ, ut dicitur, ludentis opus, existimabant. Quare si quis probaret, hos trilobitos, vel quædam microscopica animalcula ante emersionem terrarum adeoque ante quintam et etiam ante quartam periodum extitisse, non esset hæc valida objectio contra Mosis historiam. Commentarium potius esset demonstrans, inter animalia hujus diei creaturas illas non comprehendi, quæ revera nec reptilia sunt, saltem proprio sensu, nec pisces, nec cete, nec volatilia. Idem fortasse dici potest de quibusdam conchis omnino aut fere locali motu carentibus, quæ inter antiquiora fossilia una cum illis crustaceis reperiuntur.

Pisces proprio nomine *dag* hic non memorantur, licet hac voce sæpe utantur Hebræi scriptores et ipse Moses, *Gen.* IX, 2, *Exod.* VII, 18. Imo et in hoc ipso capite vers. 26, 28, ubi et pisces a Deo creatos evidentissime supponit. Sed hoc loco præferendam duxit vocem *sherets*, quæ interpretatur *reptile*, fortasse quia potestatem magis extensam habet; hæc vero vox, quæ a *copia* et *fœcunda propagatione* derivata dicitur (1), aptior videtur aquatilibus denotandis quam altera *remesh*, quæ a *calcando* terram deducta est, et qua terrestria reptilia Moses indicat vers. 24, 25. Vox *sherets* hoc loco indicat pisces et reptilia aquatica seu amphibia, et probabiliter cætera aquatilia, quæ non sunt minimæ molis et motu locali gaudent. Huic classi *sherets* adnumerat Moses in *Lev.* et insecta alis prædita, veluti locustas, muscas et papiliones, et minima quadrupedum, quæ parum e terra elevantur, cujusmodi sunt talpæ, mustelæ, mures (2), etc., quamvis sint animalia vivipara atque mammalia (nam quadrupedes ovipari et modo inter reptilia adnumerantur ut rana, testudo, lacerta, etc.). Igitur ex his omnibus animalibus, ea quæ vel aquatilia sunt vel amphibia, hoc loco putari possunt comprehendi illa voce *sherets*. Inter hæc sunt et *thanninim, cete grandia*, quo nomine non modo classis cetaceorum (quæ pisces non sunt sensu zoologorum, at sunt vulgari sensu et antiquorum), sed et alia majora aquatilia comprehenduntur, sive sint pisces proprie dicti, sive reptiles aquatici vel amphibii. Aliud nomen *hoph*, a simili verbo *houph* (volavit), non tantum aves, sed quævis designat volatilia. In hoc loco intelligenda videntur, non tantum aves, sed volantia quoque reptilia, et fortasse insecta volantia non minimæ molis. Septem vel octo species ex genere *pterodactyli* (erant hi reptilia volantia) antiquis in stratis fossiliferis jam sunt detectæ.

LXVI. In mari animalem vitam incœpisse, ex observatione deducitur § 18. Id Scriptura confirmare videtur; prius enim de aquatilibus loquitur, et de animantibus in aqua productis : de cæteris postea. At quænam inter aquatilia præcesserint, Scriptura tacet. Zoophyta aliis animalibus præcessisse ex analogia probabile videtur : id tamen nondum observatio confirmavit, quamvis jam certum habeatur ea inter prima fuisse. Videntur antiquum mare habitasse per aliquod tempus solum zoophyta et quædam testaceorum species, ac trilobiti qui tunc, ut videtur, perfectissimam regni animalis familiam constituebant, et maxime præ cæteris aquæ incolis, locomotionis vi per id tempus pollebant (3). Postea adparuisse videntur quidam pisces, qui omnes fortasse ex illis erant, quos nunc *sauroides* appellant, ob similitudinem quam cum lacertis, et aliis hujuscemodi reptilibus præ se ferebant : postea ipsi marini reptiles, *sauriani* appellati, et quædam microscopica conchylia, quæ aquæ dulcis incolæ fuisse creduntur : post hos volatilium prima indicia reperimus, reptilia nempe volantia, et insecta quædam (4), quæ duæ familiæ, volantium reptilium dico et antiquiorum insectorum probabiliter prima volatilia fuere. Pertinent quoque ad hanc periodum nonnulli pisces, qui aquam dulcem videntur inhabitasse : pertinent et quidam *sauriani* non omnino aquatiles, sed probabiliter amphibii, testudinesque tum marinæ tum fluviatiles, etc. Circa finem vero hujus periodi minus raræ sunt avium exuviæ; atque omnium antiquissimæ eæ familiæ videntur, quæ aquas et ripas colunt. Fortasse et aliquod perrarum et parvum mammiferum ad hanc periodum revocandum est, sed probabiliter aquatile (§ 18) : nuper autem diximus, parvos quadrupedes ab Hebræis inter

ti. Etiam plantarum aquatilium nulla est mentio in historia creationis.

(1) « Hebræi reptilibus adscribunt insecta omnia, et minima quadrupedum, puta mures, talpas, mustelas, hericios, et si quæ sunt alia hujus generis. » Bochartus, *Hierozoic.* part. I, lib. I, cap. IV, IX.

(2) *Levit.* XI, 20, 21, 23, 29, 42, 44 (hebr.).

(3) *Lords of the earth* eos fuisse ait James Dana in opere *Geology of New-York*, p. 10.

(4) Ex. gr. magnæ *libellulæ*.

reptilia collocari. Ad extremam hujus periòdi partem credibile est pertinere prima *cetacia*: existimare quoque possumus voce *thanninim* etiam ingentes illos *saurianos* indicari, in quibus cetaceorum, reptilium ac piscium conjunctæ notæ similitudinesque pervidentur.

Hæc dies, ut indicavi, ex geologicis doctrinis longissima periodus fuisse putanda est. Catastrophen quamdam telluris eam præcessisse, aliamque majorem subsecutam esse, omnino est verisimile. Utraque, si per multas diffusa est terræ partes, potuit pluribus in locis cœlo tenebras offundere, ac super faciem totius telluris, aut fere totius, obscuritatem inducere (§ 18).

Ad hæc inter primam extremamque catastrophen plures aliæ extitisse videntur, sed minori fortasse spatio contentæ. Quapropter facies telluris et maris pluries immutata fuit, terrena sæpe elevata sunt, factæque ex æquore terræ; et contra, ea loca ubi fuerat solidissima tellus, aquæ occuparunt. Interim lutulentæ eruptiones e maris fundo profectæ aquas late turbabant, et non modo innumera individua, sed plures species fortasse, imo et integra viventium genera, destruebant: immensa congeries vegetabilium substantiarum in imo recondebatur mari, et in futuros usus nascituri generis humani reservabatur: tandem antiquæ illæ telluris perturbationes et aquarum nobis fontes parabant ac metalla, ipsumque carbonem sic disponebant ac collocabant, ut ea facile et reperiri et erui possent. Atque inter hæc, exsequutio divini mandati vers. 20 procedebat, et aquatilium ac volatilium novæ species in dies prodibant; *scatebant aquæ* animantibus, *et volabat volatile super faciem terræ* et maris. Potuerunt eæ telluris perturbationes quas indicavimus, parvas aliquas modificationes in viventium corpora inducere; verum successivis hujuscemodi ac naturalibus immutationibus nullo pacto explicantur abruptæ illæ subitæque ac magnæ diversitates, quæ in multorum animalium sibi succedentium organisatione pervidemus; sed novarum omnino specierum creationem admittere cogimur. Secus indicia aliqua harum transformationum, transitiones nempe inter priores ejusdem animalis ac secundas formas, in terrestribus stratis reperirentur.

LXVII. Animale regnum vegetali antiquius nonnulli putarunt. Alii dicunt naturæ testimonio non definiri, utrum alteri præcesserit, an vegetale regnum, an vero animale. Quod ad ultimum hoc objectum pertinet, sane nihil ex eo contra explicationem nostram, multoque minus contra Scripturæ veritatem consequitur. Nam satis est quod natura contrarium non demonstret; nec illud exigere debemus, ut omnia quæcumque Moses innuit, scientia physicorum demonstret; eaque præsertim scientia, quæ vix adolescens dici possit, cujusmodi sane est geologia positiva. Contrarium certe ipsa non demonstravit. Qui vero anteriora putarunt animalia, terrena quædam pro se citabant antiquiora terreno carbonico, in quibus tamen animalium reliquiæ nonnullæ inveniuntur. Verum in aliquibus ex illis terrenis etiam vegetabiles exsuviæ repertæ sunt; in cæteris autem, cum primis illis, præsertim quoad animales reliquias, sint valde similia, probabile summopere est fore ut, diligentiori adhibito studio, vegetantium quoque reliquiæ detegantur. Præterea istiusmodi terrenis semper recentius esse terrenum carbonicum, minime certum est: imo contrarium aliquando est animadversum (1). Si vero physicas rationes attendimus, magna illa acidi carbonici copia quæ, ut magnopere verisimile est, in prima vegetationis periodo aeri sese late permiscebat, magno animalium vitæ fuisset impedimento, saltem illorum quæ liberum aerem respirant, cujusmodi sunt non modo aves et mammalia, sed etiam reptilia, cetacea, nec non libellulæ et similia insecta. Ex analogia quoque vegetale regnum antiquius habendum videtur, utpote quod regno alteri animantium inservit, et simplicius est. Porro quo antiquiora sunt fossilifera terrena, eo simpliciores formas nobis naturæ organicæ exhibent. Nonne igitur contrarium analogiæ esset, si regno animali vegetale posterius esset, quod simpliciores adeo formas habet? Saltem evidens est, quæ animalia directe vel indirecte alimenta a vegetantibus accipiunt, ea non ante edita in lucem fuisse, quam vegetalia, quæ ipsis erant in escam destinata, existerent, satisque crevissent ac fuissent multiplicata. Si ex iis quæ observamus ratiocinium instituimus, sane immensa illa copia exsuviarum vegetabilium, quibus abundant antiquiora strata fossilifera et divitias augent opulentiorum gentium, si cum relativa animalium fossilium paucitate comparetur, nos pene cogit ut concludamus, plantas jam per longum temporis intervallum exstitisse, et valde super terram fuisse multiplicatas, quando animalia in lucem edita sunt et multiplicari cœperunt; præsertim si meminerimus amplissimum quidem aquatilibus animantibus in mari spatium eo tempore fuisse, sed non valde extensum terrestribus plantis, quarum locus in parvarum insularum superficie coarctabatur. Maxime vero advertendum puto, *primo*, strata illa, quæ nobis objiciuntur, in mari formata fuisse, ex quo marinos illa fœtus facilius ostendunt, terrenos vero rariores contineant necesse est, præsertim iis in locis, quæ longe tunc ab insulis dissita, marina sedimenta receperunt; *secundo*, magnam vegetabilium substantiarum copiam non nisi fortuito sub aquis sepeliri, et præterea plerasque ex his substantiis, nisi cito terris obruantur, facile in aquis corrumpi.

(1) Unum ex hisce terrenis est illud quod Angli vocant *mountain limestone*. Al. Veaver in Hibernia vidit hoc *mountain limestone* superius terreno quod tanquam *carbonicum* habetur.

LXVIII. Illi vero qui asserunt, « vegetabilem naturam et animalem uno tempore adparuisse, » nec nobis contradicunt neque Scripturæ, si intelligant, quando imperfectiora vegetabilia adparebant, tunc editas fuisse et infimas regni animalis creaturas, scil. zoophyta (§ 65). Nec forte Mosi adversaretur, qui crederet paucas quasdam easque deperditas testaceorum species, familiamque et ipsam deperditam *Trilobitorum*, antiquitate plantis non esse minores. Non enim historiam singularum specierum aut generum singillatim, sed supremas viventium classes, generali quadam ratione indicat Moses, et « ea tantum proponit, quæ in manifesto adparent. » Tertia die fecit Deus regnum vegetantium; quinta classem *reptilium* aquatilium, quæ pisces comprehendit, et volatilium : nantia nimirum atque volantia; sexta demum die repentia et gradientia super terram. De quibusdam exceptionibus, si fuit iis locus, non est ille sollicitus, nec, ut esset, necessitate ulla urgebatur. Adeoque si ante quintam aut ante quartam diem paucæ quædam (quæ a longo tempore vivere desierunt) species imperfectiorum animantium ortæ sunt, nulla tamen eas specie ex provincia principe, nempe ex quatuor vertebratorum classibus, comitante; esset ne minus verum, eas classes, de quibus Moses sermonem habet, die quinta et sexta fuisse creatas? Eritne falsum effatum Marcelli de Serres : « Ex factis physicis, æque ac ex historia Geneseos adparet, vitam super terram cœpisse a viventium simplicissimis, et plantas non modo primitus abundasse magis quam animalia, verum illas plantarum species quæ vivebant in *arida*, longe ante maximam partem animantium, quæ ibi vivunt, adparuisse (1)? » Mentiturne Moses nec vera dicit, quum tribuit aut formationem regni vegetalis tertiæ diei, aut aquatilium et volatilium quintæ, si quædam species et genera plantarum nonnisi tribus diebus posterioribus in lucem edita sunt § 50, aut quædam ex aquatilibus et volatilibus nonnisi sexta die? Quod magis tolerandum videtur; quia si Augustini doctrinam de creatione *causali, potentiali et invisibili* (2) ex parte amplectimur, seu potius, si inter illius doctrinam et communem media quadam via incedimus, jure dicere possumus, Deum quum *visibiliter* natantium et volitantium classes crearet, earumque primogenita actu produceret, creasse simul *invisibiliter, seminaliter et secundum potentiam* genera et species earum classium quæ in sequenti periodo existere debebant. De verbis Dei ad protoparentes vers. 28, 29 : *Crescite*... ait Augustinus (3) : « Ipse sermo ejus ante omnem aeris sonum, ante omnem carnis et nubis vocem, in illa summa ejus sapientia, per quam facta sunt, non quasi humanis auribus instrepebat, sed rebus factis rerum faciendarum causas inserebat, et omnipotenti potentia futura faciebat, hominemque suo tempore formandum in temporum tanquam semine vel tanquam radice condebat, quando condebat omne unde inciperent sæcula ab illo condita, qui est ante sæcula. » Hæc neque defendere audeo neque reprehendere; sed certe minus ille reprehendendus videretur, qui verba Dei ad animalia vers. 22 : *Crescite*, etc., putaret quidem esse legem inditam illis brutorum classibus, quæ visibiliter condebantur, verum, quemadmodum ea lex indicta est non modo individuis primis jam existentibus, sed et iis quæ erant suo tempore superventura, et unicuique speciei cujus singula illa individuam quasi personam officiumque sustinebant : ita indictam quoque esse integris classibus, ad quas prima animalia actu condita pertinebant, per quæ classes universæ Creatoris oculis exhibebantur : species vero *suo tempori formandas* tunc, tanquam in semine vel in radice, conditas esse.

Revera, si Deus, dum regnum vegetantium ad existentiam vocabat die tertia, et plures classes regni animalis die quinta, quarumdam familiarum vel generum vel specierum formationem voluit in aliud tempus dilatam, tenebaturne Moses has omnes exceptiones ac dilationes referre? Hoc fuisset palæontologiæ tractationem quamdam conscribere. Ille autem non fuerat a Deo missus, ut nostræ curiositati faceret satis, sed ut Israelitas a captivitate Ægypti liberaret, eosque Dei legem et cultum edoceret.

LXIX. Neque nobis, ni fallor, negotium facere debet, quod legamus vers. 21, creasse Deum *omne* animal vivens ac repens, et *omne* volatile. Vox hebræa כֹּל redditur quidem *omnis, universus;* verum adnotarunt interpretes, aliquando *multos* tantummodo significare. E. g. cap. XLI *Gen.* vers. 54, 56, et cap. XLIII, vers. 1, legimus, « in universo (col) orbe famem prævaluisse, et crescere famem in omni (col) terra, » quod certe de toto orbe tunc cognito non est intelligendum; nam in Ægypto frumenti caritas non erat, ingens imo vilitas. *Exod.* IX, 3, prædicitur : « Erit manus Domini in pecudibus tuis quæ in agro, super equos, et asinos, et camelos, et boves, et oves. » Et vers. 6 legimus : « Et mortuum est *omne* (*col*) pecus Ægypti, » seu, ut ait Vulgata, *omnia animantia Ægyptiorum*. Et tamen postea prædicitur, vers. 9 : « Erunt in hominibus et jumentis ulcera et vesicæ turgentes in universa terra Ægypti, » quod impletum esse narratur vers. 10. Et postea, vers. 19 et seqq., ait Moses Pharaoni : « Congrega jumenta tua, et omnia quæ habes in agro : homines enim et jumenta, et universa quæ inventa fuerint foras nec congregata de agris, ceciderit-que super ea grando, morientur. Qui timuit verbum Domini de servis Pharaonis, fecit confugere

(1) Op. cit., p. 161.

(2) Augustinum hæc docere non modo de stirpibus, sed et de bestiis et de ipso homine, certum est. Sufficit legere cap. V lib. V, et cap. IV, V, VI, lib. VI *De Genes. ad lit.*

(3) *Ibid.* cap. VII.

servos suos et jumenta in domos... et percussit grando in omni terra Ægypti ab homine usque ad jumentum.» Legitur *Gen.* XXIV, 10 (hebr.), servum Abrahami portasse secum omnia bona domini sui, quod est, ut bene reddit Vulgata, *de omnibus bonis ejus.*

Si omnino omne שרץ factum est die quinta, ergo exstiterunt etiam talpæ, mures, surices, mostelæ, hericii, et alia hujusmodi; nam et hæc animalia inter *sherets* a Mose *Lev.* XI enumerantur, atque etiam die sexta iterum ea facta dicenda essent; hac enim die (vers. 25) fecit Deus tum חיה seu feras, tum בהמה, qua voce significari potest quicumque terrestris quadrupes viviparus, tum demum רמש quod (a calcando terram) interpretatur *reptile terrestre.* Sed vox ista extenditur ad quodcumque animal terrestre, quod quadrupes aliquantæ molis vel avis non sit. Ergo ut hæc evitetur absurditas, quod aliquid bis creatum dicamus, non latissima qua patent significatione verba Mosis interpretemur necesse est. Videtur igitur non constare ex Mose, utrum eorum animalium formatio quintæ diei, an vero sextæ sit referenda; adeoque sive inveniant geologi ea exstitisse quinta periodo, vel non ante sextam; sive probare tandem possint, quædam ex illis adparuisse periodo quinta, quædam vero sexta; nunquam erunt hæc contra Genesim. Dum legimus, hominem dominaturum « omni reptili quod movetur in terra, vers. 26, universis animantibus quæ moventur super terram, vers. 28, Deum dedisse nobis omnem herbam afferentem semen super terram, et universa ligna quæ habent sementem, ut sint nobis in escam, vers. 29, et cunctis animantibus terræ, omnique volucri,» vers. 30, non puto nos ad hoc teneri, ut semper voces *omnem, universos, cuncta,* amplissima significatione accipiamus.

LXX. S. Thomas (1) docet, quod « animalia quæ generantur ex corruptione animalium, tunc (die quinta et sexta) non potuerunt produci, nisi potentialiter tantum. » Et sequenti *Quæst.* (2) addit : « Species novæ, si quæ apparent, præexstiterunt (in operibus sex dierum) in quibusdam activis virtutibus, sicut et animalia ex putrefactione generata, producuntur ex virtutibus stellarum et elementorum, quam a principio acceperunt, etiamsi novæ species talium animalium producantur... quædam vero præcesserunt secundum similitudinem, sicut animæ quæ nunc creantur. » Neque hæ doctrinæ ipsi peculiares, sed communes erant peripateticæ scholæ, quæ per plura floruit sæcula. Ita Petrus Lombardus (3) : Potest dici, quod ea quæ de corporibus « animalium maxime mortuorum nascuntur, cum animalibus creata non fuerint, nisi potentialiter et materialiter. » Etiam S. Bonaventura (4) dicit, illa fuisse « producta in suis principiis et rationibus seminalibus. » Et Cornelius a Lapide (5) : « Minuta animalia quæ ex sudore, exhalatione aut putrefactione nascuntur, uti pulices, mures aliique vermiculi, non fuerunt hoc sexto die creata formaliter, sed potentialiter, et quasi seminali ratione; quia scilicet illa animalia hoc die creata sunt, ex quorum certa affectione hæc naturaliter erant exoritura... Certe pulices et similes vermes qui in hominibus sunt, tunc creari, contrarium esse felicissimo innocentiæ statui. » Nemo ignorat, obsoletam esse hujusmodi doctrinam, quæ tam multa animalia, et quædam etiam superioris classis, ut sunt mures, ex putrefactione oriri defendit : tamen hæc attuli, ut ostenderem, non absurdum visum esse piis viris ac doctis, quod quædam animalia extra hos dies primum edita fuisse dicantur. Et sane, si quædam infima animalia, ut puta quædam intestinalia, ex aliqua modificatione materiæ animalis, secundum leges Dei, nascuntur; illis profecto hæc est doctrina applicanda. Item, si ovula sunt quæ non evolvantur et producant animal seipsum movens; nisi in alterius animalis corpore, et in circumstantiis peculiaribus morbidisque, et forsan in animalibus a statu servitutis et domesticitatis modificatis (6), aut in iis substantiis, quæ e plantis extrahuntur, et aliquando arte humana elaborantur; hæc animalcula potuerunt illis *diebus* fieri quasi *seminali ratione,* id est solummodo in statu seminis sive ovuli.

Quoad intestinalia seu *entozoa,* animadverte. In plerisque sunt organa reproductionis : desunt in his quæ appellantur *vermes vesiculosi.* Clarus professor Lovaniensis Van Beneden pluribus et accuratissimis observationibus demonstravit hujusmodi vermes non esse animalia in statu perfecto, sed statum primum entozoi, quod nondum pervenit ad ultimum perfectumque statum, ad quem sæpe pervenire nequit, nisi in corpore animalis alterius speciei; quæ translocatio tunc fit, quum animal quod parasitum hunc veluti hospitio receperat, ab alio voratur, puta piscis ab ave aquatili sive a pisce majori : tunc parasitus, si vivus manet, nova organa acquirit, perfectumque statum, in quo tantummodo prolem procreandi capax est. Experimenta clari Knechenmeister hæc confirmant. Igitur vermes illi non magis ex *spontanea* generatione oriuntur, quam bruchus seu larva, quæ oritur ex ovo papilionis.

Fere supervacaneum est admonere, etiam quinta die (uti et in sexta) quamdam *commixtionem* præcessisse, materiæ scilicet corporibus animalium

(1) I part., *Quæst.* LXXII, ad 5.
(2) I part., *Quæst.* LXXIII, art. 1, ad 3.
(3) Lib. II *Sent.,* dist. XV.
(4) In II *Sent.,* dist XV, Quæst. III.
(5) In cap. I *Genes.* vers. 24.
(6) Affirmat Blumenbach, in carne suis domestici reperiri certum quemdam vermem intestinalem, qui nunquam in apro reperitur. Vocatur *Hydatis sinna.* Malpighius animalem hujus speciei naturam demonstravit.

efformandis præordinatæ cum alia inanimi materia, cui successit *divisio, aperitio et partus primogenitorum*, dum aquæ et terræ aperiebantur, et primogenita variarum specierum regni animalis in lucem edebant. Hanc periodum probabile est magna catastrophe, terras aliquas e mari elevante et cœlum obnubilante, cœpisse, similique et vero majori terrarum marisque commotione fuisse terminatam, quæ plurima viventia extinxit, terræ faciem mutavit, et pariter cœlum potuit per aliquod tempus obtenebrare.

Nunc ad maximum terræ partum inspiciendum accedamus, quo terram ipsam Creatoris imperantis vox, non modo perfectiorum brutorum exortu, sed et primogeniti humanæ familiæ præsentia nobilitavit.

DE OPERE SEXTÆ DIEI ET DE SEPTIMA DIE.

(A vers. 21 — ad fin. cap.)

LXXI. Duo sunt opera sexti diei. Primum est formatio quadrupedum seu brutorum magis perfectorum, et reptilium terrestrium: alterum vero ac longe præstantius, hominis creatio. Ac de primo quidem pauca supersunt quæ afferamus, post ea quæ disputavimus §§ 50, 62, 63, 64, 66, 68, 69, 70.

Dixit Deus : Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta (*behema* jumentum, animal domesticum) *et reptilia* (*remes* reptile) *et bestias* (*chaj-ja* feram) *terræ secundum species suas. Factumque est ita.* Vox *behema* nonnunquam generatim pro terrestri quadrupede usurpatur, aliquando pro quadrupede terrestri non minimæ molis ; verum quum opponitur nomini *chaj-ja*, uti hic fit, interpretari solet *jumentum*, quo nomine animal domesticum intelligimus : *chaj-ja* vero interpretatur fera seu animal sylvestre. Nonnulli malunt primum nomen reddere *animal herbivorum* seu *phytophagum*, et secundum, *carnivorum*. Et sane, ante hominis creationem nulla erant animalia domestica ; præterea distinctio hæc inter domesticum et sylvestre animal, magna ex parte, accidentalis est. Nam etiam nunc species omnino eadem, e. g. sus, ad utramque classem pertinet. Et species africanæ generis *equi* essent, credo, domesticæ et utiles, uti sunt *equus caballus* et *equus asinus*, si homines operam ad hoc dedissent ut illas quoque in servitutem redigerent. Contra fidissimus hominis socius, canis, in ferarum ordine computatur; et sibi relictus, saltem post quasdam generationes, ad ferarum redit naturam, atque se lupo congenerem, uti est, ostendit. S. Thomas (1) putat hic « per bestias intelligi animalia sæva, ut ursi et leones, » non vero mitia, ut « cervi et capreæ. » Addit, « per reptilia vero animalia, quæ vel non habent pedes, quibus eleventur a terra, ut serpentes, vel habent breves, quibus parum elevantur, ut lacertæ et formicæ. » Revera, ut dixi, *remes* apud Hebræos denotare videtur quodvis animal, quod neque quadrupes aliquantæ molis, neque avis, neque piscis sit. Hic excluduntur illa, quæ quinta die facta fuere.

(1) I part., *Quæst.* LXXII, ad 2.

Prima pars hujus periodi, in qua bruta animalia tantummodo facta dicuntur, satis longo tempore comprehensa fuisse videtur. Utrumque regnum, vegetale inquam atque animale, ad eum, quem nunc obtinet statum, eo tempore accessit, ac porro pervenit. Ut de quadrupedibus viviparis tantum dicam, quædam prius (§ 18) genera edita fuisse videntur, quæ modo non amplius in terris adparent ; postea genera alia viventibus modo generibus quam maxime similia, aut eadem cum illis, sed quorum species a speciebus, quæ hoc tempore vivunt, aliquid differunt; tandem ad præsentem statum conditionemque ista classis pervenit. Scribit Marcellus de Serres (2), legem successionis viventium, quorum adparitio est in ratione inversa complicationis, qua eorum pollet organisatio, quam maxime in mammalibus adparere. Ordines autem duo, feræ nempe et quadrumanes, sero in lucem editi videntur, nam (quod in vulgari sex dierum intelligentia non explicatur) et raro ii reperiuntur, ac tantummodo in superioribus terrenis. Horum autem quadrumanum corpus ad structuram humani corporis quam maxime accedit. Ac in divino (vers. 24) imperio feræ ultimæ memorantur. Et re quidem vera, hoc videbatur ad divinam Providentiam pertinere, ut feræ, quæ aliorum animalium cæde vivunt, nonnisi sero advenirent, nec antequam illa satis crevissent et sese super terram multiplicassent; præsertim si primis animalis vitæ temporibus, totum habitabile solum insulis non valde latis continebatur, ubi animalia indolis adeo diversæ diu simul degere non poterant, quia imbelles species cito destruerentur (3).

(2) *Cosmogon. de Moïse*, p. 164, 169.

(3) « Et Genesis, et observatio fossilium, ait laudatus De Serres, æque docent, terram hanc inanem olim et vacuam, successive incoluisse plures viventium generationes, et eo magis animale regnum præsenti statu distasse, ut strata quæ illius tegunt exsuvias, antiquiora sunt, et e converso. Hæc est veluti ultima conclusio nostræ recentis et tamen satis maturæ scientiæ geologicæ ; et (mirandum !) facta, quæ nos hodierna docet scientia, aliquo modo consignata inveniuntur in librorum primo et antiquissimo. Qui consensus et libri veracitati et observationum fidelitati testimonium reddit. »

LXXII. Plures Scripturæ interpretes putarunt omnia animalia a principio herbivora fuisse, et ex hominis inobedientia factum esse, ut alia aliis nunc sint in cibum. Non pauci tamen contra sentiebant, ut A Lapide et præsertim S. Thomas (1), qui assertum hoc dicit esse « omnino irrationabile. » Neminem puto nunc de illa sibi opinione placere, qui naturæ studiis sit vel leviter imbutus. Carnivora a Creatore ad prædam esse formata atque ad animalem cibum, constat ex dentium, digitorum articulatorum et totius corporis structura : quapropter si herbivorum animal in carnivorum verteretur, tota ejus mutaretur forma, veraque metamorphosis fieret. Leo certe aut feles, si dentes et ungulas necnon instinctum et mores omnino mutarent, sique præsertim collum quoque ipsorum et crura longiora fierent, alia omnino essent animalia. Præterea certis constat observationibus, fuisse etiam in præcedenti periodo tum reptilia aquatilia, tum volatilia, quæ venatione et cæde aliorum animantium, etiam e proprio genere, vitam alerent. Nil ergo vetat quominus etiam terrestria carnivora ante hominis ortum et peccatum fuerint. Illi doctrinæ duæ res, ut puto, occasionem præbuerunt. Primo brevitas, uti ea supponebatur, illorum dierum; et sane si concluduntur hi dies spatio 24 horarum, oportebat omnino, Deum quamplurima multarum specierum individua creare, non ut crescerent ac multiplicarentur, sed tantum ut rabidam famem leonum, tigridum, pantherarum, luporum, canum aliarumque hujusmodi ferarum statim a primis illis temporibus exsaturarent : quod certe verisimile non est. Nos potius ex natura ferarum, quæ feræ semper fuerunt, quasque aliquam formæ mutationem passas esse nemo unus testatur, non imbecillum argumentum contra illorum dierum brevitatem instituere possumus. Alterum ac præcipuum illius opinionis fundamentum sunt verba Dei ad protoparentes vers. 29, 30 : « Ecce dedi (seu *do*) vobis omnem herbam.... et universa ligna... ut sint vobis in escam : et cunctis animantibus terræ, omnique volucri (volatili) cœli et universis quæ moventur (vel *repunt*) in terra, et in quibus est anima vivens, ut habeant ad vescendum. » Verum hujusmodi voces *cunctis, omni, universis,* non semper pressiori sensu accipiendas esse paulo ante (§ 69) monuimus : hic evidens est strictissimo sensu accipi non posse, nisi vero quis dicat, *omnes* omnino herbas arboresque *omnes omnibus* animantibus cibum esse opportunum. Sed possunt hæc omnia sic commode explicari, ut dicamus, plantarum universitatem, regnum vegetabile, magnis hisce classibus quadrupedum, volitantium et reptilium a Deo in escam tribui. Optime S. Thomas (2) : « Non enim per peccatum hominis natura animalium est mutata; ut quibus nunc naturale est comedere aliorum animalium carnes, tunc vixissent de herbis, sicut leones et falcones. Nec glossa Bedæ dicit, *Gen.* I, quod *ligna et herbæ datæ sint omnibus animalibus et avibus in cibum, sed quibusdam.* » Præterea, ut mittam carnivora aliquando herbis vesci, ut videmus in canibus, vegetabilia toti regni animali escam præbent vel immediate vel mediate : feræ enim nutriuntur animalibus, quæ vegetabilibus aluntur.

LXXIII. Vita animali jam fervet terrarum orbis : nulla est regio *suis animantibus orba :*

> Cesserunt nitidis habitandæ piscibus undæ;
> Terra feras cepit, volucres agitabilis aer.
> Sanctius his animal, mentisque capacius altæ,
> Deerat adhuc, et quod dominari in cætera posset :
> Natus homo est (3).

« Ut convivatores non prius ad cœnam vocant, quam ad epulum necessaria præparaverint, et qui gymnicos ludos et theatrales exhibent, antequam spectatores in theatra vel stadia congregent, certatorum et earum rerum quæ ad oculorum vel aurium oblectamentum attinent, copiam parant : ita totius mundi princeps, tanquam certaminis aut convivii dator, hominem ad epulas et spectaculum vocaturus, quidquid ad utrumque pertinebat, apparavit : ut in mundum ingressus ille, statim inveniret et convivium et theatrum sacratissimum. » Ita Philo Judæus in libro *De mundi Opificio :* cui similia habet Gregorius Nyssenus. Non minus elegánter Chrysostomus et Fulgentius ab Imperatore similitudinem ducunt, quem in urbem ingressurum palatini et domestici protectores anteire solent, qui palatium præparent : quemadmodum prodeuntem solem radii, ut ait Synesius (4).

Hominem non antea factum, quam terra et maria viventibus animantibus et stirpibus scaterent, optime natura distributione ac successione fossilium confirmat; atque geologi nostri ævi omnes, quidquid de religione sentiant, Mosi hac in re facile adsentiuntur. Nullas enim in antiquis stratis fossiliferis, inter tot utriusque regni naturalis exsuvias, hominis aut humanarum artium reliquias inveniunt. Quare quod in vulgari dierum genesiacorum expositione objectio est contra Mosis historiam, eaque non facile solvenda, est e contrario in sententia nostra valida ejusdem confirmatio.

Cum Theologi peculiari tractatione de homine agant, licebit nobis præcipuum hoc Dei opus, quod ad Dei ipsius imaginem factum dicitur, festinante nonnihil calamo pertractare. Fuit etiam ab Ethnicis hoc animadversum, uti a Platone (5) et ab Euryso Pythagorico in lib. *De Fortuna :* ho-

(1) I part., *Quæst.* CXVI, art. 1, ad 2
(2) Ubi supra.
(3) Ovid., *Metamorph.* I, vers. 75 seqq.
(4) Vid. Petavium, *De Opif.* lib. II, cap. 1.
(5) *Republic.* VI.

minem nempe Dei quamdam similitudinem præ se ferre : « Exemplumque Dei quisque est in imagine parva, » ait Manilius (1). Ovidius (2) effictum hominem canit « in effigiem moderantum cuncta Deorum. » Sed in ipso humano corpore hanc Deorum effigiem videtur ille reperisse. Sequitur enim :

Pronaque cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cœlumque tueri
Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.
Sic, modo quæ fuerat rudis et sine imagine tellus,
Induit ignotas hominum conversa figuras.

Huc respexerunt alii multi. Seneca (3): « Nec erexit tantummodo hominem; sed etiam, ad contemplationem factum, ut ab ortu sidera in occasum labentia prosequi posset, et vultum suum circumferre cum toto, sublime fecit illi caput. » Silius, XV, 84:

Nonne vides, hominum ut celsos ad sidera vultus
Sustulerit Deus, ac sublimia finxerit ora?

Aristoteles scribit (4): « Rectum est solum hoc animal ex omnibus, eo quod natura ejus et substantia divina sit. Porro opus ejus, quod est divinissimum, intelligere est ac sapere. Hoc autem non est facile, si vasta corporis moles desuper incumberet. Nam gravitas tardiorem mentem reddit sensumque communem. »

Gregorius Nyssenus (5) rectam hominis figuram et ad cœlum tendentem imperii ac potestatis, et regiæ cujusdam dignitatis argumentum esse scribit. Cum e contrario animantia cætera prona et in terram spectantia, servitutem et submissionem suam eo corporis habitu testentur.

« Corpus hominis, ait Augustinus (6), quia solum inter animalium terrenorum corpora non pronum in alvum prostratum est, cum sit visibile et ad intuendum cœlum erectum, quod est principium visibilium, quanquam non sua sed animæ præsentia vivere cognoscatur : tamen non modo quia est et in quantum est, utique bonum est; sed etiam quia tale est, ut ad contemplandum cœlum sit aptius, magis in hoc ad imaginem et similitudinem Dei, quam cætera corpora animalium, factum jure videri potest. » Tametsi hic concedat Augustinus, corpus hominis animatum aliquo modo ad Dei similitudinem factum, tamen materialem similitudinem corporis nostri cum Deo alibi rejicit (7) ut *ridiculum, imo impium* figmentum, docetque imaginem Dei, ad quam factus homo dicitur, non in exteriori homine, sed in interiori proprie consistere. Recta tamen statura et vultus in cœlum erectus indicat, animum corporis rectorem, cœlesti satum origine, Deique similem, æternitatis et divinitatis capacem, superna spectare ac porro affectare debere. Etenim, *si tanti vitrum, quanti margarita?* Si tale est corpus, qualem decet esse animam? Ita Augustinus (8) et Bernardus (9).

LXXIV. *Faciamus hominem...* et infra : *Faciamus ei adjutorium simile sibi.* « Tumultuarie quodammodo, ait Gregorius Nyssenus (10), creatura reliqua divina virtute producitur, solo imperio subsistens. Hominis vero structuram consilium antecedit : et ab artifice ipso quadam sermonis pictura quod futurum erat adumbratur. » Idem et Chrysostomus animadvertit (11), et alii passim. Theologi catholici sanctissimæ Trinitatis mysterium hic tenent indicari. Non angelos illis verbis, quasi æquales alloquitur Deus, ac si eis humani corporis ædificationem committeret (12), rationalis animæ creationem sibi reservans. Hoc quod platonicus Philo aliique Judæi crediderunt, a SS. Patribus et nominatim a SS. Basilio, Chrysostomo, Cyrillo (13), Augustino (14) et Thoma (15) omnino reprobatur. Non enim diceret *ad imaginem nostram,* si creaturas alloqueretur. Docent itaque Patres, Chrysostomus, Basilius, Rupertus et alii, quod « hoc dicitur ad signandam pluralitatem divinarum Personarum, quarum imago expressius invenitur in homine » (verba sunt Aquinatis); et quod Deus Pater Filium suum, ac Spiritum Sanctum alloquitur. Imo Concilium Sirmiense (apud Hilarium Pictaviensem lib. *De Synodis*) iis omnibus qui aliter hunc locum explicant, anathema dixit. Irenæus (16) ait : « Per manus ejus plasmatus est : hoc est, per Filium et Spiritum Sanctum quibus et dixit : Faciamus hominem (17). »

Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, vers. 27. Vox וַיִּבְרָא (et creavit) et *imago Dei* indicant

(1) *Astronom.* lib. VI.
(2) *Metamorphos.* I, vers. 83.
(3) *De Otio sapient.*, cap. XXXII.
(4) *De Partu animal.* lib. IV, cap. X.
(5) *De hom. Opific.* cap. VIII.
(6) In lib. LXXXIII *Quæstion.*, Quæst. LI.
(7) *De Genes. contra Manich.*, cap. XVII.
(8) VI *De Genes. ad lit.*, cap. XII.
(9) Serm. 24 *in Cant.*
(10) Lib. *De hom. Opific.* cap. III.
(11) Homil. 10 *in Genes.*
(12) « Placet illa Theodori (Mopsuesteni) et aliorum interpretum, si ad hunc modum intelligatur, Deum, hoc est sanctissimam Trinitatem, cum primum res omnes vel earum materiam condidit, nullo usam esse sermone, quod nondum exstiterint Angeli. Iis vero subinde productis, inter se locutas esse Personas divinas, hoc est sermonem aliquem, cujusmodi ab Angelis percipi potest, extrinsecus fudisse (non voce sensibili, quæ cum sonitu ac strepitu ad aures accideret), et Angelorum insinuasse mentibus. Sic enim Dei ad illos sermonem explicat Gregorius Papa ; nec abhorret ab illo sensu et interpretatione S. Augustinus, II *De Genes. ad lit.* cap. VIII. » Petavius, lib. *De Angelis*, cap. XV, § 8.
(13) *Contra Julian.*, lib. I.
(14) *De Civit. Dei*, lib. XVI, VI.
(15) *Quæst.* XCI, art. 4, ad 2.
(16) In *Præfat.* lib. IV.
(17) *Eccli.* XIII, 1, legitur in Hebr. : *Memento creatorum tuorum,* quod etiam indicat pluralitatem personarum in unitate essentiæ.

satis, hic non de solo corpore, sed et de anima rationali agi ex non-existenti creata. De voc. בָּרָא vid. § 23 et 24. Porro in sequenti cap. II, 7, clarius hominis formatio duplex exprimitur. « Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ (1), et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem (2). » Quo in loco *spiraculum* significat animam (3) (quæ explicite cap. I non nominatur); quam rationalem et intelligentem animam interpretantur Hebræi. Verum probabile est, voce illa universe animam, animale corpus informantem, designari, quæ utique in homine rationalis est (4). Duas adeo diversas naturas, animum rationalem et *pulverem* (ut legit Hebræus) seu *limum terræ*, Deus miro prorsus modo in unam personam consociavit et conglutinavit.

In hunc locum intendebat Ecclesiastes scribens, cap. ult. vers. 7 : « Revertatur pulvis in terram, unde erat (ecce hominem factum ex pulvere terræ), et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum (en tibi *spiraculum* a Deo inspiratum). » *Pulverem* legit Hebr. Sed is cum humiditate mixtus, nempe *lutum*, debet intelligi : nam verbum יָצַר proprie ad figulinam pertinet, idemque est ac *plasmavit*. *Sap.* VII, 1, Adam vocatur *protoplastos* et *terrigena;* et I *Cor.* XV, 47, *de terra terrenus* primus homo appellatur (5).

Quemadmodum bestiarum terræ, ita et hominis corpus ex præexistente terra Deum fecisse, tradit Moses, cap. I, 24, II, 7, 19, et ita nostræ humilitatis nos admonet : verum sublimitas illa verborum quibus narratur formatio imaginis Dei, nostræ naturæ excellentiam satis demonstrat. « Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me totum in circuitu, » dicebat Deo Job (6). « Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me. » Neque in hoc ei Eliu contradicit : ait enim : « Et me sicut et te fecit Deus, et de eodem luto ego quoque formatus sum. » Porro de manibus Dei sæpe mentio est apud veteres, dum de hominis formatione loquuntur. Irenæum audivimus, audiamus Tertullianum (7) : « Quis denique dignus incolere Dei opera, quam ipsius imago et similitudo? Eam quoque bonitas, et quidem præstantior opera est, non imperiali verbo, sed familiari manu, etiam verbo blandiente præmisso : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*. Bonitas finxit hominem de limo. » Prosper in *Carm. de Prov.* : « Cumque omnia verbo — Conderet, hunc manibus, quo plus genitoris haberet, Dignatur formare suis. » Et Prudentius (8) :

> Tantus amor terræ, tanta est dilectio nostri!
> Dignatur præpinguis humi comprendere mollem
> Divinis glebam digitis; nec sordida censet
> Hærentis massæ contagia. Jusserat ut lux
> Confieret; facta est, ut jusserat : omnia jussu
> Imperitante novas traxerunt edita formas.
> Solus homo emeruit Domini formabile dextra
> Os capere, et flabro Deitatis figmine nasci.

Manus autem Dei et digitos figurate intelligendos esse, satis patet. Irenæus Filium significari dicit, et Spiritum Sanctum, qui manus interdum Dei Patris appellantur. Hac tropica locutione, a qua auctor Geneseos abstinuit, significari simpliciter potest, peculiare quoddam Dei artificis in hominem elaborandum incumbentis studium et industria. Tamen, ut omittamus anthropomorphitas, fuerunt qui crederent, Deum nescio quam effigiem corporis sumpsisse, ut hominem e luto fingeret, imo vero ut adspectabilem quoque mundum crearet : quæ res vel nimiam occidenti litteræ adhæsionem, vel mentem phantasiæ mancipatam ostendere mihi videtur.

LXXV. « Masculum et fœminam creavit eos. » Ita eodem vers. 27 cap. I, et cap. V, 2. Nisi alibi de formatione mulieris ageretur, putaremus fœminam et masculum uno eodemque tempore factos. Tamen rem longe aliter evenisse cap. II nos docet. Atque hic mihi temperare non possum, quin illud obiter advertam : Si, uti cap. II formatio protoparentum paulo fusius exponitur, ita in alio capite alia quævis divina operatio ex iis quæ cap. I indicantur, latius describeretur, ut puta, formatio plantarum, aut volatilium, aut terrestrium animalium; quam multa quæ ita cap. I describuntur ut eodem, aut fere eodem tempore effecta videantur, diversis omnino, ac longe dissitis temporibus producta esse comperiremus!

Hominem legimus a Deo creatum cap. I, 26, ut sui veluti vicarius et *imago* animantibus præesset : proto-parentibus enim non modo dicitur vers. 28 : « Crescite et multiplicamini et replete terram. » Sed additur : « Et subjicite eam, et dominamini piscibus maris, et volatilibus cœli, et universis animantibus quæ moventur super terram. » In signum vero dominii hujus (§ 36) datur homini ut nomina animantibus imponat (9) (cap. II, 19, 20).

(1) Septuaginta vertunt, *pulverem accipiens e terra.*

(2) « Factus est primus homo Adam in animam viventem. » S. Paulus, I *Cor.* XV, 45.

(3) Non Spiritum Sanctum, ut putavit Philastrius (*De hæres.* hæres. 99), cujus opinionem refutat Augustinus, *De Civit. Dei*, XIII, cap. XXIV. Et Leontius, *Comment. in loc.* I, credit *gratiam* fuisse hoc spiraculum.

(4) Seleuciani dicebant creatores animarum esse angelos, ut refert Augustinus, *De hæres.* cap. LIX.

(5) In terra ex qua Adæ corpus factum est, esse poterant humani corporis elementa, quæ in aqua et in aere non sunt. Si terra illa erat rubra, ut Hebræi dicunt (Joseph. *Antiq.* lib. I, cap. I; Hieronymus, *Quæst. hebr.*), colorem hunc accipiebat ex oxydo ferri quod in sanguine reperitur, eique colorem dat.

(6) *Job.* X, 8, 9. Vid. et cap. XXXIII, 6.

(7) *Contra Marcion.*, cap. IV.

(8) In *Apotheosi.*

(9) « Nam et hominibus, ait hic Chrysostomus, usitatum illud est, hoc uti signo dominationis, ut cum servos emerint, eorum nomina commutent. » Hom. 14 *in Gen.* — Et Philo : « Est autem duci et principi consentaneum,

Mira res! hæc nominum impositio cum formatione mulieris quamdam relationem habet. Ecce enim quomodo rerum successio cap. II *exponatur*. Vers. 18 : « Dixit Dominus Deus : non est bonum esse hominem (*Adam*) solum (non est *bonum Adæ* (1), *non est bonum sexui virili*, non dico speciei humanæ, nam species sine altero sexu nulla est; *non est bonum*, sed post hominum sufficientem propagationem, *bonum erit* multis qui optimam eligent partem (2)) : faciamus ei adjutorium simile sibi (3) (vel *ei conveniens*). » Vers. 19 : « Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, et universis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea. Omne enim quod vocavit Adam (vel quod vocasset homo) animæ viventis; ipsum est (vel *esset*) nomen ejus. » Vultne indicare Moses, esse hominis quem Deus super bruta constituit, ipsis brutis nomen imponere? Cur ergo non legitur homini commissum, ut et plantis nomen inderet, quamvis in earum culturam incumbere deberet (cap. II, 15)? An quia hujusmodi nominum impositio dominium illud, quod est in servos, indicat? Stirpes profecto non sunt homini, qua rex est, uti bruta subjectæ, sed datæ illi in escam (cap. I, 29). Vers. 20 : « Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia (*domestica* vel *herbivora*) et universa volatilia cœli, et omnes bestias terræ (*feras agrestes*). Adæ vero non inveniebatur adjutor similis ejus (vel *ei conveniens*). » Vers. 21 : « Immisit ergo (*si immisit*) Dominus Deus soporem (4) (ἔκστασιν, ut vertunt Septuaginta) in Adam : cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus (vel *unam ex partibus*, *unam partem ejus* (5), et replevit carnem pro ea. » Vers. 22 : « Et ædificavit Dominus Deus costam (seu *partem*) quam tulerat de Adam (Arabs vertit, *crescere fecit costam sublatam de Adam*) in mulierem; et *adduxit eam ad Adam*. » Vers. 23 : « Dixitque Adam : hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea. » Quasi diceret : alia animantia mihi non congruunt, quia specie dissimilia, prono vertice in terram inclinata, loquelæ ac rationis expertia; hæc mihi simillima, et carnis meæ et ossium pars : « hæc vocabitur virago (*vira* (6)), quia de viro sumpta est. » Adam, quum nomen mulieri imponit, aliquam se in illam habere potestatem demonstrat. Aliud vero nomen quod primæ mulieri peculiare remansit, dedit Adam uxori suæ (cap. III, vers. 20) post Dei sententiam, in qua inter cætera Heva sibi dictum audierat : « Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui (cap. III, 16). » Multæ dubitationes ex hac historia oriuntur. Relictis iis quæ modo ad nos non pertinent, tantum de nonnullis aliquid dicam.

LXXVI. Quæres *primo* : Utrum quæ legimus de animantibus ad Adam adductis, nec non de Hevæ ex corpore ipsius Adæ formatione, litteraliter, an vero spiritaliter accipienda sint? *Secundo*, eveneruntne hæc omnia sexta die? *Tertio*, reverane cuncta animantia terræ et volatilia universa nomine unumquodque suo Adam donavit? Num etiam in aquis viventia, ut Chrysostomus credidit? *Quarto*, quomodo hi eventus intelligi possunt ut nec litteralem sensum relinquamus, nec sacram historiam risui sapientum hujus mundi exponamus?

Ad *primum* respondeo: Cajetanus spiritaliter interpretatur quod de animantibus in Adæ conspectum adductis scribitur. « Adduxit, ait, non locali motu, sed intellectuali adventu... ut videret oculis mentis naturam terrestrium, » etc. Ita formatæ Hevæ historiam negat, et secundum mysterium seu per parabolam interpretandam censet. Eum acriter, nec sine causa, Catharinus redarguit. *Sed multa scimus Cajetanum nimis audacter, neque caute satis ad Scripturam adnotasse* (Petavius (7)). Interpretationes hujusmodi SS. Patres et Ecclesiæ Doctores sibi contrarios habent, et nescio quid sapiunt origenianæ hermeneuticæ (§ 20); adeoque omnino sunt rejiciendæ. Quis unquam hominem difficiliora Herodoti aut Livii loca ita toleraret interpretantem? Quamvis autem aliquæ difficultates in hac historia inveniantur, illæ tamen non sunt ejusmodi ut ab historico sensu recedere debeamus. Non tamen idcirco cogimur in contrarium extremum ruere, et singula quæque verba, sive hebræi textus sive vulgati strictiori, quem præferunt, grammatico sensu accipere, etiam quando minus congrua inde exsurgit et minus verisimilis sententia.

unicuique subjectorum sibi proprium nomen assignare. » *De mundi Opif.* Et Moses Bar-Cepha idem de servis exemplum affert, lib. *De Paradiso*, part. I, cap. XXVIII.

(1) « Cum adhuc rudis mundus et inanis est, copia fecunditatis generatur : propagamur, crescimus ad humani generis augmentum. » S. Cyprianus, lib. *De Habitu virginum*.

(2) « Prima Dei sententia crescere et generare præcepit, secunda continentiam suasit. » S. Cyprian., lib. *De Habitu virginum*.

(3) Onkelos, *quasi ipsum, quasi alterum ipsum*.

(4) Aquila vertit κατάφορον, quasi diceret *profundum quemdam soporem*. David Kimchius exponit, *validum ac vehementem somnum*. Sacrum quemdam animi excessum designatum hic putant Augustinus, Procopius, Rupertus et Bernardus, qui hanc sententiam ex eo probat, quod per somnum illum quæ fiebant a Deo vel vidit Adam, vel divinitus patefacta didicit, et statim atque est expergefactus expressit. Eadem scribit Moses Bar-Cepha.

(5) « Dicunt (Sapientes nostri) *unam ex costis* idem esse quod *unam ex partibus*. » Ita Maiemonides, citans Targum, qui vocem צֵלַע reddit סְטַר *latus* (latus tabernaculi). Græci illam vocem reddunt, *partem* (*Exod.* XXVI, 26, 35; XXXVI, 27).

(6) *Virago* non sexum indicat, sed animum virilem. Hebr. אִשָּׁה significat naturam et sexum mulieris; derivatur enim ab אִישׁ, id est a viro, addito ה feminino. *Vira* est antiqua Latinorum vox, testante Sexto Pompeio.

(7) *De Opif.* lib. II, cap. VIII, § 11.

Ad *secundum* affirmative respondeo: Non est hac in re audiendus Philastrius (1) Bruxiensis Episcopus, qui tanquam hæreticos traducit, qui dicant, prius corpus Adæ de terra confictum, quam animam creatam. Contra quos affirmat, animam ejus fuisse procreatam die sexto; corpus vero die septimo, quando et mulier de ipsius latere sumpta est: *spiraculum* autem *vitæ* ipsi non est anima, sed *quædam divini spiritus gratia*. Nulla in prima illa positione satis communi, quæque magis litteræ respondet vers. 7, cap. II, ne lato quidem sensu, hæresis est. Adam vero factus die sexta aperte dicitur cap. I, 26 seqq. (*Faciamus hominem... et creavit Deus hominem*). Non de animabus tantum sermo est in cap. I, nec anima est homo, nec animæ separatæ præsunt « piscibus, volatilibus et bestiis, universæque terræ, » neque illis dicitur: « Crescite et multiplicamini, et replete terram; » nec herbæ et « fructus arborum in escam » animæ dantur. Quanquam autem nonnulli negaverint Hevam die sexto factam (fortasse quia tot operibus, non Dei solum sed et ipsius Adæ, unus solaris dies brevis videretur), tamen certis omnino argumentis contrarium evincitur. Et *primo*, vers. 27, cap. I, legimus in sexto die: « Et creavit Deus hominem... *Masculum et fœminam* creavit eos. Benedixitque *illis* Deus, et ait: Crescite,» etc. *Secundo*, Deus die septimo compleverat opus suum (2), « et requievit die septimo ab universo opere quod patrarat » (cap. II, 2); ergo die septimo nec primam mulierem, nec aliud quidquam novi fecit. Tandem sexto die « vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant *valde bona* (cap. I, 31): » ergo tunc homo non erat *solus* sine muliere; nam hoc Deus non vidisset esse *valde bonum*, sed *non bonum*, cap. II, 18. Cum hæc ita sint, nec ea quæ legimus de brutis proprio nomine appellatis, ultra diem sextum differri possunt: nam formationem mulieris illa nominum impositio præcessit. Cum enim procreandæ soboli consortem et adjutricem mulierem Deus Adæ destinasset, ut ipse hujus *adjutorii* necessitatem intelligeret et creaturæ sibi similis societatem optaret, voluit Deus, ut animantia recenseret, eaque propriis appellaret vocabulis. Hanc ipsam fuisse causam cur ad Adam terrena animantia et volatilia Deus adduxerit, clare indicat Moses; nam ita subjicit: « Adæ vero non inveniebatur adjutor similis sibi, » plane ac si diceret: Cum suum unicuique animantium comparem, solo sexu discrepantem, datum videret; nullum in eo numero sibi convenientem socium invenit: quod igitur deerat optavit, et a Deo speravit. Hoc et Ambrosius notat (3). Noluit nempe Deus nescientem, adeoque minime desiderantem, conjugio alligare, sed ipsi optanti et petenti sociam atque adjutricem præbere.

LXXVII. Ad *tertium* dico, de aquatilibus nullam esse in hoc loco mentionem; nec quidquam esse cur asseramus, Adam omnibus piscibus atque cetaceis, imo vel uni eorum, primo illo tempore nomen imposuisse. Infinita res fuisset, præsertim si includantur testacea et cætera parva animantia quæ in aquis degunt. Augustinus (4) ab illa nominum impositione excipit pisces, quibus paulatim indita fuisse nomina credit (5).

Verum tenemurne credere, animantibus omnibus volatilibus atque terrestribus, inspectis antea iis omnibus ac singillatim notatis, opportunas appellationes Adam tribuisse? Non puto: quia, ut interpretes observarunt (6) (§§ 69, 72), *omnes, cuncti, universi*, aliquando interpretari debent *multi*. Recole (§ 72) a S. Thoma laudatam glossam Bedæ in vers. 30, cap. I, ubi *cuncti* explicantur *quidam*. Certe Scriptura non magis cogit ad dicendum *omnibus* omnino terrenis bestiis et volatilibus nomina Adam sexto die dedisse, quam *cuncta* omnino animantia terræ et *omne* volucre et *universa* quæ moventur, aut nunc herbivora esse, aut primis temporibus fuisse. Innumera etiam animalia ex diversis longeque dissitis regionibus, diversi climatis incolas et sibi invicem inimica, in unum convenisse locum, ut se Adæ sisterent et ab eo nomen acciperent, quo nomine nemo usurus esset, statim ac illa rediissent in patrias terras nulli adhuc hominum habitatas, id omnem prorsus verisimilitudinem excedit. Nonnulli, ut Calmetus, rem credibiliorem facere conati sunt, supponentes terrena animalia omnia prope paradisum, ubi Deus *posuit hominem*, fuisse creata. Hanc opinionem minime probaverant Augustinus et Gregorius Nyssenus, et post repertas ubique terrarum fossiles animantium exsuvias, nemo, ut credo, nostra ætate probat. Ministerio Angelorum animalia ad Adam adducta credidit Augustinus (7). Ambrosius putavit, feras quidem et volucres divina operatione fuisse congregatas, mitiora autem animalia atque terrestria ab ipso homine colligi potuisse. Utrum sit heic necne

(1) S. Philastrius, *De Hæres.*, hæres. 49. Bellarminus ex S. Augustino *ad Quodvultdeum*, ait illum quandoque hæresibus accensere quæ eo nomine notari minime merentur.

(2) In prima parte vers. 2, cap. II, legitur in Vulgata: *Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat*, sed intelligendum est *compleverat*; nam die septimo *requievit*, ut eodem vers. dicitur. Et *Exod.* XX, 11: « Requievit in die septimo, idcirco benedixit Dominus diei sabbati. » Si aliquid novi fecisset die septimo, hoc utique indicaretur, uti opera indicantur præcedentium dierum. Textus et versio Samaritana, et Syrus, cap. II, 2, legunt: *Complevitque Deus die sexto.*

(3) *De Paradiso*, cap. XI.

(4) *De Genes. ad lit.* IX, cap. XII.

(5) Tostatus hujus exceptionis dat rationem, quia terrestria animalia in conspectu semper homo esset habiturus, non vero ea quæ sub aquis assidue latent, quibus primam ante diluvium ætatem usam esse non putat. *Quæst.* XXII in cap. II *Genes.*

(6) E. g. P. Nicolai, lez. XXV, *del Genes.*, tom. II, p. 483.

(7) *De Genes. ad lit.* IX, cap. XIV.

nobis necessitas ut ad miraculum confugiamus, alii videant. Si veteribus notum fuisset, multas esse species animales Americæ tantum vel Australiæ proprias, fortasse ipsas ad Adam non adduxissent, idque ingentis ope miraculi, ut unam ab ipso vocem audirent proferri, cujus memoria statim fuisset deperdita, cum nullius hominis societate animalia illa gauderent. Vereor enimvero ne ridiculum videatur, imaginari singulas animantium species, binas binas, ordine et quasi agmine facto, coram homine prætereuntes, hominem vero ipsum, dum illa pertranseunt, magnam linnæani *Systematis Naturæ* partem super ipsa celeriter recitantem. Multo magis verisimile videtur, omnes classes animantium terrestrium in multis speciebus earum vices sustinentibus, ante Adæ oculos adductas fuisse, quæ species vel in eo loco morarentur ubi primus homo positus fuerat, vel ad eum accesserint, divina id suaviter Providentia disponente, absque ulla supernaturali causa vel effectu. Nec, puto, necesse fuit, ut singulis omnino speciebus quæ se Adæ sistebant, peculiare aliquod nomen ille apponeret, nisi iis quæ vel majores essent, vel utiliores, vel alia quavis spectabili proprietate præcipuæ. Parvis animantibus, verisimile mihi adparet, data fuisse tantum generum nomina, aut familiarum, quæ plures species, non multum inter se diversas, amplecterentur. E. g. si Adam alatis insectis nomen dedit, nonne simplicius est credere, totum ordinem, puta *Lepidopterum*, uno adpellatum esse vocabulo, quod primi homines postea adhibuerint, fere ut vocem *papilio* Latini; unamque vocem quæ latinæ *musca* æquivalet, non unam tantum speciem, sed et quotquot amplectitur linnæanum muscarum genus, et similia *dyptera* insecta, et alia fortasse, uti apes, complexam esse? Ita majores belluæ, sicubi earum species valde sibi similes sunt, uti e. g. tigris, panthera et leopardus, uno designari nomine primitus potuerunt. Hujusmodi animadversiones opportuniores videri debent illis, qui hujus diei opera in spatium viginti quatuor horarum coarctant.

LXXVIII. Ad *quartum* quod attinet, temere præsumerem ea quæ inter utriusque protoparentis ortum evenerint accurate describere. Puto tamen, quin violentiam textui inferamus, ita fere rem concipi posse.

Adam, simul ac in lucem fuit editus, si statim, ut suppono, ratione usus est, duo præcipue ante omnia cogitasse existimo, primo quidem admirantem ac vehementer obstupescentem, ac postea tranquilliore mentis obtutu, videlicet seipsum, ac Deum a quo una cum creatione cognitionem creationis et Creatoris accepisse credendus est. Seipsum recognovit, et dixit : *ego;* atque ita ad Dei similitudinem verbum suum, nimirum suimetipsius ideam, generavit : « ego nuper non existens a Deo conditus sum. » Tunc, magna hac cogitatione perculsus, in suavissimos admirationis, grati animi atque amoris affectus effundi debuit, et confiteri Domino, et Altissimum laudare, quanquam probabiliter non psalmo XCI : « Bonum est confiteri Domino, » quem Adam recens creatum cecinisse quidam fabulantur Rabbini (1). In hujusmodi dulcedine contemplationis et affectuum per aliquod tempus inhæsisse parentem nostrum facile quivis existimabit, ut prætermittam supernaturales cognitiones et supernaturalium charismatum notitiam, quæ in ipsum Creator abunde effuderat, « condens simul naturam et largiens gratiam (2). » « Deus posuit hominem, quem formaverat, in paradiso voluptatis (3), ut operaretur et custodiret illum, » eum nempe hortum (4), quem divina consitum manu ac deliciis affluentem Scriptura nobis exhibet. Produxerat in paradiso Deus « omne lignum pulchrum visu et (aut) ad vescendum suave. » Adæ itaque « præcepit dicens : Ex omni ligno paradisi comede, » etc. (cap. II, 8, 9, 15, 16). Dominium in animantia quod spectat, ea formula contentum : « Dominamini piscibus et volatilibus, » cap. I, 28, videtur id homini tributum post creatam Hevam; utrique enim dicitur, *dominamini* (benedixit illis et ait : Crescite... dominamini). Tamen credere possumus etiam ante Hevæ formationem id Adæ dictum, sive interna, sive externa et sensibili voce. Verum non unice animantibus, ut eis nomen imponeret, occupatum Adam fuisse arbitror; licet Deus, ut eum ad optandam et petendam sibi sociam et conjugem moveret, ordinavit, ut plurima diversi sexus animalia ejus oculis obversarentur. Atque ipse interea, sollicitudinibus ut erat vacuus, animalium habitum, formas, voces moresque diligenter notabat : videbat neminem solum esse, videbat species omnes eorum perfectas, nempe in unaquaque id totum haberi, quod ad conservandam et multiplicandam speciem ipsam necesse esset. Nullum vero, inter tot plumis vel pilis vestita animantia, similem sibi aut convenientem socium inveniebat : hinc opportunæ societatis desiderium, atque ejusmodi medii, quo juxta divinum mandatum genus humanum cresceret et

(1) In hoc psalmo vates loquitur de decachordo aliisque musicis instrumentis, de senectute, de suis inimicis, de peccatoribus eorumque pœnis, quæ homini recens creato minime conveniunt.

(2) Augustinus, *De Civit. Dei*, lib. XII, cap. IX.

(3) Ita Vulgat. cum Symmacho. Septuaginta et alii retinent vocem hebraicam, et legunt *in Eden*, quod est nomen regionis proprium. Vid. Petavium, *De Opif.* lib. II, cap. V, § 5.

(4) « Augustinus, lib. VIII *De Genes. ad lit.* cap. X, et ex eo Lyranus et Tostatus, ad Deum ista referri posse crediderunt, in solam vel græcam vel latinam versionem intenti; tanquam Deus, operando, hominem exculturus ac servaturus esset. Quod minime procedit, ut ex hebræo liquet. Nam affixum, bis repetitum, feminini est generis, et ad hortum sine controversia pertinet. Ut certissimum sit, ad hortum excolendum et servandum, collocatum ibi hominem fuisse. » Petavius, *De Opif.* lib. II, cap. VI, § 1.

multiplicaretur, repleret terram, et subjiceret eam. Animalia dum observaret, ac varios sonos quos edebant audiret, fortasse primo attributa sibi a Deo loquela usus est; eisque, modo huic, modo illi, nomina imponebat. Alia tamen homini etiam eo tempore conveniebant, et primo ut mentem sæpe ad Creatorem sustolleret, quem « videbat per effectum creatum (1), » qui eum « delectabat in factura sua, » utque « in operibus manuum ejus exsultaret (2). » Sæpe etiam putare possumus, ad luminare diei, ad pulcherrimum inter opera manuum Dei atque ad cæruleum firmamentum ipsum oculos elevasse, sæpe vero etiam ad herbas floresque, quibus terra circumvestita erat, inclinasse. Nec frustra sibi paratas credidit arbores *pulchras visu* aut illas, quæ fructus ferebant *ad vescendum suaves*, nec verborum illorum oblitus est : *ex omni ligno paradisi comede*. Belluæ ipsæ assidue pastui intentæ oblivionem hanc ipsi excussissent. Nec ille cui commissum fuerat ut paradisum illum *operaretur et custodiret*, quique donec solus erat, utilius ambulandi, quam loquendi facultatem exercere poterat, immotus velut arbor uno in loco semper mansit, verum ut facile quivis intelligit, illud innocentis *voluptatis* viridarium vel perambulavit, vel aliquas saltem ipsius partes lustravit, nec semper a floribus et fructibus manum abstinuit : quietis autem aliquantæ lenisque super herba somnique dulcedinem quis illi invideat? Si intento illi variis hujusmodi et delectabilibus occupationibus (eoque magis delectabilibus, quo magis fuerunt variæ) nox supervenit; quantum putamus mentem ipsius atque oculos perculisse solis occasum, crepuscularem lucem, lunam, planetas atque innumerabilem illam stellarum vim? Hominem ad imaginem Dei factum poterantne bruta totum sibi vindicare, si illi tanta inerat scientia, quantam in eo fuisse docent theologi? Si « per intelligibiles effectus Dei Deum clarius cognoscebat quam modo cognoscamus, » ut docet S. Thomas (3)? Si, ut dixit Gregorius Papa (4), in « paradiso homo verbo Dei perfruebatur, et bonorum Angelorum Spiritibus, cordis munditia et celsitudine visionis, intererat? » Si « anima primi hominis excellentiorem modum cognitionis de Angelis habebat, quam nos habeamus; quia ejus cognitio erat magis certa et fixa circa interiora intelligibilia, quam cognitio nostra, » ut ait laudatus Aquinas(5)? Si Adam, aliquo sensu, omnium habuit scientiam, et « sic institutus est a Deo, ut haberet omnium scientiam, in quibus homo natus est instrui; et hæc sunt omnia illa, quæ virtualiter existunt in primis principiis per se notis, quæcumque scilicet naturaliter homines cognoscere possunt; et de supernaturalibus tantam cognitionem accepit, quanta erat necessaria ad gubernationem vitæ humanæ secundum statum illum? » Si tanta in illo erat *scientia naturalium scibilium*, ut in ea « non profecisset quantum ad numerum scitorum, sed quantum ad modum sciendi; quia quæ sciebat intellectualiter, scivisset postmodum per experimentum? » (S. Thomas 6). Et etiamsi tanta ejus scientia non erat, num qui Dei aut Angelorum dignabatur alloquio, mutis duntaxat animantibus cogitatu inhæsisse credendus est? Pulchra profecto scientia atque homine digna est zoologia; at longe nobilior et illo homine dignior theologia, et etiam anthropologia, et Angelorum scientia. Zoologia quoque utiliorem ipse noverat esse agriculturam, nec cognitio astrorum, meteororum atque plantarum omnino erat illi contemnenda. Magis igitur decere videtur primum hominem vitæque illius innocentis fortunatæque dignitatem, si illum imaginemur animalium studium et vocabula cum aliis, vel sanctioribus vel magis necessariis vel non minus jucundis curis alternantem, quam si una nominum impositione perpetuo distentum ponamus. Hæc, puto, illi fuit gratior, si paulatim ita facta est, ut Adam species singulas vel familias, nonnisi postquam uniuscujusque proprietates per aliquod tempus observasset, nomine quamque suo notare assuesceret.

LXXIX. Postquam, ex hac animantium inspectione, ejus rei, quæ sibi deerat, desiderium primus homo conceperat, cum optare jam cœpisset a Deo adjutorium simile sibi probabiliter etiam ut haberet quocum loquendi facultatem exerceret, quique ei responderet), tunc enimvero *immisit Dominus soporem in Adam*, § 75. *Soporem* hunc esse puto statum illum exstaticum, in quo homo dolores corpori inflictos minime sentit, omniaque tolerat, quin a somno excitetur; qui status vel superna-

(1) S. Thomas, I part., *Quæst.* XLIX, art. 1, ad 3.
(2) Ps. cit., vers. 5.
(3) *Ibid.* in corp.
(4) *Dialog.* IV.
(5) *Ibid.* art. 2, in corp.

(6) *Ibid.* art. 3, per totum. Magister Sententiarum, lib. II *Sent.*, ait : « Cognovit primus homo a quo creatus fuerat... quadam interiori aspiratione, qua Dei præsentiam contemplabatur; non ita excellenter sicut sancti post hanc vitam visuri sunt, neque ita in ænigmate, qualiter in hac vita videmus. Porro sui cognitionem idem homo talem accepisse videtur, ut et quid deberet superiori, et quid æquali, et inferiori, non ignoraret. Conditionem quoque suam et ordinem, scilicet qualis factus esset, et qualis incedere deberet, quid agere, quid cavere, intellexit. » (Dist. XXIII). S. Bonaventura (in illam dist., *Quæst.* III) ait : « Communiter omnes ponunt, cognitionem quam habebat Adam de Deo, mediam inter cognitionem quæ est in statu miseriæ, et cognitionem quæ est in statu gloriæ. » Petavius scribit *(De Opif.* lib. II, cap. IX, § 3), « eximia quadam sapientia, ac tum sui, tum rerum notitia cæterarum Adamum fuisse præditum, nullo ut ad eam hauriendam arboris fructu illi opus esset. » Et alibi *(De Angelis,* I, cap. VI, § 7) : « Adamus inditam ab origine sua rerum scientiam divinitus accepit. » Eximiam in Adam sapientiam ex hac nominum impositione arguunt Philo et Chrysostomus (apud Petavium, *De Opif.* II, cap. VIII, § 5, 6). Non videntur tantam in eo scientiam ponere Gregorius Nazianzenus, Theophilus Antiochenus, Procopius, Moses Bar-Cepha, Nemesius et J. Damascenus. (Vid. Petav., *ibid.* cap. IX, § 2, 8.)

turaliter inducitur, vel ab ipsa natura; quandoque etiam arte medicorum, ut modo compertum est.

Adæ, statim ac in paradiso positus est, præceptum Deus dedit, quo illum prohibuit, quominus certæ cujusdam arboris fructus gustaret. Hoc mandatum soli Adæ editum fuisse, antequam formata esset mulier, Scriptura indicare videtur; dicitur enim cap. II, 16 : « Præcepit ei : ex omni ligno paradisi comede : » quod singulari numero dictum est, et antequam Hevæ ortus narretur. Putavit Augustinus (1) jam factam mulierem, quum Deus legem hanc sancivit. En ejus verba : «Ab omni ligno quod est in paradiso escam edes; non dixit : edetis. Deinde adjungit : De ligno autem cognoscendi bonum et malum, non manducabitis de illo. Jam hic tanquam ad ambos pluraliter præceptum terminat, dicens : Qua die ederitis ab eo, morte moriemini. » Quæ numeri varietas in græcis codicibus occurrit, cum hebraice et penes Symmachum utrobique sit singularis. Uni Adæ præceptum indicere ordinatissime potuit Deus, ut per virum ad fœminam illud perveniret, quemadmodum sentiunt Chrysostomus (2) et Ambrosius (3).

Nimia enimvero videntur sexti diei opera, si hic solaris atque ordinarius dies fuit; primam enim diei partem terrestrium brutorum formatio occupavit, quæ juxta geologicas doctrinas longa temporis periodo perfecta est. Verum tametsi flocci faciendæ essent hujusmodi doctrinæ eaque facta quibus innituntur, vel si Buklandii sententia § 5 admitteretur, ut primo illi operi paucæ horæ tribuantur aut etiam una; tamen totum illud quod in hoc solari die superesset temporis, profecto nimis angustum cæteris quæ in eo facta sunt continendis, unicuique videri debet. Quæ animadversio multo magis valet, si verba illa vers. 19, cap. II : « Cunctis animantibus terræ et universis volatilibus, » stricte sunt accipienda, vel si terrenis animantibus aquatilia conjungere volumus, vel si protoparentum funestam prævaricationem, et justam summi Judicis sententiam et acerbam a paradiso expulsionem ipsi diei sexto attribuimus. Hoc tamen postremum nullam mihi verisimilitudinem habere videtur; non enim « Deus vidisset omnia quæ fecerat esse bona valde, » idque cum in eo erat ut deficeret sextus hic dies (cap. I, vers ult.), si præcipuum opus inter ea quæ fecerat, jam malum evasisse perspexisset. Id tamen tradunt multi, inter quos Irenæus, Epiphanius et Ephrem (4), qui protoparentem eo ipso die, quo creatus fuit (5), e paradiso ejiciunt.

(1) *De Genes. ad lit.* VIII, cap. XVII.
(2) *Homil.* 14.
(3) Lib. *De Paradiso*, cap. XII.
(4) Apud Pererium in h. l.
(5) Dubium est quanto temporis spatio in voluptuario illo horto et innocentis vitæ statu primi parentes manserint. Cæsarius (*Dialog.* III, interrog. 172), partim dies

Placet hic animadvertere quod (§ 75) indicavi, quodque non parum in rem nostram mihi videtur habere momenti. Capite II *Genesis* iterum (a vers. 4) de prima rerum molitione sermo est : verum hoc capite vix opera tertii aut sexti diei memorantur : et pauca illa quæ de utroque die hic adjiciuntur, ecce tibi statim argumenta suppeditant contra vulgarem sententiam, ac receptos illos viginti quatuor horarum dies (§ 54). Nonne igitur argumentari nobis licebit, quod etiam de cæteris diebus idem eveniret, si, quemadmodum de duobus facit, ita de unoquoque cæterorum sacer scriptor paulo fusius aliquo in loco disseret ?

Cum primo capite dies sexta concluditur illis verbis : « Viditque Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona. Et factum est vespere et mane, dies sextus. » Audi in hæc disserentem Augustinum (6) : « Quum de singulis ageret, dicebat tantum : Vidit Deus quia bonum est; quum autem de omnibus diceretur, parum fuit dicere *bona*, nisi adderetur et *valde*. Si enim singula opera Dei, quum considerantur a prudentibus, inveniuntur habere laudabiles mensuras et numeros et ordines, in suo quæque genere constituta, quanto magis omnia simul, id est ipsa universitas, quæ istis singulis in unum collatis completur ? Omnis enim pulchritudo, quæ partibus constat, multo est laudabilior in toto quam in partibus. »

His Dei verbis rerum a se perfectam universitatem laudantis, nonnulli, quos inter Wolfius, *optimismi* systema confirmari putarunt, quod nempe mundum hunc optimum esse, atque inter omnes possibiles perfectissimum statuit. Sed frustra : nullus enim hic comparationis terminus adparet; quare simpliciter intelligendum est, integrum opus Dei *valde bonum* esse, et etiam optimum aliquo sensu, tum quia omnis divina operatio optima est et infinite perfecta (« Dei perfecta sunt opera, » *Deut.* XXII); tum quia optime adsequitur finem quem Deus intendit, quod et credere debemus, et etiam ex parte cognoscimus; tum demum quia archetypo æterno in Dei mente existenti perfectissime respondet : qua de re dubitare non licet. Non enim, sicut homini, ita et Deo contingit, ut aliquando præformatam mente ideam opere non adsequatur. Præterea in quæstione *optimismi* de malo morali præcipue sermo est. Jamvero Moses de mundo loquitur, uti ille erat ante hominis peccatum, nec de operibus hominum loquitur, sed de *cunctis quæ fecerat* Deus : inter hæc homo erat et ipse bonus, non in hoc, quod peccaturus prævidebatur, sed quia factus erat bonus ac sine peccato, in statu justitiæ et sanctitatis constitutus, integrum habens liberum

40 præfinit, partim longiore ibi fuisse spatio eos putat. Cedrenus septem annos, aut etiam centum. Verum hæ divinationes nullo solido nituntur fundamento.
(6) *De Genes. contra Manich.* I, cap. XXI.

arbitrium, quo tentationi resistere poterat, et in innocentia manere. Cæterum, « simpliciter loquendo, qualibet re a se facta, potest Deus facere aliam meliorem, » ut docet S. Thomas (1).

Utrum aliquid in globo terræ factum sit, quod manifestam divisionem poneret inter sextam et septimam diem, ignoro. Sextæ diei per se finis imponitur, quum, creata muliere, nova Dei opera finem habent. Tunc ultimo legitur formula illa, qua singuli concluduntur dies : *et fuit vespera, et fuit mane* (Hebr.). Certum itaque est, hanc sextam diem principium suum et finem habuisse. Certum pariter est, post *commixtionem* materiei ad animantium magis perfectorum efformanda corpora præordinatæ, *divisionem* ipsius materiei successisse, et *aperitiones* telluris quæ præstantiorum brutorum primogenita, ac tandem terrigenam animantium regem peperit, quem Creator, *inspirando spiraculum vitæ*, ad imaginem suam formavit.

« Sextus iste dies est, quo mundanæ creaturæ origo concluditur, et ideo etiam sermonis nostri, quem de rerum exordiis assumpsimus, finis paratur. » (Ambrosius, *Hexaem.* lib. VI, cap. I.)

LXXX. De sex dierum opere hactenus. Nunc brevissime de septima die, quæ *Gen.* cap. II ita describitur. Vers. 1 : *Igitur completi sunt cœli et terra, et omnis ornatus eorum* (vel *exercitus eorum* (2), ut alii ex Hebræo reddunt); vers. 2 : *Complevitque* (et compleverat) *Deus die septimo opus suum, quod fecerat* (*die sexto* habent Septuaginta et textus samaritanus, quod potest magis accuratum videri : at sensus idem est); *et requievit* (cessavit) (3) *die septimo ab universo opere quod patrarat;* vers. 3 : *Et benedixit diei septimo, et* (id est) *sanctificavit illum : quia in ipso cessaverat ab omni opere suo, quod creavit Deus ut faceret.* Sanctificavit septimum diem hebdomadæ, quod est sabbatum, decreto et destinatione ; scilicet destinavit sabbatum sibi quasi sacrum, ut suo tempore tanquam festus dies haberetur a Dei populo (4) colendus : vel sanctificavit, hoc est festum instituit, et coli voluit a primis parentibus eorumque posteris sacro otio et cultu Dei (5). Vide § 10.

Quoad septimum diem aliud non legimus : hujus nec principium indicatur nec finis. Principium certe habuit, quod in eo temporis puncto statuere possumus, quum Deus, condita Heva, a productione rerum novarum cessavit. At finis hujus diei quandonam fuit? Fuitne ille aliquando? Hunc finem quæro; sed, fateor, non invenio. Terminum diei *sabbati*, seu periodi qua Deus a novis operibus cessat, ego quidem non video. Horis viginti quatuor post mulieris formationem prætergressis, certe requies illa divina finem non habuit, nec cessatio illa cessavit : non enim Dominus, post requiem diei solaris, nova opera molitus est, quemadmodum post requiem diei dominicæ, mane facto diei lunæ, ad officinam et ad laborem nostri artifices redeunt. Etiam nunc durare mihi videtur dies illa operosæ cessationis, in qua cœlestis *Pater usque modo operatur* (ut de spiritalibus operationibus taceam), creata opera et creatas leges conservans : ac simul cessat, quia novas substantiarum classes, saltem in terra nostra non producit, nec magnas illas efficit atque extra præsentem ordinem positas rerum mutationes, cujusmodi prioribus illis periodis acciderunt, quum creaturis in aliqua sequentium periodorum, et in sexta præsertim, producendis via parabatur. Utique magna *dies septima sine vespera est, nec habet occasum* (Augustinus) (6). Perdurat adhuc ista *dies*, usque dum Deo placet, usque dum præsens rerum ordo in terris perseveret, perduratura. Ac revera nescio (nisi naturalium rerum limites transcendamus), quænam nova periodus sit exspectanda.

Prima *dies* fuit *periodus lucis*, quæ etiam *chymica periodus* dici posse videtur. Hanc excepit *periodus atmosphæræ* firmamenti et divisionis aquarum, quo tempore, si vera conjecimus, solida inorganica esse cœperunt : ideo hæc periodus dici potest *periodus soliditatis*, seu crystallisationis. Tertia *periodus vegetationis* fuit. Quarta, in qua aeris defæcatio perfecta est, *periodus siderea* vel *astrorum* vocari potest, quoniam astra tunc, saltem quod ad tellurem pertinet, orta sunt. Quinta sequuta est *periodus vitæ animalis;* advenitque tandem sexta, quæ est *periodus intelligentiæ*. Opus itaque Creatoris summique Artificis perfectum est : *sabbatum* successit, duratque *periodus*, quæ est *conservationis*. Si tanta est longitudo *septimi diei*, eritne ita breve, ut vulgo creditur, tempus *sex dierum* qui hunc septimum præcesserunt?

Id unice restat, quod a Deo enixe petendum est, ut adveniat in terras regnum Dei Patris et Domini nostri Jesu Christi, ut ipsi serviant omnes gentes, utque opera creaturæ ejus quæ ad imaginem Dei facta est, vere ejus similitudinem referant; ut Deus qui vidit omnia, quæ ipse fecerat, esse *bona valde*, non amplius videat, quemadmodum ab Adæ peccato ad nostra usque tempora vidit, innumera valde mala inter ea, quæ ab Adæ posteris patrantur. Amen! Veni Domine Jesu (7).

(1) I part., *Quæst.* XXV, art. 6; et Cajetanus in illum artic.

(2) *Creatura eorum*, versio samarit.

(3) *Requievit* non a defatigatione, sed opere. Hebr. est שָׁבַת, id est cessavit. Aristobulus apud Eusebium, lib. XIII *Præparat.* cap. VI : « *Requievit*, ait, id est, rebus a se conditis dedit quietem et stabilitatem, perpetuitatem ordinemque fixum, ratum et immutabilem.

(4) Ita Beda, Pererius, Abulensis, etc.

(5) Ita Philo, Catharinus, Ribera, A Lapide, etc.

(6) *Confess.* XIII, cap. XXXVI. Similes locutiones de die septimo leguntur apud rabbinos : Abarbenel, *in Legem*, fol. 22; R. Bechai, *in Legem*, fol. 9. Vid. *Thesaur.* Ugolini, tom. I, p. 559, X.

(7) *Apocal.* cap. ult., vers. 20.

COROLLARIUM.

LXXXI. Ex iis quæ hactenus disseruimus consequitur, Mosen docuisse I. Mundum corporeum non esse æternum, sed a Deo in principio temporis creatum. II. Opera creationis non omnia uno momento, sed paulatim ac successive perfecta fuisse. III. Primum terræ statum fuisse veluti chaoticum. IV. Primum in mundo, aut saltem in terra nostra, phænomenon, magnam lucem sive ignem fuisse. V. Hanc in condenda natura Deum sibi legem proposuisse, ut quæ simpliciora et imperfectiora sunt, primo in lucem ederentur, ac postea magis perfecta magisque complicata gradatim prodirent. VI. Tellurem, quæ postea sicca adparuit et plantis convestiri cœpit, ex aquis emersisse. VII. Per aliquod tempus nullam fuisse vitam in terris aut vegetalem aut animalem. VIII. Plantas terrestres germinasse, antequam animalia nando, serpendo, volando, et gradiendo, aquas, aerem terrasque animarent. IX. Mammalia terrestria in lucem edita fuisse post alia minus perfecta animantia, et præsertim quando jam animantibus aquæ scatebant. X. Hominis demum creationem formationi regni animalis finem imposuisse. Has decem conclusiones philosophia, rerum naturalium inspectione ac notatione facta sagacior, nostro hoc ævo invicte demonstrat. Prætermitto alias philosophorum conclusiones, de quibus Moses tacet, quanquam de conclusione ea, quæ magni in re nostra momenti est, non omnino tacendum esse videatur: quod nempe magnum temporis intervallum ac longe diuturnius quam vulgo existimetur, inter primam rerum corporearum creationem et hominis formationem intercesserit. Hoc enim nec valde obscure nec semel Mosen cap. II indicare, supra ostensum est. Quæro nunc, in ea temporum remotissimorum vetustate, in ea humanarum disciplinarum infantia, antequam orirentur naturales scientiæ, quæ nostra hac solummodo ætate tanta incrementa suscepere, quæro, inquam, qua ratione, quibus artibus decem illæ veritates Mosi innotuerint? Cum per humanas scientias eas non didicerit, reliquum est, ut per divinam revelationem eas acceperit; adeoque creationis historia, quam in principio divinorum librorum legimus, aliquam revelationem antiquitus a Deo hominibus factam satis evincit.

APPENDIX

DE CREATIONE ANGELORUM.

LXXXII. Valde opportunum mihi videtur, idemque, ut spero, legenti videbitur, si nonnulla hoc in loco quæ Angelorum creationem spectant, adjecero. Existere substantias quasdam intelligentes, diversasque cum ab hominibus hominumque animabus, tum a cæteris sensibilibus rebus, quos Scriptura et Ecclesia Angelos sanctos, vel iniquos spiritus vocant; simulque hujusmodi substantias æternas non esse, hoc sacræ Litteræ, Ecclesiæ Patres atque Doctores præsumunt, docent, inculcant. Audiamus S. Thomam (1): « Dicitur *Prov.* VIII, ex persona Sapientiæ (*ab æterno*) genitæ: *Dominus possedit me ab initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio* (2): sed Angeli sunt facti a Deo: ergo Angeli aliquando non fuerunt. Solus Deus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, est ab æterno. Hoc enim fides catholica indubitanter tenet, et omne contrarium est sicut hæreticum refutandum. Sic enim Deus creaturas produxit, quod eas ex nihilo fecit, id est postquam nihil fuerant. » Paulus Apostolus, *Coloss.* I, 16, docet quod « in Ipso (Filio Dei) condita sunt universa in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates. Omnia per ipsum et in ipso creata sunt: et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant. » In cantico trium puerorum inter Dei creaturas primi Angeli recensentur: « Benedicite omnia opera Domini Domino... Benedicite Angeli Domini Domino. » Si vero Angeli creati sunt, jam non sunt æterni: creatio enim ab æterno repugnat, quod jam est a nobis demonstratum.

Angelos a Deo fuisse creatos, non modo christiana fides, sed et philosophorum opinio profitetur, maxime Platonicorum, quorum magister

(1) Part. I, *Quæst.* LXII, art. in corp. et ad 1. Vid. Suarez, *De Angelis*, lib. I, cap. II, ubi *de fide* esse dicit hanc propositionem : Angelos de facto non esse æternos a parte ante, seu non fuisse ex æternitate creatos (num. 4).

(2) Similia sunt verba ejusdem Sapientiæ, *Eccli.* XXIV: « Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam. »

Platò minores deos a summo esse conditos refert, et ab illis facta deinceps et perpolita reliqua.

Dubitatum est; utrum Angeli creati sint una cum mundo corporeo. S. Basilius scripsit (1): « Erat enim, ut apparet, aliquid etiam ante hoc universum, quod mente quidem nostra contemplari possumus; non est tamen litteris ullis proditum, quod rudibus et cognitione adhuc infantibus nequaquam congruere videbatur. Erat quidam mundi productione status antiquior illis mundo superioribus virtutibus consentaneus, tempore anterior, sempiternus, perpetuus; creaturas autem in ipso creator omnium et opifex effecit... nempe rationales neque aspectabiles naturas, et omnem intelligibilium ordinem, quæcumque mentem nostram superant, quorum ne nomina quidem investigari possunt. Hæc enim invisibilis mundi substantiam complent, ut nos Paulus his verbis docet: quoniam in ipso creata sunt omnia, sive visibilia sive invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates, sive Virtutes, sive Angelorum exercitus, sive Archangelorum. » Non facile intelligitur hic status anterior tempore et æternus, congruens substantiis superioribus mundo, qui ævum, imo æternitas interpretandus videtur. Illis verbis putat Vasquius (2) intervallum quoddam imaginarium, omni tempore anterius, significari. Suarius credidit statum illum æternum, « non de æternitate a parte ante, sed a parte post intelligendum (3). » Petavio (4) videtur divinitas ipsa potius, vel Dei Verbum indicari, a quo conditi et in quo, ceu loco et spatio, comprehensi sunt cœlestes spiritus, antequam hic mundus et hoc tempus existeret. Quod certum est, Basilius credidit, nihil vere sempiternum esse præter Deum, sensitque cum Paulo, in eo ipso quem citat loco, Filium Dei « fuisse ante omnes Thronos, Dominationes, Principatus. » Igitur dum ait, Angelos in Dei æternitate factos et ante tempus (nempe ante hoc nostrum tempus mutationibus obnoxium, quod corporum motu metimur), non tamen eos ab æterno creatos docet. Ambrosius (5) in Hexaemerone, ubi Basilium sequi solet, et nonnunquam ad verbum vertit: « Angeli, inquit, Dominationes et Potestates, *etsi aliquando cœperunt*, erant tamen jam, quando hic mundus factus est. »

Hieronymus ad cap. I epist. *ad Tit.*: « Sex mille necdum nostri orbis implentur anni; et quantas prius æternitates, quanta tempora, quantas sæculorum origines fuisse arbitrandum est, in quibus Angeli, Throni, Dominationes cæteræque Virtutes servierint Deo, et absque temporum vicibus atque mensuris Deo jubente substiterint? » Hæc dicuntur occasione verborum Pauli, vers. 2: « In spem vitæ æternæ, quam promisit qui non mentitur Deus, ante *tempora sæcularia.* » Hieronymus et Augustinus (6) legunt *ante tempora æterna*, ideoque Hieronymus locutionem illam, *quantas æternitates* hoc loco usurpat. Verum hæc *tempora æterna non fuerunt Deo coæterna*, ut ait Augustinus, qui alibi scribit (7), *æterna* a Paulo dici *tempora, quæ ante se non habent ullum tempus.* Verba Apostoli, hic et *Rom.* XVI, 25, omnia solummodo præterita tempora significare videntur. Cæterum Hieronymus optime norat, Scripturas docere unum creatorem sempiternum esse, nec æternitatem tribuebat Angelis, qui eodem in loco docet Angelis tantum « ex largitione Dei datam fuisse immortalitatem. »

LXXXIII. Quandonam igitur Angeli creati sunt? An una cum mundo corporeo? an vero ante hunc aspectabilem mundum, ut docentes vidimus aliquot Ecclesiæ Patres? *Circa hoc invenitur duplex Sanctorum sententia*, ait S. Thomas : ac perantiqua hæc et celebris quæstio est. Communissima tamen theologorum sententia tenet, *quod Angeli simul cum creatura corporea sunt creati.*

Circa hanc controversiam dico *primo*, naturali ratione neutram partem demonstrari posse : cum non ex natura rerum, Vasquii (8) verbis utor, sed ex Dei sola voluntate pendeat, tali aut tali puncto temporis Angelos produci : Dei autem voluntatem nulla ratione investigare possumus, nisi ex iis quæ facta videmus. Cum igitur non constet ex iis quæ facta videmus, utrum Angeli simul duratione cum creatura corporea, aut ante illam producti fuerint, nihil de voluntate Dei circa punctum productionis ipsorum ex ipsis rebus intelligere possumus.

Sed neque ex Patrum traditione, si præscindimus ab Ecclesiæ auctoritate, satis firmum argumentum pro definienda hac quæstione derivare possumus. Græcus quidam scriptor in ms. codice apud Petavium (9) ait : « Omnes propemodum per orbem Ecclesiæ magistri intelligibilem omnem et angelicam naturam ex nihilo ante hunc mundum extitisse docent. » Verum hæc Doctorum consensio falsa est; nisi intelligatur ante mundum perfectum et ornatum, id est ante animalium creationem, Angelos exstitisse. Conditos ante omnia corpora Angelos docet cum Basilio, Origenes, qui tamen fatetur, non satis manifeste proditum esse, quando Angeli creati sint; tum Gregorius Nazianzenus, Zacharias Mytilenæus (10),

(1) Homil. 1 *in Hexaem.*
(2) Disput. 224, cap. I, in I part.
(3) *De Angelis*, lib. I, cap. II, num. 8.
(4) *Ibid.* cap. XV, § 15.
(5) Lib. II, cap. V.

(6) *De Civit. Dei*, lib. XII. Easdem græcas voces χρόνοις αἰωνίοις vulg. vertit, *temporibus æternis*, Rom. XVI, 25.
(7) Lib. *Contra Priscillian.* cap. VI.
(8) Loc. cit., cap. III.
(9) Lib. I, § 2.
(10) « Mundum hunc sensibilem et aspectabilem factum esse post intelligibilium procreationem, » scribit apud Petavium, lib. I, § 4.

Damascenus (1), Severianus Gabalitanus aliique Græci, præsertim Joannes Philoponus, qui illius sententiæ patrocinium defensionemque suscepit. Idem tradit Moses Ep. Syrus (2), quamvis asserat, populares suos contrariæ sententiæ adhæsisse. Inter Latinos, præter citatos Ambrosium et Hieronymum, Hilarius Pictaviensis (3), Cassianus et alii (vide Petavium, loc. cit.) opinioni huic adstipulari videntur.

LXXXIV. Ex adverso Epiphanius : « Illud, ait, evidenter divinus sermo declarat, neque post sidera productos Angelos, neque ante cœlum terramque constitutos. Est enim certa illa et immutabilis sententia, ante cœlum et terram nihil omnino conditarum rerum exstitisse. » Theodorus Mopsuestenus scripsit : « Non minus stultum est, quando aliqui etiam eorum, qui censentur pii et divinis Scripturis credere se profitentur, Angelos et invisibiles aliquas virtutes ante visibilia exstitisse arbitrantur, cum ex divina Scriptura nullam hujus probationem afferre possint (4). » Similia docet Theodoretus, qui tamen addit, dummodo natura Angelorum creata fuisse concedatur, nihil contra fidem ac pietatem facere, si quis eos ante cœlum et terram conditos dixerit. Basilius Seleuciensis cœli terræque conditu non anteriores Angelos facit. Procopius Gazæus probabiliorem putat sententiam, cum cœlo Angelos conditos esse. Augustinus, *De Civit. Dei*, lib. XI, XIX, et alibi (5), eos prima die creatos, et lucis nomine comprehendi putavit : tamen cap. XXXII, potestatem cuique facit quod velit sequendi, dummodo creatos a Deo constet Angelos. In eamdem sententiam conspirare videtur Gregorius martyr, qui tamen (6) ante lucem eos creatos judicat. Junilius Africanus una cum cœlo et terra productos asserit. Eucherius *Angelos lucis significatione creatos* intelligit, id est primo die. Ita Isidorus Hispalensis, qui idcirco quando Angelos dicit factos *ante omnem creaturam mundi* et absolute *ante omnem creaturam*, benigne interpretandus est. Idem dicendum de Beda, qui Angelos docet *in ipso principio conditionis* factos cum cœlo, terra, aere et aqua (7); quare dum eos dicit ante (8) creationem mundi creatos, intelligendus est *de ordine prælationis*, non de temporis quantitate, ut ipse statim subjicit, neque de mundo consummato et formato. Idem tenent Rupertus, Ansbertus, et auctor commentariorum *in Psalmos*, qui inter Hieronymi opera ponuntur. Hugo Victorinus post cœlum factos Angelos censet, quippe in cœlo ipso creatos, quæ fere iisdem verbis apud Petrum Lombardum leguntur. Gennadius Massiliensis (9) : « In principio, inquit, creavit Deus cœlum et terram et aquam ex nihilo, et cum adhuc tenebræ ipsam aquam occultarent, et aqua terram absconderet, facti sunt Angeli, et omnes cœlestes Virtutes, ut non esset otiosa Dei bonitas, sed haberet in quibus per multa ante spatia bonitatem suam ostenderet. » Ubi illud *multa spatia* Suarius (10) intelligit *multa sæcula*. Sensit ergo Gennadius vel multa sæcula, vel certe longum temporis spatium, inter cœli terræque creationem, et lucem diei primæ intercessisse. Ex his omnibus apparet, Patrum suffragiis quæstionem non posse dirimi.

LXXXV. At potestne ex auctoritate sacrorum codicum certo definiri ? Ea quæ citantur e Scripturis pro prima sententia, profecto nil roboris habent. De loco ex epist. *ad Tit.* nuper aliquid dixi. Quod citatur ex *Job* XXXVIII et XL, est telum imbelle sine ictu. Videri tamen potest Suarius, lib. I *De Angelis*, cap. III, §§ 20, 21, 22.

Sed neque pro secunda ullam fidem faciunt, uti demonstrant Vasquius et Petavius, quæ afferuntur ex *Luc.* cap. X, vers. 18: « Videbam satanam quasi fulgur de cœlo cadentem, » et ex *Apoc.* XII, quo Michaelis cum diabolo pugna in cœlo describitur. Iidem auctores ostendunt neque illud *Eccli.* cap. XVIII : « Qui vivit in æternum, creavit omnia simul, » satis firmum argumentum suppeditare. Hunc locum alibi exposui (§ 26).

Verum ex illo : « In principio creavit Deus cœlum et terram, » satis res probari videtur. Litteræ sacræ maximeque veraces, ait Augustinus (11), ita dicunt : « In principio fecisse Deum cœlum et terram, » ut nihil antea fecisse intelligatur, quia hoc potius in principio fecisse diceretur, si quid fecisset ante cætera cuncta quæ fecit. Ergo Deus nec Angelos creavit ante creationem cœli et terræ; nam secus cœlum et terram in principio operum suorum et ante omnia alia opera sua non creasset. Hoc argumentum, dicit Suarius, esse *maxime probabile*.

Præterea, certumne est, omnino prætermissam a Mose fuisse Angelorum creationem? Objiciebat quidem hoc Mosi Julianus Apostata (12), quod scilicet tantum locutus sit « de cœlis et de terrenis corporibus, ita ut Deus, secundum ipsum, nullius

(1) « Ego Gregorio Theologo subscribo. Decebat enim primum intelligibilem substantiam creari, tum sensibilem, ac demum ex utraque compositum hominem. » (Lib. II, cap. III). Ita cap. I, 4 : « Fecit primum intelligentes cœlestesque virtutes, deinde visibilem et sensibilem mundum. »

(2) *De Paradiso*, part. II, cap. VII.

(3) *Angelorum origo terræ creatione antiquior* ab eo dicitur, lib. XII. Attamen vide notam in locum tom. II, p. 429, edit. Veron., ann. 1730.

(4) Philoponus Theodori adversarius putat hunc, tacito nomine, reprehendere Basilium.

(5) *Contra Faustum* lib. XXII, X. — *De Genes. ad lit.* II, VIII. — Serm. 251 *De Tempore*. At *Confess.* XI, XV, ante omne tempus, omnemque temporalem creaturam eos exstitisse vult.

(6) *Moral.* lib. XXVIII, cap. XIV.

(7) *Quæst. in Genes.* Et in *Hexaem.*

(8) Lib. *Variar. Quæstion.* in IX.

(9) *De Dogmat. ecclesiast.*, cap. X.

(10) *De Angelis*, lib. I, cap. IV, num. 4.

(11) *De Civit. Dei*, XI, VI.

(12) Julianus apud Cyrillum, lib. II *Contra Julian.*

incorporei sit conditor, sed materiæ subjectæ ornator.» At veteres aliqui creationis Angelorum Mosen meminisse putarunt vel sub cœli nomine, ut Origenes, Beda, Strabus; vel lucis, quod Augustino non displicuit. Ego facile dabo, explicite et peculiari loco de procreatione Angelorum Mosen non loqui : fortasse quia, ut ait Cyrillus, quæ a sensu remota sunt, difficile a nobis intelliguntur; nec voluit ille ea scriptis committere, quæ a legentibus percipi non possent; quæ ratio præcipue in Hebræos valet, ut Chrysostomus advertit (1). Verum omnino existimandum videtur, eum de his, implicite saltem, esse locutum : nec enim, de Angelis sæpe mentionem facturus, volebat eos increatos putari. Non quidem arbitror, ipsum intendisse, ut cœlorum nomine Angelos intelligeremus, sed potius comprehendisse cœli nomine ea omnia quæ cœlestia vocabantur, in quibus primi sunt Angeli. Id patet ex *Psal.* CXLVIII, in quo, ut Suarius observat, id quod Moses implicite dixerat, exponi quodammodo atque enucleari videtur. Nam primo cœlestia generatim ad Dei laudem invitantur : « Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis; » deinde declaratur quid cœlestium nomine veniat: « Laudate eum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus. Laudate eum sol et luna... quia ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt. »

LXXXVI. Maxime vero favet doctrinæ huic et allatæ interpretationi verborum Mosis concilii Lateranensis quartum decretum quo dicitur : « Deus Creator omnium visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, et deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam. » Tametsi Patrum Lateranensium ea mens non fuerit ut hanc quæstionem dirimerent, sed ut alios damnarent errores, quod alibi cum S. Thoma indicavi (§ 24); tamen fatendum videtur cum Suario, Concilium in formula illa prædictam quoque doctrinam profiteri, et prima verba Geneseos modo nuper exposito interpretari. Dicunt quidam illud *simul* intelligendum esse *æque* aut *pariter*, neque ad tempus referri. Verum, ut advertit idem Suarius, illud *simul* respondet sequenti *et deinde*, eique opponitur. Jamvero adverbium *deinde* particula temporis certe est; ergo et alia particula *simul*, non creatoris solum, sed etiam temporis identitatem hoc loco commonstrat. Præterea Angeli creati sunt *ab initio temporis* pariterque *ab initio temporis de nihilo condita est corporalis seu mundana creatura;* igitur magnum aliquod temporis intervallum inter utramque creationem non intercessit. Quanquam autem Pontifex et Concilium non definiant quomodo Geneseos exordium sit intelligendum, tamen qui illam proponebant formulam, certe prima Mosis verba præ oculis habebant : etenim verborum illorum quasi quædam paraphrasis ipsa formula esse videtur. Vide quam apte utraque sibi respondeant : « In principio : ab initio temporis — creavit : sua omnipotenti virtute simul de nihilo condidit — Deus : Deus creator omnium visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium, — cœlum et terram : utramque creaturam spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam.

Hujus vi canonis, docuit Franciscus De Sylvestris Ferrariensis (2), hanc modo doctrinam ad fidem pertinere, quia est ab Ecclesia definita. Sed hoc est nimium velle, nam, quæ Suarii sententia est, « Concilium non ex instituto ad id definiendum, sed obiter et quasi aliud agens, id dixit. Non enim in eo capite intendebat concilium nova dogmata definire, sed antiqua profiteri, et ita illud explicuit D. Thomas in *Opusc.* XXIII, ubi decretalem illam exposuit, et ita etiam et communi sensu Ecclesiæ receptum. » Revera Aquinati in *Summa* (3) *probabilior* est hæc sententia, immo contrariam ipse videtur judicare improbabilem. Addit tamen: « Quamvis contrarium non sit reputandum erroneum, præcipue propter sententiam Gregorii Nazianzeni, cujus tanta est in doctrina christiana auctoritas, ut nullus unquam ejus dictis calumniam inferre præsumpserit, sicut nec Athanasii documentis, ut Hieronymus dicit. » Hinc aliqui, ut Vasquius et Petavius, negant, integrum esse illi sententiæ notam aliquam inurere : immo Petavius, licet quodam in loco obiter (4) communi sententiæ theologorum favere videatur, tamen dum tomum III *theologicorum dogmatum offert consecratque Deo Angelorum ante omnia creatori*, contrariæ doctrinæ adhærere videtur.

Alii sentiunt hanc doctrinam defendi non posse post concilium Lateranense, quin in aliquam temeritatis notam offendatur. Ait Suarius (5), « ex verbis Concilii non parum auctoritatis accessisse huic sententiæ, atque adeo non carere temeritate contra illam nunc sentire. Ita censent Valentia, tom. I, *Quæst.* XII, punc. 2, et Banes dicto art. 3... neque per hoc fit injuria antiquioribus Patribus, quia illis temporibus res erat magis controversa, minusque declarata. Potestque uno tempore propositio aliqua non esse temeraria, et postea esse, interveniente Ecclesiæ auctoritate, et communi conspiratione ac consensu. » Antonius Cassinius (6) non audet dicere illam opinionem esse *certo temerariam*, sed eam *probabiliter temerariam* dicit. « Propositio temeraria, ait, generatim est illa, quæ sine rationis regula profertur; quod conve-

(1) Homil. 1 *in Genes.*

(2) *Comment.* in lib. II *Contra Gent.* cap. LXXXIII, in fine.
(3) I part., *Quæst.* LXI, art. 3.
(4) Cit. in nota, ad § 74.
(5) Vid. num. 13, 14, 15.
(6) *Encyclop. S. Script.* tract. 5, part. I.

nit in eam quoque, quæ dicitur *temeraria* tantum *negative*. Propositio autem temeraria positive, de qua loquimur, est illa quæ in re theologica opponitur communi doctorum sensui, sine ullo gravi et antea non detecto aut impenso vel rationis vel auctoritatis momento. Omnes autem sacri interpretes et doctores post Lateranense concilium, expensis omnibus in utramque partem, in eo consentiunt, quod Angeli conditi fuerint intra sex divini opificii dies; illi etiam qui id in eo Concilio definitum fuisse pernegant, » etc.

LXXXVII. Ego tantummodo animadversionem unam adjiciam, quæ, ni fallor, alicujus est momenti, et quam veteres theologi adjicere non poterant. Fuse jam ostendimus, illud esse a philosophia imperatum, a theologia permissum, ut longum temporis intervallum inter mundi corporei creationem et productionem hominis interponamus. Ergo pari modo licebit inter productum hominem et Angelorum creationem longum temporis intervallum collocare. Jamvero sententia hæc ab ea de qua loquebamur antiquorum, non plurimum differt. Hoc modo cum communi theologorum doctrina non illa quidem omnino, quod fateor, conciliatur; sed tamen magna ex parte cohæret. Atque inde licet animadvertas, quomodo humanæ scientiæ, quamvis ab invicem remotissimæ, auxilia sibi mutua argumentaque conferant. Quis unquam putasset, progressum naturalium scientiarum ea nobis allaturum, ex quibus theologica hæc de spiritibus controversia, quantumvis imperfecte, componi posset? Quod veteres illi contendebant, exstitisse Angelos per aliquot, et vero etiam per multa sæcula ante epocham illam quæ communiter dicitur mundi initium, hoc est ante hominem conditum, hoc et nos concedere possumus, et certe Lateranensi decreto non contradicimus, dummodo confiteamur Deum simul ab initio temporis et Angelos et corpora de nihilo condidisse. Possent modo, paucis mutatis verbis, antiqui illi suas proferre sententias, quia neque Lateranensi synodo, neque recentiorum doctrinæ adversarentur. Posset e. g. dicere Hieronymus : « Sex mille necdum nostri *humani generis* implentur anni, et quanta prius tempora, quantas sæculorum origines arbitrandum est præcessisse, in quibus Angeli, Throni, Dominationes cæteræque Virtutes servierint Deo, et eo jubente substiterint. » Posset Ambrosius affirmare (1) : Longo tempore ante ipsam hominis creationem, « Cherubim et Seraphim cum suavitate canoræ vocis suæ dicunt: Sanctus, sanctus, sanctus. » Nec Genebrardum quispiam jure reprehenderet, si scriberet, veriorem sibi videri sententiam, « quæ Angelos nescio quot sæculis antecessisse originem » humani generis docet (2). Satis esset pro « rerum corporearum origine, origenem seu creationem hominis » posuisse (quæ epocha cum *epocha creationis mundi* vulgo confunditur) vel etiam originem regni animalis.

Placet tandem animadvertere, inter illos qui Angelos longe ante corporeum mundum creatos ponebant, nonnullos fuisse qui corpora tribuerent Angelis, non quidem crassa et ponderosa, cujusmodi hæc nostra sunt, sed tenuissima, ætherea vel ignea. Inter hos recensentur Ambrosius (3) et Cassianus, quibus consentit in lib. *De Spirit. Sanct.* (4) Basilius, qui inter assertores hujus sententiæ citatur a Joanne Thessalonicensi (5). Basilius præterea (6) ante mundum hunc mutationi corruptionique subjectum superiorem quamdam lucem fuisse suspicatus est, nostraque splendidiorem, in qua Angeli degerent: mox vero ut cœlum conditum est, in regione supercœlesti lucem illam mansisse, et interclusa inferioribus partibus luce cœlesti ob interpositum cœli corpus, tenebras occœpisse. Hinc autem ostenditur in ea sententia Basilium fuisse, ut putaret longe ante epocham illam, quæ mundi creatio dicitur, veram quamdam lucem, quæ, uti hæc nostra, objectu opaci corporis interciperetur, creatam fuisse. Severianus Gabalitanus (7) lucem primo die factam, *ignem* esse dicit, et addit : « Sed cœlestes quoque Virtutes sunt ignis; ac superior ille ignis nostro huic inferiorique cognatus est. » Ex quibus omnibus sequitur, quosdam ex Patribus, non modo veros spiritus sive intelligentias, sed et aliquid corporeum, adspectabilis hujus mundi formatione anterius, posuisse.

Animadvertendum est, quosdam Ecclesiæ Patres corporatos utique Angelos posuisse, sed non idcirco illis mentem omnino incorpoream negasse. Nec nos incorporei sumus: non ideo omnino corporei, et animo vere spirituali et incorporeo carentes. Cassianus *angelos corpus habere secundum se docet*, sed mentes illas corpus habentes, corporeas non dicit. Substantiæ nonnisi corporeæ nunquam

(1) *Præfat. in Psalm.* : « Ante ipsum initium mundi Cherubim, » etc.

(2) Genebrard., *De Trinit.* lib. I.

(3) Vid. Petav. lib. I *De Angelis*, cap. II, §§ 8, 12.

(4) Cap. XVI, ubi ait : « Substantia quidem ipsarum (cœlestium virtutum) spiritus, puto, est aerius aut ignis expers materiæ. » Videtur Petavio Basilius non satis sibi constare (*De Angelis*, lib. I, cap. II, § 4), quia lib. *Contra Eunom.* et in homilia, in qua Deum non esse malorum auctorem probat, ἄσωματον, hoc est *corpore carentem* naturam Angelorum ponit. At hoc nihil est. Etiam Severianus Gabalitanus *intellectu præditos et incorporeos spiritus* (ἄσωματα πνεύματα) dicit Angelos, et tamen corpus igneum, aut potius ex igne et aere, eis tribuit. Incorporea vocabant veteres illa quæ crassa et palpabili materia carent. Cæsarius (*Dialog.* I, interrog. 48), *immaterialia* dicit *corpora* Angelorum. « Incorporei, ait, sunt secundum nos, corpus vero secundum sese, quemadmodum ventus, aut fumus, aut aer; sunt enim tenuia et immaterialia corpora, a nostra crassitudine secreta. »

(5) In Dialogo lecto in œcumenica Synodo VII, act. V, p. 547, edit. Rom.

(6) Homil. 2 *in Hexaem.*

(7) *Homil.* 1 et *De mundi Opif.*

corpus habere dicuntur. Augustinus a corporeitate Angelorum pluribus in locis non abhorret. Lib. II *De Trinit.* cap. VII, et lib. III, cap. I, hæc habet: « Ipsum corpus suum, cui non subduntur, sed subditum regunt, in species, quas vellent, accommodatas atque aptas actionibus suis, mutantes atque vertentes secundam attributam sibi a Creatore potentiam. » Age vero: res cogitans et volens, corpus mutans ut libet, certe materia non est, juxta Augustinum, qui cogitantis principii omnimodam spiritualitatem adstruit et probat pluribus in libris, et præsertim in libro *De Quantitate animæ.* In illa hypothesi Augustini, Angeli sunt spiritales substantiæ, quibus organa materialia subtilissima inserviunt. Basilium adeo aperte animi nostri spiritualitatem asserentem, ut credat ex hac nos posse cognoscere Deum incorporeum (1), quis putabit mentem vere spiritalem ademisse *superioribus virtutibus rationalibus, nostramque mentem superantibus?* Plura addere possem ex ipso Basilio, ex Ambrosio et aliis; verum in re ad historiam creationis Mosaicam non pertinente, amplius immorari non est necesse.

COROLLARIUM.

LXXXVIII. Angelos productos fuisse longe ante cœli terræque opificium, quod initio Geneseos describitur, licuit adserere S. Gregorio Nazianzeno, SS. Hieronymo, Hilario, Joanni Damasceno aliisque, quin tamen aliquid contra fidem aut pietatem peccarent, quod fatetur, quanquam contrariæ sententiæ addictus, Theodoretus; licuit hoc illis quin ullam hæreseos notam incurrerent, et quoniam ante IV Lateranense concilium scripserunt, neque temeritatis. Mansit Gregorio Theologi cognomentum, summaque qua pollet in Ecclesia auctoritas; Hieronymus vero in Scripturis interpretandis Doctor maximus dictus est. Licuit idem Ambrosio, « qui nihil materialis compositionis immune atque alienum putabat, præter illam solam venerandæ Trinitatis substantiam. » Licuit Sereno Abbati, verius Cassiano, qui illum loquentem inducit (2), qui tamen Cassianus (3), « Angelos, Archangelos cæterasque Virtutes nullatenus incorporeas æstimavit, » sed « habere secundum se corpus quo subsistunt, licet multo tenuius quam nos. Licuit Basilio Magno, qui Angelis « substantiam aeream vel igneam » tribuit, et non modo illos creatione cœli et terræ antiquiores posuit, sed etiam lucem quamdam ante creatum mundum exstitisse asseruit, nostra quidem hac inferiori splendidiorem, huic tamen cognatam. Licuit hoc illis, quanquam nulla cogente naturali ratione. Multo magis igitur nobis modo licebit, longum ponere temporis intervallum, non quidem ante cœli terræque creationem a Deo *in principio* factam, sed inter hanc et hominis creationem, cum id verum stabilitumque esse suadeant validæ naturales rationes, observationibus plurimis, iisdemque certissimis innixæ.

1) Homil. in illud *Attende tibi.*

(2) *Collat.* VIII, cap. VII.
(3) *Collat.* VII, cap. XIII.

PROŒMIUM

ET ENCOMIUM

SACRÆ SCRIPTURÆ.

SECTIO PRIMA.

De ejus origine, dignitate, objecto, necessitate, fructu, amplitudine, difficultate, exemplis, methodo et dispositionibus.

1. Celebris ille Ægyptiorum Theologus, Mosi pene æquævus, Mercurius, Gentilium opinione Trismegistus, diu, qua ratione aptissime universum hoc describeret, secum ipse versans, huc demum erupit : « Universum, inquit, est liber divinitatis, sæculumque hoc sublustre est speculum divinorum, » nimirum hocce libro suam ipse theologiam, diutina sane commentatione didicerat. « Cœli enim enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum; » et : « A magnitudine speciei et creaturæ, videri potest creator eorum, sempiterna quoque *et invisibilis* ejus virtus atque divinitas; » ut in magnis hisce cœlorum tabulis, in paginis elementorum ac voluminibus temporum, perspicaci oculo divinæ institutionis doctrinam propalam quasi legere liceat : ita sane ex ipsis mundi primordiis et ex nihilo illius molimine, omnipotentem auctoris ejus vim et energiam; ex muliplici adeo creatarum rerum discordi et variegata concordia, beneficam ejusdem abyssum; ex amplo illo cæterorum omnium spirituum, corporum, motuum, temporumque complexu, æternitatem immensitatemque conditoris metimur, et quadam tenus pervidemus. Ita ex pondere eorumdem, numero et mensura sapientissimam magni hujus architecti πρόνοιαν, numerosamque et mire concinnam in eo cujuslibet naturæ harmoniam ideamque mirari et suspicere licet, quæ et primitus quamlibet universi hujus partem, fixis et immotis plane modis, et secum et compari cuivis alteri parti amicissime devinxerit, et amicum hocce vinculum, ut stabili fide concordes varient vices, jugi suo influxu indivulse servet et tueatur. Hoc ipsa de se publica voce deprædicans æterna Sapientia, *Prov.* VIII, 22 : « Quando præparabat, inquit, cœlos, aderam; quando certa lege et gyro vallabat abyssos; quando æthera firmabat sursum, et librabat fontes aquarum; quando circumdabat mari terminum suum, et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos; quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens, » quasi certas sui notas in hac compositione se inscripsisse significans.

Mundus est liber divinitatis.

2. Verum enim vero, quamvis pulcher hic microcosmus archetypum, unde ab auctore suo expressus est, puta numen sacrum, increatamque sphæram altissimæ divinitatis reserat, oculisque subjiciat : multis tamen partibus imperfectus est hic liber, et sciatica duntaxat elementa suppeditat, vestigia, inquam, potius, quibus quasi ex ungue leonem agnoscas, quam claram absolutamque scriptoris sui descriptionem. Accedit, quod naturæ solius exaratus charactere, nihil eorum dictat quæ naturæ terminos transcendunt, quibus ad cœlum sanctæ Trinitatis, bonumque nostrum perenne, quod vita et morte; votis omnibus sequimur, provehamur.

3. Visum ergo divinæ et interminæ bonitati, scribæ scilicet sapientissimo, velociter et mira dignatione scribenti, alium adhibere calamum, alias nobis subjicere tabulas, alios longe depingere sui characteres : qui non mutam aliquam speciem, sed distinctas oculis voces, auribus sonos, mentibus sensa, vivasque divinorum imagines insererent, quibus et semetipsum, cœlestesque mentes, creataque omnia, et quidquid ad bene beateque vivendum nos manuducit, tam luculenter, quam benevole et sapienter describeret. Quod demiratus legem Dei Israeli dictaturus Moses noster, *Deut.* IV, 7 : « En populus, exclamat, sapiens et intelligens, gens magna; nec est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi : quæ est enim alia gens sic inclyta, ut habeat cæremonias, justaque judicia, et universam legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros? »

S. Scripturæ sunt litteræ Dei ad nos.

Equidem quam mirabile est libros sacros divinæ Scripturæ, ipsissimas, inquam, a Deo ad nos perscriptas litteras, et indubitatos divinæ voluntatis testes, semper ad manum habere, lectitare identidem, volvere et revolvere? quam suave, quam pium, quam salutare, domesticum dari quod consulas oracula, quo non Apollinem ex tripode, sed Deum ipsum clarius multo et certius, quam e veteri arca et Cherubim proloquentem, audias? Hoc cogitabat S. Carolus Borromæus, dum sanctam Scripturam, quasi Dei oracula, non nisi nudo

Sunt oracula.

capite, et flexo poplite venerabundus lectitare soleret.

4. Biblia juxta Eucharistiam in templis olim ponebantur.

Ea propter erant olim in templis duo secretaria, a dextro sinistroque latere absidis posita : in quorum altero sacra Eucharistia asservabatur, in altero divinæ Scripturæ codices sacri. Unde S. Paulinus (uti ipse testatur epist. 12 *ad Severum*) in templo Nolano a se erecto, hos versus ad dextram inscribi jussit :

Hic locus est, veneranda penus qua conditur, et qua
Ponitur alma sacri pompa ministerii ;

a sinistra vero hosce :

Si quem sancta tenet meditandi in lege voluntas
Ilic poterit residens sacris intendere libris.

Ita etiamnum Judæi in suis synagogis legem Mosis, quasi oraculum, magnifice in tabernaculo, perinde ac nos S. Eucharistiam, condunt, et publice proponunt ; cavent ne illotis manibus Biblia contrectent ; osculantur ea quoties aperiunt et claudunt ; non sedent in eo scamno in quo sunt Biblia ; quod si in terram ceciderint, integrum diem jejunant, quo magis mirere negligentius hæc a Christianis nonnullis accipi et pertractari. S. Gregorius, lib. IV, *epist.* 84, Theodorum, medicum licet, reprehendit, quod negligenter sacram Scripturam lectitaret : « Imperator, inquit, cœli, Dominus angelorum et hominum, pro vita tua tibi epistolas suas transmisit, et tu illas ardenter legere negligis! quid est enim S. Scriptura nisi quædam epistola omnipotentis Dei ad suam creaturam? » Quapropter paulo uberius disseram de S. Litterarum, *primo*, præstantia, necessitate et fructu ; *secundo*, materia et amplitudine ; *tertio*, difficultate ; *quarto*, afferam Patrum hac de re judicia et exempla ; *quinto*, qua animi tum comparatione, tum contentione hoc studium suscipiendum sit, ostendam.

5. Cap. 1. De sacræ Scripturæ dignitate, necessitate et fructu.

I. Philosophi docent principia demonstrationum et scientiarum prænosse oportere illis ipsis scientiis et demonstrationibus. Est enim scientiis suus, uti cæteris rebus omnibus, ordo ; omnisque veritas vel prima est, et cuivis obvia, vel a prima certis quibusdam ductibus dimanat, quos si intercipias, veluti incisis fontis canalibus, rivulos veritatis omnes inde nascentes succideris. Porro Theologiæ omnis initia complectitur sacra Scriptura. Theologia enim non aliud est quam conclusionum scientia, quæ ex principiis fide certis ducuntur, ideoque scientiarum omnium augustissima est, æque ac certissima : principia vero fidei fidemque ipsam S. Scriptura comprehendit : unde evidenter sequitur Scripturam sacram Theologiæ principia jacere, quibus Theologus suas demonstrationes mentis ratiocinio, ceu matre fœtus

6. Scriptura dat principia Theologiæ Scholasticæ.

novos gignat atque proliciat. Quare qui Scholasticam a S. Scriptura seria commentatione divellere se posse putat, prolem sine matre, domum sine fundamentis et ad instar terræ pensilem, aquæductus sine scaturigine, segetem sine semine, conclusionem sine principiis, uti desultoria, ita delusoria levitate frustra sperat et exspectat.

6.

Vidit hoc divinus ille Dionysius, quem et Theologorum verticem, et πετεινὸν τοῦ οὐρανοῦ, volucrem cœli omnis antiquitas suspexit, qui passim de Deo deque rebus cœlestibus disputans, S. Scripturam uti principio et face prælustri se subnixum incedere profitetur. Instar sit omnium quod *De Divin. Nom.* in ipso operis limine cap. 1, ita fere præfatur : « Nulla, inquit, ratione præsumendum est, aliquid de supersubstantiali secretissimaque deitate aut dicere, aut cogitare, præter illa quæ nobis sacra eloquia tradiderunt : nam suprema divinaque scientia ignorationis illius (divini puta arcani) ipsi adscribenda, tantumque fas ad celsiora contendere, quantum seipsum divinorum eloquiorum radius insinuare dignatur, cætera vero ut ineffabilia casto honoranda silentio : velut quod primordialis et fontana deitas sit Pater, Filius vero et Spiritus Sanctus fœcundæ deitatis, si fas est dicere, germina sint plantata divinitus, et veluti flores ac supersubstantialia lumina, a Scripturis sacris accepimus. Est enim mens illa omnibus inaccessa substantiis, sed ab ea quantum illi placet, porrecta manu, sacris Litteris subvehimur ad supremos illos fulgores hauriendos, atque ab his ad divinos hymnos dirigimur, et ad sacras laudationes effingimur. » Rursumque libro *De Mystica Theologia*, spiritalem et mysticam Theologiam, quæ ad ipsum supersubstantiale occultum et Dei caliginem, sine symbolis, creata omnia negatione transcendendo pervadit, aretam esse docet, itaque stringi, ut tandem obmutescat : symbolicam vero, quæ, Deo in Scriptura ad verba nostra descendente, sensibiles ejus nobis figuras objicit, ad congruam latitudinem extendi, eaque causa dicere solitum S. Bartholomæum, Theologiam et plurimam esse et minimam, Evangeliumque et latum et magnum, rursumque concisum : mystice scilicet, et ascendendo, parvum atque concisum ; symbolice vero, et descendendo, magnum esse et amplum.

Id docet S. Dionysius.

Mystica Theologia et symbolica.

S. Bartholomæus ait Evangelium esse latum et simul angustum.

7.

Equidem si symbolica destitueremur, si in sacris codicibus nullas sui suorumque imagines dedisset Deus, oppido quam infans, quam muta foret omnis nostra Theologia! Si de SS. Triade unius ejusdemque monadis et essentiæ tacuisset Scriptura, annon altum et perenne apud Scholasticos, in materia adeo vasta, de relationibus, origine, generatione, spiratione, notionibus, personis, Verbo, imagine, amore, dono, potentia, et actu notionali, cæterisque omnibus foret silentium? Si beatitudinem nostram in Dei visione non ponerent divina eloquia, quis Theologorum eam non dico sperare, sed vel eminus odorari potuisset? Si fidem, spem, religionem, martyrium, virginitatem, et cæteram omnem, naturales transcendentium divinarumque virtutum catenam ce-

lassent sacri vates, et novi instrumenti scriptores, quis eas ingenio, quis votis et voluntate sequeretur? Nimirum, latuerunt hæc priscos sapientes, quamvis prodigiosa, et ad miraculum pene sublimi intelligendi vi præditos; ignoravit hæc Platonis academia, hic silet omnis Pythagoræ schola, hic pueri sunt Socrates, Pimander, Anaxagoras, Thales, Aristoteles. Taceo quæ de virtutibus naturæ cognatis, de lege deque officiis homine, qua ratione pollet, dignis, deque eis adversis vitiis, et universa morali Philosophia divinæ Litteræ clarius certiusque quavis Ethica pertractant, ut in eas solas illa Tullii Philosophiæ, sive Ethicæ elogia aptissime conveniant, et sint dicanturque optimo jure « lux vitæ, magistra morum, animi medicina, bene vivendi norma, justitiæ altrix, religionis fax. »

Ethicæ elogia.

8. S. Justinus per S. Litteras convertitur.

Didicit hoc, expertusque est magno suo bono S. Justinus Philosophus et Martyr, qui, ut ipse testis est initio dialogi *contra Tryphonem*, Philosophiæ veræque illius sapientiæ quæ ad Deum ducit, avidus, mirabili circulo sectas quasque Philosophorum illustriores, velut Odysseam errorum pervagatus frustra, in Christiana demum S. Litterarum Ethica, tanquam sola solida conquievit. Ac primum Stoico cuidam discipulum se addixit, a quo cum nil de Deo audiret, Peripateticum delegit magistrum, quem mercede sapientiam nundinantem despiciens, in Pythagoricum est devolutus; sed quod neque Astrologus, neque Geometer foret (quas ille artes, uti ad beatam vitam præambulas, exigebat), ab hoc in Platonicum delapsus est, subventanea et inani ab omnibus sapientiæ spe delusus; donec inopinato in divinum quempiam Philosophum, sive hominem, sive angelum incidit, qui protinus suasit, ut abdicata omni illa circulari disciplina, Prophetarum libros legeret, quorum auctoritas omni demonstratione major et sapientia foret saluberrima, in hos omne suum scientiæ desiderium acueret; atque abiit ille, nec postea ei visus, sed tam incensa ei studii hujus sacri, lectionisque divinorum voluminum injecta cupiditate, ut protinus omni aliorum doctrina valere jussa, hanc unam ambiret avidissime, et constantissime sequeretur, ubere adeo fructu, ut ipsa nobis Justinum et Christianum, et Philosophum, et Martyrem pepererit. Idem illud divini hujus Philosophi consilium omnibus nobis assectari operæ pretium, si verum Dei pietatisque sensum, si mores Christianos, si sanctæ vitæ spiritum sugere atque imbibere percupimus.

9. S. Scripturam non aliis, sed sibi ipsi legat quisque.

Fallax enim est ista, quæ multorum perstringit mentis aciem, opinio, sacras Litteras non sibi, sed aliis duntaxat ediscendas esse, ut doctorem scilicet, ut ecclesiasten agas; videlicet ut quod aliis bonum appetas, eo teipsum fraudes, et ut mercenarius thesaurum tam nobilem, non tibi, sed aliis eruderes, aut effodias. Non ita censent illa ipsa divina eloquia : « Habemus, inquit B. Petrus, *Epistola* I, cap. I, vers. 19, firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucernæ, lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris. » Huic ergo faci te primum decet intendere, hanc sequi, ut qui in tuo corde inde exortus fuerit lucifer, aliis deinde præfulgeat.

Regius vero Psaltes beatum vocat, non qui in alios Dei eloquia profundit, sed qui in lege ejus meditatur die ac nocte; hunc proinde esse ut lignum plantatum secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Hoc utique fine vel maxime, sacros codices nobis conscribi voluit Deus, verbumque suum proposuit, ut lucerna esset pedibus, daretque lumen semitis nostris, ut inter hosce lucidissimæ voluptatis, et plusquam Alcinoi hortos inambulantes, jucundissimo cœlestium fructuum pasceremur aspectu, et gustu frueremur. Et sane uti in paradiso, inter vernantes arborum florumque surculos, aut rutilantes malorum facies, necesse est prætereuntem, vel odore saltem et colore refici; utque qui in sole, licet animi causa, deambulat, calescere tamen, et rubedine imbui videmus : ita divinas Litteras religiose assidueque legentium, audientium, discentium mentes, sensus, consilia, vota, moresque veluti quodam divinitatis colore tingi, sanctisque affectibus accendi necesse est.

10. Quis enim castam animi puritatem non induat, quando eloquia Domini casta, et tanquam argentum igne examinatum, tot eam efferentia laudibus, tantisque suadentia præmiis, auscultat? quod tam algidum cor, ut charitate non incalescat, quando ea æstuantem Paulum audit, igneas ubique amoris divini flammas jaculantem? cui mens non assiliat cœlestium in Scripturis lectione bonorum, ut infima hæc bona spernat et fastidiat? quis hac spe cœlitum in humano corpore vitam æmulari, et hominem angelum vivere non gestiat? quis pro fide et pietate masculum non obfirmet pectus, ad quosvis etiam decumanos malorum fluctus, pulchramque petat per vulnera mortem, quando sacras hasce tubas adeo suaviter et nervose fortitudinem constantiamque occinentes arrectis auribus animisque haurit atque excipit? Ita nimirum Machabæi, I *Machab.* XII, 9, solos habentes solatio libros sanctos, gloriantur se invicta virtute, et hostibus omnibus impenetrabiles persistere. Et Apostolus ad dura quæque et aspera fideles obarmans, *Rom.* XV, 4 : « Quæcumque, inquit, scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum, spem habeamus. » Equidem nescio quem vitalem spiritum, occulto legentibus influxu affient divina verba, ut si ea ad doctissimorum sanctissimorumque hominum, quamvis ardentia scripta, conferas, hæc inanima, illa viventia, vitamque aspirantia sentiendo censeas.

11. Per sacram Scripturam conversi sunt Antonius, Augustinus, Victorinus, Simeon Stylites.

Potuit una Evangelii vox : « Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, » magnum illum Antonium, jam tum juvenem, nobilitate et opibus inclytum, tanto Evangelicæ paupertatis amore incendere, ut e vestigio bonis omnibus, quibus ita impense cæci mortales inhiant, sese exueret, et cœlestem in terris vitam monastica professione complecteretur. Ita S. Athanasius in ejus Vita. Potuit divina Scriptura Victorinum, turgidum tum urbis Rhetorem, a Gentilitia superstitione et fastu, ad Christianam fidem humilitatemque inflectere. Potuit Paulina lectio hæreticum Augustinum, non tantum orthodoxis adjungere, sed et fœdissimo Veneris quotidianæ barathro erutum, ad continentiam castitatemque, non dicam maritalem, sed religiosam, cælibem omnino et intactam impellendo provehere. Vide *Confess.* VIII, II; VII, XXI. Potuit una Evangelii lectio : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum; beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur! » Simeonem Stylitem illico convertere, eoque provehere, ut octoginta annos continuos in columna eodem pede consisteret, ut perdius et pernox orationi vacaret, pene sine cibo et somno viveret, ut portentum orbis, neque tam homo, quam angelus in carnem lapsus esse videretur. Cur ergo, inquies, nos qui toties S. Scripturam legimus, hos æstus, has vitæ mutationes non persentiscimus? quia eas obiter et oscitanter legimus, ut merito usurpare possimus illud sancti Marciani apud Theodorum in *Philotheo,* qui rogatus ab Episcopis dicere verbum salutis, ait : Deus quotidie loquitur nobis per suas creaturas, et per sacram Scripturam, et tamen ex his parvam utilitatem capimus : qui ergo ego loquens vobis prodero, qui cum aliis amitto hanc utilitatem?

Vidit olim inter omnes vates maxime arcanus Ezechiel fluvium magnum egredientem subter limen domus Domini, quem pertransire non potuit, « quoniam intumuerant aquæ profundi torrentis, inquit, qui non potest transvadari : cumque me convertissem, ecce in ripa torrentis ex utraque parte ligna multa nimis ; » at quænam hæc? omnes utique Sancti, tam prisci quam novi, tam legis quam Evangelii, qui ad Evangelistarum, Apostolorum et Prophetarum fluenta considentes, quasi arbores pulcherrimæ semper vernant, et amœna suavique fructuum omnium copia luxuriant. Idem enim fluvius utramque fovet alitque ripam, idem, inquam, Spiritus Sanctus Scripturæ auctor, unam et eodem tendentem, per diversa licet sæcula, Scripturam contexuit, tamque novo, quam veteri instrumento, vitalem ea piis omnibus succum instillavit, siquidem eum haurire velimus.

12. Cap. II. De sacra

II. Jam vero, ut ab altiori principio hæc repetamus, videamus quale et quantum sit S. Scripturæ argumentum, quæ materia. Vis verbo dicam, S. Scriptura objectum habet omne scibile, disciplinas omnes, et quidquid sciri potest, suo sinu complectitur : ideoque universitas quædam est scientiarum, scientias omnes vel formaliter, vel eminenter continens. Origenes commentans in cap. I *S. Joannis* : Divina, ait, Scriptura mundus est intelligibilis, suis quatuor partibus, veluti quatuor elementis constitutus, cujus terra est velut in medio instar centri, scilicet historia ; circa quam aquarum similitudine abyssus circumfunditur moralis intelligentiæ; circa historiam et ethicam, veluti duas mundi hujus partes, aer ille naturalis scientiæ circumvolvitur ; extra autem omnia et ultra, æthereus ille et igneus ardor empyrei cœli, id est superna contemplatio divinæ naturæ, quam Theologiam nominant, circumglobatur : hæc Origenes. Ex quo rursum, sicuti sensum historicum terræ, et tropologicum aquæ : ita recte allegoricum aeri, anagogicum igni et ætherei adaptes.

Script. objecto, et amplitudine.

S. Script. est universitas scientiarum.

Est mundus intelligibilis.

13. Verum ego amplius contendo, S. Scripturam sensu, non tantum mystico, sed solo etiam litterali, qui primas tenet, quemque præ omnibus consectari oportet, omnem scientiam, scibile omne complecti.

Triplex rerum ordo. Hoc ut demonstrem, statuo triplicem rerum ordinem, ad quem Philosophi et Theologi res universas referunt : *primus* est naturæ, sive rerum naturalium; *secundus,* supernaturalium et gratiæ; *tertius,* divinæ essentiæ cum suis attributis, tum essentialibus, tum notionalibus. Primum naturæ ordinem pervestigat Physica, et aliæ naturalis philosophiæ disciplinæ ; secundum et tertium, in hac vita doctrina revelata, quæ ad fidem et Theologiam pertinet : in altera, visio divinitatis, quæ Sanctos et Angelos beat. Jam S. Scripturam primum etiam rerum naturalium ordinem pertractare docet D. Thomas statim ipso in limine Summæ Theologicæ : primæ enim quæstionis art. 1, quo quærit utrum, præter philosophicas disciplinas, alia doctrina sit necessaria, respondet duplici conclusione. *Prior* est : « Necessaria est ad humanam salutem doctrina quædam a Deo revelata præter philosophicas disciplinas, » scilicet ad ea cognoscenda, quæ hominis intellectum et naturæ vires excedunt; *secunda :* « Eadem doctrina revelata necessaria est etiam in his quæ lumine naturali per philosophiam investigari possunt. » Rationem addit : quia hæc veritas per philosophiam a paucis, per longum tempus, et cum admixtione multorum errorum acquiritur : revelata ergo opus est, quæ philosophiam dirigat, corrigat, et facile certoque ad omnes transmittat.

14. Illustri exemplo sunt philosophorum principes Plato et Aristoteles, qui insigni ingenio multa quidem assecuti sunt, sed multa etiam tam ambigue, tam obscure, ut commentantium Græcorum, Latinorum, Arabum multis sæculis, in iis explicandis desudarit industria. Taceo errores, et

Platonis errores octo.

quidem crassissimos : verbi gratia, quod Plato doceat Deum esse corporeum; Deum esse animam mundi, quæ magno ejus se corpore miscet; deos quosdam esse juniores et minores; animas corpori præexstitisse, et in corpore quasi in carcere prioris vitæ scelera luere; scientiam nostram tantum esse reminiscentiam; in Republica uxores debere esse communes; mendacio subinde utendum esse quasi elleboro; hominum, animalium, sæculorum rerumque omnium fore revolutionem, ut post decem annorum millia iidem hic omnes studentes, docentes, audientes sedeamus : sic animarum regressum, et palingenesiam fore, scilicet :

Ubi mille rotam volvere per annos,
Rursus ut incipiant in corpora velle reverti.

Pythagoras ex Euphorbe transanimatus.

Quin etiam, uti ex eodem fonte censuit Pythagoras, a corpore in corpus, jam hominis, jam pecudis demigrent; unde ipse de se aiebat : *Ipse ego, me memini* (quis non credat? αὐτὸς ἔφα, spectatum admissi risum teneatis) :

Ipse ego, me memini, Trojani tempore belli,
Pantoides Euphorbus eram, cui pectore quondam
Hæsit in adverso gravis hasta minoris Atridæ.

Nonne hic verissimum est scitum illud Hebræorum adagium : אשר ריק קרא למרה לא אמן לברא *ascer ric core lemore lo omen lebore,* hoc est, qui facile et temere credit doctori, discredit Creatori.

15. Aristotelis errores, vel dubia octo.

Aristoteles vero (in cujus ingenio natura ostendit extremum potentiæ suæ, ait Averrhoes) primum motorem Orienti affigit; asserit eum moveri fato, et naturali necessitate; mundum hunc esse ab æterno; futurorum contingentium non esse determinatam veritatem; Deum ea determinate non scire; animæ vero immortalitatem, Dei circa homines et res sublunares providentiam, futuras pœnas et præmia, vel pernegat, vel ita obscurat, ut sepia suis spiris involuta agnosci explicarique non possit, et a multis ob affectatam obscuritatem, ingeniorum carnifex dictus sit et habitus. Has luminis naturalis tenebras pervidentes Democritus et Empedocles, simpliciter confessi sunt, nihil vere a nobis sciri. Socrates aiebat se tantum id scire, quod nihil sciret; Arcesilas, ne id quidem sciri posse; Anaxagoras cum suis censuit scientiam omnem nostram esse meram opinionem, tantum ita nobis videri : imo non certo sciri, an nix sit alba, sed ita nobis videri : posse enim sensus omnes decipi, sicut decipitur visus omnium certissimus, cum collum columbæ ob refractos luminis radios, coloribus cœlestibus variegatum videt, cum vere nulli tales in columba existant.

Aristoteles est sepia.

Democriti, Empedoclis, Socratis ignorantia.

16. In hac ergo nostræ caligantis aciei nocte, pelago et abysso, doctrinæ revelatæ lucerna, quasi pharo est opus. « Lucerna pedibus meis, ait regius Psaltes, *Psalm.* CXVIII, 105, verbum tuum, et lumen semitis meis : narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua. » Sapientia hæc vera et solida « non est, ait Baruch III, 22, audita in Chanaan, nec visa in Theman; filii quoque Agar, qui exquirunt prudentiam quæ de terra est, negotiatores Merrhæ et Theman, et fabulatores, et exquisitores prudentiæ et intelligentiæ, viam sapientiæ nescierunt, neque commemorati sunt semitas ejus; sed qui scit universa novit eam, qui præparavit terram in æterno tempore, qui emittit lumen et vadit, hic est Deus noster, hic adinvenit omnem viam disciplinæ, et tradidit illam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo, post hæc : » ut scilicet hanc scientiam perdoceret, « in terris visus est, et cum hominibus conversatus. »

17. S. Scriptura Ethica, Physica, Logica, Metaphysica.

Quæres ergo quo loco Physica, Ethica, Metaphysica in sacris Litteris doceantur? Dico Physicam, etiam primævam, et a suo origine tradi in *Genesi,* in *Ecclesiaste,* in *Job;* Ethicam, per brevissimas gnomas et sententias in *Proverbiis, Sapientia, Ecclesiastico;* Metaphysicam, maxime in *Job* et in *Psalmis,* quibus per hymnos Dei potentia, sapientia, immensitas, ad hæc ejus opera, angeli scilicet aliaque omnia celebrantur. Historiam et Chronologiam ab ipso mundi exordio ad Christi pene tempora, aliunde non certiorem, non jucundiorem, non magis variam, quam ex *Genesi, Exodo,* libris *Josue, Judicum, Regum, Esdra, Machabæis* petas. Quam sacra Scriptura sophisticen damnet, quamque solida argumentatione et logica utatur, docet S. Augustinus, lib. II *De Doctrina Christiana,* cap. XXXI. De Mathesi e numeris petita, idem docet lib. III *De Doctrina Christiana,* cap. XXXV. Geometria patet in fabrica tabernaculi et templi, tum Salomonis, tum illius tam mire dimensi apud Ezechielem. Merito proinde dixit S. Augustinus extremo lib. II *De Doctrina Christiana* : « Quantum, inquit, minor est auri, argenti vestisque copia, quam de Ægypto secum Hebræus populus abstulit, præ divitiis quas postea Hierosolymæ, maxime sub Salomone, consecutus est : tanta est cuncta scientia, etiam utilis, collecta de libris Gentium, si divinarum Sripturarum scientiæ comparetur : nam quidquid homo extra didicerit, si noxium est, ibi damnatur; et cum ibi quisque invenerit omnia, quæ utiliter alibi didicit, multo abundantius ibi inveniet ea, quæ nusquam omnino alibi, sed in illarum tantummodo Scripturarum mirabili altitudine, et mirabili humilitate discuntur. » Ancillantur enim illi, quasi dominæ et reginæ, omnes liberales disciplinæ, omnes linguæ, omnes scientiæ atque artes, quæ certis singulæ terminis continentur. Sacra autem hæc scientia ambit omnia, complectitur universa, omniumque usum suo jure sibi assumit : ut proinde quasi omnium perfectissima, omnium finis et scopus, ultimo loco veniat addiscenda.

Omnes scientiæ ancillantur sacræ Scripturæ.

Sic ergo Sacræ Litteræ primum rerum, puta naturæ ordinem, maxime qua Deum Deique at-

tributa, animæ immortalitatem, libertatem, pœnas, præmia creataque omnia tangit, certius et solidius quam naturales scientiæ persequuntur, easque sicubi aberrent, in viam reducunt.

18. Quod ad secundum gratiæ, et tertium divinitatis ordinem, nemo non videt cum D. Thoma, hæc philosophis incognita fuisse (cum naturæ lumen transcendant), et sine Dei revelatione, sine Dei verbo sciri non posse. Viden' ergo, ut omnes rerum ordines sacra Scriptura ambiat, omnibus se insinuet, et quasi sol sapientiæ omnis veritatis radios a se diffundat.

S. Scriptura est sol sapientiæ.

Deus est auriga mundi.

Aristoteles, vel quisquis est auctor, libro *De Mundo*, quærens quid sit Deus : « Hoc in mundo; inquit, est Deus, quod in navi gubernator, quod in curru auriga, in choro præcentor, in civitate lex, in exercitu imperator : » nisi quod in illis principatus laboriosus est, perturbatus et anxius; in Deo facillimus, liberrimus et ordinatissimus. Idem dixeris de sacra Scriptura, quæ aliis scientiis dux est, lex, princeps et moderatrix. Empedocles vero, rogatus quid esset Deus, respondit : Deus est sphæra incomprehensibilis, cujus centrum est ubique, circumferentia nusquam. Sic roganti quidnam sit sacra Scriptura, recte dicas : Sphæra est disciplinæ incomprehensibilis, cujus centrum est ubique, circumferentia nusquam : Dei enim Verbum est Scriptura sacra. Quare ut mentis nostræ verbum mentem ipsam, ejusque sensa omnia refert : ita S. Scriptura mentis divinæ Verbum, in sese unicum, et divino intellectui et cognitioni quasi adæquatum (quo scilicet se, res omnes, naturales et supernaturales, Deus uno mentis cernit in ictu), exprimit permulta et varia, ut mentis nostræ angustiis, quæ unicum illud vastissimum non capit, totum quidem, sed frustatim quasi pueris, per varias sententias, exempla, similitudines sensim ingerat. Atqui ex hoc deinde quasi mari, Scholastici rivos conclusionum Theologicarum educunt. Tolle a Scholastica S. Scripturam, non Theologiam, sed Philosophiam dabis; Philosophus eris, non Theologus : utramque invicem nexam junge, omne feres punctum et Theologi et Philosophi.

Deus est sphæra, cujus centrum est ubique, peripheria nusquam.

19. Ita quæ prima parte de Dei essentia et attributis, de prædestinatione, de Angelis, de homine, de opere sex dierum (quod totum ex *Genes.* cap. I, petitum esse liquet), tractantur a D. Thoma et Scholasticis, hausta et deducta sunt ex iis quæ sacrarum Litterarum revelatione didicimus. Quare S. Dionysius, digito ad fontes intento, cœlestem suam hierarchiam ita orditur : « Ad sacras Scripturas intelligendas, prout illas a Patribus accepimus contuendas, pro viribus pergamus, et quas illi nobis vel per signa, vel per intelligentiæ sacratioris arcana tradiderunt, cœlestium spirituum distinctiones et ordines, in quantum possumus speculemur. » Si enim Angelos non pingerent nobis sacræ Litteræ, quis Apelles, quis oculus, quod acumen eos vestigando delineasset?

Eadem est S. Clementis, beati Petri comitis et alumni, sententia, *Epist.* 3.

Quæ tertia parte de Incarnatione quæruntur, omnia e quatuor Evangeliis, quæ vitam Christi enarrant, deprompta sunt; quæ de Sacramentis veteribus, ex Levitico; quæ de Sacramentis legis novæ, ex Novo Testamento sparsim petita sunt. Quæ in prima secundæ de beatitudine, de actibus humanis, libertate, spontaneo, passionibus, peccato originali, veniali, mortali, de gratia, meritis, demeritis tractantur, unde, quæso, nisi Dei revelatione constant? Quæ in secunda secundæ de fide, spe, charitate disputantur, adeo sacris Litteris nituntur, ut omnis earum intellectus ad ista tria referatur, ait S. Augustinus, lib. II *De Doctrina Christiana*, cap. XL. « Finis enim præcepti, ait Apostolus, est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta. » « Fide non ficta, » en tibi fides sincera; « conscientia bona, » en spes : bona enim conscientia sperat, mala desperat; « charitas de corde puro, » en charitas. Quæ de justitia, fortitudine, prudentia, temperantia, et hisce annexis virtutibus docent Theologi, tum Moses in *Exodo* et *Deuteronomio* præceptis judicialibus, quibus jus cuique dicit; tum Salomon in *Proverbiis*, *Ecclesiaste*, *Sapientia*; tum Ecclesiasticus complectitur : inde πανάρετος est dictus, quasi dicas, omnis virtus.

20. Sacra enim Scriptura sic a Spiritu Sancto concinne contexta est, ut omnibus locis, temporibus, personis, difficultatibus, periculis, morbis, malis pellendis, bonis accersendis, erroribus jugulandis, dogmatibus statuendis, virtutibus inserendis, vitiis propulsandis sese accommodet; ut merito S. Basilius eam officinæ instructissimæ comparet, quæ omnia, et omnis generis pharmaca quibusvis morbis suppeditat : ita nimirum, ut ex ea Ecclesia, dum tempora erant Martyrum, hauserit constantiam suam et fortitudinem; dum tempora Doctorum, sapientiæ lumina, flumina eloquentiæ; dum tempora hæreticorum, fidei firmamenta, errorum eversionem; in prosperis, ex ea didicerit humilitatem et modestiam; in adversis, magnanimitatem; in tepore, fervorem et diligentiam; denique, si quando tot labentibus annis, senio, maculis, nævis deformetur, ex hac morum perditorum restitutionem, atque reditum ad pristinam dignitatem et statum sibi adsciscat. Ita S. Bernardus in illa Christi verba, *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo* : « Hæc, ait, verba sunt quæ contemptum mundi in universo mundo, et voluntariam persuasere paupertatem; hæc sunt quæ monachis claustra replent, deserta anachoretis. » Ita S. Tridentina Synodus Ecclesiæ reformationem a S. Scriptura orditur, totoque primo decreto *De Reformatione* de una lectione S. Scripturæ ubivis locorum vel instituenda, vel revocanda, tam sollicite quam fuse præcipit.

Scriptura est pharmacopolium.

21. Quare quam utilis, imo necessaria sit hæc ipsa S. Litterarum disciplina illis, qui non sibi soli vivunt, sed vitæ quoque partem aliorum commodis impertiuntur, maximeque iis, qui sacras tenent cathedras, me tacente res loquitur, communisque omnium Ecclesiastarum consuetudo. Et vero non nupera hæc : qui veteres voluit, longe pleniorem in priscis illis sacrorum eloquiorum cognitionem perspiciet, et usque eo uberem, ut sæpe sermo eorum omnis, Scriptura non tam infertus, quam concinna quapiam catena nexus videatur; neque mirabitur, si Origenes, Antonios, Vincentios, oracula, si templa, si arcas testamenti nuncupatos legerit.

S. Scriptura concionatori necessaria.

Præclare S. Gregorius, XVIII *Moral.*, XIV, explicans illud Jobi, *Habet argentum venarum suarum principia* : « Argentum, inquit, est eloquii, vel sapientiæ claritas; venæ, S. Scriptura, ac si aperte dicat : Qui ad veræ prædicationis verba se præparat, necesse est ut causarum origines a sacris paginis sumat; ut omne quod loquitur, ad divinæ auctoritatis fundamentum revocet, atque in eo ædificium locutionis suæ firmet. » Et S. Augustinus *ad Volusianum* : « Hic salubriter et prava corriguntur, et parva nutriuntur, et magna oblectantur ingenia; ille huic doctrinæ inimicus est animus, qui vel errando eam nescit esse saluberrimam, vel odit ægrotando medicinam. »

22. Merito ergo deplorandum est etiam hoc ævo nostro, quod sui sæculi hominibus vitio dat S. Hieronymus, *in Prolog. Galeat.*, cum in cæteris omnibus artibus prius discere homines soleant quam docere, in sacris Litteris docere plerosque velle quod nunquam didicerint : « Sola, inquit, Scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vindicant, et cum aures populi sermone composito mulserint, quidquid dixerint, hoc legem Dei putant : nec scire dignantur, quid Prophetæ, quid Apostoli senserint, sed ad sensum suum incongrua aptant testimonia : quasi grande sit, et non vitiosissimum docendi genus, depravare sententias, et ad voluntatem suam Scripturam trahere repugnantem. » Nimirum tenet insanabile multos docendi cacoethes, discendi paucos, isque parvus amor : quo fit, ut eam instar ceræ in omnem gyrent partem, in omnem mirabili metamorphosi traducant formam, eaque ceu divinorum sermonum aleatores, ut sors tulerit, ludant, vim ei sæpe afferant, et quod in Virgilio non ferrent Poetæ, in alienos sensus, contra sanctorum Patrum, Canonum, Conciliorum, Tridentini præsertim, gravissima decreta distorqueant. At unde hæc omnia? arbitror, ex oscitanti et pervulgata quadam ignavia : sinistras didicerunt litteras, piget eos discere sedulo quod doceant, ipsaque pigritia noctem eorum mentibus offundit, ut S. Scripturam facilem, et cuivis suopte ingenio perviam arbitrentur, putentque se scire quod nesciunt, et nescire se nesciant. Hæc mali omnis radix extirpanda, utpote quæ longissime serpente contagio multos infecerit, et latissime se sparserit.

III. Dispiciamus ergo, quod tertio loco propositum fuit, quam faciles divini codices sint. Ac ut breviter quod sentio, quodque astruere nitor, præmittam, Scripturam sacram profanis omnibus, Græcis, Latinis, Hebræis, et quibusvis aliis, intellectu multo difficiliorem esse contendo. Id an ita se habeat, videamus. Scriptura sacra cæteris universis, omnium consensu, tum multis aliis, tum hoc antecellit, quod cæteræ unam duntaxat una phrasi, hæc quatuor ut minimum dicat sententias : neque enim solarum vocum, sed et rerum iis indicatarum habet significationem; quo fit, ut litteralis sensus, historiæ aut rei proxime verbis sacris expressæ intelligentiam exhibeat : hæc vero historia, aut res similis, aliud de Christo Domino portendat vaticinium, allegorico sensu; aliud moribus informandis idoneum, tropologico commendet; altiusque tertio se porrigens, per anagogen cœlestia Sacramenta in ænigmate speculanda proponat. Atque ex hisce vix unum sæpe genuinum assequare : qui ergo tres cæteros tam facili temeritate promittes?

23. *Cap. III. De sacræ Scripturæ difficultate.*

At, inquies, historicus præpollet, hunc unum quæro, satque eum e scholastica veritate conjicio et metior, de symbolico, qui incertus est, et quem facile quivis effingat, non anxie laboro. Sed vide, ne similis Neoptolemo isti Enniano, qui « philosophari se velle dicebat, sed paucis, nam omnino haud placere, » nomine aut superficie tenus Theologum agas. Nam imprimis, quod ad mysticum, hunc præcipuum esse Scripturæ sensum, omne vetus Testamentum loquitur, quod proxime quidem illius temporis gesta, aut gerenda, potissime vero Christum ubique symbolice significat : simile de aliis judicium.

24.

Ac quemadmodum Jonathas, I *Reg.* cap. XX, ut familiari rem hanc spectemus exemplo, signum fugæ Davidi latenter daturus, jacieus sagittam ex condicto, puerumque eam collecturum ultra progredi jubens, duo significabat : prius proxime, ut puer sagittam tolleret; alterum remotius, sed quod multo magis volebat, Davidi scilicet hac voce admonito, fugam esse capessendam : ita prorsus hic sese res habet, estque historicus Scripturæ sensus prior, sed mysticus potior; et ex hoc, uti ex illo, valentissimum trahat Theologus dogmatis sui stabiliendi argumentum, si quidem eum esse genuinum constet, sicuti ex eo Christus Dominus et Apostoli sæpe efficacissime concludunt; sin non constet, sed ambiguum sit, germanusne is loci illius sit mysticus sensus, ecquid mirum, sin ex dubia præmissa dubia inferatur conclusio? Perinde enim ex historico qui litteræ inhæret, si incertus is sit et dubius, neutiquam certi quippiam effeceris.

Sensus litteralis et mystici comparatio.

Porro fictos esse spirituales sensus, et quemque suo commento posse eos cuivis adaptare orationi, veluti si quis Probam Falconiam (quæ Latina fuit Sappho) Æneidem Virgilii, et Eudociam

25.

Augustam Iliada Homeri ad Christum accommodantes, imitatus, Scripturam S. piæ suæ adinventioni attemperet, perniciosum est sentire, periculosius facere. Si enim mysticus verus est Scripturæ sensus, si eum vel maxime Spiritus Sanctus dictare voluit, qua ratione liberum cuique erit, eum ut volet exponere? qua fronte cerebri sui quis commentum, Spiritus Sancti mentem dicet, seque suaque ut Spiritus Sancti fanaticus venditabit? Viderunt hoc, caveruntque sedulo, qui e Patribus allegoriam maxime versarunt, qui eodem Spiritu pleni, non ad plausus suosve conceptus astruendos, ubi arridere videtur, temere eam obtrudunt, aut inconcinne fronti ocream, quod vulgo dicitur, tibiæ galeam applicant; sed rei ita eam devinciunt, ut apte per omnia consentiat. Sicut enim in historico verba res gestas denotant, ita in allegorico, res gestæ alias magis arcanas significant: ut, nisi allegoria respondeat historiæ, falsa prorsus sit et evanida. Ea causa S. Hieronymus, in *Osee* cap. x scribens, quod de rege Assyrio passim dicitur, juxta tropologiam ad Christum deducere (quod aliquando imprudens antea ipse fecerat) impium esse docet; et prologo in Abdiam, semetipse arguit, quod olim allegorice prophetam hunc explicuisset, historicam ejus intelligentiam necdum assecutus.

Mysticus respondere debet litterali.

26. Ad historicum vero, ut is unus tibi sufficiat, quot quantisque adjumentis est opus? quam is sæpe reconditus? quam Hebræa phrasi Græcave, et novo, a cæterisque omnibus discrepanti dictionis genere abditus? quam sublimis altissime sæpe sese librat? Neque id mirum. Si enim sapientum verba sensa animi sapientis produnt, voxque respondet conceptioni mentis: ubi hæc cœlestis et divina fuerit, quam necesse est elocutionem pariter cœlestem esse et divinam? nemini autem dubium sacros libros sensa Spiritus Sancti, sapientiamque æterni Verbi sua dictione complecti: ut proinde non humi serpere, sed in altum erigere sese oporteat, si divinis hisce eloquiis ad divina cogitata, primamque veritatem pervolare quis cupiat.

27. Fateor equidem, Scholasticos Doctores permulta e Scripturis subtiliter accersere, eaque subinde discutere; sed suas ipsi sibi metas Theologicis quæstionibus definiunt, quæ affatim ipsi materiæ et operæ Theologo utilissimæ, et vero necessariæ, suppeditant, ut aliud ex professo agere non liceat: perinde ut qui sacras elucidat Litteras, subinde Theologicas conclusiones sacris sententiis involutas, evolvit accuratius, sed, ne ultra crepidam, ad suos statim se recipit cancellos. Verum aliud est delibare quidpiam, aliud certo et continuo idipsum ordine pertexere; aliud sententiam quampiam excutere, aliud integrum volumen, omnesque ejus sententias diligenti et exacto antecedentium et consequentium examine, Hebræorum Græcorumque fontium vestigatione, sanctorumque Patrum lectione, evolvere, illius phrasim imbibere, et quasi domesticum in eo versari: quod qui negligit, dictis quibusdam hinc inde difficilioribus excerptis explicatisque contentus, nunquam ad sacra adyta, arcanum, inquam, sanctorum eloquiorum penetrabit; sed et facile a veritate et mente scriptoris aberrabit. Videre hoc est in nonnullis antiquioribus, non indoctis alioqui viris, qui in re Theologica adeo leviter quandoque arrepto axiomate quopiam sacro abutuntur, ut hæreticis nostris cachinnum, Catholicis bilem moveant.

28. Præclare S. Gregorius procemio *in libros Regum*, lectorem monet, aliter se subinde historiam explicare, quam Patres fecerint: si enim, inquit, illi seriatim cuncta exponerent, quæ ex parte tetigerunt, eam seriem locutionis quam tenere visi sunt, observare nequaquam potuissent. Multa videlicet inseruntur, præeunt, consequuntur, quæ cum loco quem pertractas comparanda sunt, elocutionis sacræ modus aliis etiam in locis pervestigandus est, phrasis disquirenda: quæ si expositioni non cohæreant, neutiquam ea genuina est loci sententia, neutiquam ea orationis potestas, vis et notio: ut ambigas sæpe utrius, ipsiusne rei an phrasis, obscuritas sit major.

Taceo variam, et quasi omnigenam materiæ amplitudinem: quid enim toto veteri novoque instrumento non pertractatur, aut tangitur? Exempli sit instar, ut Regum, Machabæorum, Esdræ, Danielis et aliorum Prophetarum volumina intelligas, quam varia historia Gentilis, quot monarchiæ, Assyriorum, Medorum, Persarum, Græcorum, Romanorum pernoscendæ? quot mores gentium, ritus fœderum, bellorum, sacrificiorum, connubiorum perquirendi? quot urbium situs, fluminum, montium, regionum ex universa antiquissima chorographia et cosmographia perlustrandi?

Cap. IV. De studio S. Scripturæ judicia et exempla Patrum.

IV. Verum ne quis hic scrupulus supersit, age prima ab origine rem deducamus, videamusque quomodo omni semper ætate, difficultas juxta ac dignitas S. Scripturæ, et reverentiam sui acuerit; et studium Sanctorum accenderit. Apud Hebræos pervulgata est traditio, cui e nostris astipulantur S. Hilarius, *Psal.* II, et Origenes, hom. 5 *in Num.*, Mosen cum lege, etiam legis explicationem in monte Sina divinitus accepisse: eique præceptum esse, ut legem scriberet, sed legis occulta mysteria et sensa Josue, et hic sacerdotibus, hique consequenter vicariis suis succedentibus, magna silentii religione revelarent. Hinc Anatolius apud Eusebium, lib. VII *Hist.*, cap. XXVIII, Septuaginta Interpretes Ptolemæo Philadelpho, Ægypti regi, percunctanti multa, ex Mosis traditionibus respondisse narrat. Et Esdras, vel quisquis auctor lib. IV *Esdræ* (cui etsi non canonica, canonicis tamen adjuncto sua fides constat), cap. XIV, Mosi edictum refert: « Hæc in palam facies verba, et hæc abscondes. » Sibi pariter, Esdræ puta, cum Dei instinctu libros dictasset 204, simile jussum:

29. Mysteria S. Scripturæ, voce tradita.

« Priora, ait, quæ scripsisti in palam pone, et legant digni et indigni : novissimos autem septuaginta conservabis, ut tradas eos sapientibus de populo tuo ; in his enim est vena intellectus, et sapientiæ fons, et scientiæ flumen, et feci sic. »

Quare Moses identidem, in Deuteronomio præsertim, omne populi ambiguum et difficile circa legem judicium, ad sacerdotes referri voluit; nam, ut ait Malachias, II, 7 : « Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem (dubia utique legis de quibus est quæstio, ait S. Bernardus) requirent ex ore ejus. » Qua de causa et studium ejus sacerdotibus Dominus in *Levitico* indicens, eos cap. X hisce compellat : « Ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum et profanum, inter pollutum et mundum, doceatisque filios Israel omnia legitima mea, quæ locutus est Dominus ad eos per manum Mosis. » Atque ut hujus curæ admoneret pontificem vel maxime, in pectorali pontificalis sui doctrinam et veritatem, vel, ut hebraice est, אורים תומים *vrim vetummim*, illuminationem et integritatem, duo vitæ sacerdotalis decora, certis notata symbolis gestare, coramque semper intueri voluit. Sed ultra tendamus.

30. Propheta regius, magna scriptorum sacrorum pars, divinum, inquam, illud Spiritus Sancti organum, eas in iis ipsis sublimes et arcanas tenebras agnoscens, creberrime aliis aliisque verbis orat, *Ps.* CXVIII : « Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua, » ubi hebraice est, גל עיני ואביטה *gal enai veabbita*, devolve ab oculis meis (velamen caliginis scilicet), et clare intuebor mirabilia legis tuæ. « Si tantus propheta, inquit S. Hieronymus *ad Paulinum*, tenebras ignorantiæ confitetur, qua nos putas parvulos, et pene lactantes inscitiæ nocte circumdari? Hoc autem velamen non solum in facie Mosis, sed et in Evangelistis et Apostolis positum est; et nisi aperta fuerint universa quæ scripta sunt, ab eo qui habet clavem David, qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit, nullo alio reserante pandentur. »

Audit Jeremias cap. I : « Priusquam te formarem in utero, novi te, et antequam exires de vulva, sanctificavi te, et prophetam in gentibus dedi te; » et tamen exclamat : « A a a, Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum. »

Isaias, cap. VI, Seraphim ad se advolantem aspexit, calculoque ignito os vaticinaturum adaperientem.

Ezechiel; cap. II, intuitus speciem quadrifidi animalis, gloriæque Domini, pronus cadit in faciem, erectusque a spiritu silet, dum pariter os ei pandatur.

Daniel VII, 8, verbum Dei in corde censervat, sed cogitationibus conturbatur, et facies ei immutatur, stupetque ad visionem, eo quod desit interpres; et nos eorumdem vaticiniorum; parabolarum, ænigmatum, et symbolorum faciliorem ipsis eorum scriptoribus intelligentiam, aut disertam magis ea effandi facundiam, quasi naturalem, nobisque congenitam spondebimus?

Multo aliter Ecclesiasticus sapientem pingens, 31.
indefessum ejus studium cum pia prece deposcit : « Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, et in Prophetis (vel, ut Græcus habet fons, *in prophetiis*) vacabit, narrationem (græce διήγησιν, *enarrationem, explanationem*) virorum nominatorum conservabit, et in versutias, *acumen*, parabolarum simul introibit, occulta proverbiorum exquiret, et in absconditis parabolarum conversabitur; aperiet os suum in oratione, et pro delictis suis deprecabitur. Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum, et ipse tanquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ, ipse palam faciet disciplinam doctrinæ suæ, et in lege testamenti Domini gloriabitur. »

Veteres Judæorum Rabbini toti erant in sacris Litteris; indeque ספרים *sopherim*, γραμματεῖς et Scribæ sunt dicti; post Christum vero nemo nescit Hebræorum Rabbinos non aliud quam sacram Scripturam versare, cætera amusos esse. Scitum est illud Rabbini, qui a nepote scientiarum avido rogatus, num sibi liceret, aut suaderet, Græcis etiam auctoribus operam dare, ironice respondit, licere, modo id nec die faceret, nec nocte : scriptum enim esse, in lege Domini meditandum esse die ac nocte.

Ad novum pergamus novi fœderis instrumen- 32.
tum : S. Petrus cum epistolarum S. Pauli meminisset, subjungit, in iis quædam esse « difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant, sicut et cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem, » *epist.* II, cap. III; et anterius cap. I : « Omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit; non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. »

Ejus germanus officio et martyrii laurea, S. Paulus, non naturalis ingenii vires, sed ejusdem Spiritus gratiarum divisiones nuncupat, quod « alii per Spiritum detur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alteri fides, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii denique interpretatio sermonum, » I *Corinth.* XII, ideoque posuisse Deum in Ecclesia quosdam Apostolos, alios Prophetas, alios Doctores. Alibi vero, se ad pedes Gamalielis legem edoctum gloriatur ; alibi Pastores et Episcopos monet, ut se præstent operarios inconfusibiles, recte tractantes verbum veritatis, ut possint exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere; sed quid moramur?

Audiamus Christum : « Scrutamini, inquit, 33.
Scripturas; » quin vero dotem hanc, uti et thaumaturgiam, miraculorumque omnigenorum potestatem, Ecclesiæ suæ testamento consignavit Christus, quando in cœlum ascensurus valedicens Apostolis, aperuit illis sensum, ut intelligerent

Scripturas, ut et ipsi suos eas docerent discipulos, et ad posteros continua, et per manus accepta derivatione transmitterent. Sic eas sibi traditas docent S. Dionysius apostoli Pauli, et Clemens S. Petri discipuli.

S. Marci schola Alexandrina.

Hoc consilio, hac ipsa ætate S. Marcus Alexandriæ Christianam hanc sacrarum Litterarum commentationem instituit. Videre licet apud Philonem Judæum oculatum testem, libro *De Vita contemplativa,* et Eusebium, lib. XIV *Hist. Essenorum,* quam assidue Esseni, primi, inquam, illi Christiani Alexandrini, ab aurora in noctem sacris voluminibus legendis, audiendis, rimandisque sublimioribus allegoriæ sensibus e Patrum suorum commentariis, omnem diem impenderent. Exinde jam Alexandrinæ scholæ jacta sunt primordia: quæ deinceps succrevit, et mire sensim adolevit, ac sequentibus sæculis Martyrum agmina, illustrem Doctorum Præsulumque chorum, atque orbis lumina dedit; et ut ab uno metiamur reliquos, videamusque quam avide et indefesse divinorum eloquiorum curriculum decurrerint, de

Origenes a puero studuit sacræ Scripturæ.

Origene auctor est Eusebius, eum jam inde a puero illud inchoasse, solitumque patri in dies singulos sententias aliquot sacras e memoria, velut diurnum pensum reddere et recitare, neque his contentum, altissimas etiam earum notiones et sensa pervestigare et interrogare cœpisse : at cum adultior factus, cathedraque donatus, perdius et pernox cœpta prosecutus, hac una de causa Hebræam linguam perdicit, et toto orbe conquisitas variorum Interpretum versiones collegit, et primus novo exemplo hexapla et octapla immenso labore elucubravit, scholiisque illustravit.

34. S. Basilius et Nazianzenus.

Hos secuti sunt in Oriente pariter aureum Græciæ Doctorum par, Basilius et Gregorius Theologus, qui ad monasterii solitudinem, quietem otiumque confugientes, ipsos tredecim annos, remotis omnibus Græcorum sæcularium libris, soli divinæ Scripturæ operam dederunt, « divinaque volumina, ait Ruffinus, lib. XI *Hist.* IX, non ex propria præsumptione, sed ex majorum scriptis et auctoritate, quos ipsos pariter ex Apostolica successione intelligendi regulam suscepisse constabat, commentando pervolvebant. » Itane tantis viris, ea sapientia, ingenio et eloquentia præditis, tot annos in rudimentis sacræ Scripturæ visum est ponere; nobis adeo faciles habeantur sacræ Litteræ, ut tres quatuorve annos iis vacare tædeat, aut, si plures oporteat, oleum et operam omnem perdidisse nos arbitremur? S. Basilii coævus fuit S. Ephrem Syrus, qui quam fuerit studiosus sacræ Scripturæ, docent ejus lucubrationes.

S. Ephrem.

De scholis sacræ Scripturæ Nisibi institutis tempore Justiniani imperatoris testis est Junilius Africanus Episcopus libro *ad Primasium.* Easdem sub eodem Imperatore Romam inducere conatus est Agapetus Pontifex, uti narrat Cassiodorus in præfatione libr. *Divinar. lectionum* : « Nisus sum, inquit, cum beatissimo Agapeto urbis Romæ, ut, sicut apud Alexandriam multo tempore fuisse traditur institutum, nunc etiam in Nisibi civitate Syrorum Hebræis sedulo fertur exponi, collatis expensis in urbe Romana professos Doctores scholæ potius acciperent Christianæ, unde anima susciperet æternam salutem, et casto atque purissimo eloquio fidelium lingua comeretur.

S. Hieronymus sui ævi phœnix.

Inter Latinos porro primus jure censeatur S. Hieronymus sui ævi phœnix, qui adeo totus hic excubavit, ut in hisce Litteris ad extremam canitiem consenuerit, atque ex Hebræo Latinam Bibliorum versionem consignarit Ecclesiæ, quæ proinde eum in exponendis sacris Scripturis doctorem maximum indigitat. Celebre quoque est illud S. Hieronymi : « Discamus in terris, quorum scientia nobiscum perseveret in cœlis; » et : « Sic stude, tanquam semper victurus; sic vive, tanquam semper moriturus. » Hac de causa ipse Hebræas, uti Cato Græcas litteras in senectute perdidicit; hac de causa Bethlehem et loca sancta adiit; hac de causa veteres omnes Græcos Latinosque commentatores, teste S. Augustino, legerat, quorum plerosque ipse quos secuturus sit, omnium fere commentariorum suorum prologis præmittit; et graviter incusare solet eos qui, absque Dei gratia et doctrina majorum, scientiam sibi vindicant Scripturarum.

35. S. Augustinus.

Porro S. Augustinus illud ingenii acumen, quod prædicamenta Aristotelis se solo pervaserat, adeoque nihil volvere solebat, quin protinus illud assequeretur; mox a sua conversione, D. Ambrosii suasu, libro IX *Confess.* V, Isaiam prophetam in manus accipiens, illico profundo eloquiorum ejus absterritus, cum primam ejus lectionem non caperet, retulit pedem, distulitque eum, dum in dominico eloquio foret exercitatior. Sed et multo post *ad Volusianum* scribens, *Epist.* 1 : « Tanta, ait, est christianarum profunditas litterarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte ætate (nota verba) usque ad decrepitam senectutem, maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere. Præter fidem enim tam multa, tamque multiplicibus mysteriorum umbraculis opaca, intelligenda proficientibus restant, tantaque non solum in verbis, verum etiam in rebus latet altitudo sapientiæ, ut annosissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet : Cum consummaverit homo, tunc incipiet. »

Cognitio linguæ Hebrææ et Græcæ necessaria ad S. Scripturam, ait S. Augustinus.

Difficultatem augent idiotismi Hebræi et Græci, ubique sparsi, ad quos pernoscendos opus esse utriusque linguæ cognitione, docet S. Augustinus, lib. II *De Doctrina Christiana,* cap. X. Duabus enim de causis non intelliguntur quæ scripta sunt, si aut ignotis, aut ambiguis signis verbisve obteguntur : utrumque non rarum est in qualibet versione, qua ab uno idiomate in aliud

quidpiam transfunditur. Porro « contra ignota signa, ait Augustinus, cap. XI et XIII, magnum remedium est linguarum cognitio. » Sunt enim quædam verba, quæ in usum alterius linguæ, per interpretationem transire non possunt; et ut doctissimus sit interpres, nec a sensu auctoris devius aberret, quæ sit ipsa sententia non apparet, nisi in ea lingua inspiciatur, quam interpretatur. Inter alia hoc affert exemplum : « Spuria vitulamina non dabunt radices altas, » *Sapient.* IV, 3; græcizat enim interpres, et quasi a μόσχος μοσχεύματα, id est a vitulo vitulamina, deducit; μοσχεύματα autem sunt stolones, sive propagines, et novi surculi ex arbore præcisi, et in terra plantati. Sane quam Hæbræis Græcisque idiotismis Latini abundent codices sacri, luce est clarius, ut non sine causa idem Augustinus, II *Retract.* V, 54, septem libellis, qui etiamnum extant, formulas phrasium sacræ Scripturæ collegisse se memoret. Quod imitatus est postmodum Eucherius Lugdunensis lib. *De Formis spiritualibus*, et post eum hocce etiam sæculo complures alii.

36. S. Augustino consentit S. Chrysostomus, quando in Genesim scribens, *hom.* 21, neque syllabam, neque apiculum esse in sacris Litteris, in cujus profundis non lateat grandis quispiam thesaurus, non dubitat asserere : ac proinde nobis opus esse divina gratia, et ut Spiritu Sancto collustrati, eloquia divina adeamus.

Amplius audet Gregorius Magnus et Pontifex et Doctor : tot enim tamque abdita, in Ezechielem commentans, in sanctis voluminibus agnoscit mysteria, ut asseveret quædam mortalibus necdum reserata, solis cœlestibus patere spiritibus. Mirabimur jam Gregorium, Augustinum, Ambrosium, Eusebium, Origenem, Hieronymum, Cyrillum, et universum sanctorum Patrum chorum, tam impense sacris libris noctes et dies insudasse? Mirabimur eos in hac disciplina principes et palmares consenuisse, nec alium eos studiorum horum, quam vitæ finem fecisse? Mirabimur Hieronymum Gregorio Nazianzeno et Didymo, Ambrosium Basilio, Augustinum Ambrosio, Chrysostomum Eusebio, aliosque suis præceptoribus usos? Mirabimur, jam inde a nascente Ecclesia, scholas sacrarum Litterarum erectas? De Alexandrina enim, tot Doctorum et Præsulum parente, nemini dubium est : de cæteris sat evincunt Patrum lucubrationes, quæ multis antequam Theologia scholastica methodo traderetur, sæculis elaboratæ, pene in hoc argumento, in hac una materia versantur.

Monasterium Studii. Constantinopoli olim celebre fuit monasterium quod ab auctore, et a sacrarum Litterarum, ac vitæ perfectioris studio, Studii nomen accepit, cui

Theodorus Studita. præfuit S. Plato : post quem Theodorus Studita, sub annum Domini 800, tot ingenii sui et pietatis, e sacris Litteris reliquit monumenta, suos discipulos more veterum monachorum iis describendis occupans; quibus et absens et præsens cum Iconoclastis Imperatoribus Constantino Copronymo, et Leone Isauro, forti agone et duello congressus, hæresin jugulavit, et palmata sanctæ fidei trophæa æternæ memoriæ consecravit.

37. Vener. Beda tota vita studuit sacræ Scripturæ. Ex Anglia, audi Venerabilem Bedam in *Historia Anglicana* : « Ego, ait, septennis monasterium ingressus, ibi tota vita omnem meditandis Scripturis operam dedi, atque inter observantiam disciplinæ regularis et quotidianam cantandi in ecclesia curam, semper aut discere, aut docere, aut scribere dulce habui. » Hinc in omnes pene sacræ Scripturæ libros, Bedæ extant commentaria, adeoque nec morbo ipse destitit : quin vero ultima infirmitate in Evangelio S. Joannis laboravit, et pene animam agens, ut absolveret, accito scriba : « Accipe, ait, calamum, et festinanter scribe, » et tandem : « Bene, inquit, consummatum est; » et cycnæum canens : « Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, » placidissime spiritum emisit pro fidei labore Dei visione beandum, anno a partu Virginis 731.

Alcuinus. Venerabili Bedæ æqualis fuit Albinus, vel Alcuinus Flaccus, qui Caroli Magni vel præceptor fuit, vel potius familiaris; hic Eboraci in Anglia sacras Litteras palam docebat; unde ad eum audiendum ex Frisia S. Ludgerus Eboracum concessit, tantumque profecit, ut ad suos reversus, Frisiorum apostoli nomen meruerit. Testes sunt Annales Frisiæ, et auctor *Vitæ S. Ludgeri.*

S. Bonifacii Evangelium miraculo servatum. Apud Belgas, S. Bonifacius cum suis, Christi legem propagans, jugiter sancti Evangelii codicem secum deferebat, adeo ut eum nec in martyrio dimiserit; quin vero cum anno Domini 755 in ejus caput Frisii ensem vibrarent, ipse hunc codicem, quasi spiritualem clypeum objecit, et illustri miraculo, licet ense acuto per medium sectus sit liber, nulla tamen littera ea sectione abolita est.

38. Caroli Magni studium S. Scripturæ. Apud Francos Rex et Imperator Carolus Magnus, imo ter maximus, eruditione scilicet, pietate et laude bellica, sacrarum Litterarum scholas tum alibi, tum Parisiis (adeo vetus est hæc academia, quæ Coloniensis est mater, Lovaniensis avia) instituit. Quin et Carolus ipse, Eginhardus in ejus Vita, legendi et psallendi disciplinam diligentissime emendavit. Adeo vero sacris Litteris deditus fuit, ut eis immortuus sit. Auctor est Teganus in *Vita Ludovici*, Carolum sub obitum, coronato Aquisgrani Ludovico filio, totum se orationibus, eleemosynis et sacris Litteris dedisse, scilicet quatuor Evangelia ad Græca et Syra egregie correxit agens pene animam : merito ergo Caroli codex religiose Aquisgrani, ut ipse vidi, asservatur.

Quare quod in Concilio Lateranensi sub Innocentio III, de cathedra sacrarum Litterarum sancitum est, non nova, sed veterem innovans consuetudinem firmansque habenda est sanctio. Nimirum, simili tam sedula cura providit et Tri-

dentina Synodus, ne mos ille uspiam labasceret, ut, *sess.* V, fuse de lectione sacræ Scripturæ statuat et sanciat, edicatque, ut in omnibus Canonicorum cœtibus, Monachorum etiam et Regularium, omnibusque publicis gymnasiis eadem stabiliatur, dotetur, promoveatur : utque tam docentes, quam discentes Beneficiis Ecclesiasticis ornati, fructuum perceptione jure communi concessa, in absentia fruantur. Et sane, cum sectariorum hostium nostrorum omnis hic desudet industria, ut non nisi Scripturas crepent, pudeat Christianum et orthodoxum Theologum, vel tantillum illis concedere, pudeat ab eis vinci ac superari; quin vero non tantum verba sacræ Scripturæ crepent, sed et sensum genuinum rimentur. Ita tela hæreticorum in ipsosmet retorquebunt, et e Scriptura hæreses omnes revincent et jugulabunt. Fecit hoc solide et exacte illustrissimus Bellarminus fidei hyperaspistes et hæresum strator, in suis *Controversiis :* quod opus proinde impenetrabile est et incomparabile, nec a Christi temporibus hucusque simile in hoc genere vidit Ecclesia, ut merito veritatis Catholicæ murus et antemurale vocari possit.

39. Cap. V. De dispositionibus ad hoc studium requisitis. Prima est, crebra sacræ Scripturæ lectio.

V. Atque ex his omnibus facile est pervidere, quam incensa, quamque constanti diligentia instructum, disciplina hæc discipulum postulet; qua rursus animi comparatione ad eam accedere, quibusve fulciri præsidiis oporteat. Nimirum *prima* comparatio ut quis fructum ex hoc studio colligat, est crebra sacræ Scripturæ lectio, auditus creber, viva doctoris vox, et in hisce constantia : quia divinatio est in ore doctoris, in doctrina non errabit os ejus. Plutarchus, libro *De Educat. puer.*, docet memoriam esse cellam penuariam disciplinarum. Plato in *Theæteto* asserit, memoriam esse matrem musarum, et sapientiam esse memoriæ et experientiæ filiam. Id cum alibi, tum maxime in sacra Scriptura, teste S. Augustino, lib. II *De Doctrina Christiana,* cap. IX, locum habet, quæ tanta rerum varietate, tot libris et sententiis constat. Ea propter Ecclesia, ut nostram hic memoriam juvet, nobis in quotidiano tum sacrificii Missæ, tum Horarum canonicarum officio, ita Bibliorum pensum distribuit, ut quotannis totum persolvamus. Eodem juvant tum alia, tum pius ille Ecclesiasticorum et Religiosorum usus, ut in cœna et prandio ad mensam, caput nimirum unum e Bibliis prælegatur, et prisco Patrum more cibi sacris Litteris condiantur. Sic Tridentina Synodus statim initio sessionis II præcipit, ut in Episcoporum mensis divinarum Scripturarum lectio admisceatur. Insuper nec omittant Theologi, quod doctissimorum legibus præscribitur, ut quotidiana lectione Scripturam sibi familiarem reddant.

Sapientia est filia memoriæ.

Ita S. Augustinus, lib. II *De Doctrina Christiana,* cap. IX : « In his omnibus libris, inquit, timentes Deum, et pietate mansueti quærunt voluntatem Dei; cujus operis vel laboris prima observatio est, ut diximus, nosse istos libros, et si nondum ad intellectum, legendo tamen vel mandare memoriæ, vel omnino incognitos non habere; » deinde solertius diligentiusque singulorum sensa pervestigare. Et S. Basilius prologo in Isaiam : Requiritur, ait, assidua in Scriptura exercitatio, ut majestas atque arcanum divinorum verborum perpetua meditatione animo imprimatur.

40. Secunda dispositio est modestia.

Secundo, insignis eodem dispositio est humilis animi modestia, de qua S. Augustinus, epist. 56 *ad Dioscorum* : « Non aliam, ait, ad capessendam et obtinendam veritatem, et sacram sapientiam viam munias, quam quæ munita est ab eo, qui gressuum nostrorum, tanquam Deus, videt infirmitatem. Ea est autem *prima* humilitas, *secunda* humilitas, *tertia* humilitas; et quoties interrogares, hoc idem dicerem. Itaque sicuti Demosthenes in eloquentia pronuntiationi primas, secundas, tertias dedit : ita ego in Christi sapientia primas, secundas, tertias dabo humilitati, quam Dominus noster ut doceret, humiliatus est » nascens, vivens, et moriens.

Idem, lib. II *De Doctrina Christiana,* cap. XLI : « Cogitet, inquit, Scripturæ studiosus illud Apostolicum : *Scientia inflat, charitas ædificat,* illudque Christi : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde,* ut in humili charitate radicati et fundati, possimus comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, altitudo et profondum, id est, crucem Domini : quo signo crucis omnis actio Christiana describitur, bene operari in Christo, et ei perseveranter inhærere ac sperare cœlestia. Per hanc actionem purgati, valebimus cognoscere etiam supereminentem scientiam charitatis Christi, qua æqualis est Patri, per quem facta sunt omnia, ut impleamur in omnem plenitudinem Dei; » ubi enim humilitas, ibi sapientia, ait Salomon *Proverb.* XI; et Christus ipse : « Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ; quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis : ita, Pater, quoniam sic placitum fuit ante te. »

41. Magnæ mentes habent aliquid amentiæ.

Et sane, si te noris, abyssum ignorantiæ noris. Et quid, quæso, præ Dei, præ angeli sapientia, est hominis scientia, qui pauca a Deo didicit, infinita ignorat? Aristoteles, et ex eo Seneca, aiebat nullum magnum ingenium sine mixtura dementiæ extitisse, nec potest, inquit, grande aliquid, et supra cæteros loqui, nisi mota mens : atque ad hoc ebrietatem, sed raram laudat. En tibi mentem amentem, vel Aristotelis, vel insignis cujusque ingenii, ut altissime philosophetur. Quare pulchre S. Bernardus serm. 37 *in Cantic.*: « Necesse est, inquit, ut cognitio Dei, et sui ipsius, præeat scientiam nostram; seminate vobis ad justitiam, et metite spem vitæ, et tum demum illuminabit vos lumen scientiæ; ad hoc ergo non recte proditur, nisi justitiæ germen præcedat ad animam, ex quo formetur granum vitæ, non palea gloriæ. » Et S. Gregorius præfat. in lib. *Moral.*

In S. Scriptura agnus ambulat, elephas natat.

cap. XLI: « Divinus, inquit, sermo sacræ Scripturæ est fluvius planus et altus, in quo et agnus ambulet, et elephas natet. »

Ex hac humilitate sequitur animi mansuetudo, et pax, omnis sapientiæ capacissima : nam sicuti aquæ, si nullo venti aerisve flabro agitentur, sed immotæ consistant, limpidissimæ sunt, et quamvis objectam sibi imaginem clarissime concipiunt, et intuenti, quasi speculum perfectissimum exhibent : ita mens turbinum passionumque expers, tranquillo hoc pacis silentio, limpida acutum cernit, omnemque veritatem planissime concipit, acrique judicio imperturbata pervidet. S. Augustinus, *De Serm. Domini in monte,* in illud, *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* : « Sapientia, ait, congruit pacificis, in quibus jam ordinata sunt omnia, nullusque motus adversus rationem rebellis est, sed cuncta obtemperant spiritui hominis, cum et ipse obtemperet Deo. »

42. Tertia dispositio est puritas animi.

Pacis comes est mentis puritas, quæ *tertia* est dispositio, huic disciplinæ aptissima. « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt ! » si Deum, quin ergo et Dei verba? E contrario, « in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus enim Sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu, et corripietur a superveniente iniquitate, » *Sap.* 1, 4. Dixerat S. Augustinus in *Soliloq.* : Deus qui solos mundos corde verum scire voluisti; retractat id I *Retract.* IV. Multi enim, ait, immundi corde multa vere sciunt; sed tamen si mundi sint corde, amplius, clarius, facilius ea scient; nec nisi mundi corde, veram sapientiam, quæ ex sapida cognitione in affectum et praxin dimanat, quæ scientia Sanctorum est, assequentur. S. Antonius apud Athanasium : Si quis, inquit, sciendi etiam futura tenetur desiderio, habeat purum cor; quia credo animam Deo servientem, si in ea perseverarit integritate, qua renata est, plus scire posse, quam dæmones; unde ipsimet Antonio omnia, quæ scire volebat, a Deo mox revelabantur. Idem verbo et exemplo suo docuit magnus ille S. Joannes Anachoreta, apud Palladium in *Lausiaca,* cap. XL.

Deus puris corde secreta revelat, ait, S. Antonius.

Visio S. Nazianzeni castitatis et sapientiæ quasi sororum.

S. Gregorius Nazianzenus, auctore Ruffino, cum Athenis studiis vacaret, vidit per soporem, sedenti sibi et legenti duas decoras, dextra lævaque feminas assedisse; quas ille castitatis instinctu, oculo torviore respiciens, quænam essent, quidnam vellent percontabatur; at illæ eum familiarius et ambitiosius complectentes aiunt : Ne moleste accipias, juvenis; notæ tibi satis et familiares sumus : altera enim ex nobis sapientia, altera castitas dicitur; et missæ sumus a Domino tecum habitare, quia jucundum nobis et mundum in tuo corde habitaculum præparasti. En tibi sorores gemellæ, castitas et sapientia.

43. Hæc puritas S. Thomam Angelicum Doctorem consecravit; innuit id ipse animam agens Reginaldo suo : « Morior; ait, consolatione plenus, quia quidquid a Domino petii, impetravi : *primum,* ut nulla rei carnalis, vel temporalis affectio, puritatem mentis inficeret, vel fortitudinem emolliret; *secundum*, ut a statu humilitatis ad prælaturas, ad infulas non assumerer ; *tertium,* ut nossem statum fratris mei Reginaldi, tam dire cæsi : vidi enim eum in gloria, dixitque mihi : Frater, res tuæ bono sunt loco : ad nos venies, sed major tibi paratur gloria. »

Tria vota S. Thomæ.

S. Franciscus Theologus a Deo illuminatus.

S. Bonaventura docet S. Franciscum idiotam licet, sed mentis purissimæ, a Cardinalibus aliisque subinde rogatum de altissimis S. Scripturæ et Theologiæ difficultatibus, ita apte et sublimiter respondisse, ut doctores Theologos longe superaret.

Vigent Sanctorum ingenia.

Quod enim in Vita S. Zenobii dicitur, verissimum est : « Maxime omnium vigent Sanctorum ingenia, et ipsa animi puritas ad conjectanda etiam futura, ex minimis indiciis eventus colligit; » nam, ut recte ait Philo quanquam Judæus : « Legitimi Dei cultores mente pollent; verus enim Dei sacerdos, simul etiam vates est : ideo nihil ignorat; habet enim in se solem intelligibilem, » nimirum, ut recte ait Boetius, « splendor ille quo regitur vigetque cœlum, vitat obscuras animæ ruinas, et mentem sequitur nitentem. »

Hosii vaticinium.

Ita Cardinalis Hosius Concilii Tridentini præses, vir integerrimus, et insignis Lutheromastix, inter alia, cum Andreas Dudecius, Episcopus Tinniensis, legatum Cleri Hungarici in Concilio Tridentino ageret, aliisque ob eloquentiam venerationi et admirationi esset, uni Hosio suspectus fuit : dictitabat enim ei periculum apostasiæ a fide imminere, foreque hæreticum. Ita factum : fugit ille apostata ad Calvini castra. Rogatus Hosius, unde hoc prævidisset, respondit : Ex sola hominis superbia; sui enim judicii tenacem, præsagiebat animus in hanc fossam ruiturum.

44. Quarta dispositio ad sacræ Scripturæ studium est oratio.

Quarto, oratione hic opus est, quasi cœlesti fistula et organo, quo ex Deo ipso verbi Dei sensum hauriamus. S. Augustinus scripsit librum de magistro, quo illud Christi verissimum esse docet : « Unus vester magister est Christus, » et I *Retract.* IV, retractat quod alibi dixerat, plures ad veritatem esse vias, cum una tantum sit, Christus scilicet, via, veritas, et vita. Prophetarum ergo scientia et prædictio divina fuit; et quia divina, hinc certissima, sublimissima, amplissima, providentissima.

II Dial. XXXV. S. Benedictus vidit totum mundum in uno solis radio.

Refert S. Gregorius, II *Dialog.* XXXV, B. Benedictum, quadam vespera ad fenestram orantem, vidisse lucem tantam, quæ diem vinceret, et tenebras omnes fugaret, et in hac, ait, luce omnis mundus velut sub uno solis radio collectus, ante oculos ejus adductus est; atque inter alia, in splendore hujus coruscæ lucis, vidit Germani Capuani Episcopi animam, in sphæra ignea ab angelis in cœlum ferri. Quærit deinde Petrus, qui totus mundus ab eo oculis conspici potuerit? Re-

Videnti Creatorem angusta est omnis creatura.

spondit Gregorius, quia animæ videnti Creatorem angusta est omnis creatura : eo quod per lumen divinum mentis intimæ sinus laxetur, tantumque expandatur in Deo, ut superior existat mundo et semetipsa. « Videntis ergo Deum Benedicti animus dilatatus est, ut sine difficultate videret omne, quod infra Deum est; et in illa luce quæ exterioribus oculis fulsit, lux interior in mente fuit, quæ videntis animum cum ad superiora rapuit, ei quam angusta essent omnia inferiora, monstravit. »

45. S. Bernardus magistros habuit fagos.

Simili modo S. Bernardus meditando adeptus est intelligentiam sacrarum Litterarum, indeque sapientiam istam, et facundiam melleam; adeoque ipsemet dictitibat se in sacræ Scripturæ studio non alios, quam fagos et quercus, habuisse magistros, inter quas nimirum orando et meditando, omnem sub se positam et expositam visus est sibi videre sacram Scripturam, uti ait auctor Vitæ ejus lib. III, cap. III, et lib. I, cap. IV. Idem plane Prophetis accidit. Scitum illud Jamblici : Pythagoræ doctrinam, quia divinitus tradita (ut ipse ementito suis persuaserat), non nisi quopiam deorum interpretante, intelligi posse; poscendam itaque discipulo Dei opem, qua tantopere indigeat. Judæi a Deo extorres humi serpunt, aridoque ita inhærent cortici sacrorum codicum, ut nullam medullæ dulcedinem degustent, nugarum tantum institores, et fabellarum opifices. Hæretici quia æquor tam vastum et dubium, sui nixi ingenii remis et velis, nullo Cynosuræ, cœlestisve cujuspiam sideris contuitu pervagantur, nunquam ad portum evadunt, mediisque semper jactantur fluctibus, et quæ ad nauseam legunt, non intelligunt, nisi quæ quoad libertatem ventris, et subventraneas voluptates, abdominis mancipia capiunt, et vero rapiunt. Quare non hic Delio natatore, sed Spiritus Sancti cœlitumque ductu est opus, utque in maris stellam defixi Mariam collustrantem hoc iter ingrediamur : illa facem præferet.

46. Daniel oratione evasit propheta, et Ezechiel.

Daniel vir ille desideriorum, somnia regis Chaldæi, et numerum 70 annorum exilii Israelis, a Jeremia consignatum, oratione assecutus et a Gabriele edoctus est.

Ezechiel aperto ore (utique ad Deum) libro in quo lamentationes, carmen et væ, intus forisque descripta erant, a Deo cibatus est.

Gregorius Thaumaturgus, a S. Joanne edoctus.

Gregorius, cognomento Thaumaturgus, beatæ Virginis cliens, ejus in somnis monitu jussuque, a S. Joanne, principii ejus Evangelii explicationem, symbolo divinitus edito, quod contra Origenistas opponeret, accepit; auctor in ejus Vita est Nyssenus, qui et symbolum hoc refert.

Chrysostomus, a S. Paulo.

S. Chrysostomo, cujus tanta fuit erga S. Paulum pietas, commentarios in ejus epistolas dictanti, quidam S. Pauli effigie astare visus, in aurem quæ scriberet suggerens.

Ambrosius, ab angelo.

Ambrosius, si S. Paulino in gestis ejus credimus, cum Scripturas pro concione tractaret, pugnaretque iis pro Filii divinitate, visus est angelum habere inspirantem quæcumque diceret : qua spectaculi novitate commotus arianus is, cui hoc cernere datum, veritatem Catholicam amplexus, hæresin ejuravit.

Gregorius a Spiritu Sancto in specie columbæ.

S. Gregorio Magno, cujus vel prima in tropologia est laus, commentanti scribentique, Spiritum Sanctum columbæ specie insedisse, fidem facit oculatus testis Petrus Diaconus.

Quare divinus ille Justini Martyris catechista, Prophetarum ei lectionem suadens, hanc pariter ei dabat methodum : « At tu votis et precibus ante omnia, tibi lucis portas aperiri opta : neque enim ab aliquibus perspiciuntur et intelliguntur, præterquam si cui Deus et Christus eorum concesserit intelligentiam; » ut non sine causa S. Thomas Theologiæ Scholasticæ princeps, et in Scripturis apprime versatus, sacros codices edisserens, tantum spei in propitiando numine ponere consueverit, ut ad difficiliorem quemque Scripturæ locum intelligendum, præter orationem, etiam jejunium adhibere solitus narretur. Precibus ergo Deoque maxime nitendum, ut in sacrarium hocce suum nos ipse deducat, et sacra oracula patefaciat.

S. Thomas prece et jejunio adeptus est intelligentiam S. Scripturæ.

47. Quinta dispositio est sanctitas.

Atque hinc consequetur ultimum, ad disciplinam hanc peropportunum, ut mens nostra terrena fæce perpurgata, et passionum discussis nebulis, sancta et sublimis effecta, apta habilisque reddatur ad cœlestia hæc dogmata haurienda : neque enim, uti pulchre Nyssenus, divina, et cognatum illud lumen, quodque mente ipsa cernitur, vacuo et libero sensu aspicere quis potest, cum is prava quadam atque inerudita anticipatione, ad humiles res et lutulentas aciem intendit. Quare ut quis venas ac medullas cœlestium dictorum subeat, utque profunda et abscondita sacramenta limpide contempletur, elevatus et sanctus cordis oculus sit oportet.

Non dubitat S. Bernardus asserere (ad Fratres de monte Dei) neminem in sensum Pauli ingressurum, ni prius ejus spiritum imbiberit, neque Davidica intellecturum carmina, ni prius sanctos psalmorum affectus induerit; et omnino quo spiritu sunt scriptæ sacræ Litteræ, eodem et intelligendas esse. Egregie vero *in Cantica* : « Hanc veram, inquit, germanamque sapientiam non lectio docet, sed unctio; non littera, sed spiritus; non eruditio, sed exercitatio in mandatis Domini. Falleris, falleris, si te putas invenire apud mundi magistros, quam soli Christi discipuli, id est mundi contemptores, Dei munere assequuntur. » Auctor est Cassianus, Theodorum monachum sanctum, tam rudem, ut nec elementa sciret, tam peritum tamen divinorum voluminum, ut a viris doctissimis consuleretur, dicere solitum : « Plus in vitiis extirpandis quam libris evolvendis operæ ponendum esse; quod his expulsis, confestim cordis oculi cœleste lumen admittentes, sublato velamine passionum, sacramenta Scrip-

Plus docet mortificatio quam lectio.

turarum velut naturaliter incipiant contemplari.» Sane hæc vitæ sanctitas Franciscos, Antonios, Paulos, illitteratos altissima eloquiorum Dei mysteria et sensa edocuit vel maxime. Quare si sancta anima, si precibus nixus, Deoque fretus huc accedas, sedulusque adsit labor, ut nulla transeat dies, qua (quod de Cypriano Tertullianum in dies lectitante, memorat S. Hieronymus) non postules : « Da Magistrum ; » superabis celeri facilitate quidquid hic est difficultatis, recreabitque quod fulget in cortice sapientiæ, sed pascet suavius quod in medulla est cœlestis adipis : neque verebere tandem quamvis veternosum hæreticum, etiamsi omne Biblicum opus memoria calleat : hoc enim fere est omne eorum studium, quo nos impetunt : quibus nos iisdem armis occurrere, nobisque nostra ab injustis possessoribus vendicare decet ; ut audacter hoc genere cum iis manus conserentes, suis eos telis debilitemus. Neque rursum cathedram extimesces, licet doctam et celebrem, sed securus fidensque, affatim doctis conceptibus, sententiisque sacris solide germaneque instructus, Ecclesiasten ages. Porro Scholastica neutiquam id sibi noxæ ducet, sed lubens, quasi germanæ suæ auxiliatricem accipiet dabitque dextram, ac partietur operas utrique profuturas.

48. Methodus auctoris.

Ad me quod attinet, scio sentioque quid molis sustineam, quamque invia hactenus calcanda sit via : aliud enim longe est prolixos evolvere commentarios, ambiguo sæpe fructu ; aliud breviter sensum e Patribus reddere, historicumque allegorico jungere, et alterum ab altero secernere. Scio ; Nazianzeno duce, orat. 2 *De Paschate*, media via inter eos, qui crassiore ingenio litteræ immorantur, et eos, qui sola allegorica speculatione impense delectantur, incedendum : alterum enim Judaicum est atque abjectum, alterum ineptum ac somniorum interpretis, parique utrumque reprehensione dignum ; et quod S. Augustinus, lib. XVII *De Civit.*, cap. III, docet, multum mihi audere videntur, qui in Scripturis omnia prorsus significationibus allegoricis involuta esse contendunt, uti in hoc extremum devius fecit Origenes, dum historicam fugiens, imo elidens, veritatem, pro ea sæpe quidpiam symbolicum supponit : dum Evæ ex Adami costa formationem, spiritualiter accipiendam putat : arbores paradisi, angelicam fortitudinem : tunicas pelliceas, corpora humana : et plura similia mystice interpretatur, atque « ingenium suum, » nimis utique præcellens, « Ecclesiæ facit Sacramenta : » sic Hieronymus, lib. V *in Isaiam*. Ideoque illam censuram incurrit : « Ubi bene Origenes, nemo melius ; ubi male, nemo pejus. » Ita Cassiodorus. Verum quis nobis hæc Œdipus interstinguendo definiet ? Quod de sacerdotibus dixit S. Hieronymus : « Sacerdotes multi, sacerdotes pauci, » hic vere de interpretibus dixerim : Interpretes multi, interpretes pauci. Ambrosius et Gregorius mysticum fere reddunt sensum ; Augustinus, Chrysostomus, Hieronymus et cæteri Patrum nunc historicum, nunc mysticum eadem orationis serie pertexunt, ut plusquam Lydio opus sit lapide, ad historicum, qui fundamenti vicem tenet, in Patribus vestigandum. Jam quam paucos Interpretum invenire est, qui Græcis et Hebræis imbuti fontibus, genuinam eorumdem phrasin reddiderint, eosque nostræ editioni per omnia conciliarint ? Quid ergo ? desudandum hic mihi video ; enitendumque, ut multa legens, multa disquirens, apiculas imiter, et mellilegium e floribus ad id aptioribus, lecto examine conficiam : ut historicum primo sensum, exacta discussione vestigem ; sicubi is apud varios erit varius, indicabo : atque in tanta opinionum multitudine, quæ anxios sæpe fluctuantesque tenet et obturbat auditores, eum qui maxime textui consonus est, præferam et seligam. Qua in re Vulgatam semper, decreto Concilii Tridentini, editionem tuendam duxi. Hebræa vero sicubi dissonare videantur, quo hæreticis respondeamus, Vulgatæ consentientia ostendere enitar ; et si quem alium, nostræ tamen non adversum, pium doctumve suggerant intellectum, eum afferam ; sed ita, ut Latinis Hebræa reddam verbis : ut et qui Hebræa nesciunt, ea assequantur ; et qui sciunt, fontes consulere possint ; verum hæc omnia parce, et non nisi ubi res exiget.

Quod ad Rabbinos attinet, nulla mihi cum eis erit communio ; nisi qua parte cum Catholicis doctoribus conspirant, aut Christianos, et maxime S. Hieronymum, ut in multis deprehensum est, tacito nomine sequuntur : cæteroqui genus hoc hominum vulgare, abjectum, hebes, omnisque litteraturæ expers jam inde ab Hierosolymorum vastitate, qua tota gens regno, civitate, judicio, templo, litteris exuta et derelicta jacet, juxta Oseæ vaticinium, sine rege, sine principe, sine sacrificio, sine altari, sine ephod, sine theraphim. Mysticam vero intelligentiam adeo nunquam ipse comminiscar, ut suis semper eam tribuam auctoribus, et sicubi ea erit illustrior, paucis complectar : alias unde petenda sit, digito ad fontes intento commonstrabo. Porro hæc omnia majori brevitate faciam, quam feci in Epistolas Paulinas, ut universum Biblicum curriculum paucis annis et tomis ad calcem (si Deus vires et gratiam dederit) perducam. Quam vero hic indefessus requiratur labor et studium cum acri judicio, ut Græca, Hebraica, Latina, Syra, Chaldæa, lectiones codicum variantes consulas ; Patres Græcos, Latinos, recentiores Interpretes in diversissima abeuntes, adeoque prolixos evolvas, de singulis censuram feras ; quid error sit, quid fidei, quid certum, quid probabile, quid improbabile, quid litterale, quid maxime genuinum, quid allegoricum, et tropologicum, anagogicum ; omniaque distilles, et in tria verba conferas ; sæpe ipse sensum litteralem genuinum invenire, et primus glaciem perfringere debeas, non credat nisi

49

expertus. Felix auditor et lector, qui compendio docentis labore hoc omni fruitur. Doctor martyrium aveat, et pro sanguine spiritus nobilissimos Deo consecret et exhauriat, cum iisque oculos, cerebrum, os, ossa, digitos, manus, sanguinem, succum omnem, vitamque ipsam impendat, et lento martyrio ei reddat, qui primus suam, Deus, pro nobis homulis dedit. Fortitudinem meam ad te custodiam : non quæstum, non plausus, non gloriæ fumos aucupabor : culpent, laudent, plaudant, plodant, non morabor : non tam stultus, nec tam parvi animi sum, ut tam vili vanitate labores et vitam meam vendam. Ecquis, si cum D. Thoma nuntium sæculo remiserit, et a Christo e cruce audiat : « Bene scripsisti de me, Thoma; quæ ergo erit merces tua? » non statim cum eo respondeat : « Non alia quam tu Domine,» merces mea magna nimis? mihi mundus crucifixus est, et ego mundo; opera mea, non mea, sed tua sunt dona, tibi tua reddo; tu docuisti meam infantiam, viam in invio ostendisti, infirmitatem mentis æque ac corporis roborasti, tenebras tua luce dispulisti : quia quæ infirma sunt mundi eligis, ut confundas fortia; et ignobilia mundi, et contemptibilia, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destruas, ut non glorietur in conspectu tuo omnis caro, sed qui gloriatur, in te uno
50. glorietur. Quid ergo? omnia poma nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi : ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia; pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio; fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur; sed et erit post myrrham hanc, botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi. Quod ut cumulate præstet, Sanctos omnes, et maxime tutelares, æternæ Sapientiæ matrem Virginem, S. Hieronymum, et quem præ manibus habemus Mosen, assidue rogabo, ut sicuti S. Paulus D. Chrysostomo, ita ipse mihi quasi angelus magistralis assistat, et mihi scribendi, aliis legendi, utrisque intelligendi, eademque sapiendi, volendi, perficiendi, aliosque ea docendi et persuadendi ductor sit et doctor, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, ut crescamus in illo per omnia : donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi; qui est amor noster, finis, meta et scopus omnis cursus, studii, vitæ et æternitatis nostræ. Amen.

SECTIO SECUNDA.

De usu et fructu Pentateuchi et veteris Testamenti.

Sunt nonnulli, qui vetus Testamentum quasi Judæis proprium, Christianis non æque utile, aut necessarium; ac Theologo sufficere, si Evangelia, si Epistolas sciat et intelligat, sibi persuadent. Persuasio hæc, quia practica, practicus est error : si enim speculativa sit, hæresis est; utraque noxia, utraque eliminanda.

51. Simon, Marcion et Manichæi rejecerunt vetus Testamentum, cur?

Fuit hæresis Simonis Magi, ejusque sectatorum, Marcionis deinde, et Curbici Persæ (quem sui Manem, et Manichæum, quasi mannæ effusorem, honoris gratia nuncuparunt), atque Albigensium, et nuper Libertinorum, necnon Anabaptistarum quorumdam, vetus Testamentum cum Mose proscribentium; sed dispari fundamento. Simon, Manichæi et Marcionitæ vetus Testamentum a sinistra virtute, et malis angelis editum docuerunt : hoc enim Testamentum, inquiunt, Deum quemdam describit, qui ante lucem in tenebris ab æterno versatus sit, qui vetuerit homini sumere cibum scientiæ boni et mali, qui in angulo paradisi latitarit, qui angelis paradisi custodibus indigeat, qui ira, zelo, imo zelotypia laboret; indignantem, vindicantem, ignorantem et interrogantem : Adam ubi es? Libertini non litteram, sed rationem et libentiam suam, fidei et morum ducem statuunt. Anabaptistæ spiritus enthusiasmo agi et edoceri se jactant. Vidit ætas nostra, quæ nulla non monstra vidit, fanaticum, qui de tribus orbis impostoribus, Mose, Christo, Mahomete (pergere perhorresco) blasphemiæ triumviratum in lucem dedit.

Nostrorum, qui vel tempus, vel laborem, vel inutilitatem causantur, ut vetus Testamentum negligant, tolerabilior est persuasio : reipsa tamen errant, omniumque eodem tandem redit error, error dico, quia pugnat cum Mose, cum Prophetis, cum Apostolis, cum Ecclesiæ sensu, cum Patribus, cum ratione, cum Christo, cum Deo Patre et Spiritu Sancto.

52. Refutantur ex Mose.

Cum Mose *Deuteron.* XVII, 8 : « Si difficile, inquit, et ambiguum apud te judicium esse perspexeris, etc., facies quodcumque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus, et docuerint te juxta legem ejus. » Quis hic non videt, controversias de fide, moribus et ritibus, tam novas quam veteres, ex lege Dei dijudicandas esse, et sacerdotes ac Theologos, ut eas definiant, lege, quasi Lydio lapide, uti debere? legi ergo tam veteri, quam novæ studeant oportet.

Ex Prophetis.

Cum Prophetis. Isaias enim, cap. VIII, vers. 20, clamat : « Ad legem magis, et ad testimonium. » Et Malachias, cap. II, vers. 7 : « Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus. » Et David, *Psal.* CXVIII, 2 : « Beati qui scrutantur testimonia ejus. » Et vers. 18 : « Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua. »

Ex Apostolis.

Cum Apostolis. « Habemus, ait S. Petrus, *Epistola* II, cap. II, vers. 19, firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco. » Et Paulus Timotheum, *Epist.* II, cap. III, vers. 14, dilaudat, quod ab infantia sacras Litteras (veteres utique,

quæ solæ tum exstabant) didicisset, « quæ te possunt, inquit, instruere ad salutem, per fidem quæ est in Christo Jesu. Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. »

Ex Evangelio. Cum Christo. « Scrutamini, inquit, Scripturas, » *Joan.* v, 39. Non dixit, ait Chrysostomus : Legite Scripturas, sed *Scrutamini,* id est, cum labore et diligentia effodite arcanos Scripturarum thesauros, perinde ut qui in venis metallicis aurum et argentum studiose scrutantur.

53. Ex sensu Ecclesiæ. Cum sensu Ecclesiæ. Hæc enim in sacris, in mensis, in bibliothecis, in cathedris æque vetus ac novum Testamentum, quasi custos fidelissima exhibet ac proponit; hæc in Concilio Tridentino, toto cap. I *De Reform.*, S. Scripturæ perennem lectionem ubique revocari et stabiliri jubet; hæc Episcopos, Pastores Ecclesiæ futuros, ante consecrationem adigit, ut spondeant se scire tam vetus quam novum Testamentum, quam responsionem et sponsionem, licet Sylvester voc. *Episcopus,* et alii mitiori interpretatione emolliant, hinc tamen religio nonnullis sapientioribus, presse verba ipsa ponderantibus, injecta fuit, ut hoc nomine Episcopatum recusarent, ne sponsione falsa se obstringerent.

Episcopi consecrandi spondent se scire novum et vetus Testamentum.

Ex decreto Dei. Cum Patre, Filio et Spiritu Sancto. Ut quid enim S. Trinitas vetus Testamentum, per quatuor annorum millia, tam sartum tectum, per tot bellorum et regnorum turbines, servavit? nisi quia a nobis fieri voluit, quod a Josue cap. I, vers. 8 : « Non recedet, ait, volumen legis hujus ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus. » Ut quid profanantes illud tam acri ultione vindex mulctavit? Narrat Josephus et Aristæas, lib. *De Septuaginta Interpretibus,* illustrem virum Theopompum, cum quidpiam divinorum Hebræorum voluminum Græca oratione ornare voluisset, mentis agitatione et turbatione percussum et perculsum incepto desistere coactum; cumque orans Deum, perquireret cur id sibi contigisset, responsum divinitus accepisse, eo quod divinas Litteras inquinasset. Theodectem vero tragœdiarum scriptorem, cum nonnulla e Judæorum Scriptura ad fabulam transferre vellet, temeritatem hanc cæcitate luisse : ea enim illico percussum, ac luminibus captum orbatumque fuisse; donec agnita audaciæ suæ culpa, facti pœnitens uterque veniam a Deo impetravit, atque hic oculis, ille menti restitutus est. Ut quid 250 annis ante Christum, hanc mentem injecit Ptolemæo Philadelpho, filio Ptolemæi Lagi, qui fratri suo Alexandro Magno in Ægypti regno successit, ut per Eleazarum pontificem, senos e qualibet Hebræorum tribu doctissimos, puta LXXII Interpretes seligeret, qui vetus Testamentum ex Hebræo in Græcum transferrent, iisque astitit, ut 70 diebus, summa omnium consensione rem confecerint, et in easdem non tantum sententias, sed et verba convenerint : idque, si Justino, Cyrillo, Clementi Alexandrino et Augustino credimus, cum quisque seorsim diversa cellula suam versionem cuderet? Ut quid Philadelphus hanc Septuaginta versionem per Demetrium bibliothecæ Alexandrinæ præfectum, una cum Hebræis exemplaribus, in sua bibliotheca reponi, et studiose servari curavit? Sane Tertullianus in *Apologetica,* illam ibidem ad sua usque tempora asservatam fuisse testatur : utique volebat Deus, hæc gentibus Græcis, et per eos Latinis, nobis dico, nostrisque Theologis consignari, et per omnes orbis partes, academias et urbes distribui.

Theopompus et Theodectes puniti, quod Mosen profanassent.

Versio Septuaginta.

54. Ut quid post Christum, tot alios interpretes ejusdem veteris Scripturæ vel dedit, vel providit testes et custodes? *Secundus* post LXX S. Scripturæ ex Hebræo interpres, teste Epiphanio, fuit Aquila Ponticus, qui anno 12 Adriani Imperatoris Scripturam Hebræam in Græcum vertit; sed quia a Christianis ad Judæos descivit, non satis tuta est ejus fides.

Aquilæ.

Huic majori fide successit Theodotion, ex Marcionita licet proselytus Judæus, imperante Commodo, cujus versionem in Daniele recepit et sequitur Ecclesia. *Quartus,* sub Severo Imperatore, fuit Symmachus, primum Ebionita, deinde Judæus. *Quintus* fuit anonymus, cujus versio in doliis quibusdam urbis Jericho, anno 7 Caracallæ, qui Severo patri successit, reperta est. *Sextus* pariter fuit anonymus, Nicopoli in doliis similiter inventus, Alexandro Mammeæ filio imperante. Hæ duæ vulgo, quinta et sexta editio indigitantur. Has omnes collegit Origenes, indeque tetrapla sua, hexapla et octapla digessit; rursum LXX vitiatos correxit, adeoque probe, ut ab omnibus κοινή, id est *communis,* habita sit et dicta hæc ejus editio. *Septimus* fuit S. Lucianus presbyter et Martyr, sub Diocletiano, qui novam editionem molitus est ex Hebræo in Græcum.

Theodotionis.

Symmachi.

Quintæ et sextæ editionis.

Hexapla Origenis.

S. Luciani.

Denique S. Hieronymus, Latinæ Ecclesiæ sol, jussu B. Damasi veterem Scripturam ex Hebræo in Latinum convertit, cujus versionem jam a mille annis vulgatam, paucis demptis publice sequitur et probat Ecclesia. Quorsum, quæso, hæc omnia Deus providit tam operose, tam studiose, nisi ut sacrum hunc veterum codicum, thesaurum illibatum nobis volvendum, docendum, discendum traderet?

S. Hieronymi.

55. Cum Patribus pugnat hæc persuasio; nam S. Augustinus scripsit pro veritate et utilitate Pentateuchi et veteris Testamenti ipsos 33 libros *contra Faustum,* rursum duos *Contra adversarium legis et prophetarum.* Scripsit pro eodem Tertullianus libros quatuor *Contra Marcion.* Ejusdem libris evolvendis et explicandis insudarunt ad unum omnes. Basilius et ejus assecla vel interpres S. Ambrosius, scripserunt in Genesin libros *Hexameron,* in Psalmos, in Isaiam. Scripsit in Genesin Origenes 16 libros, Chrysostomus homilias 77.

In Pentateuchum scripsit Cyrillus libros 17 *De adoratione in spiritu et veritate*; ex eodem quæstiones et phrases ediderunt S. Augustinus, Theodoretus, Beda, Procopius, Hieronymus. Idque merito : nam, ut ait S. Ambrosius *epist.* 44, divina Scriptura est mare, habens in se sensus profundos, et altitudinem propheticorum ænigmatum, utique veteris Testamenti.

S. Hieronymus, Præfatione in epist. ad Ephesios *De S. Scripturæ studio* : « Nunquam, ait, ab adolescentia aut legere, aut doctos viros, quæ ignorabam interrogare cessavi; nunquam meipsum (ut plerique) habui magistrum. Denique nuper ob hanc vel maxime causam, Alexandriam perrexi, ut viderem Didymum, et ab eo in Scripturis omnibus quæ habebam dubia sciscitarer. » S. Augustinus, lib. II *De Doctrina Christ.* cap. VI, docet divinitus provisum esse, ut tam multiplici et difficili S. Scriptura studium hominis et a superbia et a fastidio revocaretur. « Mira (ait idem lib. XII *Confess.* XIV) profunditas est eloquiorum tuorum, Domine, quorum ecce ante nos superficies blandiens parvulis, sed mira profunditas, Deus meus, mira profunditas; horror est intendere in eam: horror honoris, et tremor amoris. » Unde et *epist.* 119 : « Ego, ait, in ipsis S. Scripturis multo plura nescio, quam scio. »

56. S. Dominici studium S. Scripturæ utriusque Testamenti.

Neque is tantum prisca ætate Patrum fuit sensus, sed et horum est sæculorum, vigente jam et florente Scholastica Theologia. S. Dominicus, S. Theologiæ doctor, crebro tam vetus quam novum Testamentum versabat : Romæ, et alibi, plures ejus libros propalam docuit : inde Magister primus sacri Palatii creatus est; atque ab hoc tempore dignitas hæc S. Prædicatorum Ordini adhæsit. Audite auctorem Vitæ ejus, lib. IV, cap. IV, simplici licet stylo : « Quia, ait, sine scientia Scripturarum perfectus prædicator esse non potest, suadebat Fratribus, ut semper studerent in veteri et novo Testamento : figmenta enim philosophorum parvi pendebat; hinc Fratres ad prædicandum missi, sola Biblia secum deferebant, et multos convertebant ad pœnitentiam. » Ita S. Vincentius ille Fererius, qui proavorum nostrorum memoria Italiam, Galliam, Germaniam, Angliam, Hispaniam peragrans, minimum centum hominum millia convertit, unum Breviarium, et Biblia circumferebat ad concionandum.

S. Vincentii Fererii.

S. Jordanis.

S. Jordanes vero doctor, alter a S. Dominico Ordinis sui Magister Generalis, interrogatus a suis prædicatoribus, « utrum foret melius, orationi an studio S. Scripturæ insistere? » facete de more respondit : « Utrum melius semper bibere, an semper comedere? utique sicut alternatim competit utrumque, sic et orare et studere S. Scripturæ vicissim oportet; » et, ut S. Basilius ait : « Orationi succedat lectio, lectioni oratio. »

Orationi succedat lectio.

57. S. Francisci.

Pari modo S. Franciscus rogatus a suis, hoc sacrarum Litterarum studium eis indulsit, ea lege, ut orationis et devotionis spiritum non extinguerent : ac primus ex ejus familia S. Antonius de Padua, vivente ac vidente ipso S. Francisco, hasce litteras docuit, vir adeo in Scriptura tam veteri quam nova versatus, ut coram Summo Pontifice concionatus, ab eo arca testamenti sit consalutatus. Mitto S. Bernardum, qui quidquid pene loquitur, verbis Scripturæ loquitur; mitto B. Alfonsum Tostatum, Episcopum Abulensem, qui in decateuchum hoc, et singulos veteris historiæ libros, singula volumina, sane magna, acri judicio et studio elaboravit, ut mihi olim eum pervolventi, et jam exactius revolventi, non minus laboris, quam opis afferat.

S. Antonii de Padua.

S. Bernardi.

Abulensis.

S. Edmundus, Archiepiscopus Cantuariensis, anno partæ salutis 1247, in sacris Litteris perdius et pernox, noctes ipsas ducebat insomnes, ea reverentia, ut quoties sancta Biblia aperiret; prius ea osculo honoraret. De quo illud memorabile : legationem obiens, de more noctu sancta Biblia lectitabat, somno opprimitur, candela in librum incidit, eumque flamma corripit, evigilans suspirat, ambustum putans librum, favillam libro inhærentem efflat, et ecce integrum intactumque codicem admiratur. S. Carolus Borromæus in S. Scripturam assidue quasi in paradiso deliciarum versabatur, dicebatque Episcopum non egere horto, sed ejus hortum esse S. Biblia.

S. Edmundi.

S. Borromæi.

Atque ut hunc locum concludam, S. Thomas, Scholasticorum princeps, illustre nobis dedit exemplum, ut Scholasticen cum sacra Scriptura quasi sororiantem indivulse jungamus. Nostis omnes quis ejus in Scripturam amor, quod studium, quæ preces, quæ jejunia, qui commentarii in Prophetas, in Cantica, in Job, et alios veteris Testamenti libros : in quibus illi in nostram Genesin (si tamen ejus sunt, de quo posterius dicam) insignes sunt et eruditi.

S. Thomæ.

58. Ex ratione idem probatur.

Denique utilitatem et necessitatem veteris Testamenti ratio persuadet. Moses, David, Isaias, æque ut Petrus, Paulus, Joannes, in cœtum quasi angelorum admissi, ab ipso fonte veritatis per se sapientiam hauserunt; et, ut recte ait B. Gregorius et Theodoretus, linguæ et manus horum sacrorum Scriptorum nihil aliud fuere, quam calami ejusdem Spiritus Sancti, adeo, ut non tam ipsi scriptores diversi, quam unius scriptoris diversi calami fuisse videantur : eadem ergo veritas, auctoritas, reverentia, studium, diligentia tribuenda Mosi, quæ Paulo, vel potius Spiritui Sancto per Mosen, atque per Paulum loquenti; quæcumque enim ab eo scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Nimirum ipse omnem suam sapientiam hominibus vel necessariam, vel utilem, quam ex abysso divinitatis suæ nobis communicare voluit, tam veteri quam novo Testamento conclusit. Hic liber est Dei, liber Verbi, liber Spiritus Sancti, in quo nihil redundans, superfluum nihil, sed uti scriptorum, ita et rerum variegatura, atque pulcherrima partium omnium

Scriptores sacri fuerunt calami Spiritus Sancti.

harmonia invicem omnia consonant, et universum hoc Dei opus complent et concinnant; ut, si unam partem dempseris, totum demembraris. Quare ut philosophus totum Aristotelem, medicus Galenum, orator Ciceronem, jurisperitus totum Justinianum, ita multo magis Theologus totum hunc Dei librum volvat, verset, terat oportet; ac, ut qui Metaphysicam mutilaret, mutilaret et Philosophiam : ita qui S. Scripturam mutilat, mutilat et Theologiam : sicut enim Metaphysica Philosophiæ, ita sacra Scriptura Theologiæ sua dat principia. Hoc sane voluit Christus, cum dixit : « Omnis scriba, » id est omnis Doctor, omnis Theologus, « doctus in regno cœlorum, profert de thesauro suo nova et vetera. »

59. PRIMA UTILITAS veteris Testamenti.

I. Verum, ut oculis rem subjiciam plane, et fructus aliquot illustriores veteris Testamenti recenseam, imprimis vetus Testamentum, æque ut novum, fidem stabilit. Unde, quæso, mundi exordium, creationem, conditorem novimus, nisi quia fide credimus aptata esse sæcula verbo Dei? Quo verbo? utique Geneseos primo : « Fiat lux, fiant luminaria, faciamus hominem, » etc. Unde animam immortalem, hominis lapsum, peccatum originale, Cherubim, paradisum didicimus, nisi ex eadem Genesi hæc enarrante? Eusebius toto lib. XI *De Præparat. Evangel.* docet Platonem, quem ut divinum præ Aristotele aliisque omnibus sectatus est S. Augustinus, et quotquot ante eum fuere Patres, Platonem, inquam, placita sua de Deo, de Dei Verbo, de mundi exordio, animæ immortalitate, futura resurrectione et judicio, pœnis et præmiis, hausisse ex Mose.

Unde Dei providentiam agnovimus, nisi ex tot sæculorum serie? Unde hominum, regum, regnorum propagationem, universalem orbis cataclysmum, resurrectionem et spem vitæ æternæ hausimus, nisi ex veteri historia, et Jobi et priscorum patientia, ex patriarcharum peregrinatione perpetua? « Fide, ait Apostolus, Abraham demoratus est in terra repromissionis tanquam in aliena, in casulis habitando cum Isaac, et Jacob, cohæredibus repromissionis ejusdem : exspectabat enim fundamenta habentem civitatem, cujus artifex et conditor est Deus. » Atque hinc spes nostra acuitur, assurgit animus, ut hospitem se hic esse et exulem recolens, ad patriam cœlestem aspiret, nihil in hoc orbe concupiscat, miretur nihil, sed omnia pedibus calcet, et arbitretur ut stercora, illudque Socraticum cum S. Hieronymo jugiter sibi occinat : ἀεροβατῶ, καὶ περιφρονῶ τὸν ἥλιον, æthera conscendo, solum hoc, imo cœlum, solemque despicio. Non terræ, sed cœli scriptus sum hæres et dominus; eo mente, eo spe, eo omni cogitatione feror, meque supra sidera libro; civis sum Sanctorum, Dei domesticus, paradisi incola : cætera, utpote humilia, me indigna, abjecta, infima pedibus premo.

Quis in tota Scriptura clarius angelorum naturæ, officii, custodiæ, invocationis fidem astruit, quam liber Tobiæ? quis Purgatorium et suffragia pro defunctis expressius statuit, quam libri Machabæorum? adeo ut Novantes nostri, cum aliud non viderent effugium, victoriam desperantes, et vinci, non vincere certi, necessitate in furorem versi, eos e sacro canone dispunxerint.

60. Ex adverso vero, quot hæreses hisce libris se tutantur? Judæi illo *Deuter.* XXIII, 19 : « Non fœneraberis fratri tuo, sed alieno, » Christianis licite se dare ad usuram posse, mordicus tuentur. Magi pro magia testes laudant et citant magos Pharaonis, qui magiæ subita vi serpentes in virgas, et virgas in serpentes, æque ut Moses, transformarunt. Pro necromantia citant pythonissam, quæ Samuelem a mortuis suscitavit, qui Saulem vero mortis et cladis futuræ oraculo perculit. Pro chiromantia afferunt illud *Jobi* XXXVII : « Qui signat in manu omnium hominum, ut norint singuli opera sua. »

Calvinus ex illo Davidis : « Dominus præcepit ei (Semei) ut malediceret David, » II *Reg.* XVI, 10, Deum operis mali auctorem, imo præceptorem (ut ipse putat) evincit; ex illo *Exodi* : « Ego obdurabo cor Pharonis, et : Ad hoc suscitavi te, ut ostendam in te potentiam meam, » inevitabile reprobationis suæ fatum astruit; servum arbitrium statuit ex eo, quod Jeremias nos quasi lutum, in manu Dei, quasi figuli constituat. Jerem. XVIII, 6.

A paucis annis Saxonici Lutherologi, et matæologi, in disputatione Ratisbonensi, omne suæ causæ momentum de proscribendis traditionibus, et uno Dei verbo, quasi ultimo controversiarum fidei judice, statuendo, in illo *Deuteron.* IV, 2, posuerunt : « Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo; » et cap. XII, 32 : « Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino; nec addas quidquam, nec minuas. »

Quid hic agas, si hic domi non sis? quomodo te eis ludibrium dabis, in Ecclesiæ scandalum, si hic cespites, si hæc non legas, audias, discas, si fontes ipsos sæpe non consulas? hoc enim necessarium esse docet S. Augustinus. Sane qui nescit quid sibi velit Hebræum צוה *tsaua,* id est, *præcepit* Deus Semei, etc. Calvini manus non effugiet; qui autem hebraismum norit, scilicet *tsaua* significare ordinare, providere, disponere, omnemque Dei providentiam, tam positivam, quam negativam et permissivam, telum hoc quasi araneæ telam difflabit. Similes hebraismos singulis sæpe capitibus ostendam, quos nunquam, nisi ex Hebræa lingua, intelligas.

61. II UTILITAS veteris Testamenti.

II. Prima hæc duplex est utilitas veteris Scripturæ : altera non minor, quod vetus longe uberior sit nova. Videas ethicam uberem in Proverbiis, Ecclesiaste, Ecclesiastico : politicam admirabilem in gestis, et legibus Mosis judicialibus et cæremonialibus, e quibus multa mutuata est Ecclesia, et auctores Juris Canonici; Civilis etiam nonnulla : oracula in Prophetis; conciones in

Deuteronomio et Prophetis; et, quod præsentis est negotii, historiam a condito mundo usque ad Judicum, Regum et Christi tempora, certissimam, ordinatissimam, diversissimam, jucundissimam, videas in decateucho. Quadruplex est lex, innocentiæ, naturæ, Mosaica, Evangelica: tres priores earumque historias complectitur Pentateuchus. « Genesis, inquit S. Hieronymus in Prologo galeato, est, in qua de creatura mundi, de exordio generis humani, de divisione terræ, de confusione linguarum et gentium, usque ad exitum scribitur Hebræorum. »

Fabulantur Latini et Græci Gentium historici, de diluvio Deucalionis, de Prometheo, de Hercule; et in omni profana historia, omnia ignorantiæ tenebris et fabulis plena sunt, ante Olympiades. Olympiades autem cœperunt, vel initio regni Joatham, vel in fine regni Oziæ, puta post annum a condito mundo ter millesimum, et amplius: ita ut per tria millia annorum, mundi historiam certam nullam habeas, nisi hanc Mosis et Hebræorum. Est sane historia magistra, dux et lux vitæ humanæ, in qua regnorum, rerum publicarum, vitæ humanæ ortus, casus, occasus, virtutes, vitia, quasi in speculo cernas, omnemque prudentiam, et viam ad felicitatem alieno exemplo, felicitate, vel infelicitate discas.

62. Huc accedit, in nulla historia, imo nec in novo Testamento, tot, tam varia, tam heroica virtutum omnis generis exempla exstare, atque in Pentateucho, et veteri Testamento. Laudant Romani suos inclytos gloriæ caupones, quorum ceratas umbras, imagines dico, lambunt sequaces hederæ, corpora et animas lambit et depascitur æternus ignis. Laudant Manlios Torquatos, qui filios præter ducis et parentis imperium cum hoste pugnantes, parta licet victoria, ad sanciendam disciplinam militarem, gladio ferierunt. Sed quis amet Manliana imperia? Laudant Romanæ libertatis vindicem Junium Brutum, primum Consulem, qui filios tam suos, quam fratris, quod cum Aquiliis et Vitelliis, ad recipiendum in urbem Tarquinios conjurarant, virgis cæsos securi percussit: infelix et infamis tali prole pater. Quis non magis laudet Abrahamum et Isaacum innocentes, qui Deo debitam obedientiam parentali cæde et victima sancire destinarunt, atque Machabæam matrem, se cum septem prolibus Deo, pro patriis legibus immolantem?

Abraham immolans Isaac præfertur Manliano Torquato et Junio Bruto.

Laudant illi tergeminos fratres Horatios, qui tergeminos Curiatios Albanos duello, dolo magis quam viribus vicerunt, et imperium Albæ in Romam transtulerunt. Quis non magis laudet animos et vires Davidis, duello turrim illam carneam et osseam, Goliath, funda prosternentis, et Israeli imperium in Philistiim asserentis?

Comparatio Horatiorum et Davidis?

Laudant Alexandri continentiam, qui cæso Dario, captam ejus conjugem et filias speciosissimas videre noluit, dictitans Persicas *mulieres dolores esse oculorum.* Quis non magis laudet Josephum, jam a domina sollicitante secreto prehensum, relicta chlamyde aufugientem, et in omne carceris, famæ ac vitæ discrimen, pro castitate tuenda ultro se conjicientem?

Alexandri Magni et Josephi;

Laudant Lucretiam inceste castam, atque sui sceleris seram vindicem, et homicidam: nos Susannam longe fortiorem castitatis æque ac vitæ et famæ pugilem celebramus. 63.

Lucretiæ et Susannæ?

Mirantur illi Virginium centurionem, qui cum Claudiam Virginiam filiam a potentia et stupro Appii Claudii decemviri eripere non posset, ultimum poscens ejus alloquium, secreto occidit, mortuam malens, quam corruptam filiam. Mirantur Decios, patrem et filium, pro castris Romanis Latinos et Samnites hostes, secum solemni prece, per Valerium et Liberium pontifices, diis manibus devoventes, iisque sua morte victoriam consignantes. Quis non magis miretur Jephte principem, pro victoria suæ gentis, unicam filiam virginem, ejusque virginitatem Deo vero devoventem, et votam immolantem? Quis non Mosen, pro populo, non temporali, sed æterno exitio se addicentem?

Virgini et Jephte.

Deciorum et Mosis.

Laudant illi fortitudinem et felicitatem bellicam Julii Cæsaris, Pompeii, P. Cornelii Scipionis, Annibalis, Alexandri. At quanto major Samson, Gedeon, David, Saul, Machabæi, Josue, qui non humana, sed cœlesti fortitudine præditi, divina felicitate paucis plurimos, eosque potentissimos profligarunt; quibus sol, luna, sidera, quasi milites obedierunt, et contra hostes depugnarunt? Cui, quæso, nisi Theodosio, sed magis Judæ Machabæo et Josue illud occinas?

Romanorum ducum et Machabæorum.

> O nimium dilecte Deo, cui mittit ab antris
> Æolus armatas hiemes, cui militat æther,
> Et conjurati veniunt ad classica venti.

Atque hi nobis juges sunt stimuli ad omne virtutis arduum, ad omnem sanctimoniam et innocentiam, ut illorum æmuli, quasi angeli terrestres, et homines cœlestes, in Evangelica luce, coram oculis divinæ majestatis, jugiter nos intuentis, ambulemus, et serviamus ipsi in sanctitate et justitia. Deinde, ut in propriis et publicis, Belgicis et Europæis hisce turbinibus, consolationi cum Machabæis habentes Libros sanctos, per patientiam et consolationem Scripturæ, spem habeamus, animosque attollamus, scientes Deo nos esse curæ, ejusque et cœlestium amore obfirmati, nihil metuamus, mortem etiam ac tormenta despiciamus, et etiam si fractus illabatur orbis, impavidos feriant ruinæ. 64.

Ita Apostolus toto cap. XI *ad Hebræos,* patrum exemplo, insigni concione ad tolerantiam et martyrium eos accendit, ut hemina sanguinis emant beatam æternitatem: « Lapidati, inquit, sunt, » Moses utique, Jeremias, aliique Sancti veteris Testamenti, « secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt; circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus

dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus et speluncis, et in cavernis terræ; » idque, « ut meliorem invenirent resurrectionem; ideoque et nos, tantam habentes nubem testium, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen. »

III. 65. III. *Tertia* utilitas est, quod sine veteri Testamento novum intelligi nequeat : citant illud crebro, crebrius ad illud alludunt Apostoli, et Christus, etiam jam extremum suis valedicens. « Hæc sunt, ait *Luc.* cap. ult., vers. 44, verba quæ locutus sum ad vos : quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Mosis, et Prophetis, et Psalmis de me; tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas. »

Sane epistola ad Hebræos hac una de causa gravissima et obscurissima est, quod tota ex veteri Testamento, ejusque allegoriis contexta sit.

IV. 66. IV. *Quarta* utilitas est, cum finis legis sit Christus, omnia quæ in veteri Testamento dicuntur, ad Christum et Christianos pertinent, sensu vel litterali, vel allegorico; atque in hoc vetus Testamentum novo antecellit, quod vetus passim præter litteralem sensum, allegoricum habet, sæpe etiam anagogicum et tropologicum : novum fere caret allegorico. « Patres nostri, ait Apostolus, I *Corinth.* x, 1, omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes in Mose baptizati sunt, in nube et in mari, et omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, etc. Hæc autem in figura facta sunt nostri : scripta sunt autem propter nos, in quos fines sæculorum devenerunt. » Hinc rursum idem, veteris Testamenti intelligentiam a Judæis ablatam, ad nos transisse docet. « Usque in hodiernum diem, inquit, idipsum velamen in lectione veteris Testamenti manet non revelatum, quod in Christo evacuatur; sed usque in hodiernum diem, cum legitur Moses, velamen positum est super cor eorum, » II *Cor.* III, 14.

V 67. V. *Quinta*, ad lectionum, disputationum, concionum copiam providit Deus, ut e veteri Testamento, tantam figurarum, exemplorum, sententiarum, oraculorum varietatem petere liceat, non tantum ad fidem, sed ad omnem honestæ vitæ informationem. Ita Christus segnes ad vigiliam excitat exemplo Noe, et conjugis Lot, *Luc.* XVII, 32 : « Memores estote, ait, uxoris Lot; » rursum obstinatas Judæorum mentes recordatione Sodomorum, Ninivitarum et reginæ Austri terret et percellit. Sic imitatores divitis illius in inferno sepulti, ex Abrahæ verbis ad pœnitentiam revocat, dicens, *Luc.* XVI, 27 : « Habent Mosen et Prophetas, audiant illos. » Paulus vero ait, I *Cor.* X, 6 et 11 : « Omnia in figura, id est in exemplum nostri, contingebant illis; ut non simus concupiscentes malorum, neque idololatræ, » neque fornicatores, neque edaces, neque murmuratores, aut Dei tentatores, ut pereamus sicut illi, qui in lege veteri ob talia facinora perierunt. Spiritus enim Sanctus, qui sæculorum omnium est conscius et præscius, ita sacram Scripturam concinnavit, ut non solis Judæis, sed et Christianis quovis ævo servire posset. Quinimo Tertullianus lib. *De Cultu femin.*, cap. XXII, censet nullam esse enuntiationem Spiritus Sancti, quæ ad præsentem tantum materiam, et non ad omnem utilitatis occasionem dirigi ac suscipi possit.

Vere S. Augustinus *Contra Faustum*, lib. XIII, in fine : « Nos, ait, ad commemorationem fidei nostræ, et ad consolationem spei nostræ, et ad exhortationem charitatis nostræ libros Propheticos et Apostolicos legimus, alterutris vocibus sibimet concinentes; atque ea concinentia, tanquam cœlesti tuba, et a torpore mortalis vitæ nos excitantes, et ad palmam supernæ vocationis extendentes. » 68.

Hac de causa in Sacris Ecclesia ex veteri Testamento passim lectiones prælegit, et sacro jejunii tempore Epistolam e veteri Testamento semper Evangelio apte, quasi umbram corpori, imaginem typo respondentem, inducit. Vidi ego olim Ecclesiastes celebres, pro concione ita priore parte historiam, aut quid simile e veteri Testamento, posteriore aliquid e novo, populo edisserentes, magna populi frequentia, plausu, fructu.

Denique non tantum hæretici, sed et orthodoxi viri graves, qui in consiliis, causis, judiciis versantur, sacras Litteras tam antiquas, quam novas volvunt teruntque veteri exemplo.

Refert Franciscus Petrarcha, ante 250 annos, Robertum, Siciliæ regem, ita litteris, maxime sacris, delectatum, ut juratus ei dixerit : « Juro tibi, Petrarcha, multo chariores mihi esse litteras, quam regnum, et si alterutro mihi carendum sit, æquanimius me diademate, quam litteris carituram. » 69. Roberti regis studium S. Scripturæ.

Auctor est Panormitanus, Alfonsum Aragonum regem gloriari solitum, se, licet in mediis regni negotiis, quater et decies universa Biblia cum glossemate et commentariis evolvisse. Non ergo novum, si jam principes, consiliarii, aliique viri primarii passim in mensis, conviviis, colloquiis, quæstiones e veteri et novo Testamento moveant; ubi Theologus, si sileat, infans erit : si inepte respondeat, ignorans aut stolidus audiet. Alfonsi.

VI. Atque hinc oritur sexta utilitas : vetus enim Testamentum prælusit novo, illique testimonium perhibuit, perinde ac S. Joannes Baptista Christo Domino : ipse enim æque ac Moses, et cæteri prophetæ, « præivit ante faciem Domini, parare vias ejus, ad dandam scientiam salutis plebi ejus; illuminare eos qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. » Hujus rei symbolo, in transfiguratione Christi apparuerunt Moses et Elias, tum ut illi testimonium darent, tum ut loquerentur de excessu, quem completurus erat in Jerusalem. Quis enim credidisset Christo, quis Evangelio, nisi tot VI. 70.

Patrum testimoniis, tot oraculis, tot figuris fuisset confirmatum, prædictum, adumbratum? Judæos quomodo convinces, quomodo ad Christum adduces, nisi ex vaticiniis Mosis et Prophetarum? Apud Politicos, Gentiles, Saracenos, omnesque omnino homines, magna veritatis Evangelicæ demonstratio est, inquit Eusebius, quod toto veteri Testamento, per tot sæcula fuerit promissa et præsignificata.

Hac de causa Christus toties ad Mosen appellat, *Joan.* I, 17 : « Lex per Mosen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est. » *Joann.* V, 46 : « Est qui accusat vos Moses : si enim crederetis Mosi, crederetis forsitan et mihi : de me enim ille scripsit; si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis? » *Lucæ* XXIV; 27 : « Incipiens a Mose et omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipso erant. » Hinc et Philippus Nathanaeli, *Joan.* cap. I, 45 : « Quem scripsit, inquit, Moses in lege, et prophetæ, invenimus Jesum. » Magnum enim Christo et veritati perhibet testimonium consensio utriusque Testamenti, sive consensio Mosis et Christi, Prophetarum et Apostolorum, Synagogæ et Ecclesiæ, uti docet passim Tertullianus contra Marcionem. Atque ut concludam, quanta hic sit, et quam omnigena sapientia, ex ipso Mose disce.

SECTIO TERTIA.

Quis, et quantus Moses (1)?

71. Verbo dicam, pluribus annorum millibus sol hoc majorem virum non aspexit; ipse a teneris in aula regia, quasi regis filius et destinatus hæres, educatus est in omni sapientia Ægyptiorum, ipsos 40 annos : inde negans se esse filium filiæ Pharaonis, malens affligi cum populo Dei, quam temporalis regni et peccati habere jucunditatem, fugit in Madian; hic oves pascens, Deum in rubo allocutus, 40 ipsos annos contemplando divinam omnem sapientiam hausit; denique dux populi delectus tertios 40 annos illi præfuit ut summus pontifex, summus imperator, legislator, doctor, propheta, Christo simillimus et antitypus. « Prophetam, inquit Dominus, *Deut.* XVIII, 15, suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui; » et « Prophetam de gente tua, et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus : ipsum audies, » Christum scilicet.

Hic magistratus virum ostendit, quando tres hominum milliones, puta trigesies centena hominum millia, duræ adeo cervicis, per arida deserta, 40 annis deduxit, cœlesti cibo pavit, Dei metu et religione instituit, pace ac justitia continuit, litium omnium arbiter ac sequester extitit, eosque contra hostes omnes tutatus est.

Moses fuit psalmographus.

Virtutes Mosis mireris innumeras; fuit psaltes et psalmographus : testis est S. Hieronymus, tom. III, epist. *ad Cyprianum*, Mosen psalmos undecim composuisse, scilicet a *Psal.* LXXXIX, cui titulus est, *oratio Mosis servi Dei*, usque ad *Psal.* C, qui prænotatur, *in confessione.*

72. Mosis tabulæ, et archangelus in columna nubis. Mosis oratio et radii.

Moses a Deo tabulas legis accipere meruit. Moses ducem viæ habuit columnam nubis, imo archangelum columnæ præsidem. Oratione Moses quasi angelus pasci et vivere visus est. Legis tabulas accepturus in Sina bis per 40 dies et noctes jejunus, et cum Deo colloquens constitit : ubi et cornua lucis ei affixa sunt; ad ostium tabernaculi familiariter quotidie cum Deo res omnes populi pertractabat. « Servus meus Moses, ait Dominus, *Num.* XII, 7, in omni domo mea fidelissimus est : ore enim ad os loquor ei, et palam, et non per ænigmata et figuras Dominum videt. » Ostendit enim ei Dominus omne bonum, *Exod.* cap. XXXIII, vers, 17. Deo a secretis Mosen fuisse dixeris, divinæ, inquam, sapientiæ secretarium, et quid mirum, si non armis Josue, sed precibus Mosis profligatus sit Amalec? et quid mirum, « si non surrexit ultra propheta in Israel, sicut Moses, quem nosset Dominus facie ad faciem? » *Deut.* XXXIV, 10. Quid mirum, si Dei ope et virtute thaumaturgus, plagis et portentis Egyptum, et mare Rubrum tantum non everterit, carnes et manna cœlo evocaverit, Core, Dathan, Abiron vivos in infernum deturbarit, et magnalibus suis thaumaturgos ad unum omnes superarit?

Mosis preces profligant Amalec. Mosis miracula.

73. Mosis prudentia. Mosis zelus.

Prudentiam optimi principis politicam, et œconomicam illustrem, quis non videt in tanta dexteritate regendi tantum populum, æneæ, imo adamantinæ frontis? Insignis ejus in populum charitas et cura effulsit, tum in zelo, quo se pro suo Israele quasi anathema, catharma et piaculum devovit; tum in fervida illa concione totius Deuteronomii, qua cœlum et terram, superos et inferos contestans, populum adigit ad observandam Dei legem; ut merito ipse dixerit : « Cur, Domine, imposuisti pondus universi populi hujus super me? Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, ut dicas mihi : Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum, et defer in terram, pro qua jurasti patribus eorum? » *Num.* cap. XI, vers. 11. Vere dixit S. Chrysostomus, hom. 10 *in epist.* I *ad Timothœum* : « Oportet Episcopum esse angelum, nulli humanæ perturbationi vitiove subjectum; » et alibi : « Eum qui regendos alios suscipit, tanta decet gloria virtutis excellere, ut instar solis cæteros, velut stellarum igniculos, in suo fulgore obscuret. » Si ergo Episcopus, si Prælatus, si Princeps in populo debet esse quasi homo inter bruta, quasi angelus inter homines, quasi sol inter stellas : cogita qualis quantusque fuerit Moses,

Rector sit quasi angelus inter homines.

(1) Cf. Stattleri, *De Auctoritate Scripturæ Sacræ*, cap. I *de persona Mosis*, in opere cui titulus, *De Locis Theologicis.*

qui Dei judicio dignus inventus, imo Dei vocatione et gratia dignus effectus est, qui non Christianis, sed duris et cervicosis Judæis, non tantum quasi Episcopus, sed quasi Pontifex simul et Princeps præesset?

74. Mosis humilitas et mansuetudo.

Et ut cætera taceam, in tanto tamque divino fastigio, vel maxime miror tam demissam ejus humilitatem et mansuetudinem : sæpe murmure populi, calumniis, probris, apostasia, lapidibus appetitus, immota blandaque facie perstitit, ultus se non minis, sed precibus ad Deum pro populo fusis; merito proinde Deus eum hoc celebrat elogio, *Num.* XII, 3 : « Erat enim Moses vir mitissimus super omnes homines. » Unde mitissimus? quia magnanimus in cœlo habitans, omnia hominum probra, injurias omnes ut res terrenas et exiguas contemnebat. « Sapiens, inquit Seneca in *Sapiente*, majore intervallo a contactu inferiorum abductus est, quam ut ulla vis noxia ad illum vires suas perferat : uti telum in cœlum solemque jactum ab illo stolido, citra solem tamen flectitur. Putasne demissis in profundum catenis Neptunum potuisse contingi? Uti cœlestia humanas manus effugiunt, et ab his qui templa aut simulacra conflant, nil divinitati nocetur : ita quidquid fit in sapientem proterve, petulanter, superbe, frustra tentatur. »

Ob hanc mansuetudinem, Mosen in hac vita donatum fuisse visione divinæ essentiæ, censent multi; qua de re aliisque ad Mosen pertinentibus, *Exodi* cap. II, cap. XXXII et seq. sæpius dicendum erit.

Moses ab angelis sepultus.

Certum est Mosen vita functum, in monte Abarim ab angelis sepultum esse; unde « non cognovit homo sepulcrum ejus, » *Deut.* XXXIV, 6. Atque hæc fuit ratio cur Michael archangelus cum diabolo altercatus sit de Mosis corpore, ut ait S. Judas in sua epistola.

75. Mosis encomia ex *Eccli.* XLV.

Denique vis nosse Mosen? Audi Siracidem *Eccli.* cap. XLV : « Dilectus Deo et hominibus Moses, cujus memoria in benedictione est. Similem illum fecit in gloria sanctorum (sanctis Patriarchis); magnificavit eum in timore inimicorum, et in verbis suis monstra placavit (portentosas plagas Ægypti cessare fecit); glorificavit illum in conspectu regum, » regis scilicet Pharaonis (de quo dixit illi Dominus *Exodi* cap. VII, vers. 1 : « Ecce constitui te Deum Pharaonis), et jussit illi coram populo suo, et ostendit illi gloriam suam; in fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum, et elegit eum ex omni carne. Audivit enim vocem ipsius, et induxit illum in nubem, et dedit illi coram præcepta, et legem vitæ et disciplinæ, docere Jacob testamentum suum, et judicia sua Israel. »

Ex S. Paulo.

Audi Apostolum, *Hebr.* XI, 24 : « Fide Moses grandis factus, negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei; quam temporalis peccati habere jucunditatem; majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi : aspiciebat enim in remunerationem. Fide reliquit Ægyptum, non veritus animositatem regis : invisibilem enim tanquam videns sustinuit; fide celebravit pascha, et sanguinis effusionem, ne qui vastabat primitiva tangeret eos; fide transierunt mare Rubrum, tanquam per aridam terram, quod experti Ægyptii devorati sunt. »

76. Ex S. Stephano.

Audi S. Stephanum *Actor.* cap. VII, vers. 22 et 30 : « Moses erat potens in verbis et in operibus; apparuit illi in deserto montis Sina angelus, in igne flammæ rubi; hunc Deus principem et redemptorem misit, cum manu angeli, qui apparuit illi; hic eduxit illos, faciens prodigia et signa in terra Ægypti; hic est qui fuit in Ecclesia in solitudine cum angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, qui accepit verba vitæ dare nobis. »

Ex S. Ambrosio.

Audi S. Ambrosium, lib. I *De Cain et Abel*, II; « In Mose, inquit, fuit venturi doctoris figura, qui Evangelium prædicaret, impleret testamentum vetus, novum conderet, cœleste populis alimentum daret : hinc Moses humanæ dignitatem conditionis excessit eo usque, ut Dei vocaretur nomine : Posui, ait, te Deum Pharaonis. Etenim victor passionum omnium, nec ullis sæculi captus illecebris, qui omnem istam secundum corpus habitationem, cœlestis puritate conversationis obduxerat, mentem regens, carnem subjiciens, et regia quadam auctoritate castigans, nomine Dei vocatus est, ad cujus similitudinem se perfectæ virtutis ubertate formaverat; et ideo non legimus de eo, sicut de cæteris, quia deficiens mortuus est, sed per verbum Dei mortuus est : Deus enim neque defectionem, neque diminutionem patitur; unde et additur : Quia nemo scit sepulturam ejus, qui translatus magis est, quam derelictus, ut quietem magis caro ejus, quam bustum acceperit. » Videtur hic insinuare Ambrosius Mosen non esse mortuum, sed translatum instar Eliæ et Henoch; qua de re dicam Deuteronomii cap. ult.

Moses vocatus est Deus a victoria passionum.

Moses non tam mortuus, quam raptus.

Audi Constantinum magnum Imperatorem in oratione sua apud Eusebium cap. XVII : « Quid, inquit, de Mose pro dignitate satis dici potest? qui populum confusione quadam turbatum, in ordinem redegit; qui levi persuasione et modestia eorum animos tranquillavit; qui illis pro servitute libertatem reddidit; qui pro mœstitia lætitiam attulit; qui etiam tantum illis, qui ipsum ætate anteiverunt, sapientia præstitit, ut sapientes et Philosophi a Gentilibus plurimum prædicati, ejus sapientiæ æmuli et imitatores existerent. Pythagoras enim ejus sapientiam imitatus, usque eo propter modestiam omnium sermone celebratur, ut Platoni homini plane modestissimo ejus continentia, tanquam exemplar ad imitationem proponeretur. »

Ex S. Justino.

Audi, imo lege S. Justinum in *Admonit.*, sive *Parænetica ad Gentes*, qua tota docet Græcos ab Ægyptiis, hos a Mose hausisse suam sapientiam Deique notitiam. Imprimis : « Cum quidam, ait, ut ipsi fatemini, deorum oraculum consuleret,

quos tandem homines religioni deditos aliquando esse contigisset, hoc responsum esse dicitis :

Solis Chaldæis sapientia cessit : Hebræi
Ingenitum Regem mente Deumque colunt. »

Subdit : « Moses suam historiam hebraice scripsit, cum Græcorum litteræ nondum essent inventæ. Has enim postea Cadmus primus ex Phœnice allatas Græcis tradidit. Unde et Plato scripsit in *Timæo*, Solonem illum sapientum sapientissimum, cum ex Ægypto rediisset, hæc dixisse Critiæ, se audisse Ægyptium sacerdotem qui sibi diceret : Græci, o Solon, juvenes estis semper; senex autem Græcus est nemo. Deinde rursus : Juvenes estis animis omnes; nullam enim in eis veteri auditione veterem habetis sententiam, nec ullam tempore canam disciplinam. » Et paulo inferius ex Diodoro docet Orpheum, Homerum, Solonem, Pythagoram, Platonem, Sibyllam et alios, cum in Ægypto fuissent, suam de pluribus diis mutasse sententiam, quia nimirum a Mose per Ægyptios cognoverunt unum esse Deum, qui in principio creavit cœlum et terram. Hinc Orpheus cecinit :

Jupiter est unus, Pluto, Sol, Bacchus et unus,
Est Deus unus in omnibus : hæc bis cur tibi dico?

Idem rursum :

Te testor, cœlum, magni sapientis origo,
Teque Patris Verbum, primum quod protulit ore,
Cum propria mundi machinam ratione creavit.

Denique addit Platonem ex Mose didicisse Deum, unde eum pariter vocasse τὸ ὄν, id est, *quod est*, sicut Moses eum vocat ὁ ὤν, id est, *qui est*, sive, *ego sum qui sum*. Rursum ab eodem didicisse creationem rerum, Verbum divinum, resurrectionem corporum, judicium, pœnas impiorum, et præmia justorum, Spiritum Sanctum, quem Plato censuit esse animam mundi; nec enim satis intellexit Mosen, sed eum ad sua phantasmata detorsit; unde in errores incidit.

Ex S. Cyrillo. Pari modo S. Cyrillus, lib. I *Contra Julianum*, ostendit Mosen priscis heroibus Gentilibus, quos ipsi vetustissimos putabant, esse antiquiorem. Audi doctam ejus chronologiam Mosis et Gentium. « Itaque ab Abrahæ temporibus usque ad Mosen descendentes, nova inde annorum exordia iterum incipiamus, Mosis nativitatem numeris præmittentes. Anno septimo Mosis aiunt natum Prometheum et Epimetheum, et Atlantem, Promethei fratrem, præterea et Argum cuncta cernentem. Tricesimo quinto anno Mosis primus regnavit Athenis Cecrops, qui cognominatus Diphyes : hunc ferunt primum ex hominibus sacrificasse bovem, nominasseque Jovem apud Græcos summum deorum. Sexagesimo septimo anno Mosis aiunt fuisse diluvium Deucalionis in Thessalia; præterea et in Æthiopia Solis filium, sicut isti dicunt, exustum esse Phaethontem. Septuagesimo quarto anno Mosis quidam Hellen dictus, Deucalionis et Pyrrhæ filius, Græcis sui nominis agnominationem dedit, cum antea vocarentur Græci. Centesimo et vicesimo anno Mosis Dardanus condidit civitatem Dardaniam, regnante apud Assyrios Amynta, apud Argivos autem Stenelo; apud Ægyptios vero Ramesse; vocabatur autem ipse et Ægyptus, Danai frater. Centesimo et sexagesimo anno post Mosen Cadmus Thebis regnavit, cujus filia Semele, ex qua Bacchus, ut ipsi dicunt, ex Jove. Erat autem tunc et Linus Thebanus et Amphion Musici. Assumpsit autem tunc sacerdotium apud Hebræos Phinees, filius Eleazari, filii Aaron, mortuo scilicet Aarone. 195 anno post Mosen ferunt fuisse Proserpinam virginem raptam ab Ædoneo, id est Orco, rege Molossorum; hic canem maximum aluisse dicitur Cerberum nomine, qui apprehendit Pirithoum et Theseum venientes ad raptum uxoris : cum periisset autem Pirithous, adveniens Hercules Theseum in mortis periculo constitutum ex inferno liberavit, ut fabulantur. 290 anno Perseus Dionysium, hoc est Liberum, occidit, cujus et sepulcrum esse dicunt in Delphis juxta aureum Apollinem. 410 anno post Mosen expugnatum est Ilium, judicante apud Hebræos Esebon, apud Argivos Agamemnone, apud Ægyptios Vaphre, apud Assyrios Teutamo. Colliguntur igitur a nativitate Mosis usque ad destructam Trojam 410 anni. »

77. Ex S. Augustino. Audi S. Augustinum, lib. XXII *Contra Faustum*, cap. LXIX : « Mosen, inquit, famulum Dei fidelissimum, humilem in recusando tam magnum ministerium, subditum in suspiciendo, fidelem in servando, strenuum in exequendo, in regendo populo vigilantem, in corrigendo vehementem, in amando ardentem, in sustinendo patientem; qui pro eis quibus præfuit, Deo se interposuit consulenti, opposuit irascenti : hunc itaque talem ac tantum virum absit ut ex maledico Fausti ore pensemus, sed ex ore plane veridici Dei. »

Ex S. Gregorio. Audi S. Gregorium, II part. *Pastor.*, cap. V : « Hinc Moses crebro tabernaculum intrat et exit, et qui intus in contemplationem rapitur, foris infirmantium negotiis urgetur, intus Dei arcana considerat, foris onera carnalium portat, exemplum rectoribus præbens, ut cum foris ambigunt quid disponant, Dominum per orationem consulant. » Idem, lib. VI *in I Regum* cap. III, ait Mosem tam plenum fuisse spiritu, ut de ejus spiritu Dominus tulerit, et septuaginta rectoribus populi communicarit. Idem, hom. 16 *in Ezech.*, Mosen in scientia Dei præfert Abrahamo. Nec id mirum, Mosi enim ait Deus : « Apparui Abraham, Isaac et Jacob, et nomen meum Adonai (Jehova) non indicavi eis, » quod tibi, o Moses, indico et revelo.

Porro Moses expressus fuit Christi index et typus; adeoque sicut sol diem, luna noctem illuminat, ita Christus Christianos in lege nova, Moses Judæos in veteri illuminavit. Quocirca pulchre Christum soli, Mosen lunæ comparat Ascanius

Martinengus *in Gen.*, tom. I, pag. 5, in fine et seq. Nam *primo*, legislator fuit Moses Pentateuchi, Christus Evangelii; *secundo*, Moses duos singulares habuit congressus cum Deo : primum cum primas legis tabulas in Sina a Deo accepit, alterum cum secundas, tuncque rediit coruscante et quasi cornuta facie. Hæc testimonia dedit ei Deus. Similia duo dedit Christo : prius in baptismo, cum descendit in eum Spiritus Sanctus specie columbæ, voxque e cœlo audita est; posterius, cum transfiguratus est in Tabor, atque testimonium ei dederunt Moses et Elias, hoc est, lex et prophetæ. *Tertio*, Moses stupendas plagas et miracula fecit in Ægypto : majora patravit Christus. *Quarto*, Moses Deum allocutus est, sed in caligine, viditque eum a tergo; Christus vero facie ad faciem. *Quinto*, Moses audivit a Deo : « Invenisti gratiam apud me, et novi te ex nomine; » Christus audivit a Patre : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ipsum audite. »

Ex Eusebio. Audi Eusebium, lib. III *De Demonstr. Evang.*, qui ex Mosis et Christi gestis mirificam compaginat antithesin, cujus verba prolixa in pauca contraham.

1. Moses fuit legislator Judaicæ gentis, Christus totius universi.

2. Moses idola Hebræis abstulit, Christus ea ex omni fere plaga mundi ejecit.

3. Moses mirificis portentis legem contulit, majoribus Christus Evangelium condidit.

4. Moses suos in libertatem vindicavit, Christus generis humani jugum excussit.

5. Moses terram fluentem lac et mel patefecit, Christus præstantissimam viventium terram reseravit.

6. Elegans infans Moses vix natus Pharaonis sævitia, qui mares Judaici populi ad necem damnarat, vitæ discrimen subiit, Christus infans a Magis adoratus, ob Herodis immanitatem pueros trucidantis, in Ægyptum secedere est coactus.

7. Moses adolescens omnium disciplinarum eruditione claruit, Christus duodecim annorum legisperitos eruditissimos in stuporem adduxit.

8. Moses quadraginta diebus jejunans divino eloquio pastus est, per quadraginta perinde dies Christus non manducans, neque bibens, divinæ contemplationi vacavit.

9. Moses in deserto famelicis manna et coturnices præbuit, Christus in deserto quinque panibus virorum quinque millia saturavit.

10. Moses inter Arabici sinus aquas illæsus transiit, Christus super maris undas ambulavit.

11. Moses extenta virga mare divisit, Christus increpat ventum et mare, et facta est tranquillitas magna.

12. Moses in monte rutilanti facie splendidus apparuit, Christus in monte fulgentissimo aspectu transfiguratus est, cujus facies resplenduit sicut sol.

13. In Mosen non poterant filii Israel oculorum aciem intendere, ante Christum discipuli in facies suas perterriti ceciderunt.

14. Mariam leprosam ad pristinam sanitatem restituit Moses, Mariam Magdalenam, criminum maculis obrutam, gratia cœlesti abluit Christus.

15. Mosen Dei digitum appellarunt Ægyptii, de seipso Christus prodidit : « Porro si in digito Dei ejicio dæmonia, » etc.

16. Selegit Moses 12 exploratores, 12 Apostolos et Christus elegit.

17. Moses 70 Seniores, Christus 70 Discipulos auctoravit.

18. Jesum Nave successorem sibi destinavit Moses, Petrum ad summum pontificatum post se extulit Christus.

19. De Mose scriptum est : « Non cognovit homo sepulcrum ejus usque ad præsentem diem; » de Christo contestati sunt angeli : « Jesum quæritis crucifixum? surrexit, non est hic. »

78. Ex S. Basilio. Audi S. Basilium, hom. 1 *in Hexaem.* : « Moses etiam dum ad matris ubera pendens, Deo amabilis et gratiosus fuit, ipse præelegit calamitates ærumnasque cum Dei populo experiri, quam temporaria voluptate cum peccato perfrui. Justi et æqui fuit amantissimus et observantissimus, improbitatis et injustitiæ hostis acerrimus; in Æthiopia (in Madian) quadraginta annos contemplationi vacavit, octoginta annos natus vidit Deum, quoad videre potest homo; hinc de eo ait Deus : Ore ad os loquar ei in visione, et non per ænigmata. »

Ex S. Nazianzeno qui S. Basilium et Nyssenum comparat Mosi et Aaroni. Audi S. Gregorium Nazianzenum, *orat.* 22, qua S. Basilium, ejusque fratrem Gregorium Nyssenum comparat Mosi et Aaroni : « Quis legislatorum illustrissimus? Moses. Quis sacerdotum sanctissimus? Aaron. Non minus pietate, quam corporibus fratres : vel potius, ille quidem Pharaonis Deus, et Israelitarum antistes et legislator, et nubem ingrediens, et divinorum arcanorum inspector et arbiter, et tabernaculi illius veri fabricator, quod a Deo, non ab homine constructum est; ille principum princeps, et sacerdotum sacerdos, Aarone pro lingua utens, etc. Ambo Ægyptum vexantes, mare scindentes, Israelem gubernantes, hostes demergentes, panem superne trahentes, aquas conculcantes, ad terram promissionis iter commonstrantes. Fuit ergo Moses principum princeps, et sacerdotum sacerdos, » etc.

Ex S. Hieronymo. Audi S. Hieronymum, qui initio *Commentariorum in epist. ad Galatas*, Mosen non tantum Prophetam, sed et Apostolum fuisse docet, idque ex communi Hebræorum sententia.

Ex Philone. Audi Philonem Hebræorum doctissimum : « Hæc est vita, hic exitus Mosis, regis, legislatoris, pontificis, prophetæ, » lib. III *De Vita Mosis*, in fine.

79. Ex Gentilibus. Audi Gentiles. Numenius apud Eusebium, lib. IX *De Præparat. Evangelica*, cap. III, asserit Platonem et Pythagoram Mosis dogmata esse sectatos, adeoque quid est, ait, Plato, nisi Moses At- Plato est

Moses Atticus. Moses dictus Mercurius. Cur?

ticus? His adde Eupolemum et Artapanum, qui (apud Eusebium ibid., cap. IV) aiunt, Mosen Ægyptiis litteras tradidisse, aliaque multa ad commune bonum instituisse, et propter sacrarum Litterarum interpretationem, Mercurium appellatum, indeque factum esse, ut ab ipsis quasi Deus coleretur.

Ptolomæus Philadelphus (ut testatur Aristæas *de* 72 *Interpretibus*), audita lege Mosis, dixit ad Demetrium : « Cur tanti operis nullus historiographus aut poeta meminit? » cui Demetrius : « Quia ista lex est sacrorum, divinitus lata; et quia nonnulli aggressi sunt, sed divina plaga territi, ab instituto destiterunt. » Atque illico exempla subjungit de Theopompo historico, et de Theodecte tragico poeta, quæ superius commemoravi.

Diodorus historicorum omnium probatissimus, inquit S. Justinus in *Admonit. ad Gentes,* sex priscos ponit legislatores, et primum omnium Mosen, quem ait fuisse magno animo virum, et probatissima vita celebratum, de quo et subdit : « Apud Judæos quidem Mosen, quem vocant Deum, sive ob admirabilem divinamque notionem, quam decernit hominum multitudini profuturam, sive ob excellentiam et potestatem, quibus vulgus ipsum susceptæ legi libentius obsequitur. *Secundum* inter legis positores Ægyptios Sauchnin fuisse commemorant, insignem prudentia virum. *Tertium* Sesonchosin dicunt regem, qui non modo inter Ægyptios bellicis negotiis præcelluerit, sed et bellacem gentem legum positione frænaverit. *Quartum* Bachorim statuunt, et eumdem regem, quem memoriæ prodiderunt et de modo regnandi, et de domestica dispensatione Ægyptiis præcepisse. *Quintus* fuit Amasis rex. *Sextus* dicitur Xerxis pater Darius Ægyptiis legibus addidisse. »

Denique Josephus, Eusebius et alii tradunt Mosen omnium, quorum scripta nunc exstant, vel quorum nomen in Gentilium scriptis proditum est, primum fuisse Theologum, philosophum, poetam et historicum. Quocirca mira fuit non tantum apud Judæos, sed et Gentiles Mosis veneratio. Narrat Josephus, lib. XX, cap. IV, militem quemdam Romanum Mosis libros lacerasse, mox Judæos concurrisse ad Præsidem Romanum Cumanum, flagitantes ut non suam, sed læsi Numinis ulcisceretur injuriam. Quare Cumanus militem violatorem legis securi feriit.

Porro hæc veneratio et martyriis et miraculis illustrata est. Cum Maximianus et Diocletianus edicto juberent sibi tradi libros Mosis, aliosque sacræ Scripturæ, ad exurendum, restiterunt fideles, mori malentes quam eos tradere. Quare multi pro sacris libris gloriosum certamen obierunt, et victricem martyrii lauream adepti sunt. Cum autem Fundanus Alutinensis olim Episcopus, metu mortis sacros libros tradidisset, et magistratus sacrilegus eos igni apponeret, subito imber sereno cœlo diffusus est, ignis sacris libris admotus extinctus est, grando subsecuta, omnisque regio ipsa pro sacris libris elementis furentibus devastata est, uti habent acta S. Saturnini, quæ extant apud Surium, 11 februarii.

80. Oratio Auctoris ad Mosen.

Aspice nos, quæso, sancte Moses, qui eminus quondam in Sina gloriæ Dei, cominus vero in Tabor gloriæ Christi speculator fuisti, nunc autem facie ad faciem utraque perfrueris. Porrige manum ex alto, sapientiæ tuæ flumina in nos deriva, et æterni illius luminis vel scintillam ope, votis et meritis tuis nobis imperti; impetra a Patre luminum, ut ad sua hæc Pentateuchi sacraria, nos vermiculos suos inducat, det ut in Scripturis suis eum agnoscamus; det ut tantum diligamus, quantum cognoscimus : nec enim cupimus eum cognoscere, nisi ut diligamus, utque ejus amore accensi, velut faces, et alios, totumque orbem accendamus. Hæc enim est scientia sanctorum; ipse enim est amor et timor noster, ipsum unum omnia nostra spectant, ipsi nos et omnia nobiscum devovimus. Denique duc nos ad Christum, qui est finis legis tuæ; ut ipse studia nostra, conatusque omnes ad ejus cui omnis creatura laudem dicit, gloriam, in Ecclesiæ ejus regno jam militante, deprædicandam, et aliquando in victrici cœlitum choro, tecum a nobis omnibus tui studiosis, in omnem æternitatem, uti spero, suavissime felicissimeque concinendam, regat, secundet et ad finem usque perducat. Ibi stabimus super mare vitreum, quotquot bestiam vicimus, « cantantes canticum Mosis, et canticum Agni, dicentes : Magna et mirabilia sunt opera tua, Domine, Deus omnipotens : justæ et veræ sunt viæ tuæ, Rex sæculorum; quis non timebit te, Domine, et magnificabit nomen tuum? quia solus pius es, » *Apoc.* XV. 3; quia elegisti nos, quia fecisti nos reges et sacerdotes, et regnabimus in sæcula sæculorum. Amen.

COMMENTARIA

IN

PENTATEUCHUM MOSIS.

ARGUMENTUM.

Hebræi, teste S. Hieronymo in Prologo galeato, tot numerant libros S. Scripturæ, puta veteris Testamenti, quot habent ipsi litteras, puta viginti duos, eosque in tres classes dividunt : scilicet in תורה *thora,* id est *legem :* נביים *nebiim,* id est *prophetas :* כתובים *ketubim,* id est *hagiographa.* Thora sive lex complectitur Pentateuchum, puta Genesim, Exodum, Leviticum, Numeros et Deuteronomium, qui ita non a Mose, ut vult Philo, sed a Septuaginta Interpretibus divisi et nuncupati sunt, cum antea unus esset liber legis.

Prophetas duplices numerant, priores et posteriores : priores vocant Josue, Judicum, Ruth et quatuor libros Regum; posteriores recensent Isaiam, Jeremiam, Ezechielem et duodecim minores prophetas.

Hagiographa numerant Job, Psalmos, Proverbia, Ecclesiasten, Canticum Canticorum, Danielem, libros Paralipomenon, Esdram et Esther.

Argumentum Pentateuchi. Pentateuchus, id est quintuplex hoc volumen Mosis, est chronicon mundi. Ejus enim argumentum est texere historiam et chronologiam mundi, ac gesta patriarcharum a prima mundi creatione usque ad mortem Mosis. In Genesi enim Moses pertexit a principio creationem mundi, et gesta Adami, Evæ, Noe, Abrahæ, Isaac, Jacobi et aliorum usque ad mortem Josephi. In Exodo persecutionem Pharaonis, indeque decem plagas Ægypti, egressum Hebræorum ex Ægypto, et peregrinationem per desertum; ubi in Sina decalogum cæterasque leges a Deo acceperunt. In Levitico describuntur sacra et sacrificia, cibi vetiti, festa, aliique ritus, lustrationes et cæremoniæ, tam populi quam Sacerdotum et Levitarum. In Numeris numeratur populus, principes et Levitæ, item quadraginta duæ mansiones Hebræorum, eorumque æque ac Dei gesta in deserto; insuper recensetur prophetia Balaam, ac bellum Hebræorum cum Madianitis. Deuteronomium, sive secunda lex, repetit et inculcat Hebræis leges antea in Exodo, Levitico et Numeris a Deo per Mosen datas.

Auctor Moses. Nota *primo.* Auctor Pentateuchi est Moses : ita docent omnes Græci et Latini, imo ipse Christus, ut patet *Joan.* I, 17 et 45; *Joan.* V, 46, et alibi. Porro Moses antiquior fuit, et tempore longe præcessit omnes Græciæ et Gentilium sapientes, puta Homerum, Hesiodum, Thaletem, Pythagoram, Socratem, et his seniores Orpheum, Linum, Musæum, Herculem, Æsculapium, Apollinem, quin et ipsum Mercurium Trismegistum, qui omnium fuit antiquissimus. Hic enim Mercurius Trismegistus, ait S. Augustinus, lib. XVIII *De Civit.* XXXIX, nepos fuit majoris Mercurii, cujus maternus avus Atlas astrologus, et æqualis Promethei, eo tempore floruit quo vixit Moses. Ubi adverte Mosen Pentateuchum simpliciter conscripsisse, per modum diarii vel annalium; Josue tamen, vel quem similem eosdem hos Mosis annales in ordinem digessisse, distinxisse, et sententias nonnullas addidisse et intexuisse. Sic enim in fine Deuteronomii mors Mosis, eo utique mortuo, a Josue vel alio quopiam additur et describitur. Sic non a Mose, sed ab alio quopiam, ut videtur, laus mansuetudinis Mosis intertexta est *Num.* XII, 3. Sic *Genes.* XIV, 15, urbs Lais vocatur *Dan,* cum diu post tempora Mosis vocata sit *Dan,* quare nomen *Dan* ibi pro *Lais* substitutum est, non a Josue, sed ab alio qui posterius vixit. Sic *Num.* XXI, ab alio pariter additi sunt vers. 14, 15, 27. Pari modo Josue mors ab alio addita est, *Josue* cap. ult., vers. 29. Pari modo prophetia Jeremiæ a Baruch digesta, et in ordinem redacta est, uti ostendam præfatione in Jeremiam. Sic et parabolæ Salomonis, non ab ipso, sed ab aliis, ex ejus scriptis congestæ et digestæ sunt, ut patet *Prov.* XXV, 1. Porro Moses hæc partim traditione, partim divina revelatione, partim oculari inspectione didicit et accepit : nam quæ in Exodo, Levitico, Numeris et Deuteronomio narrat, ea præsens ipse vidit et gessit.

Moses senior Mercurio, cœvus Atlanti.

Nota *secundo.* Scripsit Genesim Moses, cum exul ageret in Madian, *Exodi* II, 15, ait Pererius, idque ad consolationem Hebræorum, qui in Ægypto a Pharaone opprimebantur. Verum melius sentiunt Theodoretus, Beda et Tostatus (a quibus non dissentit Eusebius, lib. VII *De Præpar.* cap. II, si verba ejus accurate expendantur) tam Genesim, quam quatuor sequentes libros a Mose scriptos esse post egressum Hebræorum ex Ægypto, cum

Moses scripsit hæc in deserto.

ipse in solitudine quasi dux, pontifex, propheta, doctor et legislator populi versaretur, atque ex cœtu et Synagoga Judæorum rempublicam et Ecclesiam Dei formaret et instrueret, ut ipsi ex rerum creatione et gubernatione Deum creatorem agnoscerent, amarent, colerent (1).

(1) Recentius in Pentateuchum commentati sunt Claudius Frassenius, *Disquisitiones biblicæ in Pentateuchum, Rothomagi*, 1705; Joannes Pontasius, *Sacra Scriptura ubique sibi constans, seu Difficiliores Scripturæ loci in speciem sibi pugnantes conciliati*, tom. I (unicus) *in Pentateuchum*, 1698; Ellies Dupin, *Pantateuchus Mosis cum notis quibus sensus litteralis exponitur*, 1702; Laurentius Veith, *Scriptura sacra contra incredulos propugnata*, pars I, *Pentateuchus Moysis*; Vater, *Commentar über den Pentateuch*, opus quidem eruditum, sed caute legendum ob errores; De Ranke, *Untersuchungen über den Pentacheuh*, 1834-1840; De Kurtz, *Beitraege zur Vertheidigung und Begründung der Einheit des Pentateuchs*, 1844; Hengstenberg, *Die Authentie des Pentateuchs*, etc.

De eloquii leporibus ac sententiarum pulchritudine in Pentateucho, vide Glaire, *Introduction aux livres de l'Ancien et du Nouv. Test.*, tom. III, pag. 85; Rollin, *Traité des Etudes*, lib. IV, cap. III; Montbron, *Essai sur la littérature des Hébreux*, tom. I passim.

CANONES

FACEM PRÆFERENTES PENTATEUCHO.

Can. 1. 1. Cum Moses hic historiam mundi conscribat, patet narrationem ejus non symbolicam, non allegoricam, non mysticam, sed historicam, simplicem et planam esse; ac proinde ea quæ narrat de paradisi, Adami, Evæ et rerum omnium creatione spatio sex dierum successive peracta, etc., historice et proprie, ut sonant, sunt accipienda. Est hoc contra Origenem, qui hæc omnia allegorice et symbolice exponenda putavit, itaque litteram et litteralem sensum evertit. Verum canonem nostrum tradunt omnes alii Patres, et Ecclesia, quæ hic damnat allegorias Origenis. Vide contra Origenem hic disputantem S. Basilium, hom. 3 et 9 *Hexam.* Vere S. Hieronymus : « Origenes, inquit, suum ingenium fecit sacramenta Ecclesiæ. »

Can. 2. 2. Philosophia et Physica adaptanda sunt sacræ Scripturæ et verbo Dei, a quo omnis existit naturæ numerus, ordo et modus, ait S. Augustinus. Non ergo e contrario torquenda est sacra Scriptura ad sensa philosophorum, aut ad lumen et dictamen naturæ.

Can. 3. 3. Moses sæpe utitur prolepsi sive anticipatione : vocat enim urbes et loca eo nomine, quod longe posterius eis est inditum. Sic *Genes.* XIV, 2, Balam urbem vocat Segor, quæ tamen non tunc, sed postea vocata est Segor, cum Lot eo ex Sodomis evasisset. Sic ibid. vers. 6, vocat montes Seir, qui longe post ab Esau Seir sunt dicti. Sic ibid. vers. 14, vocat Dan, quæ tunc vocabatur Lais.

Can. 4. 4. *Æternum* sæpe non significat proprie dictam æternitatem, sed longum aliquod tempus cujus finis non pervidetur : hebr. enim עולם *olam*, id est æternum, significat sæculum, qua occultum est, seu cujus terminus et finis non perspicitur. Radix enim עלם *alam* significat occultare vel abscondere. Rursum *æternum* sæpe non absolute, sed respective dicitur, et significat durationem integram rei, quæ æterna est, non absolute, sed respectu certi status, reipublicæ et gentis. Sic dicitur lex vetus duratura in æternum, id est semper, non absolute, sed respectu Judæorum : quia nimirum lex illa duravit tamdiu, quamdiu duravit Judæorum respublica et Synagoga, puta toto tempore Judaismi, donec lex nova illi succederet : duratura enim erat donec veritas per Christum illucesceret. Id ita esse patet : nam alibi eadem Scriptura dicit legem illam veterem esse abolendam, eique subrogandam novam Evangelicam, ut patet *Jeremiæ* XXXI, 32 et seq. Sic *æternum* capit Horatius cum ait :

Serviet æternum qui parvo nesciet uti.

Non enim potest in æternum absolute serviro, cujus vita ipsa qua servit, æterna esse non potest. Tradit hunc canonem S. Augustinus Quæst. XXXI *in Genes.*, de quo plura vide apud Pererium tom. III *in Genes.*, pag. 130 et seq.

Can. 5. 5. Hebræi per enallagen sæpe sensum unum cum alio commutant, et maxime visum pro quovis sensu accipiunt, tum quia visus omnium sensuum est præstantissimus et certissimus; tum quia in sensu communi, qui est supra visum et oculos, omnium sensuum sensationes conveniunt. Sic visus pro tactu capitur *Joan.* XX, 29 : « Quia vidisti, id est *tetigisti* me, Thoma, credidisti. » Pro odoratu vero capitur *Exodi* X, 21, in hebræo : « Fœtere fecisti odorem (nomen et famam) nostrum in oculis, » id est, in naribus Pharaonis. Pro gustu capitur *Psal.* XXXIII, 9 : « Gustate et videte (id est sapite) quoniam suavis est Dominus. » Pro auditu capitur *Exodi* XX, 18 : « Populus videbat, id est audiebat, voces; » videre ergo idem est quod cognoscere, vel clare percipere.

Can. 6. 6. Peccatum sæpe, maxime in *Levitico*, sumitur metonymice : *primo*, pro hostia oblata pro peccato; *secundo*, pro pœna peccati; *tertio*, pro irregularitate sive immunditia legali, ex fluxu menstrui sanguinis, seminis, lepræ, vel ex contactu

mortui contracta. Sic *Levit.* XII, 6, puerperium vocatur peccatum, id est, immunditia legalis, et *Levit.* XIV, 13, lepra dicitur peccatum, non proprie dictum, sed legale, id est irregularitas, quæ leprosum arcebat a sacris, et convictu hominum.

Can. 7. 7. Leges Dei vocantur *primo,* præcepta, statuta, vel custodia, quia custodienda aut cavenda præscribunt; *secundo,* vocantur judicia, quia inter homines dirigunt et dirimunt lites : in judicio enim secundum leges judicandum est. *Tertio,* vocantur justitiæ, quia statuunt id quod æquum et justum est. *Quarto,* vocantur testimonia, quia testantur voluntatem Dei, sive quid a nobis exigat Deus, quid a nobis velit fieri. *Quinto,* vocantur testamentum, id est fœdus et pactum, id est, conditiones pacti initi cum Deo, quia hac conditione pepigit Deus tam cum Judæis, quam cum Christianis, se fore eis Deum et Patrem, si videlicet ipsi leges ejus servent.

Can. 8. 8. In Pentateucho crebra est synecdoche. Sic genus capitur pro specie; ut, facere hædum, agnum, vitulum, significat sacrificare hædum, agnum, vitulum. Sic pars capitur pro toto, ut implere manum, supple oleo, significat unctione manus consecrare aliquem sacerdotem. Sic revelare turpitudinem, vel cognoscere feminam, vel ad eam ingredi, est virum cum femina misceri. Sic aperire aurem alicui, est ei ad aurem loqui, sive insusurrare, indicare et revelare aliquid.

Can. 9. 9. Pari modo crebra est metonymia, ut *Gen.* XIV, 22; *Exodi* VI, 8 : « Levo manum, » id est elevata manu cœli Dominum testor, et juro per Deum. Sic os significat verbum vel præceptum quod ore datur. Sic manus significat potestatem, vim, vel punitionem, quæ manu fit. Sic anima significat vitam, vel ipsum animal, cujus forma et vita est anima. Sic « vir sanguinum » vocatur homicida.

Can. 10. 10. Pari modo frequens est catachresis, ut cum *pater* rei alicujus vocatur is qui est auctor, conditor, aut inventor rei, vel is qui est primus et præcipuus in illa re. Sic Deus vocatur pluviæ pater, id est auctor. Sic dæmon vocatur mendacii pater, id est auctor. Sic Tubalcain vocatur *pater canentium organo* : pater, id est primus, et inventor organi. Sic dicunt : « Percussit eos in ore, id est in acie, gladii, » os nimirum gladii vocatur acies ipsa gladii, quæ homines absumit et devorat, perinde ut os devorat panem. Hoc enim modo leones, tigrides, lupi aliæque feræ ore suo percutiunt oves, canes et boves, cum eos rictu oris sui laniant, discerpunt et devorant. Simili catachresi filias vocant minora oppida et vicos, quæ metrepoli quasi matri adjacent et subsunt. Rursum ipsas urbes ob pulchritudinem et elegantiam vocant filias, ut filia Sion est urbs et arx Sion : filia Jerusalem est urbs Jerusalem : filia Babylonis est urbs Babylonis, id est, ipsa Babylon. Pari modo ædificare alicui domum, vel eam destruere, significat alicui dare, vel destruere familiam et proles. Domus nimirum significat proles et posteritatem. Unde Hebræi filios vocant בנים *banim* quasi אבנים *abanim*, id est lapides, a rad. בנה *bana,* id est ædificavit; nam ex filiis ut lapidibus ædificantur domus et familiæ parentum, ςύλοι οἴκων παῖδες εἰσὶν ἄρσενες, inquit Euripides.

Can. 11. 11. Hebræi sæpe verba realia accipiunt pro verbalibus vel mentalibus. Sic *Levit.* XIII, 6, 11, 20, 27, 30, dicitur quod sacerdos leprosum mundabit vel contaminabit, id est, mundatum vel contaminatum declarabit et pronuntiabit, ut hominum convictui restituatur, vel ab eo arceatur, Sic *Jerem.* I, 10, dicitur : « Constitui te super gentes et super regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantes, » id est, ut prophetes et prædicas has gentes evellendas esse et destruendas; illas vero ædificandas esse et plantandas. Sic dicitur *Lev.* XX, 8, et cap. XXI, 8, 15 et 23 : « Ego Dominus qui sanctifico vos, » id est, jubeo vos esse sanctos.

Can. 12. 12. Hebræi sæpe tacent suppositum, sive personam aut rem tam agentem, quam patientem, quia ex antecedentibus vel sequentibus eam intelligendam relinquunt, ut *Deuter.* XXXIII, 12, et alibi.

Can. 13. 13. Verba et sententiæ S. Scripturæ non semper referendæ sunt ad proxime præcedentes, sed subinde ad remotas quæ longius ante præcesserunt. Sic illud *Exodi* XXII, 3 : « Si non habuerit (fur) quod pro furto restituat, ipse venundabitur, » non cum proxime præcedentibus, sed cum vers. 1, ubi dicitur : « Si quis furatus fuerit bovem, quinque restituet, » connectendum est. Sic *Cant.* I, dicitur : « Nigra sum, sed formosa, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis, » ubi « tabernacula Cedar » non possunt connecti cum formosa; erant enim ipsa deformia, utpote æstu adusta, nigra et fœda. Sic ergo hæc connecti et exponi debent : Nigra sum sicut tabernacula Cedar, cum hoc tamen simul formosa sum sicut pelles Salomonis vermiculatæ et regiæ.

Can. 14. 14. Negatio Hebræis totum quod sequitur negat; unde *non omnis* Hebræis idem est quod *nullus,* cum Latinis idem sit quod *aliquis non.*

Can. 15. 15. Solet Scriptura quædam promittere quibusdam quæ non implentur in ipsis, sed in posteris eorum, ut significet Deus se hæc posteris in ipsorum gratiam præstare; quia quod posteris datur, hoc ipsis, quorum posteri sunt portio, videtur dari ut principio et capiti posteritatis. Sic Abrahæ non in se, sed in posteris suis promittitur terra Chanaan, *Gen.* XIII, 14. Sic Jacob, id est Jacobæis, promittitur dominium in Esau, id est, Idumæos, *Gen.* XXVII, 29. Sic *Genes.* XLIX, duodecim Patriarchis promittitur, quod posteris eorum obventurum erat. Tradit hunc canonem S. Chrysostomus, hom. 8 *in Matth.*

Can. 16. 16. Licet S. Cyprianus, lib. II *Contra Judæos,* cap. V; Hilarius, lib. IV *De Trinit.,* et Nazianzenus, tract. *De fide,* putent Deum in assumpto corpore

visibilem apparuisse Abrahæ, Mosi et Prophetis, tamen verius est omnes has apparitiones factas esse per angelos, qui in corporibus assumptis personam Dei gerebant, ideoque vocantur Deus. Ita Dionysius, cap. IV *Cœlest. Hierar.*; S. Hieronymus in cap. III *ad Gal.*; Augustinus, lib. III *De Trin.* cap. ult.; Gregorius in *præfat. Moral.* I, et alii passim. Et probatur. Nam ille qui apparuit Mosi, dixitque : « Ego sum Deus Abraham, » fuit angelus, ut docet S. Stephanus *Actor.* VII, 30. Sic Dominus qui tradidit legem Mosi in Sina, *Exodi* XIX et XX, a Paulo *ad Galat.* III, 19, vocatur angelus. Angeli enim sunt administratorii spiritus, per quos Deus omnia sua exsequitur. Quare quod Concilium Sirmiense, can. 14, definit eum qui contra Jacob luctatus est, *Gen.* 32, fuisse Filium Dei, intellige fuisse angelum qui Filium Dei repræsentabat. Adde decreta hujus Concilii non esse definitiones fidei, imo nec dogmata Ecclesiæ, nisi quatenus Photini hæreses damnant; constat enim hoc Concilium fuisse cœtum Arianorum.

Can. 17. 17. Quando S. Scriptura nomen novum alicui imponit, intelligenda est non adimere nomen prius, sed posterius addere priori, ut jam utroque nomine possit, modo uno, modo altero nuncupari. Sic *Gen.* XXXV, 10, dicitur : « Non vocaberis ultra Jacob, sed Israel : » sensus est, *q. d.* Non tantum Jacob, sed etiam Israel appellaberis : sæpe namque postea adhuc Jacob vocatur. Sic Gedeon, *Judic.* VI, 32, dicitur ex eo die vocatus *Jerobaal*, et nihilominus pergit Scriptura eum vocare *Gedeonem*. Sic Simon, postquam a Domino vocatus est *Cephas*, non raro post adhuc *Simon* appellatur.

Hebræi nomina dabant ab eventu. Ubi nota : Deus et Hebræi suis imposuerunt nomina ab eventu, scilicet quæ significarent eventum, vel præsentem vel futurum; et tunc nomina erant quasi omina, vel monita, aut vota rei futuræ; imponendo enim alicui nomen, portendebant, vel optabant eum talem fore, qualis illo nomine significabatur. Id ita esse patet in nomine Adam, Eva, Seth, Cain, Noe, Abrabam, Ismael, Isaac, Jacob, etc., ut suis locis ostendam.

Et Romani. Idipsum imitati sunt Romani, Græci, Germani. Romani, qui Corvinum a corvo, qui ei in castris victoriæ omen dedit; Cæsarem a cæsarie, cum qua natus proditur; Caligulam a caliga militari, qua sæpe utebatur, appellarunt. Sic Pisones, quod optime pisa sererent, ita nuncupati sunt : sicut Cicerones a cicere, Fabii a faba, Lentuli a lente optime serenda nomen acceperunt. Sic Ancus a vitioso cubito, inquit Festus, nominatus est : cubitus enim græce ἄγκων dicitur. Sic Servius, quod e matre serva genitus esset; Paulus, a parva statura; Torquatus, a torque, quem Gallo in pugna detraxit; Plancus, a planis pedibus vocatus est. Sic Scipio cognomen fuit Corneliorum, cui P. Cornelius (avus P. Cornelii Scipionis Africani, qui Annibalem devicit) initium dedit. Hic enim, eo quod patrem vice scipionis regeret et duceret, primus Scipio cognominatus est, illudque cognomen ad posteros transmisit.

Et Græci. Græci, qui appellarunt Platonem, quasi latum, a latis humeris, cum antea Aristocles vocaretur; Chrysostomum, quasi os aureum, ab eloquentia; Laonicum, quasi populi; Leonicum, quasi leonis; Stratonicum, quasi exercitus victorem; Demosthenem, quasi populi firmamentum; Aristotelem, quasi optimum finem; Gregorium, quasi vigilem; Diogenem, quasi Jove genitum; Aristobulum, quasi optimi consilii virum; Theodorum, quasi donum Dei; Hippocratem, quasi equino robore præditum; Callimachum, a pulchra pugna nuncuparunt.

Et Germani. Germani et Belgæ, qui Fredericum, quasi pacis divitem, id est plane pacificum; Leonardum, quasi leoninæ indolis; Bernardum, quasi ursinæ indolis; Gerardum, quasi vulturinæ indolis; Cunonem, quasi audacem; Cunradum, quasi audacis consilii; Adelgisium, quasi nobilis spiritus; Canutum, ab exhauriendis poculis; Pharamondum vel Framondum, a venustate oris nominarunt. Sic Guilhelmus a deaurata galea; Gudela, quasi bona pars aut sors; Lotharius, quasi plumbeum cor; Leopoldus, quasi leoninus pes : Lanfrancus, quasi diuturna libertas, Wolfgangus, quasi lupinus incessus vocatus est. Plura vide apud Goropium, Scrieckium, et Pontum Heutterum in Belgio.

Can. 18. 18. Quando ei qui nomen habet, nomen non commutatur, sed simpliciter, tacito et præsupposito ejus nomine, dicitur sic vel sic vocandus, tunc non imponitur ei aliud nomen, sed significatur talis futurus, ut jure alio isto nomine vocari et appellari possit : sic *Isaiæ* VII, 14, Christus vocatur *Emmanuel*, et cap. VIII, vers. 3 : « Accelera spolia detrahere, festina prædari; » et cap. IX, vers. 6 : « Admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis; » et *Zach.* cap. VI, vers. 12, vocatur *Oriens*. Sic Joannes Baptista a Malachia vocatur *Elias*; et filii Zebedæi in Evangelio vocantur *Boanerges*, id est, filii tonitrui.

Can. 19. 19. Viri et feminæ olim erant polyonymi : unde non mirum si eadem persona in Scriptura modo uno nomine, modo alio vocatur. Sic uxor Esau quæ *Gen.* XXXVI, 2, vocatur Ada, filia Elon Hethæi, *Gen.* XXVI, 34, vocatur Judith, filia Beeri Hethæi; et alia ejus uxor quæ *Gen.* XXXVI, 2, vocatur Oolibama, filia Anæ, *Gen.* XXVI, 34, vocatur Basemath, filia Elon. Sic sæpe lib. I *Paralip.* per decem prima capita alia viris et mulieribus dantur nomina, alia, inquam, ab iis quæ habent in Genesi, Josue, Judicum et lib. Regum. Sic idem est Abimelech et Achimelec, Job et Jobab, Achar et Achan, Aram et Ram, Areuna et Ornan, Jetro et Raguel. Ubi obiter adverte nomina, cum in aliam linguam transferuntur, ita mutari, ut vix eadem esse videantur, præsertim cum ad aliud etymon suæ linguæ alludunt et inclinant. Sic

hebr. Achasueros; latine Assuerus; persice Ochosoarses, Ochsoarses, Axurxes, Artaxerxes; græce Oxyares, quasi idem sunt. Achasueros hebraice et chaldaice significat magnum caput, id est, magnus capitaneus : Artaxerxes persice significat magnus bellator, teste Herodoto : Oxyares Græcis idem est quod acutus, sive acer Mars. Sic a Bosra hebraico, id est munitio, dicta est Bysra, et Barsa, arx Carthaginis quam Romani Burgum vocarunt, indeque Burgundiones sunt dicti. Sic a David et Idida, dicta est Dido..

Can. 20. 20. Solet Scriptura causam vocare, et pro vera rei causa ponere, quod tantum fuit occasio : eo quod ita soleant homines loqui, ut eventum undecumque provenientem vocent effectum, et occasionem vocent causam. Sic *Gen.* XLIII, 6, ait Jacob : « In meam hoc fecistis miseriam, ut indicaretis ei et alium vos habere fratrem. » Nec enim filii Jacob hanc patris sui miseriam intendebant, sed ea ex factis et verbis illorum aliud agentium, fortuito et occasionaliter consecuta est : vide Riberam in *Amos* II, 19.

Can. 21. 21. Hebræi sæpe abstractum ponunt pro concreto, ut abominationem pro re abominabili vel abominata, *Exodi* cap. VIII, vers. 28 : « Abominationes Ægyptiorum immolabimus Domino? » *Psal.* XX, 2 : « Desiderium (id est rem desideratam) cordis ejus tribuisti ei. » Sic Deus dicitur spes nostra, id est, res sperata, et patientia ac gloria nostra, id est, propter quem patimur, de quo gloriamur.

Can. 22. 22. Hebræi verba sumunt jam in actu perfecto, jam in continuato, jam in inchoato, ut facere sit idem quod conari; moliri, incipere aliquid facere. Sic Hebræi aliquando dicuntur egressi ex Ægypto vespere, ut *Deut.* cap. XVI, vers. 6, aliquando noctu, ut *Exodi* cap. XII, 42, alibi mane, ut *Num.* XXIII, 3, quia scilicet vespere immolarunt agnum, qui egressus fuit causa et initium : noctu vero cæsis Ægyptiorum primogenitis acceperunt a Pharaone veniam, imo mandatum exeundi, suaque convasantes exire cœperunt : mane vero ipso facto plene et perfecte egressi sunt.

Can. 23. 23. Hebræi cum aliquid exaggerare volunt, vel significare gradum superlativum (quo ipsi carent), utuntur nomine abstracto, vel concreto geminato, ut sanctitas est, vel sanctum sanctorum est, id est, sanctissimum est : quod crebrum est in Levitico.

Can. 24. Hypallage. 24. In Scriptura crebra est hypallage, ut *Exodi* XII, 11 : « Calceamenta habebitis in pedibus, » hoc est invertendo, pedes habebitis in calceamentis, sive calceatos. Nec enim calcei sunt in pedibus, sed pedes in calceis. *Exodi* III, 2, in hebr. : « Rubus ardebat in igne, » id est, ignis ardebat in rubo. *Judic.* I, 8, in hebr.: « Civitatem miserunt in ignem, » id est, ignem miserunt in civitatem. IV *Reg.* IX, 30, de Jezabele dicitur in hebræo : « Posuit in stibio oculos suos, » hoc est, posuit stibium in oculis suis, depinxit oculos suos stibio. *Psal.* LXXVI, 6, in hebræo : « Propinasti nobis in lacrymis mensuram, » hoc est, lacrymas in mensura, utique magna, ut ait R. David. *Psalm.* XVIII, 5 : « In sole posuit tabernaculum suum, » hoc est, solem posuit in tabernaculo suo, vel soli posuit tabernaculum suum in cœlis, ut habent hebræa. *Psal.* LXXX, 6 : « Testimonium in Joseph posuit, » hoc est, posuit Josephum in testimonium : cui nimirum bene cesserunt omnia, quod legem Dei servaverit. Ita Chaldæus : licet et alius, magis genuinus, sit ejus loci sensus, ut dixi *Psal.* LXXX.

Can. 25. 25. Hebræi nomina nunc active, nunc passive accipiunt. Sic timor vocatur, tam is quo timemus aliquem, quam is qui timetur, ut *Gen.* LI, 42, Deus vocatur timor Isaac, id est, qui timebatur ab Isaac, quem Isaac metuebat et reverebatur. Sic patientia non tantum vocatur illa virtus, quæ nos impellit ad fortiter patiendum; sed etiam passio ipsa, et res adversa quam patimur, imo et Deus ipse, propter quem patimur, ut *Psalm.* LXX, 5 : « Tu es patientia mea, Domine. » Sic amor non tantum vocatur is quo amamus, sed et id quod amatur, ut « Deus meus, amor meus, et omnia. »

Can. 26. 26. In Scriptura crebra est liptote (quæ potius λιτότης, id est tenuitas, dicenda est), hoc est diminutio, qua res magnæ verbis exilibus significantur, et quasi imminuuntur, qualis est illa Virgilii, lib. III *Georgicon.*:

> Quis aut Eurysthea durum,
> Aut illaudati nescit Busiridis aras?

Illaudati, id est, sceleratissimi, et maxime vituperandi. Busiris enim hospites suos mactare et immolare solebat. Sic I *Regum.* XII, 21, dicitur : « Nolite declinare post vana, quæ non proderunt vobis, » id est, nolite declinare ad idola, quæ maxime oberunt eruntque noxia vobis. I *Machab.* II, 21 : « Non est utile nobis (id est, maxime oberit nobis) relinquere legem. » *Michææ* II, 1 : « Væ qui cogitatis inutile, » id est, perniciosum. *Lev.* X, 1 : « Offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat, » id est, quod eis prohibitum erat.

Can. 27. 27. Moses, inquit Clemens, lib. VI *Strom.*, quia eruditus fuit in omni sapientia Ægyptiorum, hinc subinde in suis legibus utitur hieroglyphica eorum ratione, easque tradit per symbola et ænigmata. Sic et Eleazarus pontifex Aristææ (ut ipse testatur tract. *De* LXX *Interpret.*, tom. II *Bibliothec. SS. Patrum*) legato Ptolemæi Philadelphi, roganti cur Moses quædam animalia vetuisset comedi, vel sacrificari, quibus aliæ gentes uterentur, respondit : Hæc Mosis præcepta esse symbolica et ænigmatica, qualia sunt symbola Pythagoræ, et hieroglyphica Ægyptiorum. Porro ænigmata Pythagoræ, inquit S. Hieronymus, lib. III *Contra Ruffinum*, talia erant : « Stateram ne

Symbola Pythagoræ quæ?

transilias,» id est, ne prætergrediaris justitiam. « Ignem gladio ne fodias,» id est, iratum verbis ne lacessas. « Coronam minime carpendam esse,» id est, leges urbium non vellicandas, sed conservandas esse; « cor ne comedas,» id est, mœrorem de animo projice; « per viam publicam ne ambules,» id est, ne multorum sequaris errorem; « hirundinem in domum non esse recipiendam,» id est, garrulos in domum non esse admittendos; « oneratis superponendum esse onus, deponentibus onus minime communicandum esse,» id est, ad virtutem contendentibus augenda esse præcepta; laborem vero fugientes, et otio deditos, esse relinquendos.

Can. 28. 28. Hebræi recentiores ignorant significationem veram nominum propriorum, animalium, herbarum, arborum, gemmarum; sed quisque eorum divinat id quod vult : itaque in hac re certissima regula est, sequi antiquos doctissimos Hebræos, et præ omnibus interpretem nostrum, qui Ecclesiæ judicio omnium est optimus.

Can. 29. 29. Hebræa nomina animalium, arborum, lapidum generalia sunt, et pluribus communia. Sic שָׁפָן *saphan*, *Lev.* XI, 5, significat chœrogryllum; sed *Prov.* XXX, 26, significat leporem; *Psal.* vero CIII, 18, significat herinaceum. Vide Riberam in cap. V *Zachar.*, n. 21.

Can. 30. 30. Hebræi sæpe actum, habitum et potentiam ponunt pro objecto, et contra, per metonymiam. Sic oculum vel aspectum vocant colorem, qui est oculi et visus objectum, ut *Lev.* cap. XIII, vers. 10, dicitur lepra mutare aspectum, id est, speciem et colorem. Sic rursum Deus dicitur timor, amor, spes, patientia, gloria nostra, quia est objectum timoris, amoris, spei, patientiæ, gloriæ nostræ; est enim is quem timemus, amamus, speramus, propter quem patimur, in quo gloriamur.

Oculus pro colore.

Can. 31. 31. Moses in Pentateucho agit *primo* historicum, *secundo* legislatorem, *tertio* prophetam; unde nunc historice, nunc juridice, nunc prophetice exponendus est.

Can. 32. 32. Conjunctio *et* Hebræis sæpe est exegetica, notaque exponentis, significans *id est*, ut *Lev.* III, 3 : « Quorum repletæ, et (id est) consecratæ manus : » replere enim manus oleo, erat eas consecrare ad sacerdotium. Sic *Coloss.* II, 8 : « Videte ne quis vos seducat per philosophiam, et (id est) inanem fallaciam. » Non enim Apostolus damnare vult Philosophiam veram, sed tantum fallacem et sophisticam. Simili modo capitur et *Matth.* XIII, 41; *Jerem.* XXXIV, 21, et alibi.

Can. 33. 33. Hebræi interrogatione utuntur sæpe, non in re dubia, sed clara, neque ad increpandum, sed ad excitandum acuendumque audientis animum. Sic *Genes.* XLVII, 19, dicunt Ægyptii Josepho : « Cur moriemur te vidente? » Sic *Exodi* IV, 2, Deus ait Mosi : « Quid est quod tenes in manu tua? » et cap. XIV, vers. 15 : « Quid clamas ad me? » Sic illud Christi ad matrem : « Quid mihi et tibi est, mulier? » non castigatio, sed spei est probatio, eam exacuens.

Can. 34. 34. Omnia præcepta Pentateuchi, etiam judicialia, sunt juris divini, quia a Deo sancita; quædam tamen ex iis non videntur obligasse sub peccato mortali, sed tantum veniali, ob levitatem materiæ, ut « Agrum tuum non seres diverso semine,» *Levit.* XIX, 19. « Si inveneris nidum, pullos cape, matrem dimitte,» *Deut.* XXII, 6.

Can. 35. 35. Scriptura, maxime in prophetiis, subinde simul complectitur typum et antitypum, hoc est rem quam proprie verba significant, et simul allegoriam, quam res illa repræsentat; sed ita ut quædam magis typo, quædam magis antitypo conveniant; tumque duplex illius loci est sensus litteralis : prior historicus, secundus propheticus. Sic enim et ingeniosi adolescentes sæpe ludunt et rident socium, dicendo, v. g. Tu es longis naribus, et simul significant eum esse sagacem, *q. d.* Tu æque es nasutus ac nasatus : ubi vox *nares* et propriam retinet significationem, et alteram asciscit, per elegantem allusionem et allegoriam. Quidni ergo Spiritus Sanctus uno conceptu et oratione complecti possit signum et signatum, typum et veritatem? Exempla sunt II *Reg.* VII, 12, ubi ad litteram loquitur de Salomone, sed tamen per hyperbolen quædam de eo dicit, quæ proprie et plene ad litteram soli Christo competunt. Sic *Gen.* III, 14, Deus serpenti loquitur, et per eum diabolo in eo latenti. Unde quædam dicit, quæ proprie serpenti competunt, quale est illud : « Super pectus gradieris, et terram comedes; » quædam, quæ proprie diabolo competunt, quale est illud : « Inimicitias ponam inter te et inter mulierem; ipsa conteret caput tuum. » Sic Moses *Deuter.* XVIII, 18, per Prophetam, quem post se promittit, tum quoslibet Prophetas, tum proprie Christum intelligit. Sic Balaam dicens quod Israel vastabit Moab, Idumæam et filios Seth, *Num.* XXIV, 17, per Israel, tum Davidem, tum Christum intelligit. Sic Isaias, cap. XIV, 11 et seq., describit casum regis Babylonis, per casum Luciferi; unde quædam dicit, quæ proprie Lucifero, Balsasari vero figurate tantum, id est, hyperbolice vel parabolice conveniunt, ut : « Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer? detracta est ad inferos superbia tua, qui dicebas : In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, similis ero Altissimo. » Quædam vero dicit, quæ proprie conveniunt Balsasari, ut : « Concidit cadaver tuum, subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes. « Simili modo Ezechiel cap. XXVIII, vers. 2 et 14, describit opes et casum regis Tyri instar opum et casus Cherubini alicujus. Mens enim Prophetæ rapitur ab altissimo lumine prophetico, in quo omnia sunt exilia et conjuncta, unumque videtur esse figura alterius; hinc saliunt sæpe Prophetæ ab uno ad aliud, tum ob causam jam dictam, tum ob elegantiam, qua similia similibus comparant et adumbrant.

Can. 36. 36. Plures etiam, non tantum typicos et typice subordinatos, sed etiam dissimiles et disparatos, posse esse sensus litterales S. Scripturæ, docet S. Augustinus, lib. XII *Conf.*, cap. XVIII, XXV, XXVI, XXXI et XXXII, quem citat et sequitur D. Thomas I p., *Q.* II, art. 10, in corpore, idque colligitur ex Concilio Lateranensi cap. *Firmiter, de summa Trinit.*, ubi Concilium ex illo *Gen.* I, « in principio creavit Deus cœlum et terram, » juxta duos sensus litterales, duas concludit veritates, scilicet, quod mundus incœperit, quasi τὸ *in principio* significet principium temporis, et, quod nihil ante mundum sit productum, quasi τὸ *in principio* idem sit quod, ante omnia. Sic illud *Psal.* II, 7 : « Ego hodie genui te, » Patres tam de humana, quam de divina Christi generatione explicant. Hinc et versio Septuaginta alium subinde dat sensum litteralem, quam nostra, et olim multæ aliæ versiones erant differentes ab invicem. Sic alio sensu Caiphas, alio Spiritus Sanctus per ejus os dixit : « Expedit vobis, ut unus homo moriatur pro populo, » *Joan.* XI, 50; et tamen utrumque, scilicet tam Caiphæ, quam Spiritus Sancti, sensum et mentem enarrat, et hisce verbis significat S. Joannes. Verum in hoc, uti et in aliis plerisque, unus sensus alteri aliqua ratione conjunctus et quasi subordinatus est.

Can. 37. 37. Apud Hebræos, præsertim Prophetas, crebra est enallage, et commutatio, tum personæ, ut transeant a prima vel secunda, in tertiam, qualis est *Deut.* XXXIII, 7; tum temporis, ut præteritum ponant pro futuro, ob futuri certitudinem, qualis est *Deut.* XXXII, 15, 16, 17, 18, 21, 22 et seq.; tum numeri, ut a singulari transeant in pluralem, et contra, qualis est *Deut.* XXXII, 15 et 16; tum generis, ut a feminino transeant in masculinum, et contra, qualis est *Gen.* III, 15.

Can. 38. 38. Climata, seu plagæ orbis, ut Oriens, Occidens, Meridies, Septentrio, in Scriptura intelligenda sunt juxta situm Judææ, Jerusalem et Templi. Judæis enim scribunt Moses aliique hagiographi; et Judæa sita quasi in medio orbis habitati et culti, erat terra et peculium Dei.

Can. 39. 39. Una res est figura duorum etiam contrariorum, sed alio et alio respectu. Sic diluvium quatenus in eo enatavit Noe per arcam, fuit fidelibus typus baptismi; quatenus vero eo mersi sunt impii, fuit typus supplicii reprobis irrogandi in extremo judicio. Sic Christus est petra et lapis angularis Ecclesiæ; sed piis est lapis salutis, infidelibus vero et impiis est lapis offensionis, et petra scandali. Sic Christus vocatur leo, ob fortitudinem; diabolus vero vocatur leo ob crudelitatem et rapacitatem. Tradunt hunc canonem S. Augustinus, epist. 99 *ad Evodium*, et S. Basilius in *Isaiæ* cap. II.

Can. 40. 40. In sensu litterali omnes sententiæ, omniaque verba debent explicari et accommodari rei significatæ : id autem non est necesse in sensu allegorico; imo S. Hieronymus, Gregorius, Origenes, et alii sæpe liberam volunt esse allegoriam, atque in ea explicanda non servant rigorem historiæ. Exemplum est in Davidis adulterio, quod S. Augustinus, S. Ambrosius et alii docent fuisse typum amoris Christi in Ecclesiam Gentium, quæ antea cum idolis ut adultera vixerat. Verum propria et solida allegoria debet respondere historiæ, et quo aptius respondet, eo aptior est; imo alioqui non est proprius Scripturæ sensus, sed quasi accommodatitius. Sicut enim litteralis est is, quem primo verba significant : ita allegoricus est, quem res per litteralem sensum significatæ adumbrant et significant. Ita docet S. Hieronymus in *Osee* cap. V, ubi retractat contrarium, quod alibi dixerat.

Can. 41. 41. In Mose et Scriptura non raro est hendiadys, quæ figura est, qua unum in duo dividitur, unde rectius vocatur ἓν διὰ δυοῖν, id est, unum per duo, ut apud Virgilium, *Æneid.* I : « Molemque et montes insuper altos imposuit, » id est moles altorum montium imposuit; et alibi : « Aurum frenosque momordit, » id est, frenos aureos momordit; et alibi : « Pateris libamus et auro, » id est, pateris aureis. Talis est *Gen.* I, 14 : « Sint (sol et luna) in signa, et tempora, et dies, et annos, » id est, sint in signa temporum, dierum et annorum. Talis quoque est *Coloss.* II, 8 : « Videte ne quis vos seducat per philosophiam et inanem fallaciam, » id est, per philosophiam inanis fallaciæ, sive quæ sit inanis fallacia, *q. d.* Non damno omnem philosophiam, sed eam tantum, quæ non est aliud, quam inanis fallacia. Τὸ enim *et* ibi et alibi per *id est* exponi debet.

Can. 42. 42. Solet Moses aliique Prophetæ, redemptionem Christi duplici nomine, et fere copulato significare, puta strage et salute, ultione et redemptione, indignatione et pace, sanguine et incolumitate, pretio et victoria. Hinc secundo, Prophetæ, nulla distinctione inter hostes et cives, Christum venientem ad redimendos homines inducunt quasi ducem cataphractum, qui divino furore actus in homines irruit, atque obvios quosque deturbat, proterit, trucidat. Sic enim canit Balaam *Num.* XXIV, 17, de Christo Salvatore : « Percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth, » id est, omnes homines; hi enim prognati sunt ex Adam per Seth. Et Psaltes *Psalm.* CIX, 6 : « Judicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum, de torrente in via bibet; » et Isaias cap. LXI, describit Christi consolationem et redemptionem, cap. vero LXIII ejusdem ultionem : « Conculcavi, inquit, eos in furore meo, et inebriavi eos in indignatione mea, et detraxi in terram virtutem eorum. Dies enim ultionis in corde meo. » Ac mox subjungit : « In dilectione sua, et in indulgentia sua ipse redemit eos, » etc.

Causa hujus rei et phrasis est duplex : prior, quia utraque libertas temporalis, quæ spiritalem humani generis quasi typus præcessit, videlicet Ægyptia et Babylonia (ad hasce enim alludunt), non sine sanguine et cæde hostium, puta Ægyp-

tiorum in mari Rubro, et Chaldæorum per Cyrum, parta et peracta fuit. Posterior, quia in hac Christi ultione et redemptione, iidem sunt hostes et amici, debellati et liberati, enecti et redempti, sed ingenio, moribus et affectu dissimiles. Qui enim prius erant infideles et impii, per Christum facti sunt fideles et pii. Christus ergo occidit gentes et homines, et alios, imo eosdem suscitavit; quia v. g. occidit Petrum idololatram, ebrium, adulterum; et eumdem suscitavit, fecitque Petrum deicolam, sobrium, castum, etc. Pro quo

Nota : Peccator duplicem refert personam, et duplici quasi natura subsistit, puta hominis et dæmonis, sive vitii et peccati : illa est militis, ista hostis Christi; illa erat liberanda, ista debellanda; ad illam pertinet annus remissionis, ad istam dies vindictæ; illa comparatur Israelitis redemptis, ista Ægyptiis et Babyloniis trucidatis. Sic ergo furor Christi contra dæmonem ejusque asseclas, scilicet vitia, militat, eaque ab homine expellit, ut regnum Dei in homine collocet, hominemque sibi et Deo restituat.

Quia vero Pentateuchus continet chronica mundi, visum est, brevem hic et probabilem chronologiam, lectori utilem et jucundam proponere, in qua quasi in synopsi unico intuitu singularum personarum, vel rerum illustrium in sacra Scriptura ætates et tempora eorumque distantias intueatur. Accepi eam a bonæ memoriæ R. P. Henrico Samerio, qui exacte eam elaboravit; non caruit tamen mendis, a quibus diligenter eam expurgavi. Omittit ipse Cainan; Sauli soli post Samuelem dat annos 40, ut innuitur *Act.* XIII, 21; et 70 annos captivitatis vel servitutis, quos prædixit Jeremias cap. XXV, 12, et cap. XXIV, 10, probabiliter orditur a deportatione et captivitate Jechoniæ sive Joachin, qui fuit filius Joakim, et nepos Sedeciæ, de quibus aliisque suis locis fusius agam, eaque exactius examinabo. Anni in hac tabula scripti in prima recta serie, et notati in laterculo illi conjuncto, significant annos mundi successive increscentes usque ad Christum. Anni vero notati in transversis lineis et laterculis, significant distantias eorumdem ab invicem, si cum iis qui in recta serie sunt combinentur, ita ut in unum eumdemque laterculum concurrant, v. g. laterculus secundus transversus concurrens cum quarto in linea recta, significat a diluvio usque ad Abraham fluxisse annos ducentos nonaginta duos.

Nota *primo* : Eadem res subinde uno anno anterius, subinde uno anno posterius consignatur : verbi gratia, ab exitu Hebræorum ex Ægypto usque ad templum Salomonis, subinde numerantur anni 479, scilicet completi; subinde 480, scilicet inchoati; inchoatus enim erat annus 480 cum cœpit fabrica templi : hinc commune est chronologorum axioma, unum annum in chronologia nullam afferre differentiam temporum, ac proinde non esse æstimandum.

Nota *secundo* : Sicut Judæi et Christiani suam chronologiam incipiunt ab Adamo, vel a diluvio, vel ab Abraham, vel ab egressu Hebræorum ex Ægypto : ita Ethnici sua tempora supputant *primo*, a Nino et Semiramide, qui primam monarchiam Assyriorum condiderunt, quorum tempore vixit Abraham. *Secundo*, a diluvio Ogygis, ac regno Inachi et Phoronei regum, quod incidit in tempora Jacob patriarchæ. *Tertio*, a bello et excidio Trojæ, quod evenit sub tempora Samsonis et Heli pontificis. *Quarto*, ab initio Olympiadum, quæ cœperunt sub finem regni Oziæ, regis Juda. *Quinto*, ab origine urbis Romæ, quæ contigit sub finem regni Joatham, regis Juda.

SYNOPSIS CHRONOLOGIÆ MUNDI,

SIVE

TOTIUS VETERIS TESTAMENTI,

AB ADAMO USQUE AD CHRISTUM.

ANNI AB EXORDIO MUNDI	Ab Adam	A Noe	A diluvio	Ab Abraham	A repromissione	Ab ingressu Jacob in Ægyptum	A morte Joseph	A servitute Ægypti sub Pharaone	Ab exitu ex Ægypto	A Judicibus et Josue	A Regibus	A Templo Salomonis	Ab Olympiadibus	A Roma condita	A captivitate X tribuum	A transmigratione Jechoniæ	A captivitate Babylonica	A libertate sub Cyro	Ab hebdomadibus Danielis	Ab annis Græcorum	A Machabæis	A subjecta Judæa	Ab annis Julianis	A Christo nato	A primo anno Christi	A baptismo Christi	A morte Christi	
Ad Noe	1656																											
Ad diluvium, puta finem diluvii	1657	601																										
Ad Abraham	1949	893	292																									
Ad repromissionem Abrahæ factam	2024	968	367	75																								
Ad ingressum Jacob in Ægyptum	2239	1183	582	290	215																							
Ad mortem Joseph	2310	1254	653	361	286	71																						
Ad servitutem Ægypti in luto et paleis	2366	1310	709	417	342	127	56																					
Ad egressum Israelitarum ex Ægypto	2454	1398	797	505	430	215	144	88																				
Ad ingress. in terram promiss. et Judices	2494	1438	837	545	470	255	184	128	40																			
Ad Reges	2850	1794	1193	901	826	611	540	484	396	356																		
Ad templum Salomonis	2933	1877	1276	984	909	694	623	567	479	439	83																	
Ad Olympiades	3176	2120	1519	1227	1152	937	866	810	722	682	326	243																
Ad Romam conditam	3199	2143	1542	1250	1175	960	889	833	745	705	349	266	23															
Ad captivitat. X tribuum sub Salmanasar	3226	2170	1569	1277	1202	987	916	860	772	732	376	293	50	27														
Ad deportationem Jechoniæ sive Joachin	3349	2293	1692	1400	1325	1110	1039	983	895	855	499	416	173	150	123													
Ad capt. Babyl. et excid. Jeros. per Nabuc.	3359	2303	1702	1410	1335	1120	1049	993	905	865	509	426	183	160	133	10												
Ad libertatem sub Cyro, ab ejus Monarch.	3419	2363	1762	1470	1395	1180	1109	1053	965	925	569	486	243	220	193	70	60											
Ad hebdomadas Danielis	3497	2441	1840	1548	1473	1258	1187	1131	1043	1003	647	564	321	298	271	148	138	78										
Ad annos Græcorum sive Seleucidarum	3640	2584	1983	1691	1616	1401	1330	1274	1186	1146	790	707	464	441	414	291	281	221	143									
Ad Machabæos	3785	2729	2128	1836	1761	1546	1475	1419	1331	1291	935	852	609	586	559	436	426	366	288	145								
Ad subjectam Judæam Romanis a Pomp.	3888	2832	2231	1939	1864	1649	1578	1522	1434	1394	1038	955	712	689	662	539	529	469	391	248	103							
Ad annos Julianos a reform. Calendarii	3907	2851	2250	1958	1883	1668	1597	1541	1453	1413	1057	974	731	708	681	558	548	488	410	267	122	19						
Ad Nativitatem Christi	3950	2894	2293	2001	1926	1711	1640	1584	1496	1456	1100	1017	774	751	724	601	591	531	453	310	165	62	43					
Annus primus Christi	3951	2895	2294	2002	1927	1712	1641	1585	1497	1457	1101	1018	775	752	725	602	592	532	454	311	166	63	44	1				
Ad Baptismum Servatoris	3981	2925	2324	2032	1957	1742	1671	1615	1527	1487	1131	1048	805	782	755	632	622	562	484	341	196	93	74	31	30			
Ad Passionem Redemptoris	3984	2928	2327	2035	1960	1745	1674	1618	1530	1490	1134	1051	808	785	758	635	625	565	487	344	199	96	77	34	33	3		
Ad finem hebdomadum Danielis	3987	2931	2330	2038	1963	1748	1677	1621	1533	1493	1137	1054	811	788	761	638	628	568	490	347	202	99	80	37	36	6	3	Finis heb. Danielis.

Atque ut horum omnium epitomen habeas, nota et retine: Ab Adamo usque ad diluvium fluxerunt anni 1656, ut colligitur Genes. v et vi; usque ad finem vero diluvii fluxerunt anni 1657: diluvium enim duravit annum integrum, Genes. viii.

A fine diluvii usque ad nativitatem Abrahæ fluxerunt anni 292, ut colligitur Genes. x.

A nativitate Abrahæ usque ad ejus vocationem, et repromissionem ei factam, fluxerunt anni 75, ut patet Genes. xii, 4.

Ab hac repromissione usque ad exitum Moysis et Hebræorum ex Ægypto fluxerunt anni 430, ut patet ad Galatas, iii, 17.

Ab exitu Hebræorum ex Ægypto usque ad annum quo cœpit ædificari templum Salomonis, fluxerunt anni 480, ut patet III Reg. vi, 1.

Ab ædificatione templi Salomonis usque ad captivitatem Babylonicam, et templi urbisque Jerosolymæ excidium, fluxerunt anni 426, qui colliguntur ex annis regum Juda et Israel descriptis in lib. Regum.

A captivitate Babylonica usque ad annos Græcorum sive Seleucidarum, a quibus libri Machabæorum computant et consignant suas historias, quique incipiunt post mortem Alexandri Magni anno duodecimo, quo Seleucus imposuit sibi diadema Asiæ, fluxerunt anni 281.

Ab annis Græcorum usque ad Machabæos fluxerunt anni 145.

A Machabæis usque ad Christum, fluxerunt anni 165.

Christus ergo natus est anno mundi 3950.

BIBLIORUM CHRONOLOGIA.

Hodiernorum disquisitiones in Veterum tum libris tum monumentis interrogandis rem chronologicam ab omni trica et nodo adeo non absolverunt, ut e contra eam reliquerint intricatam magis atque arduam. Propterea egregium in hoc genere opus cui titulus, *Fasti Hellenici*, auctore Clinton, Lectoribus indicasse, nec non brevem tabulam, ex opere Dris Sepp gallice inscripto *La Vie de N.-S. Jésus-Christ*, tom. II, pag. 454, desumptam, oculis hic subjecisse, satis ad rem nostram duximus.

A. C.

HISTORIA.	ANNI MUNDI.	ANNI ANTE CHRIS.
Adamus, 130 ann. natus, gignit Seth.	130	4061
Seth, 105 ann. natus, gignit Enos.	235	3956
Enos, 90 ann. natus, gignit Caïnan.	325	3866
Caïnan, 70 ann. natus, gignit Malaleel.	395	3796
Malaleel, 65 ann. natus, gignit Jared.	460	3731
Jared, 62 ann. natus, gignit Enoch.	622	3569
Enoch, 65 ann. natus, gignit Mathusaleh.	687	3504
Mathusaleh, 187 ann. natus, gignit Lamech.	874	3317
Lamech, 182 ann. natus, gignit Noe.	1056	3135
Noe, 500 ann. natus, gignit Sem, Cham et Japhet.	1656	2635
Mathusaleh moritur 969 ann. natus. Peragitur diluvium, jubilæo post creationem 34e (quot annis Christus in terris vixit), Noe vero vitæ annum 600m agente. Cessat diluvium.	1657	2534
Post biennium, Sem, 100 ann. natus, gignit Arphaxad.	1659	2532
Arphaxad, 35 ann. natus, gignit Sale.	1694	2497
Sale, 30 ann. natus, gignit Heber	1724	2467
Heber, 34 ann. natus, gignit Phaleg.	1758	2433
Phaleg, 30 ann. natus, gignit Reu.	1788	2403
Reu, 32 ann. natus, gignit Sarug.	1820	2371
Sarug, 30 ann. natus, gignit Nachor.	1850	2341
Nachor, ann. 29 natus, gignit Thare.	1879	2312
Thare, 70 ann. natus, gignit Abram, Nachor et Haran.	1949	2242
Abram, 75 ann. natus, in terram Chanaam venit.	2084	2107
Abraham, 86 ann. natus, gignit Ismael.	2095	2096
Abraham, 100 ann. natus, gignit Isaac.	2109	2082
Isaac, 40 ann. natus, Rebeccam ducit.	2149	2052
Isaac, 60 ann. natus, gignit Esaü et Jacob.	2189	2022
Abraham, 175 ann. natus, moritur.	2184	2007
Esaü quadragenarius ducit filiam Beeri Hethæi.	2209	1982
Jacob, 77 ann. natus, in Mesopotamiam fugit.	2246	1945
Jacob, 91 ann. natus, gignit Joseph.	2260	1931
Jacob, 97 ann. natus, in terram Chanaan revertitur.	2266	1925
Joseph, 16 ann. natus, venditur a fratribus.	2276	1915
Isaac, 180 ann. natus, moritur.	2289	1902
Jacob, 130 ann. natus, in Ægyptum venit, anno 24 post ipsius Josephi adventum, 215 vero post Abrahami migrationem.	2299	1982
Jacob moritur, 147 ann. natus.	2316	1875
Joseph moritur, 110 ann. natus.	2370	1821
Israelitæ Ægypto excedunt ann. captivitatis 430, mundi vero 2706, vel potius 2700, si summam rotundes, quod in tanta supputationum varietate licet.	2700	1491
Anni 480 numerantur ab Ægyptiaca captivitate ad ædificationem Templi, anno 4 Salomonis regnantis.	3180	1011
Hinc ad Herodiani templi ædificationem elapsi sunt anni 1000. Salomon autem post ædificatum Templum regnat 36 ann.	3216	975
Roboam 17 ann. regnat.	3233	958
Abia 3 ann. regnat.	3236	955
Assa 41 ann. regnat.	3277	914
Josaphat 25 ann. regnat.	3302	889
Joram 8 ann. regnat.	3310	881
Ochosias 1 ann. regnat.	3311	880
Athalia 6 ann. regnat.	3317	874
Joas 40 ann. regnat.	3357	834
Amasias 29 ann. regnat.	3386	805
Osias 52 ann. regnat.	3438	753
Joathan 16 ann. regnat.	3454	737
Achaz 16 ann. regnat.	3470	721
Ezechias 29 ann. regnat.	3499	692
Manasses 55 ann. regnat.	3554	637
Amon 2 ann. regnat.	3556	635
Josias 31 ann. regnat.	3587	506
Joachaz 3 mens. regnat.		
Joachim 11 ann. regnat.	3598	593
Joachim 3 mens. regnat.		
Sedecias 11 ann. regnat, ante Hierosolymam a Nabuchodonosore expugnatam. Quæ expugnatio contigit ann. 430 post templum salomonicum ædificatum, 580 ante Christum natum, seu 166 post Urbem conditam.	3610	581
Joachim enim captivus egit Babyloni 37 annos, usque ad Evilmerodachi regnum (IV *Reg.* XXV). Hinc autem ad Babylonis a Cyro expugnationem 23 anni elapsi sunt juxta canonem Ptolomæi, 233 vero ad Ptolomæum Lagam, deinde 275 ad Alexandriam ab Augusto captam (ann. 724 U. C.). Nunc si annos 166 ex 747 (quo Urbs condita fuit) eximas, habebis 581, seu mundi annum.	4191	1
Igitur a mundo creato ad natum Christum intercesserunt anni 4191 *solares*, *lunares* autem 4320, *sacerdotales* vero 5625.		
Cf. des Vignoles, *Chronologie de l'Histoire Sainte.*		

COMMENTARIA

IN GENESIM.

ARGUMENTUM.

Inscribitur hic liber hebraice de more a prima libri voce בראשית *berescit*, id est, in principio; græce et latine vocatur *Genesis*. Enarrat enim generationem, id est creationem, sive natales mundi et hominis, ejusque lapsum, propagationem et gesta, maxime Patriarcharum, Noe, Abraham, Isaac, Jacob et Joseph : complectiturque Genesis gesta annorum 2310. Tot enim interfluxerunt ab Adamo, et a mundi creatione, usque ad mortem Josephi, in qua finitur Genesis, ut patet, si addas annos Patrum in hac chronologia : nam

Chronologia Geneseos.

Ab Adam usque ad diluvium fluxerunt anni 1656.

A diluvio ad Abraham, anni 292.

Anno 100 Abrahæ natus est Isaac, *Genes.* cap. XXI, vers. 4.

Anno 60 Isaaci natus est Jacob, *Genes.* XXV, 26.

Anno 91 Jacobi natus est Joseph, uti ostendam *Genes.* XXX, 25.

Joseph vixit annos 110, *Genes.* L, 25.

Adde hos annos, invenies ab Adamo ad mortem Josephi annos 2310.

Dividi potest Genesis in quatuor partes, quas totidem tomis divisit et prosecutus est Pererius. *Prima* complectitur gesta ab Adam usque ad diluvium, *Genes.* VII. *Secunda* continet gesta a Noe et diluvio usque ad Abraham, puta ea, quæ narrantur a cap. VII usque ad cap. XII. *Tertia* continet gesta Abrahæ a cap. XII usque ad Abrahæ mortem, *Genes.* XXV. *Quarta* a cap. XXV ad finem Geneseos complectitur gesta Isaaci, Jacobi et Josephi, finiturque in morte Josephi.

Scriptores in Genesim.

Scripserunt in Genesim Origenes, S. Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, Procopius, Chrysostomus, Eucherius, Rupertus et alii. S. Ambrosius post S. Basilium scripsit lib. *Hexameron*, item lib. de Noe, de Abraham, de Isaac, Jacob, Joseph, etc. B. Cyrillus scripsit libros V, quibus adde ejusdem Glaphyra, id est, exsculpta, *q. d.* Pauca e multis selecta, quibus non litteralem, sed mysticum fere sensum persequitur. Exstant ea manuscripta, quibus ego usus sum, eaque post cum aliis edidit noster P. Andreas Schottus. Scripsit etiam Albinus Flaccus *Quæst. in Genes.* Scripsit quoque in priora capita Geneseos Junilius Episcopus Africanus, qui exstat tom. VI *Biblioth. SS. Patrum.* Scripsit insuper Anastasius Sinaita, monachus, ac postea Antiochiæ Episcopus et Martyr, anno Domini 600, undecim libros *Hexam.* in Genesim, in quibus allegorice de Christo et Ecclesia prima Geneseos capita exponit. Exstant in appendice *Bibliothecæ SS. Patrum.* Scripsit et Thomas Doctor, non sanctus ille Angelicus, sed Anglicus, puta Eboracencis Doctor sub anno Christi 1400. Anglici enim hæc esse, non Angelici Doctoris, testis est S. Antoninus, et Sixtus Senensis, lib. IV *Bibliothecæ Sanctæ* : licet S. Thomæ Aquinati hæc adscribere conetur Antonius Senensis, qui primus ea edidit; et quia vulgo hæc nomine S. Thomæ citantur, nos quoque ita loquemur, ne quis alium aliquem nos citare putet. Scripserunt quoque in Genesim post Lyranum, Hugonem, Dionysium Carthusianum, recentiores permulti, inter quos excellit varietate doctrinæ Pererius. Scripsit olim præ cæteris prolixe, magno singulorum examine et judicio, Alphonsus Tostatus Episcopus Abulensis, cui merito hoc datur elogium :

Hic stupor est mundi, qui scibile discutit omne.

Mortuus est enim anno ætatis quadragesimo. Denique scripsit nuper in cap. I Geneseos duos ingentes tomos Ascanius Martinengus Brixianus, quos *Glossam magnam in Genesim* inscribit : in qua catenam e Patribus et Doctoribus texit, ac quæstiones omnes incidentes fuse discutit (1).

Verum quia de S. Scriptura verissimum est illud : Ars longa, vita brevis; hac de causa, quæ alii fuse dixerunt, ego in pauca constringam, et impense brevitati, æque ac soliditati et methodo studebo : ideoque moralia præclariora tantum intexam, et subinde ad auctores, qui fusius ea pertractant, remittam; atque hic semel universim concionatores, omnesque, qui moralibus inhiant, monitos, velim, ut legant S. Chrysostomum, Ambrosium, Origenem, Rupertum, Rabanum, Hieronymum ab Oleastro, Pererium, Ha-

(1) Quibus adde Joannem de la Haye, *Commentarii in Genesim*, Lugduni 1638; Drechsler, *Die Einheit und Aectheit der Genesis*, 1838.

merum, Caponium et Joannem Ferum, qui tamen cum grano salis legi debet : valde enim fidem extollit, quod propter Lutherum et Calvinum hoc tempore periculosum est. Denique legant Dionysium Carthusianum, qui singula fere moraliter applicat et explicat : atque Antonium Honcalam Canonicum Abulensem, qui pie æque ac docte in Genesim commentatur.

Denique, dum hosce jam dictos citabo, non annotabo locum; subintelligo enim, quod cuique obvium est cogitare, ipsos in hunc locum quem tracto id dicere : alias ordinarie locum annotabo. In opere autem Hexameron, *Genes.* I, loca non annotabo; quia omnes sciunt Interpretes illud ibidem tractare, Scholasticos vero in II *Sent.*, dist. XII et seq., aut *part.* I, quæst. LXVI et seq. Jam quia nonnulli Patres et Doctores verbis sunt profiui et prolixi, ego vero breviloquus sum, ne opus nimis excrescat, et lector defatigetur, hac de causa subinde verba eorum redundantia, et iterata succido; ac nonnullis intermediis omissis, seligo connectoque ea quæ nervum et pondus majus habent : itaque omnem eorum succum extraho, eumque in pauca ipsorummet verba contraho, ut legentium et tempori, et gustui commodisque consulam.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describitur mundi creatio et opus sex dierum, scilicet primo die factum est cœlum, terra et lux. Secundo die vers. 6, factum est firmamentum. Tertio die vers. 9, factum est mare et arida cum herbis et plantis. Quarto die vers. 14, factus est sol, luna et stellæ. Quinto die vers. 20, producti sunt pisces et aves. Sexto die vers. 24, producta sunt jumenta, reptilia, bestiæ, eisque Deus benedicit et cibum assignat, cæterisque hominem quasi dominum præficit.

1. In principio creavit Deus cœlum et terram. 2. Terra autem erat inanis et vacua, et tenebræ erant super faciem abyssi; et Spiritus Dei ferebatur super aquas. 3. Dixitque Deus : Fiat lux, et facta est lux. 4. Et vidit Deus lucem quod esset bona; et divisit lucem a tenebris. 5. Appellavitque lucem Diem, et tenebras Noctem : factumque est vespere et mane, dies unus. 6. Dixit quoque Deus : Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis. 7. Et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum. Et factum est ita. 8. Vocavitque Deus firmamentum Cœlum : et factum est vespere et mane, dies secundus. 9. Dixit vero Deus : Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum unum; et appareat arida. Et factum est ita. 10. Et vocavit Deus aridam, Terram; congregationesque aquarum appellavit maria. Et vidit Deus quod esset bonum. 11. Et ait : Germinet terra herbam virentem et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum juxta semen suum, cujus semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita. 12. Et protulit terra herbam virentem, et facientem semen juxta genus suum, lignumque faciens fructum, et habens unumquodque sementem secundum speciem suam. Et vidit Deus quod esset bonum. 13. Et factum est vespere et mane, dies tertius. 14. Dixit autem Deus : Fiant luminaria in firmamento cœli, et dividant diem ac noctem, et sint in signa et tempora, et dies et annos : 15. ut luceant in firmamento cœli, et illuminent terram. Et factum est ita. 16. Fecitque Deus duo luminaria magna : luminare majus, ut præesset diei; et luminare minus, ut præesset nocti; et stellas. 17. Et posuit eas in firmamento cœli, ut lucerent super terram, 18. et præessent diei ac nocti, et dividerent lucem ac tenebras. Et vidit Deus quod esset bonum. 19. Et factum est vespere et mane, dies quartus. 20. Dixit etiam Deus : Producant aquæ reptile animæ viventis, et volatile super terram sub firmamento cœli. 21. Creavitque Deus cete grandia, et omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, et omne volatile secundum genus suum. Et vidit Deus quod esset bonum. 22. Benedixitque eis, dicens : Crescite, et multiplicamini, et replete aquas maris; avesque multiplicentur super terram. 23. Et factum est vespere et mane, dies quintus. 24. Dixit quoque Deus : Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta et reptilia, et bestias terræ secundum species suas. Factumque est ita. 25. Et fecit Deus bestias terræ juxta species suas, et jumenta, et omne reptile terræ in genere suo. Et vidit Deus quod esset bonum. 26. Et ait : Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram; et præsit piscibus maris, et volatilibus cœli, et bestiis, universæque terræ, omnique reptili quod movetur in terra. 27. Et creavit Deus hominem ad imaginem suam; ad imaginem Dei creavit illum, masculum et feminam creavit eos. 28. Benedixitque illis Deus, et ait : Crescite, et multiplica-

mini, et replete terram, et subjicite eam, et dominamini piscibus maris, et volatilibus cœli, et universis animantibus, quæ moventur super terram. 29. Dixitque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, et universa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam; 30. et cunctis animantibus terræ, omnique volucri cœli, et universis quæ moventur in terra, et in quibus est anima vivens, ut habeant ad vescendum. Et factum est ita. 31. Viditque Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona. Et factum est vespere et mane, dies sextus.

Vers. 1.

1. IN PRINCIPIO. — *Primo*, S. Augustinus, lib. I *De Genesi ad litter.*, cap. I; Ambrosius et Basi-

Quid *in principio?*

lius, hom. 1 *Hexam.*: « In principio, » inquiunt, id est in Filio; per Filium enim quasi ideam et sa-

Prima expositio.

pientiam Patris omnia esse creata, docet Apostolus, *Coloss.* I, 16. Verum hæc expositio mystica est et symbolica (1).

Secundo et melius ad litteram, iidem Augusti- Secunda.

nus, Ambrosius et Basilius ibidem, et Concilium Lateranense, cap. *Firmiter*, de summa Trinitate et fide Catholica : « In principio, » inquiunt, id est in primordio seu initio, non æternitatis, non ævi, sed temporis et mundi, quando nimirum simul cum mundo cœpit mundi duratio, puta tempus. Licet enim initio mundi non esset tale

Quale tempus ante motum primi mobilis?

tempus quale jam est; jam enim tempus nostrum est mensura motus primi mobilis, solis et cœlorum; tunc autem necdum erat primum mobile, sol et cœli, et consequenter necdum erat eorum motus, qui tempore mensurari posset: erat tamen tunc duratio rei corporeæ, puta cœli et terræ, quæ similis et commensa erat tempori nostro, ac proinde re ipsa erat tempus : res enim corporea mensuratur tempore, sive ipsa moveatur, sive quiescat: tempus enim est mensura corporum, sicut ævum est angelorum, et æternitas Dei; Aristotelice tamen loquendo, tempus saltem natura posterius est motu, et corpore mobili. Unde S. Augustinus in *Sententiis*, numer. 280: « Facta creatura, inquit, motibus cœperunt currere tempora. Unde ante creaturam frustra tempora requiruntur, quasi possint inveniri ante ipsa tempora. Motus enim si nullus esset, vel spirita-

(1) Patritius, opere cui titulus *De Interpretatione Scripturarum Sacr.*, lib. II, Quæst. II, quærit, *An prima vox Geneseos verti litteraliter possit : In Filio*, et ita concludit : « Cæterum, an hanc vocum *in principio* significationem sequi præstet, quam alteram, de qua quæstio prima fuit, definire securus non ausim; etsi, quum posterior hæc (*per Filium*) certa atque explorata non sit, fatear me priorem præferre, utpote magis obviam magisque communem. »

Præcipua autem argumenta sunt hæc : *a*) Nomini huic in illa sententia potest hæc notio subesse. Eo quippe nomine, non modo tempus, sed etiam causa quandoque significatur. Filium autem Dei, Verbum, inquam, æternum, rerum omnium creatarum causam esse nos docuerunt Scriptores, non modo novi Testamenti, sed et veteris, sive quum omnia per ipsum creata fuisse pronuntiant, *Ps.* XXXIII, 6 (hebr.); *Prov.* VIII, 30, coll. 22-29 hebr.; *Sap.* IX, 1; *Joan.* I, 3; I *Cor.* VIII, 6; *Eph.* II, 10; *Coloss.* I, 16, 17; *Hebr.* I, 2; II, 10; sive quum ipsum nomine principio designant, *Coloss.* I, 18; *Apoc.* XXII, 13; adeoque et τὴν ἀρχὴν τῆς κτίσεως, *principium creationis*, *Apoc.* III, 14, operumque a Deo factorum, *Prov.* VIII, 22, diserte vocant. Eccur itaque hic idem Dei Filius æternumque Verbum nequiverit commemorari eoque nomine vocari, ubi ipsa rerum omnium primordia ipsamque conditionem Moyses narrare aggreditur. Præpositio ב vim quoque *per* habet, ob quam *beth auxilii* vocari solet. Sed et græco ἐν et latino *in* vis eadem quandoque est, neque in Scripturis Sacris solummodo, sed et in aliis quoque libris; quare Theophilus Antiochenus de primis Geneseos verbis hæc scripsit : Ἐν ἀρχῇ... τούτεστι, διὰ τῆς ἀρχῆς, *in principio*,... *id est, per principium*. *b*) Aliam rationem suggerunt ea quæ deinceps in hoc eodem Geneseos capite sequuntur. Moyses enim narratione sua persequens cætera Dei opera, quibus is materiam de nihilo creatam in varias rerum formas digessit, scribit ea facta fuisse *Deo dicente*, singulis operibus verba illa præscribens : « Dixit Deus. » Jam vero, inquit Augustinus, « Patre loquente dicitur Verbum, quod Filius est, » *De Gen. ad litter.* lib. I, cap. V. Si itaque Moyses narravit Deum per Filium materiam digessisse, veri prorsus simile videtur eumdem narrasse etiam ipsam materiam per Filium a Deo fuisse productam, quum non minus productio hæc, quam dispositio illa, Filii opus fuerit. Cf. Augustinum, *De Gen. ad litt.* lib. I, cap. III, § 8. *c*) *Prov.* VIII, 21, Sapientiæ nomine divina ὑπόστασις, hoc est, Dei Filius, loquens inducitur, qui et a Paulo *Sapientia* vocatur, I *Cor.* I, 24, 30. Commemorat Sapientia, Filius inquam Dei, opera creatoris, seque simul vocat « principium viæ ejus. » Ut autem illorum operum enumerationem, quæ deinceps fit, manifeste patet exscriptam esse ex Genesi, ita vix credibile est aliunde quam ex Geneseos, desumptam fuisse appellationem. Quo semel posito Salomon quoque iis adnumerandus foret, qui senserunt *in principio* significare *in Filio*, seu *in Verbo*. *d*) Hunc vocis illius sensum a majoribus sibi traditum Judæos veteres accepisse, rite probat Drach, *De l'Harmonie entre l'Eglise et la Synagogue*, tom. I, pag. 286. *e*) Quinam Patres id docuerint, videre est ap. Patritium, *ibid.*, p. 27. In cæmeterio Callisti visitur titulus loculi, in quo pro usitata illa clausula : « In pace et in Christo, » hæc alia legitur : « Dormit in pace et *principio*, » apud Fabrettum, *Inscription.* pag. 553, quod adjungere poteris testimoniis Patrum. *f*) Admissa hac sententia, non concidit argumentum ex verbis illis desumptum ad refellendam creationem rerum æternam. Nam SS. Patres, scriptoresque illi Dei Filium *principium* a Moyse vocari docent, non modo quia materies universa in speciem atque ordinem per ipsum digesta est, sed etiam quia ipsam hanc materiam, quæ nihil prius fuerat, de nihilo Deus per ipsum Filium creavit. Igitur Filius Dei a Moyse *principium* dicetur non modo quia « omnia per ipsum *facta* sunt, ». nec solum quia per eum Deus « creavit, *ut essent* omnia, » sed « quia *ex nihilo* fecit illa Deus » per ipsum Verbum, quæ nihil olim fuerant; at, quæ ita de nihilo exstitere, patet ea æterna esse non posse, sed esse cœpisse.

TAB. I.

Fig. 1.



Fig. 2.



Fig. 3.



Fig. 4.



TAB. II.

Fig. 1.



A. B.

Fig. 2.



A. B.

Fig. 3.



Fig. 4.



Fig. 5.



TAB. III.

Fig. 1.



Fig. 2.



Fig. 3.



Fig. 4.



lis, vel corporalis creaturæ, quo per præsens præteritis futura succederent, tempus nullum omnino esset. Moveri autem creatum non utique posset, si non esset. Potius ergo tempus a creatura, quam creatura cœpit ex tempore; utrumque autem ex Deo. Ex ipso enim, et per ipsum, et in ipso sunt omnia. »

Quando creatum cœlum et terra? Nota, Deum creasse cœlum et terram non in tempore, sed in principio temporis, id est, in primo temporis momento, puta in primo mundi instanti. S. Basilius et Beda putant cœlum et terram non primo die, sed paulo ante primum diem, utpote ante lucem, creata esse. Verum hæc non ante, sed ipso primo die, puta initio primæ diei, antequam lux produceretur, creata esse, patet *Exodi* XX, 1.

Tertia. *Tertio* et simplicissime : « in principio, » id est ante omnia, ita ut nihil Deus crearit prius, vel ante cœlum et terram. Sic *Joannis* cap. I, vers: 1, dicitur : « In principio erat Verbum, » quasi diceret : Ante omnia, puta ab æterno erat Verbum. Hunc sensum adfert quoque S. Augustinus supra.

Uterque hic sensus genuinus est et litteralis, et ex secundo contra Platonem, Aristotelem et alios patet mundum non esse æternum. Ex tertio patet angelos non ante mundum corporeum, sed simul cum eo a Deo creatos esse, uti docet Concilium Lateranense inferius citandum.

Quarta. Tribus hisce alias explicationes addunt veteres. *Quarto* ergo, « in principio, » id est in principatu, seu in potentia regia (hanc enim significat quoque Græcum ἀρχή, unde ἄρχοντες vocantur principes et magistratus), Deus fecit cœlum et terram, inquit Tertullianus, lib. *Contra Hermogenem*. Sic et Procopius : « Deus, inquit, qui est Rex regum, et planissime sui juris existens, nec aliunde pendens, cunctaque pro suo arbitrio administrans, excitavit hoc universum simul cum speciebus et formis; imo et materiam ipse deprompsit, nec aliunde eam mutuatus est. »

Quinta. *Quinto*, Aquila pro *in principio*, vertit, *in capite*, id est summatim, simul omnia comprehensim, seu acervatim. Deus enim creans cœlum et terram, in iis simul quasi reliqua omnia creavit summatim ; ex iis enim cætera postmodum efformavit. Hebræum enim *rescit*, id est principium, deducitur a ראש *ros*, id est caput.

Sexta. *Sexto*, S. Ambrosius et S. Basilius, homil. 1 *Hexam.*: « In principio, » inquiunt, id est in momento, citra omnem, etiam minimam temporis morulam, nam impartibile est principium. Sicut enim principium viæ non est via, sic principium temporis non est tempus, sed instans.

Septima. *Septimo*, « in principio, » id est ut res principales, præstantiores et primordiales. Ita S. Ambrosius, Procopius et Beda.

Octava. *Octavo*, « in principio, » id est prima, tanquam fundamenta et bases universi, inquit S. Basilius et Procopius. Sic dicitur : « Principium sapientiæ timor Domini ; » est enim timor fundamentum sapientiæ, et primus ad eam gradus.

Nona. Denique Junilius hic : τὸ, inquit, *in principio* notat Dei æternitatem et omnipotentiam. « Quem enim in principio temporum mundum creasse perhibet, ipsum profecto ante tempora æternaliter extitisse designatur : et quem ipso conditionis initio cœlum et terram creasse narrat, tanta celeritate operationis omnipotentem esse declarat. »

Creavit Unde? CREAVIT — proprie scilicet ex nihilo, ex nulla materia præexistente. Ita sancta illa mater Machabæorum, lib. II, cap. VII, ad filium : « Peto, ait, nate, ut aspicias ad cœlum et terram, et ad omnia quæ in eis sunt, et intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus. » *Secundo*, « creavit, » scilicet solus, ut ait Isaias, cap. XLIV, vers. 24, per se suamque omnipotentiam, non per angelos, utpote qui necdum erant, et etiamsi fuissent, creationis tamen non possunt esse administri. *Tertio*, « creavit » secundum ideam et exemplar, quod ab æterno mente sua conceperat. Tunc enim Deus erat

Quis? Ad quid?

Mundum mente gerens pulchrum pulcherrimus ipse,

ut canit Boetius, lib. III *De Consolat.*, metro 9. *Quarto*, creavit cœlum, non quod illo indigeret, sed quia bonus est, et quia voluit hac ratione Deus bonitatem suam mundo et hominibus communicare : decebat enim ut a bono Deo bona opera fierent, ait Plato, et ex Platone S. Augustinus, lib. XI *De Civit.*, cap. XXI. Quare pulchre idem Augustinus, I *Conf.* : « Fecisti, inquit, nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te; » et : « Cœlum et terra clamant, Domine, ut amemus te. »

Cur?

Nota : Creare apud Ciceronem et Gentiles est generare ; apud Græcos vero idem sunt creatio et conditio. Verum in S. Scriptura creare cum dicitur de iis quæ ante nullo modo exstiterunt, significat ex nihilo aliquid facere. Ita S. Cyrillus, lib. V *Thesauri*, cap. IV; S. Athanasius, in epist. quæ *Synodi Nicænæ decreta contra Arianos* inscribitur ; S. Justinus, in *Admonitorio*; Rupertus, lib. I *Gen.*, cap. III; Beda et Lyranus hic. Nam, ut docet D. Thomas, I *part.*, *Quæst.* LXI, art. 5, emanatio universalis rerum omnium non nisi ex nihilo fieri potuit.

Hieronymus ab Oleastro Hebræum ברא *bara* vertit, *divisit*. Unde sic ipse transfert, « in principio divisit Deus cœlum et terram. » Putat enim ipse Deum primo omnium creasse aquas cum terra, easque maximas et vastissimas, atque ex eis deinde produxisse cœlos (quod hic tacet et præsupponit Scriptura), ac denique eas a terra et aquis divisisse, atque hic tantum exprimi. Verum hoc figmentum ab omnibus Patribus et Doctoribus rejicitur, qui *bara* vertunt, *creavit*. Hoc enim proprie significat : nusquam enim significat *divisit*, uti sciunt hebraice docti. Nam Moses hic primam

mundi molitionem et productionem describit, ab eaque Geneseos, id est natalium mundi, historiam orditur. Loca similia quæ ex Josue et Ezechiele pro se citat Oleaster, nil probant. Ibi enim *bara* non dividere, sed succidere et destruere significat. Est enim unum ex iis quæ sunt contrariæ significationis (1).

Tropologice, tripliciter contemplandæ sunt creaturæ. *Primo*, considerando quid sint ex se, nimirum nihil, quia ex nihilo factæ sunt, et ex se in dies mutantur, et ad nihilum tendunt. *Secundo*, considerando quid sint ex dono creatoris, scilicet bonæ, pulchræ, stabiles et æternæ, itaque opificis sui imitentur stabilitatem. *Tertio*, quod Deus iis utatur ad hominum punitionem et præmiationem. Sic audimus omnem creaturam hæc tria nobis inclamantem : *Accipe, redde, fuge*; accipe beneficium, redde debitum, fuge supplicium. *Prima* vox est famulantis, *secunda* admonentis, *tertia* comminantis. Tropologia de triplici creaturarum contemplatione.

Hinc patet *primo*, error Stratonis Lampsaceni, qui mundum ingenitum fuisse, et suapte vi ab æterno exstitisse finxit. *Secundo*, error Platonis et Stoicorum, dicentium mundum a Deo quidem fuisse conditum, sed ex materia æterna et ingenita; quia hæc materia esset increata, Deoque coæterna, ac consequenter esset ipse Deus, ut recte objicit Hermogeni Tertullianus. *Tertio*, error Peripateticorum, asserentium Deum non voluntate, nec libere, sed ex naturæ necessitate ab æterno creasse mundum. *Quarto*, error Epicuri, docentis mundum fortuita atomorum coitione et conjunctione esse productum. Philosophorum errores refutantur.

Præclare S. Augustinus, lib. XI *De Civit.*, cap. III : spiritu constant, ut sunt homines, et, quæ multorum sententia est, etiam animalia, de nihilo producta vere omnino dici : horum quippe nobilior pars ac potior attenditur. Ubi prodigia a Deo patrata referuntur, verbum illud usurpari, quia hæc, ut scribit Kocherus, « per omnipotentiam Dei quasi e nihilo mirabiliter existunt; » sive quia Deus in his patrandis, illam ipsam exserit potentiam, quam in rebus de nihilo producendis, inque legibus naturæ rerum constituendis, quibus per prodigia hæc abrogatur, exserebat. Denique hoc verbum, sicut cætera omnia, in figuratis locutionibus subinde adhiberi, ut est illud *Ps.* LI : « Cor mundum בָּרָא *crea* in me Deus; » quis enim non videat translatam hic esse locutionem, atque poeticam imaginem, quæ quidem omnem suam vim depromat, si verbo בָּרָא notio sit *creare*, hoc est, *producere de nihilo*. Atque ad hujusmodi figuratas locutiones referenda sunt ea, quæ sacri vates de magnis quibusdam rerum innovationibus olim futuris tanquam de nova creatione cecinere, *Ps.* CII, 19; *Isai.* XLIII, 7, LXV, 17, 18.

Quæ vero sive ex verbis κτίζω et ποιέω, quibus Græci bibliorum scriptores aut interpretes usi sunt pro verbo בָּרָא, sive ex verbo latino *creare*, contra sententiam nostram proferri solent, aut possunt, non est cur ea moremur. Ultro enim damus, neutri harum verborum, saltem ex sua origine eam subesse notionem quam adserimus verbo בָּרָא; ea tamen pro hoc verbo reddita sunt, quia opportuniora nec Græci habent nec Latini.

Notulam claudant hæc Gesenii verba, *ibid.* : « In disputatione de creatione ex nihilo a nonnullis ad nostrum etiam vocabulum provocatum est, quasi vel ex etymo et propria significatione ejus colligi possit, non creationem ex nihilo, sed æternæ materiæ conformationem in primo Geneseos cap. doceri.... Primo autem Geneseos commate primam mundi ejusque rudis indigestique *creationem ex nihilo*, reliqua primi cap. parte molis recens creatæ *elaborationem* exponi, id rerum in tota hac sectione nexus perspicue docet. »

(1) Equidem בָּרָא forma pihel *præcidere, polire* significat, sed e forma pihel primigeniam hujus verbi notionem colligere necesse non est. « De ipsa vi ac notione formæ kal, ait Patritius, *ibid.*, pag. 4, hæc certo possumus affirmare. Forma hac verbi בָּרָא nullo modo significari rerum fictionem, dispositionem aut elaborationem, ut sentire videtur Rosenmullerus hæc scribens : *Verbum* בָּרָא *omnino eadem sumitur significatione qua* עָשָׂה *et* יָצַר; id enim iis refellimus, quæ inferius leguntur in Genesi : *Quod creavit Deus, ut faceret*, II, 3, ubi, perspicis discrimen necessario poni inter ea verba. Gesenius sane, quamvis et ipse existimet verbum בָּרָא synonymum esse verborum עָשָׂה *fecit*, et יָצַר *finxit*, quod equidem de verbo עָשָׂה aliqua ex parte vere dictum puto, quatenus etiam *creare* est aliquid *facere*, discrimen tamen inter ea esse eadem illa locutione confirmat, quam ita explicat : *Produxit faciendo, id est, fecit novi quiddam producendo*. Insuper, quod verbum בָּרָא ea forma significat, uni Deo tribui a scriptoribus sacris, et tunc solum hoc verbum adhiberi, quum Dei opera commemorantur, sive ea, quæ de nihilo producta, saltem quoad ipsorum materiam, vere dici possunt, ut sunt cœlum, terra, homines, animantia, sive prodigia, futurorum prædictiones, ac sublimiora quædam beneficia; ideoque non aliam verbo huic notionem subesse, nisi actionem aliquam unius Dei propriam. Præterea nunquam nomen aliquod materiem designans, ex qua aliquid factum sit, huic verbo annexum esse, quod tamen additur verbis עָשָׂה *fecit*, יָצַר *effinxit*; quo confirmatur בָּרָא nequaquam idem esse ac *fingere* seu *effingere*. Quantum autem ex consideratis omnibus Scripturarum sacrarum capitibus, in quibus verbum istud forma kal usurpatur, conjicere est, non male de ejus significatione sensisse dicendi sunt Gesenius et Kocherus; placet enim ac juvat, in hujusmodi quæstionibus Protestantium recentiorum præsertim auctoritatem urgere. Gesenius quidem hæc scribit : *Ex modo dictis abunde apparebit hujus verbi usum in kal a significatione primaria*, quam ex arabica lingua et ex forma pihel, male tamen, ut dictum est, repetere solent recentiores, *prorsus diversum esse, idque magis de nova rei productione, quam de conformatione et elaboratione materiæ, usurpatum esse*. Thesaur. philolog. crit. sub radice בָּרָא. Kocherus vero : *Verbum* בָּרָא *de illis, quæ per omnipotentiam Dei quasi e nihilo mirabiliter existunt, adhiberi solet*. At si verbum בָּרָא de uno Deo dicitur, et productionem significat, jam ratio est, cur dicatur ejus notio esse productio, quam unus Deus facere potest, id est, qua de nihilo aliquid creat. Cui rei, nisi confirmandæ, illustrandæ saltem illud facit, quod quum verbum בָּרָא simulque unum aliud aut plura verba in eadem sententia conjunguntur, quæ operationem aliquam designent, בָּרָא primo ponitur, inque historia ipsa creationis, adeoque ipso ejus initio, ubi primum Dei opus narratur, verbum illud adhibitum est, exinde vero alia verba. »

Quæcumque autem ex Scripturis deprompta contra hanc hujus verbi notationem regeri possunt, facile dilues, ubi hæc attendas. Res, quæ de materia conditæ atque effictæ a Deo ipso sunt, si ipsius materiæ, ex qua constant, rationem habeas, utpote de nihilo a Deo productæ, et ipsas a Deo productas de nihilo dici posse, puta corpora cœlestia, terrarum orbem, animalia, plantas hominesque ipsos, ut jam dictum est. Quæ ex materia et

« Mundus ipse, inquit, ordinatissima sua mutabilitate et mobilitate, et visibilium omnium pulcherrima specie quodammodo tacitus, et factum se esse, et non nisi a Deo ineffabiliter atque invisibiliter magno, et ineffabiliter atque invisibiliter pulchro fieri se potuisse proclamat. » Hinc omnes philosophorum scholæ quæ divinius aliquid sapuerunt, nihil esse quod tam arguat et factum esse a Deo mundum, et ejus cura administrari, consensu unico affirmant, quam aspectum ipsum mundi totius, considerationemque decoris ejus atque ordinis. Ita Plato, Stoici, Cicero, Plutarchus et Aristoteles, cujus hac de re argumentum refertur a Cicerone, lib. II *De Natura Deorum.*

Quomodo creavit? Nota : Deus creavit cœlum et terram jubendo et dicendo : Fiat cœlum et terra, ut expresse habetur IV *Esdræ,* VI, 38, et *Psalm.* XXXII, vers. 6 : « Verbo, inquit, Domini cœli firmati sunt; » unde infert S. Basilius : quia potestate, arte, libertate Deus fecit hunc mundum, eadem potest alios plures creare : rursum eadem potest mundum annihilare. Mundus enim respectu Dei est quasi stilla situlæ, et quasi gutta roris, ut dicitur *Isaiæ* XL, 15, *Sapient.* XI, 23 : hinc et Deus dicitur tribus digitis appendere molem terræ.

Objectio. Dices : Cur ergo Moses non dicit hic Deum dixisse : Fiat cœlum, sicut ait eum dixisse : Fiat lux? Respondeo, Mosen uti potius verbo « creavit » quam « dixit, » ne populus Judæorum rudis ex verbo « fiat, » conciperet materiam prævíam, cui Deus dixerit, vel ex qua cœlum et terram produxerit. Ita Rupertus, qui tres causas assignat. *Primum,* inquit, cum ipsum principium sit Dei verbum, superfluum et ineptum esset dicere : « In principio dixit Deus. » *Secundo,* quia nondum erat aliquid cui præceptum fieret. *Tertio,* dicit « creavit, » non « fiat, » ut materiæ omnis creator Deus evinceretur.

Responsio.

Hæreticorum errores. DEUS. — Errant ergo Simon Magus, Arius et alii, dicentes, quod Deus crearit Filium; Filius vero crearit Spiritum Sanctum; Spiritus Sanctus crearit angelos; angeli mundum. Errant secundo Pythagoras, Manichæi et Priscillianistæ, dicentes duo esse principia rerum, sive duos esse deos : unum bonum, conditorem spirituum; secundum malum, conditorem corporum. Pro *Deus* hebr. est אלוהים *elohim,* quod deducitur ab אל *el,* id est fortis, et אלה *ala,* id est adjuravit, obligavit, astrinxit; eo quod Deus suam potentiam, virtutem et bona omnia det et conservet creaturis; et per hoc eas sibi quasi juramento obstringat ad sui cultum, obedientiam, timorem, fidem, spem, invocationem, gratitudinem.

Vocis *Elohim* explicatio.

Elohim itaque dicitur Deus, qua creator, gubernator, judex, inspector et vindex universorum; hocque nomine Elohim utitur hic Moses, *primo,* ad hoc, ut sciant homines eumdem esse conditorem mundi et judicem, qui, sicut mundum creavit, ita et judicabit, quasi Elohim, id est judex. *Secundo,* ut sciat Dei voluntate, judicio, sapientia mundum esse conditum a Deo. *Tertio,* ut sciant cuncta ab eo in justa lance esse disposita, tributumque esse cuique rei id, quod illi quasi debebatur, videlicet quod natura illius, bonumque universi postulabat. *Quarto,* ut sciant quod, uti a Deo creatus est mundus, ita ab eodem conservetur et regatur, ut docet *Job* XXXIV, 18 et seq., et *Sapient.* XI, 23 et seq. (1).

Quocirca Aben Ezra et Rabbini dicunt Deum hic vocari *Elohim* ad declarandum ejus majestatem, tresque ejus dotes, scilicet intelligentiam, sapientiam, prudentiam, quibus ipse condidit mundum. Alii ad idearum et perfectionum multitudinem quæ in Deo sunt, Mosen respexisse putant. Nota : Deus Mosi revelavit suum nomen *Jehova.* Ante Mosen ergo Deus vocabatur *Elohim.* Unde et serpens ita Deum vocavit dicens : « Cur præcepit vobis Deus? » hebraice *Elohim.* Unde liquet, ab initio mundi Adamum et Evam Deum vocasse *Elohim.* Ita Beda.

Elohim quid? Resp. Primo. Quid ergo est *Elohim?* quid est Deus? *Primo,* Aristoteles, vel quisquis est auctor libri *De Mundo ad Alexandrum* : « Quod, inquit, in navi est gubernator, in curru auriga, in choro præcentor, in civitate lex, in exercitu imperator, hoc idem in mundo est Deus, nisi quod in illis principatus est laboriosus, perturbatus et anxius; in Deo vero est facilis, ordinatus et tranquillus. »

Secundo. *Secundo,* S. Leo, serm. 2 *De Passione* : « Deus, inquit, est, cujus natura est bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus misericordia. »

Tertio. *Tertio,* Aristoteles, vel quisquis est auctor libri *De Sapientia secundum Ægyptios,* lib. XII, cap. XIX : « Deus, inquit, est a quo sunt perpetuitas, locus et tempus, cujusque beneficio permanent; et sicut centrum circuli in seipso est, lineæ autem ab eo ductæ ad ambitum, ipseque ambitus cum punctis in eodem centro existunt : sic quoque naturæ omnes, tam quæ ad intellectum, quam quæ ad sensum pertinent, in agente primo (in Deo) consistunt et confirmantur. »

Quarto. *Quarto,* Deus est ipsa providentia rerum omnium; nam, ut ait S. Augustinus, lib. III *De Trinit.* cap. IV : « Nihil fit visibiliter et sensibiliter, quod non de interiori invisibili atque intelligibili aula summi imperatoris, aut jubeatur, aut permittatur, secundum ineffabilem justitiam præmiorum atque pœnarum, gratiarum et retributionum, in ista totius creaturæ amplissima quadam immensaque republica. »

Quinto. *Quinto,* idem S. Augustinus : Si videris, inquit,

(1) אלוהים plurali nominis אלוה, a rad. אלה *coluit, adoravit,* proprie *omne quod colitur, adoratur.* Singularis tamen nonnisi in stylo poetico et in serioribus vet. Test. libris usurpatur. Alias fere de uno vero Deo vet. Test. Scriptores uti solent plurali, pro ea Hebræi sermonis proprietate, qua pluralis, tam masculinus, quam femininus, usurpari potest de *una* re, quæ in suo genere magna est et quodammodo excellens, ut ימים *maria,* pro *mari magno.*

bonum angelum, bonum hominem, bonum cœlum; tolle angelum, hominem, cœlum; et quod reliquum est, bonorum essentia est, id est Deus : hinc

Sexto. *Sexto*, rex quidam Gentilis dixit Deum esse tenebras post omne lumen, eumque mentis ignorantia cognosci.

Septimo. *Septimo, Elohim* est, qui attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter, ut ait Sapiens.

Octavo. *Octavo, Elohim* est, in quo vivimus, movemur et sumus; *Actor.* XVII, 28.

Nono. *Nono*, « Deus, ait S. Augustinus in *Medit.*, est quem nec mens attingit, quia incomprehensibilis; nec intellectus, quia investigabilis; nec sensus percipit, quia invisibilis; nec lingua enuntiat, quia ineffabilis; nec scriptura explicat, quia inexplicabilis. »

Decimo. *Decimo*, « Deus, ait S. Nazianzenus, tract. *De Fide*, est quod, cum dicitur, non potest dici; cum æstimatur, non potest æstimari; cum definitur, ipsa definitione crescit; quia cœlum manu sua cooperit, pugno omnem mundi ambitum concludit : quem omnia nesciunt, et metuendo sciunt : cujus nomini et virtuti famulatur hic orbis, et ipsa elementorum sibi succedentium momentanea vicissitudo testimonium perhibet. »

Undecimo. *Undecimo*, « Deus est qui tribus digitis appendit molem terræ, qui mensus est pugillo aquas, et cœlos palmo ponderavit. Ecce gentes (coram eo) quasi stilla situlæ, et quasi momentum stateræ reputatæ sunt, insulæ quasi pulvis exiguus. Et Libanus non sufficiet ad succendendum, et animalia ejus non sufficient ad holocaustum. Qui sedet super gyrum terræ, et habitatores ejus sunt quasi locustæ, *Isaiæ* cap. XL, vers. 12, 15, 22.

Duodecimo. *Duodecimo*, Deus est de quo ait Sapiens cap. XI, vers. 23 : « Tanquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum, et tanquam gutta roris antelucani quæ descendit in terram. »

Decimo-tertio. *Decimo tertio*, « Materia subtilior est aer, aere anima, anima mens, mente ipse Deus, » ait Mercurius Trismegistus.

Nota : *Elohim* est numeri pluralis, in singulari enim dicitur *Eloah*. Hujus rei causa est : *Primo*, quod Hebræi res magnas et magnates honoris causa compellant numero plurali : uti faciunt et Latini, dicentes v. g. Nos Philippus rex Hisp. Sic *Job* XL, 10, elephas vocatur *Behemoth*, id est bestiæ, quia propter magnitudinem corporis et virium, est instar multarum bestiarum, ut docent Hebræi.

Secundo, plurale *Elohim* significat plurimam, summam et immensam Dei fortitudinem et potentiam creandi, gubernandi et judicandi.

Tertio, Elohim plurale innuit in Deo pluralitatem personarum, sicut unitas essentiæ in Deo innuitur per verbum singulare ברא *bara*, id est creavit, ut contra Cajetanum et Abulensem docent Lyranus, Burgensis, Galatinus, Eugubinus, Catharinus, Magister et Scholastici lib. II *Sent.*, dist. 1.

Quatuor causæ creationis. Hæ itaque sunt quatuor causæ creationis et creaturarum, puta cœli et terræ : scilicet materialis est nihilum; formalis est forma cœli et terræ; efficiens est Deus; finalis est bonum, non Dei, sed nostrum. Creaturæ ergo omnes per totam æternitatem latuerunt in suo nihilo, et in suis ideis in mente divina, sed in tempore productæ sunt propter hominem. Deus enim, qui per omnem suam æternitatem in seipso fuerat beatissimus, in nullo modo beatior aut ditior effectus est; sed per eas volebat se effundere in creaturas et hominem, sicut mare redundans seipsum in littus effundit.

Condidit ergo Deus mundum ad hoc, *primo*, ut homini regiam domum, imo regnum præpararet; *secundo*, ut eidem theatrum rerum omnium, ac paradisum voluptatum quarumlibet exhiberet; *tertio*, ut librum ei præberet, in quo ipse Creatorem suum videret et legeret.

Variæ explicationes vocum cœli et terræ. Prima sententia. COELUM ET TERRAM. — *Primo*, S. Augustinus, lib. I *De Genes. contra Manichæos*, cap. VII : Cœlum et terra, inquit, hic vocantur materia prima, eo quod ex illa cœlum die secundo, et terra die tertio producenda esset; sed non est probabile materiam solam sine forma creatam esse, nec talis vocari posset cœlum. Audi ipsum Augustinum : « Informis, ait, illa materia, quam de nihilo fecit Deus, appellata est primo cœlum et terra, non quia jam hoc erat, sed quia hoc esse poterat. Nam et cœlum scribitur postea factum : quemadmodum si semen arboris considerantes, dicamus ibi esse radices, et robur, et ramos, et fructus, et folia : non quia jam sunt, sed quia inde futura sunt. » Verum idem Augustinus, lib. I *De Genes. ad litter.*, cap. XIV, addit hanc materiam eodem instanti temporis fuisse sua forma donatam et ornatam. Itaque hic ejus creationem tantum nominari, quia natura, non tempore, suam formam antecessit. Huic vicina est Gregorii Nysseni expositio, qui per cœlum et terram accipit chaos una universali, communi rudique forma congestum, ex quo elicienda essent corpora cœlestia et elementaria cuncta (1).

(1) Ita et Patritius, l. cit., cujus hæc sunt verba : Manifestum verba illa (fecit cœlum) de cœlestium corporum ipsiusve cœli conformationem (de qua infra agetur) dicta esse non posse. Hæc autem satis sunt, cur dicamus neque nomine terræ in hoc eodem versiculo designari orbem ipsum ea forma quam habet, et ad quam potius tertia die conflictus fuisse putandus est. Quare cum conjunctis cœli terræque nominibus rerum universitatem Hebræi soleant appellare, in illa autem Mosis sententia nequeant nomina hæc res universas conformatas designare, ipsam harum *materiem* significare ea dicenda sunt.

Nomen שמים, cœli, non quod vulgo credunt, duale, sed plurale, pro שמיים, ex שמיים a singul. שמי *altus* : ita Schroederus et Gesenius.

Secunda. *Secundo*, idem Augustinus, lib. XI *De Civitate*. cap. IX, per cœlum accipit angelos, per terram vero materiam primam informem. Sed prius est mysticum, posterius pariter improbabile.

Tertia. *Tertio*, Pererius, Gregorius de Valentia, tractatu *De Opere sex dierum*, et alii probabiliter per cœlum intelligunt omnes orbes cœlestes; per terram vero terram ipsam cum aqua, igne et aere vicino, quasi primo mundi die Deus omnes orbes cœlestes et elementares creaverit, eosque sequentibus quinque diebus motu, luce, astris, influentiis et intelligentiis motoribus tantum exornaverit.

Sententia auctoris explicatur et probatur. *Quarto*, maxime probabile est per cœlum hic intelligi primum et summum, scilicet empyreum, quod Paulus vocat cœlum tertium, David cœlum cœli, quodque sedes est Beatorum, uti passim omnes docent contra Eugubinum, qui putat cœlum empyreum non esse corpus cœleste, sed esse claritatem quamdam increatam, cujus visione reddantur animæ beatæ; claritatem, inquam, ex Dei essentia manantem. Primo itaque die Deus ex cœlis tantum creavit cœlum empyreum, illudque omni suo decore exornavit et perfecit. Ad hoc enim inhabitandum in æternum, creati sunt postea angeli et homines. Et hoc ab omni ævo fideles vocant cœlum, ut, si roges eos, quo cupiant ire post hanc vitam, mox dicant, in cœlum, scilicet empyreum, ut ibi sint felices et beati. Unde S. Chrysostomus hic *hom.* 2 : « Deus, ait, præter humanum morem suum perficiens ædificium, prius cœlum extendit, postea et terram substernit : prius culmen, et postea fundamentum; » culmen enim fabricæ mundi est cœlum, non sidereum, sed empyreum. Et S. Basilius, hom. 1 *Hexam.*, ait, « cœlum et terram quasi fundamenta quædam, et bases fulcrales universi, prius jacta fuisse et præstructa. »

Probatur hæc sententia *primo*, quia firmamentum, id est cœlum octavum et orbes vicini, non tantum ornati, sed re ipsa facti et creati sunt die secundo, ut patet vers. 6 : ergo non primo. Cœlum ergo primo die creatum non est aliud quam empyreum. Est hæc sententia B. Clementis, accepta ex ore S. Petri, ut ipse ait lib. I *Recognit.*; Origenis hic, *hom.* 1; Theodoreti, Alcuini, Rabani, Lyrani, Philonis, lib. *De Mundi opificio*, S. Hilarii in *Psal.* CXXXV, Theophili Antiocheni *ad Autolycum* lib. II, Junilii, Bedæ, Abulensis, Catharini, Strabi in *Glossa ordin.*, hic; S. Anselmi, lib. I *De Imagine mundi*, cap. XXVIII; S. Bonaventuræ, in II, dist. XII; Ruperti, lib. I *in Genes.* cap. VI; Gullielmi Parisiensis, I part. I *de Universo* cap. XXXI et XL; Alexandri Alensis, part. II *Summæ Theologicæ*, quæst. XIV, memb. II; Hugonis Victorini in *Sentent.* tract. II, cap. I; Brunonis Carthusiani Patriarchæ, lib. I *De Novis*, cap. II; Lud. Molinæ I *part.*, Quæst. LXXXVI, sub initium operis primæ diei mundi, et aliorum; adeo ut S. Bonaventura hanc sententiam asserat esse communiorem, Catharinus vero esse verissimam. *Secundo*, hæc sententia pluribus probabitur proximo paragrapho.

Quomodo abyssus creata sit cum terra, explicatur et probatur. ET TERRAM. — Puta globum terræ cum abysso, ut sequitur, id est aquarum mole, terræ infusa et superfusa, seseque porrigente usque ad cœlum empyreum. Hæc ergo tria primo omnium creata sunt, scilicet cœlum empyreum, terra et abyssus, id est aquarum moles omnia occupans a cœlo empyreo usque ad terram; ex qua abysso, sive aqua, partim extenuata, partim densata atque solidata, facti sunt cœli omnes, sive firmamentum die secundo, et omnia astra die quarto : perinde ac ex aqua conglaciata fit crystallus. Est hæc sententia S. Petri et Clementis, lib. I *Recog.* circa medium; S. Basilii homil. 1 *Hexam.*; Bedæ, Molinæ, I parte, tract. *De Opere sex dierum*, sub initium, et aliorum plurium quos citabo versu 6.

Probatur hæc sententia *primo*, quia cœlum hic intelligitur non sidereum, sed empyreum, ut dixi; inter hoc autem et terram non fuit vacuum : hoc enim inane fuisset ingens et immane, atque contra naturam. Fuit ergo inter empyreum et terram corpus aliquod, aqua scilicet; vel, ut Moses ait, abyssus, id est sine fundo aqua, impenetrabilis, immensa, ut recte infert Beda et alii.

Secundo, quia secundo die factum est firmamentum ad hoc, ut aquas superas ab inferis divideret : ergo antea, puta primo die, omnia supera et infera plena erant aquis.

Tertio, quia ideo dicitur quod spiritus Domini ferebatur super aquas, non super terram, ut mox dicam.

Quarto, id magis patebit vers. 6; imo ideo vers. 6, cœli hebraice vocantur *scamaim*, quasi dicas *scam maim*, id est *ibi aquæ*; eo quod ante cœlos omnia plena essent aquis, ex quibus facti sunt cœli et firmamentum, ad dividendum aquas superas ab inferis.

Materiam cœlorum et sublunarium ejusdem esse speciei. Atque hinc consequitur veriorem esse sententiam eorum, qui censent eamdem esse materiam cœlorum et sublunarium, eamque corruptibilem : tam enim cœli, quam sublunaria, facta sunt ex eadem aquarum abysso. Ita docent Clemens Romanus, Hippolytus, Severianus, Gennadius, Acacius in *Catena Græcorum*, Theodoretus hic Quæst. XI, Hieronymus *ad Oceanum*, Cyrillus Hierosol. *Catech.* 3 et 9, Ludovicus Molina, et alii. Errat enim Averroes, et post eum Gabriel et Capreolus, dicentes cœlos esse corpora simplicia, et carere materia. Porro terra a Deo creata locata est in medio universi, ibique firma consistit : tum quia voluntas et potentia Dei eam quasi pilam in medio aere suspensam constanter tenet et firmat, juxta illud quod ait Sapientia æterna *Proverb.* VIII : « Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens; » tum ex physica ratione, quia scilicet terra inter creata est gravissima, ideoque imum poscit locum : in eo ergo, quasi sibi connaturali, conquiescit. Si

enim ex eo moveretur quamcumque in partem, necessario deberet ascendere et ferri sursum. Hoc autem est contra ejus naturam. Audi S. Basilium, hom. 1 *Hexam.*: « Quidam interpretes naturæ terram persistere immobilem tales ob causas contendunt, nimirum quod mediam regionem universi occupaverit, quodque æqualem undequaque ad extrema elongationem sortita, non jam habeat in quam potius devergat partem, aut se acclinet. Cum enim similis parva æqualitas omni ex parte ipsam ambiens, impossibilem inclinationem inducat ipsi terræ in unam aliquam partem, necessario in seipsa permanet. » Præclare S. Chrysostomus, homil. *De Jejuniis*, et *Geneseos lectione*, tom. I : « Patriam, inquit, tibi et nutricem, et matrem, et mensam, et domum posuit terram; sed et sepulcrum tibi hanc eamdem dedit : nam et corpora nostra ex ipsa sunt, et ex ipsa etiam corporum nutrimenta, et ex ipsa quoque et in ipsa nostra habitatio est, et post mortem in ipsam rursum redimus. »

Quando creati sint angeli?

Quæres : ubi et quando creati sunt angeli? Putarunt aliqui eos creatos esse ante mundum : ita senserunt Origenes, Basilius, Nazianzenus, Ambrosius, Hieronymus, Hilarius. Alii putarunt eos creatos esse post mundum; ita senserunt Acacius et Gennadius in *Catena*. Verum dico eos simul cum mundo in principio temporis esse conditos, idque in cœlo empyreo : sunt enim ejus cives et incolæ; ita cum S. Augustino, Gregorio, Ruperto, Beda docent Magister et Scholastici. Unde S. Nazianzenus, orat. *in Christi nativitatem* : « Angeli, ait, prodierunt a Deo sicut radii a sole; » et, ut ait S. Gregorius, lib. XXXI *Moral.* cap. XIX, « eruperunt tanquam scintillæ a silice. » Imo Concilium Lateranense, sub Innocentio III : « Firma, inquit, fide credendum est Deum ab initio temporis simul utramque de nihilo condidisse creaturam : spiritualem et corpoream, angelicam et mundanam. » Quæ verba licet D. Thomas et aliqui alii putent aliter accipi posse, scilicet quasi obiter dicta de angelis, proprie vero dicta contra Origenem, qui censuit animas creatas esse ante corpora : tamen nimis diserta et clara videntur, quam ut alio torqueri possint : unde videtur hæc nostra sententia jam non tantum esse probabilis, sed et certa de fide; hoc enim asserit et definit ipsum Concilium.

Quare Moses non meminit creationis angelorum?

Nota : Moses non meminit creationis angelorum, quia scribebat rudibus et crassis Judæis, iisque ad idololatriam pronis, qui facile angelos pro diis coluissent : tacite tamen eos insinuat cap. II, 1, cum ait : « Perfecti igitur sunt cœli, et omnis ornatus eorum : » ornatus enim cœlorum, sunt stellæ et angeli. Hæc ergo est vasta bellaque mundi, puta cœli et terræ, machina, quam magnus ille rerum opifex cum initio temporis, in momento ex nihilo produxit. Præclare Secundus philosophus, interrogatus ab Adriano imperatore, uti ex *Chronicis Martinianis* refert Jacobus Middendorpius in *Quæst. Theolog. et Polit.*, pag. 474 : « Quid est mundus? » respondit : « Incessabilis circuitus, æternus tenor. Quid est Deus? Immortalis mens, incogitabilis inquisitio, omnia continens. Quid est Oceanus? Mundi amplexus, hospitium fluviorum, fons imbrium. Quid Terra? Basis cœli, meditullium mundi, fructuum mater, viventium nutrix. » Epictetus vero : « Terra, inquit, est Cereris horreum, cellarium vitæ.

Vers. 2. Quare terra vacua?

2. TERRA AUTEM ERAT INANIS ET VACUA. — Hebraice est, *terra erat* תהו ובהו *tohu vovahu*, id est terra erat solitudo, sive inane et vacuum : quia terra erat vacua hominibus et jumentis, ut vertit Jonathas Chaldæus; rursum erat vacua plantis, animalibus, seminibus, gramine, luce, decore, fluminibus, fontibus, montibus, vallibus, campis, collibus, metallis et mineralibus, ad quæ naturalem quasi inclinationem habet (1). Hinc *Sapient.* XI, dicitur : quod Deus « creavit orbem (id est res et species orbis) ex materia invisa, » græce ἀμόρφου, id est informi, inornata, incomposita. Unde LXX hic vertunt, *terra erat invisibilis et incomposita*; Aquila, *terra erat vanitas et nihil*; Symmachus, *terra erat otiosa et indigesta*; Theodotion, *terra erat inane et nihilum*; Onkelos, *terra erat desolata et vacua*. Erat enim terra cum aquarum abysso sibi superfusa quasi chaos quoddam inane, rude et indigestum, de quo Ovidius :

> Unus erat toto naturæ vultus in orbe,
> Quem dixere chaos, rudis indigestaque moles;
> Nec quidquam nisi pondus iners, congestaque eodem
> Non bene junctarum discordia semina rerum.

Quare improbabile est quod censent Gabriel in II, dist. 12, q. 1, et Marsilius ibidem, chaos hoc, sive, ut Sapiens loquitur, materiam informem, fuisse materiam primam, vel solam; vel certe informatam tantum forma quadam rudi, obscura, generali et communi corporeitatis, ita ut tantum esset in potentia ad omnes particulares formas suscipiendas, ut censuit Abulensis. Ex hoc enim Mosis locò constat, primitus fuisse creatam terram et cœlum; ergo materia primitus creata non fuit formæ expers, sed particulari cœli et terræ forma induta et imbuta.

Cur non simul creata et exornata?

Quæres : Cur Deus cœlum et terram creans primo die, illa simul non plene et perfecte exornavit? Respondeo : *Prima* causa est ejus sancta voluntas : congruentia est quod natura (cujus conditor est Deus) ab imperfectis ad perfecta procedat. *Secunda* est, ut discamus res omnes a Deo pendere tam quoad inchoationem, quam quoad exornationem et perfectionem, nihilque in rebus creatis esse tam imperfectum excluso peccato, cujus non sit auctor Deus. *Tertia* est, ne, si omnia a principio perfecta legerentur, increata putaren-

(1) Rursum, terræ informem incultamque molem aquarum obtegebat vorago, fluctibusque immensis atra nox erat effusa.

tur, inquit S. Ambrosius, lib. I *Hexam.* cap. VII. *Quarta* est, ut nos ad imitationem divini operis eumdem in operando et proficiendo ordinem servarémus, ait idem Ambrosius.

ET TENEBRÆ ERANT SUPER FACIEM ABYSSI. — Puta super aquas et molem aquarum, quæ quasi abyssus terram operiebat, seseque porrigebat usque ad cœlum empyreum, uti dixi vers. 1; ἀβύσσος enim vocatur id quod fundo caret, sive profundum sine fundo, et, ut ait Eustathius : « Abyssus est aqua nimia infinitum habens profundum. » Itaque antequam lux crearetur, obscuritas et caligo omnia occupabat, de qua Dominus, *Job* XXXVIII, 9 : « Ubi eras, inquit, cum caligine illud (mare) quasi pannis infantiæ obvolverem? » Porro faciem Hebræi vocant superficiem tam extimam quam intimam, quasi dicat : Tota terra et abyssus hæc aquarum nihil omnino habebat lucis, hinc et nihil coloris; sed tota quanta quanta, tam interius quam exterius, ubique obscura erat, caliginosa et decolor. Quare minus verum videtur quod censet S. Basilius, homil. 2 *Hexam.* tenebras has fuisse umbram cœlorum : « Ut sit umbra, inquit, tria concurrant oportet : lux, corpus objectum luci, locus luminis expers. Tenebræ igitur illæ mundo circumfusæ, propter cœlestis corporis umbram subortæ sunt. » Nam tenebræ hæ fuerunt antequam lux a Deo produceretur : ergo non potuerunt oriri ex umbra cœlorum. Umbra enim fit, eo quod corpus interjiciatur inter lucem et locum umbrosum. Tunc autem nulla erat lux in mundo.

Quid byssusa?

SPIRITUS DOMINI, — id est angelus, ait Cajetanus; melius Hebræi, Theodoretus, et Tertullianus *Contra Hermogenem,* cap. XXXII : Spiritus Domini, inquiunt, est ventus a Deo excitatus. *Tertio,* optime et plenissime, Spiritus Domini est Spiritus Sanctus a Deo Patre et Filio procedens, suaque vi, præsentia et potentia ventum et auram calidam aspirans aquis. Ita S. Hieronymus, Basilius, Theodoretus, Athanasius, et pene omnes alii Patres, qui hinc probant divinitatem Spiritus Sancti (1).

Quis spiritus hic intelligatur?

FEREBATUR. — Nove Cajetanus hæc uti et alia multa sic explicat : « Spiritus Domini, » id est angelus, « ferebatur » et movebat aquas, id est cœlum crystallinum et omnes alios cœlos, qui hebraice *scamaim,* id est aquæ nominantur.

Ferebatur ex hebræo explicatur contra Cajetanum.

Verum nota : Pro *ferebatur,* hebraice est מרחפת *merachephet,* quod teste S. Basilio, Diodoro et Hieronymo in *Quæst. hebr. in Genesin,* est volucrum, dum super ova et pullos, quasi pendulæ leniter agitatione alarum se librant, motitant et volitant (unde Arabica Biblia habent, *volitabat, ut ales se gerebat,* alis *se movebat*; Chaldaica vero, *insufflabat*), iisque deinde incubant, calorem aspirant, fovent et animant. Pari modo Spiritus Sanctus superferebatur, vel, ut Tertullianus legit, *supervectabatur* aquis, non loco aut motu, sed omnia superante ac præcellente potentia, sicut superfertur rebus fabricandis voluntas et idea artificis, inquit S. Augustinus lib. I *De Genesi ad litt.* cap. VII. Hac ergo voluntate ac potentia sua, cum aura calida quam a se spargebat, aquis quasi incubabat Spiritus Sanctus, eisque vim prolificam indebat, ut reptilia, volatilia, pisces et germina, imo cœli omnes ex aquis producerentur (2).

Hinc Ecclesia in benedictione fontium Spiritui Sancto accinit : « Tu super aquas foturus eas ferebaris; » et Marius Victor :

> Et sacer extensis impendens Spiritus undis
> Altrices animabat aquas, dans semina rerum.

Hunc spiritum aquas omniaque vegetantem, Plato dixit esse animam mundi. Unde Virgilius, lib. VI *Æneid.*:

> Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
> Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.

Allegorice, hic Significatur Spiritus Sanctus aquis baptismi quasi incubans, iisque nos parturiens et regenerans, inquit S. Hieronymus epist. 83 *ad Oceanum.* *Allegor.*

3. DIXITQUE DEUS — verbo, non oris, sed mentis, eoque non rationali, sed essentiali, et communi tribus personis. « Dixit » ergo, id est, in mente concepit, voluit, decrevit, imperavit efficaciter, atque imperando reipsa effecit et produxit Deus, puta ipsa sanctissima Trinitas, lucem : Dei enim velle est facere, inquit S. Athanasius, serm. 3 *Contra Arianos* (3). Appropriatur tamen vox *dixit* Filio. Unde alibi sæpe dicit S. Scriptura, per Filium, scilicet quasi Verbum et ideam, omnia esse condita, quia nimirum ipse Filius notionale et proprie dictum est Verbum, ac consequenter ipsi appropriatur sapientia, ars, idea; sicut Patri potentia, Spiritui Sancto vero bonitas attribuitur. *Vers. 3. Quo verbo dixerit?*

Denique dixit hæc Deus post creatum cœlum,

(1) Rosenmullerus ad h. l. « Præstat igitur *Spiritus Domini* hoc loco accipere (non de vento, sed) de ἐνεργείᾳ illa et vi divina, qua moveri cuncta et vivificari opinata est prisca illa philosophia. » At *vis illa divina* quæ mundi hujus molem rudem adhuc, et suis quasi secundinis involutam, calore vivifico animat atque tanquam ad maturitatem promovet, nonne est Spiritus Sanctus? Conf. *Officium Pentecostes.* Vid. quoque Drach, op. cit. I, pag. 303.

(2) Verbi רחף notio primitiva est, *tener, mollis fuit, liquefactus præ mollitie,* Jerem. XXIII, 9. Tum usurpatur de avibus cum molli fotu pullis *incubant.* Hac notione hic transfertur et applicatur Spiritui Sancto calore vivifico omnia animanti.

(3) Jam quæ in rudi ista indigestaque mole confusa et mixta jacebant, secernere et ordinare incipit Deus. *Et dixit Deus.* « A veteribus Hebræis, ait Clericus, propter nexum cogitationum et verborum, qui tantus est, ut etiam taciti cogitationes, quas animo versamus, verbis vestiamus, sæpe *animi consilia,* sermone licet nequaquam indicata, voce אמר, *dixit,* exprimuntur. Ita *Exod.* II, 14 : An occidere me אתה אמר, *tu dicis,* h. e. σὺ θέλεις, ut habent Alexandrini. Cf. II *Sam.* XXI, 16. Græci etiam interdum eodem sensu suo φημὶ utuntur. »

terram et abyssum, sed durante adhuc eodem ipso die, qui primus erat mundi.

FIAT LUX.—Nota, in Genesi et creatione mundi ante omnia formatam esse lucem, quia lux est qualitas nobilissima, lætissima; commodissima, efficacissima et potentissima, sine qua omnia creata et creanda mansissent invisibilia. « De thesauris suis, inquit Esdras, lib. IV, cap. VI, 40, protulit lumen luminosum, quo appareret opus suum. » Vide S. Dionysium *De Divin. Nom.* part. I, cap. IV, ubi triginta quatuor proprietates lucis et ignis recenset, Deo et divinis rebus mire congruentes. Atque inter cætera docet lucem esse vivam Dei imaginem, ideoque primo a Deo creatam, ut in ea quasi in imagine se depingeret et mundo spectabilem exhiberet, juxta illud Dracontii in *Hexam.* « Principium factis lucem dat lucis origo, » puta Deus. « Ex ipso enim bono, inquit S. Dionysius, lumen est, et bonitatis imago. Itaque lucis nomine ipsum bonum celebratur, quasi in imagine exemplar expressum. Ut enim divinitatis omnia superantis bonitas, etc., omnia efficit, vivificat, continet, perficit, estque eorum quæ sunt, mensura, æternitas, numerus, ordo, complexus, causa et finis : sic etiam qui clara expressaque divinæ bonitatis imago est, magnus hic sol, totus lucens omnibus, habetque lumen per omnia diffusum, in omnem hunc mundum radiorum suorum splendorem explicans, » etc. Deus est enim increata, æterna et immensa lux, quæ cum lucem habitet inaccessibilem, omnia tamen illuminat.

Pulchram similitudinem dat S. Basilius, homil. 2 *Hexam.* : « Sicut, ait, qui in profundam aquæ voraginem oleum immittunt, ei loco conciliant et immittunt perspicuitatem, itidem et universi creator, edito mox verbo lucis amabilem et peramœnam venustatem mundo invexit. » Aliam dat S. Ambrosius, lib. I *Hexam.* cap. IX : « Unde, inquit, mundi ornatus nisi a luce exordium sumeret : frustra enim esset, si non videretur, etc. Qui ædificium aliquod dignum habitaculo patris familias struere desiderat, antequam fundamenta ponat, unde lucem et infundat, explorat; et ea prima est gratia, quæ si desit, tota domus deformi horret incultu. Lux est quæ reliquos domus commendat ornatus. » Denique Pererius censet primo creatam lucem, quia lux, inquit, generale principaleque est instrumentum causarum cœlestium, quo vis omnis siderum, omnisque defluxus et effectus ad nos defertur, ex quo uno fit in hoc nostrate mundo, quidquid a cœlo fit.

Quæ fuerit hæc lux, disputatur.

Quæres, quænam fuerit hæc lux? Respondet *primo* Catharinus fuisse solem lucidissimum; nec enim lux hæc sola, sed in subjecto, et cum subjecto creata est. Verum sol non primo die, uti lux, sed quarto demum die est productus. *Secundo,* S. Basilius, homil. 6 *Hexam.*; Theodoretus et Nazianzenus; orat. *in novam Dominicam,* putant solam lucis qualitatem hic sine subjecto fuisse creatam : qua de causa Nazianzenus lucem hanc spiritalem appellat, quod nota contra hæreticos negantes in Eucharistia accidentia sine subjecto posse existere. *Tertio* et optime, Beda, Hugo, Magister, S. Thomas, S. Bonaventura, Lyranus, Abulensis, et favet S. Dionysius supra, putant lucem hanc fuisse corpus lucidum; sive cœli, aut potius abyssi lucidam partem, quæ in circuli aut columnæ speciem conformata orbi præfulserit, quæque fuerit instar materiæ ex qua postmodum in partes distincta ac divisa, adaucta et velut in igneos globos fabricata, sol, luna et stellæ factæ fuerint. Unde S. Thomas ait hanc lucem fuisse ipsum solem adhuc informem et imperfectum. Idem asserit Pererius et alii.

Ubi nota *primo,* lucem hanc proprie non fuisse creatam, quia Deus primo die creavit omnem materiam primam, eamque substravit formæ aquarum abyssi, et ex ea deinde hanc lucem, aliasque formas, tam essentiales, quam accidentales eduxit, sicuti modo omnes formæ naturales educuntur e potentia materiæ. Deus ergo proprie primo die tantum creavit omnia creanda; reliquis vero quinque diebus non creavit, sed creata formavit et exornavit. Itaque videtur Deus lucem producturus, ex aquis abyssi condensasse instar crystalli corpus aliquod orbiculare, eique lucem hanc indidisse.

Quis fuerit usus hujus corporis lucidi?

Nota *secundo,* hoc lucidum corpus primo mundi triduo, scilicet antequam quarto die crearetur sol, ab angelo motum fuisse ex Oriente in Occidentem, atque eodem modo et tempore quo sol, scilicet viginti quatuor horis, utrumque cœli hemisphærium circumgyrasse, et illuminasse uniformiter et difformiter, uti jam facit sol. Lux enim hæc primos tres mundi dies suo motu descripsit et distinxit, sicuti cæteros deinde sol suo motu descripsit, et in dies describit et distinguit.

Tropologice.

Tropologice, Apostolus II *Corinth.* IV, 6 : « Deus, inquit, qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, » *q. d.* Uti Deus olim in Genesi produxit de tenebris lucem; ita nunc ex infidelibus nos fideles fecit, fideique luce collustravit. Sic et S. Augustinus, lib. I *Contra advers. legis,* cap. VIII; per hoc quod tenebris, sive nocti, quæ luce fuit prior, lux et dies successit; et huic successerunt rursum tenebræ, docet quid in homine fiat spiritaliter, scilicet peccato gratiam, et gratiæ peccatum, cum in illud relabimur, succedere. Vide S. Dionysium supra. Rursum lux primo omnium creata significat rectam mentis intentionem, quæ omnia nostra opera præire et dirigere debet, ait Hugo Victorinus.

Insuper lux est scientia et sapientia. Unde S. Augustinus, lib. I *De Genesi ad litt.* cap. XVII : Primo creata est lux, id est, inquit, « prior omnium creata est sapientia, » *Eccli.* I, 4. Adhæc lux est prudentia et consideratio, quæ omnes actus præire et illustrare debet, juxta illud *Psal.* IV, vers. 7 :

« Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. » Denique lux est lex et doctrina, præsertim Evangelica, juxta illud *Prov.* VI, 23 : « Mandatum lucerna est, et lex lux. » Hinc de Evangelio canit Isaias cap. IX, 2 : « Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam; habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis; » et cap. LX, 1 : « Surge, illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum et gloria Domini super te orta est. Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui. »

Symbolice, « fiat lux, » id est, fiat Angelus, ait S. Augustinus, lib. I *De Genesi ad litt.* cap. XVII, et lib. XI *De Civit.* XIX, atque ex eo Rupertus, Beda et Glossa interlinearis, qui omnes censent hunc sensum esse litteralem, quasi hic describatur creatio Angelorum sub nomine lucis. Verum hoc litterale esse nequit, quia Angeli ante lucem creati sunt, simul cum cœlo et terra. *Secundo,* idem S. Augustinus in Opere Imperfecto *super Genes.* cap. V, hæc accipit de generatione Verbi Dei ab æterno : in hoc enim conceptu mentis suæ dixit Deus Pater : « Fiat lux, » id est, fiat Verbum, quasi lumen de lumine. Unde Apostolus de eo ait *Hebr.* cap. I, vers. 3 : « Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus. » Lux enim, quia spiritualis est, cœlestis, impassibilis, lucem ex se diffundens, etc., optime repræsentat Patris æterni generationem. Verum hoc quoque symbolicum est, non litterale.

Allegorice, Christus incarnatus est lux mundi, *Joan.* VIII, 12, et cap. XIX : « Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. » Hinc idem nomen a Christo participant Apostoli, Doctores et Prædicatores, quibus ipse ait *Matth.* VI : « Vos estis lux mundi. » Qua de re præclare S. Basilius, hom. *De Pœnitentia* : « Axiomata, ait, sua Jesus largitur aliis. Lux est : Vos estis lux mundi, inquit. Sacerdos est, et facit sacerdotes. Ovis est, et dicit : Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Petra est, et petram facit (S. Petrum). Quæ sua sunt largitur servis suis. Argumentum hoc est opulenti, habere videlicet et aliis dare. Est enim (Christus) instar fontis perpetuo fluentis. »

Anagogice, lux significat lumen gloriæ et claritatem visionis beatificæ, juxta illud *Psalm.* XXXV, 20 : « In lumine tuo videbimus lumen. » Hinc Christus gloriam cœlestem in transfiguratione sua repræsentavit per lucem : « Resplenduit enim facies ejus sicut sol, » *Matth.* XVII, 2. Hinc et Angeli ac Beati dum apparent, videntur lucidi et splendidi; qua de causa pictores semper eis radios appingunt. Vide *Apocal.* XXI, 11 et 23.

Vers. 4. 4. ET VIDIT DEUS LUCEM QUOD ESSET BONA. — « Vidit, » id est, videre et cognoscere nos fecit, inquit S. Hieronymus *epist.* 15. *Secundo,* planius et simplicius, per ethopœiam a Mose inducitur hic Deus humano more quasi artifex, qui peracto opere illud contemplatur, viditque esse pulchrum et elegans : idque hoc fine, ut contra Manichæos sciamus a Deo nihil mali, sed omnia bona esse producta. Docte S. Augustinus in *Sententiis,* quæ habentur in fine tom. III; n. 141 : « Tria, ait, maxime nobis scienda de conditione creaturæ oportuit intimari : quis ea fecerit, per quid fecerit, quare fecerit? Dixit Deus, inquit : Fiat lux, et facta est lux. Et vidit Deus lucem quod bona esset. Nec auctor excellentior est Deo; nec ars efficacior est Dei verbo; nec causa melior est quam ut bonum creetur a bono. »

BONA. — Hebræum טוב *tob* significat omne bonum, pulchrum, jucundum, utile et commodum : lux enim orbi est jucundissima, æque ac utilissima. Hinc initium lucis vocatur mane, eo quod tunc manet dies ab Oriente : vel potius quod bonum antiqui vocarent manum. Quid autem melius est luce et mane? Ita Varro, Festus et B. Isidorus.

ET DIVISIT LUCEM A TENEBRIS. — Hebræa et Septuaginta habent : *Divisit inter lucem et tenebras.* Divisit *primo,* loco : nam dum hic est lux et dies, apud antipodes est nox et tenebræ. *Secundo,* tempore : nam in eodem hemisphærio vicissim, ac diverso tempore sibi succedunt lux et tenebræ, nox et dies. *Tertio,* causa : nam alia est causa lucis, scilicet corpus lucidum; alia tenebrarum, scilicet corpus opacum. Secundum maxime hic spectat Moses, *q. d.* Fecit Deus ut post creatam a se lucem, tenebræ et nox succederent. Unde sequitur : « Appellavitque lucem Diem, et tenebras Noctem. » Quomodo divisit lucem a tenebris? Primo. Secundo. Tertio.

Quæres, quando creatus sit infernus? Ludovicus Molina putat tertio die creatum esse : tertio enim die, terra ornata fuit, infernus autem est in centro terræ. Sed verius est infernum creatum esse hoc loco, primo scilicet die; nam cum Angeli celerrimi sint, et instantaneos habeant actus, omnino verisimile est eos primo die, non diu post creationem suam peccasse, ideoque statim e cœlo trusos esse in infernum, quem Deus statim post peccatum eorum, quasi carcerem et equuleum cum suo igne et sulfure eis apparavit in centro terræ. Primo ergo die, sicuti Deus lucem a tenebris, ita Angelos a dæmonibus, gratiam a peccato, gloriam a pœna, cœlum ab inferno divisit. Quomodo creatus sit infernus?

Unde allegorice, Hugo, lib. I *De Sacram.,* p. I, cap. X, et alii notant, primo die cum facta est lux et a tenebris divisa, bonos Angelos fuisse in bono et in gratia confirmatos, malos vero in malo eosque a bonis fuisse segregatos; et ita quod agebatur in mundo sensibili, erat imago illorum, quæ in mundo intelligibili agebantur. Imo S. Augustinus passim hunc sensum quasi litteralem adfert : « Divisit lucem a tenebris, » id est, inquit, Angelos a dæmonibus. Verum, ut dixi, hic sensus est allegoricus, aut potius symbolicus. Allegorice.

5. APPELLAVITQUE LUCEM DIEM, ET TENEBRAS NOCTEM. — In verbo *appellavit* est metonymia; ponitur enim signum pro re significata, *q. d.* Ef- Vers. 5.

fecit Deus ut lux pro toto tempore, quo hemisphærium illustrat, diem faceret, tenebræ vero noctem, ita ut ab hominibus lux hæc appellari posset Dies, tenebræ Nox. Ita S. Augustinus, lib. I *De Genesi contra Manichæos*, cap. IX et X.

ET FACTUM EST VESPERE ET MANE DIES UNUS. — Ex hoc loco opinatur Catharinus, lucem (quam ipse putat fuisse solem) creatam esse in altero hemisphærio, quod huic nostro, in quo conditus est Adam, oppositum est : ita ut initio mundi in altero esset lux et dies, in nostro esset nox et vespera, ut hic dicitur. Verum hoc est improbabile; cætera enim omnia in nostro hemisphærio creata sunt a Deo : ergo et lux. *Secundo*, ex hoc vers. et ex vers. 2, videtur nonnullis quod vesper, id est tenebræ, priores fuerint luce, et nox die : ita ut prima fuerit nox 12 horarum, in cujus initio creatus sit mundus; deinde successerit lux, sive dies 12 horarum : ex qua nocte et die artificiali conflatus sit primus dies naturalis 24 horarum. Atque hinc putant tam Judæos quam Ecclesiam, apposite ad primævam dierum institutionem, festos dies a vespera in vesperam celebrare. Verum improprie vespera vocatur ipsa tota nox, et mane ipsa tota dies.

Suppono tanquam verius, cœlum et terram non ante, sed ipso primo die esse creata, de quo superius dixi. Nunc dico, verius est primo quasi mane creatum fuisse mundum, tumque fuisse tenebras in orbe et abysso, quo tempore Spiritus Domini ferebatur super aquas, ut patet vers. 2. Deinde paulo post, vers. 5, post sex horas sub meridiem (tenebræ enim æque ac lux occuparunt et diviserunt primum diem) creatam fuisse lucem in medio cœli, vel totius abyssi, quæ peracto suo motu 6 horarum, quibus a medio cœli ad occasum declinavit, effecit vesperam, quasi sui terminum; ita ut tam tenebræ, quam lux simul juncta, non amplius quam duodecim horas durarint : creata est enim lux perfecta in meridie, uti dixi : inde secuta est nox pariter 12 horarum, cujus terminus est mane. Moses enim hic diem et noctem per sui terminum vocat, Vespere et Mane, *q. d.* Decurso jam diei curriculo (quod fuit 12 horarum) per succedentem vesperam, et peracto quoque noctis spatio (quod pariter 12 horarum est) per succedens illi mane, completus est dies primus 24 horarum : ita Ægidius Romanus, I part. *Hexam.* VI. Si quis malit lucem summo mane in Oriente creatam esse, ab eaque cœpisse primum diem, hic cum Pererio et Abulensi dicat necesse est, cœlum et terram ante primum diem creata esse, fuisseque tempus ante primum diem, quo Spiritus Domini ferebatur super aquas, durantibus tenebris.

Lux creata est in meridie : tunc enim est perfecta.

DIES UNUS. — « Unus, » id est primus, ut patet ex vers. 8 et 13. Sic dies, quam Joannes XX, 1, vocat « unam sabbati, » Matthæus XXVIII, 1, vocat « primam sabbati. » Hebræi enim sæpe numeros cardinales sumunt pro ordinalibus. Fuit hæc prima mundi dies Dominica : nam septima ab ea fuit sabbatum. Tredecim Dominicæ prærogativas vide apud Pererium in fine operis primæ diei.

Dies Dominicus fuit primus dies mundi.

Nota, S. Augustinus, lib. IV *De Gen. ad litt.*, a cap. XXII ad finem libri, et clare lib. XI *De Civit.* cap. VII, hosce dies vult mystice esse intelligendos; videtur enim ipse opinari omnia simul a Deo creata esse primo die, Mosen vero per sex creationis dies, intelligere varias angelorum cognitiones, earumque modos et objecta, v. g. quod *primus* dies sit cognitio, qua tam se, quam cœlum et terram cognoscunt angeli; *secundus* sit cognitio, qua cognoscunt firmamentum dividens aquas ab aquis; *tertius* sit ea, qua cognoscunt germina et plantas; *quartus*, qua solem et sidera; *quintus*, qua pisces et aves; *sextus*, qua animalia et homines, quæ sexto die creata sunt, cognoscunt. Idem docet Philo lib. I *Allegor.* Verum contrarium docent omnes alii Patres, idque omnino evincit simplex et historica narratio Mosis. Vide can. I. Quare jam erroneum est dicere, omnia uno die esse producta, licet id senserit Cajetanus et Melchior Canus, quem citat Bannes I *p. Q.* 74, art. 2; S. Augustinus ergo dubie, et disputando loquitur in quæstione, ut ipse ait, tunc difficillima, nec satis seipsum explicat, an hæc adferat pro mystico, an pro litterali sensu.

Non omnia uno die esse creata, quod videtur sensisse S. Augustinus.

Dices : *Eccli.* cap. XVIII, 1, dicitur : « Qui vivit in æternum creavit omnia simul, » ergo non successive per sex dies. Respondeo : Vox *simul* referenda est non ad « creavit, » sed ad « omnia, » *q. d.* Creavit Deus omnia simul, id est omnia pariter, nullo excepto; nihil est, nihil existit quod non creaverit Deus. Unde pro *simul*, in Græco est κοινῇ, id est communiter.

Pari modo S. Augustinus per vesperam accipit cognitionem angelorum obscuriorem, qua res cognoscunt in seipsis; per mane, vel matutinam cognitionem accipit perfectiorem, qua angeli cognoscunt res in Deo Deique verbo; nam, ut ait ipse lib. XI *De Civit.* cap. VII, scientia creaturæ comparatione creatoris quasi vesperascit; lucescit vero et mane fit, cum tam ad lucem quam ad laudem et dilectionem creatoris ipsa refertur. Hæc vera et pia sunt; sed mystica, non litteralia.

Moraliter S. Chrysostomus, homil. *Quod homo prælatus sit omni creaturæ*, tomo I, acres homini ex die, luce aliisque creaturis ad Deo serviendum adhibet stimulos. « Tibi, ait, cœlum in die lucis splendore vestitur et solis fulgoribus decoratur : in nocte clarissimo lunæ speculo, et astrorum vario fulgore polus ipse illustratur; ut diei noctisque vicissitudine et numerositas temporum dignoscatur, et post diurnum laborem requies miseris mortalibus præbeatur. Tibi tempora alternis vicibus immutantur, frondescunt silvæ, amœnantur campi, prata virescunt, animantia fœtus edunt, scatent fontes, amnes fluunt, » etc. « Quid si tibi universa natura constanter ediceret : Ego tibi a

Domino rerum parere præcepta sum : pareo, obtempero, servio, et cum mutato non mutor. Pareo, inquam, rebelli, obtempero procaci, deservio contemptori, » etc. « Quis talis es, qui in hoc contemptu consistis? qui creaturæ imperas, et creatori non servis? qui dominatum exerces, et dominum non agnoscis? Time Dominum patientem, ne severum sentias judicem ; corrigat te dilatio differentis, ne censura puniat judicantis. » Et mox : « Nec si totum vitæ tempus oris obsequia occupent, laudes teneant, gratiarum actiones insistant, poteris pensare quod debes. » Et in fine: Peccator « in se duplex scelus et geminum crimen admittit, et quod debita Domino servitutis non reddit obsequia; et quod innumera beneficia peccando, ejus pensare nititur contumelia. »

DE OPERE SECUNDÆ DIEI.

Primo die in mundi fabrica Deus creavit et jecit terram pro fundamento, eique imposuit cœlum empyreum quasi tectum ; reliquum inter hæc intermedium erat chaos, sive abyssus illa aquarum, quam hoc die secundo evolvit, ordinat et efformat.

Vers. 6. 6. FIAT FIRMAMENTUM IN MEDIO AQUARUM, ET DIVIDAT AQUAS AB AQUIS. — « Firmamentum » hebr. vocatur רקיע *rakia,* cujus radix, רקע *raka,* teste S. Hieronymo aliisque doctissimis Hebræis, significat expandere, distendere, et distendendo firmare ac solidare rem aliquam (1), quæ prius fluida erat et rara. Sicuti ergo æs fluidum fundendo distenditur et condensatur, ita hic aqua densata in cœlos, vocatur græce στερέωμα, latine firmamentum : est enim firmamentum quasi murus in medio aquarum, id est inter duas aquas, superas scilicet et inferas interjectus, easque ab invicem dispescens et coercens.

De firmamento et de aquis supra firmamentum.

Quæres, quodnam sit hoc firmamentum, et quænam sint aquæ supra firmamentum ?

Prima sententia. *Primo,* Origenes per aquas superas intellexit angelos, per inferas vero dæmones; sed hoc Origenicum et allegoricum est somnium.

Secunda. *Secundo,* Bonaventura, Lyranus, Abulensis, Cajetus, Catharinus et alii, per aquas superas accipiunt cœlum crystallinum. Sed hoc nimis æquivoce vocatur aqua.

Tertia. *Tertio,* Rupertus, Eugubinus, Pererius, Gregorius de Valentia (idque laudat S. Augustinus, lib. II *De Genes. ad litt.* cap. IV), censent firmamentum esse mediam aeris regionem, quæ licet primo die sit facta et creata ut esset aer, hoc tandem secundo die facta est firmamentum, id est interstitium dividens aquas superas, id est nubes, ab inferis fluminum et fontium (2).

Quarta et vera. Verum dico firmamentum esse cœlum stellatum, omnesque orbes cœlestes illi vicinos, tam inferiores, quam superiores usque ad empyreum, qui, ut ait Job, quasi ære fusi sunt : imo firmamentum non quidem significat, sed tamen per quamdam concomitantiam, et situs connexionem extendit se, et complectitur etiam aerem vicinum a cœlo in terram expansum, et suo loco quasi firmatum ; ignem quoque, si quis elementaris (nam multi philosophi hunc ignem negant) supra aerem sit. Ecce hic disponit et format Deus suam abyssum aquarum : pars enim hujus aquæ, tanquam materiæ aptissimæ ad transmutationem (aqua enim nec nimis densa est, nec nimis rara, unde facile in quidvis commutatur), conversa est et consolidata in cœlos et aerem, ut dixi : pars subtilior et nobilior supra cœlos remansit : pars crassior subtus firmamentum in maria et flumina varia divisa est.

Sunt aquæ veræ supra cœlos.

Itaque supra cœlos omnes, adeoque supra primum mobile (hæc enim omnia complectitur firmamentum), proxime sub cœlo empyreo, sunt veræ et naturales aquæ. Ridet hoc Calvinus, scribens in Genesin hoc versu; sed insulse, nam hæc sententia probatur : *Primo,* quia hoc exigit simplicissima et historica Mosis narratio. Firmamentum enim, et Hebræum *rakia,* non aerem, non nubes, sed proprie cœlum sidereum orbesque cœlestes significat. Rursum vox *fiat* non significat deputationem rei antea factæ, puta mediæ regionis aeris, ad dispescendum aquas ab aquis; sed significat realem rei quæ fieri jubetur productionem ; ut cum dicitur : Fiat lux, fiant luminaria : sic hic dicitur : Fiat firmamentum, idque factum est, et vocatum est cœlum, hebraice שמים *scamaim,* quasi *scam maim,* id est *ibi aquæ, q. d.* In materiam aquæ primævæ in abysso, inducta est nova forma cœlorum, ideoque ab aquis pristinis cœlum, licet novum, vocatur tamen *scamaim,* id est aqueum, ex aquis enatum et efformatum : unde et cœlum est colore aqueo. Quare quod Hieronymus ab Oleastro *scamaim* interpretatur corpora admiratione digna et obstupescenda, puta corpora nominatissima et famosissima, a rad. שם *scem,* id est nomen, fama, aut שמם potius a *scamam,* id est obstupuit, non consentit cum verbis sacræ Scripturæ, nec cum etymo Hebræo : *scamaim* enim cum sit duale, ad *maim,* quod pariter est duale, alludit, non ad *scamam,* sic enim *scemamim* vocandi essent cœli, non *scamaim.* Vox ergo *fiat* significat firma-

Proba-tur. Primo.

(1) Hæc verba, inquit Voltairius, sapiunt errorem veterum, qui cœlos credebant solidissimos. At quis non intelligat Moysem, licet alta et mira divinæ omnipotentiæ narraret, debuisse de rebus eo modo loqui, quo vulgi oculos perstringunt ?

(2) Cui sententiæ adstipulor, utpote simpliciori. Secundo Auctoris argumento respondetur, solem aliaque astra tanquam in aere librata videri, nec ab hominibus regionem *aeris,* ab *ætheris* regione vulgo distingui.

menti non dispositionem, sed productionem. Alioqui enim, sicut dixit Deus vers. 9, de mari et arida : « Congregentur aquæ in unum locum, » ita dixisset hic: Cœlum vel aer qui ante fuit, jam sit firmamentum, id est interstitium inter aquas inferas et superas. Atque hinc nonnulli, ut S. Basilius, Ambrosius, et ex iis Damasius, lib. II *De Fide*, cap. VI, putant cœlos (non astra, hæc enim patet esse solida) non esse solidos, sed tenues et fluidos, ita ut instar aquæ et aeris secari et dividi possint.

Secundo. *Secundo*, idem probatur ex eo quod Deus die quarto in firmamento fecit solem, lunam et stellas; hæc autem non sunt in aere, sed in cœlo : ergo non aer, sed cœlum est firmamentum.

Tertio. *Tertio*, quia nubes necdum extitisse hoc die secundo, imo nec sex primis diebus, sed aerem limpidissimum, satis colligitur ex cap. II, vers. 5. Ergo aquæ hæ superæ non possunt esse nubes.

Quarto. *Quarto*, quia alibi, ubi hæ aquæ superæ nominantur, distinguuntur a nubibus, pluvia et grandine, atque primo loco inter alia creata supra nubes, supra cœlum ponuntur, ut patet *Daniel.* III, 60; *Psal.* CXLVIII, 4.

Quinto. *Quinto*, hæc est communis Patrum sententia, Philonis, Josephi, S. Basilii, Ambrosii, Procopii, Theodoreti, Chrysostomi, Ruperti, Gennadii et Severiani in *Catena Græcorum*, Hilarii in *Psalm.* CXXXI; Bedæ, libro *De Natur. rerum*; Justini, Quæst. XCIII; Augustini, lib. XI *De Civit.* cap. ult., et jam Onkeli, Oleastri, Lipomani, Molinæ et aliorum multorum.

Objectio. Dices : Deus initio nihil fecit contra naturam; nam tunc naturam ipsam instituit : contra naturam autem est aquas esse supra cœlos. Respondeo negando minorem. Aquis enim illis attenuatis, subtilibus, et specie a nostra aqua differentibus ille locus est naturalis. « Id enim, ait S. Augustinus, lib. XXVI *Contra Faustum* cap. III, cuique rei est naturale, quod ille fecerit, a quo est omnis modus, numerus et ordo naturæ. »

Occurritur.

Pari modo, idem ait lib. XI *De Civit.* cap. ult., Deus in homine phlegma posuit non in imo, sed in summo, scilicet in capite; sicuti aquas has in mundo posuit in summo, scilicet supra cœlos. Sic et terra licet gravissima sit, in mundi tamen medio quasi pila pendet, et a Deo conservatur : vide Can. II.

Ad quid aquæ supra cœlos? Quæres *secundo*, quorsum ibi, scilicet supra cœlos, sint hæ aquæ? Respondet *primo* Procopius et Theodoretus : Ibi hæ aquæ sunt ad hoc,

Prima sententia. ne sol, luna et astra, utpote ignita, cœlum ex aquis quasi conglaciatum dissolvant; vel, ut Beda, ad temperandum calorem ex vi et motu siderum

Secunda. ortum. *Secundo*, Justinus supra : Sunt, inquit, ibi hæ aquæ ad deprimendum firmamentum, ne

Tertia. sursum feratur. *Tertio*, Procopius : Sunt, inquit, ibi ad hoc, ut solis et lunæ radios reverberent,

Quarta. eosque deorsum ad terram repellant. *Quarto*, Oleaster : Positæ, ait, ibi fuerunt hæ aquæ ad hoc, ut in diluvio Noe per cataractas emissæ terram obruerent.

Quinta et vera. Sed respondeo Deum voluisse has aquas supra cœlos collocare (ex aquis enim his facti sunt cœli) tum ad ornatum universi, tum ut matrix hæc cœlorum creationis index extaret, quam supra se cœli semper intuerentur. Forte etiam ad voluptatem Sanctorum existentium in cœlo empyreo; ut aquis hisce crystallinis et variegatis oculos eorum pascat : aquæ enim omnis formæ, decoris, coloris et ornatus sunt capacissimæ, ut patet in iride; quasi huc alludat Joannes *Apocal.* VII, 17 : « Deducet eos ad vitæ fontes aquarum; » et cap. XXII, vers. 1 : « Ostendit mihi fluvium aquæ vivæ splendidum tanquam crystallum. » Insuper ad hoc, ut sicut aqua hic aeri nostro, ita aquæ illæ subservirent ætheri, qui est in cœlo empyreo. Verisimile enim est cœlum empyreum non esse solidum instar ferri (alioqui enim, si naturam spectes, Sancti ibi quasi in muro compacti essent), sed habere suum aerem vel ætherem, omni rerum specie ornatissimum, per quem Beati omnia sentiunt, respirant et moventur. Denique multa mirari voluit nos Deus, non scrutari; et « major est hujus Scripturæ auctoritas, ait S. Augustinus quam omnis humani ingenii capacitas. »

Quare non dixit Moses de firmamento, *vidit Deus quod esset bonum?* Quæres *tertio*, cur Moses non dixerit hoc die id quod dixit in cæteris : « Et vidit Deus quod esset bonum? » Respondent Catharinus et Molina : Causa est, quod firmamentum adhuc rude erat, et quarto die sole et luna perficiendum; sed obstat, quod de luce dicat : « Et vidit quod esset bona, » cum tamen die quarto eam perfecerit, in cœlo eam augendo : sic die tertio non benedixit plantis, cum tamen die quinto benedixerit animalibus. Forte hic optime dici posset, Mosen tria divinæ separationis opera, scilicet primum lucis a tenebris, secundum aquarum superarum ab inferis, tertium aquarum a terra, unica et ultima clausula complexum esse, dum post hæc tria vers. 10, dicit : « Et vidit quod esset bonum. »

Addunt aliqui opus hoc non tam fuisse creationis, quam interstitii et divisionis aquarum superarum ab inferis, per interpositum firmamentum. Unde moraliter collige, quod, sicut ingens in republica et congregatione bonum est unio et concordia, sic ingens malum sit divisio et discordia, uti multis hic ostendit noster Bened. Fernandez in fine capitis.

Denique Septuaginta hic, ut in cæteris, habent τὸ *et vidit Deus quod esset bonum*; in Hebræo tamen, Chaldæo, Theodotione, Aquila, Symmacho et Vulgata id desideratur.

Morale. Moraliter, firmamentum est firmitas et constantia animæ in Deo et cœlis defixæ, quæ constanter sustinet aquas superas, id est prosperitates; et inferas, id est adversitates. Hinc et homo vultu est erecto, ut cœlum assidue spectet : quin et in se

Homo est imago cœli.

habet imaginem cœli; nimirum *primo*, habet caput rotundum, ut cœlum. Audi Cassiodorum lib. *De Anima*, cap. XVI : « Caput, ait, nostrum sex ossibus compaginatum, in similitudinem cœlestis sphæræ rotunda concavitate formatum est. » *Secundo*, duo oculi sunt, quasi sol et luna, quæ vicissim abscondunt se et occulantur, uti oculi qui inde nomen acceperunt. Dicti enim sunt ab occulendo, vel occultando. Audi Varronem, et ex eo Lactantium lib. *De Opificio Dei*, cap. X : « Deus, ut oculi munitiores essent ab injuria, eos superciliorum tegminibus occuluit. Unde oculos dictos esse Varroni placet. » Occurrente ergo muliere, aliave illecebra, occule oculos, ut eos serves quasi oculos, mentemque pariter a noxa. Ita noctu occulit se sol, ne quieti hominum obsit : luna per diem, ut noctu iis prosit et præluceat. *Tertio*, quia animam e cœlo Dei et angelorum similem accepit. Audi S. Bernardum *in festo S. Martini* : « Licet quodammodo cœlum sit homo, cœlestibus sine dubio spiritibus similis substantia, simul et forma : substantia quidem, quoniam spiritalis ; forma vero, quia rationalis est : minime tamen levare eum ista duo sufficiunt, ut mereatur audire, quia cœlum es, et in cœlum ibis. » *Quarto*, quia cœlum dicitur a celando, ait ibidem S. Bernardus, quia in cœlo multa nobis celantur et absconduntur : ita in homine mens, cogitatio, intentio et secreta cordis celantur. *Quinto*, primus homo de cœlo cœlestis (puta Christus), et qualis cœlestis, tales et cœlestes, ait Apostolus I *Corinth.* XV, *q. d.* Qualis Christus, tales sunt et Christiani. Sicut ergo Christus est cœlum deitatis et virtutum : ita est et Christianus, in quo luna est fides, hesperus spes, sol charitas, reliqua astra cæteræ virtutes, ait S. Bernardus, sermone 27 *in Cant.*; unde de eo mystice dicitur *Isaiæ* cap. LXVI : « Cœlum mihi sedes est ; » et ad litteram *Apocal.* XXI : « Vidi civitatem sanctam Jerusalem novam, descendentem de cœlo, » etc. Tale cœlum fuit mulier illa amicta sole, habens coronam stellarum duodecim in capite, et lunam sub pedibus, *Apocal.* cap. XII, puta Ecclesia, et mystice Beata Virgo.

Vers. 8.

8. VOCAVITQUE DEUS FIRMAMENTUM COELUM. — *Cœlum* latine a celando, id est occultando, dicitur, quod omnia celet et tegat : ita S. Augustinus, lib. *De Cognitione veræ vitæ*, cap. XLIII, tom. 9 ; vel, ut S. Ambrosius, dicitur cœlum quasi cælatum, id est, depictum variis stellis. Varro cœlum dici putat quasi κοῖλον, id est cavum, et sic per œ, non æ, scribendum esset cœlum.

Verum Moses hebraice scripsit, non latine ; et hebraice locutus est Deus, vocavitque firmamentum *scamaim*, ob causam quam superius dedi.

ET FACTUM EST VESPERE ET MANE DIES SECUNDUS. — Ne cogites Deum instar artificis, toto die in hac firmamenti fabrica, aliisque deinceps occupatum fuisse ; sed fecisse eam subito, in instanti, ac per totum reliquum diem eamdem conservasse.

DE OPERE TERTIÆ DIEI.

Vers. 9.

Ad quem locum aquæ congregatæ sint?

9. CONGREGENTUR AQUÆ QUÆ SUB COELO SUNT, IN UNUM LOCUM, ET APPAREAT ARIDA. — Quæres, quomodo hoc sit factum? *Primo*, aliqui putant mare in alteram terræ partem, alterumque hemisphærium esse collectum, ita ut illa pars terræ tota sit aquis cooperta et inhabitabilis, ac proinde non sint antipodes. Ita Procopius, nec abnuit S. Augustinus, lib. XVI *De Civit.* cap. IX. Verum contrarium constat ex quotidianis Lusitanorum et Hispanorum in Indias navigationibus.

Secundo, Basilius, *homil.* 4, Burgensis Catharinus, et D. Thomas, I *part.*, *Quæst.* LXIX, art. 1, putant mare hic separatum esse a terra, ut ea factum sit altius, adeoque jam globum et centrum habeat a globo et centro terræ diversum, eaque altius. Ex hac sententia facile est dare rationem, cur in locis etiam altis erumpant fontes et flumina : quia nimirum oriuntur per venas subterraneas ex mari, quod terra est altius : constat autem experientia fontes ascendere ad altitudinem suæ originis, idque fit ex naturali aquarum degravatione, qua aliæ alias propellunt, donec quasi ad æquilibrium utraque perveniat.

Suppono aquam quæ exterius apparet, multo minorem esse terra, uti clare demonstrat Alexander Piccolomineus, libro de hac re edito, et Julius Scaliger contra Cardanum, *exercitat.* 38. Nunc

Terra et aqua unum globum efficiunt.

Dico *primo* : Terra et aqua unum globum efficiunt ; ac proinde non est aqua terra altior. Est hæc communis sententia mathematicorum, Molinæ, Pererii, Cajetani, S. Hieronymi in *Psalm.* XXXII, Chrysostomi, hom. 9 *ad Pop.*, Damasceni, lib. II *De Fide*, cap. IX et X. Et patet *primo*, ex eclipsi lunæ, quæ fit ex terra inter solem et lunam interjecta. Hæc enim eclipsis umbram dat tantum unius globi, non autem duorum : ergo terra et mare, quorum hæc est umbra, non duo, sed unus sunt globus.

Probatur. Primo.

Secundo.

Secundo, quia quælibet guttæ aquæ, et quælibet partes terræ ubique per eamdem lineam, recta eodem modo et via descendunt ad suum centrum : ergo idem habent.

Tertio.

Tertio, quia littora et insulæ aquis eminent, ut patet, imo insulæ plures in aqua natant, et multæ locum mutare sunt visæ : ergo insulæ terraque ipsa unum cum mari globum efficiunt.

Quarto.

Quarto, idem patet ex Scriptura. *Psalm.* XXIII, vers. 2 : « Ipse super maria fundavit eam (terram). » *Psalm.* CXXXV, 6 : « Qui firmavit terram super aquas. » *Psalm.* CVI, 23 : « Qui descendunt mare in navibus, » ergo non mare terra, sed terra mari est altior.

Objectio quædam diluitur.

Dices : Quomodo ergo dicitur *Psalm.* CIII, 6 : « Super montes stabunt aquæ? » Respondeo : « Stabunt, » id est stabant aquæ, cum scilicet, uti illo psalmo præcessit, aquæ quasi vestis amicirent et tegerent totam terram, primo et secundo mundi die : sed tertio hoc die, ad vocem Dei fugerunt in unum locum, tuncque Deus in terra fecit ascendere montes, alibi depressit eam in valles, alibi primam planitiem et campos reliquit, uti in psalmo sequitur. Idque fecit Deus, tum ad varietatem rerum; tum ut montibus mare et flumina quasi muris continerentur; tum ut montes suas pluvias et aquas distillando fœcundarent campos, eosque ab æstu et ventis protegerent.

Quare dicantur aquæ congregatæ?

Dico *secundo* : Congregatæ sunt aquæ hoc tertio die, *primo*, quia fecit Deus ut aqua dulcis fluminum et fontium (quæ videtur esse densitas aquæ naturalis) magna parte fieret densior, congestis simul in eam exhalationibus terrestribus, et adjectis, quibus mare fieret salsum, tum ne computresceret, tum ut haberet nutrimentum pro pis-

Unde et ad quid maris salsedo?

cibus, tum ut facilius naves sustineret. Sic ergo Deus hoc tertio die fecit mare salsum, illudque quotidie conservat additione similium exhalationum, quæ e terra vi solis et astrorum educuntur, et in mare demittuntur. Ridiculum enim est, quod quidam Philosophi excogitarunt, salsedinem maris provenire vi radiorum solis, quibus fundus maris aduratur : adustione enim salsedinem nasci, ut cinis indicio nobis est; non enim sol urit nisi per lumen, quod ultra quindecim cubitos in mare non penetrare urinatores testantur : fundus autem maris multis locis quingentis, imo mille cubitis est profundus. Sic ergo Dei operatione facta aqua densior, se contraxit, et minorem locum terræ quam ante occupavit, partemque terræ reliquit aridam. Ita S. Augustinus, lib. I *De Genes. ad litt.* cap. XII.

Hoc tertio die facti montes.

Secundo, non post diluvium, uti aliqui volunt, sed hoc tertio mundi die fecit Deus terram partim subsidere, partim assurgere. Unde facti sunt montes et valles : varii quoque hiatus et cavitates in terra, in quas quasi alveos mare se recepit, ut patet *Psalm.* CIII, 7 et seq. Hoc ergo tertio die fecit Deus omnes alveos, tum maris, tum fluminum, in eosque mare et flumina segregavit. Vide Rupertum *in Genes.*, lib. I, cap. XXXIV et seq.

Concavitates sub terra quando et ad quid factæ?

Tertio, fecit Deus hoc tertio die cavitates sub ipsa terra maximas, uti experientia deprehensum est, easque implevit maxima aquarum copia, quæ proinde a multis dicitur barathrum vel abyssus; et per varios meatus cum mari conjungitur, putaturque esse matrix et origo omnium fontium et fluminum; utpote quibus per venas, quarum terra est plenissima, aquam quasi sanguinem impertit. Cujus indicium est, quod ubicumque quis fodiat, ibi pene semper inveniat aquam, ut patet in puteis, quos ubique effodi videmus. Terra enim est quasi mater viventium et mixtorum : unde sicuti in animalis omnisque hominis corpore, magna sanguinis copia est in hepate et corde, indeque per plurimas venas dispergitur per totum corpus, tam sursum quam deorsum : ita, ait Seneca, lib. III *Natur. quæst.* cap. XV, ingentes illæ cavitates sive voragines sub terra, per cuniculos quasi venas, per totam terram, etiam altam et montosam disperguntur, et certis locis terræ in fontes, rivos et flumina erumpunt. Quod ergo est hepar in homine, hoc est abyssus hæc aquarum in cavernis terræ. Verum origo fontium et fluminum alibi exactius disquirenda est.

Ex hac abysso prodiens aqua, mixta cum pluvia, tempore diluvii Noe, totam terram rursum, omnesque montes altissime opplevit et superavit, *Genes.* VII, 11 et 20. Hinc rursum S. Basilius hic *homil.* 4, Ambrosius, lib. II, cap. II et III, Hieronymus in cap. III *Habacuc*, docent omnia flumina omnesque aquarum confluxus Oceano tandem uniri. Quin et mare Caspium, quod separatum omnino videtur, per meatus subterraneos uniri Oceano Arctico, ideoque salsum esse, docent S. Basilius, Strabo, Plinius et Dionysius *de Situ orbis* : quidquid dicat Aristoteles et Ptolomæus. De hac abysso vide plura apud Conimbricenses, tract. 9 *in Meteora*, cap. IV, et Franciscum Valesium *Sacræ Philosophiæ* cap. LXIII. Hinc

Aquæ quomodo congregatæ in unum locum?

Dico *tertio* : Dicuntur aquæ congregatæ in unum locum, id est in locum separatum a terra, ut ea fieret arida et habitabilis. *Secundo*, proprie in unum locum, quia uti jam dixi, omnes aquæ uniuntur Oceano, et huic abysso, quæ partim sub terra est, partim ei contigua est in terra, quæ est ipsum mare; una enim est hæc abyssus, cui omnis aqua per venas subterraneas quasi fonti et mammæ unitur, indeque per venas in varia loca spargitur. Voluit enim Deus aquas per varios alveos et sinus terræ immiscere, tum ut iis terra irrigaretur et fœcundaretur; tum ut ventis marinis ad salubritatem et fœcunditatem perflaretur. Porro aquæ illæ, quæ initio terram operiebant, non erant profundæ; quare facile in Oceanum et abyssum hanc profundam recludi potuerunt. Ergo non est necesse dicere partem aquarum a vento, ut vult Abulensis, aut a sole, ut vult Eugubinus, siccatam esse.

Notat Theodoretus in *Psalm.* CIII, mare furens non tam littoribus, quibus pene æquale est, quam Dei jussu, quasi fræno et tonitruo coerceri : alioqui sæpe omnia perrumperet et obrueret, uti fecit initio mundi; hinc Deus dicitur posuisse mari terminum suum, quem transgredi non possit, ubi contundat tumentes fluctus suos, *Psalm.* CIII, 9; *Job* XXXVIII, 7. Alioqui, ait S. Basilius, hom. 4 *Hexam.* : « Quid prohiberet mare Rubrum sua exundanti eluvie irrumpere in universam Ægyptum quæ ipso mari tanta est concavitate depressior, seque mari quod Ægypto adjacet conjungere, nisi Creatoris præcepto tanquam com-

pedibus astrictum coerceretur? » Idem habet S. Ambrosius, S. Thomas, I *part.*, *Quæst.* LXIX, art. 1, et Plinius, lib. VI, cap. XXIX, ubi ex mari Rubro navigabilem alveum, non in mare Ægyptium, ut ait S. Basilius, sed in Nilum, qua parte inferne ad Delta decurrit, deducere « primus omnium, inquit, Sesostris, rex Ægypti, cogitavit, mox Darius Persarum, deinde Ptolomæus sequens, qui et duxit fossam, etc., usque ad fontes amaros; ultra deterruit inundationis metus, excelsiore tribus cubitis Rubro mari comperto, quam terra Ægypti. » Sed addit Plinius : « Aliqui non eam afferunt causam, sed ne immisso mari corrumperetur aqua Nili, quæ sola potus præbet. » Nam priorem experientiam Sesostris, Darii et Ptolomæi, quod scilicet ab eis compertum sit mare Rubrum altius esse Ægypto, negat Strabo, lib. XVII, et ex eo Pererius : quibus favet nonnihil, quod avorum memoria Alfonsus Albuquertius, Indiæ prorex, non mare Rubrum in Nilum, sed vice versa Nilum superne ex Ætihiopia decurrentem, in mare Rubrum quasi demissius, fossa ducta derivare cogitarit; idque ad hoc, ut Nilum averteret ab Ægypto, itaque Ægyptum infrugiferam et inutilem Turcis redderet : ac reipsa perfecisset, nisi morte præventus fuisset, uti narrat noster Maffeius in fine lib. V *Historiæ indic.* Addit S. Basilius in fine *homiliæ 4*, multas magnasque maris utilitates, quas videat qui volet.

APPAREAT ARIDA, — quæ prius erat limosa et aquis cooperta : unde pro *arida,* hebraice est יבשה *iabesa,* id est, exsiccata ut posset habitari, seri, fructus ferre; arida ergo non est idem quod arenosa : sic enim fuisset infrugifera; sed arida idem est quod sicca. Mansit enim in terra aliquis humor dulcis, tum ut eam faceret frugiferam, tum ut quasi gluten partes distantes jungeret, ne fatiscerent et a se invicem divellerentur; hinc rursum per venas fontium et fluviorum eam irrigavit Deus.

Vers. 10. 10. ET VOCAVIT DEUS ARIDAM TERRAM, CONGREGATIONES AQUARUM APPELLAVIT MARIA. — Est prolepsis. Nam non hoc die tertio, sed die sexto, puta cum formavit Adamum, eique indidit linguam Hebræam, tunc Deus aridam vocavit, et ab Adamo vocari jussit hebraice *erets,* id est terram; et congregationes aquarum vocavit *iammim,* id est maria, *q. d.* Hæc arida, cujus fabricam hic enarro, est illa quam vulgo hebraice *erets,* latine terram appellamus, et congregationes aquarum, quas dixi Deum fecisse, sunt illæ quas vulgo hebraice *iammim,* latine maria vocamus.

Quid *erets*, id est terra?

Primum etymon *erets.*

Nota : Terra hebraice dicitur ארץ *erets,* vel a radice רצץ *ratsats,* id est calcare, quod ab hominibus et jumentis calcetur et habitetur : sicut terra dicitur a terendo, ut vult Junilius, Varro et Eugubinus in *Cosmopœia;* vel a radice רצה *ratsa,* id est voluit, concupivit, quod semper appetat fructum ferre, ut vult Isidorus Clarius; vel a radice רוץ *ruts,* id est cucurrit, per antiphrasim, quod terra minime currat, sed plane sit fixa et immobilis; aut potius quod in ea habitent et currant homines et animalia, quodque ad eam quasi infimam descendant et currant omnia gravia, circum vero eam currant omnia elementa, omnesque orbes cœlestes; atque hac de causa Deus videtur aridam hic appellasse terram, sive hebraice *erets,* a currendo, quod in ea, vel circum eam quasi basin et centrum omnia currant et moveantur. Ab Hebræo *erets* aliqui deducunt Germanicum *eerde.*

Secundum.

Tertium.

Porro maria hebraice vocantur ימים *iammim* a copia et multitudine aquarum : *iammim* enim per anastrophen litteræ *iod,* idem est quod *maim,* id est aquæ. Rursum *iammim* alludit ad radicem המה *hama,* id est sonare, strepere præ turba, copia et multitudine, uti strepit mare : unde המון *hamon* vocatur turba, multitudo, strepitus, tumultus.

Vers. 11. Quomodo hoc die, et deinceps terra producat germina?

11. GERMINET TERRA HERBAM. — « Germinet, » non active producendo, uti vult Cajetanus et Burgensis, sed materiam tantum ministrando : tunc enim in prima rerum creatione, Deus se solo active et efficaciter, idque subito produxit omnia germina et plantas; easque justæ et perfectæ magnitudinis, uti docent S. Thomas, I *part., Quæst.* LXX, art. 1; Abulensis, Pererius et alii passim; imo Psaltes, *Psalm.* CIII, 14 : « Producens, inquit, fœnum jumentis, et herbam servituti hominum. » Jam autem terra ad germina etiam effective concurrit, præsertim si semine sit imbuta : terra enim per semen pyri, producit pyrum; per semen pomi, producit pomum; seipsa vero sine semine, si pluvia irrigetur, et a sole calefiat, producit gramina (1). Porro, quam terra sit benigna mater, et nutrix omnium viventium, eleganter docet Plinius, lib. II, cap. LXIII : « Sic hominum illa, inquit, ut cœlum Dei, quod nos nascentes excipit, natos alit, semelque editos sustinet semper; novissime complexa gremio, jam a reliqua natura abdicatos, tum maxime ut mater operiens. » Et mox : « Hæc benigna, mitis, indulgens, ususque mortalium semper ancilla, quæ coacta generat? quæ sponte fundit? quos odores saporesque? quos succos? quos tactus? quos colores? quam bona fide creditum fœnus reddit? quæ nostri causa alit? »

Porro miratur, et merito, S. Basilius Dei in ger-

(1) Alii דשא et עשב ita inter se differre docent, ut illud sit herba tenera et humilis, hoc vero grandior. Cf. *Prov.* XXVII, 25. Itaque in hoc commate in tres veluti classes, quidquid emittit terra, dividitur : *a*) Est tenera herba, sine semine, saltem conspicuo, דשא; *b*) quæ semen profert, majorque est, עשב; *c*) arbores, sub quibus arbusta continentur עץ פרי. Notum est, multos, imo plerosque omnes olim credidisse, herbas tenuiores, in quibus nec validior radix, nec semen propter tenuitatem cernitur, αὐτομάτους oriri. Aliis דשא עשב est pleonastica locutio, qualis *cœnum luti,* Ps. XL, 3; *pluvia imbris,* Zach. X, 1; *graminis herba* apud Virgilium; εὐνῆς λέχος, *lecti torus,* apud Sophoclem, *Antig.* 435.

minibus providentiam, quæ in culmos numero pares radicibus emicant, seseque attollunt. « Germen interim, ait, dum continenter tepefit, eum humorem quem exsugit per radiculas, vi caloris ipsum e terra prolicientis, quantum moderatæ suæ alimoniæ satis sit adsciscit, quod reliquum ejus est dispensat ac dispertitur in culmum, corticem, in thecas, hoc est loculos sive valvulas, in triticum, in ipsas denique aristas. » Et mox : « Vide quomodo geniculis præcingantur culmi frumenti, ut illis velut quibusdam vinculis corroborati, spicarum facile pondus ferant et sustineant, cum plenæ jam fructuum gravidæque ad humum suo pondere inclinant. Quapropter avena quidem inanis atque vacua tota est, quod nullo prorsus culminis pondere premitur : contra frumentum natura geniculato culmo, quasi vinculis, confirmasse videtur. In theca vero granum recondidit, ne sit exposita frugilegis avibus præda : insuper et aristarum vallo, velut telis objectis animalculorum noxam abarcet. » Plura deinde affert de vite, ejusque claviculis, quibus se arboribus nectit, et ad earum culmen scandit. Ac paulo post symbolice applicans homini : Simili modo, inquit, Deus « sensus nostros in sublime erexit, neque permisit in humum nos esse dejectos, ac dignos esse qui conculcemur. Vult etiam nos quasi claviculis, sive capreolis quibusdam, amplexibus charitatis proximis inniti et adhærere, et in ipsis etiam conquiescere, ut jugi affectu sursum versus feramur, et quasi arbustivæ vites nos ipsos adæquemus sublimium fastigiis arborum. Quin et a nobis exposcit, ut dum defodimur sustineamus. » Et inferius : « Arborum, ait, quarum rami prolixiores sunt, porrecti late et expansi per aerem, earum et radices profundiores sunt, et circumquaque late etiam diffunduntur, perinde quasi natura fundamenta quædam, proportione respondentia superorum ponderibus subjecisset. Jam vero detruncatas nonnulli pinus, aut incensas ustasque flammis, in querceta observarunt verti. Sunt et quas suæ naturæ vitium agricolæ cura deponere ac extrudere novimus, ut punicas acidas, amygdalasque amaras. Cum enim ima in parte radici propinqua stipite perforatæ, cuneum ex pino pinguem per mediam adactum medullam susceperint, saporis tum fastidio in gratum usum mutato, dulcescunt. » Subdit palmas alias esse mares, alias feminas, et feminam « in marem pronam blandioribus ramis nutare, quasi gestientem et amplexum maris percupientem, stirpium vero cultores inter ramos tunc quasi semina quædam, maris florem seu fructum immittere, atque ita illam quasi voluptatem inde percipere, seseque rursum erigere, et ad formam propriam suas restituere comas. Hæc eadem de ficis etiam asserunt. Quamobrem alii juxta ficeta caprificos serunt, alii caprifici grossos inter se colligatos injiciunt ficis, atque hoc pacto ficorum imbecillitati medentur, defluentem jam labentemque fructum ipsarum grossis istis fulcientes. » Deinde idipsum moribus applicans : « Quid, ait, istud sibi naturæ vult ænigma? Quod ipsi quoque nos ab alienis a fide, non raro debemus desumere intentam animi acrimoniam, vimque bonorum operum efficacem, » v. g. cum videris gentilem, vel hæreticum temperantem, modestum, probum, acriter excitare, ut in iisdem virtutibus emineas, itaque velut ficus a grossis exacuta, fructuum tuorum inhibeas defluvium, et accuratius eos enutrias. Hæc et plura S. Basilius homilia 5 *Hexameron*.

ET FACIENTEM SEMEN, — *q. d.* Producat terra herbam, quæ possit semen ad speciei suæ propagationem facere, id est seminare.

ET LIGNUM POMIFERUM, — id est, arborem fructiferam, ut habent Hebræa. Pomum ergo ponitur pro quovis arborum fructu.

CUJUS SEMEN IN SEMETIPSO SIT, — quod sibi simile gignendi vim habeat, per semen, quod habet in seipso, puta in suo vel fructu, vel folio, vel radice, vel ramis. Nam multæ plantæ non habent semen proprie dictum, ut patet in salice, gramine, menta, croco, allio, arundine, ulmis, populis, etc.; sed hæc habent aliquid loco seminis, scilicet in ipsis radicibus vim quamdam propagativam, ut patet in arundine, etc. Ita S. Ambrosius et Basilius. Idque hoc fine, ut, cum plantæ individuæ intereunt, maneant tamen in semine et fructu, quem ex se propagant; itaque quamdam quasi immortalitatem et æternitatem, quam naturaliter ambiunt, consequantur, ut scilicet semper sint, et semper perdurent in sua propagine.

12. PROTULIT TERRA. — Hinc patet hoc tertio die terram non tantum virtutem producendi plantas accepisse, ut videtur velle S. Augustinus, lib. V *De Genes. ad litt.* cap. IV et V; sed illo ipso, quo Deus jussit, momento terram actu omnes plantarum species, easque adultas, multas etiam cum fructu maturo produxisse : Dei enim perfecta sunt opera. Ita S. Basilius et Ambrosius. Vers. 12. Arbores et bestias perfectas esse creatas, docet S. Basilius.

Idem dico de animalibus et homine, creatis die sexto, videlicet omnia creata esse in magnitudine, vigore et robore perfecto, ut docent communiter DD. Ex dictis sequitur hoc die tertio etiam paradisum esse plantatum, ornatumque mira arborum varietate et pulchritudine, de quo cap. II. Hoc die tertio paradisus plantatus.

Nota; hoc die tertio terram quoque produxisse herbas venenatas, item rosam cum spinis : hæ enim quasi connaturales rosæ, eique congenitæ sunt. Negat hoc posterius de rosa S. Basilius homil. 5 *Hexam.*, et S. Ambrosius lib. III *Hexam.* XI. Prius negant Beda, Rupertus, Rabanus et Alcuinus, putantque quod ante hominis lapsum terra nihil noxium, puta nullam herbam venenatam, non spinas, non tribulos, imo nec arborem sterilem protulerit : hæc enim post peccatum in ejus pœnam esse producta. Verum Herbæ venenatæ, rosæ cum spinis ab initio fuerunt : sic et animalia noxia.

contrarium docent S. Basilius et S. Ambrosius loco citato cap. IX, et Damascenus lib. II *de Fide*, cap. X, idque verius est: tum ne eorum pulchritudo deesset universo, tum quia quæ homini venenata sunt, aliis rebus prosunt, et utilia sunt aliis animalibus, ut ibidem docet S. Ambrosius. Sic enim cicuta, quæ homini est noxia, vaccis est in deliciis : « Cicuta, ait Basilius, sturni vescuntur, et tamen propter corporis constitutionem a veneno non occupantur. Cum enim pertenues habeant ad corda penetrantes meatus, fit ut ante devoratam cicutam concoquant, quam inde lethale gelu ad præcordia pervenerit. Elleborus autem coturnicibus est cibus, nec ab eo, peculiari quadam temperatione, detrimenti quidquam percipiunt. » Tum quia eadem utilia sunt homini. « Nam per mandragoram, ait S. Basilius, medici somnum advocant et invitant : succo vero papaveris vehementes corporis dolores sedant. Quidam rabientem appetentiam esitando cicutam tabefecerunt, et sensim extinxerunt, ac elleboro non pauca, sed et diuturna corporis vitia radicitus extirparunt. » Tum quia Deus ante peccatum Adæ per sex creationis dies omnes omnino rerum species produxit, fecitque universum perfectum: nec post hos sex dies ullam novam speciem creavit, unde cap. seq., vers. 1, dicitur Deus sex diebus creasse omne virgultum agri, et die septimo quievisse. Quare idem dico de lupis, scorpiis aliisque animalibus noxiis, scilicet ea producta esse cum aliis non noxiis die quinta ; idque patet ex serpente, qui tentavit et seduxit Evam. Nihil tamen horum nocere potuisset homini, si is in innocentia mansisset; quæ innocentia conjunctam habebat et exigebat ab homine prudentiam, ut scilicet caute tractaret rosas ne in spinas impingeret; rursum, ne irritaret lupos et feras contra se : alioqui enim sua culpa et imprudentia, ac proinde jam non innocens, sed nocens, ab eis læsus fuisset. Vide dicta *Sap.* I, 14.

Hoc die mineralia, venti, et quæ terram perficiunt, creata sunt.

Nota *secundo* : cum hic dies tertius sit is, quo Deus terram perfecte formavit et ornavit, hac de causa omnino verisimile est, hoc pariter die producta esse marmora, metalla, mineralia fossiliaque omnia, rursum ventos. Hi enim terram, terræque viventia eventilant, purumque aerem aspirant; sine ventis enim nec plantæ, nec homines vivere aut vegetari possent.

Denique putat Molina hoc die productum esse infernum in centro terræ. Sed jam ante dixi, verius esse eum primo die, statim a casu Luciferi, esse productum.

Non in autumno, sed in vere mundus creatus est.

Quæres, quo anni tempore mundus a Deo sit conditus? Multi Hebræi, Lyranus, Abulensis, Oleaster et Arias Montanus censent mundum creatum esse in æquinoctio autumnali : tunc enim fructus sunt maturi : jam autem fructus fuisse maturos patet ex pomo vetito, quod comedit Adam.

Sed respondeo : Verius est mundum creatum esse in æquinoctio verno. *Primo*, quia id docent passim omnes Patres, quos vide apud Molinam et Pererium; quin et Poetæ, ut Virgilius lib. II *Georg.*, loquens de prima nascentis origine mundi: Proba tur. Primo.

—— Ver, ait, illud erat : ver magnus agebat
Orbis, et hibernis parcebant flatibus Euri.

Secundo, quia ver est pulcherrimum anni tempus; tale autem decuit felicitatem status innocentiæ, et in vere redemptus et recreatus est mundus per Christum : ergo videtur in vere pariter creatus esse mundus. *Tertio*, quia idipsum definit Concilium Palæstinum, habitum sub Victore Pontifice, præside Theophilo, anno Christi 198, quod citat et refert Beda lib. *De Æquinoctio verno*. Fuit hoc Concilium particulare, non generale; ac proinde definitiones ejus, licet non sint de fide, sunt tamen magnæ auctoritatis. Quin et Concilium hoc hanc suam sententiam probat ex verbo *germinet* : in vere enim terra germinare incipit. *Secundo*, idem Concilium docet mundum esse conditum in æquinoctio verno, idque probat ex eo, quod Deus tunc divisit lucem a tenebris, scilicet in æquales partes : quæ divisio fit in æquinoctio. Addit *tertio*, idem Concilium, primum diem mundi fuisse 8 Kalend. aprilis, id est 25 martii, quo et B. Virgini annuntiatus, simulque in eam et incarnatus est Christus, et quo post 34 annos vel passus, vel, ut exacti quidam chronologi volunt, a morte resurrexit. Rursum certum est hunc diem fuisse Dominicum : quanquam eo anno quo incarnatus est Christus, 25 martii incidit, non in Dominicum, sed in feriam sextam. Feria enim sexta tam incarnatum, quam passum esse Christum, natum vero et resurrexisse die Dominico, ex S. Athanasio, Augustino et aliis docet Franciscus Suarez, III *p.*, Q. 35, in fine.

Secundo. Tertio. In æquinoctio. Eo die mundus est conditus, quo incarnatus est Christus. Conditus est die Dominico.

Quare mirum est, eumdem Bedam, sui, ut videtur, oblitum, lib. *De Ratione temp.* cap. XI, dicere, mundum creatum esse 18 martii, non 25.

Ad argumentum Hebræorum respondeo, initio mundi non omnes, neque ubique fuisse fructus maturos hoc die tertio productos (nihil enim tale asserit Scriptura), sed Deum in plantis et arboribus produxisse, in his quidem folia, in illis vero flores amœnissimos : in aliis fructus maturescentes, in aliis fructus maturos, pro natura, qualitate et conditione tam plantæ et arboris, quam regionis cujusque. Nam in vere multis in locis, fructus non pauci sunt maturi, et forte in paradiso plurimi erant tunc maturi. Respondeo objectioni.

Moraliter Theodoretus, lib. IV *de Providentia*, qui est de Materia et Mundo : « Cum stationes anni videbimus suis quamque pertransire temporibus, cum terræ pluviam dispensari, cum terram germinare, cum virentibus herbis obduci, undare segetes, prata floribus renidere, comare silvas, ramos arborum fructibus prægravari, linguam moveamus in ejus laudem qui hæc terræ dona contribuit. Ne vero montium Nymphas, neve

fontium ac fluviorum, neve filias Nerei referamus in deos. Ne cantemus Julum Cereri, neve ipsi Rheæ Lytiersan, ne Baccho Dithyrambum, ne Pæana Pythio Apollini, neve Dianæ concinamus Hypoepum; sed rerum omnium conditori Deo hymnos Davidicos proferamus, cumque eo pariter exclamemus : Quam magnificata sunt opera tua, Domine! omnia in sapientia fecisti. Quotiescumque canoras aves audiemus varios cantus emodulari, cicadasque tremulos vibrare concentus, Musis sirenibusque dimissis sapientissimum Deum, eumdemque potentissimum adoremus, qui et hujusmodi aviculis tantam tribuit musicæ harmoniam, et humanum genus undecumque nutrit, fovet ac mulcet. »

Ascensus a specie creaturæ ad pulchritudinem creatoris.

Mystice, ascende hic anima a specie creaturæ ad pulchritudinem Creatoris, tibique dicito : Si ita rubent rosæ, candent lilia, purpurantur hyacinthi, redolent caryophylli, vernant prata, delectant pomi, pyri, cerasi; si ita varie virent herbæ et segetes; si ita rutilat aurum, nitet argentum, splendent carbunculi, radiant gemmæ : quis color, quis odor, quis sapor, quis decor esse debet ejus qui hæc omnia creavit? « Speciei enim creator hæc omnia constituit : quanto ergo hic dominator eorum speciosior est? » Omnia hæc speciosa quæ vides, quæ tangis, quæ sapis, tantum gutta sunt ad oceanum bonorum omnium, qui est in creatore Deo. Si ergo rapit te species floris, fructus, aut personæ pulchræ, noli ea capi; sed mentem transfer ad speciem increatam et immensam, quæ hæc omnia pulchra, quasi radios quosdam ex se diffudit, atque in se omnium florum, fructuum, seminum, rerum omnium, imo mundorum infinitorum possibilium, quos creare potest, pulchritudinem eminenter continet et complectitur; noli decori creaturæ modico et umbratico cor affigere, ut verum et immensum decorem perdas; noli cum cane Æsopico umbram carnis sequi, ut ipsam carnem tibi sinas excidere; noli guttæ inhiare, ut fontem et pelagus bonorum amittas, ut pro gutta mellis recipias mare fellis; sed ama bonum unum, bonum verum, in quo sunt bona omnia, pulchrum unum, in quo sunt pulchra omnia. Dic tibi, dic Deo : Deus meus, amor meus. Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.»

DE OPERE QUARTÆ DIEI.

Vers. 14.

14. FIANT LUMINARIA IN FIRMAMENTO. — Quæres, quomodo hoc sit factum? Nota *primo*, firmamentum hic, non tantum significare octavum cœlum stellatum, sed sumi pro expansione omnium orbium cœlestium. Hos enim omnes significat Hebræum רקיע *rakia*; et Moses loquitur rudibus Hebræis, qui hos orbes non norant distinguere.

Astra non sunt animata.

Nota *secundo*, licet Plato asserat, et S. Augustinus, *Enchir.* cap. LVIII, dubitet an sol, luna et astra sint animata, et utantur ratione, ac consequenter an aliquando beanda sint cum hominibus et angelis : tamen certum est jam, nec cœlos esse rationales, nec astra; nec enim cœli, vel astra habent corpus organicum. Rursum, motus eorum circularis, perpetuus et naturalis, arguit principium illius motus, puta naturam eorum non esse liberam, nec rationalem, sed inanimam et plane determinatam : ita S. Hieronymus in *Isaiæ* XLV, et passim Patres et Philosophi. Errat ergo Philo more suo platonizans lib. *De Opificio sex dierum*, docens stellas esse animalia intelligentia. Rursum errat Philastrius, dum ait : Est hæresis asserens stellas esse cœlo infixas, cum certum sit eas in cœlo moveri, sicut aves moventur in aere, et sicut pisces natant in aqua. Contrarium enim docent omnes Astronomi, scilicet stellas suo orbi affixas esse, cum eoque moveri et rotari, puta cum cœlo octavo, sive sidereo.

Stellæ specie

Suppono *tertio*, verius esse stellas et planetas omnes specie distingui a suis orbibus sive cœlis; rursum stellas a planetis, denique planetas ab invicem specie distingui. Probatur id *primo*, quia stellæ et planetæ fulgent mira luce qua carent orbes. Rursum, stellæ ex se suaque natura sunt lucidæ. Negat hoc Albertus, Avicenna, Beda, et Plinius lib. II, cap. VI, sed asserunt alii passim, et patet experientia; nam nullum unquam in eis cernitur, etiam per dioptram, luminis incrementum aut decrementum, sive ad solem accedant, sive ab eo recedant. *Secundo* et potius, quia distant a sole longissime, scilicet 76 millionibus milliarium, uti mox dicam : eousque autem non potest se porrigere vis et lumen solis. Stellæ dico : nam clarum est lunam non lucere ex se, sed a sole lumen suum mutuari. Idem verisimile est de aliis planetis. Nam Venerem, æque ac Lunam per statas temporum vices, quibus ad solem magis minusque accedit, corniculari, crescere et decrescere, ego ipse cum multis aliis Matheseos peritis, per dioptram clare perspexi. *Tertio*, idem patet ex eo, quod stellæ miros habeant influxus et miram vim in hæc inferiora, quam non habent ipsi orbes. Planetæ etiam proprios motus habent, vires, influxus in terram et mare, eosque admirabiles, maxime luna; ergo pariter naturam ab aliis diversam habent: ita Molina et alii.

distinguuntur a suis orbibus et a planetis.

Dixi stellas a planetis differre specie : nam verisimile est multas stellas esse ejusdem speciei, scilicet illas, quæ habent eumdem modum influendi in hæc inferiora : nam quæ diversum habent, diversæ sunt speciei. Hic diversus modus

colligitur ex diversitate effectus siccitatis, humiditatis, caliditatis, frigiditatis, quem producunt in terra. Nunc

Unde facta sint sidera?

Dico : Deus hoc die quarto partem unam cœlorum rarefecit, ut condensaret aliam, scilicet lucidam illam quæ primo die creata est, et dicta est lux; vers. 3; in eamque ita condensatam, expulsa cœlorum forma, novam formam solis, lunæ et stellarum induxit : simili modo ex aquis die secundo fecit firmamentum. Errant ergo veteres, qui stellas putarunt ex igne productas esse, esseque igneas. Unde Poeta :

> Vos æterni ignes, et non violabile numen,
> Testor.

Errant et illi, qui astra secundum substantiam producta esse censent primo die; hoc vero die quarto tantum accidentibus, puta luce, motu proprio, et virtute influendi in hæc inferiora, dotata esse.

Quomodo in resurrectione Deus faciet solem novum?

Pari modo Molina et alii probabiliter putant, quod in resurrectione Deus producet alium solem, qui habeat aliam formam, non tantum accidentalem, sed substantialem, utpote qui naturaliter septuplum plus lucis habiturus sit, quam habeat hic noster, ut ait Isaias cap. XXX, 26.

Rursum, hoc die quarto Deus planetarum orbes divisit in suas partes, seu circulos excentricos, concentricos, epicyclos, si quæ sunt hujusmodi; nam Aristoteles hæc omnia negat, dum docet planetas tantum moveri motu sui orbis. Astrologi vero, et Scotus cum suis, ea statuunt, quia docent planetas in suo orbe per se moveri, secundum excentricos et epicyclos.

In qua parte cœli productus sol?

Nota. Ex dictis in opere tertiæ diei sequitur, solem productum esse in principio Arietis. Ita Beda : tunc enim ver incipit. Lunam vero productam esse in opposito solis, puta in principio Libræ. Erat ergo tunc plenilunium, uti definit Concilium Palæstinum supra; ita ut sol unum hemisphærium, luna alterum illuminaret. Ita Molina et alii.

LUMINARIA. — Hebraice מאורות *meorot*, a radice אור *or*, id est lux. Sol ergo est *or*. Inde Ægyptii solem et annum qui cursu solis describitur, vocarunt Horum. Inde annus a Græcis dictus est ὥρος, inde ὥρα vocatur anni pars quælibet primaria, puta Ver, Autumnus, Æstas, Hiems. Inde per synecdochen diem, ac tandem diei notam partem, quam vulgo horam vocamus, ὥραν nuncuparunt. Vide ut horæ etymon ab Hebræis ad Ægyptios, ab his ad Græcos et Latinos manarit. Ita ex P. Clavio noster Voellus, lib. I *De Horolog.* cap. I, in Scholiis. Ab Hebræis enim ad Ægyptios et Græcos profluxit omnis scientia, præsertim Mathesis, ac horarum ratio, et horologiorum fabrica. Unde primum horologium quod in historiis tam sacris quam profanis reperimus, fuit Achaz, patris Ezechiæ regis Juda, *Isaiæ* XXXVIII, 8. Ita P. Clavius, lib. I *Gnomon.*, pag. 7.

DIVIDANT DIEM AC NOCTEM, — *q. d.* Discriminent diem ac noctem, itaque hominibus et animantibus mox producendis vices laboris et quietis indicent. Rursum dividant diem et noctem, quoad situm et quoad hemisphærium, ut dum in uno est sol et dies, in altero sit nox et luna quæ præest nocti. Ex hoc enim loco videtur, quod luna creata sit in opposito solis, uti dixi.

Symbolice, Innocentius III Pontifex scribens ad Imperatorem Constantinopolitanum, lib. I *Decretal.* tit. XXXIII, cap. *Solidæ* : « Ad firmamentum, inquit, cœli, id est universalis Ecclesiæ, fecit Deus duo luminaria magna, id est duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis auctoritas et regalis potestas. Sed illa quæ præest diebus, id est spiritualibus, major est; quæ vero carnalibus, minor : ut quanta est inter solem et lunam, tanta inter Pontifices et reges differentia cognoscatur. »

ET SINT IN SIGNA, ET TEMPORA, ET DIES, ET ANNOS. — « In signa, » non prognostica astrologiæ judiciariæ, hæc enim damnat Scriptura, *Isaiæ* XLII, 25; *Jerem.* X, 2. Licet enim astra influendo corporum dispositionem et complexionem immutent, indeque animam eodem inclinent, non tamen eam necessitant. Esto enim anima sæpe corporis complexionem imitetur, unde cholericos experimur esse iracundos; sanguineos esse benignos; melancholicos esse suspicaces, timidos; pusillanimes et invidos; et phlegmaticos esse pigros : voluntas tamen, maxime per gratiam adjuta, et corpori et passionibus hisce dominatur; unde multos cholericos videmus mansuetos, et melancholicos benignos et magnanimos. Sapiens ergo dominabitur astris.

Cujus rei signa sint astra?

Itaque sol et luna « sint in signa, » scilicet, prognostica pluviæ, serenitatis, gelu, ventorum, etc. v. g. luna « si tertio die a novilunio tenuis sit, puroque nitore fulgeat, serenitatem constantem prænuntiat : sin crassa cornibus subrubicundaque cernatur, aut impetuosam et immodicam e nubibus aquam, aut horridam Austri concitationem minatur, » ait S. Basilius hom. 6 *Hexam.*; et inferius : Luna, inquit, humectat, ut patet tum in iis qui sub dio lunaque dormiunt, quorum capita ultra modum humore replentur; tum in cerebris animalium et medullis arborum, quæ cum luna augentur et crescunt. Rursum luna causat et signat maris æstus et reciprocationes. *Secundo*, sint in signa serendi, plantandi, metendi, navigandi, vindemiandi, etc. *Tertio* et proprie, sint in signa dierum, mensium et annorum, ut sit hendiadys, vel in signa et tempora : id est in signa temporanea, vel in signa temporum : in signa et dies, id est in signa dierum : in signa et annos, id est in signa annorum; annus enim describitur uno solis cursu, et una gyratione per Zodiacum, duodecim vero lunationibus, dum videlicet luna duodecies percurrit Zodiacum.

Nota, per *tempora* hic intelligi ver, æstatem,

hiemem et autumnum. Item tempora sicca; calida, humida, procellosa, salubria, morbida : horum enim signa et causa sunt sol et luna.

Symbolice et anagogice, S. Augustinus lib. XIII *De Gen. ad litt.* cap. XIII, in Opere Imperfecto: « Sint, ait, in signa et tempora, » id est discriminent tempora, quæ intervallorum distinctione, æternitatem incommutabilem supra se manere significent. Signum enim et quasi vestigium æternitatis videtur esse hoc nostrum tempus, ut hinc discamus a signo ad signatum, puta a tempore ad æternitatem ascendere, dicereque cum S. Ignatio : « Quomodo sordet mihi terra, cum cœlum aspicio ! » Vere S. Augustinus in *Sentent.*, Sent. 270 : « Inter temporalia, inquit, et æterna hoc interest; quod temporalia plus diligantur, antequam habeantur, vilescunt autem cum advenerint : non enim satiat animum, nisi incorruptibilis gaudii vera et certa æternitas; æternum vero ardentius diligitur adeptum, quam desideratum, quia ibi plus adeptura est charitas, quam fides credidit, vel spes desideravit. » Vide S. Augustini hac de re colloquium cum matre Monica, lib. IX *Confess.* cap. X.

ET DIES ET ANNOS, — *q. d.* Ut sol, luna et stellæ sint indices dierum omnium naturalium, artificialium, festorum, criticorum, forensium, et nundinarum, annorum quoque lunarium, solarium, magnorum, criticorum, etc., de quibus Censorinus et Macrobius. Ita Basilius et Theodoretus.

Vers. 16. 16. FECITQUE DUO LUMINARIA MAGNA, — solem et lunam. Licet enim luna omnibus astris, excepto Mercurio, sit minor, tamen quia citima est et vicinissima terræ, hinc videtur omnibus aliis esse major, æque ac sol. Rursum luna majori, quam cæteræ stellæ, pollet efficacia et virtute agendi in hæc inferiora. Ita S. Chrysostomus hic *hom.* 6, Pererius, et P. Clavius in *Sphæra* cap. I, ubi docet terram in se continere lunæ magnitudinem trigesies novies, ita ut luna tantum sit trigesima nona pars terræ. Acute Secundus philosophus interrogatus ab Adriano imperatore : « Quid est sol? » respondit : « Cœli oculus, splendor sine occasu, diei ornatus, horarum distributor. Quid luna? Cœli purpura, solis æmula, maleficiorum inimica, solamen iter agentium, præsagium tempestatum. » Epictetus vero eidem Adriano : « Luna, ait, est diei adjutrix, noctis oculus; stellæ sunt fata hominum. » Sed hoc ultimum est error Genethliacorum. Præclarius *Eccli.* XLIII, 2 et seq. : « Sol, ait, vas, » id est organum, instrumentum, « admirabile Excelsi, exurens montes, radios igneos exsufflans. Luna, ostensio temporis et signum ævi. A luna signum diei festi. Vas castrorum in excelsis, in firmamento cœli resplendens gloriose, » *q. d.* Stellæ quæ in firmamento resplendent, sunt quasi vasa, id est arma, bellica Dei. « Species cœli gloria stellarum, mundum illuminans in excelsis Dominus. In verbis sancti stabunt ad judicium, » *q. d.* Stellæ Dei præceptо stant ad judicium, hoc est, ad ejus sententiam et imperium exequendum, « et non deficient in vigiliis suis. » Stellæ enim, quasi milites et vigiles Dei, perpetuo excubant intenti ad omnem ejus nutum (1).

Symbolice S. Basilius, hom. 6 *Hexam* : Luna, inquit, quæ perpetuo vel crescit, vel decrescit, inconstantiæ est symbolum, notatque omnes res humanas, utpote quæ illi subsunt, quibusque illa dominatur, in perpetua esse mutatione : sol vero semper sibi similis mentis constantis est symbolum. Hinc Sapiens : « Homo sanctus, ait, in sapientia manet sicut sol; nam stultus sicut luna mutatur, *Eccli.* XXVII, 12.

ET STELLAS, — ut scilicet una cum luna nocti præsint, eamque illuminent, *Psal.* CXXXV, 7. Docent Astronomi miram esse altitudinem, ac consequenter magnitudinem orbium cœlestium et stellarum, ita ut terra, quæ centrum mundi, eorum respectu sit instar puncti : perinde ut omnes opes, bona et gaudia terrena, sunt quasi punctum, respectu cœlestium, seque habent uti gutta ad totum mare. Mira cœlorum magnitudo, terræ vero parvitas.

Nam *primo*, docent solem in se continere totam quantitatem terræ centies et sexagesies, eumque a terra distare quatuor millionibus milliarium, sive leucarum (millionem voco decies centena millia) et amplius : minutias enim numerorum hic omitto; unde sequitur, tantam esse periphæriam et vastitatem orbis solaris, ut sol 24 horis suum circulum peragens, una hora percurrat 1, 140, 000 milliarium; hoc est unum millionem, et centum quadraginta millia milliarium : quod tantumdem est, ac si terræ ambitum et gyrum circumcurreret quinquagies. Ambitus enim convexi cœli solis continet 27 milliones, et trecenta sexaginta millia milliarium, quæ si in 24 horas dividas, invenies numerum jam dictum, et paulo amplius. Conjice ex his quantus sit Deus. « Nam sol et luna collati ad creatorem, culicis et formicæ rationem obtinent, » ait S. Basilius, hom. 6 *Hexam.* Sol distat a terra quatuor millionibus milliarium.

Secundo, docent terram a concavo firmamenti, sive cœli octavi et stellati, distare octoginta millionibus cum medio milliarium : spissitudinem vero firmamenti esse eamdem, scilicet octoginta millionum; quanta ergo debet esse distantia, spissitudo et amplitudo cœli noni, decimi, et si qui alii iis sunt superiores, ac maxime cœli empyrei? Firmamentum distat a terra 80 millionibus milliarium.

Unde *tertio*, docent quodlibet punctum æquinoctialis, et quamvis stellam in æquinoctiali positam singulis horis conficere 42 milliones milliarium, et insuper tertiam partem millionis, hoc est tantum, quantum eques 40 milliaria quotidie conficiens, posset 2, 904 annis conficere : rursum tantum, quantum si quis una hora bis millies Stella singulis horis conficit 42 milliones milliarium.

(1) Cf. Plinii magnificam solis descriptionem, quæ exstat *Hist. Nat.* lib. II, cap. IV; necnon Ciceronis *Tuscul. Quæst.* lib. I, n. 68.

ambitum terræ obiret et circumcurreret. Longe plus spatii conficit, ideoque longe velocius est nonum cœlum, ac magis decimum, quod putant esse primum mobile; cogita ergo quam velox sit tempus.

Temporis velocitas quanta?

Est enim tempus tam velox, quam est ipse motus primi mobilis, cujus est mensura; tempus ergo longe velocius fertur quam sagitta, aut quam globus tormento æneo ejaculatus : hic enim globus egeret 40 diebus ad hoc, ut totum terræ ambitum obiret, quem stella, ut dixi, una hora obit bis millies; instar ergo fulguris volat irrevocabile tempus : instar fulguris cum tempore ferimur et rapimur ad æternitatem. « Tu dormis, inquit S. Ambrosius in *Psiam.* I, et tempus tuum » non dormit, sed « ambulat; » imo volat.

Lapis molaris e firmamento in terram caderet 90 annis.

Inde *quarto*, deducunt, si lapis molaris inciperet cadere a convexo firmamenti versus terram, opus haberet nonaginta annis, ut decideret, et terram attingeret, etiam si singulis horis caderet, et descenderet ad ducenta milliaria; naturaliter enim non posset amplius spatii transmittere. Divide enim 160 milliones (tot enim sunt a terra ad convexum firmamenti) in dies et annos, dando cuique horæ 200 milliaria, et invenies rem ita se habere (1).

Sex magnitudinum differentiæ stellarum.

Quinto, docent nullam stellam esse in firmamento, quæ non decies octies major sit toto globo terræ : quin vero ex Ptolemæi et Alphragani sententia, stellas omnes dividunt in sex magnitudinum differentias. Stellæ, inquiunt, primæ et summæ magnitudinis sunt numero 17, quarum quælibet major est tota terra centies et septies; secundæ magnitudinis sunt numero 45, quarum quælibet major est terra nonagies; tertiæ magnitudinis sunt 208, quarum quælibet major est terra septuagesies et bis; quartæ magnitudinis sunt 264, quarum quælibet major est terra quinquagesies quater; quintæ magnitudinis sunt 217, quarum quælibet major est terra trigesies quinquies. Sextæ et infimæ magnitudinis sunt 249, quarum quælibet major est terra decies et octies.

Vastitas cœli empyrei.

Sexto, docent, quod multo minor sit proportio totius mundi, intra concavum firmamenti contenti, ad complexum cœli empyrei, quam sit globi terræ ad ipsum firmamentum.

Octo millibus annorum quis et terra non ascenderet ad cœlum empyreum?

Septimo, ex dictis deducunt, quod si bis mille annis viveres, et quotidie directe in altum ascenderes ad centum milliaria, idque continuo, post bis mille annos necdum pervenires ad concavum firmamenti (bis mille enim annis hoc modo tantum conficeres 73 milliones milliar., hic autem sunt 80) : rursum, post alios bis mille annos tantumdem quotidie ascendens, non pervenires a concavo ad convexum firmamenti : denique post quatuor et plura annorum millia, tantumdem quotidie ascendens, non pervenires a convexo firmamenti ad cœlum empyreum. Hæc et plura docet P. Christophus Clavius in *Sphæra*, cap. I.

Si ergo in stella aliqua, et multo magis si in cœlo empyreo consisteremus, et despiceremus hunc terræ globulum, an non exclamaremus: Hoc est punctum, cui inhiant filii Adæ, quasi formicæ : hoc est punctum, quod inter mortales ferro et igni dividitur. O quam angusti sunt mortalium termini, o quam angusti sunt mortalium animi! « O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus! » Despice ergo punctum hoc, et suspice cœli ambitum : quidquid hic vides, exiguum est et breve : immensa et æterna cogita. Quis hæc cogitans tam amens sit et stolidus, ut inique punctum ex hoc puncto, puta agrum, domum, aut rem aliam proximo per vim aut fraudem surripere, itaque se immensis orbium supernorum spatiis fraudare et excludere velit? Quis punctum terræ præferat cœlorum immensitati? quis particula terræ rubræ vel albæ (nec enim aliud est aurum et argentum) vendat vastissima et radiantissima stellarum palatia? Pauper ergo es? cœlum cogita; infirmaris? sustine, sic itur ad astra; contemneris, rideris, persecutionem pateris? tolera, sic itur ad astra; geme, stude, labora, suda modicum, sic itur ad empyreum.

Ita S. Symphorianus adolescens cum sub Aureliano Imperatore ad martyrium raperetur, mater eum hisce verbis animavit : « Nate, nate, memento æternæ vitæ, cœlum suspice, et ibi regnantem intuere : tibi enim vita non eripitur, sed mutatur in melius. » Quibus verbis ille accensus, datis fortiter carnifici cervicibus, martyr in cœlum evolavit.

Ita nostro hoc sæculo matrona illa generosa, fidei causa in Anglia damnata ad mortem horrendam, ut scilicet saxo acuto incubans, superne imposito gravi pondere premeretur, dum vita ei et anima exprimeretur, aliis horrentibus, ipsa læta cycnæum canens : « Tam brevis, ait, via est quæ ducit ad cœlum : post sex horas super solem et lunam evehar, astra pedibus premam; empyreum inibo. »

Ita S. Vincentius mente in cœlum se librans vicit, imo risit omnia Daciani tormenta; cumque in equuleo sublatus ab eo per ludibrium rogaretur, ubinam esset : « In sublimi, ait, unde te potestate terrena tumentem altior despicio; » graviora minitanti : « Non minari mihi videris, » respondit, « sed, quod votis omnibus concupieram, offerre. » Igitur cum ungulas, faces, prunas toto corpore dilacerato constanter exciperet, ait : « Frustra fatigaris, Daciane : non potes tam horrenda excogitare tormenta, quam ipse paratus sum sustinere. Carcer, ungulæ, candentes laminæ morsque ipsa, ludus jocusque Christianis sunt, non tormentum : » cœlum enim cogitant.

Ita S. Menas Ægyptius Martyr, atrocibus affectus suppliciis, dicebat : « Nihil est quod conferri possit cum regno cœlorum; neque enim potest

(1) Cf. Desdouits, *Le livre de la nature*, t. IV, passim.

totus mundus, æqua lance expensus, uni comparari animæ. »

Ita S. Apronianus cum ad Sisinnium Martyrem vocem cœlitus missam audisset : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum vobis a constitutione mundi paratum ; » baptismum petiit, eademque die Martyr factus est, qua et Christianus.

Symbolice et tropologice, Firmamentum est S. Ecclesia, quæ est firmamentum et columna veritatis, ut ait Apostolus, I *Timoth.* III, 15, in quo sol est Christus, luna B. Virgo, stellæ fixæ cæteri Sancti, qui a Christo quasi sole suum lumen participant. Unde non sunt sicut planetæ, qui solem subinde, medios se interponendo, nobis abscondunt et tegunt, ac motus habent vagos retroque redeunt; sed sicut stellæ quæ semper solem, id est Christum, reverentur, ostendunt et prædicant, ab eoque se omne suum lumen habere testantur et gloriantur, atque cum Paulo ; quæ retro sunt obliviscentes, semper in anteriora directo cursu contendunt. Itaque *primo*, sicut stellæ sunt in cœlo, ita Sancti mente et vita versantur in cœlis, orant crebro ac cum Deo et angelis colloquuntur. Hinc amant secretum, fugiunt vana hominum colloquia mundique illecebras. *Secundo*, stellæ, licet sint majores tota terra, tamen, parvæ apparent ob distantiam et celsitudinem; et quo celsiores sunt, eo minores videntur : ita Sancti sunt humiles, et quo sanctiores, eo humiliores. Hinc stellæ docent nos patientiam, ait S. Augustinus in *Ps.* XCIII. Nam citans illud Apostoli *Philip.* II : *In medio nationis pravæ atque perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo* : « Quanta, ait, de ipsis luminaribus et luna fingunt homines? et patienter ferunt. Convitia fiunt stellis : quid illæ? numquid moventur, aut non exercent cursus suos? Quanta de ipsis luminaribus quidam dicunt? et ferunt, et tolerant, et non moventur. Quare? quia in cœlo sunt. Sic et homo qui in natione perversa et tortuosa habet verbum Dei, sicut luminare est fulgens in cœlo. » Sicut ergo stellæ ob probra hominum non relinquunt cursum sibi a Deo ordinatum : sic nec justi ob convitia hominum debent relinquere viam virtutis, pietatis et zeli sibi a Deo ostensam et inditam. Quare vir pius non pluris faciet dicteria sannionum, quam luna facit sannas puerorum, vel latratus canum sibi, dum splendet tota nocte, oblatrantium. *Tertio*, stellæ docent mentis celsitudinem et immobilitatem in tot adversis et injuriis, ut quasi stellæ despiciant omnia, tam mala quam bona, quæ fiunt in mundo. Nam, ut ait ibidem Augustinus : « Committuntur tanta mala, nec deviant desuper stellæ fixæ in cœlo agentes per tractus cœlestes, quos illis præstituit et constituit creator ipsarum : sic debent Sancti, sed si in cœlo figantur corda eorum, si imitentur eum qui dicit : Nostra conversatio in cœlis est. Qui ergo sunt in supernis, et de supernis cogitant, de ipsis cogitationibus supernorum patientes fiunt. Et quidquid in terra committitur sic non curant, donec peragant itinera sua; et sicut ferunt quæ in alios fiunt, sic ferunt et quæ in ipsos fiunt, quomodo luminaria. Nam qui perdiderit tolerantiam, cecidit de cœlo. » *Quarto*, stellæ lucent, totumque orbem noctu illuminant, idque semper æquali luci : sic et Sancti in nocte hujus sæculi præfulgent, viamque virtutis et iter in cœlum verbo et exemplo omnibus ostendunt, idque æquali semper serenitate mentis et vultus ac constantia, tam in adversis quam in prosperis. Porro lux stellarum non est sicut lux candelæ, lucernæ, tedæ, quæ sevo, oleo, cera alitur, eamque depascitur, eaque depasta emoritur. Huic enim similes sunt, qui virtuti student ob respectus carnales et humanos, ob lucra, etc. v. g. ut laudentur ab hominibus, ut dignitates vel opes assequantur. Mox enim ut hæc cessant, cessat et eorum virtus ac devotio; Sancti perlucent semper ut stellæ, quia ex Deo, ipsiquo Deo lucent : soli enim Deo placere, Deique honorem propagare satagunt. *Quinto*, lux stellarum est purissima, æque ac stellæ : ita Sancti castitatem et puritatem angelicam consectantur. Hinc sicut in stellis nihil est nubili, caliginis aut fusci, sic in Sanctis nulla est melancholia, nulla ira, nulla turbatio, nulla suspicio; quia omnia oculis lucidis et benignis instar stellarum intuentur. Nesciunt quid sit simulatio, fraus, malitia : charitas enim non cogitat malum. Quocirca videntur esse quasi impeccabiles. *Sexto*, lux solis et stellarum est velocissima; in instanti enim spargit et propagat se per totum orbem : ita Sancti veloces sunt ad opera Dei, præsertim viri Apostolici, qui per provincias evangelizando discurrunt, quibus recte competit illud *Isaiæ* XVIII, 2 : « Ite, angeli veloces, ad gentem convulsam et dilaceratam, ad populum terribilem, post quem non est alius. » *Septimo*, lux stellarum est spiritalis : ita spiritalis est Sanctorum sermo, æque ac cogitatio et conversatio. *Octavo*, lux solis et stellarum, etiam si cloacas, fimeta, cadavera et sterquilinia illuminet, iis tamen ne vel hilum fœdatur vel inficitur : ita Sancti conversantes cum peccatoribus, eorum peccatis non inquinantur, sed potius eos illuminant, sibique similes, id est lucidos et sanctos, efficiunt. *Nono*, lux solis et stellarum ita lucet, ut et calefaciat. Unde per eam omnia vivificantur, vegetantur et crescunt : ita Sancti alios charitate inflammant adeoque lucent ut ardeant; non vero ardent ut luceant, uti de S. Joanne Baptista ait Christus : « Ille erat lucerna ardens et lucens, » non, lucens et ardens, uti recte observat et explicat S Bernardus, serm. *De S. Joanne Baptista* : « Est enim, ait, tantum lucere vanum, tantum ardere parum, ardere et lucere perfectum. » Denique in cœlesti gloria fulgebunt ut stellæ, uti docet Apostolus I *Corinth.* XV, 41, et Daniel cap. XII, 3 : « Qui, ait, docti fuerint fulgebunt ut splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æter-

Stellæ sunt Sancti ob decem analogias.

nitates. » Accedit, quod stellæ suam substantiam et quantitatem vastissimam abscondunt, tantumque lucem exiguam instar scintillæ ostendunt, per quam apparent et emicant. Ita Sancti se suasque virtutes, gratiam et gloriam hominibus abscondunt et latere appetunt. Quocirca opera eorum lucent quidem, ut ex eis homines glorificent Deum; sed eo modo ut ipsi lucem operum ostendant, personam vero suam a qua manat opus, quantum in se est, occultent : vellent enim non videri, ut homines videntes opus, nec videntes auctorem, illud in Deum, qui est pater omnium luminum, referant, eumque celebrent (1).

(1) Conf. Sepp, op. cit. II, pag. 891.

DE OPERE QUINTÆ DIEI.

Vers. 20. **20. PRODUCANT AQUÆ REPTILE ET VOLATILE.**

Ex qua materia aves sint factæ?

Quæres, an aves ex aqua sint factæ. Cajetanus et Catharinus negant, putantque aves ex terra esse factas : id enim asseri videtur cap. II, 19, et hoc versu Hebræa insinuant solos pisces ex aqua esse productos; sic enim habent ad verbum, « Producant aquæ reptile (scilicet pisces), et volatile volet super terram. » Verum communis S. Hieronymi, Augustini, Cyrilli, Damasceni aliorumque Patrum (præter Rupertum), quos citat Pererius, sententia est, tam aves, quam pisces ex aqua, quasi materia, esse productas; hoc enim clare docet tam nostra versio, quam Septuaginta et Chaldæus, qui omnes in Hebræo intelligunt relativum אשר *ascer*, id est *quod* (hoc enim Hebræis est familiare), quasi dicatur : « Producant aquæ reptile et volatile, quod volet super terram. » Ad locum *Gen.* II, 19, ibi respondebo. Hinc Philo aves vocat piscium cognatas.

In quibus conveniant aves et pisces?

Dices, aves et pisces sunt omnino dispares et dissimiles : ergo non videntur ex aqua factæ esse aves, sed tantum pisces. Respondeo, negando antecedens : nam magna est avium et piscium cognatio, ut recte docet S. Ambrosius, lib I

Primo. *Hexam.* cap XIV. *Primo*, quia aqua, qui est locus piscium, et aer, qui est locus avium, sunt elementa vicina et cognata : utrumque enim est diaphanum, humidum, molle, subtile, agitabile. Hinc aer facile in aquam vertitur, et vicissim aqua

Secundo. in aerem. *Secundo*, quia tam avibus, quam piscibus inest levitas et agilitas. Quod enim avibus sunt alæ, hoc piscibus sunt pinnæ et squamæ. Hinc et tam aves, quam pisces non habent vesicam, nec lac, nec mammas, ne volatum aut natationem

Tertio. impediant. *Tertio*, similis utrisque est motus : quod enim natatus est piscibus, hoc volatus est avibus, ita ut pisces videantur esse aves aquatiles, et vicissim aves videantur esse pisces aerii. Rursum tam aves, quam pisces cauda suum iter et cursum dirigunt, ita ut ab iis, ac nominatim a milvo, navigandi artem homines didicisse vi-

Quarto. deantur, ait Plinius lib. X, cap. X. *Quarto*, multæ aves sunt aquatiles, ut cycni, anseres, anates, fulicæ, merguli, halcyones.

Denique respondet S. Augustinus, lib. III *De Gen. ad litt.* cap. III, et S. Thomas I *part., Quæst.* LXXI, art. 1, pisces factos esse ex aqua densiori; aves vero ex aqua subtiliori, quæ ad aerem accedit, vel in vaporem et nubem est versa : sunt enim aves temperamenti aerii magis quam aquei.

PRODUCANT. — Hebraice ישרצו *iisretsu*, id est ebulliant et scaturiant in magna copia. Est hoc verbum proprium piscibus et ranis, eorumque miram fœcunditatem, propagationem et prolificationem significat. Hinc ob humoris luxuriem, pisces indociles et stolidi sunt, nec ab homine domari aut cicurari possunt, ait S. Basilius hom. 7 *Hexam.* « Rursum nihil, ait, in piscium genere, dimidia parte dentibus est armatum, ut bos, vel ovis : neque enim quisquam piscis ruminat, nisi scarus solus; sed omnes acutissima frequentium dentium acie communiuntur, ne, si mora in molendo traheretur, diffluerat alimentum per humorem. Quidam limo, quidam alga vescuntur : alter alterum devorat, et minor est esca majoris, et sæpe uterque alterius tertii præda fit. » Sic apud homines potentior spoliat debiliorem, et hic rursum potentioris fit præda. Cancer ut ostrei carnes devoret, cum illud concham ad solem pandit, in illam lapillum injicit, ut claudi nequeat, itaque eam invadit et depascitur. Cancri sunt astuti fures et raptores. Polypus cuicumque saxo adhæret, illius colorem induit; itaque pisces ad se quasi ad saxum adnatantes, capit et vorat. Polypi sunt hypocritæ, qui cum castis fingunt se castos, cum spurcis spurcos, cum gulosis gulosos, etc., ac proinde rapaces lupos eos vocat Christus. Pisces dicunt : « Eamus ad Aquilonium mare. Illa enim cæteris æquoribus aqua dulcior est, propterea quod modicam in eo moram sol trahens, non universum suis exhaurit radiis quod potulentum est. Animantes enim æquoreæ dulcibus humoribus gaudent : unde fit ut ad flumina sæpe adnatent, longeque a mari discedant. Hac de causa Pontum ipsi sinibus æquoreis cæteris anteponunt, ut ad effundendos nutriendosque fœtus magis idoneum. » Disce, o homo, a piscibus providentiam, ut tibi de iis quæ saluti conducunt prospicias. « Herinaceus marinus cum ventorum perturbationem præsenserit, calculum haud exiguum subit, sub ipso tanquam sub anchora seipsum stabiliens. Id ubi nautici conspiciunt, futuram tempestatem præsagiunt. Vipera murenæ marinæ nuptias expetit, et sibilo suam significat præsentiam; illa autem accurrit, et coit cum venenato. Quid hæc mea ratio portendit? sive asper,

sive temulentus est maritus, perferat illum uxor. Sed et maritus audiat : vipera virus ob nuptiarum venerationem evomit; tu duritiam animi, tu feritatem, tu crudelitatem ob unionis reverentiam non deponis? An exemplum viperæ nobis et alio modo prodest? Adulterium naturæ quoddam est, viperæ murenæque complexus; discant ergo illi qui alienis insidiantur nuptiis, cuinam reptili sint similes. » Miratur deinde S. Basilius quomodo in salem cogatur maris aqua, quomodo corallium in mari sit herba, sed cum in aerem effertur in lapidem transgeletur; quomodo vilissimis ostreis pretiosos uniones natura impresserit; quomodo ex purpuræ vilis pisciculi sanguine fiat color purpureus, quo vestes regum tinguntur; quomodo remora pisculus si carinis adhæserit, naves, etiam valido vento actas, sistat et immobiles reddat. Hæc omnia S. Basilius *hom.* 7. Idem de remora tradit Plinius, Plutarchus, Aldrovandus, qui causam referunt in arcanam qualitatem remoræ a natura inditam, qualis est in magnete ad attrahendum ferrum et indicandum polum. Porro iis omnibus S. Basilius docet *primo*, admirari Dei potentiam, sapientiam et munificentiam in hoc maris theatro, eique pro tot beneficiis, quot sunt pisces, imo guttæ in mari, jugiter gratias agere. *Secundo*, ostendit quomodo debeamus ex piscibus aliisque animalibus et creaturis singulis, congrua elicere documenta vitæ, omnesque earum dotes et actiones accommodare ad informationem morum : in speculum enim, æque ac in auxilium a Deo datæ sunt homini. Ita Sapiens *Proverb.* VI, 6, hominem inertem amandat ad formicas : « Vade, ait; ad formicam; o piger, et considera vias ejus, et disce sapientiam, quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi, et congregat in messe quod comedat. »

REPTILE ANIMÆ VIVENTIS,—id est, reptile habens animam viventis, sive animalis sentientis. Reptilia vocat pisces, quia pisces non habent pedes, sed ventre incubant aquis, quasi repentes et remigantes. Ad pisces refer amphibia, uti sunt fibri; lutræ, hippopotami; quæ licet pedes habeant, iis tamen non gradiuntur, dum sunt in aquis, sed iis natando utuntur pro remigio.

Amphibia ad pisces referenda.

Vers. 21. 21. CREAVITQUE DEUS CETE GRANDIA. « Cete » hebraice vocantur תנינים *tanninim*, quod significat dracones, et omnia ingentia animalia, tam terrestria quam aquatica, uti sunt balænæ, quæ sunt quasi dracones aquatici. Sic nomen cete commune est omnibus magnis et cetaceis piscibus, ut docet Gesnerus.

Judæi per *tanninim* accipiunt balænas maximas, quas duas tantum creatas esse dicunt (ne si plures essent, pisces omnes devorarent, et naves omnes absorberent), scilicet feminam, quam Deus occidit, et reservat eam justis ad epulandum tempore Messiæ; et masculum, quem reservat, ut cum eo certis horis ludat singulis diebus, juxta illud *Psal.* CIII : Draco iste quem formasti ad illudendum ei, » hebr. *ut ludas cum eo.* Hanc fabellam sumpserunt ex lib. IV *Esdræ* cap. VI, uti refert Lyranus et Abulensis. Hæc sunt deliria istorum sapientum.

Nota τὸ *cete grandia* : cum enim super aquas dorsum efferunt, ingentis insulæ speciem exhibent, ait S. Basilius et Theodoretus.

ET OMNEM ANIMAM VIVENTEM ATQUE MOTABILEM.— « Atque » hic significat, *id est*, quasi dicat : Creavit Deus omne animal vivens in aquis, quod scilicet in se habet principium motus, puta animam, qua se suopte nutu movere potest, ideoque vocatur motabile.

Vers. 22. 22. BENEDIXITQUE EIS DICENS : CRESCITE ET MULTIPLICAMINI. — Dei benedicere est benefacere; benefecit autem Deus piscibus et avibus, hoc ipso, quo tribuit eis appetitum, vim et potentiam generandi sibi simile, ut cum non possint ipsa in se individua semper manere, sed moriantur, maneant saltem in prolibus, et ita quasi æternitatem quamdam habeant : omnis enim res appetit sui conservationem et æternitatem; unde explicans subdit : « Crescite, » non magnitudine (hanc enim justam in prima sua creatione acceperunt), sed, ut hebraice est, פרו *peru*, id est fructificate, sive prolificate, ut numero multiplicemini; et vos, o pisces, replete aquas. Major est enim fœtura piscium quam avium; et avium major est quam sit animalium terrestrium; quia, ut ait Aristoteles, lib. III *de Generatione animal.* cap. XI, humor quo abundant pisces, naturam habet ad effingendum efformandumque habiliorem, quam terra.

Cur major fœtura piscium quam avium?

Adde, pisces et aves generare per ova, quæ facilius in matrice multiplicantur quam fœtus, quos utero gestant terrestria. Unde avibus et piscibus benedixisse Deus legitur, non autem terrestribus : licet, ut recte advertit S. Augustinus, lib. III *De Gen. ad litt.* cap. XIII, quod in uno expressum est, in altera simili æque subintelligi debeat. Homini vero legitur Deus benedixisse, tum quia homo dominus est animalium omnium, tum quia homo per omnes terræ provincias disseminandus erat, cum cætera animalia, alia alias terras naturaliter non sustineant.

Dices : Phœnix avis est unica in mundo : ergo in ea non est verum τὸ *crescite et multiplicamini.* Respondeo ad antecedens : Phœnicem existere multi veterum, non tam ex certa scientia, quam ex communi rumore asseruerunt. Verum posteriores Philosophi et Physici, qui de avibus exacte scripserunt, inter quos ultimus et exactissimus est Ulysses Aldrovandus, Phœnicem pro fabula habent, eumque non existere, nec unquam extitisse multis demonstrant. Phœnix ergo avis est, non vera, sed symbolica, uti ostendam cap. VII, vers. 2.

An phœnix unica avis existat?

S. Basilius, hom. 8 *Hexam.*, et ex eo S. Ambrosius, lib. V *Hexam.*, describit et miratur, *primo*, apum

industriam in favis construendis, melle legendo, disponendo, tutando, etc. *Secundo*, gruum excubias, quas noctu vicissim agunt, ut cæteras dormientes obeant et custodiant. Exacto enim tempore definito, illa quæ excubavit emisso clangore se ad somnum componit; alia vero succedit, et quam accepit, cæteris reddit excubando securitatem. Volant certo ordine quasi acie instructa : una velut dux præit, quæ stato tempore munere suo perfuncta, ad totius agminis se terga vertit, et ducendi munus ei quæ proxime sequitur, resignat. *Tertio*, mores ciconiarum, quæ stato tempore advolant et avolant; eas deducunt cornices; et contra alias aves tutantur. Signum præstitæ tutelæ est, quod cornices cum vulneribus redeunt. Rursum ciconiæ suos parentes senescentes, pennis propriis circumdatos fovent, victum laute subministrant, et utrimque suis eos sublevant alis. « Hæc est vectura pietatis, » ait S. Ambrosius. *Quarto*, nemo suam paupertatem deploret, si consideret hirundinem, quæ pro compingendo nidulo stramenta ore legit, perfertque : lutum autem cum deferre nequeat pedibus (utpote quos adeo breves parvosque habet, ut nullos habere videatur; ideoque vix consistere, sed fere volare cernitur), extremitates pennarum aqua madefacit, mox pulvere sese involvens, hoc pacto sibi lutum efformat, quo nidum compaginat, ibique positis ovis pullos excludit; quorum si quispiam pupugerit oculos, adhibita herba chelidonia rursum eos oculare novit. *Quarto*, halcedo juxta littus maris media fere hieme, cum sæviunt venti et procellæ, ova ponit, tumque illico silent et sopiuntur venti et procellæ, ac æquora placantur per septem totos dies, quibus ovis incubat, pullosque excludit halcedo; ac deinde succedunt alii septem sereni dies, quibus pullos enutrit. Unde nautæ secure tunc navigant. Hinc et poetæ dies tranquillos et serenos vocant halcyonios. Halcedo docet nos sperare in Deo : si enim ipse tantam serenitatem præstat uni aviculæ, quid non præstabit homini se invocanti? *Quinto*, turtur mortuo compare nulli alteri se jungens, docet viduas manere castas, nec ad alterius viri aspirare connubium. *Sexto*, aquila in pullos dura, eos mox deserit, imo subinde nido exturbat : hinc symbolum est parentum in filios suos crudelium. Ex adverso benigni in filios, sunt similes coturnicibus, quæ suos pullos jam volantes comitantur eisque aliquandiu alimoniam suppeditant. *Septimo*, vultures longæve (plerumque enim centenos annos vivunt) pariunt sine coitu. Has objicias Ethnicis, qui dicunt : Quomodo B. Virgo, manens virgo, potuit parere Christum? Idem habet S. Ambrosius, lib. V *Hexam.* cap. XX. Quin et Ælianus, lib. II *de Animal.* cap. XL; Horus, lib. I, *Hierogl.*; Isidorus, lib. XII; Origenes, cap. VII, et alii quos citat Aldrovandus in vulture, tradunt vultures omnes esse feminas, easque sine mare ex vento concipere et generare. Verum hæc omnia esse fabulosa docet Albertus Magnus, et ex eo Aldrovandus lib. III *Ornithol.*, pag. 244. Vultures enim sunt animalia perfecta, quæ omnia communi naturæ lege, utroque sexu gaudent, eoque generant et se propagant, uti cæteræ aves. Insuper vultures valent odoratu, et cadavera a centenis milliaribus, imo trans mare sita olfaciunt, ad eaque advolant : quin et videntur cædes præsagire; unde magnis gregibus sequuntur exercitus et castra. *Octavo*, vespertilio quadrupes est, et tamen alata, quasi avis : unde parit animal, ut quadrupes; et alas habet, non pennis distinctas, sed continuas instar membranæ coriaceæ. His, et noctuis similes sunt qui sapiunt in rebus vanis, non veris et solidis; instar enim noctuæ, acies eorum sole illucescente hebetatur; acuitur vero ipsa umbra et caligine. *Nono*, gallus excubitor mane te excitat, ut ad opera conficienda consurgas, acuta inclamitans voce, cantuque suo solem adhuc e longinquo advenientem prædicens, cumque viatoribus mane evigilans, et ad suos labores ac messem agricolas educens ædibus. *Decimo*, pervigil est anser, et acutissimus ad ea sentienda quæ cæteros latent. Unde olim Romæ anseres Capitolium contra Gallos hostes irrepentes, suis clamoribus custodes dormientes excitando, tutati sunt. Quocirca S. Ambrosius, lib. V *Hexam.* cap. XIII : « Merito, ait, illis (anseribus), Roma, debes quod regnas. Dii tui dormiebant, et vigilabant anseres. Ideo illis diebus anseri sacrificas, non Jovi. Cedant enim dii vestri anseribus, a quibus sciunt se esse defensos, ne et ipsi ab hoste caperentur. *Undecimo*, exercitus locustarum sub una tessera, in sublime universus simul elatus, castris toto late positis agro, non antea fructus depascitur, quam ipsi id sit a Deo concessum, et quasi mandatum. Suggerit Deus remedium, illud est seleucis avis, quæ turmatim advolans locustas devorat. Insuper quis qualisque est modus canendi cicadæ? Meridie magis incumbit cantui, aeris tractione, quæ fit cum pectus expanditur, sonum eliciens. *Duodecimo*, insecta (ut apes, vespæ), ita dicta, quod undique scissuras quasdam, sive incisuras ostendant, pulmone carent, ideoque non respirant, sed totis corporis sui partibus aere nutriuntur. Quapropter si olivo, id est oleo ex olivis expresso, fuerint madefacta, occlusis meatibus pereunt : si aceto protinus asperseris ea, reclusi foraminibus reviviscunt. *Decimo tertio*, anates, anseres et aliæ aves quæ natant, pedes habent non diffissos, sed continuos, et instar membranæ expansos, ut commodius fluitare et natare possint. Cycnus longo collo in profundam aquam immisso, piscariam exercens, pisces venatur. *Decimo quarto*, resurrectionis argumentum et typus sunt bombyces. In his enim primo ex semine enascitur vermiculus, ex hoc fit eruca, ex eruca bombyx, qui foliis mori se implet, ac plenus net fila byssi, quæ ex visceribus suis educit, factoque glomo

illi se includens immoritur, ac eo evoluto reviviscit, conceptisque alis fit papilio, et relicto in glomo semine avolat. Hæc Basilius. Adde aves mire canoras, psittacum, merulam, regulum, et maxime philomelam, quæ pusilla non aliud esse videtur quam vox, imo musica de qua S. Ambrosius, lib. V *Hexam.* cap. XII : « Unde mihi, ait, vocem psittaci, dulcedinemque merularum? Utinam saltem luscinia canat, quæ dormientem de somno excitet. Ea enim avis significare solet diei surgentis exortum, et effusiorem diluculo deferre lætitiam ; » idem, cap. V : « Quomodo, ait, fulicæ, quæ marino delectamini profundo, refugientes quam præsenseritis commotionem maris, in vado luditis? Ipsa ardea quæ paludibus inhærere consuevit, notas deserit sedes, imbresque formidans, supra nubes volat, ut procellas nubium sentire non possit. »

DE OPERE SEXTÆ DIEI.

Salamandram in igne vivere, fabula.

Sexta dies dedit incolas terræ, sicut quinta dedit incolas aquæ et aeri. Igni vero nulli incolæ sunt dati : nam nec salamandram, nec aliud animal in igne vivere aut durare posse docet Galenus, lib. III *De Temperamentis*, et Dioscorides, lib. II, cap. LVI, ubi Mathiolus ait se idipsum expertum esse, ac multas salamandras in ignem conjecisse, quæ brevi consumptæ sunt. Sic pyraustæ sive lamprides, quæ paulo majores sunt muscis, tantum ad breve tempus vivunt in igne; nam in fornacibus ærariis nascuntur in Cypro, in iisque per ignem saliunt et ambulant, et mox a flamma avolantes emoriuntur, uti testatur Aristoteles, lib. V *Hist. anim.* cap. XIX.

Vers. 24. 24. PRODUCAT TERRA ANIMAM VIVENTEM, — animalia viventia; est synecdoche. Rursum, « producat terra, » non quasi causa efficiens : hæc enim fuit solus Deus; sed tanquam causa materialis, quasi dicat : Exoriantur, emanent, exurgant, prodeant animalia ex terra (1).

An omnes animalium species die sexto creatæ?

Quæres, an omnes omnino animalium terrestrium species hoc sexto die a Deo sint creatæ? Respondeo *primo*, omnes omnino animalium terrestrium species, quæ perfectæ sunt et homogeneæ, id est, quæ per commixtionem maris et feminæ ex una tantum specie nasci possunt, hoc die esse creatas : ita passim docent Interpretes et Scholastici. Et probatur, quia hoc requirebat perfectio universi. Deus enim hisce sex diebus universum hoc perfecte condidit et exornavit; unde sequitur eum hisce sex diebus omnia, id est omnium rerum species, creasse. Atque hinc dicitur septimo die cessasse, scilicet a novarum specierum productione.

Bestiæ etiam venenatæ creatæ.

Dico *secundo*, consequenter hoc sexto die omnes bestiæ venenatæ, ut serpentes, et sibi invicem inimicæ ac carnivoræ, ut lupus et ovis, creatæ sunt, adeoque cum hac inimicitia et antipathia creatæ sunt : hæc enim antipathia est eis naturalis. Itaque ante peccatum Adæ natura lupi erat inimica ovi, eique necem intulisset : Dei tamen providentia cavisset, ne id fieret ante speciem satis propagatam, ut illa non intercideret. Ita D. Thomas, I *part.*, *Quæst.* LXIX, art. 1, ad 2, et S. Augustinus, lib. III *De Genes. ad litt.* cap. XVI, licet ipse id ipsum retractare videatur lib. I *Retract.* cap. X, atque asserere, ad naturalem institutionem pertinere, ut herbis omnes bestiæ vescantur, juxta id quod dicitur *Genes.* I, 30; ex hominis autem inobedientia factum esse, ut aliæ aliis sint in cibum. Idem censet Pererius, et Abulensis, in cap. XIII, ubi fuse hæc pertractat. Idem videtur sentire Gregorius Nyssenus, orat. 2 *De Procreatione hominis*. Idem diserte docet Junilius : « Ex eo, ait, quod dixit Deus : Ecce dedi vobis omnem herbam, patet quod nihil noxium terra protulit, et nullam herbam venenatam, et nullam arborem sterilem. *Secundo*, quod nec ipsæ aves raptu infirmorum alitum vivebant, nec lupus insidias explorabat ovilia circum, nec serpenti pulvis panis ejus erat; sed universa concorditer herbis et fructibus arborum vescebantur. » Verum prius, quod dixi, est verius. Causæ, cur venenata crearit Deus, sunt : *prima*, ut universum omnibus rerum generibus esset integrum; *secunda*, ut ex iis elucesceret aliorum bonitas : bonum enim malo oppositum elucescit; *tertia*, quia ipsa ad medicinas et ad alios usus utilia sunt. Sic enim ex vipera fit theriaca. Ita Damascenus, lib. II *De Fide*, cap. XXV. Vide S. Augustinum, lib. I *De Genesi contra Manichæos*, XVI.

Quæ ex putrefactione nascuntur, non sunt hoc die creata.

Dico *tertio*, minuta animalia quæ ex sudore, exhalatione aut putrefactione nascuntur, uti pulices, mures aliique vermiculi, non fuerunt hoc sexto die creata formaliter, sed potentialiter, et quasi in seminali ratione; quia scilicet illa animalia hoc die creata sunt, ex quorum certa affectione, hæc naturaliter erant exoritura : ita S. Augustinus, lib. III *De Genes. ad litt.* cap. XIV, licet contrarium docere videatur S. Basilius hic *hom.* 7. Certe pulices et similes vermes, qui jam in hominibus sunt, tunc creari, contrarium fuisset felicissimo innocentiæ statui.

Nota, in parvis animalibus æque, et subinde magis elucere magnificentiam Dei, atque in mag-

(1) Hic terrestria animalia in tres dividuntur classes, quarum prima nomine בהמה appellatur, quo, ubi solum legitur, *brutum* significatur quodvis, ut et terrestre quadrupes vivi parum aliquantæ molis; at quando cum חיה opponitur, ut hic, *jumenta* designat et *domesticas pecudes*, חיה vero *feram* seu *agreste animal*. Tertium genus est רמש, quo, discriminis causa, reptilia intelligi debent. Quod vocabulo חיה adnexum est ו, paragogicum est, nisi quod more Syriaco redundet.

nis. Audi Tertullianum, lib. I *Contra Marcionem*, cap. XIV : « At cum et animalia irrides minutiora, quæ maximus artifex de industria, ingeniis aut viribus ampliavit, sic magnitudinem in mediocritate probare docens, quemadmodum virtutem in infirmitate, secundum Apostolum; imitare, si potes, apis ædificia, formicæ stabula, araneæ retia, bombycis stamina; sustine, si potes, illas ipsas lectuli et tegetis tuæ bestias, cantharidis venena, muscæ spicula, culicis et tubam et lanceam : qualia erunt majora, cum tam modicis aut juvaris aut læderis, ut nec in modicis despicias creatorem? » Ita Chrysippus, teste Plutarcho lib. V *De Natura*, cimices et mures homini perutiles esse dixit; cimicibus enim nos a somno excitari, et muribus admoneri, ut in rebus locandis curam adhibeamus.

S. Augustinus enarrat in *Psal.* CXLVIII : « Attendat, ait, charitas vestra : quis disposuit membra pulicis et culicis, ut habeant ordinem suum, habeant vitam suam, habeant motum suum? Unam bestiolam brevem minutissimam considera, quam volueris : si consideres ordinem membrorum ipsius, et animationem vitæ qua movetur, pro se fugit mortem, amat vitam; appetit voluptates, devitat molestias, exerit sensus diversos, viget in motu congruo sibi. Quis dedit aculeum culici, quo sanguinem sugat? quam tenuis fistula est, qua sorbet? Quis disposuit ista? quis fecit ista? Expavescis in minimis, lauda magnum. »

Nec hybrides.

Dico *quarto*, hybrides, puta animalia quæ ex congressu diversarum specierum generantur, uti mulus ex equa et asino, ex lupo et cerva lynx, ex hirco et ove tityrus, ex leæna et pardo leopardus, hæc, inquam, non necesse est dicere hoc die sexto esse creata : atque de facto tunc non omnia hæc esse creata certum est. Ita Rupertus, Molina et alii, licet Pererius hic contrarium sentiat. Hoc dictum probatur *primo*, quia in Africa indies novæ oriuntur monstrorum species, et plures deinceps orientur, atque oriri possunt ex nova aliarum et aliarum specierum, sive animalium commixtione. *Secundo*, quia hæc commixtio est præter naturam et adulterina, unde vetita fuit Judæis *Levit.* XIX, 19. *Tertio*, quia hæc animalia sufficienter censentur creata, quando aliæ species creatæ sunt, ex quarum commixtione postea erant nascitura. *Quarto*, quia de mulis docent Hebræi *Gen.* XXXVI, 24, eos longe post hunc sextum mundi diem, ab Ana inventos esse in deserto, ex equarum cum asinis congressu.

IN GENERE SUO, — secundum suum genus, puta secundum species suas, ut sequitur, *q. d.* Producat terra animalia viventia, secundum quasque singulorum species : sive, producat terra singulas animalium terrestrium species. Species hasce enumerat et contemplatur S. Basilius, hom. 9 *Hexam.*, eumque secutus S. Ambrosius, lib. VI *Hexam.* cap. IV, ubi inter cætera ait : « Ursa insidians licet, ut scriptura ait (est enim plena fraudis fera), tamen fertur informes utero fœtus edere, sed natos lingua fingere, atque in speciem sui similitudinemque formare : tu filios tuos instituere similes tui non potes? Eadem gravi affecta cæde, et consauciata vulneribus, mederi sibi novit, herbæ, cui nomen est phlomos, ulcera subjiciens sua, ut solo curentur attactu. Serpens quoque pastu fœniculi cæcitatem repellit exceptam. Testudo visceribus pasta serpentis, cum venenum adverterit sibi serpere, origano medicinam suæ salutis exercet. Videas etiam vulpem lacrymula pinus medentem sibi. Clamat Dominus *Jerem.* VI : « Turtur et hirundo, agri passeres custodierunt tempora introitus sui; populus autem meus non cognovit judicia Domini. Novit etiam formica explorare serenitatis tempora : nam ea præsagiens madidatos fructus foras exportat, ut jugi sole siccentur. Boves impendente pluvia ad præsepia se tenere noverunt, alias foras spectant, et ultra præsepia cervices extendunt, ut prodire se velle testentur, » eo quod immineat aura serenior. « Ovis sub adventum hiemis inexplebilis ad escam, insatiabiliter herbam rapit, eo quod præsentiat asperitatem et sterilitatem hiemis futuram. Hericius, si quid insidiarum præsenserit; spinis suis clauditur, atque in sua se arma colligit, ut quicumque eum contingendum putaverit, vulneretur. Idem futuri providens, geminas sibi respirandi vias munit, ut quando Boream flaturum cognoverit, Septentrionalem obstruat : quando Noto cognoverit detergi aeris nubila, ad Septentrionalem se conferat, ut flatus declinet obvios, et e regione nocituros. Quam magnificata sunt opera tua, Domine! omnia in sapientia fecisti. » Subdit de tigride, quæ raptorem catulorum suorum insequitur, qui ubi se contiguum viderit sphæram de vitro projicit. At illa imagine sui (quam reflexam videt in vitro, putatque suum esse catulum) luditur, et quasi lactatura fœtum residet : sic pietatis studio decepta, et vindictam amittit et prolem. Docet ergo tigris sæva licet, quantum parentes debeant amare suos liberos, nec eos ad iracundiam provocare.

Pergit deinde ad canes, qui ex vestigiis mira sagacitate leporem odorantur, et insequuntur. Affert exempla canum, qui herorum suorum homicidas detexerunt et vindicarunt, additque : « Quid nos dignum nostro referimus creatori, cujus cibo vescimur, et dissimulamus injurias, et sæpe inimicis Dei eas quas a Deo accepimus, epulas exhibemus? Agniculus balatu frequenti absentem matrem citat, ut responsuræ vocem excitet; multis licet versetur in millibus ovium, recognoscit vocem parentis, festinat ad matrem; illa quoque inter multa agniculorum millia, solum filium tacito pietatis testimonio recognoscit. Pastor errat in discretione ovium, agniculus in agnitione matris nescit errare. Nondum catulo dentes, et tanquam habeat, ore proprio se quærit ulcisci. Nondum cervo cornua, et tamen fronte

præludit, atque ex ea, quæ nondum expertus sit, tela minitatur. Lupus, si prior hominem viderit, vocem eripit, et despicit eum tanquam victor vocis ablatæ; idem si se prævisum senserit, deponit ferociam, non potest currere. Leo gallum, et maxime album veretur. Caprea vulnerata dictamnum petit, et de vulnere excludit sagittas. Leo æger simiam quærit, ut devoret, quo possit sanari. Leopardus capreæ agrestis sanguinem bibit, et vim languoris evitat. Omnis fera ægra, canis hausto curatur sanguine. Ursus æger formicas devorat. Cervus oleæ ramusculos mandit. Ergo feræ norunt expetere quæ sibi prosint, tu ignoras, o homo, remedia tua! Tu nescis quomodo virtutem eripias adversario, ut te tanquam præventus lupus effugere non possit, ut oculo tuæ mentis ejus perfidiam deprehendas, et prior cursum verborum ejus impedias, impudentiam ejus et acumen disputationis obtundas? Quid dicam allio homines delectari, quod et leopardus fugit? Jejuni hominis sputum si serpens gustaverit, moritur. Vide quanta vis jejunii sit. Turtur nido suo, ne pullos suos incurset lupus, squillæ folia superjacit; tu negligis quomodo adversum lupos nequitiæ spiritalis, posteritatem vitæ hujus habeas tutiorem. »

Prosequitur cap. v, docetque Deum angustiora colla formasse leonibus, tigridibus et ursis, quia illis feris quæ carne vescuntur, non erat opus prolixitate cervicis : longiora vero dedisse camelis, equis, bobus, ac promuscidem elephantis, ut cum sint altiores, inclinare se possint ad carpenda terræ germina, quibus pascuntur. Elephanti intolerabili impetu in hostes ruunt, velut quidam mobiles montes versantur in præliis, et ut colles alto eminent vertice, mugitus fragore omnium perturbant confidentiam. Trecentis et amplius annis feruntur vitam producere; quia omnia sibi ad magnitudinem membra conveniunt, artusque compacti sunt, non distincti, uti in homine. Promuscide sua quidquid involverint, frangunt; pede quidquid compresserint, exanimant. Et tamen hæc tantæ molis bestia, subjecta nobis imperiis servit humanis. Et cap. vi : « Formidabilis tauris elephantus, murem timet leo rex ferarum, comantes cervice toros excutit, exiguo scorpionis aculeo exagitatur, et veneno serpentis occiditur.» Serpentes, cæteraque animantium et herbarum venenata, sunt quasi pædagogi parvulis, libertatem lasciviendi negant, necessitatem disciplinæ exigunt, terrore constringunt; flagella sunt eorum, quibus infirma est animi ætas: hæc et plura S. Ambrosius. Breviter S. Basilius, *hom.* 9 : « Bos, ait, constans est strenuusque; asinus autem piger. Equus libidine incenditur; lupus mitescere nequit; vulpes insidiosa et ad dolos concinnandos sagax; cervus timidus; laboriosa formica; canis gratiosus, et initæ semel amicitiæ tenax ac memor; leo animosus, ideoque solitarius : velut enim tyrannus animantium pares honores congressionesque cum cæteris non acceptat, sed aspernatur; qui neque ad pabulum hesternum accedit, nec ad reliquias venationis suæ nunquam reddit. Vehemens est panthera, impetuosa et pernix, ideoque flexilis et agilis. Pigerrima est ursa, solitaria et dolosa. »

JUMENTA, — animalia domestica et mansueta : hæc enim hebraice vocantur בהמות *behemot*, et opponuntur bestiis, id est feris terræ, quas Græci hic clare θηρία vertunt.

Tropologice, opus creationis sex dierum significat opus justificationis hominis. *Primo* ergo die creatur lux, id est, infunditur peccatori illuminatio, qua videat turpitudinem peccati, et periculum sui status ac æternitatis; *secundo* die fit firmamentum, id est, inditur peccatori timor Dei et judicii, qui dividit aquas superas, id est appetitum rationalem, ab inferis, id est ab appetitu sensitivo, ut licet sensu concupiscat terrena, spiritu tamen feratur in cœlestia; *tertio* die terra, id est, homo coopertus aqua, id est concupiscentia, detegitur, ut, licet eam habeat, non tamen obruatur, et sentiat, nec consentiat : inde fert germina virtutum; *quarto* die fit sol, id est, inditur homini charitas; et luna, id est fides illustris; et Hesperus, id est spes; et Saturnus, id est temperantia; et Jupiter, id est justitia; et Mars, id est fortitudo; et Mercurius, id est prudentia : cum aliis astris, id est virtutibus; *quinto* et *sexto* die fiunt animantes, *primo*, pisces, id est homines boni, sed imperfectissimi, quia curis sæculi immersi; *secundo*, jumenta, id est homines perfectiores, qui in terra vivunt spiritualiter; *tertio*, aves, id est homines perfectissimi, qui omnia contemnentes, toto affectu quasi aves in cœlum evolant : ita ex Eucherio, Origene et Hugone, Pererius. Vide S. Bernardum, serm. 3 *De Pentecoste.* Symbolice, Junilius hos sex dies adaptat sex ætatibus mundi. Sequitur creatio hominis, nimirum,

Quid tropologice significet opus sex dierum.

> Sanctius his animal, mentisque capacius altæ
> Deerat adhuc, et quod dominari in cætera posset :
> Natus homo est.

Dicit ergo Deus :

26. FACIAMUS HOMINEM AD IMAGINEM ET SIMILITUDINEM NOSTRAM. — Nota hic SS. Trinitatis mysterium : hisce enim verbis alloquitur Deus Pater, non angelos, quasi iis jubeat, ut ipsi fabricent corpus humanum et animam sensitivam, sibique solum reservet fabricam animæ rationalis, uti voluit Plato in *Timæo*, et Philo, lib. *De Opificio sex dierum*, ac Judæi; hoc enim ut impium detestantur S. Basilius, Chrysostomus, Theodoretus, Cyrillus, lib. I *Contra Julianum*, et Augustinus, lib. XVI *De Civit.* cap. vi; nam Deus non per angelos, sed per se tam corpus, quam animam hominis creavit, ut patet cap. ii, vers. 7 et 21; unde non ait hic, facite, sed faciamus ad imaginem, non vestram, o angeli, sed nostram. Alloquitur ergo hic Deus Pater suum Filium,

Vers. 26. Hinc mysterium Sanctissimæ Trinitatis intelligitur.

et Spiritum Sanctum, quasi collegas suos, ejusdem secum naturæ, potentiæ et operationis. Ita S. Basilius, Rupertus et alii supra; imo Concilium Sirmiense apud Hilarium, lib. *De Synodis*, dicit anathema iis qui aliter hunc locum explicant.

Hominis excellentiæ duodecim.

Nota *secundo*, excellentiam hominis : Deus enim de hominis, tanquam rei magnæ, creatione deliberat et consultat, dicens : Faciamus hominem; ita Rupertus (1). Est enim homo prima mundi increati, id est SS. Trinitatis, imago, et ejus infinitæ artis et sapientiæ testimonium, et opus perfectissimum; creati vero mundi homo est finis, compendium, vinculum et nexus : omnes enim rerum spiritualium et corporalium gradus in se habet et nectit homo, ideoque est et vocatur Microcosmus, atque a Platone vocatur Horizon universi, quia disterminat et in se conjungit superius hemisphærium, puta cœlum et angelos, atque inferius, puta terram et bruta; homo enim partim angelis, partim brutis est similis. Sic vita, et tempus hoc nostrum est horizon æternitatis : quia disterminat æternitatem beatam, quæ est in cœlis, a misera, quæ est in inferno, et ab utraque aliquid participat. Pulchre S. Clemens, lib. VII *Constit. Apost.*, cap. XXXV : « Finem, ait, fabricationis, animantem rationis participem, mundi civem, sapientiæ tuæ moderatione fecisti, cum diceres : Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram; fecisti, inquam, ut esset homo κόσμου κόσμος, id est, *ornati ornatus*, cujus corpus et quatuor elementis primis corporibus formasti, animam vero ex nihilo, ac sensus quinque ad certamen virtutis dedisti; et mentem ipsius animæ, tanquam aurigam sensibus præfecisti. »

Homo est horizon universi.

Secunda.

Secundo, quia per Christum hominem omnes pariter creaturæ, quæ in homine quasi in microcosmo, uti jam dixi, continentur, erant deificandæ : vide ergo quanta sit hominis dignitas.

Tertia.

Tertio, quia propter hominem, et cum homine, uti mundus est conditus, ita et in resurrectione renovabitur.

Quarta.

Quarto, summum fidei mysterium, scilicet SS. Trinitatis et individuæ unitatis, primum in generatione hominis reseratum est, quod postea in ejusdem hominis regeneratione, puta in baptismo, aperte declarandum et profitendum erat; nam illa verba, *faciamus* et *nostram*, Trinitatem significant; unitatem vero indicant illa verba : *Dixit Deus, fecit Deus*, etc.

Quinta.

Quinto, animalia et plantæ ex terra et aqua generatæ dicuntur : at solus Deus corpus hominis finxit et figuravit, illique animam rationalem a se ex nihilo creatam indidit.

Sexta.

Sexto, homo factus est a Deo rector et princeps omnium animalium, etiam maximorum, totiusque mundi quasi rex.

Septima.

Septimo, assignavit Deus homini ad habitandum et sese oblectandum, paradisum, deliciis omnique rerum copia instructissimum.

Octava.

Octavo, creavit Deus hominem tanta integritate animi et innocentia præditum, ut et mens subjecta esset Deo, et sensus rationi, et corpus animo, et omnes animantes hominis imperio subderentur : hinc factum est ut nudus non erubesceret.

Nona.

Nono, Adam congrua singulis animantibus nomina imposuit; unde elucet summa ejus scientia et sapientia, ut et ipsæ animantes quasi agnoscerent et profiterentur, se pro rege ac domino habere hominem.

Decima.

Decimo, corpus habuit immortale, ut scilicet si Deo pareret, longissimo ævo in terris acto, ex vita terrena ad cœlestem et sempiternam, mortis malorumque omnium expers traduceretur.

Undecima.

Undecimo, Deus dono prophetiæ hominem insignivit, cum dixit : « Hoc nunc os ex ossibus meis. »

Duodecima

Duodecimo, Deus sæpe sub specie humana homini apparebat, eumque familiariter alloquebatur.

Nota *tertio*, Deus palatium hoc mundi, quasi quoddam convivium, ait Nyssenus, aut potius quasi splendidum triclinium, instruxit omnibus rebus, quæ ad usum, oblectationem et scientiam erant opportuna; ac deinde ultimo in illud ita adornatum induxit creavitque hominem, quasi qui omnium esset vertex, finis et dominus. Vide S. Ambrosium, epist. 38 *ad Horont.*, et Nazianzenum, *orat.* 43, et Nyssenum, lib. *De Opificio hominis*; vide et de singularum humani corporis partium dignitate, S. Ambrosium, lib. VI *Hexam.* cap. IX. Recte ergo S. Bernardus, serm. 1 *De Annunt.*; « Quid, inquit, homini primo deerat quem misericordia custodiebat, docebat veritas, regebat justitia, pax fovebat? »

Insuper Diogenes, teste Plutarcho, lib. *De Tranquill. animæ*, et Philo, lib. I *De Monarchia*, docent quod mundus sit quasi templum Dei sacrum, et pulchrum, in quod inductus sit homo, ut ejus esset antistes, et sacerdotio fungeretur pro creaturis omnibus, ac pro beneficiis eis omnibus et singulis collatis gratias ageret, illisque propitium redderet Deum, ut bona adderet, malaque repelleret. Hinc « in veste poderis, quam habebat » Aaron pontifex veteris Testamenti, « totus erat orbis terrarum, » *Sapient.* XVIII, 24. Audi Lactantium, lib. *De Ira Dei*, cap. XIV : « Sequitur ut ostendam cur hominem fecerit Deus. Sicut mundum propter hominem machinatus est, ita ipsum propter se, tanquam divini templi antistitem, spectatorem operum rerumque cœlestium. Solus enim est, qui sentiens capaxque rationis intelligere possit Deum, qui ejus opera admirari, virtutem potestatemque perspicere, etc. Ideo ser-

(1) Eleganter Seneca *de Beneficiis*, lib. VI, cap. XXIII : « Cogitavit nos ante *natura*, quam fecit; nec tam leve opus sumus, ut illi potuerimus excidere : scias non esse hominem tumultuarium et incogitatum opus. »

monem solus accepit, ac linguam cogitationis interpretem, ut enarrare majestatem Domini sui possit. »

Porro S. Ambrosius, *epist.* 38 jam citata, docet hominem ultimo creatum, ut subjectas haberet omnes mundi opes, omnia volatilia, terrestria, etiam pisces, etc., essetque quasi rex elementorum, ac per hæc quasi per gradus ad cœli ascenderet regiam. « Cujus, ait, difficilis itineris viatorem non facile reperies, illum virum qui ita sit animi inductione formatus ac voluntate, ut minima sibi sit cum suo corpore familiaritas, neque in ullum ingrediatur vitiorum contubernium, nullis assentantium pumicetur sermonibus, neque in rotis secundorum temporum positus humiles fastidiat, mœsta fugiat, sanctorum laudes excutiat atque elevet. Cujus animam non inflectat mœstitia, non frangat injuria, nulla sollicitet suspicio, libido non exagitet, non expugnent passiones corporis, non inquietet vanitatum appetentia, voluptatum gratia. Merito ergo postremus, quasi finis naturæ, formatus ad justitiam, inter cætera animantia justi arbiter. » Ac tandem eleganter, æque ac nervose ita concludit : « Recte ergo novissimus, quasi totius summa operis, quasi causa mundi, propter quem facta sunt omnia, quasi omnium habitator elementorum : inter feras vivit, cum piscibus natat, super aves volat, conversatur cum angelis; terram inhabitat, et cœlo militat; sulcat mare, aere pascitur; cultor soli, viator profundi, piscator in fluctibus, in aere auceps, in cœlo hæres, cohæres Christi. »

HOMINEM. — Homo hic non est idea hominis abstracti et universalis, qui sit causa et exemplar omnium singularium hominum, ut ex Platone voluit Philo. Non etiam homo hic est animus hominis, *q. d.* Animum hominis ornemus nostra imagine, puta gratia, uti explicat S. Basilius et Ambrosius. Sed homo est ipse Adam primus homo, parensque cæterorum omnium, ut patet ex dictis : in Adamo enim, et per Adamum Deus fecit et creavit cæteros homines.

Homo in quo est imago Dei.

AD IMAGINEM ET SIMILITUDINEM NOSTRAM. — Quæres, in quo sita sit hæc imago Dei, expressa in homine? Anthropomorphitæ, quorum auctor fuit Audæus; unde et Audæani sunt dicti, putarunt hominem esse imaginem Dei secundum corpus, ideoque Deum esse corporeum; verum hæc est hæresis.

Secundo, Oleaster et Eugubinus in *Cosmopœia* putant Deum hic induisse formam humanam, ut illius adinstar crearet hominem; sed hoc æque frigidum ac novum est.

Nota *primo,* imaginem hic sumi pro exemplari, *q. d.* Faciamus hominem ad exemplar nostrum, ut quasi imago nos, quasi suum exemplar referat ac repræsentet. Imago hæc non est Verbum divinum, sive Filius, qui est imago Patris, ut aliqui apud Lipomanum explicant; sed est ipsa essentia divina, ipseque Deus unus et trinus : ad hujus enim imaginem conditus est homo. Quare quod Rupertus per imaginem accipit Filium, per similitudinem Spiritum Sanctum, mysticum est. Potest tamen secundo, imago hic proprie capi, ut sit hebraismus, *q. d.* Faciamus hominem ad imaginem, id est, ut sit imago nostri, quasi sui exemplaris.

Nota *secundo,* imaginem hic multi a similitudine distinguunt, nimirum ut imago ad naturam; similitudo ad virtutes pertineat. Ita S. Basilius, homil. 10 *Hexam.* : « Per imaginem, inquit, animæ impressam meæ, obtinui rationis usum; verum Christianus effectus, utique similis efficior Deo; » S. Hieronymus, in illud *Ezechiel.* cap. XXVIII : *Tu signaculum similitudinis,* sic ait : « Et notandum est quod imago tunc (in creatione) facta sit tantum, similitudo in baptismate compleatur; » et S. Chrysostomus, homil. 9 *in Genes.* : « Imaginem dixit, ob principatus rationem; similitudinem, ut pro viribus humanis similes fiamus Deo mansuetudine, lenitate, etc. quod et Christus dicit : Similes estote Patri vestro qui in cœlis est. » Idem docet S. Augustinus, lib. *Contra Adimantum,* cap. V; Eucherius, lib. I *in Genes.*; Damascenus, lib. II *De Fide,* XII; S. Bernardus, serm. 1 *De Annunt.*, ubi et addit : « Imago siquidem in gehenna uri poterit, non exuri, ardere, sed non deleri. Similitudo non sic; sed aut manet in bono, aut, si peccaverit anima, mutatur miserabiliter jumentis insipientibus similata. » Sic ergo per peccatum in homine perit similitudo Dei, non imago.

Anima go et similitudo hic distinguuntur?

Verum dico non distingui, esseque hendiadyn, *q. d.* Ad imaginem et similitudinem, id est, ad imaginem similitudinis, ut habetur *Sapient.* cap. II, vers. 24, hoc est, ad imaginem similem, vel simillimam. Hinc Scriptura hæc nomina promiscue usurpat, modo unum, modo alterum, modo utrumque, ut jam dicat hominem factum esse ad imaginem Dei, ut *Gen.* cap. IX, vers. 6; modo ad similitudinem Dei, ut *Gen.* cap. V, vers. 1; modo ad imaginem et similitudinem Dei, uti hic.

Nota *tertio,* pro *imaginem* hebraice est צלם *tselem,* quod significat umbram, sive adumbrationem rei. Radix enim צלל *tsalal,* significat obumbrare, inde צל *tsel,* significat umbram, et *stelem,* imaginem adumbrantem. Sicut enim umbra corporis, sic imago sui prototypi est quædam adumbratio. Innuit ergo *tselem,* hominem respectu Dei tantum esse umbram, vel umbraticam imaginem. Deus enim solidum et constantem habet essentiam; homo vero umbraticam et evanidam : et hoc est quod *Psalm.* XXXVIII, dicitur : « Universa vanitas omnis homo vivens, verumtamen in imagine (hebr. בצלם *betselem,* in umbra, id est instar umbræ) pertransit homo. »

Homo est *tselem,* id est umbra Dei.

Nota *quarto,* homo non est imago Dei, ut Deus est, id est quoad attributa propria Dei (nec enim

homo est omnipotens, immensus, æternus, omniscius, uti est Deus), sed solum quoad attributa communia, quæ scilicet ipse communicat intellectuali creaturæ.

Nota *quinto*, hæc imago Dei non est in solo viro, ut vult Theodoretus, sed et in angelo, et in femina, ut fuse docet S. Augustinus, lib. XII *De Trinit.* VII, et Basilius hic *hom.* 10, explicans illa verba *Genes.* I : « Masculum et feminam fecit eos. » Nunc

In mente hominis finita est imago Dei.

Dico *primo* : hæc imago Dei sita est in mente hominis, sive in eo quod homo in summo rerum sit gradu, in quo Deus est et angelus, puta quod homo sit naturæ intelligentis, sitque animal rationale : per rationem enim, mentem et intellectum homo maxime refert Deum, illique præ aliis creaturis simillimus est. Ex hac natura rationali sex eximiæ hominis dotes et proprietates consequuntur, in quarum modo una, modo alia Patres subinde hanc Dei imaginem collocant, scilicet partialiter et incomplete.

Sex hominis dotes eximiæ in quibus homo est imago Dei.

Prima est, quod hominis anima incorporea sit et individua, uti est ipse Deus : in hac imaginem Dei collocat S. Augustinus.

Secunda est, quod sit æterna et immortalis : in hac collocat Origenes.

Tertia est, quod sit intellectu, voluntate et memoria prædita : in hac collocat Damascenus.

Quarta, quod sit liberi arbitrii : in hac collocat S. Ambrosius.

Quinta, quod sit capax sapientiæ, virtutis, gratiæ, beatitudinis, visionis Dei omnisque boni : unde in hac capacitate imaginem Dei collocat Nyssenus.

Sexta, quod cunctis animalibus sua potestate præsit et dominetur : in hac collocat S. Basilius.

Quatuor aliæ hominis proprietates et excellentiæ.

Adde *septimo*, sicut in Deo omnes res sunt et continentur eminenter, ita quoque omnes res in homine sunt eminenter, uti dixi sub initium hujus vers. Rursum, homo intelligendo fit quasi omnia, ut ait Aristoteles, quia omnium rerum imagines et simulacra in phantasia et mente sibi efformat.

Octavo, hinc homo quasi est omnipotens instar Dei; quia multa arte, et omnia mente sua efformare et comprehendere potest. Rursum, homo est finis omnium creatorum, uti eorumdem finis est Deus.

Nono, sicut anima regit corpus, estque tota in toto, et tota in qualibet ejus parte : ita et Deus est totus in toto mundo, et totus in qualibet mundi parte.

Decimo et perfectissime, sicuti Deus Pater per intellectum se cognoscens producit Verbum, puta Filium, eum amando producit Spiritum Sanctum : ita homo intelligendo se producit in mente sua verbum intelligibile, sui ipsius expressivum, sibique simile, atque inde procedit in voluntate ejusdem amor : sic enim homo clare repræsentat SS. Trinitatem. Ita S. Augustinus; lib. X *De Trinitat.* cap. X, et lib. XIV, cap. XI.

Imago Dei naturalis peccato perdi non potuit.

Hæc ergo imago Dei homini est naturalis, quæ peccato perdi non potuit; est enim ipsi naturæ intime et indelebiliter impressa, ut perdi non possit, nisi perdatur et natura. Ita contra Origenem docet S. Augustinus, lib. II *Retract.* cap. XXIV, ubi retractat id quod dixerat lib. VI *De Gen. ad litt.* cap. XXVII, scilicet, Adamum peccando imaginem Dei perdidisse : quod, ait Augustinus, ut verum sit, sic accipiendum est, non quasi in Adamo peccante nulla remanserit Dei imago, sed quod illa per peccatum tam deformis effecta fuerit, ut reformatione indiguerit. Impia ergo et stolida est sententia Matthiæ Illyrici Lutherani, dicentis, quod imago Dei in homine per peccatum ita sit corrupta, ut homo substantialiter sit transformatus in vivam et substantialem imaginem diaboli : hanc enim esse ipsum peccatum originale, ipse cum suis mordicus tuetur lib. *De Peccat. orig.*

De imagine Dei supernaturali in homine.

Dico *secundo* : altera quoque in homine est imago Dei, scilicet supernaturalis, quæ sita est in gratia et justificatione hominis, qua ipse divinæ fit consors naturæ, quæque in gloria et vita æterna firmabitur et perficietur. « Gratia enim est anima animæ, » ait S. Augustinus; in hac gratia conditum esse Adamum, eamque hic etiam ad litteram intelligi imaginem Dei, patet *Coloss.* III, 10; *Ephes.* IV, 24. Ita passim Patres. Hæc imago ab hominis voluntate pendet, eaque peccante deperdita est, sed per gratiam et justificationem reparatur et reformatur. Unde Apostolus *Ephes.* cap. IV, 23 : « Renovamini, inquit, spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis. » Vide ibi dicta, et II *Cor.* III, 18.

Justitia originalis Adæ.

Ubi nota, Adæ in primo instanti creationis suæ, cum gratia infusas fuisse simul omnes virtutes theologicas et morales : item datam ei esse justitiam originalem, quæ præter habitus virtutum jam dictos, erat assistentia et manutenentia Dei assidua; qua fiebat ut motus omnes appetitus inordinati, sive concupiscentiæ, rationem prævenientes, impedirentur; utque appetitus rationi, ratio Deo in omnibus subderetur; itaque homo in omnibus interna pace, rectitudine et sanctitate frueretur; unde de nulla re inordinatam tristitiam, iram, concupiscentiam, aliamve turbidam passionem concepisset, atque hanc justitiam et integritatem Adam, si non peccasset, in posteros transfudisset. De justitia originali vide Molinam, Pererium, Aretinum et alios.

In corpore tantum relucet imago Dei.

Dico *tertio*, in corpore hominis proprie non est imago Dei, sed tamen in eo relucet quodammodo et resplendet, quia scilicet corpus hominis est imago mentis : recta enim statura, et vultus in cœlum erectus, indicat animum corporis rectorem cœlesti satum origine, Deique similem, æternitatis et divinitatis capacem, superna spectare

et ambire debere. « Si enim tanti vitrum, quanti margaritum? » si tale est corpus, qualem decet esse animam? ita S. Augustinus, lib. VI *De Gen. ad litt.* cap. XII, et Bernardus, serm. 24 *in Cantica*. Recta ergo statura admonetur homo, sibi non esse sectanda terrena, uti faciunt pecora, quorum voluptas omnis ex terra est: unde in ventrem cuncta pecora prona et prostrata sunt; hinc Poeta:

> Pronaque cum spectent animalia cætera terram,
> Os homini sublime dedit, cœlumque tueri
> Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.

Cœlo ergo nati, cœlo creati sumus : hic finis, hic scopus noster : ab hoc si aberremus, frustra homines sumus, frustra cœlum solemque suspeximus; satius foret bruta aut saxa fuisse : sin assequamur, terque quaterque beati. Hic ergo nobis, æque ac S. Bernardo, perennis sit stimulus ad vitam puram et sanctam : Bernarde, dic quare hic? cur cœlum suspicis? cur animam rationalem et immortalem accepisti?

In cæteris creaturis tantum est vestigium quoddam Dei.

Dico *quarto,* in cæteris creaturis non est imago, sed quoddam quasi vestigium Dei, Deum repræsentans, sicut effectus suam causam repræsentat. Consideranti enim earum naturam, actionem, dispositionem, determinationem, et mirabilem omnium inter se consociationem et ordinem, patet, eas divina ratione et sapientia conditas esse et conservari.

Moralis ratio traditur, quare homo gestet imaginem Dei.

Moraliter, voluit Deus omnia esse hominis, hominem vero esse Dei, quasi peculium, ideoque eum obsignavit sigillo suæ imaginis, eoque tenacissimo et indelebili, ut homo seipsum intuens, quasi in imagine Deum creatorem suum agnoscat, sciatque quanto debito et quam arcto vinculo illi sit obstrictus. Homo enim gestat Dei imaginem : *primo,* ut filius sui patris, cui debet amorem et pietatem; *secundo,* ut mancipium domini sui, quem timere ac revereri debet; *tertio,* ut miles sui ducis et imperatoris, cui fidem et obedientiam præstare oportet; *quarto,* denique, ut minister et dispensator bonorum heri et domini sui, cui rectum usum creaturarum, quæ dispensationi ejus commissæ sunt, exhibere debet, ad perennem Domini Deique sui laudem et gloriam. Ita Pererius, qui septem causas morales, cur homo conditus sit ad imaginem Dei, adfert hic lib. IV, in digressione morali, pag. 501 edit. *in-octavo.* Ubi maxime notanda est sexta, quæ est, ut homo esset capax æternitatis et infinitatis Dei, utque ab eo fidenter omne bonum sperare et petere audeat, dicatque ei : Imple, Domine, in bonis desiderium animæ meæ, quam ad tui imaginem, tuique capacem creasti; tu nihil in mundo pateris esse vacuum, patiere vacuum in animo meo? reple ergo eum tuis bonis, imo teipso : nam nihil aliud ejus infinitam capacitatem satiare et explere potest, nisi tu. Denique, si crimen est læsæ majestatis regis imaginem violare, quale crimen erit Dei imaginem sibi insitam fœdare peccato et polluere?

ET PRÆSIT. — Hebraice וירדו *veïrdu*, id est et præsint, sive dominentur, scilicet tam Adam, quam Eva eorumque posteri. Est ergo homo, animal imperio natum.

Audi S. Basilium hom. 10 *Hexam.*: « Animal itaque es, o homo, imperio natum. Ecquid miseram hanc affectuum servis servitutem! ecquid te dedis peccato in vile mancipium? cur tuapte sponte mancipem te et captivum constituis diaboli? Jussit te Deus in creaturis principem locum tenere; et ecce tanti principatus dignitatem a te excutis et repellis. Sed servus vocatus es? en habes rationem vitiosi omnis affectus plane dominatricem. Si herus fœdæ voluptati serviat, tu ab ea temperans, imo contemnens, præ illo es dominus istius obscenæ affectionis : ille e diverso earum servus, quæ abs te velut calce proteruntur, illicium voluptatum. »

Quale dominium habuisset homo in cæteras creaturas?

Nota *primo* : Homo in statu innocentiæ perfectum habuit dominium in omnia animalia, idque partim ex scientia et prudentia naturali, qua sciebat quomodo domanda, cicuranda et tractanda essent singula; partim ex peculiari providentia Dei qui per angelos animalium omnium phantasiam et corpus flexisset ad nutum, voluntatem et imperium hominis, sicuti eadem per angelos ad Adamum deduxit cap. II, 19. Decebat enim, ut, quamdiu caro hominis spiritui, et spiritus Deo, tandiu et animalia homini, quasi domino suo obedirent. Porro hoc dominium index est magnæ dignitatis hominis. Audi S. Ambrosium, initio lib. VI. *Hexam* : « Videbatur elephantis nihil habere natura procerius atque robustius, nihil terribilius leone, nihil sævius tigride : verum hæc serviunt homini, et naturam suam humana institutione deponunt; obliviscuntur quod nata sunt; induuntur quod jubentur. Quid multa? docentur ut parvuli, serviunt ut famuli, adjuvantur ut infirmi, verberantur ut timidi, corriguntur ut subditi : in mores transeunt nostros, quoniam motus proprios perdiderunt. »

Adverte : In statu innocentiæ, obedientia animalium fuisset quasi politica : debuissent enim ipsa imperium hominis sensu aliquo percipere, ut ei obedirent; unde si longe fuissent dissita, vel aliter occupata, non percepissent hominis imperium, illi non obedivissent. Denique tunc homo homini quoque dominatus fuisset, dominatione non servili, sed civili, qualis est inter angelos. Sic enim parentes filios, mariti uxores, principes subditos rexissent. Ita S. Augustinus, lib. XIX *De Civit.* cap. XIV.

Quomodo imminutum hoc dominium?

Nota *secundo* : Mansit in homine hoc dominium post peccatum, ut patet *Gen.* IX, 1; hinc jure naturæ, ut docet Aristoteles lib I. *Polit.*, cuique homini licita est silvestrium animalium venatio, æque ac piscium piscatio. Verum per peccatum multum imminutum est hoc dominium, idque, ut notat Hugo, maxime circa animalia extrema,

scilicet maxima, ut leones, et minima ac vilissima, uti culices, pulices, etc. Illud tamen recuperarunt quidam viri sanctissimi, qui ad innocentiam primævam quam proxime accesserunt; uti Noe in omnia animalia arcæ, Elisæus in ursos, Daniel in leones, Paulus in viperam, S. Franciscus in pisces et aves, quibus concionabatur, imperium obtinuit.

Tropologice. Tropologice, homo præest piscibus, quando dominatur gulæ et libidini : avibus, cum dominatur ambitioni : reptilibus, cum dominatur avaritiæ : feris, cum dominatur iræ; ita Origenes, Chrysostomus, Eucherius.

AD IMAGINEM DEI CREAVIT ILLUM. — « Dei, » id est Christi, qui est Deus : ad Christi enim imaginem specialiter creatus est homo; hoc enim est quod dicitur *Rom.* VIII : « Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imagini Filii; » et alibi : « Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis. » Ita S. Cyrillus, lib. I *Contra Julianum*, Hilarius, Theodoretus, et ex eis Franciscus Aretinus hic. Verum imago Christi est supernaturalis gratiæ et gloriæ : hic autem agitur primario de imagine naturali. Est ergo hic enallage personæ frequens apud Hebræos. Deus enim de se quasi de alio aliquo, in tertia persona loquitur; quod enim dixit : « Creavit Deus hominem ad imaginem suam, » hoc confirmat et inculcat, clareque explicat τὸ *suam*, dicens : « Ad imaginem Dei creavit illum. »

Vers. 27. 27. MASCULUM ET FEMINAM CREAVIT EOS. — Hinc

Inepte quidam hinc colligunt Adamum fuisse hermaphroditum. novator quidam in Francia nuper asseruit, Adamum creatum esse hermaphroditum, fuisseque eum tam feminam, quam masculum. Sic et Plato in *Symposio* censuit primos homines fuisse androgynos. Verum insulse hoc dicitur : non enim dicit Scriptura, creavit *eum*, sed *eos*, scilicet Adamum et Evam : puta Adamum creavit masculum, Evam vero feminam. Unde patet hæc per anticipationem dici. Necdum enim Moses descripsit creationem Evæ, licet ipsa hoc eodem sexto die sit facta; hanc enim reservat in cap. II, 22. Æque insulsum est, quod tradunt aliqui Hebræi, et Franciscus Georgius tom. I, prob. 29, scilicet, Adam et Evam a Deo creatos esse ita, ut in lateribus sibi invicem cohærerent, essentque quasi unum, sed postea Deum eos ab invicem separasse; hoc enim repugnat cap. II, 18, ut ibi ostendam.

Vers. 28. 28. CRESCITE ET MULTIPLICAMINI. — Ex hisce verbis liquet Adamum et Evam in ætate et statura perfecta, atque ad generandum apta, puta juvenili, ut ait Junilius, aut virili conditos esse. Volunt Hæretici, hic singulis hominibus a Deo præcipi generationem usumque matrimonii. Sed si ita est, ergo Christum Dominum (ut alios viros sanctissimos taceam) primum hujus legis violatæ reum peragant oportet. Et sane, si quod hic est præceptum, id non singulis hominibus, sed toti speciei, id est omnibus hominibus, in communi datur, ne sinant speciem humanam intermori :

Crescite et multiplicamini, benedictio est, non præceptum.

ita D. Thomas. Verum dico nullum hic esse præceptum. Idem enim dixit Deus piscibus vers. 22, quibus utique legem non tulit. Tantum ergo hic Deus benedicit homini, ut patet ex ipsis ejus verbis; hoc est, usum matrimonii inter homines probat, eisque virtutem et fœcunditatem indit, ut per maris et feminæ conjunctionem, uti cætera animalia, sibi simile procreent, itaque se suamque speciem conservent ac propagent. Ita S. Chrysostomus, Rupertus, et Augustinus, lib. XXI *De Civit.* cap. XXII, Pererius, Oleaster, Vatablus et alii.

ET REPLETE TERRAM. — Hujus rei symbolo, ait S. Augustinus tract. 9. *in Joan.*, quatuor mundi plagæ, per sui litteras initiales, in nomine *Adam* græce continentur. Adam enim, si initiales exponas, idem est quod ἀνατολὴ, δύσις, ἄρκτος, μεσημβρία, id est *Oriens, Occidens, Aquilo, Meridies*; ut significaretur ex Adam nascituros esse homines, qui quatuor mundi partes incolerent et replerent.

Nomen Adam continet quatuor plagas mundi.

SUBJICITE EAM, — expulsis, vel domitis cunctis feris eam inhabitate et colite, ejusque decore et fructibus vos pascite ac fruimini.

DOMINAMINI. — Hebræum רדו *redu*, est ambiguum. Si enim illum deducas a רדה *rada*, significat *dominamini*; sin a ירד *iarad*, significat *descendite, q. d.* Si præcepto meo parueritis, dominabimini cunctis animalibus : si non, dominio vestro excidetis, uti factum deplorat Psaltes *Ps.* XLVIII, 15. Ita Delrio. Verum hic sensus subtilior est, quam solidior; patet enim hic tantum de benedictione et dominio hominis agi, idque tantum significat *redu*, quando cum *bet* construitur, uti hic fit. *Redu* ergo hic idem est quod *dominamini*.

Vers. 29. 29. ECCE DEDI VOBIS OMNEM HERBAM IN ESCAM. — Dedi, id est *do* : Hebræi enim utuntur præterito, pro præsenti, quo carent. Hinc communior Patrum et Doctorum (excepto Cajetano, Victoria et D. Soto, quos citat Pererius, tom. III, p. 322) sententia est, homines usque ad diluvium in cibo ita frugales fuisse, ut herbis et fructibus vescerentur, carnibus vero, æque ac vino, abstinerent, idque non ob aliquod Dei præceptum, sed ob religionem quamdam inde natam, quod necdum Deus carnium et vini usum expresse et diserte concessisset, ut patet *Gen.* IX; vers. 3 et 21. Hæc ecce simplex patrum frugalitas vitam eis non minuit, sed auxit, vixerunt enim tunc ad 900 annos. Pulchre de hac prisca frugalitate Boetius, lib. II *de Consolatione*, metro 5 :

Carnibus ante diluvium abstinebant homines.

> Felix nimium prior ætas,
> Contenta fidelibus arvis,
> Nec inerti perdita luxu,
> Facili quæ sera solebat
> Jejunia solvere glande.

Et Ovidius, lib. I *Metamorph.*, de priscis patribus ita canit :

> Fraga legebant,
> Cornaque, et in duris hærentia mora rubetis,
> Et quæ deciderant patula Jovis arbore glandes.

De hac re plura dicam cap. IX, 3, 2.

Cur de homine non dicitur, et vidit Deus quod esset bonum?

Quæres cur, cum post singula creationis opera dicatur : « Et vidit Deus quod esset bonum, » illud omittatur post creationem hominis? Respondeo : Causa prima est, quia in homine finitur rerum creatio, qua finita et perfecta generatim omnia complectens dicit Moses : « Viditque Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona; » quæ complexio ad hominem maxime spectat, tum quia ejus creationem fusius cæteris immediate ante descripserat; tum quia homo est finis, complexio, nodus et centrum omnium creaturarum : propter hominem enim omnia creata sunt, et homo omnis creaturæ est dominus, participium, nexus et vinculum. Quare ne bis idem immediate repeteret Moses, dicendo de homine : « Et vidit Deus quod esset bonum, » ac mox de omnibus subjiciendo : « Viditque Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona, » prius omisit, illudque in posteriori intellexit, ut significaret omnia in homine, et propter hominem, uti creata sunt, sic et bona esse a bono hominis creatore. Ita Pererius. Qui et addit, idcirco addi hic τὸ *valde*, quod in cæteris omittitur, quia bonum hominis præstat bona cæterorum, præsertim quia per hominem, puta Jesum Christum, creaturæ omnes erant deificandæ : deificata enim Christi humanitate, una quoque omnes creaturæ, quæ in ea continentur, mirabiliter sunt deificatæ.

Secunda. Duas alias causas affert S. Augustinus, lib. III *De Genesi ad litter.* cap. XXIV, scilicet secundam : Quia, ait, homo nondum erat perfectus : nondum enim erat in paradiso constitutus; vel quia, postquam ibi constitutus est, illud ipsum pariter *Tertia.* prætermissum est hinc; tertiam subdit, quia præsciebat Deus hominem peccaturum, nec in suæ imaginis perfectione mansurum, *q. d.* Noluit eum dicere natura bonum, quem præsciebat culpa sua fore malum.

Quarta, Quartam causàm dat S. Ambrosius, lib. *De Paradiso*, cap. X : Deus, ait, noluit soli Adæ ante formationem Evæ dicere, « quod esset bonum, » ne videretur sibi contrarius; nam cap. II, 18, dicit : « Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi. » Igitur quia bonum generis humani, puta fœcunditas et propagatio, pendebat ex Eva, hinc Deus ante ejus formationem noluit de solo Adam dicere, « quod esset bonum. Maluit enim, ait, plures esse quos salvos facere posset, et quibus donare posset peccatum, quam unum solum Adam qui liber esset a culpa. »

Quinta. Quinta causa est moralis, scilicet ut significaret hominem esse liberi arbitrii, quo cætera creata carent : unde habent duntaxat bonitatem entis, sive naturalem; homo vero, quia liber, majorem habet bonitatem virtutis, sive moralem. Ut ergo indicaret hominis bonitatem moralem, quæ præcipua est, pendere ex usu liberi ejus arbitrii, noluit ante eum dicere de illo, quod esset bonum. Hanc causam assignant S. Augustinus, S. Ambrosius et alii.

Vers. 31. 31. VIDITQUE DEUS CUNCTA QUÆ FECERAT, ET ERANT VALDE BONA. — S. Augustinus, lib. I *De Gen. contra Manich.* cap. XXI : « Cum de singulis ageret, ait, dicebat tantum : Vidit Deus quia bonum est; cum autem de omnibus diceretur, parum fuit dicere, Bona, nisi adderetur et valde. Si enim singula opera Dei cum considerantur a prudentibus, inveniantur habere laudabiles mensuras, et numeros, et ordines, in suo quæque genere constituta, quanto magis omnia simul, id est ipsa universitas, quæ istis singulis in unum collatis completur. Omnis enim pulchritudo quæ partibus constat, multo est laudabilior in toto quam in parte. » Et mox : « Tanta est vis et potentia integritatis et unitatis, ut quæ bona sunt, tunc multum etiam placeant, cum in universum aliquod conveniunt atque concurrunt. Universum autem ab unitate nomen accepit. »

Mundi pulchritudo primo, ex rerum varietate. Nota : Mira est mundi rerumque creatarum pulchritudo. *Primo*, ob rerum varietatem; aliæ enim sunt incorporeæ, ut angeli, iique in varias species, hierarchias et choros distributi, suntque plurimi, et pene innumeri; aliæ sunt corporeæ : rursum harum aliæ sunt incorruptibiles, ut cœli et sidera; aliæ corruptibiles, eæque duplices, scilicet inanimes, et animatæ; rursum animatæ, aliæ sunt plantæ, aliæ animalia, aliæ denique sunt partim corporeæ, partim incorporeæ, ut homines. Jam quanta est varietas hominum in forma et vultu, in ingressu, voce, ingenio, lingua, studiis, opificiis, moribus, legibus, institutis, religionibus.

Secundo, ex rerum ordine. *Secundo*, ob rerum omnium ordinem et aptissimam dispositionem : nobiliores enim summum mundi tenent locum, ignobiliores infimum, mediæ medium, eæque per superiores aguntur, servantur et reguntur.

Tertio, ex rerum universitate. *Tertio*, ob rerum plenitudinem et universitatem : in mundo enim sunt omnia tripliciter : *primo*, secundum generales gradus rerum, qui quatuor sunt : esse, vivere, sentire et intelligere; *secundo*, secundum cujuslibet horum graduum genera omnia, et species subalternas; *tertio*, quod nihil uspiam sit, nihilque factum sit a Deo quod non in mundo contineatur, ad eumque pertineat.

Quarto, ex rerum connexione. *Quarto*, ob partium omnium inter se arctam miramque connexionem, non modo secundum quantitatem, ut nihil sit usquam inane et vacuum; sed etiam in serie contextuque naturalium specierum, videlicet ut nulla sit interruptio, utque quælibet pars aliis vicinis circumquaque aptissime et amicissime astricta et devincta sit.

Quinto, ex rerum antipathia et sympathia. *Quinto*, ob rerum inter se discordem concordiam, obque earum sympathiam et antipathiam. Talis antipathia est inter vitem et brassicam, inter ovem et lupum, felem et murem, aliasque res innumeras : sympathia est inter magnetem et ferrum, inter herbas mares et feminas, inter metalla varia, inter liquores, inter animalia.

Sexto, ex *Sexto*, ob miram rerum omnium tum inter se,

rerum proportione. tum cum toto mundo proportionem : hæc enim similis est proportioni et pulchritudini humani corporis, quæ ex concinna membrorum omnium compositione consurgit, quo fit, ut sicut homo

Mundus est magnus homo. est parvus mundus, ita mundus sit magnus quidam homo.

Septimo, ex optima mundi administratione. *Septimo,* ob divinam optimamque mundi administrationem : *primo,* quod Deus singulis rebus etiam vilissimis quæcumque vel necessaria, vel opportuna erant ad vitam cujusque tuendam, finemque consequendum, sapientissime ac liberalissime compararit; *secundo,* quod singulas, etiam ratione et sensu carentes, ad finem suum dirigat, quodque ejus ductu illæ ad finem suum perveniant, perinde ac si actiones et fines suos cognoscerent et intenderent, ut clare patet in avibus dum nidos construunt, in motu solis, cœlorum, ventorum, etc.; *tertio,* quod singulas ex æquo ita temperet, ut vires suas vicissim frangendo et sese corrumpendo, mundo sibique non sint exitio, sed saluti et ornamento; *quarto,* quod singulæ publicum bonum privato præferant, ut cum corpus grave ascendit sursum, ut vacuum impediat. Quocirca S. Augustinus, *epist.* 28, citans illud *Isaiæ* XL, juxta Septuaginta : « Qui profert ad numerum, » vel numerose, « sæculum, » docet mundum esse musicam suavissimam modulatoris Dei, quæ ex variis et contrariis rebus, quasi sonis et tonis oppositis conflata, concentum et harmoniam edit admirabilem. Idem, lib. XI *De Civit.* cap. XVIII, ait in hoc mundo Deum fecisse tam diversa, « ut ordinem, ait, sæculorum tanquam pulcherrimum carmen, ex quibusdam quasi antithetis honestaret; » perinde ac Scipio apud Ciceronem dictitat, civitatem et politiam bene ordinatam esse concentum. Sicut enim « ex dissimillimarum vocum moderatione concors efficitur et congruens : sic ex summis, mediis et infimis ordinibus interjectis ut sonis, moderata ratione civitatem consensu dissimillimorum concinere, et quæ harmonia a musicis dicitur in cantu, eam esse in civitate concordiam, eamque nullo pacto sine justitia esse posse, » uti refert idem Augustinus, lib. II *De Civit. Dei,* cap. XXI.

Octavo, quia omnia homini serviunt. *Octavo,* quod omnes res mundi ad hominis utilitatem compositæ sint : aliæ enim pertinent ad vitæ humanæ necessitates et commoditates; aliæ ad varias hominum oblectationes : aliæ sunt morborum remedia et sanitatis præsidia : multæ ad exemplum et imitationem sunt propositæ : omnes conducunt ad scientiam rerum, et maxime ad Dei notitiam, amorem et religionem concipiendam.

Nono, quia mala ordinantur in bonum. *Nono,* quod mala omnia in mundo Deus ordinet in bonum : mala enim pœnæ ordinat ad castigànda mala culpæ; mala culpæ absolute mala et peccata sunt : tanta est tamen Dei bonitas, sapientia et potentia, ut ea ordinet ad bonum vel clementiæ et misericordiæ suæ, ea condonando, vel justitiæ et vindictæ suæ, puniendo ea pœnis præsentibus et æternis : ita Pererius.

In mundo cogita, quid sit, quomodo sit, cur sit? Apte ergo S. Bernardus, serm. 3 *De Pentecost.* : « Tria, ait, in magno hujus mundi opere cogitare debemus, videlicet quid sit, quomodo sit, ad quid sit constitutus. Et in esse quidem rerum, inæstimabilis potentia commendatur, quod tam multa, tam magna, tam multipliciter, tam magnifice sunt creata. Sane in modo ipso sapientia singularis elucet, quod hæc quidem sursum, hæc vero deorsum, hæc in medio ordinatissime sint locata. Si vero ad quid sit factus mediteris, occurrit tam utilis benignitas, tam benigna utilitas, quæ etiam ingratissimos quosque multitudine et magnitudine beneficiorum possit obruere. Potentissime siquidem ex nihilo omnia, sapientissime pulchra, benignissime utilia sunt creata. » Et S. Augustinus in *Sent.,* Sent. 141 : « Tria, ait, maxime nobis scienda de conditione creaturæ oportuit intimari : quis eam fecerit, per quid fecerit, quare fecerit. Dixit Deus, ait : Fiat lux, et facta est lux, et vidit Deus lucem quod bona esset. Nec auctor excellentior est Deo, nec ars efficacior est Dei verbo, nec causa melior est, quam ut bonum creetur a bono; » et *Sent.* 140 : « Nullum, ait, Deus vel angelorum vel hominum crearet, quem malum futurum esse præscisset, nisi pariter nosset, quibus eos usibus bonorum commendaret, atque in ordinem sæculorum, quasi pulcherrimum carmen, etiam ex quibusdam pulcherrimis antithetis honestaret. » Hoc est carmen, hic liber mundi. Quare S. Antonius cuidam roganti, quomodo in eremo sine libris vivere posset? respondit : « Meus liber, o Philosophe, est natura rerum a Deo conditarum, quæ quotiescumque mihi libuerit, libros ipsius Dei ad legendum suppeditat. » Ita refert Socrates, lib. IV *Hist.* cap. XVIII.

Denique Philo, lib. *De Plantatione Noe,* sub finem, docet Dei operibus nihil deesse, nisi justum eorum æstimatorem et encomiasten. « Fertur, ait, fabula a sapientibus viris ad posteros per manus tradita : est autem talis. Olim cum totum mundum opifex absolveret, quemdam e prophetis rogavit numquid desideraret nondum creatum, sive in terra et aqua, sive in aere, aut cœlo. Respondit ille esse quidem perfecta et plena utique omnia, unum tamen se requirere, laudatorem horum sermonum, qui in rebus omnibus, vel quod minimum obscurissimumque videtur, non tam laudet quam enarret. Ipsam enim enarrationem operum Dei, sufficientissimam esse laudem, nullo egentem auctario. Hoc responsum patri universorum placuisse fertur, nec multo post exortum genus canorum et musicum, ex una divinarum potentiarum, virgine memoria, quam Mnemosynem vocant. Hæc est priscorum fabula, ex cujus auctoritate dicimus nihil esse Deo magis proprium, quam benefacere; nihil autem creaturæ, quam gratias agere, cum præterea nihil rependere valeat. » Denique S. Basilius, homil. 11

Hexam. : « Universa hæc mundi moles, ait, perinde est ac liber litteris exaratus, palam contestans ac deprædicans gloriam Dei, illiusque augustissimam majestatem, arcanam alioqui et invisibilem, abunde enuntians tibi intellectili creaturæ. Cœli enim enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum, » *Psalm.* XVIII, vers. 1.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describitur quies Dei in sabbato, sabbatique sanctificatio. Secundo, vers. 8, *plantatio paradisi, et quatuor ejus flumina. Tertio, vers.* 18, *formatio Evæ ex costa Adæ. Quarto, vers.* 23, *institutio matrimonii in Adamo et Eva.*

1. Igitur perfecti sunt cœli et terra, et omnis ornatus eorum. 2. Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat, et requievit die septimo ab universo opere quod patrarat. 3. Et benedixit diei septimo, et sanctificavit illum : quia in ipso cessaverat ab omni opere suo, quod creavit Deus ut faceret. 4. Istæ sunt generationes cœli et terræ, quando creata sunt, in die quo fecit Dominus Deus cœlum et terram : 5. et omne virgultum agri antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis priusquam germinaret; non enim pluerat Dominus Deus super terram, et homo non erat qui operaretur terram. 6. Sed fons ascendebat e terra, irrigans universam superficiem terræ. 7. Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem. 8. Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio : in quo posuit hominem quem formaverat. 9. Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave : lignum etiam vitæ in medio paradisi, lignumque scientiæ boni et mali. 10. Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita. 11. Nomen uni Phison : ipse est qui circuit omnem terram Hevilath, ubi nascitur aurum : 12. et aurum terræ illius optimum est; ibi invenitur bdellium, et lapis onychinus. 13. Et nomen fluvii secundi Gehon : ipse est qui circumit omnem terram Æthiopiæ. 14. Nomen vero fluminis tertii, Tigris : ipse vadit contra Assyrios. Fluvius autem quartus, ipse est Euphrates. 15. Tulit ergo Dominus Deus hominem, et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum. 16. Præcepitque ei dicens : Ex omni ligno paradisi comede : 17. de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas : in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris. 18. Dixit quoque Dominus Deus : Non est bonum esse hominem solum : faciamus ei adjutorium simile sibi. 19. Formatis igitur, Dominus Deus, de humo cunctis animantibus terræ, et universis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea : omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus. 20. Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia, et universa volatilia cœli, et omnes bestias terræ; Adæ vero non inveniebatur adjutor similis ejus. 21. Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam : cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, et replevit carnem pro ea. 22. Et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem; et adduxit eam ad Adam. 23. Dixitque Adam : Hoc nunc, os ex ossibus meis, et caro de carne mea : hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. 24. Quamobrem relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhærebit uxori suæ : et erunt duo in carne una. 25. Erat autem uterque nudus, Adam scilicet et uxor ejus, et non erubescebant.

Est hoc capite anacephalæosis : nam formatio paradisi facta est die tertio; et Evæ creatio, ac matrimonii institutio facta est ante sabbatum die sexto, puta Veneris, quo creatus est Adam. Mo-

ses ergo hæc et alia quæ cap. I obiter perstrinxit, hic copiosius explicat et enarrat.

Vers. 1. 1. OMNIS ORNATUS, — puta stellæ, et etiam angeli, qui cœlum ornant, perinde ac aves aerem, pisces mare, plantæ et animalia terram exornant. Pro *ornatus*, hebraice est צבא *tsaba*, id est exercitus, acies, militia, virtus, ornatus; nihil enim ordinata acie est ornatius. Hinc dicitur Deus exercituum, id est angelorum et siderum, quæ quasi milites, Deo stato ordine deserviunt, moventur, oriuntur, occidunt, et pro Deo contra impios non raro depugnant, ut dixi *Judic.* V, 20.

Vers. 2. 2. COMPLEVITQUE DEUS DIE SEPTIMO OPUS SUUM. — « Die septimo, » scilicet exclusive : nam inclusive Deus complevit opus suum die sexto, ut habent Septuaginta. Cœpit enim die Dominico, et complevit feria sexta, sive die Veneris, ita ut sequenti die septimo quieverit, qui ab hac quiete Dei vocatus est sabbatum. Symbolicam et arithmeticam causam, cur sex diebus perfectus sit mundus, dant S. Augustinus, lib. IV. *De Genes. ad litt.* cap. I; Beda et Philo, lib. *De Opificio mundi*; nimirum, quod senarius numerus primus est perfectus : conficitur enim e primis sui partibus, scilicet unitate, binario et ternario; nam unum, duo et tria faciunt sex.

Symbolice, sex dies significant sex millia annorum, quibus durabit hæc fabrica mundi (mille enim anni coram Deo sunt sicut dies unus, *Psal.* LXXXIX, 4), ita ut iis exactis veniat Antichristus, dies judicii, et sabbatum, id est requies Sanctorum in cœlis, docent S. Hieronymus in *Expos. Psal.* LXXXIX *ad Cyprianum*; Irenæus, lib. V, cap. ult.; Justinus, Quæst. 71 *ad Gentes*; S. Augustinus, lib. XX *De Civit.* VII, et alii, quos citat Sixtus Senensis lib. V *Biblioth.*, annot. 190. Hinc et sex primi parentes Adam, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Jared, mortui sunt, septimus Enoch vivus in cœlum translatus est, quia post sex millenarios annorum laboris et mortis, sequetur vita æterna, ait Isidorus in *Gloss.* cap. V. Vide dicta *Apoc.* XX, 6.

OPUS SUUM — creationis novarum specierum; nam gubernationis, conservationis et productionis novorum individuorum opus etiamnum peragit Deus, ut patet *Joannis* V, 17.

REQUIEVIT — non a defatigatione, sed ab opere; unde hebr. est שבת *scabat*, id est cessavit. Aliter Aristobolus apud Eusebium, lib. XIII *de Præpar.* cap. VI, « requievit, » ait, id est rebus a se conditis dedit quietem, id est stabilitatem, permanentiam, perpetuitatem ordinemque ratum, fixum et immutabilem. Quocirca τὸ *requievit* tacite significat conservationem rerum creatarum, cum iisque ad actus et motus proprios jugem Dei cooperationem. Nam, ut ait S. Augustinus in *Sententiis*, num. 277. : « Creatoris omnipotentis omnipotentia, est causa subsistendi omni creaturæ : quæ virtus si ab eis quæ condidit regendis aliquando cessaret, simul omnium rerum species et natura concideret. Proinde quod Dominus ait : Pater meus usque nunc operatur, quamdam conjunctionem operis ejus, qua simul omnia continet atque administrat, ostendit. In quo etiam opere sapientia ejus perseverat, de qua dicitur : Pertingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. Idem etiam Apostolus sentit, cum Atheniensibus prædicans ait : In quo vivimus, movemur et sumus. Quia, si opus suum rebus creatis subtraheret, nec vivere, nec moveri, nec esse possemus. Et ideo sic Deus intelligendus est requievisse ab omnibus operibus suis, ut jam nullam novam conderet creaturam, non ut conditas continere et gubernare cessaret. »

Docte idem S. Augustinus in *Sentent.*, num. 145, docet eodem modo affici Deum, cum vacat, et cum operatur. « Non ergo, ait, in Deo aut pigra vacatio, aut laboriosa cogitatur industria, qui novit et quiescens agere, et agens quiescere; et quod in operibus prius quidem est, aut posterius, non ad facientem, sed ad facta referendum est. Æterna enim est et incommutabilis voluntas ejus, nec consilio alternante variatur, in qua simul est quidquid in rebus creandis, vel ordinandis, aut præcesserit, aut sequitur. Hinc Philo, lib. *Allegor.*, vertit, non, quievit, sed, quiescere fecit quæ exorsus est; quia, ait, Deus nunquam quiescit, sed sicut proprium ignis est urere, et nivis refrigerare, ita Dei operari. » Hebræum tamen ישבת *iisbot*, proprie significat quievit, uti vertit Chaldæus, Noster et Septuaginta.

Symbolice Junilius, Beda, et S. Augustinus, lib. IV *de Gen. ad litt.* cap XII, docent quietem hanc Dei in sabbato fuisse figuram quietis Christi in sepulcro, die sabbati, postquam opus redemptionis nostræ die sexto, per passionem et mortem consummasset.

Anagogice, fuit hic typus quietis Sanctorum in cœlo : ibi enim perenne agent sabbatum, de quo plura *Deut.* V, 12.

Vers. 3. Sabbati sanctificatio.

3. ET BENEDIXIT DIEI SEPTIMO, — id est, diem septimum laudavit, commendavit, approbavit, ait Philo : sic benedicimus Deum, cum eum laudamus. *Secundo* et melius, « benedixit, » id est, ut sequitur, sanctificavit, sanctum et festum decrevit diem septimum. Sicut enim hominis magna est benedictio, quod sanctificetur : ita est et festi.

ET SANCTIFICAVIT ILLUM. — Non hoc ipso die septimo, quod primum fuit sabbatum in mundo, sed postea, tempore Mosis, puta *Exodi* XX, 8. Ita Abulensis, qui putat hæc hic dici per anticipationem. *Secundo* et melius alii, sanctificavit Deus jam tunc sabbatum, non actu et reipsa, sed decreto et destinatione sua, *q. d.* Quia Deus quievit die septimo, hinc illum diem destinavit sibi quasi sacrum, ut a Mose indiceretur festus colendus a Judæis. Ita Pererius, Beda, Hieronymus Prado in cap. XX *Ezechiel.* *Tertio* et planissime, Deus a mundi exordio hoc primo sabbati die, illum « sanctificavit, » id est actu festum instituit, co-

lique voluit ab Adamo ejusque posteris sacro otio et cultu Dei, maxime recolendo beneficium creationis suæ, totiusque mundi, illo die completæ. Unde patet sabbatum fuisse festum institutum et sancitum primitus, non a Mose, *Exodi* XX, 8, sed longe anterius, puta ab origine mundi, hoc ipso primo mundi sabbato. Idem colligitur *Exodi* XVI, 23, *Hebr.* IV, 3, ut ibi ostendi. Ita Ribera ibidem, Philo, Catharinus hic. Fuit ergo hoc præceptum sabbati divinum, non naturale, sed positivum : unde a Christo et Apostolis festum a sabbato in Dominicum est translatum.

Sabbatum festum fuit a Deo indictum Adæ et posteris ante Mosen.

QUOD CREAVIT DEUS UT FACERET, — id est, quod creavit faciendo, et creando fecit atque perfecit : hanc enim operis perfectionem significat hæc ejusdem verbi per synonymon iteratio, qua dicitur : « Creavit ut faceret. »

Vers. 4. 4. ISTÆ SUNT GENERATIONES (id est *creationes*) COELI ET TERRÆ. — Unde sequitur : « Quando creata sunt in die, » id est tempore toto sex dierum, de quibus cap. I. Ita Beda et alii (1).

Vers. 5. 5. ET OMNE VIRGULTUM. — Connecte hæc cum vers. *4*, sic : « In die quo fecit Dominus cœlum et terram, et omne virgultum (Hebræum שיח *siach*, est enatum, vel germinans) antequam oriretur in terra, » more scilicet naturali et virtute seminis, uti nunc oritur. Tantum enim vult dicere Moses primam illam productionem virgultorum ac paradisi, ad quem paulatim descendit, non naturæ, non terræ, non semini, sed Dei virtuti et operationi tribuendam esse ; idque probat ex eo quod, cum omnes herbæ et virgulta cœli influxu et hominis industria ac cultura proveniant, tunc nondum erat homo, qui sereret et coleret terram ; nec etiam erat pluvia, quæ sata rigaret.

Secundo, ex Hebræo sic planius verti posset, *in die* (primo mundi) *quo fecit Deus cœlum et terram, omne virgultum agri nondum* (hoc enim est טרם *terem*, ut patet *Exodi* IX, 30 : « Novi quod necdum (hebr. *terem*) timeatis Dominum) *erat in terra, et omnis terra regionis nondum germinabat, sed fons ascendebat de terra* (2).

Vers. 6. 6. SED FONS ASCENDEBAT E TERRA. — Quæres, quis hic sit fons ? *Primo*, Aquila, Chaldæus et Hebræi aliqui, ac Molina, Pererius, Delrio, Hebræum אד *ed* vertunt *vaporem*, quem scilicet sol e terra sursum vi sua attraxerit, qui postea noctis frigore concretus in rorem et in humorem resolutus, terram ejusque germina irrigarit initio mundi, donec paulo post pluvias dedit Deus terræ, ad eam irrigandam. Hic ergo vapor et ros erat tunc loco pluviæ et humoris, quo plantæ recens creatæ foverentur ; nam primos dies mundi decuit esse sudos et serenos.

Quis hic fons ? Prima sententia.

Dices, quomodo hic vapor a nostro interprete et a Septuaginta vocatur fons ? Respondeo, quia ut fons terram inundabat. Sic enim Aristoteles, lib. I *Meteor.* I, nubes ex aquis ortas, et in aquas verti solitas, vocat circularem et perennem fluvium, sive oceanum, qui per aerem fluit et volitat.

Verum obstat huic sententiæ, quod vers. præced. negavit Moses, ullam tunc pluviam, aut similem humorem cœlestem fuisse, qui terram rigaret. Rursum, quod vapor valde improprie vocatur fons ; et Hebræum *ed*, non vaporem, sed gurgitem potius aquarum (ut patet *Job* XXXVI, 27) ; indeque calamitatem et cladem, quæ instar gurgitis homines obruit et involvit, ut patet *Jerem.* XLIII, 16, et alibi, significat. Unde Oleaster *ed* vertit *inundationem*.

Refellitur.

Secundo, S. Augustinus, lib. V *De Genes. ad litt.* cap. IX et X : Initio mundi, inquit, proprie unus fuit fons, qui stato tempore instar Nili exundans terræ germina rigabat. Sed talem fontem fuisse, qui totam terram inundando rigaret, vix est credibile.

Secunda sententia improbabilis.

Longe incredibilius est, quod addit Glossa interlinealis, hoc fonte exundante rigatam esse totam terram, usque ad tempora Noe, ita ut ante Noe nullæ unquam fuerint pluviæ in mundo.

Tertio ergo melius ibidem S. Augustinus, Philo, et Nicolaus Papa ad Michaelem imperatorem : Fons, inquit, id est fontes, rivuli et flumina ascendebant de terra : omnes enim aquæ, ut dixi cap. I, vers. 9, congregatæ sunt in unum locum, quasi in unum fontem, vel matricem. Moses enim hic tantum generatim relegit et revolvit rerum creationem, quem cap. I seriatim enarravit, *q. d.* Deus solus initio mundi fecit omne virgultum ubique in tota terra ; idque probo ex eo, quod tunc necdum erat homo qui hæc virgulta plantaret, nec pluvia quæ ea rigaret ; sed tantum fons, id est varia flumina et fontes ex una quasi fontali matrice (de qua dixi cap. I, vers. 9.) manantes totam terram hinc inde irrigabant. Hæc autem non poterant, sine pluvia, ubique terris a se remotis subministrare humorem ad germinandum ; ergo hæc germina et virgulta solus tunc effecit Deus.

Tertia, probabilis.

Quarto, ex Hebræo planius et solidius sic explices : « fons, » hebraice אך *ed*, id est gurges vel inundatio, puta abyssus illa primigenia aquarum, de qua dixi cap. I, vers. 2, irrigabat et tegebat totam terram, quasi tota terra unus esset fons : hanc enim quasi primam omnium matricem tantum hoc versu summatim repetit Moses, uti paulo ante vers. *4* repetiit creationem cœli et terræ. Deus enim ante omnia primo creavit cœlum et terram, et hunc fontem sive abyssum aqua-

Quarta, et genuina.

(1) Verba illa spectant superiora, quæ capite I præcesserunt, ut clausulam quasi eorum faciant, hoc modo : Et tales quidem *erant* origines cœli et terræ quum crearentur. תולדות a verbo ילד proprie *generationes* notare constat ; sed quia Hebræorum historia tabulis genealogicis intexi solebat, hinc תולדות sensu latiore *enarrationem, historiam* denotat, et usurpatur in ejusmodi locis, in quibus nulla generationis mentio est. Cf. *Gen.* XXXVII, 2.

(2) Saadias arabice vertit, *nec fons ascendebat de terra*, e superiore repetens negandi particulam.

rum. Sensus ergo est, *q. d.* Deus uti solus cœlum et terram, et abyssum aquarum creavit, ita solus eam a terra separavit, et aridam detexit, atque germina, paradisum, hominem aliaque omnia ex ea produxit, quæ postea per pluviam et rorem conservavit et propagavit : unde, ut dixi vers. 5, ex Hebræo sic plane et clare vertas, « in die quo fecit Deus cœlum et terram, omne virgultum agri nondum erat in terra et omnis herba regionis nondum germinabat, sed fons, » id est inundatio, scilicet abyssus aquarum, quæ e terra videbatur emergere et ascendere, « irrigabat et tegebat totam terram (1). »

Vers. 7. 7. FORMAVIT IGITUR DOMINUS DEUS HOMINEM DE LIMO TERRÆ, ET INSPIRAVIT IN FACIEM EJUS SPIRACULUM VITÆ, ET FACTUS EST HOMO IN ANIMAM VIVENTEM.—Chaldæus paraphrastice vertit, *factus est homo in animam loquentem;* quia loquela, æque ac ratio, propria est homini.

Redit hic Moses ad opus sextæ diei, ut formationem hominis luculentius explicet.

Quinque causæ hominis. Nota *primo* : Moses hic quinque hominis causas assignat. Efficiens est Deus. Materia est limus terræ sive terra aqua mixta; unde et cadaver hominis in terram et aquam, quasi in elementa sua resolvitur. Forma est spiraculum vitæ. Exemplar est Deus : Dei enim imago est homo. Finis est ut sit anima vivens, id est res vel animal vivens, puta sentiens, seipsum movens, se et alia noscens, omniaque vitæ opera exercens (est synecdoche), utque præsit cæteris animalibus totique mundo.

Quomodo formatus sit Adam? Nota *secundo* : Hebræa ad verbum sic habent, *plasmavit Deus hominem pulverem,* vel, *lutum de terra.* Hebræum enim יצר *iitsar*, et Græcum ἔπλασεν proprie ad figulinam pertinet, idemque est quod plasmavit; unde videtur quod Deus primo corpus hominis in modum statuæ de limo terræ, vel per se, vel per angelos (ut insinuat S. Augustinus et ex eo S. Thomas, I *part., Quæst.* XCI, articul. 2, ad 1) efformarit, uti plastæ fingunt homines luteos. Et hoc est quod ait Job x, 9 : « Memento quod sicut lutum feceris me. » Et Jeremias XVIII, 2, Deum figulo, hominem luto comparat. Hinc etiam *Sapient.* VII, 1, Adam vocatur πρωτόπλαστος καὶ γηγενὴς primoplasmatus et terrigena; et ab Apostolo I *Cor.* XV, 47, « de terra terrenus » appellatur. Deinde Deus in hunc hominem luteum sensim induxit dispositiones carnis et corporis humani, ac denique simul cum ultima dispositione induxit formas heterogeneas singularum partium corporis, simulque cum iis infudit creando, et creavit infundendo animam rationalem : itaque factus est homo perfectus, corpore humano et anima rationali constans. Ita S. Chrysostomus hic *hom.* 12, et Gennadius in Catena; idque solus Deus per se effecit. Unde S. Basilius, S. Ambrosius et Cyrillus docent quod homo sit conditus a sola SS. Trinitate, sine alio adjutore : contrariam sententiam appellant Judaicum errorem.

Porro miram et divinam hominis singulorumque ejus membrorum structuram ita graphice depingit S. Clemens, lib. VIII *Recognit.* : « Vide in corpore hominis artificis opus, quomodo ossa velut columnas quasdam quibus caro sustentetur ac portetur inseruit; tum deinde æqualis ex utraque parte, id est dextra ac leva, mensura servetur; ut congruat pes pedi, et manus manui, digiti quoque digitis, ut singuli ad singulos tota æqualitate concordent; sed et oculus oculo, auris auri, quæ non solum consona sibi et concordantia, sed et usibus necessariis apta formantur. Manus quidem ut operi commoda sint, pedes ut gressibus, oculi ut visibus serviant superciliorum excubiis custoditi; aures ad audiendum ita formatæ, ut cymbalo similes, suscepti verbi repercussum sonitum altius reddant, et usque ad sensum cordis emittant. » Audi sequentia æque artificiosa et mira. « Lingua autem ad loquendum illisa dentibus, plectri ut reddat officium; ipsi vero dentes, alii ut incidant et dividant cibos, et interioribus tradant, interiores vero ut in modum molæ conficiant et comminuant, quo opportunius stomacho traditi coquantur, unde et molares appellati sunt. Sed et nares commeandi flatus, et reddendi ac recipiendi gratia factæ sunt, ut innovatione spiritus, calor naturalis qui ex corde est, vel accendi vel refrigerari, cum res poposcerit, queat, pulmonis officio; qui pectori inhæredatus est, ut mollitie sua palpet et foveat cordis vigorem, in quo videtur vita consistere, vita dico, non anima. Nam quid dicam de substantia sanguinis, quam velut fluvius ex fonte procedens, ex uno prius alveo invectus, tum deinde per innumeras venas, quasi per areas derivatus, totam humani corporis terram vitalibus rigat fluentis, jecoris opere ministratus; quod ad efficaciam digestionis ciborum, atque in sanguinem mutandorum in dextero latere jacet? » Quis ex his omnibus evidenter non agnoscat rationis opus et sapientiam Conditoris?

Eamdem hominis cosmopœiam eleganter describit S. Ambrosius, lib. VI *Hexam.*, cap. IX, ubi inter cætera docet, « humani corporis fabricam instar esse mundi. Siquidem ut cœlum eminet aeri, terris maria, quæ velut quædam membra sunt mundi, ita etiam caput super reliquos artus corporis nostri cernimus eminere : in arce autem hac regalem quamdam habitare sapientiam. Rursum quod sol et luna in cœlo, hoc sunt oculi in homine. Sol et luna duo mundi lumina, oculi autem quædam in carne sidera fulgent desuper, et inferiora claro illustrant lumine, speculatores

(1) « Loco pluviæ et irrigationis erat *vapor,* quo universa telluris superficies humefiebat, eo tempore quo tener terrarum orbis primum concreverat, et nubes submotæ erant, antequam sole novo lucescente crearentur pluviæ, ad procreandas et conservandas plantas. » Hæc Rosenmullerus ad h. l.

quidem nostri die ac nocte excubant. Quam speciosa cæsaries? Quid sine capite est homo, cum totus in capite sit? Huic frons libera, quæ mentis habitum specie sui prodat. Imago quædam animi loquitur in vultu. Geminæ series superciliorum oculis munimenta prætendunt, prætexunt gratiam. Propter oculos ferunt medici periti cerebrum hominis in capite locatum. Initium nervorum et omnium sensuum cerebrum est. Initium autem arteriarum, et insiti caloris quo animantur et tepefiunt vitalia, cor esse plerique arbitrantur. Sensuum autem singulorum velut organum nervi sunt, qui velut chordæ et fides quædam de cerebro oriuntur, et per partes corporis in singula quæque officia derivantur. Ideoque mollius est cerebrum, quia omnes sensus suscipit: eo enim nervi referunt universa, quæ vel oculus viderit, vel auris audierit, vel odor inhalaverit, vel lingua increpuerit, vel os saporis acceperit. Sinuatio interiorum aurium modulandi quemdam numerum præstat, et disciplinam. Siquidem per anfractus aurium quidam rhythmus efficitur, et modulis quibusdam ingressæ sonus vocis exprimitur. Quid ego describam dentium vallum, quo cibus conficitur, et plena fit vocis expressio? Lingua est velut plectrum loquentis, et quædam edentis manus, quæ defluentem cibum dentibus suggerit et ministrat. Vox quoque aeris quodam remigio vehitur nunc commovens, nunc demulcens audientis affectum. Itaque cogitationes tacitæ mentis, oris sermone signantur. Quid est igitur os hominis, nisi quoddam sermonis adytum, fons disputationis, aula verborum, promptuarium voluntatis? » Pergit deinde a capite ad cætera membra, aitque: « Manus est totius corporis propugnaculum, capitis defensatrix, quæ præclaris enitet factis, per quam offerimus, sumimus et dispensamus Sacramenta cœlestia. Quis digne explicet pectoris cratem ventrisque mollitiem? Quid tam salutare, quam ut pulmo cordi finitimo limite jungeretur, ut cum exarserit cor ira et indignatione, pulmonis sanguine atque humore citius temperetur? Ideoque mollior pulmo est, quia madet semper, simul ut rigorem indignationis emolliat. Lien quoque cum jecore viciniam habet fructuosam, qui, dum assumit quo ipse pascatur, abstergit quidquid sordium deprehenderit, ut per fibras jecoris minutiores, ciborum possint tenues atque subtiles reliquæ transire quæ vertantur in sanguinem, viribusque proficiant. Intestinorum vero circumplexi orbes, et sine aliquo licet nodo sibi tamen invicem nexi, quid aliud nisi divinam prospicientiam Creatoris ostendunt, ut non cito esca pertranseat et statim a stomacho decurrat? Quod si fieret, jugis fames et continua vorándi libido hominibus gigneretur. » Et post nonnulla: « Venarum pulsus vel infirmitatis internuntius, vel salutis est; eædem tamen cum toto diffusæ sint corpore, neque nudæ, neque intectæ sunt, et ita lenibus operiuntur visceribus, ut explorandi copia sit, et celeritas sentiendi, quando nulla est viscerum crassitudo quæ pulsum possit obducere. Ossa quoque omnia tenui operta sunt viscere, et revincta nervis, præcipue tamen capitis levi tecta sunt corio, unde, quo possint aliquod adversus umbras et frigora habere munimen, capillis densioribus vestiuntur. Quid dicam de officio pedum, qui totum corpus sine ulla sustinet oneris injuria? Flexibile genu, quo præ cæteris Domini mitigatur offensa, ut in nomine Jesu omne genu curvetur. Duo enim sunt quæ præ cæteris Deum mulcent, humilitas et fides. Duo sunt homini pedes: quaterni enim pedes sunt feris et belluis, bini avibus. Et ideo unus quasi de volatilibus est homo, qui alta visu petat, et quodam remigio volitet sublimium cogitationum; et ideo de eo dictum est: Renovabitur sicut aquilæ juventus tua, eo quod propior sit cœlestibus, et sublimior aquilis, qui possit dicere: Nostra conversatio in cœlis est. »

Nota *tertio*: Pro *limo terræ*, hebraice est עָפָר מִן הָאֲדָמָה *aphar min haadama*, id est pulverem de terra; Septuaginta vertunt, *pulverem accipiens e terra*. Sed hunc pulverem, ait Tertullianus, Deus addito optimo liquore in limum et quasi argillam coagulavit. Pulvis enim aridus inidoneus est ad plasmandum: pulvis ergo hic humectus erat, ideoque limus.

Adam ex Adama.

Rursum *Adama* (ex qua formatus et dictus est « Adam ») significat terram rubram. Unde ex terra rubra, quæ est in agro Damasceno, non urbis Damasci, sed agri cujusdam ita dicti, qui est juxta Hebron, creatum esse Adamum, multorum est traditio. Id enim tradunt Hebræi, et ex eis S. Hieronymus in *Quæst. hebraicis* hic, Lyranus, Hugo et Abulensis hic, et in cap. XIII, Quæst. CXXXVIII, Burchardus, Bredembachius, Salignia-

Fertur in Hebron creatus.

cus, et Adrichomius in *Descriptione Terræ sanctæ*, in Hebron; ubi et vallem lacrymarum consignant juxta Hebron, in qua ferunt Adamum centum annis plorasse mortem Abelis; confirmant idipsum ex *Josue* cap. XIV, vers. 15, ubi sic dicitur: « Nomen Hebron ante vocabatur Cariatarbe. Adam maximus ibi inter Enacim situs est. » Verum genuinus hujus loci sensus longe alius est, uti ibi dicam: Adam enim non fuit gigantea, sed justa statura; alias enim fuisset ipse monstrum hominis. Errat ergo Joannes Lucidus et alii, qui Adam putant fuisse gigantem. Sed ad rem: ego sane præter Hebræos subinde fabulosos, optarem alios veteres hujus traditionis habere auctores.

Moraliter, recte Jeremias (et nos cum eo), cap. XVIII, mittitur a Deo ad domum figuli, ad contemplandam suam matricem et originem, scilicet lutum, ut humilietur, utque discat et doceat omnes homines esse in manu Dei, sicut lutum est in manu figuli. Eleganter Secundus philosophus interrogatus ab Adriano imperatore: « Quid est homo? » respondit: « Mens incarnata, phan-

tasma temporis, speculator vitæ, transiens viator, anima laboriosa. » Epictetus vero : « Homo, ait, est lucerna in vento posita, loci hospes, legis imago, calamitatis fabula, mancipium mortis. »

Nota *quarto* : « Spiraculum vitæ » vocatur, non Spiritus Sanctus, uti voluit Philastrius in *Catalogo hæresum*, cap. XCIX, cujus errorem refutat S. Augustinus, lib. XIII *De Civit.* cap. XXIV ; sed ipsa anima rationalis, quæ in homine simul est vegetativa et sensitiva. Ex hac enim oritur respiratio et expiratio, quæ est tam signum, quam effectus vitæ ; et inde anima dicitur ψυχὴ a ψυχάζω, id est, *frigus capto* : respirando enim refrigeramur ; hebraice vero dicitur נשמת *nescama*, et נפש *nephes*, a radice נפש *naphas*, id est respiravit.

Pro *vitæ*, hebraice est חיים *chaiim*, id est vitarum, quia rationalis anima homini tribuit triplicem vitam, scilicet plantarum, brutorum et angelorum. Alii, « vitarum, » inquiunt, quia narium foramina sunt duo, quibus vita, id est aura, respirando hauritur. Verum nares non sunt spiraculum vitarum, sed ejus receptaculum, ut mox dicam. Dicitur « spiraculum vitæ, » quia ad vitam ita necessaria est respiratio, ut ne ad momentum quidem sine ea vivere possimus, ait Galenus, lib. *De Utilit. respirat.*, cap. II. Hinc ait : Asclepiades dixit respirationem esse generationem animæ ; Praxagoras vero, non generationem animæ, sed corroborationem (1).

Unde anima dicatur ψυχὴ et נפש

Nota *quinto* : Ex hoc loco patet animam rationalem non educi ex materia, non etiam esse ex traduce, id est, non generari et propagari ex anima parentis, ut lux spargit et propagat lucem, sicuti putavit Tertullianus, et dubitavit S. Augustinus, lib. VII *De Gen. ad litt.* cap. I et seq. Certum enim est, ut docet S. Hieronymus, omnesque alii Patres (estque sensus hic Ecclesiæ), animam non ab angelis, ut voluerunt Seleuciani, sed extrinsecus a solo Deo creari et infundi homini. Hæc enim significat vox *inspiravit*, vel, ut Cyprianus legit, *insufflavit in faciem*, id est in totum corpus. Est synecdoche : ex facie enim, in qua vigent omnes vitales operationes, et maxime respiratio, quasi ex parte nobilissima, totum corpus intelligitur.

Insufflavit ergo *primo*, ut ostenderet, ait Theodoretus, tam facile esse Deo animam creare, quam homini insufflare. *Secundo*, ut intelligamus animam non eductam e materia, nec esse ex traduce, ut putavit Tertullianus (qui idcirco censuit animam, æque ac Deum, corpoream esse, imo effigiatam et coloratam, eo quod nihil incorporale sit), et dubitavit S. Augustinus, lib. VII *De Genesi ad litteram*, cap. I, sed extrinsecus a Deo creatam. *Tertio*, divinum quid esse animam nostram, quasi Dei flatum, non quidem ut credas esse partem avulsam divinitatis, uti videtur sensisse Epictetus, *dissert.* 1, cap. XIV ; Seneca, *epist.* 92 ; Cicero, I *Tusc.* et I *De Divin.*, sed quod anima sit summa participatio divinitatis, quoad naturam spiritalem. *Quarto*, quod insufflatio et respiratio sit ita necessaria vitæ, ut ne momentum quidem sine ea vivere possimus ; unde Galenus, lib. *De Utilitate respirandi*, cap. I, ait : « Asclepiades dixit respirationem esse generationem animæ, Nicarchus corroborationem, Hippocrates nutritionem. » Insufflando igitur Deus hominem creat, ac si voluisset ostendere, non secus homine se ad universi complementum carere non posse, ac non potest homo carere respiratione. Postremo, cum ipsum flatum animamque Deus homini communicavit, semetipsum communicavit, quasi suum in illo cor indidisset.

Pro *in faciem*, hebraice est באפיו *beappaf*, quod Aquila et Symmachus vertunt, εἰς μυκτῆρας, id est *in nares* : in naribus enim viget respiratio, quæ signum est animæ latentis. Verum melius vertit Noster, *in faciem* : non enim in solis naribus, sed in facie tota, ac consequenter in toto homine anima est et relucet, sed maxime in facie et capite. Quocirca S. Ambrosius, lib. VI *Hexam.*, cap. IX, ait humani corporis fabricam instar esse mundi. Siquidem, ut cœlum eminet aeri, terris maria, quæ velut membra sunt mundi : ita etiam caput super reliquos artus nostri corporis cernimus eminere, prestantissimumque esse omnium, tanquam inter elementa cœlum, tanquam arcem inter reliqua urbis mœnia : in arce autem hac, regalem quamdam habitare sapientiam. Unde a Salomone dictum est : « Oculi sapientis in capite ejus. » Hinc et Lactantius, lib. *De Dei opificio*, cap. V : In summa, ait, constructione corporis, caput Deus ipse collocavit, in quo esset regnum totius animantis ; datumque illi hoc nomen est, ut quidem Varro *ad Ciceronem* scribit, quod hinc capiant initium sensus et nervi.

An anima sit divinæ particula auræ ?

Putarunt aliqui animam nostram esse partem divinæ substantiæ, quasi dicatur Deus hic insufflasse, id est partem sui flatus, spiritus et animæ homini communicasse. Sed hæc est vetus hæresis, et error Poetarum, qui animam dicunt esse « divinæ particulam auræ, » et ἀπόσπασμα (id est partem avulsam) divinitatis. Ita sentit Epictetus, *dissert.* 1, cap. XIV ; Seneca, *epist.* 92 ; Cicero, I *Tuscul. Quæst.* et lib. I *De Divinatione*. « Insufflavit » ergo, id est flatum, spiritum et animam, quasi effectum omnipotentiæ suæ, de nihilo in homine creavit Deus. Hinc S. Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, Eucherius et Lyranus, animam rationalem ita definiunt : « Anima est deiforme spiraculum vitæ. » *Secundo*, Auctor *De Spiritu et anima* apud S. Augustinum, tom. III :

Septem definitiones animæ rationalis.

(1) Quemadmodum Græci distinguebant τὴν ψυχήν, qualis obtigit cunctis animantibus, et τὸν νοῦν, qui proprius sit homini ac dæmonibus ; item Latini *animam*, et *animum*, seu *mentem* : ita Hebræi per נשמת חיים videntur intelligere *animam vitalem* qualiscumque illa sit, et per נפש, *animam rationalem*.

« Anima, ait, est substantia quædam incorporea, rationis particeps, regendo corpori accommodata; » *tertio*, Cassiodorus: « Anima, ait, est substantia spiritalis, a Deo creata, sui corporis vivificatrix; » *quarto*, Seneca : « Anima, ait, est spiritus intellectualis, ad beatitudinem in se, et in corpore ordinatus; » *quinto*, Damascenus : « Anima, ait, est spiritus intellectualis, semper vivens, semper in motu, bonæ malæque voluntatis capax; » *sexto*, Auctor *De Spiritu et anima* : « Anima, inquit, est omnium similitudo; » *septimo*, alii : « Anima, inquiunt, est substantia spiritualis, simplex et indissolubilis, in corpore passibilis atque mutabilis. »

Vers. 8. 8. PLANTAVERAT AUTEM DOMINUS DEUS PARADISUM VOLUPTATIS A PRINCIPIO. — « Plantaverat, » id est plantis, arboribus omnibusque deliciis a se creatis instruxerat et adornarat.

Unde dicatur paradisus? PARADISUM. — Nota : Paradisus non est vox græca, παρὰ καὶ δεύω, id est *irrigo*, ut vult Suidas : vel, ut alii, παρὰ τὴν δείσαν πυιεῖσθαι, id est a collectione herbarum, ita nuncupatus; sed est vox Persica, ait Pollux, aut potius Hebræa : פרדס *pardes* enim hebraice significat locum voluptatis, a radice פרדן *para*, id est fructificavit, et הדס *hadas*, id est myrtus, quasi dicas, hortus myrtorum, seu in quo fructificant myrti. Myrtus enim odore et sapore præ aliis arboribus recreat et excellit.

Paradisus fuit in Eden. VOLUPTATIS. — Septuaginta retinent vocem Hebræam, vertuntque *in Eden*, quod est nomen proprium loci, idque indicat Hebræum *bet*, id est, *in*, planeque *Eden* esse nomen loci, in quo fuerit paradisus, patet vers. 10 in Hebræo, idque magis patebit inferius. Verum noster Interpres et Symmachus *Eden* accipiunt, non ut proprium, sed ut appellativum, tuncque significat voluptatem. Unde ab Hebræo *Eden* nonnulli deducunt Græcum ἡδονή, id est *voluptas*. Theodoretus, *Quæstione* XXV, putat Adamum formatum esse in Eden, et ab *Eden* denominatum esse Adam. *Eden* enim, ait, rufum significat. Sed errat : *Eden* enim non rufum, sed voluptatem hebraice significat. Rursum Adam vocatus est ab Adama, id est terra rubea ex qua formatus est, non ab Eden : Adam enim per *aleph*, Eden vero per *ain* scribitur.

Fuit ad Orientem. A PRINCIPIO, — scilicet die tertio mundi, uti dixi cap. I, vers. 11. Errat ergo auctor lib. IV *Esdræ* cap. II, vers. 6, qui exponit sic, ut asserat ante terram plantatum esse paradisum. Septuaginta vertunt, *ad Orientem*; unde patet quod respectu Judææ (Judææ enim respectu Moses scribit, et consignat plagas mundi) paradisus fuerit ad Orientem, quodque Orientalis plaga primo ab Adamo et hominibus incoli cœperit.

Hinc S. Chrysostomus, Theodoretus et Damascenus lib. IV *De Fide*, cap. XIII, docent Christianos orare vertendo se ad Orientem, ut recordentur paradisi, ex quo per peccatum expulsi sunt; atque anhelent ad cœlestem paradisum, cujus ille terrestris typus et imago fuit.

Quæstio ubi sit paradisus. Prima sententia. Quæres, quis, qualis et ubi sit paradisus? *Primo*, Origenes putat paradisum esse tertium cœlum, in quod raptus fuit S. Paulus; arbores esse virtutes angelicas; flumina esse aquas quæ sunt supra firmamentum. Idem docet Philo et Seleuciani hæretici, quin et S. Ambrosius, lib. *De Paradiso*. Verum S. Epiphanius, Augustinus, Hieronymus et alii hanc expositionem hæreseos damnant : torquet enim planam historiam Geneseos ad figmenta allegoriarum. Unde S. Ambrosius excusandus est, quod litteram litteralemque sensum præsupponat, tantumque allegoriam paradisi vestiget.

Secunda. *Secundo*, alii apud Hugonem Victorinum putant paradisum fuisse totum mundum; flumen esse Oceanum, ex quo quatuor illa celeberrima flumina oriuntur. Sed et hic est error; nam quatuor hæc flumina egrediuntur extra paradisum. Rursum, Adam post peccatum ejectus est e paradiso; atqui Adam non est ejectus extra mundum : ergo mundus non est paradisus.

Tertia. *Tertio*, alii apud Magistrum Sententiarum in II, *dist.* 17, censent paradisum esse locum omnino secretum et elevatum usque ad globum lunæ : ita Rabanus, Rupertus, Strabus; vel certe, ut Abulensis et Alensis, paradisum supra mediam aeris regionem elevari; ac proinde aquas diluvii eo non pertigisse. Sed sic non in terra, sed in aere aut cœlo esset paradisus. Rursus esset valde spectabilis ac cognitus, uti sol, luna, stellæ et cometæ ab omnibus spectantur.

Quarta. *Quarto*, S. Ephrem apud Mosen Barcepha, lib. *De Paradiso*, putat totam terram nostram cingi Oceano, et ultra illum in alia terra, et alio orbe esse paradisum. Sed et hic error est : nam quatuor flumina paradisi in nostra sunt terra et orbe.

Quinta. *Quinto*, Cirvelus Darocensis in *Paradoxis*, Quæst. 15, et Alphonsus a Vera Cruce, lib. *De Cœlo*, spec. 15, opinantur paradisum fuisse in Palæstina, circa Jordanem, in terra Sodomorum; probant ex *Genesis* XIII, 10. Alii volunt eum fuisse in insula Taprobana, alii in America. Verum hæc quatuor flumina nec in Palæstina, nec in Taprobana, nec in America sunt.

Sexta. *Sexto*, S. Bonaventura et Durandus in II, *dist.* 17, putant paradisum esse sub æquinoctiali. Putant enim ibi esse summam aeris temperiem, ubi semper dies sunt æquales noctibus. Sed hic uti vagum est et incertum, ita nodum non solvit.

Difficultas hujus quæstionis pendet ex duobus fluminibus, scilicet Phison et Geon : qui enim hos nosset, facile ex iis vestigaret paradisum.

Multi putant Geon esse Nilum, Phison esse Gangem. Dico *primo*, multorum Patrum et Doctorum sententia est, Geon esse Nilum, Phison esse Gangem. Ita sentit S. Epiphanius, Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, Theodoretus, Josephus, Damascenus, Isidorus, Eucherius, Rabanus, Ru-

pertus et alii, quos citant et sequuntur Conimbricenses in *meteora*, tract. 9, cap. x, et Ribera in *Amos*, VI, num. 44, et Bellarminus, *De Gratia primi hominis*, cap. XII. Et probatur *primo*, quia Septuaginta *Jerem.* II, 18, pro Nilo vertunt Geon : unde etiamnum hodie Abyssini Nilum vocant Guijon, teste Francisco Alvarez, *Hist. Æthiop.* cap. CXXII. Sed responderi posset Geon esse nomen plurium fluviorum : nam et juxta Jerusalem erat rivulus Geon, sive Gion (hæc enim duo idem sunt, utrobique enim in Hebræo est eadem vox גיחון *gichon*), ubi unctus est Salomon in regem, III *Reg.* I, vers. 33, 38, 48; II *Paralip.* XXXII, 30.

Secundo, quia Ganges proprie circuit terram Hevilat, id est Indiam (ut *Genes.* X, 29, docet S. Hieronymus, et alii passim), quæ est intra Gangem, ubi aurum est optimum; imo ipse Ganges, teste Plinio, est aurifer et gemmifer. Porro Ganges vocatur Phison, id est multitudo; a radice פוש *pus*, id est luxuriare, multiplicari, quia decem magna flumina in Gangem se exonerant. Ita Josephus, lib. I *Antiq.* II, et Isidorus, lib. XIII *Etymol.* cap. XXI. Pari modo Geon, id est Nilus, circuit Æthiopiam, sive Abyssiniam, ubi regnat Preto Joannes. Nili etiam inundatio est celeberrima : hanc autem ipsi Geon tribuit Ecclesiasticus cap. XXIV, vers. 35 et 37.

Dices, quomodo Ganges et Nilus, qui remotissimi sunt a Tigri et Euphrate, ex eodem cum iis fonte et fluvio paradisi nasci possunt? nam Ganges oritur in Caucaso, monte Indiæ; Euphrates et Tigris in montibus Armeniæ; Nilus ex montibus Lunæ, versus promontorium Bonæ Spei; vel potius ex lacu quodam regni Congi, ut notarunt qui hoc sæculo illa loca lustrarunt; hæ autem origines a se invicem, ac consequenter a flumine paradisi remotissimæ sunt.

Hæc sane ingens est difficultas, ad quam respondet S. Augustinus, lib. VIII *De Genes. ad litt.* cap. VII, Theodoretus, Rupertus et alii, Gangem et Nilum e terrestri paradiso oriri, sed subterraneis cuniculis et meatibus abscondi, donec locis jam dictis erumpant, idque Dei consilio ad occultandum paradisum. Imo Pausanias in *Corinthiacis*, et Philostratus, lib. I *De Vita Apollonii*, cap. XIV, aiunt non deesse, qui putent ex Euphrate terra condito, ac postea supra Æthiopiam prodeunte, Nilum effici, quod apte respondet sacræ Scripturæ hic cap. II, quæ hæc quatuor flumina ex uno fonte profluere insinuat. Nec mirum est Gangem et Nilum ita condi, et tam remote exoriri; nam et mare Caspium ab Oceano Arctico remotissimo per meatus subterraneos prodire, docet S. Basilius, Strabo, Plinius, et Dionysius, lib. *De Situ orbis*. Imo multi censent omnia, etiam remotissima flumina, fontes et aquas oriri ex mari et abysso illa subterranea, per venas subterraneas, uti dixi cap. I, vers. 9. Ex hac ergo abysso primo ingens fluvius oriebatur in paradiso; Deus enim ad paradisi decorem voluit, ut ex eo oriens, quasi matrix reliquorum, in hæc quatuor flumina se dispertiret; post peccatum vero Adæ, Deus hunc paradisi fluvium vel totum terra condidit, vel latere voluit, ut magis lateret paradisus.

Verum incredibile videtur, tanto et tam vasto spatio hoc paradisi flumen, vel potius quatuor flumina sub terra se condere, et postea tam dissitis locis exoriri. Nam, ut docet Ptolomæus, inter Euphratem et Gangem intercedit spatium 70 graduum, id est plusquam 4300 milliarium. Idem de Nilo dici potest. Probatur Nilum non esse Geon, nec Gangem esse Phison. Primo.

Secundo, hæc quatuor flumina locis jam paulo ante dictis et satis cognitis ita modice oriuntur, ut statim appareat ea ibi primum nasci, ac deinde confluentibus hinc inde rivulis paulatim adolescere; ergo non nascuntur ex uno illo flumine magno paradisi. Secundo.

Tertio, Viegas in *Apoc.* cap. XI, sect. 5, aliique viri doctissimi annotarunt, nec Indiam, nec Gangem, nec alias regiones, aut fluvios, quæ sunt ultra sinum Persicum, vocari in Scriptura Orientales vel Orientem, sed tantum illas quæ sunt citra sinum Persicum, veluti Armeniam, Arabiam, Mesopotamiam. Harum ergo incolæ, puta Arabes, Idumæi, Madianitæ, Armeni, vocantur Orientales, vel filii Orientis respectu Judæorum: atqui paradisus fuit in Oriente, ut habent Septuaginta. Tertio.

Quarto, si Geon est Nilus, et Phison Ganges, ergo paradisus complexus est omnes regiones interjacentes inter Nilum, Euphratem, Tigrim et Gangem, puta Babyloniam, Armeniam, Mesopotamiam, Syriam, Mediam, Persiam multasque alias. Admittunt hoc nonnulli, sed parum probabiliter, ut videtur : nam paradisus vocatur hic hortus voluptatis; quis unquam tantum vidit hortum? Quarto.

Hinc sequitur Phison non esse Gangem, nec Geon esse Nilum. Unde

Dico *secundo*: Paradisus videtur fuisse circa Mesopotamiam et Armeniam. Probatur *primo*, quia hæ regiones in Scriptura vocantur Orientales, uti jam dixi; *secundo*, quia homines ejecti e paradiso primum has regiones incolere cœperunt, tum ante diluvium, ut patet de Cain, qui habitavit in Eden, *Genes.* IV, vers. 16, tum post diluvium, quasi sitas prope paradisum, ideoque cæteris fertiliores, ut patet *Genes.* VIII et XI, vers. 2. *Tertio*, quia paradisus fuit in Eden, ut vertunt Septuaginta. Eden autem fuit juxta Haran, ut patet *Ezech.* XXVII, 23, *Isaiæ* XXXVII, 12. Haran autem est circa Mesopotamiam : Haran enim sive Carrhæ urbs est Parthorum, ubi cæsus est Crassus. *Quarto*, quia ibi est paradisus, ubi sunt Euphrates et Tigris, ut patet hic vers. 14; atqui hi sunt in Mesopotamia et Armenia: Euphrates enim est fluvius Babyloniæ, inter quem et Tigrim intercepta regio, Mesopotamia (quasi dicas, in medio duorum fluviorum sita) vocatur. *Quinto*, quia hæ regiones sunt amœnissimæ Paradisus fuit circa Mesopotamiam. Probatur Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Quinto.

Sexto. et fertilissimæ. *Sexto*, quia paradisus non adeo longe dissitus fuisse videtur a Judæa : perinde ac Mesopotamia a Judæa non adeo dissita est; nam tradunt Patres Adamum paradiso ejectum, peragratis aliquot locis, venisse in Judæam, ibique mortuum ac sepultum esse in monte, qui a posteris, quod ibi caput primi hominis contineretur, Calvariæ mons fuerit appellatus, in quo Christus crucifixus Adæ peccatum luit et expiavit. Ita tradunt Origenes, Cyprianus, Athanasius, Basilius et alii passim, uno excepto et repugnante S. Hieronymo, ut dixi *Matth.* XXVII, 33.

Dico *tertio* : Non constat quinam fluvii sint Phison et Geon; eos tamen adhuc extare satis liquet ex *Eccli.* cap. XXIV, vers. 35. Rursum, non constat an quatuor hæc flumina oriantur ex flumine paradisi; an vero flumen paradisi in hæc quatuor tantum influat, vel in ea se dividat. Moses enim tantum dicit quod hic fluvius dividatur in quatuor capita : quatuor autem capita vocat ipsos quatuor fluvios, qui unum hoc flumen paradisi in quatuor quasi ramos, vel capita dividunt, sive ex eo oriantur et profluant, sive non. Ita enim ipse Moses se mox explicare videtur. Probabilis tamen est sententia Pererii, Oleastri, Eugubini, Vatabli hic, et Jansenii in cap. CXLIII *Concordiæ Evangel.*, Phison et Geon esse flumina quæ ex Euphrate et Tigri coeuntibus enascuntur. Pro quo

Nota, Tigrim et Euphratem supra sinum Persicum in unum tandem coire, ac rursum dividi,
Phison est Phasitigris. tumque nomen mutare. Unus enim in sinum Persicum delabens, dicitur Phasis sive Phasitigris (qui videtur esse Phison), celebris apud Curtium, Plinium et alios; hic circuit terram Hevilat, id est Chavila, puta Cholatæos, quos Strabo lib. XVI in Arabia ponit, juxta Mesopotamiam. Alter Arabiam Desertam, et loca vicina petens videtur esse is, qui hic Geon dicitur : hic circuit Æthiopiam, non illam Abyssinorum quæ est infra Ægyptum, sed illam quæ est circa Arabiam. In Scriptura enim Madianitæ aliique juxta sinum Persicum vel Arabicum habitantes, vocantur Æthiopes.

Paradisus fuit in eo loco ubi confluunt Tigris et Euphrates. Paradisus ergo videtur fuisse eo loco, quo confluunt Euphrates et Tigris; ab illo enim confluxu dividuntur et discriminantur in quatuor hæc flumina : sursum enim sunt Euphrates et Tigris, deorsum vero sunt Geon et Phasitigris sive Phison. Quod enim hi fluvii postquam coierunt, rursum dividantur, clare patet ex exactioribus tabulis cosmographicis Gerardi Mercatoris, Ortelii et aliorum. Mercator enim in Asiæ tabula 4, manifeste ostendit Tigrim et Euphratem concurrere juxta Apamiam, ac rursum dividi juxta urbem quæ dicitur Asia, atque efficere insulam Teredon magnam satis; ac denique utrinque in sinum Persicum influere, ibique desinere.

Adde, verisimile est hos fluvios tempore Mosis magis fuisse divisos, eo quod postea mutarint alveum, magisque confluxerint, uti a tempore Mosis multa alia flumina et maria locum et alveum mutarunt, uti annotavit Torniellus. Nam sub tempore Mosis, hæc quatuor flumina paradisi fuisse plane divisa, patet ex eo quod ipse illa quatuor quasi separata, et vulgo nota describit, eaque Judæis proponit, ut ipsi ex illis, quo loco fuerit paradisus, cognoscant (1).

Dico *quarto* : Etiamsi non constet quo præcise loco fuerit paradisus, tamen certum est de fide paradisum fuisse locum corporeum, situm in parte aliqua terræ nostræ versus Orientem, ut habent Septuaginta. Rursum, certum est locum hunc fuisse amœnissimum et temperatissimum, idque partim ex se suoque situ naturali, partim ex speciali Dei providentia, quæ æstum, frigus omnemque aliam intemperiem a paradiso removisset : locum, inquam, tum hominum, tum etiam aliorum animantium. Negat hoc Damascenus et S. Thomas, et Abulensis in cap XIII, *Quæst.* LXXXVII. Putant enim ipsi in paradiso nulla animalia quadrupedia, sed solos homines futuros fuisse. Abulensis tamen ad paradisum quoque admittit aves, ad melodiam, et pisces in fluminibus. Verum contrarium docent alii passim cum S. Basilio, lib. *De Paradiso*, et S. Augustino, lib. XIV *De Civit.* cap. XI. Animalium enim varietas et pulchritudo magnam homini in paradiso voluptatem afferebat. Rursum constat serpentem fuisse in paradiso : « In paradiso, ait Basilius, omnia erant aviculârum genera, quæ pulchritudine colorum et naturali musica, ac dulcedine concentus incredibiliter oblectabant hominem. Erant illic variorum etiam animalium spectacula. Sed erant omnia mansueta, obedientia homini, inter se concorditer et pacifice viventia, quæ et audiebant inter se, et loquebantur sensate. Serpens autem non erat tunc horrendus, sed mitis et mansuetus, nec terribiliter in terræ superficie velut natans reptabat, sed sublimis et erectus pedibus insistens gradiebatur. » Ubi

An in paradiso fuerint soli homines, an etiam animalia?

Nota, S. Basilium videri dicere, quod in paradiso bruta animalia habuerint rationem et loquelam humanam; rursum, quod serpens non rependo, sed erectus incesserit : quorum neutrum videtur probabile. Æque paradoxum est, quod asserit Rupertus, lib. II *De Trinitate*, cap. XXIV et XXIX, aquas natura sua esse salsas; sed sicut jecur fons est sanguinis, ita fontem hunc paradisi fontem esse omnium aquarum dulcium, quæ sunt per totum orbem; ac consequenter eumdem fontem parentem esse et auctorem omnium germinum, arborum, gemmarum et aromatum.

S. Basilius putat animalia in paradiso locuta et usa ratione.

Quæres *secundo*, an locus et paradisi amœnitas adhuc supersint? Respondeo, certum est locum superesse, de amœnitate incertum est.

An paradisus adhuc supersit.

(1) Cf. Huet, *de la Situation du paradis terrestre*; D. Calmet, *Bible de Vence*, tom. I; in primis autem opus eruditissime scriptum, *Du Berceau de l'espèce humaine selon les Indiens, les Perses et les Hébreux*, a D. Obry, 1858.

Asserunt S. Justinus, Tertullianus, Epiphanius, Augustinus, Damascenus, S. Thomas, Abulensis et alii, quos citat Viegas supra; censent enim hi, peculiari Dei providentia, tempore Noe a diluvio intactum servatum esse paradisum : licet enim alios communes hominum montes aqua diluvii excesserit, ut dicitur *Genes.* cap. VII, non tamen paradisum, aut, si et hunc excessit, eum tamen non vitiasse, eo quod hic sit innocentiæ locus, in quo etiamnum sanctissimi et quietissimi vivant Elias et Henoch. Ita omnes Patres jam citati.

Addit Irenæus, lib. V, cap. V, in hoc paradiso terrestri omnes justorum animas post mortem, usque ad diem judicii detineri, ut tunc in cœlum eant, videantque Deum. Sed hic est error Armenorum damnatus in Concilio Florentino.

Alii, et forte probabilius, censent usque ad diluvium extitisse paradisum in primæva sua amœnitate : nam cum Deus expulit ex eo Adamum, posuit ante eum Cherubim ad eum custodiendum. Rursum Henoch raptus dicitur in paradisum, non cœlestem, sed terrestrem, *Eccli.* XLIV, 16. Verum in diluvio Noe, cum aquæ per annum integrum totam terram occuparunt, censent iidem paradisum quoque iis obrutum, violatum et dissipatum fuisse, idque satis indicat Moses, cap. VII, vers. 19. Adde, quod nusquam jam paradisus inveniri possit, cum tamen tota terra, præsertim circa Mesopotamiam et Armeniam, plane sit cognita et habitata. Ita censent Oleaster, Eugubinus, Catharinus, Pererius et Jansenius supra, Franciscus Suarez III *part.*, qu. LIX, art. VI, disp. 55, sect. 1, Viegas jam citatus, et alii. Aquæ enim diluvii per annum integrum tanta vi recurrentes, et, ut Moses ait, euntes et redeuntes, omnes arbores, domos, urbes, quin et colles straverunt, totamque fere terræ superficiem dimoverunt : ergo et paradisi formam et decorem subverterunt.

Tropologice, paradisus est anima omni arborum id est virtutum, varietate ornata. Hinc illud Zoroastris symbolum, « quære paradisum, » id est omnem divinarum virtutum chorum, ait Psellus. Ejusdem est hoc, « animam alatam esse; cumque alæ excidunt, illam in corpus præcipitem ferri; tum demum illis subcrescentibus, ad superos revolare. » Eum autem discipulis percunctantibus, quo pacto alis bene plumantibus, volucres animos sortirentur? Irrigetis, inquit, alas aquis vitæ. Iterum sciscitantibus, unde has aquas peterent? illis per parabolam respondit : Quatuor fluviis Dei paradisus abluitur et irrigatur : inde vobis salutares aquas haurietis : nomen fluminis quod est ab Aquilone, rectum denotat; quod ab Occasu, expiationem; quod ab Ortu, lumen; quod a Meridie, pietatem.

Allegoria paradisi.

Allegorice, S. Augustinus, lib. XIII *De Civit.* cap. XXI, et Ambrosius, lib. *De Paradiso* : Paradisus, inquiunt, est Ecclesia : quatuor flumina sunt quatuor Evangelia : ligna fructifera sunt Sancti; fructus sunt opera Sanctorum; lignum vitæ est Christus Sanctus sanctorum, vel est ipsa honorum omnium mater sapientia, *Eccli.* XXIV, 41, *Proverb.* III, 18; lignum scientiæ boni et mali est liberum arbitrium, vel transgressi mandati experimentum. Rursum paradisus est Religio in qua viget humilitas, charitas et sanctitas. Audi S. Basilium libro, vel potius homilia *De Paradiso*, sub finem : « Quod si locum aliquem cogitaveris sanctorum capacem, in quo omnes qui in terra bonis operibus resplenduerunt, gratia Dei fruantur, et in vera ac spiritali jucunditate vivant, non aberraveris a decenti de paradiso similitudine. » Sic et S. Chrysostomus, homil. 69 *in Matth.*, de Monachorum felicitate disserens, comparat illos Adamo paradisum incolenti. Vide S. Bernardum *ad Clericos*, cap. XXI, et Hieronymum Platum, lib. III *De Bono status Relig.* cap. XIX.

Anagogice, iidem : Paradisus, inquiunt, est cœlum et vita beatorum; quatuor flumina sunt quatuor virtutes cardinales : scilicet Ganges est prudentia, Nilus temperantia, Tigris fortitudo, Euphrates justitia. Vide Pierium *Hieroglyphico*, 21. Vel potius quatuor flumina sunt quatuor dotes corporis gloriosi, *Apoc.* ult., vers. 2. Ita S. Dorothea cum ad martyrium duceretur a Fabricio præfecto, gaudebat, quod se ad sponsum ire diceret, cujus paradisus omnium florum et fructuum amœnitate vernaret; cumque Theophilus scriba per risum rogaret, ut, cum eo pervenisset, inde sibi rosas aliquot mitteret : mittam, inquit. Postquam ergo decollata est, Theophilo puer cum recentium cistula rosarum apparuit, et quidem brumæ tempore (passa est enim sexta februarii), easque ipsi a Dorothea de sponsi sui paradiso missas dixit; cum obtulisset, ex oculis evanuit; quare Theophilus ad Christi fidem conversus, martyrium obiit.

9. OMNE LIGNUM PULCHRUM VISU, ET AD VESCENDUM SUAVE. — « Et » hic ponitur pro *vel* : significat enim Moses in paradiso fuisse tam arbores pulchras et amœnas, uti sunt cedri, cypressi, pini aliæque infrugiferæ, quam frugiferas et esui aptas. Vers. 9.

LIGNUM ETIAM VITÆ, — puta arborem vitæ. Quæres, quænam et qualis fuerit hæc arbor?

Quænam arbor vitæ?

Dico *primo* : De fide est fuisse hanc veram arborem; hæc enim ab Hebræis vocatur lignum, hocque exigit simplex et historica narratio Mosis : ita omnes veteres contra Origenem et Eugubinum, qui putant arborem vitæ symbolicam fuisse, et symbolice tantum significasse et vitam et immortalitatem Adæ, si Deo obediret, promissam.

Dico *secundo* : Dicitur arbor vitæ, non quod signum esset vitæ Adamo a Deo concessæ, ut vult Artopœus; sed « vitæ, » id est vivifica, causa vitæ, vitam conservans et prorogans, quia scilicet hæc arbor comedentis vitam longissime protendebat, eamque a morbis ac senio immunem, sanam, quietam et jucundam tuebatur : vide Pererium et Valesium *Sacræ Philosophiæ*, cap. VI. *Primo* ergo hæc arbor vitam fecisset longævam;

secundo, valentem et robustam; *tertio*, constantem, ut nunquam morbum aut senium incurrisset; *quarto*, lætam et hilarem: pepulisset enim omnem tristitiam et melancholiam.

Dico *tertio*: Fuit hæc vis et virtus huic arbori non supernaturalis, ideoque post Adæ peccatum illi ablata, ut volunt S. Bonaventura et Gabriel in II, *dist.* 19; sed fuit illi naturalis, uti est vis medendi in aliis fructibus et arboribus; inde enim a natura sua, nativaque vi dicitur arbor vitæ; ideoque post peccatum mansit huic arbori hæc virtus, eaque de causa ab ea, et a paradiso exclusus est Adam postquam peccavit, ut patet cap. III, vers. 22. Ita D. Thomas, Hugo et Pererius.

In paradiso ergo nihil hominem in innocentia permanentem lædere aut corrumpere potuisset. Nam contra actionem elementorum et consumptionem humidi radicalis, habuisset lignum vitæ, quod humidum illud plane restaurasset; contra violentiam dæmonum, habuisset custodiam angelicam; contra impetum ferarum, habuisset perfectum in eas dominium; contra vim hominum, habuisset paradisum: si enim quis alium lædere voluisset, justitia excidisset, et mox paradiso fuisset expulsus, uti Adæ contigit; contra infectionem aeris, habuisset auræ temperiem convenientissimam; contra herbas venenatas, contra flammas aliaque, quæ eum casu lædere vel opprimere potuissent, habuisset plenam in omnibus prudentiam, et providentiam cuncta cavendi; quam si non adhibuisset, jam non innocens, sed imprudens, temerarius et nocens fuisset, itaque lædi potuisset. Denique Dei tutela undique eum vallasset et protexisset a noxiis.

Quomodo prorogasset hominem vitam?

Quæres *secundo*, qua ratione hæc arbor vitam homini prorogasset? Multi putant fructum arboris vitæ semel gustatum et comestum, comedenti immortalitatem attulisse. Sicut enim, inquiunt, lignum scientiæ boni et mali fuit arbor mortis, et stipendium mortis, ita ut semel gustatum necessitatem moriendi adferret: sic e contrario arbor vitæ fuit præmium obedientiæ, quod homines a mortali statu ad immortalitatem transferret. Unde Bellarminus, lib. *De Gratia primi hominis*, cap. XVIII, censet homines ex hac arbore vitæ tantum comesturos fuisse tunc, cum proxime transferendi essent ex hac vita ad statum gloriæ. Huic sententiæ favet S. Chrysostomus, Theodoretus, Irenæus, Rupertus, quos citat et sequitur Abulensis, in cap. XIII, ubi hæc omnia fuse pertractat.

Dico *primo*: Probabilius est hunc fructum semel gustatum prorogaturum quidem fuisse homini vitam ad longum tempus, non tamen eum absolute immortalem facturum fuisse. Ratio est, quia huic fructui naturalis erat hæc vis, eratque finita, ac proinde continua actione caloris naturalis in homine tandem erat consumenda. Rursum, fructus hic, uti et alii quivis, natura sua erat corruptibilis; non ergo poterat facere hominem omnino incorruptibilem, sed tantum iterato comestus ulterius semper, et ulterius vitam homini prorogasset: ita sentit Scotus, Durandus, Cajetanus et Pererius.

Dico *secundo*: Fructus arboris vitæ vires integras homini reparabat, *primo*, humorem naturalem primigenium, aut eo meliorem suggerendo; *secundo*, calorem naturalem continua actione et pugna cum aliis cibis (quibus ordinarie usus etiam tunc fuisset homo, ut docet S. Augustinus, lib. XIII *De Civit.*, cap. XX) refractum acuendo, roborando, et in pristinum, vel etiam meliorem statum restituendo, eumque continendo et conservando. Unde si statis temporibus, licet raris, ex hac arbore comedisset homo, nec mortem, nec senium incurrisset. Errat ergo Aristoteles, qui lib. III *Metaphys.*, textu 15, tacite reprehendit Hesiodum dicentem, deos qui ambrosia vescuntur esse immortales, alios vero qui ambrosia carent esse mortales. Quia quidquid, ait, cibo vescitur, natura sua senescit, dissolvitur et moritur: hoc enim in hac arbore vitæ, quam Aristoteles non cognovit, patet esse falsum; unde, cap. III, vers. 22, hic Moses diserte docet Adamum expulsum esse paradiso, ne gustans lignum vitæ viveret in æternum: ergo lignum vitæ poterat vitam prorogare in æternum.

Dices: Calor naturalis in homine, actione continua sensim minuitur, et agendo in fructum arboris vitæ fuisset refractus; hæc autem refractio videtur non posse reparari per cibum, quia illa tantum reparari potest per conversionem cibi, sive alimenti in substantiam aliti; tunc autem alimentum simile est alito, ac consequenter alito majorem non habet vim: ergo vires ejus refractas et imminutas integre reparare nequit.

Respondeo *primo*, falsum est, quod alimentum cum conversum et simile est alito, majorem eo non habeat vim: videmus enim, sumpto cibo, homines debiles mox vegetari, vigere, roborari.

Respondeo *secundo*, hunc fructum arboris vitæ non tantum fuisse cibum, sed et pharmacum miræ virtutis; quod antequam convertatur in substantiam hominis, purificat, reficit et roborat corpus et calorem naturalem. Rursum, illud idem postea conversum in substantiam hominis, hanc eamdem virtutem et qualitatem retinuisset; hac ergo sua naturali vi vires nutritivas hominis longe magis refecisset et restaurasset, quam eas actio caloris naturalis, ejusque in fructum cibumque refractio debilitasset. Ita Ludovicus Molina.

Qualis æternitas ex arbore vitæ?

Quæres *tertio*, qualis fuerit hæc æternitas, quam attulisset esus ligni vitæ, an absoluta, an restricta et respectiva? Ludovicus Molina censet fuisse absolutam; quia, ait, hoc lignum semper restituisset hominem pristino vigori. Verum melius Scotus, Valesius et Cajetanus censent fuisse restrictam, non absolutam; quia videlicet hoc

lignum prorogasset homini vitam et vigorem ad aliquot annorum millia, donec Deus eum transtulisset in cœlum, quæ æternitas quædam est. Hebræi enim עולם *olam,* id est æternum, vocant ex vulgi usu tempus longissimum, cujus finis ab homine non pervidetur; vide Canonem 4. Sic cap. VI, 3, ait Dominus : « Non permanebit spiritus meus in homine in æternum (id est in longam primorum patrum ætatem), eruntque dies illius centum viginti annorum. » Non tamen potuisset hoc lignum prorogare homini vitam absolute in omnem æternitatem. Ratio est, quia omne corpus mixtum, cum constet elementis contrariis et inter se pugnantibus, natura sua est corruptibile; lignum autem hoc sapidissimum et pulcherrimum erat corpus mixtum : ergo in se erat corruptibile, et sensim, licet lente admodum, defecisset, primumque suum vigorem perdidisset, ac tandem interiisset, uti quercus etiamsi sint durissimæ, sensim tamen intereunt : ergo non potuisset hominem a morte et corruptione in æternum præservare. Non enim poterat dare homini id quod in se non habebat. Et hoc sensu verum est quod dixit Aristoteles, omne quod cibo vescitur esse mortale. *Secundo,* quia alias sequeretur quod Adam, post peccatum, si permissus fuisset vivere in paradiso et edere lignum vitæ, vixisset absolute in æternum : hoc autem videtur incredibile, tum quia antequam paradiso expelleretur, lata erat in eum sententia mortis; tum quia per peccatum corpus et natura humana tam est debilis et misera, totque morbis, vitiis et ærumnis, quæ vires atterunt et sensim ad mortem deducunt, obnoxia, ut eum tandem mori necesse sit.

Objectio. Dices : Fructus arboris vitæ restituisset *semper* calorem naturalem, et humidum radicale pristino suo vigori : ergo homini vitam semper et in omnem æternitatem prorogare potuisset, si suis temporibus ex eo comedisset homo.

Resp. Respondeo τὸ *semper* in antecedente accipi debet restricte, nimirum *semper* quamdiu scilicet durasset integra vis et vigor arboris vitæ : ea enim senescente et pereunte, senuisset pariter et periisset homo. Sicut enim jam electuaria et cibi nonnulli valde succulenti, spiritosi et alimentosi humidum radicale, et calorem naturalem (præsertim in juvenibus) plane restaurant, et in integrum restituunt, sed ad certum tempus, puta donec vel senescat homo, vel cibi vis et vigor debilitetur : tunc enim hominis vires ita restaurare nequit, quin sensim deficiat et emoriatur homo; ita pariter res se habuisset in arbore vitæ. Hoc tantum discrimine, quod cibi et pharmaca nostra ad breve tantum tempus vigorem homini restaurent, arbor vero vitæ id diu, ad multa annorum millia, præstitisset; quibus exactis senuisset et mortuus fuisset, tam homo, quam arbor vitæ; verum Deus hoc senium et mortem prævenisset, transferendo hominem in cœlum et vitam æternam. Cum ergo Deus noluerit hominem in paradiso vivere absolute in æternum, sed tantum ad longum tempus, videtur pariter arbori vitæ indidisse vim prorogandi vitam, non absolute in æternum, sed tantum ad longum tempus. Ita docet Scotus cum suis.

Nectar et ambrosia orta ex ligno vitæ.

Denique ex hac arbore vitæ fabulati sunt Poetæ, finxeruntque suum nectar, ambrosiam, nepenthes et moly, quasi cibos deorum, qui eos faciant immortales, juvenes semper, lætos et beatos.

Nota, Adamum non gustasse de hoc fructu vitæ : nam paulo post creationem suam peccavit et paradiso expulsus est, ut patet cap. III, 22.

Symbolice ergo lignum, sive arbor vitæ, erat hieroglyphicum æternitatis, ut patet ex dictis.

Allegorice arbor vitæ est Christus, qui ait : « Ego sum vitis, vos palmites, » *Joan.* XV. Et : « Ego sum via, veritas et vita, » *Joan.* XIV. Rursum, arbor vitæ est crux Christi, quæ in medio paradisi, id est Ecclesiæ, erecta vitam dat mundo : in quam proinde conscendere gestiens Sponsa ait *Cant.* VII : « Ascendam in palmam, et apprehendam fructus dulces gutturi meo. » Arbor vitæ denique est Eucharistia, quæ vitam dat animæ et corpori : nam ejus virtute resurgemus ad vitam immortalem, juxta illud Christi *Joan.* VI : « Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. » Ita S. Irenæus, lib. IV, cap. XXXIV, et lib. V, cap. II.

Tropologice, lignum vitæ est B. Virgo, de qua nata est vita, Deus homo, Christus Jesus; Virgoque ipsa, ut ait Germanus Patriarcha Constantinopolitan., spiritus et vita Christianorum est. Rursum, arbor vitæ est justus, qui opera sancta quæ vitam gratiæ et gloriæ pariunt, operatur, juxta illud : « Fructus justi lignum vitæ, » *Proverb.* XI, 30. Insuper arbor vitæ est ipsa sapientia, virtus et perfectio, juxta illud de eadem : « Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam, » *Proverb.* III, 18.

Anagogice, arbor vitæ est beatitudo et visio Dei, quæ vitam beatam animæ confert, juxta illud : « Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei, » *Apoc.* II, 7, et cap. XXII, 2. Vide ibi dicta.

Qualis arbor scientiæ boni et mali?

LIGNUMQUE SCIENTIÆ BONI ET MALI. — Quæres, quale fuerit hoc lignum, id est arbor? Judæi fabulantur, Adam et Evam creatos esse sine usu rationis, quasi infantes, sed ex hac arbore accepisse usum rationis, quo scirent bonum et malum.

Secundo, Josephus, lib. I *Antiq.* cap. II, censet arborem hanc habuisse vim acuendi ingenium et prudentiam, indeque vocatam esse arborem scientiæ boni et mali. Idem senserunt Ophitæ apud Epiphanium, *hæresi* 37, qui pro Christo coluerunt serpentem, eo quod ipse homini fuerit auctor adipiscendi scientiam, cum ei esum ligni vetiti persuasit.

Tertio, Damascenus, lib. II *De Fide,* cap. XI, cen-

set esum hujus arboris attulisse homini cognitionem propriæ naturæ.

Verum dico *primo* : Probabilis est sententia Ruperti, Tostati et Pererii, per anticipationem hic vocari arborem scientiæ boni et mali, quæ postea ita vocata est ex eo, quod serpens homini, si inde ederet, promiserit, licet falso et mendaciter, hanc scientiam, dicens : « Eritis sicut dii, scientes bonum et malum, » unde posteaquam inde comedisset Adam, Deus irridens eum dixit : « Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum. »

Dico *secundo* : Probabilius est, non postea, sed nunc ab ipso Deo vocatam esse hanc arborem scientiæ boni et mali, tum quia Deus uti arborem vitæ, ita et hanc suo nomine vocavit, et Adamo designavit : non enim aliud hujus arboris nomen extat; tum quia denuo vers. 17 vocatur a Deo arbor scientiæ boni et mali; tum denique quia per hoc nomen videtur serpens decepisse Evam, quasi diceret : Arbor hæc vocatur scientiæ boni et mali; ergo si ex hac comederitis, eritis scientes bonum et malum. Nimirum promisit ei serpens scientiam omnimodam et divinam, cum Deus longe aliam intellexisset in hoc nomine. Unde

Dico *tertio* : Lignum scientiæ boni et mali ita a Deo vocatum videtur, tum ab ipsa destinatione Dei, tum ab eventu secuto; quem Deus prævideratat. Destinaverat enim Deus, ad exercendam hominis obedientiam, ei hujus arboris esum vetare, et, si homo obediens ea abstineret, justitiam et felicitatem ei augere et conservare : sin inobediens inde comederet, eumdem morte mulctare. Per hanc ergo arborem didicit et scivit homo per experientiam, id quod ante tantum sciebat per speculationem, scilicet quid intersit inter obedientiam et inobedientiam, inter bonum et malum, ideoque vocata est hæc arbor scientiæ boni et mali, *q. d.* Arbor ex qua discet homo per experientiam, quid sit bonum, et quid sit malum. Ita Chaldæus, S. Augustinus, lib. XIV *De Civ.* cap. XVII; Theodoretus, Eucherius et Cyrillus, lib. III *Contra Julianum*. Sic pars et illa deserti Pharan dicta est sepulcra concupiscentiæ, quia ibidem interfecti et sepulti sunt qui carnes concupierant, *Num.* XI, vers. 34.

Arbor scientiæ boni et mali videtur fuisse ficus.

Dico *quarto* : Probabiliter Theodoretus, Procopius, Barcepha, atque Isidorus Pelusiotes, et Gennadius in *Catena Lipomani* ad cap. III, 7, putant hanc arborem fuisse ficum. Nam statim ab ejus esu nudum se videns Adam, ex foliis ficus vestem sibi consuit, ut dicitur cap. III, 7. A proxima enim et vicinissima arbore, Adam ita confusus videtur accepisse hæc folia, et tegmina nuditatis suæ : nulla autem erat ei vicinior illa, ex qua jamjam comederat; illa ergo fuit ficus.

Alii putant fuisse malum sive pomum : nam *Cantic.* VIII, 5, dicitur : « Sub arbore malo suscitavi te; » sed nomen mali commune est ad omnes fructus qui molliori sunt cortice, unde ficus quoque est malum : verum in hac re nihil certo asseri potest.

Tradunt, vel potius fabulantur Hebræi, ex hac arbore vetita Seth jussu angeli accepisse semen, illudque indidisse ori Adæ sepulti, ex quo succreverit arbor, ex qua crux Christi confecta est, quæ peccatum Adæ abolevit; decuisse enim, ut in eodem ligno quo peccaverat Adam, Christus Adæ peccatum lueret et expiaret. Fabulam hanc fuse narrat Pineda lib. V *de Salom.* cap. XIV.

Mystice et tropologice, arbor scientiæ boni et mali fuit hieroglyphicum liberi arbitrii, uti jam dixi. Ex ejus enim malo usu didicit Adam, quantum malum sit inobedientia et peccatum : sicut vice versa ex ejus bono usu didicerunt discuntque Sancti, quantum bonum sit obedientia et custodia legis. Quocirca arbor hæc pariter fuit typus obedientiæ et inobedientiæ, uti insinuat S. Ambrosius lib. *De Paradiso*, cap. VI, de qua multa hic congessit noster Benedictus Ferdinandus. Hujus rei causa arbor hæc sita fuit in medio paradisi, id est inter densissimam confertissimarum arborum sylvam, ubi non obvia semper esset oculis, ne perpetuo gulam suo tam spectabili fructu sollicitaret, uti sollicitasset, si in arborum extremitate, vel loco semoto sola fuisset collocata, ubi omnibus conspicua omnium ad se obtutus rapuisset.

10. ET FLUVIUS EGREDIEBATUR DE LOCO VOLUPTATIS (1), — hebraice *ex Eden*. In Eden erat paradisus : ita Septuaginta Noster *Eden* non ut proprium, sed ut appellativum accipit, tuncque significat voluptatem : ita Septuaginta, Chaldæi et alii vertunt vers. 23, indeque locus hic dictus est Eden, quia voluptuarius erat et amœnissimus. Vers. 10.

Nugatur auctor alias ingeniosus, qui Eden et consequenter paradisum fuisse in *Edin*, sive Hesdinii, quæ urbs est Artesiæ, tum ex aliis, tum ex affinitate nominum probare contendit.

AD IRRIGANDUM PARADISUM, — vel per varios flexus et sinus se intorquens, ut Mæander; vel per meatus occultos paradisum humectans.

11. HEVILAT. — Multi volunt esse Indiam; ve- Vers. 11.

(1) Phison idem fluvius esse videtur, qui a Græcis et antiquis Geographis *Phasis*, jam *Aras*, sive *Araxes* dicitur. Oritur is in septentrionali Armeniorum montium parte, conjungitur cum flumine *Kur*, et postquam hujus nomen accepit, in mare Caspium effunditur. *Hevilath* quæ hic nominatur, haud dubie est sejungenda tum ab ea quæ *Gen.* X, 7, tum ab ea quæ eodem cap. XXIX occurrit. Utraque enim in Arabia sita erat. Ideo eam sententiam sequi placet quam Michaelis in *Supplem. ad Lex. Hebr.* P. III, n. 688, attulit. In vicinia nempe Araxis, qui, ut diximus, Cyro mixtus in mare Caspium influit, reperitur aliqua gens et regio nomini *Hevilah* quodammodo consonans. Ipsum mare Caspium *Chwalinskoje More* dicunt, a populo aliquo antiquo, nec satis noto, *Chwaliskorum*, qui olim circa hoc mare habitabat, ait Müllerus, quorum porro nomen derivatur a *Chwala*, ejusdem cum *Slawa* significationis. — De Phison et Gehon conf. Obry, op. cit.; Haneberg, *Geschichte der biblischein Offenbarung*, lib. I, cap. II, pag. 16 seqq.

rum, ut dixi vers. 8, Hevila potius hic est regio vicina Susianæ, Bactrianæ et Persidi, jacens inter Assyriam et Palæstinam, opposita Sur. Sic enim accipitur Hevila I *Reg.* XV, 7, et *Genes.* XXV, 18; ita dicta est ab Hevila, filio Jectan, de quo *Gen.* X, 28.

CIRCUIT, — non ambiendo, vel circulando, sed perlabendo et peragrando. Sic sumitur circuire pro peragrare, *Hebr.* XI, 7, *Matth.* XXIII, 15.

Vers. 12. 12. BDELLIUM. — Genus est gummi, sive lacrymæ pellucidæ, quam stillat arbor nigra, magnitudine oleæ, folio roboris, fructu naturaque caprifici : ita Plinius lib. XII, cap. IX, et Dioscorides lib. I, cap. LXIX. Bdellium laudatissimum est hoc Bactrianum. Pro *Bdellium* hebraice est בדלח *bedolach*, quod Vatablus et Eugubinus vertunt, unionem; Septuaginta, ἄνθρακα, id est carbunculum. Iidem *Numer.* cap. XI, 7 vertunt *crystallum*. Sed *bedolach* esse bdellium, patet ex ipsis utriusque litteris (1).

Vers. 13. 13. GEHON. — Videtur dici ab Hebræo גוח *goach*, id est venter, vel pectus, quod sit quasi venter sordibus lutoque plenus; unde putant multi Geon esse Nilum, qui seipso, quasi pectore, incubat Ægypto, eamque fœcundat; sed quis sit Geon dixi vers. 8 (2).

Vers. 14. 14. TIGRIS. — Ita dictus est hic fluvius a tigride, animali velocissimo, ut vult Rupertus et Isidorus; vel potius, ut Curtius et Strabo, a celeritate sagittæ, quam suo cursu imitatur : Medi enim sagittam vocant Tigrim. Hebraice vocatur חדכל *chiddekel* (inde jam corrupte dicitur Tigel), id est acutus et levis, ob cursum scilicet, quem habet velocissimum.

EUPHRATES. — Ex Hebræo חואפרת *huperat*, ait Genebrardus, conflata est vox Euphrates; unde etiamnum *Phrat* dicitur, a rad. פרה *para*, id est *fructificavit*, quia instar Nili exundans terras rigat et fœcundat; male ergo aliqui apud Ambrosium Euphratem derivant a Græco εὐφραίνεσθαι, id est *a lætando*.

Scribit Anastasius Sinaita, Patriarcha Antiochenus sub Justiniano imperatore, libros, vel homilias undecim *Anagogicarum Contemplationum* in opus hexameron, qui exstant tom. I *Bibliothecæ SS. Patrum*, sed discrete et cum grano salis legendi sunt : asserit enim in iis angelos creatos esse ante mundum corporeum; quod licet olim multi senserint, jam tamen certum est contrarium, scilicet eos creatos una cum mundo corporeo. Rursum innuit angelos non esse creatos ad imaginem Dei, sed hominem duntaxat, quod absolute est falsum : mystice tamen verum est, quia scilicet solus homo constat anima et corpore, ac consequenter solus habet imaginem Dei corporati, videlicet Christi incarnati, ut ipse se explicat. Insuper subinde innuit paradisum non fuisse locum corporeum, sed spiritualiter intelligi debere. Hoc in sensu litterali falsum est, et erroneum; anagogice tamen verum. Unde lector meminisse debet tituli ejusdem, scilicet commentationes has ipsius esse anagogicas et allegoricas contemplationes, non expositiones litterales. Ita in fine homiliæ 8, quatuor flumina paradisi, id est Ecclesiæ, asserit esse quatuor Evangelistas, scilicet Euphratem, id est fertilem, esse S. Joannem; Tigrim, id est latum, esse S. Lucam; Phison, id est oris transmutationem, esse S. Matthæum, qui hebraice scripsit; Geon, id est conducibilem, esse S. Marcum.

15. TULIT ERGO DOMINUS DEUS HOMINEM, ET POSUIT EUM IN PARADISO. — Hinc et ex cap. III, vers. 23, patet Adamum non in, sed extra paradisum esse creatum (in Hebron multi eum creatum putant), indeque a Deo eodem die per angelum translatum esse in paradisum, ut sciret paradisi se non filium, sed colonum esse, gratuito a Deo constitutum, utque paradisi locum non naturæ suæ, quasi sibi debitum, sed gratiæ Dei tribueret : unde et ob peccatum ab eo expulsus est. Plures alias hujusce rei causas affert Franciscus Aretinus, Quæst. *in Gen.*, p. 300 et 301. Est hæc sententia S. Ambrosii, Ruperti, Abulensis. Eva vero videtur condita in paradiso vers. 21. Vers. 15. Adam creatus est extra paradisum.

UT OPERARETUR, — non ad victum comparandum, sed ad honestum exercitium, voluptatem et experientiam; ita ut nec fatigaretur, nec otio labasceret : ita S. Chrysostomus.

Nota hic agriculturæ, *primo*, antiquitatem : cœpit enim cum homine et mundo; *secundo*, dignitatem, tum quod a Deo sit instituta et Adæ præcepta; tum quod Adam, a quo omnis nobilitas descendit, Abel, Seth, Noe, Abraham, Isaac, Jacob, omnesque prisci viri celeberrimi, fuerint agricolæ. De antiquitate agriculturæ.

Refert Paulus Jovius in Vita Jacobi Mutii, cap. LXXXIV, de Sfortia Cottignola, quod, cum ei a Sergiano magno seneschalco, ad exprobrandam generis novitatem, ligonis fabula objectaretur, responderit : « In hac, ut video, stirpis origine convenimus, cum Adamus mortalium primus terram foderit; sed ego certe, quod jure diffiteri non potes, illo meo ligone multo evasi nobilior, quam tu tuo pene et penna. » Quo scommate indicavit eum tantam dignitatem stupro acquisivisse, et patrem ejus ad prætoris tribunal ignobilem scribam, adulteratoque testamento falsi damnatum fuisse.

Tertio, nota agriculturæ innocentiam, quod præ aliis artibus homini innocenti, in paradiso

(1) *Bdellium* vix esse videtur tam eximium naturæ donum, ut ab ejus proventu regio laudetur. Idcirco aliqui mendam suspicati sunt. Certi quidquam de hoc nomine definiri vix potest.

(2) Inter omnes de *Gihon flumine* sententias ea, quam Michaelis, *ibid.*, P. I, pag. 277, protulit, verisimillima est. Ex ea magnus Chovarasniæ fluvius, in mare Aral influens, *Oxus* veteribus, nostris geographis Abi-Amu, Arabibus ipsisque adeo in hunc diem accolis *Gihon* vocatus, Mosis גיחון esse videtur. Sed ipse Michaelis nil certi definire audet, quum nobis illæ regiones adhuc nimis incognitæ sint. Cf. Obry, op. cit., p. 125.

sit commendata, tanquam nulli injuria, sed omnibus proficua. Audi Virgilium, II *Georg.*:

> O fortunatos nimium, sua si bona norint,
> Agricolas! quibus ipsa procul discordibus armis,
> Fundit humo facilem victum justissima tellus.

Et rursum :

> Hanc olim vitam veteres coluere Sabini,
> Hanc Remus et frater. Sic fortis Hetruria crevit :
> Scilicet et facta est rerum pulcherrima Roma.
> Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.

Audi Ciceronem : « Omnium, ait, rerum, ex quibus aliquid exquiritur, nihil est agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil libero homine dignius. »

Merito ergo ait S. Augustinus : « Agricultura artium omnium innocentissima; hanc tamen impius damnare ausus fuit Faustus Manichæus, » quod diceret agricolas violare præceptum Dei : « Non occides ; » eo enim vetari, ne ullum vivens vita privemus : agricolas autem segetes demetendo, pira, poma aliasque plantas carpendo, eas sua vita privare. Plura de agricultura dicam cap. IX, vers. 20.

Moraliter, de cultura animæ.

Moraliter, docuit nos hic Deus quod tota vitæ nostræ ratio in agricultura quadam posita sit. Sicut enim inter creaturas solæ arbores frugiferæ, et semina egent hominis opera et industria, ita homo eget sui ipsius custodia et cultura. Hoc indicavit Deus homini, cum « posuit eum in paradiso, ut operaretur et custodiret illum ; » fecitque luminaria, « ut essent in signa et tempora, » videlicet ut admonerent nos de tempore opportuno ad serendum, metendum, etc. Ager ergo jugiter nobis excolendus jussu Dei est anima; plantæ frugiferæ sunt sobrietas, castitas, charitas aliæque virtutes; lolium et zizania cuique eradicanda sunt gula, luxuria, ira aliaque vitia. Agricola est homo, imber est gratia Dei, quæ menti bonos satus, id est sanctas inspirationes, illuminationes et impulsus suggerit et instillat, ut ex iis quasi ex seminibus anima prægnans, opera virtutum germinet et proferat; venti sunt tentationes, quibus arbores, id est virtutes, purificantur et solidantur ; messis erit præmium vitæ æternæ; solis calor est ardor, quem suggerit Spiritus Sanctus. Sicut ergo agricola laborat in serendo, sed gaudet in metendo, ita et justi, « qui seminant in lacrymis » opera pœnitentiæ, patientiæ ac laborum, « in exultatione metent. » Rursum, sicut sator longanimiter expectat messem, ita et justi. Unde Ecclesiasticus, cap. VI, vers. 19, dicit: « Quasi is qui arat et qui seminat, accede ad eam (sapientiam), et sustine (exspecta) bonos (uberes) fructus illius; in opere (cultura) enim illius paululum laborabis, et cito edes de generationibus (fructibus progenitis) illius ; » et Paulus *ad Galat.* cap. VI, vers. 9 : « Bonum autem facientes non deficiamus; tempore enim suo metemus. » E contrario impii qui indulgent concupiscentiæ suæ, « operantur iniquitatem, et seminant dolores, » tum præsentes, tum æternos uti pulchre explicat noster Pineda *in Job* cap. IV, vers. 8, n. 4.

ET CUSTODIRET ILLUM, — tum a feris, quæ extra paradisum erant, inquit S. Basilius et Augustinus ; tum ab ipsis animalibus quæ erant in paradiso, ne ejus decorem et amœnitatem læderent aut inquinarent.

17. NE COMEDAS. — Septuaginta, *ne comedatis,* scilicet vos, o Adam et Eva, quam verisimile est ante hoc præceptum esse conditam, uti docet S. Gregorius, XXXV *Moral.* cap. X, licet postea ejus conditio enarretur; tam enim Evæ, quam Adæ datum est hoc primum orbis præceptum. Præclare S. Chrysostomus (vel quisquis est auctor), hom. *De Interdictione arboris,* tom. I : « Deus, inquit, dat mandatum, ut probet obsequium; imponit legem, ut exploret hominis voluntatem. Stabat ergo arbor in medio, hominis voluntatem explorans. Explorabat enim an homo tam comminantem, quam diabolum persuadentem audiret. Stabat et homo inter Dominum et hostem, inter vitam et mortem, inter interitum et salutem. Nunc Deus comminatur ut salvet; nunc serpens persuadet ut vexet ; nunc per Deum severitas vitam, nunc per diabolum blanditia mortem intentat. Et utique (proh nefas!) minatur Deus, et contemnitur; persuadet diabolus, et auditur. Apud Deum est severitas, sed benigna; apud diabolum blanditia, sed nociva. » Et paulo post : « Fuerat enim condignum ut Deo pareret, qui illi cuncta parere præceperat; serviret Domino, qui illum dominum mundo effecerat ; certaret cum hoste, ut inimicum devinceret; denique præmia Deo reddente perciperet. Torpescit enim virtus, ubi contrarium defuerit. Adeo roborantur vires exercitatione frequenti. » Et mox : « Adam non vigilavit, ut serpentis malitiam præcaveret. Simplex fuit, astutus contra diabolum non fuit. Tum enim diabolo persuadenti, quam Domino comminanti consensit, et vitam quam habuit perdidit, et mortem quam ignorabat accepit. » Vers. 17.

MORTE MORIERIS, — id est mortis certæ sententiam et necessitatem incurres. Unde Symmachus vertit, θνητὸς ἔσῃ, id est *mortalis eris.* Ita S. Hieronymus, Augustinus, Theodoretus.

Mors corporis et animæ est pœna peccati Adæ.

Nota : Minatur hic Deus Adæ inobedienti mortem, non tantum corporis et temporalem, sed et animæ spiritualem et æternam in gehenna, eamque certam et infallibilem : hoc enim significat hæc geminatio, « morte morieris, » id est certissimo morieris. Adam ergo peccans quoad corpus mox mortis necessitatem, quoad animam vero actu et reipsa mortem incurrit; hinc patet mortem homini in hoc statu quo a Deo conditus est, non naturalem esse, ut voluit Cicero et philosophi (adde, et Pelagiani), sed esse pœnam peccati, uti definit Concilium Milevitanum, cap. I, et docet S. Augustinus, lib. I *De Peccat. merit.,* cap. II.

Licet enim, spectando naturam et elementa contraria, ex quibus compositus est homo, mori debuisset, fuissetque mortalis : tamen spectando Dei decretum, opem et conservationem perpetuam, si non peccasset, mori non potuisset, fuissetque immortalis. Unde Magister Sent. in II, *dist.* 19, docet in paradiso hominem habuisse « posse non mori, » quia poterat homo non peccare, itaque non mori : in cœlo habiturum « non posse mori, » quia ibi per gloriam et dotem impassibilitatis, erit moriendi impossibilitas : in hac vita post lapsum, habere « posse mori, et non posse non mori, » quia jam in eo est moriendi necessitas. Ad mortem ergo damnati nascimur. Memento, o homo, quia morte morieris, idque brevi.

Xerxis de morte gnome. Narrant historici quod Xerxes, cum suo exercitu terram, classibus mare sterneret, ex edito loco omnem hanc multitudinem contemplans ingemuerit et fleverit, dictitans : « Ex hisce omnibus nemo post centum annos superstes erit. »

Salahadini. Salahadinus, rex Ægypti et Syriæ, qui Christianis terram sanctam ademit, sub annum 1180, moriturus per omnia sua castra vexillum cum funebri linteo circumferri jussit, ac præconem proclamare : « Hoc est quod dominator Syriæ et Ægypti Salahadinus, ex omni suo imperio solum jam secum delaturus est. »

Mors est unicornis. Quare elegantur et apposite Barlaam apud Josaphat, mortem comparat unicorni, qui hominem assidue insequitur : fugit ille, et fugiens in scrobem incidit, casuque amplectitur arborem quam rodebant duo mures : in ima scrobe erat draco igneus, homini devorando inhians : videbat hæc homo, sed stolide modico melli, quod ex arbore stillabat, incubans, periculi omnis obliviscitur : assequitur eum unicornis; arborque a muribus eroditur, ruit illa, et homo a dracone arripitur ac devoratur. Scrobs est mundus, arbor est vita, duo mures sunt dies et nox, draco igneus est venter inferni, mellis gutta est mundi voluptas. Ita Damascenus, cap. XII *Histor.*

Vers. 18. 18. DIXIT QUOQUE, — dixerat quoque, scilicet jam ante die sexto : licet enim Origenes, Chrysostomus, Eucherius et D. Thomas, I *part.*, *Quæst.* LXXIII, art. 1, ad 3, putent Mosen hic servare ordinem, narrationis ideoque Evam productam esse post sextum diem mundi : tamen longe verius est Mosen hic, sicut et toto capite, uti recapitula-

Eva ut Adam creata est die sexto. tione, ac consequenter Evam, æque ac Adamum, creatam esse sexto die. *Primo,* quia vers. 2, dicitur Deus sex diebus complesse opus suum, et die septimo cessasse ab omni opere. *Secundo,* quia in aliis animalibus, avibus, piscibus, Deus die quinto et sexto, sicuti mares, ita et feminas creavit. *Tertio,* quia, cap. I, vers. 27, die sexto quo creatus Adam, expresse dicit Moses : « Masculum et feminam creavit eos, » puta Adamum et Evam. Voluit ergo hoc capite uti viri, ita et feminæ formationem per recapitulationem fusius enarrare, quam, cap. I, tribus verbis perstrinxerat. Ita Cajetanus, Lipomanus, Pererius hic, et S. Bonaventura in II, *dist.* 18, *Quæst.* II.

NON EST BONUM HOMINEM ESSE SOLUM. — Quia si Adam fuisset solus, species humana in eo interiisset; et quia homo est animal sociale. Itaque mulier necessaria est ad sobolis propagationem : post quam peractam, postque orbem jam hominibus refertum, cœpit bonum esse homini mulierem non tangere, ut ait S. Paulus, I *Corinth.* VII, cœperuntque laudari eunuchi spirituales, *Matth.* XIX, 12, suaque continentiæ laus ac merces illustris promissa est, tum ab Isaia, tum a Christo et Apostolis. Ita S. Hieronymus *Contra Jovinianum,* et Cyprianus, lib. *De Habitu virginum.* « *Prima* Dei sententia, ait Cyprianus, crescere et generare præcepit; *secunda* continentiam suasit; cum adhuc rudis mundus et inanis est, copia fœcunditatis generatur, propagamur et crescimus ad humani generis augmentum; cum jam refertus est orbis et mundus impletus, qui capere continentiam possunt, spadonum more viventes, castrantur ad regnum. »

Adæ bonum erat matrimonium, jam melior est continentia.

Nota τὸ *solum;* hinc enim patet errare eos qui ex eo quod dictum est cap. I : « Masculum et feminam creavit eos, » dixerunt Deum simul creasse virum et feminam, sed ita ut in lateribus conjuncti essent, postea vero eos tantum ab invicem separasse : nam Scriptura ait solum tunc fuisse Adamum atque Evam non separatam ab Adamo, sed totam ex Adæ costa productam esse docet; cum scilicet illam ab eo tulit, id est separavit, Deus.

FACIAMUS EI ADJUTORIUM SIMILE SIBI. — « Sibi, » id est *ei.* Pro *simile sibi,* hebraice est כנגדו *kenegdo,* quod *primo* significat, *quasi coram ipso,* ut videlicet mulier viro sit præsens, et socia in solitudinis remedium et solatium. Rursum, ut mulier viro sit ad manum, ut eum in omnibus juvet et sublevet. Unde Chaldæus vertit, *faciamus ei sustentaculum quod sit penes eum.*

Secundo, kenegdo verti potest, *e regione,* vel *ex adverso ejus,* id est illi contrapositum et correspondens. Unde Noster clare vertit, *simile sibi,* scilicet in natura, in statura, in loquela, etc.: in hisce enim omnibus mulier similis est viro (1). Porro mulier viro est in adjutorium : *primo,* ad prolis propagationem et educationem; *secundo,* ad familiæ gubernationem; *tertio,* ad curarum, dolorum et laborum levamen; *quarto,* ad cæteras vitæ necessitates sublevandas. Peccatum, hoc adjutorium multis in molestiam, lites et rixas

Quatuor in rebus uxor est viro in adjutorium.

(1) Alb. Schultens, in *Animadvers. Philolog.* p. 118, כנגדו vertit *secundum anteriora ejus,* et intelligit auxilium tale, quod ad matrimonii usum justam cum viro proportionem habeat. *Anteriora* honeste vocat *pudenda.* Quidquid sit de illa explicatione, vult Deus, vers. 19-20, excitare in Adamo desiderium ejusmodi creaturæ, quæ sibi similis esset. Perlustrato igitur hac ratione toto animantium genere, nec inventa quam sibi adjungeret conjugem, talem a Deo Adamus petit. « Immisit ergo Dominus Deus. » etc.

vertit. Unde Cato dixit mulierem esse malum necessarium.

Vers. 19. 19. FORMATIS IGITUR DE HUMO CUNCTIS ANIMANTIBUS TERRÆ, ET UNIVERSIS VOLATILIBUS COELI. — Τὸ *volatilibus* refer ad *formatis*, non autem ad τὸ *de humo*; volatilia enim non ex humo, sed ex aqua formata sunt, ut dixi capite I, vers. 20. Moses enim multa paucis per anacephalæosim perstringit; verba ergo ejus respective exponi debent : ex ante narratis enim constat, quid quod respiciat.

Quomodo Deus animalia adduxit ad Adam? ADDUXIT EA AD ADAM. — « Adduxit, » non per visionem intellectualem, ut vult Cajetanus, sed realiter, idque per angelos, vel per affectum et impulsum phantasiæ et affectui singulorum animalium a se impressum. Ita S. Augustinus, lib. IX *De Genesi ad litt.* cap. XIV, et alii passim.

IPSUM EST NOMEN EJUS, — ipsius naturæ conveniens est nomen, *q. d.* Adam singulis convenientia indidit nomina, quæ singulorum naturam exprimerent. Ita Eusebius, lib. *De Præpar.* cap. IV. Porro nomina hæc erant Hebraica : hæc enim lingua Adamo fuit indita, ut patet vers. 23, et cap. IV, vers. 1.

Vide hic sapientiam Adæ, qua singulorum animalium naturas notat, eisque congrua indebat nomina; vide et usum dominii ejus in animalia : eis enim quasi subditis, suoque peculio nomen imponit. Pisces non adduxit Deus ad Adam, quia pisces naturaliter extra aquam vivere nequeunt : unde eis Adam hic nomina non imposuit, sed nomina eis postea indita fuerunt.

Vers. 20. 20. ADÆ VERO NON INVENIEBATUR ADJUTOR SIMILIS EJUS, — *q. d.* Solus erat Adam cum animalibus, necdum erat Eva, nec alius homo, cum quo haberet vitæ communionem. Unde videtur quod Adam nomina imposuerit animalibus ante Evæ creationem.

Vers. 21. 21. IMMISIT ERGO DOMINUS DEUS SOPOREM IN ADAM. — Pro *soporem* hebraice est תרדמה *tardema*, id est gravem et profundum somnum, quem Symmachus κατὸν, Septuaginta melius ἔκστασιν vertunt; unde patet, non tantum somnum hic Adæ immissum esse ad hoc, ne sentiret costam sibi detrahi, itaque exhorresceret et doleret; sed etiam simul cum somno eum raptum esse in exstasim mentis, qua mens ejus non tantum naturali modo soluta et libera erat a corporis et sensuum functionibus, sed et divinitus ita elevabatur, ut videret ea quæ gerebantur, et spiritu prophetico cognosceret mysterium per ea significatum : videret, inquam, mentis oculis costam sibi eximi, et ex ea Evam formari; atque per hoc significari matrimonium, tum suum naturale cum Eva, tum mysticum Christi cum Ecclesia : hoc enim significant verba Adæ, vers. 23, et S. Pauli, *Ephes.* V, 32. Ita S. Augustinus, lib. IX *De Genesi ad litt.* cap. XIX, et fuse tract. 9 *in Joan.*, et S. Bernardus, serm. *De Septuagesima.*

Imo sunt qui putant Adamum in hac exstasi vidisse Dei essentiam; huc inclinat Richardus in II, *dist.* 23, art. 2, Quæst. I, nec rejicit D. Thomas, I *part.*, *Quæst.* XCIV, art. 1. Sed contrarium est longe verius, scilicet nec Adam, nec Mosem, nec Paulum, adeoque neminem in hac vita vidisse Dei essentiam, uti dixi II *Corinth.* XII, 4.

Adam non vidit Dei essentiam.

Fuit ergo Adam propheta et exstaticus. Nota : Adam a Deo accepit scientiam infusam omnium rerum naturalium : atque ex ea singulis nomina imposuit, ut dixi vers. 19; non tamen accepit cognitionem futurorum contingentium, nec arcanorum cordis, nec numeri individuorum, ut sciret v. g. quot essent oves, quot leones in mundo, quot arenæ in mari. Pari modo accepit Adam infusam sibi fidem et cognitionem rerum supernaturalium : puta SS. Trinitatis, incarnationis Christi (non tamen sui lapsus futuri), ruinæ etiam angelorum. Rursum omnium agendorum et fugiendorum prudentiam infusam accepit. Denique summum contemplationis Dei et angelorum gradum adeptus est. Ita ex S. Augustino et Gregorio Pererius.

Quanta fuerit scientia Adæ indita.

Allegorice, S. Augustinus in *Sentent.*, Sent. 328 : « Dormit, inquit, Adam ut fiat Eva, moritur Christus ut fiat Ecclesia. Dormiente Adam fit Eva de latere : mortuo Christo lancea perforatur latus, ut superfluant Sacramenta, quibus formetur Ecclesia. »

TULIT UNAM DE COSTIS EJUS. — Nota *primo*, contra Cajetanum, non parabolice hæc dici, sed proprie ut sonant. Ita docent Patres et Interpretes passim.

Dices : Ergo Adam monstrosus erat ante hanc costam sublatam, vel certe post eam ablatam remansit mancus, et sua costa mutilus.

Quomodo ex Adæ costa facta sit Eva?

Respondet Catharinus, Deum pro hac costa Adamo, cum carne aliam costam restituisse. Verum quia diserte dicit Moses : « Tulit uuam de costis ejus, et replevit, » non costam, sed « carnem pro ea, »

Hinc *secundo*, melius D. Thomas et alii respondent, hanc costam Adæ fuisse instar seminis, quod individuo superfluum est, sed ad generationem prolis est necessarium. Pari enim modo costa hæc Adæ, ut privatæ personæ superflua erat eadem tamen illi necessaria fuit, quatenus ipse erat caput naturæ et seminarium omnium hominum, ex quo tam Eva, quam cæteri homines producerentur. Eva enim non poterat produci, ut proles jam per semen; Deus ergo statuit, ut ex costa Adæ produceretur, ob causam mox dicendam.

Dico *secundo* : Deus cum costa videtur et carnem adhærentem costæ ex Adamo sustulisse : ait enim ipse Adam, vers. 23 : « Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea; » ergo Eva non tantum ex Adæ osse et costa, sed etiam ex carne costæ adhærente formata est.

Dico *tertio* : Ex costa hac carnosa, quasi fundamento, Deus admiscendo illi aliam materiam

vel per creationem, ut vult D. Thomas, vel potius ex terra et aere circumstante (nam post primam veram creationem sex dierum, Deus nullam materiæ partem de novo produxit) mirabili artificio mulierem efformavit, sicuti ex luto formavit Adamum. Unde Arabicus vertit, *crescere fecit costam sublatam de Adam mulierem*, id est in mulierem; non est barbarismus, sed arabismus. Arabes enim carent præpositione *in*, quæ mutationem vel motum ad locum significat. Unde dicunt: *Ivit urbem*, id est in urbem. *Convertit aquam vinum*, id est in vinum. *Costam crescere fecit mulierem*, id est in mulierem.

Dico *quarto* : Ex hoc cap. II, vers. 22, videtur colligi, quod Deus costam hanc in alium locum, ab Adamo dormiente parum separatum tulerit, ibique ex ea Evam ædificaverit, eamque scientia et gratia repleverit, sicuti repleverat Adamum, ibique cum Eva collocutus sit; deinde expergefacto Adamo, Evam ad eum, quasi ad sponsum, adduxerit, ut matrimonio indissolubili illos, id est unum et unam copularet, omnemque polygamiam, æque ac divortium tolleret. Unde admirans Adam quasi in raptu sibi costam auferri, et ex ea Evam formari vidisset, exclamavit dicens : « Hoc nunc os ex ossibus meis, » *q. d.* Hæc Eva facta est ex uno ossium meorum, ut sit mihi sponsa charissima et conjunctissima. Causa enim cur ex latere et costa Adæ facta sit Eva, fuit, ut doceret nos Deus, quantus debeat esse amor conjugum, et quam sanctum, arctum et insolubile debeat esse matrimonium; scilicet conjuges, uti quasi unum sunt, os et unum corpus, ita unam quasi debere habere animam et voluntatem, ut una quasi utrisque sit anima, non in duobus corporibus, sed in uno eodemque osse et corpore in duas partes dissecto.

Cur ex costa?

Audi S. Thomam, I *part.*, *Quæst.* XCII, art. 2 : « Decuit, ait, mulierem ex viro formari, magis quam in aliis animalibus. *Primo* quidem, ut in hoc quædam dignitas primo homini servaretur : ut secundum Dei similitudinem esset, et ipse principium totius suæ speciei, sicut Deus est principium totius universi; unde et Paulus dicit, *Actor.* XVII, quod Deus fecit ex uno homine genus hominum.

Prima ratio.

» *Secundo*, ut vir magis diligeret mulierem, et ei inseparabilius inhæreret, dum cognosceret eam ex se esse productam; unde dicitur *Genesis* II : *De viro sumpta est : quamobrem relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ.* Et hoc maxime necessarium fuit in specie humana, in qua mas et femina commanent per totam vitam; quod non contingit in aliis animalibus.

Secunda.

» *Tertio*, quia, ut Philosophus dicit in VIII *Ethic.* : Mas et femina conjunguntur in hominibus, non solum propter necessitatem generationis, ut in aliis animalibus; sed etiam propter domesticam vitam, in qua sunt aliqua opera viri et feminæ, et in qua vir est caput mulieris: unde convenienter ex viro formata est femina, sicut ex suo principio.

Tertia.

» *Quarta* vero est ratio sacramentalis. Figuratur enim per hoc, quod Ecclesia a Christo sumit principium; unde Apostolus dicit *ad Ephes.* V : Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico, in Christo et in Ecclesia. »

Quarta.

Et in art. 3 : « Conveniens, ait, fuit mulierem formari de costa viri. *Primo* quidem, ad significandum, quod inter virum et mulierem debeat esse socialis conjunctio. Neque enim mulier debet dominari in virum, et ideo non est formata de capite; neque debet a viro despici tanquam serviliter subjecta, et ideo non est formata de pedibus. *Secundo*, propter Sacramentum : quia de latere Christi dormientis in cruce fluxerunt Sacramenta, id est sanguis et aqua, quibus est Ecclesia instituta. »

Quinta.

Adde : Voluit Deus in productione Adæ et Evæ imitari suam generationem et spirationem æternam; sicut enim ab æterno generavit Filium, et ex Filio spiravit Spiritum Sanctum, ita in tempore produxit Adam ad imaginem suam, itaque eum quasi filium genuit; atque ex eo produxit Evam, quæ esset amor Adæ, sicut Spiritus Sanctus est amor Dei.

Denique Evam in paradiso conditam esse docet S. Basilius, Ambrosius, D. Thomas, Pererius et alii; et favet hic historia, et series Scripturæ. Adam ergo statim a creatione sua videtur translatus fuisse in paradisum; et paulo post ex ejus costa formata est Eva. Unde et Moses mox post hanc translationem Adæ, subnectit formationem Evæ ex Adamo.

Eva condita est in paradiso.

Errat ergo Catharinus, qui Evam non sexto, sed septimo die productam asserit. Errat et Cajetanus, qui Adam et Evam eodem temporis instanti, simul esse productos censet.

23. HOC NUNC OS, — *q. d.* Apage a me animantia prius adducta, non placent, non congruunt mihi, quia specie dissimilia et prono vertice in terram vergentia, loquelæ æque ac rationis, sunt expertia : hæc Eva mihi simillima est, particeps rationis, consilii, colloquii et sermonis, denique carnis et ossis mei portio. Ita Delrio.

Vers. 23.

Fabulantur Talmudistæ, apud Abulensem, Adam ante Evam aliam habuisse uxorem, ex limo terræ productam, nomine Lilis, cum eaque vixisse 130 annis, quibus fuit excommunicatus ob esum pomi vetiti; atque toto illo tempore, inquiunt, ex ea non homines, sed dæmones genuit; deinde accepit Evam ex costa sua productam, atque ex ea homines procreavit. Hæc sunt eorum deliria, quibus ipsi coguntur confiteri se esse fratres dæmonum, cum pater eorum Adam dæmones genuerit.

Vox ergo *nunc*, non priorem uxorem, sed partim animantia, ut dixi, partim Evam respicit, *q. d.* Hæc mulier nunc, id est hac prima vice, sic formata est, ex viro scilicet : nam quæ deinceps

futuræ sunt mulieres, earum nulla sic generabitur; sed quælibet per naturalem generationem ex mare et femina procreabitur. Ita S. Chrysostomus, *hom.* 15 hic.

Symbolice, S. Basilius, oratione *in Julittam,* ex voce et mente Julittæ matronæ, causa fidei ad ignem damnatæ, ait : « Est mulier ab opifice creata peræque ac vir capax virtutis. Non enim ad construendam mulierem sola assumpta est caro, sed et os ex ossibus; quo fit ut nos ipsæ Domino nihil minus ac viri redhibere debeamus firmitatem fidei atque constantiam, nec non in adversis patientiam. His dictis confortans matronas ejulantes, in lignorum struem accensam insiluit : quæ proinde ac thalamus splendore coruscus, corpus S. Julittæ circumplexa, animam quidem in cœlum destinavit, corpus autem honore præcipuo venerabile asservavit affinibus et cognatis incolume, nec ulla sui parte læsum; quin et terra Beatæ istius adventu, aquam emisit adeo, ut Martyr imaginem referat pientissimæ matris, dum nutricis in morem incolas urbis alit suaviter, perinde ac lacte quopiam in communes usus affatim scaturienti. »

Quid *virago?* HÆC VOCABITUR VIRAGO, QUONIAM DE VIRO SUMPTA EST. — Non æquat Interpres vim Hebrææ vocis : adeoque ex hoc loco patet Adamum hebraice esse locutum. Nam *virago* non significat naturam aut sexum, sed virtutem et animum virilem in muliere. Hebræa vero vox אשה *isscha* significat naturam et sexum mulieris, quia ab איש *isch*, id est a viro, derivatur, addito *he* feminino, *q. d.* Vocabitur vira (uti veteres Latini locuti sunt, teste Sexto Pompeio), quia de viro sumpta est : sic Symmachus Græce ἐκ τοῦ ἀνδρός, fecit ἡ ἄνδρις, teste S. Hieronymo; Theodotion vertit, *hæc vocabitur assumptio, quia de viro sumpta est;* ipse enim *isscha* deducit a rad. נשא *nasa*, id est assumpsit, tulit, portavit; sed prior aliorum versio est genuina.

Symbolice et lepide, R. Abraham ben Ezra notat in voce אשה *isscha,* contineri nomen contractum Dei יה *ia*, qui est auctor conjugii; et quamdiu hoc nomen in conjugio manet (manet autem quamdiu conjuges Deum timent, et mutuo sese amant), tamdiu nuptiis Deum adesse et benedicere. Si vero invicem oderint, et Dei obliviscantur, tum illud nomen conjuges abjicere; itaque sublato *jod* et *he,* ex quibus fit יה, tantum remanere ex איש *isch*, et אשה *isscha*, id est ex viro et muliere, אש אש *esch esch*, id est ignem et ignem, scilicet ignem rixarum et molestiæ in hac vita, in altera vero ignem æternum.

Vers. 24. 24. QUAMOBREM RELINQUET HOMO PATREM ET MATREM.— Verba sunt non Mosis, ut vult Calvinus, sed Adæ, vel potius Dei, qui Adæ verba confirmat, ex iisque matrimonii legem elicit, eamque decreto suo sancit. Deo enim hæc verba tribuit Christus, *Matth.* XIX, 5. Hæc ergo conjugii lex est et societas, ut si res exigat, conjux conjugis causa patrem et matrem deserere teneatur. Quod intellige de cohabitatione et vitæ consortio; nam in pari casu famis, vel alterius similis necessitatis, potius patri et matri, quasi auctoribus vitæ, quam conjugi est subveniendum, ut docet D. Thomas II II, *Quæst.* XXVI, art. 11, ad 1.

ET ADHÆREBIT UXORI SUÆ,—Septuaginta vertunt προσκολληθήσεται, quod Tertullianus apte vertit, *conglutinabitur*. Hebræum enim דבק *dabac,* significat arctissimam conjunctionem. Ita Sara conglutinata est Abrahæ, Rebecca Isaaco, Sara Tobiæ, Susanna Joachimo. Audi et Gentiles. Theogena, uxor Agathoclis regis Siciliæ; ab ægro marito nullo modo passa est se divelli, dicens, « nubendo se non prosperæ tantum, sed omnis fortunæ iniisse societatem, nec invitam sui spiritus periculo empturam, ut extremos viri spiritus exciperet. » Exempla amoris conjugum.

Hypsicratæa, Mithridatis regis Ponti uxor, devictum profugientemque maritum, in omnibus adversitatibus secuta est.

Memorabile est exemplum feminarum Lacænarum, quæ captivos viros liberaverunt mutatis vestibus, ipsæque captivorum locum se subjecerunt.

Ita Penelope adhæsit Ulyssi; audi Poetam :

Penelope desponsa sequi cupiebat Ulyssem,
Ni secum Icarius mallet habere pater.
Ille Ithacam, hic offert Spartam, manet anxia virgo :
Hinc pater, inde viri mutuus urget amor.
Ergo sedens velat vultus, obnubit ocellos;
Ista verecundi signa pudoris erant,
Queis sibi prælatum Icarius cognovit Ulyssem,
Hocque pudori aram schemate constituit.

Illustre fuit Gracchi Romani exemplum, in cujus domo deprehensis duobus anguibus, cum responderent augures alterum victurum, si alter alterius sexus interimeretur : Imo vero, inquit Gracchus, meum necate; mea enim Cornelia juvenis est, et parere adhuc potest. Hoc erat uxori parcere, et reipublicæ consulere, semper tamen bonum maritum agere, quem in republica magnum virum esse veteres censuerunt.

Dido, soror Pygmalionis, multo auro et argento congregato navigavit in Africam, ibique Carthaginem condidit : et cum ab Hyarba, rege Libyæ in conjugium peteretur, extructa in memoriam mariti quondam Sichæi pyra, in illam se injecit, malens ardere quam alteri nubere. Casta mulier Carthaginem condidit; rursum eadem urbs in castitatis laude desiit.

Nam Hasdrubalis uxor, capta et incensa Carthagine, cum se cerneret a Romanis capiendam, apprehensis utrinque duobus filiolis, in subjectum domus suæ devolavit incendium.

Nicerati conjux impatiens injuriæ marito illatæ, mortem sibi ipsa conscivit, ne triginta tyrannorum, quos Lysander victis Athenis imposuerat, libidinem sustineret.

ET ERUNT DUO IN CARNE UNA.—Id est duo, scilicet

Quatuor modis sunt duo in carne una.

vir et uxor, erunt una caro. *Primo*, per copulam carnalem; sic explicat Apostolus I *Cor.* IX, 16. *Secundo*, erunt una caro synecdochice, id est erunt unus homo, erunt una persona civilis. Vir enim et uxor civiliter unus censentur, et sunt. *Tertio*, quia conjux est dominus corporis sui comparis, et sic unius caro est alterius caro, I *Cor.* VII, 3. *Quarto*, effective : quia unam carnem, scilicet prolem, generant.

Nota : Inter humanas necessitudines arctissimum et inviolabile est vinculum matrimonii : hinc ex Adami costa Deus fecit Evam, ut significaret *primo*, quod vir et uxor non tam duo, quam unus sint. *Secundo*, quod sint indivisibiles et inseparabiles ; sicut enim una caro non potest dividi et tamen una manere, sic non potest conjux a conjuge separari, eo quod sit una caro cum conjuge. Unitati enim divisio, puta divortium et polygamia repugnant. *Tertio*, quod debeant unum esse amore et voluntate. Vide Rupertum hic. Unde Pythagoras dixit, in conjugio amico esse unam animam in duobus corporibus.

Hinc patet non esse verum id quod asserit Nyssenus (si tamen is est auctor libri) lib. *De Creatione hominis*, cap. XVII, et Damascenus, lib. II *De Fide*, cap. XXX, et Euthymius in *Psalm.* L, et S. Augustinus, lib. IX *De Genes. contra Manichæos*, cap. XIX, et lib. *De Vera religione*, cap. XLVI, in innocentiæ statu nullam futuram fuisse sexuum commistionem, sed modo quodam angelico procreandos fuisse homines : nam hic expresse dicitur, quod « erunt duo in carne una, » quod Apostolus de commistione explicat, ut dixi. Unde S. Augustinus, suam sententiam retractat, lib. I *Retract.* cap. X, idque communiter sequuntur jam DD. Errat ergo Faber Stapulensis in Comment. in lib. Richardi Victorini *De SS. Trinit.*, qui somniat, aitque quod, si Adam non peccasset, ex se sine femina similem sibi masculum peperisset; et Almaricus, qui in eo statu nullam futuram fuisse sexus differentiam opinatus est.

Rursum S. Thomas, I *part.*, *Quæstione* XCVIII, art. 2, putat, in statu innocentiæ salva corporis integritate, quæ virginitas dicitur, futurum fuisse conceptum et partum. Sed, ut recte notat Pererius, idipsum etiam pugnat cum hoc loco, et cum natura generationis humanæ. Similis ergo fuisset tunc generatio, qualis jam est, dempta tamen concupiscentia. Unde virginitas tum non fuisset, quia nec virtus fuisset in eo statu. Est enim jam virginitas, virtus, quia concupiscentiam libidinis refrænat : atqui tunc nulla fuisset concupiscentia aut libido frænanda; ergo nec fuisset tunc continentia aut virginitas. Hinc probabiliter censet Pererius, eo statu tot nascituras fuisse feminas, quot mares. Omnes enim matrimonium iniissent, idque singulare, puta unus cum una, juxta id quod Deus hic instituit.

In paradiso talis fuisset generatio qualis jam est. Tunc enim non fuisset virginitas.

Vers. 25. 25. ERAT AUTEM UTERQUE NUDUS, ET NON RUBESCEBANT, — quia in statu innocentiæ nulla erat libido, nulla concupiscentia : ex hac enim oritur pudor et erubescentia, si membra in quibus regnat libido, aliis pateant et denudentur. Ita S. Augustinus, lib. *De Genes. ad litt.*, circa principium. Inepti ergo, inverecundi et impuri sunt Adamitæ, qui cum Adamo nudi jam non erubescunt, cum Adam mox post peccatum erubuerit seque vestibus contexerit, ut recte refutans similes, ait S. Epiphanius, lib. II, *hæres.* 52.

Adam verecundus fuit, Adamitæ sunt inverecundi.

Hinc hausisse videtur Plato in *Politico* suam illam nuditatem, quam omnibus hominibus aurei sæculi attribuit.

Perperam quoque Isidorus Clarius putat Adamo et Evæ pro veste fuisse divinum quemdam splendorem et gloriam, quali S. Agnetem aliasque virgines ad lupanar ductas et denudatas sæpe obtexit Deus, et quali obteget corpora Sanctorum in resurrectione. Hoc enim gratis fingitur, et frustra ; ubi enim nullus est pudor, nulla concupiscentia, nullum frigus, ibi nulla opus est veste aut luce.

Error Isidori Clarii.

Denique pulchre Pererius præfatione in lib. V, septem excellentias status innocentiæ recenset. *Prima* erat plena sapientia; *secunda*, gratia et amicitia Dei; *tertia*, justitia originalis; *quarta*, immortalitas et impassibilitas animæ et corporis, non intrinseca, qualis est in corporibus gloriosis beatorum, sed extrinseca, proveniens scilicet partim ex protectione Dei, partim ex prudentia et providentia hominis, qua a noxiis et læsivis sibi cavisset : atque hæc erant in ipso homine; tria vero reliqua extra hominem, videlicet : *quinta*, habitatio in paradiso, et esus arboris vitæ ; *sexta*, specialis Dei cura erga hominem. Unde sequebatur *septima*, quod scilicet homo non potuisset concupiscere, nec venialiter peccare, ait D. Thomas, nec errare, nec decipi : sed de rebus incertis judicium vel suspendisset, vel dubium formasset. Hæc enim non videntur posse effici per habitum, vel qualitatem creatam homini infusam, sed tantum per assistentiam et protectionem Dei.

Septem dotes status innocentiæ.

Hæc intellige de statu plenæ et perfectæ innocentiæ, in quo conditus est Adam, ut scilicet immunis esset ab omni malo, tam culpæ quam pœnæ et miseriæ : alioqui enim si eum in semiplenam innocentiam transferri et cadere permisisset Deus, potuisset ipse peccare venialiter, item errare et decipi, uti recte docet Scotus : de qua re vide Franciscum Aretinum *in Genes.* pag. 450.

E contrario per Christum major nobis reddita est gratia, quam data fuerit Adamo, adeoque septem jam habemus virtutes, quæ non fuissent in statu innocentiæ : *prima* est virginitas; *secunda*, patientia; *tertia*, pœnitentia; *quarta*, martyrium; *quinta*, jejunium, abstinentia omnisque carnis mortificatio; *sexta*, paupertas et obedientia religiosa; *septima*, misericordia et eleemosyna : nulli enim tunc fuissent pauperes vel miseri, quibus

Septem dotes Christi in statu lapso.

jam abundamus, ut in eos misericordiam exerceamus.

Denique major et efficacior jam homini lapso datur gratia, quam data fuerit Adæ, ut patet in Martyribus aliisque illustribus Sanctis. Unde et major jam est merendi facultas, tum ratione majoris gratiæ, tum ratione difficultatis operis : licet in statu innocentiæ major fuerit merendi facultas, ratione promptitudinis voluntatis. Voluntas enim tum plane recta, nec habens passiones virtuti contrarias, prono naturæ et gratiæ impetu ad virtutes rapta fuisset, itaque multos intensos, magnos et heroicos virtutum omnium actus elicuisset.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Serpens tentat Evam, illa peccat cum Adamo : unde vers. 8, *increpantur a Deo. Tertio, vers.* 14, *serpens maledicitur a Deo, ac promittitur Christus redemptor. Quarto, Eva et Adam, vers.* 16, *damnantur ad labores, dolores et mortem. Ac denique, vers.* 23, *pelluntur paradiso, et ante eum ponitur custos Cherubim cum flammeo gladio.*

1. Sed et serpens erat callidior cunctis animantibus terræ quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem : Cur præcepit vobis Deus ut non comederetis de omni ligno paradisi? 2. Cui respondit mulier : De fructu lignorum, quæ sunt in paradiso, vescimur : 3. de fructu vero ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus, et ne tangeremus illud, ne forte moriamur. 4. Dixit autem serpens ad mulierem : Nequaquam morte moriemini. 5. Scit enim Deus quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri : et eritis sicut dii, scientes bonum et malum. 6. Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis aspectuque delectabile : et tulit de fructu illius, et comedit : deditque viro suo, qui comedit. 7. Et aperti sunt oculi amborum : cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, et fecerunt sibi perizomata. 8. Et cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam et uxor ejus a facie Domini Dei in medio ligni paradisi. 9. Vocavitque Dominus Deus Adam, et dixit ei : Ubi es? 10. Qui ait : Vocem tuam audivi in paradiso; et timui, eo quod nudus essem, et abscondi me. 11. Cui dixit : Quis enim indicavit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti? 12. Dixitque Adam : Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi. 13. Et dixit Dominus Deus ad mulierem : Quare hoc fecisti? Quæ respondit : Serpens decepit me, et comedi. 14. Et ait Dominus Deus ad serpentem : Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, et bestias terræ : super pectus tuum gradieris, et terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. 15. Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius : ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus. 16. Mulieri quoque dixit : Multiplicabo ærumnas tuas et conceptus tuos : in dolore paries filios, et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui. 17. Adæ vero dixit : Quia audisti vocem uxoris tuæ et comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo : in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. 18. Spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbam terræ. 19. In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es; quia pulvis es, et in pulverem reverteris. 20. Et vocavit Adam nomen uxoris suæ, Heva : eo quod mater esset cunctorum viventium. 21. Fecit quoque Dominus Deus Adæ et uxori ejus tunicas pelliceas, et induit eos. 22. Et ait : Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum : nunc ergo ne forte mittat manum suam, et sumat etiam de ligno vitæ, et comedat, et vivat in æternum.

23. Et emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram de qua sumptus est. 24. Ejecitque Adam : et collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim, et flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.

Vers. 1. 1. SED ET SERPENS ERAT CALLIDIOR CUNCTIS ANIMANTIBUS. — Potest secundo, ex Hebræo verti (1), *serpens erat in multas spiras et gyros complicatus et involutus ;* hoc enim quoque significat Hebræum ערם *aram :* unde *aramim* vocantur acervi segetum ; hæ enim spiræ indices sunt internæ serpentis versutiæ, qua hominem implicavit et circumvenit.

Quis serpens tentarit Evam ?

Primo, Cajetanus per serpentem intelligit diabolum, qui non externa voce, sed tantum interna suggestione tentavit Evam.

Secundo, Cyrillus lib. III *contra Julianum*, et Eugubinus in *Cosmopœia*, putant dæmonem hic non verum serpentem, sed serpentis tantum speciei et formam induisse : sicut angeli dum assumunt corpus humanum, non verum, sed aereum, quod speciem habeat veri et humani, assumunt (2).

Verum omnes alii docent, hunc verum fuisse serpentem ; dicitur enim hic fuisse callidior cunctis, non angelis, sed animantibus, in quem natura sua callidum et vafrum vafer diabolus congrue ingressus, in ejus ore, quasi in organo certa ratione moto, colliso et modulato, vocem humanam, ut potuit effinxit. Ita S. Chrysostomus, Procopius et Augustinus, lib. XIV *De Civitate*, XX. Aliqui putant, ait Magister Sent. in II, dist. VI, hunc diabolum fuisse Luciferum, qui primum Adam tentavit, et vicit ; secundum quoque, puta Christum, tentavit, sed ab eo victus est, et in infernum relegatus.

Apte diabolus in specie, non ovis, non asini, sed serpentis, tentavit Adam. *Primo*, quia serpens natura est callidus ; *secundo*, quia naturaliter homini est contrarius, eique insidiatur, ut clanculum mordeat ; *tertio*, quia serpentis est repere, venenum diffundere, hominem interimere : hoc autem facit dæmon ; *quarto*, quia serpens toto corpore terræ adhæret : ita Adam credendo serpenti et diabolo, totus brutus et terrenus factus est, ut non nisi bonis terræ inhiet.

Hinc S. Augustinus, lib. XI *De Genes. ad litt.*, cap. XXVIII, docet diabolum uti solere forma ser-

(1) Sed minus recte. Calliditas serpentibus hic adscribitur, ob hanc maxime, ut videtur, causam, quod in pulvere aut in herba ad insidias latere solent. Cf. Chateaubriand, *Génie du Christianisme*, P. I. lib. III, cap. II. ערום proprie significat *descalptum, detritum ;* unde metaphorice usurpatur tam de *nudo*, quam de *longo rerum usu subacto*, et *rebus probe trito*. Hinc ad *malignam versutiam* transitus factus. Latini, simili metaphora, *versutum* dixerunt.

(2) Ea quæ Moyses Hevam inter et serpentem transacta retulit, interpretes de schola Rationalistarum μύθοις annumerant (De Wette, *Einleitung*, etc., § 136 ; Hartmann, *Historische-Kritische Forschungen*, etc., pag. 373, etc.) ; Cajetanus metaphorica esse putat ; Jahn historica, ita tamen ut merum Hevæ somnium hoc fuerit. Alii alias de his sententias tulere, quas diligenter recensitas videre est apud Gablerum, in *Prolegomenis* quæ præmisit Commentationi Eichhornianæ, *die Urgeschichte* inscriptæ, confutatas autem tum apud Patritium, op. cit. lib. II, cap. II, tum apud Meignan, *Les Prophéties Messianiques*, pag. 209 et seqq. Communem Catholicorum sententiam sic exponit Patritius :

« Quin *verus serpens* ille fuerit, *actus* tamen *a diabolo*, nullo modo dubitare nos sinunt totius narrationis adjuncta. *a*). Nam in historia conscribenda metaphoris uti quidem licet ad ea nominanda, quæ prius vocata jam proprio nomine fuerant ; ad ea vero, quorum prius nulla mentio injecta est, illud poetis licebit fortasse, sed non historico. Porro in hac narratione, qui Hevam est alloquutus, serpentis nomine constanter vocatur ; nomen autem diaboli, neque in narratione ipsa, neque antea, neque postea, vel semel liber Geneseos exhibet. Insuper, quod Moyses exordiatur a comparatione instituta inter serpentem et cætera animalia ; quod exordium istud cum reliqua narratione tam arcte connexum sit, ut liqueat manifesto, qui cum Heva sermonem habuit, non alium fuisse, quam illum ipsum serpentem in exordio memoratum ; quod denuo in narrationis decursu cum animalibus cæteris serpens componatur, vers. 14 ; quod eæ pœnæ serpenti dictæ sint, quæ huic uni belluarum generi competere queant ; quod pœnæ istæ, siquidem ἀμέσως diabolo ipsi dictæ forent, per metaphoras enuntientur, id vero minus apte fieri videatur post pœnas viro et mulieri enuntiatas sermone proprio ; quod denique Deus ipse ita egerit atque locutus fuerit, ut qui verum et proprie dictum serpentem illum existimaret : hæc, inquam, omnia nonne talia esse videntur, quæ secus, ac dicimus, cordatum quemqne sentire vetent ? Si quis miretur belluæ, quæ culpam admittere nequit, pœnas inflictas, respondeo, συμβολικὰ hæc fuisse, non secus ac ea quæ hirco fiebant die festo expiationum, quæque Christus in sterilem ficum dixit atque egit. Neque absonum aut inauditum est tanquam pœnam serpenti ea irrogata fuisse, quæ naturalia ipsi forent. Cf. *Gen.* III, 16, 18, *b*). Quod si serpens vere ille fuit, dubitatione quoque vacat a diabolo actum eum fuisse. Neque enim Deus graviore pœna belluam ratione carentem, quam hominem affecisset ; neque, quod prædictum legimus in exemplari hebraico, futurum, ut olim mulieris proles caput contereret, non serpentibus quibuscumque, sed ei qui mulierem decepit, in illum ipsum serpentem cadere poterat. Neque verbum איב, vocesque ex eo derivatæ inimicitias unquam significant, nisi inter eos, qui ratione sunt prædíti. Tum homines ad malum patrandum propellere et decipere, diaboli est, non serpentum. Præterea quam frigidum, quam ineptum, imo, dicam enim aperte, quam indignum Deo, visum fuisset, dum universum genus humanum Deo ipso judice in crimen vocabatur, et capitis vitæque condemnabatur, rei tantæ tautulam reculam intermiscere, ut in unum animaculum sententia, quæ cujusdam veluti lusus speciem præ se ferret, ab ipso eodem summo numine pronuntiaretur. Quid denique, quod serpens iste loquebatur, et ratiocinabatur, quodque eum Deus tanquam ratione utentem est allocutus ? »

Cf. Lacordaire, *Conférences de N.-D. de Paris*, t. III, pag. 531, qui ait τὸ *serpens* esse hic metaphoricum diaboli nomen, idque probare nititur loco *Apoc.* XII, 9.

pentum ad decipiendos homines, quia ea decepit Adamum et Evam, ibique vidit hanc fraudem sibi bene succedere. Eadem de causa dixit Pherecydes Syrus dæmones e cœlo a Jove fuisse deturbatos, quorum princeps dictus sit Ophioneus, id est serpentinus.

Tropologice : « Diabolus, ait S. Augustinus, tentat ut leo, tentat ut draco ; » nam, ut ait Gregorius in cap. XL *Job*, « fideli famulo dominus cunctas hostis callidi machinationes insinuat, scilicet quod opprimendo rapit, insidiando circumvenit, minando terret, suadendo blanditur, desperando frangit, promittendo decipit. »

Species tentationum et modos recenset S. Bernardus : « Tentatio, ait, *alia* est importuna, quæ procaciter insistit; *alia* est dubia, quæ animum dubietatis nebula involvit; *tertia* est subita, quæ judicium rationis prævenit; *quarta* est occulta; quæ deliberationis ordinem præterfugit ; *quinta* violenta, quæ vires nostras transcendit ; *sexta* fraudulenta, quæ animum seducit; *septima* perplexa, quæ variis viis impeditur. »

Nota : Eva non exhorruit aspectum serpentis, quia domina animalium certa erat nullum sibi nocere posse. Ita S. Chrysostomus, *hom.* 16.

Qui locutus est serpens?

Dices, quomodo saltem eum loquentem non exhorruit? Respondent *primo*, Josephus et S. Basilius (quod sensit et Plato in *Politico*), in paradiso animantia quælibet habuisse vim et facultatem loquendi. Addit S. Ephrem apud Barcepha lib. I *De Paradiso*, serpenti ad tempus non tantum loquendi, sed et intelligendi vim hic a Deo concessam esse, idque probat ex vers. 1 et 13. Sed hæc sunt paradoxa.

Secundo, Procopius, Cyrillus supra, Abulensis et Pererius respondent Evam necdum scivisse soli homini naturalem esse vim loquendi. Sed hoc repugnat perfectæ scientiæ quam habuit tam Eva, quam Adam.

Respondeo ergo : Scivit Eva serpentem naturaliter non posse loqui : admirata est ergo eum loquentem, et suspicata, id quod erat, altiori vi, scilicet divina, angelica aut diabolica id fieri ; metus aberat, quia necdum peccarat, et sciebat se Deo curæ esse. Ita D. Thomas, I *part.*, *Quæst.* XCIV, art. 4. Ita « Sapienti nihil est inopinabile : pueri et insipientes ad omnia, quasi nova obstupescunt. »

Eugubinus putat hunc serpentem fuisse basiliscum, qui rex est serpentum. Delrio putat fuisse viperam ; Pererius scytalen, quia magnitudine et tergi varietate præfulgens intuentes detinet. Verum in hac re nihil est certi. Adde, scytale et basiliscus sunt stultæ naturæ ; hic autem serpens erat callidior cunctis animantibus ; in eum enim ingressus est dæmon, non veneni spargendi, sed decipiendi causa. Probabile est, quod censent multi, fuisse eum qui communiter serpens nuncupatur, quia serpit; et coluber, quia umbras excolit; et anguis, quia angulos petit et latebras. Hic enim sine addito vocatur serpens : reliqui cum addito, ut serpentes reguli, igniti, etc., aut proprio nomine viperæ, cerastæ, amphisbænæ, aspides, etc. nuncupantur. Hic etiam callidissimus est, et plane prono corpore repit, quod de hoc serpente dicitur vers. 14. Quare improbabile est, quod hic aiunt Beda, Dionysius Carthusianus, et Histor. Scholastic., ac S. Bonaventura, in II, distinct. XXI, et Vincentius in *Spec. histor.*, serpentem hunc fuisse draconem, pedibus insistentem, facie virginea, tergo vario instar iridis fulgente, ita ut in admirationem Evam traheret, eumque erectum incedere solitum. Hic enim monstruosus fuisset serpens, quem Deus initio mundi non condidit, quem proinde statim exhorruisset et fugisset Eva.

Artificium serpentis in tentando Evam.

CUR PRÆCEPIT VOBIS DEUS. — Ita vertunt quoque Septuaginta. Astute serpens hic conatur evertere finem præcepti, ut evertat ipsum præceptum, *q. d.* Non apparet justa ratio et causa, cur Deus vetuerit esum hujus arboris : ergo revera et serio eum non vetuit; sed quod dixit : « Non comedetis ex eo, » joco et ludens dixit. Antecedens probat serpens ex ipsa utilitate arboris, dicens vers. 5 : « Scit enim Deus quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii, scientes bonum et malum. »

Nota : Pro *cur* hebraice est אַף כִּי *aph ki*, quod ad verbum sonat, *etiamne*, vel *itane verum est*; et, ut Chaldæus vertit, *verumne est quod dixit* (dixerit) *Deus : Non comedetis ex omni arbore horti?* Hoc sensu clarius apparet, quod serpens non accusarit Deum inclementiæ : hanc enim blasphemiam statim exhorruisset Eva; sed subdole quasi commendans Deum ita loquatur, *q. d.* Non credo Deum, qui tam liberalis est, hanc arborem ita serio et absolute vetuisse, licet vos hoc putetis : cur enim fructum tam pulchrum et utilem vobis invideret? cur vos ita arctaret et oneraret? Bonitas enim opponitur invidiæ : hinc in Deo, qui summe est bonus, non potest esse aliquid invidiæ; hoc est quod canit Boetius : « Summi forma boni livore carens. » Idem docet Plato in *Timæo*, et Aristoteles, lib. I *Metaphys.* cap. II, ubi impugnat Simonidem, qui dicebat Deum invidisse homini honorem sapientiæ. Sic enim, inquit Aristoteles, Deus esset tristis et consequenter miser : invidia enim est tristitia de alieno bono. Porro noster interpres non verba sequens, sed sensum, אַף כִּי *aph ki*, cum Septuaginta vertit *cur*. Huic expositioni directe respondet responsio Evæ, stabiliens et asseverans præceptum Dei quasi serium et absolutum, quod serpens quasi joco dictum elidere volebat, et ita hæc expositio cum priori in idem recidit.

Serpens alios sermones tentationi præmisit.

Ex hoc Hebræo *aph ki* videtur quod serpens huic interrogationi præmiserit alios sermones quibus ad eam viam sterneret, licet eos taceat Moses, v. g. de libertate et dignitate humanæ naturæ, de obligatione et multitudine præceptorum naturalium et supernaturalium fidei, spei,

charitatis, homini impositorum, ut inde concluderet eum ulterius novo hoc positivo Dei præcepto gravari non debere. Ita Procopius et alii.

Tropologice, Abbas Hyperichius in Vitis Patrum: « Susurrans, ait, serpens ad Evam, de paradiso ejecit eam. Huic ergo similis est, qui proximo suo obloquitur : quoniam et audientis se animam perdit, et suam non salvat. » Rursum S. Bernardus, lib. *de Vita solitaria*, ex hoc loco docet perfectam obedientiam debere esse indiscretam, ut scilicet non discernat quid, vel quare præcipiatur. « Adam, ait, gustavit in malum suum de ligno vetito, edoctus ab eo qui suggerendo ait : Quare præcepit, etc. Ecce discretio, cur præceptum sit. Et addidit : Sciebat enim quia qua die comederitis, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii. Ecce ut quid præceptum sit, scilicet quod deos fieri non sinat. Discrevit, comedit, et inobediens factus est, et de paradiso ejectus est. Unde infert : sic et animalem discretum, novitium prudentem, incipientem sapientem, in cella diu posse consistere, in congregatione durare impossibile est. Stultus fiat, ut sit sapiens; et hæc sit omnis ejus discretio, ut in hoc nulla sit ei discretio. » Vide Cassianum, coll. 12, et lib. IV *De Instit. renunc.* cap. X, XXIV et XXV, ac S. Gregorium super lib. II *Reg.* cap. IV, quorum hoc est axioma : « Verus obediens, nec præceptorum intentionem discutit, nec præcepta discernit; quia qui omne vitæ suæ judicium majori subdidit, in hoc solo gaudet, si quod sibi præcipitur operatur; quia hoc tantum bonum putat, si præceptis obediat. »

UT NON COMEDERETIS DE OMNI LIGNO. — Non omni, id est nullo, inquit S. Chrysostomus, Rupertus, et S. Augustinus, lib. XI *De Genesi ad litt.* cap. XXX, quasi serpens dicat, Deum nullius arboris fructum homini concessisse, itaque mentiatur, ut Deum crudelitatis accuset. Sed hoc nimis patens et crassum fuisset mandacium.

Ambigue loquitur serpens.

Secundo et melius, « non ex omni, » *q. d.* Cur aliquod prohibuit, scilicet lignum scientiæ boni et mali? *Tertio* et optime, ambigue more suo loquitur per serpentem diabolus, ut hæc ejus interrogatio vel de omni, vel de aliquo tantum ligno prohibito accipi possit; idque subdole, ut insinuet non majorem esse prohibendæ unius arboris, quam omnium rationem : itaque aut omnes, aut nullam prohiberi debuisse. Rursum, Deum qua facilitate unam hanc prohibuit, eadem deinceps alias omnes prohibiturum. Unde mulier huic ambiguæ ejus interrogationi statim respondet sub distinctione, dicens : « De fructu lignorum quæ sunt in paradiso, vescimur (vesci possumus, vesci nobis licet); de fructu vero ligni quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus, ne comederemus. »

Vers. 3. 3. ET NE TANGEREMUS. — Putat S. Ambrosius, lib. *De Paradiso*, cap. XII, Evam ex tædio et odio præcepti hoc addidisse de suo, itaque invidiose exaggerasse duritiem præcepti. Deus enim nec aspectum, nec tactum, sed esum tantum prohibuerat. Verum Eva adhuc integra et sancta videtur potius ex religione et reverentia divini præcepti hoc dixisse, *q. d.* Deus præcepit ne hanc arborem tangamus ad comedendum ex ea, ideoque religionem nobis injecit et metum, ut statuerimus ipsi nobiscum nulla ratione, nullo casu, illam vel leviter contingere, ut sic quam longissime absimus a comestione et violatione præcepti.

NE FORTE MORIAMUR. — Deus absolute affirmarat *moriemini*, mulier dubitat, diabolus negat : ut enim Evam nutantem vidit, instat eam impellere dicens : « Non moriemini. » Ita Rupertus. Verum Eva erat adhuc integra, adeoque ex religione addidit præcepto τὸ *ne tangeremus*; non ergo videtur dubitasse de pœna mortis præcepto adjuncta. Vox ergo פֶּן *pen*, id est *forte*, Hebræis sæpe non est dubitantis, sed asserentis et confirmantis rem vel præceptum, tantumque innuit dubium de futuro eventu, cum is pendet ex futura hominis actione libera, *q. d.* Ne forte comedamus, ideoque moriamur : si enim comederimus, certo moriemur. Sic accipitur *forte Matth.* XI, 23, et sæpe apud Prophetas.

4. NEQUAQUAM MORTE MORIEMINI. — Tentat serpens Evam removendo pœnam, et promissis lactando. Vers. 4.

Quinque mendacia serpentis.

Nota hic quinque ejus splendida mendacia : *primum*, « non moriemini; » *secundum*, « aperientur oculi vestri; » *tertium*, « eritis sicut dii; » *quartum*, scietis bonum et malum; *quintum*, scit Deus hæc omnia esse vera, et me non mentiri, *q. d.* Cum Deus hæc sciat, vosque amet, non est verisimile eum vos hac arbore tam proficua privare voluisse. Itaque vel joco tantum illam prohibuit, vel sub hoc ejus præcepto aliquid mysterii latet; quod necdum scitis : scietis autem cum ex ea comederitis. Ita S. Augustinus, lib. XI *De Gen. ad litt.* cap. XXX.

Moraliter, idem etiamnum diabolus persuadet pene omnibus hominibus; sed quia res contraria nimis clara est, et de facto patet omnes omnino mori, hinc astu utitur, ut omnibus persuadeat τὸ *nequaquam moriemini* : nimirum, facit quod facere solet medicus, qui medicinam amaram, quam æger integram respueret, in partes dividit, itaque eam per bolos ei dat, ut sensim totam absumat. Ita et dæmon mortem per partes et annos dividit, ac persuadet juvenibus : non morieris in flore et vigore ætatis; nimium robustus es : facile vives adhuc annos quinquaginta. Studiosis persuadet : non morieris antequam finias studia; aliis, antequam finias negotia, quæ habes præ manibus. Denique nemo est tam senex, qui non putet se adhuc saltem ad annum victurum. Ita omnes decipit. Cum enim quotannis mors aliquos auferat, et ita sensim omnes, hinc fit ut singuli ab ea auferantur, cum minime putant, quia putant se saltem ad annum adhuc victuros. Unde sequitur axioma verissimum : Mors omnibus et singulis vicinior est, quam omnes et singuli putent; quia illo anno quo singuli moriuntur, putant se non morituros, sed

adhuc ad annum victuros. Accedit quod Christus dicat se venturum, ut fur in nocte, quem herus domus remotum, imo non venturum putat, *Matth.* XX, 43. Sicut ergo fur observat tempus, quo herus dormiat, ut eum spoliet : sic mors inexpectantes et quasi dormientes corripit. Qui sapit ergo, aperiat oculos, et hanc claram diaboli fraudem discutiat, ac persuadeat mortem sibi vicinam esse : imo se illo anno, forte illo mense, illa hebdomade, illo die moriturum. Sapienter Poeta : « Omnem crede diem tibi diluxisse supremum. » Ita S. Hieronymus et S. Carolus Borromæus in mensa habebant cranium mortui, ut jugiter mortis instantis meminissent. Quorumdam Sanctorum fuit hæc salutatio, ut, cum sibi occurrerent, prior salutando diceret : « Moriendum est; » responderet alter resalutans : « Nescimus quando. » Ita S. Marcella, ait S. Hieronymus *ad Principiam*, « sic ætatem duxit et vixit, ut semper se crederet esse morituram. Sic induta est vestibus, ut meminisset sepulcri, memor Satyrici : Vive memor lethi, fugit hora, hoc quod loquor inde est; et : Memento semper diem mortis, et nunquam peccabis; laudabatque illud Platonis, qui philosophiam esse meditationem mortis dixit. » Præclare noster Thomas theodidactos lib. I *De Imitat. Christi*, XXIII : « Hodie, ait, homo est, et cras non comparet. O hebetudo et duritia cordis humani, quod solum præsentia meditatur, et futura (etiam vicina) non magis prævidet! Sic te in omni facto et cogitatu deberes tenere, quasi hodie vel statim esses moriturus. » Et inferius : « Beatus qui horam mortis suæ semper ante oculos habet, et ad moriendum quotidie se disponit. Si vidisti aliquando hominem mori, cogita quia et tu per eamdem transibis viam. Cum mane fuerit, puta te ad vesperam non perventurum : vespere autem facto, mane non audeas tibi polliceri. Semper ergo paratus esto, et taliter vive, ut nunquam te imparatum mors inveniat. Quando illa extrema hora venerit, multum aliter sentire incipies de tota vita tua præterita, et valde dolebis, quod tam negligens et remissus fuisti. Quam felix et prudens, qui talis nunc nititur esse in vita, qualis optat inveniri in morte! Dabit namque magnam fiduciam feliciter moriendi perfectus contemptus mundi, fervens desiderium in virtutibus proficiendi, amor disciplinæ, labor pœnitentiæ, promptitudo obedientiæ, abnegatio sui, et supportatio cujuslibet adversitatis pro amore Christi. » Et paulo post : « Veniet, quando unum diem seu horam pro emendatione desiderabis, et nescio an impetrabis : dum tempus habes, congrega tibi divitias immortales; præter salutem tuam nihil cogites, solum quæ Dei sunt cures, serva te tanquam peregrinum et hospitem super terram; serva cor liberum, et sursum ad Deum erectum, quia non habes hic manentem civitatem. » Denique observa illud S. Hieronymi : « Sic stude tanquam semper victurus, sic vive tanquam semper moriturus. »

5. APERIENTUR OCULI VESTRI. — Hinc putant aliqui apud Abulensem in cap. XIII, quæst. 492, Adam et Evam non habuisse oculos apertos, sed fuisse cæcos, donec comederunt pomum vetitum : tunc enim aperti sunt oculi amborum, et viderunt se esse nudos, vers. 7. Verum hoc repugnat felicitati status innocentiæ, in qua conditi sunt Adam et Eva. Dico ergo, oculus hic mentis, non corporis intelligitur : nam, ut ait Aristoteles, I *Ethicor.*, « intellectus est quidam oculus, » præsertim quia oculus ac visus, præ cæteris sensibus, subservit intellectui ad cognitionem : ex visis enim oriuntur memoriæ, ex memoria experientia, ex experimentis ars vel scientia : itaque sensus est, *q. d.* Adeo clari ingenii, et perspicacis intelligentiæ efficiemini, ut videamini vobis prius cæci fuisse. Ita Rupertus, quem vide lib. III *De Trinit.* cap. VII et VIII. Vers. 5.

ERITIS SICUT DII, — non essentia, hoc enim est impossibile; sed similitudine quadam sapientiæ et omniscientiæ, ut sequitur. Quare perperam aliqui sic explicant : eritis sicut angeli, non enim ad angelicam, sed ad divinam similitudinem ambiendam excitati sunt. Hoc est enim quod ait Deus vers. 22 : « Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est. »

Quæres, quodnam fuerit primum Evæ peccatum? Respondet Rupertus, Hugo et Magister in II, distinct. XXI, primum Evæ peccatum fuisse, quod τὸ *forte* quasi dubitans addiderit præcepto Dei dicens : « Ne forte moriamur. » *Secundo* S. Ambrosius, quod addiderit τὸ *ne tangeremus*; *tertio* S. Chrysostomus, quod cum serpente et diabolo sermonem miscuerit. Sed hæc parum probabilia videntur. Nec enim primum hominis peccatum fuit in intellectu, sed in affectu. Nam ante peccatum homo errare, aut decipi non poterat; hinc D. Thomas, *Quæst.* I II, LXXXIX, art. 3, addit hominem in eo statu non potuisse peccare venialiter, idque ex Dei speciali protectione : nec enim peccatum veniale auferre potest gratiam; nec rursum consistere potest cum perfectissimo illo justitiæ originalis statu.

Primum Evæ peccatum fuit superbia, et unde?

Dico ergo : Primum Evæ, uti et Adæ postea, peccatum fuit superbia; patet hoc *Eccli.* X, 14; *Tobiæ* IV, 14; idque indicant hic Hebræa; et Septuaginta, vers. 6, nimirum Eva et Adam audientes : « Eritis sicut dii, scientes bonum et malum, » invitati sunt ad suam excellentiam intuendam, augendam et extollendam : itaque ad seipsos conversi intumuerunt, ut a Deo recesserit cor eorum, et tandem omniscientiam quamdamque divinitatis æqualitatem appetierint, uti fecit et Lucifer. Unde hoc illis objecit Deus vers. 22, dicens : « Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum. » Ita S. Ambrosius, lib. IV *in Luc.*; S. Ignatius, epist. *ad Trallianos*; Chrysostomus in I *Tim.* II, 14; Augustinus, lib. XI *De Gen. ad litt.* cap. V, et lib. XVI *De Civit.* cap. XIII, ubi docet amorem excellentiæ ita innatum et inten-

sum esse in natura rationali integra et perfecta, ut hic amor quasi primus sit in homine, qui hominem incitet ad alia quævis prosequenda, hoc fine ut excellat. Et S. Bernardus : Ambo, inquit, scilicet diabolus et homo, affectarunt altitudinem; ille potentiæ, iste scientiæ.

Quam omniscientiam appetiit Eva?

Dico *secundo* : Hæc superba appetentia omniscientiæ divinæ videtur in eo sita fuisse, quod appetierint, ut ait Scriptura, scire bonum et malum, ut scilicet per seipsum, ac virtute naturæ suæ et ingenii, possent in omnibus se dirigere discernendo et eligendo quod bonum est, atque cavendo quod malum est : itaque possent se dirigere sua scientia, suopte marte, suis viribus ad bene beateque vivendum, atque plenam felicitatem assequendam, quasi dii quidam essent, qui a nemine, ne a Deo quidem, dirigi vel adjuvari deberent, uti fecit et Lucifer. Ita S. Thomas II III, *Quæst.* CLXIII, art. 2 : licet enim speculative sciret Adam, se a Deo pendere et illuminari debere, aliterque fieri non posse, tamen practice per superbiam ita se gessit, ita hanc omniscientiæ et divinitatis similitudinem appetiit, ac si revera sine Deo, per se suasque vires ea potiri posset : superbia enim sensim intumescens excæcat et dementat mentem.

Quinque Evæ peccata.

Dico *tertio* : Ex hac superbia mox secuta est impatientia et indignatio animi indignantis se hoc præcepto constringi, et a pomo tam nobili arceri; deinde curiositas; mox concupiscentia gulæ, ut dicitur vers. 6; denique error in intellectu : credidit enim tam Eva, quam Adam verbis serpentis promittentis omniscientiam et immortalitatem, si ex arbore vetita comederent : indeque tandem prosiliit ad perfectam inobedientiam, et præcepti transgressionem, puta ad realem comestionem. Unde

Adam quoque credidit serpenti.

Dico *quarto* : Non tantum Eva, sed et Adam superbia excæcatus credidit verbis serpentis : « Eritis sicut dii, scientes bonum et malum; » ideoque fidem amisit. Prior pars patet, quia hoc Deus illi improperat, dicens : « Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum. » Hæc enim verba ironice dicta significant quid Adam ex gustato pomo juxta promissa serpentis speraverit, nec tamen sit consecutus. Unde Adamum a serpente, per Evam serpentis promissa referentem, esse deceptum, ejusque verbis fidem habuisse; docent S. Ignatius *ad Trallianos*, Irenæus, lib. III, cap. XXXVII; Hilarius in *Matth.* III; Epiphanius, *hæres.* 39; Ambrosius, in cap. X *Lucæ*; Cyrillus, lib. III *contra Julianum*; Augustinus, lib. XI *De Gen. ad litt.* XXI et XXIV, et lib. IV *De Civit.* cap. VII.

Adam amisit fidem.

Unde patet et pars posterior conclusionis; hoc enim ipse quo Adam credidit diabolo, promittenti ex pomo vetito divinam omniscientiam, quodque non moreretur, aversus est, et discredidit Deo comminanti ac dicenti : « In quacumque die comederis, morte morieris. » Fuit ergo infidelis; ergo non tantum gratiam, sed et fidem in Deum amisit. Ita S. Augustinus, lib. I *Contra Julianum*, cap. III.

Dices : Quomodo ergo Apostolus I *ad Timoth.* cap. II, ait Adam non esse seductum, sed Evam?

Respondeo, quia Eva seducta fuit a serpente, volente eam seducere, ut ederet pomum; Adam vero non a serpente deceptus, sed tantum illectus fuit ab uxore, quæ eum non intendebat decipere : de quo plura I *Tim.* II, 14.

SICUT DII SCIENTES BONUM ET MALUM. — Dei prima perfectio, homini appetibilis et imitabilis, est scientia. « Nil est per quod magis diis assimilemur, quam per ipsum scire, » ait Cicero : unde et Horatius loquens de Deo, sic ait :

> Unde nil majus generatur ipso,
> Nec viget quidquam simile, aut secundum;
> Proximos illi tamen occupavit
> Pallas honores.

Et Damasius : « Pervigil, ait, Dei oculus simplici intuitu præterita, præsentia, futura præsentialiter cognoscit. » Et Boetius : Deus, ait, « quæ sunt; quæque fuerunt, uno mentis cernit in ictu. Quem, quia respicit omnia solus, verum possis dicere solem. » Hinc angeli Deo proximi pollent intellectu, indeque vocantur intelligentiæ; quinimo dæmones græce vocantur, quasi scientes vel sapientes : naturales enim dotes, etiam post lapsum, in illis manserunt integræ, teste S. Dionysio. Hinc homines naturali appetitu scire desiderant, ait Aristoteles. Audi Quintilianum lib. I *Institut.* : « Sicut aves, inquit, ad volatum, equi ad cursum, ad sævitiam feræ gignuntur, ita nobis propria est mentis agitatio atque solertia; unde origo animi cœlestis creditur. Hebetes vero et indociles, non tam secundum naturam hominis eduntur, quam prodigiosa sunt corpora, et monstris insignia. »

Ratio est, quia hominis naturalis operatio est ratiocinari, discurrere, intelligere; qua a bestiis et saxis homo distinguitur. Hinc Diogenes ridens quemdam divitem ignarum sedere super lapidem : « Apte, ait, lapis sedet super lapidem. » Solon rogatus quid esset dives indoctus? respondit : Est ovis habens aureum vellus. Stulti ergo sunt, qui sapientiam et doctrinam despiciunt, *Prov.* I, 22; hi enim dicunt : « Malo guttam fortunæ, quam vas sapientiæ. » Sapientes vero dicunt cum Salomone, *Sapient.* VII, 8 : « Præposui illam (sapientiam) regnis et sedibus, et divitias nihil esse duxi in comparatione illius : omne aurum in comparatione illius est arena exigua; » et *Prov.* cap. VIII, 11 : « Melior est sapientia cunctis opibus pretiosissimis, et omne desiderabile ei non potest comparari. » Sicut enim sensus gaudet objecto suo sensili, sic intellectus gaudet scibili et scientia; æque ac voluntas bono et virtute. Verum in Adamo, uti et in multis ejus posteris, nimius fuit hic sciendi amor.

SCIENTES BONUM ET MALUM, — quia per experientiam scietis quantum malum sit inobedientia, et consequenter quantum bonum sit obedientia: ita aliqui : quasi verum hic dixerit dæmon, suaque hac stropha illuserit Evæ, quæ amplius quid hic sibi promitti putabat. Verum dico esse hebraismum : scietis bonum et malum, id est, scietis omnia quæcumque bona sunt vel mala, vera vel falsa, necessaria vel contingentia, ut discernere possitis quid utile sit, quid inutile; quid agendum, quid fugiendum in rebus omnibus.

Vers. 6. 6. VIDIT IGITUR MULIER. — Prius viderat, sed sine concupiscentia comedendi; jam post tentationem elata in superbiam, videt illud ad concupiscendum et comedendum. Vidit ergo, id est curiosius, et cum voluptate illecebrosa illud intuita est, ac morose consideravit.

Ex τῷ *igitur* patet Evam, post verba serpentis, non ante peccasse. Perperam ergo Rupertus censet eam ante peccasse sponte superbiendo, et interius concupiscendo pomum vetitum; diabolum deinde accessisse, ut eam ad peccatum opere externo consummandum impelleret.

BONUM, — suave, sapidum et gratum esset palato ad vescendum : color roseus pomorum et cerasorum index est saporis, gulamque irritat.

ASPECTUQUE DELECTABILE. — Hebraice, ונחמד להשכיל *venechmad lehaskil,* id est concupiscibile ad intelligendum; quod Hebræi exponunt, concupiscibile ad scientiam et prudentiam comparandam. De eo enim dixerat serpens : « Eritis sicut dii, scientes bonum et malum. » Verum, quia Eva hoc videre nequibat oculis corporeis; de quibus τὸ *vidit* hic accipi patet ex duobus membris præcedentibus : hinc *secundo*, melius noster Interpres, Chaldæus et Vatablus vertunt, *concupiscibile ad contemplandum,* quod scilicet sua forma et pulchritudine (unde et Septuaginta vertunt ὡραῖον, id est *speciosum*) Evam quasi detineret in moroso sui intuitu et contemplatione.

Vide de curiositate et custodia oculorum S. Gregorium XXI *Moral.* II. Audi et S. Bernardum, *De Gradibus humilitatis,* in primo, qui est curiositas: « Serva, o Eva, commissum, exspecta promissum, cave prohibitum, ne perdas concessum. Quid tuam mortem tam intente intueris? quid illo tam crebro vagantia lumina jacis? quid spectare libet, quod manducare non licet? Oculos, inquis, tendo, non manum : non est interdictum ne videam, sed ne comedam. Hoc etsi culpa non est, culpæ tamen indicium est; te enim intenta ad aliud, latenter interim in cor tuum serpens illabitur, blande alloquitur; blanditiis rationem, mendaciis timorem compescit : Nequaquam, inquiens, morieris; auget curam, dum incitat gulam; acuit curiositatem, dum suggerit cupiditatem; offert tandem prohibitum, et aufert concessum; porrigit pomum, et surripit paradisum; haurit virus peritura, et perituros paritura. »

DEDITQUE VIRO SUO, — narrans illi quæcumque diabolus promiserat, ac jubens eum securum esse a metu mortis, cum eam quæ comederat superstitem videret: ita cito decepta cito decepit virum. Adam enim hisce auditis in superbiam elatus, appetensque omniscientiam conjugi consensit, et comedit ex ligno vetito. Sic a « muliere factum est initium peccati, et per illam omnes morimur, » *Eccli.* XXV, 33. Addit S. Augustinus, lib. XIV *De Civit.* cap. XI, Adamum, eo quod non esset expertus Dei severitatem, putasse veniale esse hoc suum peccatum, facileque se illius veniam a Deo impetraturum.

Discant hic viri, mulieres esse periculosas illecebras et suave venenum, cum suis concupitis et concupiscentiis indulgent, quibus se et viros perdunt : iis ergo viriliter se opponant et resistant. « Memento semper quod paradisi colonum de possessione sua mulier ejecerit, » ait S. Hieronymus, epist. *ad Nepotianum.* Morale, ne viri sequantur concupiscentiam feminarum.

Ita fecit Saturus, Hunerici regis procurator, qui ad arianismum sollicitatus abnuit; mox uxor timens familiæ eversionem, adductis liberis ad genua mariti advolvitur, perque omnia sacra obtestatur, misereatur sui, et pendentis a lacte matris filiolæ aliorumque pignorum : Deum condonaturum quod invitus ipse fecerit, cum alii idipsum fecerint voluntarii. Tum ipse cum S. Job ei respondit : « Tanquam una ex insipientibus mulieribus loqueris : reformidarem ista, mulier, si tantum hujus vitæ dulcedo esset futura amara, in amissione rerum nostrarum; imo si tu vere diligeres maritum, nunquam eum tuis insidiosis blanditiis, in secundæ mortis exitium præcipitare conareris. Age, distrahant liberos, auferant uxorem, diripiant facultates. Ego Domini promissionum plane securus, verba in mente fixa tenebo: Si quis non reliquerit uxorem, liberos, agrum, aut domum, meus non poterit esse discipulus. » Uxor discedit : Saturus spoliatus omnibus, et multis suppliciis debilitatus, mendicus demum relinquitur. Testis est Victor Uticensis in *Persecut. Wandal.* Pari modo Thomas Morus uxori suæ restitit, Deique offensam offensæ regis, et eversioni familiæ suæ prætulit.

QUI COMEDIT. — Notat Pererius octo peccata Adæ : *primum* fuit superbia; *secundum,* nimius amor placendi uxori suæ; *tertium,* curiositas; *quartum,* incredulitas : quasi Deus mortem figurate, vel comminatorie, non autem absolute intentasset violanti legem; *quintum,* præsumptio : quasi hæc legis violatio tantum esset leve et veniale peccatum; *sextum,* gula; *septimum,* inobedientia; *octavum,* excusatio, de qua S. Augustinus, serm. 19 *De Sanctis* : « Si Adam, ait, se non excusasset, a paradiso non exulasset; » ac consequenter comedisset de ligno vitæ : ergo et immortalitatem et justitiam originalem (hæc enim connexa sunt) recuperasset. Verum contraria sententia, ut docet Pererius, est verior. Adam enim mox ut peccavit, ante omnem sui excusationem, Octo peccata Adæ.

incurrit absolutam sententiam mortis. Nam, cap. II, vers. 17, ea lata fuit absolute : « In quacumque, ait, die comederis ex eo, morte morieris, » id est, certissime morieris.

Hebræa et Septuaginta addunt *secum*, scilicet Eva pomum dedit viro, ut secum una vesceretur ; videtur ergo Eva bis comedisse, semel sola, secundo cum Adamo, ut eum ad esum pelliceret et in esu se sociam præberet. Unde Septuaginta habent, et *comederunt*, et Chaldæus, *comedit*. (scilicet Adam) cum ea.

Uter gravius peccarit, Adam an Eva?

Quæres, uter gravius peccaverit, Adam an Eva? Respondet D. Thomas II II, *Quæst.* CLXIII, art. 4, si peccatum in se spectes, gravius peccasse Evam, tum quia prior peccavit, tum quia Adamum ad peccatum induxit, itaque se, et ipsum nosque omnes perdidit. Si tamen circumstantiam personæ spectes, gravius peccasse Adamum, tum quia perfectior erat et prudentior quam Eva, tum quia Adam immediate a Deo acceperat hoc præceptum, Eva vero mediate tantum, scilicet per Adamum.

Vers. 7. Quomodo aperti sint oculi Adæ?

7. ET APERTI SUNT OCULI AMBORUM, — *q. d.* Gratiæ et justitiæ originalis tegumento per peccatum spoliati, adverterunt suam nuditatem, confusionem et verecundiam, ex eo quod sentirent in se motus concupiscentiæ rebelles rationi, præsertim libidinis ad invicem. Hi enim motus inhonesti ita pudore afficiunt hominem, ut ipsa membra sua, in quibus hæc concupiscentia regnat, tegat et abscondat : indeque *tertio*, adverterunt quantum bonum justitiæ originalis amiserant, et in quantum peccatum ac malum ceciderant ; *quarto*, cognoverunt Deum, Deique sententiam esse veracem ; serpentem vero et dæmonem esse mandacem in promissis sibi factis. Ita S. Chrysostomus, Rupertus et S. Augustinus, lib. XIV *De Civit.* XVII.

Ex hoc loco colligitur quod Eva per peccatum spoliata gratia, non adverterit suam confusionem et nuditatem, donec Adamum ad idem peccatum induxit, idque quia brevis mora intercessit inter utriusque peccatum, qua Eva tota occupata suis pomi deliciis, utque eas viro suo offerret et persuaderet, non reflectebat ad suam miseriam et nuditatem ; aut certe, ut vult Franciscus Aretinus, Eva non fuit spoliata justitia originali, quatenus ea fuit gratia gratis data, nec sensit motus concupiscentiæ et nuditatem suam, donec Adam peccavit : tunc enim totum hocce primævum inobedientiæ peccatum consummatum fuit, tuncque uterque ex decreto Dei justitia originali spoliatus est, indeque erubuit. Si enim Eva ea spoliata fuisset mox ut peccavit, erubuisset de sua nuditate, nec ausa fuisset nuda ire ad virum, sed præ verecundia latebras aut vestem quæsisset, uti fecit mox ut Adam peccavit.

Cur ex nuditate naturaliter sequatur verecundia, vide apud S. Cyprianum serm. *De Ratione circumcisionis*.

Hinc S. Augustinus, serm. 77 *De Tempore*, docet gulam esse matrem libidinis, sicut abstinentia mater est castitatis. « Adam, ait, non nisi intemperantia provocante Evam cognovit : quamdiu enim in illis mansit temperata parcitas, mansit et impolluta virginitas ; et quamdiu jejunarunt ab interdictis epulis, tamdiu et a pudendis jejunarunt peccatis. Fames enim amica virginitatis est, inimica lasciviæ ; saturitas vero castitatem prodit, nutrit illecebram. » Addit ibidem S. Augustinus, hac de causa Christum jejunasse et esuriisse in deserto, ut suo jejunio purgaret gulam et libidinem Adæ, ipsumque et nos immortalitati, quam per gulam ejus perdidimus, restitueret.

Quæ perizomata?

FECERUNT SIBI PERIZOMATA, — id est cingula ad ventrem, puta lumbaria, seu ventralia subligacula, ut scilicet tegerent partes inhonestas : cætero enim corpore manserunt nudi, sicut ipse Adam ait Deo vers. 10, uti faciunt jam Brasilii, Cafres, aliique Indi. Putat S. Irenæus, lib. III, cap. XXXVII, eos ex ficu hæc fecisse, in signum pœnitentiæ, et quasi cilicium sibi aptasse ; nam folia ficus pungunt et stimulant. Vide et S. Ambrosium, lib. *De Paradiso*, cap. XIII.

Vers. 8. Vox Dei deambulantis fuit fragor arborum.

8. ET CUM AUDISSENT VOCEM DOMINI, — puta terribilem strepitum et fragorem ex concussione arborum a Deo excitatum ; nam quasi ad vestigia Dei venientis a longe et per arbores gradientis arbores concutiebantur : erat enim vox hæc Dei deambulantis in paradiso, ut ait Moses. Cajetanus tamen vocem intelligit non arborum, sed loquentis et irati Dei, ac, ut vult Abulensis, dicentis : « Adam, ubi es (1) ? »

Porro agnovit Adam hanc esse Dei vocem, *primo*, quia jam ante cum Deo collocutus, vocem solitam Dei agnovit ; *secundo*, quia hæc vox erat ingens et terribilis, dignaque Deo : licet enim per angelum efformata esset, tamen Deum referebat : vide *Can.* 16 ; *tertio*, quia Adam sciebat nullum alium esse hominem, qui hanc vocem excitaret ; *quarto*, quia conscientia peccati, ipseque Deus menti ejus suggerebant hanc Dei vindicis esse vocem.

AD AURAM POST MERIDIEM, — puta inclinante die, quando aspirare solent lenes zephyri, et aura ab hominibus diurno æstu fatigatis captari. Ita ex Symmacho, Aquila et Theodotione S. Hieronymus in *Quæst. hebraic.* Apparuit enim hic Deus, aut potius angelus vice Dei quasi homo, et hominis specie deambulans in paradiso (2).

(1) Nomen קול ambiguum est : *vocem* enim loquentis, et *strepitum* quemvis significat. Quum autem nulla Dei referantur verba, quibus eum adventare intellexerunt primi parentes, antequam Adamum nomine appellaret, videtur hic designari strepitus nescio quis Dei adventantis prænuntius. Sic I *Reg.* XIX, 12, *sonus tenuis et lenis* Deum adesse significat. Ex *sonitu* quasi gressus in mororum cacuminibus Deum adesse intellexit etiam David II *Sam.* V, 24.

(2) רוח היום, *spiramentum*, sive respiramentum diei est *vespera*. Cf. *Cant.* II, 16. Etenim in Orientis regionibus aliquot horis ante solis occasum ventus oritur.

Adde, « ad auram, » quia aura sive ventus (flabat enim ex ea parte qua adventans Deus gradiebatur) faciebat audiri sonitum Dei eminus, ut Adam majori Dei metu percelleretur, tempusque haberet latebras quærendi. Ita Franciscus Aretinensis.

Quinque effectus peccati.

Nota τὸ *post meridiem* : Illud enim, inquit Irenæus lib. V, significat quod Christus ad mundi vesperam venturus esset, ad redimendum Adam ejusque posteros.

Tropologiam, quot modis nobis Deus loquatur, vide apud S. Gregorium lib. XXVIII *Moral.* cap. II et III.

ABSCONDIT SE IN MEDIO LIGNI, — id est lignorum, puta inter arbores densissimas paradisi. Est enallage.

Nota hic cum Pererio quinque peccati fructus et effectus : *primus* est, quod aperti sint oculi; *secundus,* est nuditas; *tertius,* pudor et confusio; *quartus,* est vermis conscientiæ; *quintus,* est pavor et metus divini judicii. Vere S. Bernardus : « In peccato, ait, transit jucunditas non reditura, manet anxietas non relictura; » quin et Musonius apud Gellium : « Cum quis, ait, per voluptatem aliquid turpe gessit, quod suave est abit, quod turpe et triste est manet. » E contrario in labore virtutum, quod durum et triste est abit, quod suave et lætum est manet.

Vers. 9. 9. UBI ES? — *q. d.* In alio loco te, o Adam, reliqui, in alio te invenio : gloria te vestiveram, gloriose coram me incedebas, nunc nudum te video et latebras quærentem; unde hoc tibi accidit? quis in tantam te induxit vicissitudinem? quis fur vel latro te omnibus tuis dotibus spolians, in tantam inopiam te redegit? ubi nuditatis sensus, ubi confusio hæc tibi contigit? cur fugis, cur erubescis? cur lates? cur paves? num astat qui te accuset? num premunt testes? unde tanta formido te invasit? ubi jam sunt illa tam magnifica serpentis promissa? ubi est prima illa tua mentis tranquillitas? ubi securitas animi? ubi pax et fiducia conscientiæ? ubi omnis illa tantorum bonorum possessio, malorumque omnium vacuitas? Ita S. Ambrosius, lib. *De Paradiso,* cap. XIV. «Ubi est, ait, tua bene sibi conscia confidentia? timor iste culpam fatetur, latebra prævaricationem : ubi es ergo? non in quo loco, quæro, sed in quo statu? quo te deduxerunt peccata tua, ut fugias Deum tuum quem ante quærebas? »

Vers. 10. 10. TIMUI, EO QUOD NUDUS ESSEM. — « Timui, » id est, *erubui,* verecundatus sum in conspectum tuum venire; nam hisce ficus foliis sola pudenda ægre contexi, cætero corpore adhuc sum nudus. « Et, » id est ideo (Hebræum enim *vaf,* id est *et,* sæpe est causale), « abscondi me. » Sic timor sæpe sumitur pro pudore, adeoque timor vel metus reverentiæ vocatur ipse pudor et reverentia, ut dixi *Hebr.* XII, 28.

Vers. 11. 11. QUIS ENIM. — Vox *enim* non est in Hebræo, nec est causalis, sed emphatica, idemque valet quod enim vero, sed enim, atqui. Instat enim et urget hic Deus Adamum, ut suæ nuditatis causam et culpam agnoscat.

Vers. 12. 12. MULIER QUAM DEDISTI MIHI SOCIAM. — Justus in principio accusator est sui : nobis Adam jam post peccatum concupiscentia, superbia et sui amore plenus, præit quærere excusationes in peccatis : deinde culpam in uxorem se pellicientem, quin et in ipsum Deum, qui talem dedit uxorem, derivat.

Vers. 14. 14. ET AIT DOMINUS DEUS AD SERPENTEM, — qui præsens erat coram Deo, Adamo et Eva : licet enim post tentationem dæmon reliquisset serpentem, isque huc illucque reptaret; tamen Dei nutu directus fuit ad locum, in quo Adam e latebris a Deo evocatus, coram Deo prodiit; præsertim, quia locus tentationis serpentis, a loco latebrarum Adæ non multum distabat : mox enim ut Adam tentatus lapsus est, vestes et vicinas latebras quæsivit.

QUIA FECISTI HOC, MALEDICTUS ES INTER OMNIA ANIMANTIA. — Convertit se Deus ad primum et certum mali auctorem, malesuadum anguem, eique maledicit.

Quomodo serpens maledictus? Primo.

Nota *primo,* per serpentem hic ad litteram accipi tum verum serpentem, ut vult S. Ephrem, Barcepha, Tostatus et Pererius; tum diabolum, qui erat motor, locutor et quasi anima serpentis.

Secundo.

Unde *secundo,* hæ omnes pœnæ ad litteram aliquo modo conveniunt serpenti, quia ipse diaboli fuit organum, et ruinæ hominum instrumentum : quædam tamen magis competunt diabolo. De diabolo enim accipiunt hæc omnes veteres.

Tertio.

Tertio, serpens est maledictus, quia abominabilis, horridus, venenatus et noxius est præ omnibus animalibus, præsertim homini, cum quo post peccatum naturalem habet antipathiam.

Quarto.

Quarto, licet ante tentationem Evæ serpens non erectus (ut vult S. Basilius, homil. *De Parad.,* et Dydimus in *Catena Lipomani*), sed super pectus graderetur reptando per cavernas, terramque comederet : utrumque enim ei est naturale; tamen non erat tunc abominabilis, nec infamis; sed suus ei inter bestias erat locus et dignitas. Post tentationem vero et supplantationem Evæ, factus est serpens invisus, infamis, abominabilis homini; atque reptare, lucem et homines fugere, antra sequi, terram comedere (1), quæ prius ei erant naturalia, jam eidem confirmata sunt in

auras refrigerans, qui per totam noctem flare solet. Cf. Chardin, *Voyages en Perse,* tom. III, p. 282.

(1) Non quod vescatur solo pulvere, sed quia, cum humi repat, non potest quin pulverem in os cum aliis cibis simul ingerat. Ita David in luctu queritur, se comedisse cinerem sicut panem, *Ps.* CII, 10, quia pronus in cinere jacens, pane in terram projecto vescebatur.

pœnam, et ordinata in infamiam : cur enim quæso serpenti in quo non erat culpa, naturalia dona tollerentur, quæ nec dæmonibus propter peccatum ablata fuerunt? Sic mors homini, et humano corpori ex elementis contrariis composito, est quasi naturalis, sed post ejus peccatum cœpit illi esse pœna peccati. Sic iris ante naturalis, post diluvium, cœpit esse signum pacti inter Noe, hominesque et Deum initi, *Genes.* IX, 16.

Quinto. *Quinto,* congrua et justa fuit hæc pœna serpentis, scilicet in amicitiam et familiaritatem hominis conatus fuit anguis irrepere : ideo fit illi odium et execratio; erexerat anguem diabolus, ut cum femina misceret colloquium : ideo jubetur in solo repere; persuaserat esum pomi : ideo ad esum terræ damnatur; in os feminam erat intuitus : ideo nunc calcaneum intuetur, eisque insidiatur, ait Delrio.

exto. *Sexto,* symbolice hæc competunt dæmoni. Nam, ut ait Rupertus lib. III *De Trinitate,* cap. XVIII, dæmon super pectus graditur, quia jam non cœlestia, ut olim cum esset angelus, sed terrena, imo infernalia semper cogitat, atque terra, id est homines qui terrena sapiunt, sunt cibus et pabulum ejus jam post peccatum Adæ. Hos enim ipse in terra ventre repere, id est gulæ et luxuriæ totos vacare docet. Ita S. Gregorius, lib. XXI *Moral.* cap. II. Rursum S. Augustinus, lib. II *De Genesi contra Manichæos,* cap. XVII; Beda, Rupertus, Hugo, Cajetanus : Super pectus, inquiunt, et super ventrem graditur dæmon, quia duabus viis homines adoritur et seducit : *primo,* per superbiam, quæ figuratur pectore; *secundo,* per libidinem, quæ adumbratur ventre; in pectore enim est vis irascibilis, in ventre concupiscibilis, quos appetitus commovet et accendit dæmon, iisque homines ad gravissima impellit.

Vers. 15. 15. INIMICITIAS PONAM INTER TE ET MULIEREM (1). — Quia enim Deus hominem ob peccatum dominio in bestias privavit, hinc serpens homini cœpit esse noxius et lethalis; et vicissim homo cœpit esse serpenticida, cum ante peccatum nec antipathia, nec horror, nec odium, nec nocendi studium fuisset inter hominem et serpentem. Tradit Aristoteles salivam hominis cruciare serpentem, et, si tangat fauces (quibus Evam tentavit), eum occidere (2).

IPSA CONTERET CAPUT TUUM. — Triplex est hic lectio. *Prima* est codicum Hebræorum qui habent : «Ipsum,» scilicet semen, «conteret caput tuum;» et ita legit S. Leo, et ex eo Lipomanus. *Secunda* est : «Ipse (scilicet homo vel Christus) conteret caput tuum : » ita Septuaginta et Chaldaica. *Tertia* est : « Ipsa conteret caput tuum. » Ita Biblia romana et omnia pene latina legunt cum S. Augustino, Chrysostomo, Ambrosio, Gregorio, Beda, Alcuino, Bernardo, Eucherio, Ruperto et aliis. Accedunt quædam exemplaria Hebræa, quæ pro הוא legunt הוּא vel הִיא, cum *chirich* parvo vel magno. Adde הוּא *hu* sæpe poni pro הִיא *hi*, præsertim cum emphasis est, et virile aliquid feminæ tribuitur; uti hic est contritio capitis serpentis. Exempla sunt hic vers. 12 et 20. *Genes.* XVII, 14, *Genes.* XXIV, 44, *Genes.* XXXVIII, 21 et 25. Nec obstat verbum masculinum יְשׁוּפְךָ *iascuph*, id est conteret; est enim crebra enallage generis in Hebræo : ut masculinum ponatur pro feminino, et contra, præsertim si causa et mysterium aliquod subsit, sicut hic subest, uti jam dicam. Ergo *hi iascuph* ponitur pro *hi tascuph.* Sic cap. II, 23, dicitur יִקָּרֵא אִשָּׁה *iickare issa*, pro תִּקָּרֵא אִשָּׁה *tickare issa.* Unde et Josephus lib. I, cap. III, ita legit, uti noster Interpres habet; habet enim : « Præcepit ut mulier capiti ejus plagas inferret,» ut vertit Ruffinus. Ex quo patet olim αὐτή, id est *ipsa,* legisse Josephum, sed hæreticos typographos vocem γυνή ex eo jam sustulisse (3).

Vera lectio est, *ipsa conteret.*

(1) Deus sententiam ferens in serpentem, qui Hevam deceperat, illa simul protulit verba, quæ, quum futura generis humani redemptio iis primum fuerit prænuntiata, *protoevangelium* nomen sortita sunt.

Protoevangelium egregie interpretati sunt Thomas Sherlock Anglicanus, in suo libello anglico, cui titulum fecit *De Usu deque finibus prophetiarum;* Patritius, op. cit. tom. II, Quæst. IV; Meignan, op. cit. pag. 238 seqq.

(2) « *Et inter semen tuum et inter semen ejus.* Hæc primo produnt satis manifeste superiora verba nec de universo serpentum genere, nec de omnibus mulieribus dicta esse posse. Præterea *semen mulieris* non universum genus humanum hic significat, sed virum unum, ut alias quoque, II *Sam.* VII, 12, 13; I *Par.* XVII, 11, 12. Nunquam enim nominum genus hac appellatione vocatum reperimus apud scriptores sacros, sed potius *natos mulierum, Job* XIV, 1; XV, 14; XXV, 4; *Eccli.* X, 22; *Matth.* XI, 11; *Luc.* VII, 28; unus tamen aliquis alicujus feminæ filius *semen ejus* vocatus ab illis est, *Gen.* IV, 25; I *Sam.* I, 11. Quumque collectivum est nomen istud, si pronomen aliquod sequatur, sive primitivum sive possessivum, quod ad ipsum nomen pertineat, pronomen hoc plurali numero semper effertur; in hac autem sententia pronomen הוּא, *ipse,* nomini illi subditur. Demum si quæras, cur is, de quo sermo est, non *viri,* sed *mulieris* semen nominetur, num potiorem rationem excogites, quam quod ille foret, quem virgo una esset paritura? » Hæc Patritius, loco citato. Quanquam per *semen mulieris* hic intelligi puto, non modo Christum, sed omnes ejus asseclas, quorum Christus est caput; quemadmodum per *semen tuum,* id est diaboli, designantur omnes improbi homines. Cf. *Joan.* VIII, 14; *Act.* XIII, 10; I *Joan.* III, 8, 10.

(3) « Auctoritates alicujus momenti, quæ certo suffragentur interpreti Vulgato pro hebraico הוּא pronomen femininum *ipsa* reddenti, paucas habemus. Sunt vero testimonia Ambrosii, *De Fuga sæculi,* cap. VII, § 43, Augustini passim, Gregorii, *in Job* lib. I, cap. XXXVI, § 53, aliorumque Patrum Latinorum *sequioris* ætatis; item vetus interpretatio Flavii Josephi, *Antiq.* lib. I, cap. III, § 4, Ruffino male tributa, quæ tamen hac in re discrepat ab ipso græco exemplari. In veteri quoque interpretatione operum Chrysostomi legimus *ipsa,* etsi ille scripserit αὐτός, *in Genes.* hom. 17, § 7. Moyses Maimonides, quod sane mireris, hæc scripsit : « Sed mirandum magis est, quod serpens cum Eva conjugatur, hoc est, semen illius cum hujus semine, caput et calcaneus, quod *illa* (Eva) vincat ipsum (serpentem) in capite, et ille vin-

Nota *primo*, nullam ex his tribus lectionibus esse rejiciendam; imo omnes sunt veræ : nam cum Deus hic opponat quasi antagonistas, mulierem cum suo semine serpenti cum suo semine, consequenter vult dicere, mulierem cum suo semine contrituram caput serpentis; sicut e contrario serpens tam mulieris quam seminis ejus calcaneo insidiatur. Ideoque videtur Moses hic in Hebræo verbum masculinum cum pronomine feminino permiscuisse, dicens, הוּא יְשׁוּפְךָ *hi iascuph, ipsa conteret*, ut significaret tam mulierem quam semen ejus, adeoque mulierem per semen suum, puta per Christum, contrituram caput serpentis.

Nota *secundo* : Hæc, ut dixi, tam serpenti quam diabolo, qui fuit quasi motor et anima serpentis, ad litteram competunt. Hæc enim antipathia, odium, horror et bellum post peccatum ad litteram esse cœpit inter serpentes et homines, tam viros quam feminas, uti jam experientia patet. Imo Rupertus, lib. III, cap. XX, specialem et notandam adfert experientiam, scilicet quod caput serpentis difficillime gladiis, vectibus et malleis ita conteri possit, ut totum corpus enecetur; si tamen mulier planta nuda dentem serpentis prævenerit, et caput ejus presserit, statim cum capite totum corpus plane interire.

Rursum, hæc ipsa magis Christo et beatæ Virgini contra diabolum pugnanti, etiam ad litteram conveniunt. Mulier enim est Eva, quæ diabolum contrivit quando pœnitentiam egit, vel potius mulier est beata Maria, Evæ filia; semen ejus est Jesus et Christiani; serpens est diabolus, semen ejus sunt infideles, omnesque impii. Ergo B. Maria contrivit serpentem; quia ipsa semper plena et gloriosa fuit victrix diaboli, omnesque hæreses (quæ caput sunt serpentis) in universo mundo contrivit, ut canit Ecclesia; Christus vero perfectissime eum ejusque caput et machinationes contrivit, dum virtute propria in cruce diabolo regnum omne, et spolia sua ademit; atque a Christo tam Eva pœnitens, quam Maria innocens, nos quoque omnes virtutem conterendi diabolum, ejusque semen (id est suggestiones; *secundo*, semen, id est impios homines : horum enim pater et princeps est diabolus) accepimus. Hoc enim est quod dicitur *Psalm.* XC : « Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem. » Et *Luc.* X : « Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, et super scorpiones, et super omnem virtutem inimici. » Et ad *Rom.* XVI : « Deus conterat Satanam sub pedibus vestris velociter. » Ita Theodoretus, Rupertus, Beda hic, Augustinus, lib. XI *De Civit.* cap. XXXVI; Epiphanius, lib. II *Contra Antidicomarianos*, et passim alii Patres.

B. Virgo contrivit caput serpentis.

Apposite S. Chrysostomus, hom. *De interdictione arbor.*, tom. I, Adamo opponit Christum, Evæ B. Mariam, serpenti Gabrielem : « Mors, inquit, per Adam, vita per Christum; Evam serpens seduxit, Maria Gabrieli consensit; sed seductio Evæ attulit mortem, consensus Mariæ peperit sæculo Salvatorem. Restauratur per Mariam, quod per Evam perierat; per Christum redimitur, quod per Adam fuerat captivatum; per Gabrielem promittitur, quod per diabolum fuerat desperatum. »

CONTERET. — Hebraice est יְשׁוּפְךָ *iascuph*, quod R. Abraham vertit, *percutiet*; R. Salomon, *contundet*; Septuaginta vertunt, τειρήσει, id est *conteret*; Philo tamen, lib. II *Allegor.*, cum nonnullis legit τηρήσει, id est *observabit*. Unde et Chaldæus vertit, *ipse observabit tibi quæ fecisti ei a principio, et tu observabis ei in finem*. Proprie Hebræum שׁוּף *scuph* videtur significare subito et quasi ex insidiis ac latebris aliquem percutere, obruere, calcare, conterere, ut patet *Job* IX, 17, et *Psalm.* CXXXVIII, 11; unde et Noster hic mox vertit, *insidiaberis*.

Vide hic quam deliri fuerint et hæretici et idololatræ, dicti Ophitæ, id est serpentini, ab ὄφις, id est serpente, quem colebant, eo quod ipse suggerendo pomum vetitum, principium cognitionis boni et mali fuerit Adæ et posteris ejus : ideoque panem ei offerebant; ritum oblationis refert Epiphanius, *hæres.* 37.

ET TU INSIDIABERIS CALCANEO EJUS. — Hebraice est idem verbum jam dictum *iascuph*, quod Septuaginta paulo ante verterunt, τειρήσει, id est conteret : hic vero vertunt τηρήσεις, id est observabis (scilicet *insidiando ei*), sic enim ex Septuaginta legunt hic Josephus, Philo, S. Hieronymus, Ambrosius, Irenæus, Augustinus et alii. Solent enim proprie serpentes in pratis et silvis latitantes non aperta vi, sed dolis se ulcisci, atque a tergo incautos mordere et percutere in calce, indeque in totum corpus veneno proserpente occidere. Ita Rupertus (1).

cat *ipsam* in calcaneo. » *More nebochim*, P. II, cap. XXX. Duo codices hebraici in bibliotheca Vaticana habent הִיא (apud Kennicott., num. 227, 239). Alius ex bibliotheca Bernardi de Rossi habet הוּא. Item habet codex unus Onkelosi in hac eadem bibliotheca. In Hexaplis editis a Montfauconio adnotatum est : ἄλλος-αὐτή. Cæterum Bellarminus docet nos, « editionem vulgatam varie habere, quosdam codices habere *ipse*, nec esse contra vulgatam editionem, si convincatur debere legi *ipse*, vel *ipsum*. » Hæc Patritius, *ibid.*

(1) Verbum שׁוּף, quod bis occurrit in hac enuntiatione, multimodis versum est ab interpretibus. Omnes tamen istas interpretationes facile revocabis ad duas potissimas, quarum una est *conterere*, seu *conculcare*; altera *latenter observare*, seu *insidias struere*. Vulgatus interpres veluti incertus inter utramque, prius in unam, mox in alteram notionem verbum illud accepit, id tamen toti sententiæ longe accommodatius. Quoad oppositionem inter *caput* et *calcaneum*, eam a natura rei repetit Rosenmullerus : Homo dicitur serpentis *caput* contriturus, quia ab iis qui serpentem occidere volunt, caput potissimum petitur; serpens vero hominis *calcaneum* adpeturus dicitur, quia ab eo conculcatus pedem tantum aut tibiam, imo talum duntaxat morsu adpetere valet. Melius

Pari modo diabolus insidiatur calcaneo, id est per insidias quasi a tergo percutere conatur (significatur enim hic actus percutiendi non perfectus, sed inchoatus, sive conatus, more Hebræo) Christum, beatam Virginem et Christianos; sed non prævalet iis quamdiu ipsi manent semen Christi, puta filii Dei. Adde diabolum reipsa percutere et conterere aliquos ex hoc semine, scilicet fideles eos qui in Ecclesia sunt quasi calcaneus, id est imi, viles et terræ affixi.

Rursum Christi caput est divinitas, calcaneus est humanitas; hanc dum offendit et occidit dæmon, occisus est: tunc enim Christus contrivit caput illius, id est ejus superbiam dejecit, atque omnem ejus impetum prostravit.

Caput serpentis est initium tentationis : calcaneus est finis actionis et vitæ.

Tropologice, S. Gregorius libr. I *Moral.* cap. XXXVIII : « Caput, inquit, serpentis conterimus, cum initia tentationis a corde extirpamus, et tum ipse insidiatur calcaneo nostro, quia finem bonæ actionis callidius et potentius oppugnat. » Et S. Augustinus in *Psal.* XLVIII et CIII : « Si Diabolus, inquit, tuum calcaneum observat, tu caput illius observa. Caput illius est initium malæ suggestionis; quando incipit mala suggerere, tunc repelle, antequam surgat delectatio, et sequatur consensus. Itaque vitabis caput ejus, atque adeo non apprehendet ille calcaneum tuum, » nimirum :

Principiis obsta : sero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.

Et S. Bernardus, ad sororem *De modo bene vivendi*, cap. XXIX : « Caput, inquit, serpentis conteritur, quando ibi culpa emendatur ubi nascitur. » Huc accedit Alcuinus, vel Albinus : Diabolus, inquit, insidiatur calcaneo nostro, quia extremum vitæ nostræ acrius oppugnat. Hac de causa Sancti fini suo timuerunt, tumque fervention Deo servierunt. Ita S. Hilarion in morte timens ait sibi : « Septuaginta fere annos Domino servivisti, et mori times? » Abbas Pambo moriens dixit : « Discedo jam hinc ad Deum meum; sed ita, ut qui hactenus vix incœperim Deum vere et recte colere. » Arsenius : « Da, inquit, Domine, ut vel nunc incipiam pie vivere. » S. Franciscus sub mortem : « Fratres, ait, usque nunc parum profecimus, incipiamus nunc servire Deo; redeamus ad humilitatis et novitiatus primordia; » dixit et fecit, teste S. Bonaventura in ejus Vita. Sic et Antonius : « Hodie, inquit, vos religiosum institutum arripuisse arbitramini. » Et Barlaam ad Josaphat : « Cogita » quotidie « te hodie cœpisse servire Deo, te hodie finiturum. » Agatho sancte vixerat, et tamen dicebat : « Mortem horreo, quia alia sunt judicia Dei, alia hominum. »

Meignan, *ibid.* p. 256 : Voces, *caput* et *calcaneus*, inquit, vatis intentionem ac veluti sententiæ totius consilium indicant. Redemptor conteret *caput* serpentis, id est, plene de eo triumphabit; serpens vero, victus ac contritus, vix pedes victoris lacerare poterit.

Symbolice Philo : Calcaneus, inquit, est ea pars animæ quæ terrenæ adhærescit naturæ, quæque in sensum et voluptates terrenas prona est et labilis; huic, et per hanc menti et voluntati insidiatur dæmon, ideoque Christus discipulorum pedes in ultima cœna lavit ut hoc signum esset, dilutum jam esse maledictum illud calcanei, quo ab ipso rerum primordio serpentis morsibus patebat aditus. Symbolice.

Allegorice, inimicitia hæc inter mulierem et serpentem significat odium et bellum continuum inter Ecclesiam et diabolum, uti docet S. Joannes *Apocal.* cap. XII, vers. 13, et passim Patres : imo aliqui, ut P. Gordonus, *Controvers.* I, capite XVII, litteraliter hic per mulierem intelligunt Ecclesiam, per serpentem diabolum. Verum mulier potius ad litteram mulierem, mystice Ecclesiam significat; unde Apostolus, *Ephes.* cap. V, vers. 32, vocat hoc Sacramentum, sive, ut græce est, mysterium Christi et Ecclesiæ. Allegorice.

16. MULTIPLICABO. — Hebraice הַרְבֵּה אַרְבֶּה *harba arbe*, multiplicando multiplicabo, id est plurimum et certissime multiplicabo. Hæc enim geminatio tam multitudinem, quam certitudinem significat. Vers. 16.

Triplex hic pœna infligitur mulieri ob triplex ejus peccatum. Nam *primo*, quia credidit serpenti dicenti : « Eritis sicut dii, » audit : « Multiplicabo ærumnas tuas et conceptus tuos; » *secundo*, quia gulose pomum vetitum comedit, audit : « In dolore paries; » *tertio*, quia virum seduxit, audit : « Sub viri potestate eris. » Ita Rupertus. Pœna mulieris triplex.

ÆRUMNAS ET CONCEPTUS. — Hoc est, ærumnas conceptuum; est enim hendiadys frequens Hebræis, qualis est illa Poetæ : « Aurum frenosque momordit, » id est, frenos aureos momordit. Ærumnæ hæ, ante conceptum, sunt sordes et fluxus menstrui; in ipso conceptu, defloratio, pudor et dolor; post conceptum, immunditia, fœtor, retentio menstruorum, incontinens appetitus, pondus prolis per novem menses, fastidia spasmi, et plurima pericula, de quibus Aristoteles, lib. VII *De Historia animal.* cap. IV.

IN DOLORE PARIES. — Cum hoc dolore conjunctum est sæpe periculum vitæ, tum matris, tum prolis, idque tam animæ, quam corporis, estque hic dolor tantus, ut illa experta dixerit : « Malle se decies sub armis de vita decernere, quam semel parere. » Dolor hic in muliere major est quam in ullo animali, propter continuarum partium difficiliorem divulsionem, ut docet Aristoteles supra cap. IX. Hunc dolorem mulier in statu innocentiæ Dei beneficio et providentia effugisset. Ecce quam parva voluptas peccati, gutta, inquam, mellis, quantum fel, quantos dolores in Evam omnesque posteros induxit?

SUB VIRI POTESTATE ERIS. — Non ut prius sponte, libens, mira suavitate et concordia, sed sæpe invita, cum summa molestia et repugnantia. Accepit enim hic vir potestatem uxorem coercendi et puniendi.

Ita Molina. Hebraice est : Ad virum תשוקתך *tescukatech*, id est concupiscentia (1), discursus, vel recursus; aut, ut Septuaginta et Chaldæus, conversio tua erit, *q. d.* Quidquid desiderabis, necesse erit ad virum recurras, ut illud impetres et perficias. Proinde si sapis, oculi tui semper os, oculos, nutum et propensionem viri observent, ut illi placeas, morem geras, eumque tibi devincias (2). Si sapis, non aliud appetas, quam quod marito placiturum scies; si pacem et quietem amas, cum marito sentias et consentias; cave ne contra stimulum calcitres. Addit Rupertus : « Sub viri potestate eris. » Adeo, inquit, hoc verum est, ut secundum leges Romanas, Gentiles licet, non licuerit uxori condere testamentum, sine viri auctoritate; et quia sub viri erat manu, capite diminuta dicebatur.

ET IPSE DOMINABITUR TUI. — Dominatus hic viri, si justus et moderatus, legis est naturæ; si imperiosus et tyrannicus, præter naturam est; sed uterque feminæ molestus, et pœna peccati est; ergo contra naturam est, et instar monstri, si femina viro dominari velit.

Vers. 17. 17. QUIA AUDISTI, — quia obedivisti uxori potius quam mihi.

Pœnæ Adæ et terræ. MALEDICTA TERRA IN OPERE TUO. — Nota cum Procopio, Abulensi, Pererio, terram hic a Deo maledici non absolute, sed « in opere tuo, » quia scilicet tibi, o Adam, eam laboranti et sudanti paucos dabit fructus, imo sæpe tribulos et spinas, ut sequitur.

Secundo, licet ante peccatum terra naturaliter spinas quoque et tribulos germinasset (quod licet negent Beda, Rupertus et alii, verius tamen esse ostendi cap. I, vers. 12) : illud tamen ipsum jam factum est pœna hominis peccantis; quia si Adam non peccasset, ex paradisi (in quo amœnitatis loco omnia juvissent et recreassent hominem, nec quidquam fuisset quod eum læderet, ac consequenter in eo non fuissent spinæ) fructibus sine ullo labore vixisset; jam autem laborans ut victum sibi paret, spinas sæpe et carduos metit, quibus non pascitur, sed læditur.

Adde *tertio*, per peccatum hoc Adæ primæva terræ bonitas et fertilitas impedita et imminuta videtur, ideoque crebriores, et pluribus in locis jam germinat tribulos et spinas, quam ante peccatum germinabat; hoc enim factum est Cain peccanti, *Genes.* IV, 12. Sic quoque Israelitis, ob peccata, Deus sæpe per Prophetas minatur cœlum æneum et terram ferream. Sic et hodie sæpe Deus urbes et regna ob peccata sterilitate punit. Unde Chaldæus et Aquila vertunt, *maledicta terra propter te*; et Theodotion, *maledicta terra in transgressione tua* : radix enim עבר *abar* significat transgredi.

Ubi nota *quarto* : Hebræa jam habent בעבורך *baaburecha*, id est *propter te*, uti vertit Chaldæus et Aquila. Noster vero cum Septuaginta (ex quibus patet hanc lectionem esse priscam, indeque veriorem) legit בעבודך *baabodecha*, id est *in opere tuo*. Litteræ enim *res* et *daleth* sunt valde similes, ut ab una in aliam facilis sit lapsus.

Tropologice S. Basilius, homil. *De Paradiso* : « Rosa, inquit, hic spinis est conjuncta, tantum non aperta nos voce contestans, et dicens : Quæ jucunda vobis sunt, o homines, tristibus permixta sunt. Nam vere in humanis ita comparatum est, ut nullum eorum sincerum sit, sed confestim lætitiæ et hilaritati conglutinetur mœstitia, conjugio viduitas, puerorum educationi cura et sollicitudo, fœcunditati aborsus, vitæ splendori ignominia, prosperis successibus dispendia, deliciis satietas, sanitati infirmitas. Florida quidem est rosa, sed mihi tristitiam infligit. Quoties florem hunc video, peccati mei admoneor, propter quod terra ut spinas ac tribulos proferret, condemnata est. »

IN LABORIBUS COMEDES EX EA. — Hebræum עצבון *ittsabon* significat laborem mixtum magnis molestiis, ærumnis et doloribus, qualis est agriculturæ, isque varius, multiplex et continuus, quo tamen omni vix adhuc victum sibi et suis parat homo.

Notat Isidorus Clarius, congrue cuique suas hic pœnas a Deo infligi : nimirum serpens arroganter se erexerat; ideo jubetur repere in terra. Mulier delicias pomi gustarat; ideo parere jubetur in doloribus. Adam ignave cesserat mulieri; ideo in laboribus jubetur victum sibi parare. Hoc est ergo « jugum grave super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium, » *Eccli.* XL, 1. Sub hoc jugo gemimus omnes.

EX EA. — Hebraice comedes *eam*, puta ejus germina et fructus.

18. ET COMEDES HERBAM TERRÆ, — *q. d.* Non delicias et fructus paradisi, non etiam perdices, lepores, carnes assas et elixas, sed simplices et viles herbas terræ comedes, tum temperantiæ, tum pœnitentiæ causa. Hebræi enim herbas terræ vel agri vocant vulgares et viles herbas, quibus bruta æque ac homo vescuntur. Nimirum per peccatum homo factus erat quasi equus et mulus : ergo eodem cum iis cibo vescatur oportet. Vers. 18

Tropologiam vide apud Cassianum, *Collat.* lib. XXIII, cap. XI.

19. QUIA PULVIS ES, ET IN PULVEREM REVERTERIS. —Septuaginta, *quia terra es, et in terram redibis*. Homo ergo post peccatum immedicabili quasi phthisi, puta contrariarum qualitatum pugna et corruptione laborat, quæ eum sensim absumit et enecat. Hebræum עפר *aphar* proprie pulverem significat; sed, ut ante dixi, pulvis hic, ex quo factus est Adam, fuit aqua mixtus, ideoque lutum et limus terræ, unde et in limum cadaver hominis post mortem resolvitur. Quid ergo su- Vers. 19

(1) Ita Rosenmullerus. Maritum tuum, etiam post durissimos istos puerperii dolores, appetes denuo, ejusque συνουσίαν flagranter desiderabis.

(2) Quo sensu *Ps.* CXXIII, 2, *oculi servorum* dicuntur esse *ad heros suos*.

perbis, terra et cinis? Hinc patet mortem homini non esse naturæ conditionem, sed peccati supplicium. Unde acute S. Augustinus in *Sententia* 260 : « Homo, ait, factus erat immortalis : Deus esse voluit; non perdidit quod homo erat, sed perdidit quod immortalis erat, et de inobedientiæ superbia, contracta est pœna naturæ. » Idem patet *Rom.* v, 12, et *Sapient.* II, 23. S. Chrysostomus putat hanc mortis sententiam mitigare illam priorem : « In labore comedes ex ea. » Quam enim hæc pœna nobis sit utilis, docte ostendit Rupertus, lib. III, cap. XXIV et XXV, ubi inter cætera ait, *primo*, « ne malam mortem animæ suæ homo nesciret, et securus usque ad ultimi judicii diluculum in suis voluptatibus dormiret, morte illum carnis percellit Deus, ut saltem ejus instantis metu evigilet; hinc et *secundo*, diem et horam mortis voluit esse incognitam, quæ hominem semper sollicitum, semperque suspensum superbire non sinat. » *Tertio*, ex Plotino docet misericordiæ Dei fuisse, quod hominem fecerit mortalem, ne perpetuis cruciaretur hujus vitæ ærumnis : *Quarto*, voluit Deus hominem vivere in laboribus.

Curis acuens mortalia corda,
Nec torpere gravi passus sua regna veterno.

Ita Rupertus.

Moral, quid est homo?

Moraliter, quid ergo est homo? Audi Gentiles. *Primo*, homo est fortunæ lusus, inconstantiæ imago, corruptionis speculum, temporis spolium, inquit Aristoteles; *secundo*, homo est mancipium mortis, viator transiens; *tertio*, est pila qua ludit Deus, inquit Plautus; *quarto*, est imbecillum corpus et fragile, nudum, inerme, alienæ opis indigens, ad omnem fortunæ contumeliam projectum, inquit Seneca; *quinto*, est corruptionis vinculum, viva mors, sensitivum cadaver, sepulcrum circumvertibile, velamen opacum, inquit Trismegistus; *sexto*, est simulacrum et tenuis umbra, inquit Sophocles; *septimo*, est umbræ somnium, inquit Pindarus; *octavo*, est exul et incola miseri mundi : quid enim jam est mundus, nisi scrinium dolorum, schola vanitatis, forum impostorum? uti dixit quidam Philosophus.

Quid est homo? Audi fideles, sapientes et prophetas. *Primo*, homo est sperma fœtidum, saccus stercorum, esca vermium, inquit S. Bernardus; *secundo*, homo est ludibrium Dei, inquit Zeno Imperator fugiens, audita suorum clade; *tertio*, homo est stilla situlæ, est locusta, est momentum stateræ, est gutta roris antelucani, est fœnum, est flos, est nihilum et inane, ut ait Isaias cap. XL, vers. 6, 15, 17, 22; *quarto*, est universa vanitas, ut ait Psaltes, *Psalm.* XXXVIII, 6; *quinto*, est nuntius præcurrens, est navis pertransiens, est avis transvolans, est sagitta emissa, est fumus, est lanugo, est spuma gracilis, est hospes unius diei, *Sapient.* cap. V. vers. 9; *sexto*, est pulvis et cinis, ut ait Abraham *Genes.* cap. XVIII, vers. 27; *septimo*, « homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis; qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet, » *Job* XIV, 1. Disce ergo, o homo, tam teipsum, quam mundum contemnere. Audi S. Augustinum in *Sentent.*, Sent. ultima : « Divitiis flores, et majorum nobilitate te jactas, et exultas de patria et pulchritudine corporis, et honoribus qui tibi ab hominibus deferuntur : respice teipsum, quia mortalis es, et quia terra es, et in terram ibis; circumspice eos qui ante te similibus splendoribus fulsere : ubi sunt quos ambiebant civium potentatus? ubi insuperabiles imperatores? ubi qui conventus disponebant et festa? ubi equorum splendidi invectores? ubi exercituum duces? ubi satrapæ tyrannici? nunc omnia pulvis, nunc omnia favillæ, nunc in paucis versibus eorum memoria est. Respice sepulcra, et vide, quis servus, quis dominus, quis pauper, quis dives? discerne, si potes, vinctum a rege, fortem a debili, pulchrum a deformi. Memor itaque naturæ ne extollaris aliquando; memor autem eris, si teipsum respexeris. »

Ita Zozimas, redeunte Paschate, revertens ad locum a S. Maria Ægyptiaca condictum, eam jacentem et mortuam reperit, ac pone in terra scriptum : « Sepeli, Abba Zosima, miseræ Mariæ corpusculum : terram redde terræ et pulverem pulveri. » Cumque ligonem non haberet, affuit leo, qui unguibus terram effodit, fecitque fossam, in qua Zosimas Sanctæ corpus sepelivit.

20. ET VOCAVIT ADAM NOMEN UXORIS SUÆ HEVA.— Vers. 20. « Vocavit, » postquam ejectus est paradiso : nam statim post peccatum Deique sententiam paradiso est ejectus. Est ergo hic prolepsis sive anticipatio.

HEVA. — Hebraice est חוה *chaffa*, id est *vivens*, aut potius *vivificans*, a radice חיה *chaia*, id est *vixit*, « eo quod » futura « esset mater cunctorum viventium. » Unde Septuaginta pro Heva vertunt ζωή, id est vita. Ab Hebræo *chaia*, vel *chava*, id est *vixit*, descendit imperativus חוה *chave*, vel *have*, id est *vive*, quæ vox est salutantis et bene precantis, *q. d.* χαῖρε, ὑγίαινε. Pro *have* Latini dicunt, *ave*; et Pœni, *havo*. Unde illud Plauti in Pœnulo : *Havo* (id est *ave, salve*), *cujates estis? aut quo ex oppido?* Ita noster Serarius in *Josue* cap. II, quæst. XXV.

Nota, Rabbinos perperam subjecisse puncta in *chaffa* : punctandum enim et legendum est חוה *Cheva*, vel *Heva*; ita enim legerunt Septuaginta, Noster et alii. Sic Rabbini imperite pro *Cyrus* legunt *Cores*, pro *Darius*, *Dariaves*.

Hoc nomine *Heva* se et uxorem, ad mortem a Deo damnatos, solatur Adam, quod per Evam gignet posteros viventes, in quibus et ipsi, licet morituri, tamen quasi parentes in filiis victuri sint perenniter.

Hinc Eva typus fuit B. Mariæ, quæ mater est viventium, non temporali, sed spirituali et æterna vita in cœlo. Ita S. Epiphanius, *hæresi* 78. Melior

ergo mater est Maria quam Eva. Eva enim tam morientium, quam viventium cunctorum mater est, et vocari potest. Unde Lyranus et Abulensis : Eva, inquiunt, significat matrem omnium, non simpliciter, sed ærumnose et misere in hac mortali vita viventium. Hinc pie aliqui contemplantur apte vocari Evam, quasi hoc nomen alludat ad ejulationem parvulorum ex Eva progenitorum : masculus enim recenter natus ejulando dicit *a*, femina vero dicit *e, q. d.* Dicant *e* vel *a* quotquot nascentur ab Eva. Rursum Eva per anastrophen et apocopen latine est *ve;* per solam anastrophen est *ave,* quod B. Virgini salutando detulit Gabriel Archangelus.

Vers. 21. 21. FECIT QUOQUE DEUS ADÆ ET UXORI EJUS TUNICAS PELLICEAS. — Nota hic disparem genium diaboli et Dei; diabolus hominem voluptatula aliqua supplantat, mox eum in profundo miseriæ et confusionis jacentem destituit, ut sit miserabile omnibus, qui eum vident, spectaculum : at Deus miserabili licet hosti suo, succurrit, eum vestit et tegit. Origenes hic non veras tunicas pelliceas, sed carnalia et mortalia corpora intelligit, quibus post peccatum Adam et Eva induti sunt; ridiculum enim, ait, est dicere, quod Deus fuerit Adæ coriarius et pellium sutor. Verum hic est error : hæc enim verba historice et litteraliter, ut sonant, sunt accipienda, uti docet S. Augustinus, lib. XI *De Genes. ad litt.* cap. XXXIX, imo ipse Origenes hom. 6 *in Levit.:* « Talibus, inquit, oportebat indui peccatorem (pelliceis scilicet tunicis), quæ essent mortalitatis, quam primo peccato acceperat, et fragilitatis ejus, quæ ex carnis corruptione veniebat, indicium. » Theodorus Heracleotes et Gennadius putant arborum cortices hic vocari pelles, indeque vestes Adæ esse factas. Verum hoc merito refellit Theodoretus *Quæst.* XXXIX. Pelles has Deus non creavit ex nihilo, ut vult Procopius, sed eas vel angelorum ministerio animalibus occisis detraxit (non enim unum par in quaque specie, ut vult Theodoretus, sed plura initio creavit Deus); vel aliunde subito transmutavit et efformavit.

Cur Adam vestitus pellibus?

Rursum pelles hic naturales, scilicet cum villis et pilis intellige : hoc enim innuit Hæbræum עור *or,* et Latinum *pelliceas;* idque *primo,* ut hæ vestes tam hieme, quam æstate sola inversione Adamo et Evæ servirent. *Secundo,* quia non ad ornatum datæ sunt, sed ad necessitatem, ut nimirum nuditatem tegerent, et aeris injurias arcerent. *Tertio,* quia hæ vestes symbolum erant non tantum verecundiæ, sed et frugalitatis, continentiæ ac pœnitentiæ. Non purpura, non panno, sed pellibus quasi cilicio Deus homines post peccatum vestivit, ut doceret similem simplicem nobis debere esse vestitum. Hinc SS. quadraginta milites et Martyres apud S. Basilium a præfecto nudati, et in gelidum stagnum conjecti, ut ejus frigore necarentur, hac se voce animabant : « Non amictum, inquiunt, exuimus, sed hominem veterem concupiscentiæ deceptione corruptum; gratias agimus tibi, Domine, quod cum isto amictu, simul et peccatum exuere licet : quoniam ob serpentem eum induimus, ob Christum vero exuimus. » Ita frigore pene enecti flammis traduntur, angelis e cœlo coronas eorum triumphales ostentantibus. *Quarto,* hæ vestes e mortuorum pellibus factæ monebant Adamum, eum mortis fuisse reum. Ita S. Augustinus, lib. II *De Genes. contra Manichæos,* cap. XXI, Alcuinus et alii.

Allogorice, Adam vestitus typus fuit Christi, qui licet purus esset et sanctus, indui tamen voluit pellibus, id est vestiri peccatis nostris, dum habitu inventus ut homo, in similitudinem carnis peccati factus est. Quid ergo, o homo, gloriaris in veste serica? Vestis enim est nota et stigma peccati; perinde ut compedes, ut catenæ, sive ferreæ sive æneæ, sunt symbola et vincula furum et malefactorum. Talis fuit vestis primorum Romanorum Senatorum, de qua Propertius :

> Curia, prætexto quæ nunc nitet alta senatu,
> Pellitos habuit rustica corda patres.

22. ECCE ADAM QUASI UNUS EX NOBIS FACTUS EST. — « Hoc, ait S. Augustinus, lib. II *De Genesi contra Manichæos,* cap. XXII, dupliciter intelligi potest : vel unus ex nobis, quasi et ipse Deus, quod pertinet ad insultationem, sicut dicitur : Unus ex senatoribus, utique senator; aut certe, quia et ipse Deus esset, quamvis creatoris sui beneficio, non natura, si sub ejus potestate manere voluisset : sic dictum est, « ex nobis, » quomodo dicitur. Ex consulibus aut proconsulibus, qui jam non est. » Addit deinde S. Augustinus : « Sed ad quam rem factus est tanquam unus ex nobis? ad scientiam scilicet dignoscendi boni et mali, ut iste per experimentum disceret dum sentit malum, quod Deus per sapientiam novit : et potestatem illam Omnipotentis, quam pati noluit beatus atque consentiens, pœna sua discat esse inevitabilem. » Prior sensus germanior est : eum enim exigit τὸ *factus est.* Est ergo ironia et sarcasmus, *q. d.* Voluit Adam nobis per esum pomi fieri similis, en quam factus est dissimilis; voluit scire bonum et malum, en in quale ignorantiæ barathrum corruit. Ita Gennadius, Theodoretus et Rupertus, qui ait : « Adam quasi unus ex nobis factus est, ut jam non simus nos Trinitas, sed quaternitas : quanquam non cum Deo Deus, sed contra Deum affectaverit esse Deus. » Sunt hæc verba Dei Patris non ad angelos, ut vult Oleaster et Abulensis, sed ad Filium et Spiritum Sanctum, ut patet, itaque intelligit ipse Abulensis in cap. XIII, Quæst. 486. Vers. 22.

NUNC ERGO, — supple cavendum est, vel expellendus est ex paradiso. Est aposiopesis.

ET VIVAT IN ÆTERNUM, — sed moriatur, juxta sententiam in eum latam cap. II, vers. 17; mors hæc pœna est homini, est et pœnæ abbreviatio; mos enim Dei est, ait S. Chrysostomus hic, ut

puniens non minus quam benefaciens, suam erga nos declaret providentiam, *q. d.* ait Rupertus : « Homo quia miser est, sit etiam temporalis, itaque sit dissimilis tam Deo, quam diabolo : Deus enim et æternus est et felix, et est ejus æterna felicitas, felix æternitas : horum alterum, id est felicitatem, perdidit diabolus ; æternitatem vero non amisit, et est ejus æterna infelicitas, infelix æternitas. Parcamus, inquit Deus, homini ; et quia felicitatem perdidit, æternitatem quoque præripiamus infelici ; ut in neutro sit quasi unus ex nobis. Nobis est æterna felicitas, felix æternitas ; sit illi temporalis miseria, vel misera temporalitas, et tunc illi commodius reformetur æternitas, cum fuerit recuperata felicitas. »

Vers. 23. 23. ET EMISIT EUM. — Hebraice est וישלחהו *ieschallechehu* in *piel*, id est ejecit, expulit eum. Septuaginta addunt, *et collocavit eum e regione*, seu *in conspectu* (hoc enim est ἀπέναντι) *paradisi*, scilicet ut ejus aspectu bonum amissum assidue lugeret et acrius pœniteret.

Nota : Emisit Deus Adam per angelum, qui eum vel manu eduxit, uti Raphael Tobiam ; vel abripuit, uti rapuit Habacuc ex Judæa in Babylonem, ut ferret prandium Danieli. Ita S. Augustinus et Abulensis, qui addit angelum ex paradiso Adamum transtulisse in Hebron, ubi creatus fuerat, vixit, et postea sepultus est.

Quo die peccarit Adam ? Quæres, quo die hoc sit factum ? Abulensis putat Adamum peccasse et expulsum esse ex paradiso altero die a creatione sua, id est sabbato. Pererius octavo die, idque hoc fine, ut interim aliquot dierum intervallo beatum illum in paradiso statum experiretur. Alii quadragesimo die : unde Christus pro hac Adæ gula totidem, id est quadraginta diebus jejunavit. Alii trigesimo quarto anno, sicuti triginta quatuor annos Christus vixit, et peccatum hoc expiavit.

Adam die Veneris paradiso pulsus est : unde et Christus die Veneris patiendo nos paradiso restituit. Verum communiter Patres, S. Irenæus, Cyrillus, Epiphanius, Sarugensis, Ephrem, Philoxenus, Barcepha, et Diodorus apud Pererium, tradunt Adamum eodem die quo creatus est peccasse, et paradiso ejectum esse, scilicet feria sexta die Veneris ; imo sub eamdem horam, qua Christus in cruce mortuus est extra Jerusalem, et latronem nosque omnes paradiso restituit. Huic sententiæ favet series Scripturæ : nam ex vers. 8 patet hæc contigisse post meridiem, remittente se æstu, et leni aura afflante. Favet et invidia diaboli, quæ non permisit diu Adamum stare. Favet et perfectio naturæ in qua conditus est Adam, per quam ipse, uti et angelus, statim se resolvit, et alterutram partem elegit. Denique si diu in paradiso fuisset, utique ex arbore vitæ comedisset.

Sicut ergo Christus eodem loco, scilicet in monte Calvariæ, voluit crucifigi, in quo sepultus erat Adam : ita ipse diem peccati et exilii nostri tunc notavit, damna diei ut solveret et dependeret.

Addunt S. Ephrem apud Barcepha, in fine lib. I De *Paradiso* ; Philoxenus et Jacobus Sarugensis, Adamum creatum esse hora nona matutina, et paradiso expulsum esse hora tertia pomeridiana ; itaque in paradiso tantum sex horas commoratum esse.

ET COLLOCAVIT ANTE PARADISUM VOLUPTATIS CHERUBIM, ET FLAMMEUM GLADIUM ATQUE VERSATILEM. Vers. 24 — Quæres, qui sint Cherubim, quis gladius hic ? Qui Cherubim et flammeus gladius ?

Primo, Tertullianus in *Apologetico* ; et D. Thomas, II II, *Quæst.* CLXV, art. ultim., putant esse zonam torridam, quæ ob æstum impervia est, quam proinde Deus, inquiunt, inter hasce nostras regiones et paradisum interposuit. Prima sententia.

Secundo, Lyranus et Tostatus volunt hæc esse ignem undique paradisum ambientem. Idem censent multi Patres citandi in fine hujus capitis. Secunda.

Tertio, Theodoretus et Procopius censent esse μορμολύκια, et spectra quædam terribili forma, qualia terriculamenta contra aves ponuntur in hortis. Tertia.

Verum dico, hæc omnia proprie ut sonant accipienda esse, nimirum quod angeli ex ordine Cherubim positi sint ante paradisum, ut ejus aditu prohiberent tum Adam et homines, tum etiam dæmones, ne scilicet ipsi paradisum ingressi fructum arboris vitæ decerperent, quem hominibus offerrent, pollicentes eis immortalitatem, ut hac ratione eos ad sui amorem et cultum pellicerent. Ita S. Chrysostomus, Augustinus, Rupertus et alii (1). Quarta et vera.

Nota *primo* : Cherubim potius, quam Thronis, Virtutibus, aut Principatibus custodia paradisi demandata est, quia Cherubim sunt vigilantissimi et perspicacissimi ; unde a scientia vocantur Cherubim, ideoque aptissimi sunt vindices omniscientiæ Dei, quam ambierat Adam. Hinc patet angelos superiores quoque mitti ad terram, uti ostendi *Hebr.* I, vers. ult.

Nota *secundo* : Videntur hi Cherubim fuisse humana forma induti ; nam habent et vibrant flammeum gladium, et in omnes partes versatilem, ut eo feriant eos, qui paradisum ingredi volent.

Nota tertio : Pro *flammeum gladium* hebraice est להט החרב *lahat hachereb*, id est flammam gladii. Unde incertum est an gladius hic fuerit flamma habens formam et speciem gladii, an vero revera fuerit gladius, sed igne candens, fulgurans et quasi flammas vomens.

Nota *quarto* : Ablatus est et cessavit hic gladius, uti et Cherubim ; quando paradisus desiit, puta in diluvio.

Allegorice, ut S. Ambrosius ad illud *Psal.* CXVIII :

(1) Cf. Hengstenberg, *Moses und Egypten* ; Meignan, op. cit. pag. 135 ; Obry, op. cit. pag. 161 seqq. ; Haneberg, op. cit. pag. 27 ; De Saulcy, *Histoire de l'Art judaïque*, pag. 23 seqq. Cherubinorum, id est, *fortium*, ficta figura, ex humana, bovina, leonina atque aquilina composita (vid. *Ezech.* I, 10), symbolum fuisse videtur divinæ naturæ, etc., ut per *leonem* significetur robur, generositas, majestas Dei ; per *bovem*, constantia atque firmitas ; per *hominem*, humanitas, bonitas, φιλανθρωπία ; per *aquilam*, naturæ cœlestis vigor et sublimitas.

Allegorice, flammeus gladius est ignis Purgatorii.

« Retribue servo tuo, et vivam, » et Rupertus lib. III, cap. XXXII, hic flammeus gladius est ignis Purgatorii, quem ante paradisum cœlestem morientibus, necdum in hac vita plane purgatis, posuit Deus; indeque Cherubim, id est angeli, animas plane purgatas in paradisum, puta in cœlum educunt. Imo S. Ambrosius, Origenes, Lactantius, Basilius, Rupertus ex hoc loco putant ante cœlum positum esse ignem, quem omnes animæ, etiam S. Petri et S. Pauli, post mortem transire debeant, ut eo examinentur, et si impuræ reperiantur, ut per eum purgentur, de quo dixi I *Corinth.* III, 15.

Moraliter nota : Sex pœnæ indictæ sunt Adæ (cum Eva) et posteris ejus, quæ congrue respondent sex ejus peccatis : *primum* ejus peccatum fuit inobedentia : ob hanc sensit carnis et sensus rebellionem; *secundum* fuit gula : ob hanc punitus fuit labore et fatigatione. « In sudore, inquit, vultus tui vesceris pane tuo ; » *tertium* fuit furtum pomi : ob hoc punitus fuit carnis dolore, puta fame, siti, frigore, calore, morbis, etc. « Multiplicabo, ait, ærumnas tuas; » *quartum* fuit infidelitas, qua discredidit Deo, et credidit dæmoni : ob hanc punitus fuit morte, qua anima discedit et separatur a corpore; *quintum* fuit ingratitudo : ob hanc privari meruit sua substantia, quam a Deo acceperat; et incinerari. « Pulvis, ait, es, et in pulverem reverteris; » *sextum* fuit superbia : per hanc meruit privari paradiso, cœlo et cœlitibus, atque detrudi in tartara.

Ex dictis patet peccatum Adæ, si primam et propriam speciem peccati spectes, non fuisse omnium gravissimum : fuit enim inobedientia legis positivæ Dei, hac autem gravior est blasphemia, odium Dei; obstinata impœnitentia, etc. Quare gravius peccarunt Arius, Lutherus, Judas et alii, quam Adam. Si tamen damna ex hoc peccato consecuta spectes, fuit Adæ peccatum omnium gravissimum : per hoc enim ipse se et omnes suos posteros perdidit, adeoque quicumque damnantur, propter hoc peccatum vel immediate, vel mediate damnantur; et hac ratione hoc peccatum dici potest irremissibile; quia in omnes posteros ejus culpa et pœna transit, nec id remitti aut impediri ullo modo potest.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Adam gignit Cain et Abel. Secundo, vers. 8, Cain occidit Abel, ideoque a Deo maledicitur, fitque profugus. Tertio, vers. 17, recensetur progenies Cain. Quarto, vers. 25, Adam gignit Seth, et Seth Enos.

1. Adam vero cognovit uxorem suam Hevam : quæ concepit et peperit Cain, dicens : Possedi hominem per Deum. 2. Rursumque peperit fratrem ejus Abel. Fuit autem Abel pastor ovium, et Cain agricola. 3. Factum est autem post multos dies ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. 4. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, et de adipibus eorum : et respexit Dominus ad Abel et ad munera ejus. 5. Ad Cain vero, et ad munera illius non respexit : iratusque est Cain vehementer, et concidit vultus ejus. 6. Dixitque Dominus ad eum : Quare iratus es, et cur concidit facies tua? 7. Nonne si bene egeris, recipies; sin autem male, statim in foribus peccatum aderit? sed sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius. 8. Dixitque Cain ad Abel fratrem suum : Egrediamur foras. Cumque essent in agro, consurrexit Cain adversus fratrem suum Abel, et interfecit eum. 9. Et ait Dominus ad Cain : Ubi est Abel frater tuus? Qui respondit : Nescio. Num custos fratris mei sum ego? 10. Dixitque ad eum : Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. 11. Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, et suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. 12. Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos : vagus et profugus eris super terram. 13. Dixitque Cain ad Dominum : Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear. 14. Ecce ejicis me hodie a facie terræ, et a facie tua abscondar, et ero vagus et profugus in terra : omnis igitur qui invenerit me, occidet me. 15. Dixitque ei Dominus : Nequaquam ita fiet : sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur. Posuitque Dominus Cain signum, ut non interficeret eum omnis qui invenisset eum. 16. Egressusque Cain a facie Domini, habitavit profugus in terra ad Orien-

talem plagam Eden. 17. Cognovit autem Cain uxorem suam, quæ concepit et peperit Henoch : et ædificavit civitatem, vocavitque nomen ejus ex nomine filii sui, Henoch. 18. Porro Henoch genuit Irad, et Irad genuit Maviael, et Maviael genuit Mathusael, et Mathusael genuit Lamech. 19. Qui accepit duas uxores, nomen uni Ada, et nomen alteri Sella. 20. Genuitque Ada Jabel, qui fuit pater habitantium in tentoriis, atque pastorum. 21. Et nomen fratris ejus Jubal : ipse fuit pater canentium cithara et organo. 22. Sella quoque genuit Tubalcain, qui fuit malleator et faber in cuncta opera æris et ferri. Soror vero Tubalcain, Noema. 23. Dixitque Lamech uxoribus suis Adæ et Sellæ : Audite vocem meam, uxores Lamech, auscultate sermonem meum : quoniam occidi virum in vulnus meum, et adolescentulum in livorem meum. 24. Septuplum ultio dabitur de Cain : de Lamech vero septuagies septies. 25. Cognovit quoque adhuc Adam uxorem suam : et peperit filium, vocavitque nomen ejus Seth, dicens : Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain. 26. Sed et Seth natus est filius, quem vocavit Enos : iste cœpit invocare nomen Domini.

Vers. 1. 1. COGNOVIT. — Hoc verbo Scriptura honeste significat copulam carnalem ; quia enim Hebræi virginem vocant עלמה *alma*, id est absconditam et incognitam viro, hinc eam corrumpere, vocant eam cognoscere, vel revelare ejus turpitudinem, ut patet *Levit.* XVIII.

Adam in paradiso mansit virgo. Aliqui Rabbini, cum nostris hæreticis, putant Adamum in paradiso cognovisse Evam. Sed ex hoc loco communiter Patres docent contrarium, scilicet Adam et Evam in paradiso mansisse virgines. Hic enim post ejectionem e paradiso prima copulæ eorum fit mentio : « Nuptiæ, ait S. Hieronymus, lib. IV *Contra Jovinianum*, terram replent, virginitas paradisum. » Videtur ergo hæc prima extra paradisum fuisse Adæ et Evæ generatio, ac consequenter Cain fuit eorum primogenitus. Id enim insinuat vox Evæ, eum parientis : « Possedi hominem per Deum, » *q. d.* Jam primum peperi filium, factaque sum mater hominis.

Probabiliter censet Torniellus in *Annal.*, Cain genitum esse mox post expulsionem Adæ et Evæ e paradiso, scilicet primo anno mundi et Adæ, tum quia Adam et Eva creati sunt in statura perfecta et habili ad generandum ; tum quia post peccatum mox acres libidinis et copulæ stimulos senserunt ; tum quia ipsi erant soli in mundo, et per eos Deus volebat statim propagari et multiplicari toto orbe genus humanum. Unde sequitur Cain occidisse Abel anno ætatis 139, scilicet paulo ante ortum Seth. Seth enim illo anno natus est, ut patet cap. V, vers. 3. Quocirca improbabile est quod censent aliqui, Adamum et Evam lugentes suum peccatum et lapsum, per centum annos abstinuisse usu conjugii, centesimovero anno copulatos genuisse Cain, et mox Abel : unde Cain anno trigesimo ætatis occidisse Abel, ideoque mox loco Abelis Adamum genuisse Seth, anno mundi 130, ut videtur cap. V, vers. 3. Hoc, inquam, est improbabile : sciebat enim Adam se esse constitutum a Deo, ut esset seminator et propagator generis humani ; sciebat insuper se a Deo damnatum ad mortem, brevique moriturum, sciebat incertam esse diem mortis suæ. Quis ergo credat eum centum annis generatione et propagatione sui generis abstinuisse, cum nesciret an centum annis esset victurus ? Æque improbabilis et fabulosa est visio, quam S. Methodio Martyri falso attribuit Petrus Comestor in *Scholast. Hist. Genes.* cap. XXV. Quod scilicet Adam et Eva, anno ætatis, æque ac mundi decimo quinto, genuerint Cain, et sororem ejus Calmanam ; anno vero trigesimo genuerint Abelem, et sororem ejus Delboram ; anno vero 130 Cain occiderit Abel, quem parentes ejus planxerint centum annis, et post planctum genuerint Seth, anno ætatis et mundi 230, ut habent Septuaginta. Nam præter jam dicta, est hic in numeris apud Septuaginta manifestus error, et pro 200 legendum 130, ut habent Hebræa, Chaldaïca, Latina.

PEPERIT CAIN DICENS : POSSEDI HOMINEM. — *Cain* hebraice idem est quod possessio, a radice קנה *kana*, id est *possedi*. Arabicus vertit, *lucrata sum per Deum virum*. Ludit ergo Goropius Becanus, qui nomen Cain a lingua Flandrica accersit, quasi Cain idem sit quod *quaet eynde*, id est, *malus finis* vel *exitus*. Itaque Cain hebraice idem est quod possessio ; est enim filius quasi parentum possessio et supellex : unde jure naturæ est patris in filium potestas ; hinc patres vocantur domini *Matth.* XI, vers. 25 ; *Eccli.* XXIII, 1. Hinc factum est ut Persæ (teste Aristotele in *Politic.*) liberis uterentur quasi servis. Hinc etiam Sclavi (teste Accursio) filios arbitrio suo vendebant et occidebant. Dicit ergo Eva : « Possedi hominem, » sed « per Deum, » *q. d.* Natus est mihi filius, quasi possessio mea ; sed idem potius est Domini possessio, et hæreditas mihi a Deo donata. Ita S. Chrysostomus : « Non (inquit Eva) natura mihi puerum dedit, sed divina gratia. » Sic Jacob ad Esau : « Parvuli, inquit, sunt quos donavit mihi Deus, » *Gen.* XXXV, 5. **Discant hic parentes proles esse dona Dei.**

Proles sunt dona Dei.

Tropologice : « Cain dictus est acquisitio, quod omnia sibi acquireret ; Abel, qui omnia referret ad Deum (Abel enim S. Ambrosio dictus est quasi הב אל *hab el*, id est *dans Deo* omnia, utpote quæ accepit ab eo), nihil sibi arrogans, » ait S. Ambrosius, libro I *De Cain et Abel*, cap. I. Cain ergo significat arrogantes, qui omnia suo ingenio attribuunt : Abel humiles, qui omnia Deo datori accepta referunt. Et cap. II : « Per Abel, inquit, intelligitur populus » Christianus (sicut per Cain Judæi parricidæ Christi et Prophetarum) « adhærens Deo, sicut et David ait : Mihi autem adhærere Deo bonum est. » Et cap. IV, docet Cain esse typum malitiæ, Abel virtutis. Significatur ergo quod Cain, id est « malitia præcedat tempore, sed juvenescat infirmitate. Habet illa ætatis stipendium, virtus autem prærogativam gloriæ, quam plerumque justo cedit iniquus, » sicut Cain cessit Abeli in favore et honore apud Deum.

PER DEUM. — Præpositio *per* non est jurantis, sed gratulantis et auctorem generationis agnoscentis. Hebraice est את יהוה *et Adonai*. Isidorus Clarius putat *et* hic esse articulum accusativi, ideoque vertit : *Possedi hominem Deum*, quasi Eva hæc dixerit in spiritu prævidens, Christum, qui Deus est et homo, ex se nasciturum. Verum quid hoc ad Cain? nec enim ex Cain, sed ex Seth natus est Christus. Vox ergo את *et*, hic non est articulus, sed præpositio significans *cum, coram*. Unde Chaldæus vertit *coram Domino*, alii *cum Domino* ; quod Noster clariore sensu expressit vertens, *per Dominum*, puta « per Deum. »

Vers. 2. 2. RURSUMQUE PEPERIT. — Rabbini, et ex eis Calvinus, putant ex eodem conceptu Evam peperisse gemellos, Cain et Abel, quia hic in Abel non repetitur verbum *concepit*, sed tantum *peperit* ; unde idem extendunt ipsi ad alias illius ætatis generationes, putantque Evam aliasque feminas initio mundi semper peperisse geminos, ut homines eo citius multiplicarentur. Sed hæc temere et sine fundamento asseruntur ; Moses enim hic compendio utitur, et in verbo *peperit* præsupponit et subaudit verbum *concepit*. Nemo enim parit nisi quæ ante concepit. Spiritus Sanctus enim hic non conceptus, sed partus et proles hominum primorum recensere intendit.

ABEL. — Josephus et Eusebius *Abel* interpretantur luctum, quasi הבל *Hebel*, id est Abel, idem sit quod אבל *Ebel*, ut *he* ponatur pro *aleph* ; quia Abel primus mortalium sua morte ingentem luctum attulit parentibus, inquit Eusebius, lib. XI *De Præpar.* cap. IV. Verum proprie Abel, vel, ut hebraice dicitur *Hebel*, significat vanitatem. Unde Ecclesiastes ait : הבל הבלם כל הבל *hebel habalim col hebel* : « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas. » Videtur mater Eva præsagisse Abeli celerem necem, aut certe memor se cum posteris ad mortem paulo ante damnatam, vocavit eum Abel, id est *vanitas*, *q. d.* « Universa vanitas est omnis homo vivens, » atque possessio hominis similis est vanitati, quia « in imagine (instar umbræ) pertransit homo. » Ita Rabanus, Lipomanus et alii.

Abel idem est quod vanitas.

Abel mortuus est virgo.

Abel mansisse et mortuum esse virginem docent contra Calvinum communiter Patres ; idque colligunt ex eo quod Scriptura non meminerit uxoris et prolium ejus, sicut meminit uxoris et prolium Cain. Ita S. Hieronymus, Basilius, Ambrosius et alii. Hinc ex Abel, hæretici quidam nominati sunt Abeliani, vel Abeloitæ, qui instar Abelis uxoribus non miscebantur, sed filios vicinorum adoptabant, et hæredes sibi adsciscebant, nimirum puerum et puellam simul. Ita S. Augustinus, lib. *De Hæres.*, hæresi 87, tom. VI.

Vers. 3. 3. POST MULTOS DIES, — post multos annos ; S. Ambrosius, lib. I *De Cain*, cap. VII, hoc tribuit culpæ : « Duplex ; ait, culpa Caini : una quod post dies obtulit, altera quod non ex primis fructibus. Sacrificium autem et celeritate commendatur, et gratia, » etc.

UT OFFERRET CAIN DE FRUCTIBUS TERRÆ, — secundos scilicet et viliores fructus ; hi enim vocantur in Scriptura fructus terræ. Primos ergo et meliores fructus sibi reservabat Cain ; opponitur enim Abelo, qui obtulit Deo primogenita, et « de adipibus, » id est, optima et pinguissima gregis sui, quia ingenti fide, reverentia et amore prosequebatur Deum. Ita S. Ambrosius, lib. I *De Cain et Abel*, cap. VII et X : « Obtulit, inquit, a fructibus terræ, non a primis fructibus primitias Deo. Hoc est primitias sibi prius vindicare, Deo autem sequentia deferre. Itaque cum vere anima corpori, tanquam servo domina, sit præferenda, utique primitias ejus, hoc est animæ, prius quam corporis offerre debemus. » Addit Abelem liberalem, animalia ; Cainum avarum, fruges terræ duntaxat obtulisse. Idem, lib. II, cap. V, ait Abelem a Deo prælatum Caino, eo quod pinguiora gregis offerret, sicut David docet dicens : « Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea, et, Holocaustum tuum pingue fiat ; hoc docens acceptabile esse sacrificium, quod pingue, quod nitidum, et quodam pabulo fidei ac devotionis, verbique cœlestis uberiora alimonia saginatum est. » Et cap. VI : « Nova igitur fides renovatorum, valida, pubescens, incrementum virtutis acquirens ; non remissa, non fessa, non senio quodam marcida, et vigore ignava, apta sacrificio est, quæ pullulet quodam virenti germine sapientiæ, et juvenili divinæ cognitionis fervore rubescat. » Abelis est hæc vox :

> Sacrum pingue dabo, non macrum sacrificabo.

Caini ex adverso hæc :

> Sacrificabo macrum, non dabo pingue sacrum.

Docet S. Athanasius in illud, *Omnia mihi tradita sunt*, Cain et Abel a patre Adamo didicisse

religionem et ritum sacrificandi ; unde sequitur, primo omnium Adamum sacrificasse (1).

Moraliter Philo, lib. *De Sacrific. Abelis et Cain* : « Sicut, ait, Cain de fructibus et non de primitiis Deo sacrificium obtulit, sic sunt multi qui dant primatum creaturæ, secundarium honorem numini, » v. g. Qui ex frugibus pejores dant pro decimis, qui proles stupidas, turpes, mancas, inertes dant Religioni, pulchras et ingeniosas conjugio.

Vers. 4. 4. RESPEXIT DOMINUS AD ABEL ET AD MUNERA EJUS. — Primum fuit causa secundi, ideo enim placuerunt Deo munera Abel, quia placuit ipse Abel ; sacrificia enim vetera non placebant Deo ex opere operato, uti placet sacrificium legis novæ, sed tantum ex opere operantis. Unde Rupertus, lib. IV *De Gen.* cap. II, sic ait : « Apostolus dicit (*Hebr.* XI) : Fide plurimam hostiam Abel quam Cain obtulit Deo : per quam testimonium consecutus est esse justus, » etc. « Fide, inquit, plurimam ; nam cultu, vel religione, parem uterque obtulit, et proinde uterque recte obtulit, sed non recte divisit. Nam Cain cum Deo offerret sua, se ipsum sibi retinuerat, repositum habens cor in cupiditate terrena. Hujusmodi portionem Deus non accipit, sed per se inquit *Proverb.* cap. XXIII : Fili, præbe cor tuum mihi. Porro Abel primo cor suum, deinde rem suam offerendo plurimam hostiam per fidem obtulit. » Fidem hanc explicat cap. IV, ubi docet Abelem hoc suo sacrificio præsignasse et præcucurrisse sacrificium Christi in Eucharistia. « Quia vere, inquit, sacrificium quod illa nocte Pontifex noster Jesus Christus instituit, quamvis exteriori specie panis sit et vinum, in veritate Agnus est Dei, primogenitus omnium agnorum vel ovium, quæ pertinent ad caulas cœli, ad pascua paradisi. » Vere S. Augustinus (vel quisquis est auctor, non enim videtur esse hoc opus S. Augustini), lib. I *De Mirabil. S. Script.* cap. III : Justitia, ait, triplex in Abel fuit : *prima*, virginitas, non generando ; *secunda*, sacerdotium, munera Deo placita offerendo ; *tertia*, martyrium, proprium sanguinem effundendo : cui primam figuram Salvatoris gestare conceditur, qui virgo, martyr et sacerdos esse videtur. Et paulo ante : « Abel, inquit, totius humanæ justitiæ princeps, in ipso mundi principio sanguinis sui tripudio coronatus martyrio arripitur. » Et mox : « Huic Abel Dominus Jesus Christus primatum justitiæ hominum commisit, ita inquiens : A sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ, » *Matth.* XXIII, 35.

Nota : Pro *respexit* hebraice est אשע *iissa*, quod Symmachus vertit ἐτέρφθη, *delectatus est* ; Aquila, *consolationem accepit* ; Chaldæus, *suscepit cum beneplacito*. Proprie *iissa* significat *respexit*, a radice שעה *scaa* ; sin legas aliis punctis ישע *iasca*, significat *delectatus est*, a radice שעע *scaa*, per duplex *ain*, et ita legit Symmachus et Aquila.

Quæres, quo signo declararit Deus sibi placere oblationes Abelis, non autem Cain ? Respondeo : Communiter tradunt Patres Deum id igne de cœlo misso in sacrificium Abelis, non autem Caini, declarasse : ignem enim hunc combussisse et consumpsisse sacrificium Abelis, Caini vero sacrificium intactum reliquisse. Per ignem ostendit Deus sibi placere sacrificium Abelis.

Rident hoc Lutherus et Calvinus, quasi Judaicas fabulas. Verum id ipsum asserunt et tradunt S. Hieronymus, Procopius, Cyrillus hic, Chrysostomus, Theophylactus, Œcumenius in cap. XI *ad Hebr.* vers. 4, et Cyprianus, orat. *De Nativit. Domini*. Unde et Theodotion vertit ἐνεπύρισεν, *inflammavit Dominus super Abel et sacrificium ejus, super Cain non*. Hoc enim eodem ignis et conflagrationis victimæ signo solet Deus probare et acceptare sacrificia, ut Gedeonis, *Judic.* cap. VI, vers. 11 ; Manue, *Judic.* XIII, 20 ; Aaronis, *Levit.* IX, 24 ; Eliæ, III *Reg.* XVIII, 38 ; Davidis, I *Paralip.* XXI, 26 ; Salomonis, II *Paralip.* VII, 1 ; Nehemiæ, II *Machab.* I, 32.

Vers. 5. 5. AD CAIN AUTEM ET AD MUNERA ILLIUS NON RESPEXIT, — non inflammavit ea. Ita narrat Nazianzenus, orat. 1 *in Julianum*, duos nepotes Constantii imperatoris, Gallum et Julianum, volentes exstruere templum supra tumulum Mamantis Martyris, inter se divisisse opus, sed partem illam quæ exstruebatur a Gallo, vere pio et fideli, felicissime processisse : partem autem quæ exstruebatur a Juliano, qui apostata futurus, jam mente corruptus erat, non potuisse unquam coalescere, quod terra contremiscens omnia quasi removeret, quia Martyr noluit honorari ab eo, a quo collegas suos contumelia afficiendos prævidebat ; et quia Deus qui corda intuetur, opus Galli, tanquam Abelis sacrificium, admisit, opus vero Juliani, tanquam sacrificium Caini, abjecit, inquit Nazianzenus. Præclare S. Cyprianus, tract. *De Orat. Domin.* : « Non, inquit, Caini et Abelis munera Deus, sed corda intuebatur, ut ille placeret in munere, qui placebat in corde. Abel pacificus et justus dum Deo sacrificat innocenter, docuit et cæteros quando ad altare munus offerunt, sic venire cum Dei timore, cum simplici corde, cum lege justitiæ, cum concordiæ pace. Merito ille cum in sacrificio Dei talis est, ipse postmodum sacrificium Deo factus est, ut martyrium primus ostendens, initiaret sanguinis sui gloria Dominicam passionem, qui et justitiam Domini habuerat et pacem (2). » Nazianzenus comparat Julianum et Gallum Caino et Abeli.

Vers. 6. 6. CUR CONCIDIT FACIES TUA ? cur mœrore, ira,

(1) Quia χρεοφαγία ante diluvium ignota fuisse videtur, Grotius censet victimas nullas tum fuisse mactatas, cum Deo nil sacrari soleat, nisi quod in usu hominum sit, ideo sub *primogenitis* Deo ab Abele oblatis *lanam ovium* eximiæ magnitudinis et formæ, sub חלב vero *lac* intelligit. Aliter sentit Drach, *De l'Harmonie entre l'Eglise et la Synagogue*, tom. I, p. 117.

(2) *Iratusque est Cain vehementer*. Hebr. *et incanduit Cain valde*, scil. אף, *nasus*, id est, ira.

odio, invidia in fratrem contabescis, eaque vultus tristitia et dejectione prodis? cur lividis et dejectis in terram oculis parricidium incipis meditari? ita Rupertus. Unde Arabicus vertit, *contristatus est vultus ejus.*

Vers. 7. 7. NONNE SI BENE EGERIS, RECIPIES? — tum quietem et gaudium conscientiæ, tum favorem meum, utque simili signo, puta igne de cœlo misso, attester te tuaque sacrificia mihi placere, sicuti testatus sum Abeli, quod te nunc ita cruciat; tum denique bona præsentia et æterna recipies: hæc enim omnia virtutis sunt merces.

Pro *recipies* hebraice est שאת *scet*, quod significat ferre, elevare, portare, recipere, rursum remittere. Unde Chaldæus vertit, *demittetur tibi*, scilicet invidia et impietas tua; Septuaginta vertunt, *nonne si recte offeras, non recte autem dividas, peccasti? quiesce.* Quod S. Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus, sic exponunt: Quia in recta, inquiunt, divisione prima secundis, cœlestia terrenis præferenda sunt; Cain autem primas sibi, secundas dabat Deo, ideoque non recte cum Deo divisit. *Tertio*, alii sic vertunt, *nonne si bene egeris, attolles?* subaudi vultum, *q. d.* Nonne incedes recto vultu, vivesque in gaudio et lætitia? unde et Vatablus vertit, *nonne si bene egeris, exaltatio erit tibi? q. d.* Tu videris dolere quod frater tuus sit clarus, et evectus supra te; at si studueris bene facere, attolleris ut ille; sin autem male egeris, statim in foribus peccatum aderit (1).

Pœna quasi Cerberus obsidet fores peccati.

PECCATUM, — id est pœna peccati, quæ quasi canis aut Cerberus cubans (hoc enim est Hebræum רובץ *robets*) fores peccati obsidet, tanquam peccati vindex; hic, mox ut male egeris, tibi aderit, tibi allatrabit, te mordebit et lancinabit. Canis hic est vermis conscientiæ, mentis turbatio et indignatio, ira Dei capiti peccatoris imminens, tribulatio, angustia omnesque ærumnæ præsentes et æternæ, quibus Deus peccata punit. Unde Chaldæus vertit: *In diem judicii peccatum tuum servatum est, in qua ulciscetur de te.*

Peccatum est tyrannus.

Nota prosopopœiam. Peccatum hic inducitur quasi tyrannus, qui cum suis asseclis tam lictoribus, quam molossis peccantem assidue insequitur. Nam, ut Poeta ait:

Noxa caput sequitur;

et Horatius, lib. III *Carminum*, ode 3:

Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

Ut enim alia taceam, magna pœna est

Nocte dieque suum gestare in pectore testem,
Occultum quatiente animo tortore flagellum.

Conscientia ergo sceleris, ipsa sui vindex, tortor et carnifex est, uti pulchre docet S. Chrysostomus, conc. 1 *De Lazaro*. Et S. Augustinus in *Sententiis*, Sentent. 191: «Nullæ, ait, pœnæ graviores sunt quam malæ conscientiæ, in qua cum non habetur Deus, consolatio non invenitur. Et ideo invocandus est liberator, ut quem tribulatio exercuit ad confessionem, confessio perducat ad veniam.» Ita Alexander Macedo cum Clitum sibi carissimum ac fidelissimum temulentus occidisset, mox conscientia sceleris furens, sibi mortem inferre voluit, sed a suis fuit prohibitus, teste Seneca *epist.* 83. Ita Nero Cæsar, auctore Dione, matre trucidata, aiebat se specie materna exagitari verberibus furiarum, tedisque ardentibus, nulloque loco tutum posse consistere. E contrario, «nullum theatrum virtuti conscientia majus est,» ait Cicero, *Tuscul.* II, et Horatius in *Odis*:

Conscientia sceleris est sui carnifex.

Integer vitæ scelerisque purus
Non eget Mauri jaculis, nec arcu,
Nec venenatis gravida sagittis,
Fusce, pharetra.

Nimirum, «secura mens quasi juge convivium.» Ita S. Augustinus *Contra Secundinum* cap. I.: «Senti, inquit, de Augustino quodlibet; sola me conscientia in oculis Dei non accuset.»

SED SUB TE ERIT APPETITUS EJUS, ET TU DOMINABERIS ILLIUS. — Calvinus, ne cogatur ex hoc loco admittere liberum arbitrium dominans peccato et concupiscentiæ, censet pronomen *ejus* referre Abelem, non peccatum, sensumque esse, *q. d.* Ne, o Cain, invideas Abeli juniori fratri tuo; nam ipse in tua potestate permanebit, et tu ei tanquam primogenitus dominaberis. Favet huic expositioni unus S. Chrysostomus, *homilia* 18. Verum nulla Abelis hic facta est mentio, ac proinde pronomen *ejus* Abelem referre nequit, ut docet S. Ambrosius, lib. II *De Cain et Abel*, cap. VII; et S. Augustinus, lib. XV *De Civit.* VII. Unde Arabicus clare vertit, *in electione tua appetitus ejus, et tu dominaberis illius.* Electio enim est actus proprius liberi arbitrii, per quem dominatur suis actionibus.

Dices: Pronomen *ejus* in Hebræo est masculinum; חטאת *chattat* autem; id est peccatum, est femininum: ergo vox *ejus* nequit referre peccatum, sed Abelem respicit.

Respondeo, Hebræum *chattat* non solum esse femininum, sed masculinum; id patet hic cum ait חטאת רובץ *chattat robets*, peccatum cubans apud te, tibi aderit; si enim esset femininum, dicere debuisset רובצה *robetsa*. Idem patet *Levit.* IV, 24, חטאת הוא *chattat hu*, peccatum est ipse, non היא *hi*, id est *ipsa*.

Dices *secundo*, Hebraice est אליך תשוקתו *elecha tescukato*, id est, ut vertunt Septuaginta, *ad te conversio ejus.*

Respondeo, sensus hujus phrasis est: peccatum, ejusque appetitus et concupiscentia, te sol-

(1) Ita et Rosenmullerus, cui שאת est *elevatio*, scil. faciei tuæ esset tibi.

licitabit ad sibi consentiendum, sed ita, ut ad te converti, et a te consensum petere et impetrare debeat; quod Noster quoad sensum clare vertit, *sub te erit appetitus ejus.* Pari enim modo Evæ dixit cap. III, vers. 16. אל אישך תשוקתך *el ischech tsecukatesch*, ad virum erit conversio tua, quod noster quoad sensum clare vertit, *sub viri potestate eris.* Unde ibi, æque ut hic, sequitur, *et ipse dominabitur tui.*

Dico ergo vocem *ejus* referre peccatum, non Abelem, sensumque esse, *q. d.* Potes, o Cain, per arbitrii libertatem et gratiam meam tibi præparatam, tuæ concupiscentiæ et appetitui invidentiæ, tanquam mancipio dominari. Quid clarius pro arbitrii libertate dici potuit? Unde Targum Hierosolymitanum ita vertit, *in manum tuam tradidi potestatem concupiscentiæ tuæ, et tu dominare ei, sive ad bonum, sive ad malum.* Ita exponunt S. Ambrosius et S. Augustinus supra; S. Hieronymus, Rabanus, Rupertus, Hugo, Beda, Alcuinus et Eucherius hic; quin et S. Chrysostomus *hom.* 18 citata, aperte docet Cainum potuisse dominari suæ concupiscentiæ. Vide Cardinalem Bellarminum, docte æque ac solide hunc locum, uti et alios omnes, pertractantem (1).

ET TU DOMINABERIS ILLIUS. — Tu illi dominari potes, ideoque debes: si enim non posses, nec deberes. Deus enim homini non præcipit impossibilia.

Magnum dominium voluntatis in motus corporis et animæ.

Nota hic quantum sit dominium voluntatis, non tantum in motus et actiones externas, sed etiam in appetitus et passiones internas. Sentias licet æstus choleræ aut libidinis maximos, voluntate tua forti et constanti iis renitere, dicitoque: Nolo iis consentire, ii mihi displicent, eos detestor; et dominaberis choleræ ac libidini, erisque coram Deo et hominibus, non cholericus, sed mansuetus choleræ domitor; non incestus, sed castus libidinis victor. Tanta est vis et imperium voluntatis. « Magna, inquit S. Chrysostomus serm. *De Zachæo*, vis est voluntatis, quæ nos efficit posse quod volumus, et non posse quod nolumus. » Vidit hoc Seneca qui, ad iram domandam, hoc inter cætera dat remedium lib. II *De Ira*, cap. XII: « Nihil, ait, est tam difficile et arduum, quod non humana mens vincat, et in familiaritatem perducat assidua meditatio; nullique sunt tam feri et sui juris affectus, ut non disciplina perdomentur. Quodcumque sibi imperavit animus, obtinuit; quidam, ne unquam riderent, consecuti sunt; vino quidam, alii venere, quidam omni humore interdixere corporibus. »

Quidquid vis, hoc es.

Solerter ergo et vere sanctus quidam doctor dixit: « Quidquid toto corde, tota intentione, toto desiderio vis, id es certissime. » Vis toto corde et efficaciter esse humilis? hoc ipso reipsa es humilis; vis efficaciter esse patiens, obediens, constans? hoc ipso reipsa es patiens, obediens, constans. Quare prudenter suadet: « Si magna, ait, dare aut facere non potes, magnam saltem habeto voluntatem, eamque ad immensa extende, » v. g. pauper es, habeto voluntatem efficacem dandi largissimas eleemosynas, si facultates suppeterent, et vere eris largissimus et liberalissimus; parva habes talenta, parvas vires Dei gloriam et salutem animarum promovendi: concipe efficax desiderium, et ex toto corde offer Deo mille animas, mille vitas, mille corpora, si ea haberes; offer ingens desiderium laborandi et patiendi ardua quæque ad ejus amorem et plurimorum salutem; atque Deus voluntatem tuam pro facto computabit: voluntas enim seria et resoluta omnis virtutis et vitii, omnis meriti et demeriti fons est et causa.

Praxis proficiendi in virtute.

Ita S. Christina virgo et martyr, patris sui Urbani, Tyri Italiæ oppidi præfecti, idola argentea confringens, blandimenta illius voluntate firma despexit, minas irrisit; non flagellis, non unguis dilaniata constantiam mutavit; quinimo laceræ carnis frustum in patrem projiciens ait: « Satiare carnibus, miser; quas genuisti: filiam comedere potes, at certe ut impietati tuæ consentiat, facere non potes. » Hinc rotis alligatur, et subdito igne uritur, in lacumque dejicitur; mox defuncto patre, a Dione ejus successore in oleo, resina et pice coquitur: inde ad Apollinis statuam adorandam ducta, eam sua precatione subvertit. Dioni subito mortuo surrogatur Julianus, qui Christinam in fornacem ardentem mitti jussit, sed missa noxam non sensit; serpentibus mordendam objecit, sed serpentes, illa dimissa, veneficum invaserunt: interemptum ipsa suscitavit. Julianus illi mamillas amputari jubet, linguam præcidi ipsamque sagittis confici. Tali demum martyrio consumpta in cœlum evolavit. Ecce quam voluntas resoluta dominetur affectibus, tormentis, tyrannis et morti: hac Christina patrem, Abel fratrem superavit, non pugnando, sed patiendo. Ita habet ejus Vita, quam edidit Surius, tom. IV, 24 julii.

8. EGREDIAMUR FORAS. — Hæc verba exciderunt ex textu Hebræo: unde ea non legerunt, nec verterunt Aquila, Symmachus et Theodotion. Olim tamen ea fuisse in Hebræo, patet, quia ea legerunt Septuaginta et Targum Hierosolymitanum. Unde eadem se reperisse in Samaritanorum Pentateucho fatetur S. Hieronymus. Denique nisi illa legas; mutilus erit hic locus: non enim exprimit quid dixerit Cain. Rursum hæc verba dixisse Cain, potius quam alia, patet ex eo quod secutum est: nam mox egressus Abel cum Cain in agrum, ab eo occisus est (2). Vers. 8.

(1) Alii: Et ad te appetitus ejus, scil. peccati; sed tu dominaberis ei, hoc est, resistere ei debes. Peccatum tanquam mulier impudica sistitur, quæ hominem ad libidinem suam explendam tentat, cui igitur resistere debeat.

(2) Alii alia hunc locum explicandi tentamina fecere. J. D. Michaelis pro ויאמר legendum putat ויומר, a rad.

CONSURREXIT CAIN ADVERSUS FRATREM. — Docet Targum Hierosolymitanum Cain in agro cœpisse queri de Dei providentia et æquitate, disputasse contra judicium extremum, contra mercedem bonorum et vindictam malorum. E contrario Abelem hæc asseruisse, Deum defendisse, fratrem reprehendisse, ideoque ab eo cæsum esse. Quam ergo immane fuit parricidium Cain, tam illustre fuit martyrium Abel. Quocirca S. Cyprianus, lib. IV, *epist.* 6, exhortans Tibaritanos ad martyrium : « Imitemur, ait, fratres dilectissimi, Abel justum, qui initiavit martyria, dum propter justitiam primus occiditur. »

Horatio Cocliti objiciebant æmuli claudicationem : quibus ille : « Per singulos gradus moneor triumphi mei; » ipse enim Porsenæ regi per sublicium pontem transire conanti restitit, solusque hostium impetum sustinuit, donec a tergo pons a sociis frangeretur, ibique in coxa læsus claudicare cœpit, teste Livio, lib. II, *decad.* 1. Idem Caino parricidæ dicere poterat, et potest etiamnum Abel.

Probabiliter putant aliqui Abel occisum esse sub annum mundi 130, ex eo quod hoc anno 130, natus sit Seth, quem mater Eva crebro (quotannis, ait Augustus Torniellus) parere solita, Abeli occiso mox substituit; ita Pererius, Cajetanus et Torniellus in suis *Annalibus*, quos ad instar Baronii, ab Adamo ad Christum per singulos annos seriatim et ordine digessit et descripsit.

Allegorice, Abel fuit typus Christi a Judæis suis occisi. Ita ex S. Irenæo et Augustino Rupertus.

Vers. 9. 9. NESCIO : NUM CUSTOS (Arabicus, *speculator*) FRATRIS MEI SUM EGO? — Ambrosius, lib. II *De Cain*, cap. IX, notat hic tria ejus crimina. « Negat, inquit, primum, quasi apud ignorantem; recusat fraternæ munus custodiæ, quasi exsors naturæ; declinat judicem, quasi liber arbitrii. Quid miraris, si pietatem non agnovit, qui non agnovit auctorem? »

Vers. 10. 10. VOX SANGUINIS. — Hebraice est *vox sanguinum*, quod perperam Chaldæus cum Rabbinis refert ad filios, quos habiturus erat Abel, si non fuisset necatus, quia nimirum tantum sanguinis effudit Cain, quantum per propagationem filiorum, quos generaturus erat Abel, sufficere multis poterat : clamabant ergo vocibus innumeris, qui sanguinis futuri erant participes. Patet enim hæc non ad posteros, sed ad sanguinem Abelis a Cain effusum, pertinere. Hebraice autem est *vox sanguinum*, pro *sanguinis*, quia Hebræi homicidium ad emphasim (ad horrorem inculiendum) vocant effusionem sanguinum, id est sanguinis : quia revera in homicidio multus sanguis hominis effunditur.

Pulchre S. Ambrosius, lib. II *De Cain*, cap. IX : « Non accusat, ait, vox ipsius (Abelis) non anima ejus, sed vox sanguinis accusat, quem ipse fudisti : tuum te ergo facinus, non frater accusat. Est tamen etiam terra testis, quæ cepit sanguinem. Si frater parcit, terra non parcit : si frater tacet, terra condemnat. Ipsa est in te, et testis et judex. Non est ergo dubium quod eum et superiora (cœlum, sol, luna, stellæ, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates, Cherubim et Seraphim) damnaverint, quem inferiora damnarunt. Nam quomodo absolvitur pura illa cœlestique sententia, quem nec terræ potuerunt absolvere? »

Abeli similis fuit S. Wenceslaus, rex Boemiæ et martyr, occisus a fratre Boleslao quasi altero Caino, instigante matre Drahomira. Wenceslaus enim pius et innocens quasi Abel regnum plus jejunio, orationibus, cilicio, ac aliis piis operibus rexit, quam imperio, illud plane occinens : « Septies in die laudem dixi tibi super judicia justitiæ tuæ. » Divinitus ergo præscius mortem sibi a fratre ad epulum invitante per dolum parari, non subterfugit, sed S. Sacramentis se præmuniens fratris domum adiit; ac post fraternam et hospitalem mensam, proxima nocte ante templum orans cæsus est : factusque gratissima Deo hostia, sanguine ejus aspersus est templi paries, quem frustra cæsores abluere et detergere conati sunt : quanto enim crebrius detergebatur, tanto vivacior magisque cruentus aspiciebatur; mansit itaque ibidem indeletus, in testimonium tanti parricidii instar Abelis clamans in cœlum. Quocirca omnes tanti sceleris administri misere perierunt : Drahomiram matrem in arce Pragensi vivam terra absorpsit. Boleslaus quasi alter Cain prodigiis et terroribus agitatus, et ab Othone imperatore in ultionem parricidii bello appetitus, morbo tandem absumptus, principatu et vita privatus est. Alii per dæmones exagitati, umbram suam metuentes, sese in flumen præcipites dederunt. Alii mente capti fugam inierunt, et nusquam amplius comparuerunt. Alii variis et gravibus morbis icti, hominibus exosi, vitam miserabiliter finierunt. Ita habet ejus Vita et Annales Boemiæ, atque ex iis Æneas Sylvius in *Hist. Boemica.*

CLAMAT AD ME (1), — *q. d.* Reatus homicidii, imo parricidii tui, ita voluntarii, in conspectu meo comparet, atque a me celerem et atrocem

מרר *amarus fuit*, ut sensus sit, *attamen Cain in fratrem amaro animo fuit.* Dathius significationem verbi אמר apud Arabes obviam h. l. adhibet, quæ est, *durius loqui cum aliquo.* De Rossi recte observat verbum אמר significare interdum *cum aliquo loqui* (cf. *Exod.* XIX, 25), quin subjiciatur quid dictum fuerit. Sensus ita esset : Jamdiu Cainus ne verbulum fratri fecerat; jam simulans se omnem deposuisse rancorem, et alloquium cum eo instituens, incautum adortus occidit.

(1) Plurale צעקים non ad קול, sed ad דמי refertur, observantque Hebræorum grammatici, ubi duo nomina substantiva conjunguntur, verbum vel adjectivum sequens haud raro cum posteriore, non cum priore convenire. Cf. *Exod.* XXV, 5.

vindictam exposcit. Est prosopopœia. Ita S. Hieronymus in *Ezechiel.* cap. XXVII. Sunt ergo hæc atrocia peccata, phrasi Scripturæ in cœlum clamantia: *primo,* parricidium, quale fuit Caini; *secundo,* peccatum Sodomorum, *Genes.* XIX, 13; *tertio,* merces operariorum defraudata, *Jacob.* V, 4; *quarto,* oppressio viduarum, pupillorum et pauperum, *Exodi* II, 23. Vide hic quomodo Deus occultum homicidium Caini propalet et puniat. Mira alia homicidii occulti detecti et puniti exempla habet Plutarchus, lib. *De Sera numinis vindicta.*

Quatuor peccata in cœlum clamantia.

Hoc factum et dictum apposite Innocentius I Pontifex applicat Arcadio Imperatori, et Eudoxiæ Augustæ, eo quod S. Joannem Chrysostomum in exilium egissent, ibique eum, quasi Caini Abelem, ærumnis confecissent, ideoque in eos excommunicationis fulmen intorquet. Audi epistolam tanto Pontifice dignam, quam ex Gennadio et Glyca recitat Baronius, anno Domini 407. « Vox sanguinis fratris mei Joannis clamat ad Deum contra te, o Imperator, sicut quondam Abel justi contra parricidam Cain, et is modis omnibus vindicabitur. Ejecisti e throno suo, re non judicata, magnum totius orbis doctorem, et una cum eo Christum persecutus es. Neque de illo ita queror : sortem enim, seu hæreditatem cum S. Apostolis in Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi regno consecutus est, etc.; sed quod orbis sub sole totus ad orbitatem redactus est, viro tam divino amisso persuasione unius mulieris, fabulam hanc et spectaculum exhibentis. » Et mox : « Nova autem Dalila, Eudoxia, quæ paulatim te seductionis novacula totondit, execrationem ex multorum ore sibi ipsi introduxit, grave et quod gestari nequeat, peccatorum pondus colligans, atque id prioribus peccatis suis superaddens. Itaque ego minimus et peccator, cui thronus magni Apostoli Petri creditus est, segrego et rejicio te et illam a perceptione immaculatorum mysteriorum Christi. »

DE TERRA. — Tradunt multi Abel cæsum esse in Damasco, et inde dictam Damascum quasi דם שק *aam sac,* id est *sanguis saccus,* quia scilicet bibit et hausit sanguinem Abelis. Intellige Damascum, non Syriæ, ut videtur velle S. Hieronymus : hæc enim aliunde suum nomen et originem traxit, ut dicam cap. XV, vers. 2; sed Damascenum agrum juxta Hebron, rubra terra confertum (quæ hebraice hic vocatur *Adama*), ubi creatus et vixisse putatur Adam. Ita Burchardus, Adrichomius et alii in *Descriptione terræ sanctæ* et Abulensis in cap. XIII, Quæst. CXXXVIII.

Vers. 11. 11. MALEDICTUS ERIS SUPER TERRAM. — Tum quia terra tibi erit maledicta, et maligne parceque tibi eam colenti suos dabit fructus : ut sit hypallage. Hebræa habent, *maledictus tu de terra, q. d.* Polluisti terram sanguine fratris tui, ideo et per terram sterilitate punieris (1). Hinc et sequitur : « Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos. » Tum quia tu infaustus, infelix, vagus et profugus eris super terram, ut sequitur. Ergo deliri, æque ac blasphemi fuerunt Caiani hæretici, qui Cain coluerunt, dictitantes Abel fuisse ex debiliori virtute, ideoque esse occisum : Cain vero fuisse ex fortiori et cœlesti virtute, æque ac Esau, Core, Judam et Sodomitas; atque hos omnes esse cognatos suos jactabant : Cain enim fuisse patrem Judæ. Judam autem venerabantur; eo quod ipse tradiderit Christum, præsciens ejus morte homines redemptum iri. Ita Epiphanius, *hæresi* 38; S. Augustinus, Philastrius et alii in hæresi Caianorum.

(1) *De terra,* id est, exul e terra ista, quæ aperuit os suum, etc.

Vers. 12. 12. NON DABIT TIBI FRUCTUS SUOS, — hebraice כחה *cocha,* id est virtutem suam. Jam virtus terræ sunt fructus terræ copiosi et vigorosi.

VAGUS ET PROFUGUS, — ex mala conscientia pavidus, et, ut Septuaginta vertunt, *gemens et tremens,* scilicet tum animo, tum corpore, huc illucque vagaberis. Græce enim τὸ τρέμων, id est *tremens,* referunt ad tremorem corporis in Cain, qui pavoris ejus et consternationis animi fuit index.

Vers. 13. 13. MAJOR EST INIQUITAS MEA, QUAM UT VENIAM MEREAR. — Pagninus, Vatablus, Oleaster cum Aben Ezra, עון *avon,* id est iniquitas, peccatum, sumunt pro pœna peccati, itaque vertunt, *major est punitio mea, quam ut feram,* vel *ferre possim.* Ita et Athanasius ad Antiochum, *Quæstione* 96. Ubi obiter adverte hasce breviores quæstiones non esse magni illius S. Athanasii Alexandrini : nam in iis citantur S. Epiphanius et Gregorius Nyssenus, qui S. Athanasio fuerunt posteriores; imo auctor earum citat, *Quæstione* 93, ipsum S. Athanasium, atque ab eo recedit, aliamque sententiam sequitur. Nec tamen auctor earum idem est cum Athanasio Nicæno, qui prolixas quasdam quæstiones in sacram Scripturam conscripsit; licet forte ad eumdem Antiochum uterque quæstiones suas scripserit.

Cain desperat.

Verum communiter Septuaginta, Chaldæus, Noster, Patres Græci et Latini proprie accipiunt hic peccatum, putantque Cainum his verbis desperasse. Unde Hebræa sic habent גדול עוני מנשא *gadol avoni minneso,* id est, major est iniquitas mea, quam ut eam ferre aut portare possim; *secundo,* planius et melius cum Septuaginta, Chaldaica et Nostro ita vertas : Major est iniquitas mea, quam ut eam ferre et parcere, id est, quam ut ferat et parcat Deus. Hebræum enim נשא *neso,* et ferre, et parcere significat, quia cum quis alteri parcit, magno eum onere levat; offensam enim ejus condonando fert et portat; offensa enim et peccatum in Deum est onus Ætna ponderosius, peccatori incumbens. Unde Noster vertit, *quam ut veniam merear,* id est, quam ut ulla pœnitentia veniam possim impetrare, *q. d.* Omnino indignus et incapax sum veniæ.

Hinc cum Caino graviter errant Novatiani alii-

que, qui censent aliqua peccata ita gravia esse, ut etiamsi quis pœniteat, Deus tamen illa condonare non possit, aut nolit. Ita S. Ambrosius, lib. I *De Pœnitentia*, cap. IX.

Quatuor quæ aggravant peccatum.

Quatuor sunt, inquit Hugo Cardinalis, quæ aggravant peccatum, scilicet peccati qualitas, frequentia, diuturnitas, impœnitentia; sed his omnibus in immensum major est Dei clementia, Christique meritum et gratia. Audi eum *Jeremiæ* III, 1 : « Tu fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere ad me, dicit Dominus. » Audi *Ezechielem*, cap. XVIII, vers. 21 : « Si impius egerit pœnitentiam, etc., vita vivet, et non morietur : omnium iniquitatum ejus quas operatus est, non recordabor amplius. »

Vers. 14. 14. ECCE EJICIS ME HODIE A FACIE TERRÆ, — a patria mea jucundissima et fertilissima, inquit Oleaster et Pererius, adeoque a tota terra, dum nusquam me consistere permittis, sed continuo ab una regione in aliam expellis, facisque exulem et profugum, tum a terra, tum consequenter ab hominibus, *q. d.* Facis me odium omnium hominum, ut nec ego illos aspicere ausim, nec illi me aspicere dignentur.

Addit Josephus, penes quem sit fides, Cainum pejorem effectum, tandem factum fuisse ducem latronum et nequitiæ, in Henochia urbe quam condidit.

A FACIE TUA ABSCONDAR, — quasi reus præsentiam judicis Dei fugiam, latibula quæram. Ita S. Ambrosius et Oleaster; *secundo*, cura, favore et tutela tua destituar. Ita S. Chrysostomus et Cajetanus. Unde non est necesse cum Delrio hic recurrere ad hypallagen, *q. d.* Tu abscondes faciem tuam a me, ne me oculis æquis aspicias. Ait ergo Cain, ut pulchre Lipomanus : Ecce, Domine, abstulisti a me fructus terræ, abstulisti gratiam et tutelam tuam, permittis me mihi, pro venia te convenire non audeo; abscondar a te, subterfugiam ut potero judicium tuum, vagus et instabilis ero ubique, et si tu me non persequeris, quisquis aliorum invenerit me occidet, meque tueri non potero (1).

Pavor Caini et malæ conscientiæ.

OMNIS IGITUR QUI INVENERIT ME, OCCIDET ME. — Quia ex tremore corporis et furiatæ mentis agitatu, quisque eum me esse intelliget, qui mereatur interfici, ait Hieronymus, epist. 125 *ad Damascenum*, Quæst. I, *q. d.* Sum catharma, sum anathema, sum odium Dei et hominum, non potero evadere, quin ab aliquo occidar. En omen, en pavor malæ conscientiæ. Ita S. Ambrosius. E contrario justus ut leo confidit, dicitque : « Etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es, » *Psalm.* XXII, vers. 4.

(1) Regio, in qua consederat Adamus, reputabatur *in conspectu Dei*, quod eam potissimum Deus tutabatur, et quum homines alibi nusquam essent, in ea sola tum Adamo, tum ejus familiæ apparebat, itaque Cainus verebatur ex ea decedere, ibi maxime existimans se tutum esse.

Nota : Cain impœnitens timet mortem corporis, non animæ. Ita S. Ambrosius.

Vers. 15. 15. NEQUAQUAM ITA FIET : SED OMNIS QUI OCCIDERIT CAIN, SEPTUPLUM PUNIETUR. — Pro *septuplum* hebraice est שבעתים *scibataim*, quod Aquila vertit *septempliciter*; Septuaginta et Theodotion, *septem vindictas*, *q. d.* Multipliciter et gravissime punietur is, qui Cain occiderit; quia secundus erit homicida, qui primus malum exemplum Caini secutus est, nec ejus punitione tam gravi, a cæde absterritus est, et qui occidit primum homicidam Cainum, cui Deus vitæ fidem dedit, quemque ad pœnam et omnium exemplum vult superesse, cum ipse vitam habeat pro supplicio, mortem pro solatio : ut ei diu vivere non sit aliud, quam diu torqueri.

Hinc apte Burgensis censet plus pœnæ hic intentari occisori Caini, quam ipsi Caino, ob causas jam dictas. Negant hoc Lyranus, Abulensis, Carthusianus et Pererius; adeoque negant eos hic inter se comparari; unde ipsi hæc ita dispungunt et distinguunt : « Omnis qui occiderit Cain, » subaudi, gravissime punietur, punctum. Deinde subdunt, « septuplum punietur, » scilicet Cain; vel, ut Symmachus vertit, *septimus punietur*, Cain scilicet, quia in septima generatione, scilicet a Lamech, creditur occisus esse Cain, eousque vitæ derelictus ad pœnam et exemplum. Verum hæc dispunctio inconcinna est, nova et hiulca : prior ergo sensus quem dedi, genuinus est. Adde, Hebræum שבעתים *scibataim*, non septimum, ut vertit Symmachus, sed *septuplum* significare (2).

POSUITQUE DOMINUS CAIN SIGNUM. — Quæres quale? Rabbini quidam fabulantur fuisse canem, qui Cainum semper præibat, et per vias tutas deducebat. Alii, fuisse litteram fronti Caini impressam; alii, vultum ferum et truculentum. Verum communior sententia est, signum hoc fuisse tremorem corporis, et mentis ac vultus consternationem, ita ut corpus et vultus peccatum Caini loquerentur. Hunc enim tremorem fuisse in Caino, patet ex Septuaginta; isque decebat Cainum : « nusquam enim pejus, quam in sano corpore, æger animus habitat. »

Signum Cain fuit tremor corporis.

Nota hic in Caino effectus et pœnas peccati. *Primus* est, tremor corporis; *secundus* est, exilium et fuga; *tertius* est, timor et consternatio mentis. « Omnis, inquit, qui invenerit me, occidet me. » Quid times, o Cain? præter te et parentes nullus adhuc homo in mundo est. A gratia Dei per peccatum exciderat; hinc pœna et trepidatio : nec sine causa. Nam primum ipse Abel defunctus persequi cœpit homicidam : « Vox sanguinis fratris tui, inquit Scriptura, clamat ad me. » Nam « Deus, ait S. Ambrosius, audit suos justos, etiam mortuos, quoniam Deo vivunt. »

Sex pœnæ Caini Prima. Secunda. Tertia.

(2) *Septuplum* supplicium pro *multiplici*. Cf. *Ps.* XII, 7; CXVIII, 164; *Prov.* XXIV, 16. Dicit itaque Deus, eum qui Cainum occiderit, *gravissimas* pœnas luiturum.

Quarta. *Quarto,* persequebatur Cainum ipsa terra : « Vox sanguinis clamat ad me de terra, » *q. d.* Si frater parcit, terra non parcit, ait S. Ambrosius : hæc Caino maledicta negat fructus, hæc eum expellit quasi profugum.

Quinta. *Quinto,* horrorem Cain injiciebant cœlestes, pariter et infra cœlum positæ virtutes; ut enim ait Procopius, præter fulgura et coruscationes horrificas, videbat Cain angelos igneis gladiis sibi mortem minantes : si oculos ad terram demittebat, serpentes veneno, leones unguibus, cæterasque feras suis armis in se irruentes videre sibi videbatur.

Sexta. *Sexto,* profugus fuit Cain in terra, ac tandem latitans in silvis (si credimus Hebræis) a Lamech occisus est; qua de re dicam vers. 23. Nonne ergo, ut ait S. Chrysostomus, « peccatum est spontanea insania et voluntarius dæmon?

Vers. 16. 16. HABITAVIT PROFUGUS IN TERRA. — Hebraice est, *habitavit in terra Nod.* Ita Septuaginta et Josephus, qui *Nod* ut proprium accipiunt; Noster tamen accepit ut appellativum; utrique bene : *Nod* enim significat vagum, mobilem, fluctuantem, profugum. Hæc ergo terra, in quam primitus fugit Cain, dicta est *Nod,* non quasi terra quæcumque a Caino pedibus calcata fuisset, fluctuaret et contremisceret, ut Rabbini aliquid finxerunt; sed dicta est terra *Nod,* quasi dicas, terra profugii, in quam scilicet profugit Cain profugus.

Quæ terra Nod?

Vers. 17. 17. UXOREM SUAM, — filiam Adami, ac consequenter sororem suam. Initio enim mundi necesse fuit sorores fratribus nubere, inquiunt S. Chrysostomus, Theodoretus, Procopius, quod alias jure naturæ vetitum est, ita ut in eo Pontifex dispensare non possit.

ÆDIFICAVIT, — non jam, sed multis (puta 400 aut 500) post annis, inquit Josephus, cum Cain plures jam genuisset filios et filias, nepotes et neptes, qui Henochiam replere possint. Ita S. Augustinus, lib. XV *De Civit.* cap. VIII. Symbolice, idem eodem libro, cap. I : « Natus est, inquit, prior Cain ex illis duobus generis humani parentibus, pertinens ad hominum civitatem; posterior Abel, ad civitatem Dei. Sic universo genere humano, cum primum duæ istæ cœperunt nascendo atque moriendo procurrere civitates, prior est natus civis hujus sæculi; posterior autem iste peregrinus in sæculo, et pertinens ad civitatem Dei, gratia prædestinatus, gratia electus, gratia peregrinus deorsum, gratia civis sursum. » Et mox : « Scriptum est itaque de Cain, quod condidit civitatem : Abel autem tanquam peregrinus non condidit. Superna est enim sanctorum civitas, quamvis hic pariat cives, in quibus peregrinatur donec regni ejus tempus adveniat, ubi cum suo principe rege sæculorum sine ullo temporis fine regnabunt. »

VOCAVIT EX NOMINE FILII SUI HENOCH — *Henochiam.* Hæc prima in orbe fuit urbs, in qua non dubium habitasse Cainum, ac proinde desiisse jam esse profugum et vagum sub finem vitæ : tremor tamen corporis ei semper adhæsit.

Tropologice S. Gregorius, lib. XVI *Moral.* cap. VI : Mali in terris, boni in cœlis civitatem deligunt : sed vide quam breve sit impiorum sæculum et gaudium : Cain tantum septimam habuit generationem, quæ desinit in Lamech, in quo ejus tota progenies diluvio periit.

Cain stirps periit diluvio.

19. DUAS UXORES. — Primus polygamus Lamech legem monogamiæ latam, *Genes.* II, 24, violavit. Unde Nicolaus Pontifex, scribens ad Lotharium regem pariter polygamum, Lamech vocat adulterum, ut habetur, cap. *An non,* XXIV, Quæst. 3.

Vers. 19. Primus polygamus Lamech fuit homicida.

Post diluvium, cum vita hominum esset brevior, et unicus superesset Noe cum suis, ne nimis lente propagarentur homines, dispensavit Deus, ut plures liceret habere uxores. Id patet, quia Abraham et Jacob, viri sanctissimi, plures habuerunt. Verum satis propagato jam genere humano, cœperunt cultiores Hebræi, Græci, Romani polygamiam sensim aversari, et tandem Christus omnino eam sustulit, *Matth.* XIX, 4 (1).

Vers. 21. 21. PATER, — inventor, auctor; Jubal ergo, filius Lamech, fuit inventor organi (2) et citharæ; unde ab hoc Jubal, qui fuit jubilosus, jucundus et jovialis, putant nonnulli Latinos sumpsisse suum jubilare et jubilum.

Vers. 22. 22. QUI FUIT MALLEATOR ET FABER IN CUNCTA OPERA ÆRIS ET FERRI, — qui fuit inventor artis fabrilis. Hebræa ad verbum sic habent : *Qui fuit acuens,* id est, expoliens, *omnia opera æris et ferri.*

Vers. 23. 23. QUONIAM OCCIDI VIRUM ET ADOLESCENTULUM. — Quæres, quis fuerit hic vir et quis adolescens? Hebræi, et ex iis S. Hieronymus, Rabanus, Lyranus, Tostatus, Cajetanus, Lipomanus, Pererius; Delrio, tradunt quod Lamech occiderit Cain tritavum suum, hac ratione. Ibat Lamech venatum in silvam, in quam Cain concesserat, vel ambulandi, vel captandi frigoris causa. Comes ergo, vel armiger Lamech advertens strepitum et motum foliorum quem faciebat Cain, indicavit Lamecho ibi latere feram. Lamech jaculatus occidit, non feram, sed Cain. Re deprehensa, Lamech ira æstuans in armigerum malum indicem, eum arcu aut fuste contudit; unde ipse paulo post mortuus est. Occidit vero Lamech virum, puta Cain, et adolescentem, puta armigerum suum. Nec obstat vers. 15; ibi enim tantum Deus vetat, ne palam et agnitus Cain occidatur : Lamech autem casu et ignarus occidit Cain.

An Lamech occiderit Cainum?

Hæc tamen traditio Theodoreto, Burgensi, Catharino et Oleastro fabulosa videtur : ac merito talis apparebit, si illi addantur circumstantiæ, quas aliqui addunt, veluti quod Cain, non in Henochia sua, sed in silvis versari et latere sit

(1) Vers. 20. *Atque pastorum.* Hebr. est ומקנה, qua voce proprie *acquisitio, possessio,* deinde pecus designatur. Hic elliptice ponitur pro ואנשי מקנה, *pecuariorum,* seu pastorum. Frequens est ellipsis nominis איש.

(2) *Organum* hic videtur esse *fistula, tibia.*

solitus; quod Lamech fuerit cæcus aut cæcutiens, itaque iverit venatum, atque ob cæcitatem deceptus a suo comite, vel armigero confixerit Cain; quod hic comes, vel armiger fuerit Tubalcain, filius Lamech, quem sane nominasset hic Moses et Lamech pater.

Certum ergo est Lamech occidisse virum aliquem, quisquis ille fuerit.

Rursum, licet Theodoretus et Rupertus putent Lamech tantum unum occidisse, qui in Hebræo carmine et rhythmo dicatur vir, ratione sexus: adolescens vero, ratione ætatis; Hebræi enim in rhythmo, posteriore hemistichio repetunt et explicant prius hemistichium: tamen passim alii docent Lamech occidisse duos: unus enim hic vocatur vir, alter adolescens, et, ut hebraice est, ילד *ieled*, id est, *puer*; puer autem nequit dici vir. Porro perperam vir doctus apud Emmanuelem Sa, per interrogationem hæc vertit, itaque explicat: Cum male, inquit, audiret Lamech, quod duas uxores duxisset, illæque timerent ne ei mali aliquid ea de causa accideret, dixit: Numquid hominem aliquem occidi, ut vitæ meæ timere debeatis? Si Caini occisor graviter puniendus est, quanto magis qui me occiderit? Tam enim Hebræa, quam Noster, Septuaginta, Chaldæus et alii, hæc legunt assertive, non interrogative. Perperam et Vatablus conditionate vertit hoc modo: si a quopiam etiam viro fortissimo, vel ab adolescente qui viribus valet, vulnus acciperem, illum interficerem; valeo enim viribus; non est ergo, uxores, quod mihi aut liberis vestris, ob polygamiam timeatis.

Lamech duos occidit.

IN VULNUS MEUM, ET ADOLESCENTULUM IN LIVOREM MEUM, — puta per vulnus meum, per livorem meum, seu vulnere et livore a me incussso et inflicto, patet ex Hebræo; *secundo*, alii sic explicant, *q. d.* Quo vulnere virum confodi, eodem me cruentavi; et qua plaga decoloravi adolescentulum, illa ipsa atrum meo animo livorem induxi, notam scilicet homicidii ac reatum, cui obnoxius pari vulnere et livore conficiar. Unde Septuaginta vertunt, *virum occidi in vulnus mihi, et adolescentulum in livorem mihi*. Hoc est enim quod Dominus Davidi homicidæ intentat: « Uriam percussisti gladio, quamobrem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum, » II *Reg.* cap. XII. Atque hinc est quod homicidæ terrente conscientia, semper sunt pavidi, umbris percelluntur, territantur spectris mortuorum suos occisores persequentium, et adigentium ad mortem. Illustre exemplum habet Sophronius in *Prato Spirit.* cap. CLXVI, de latrone, qui conversus factusque monachus assidue vidit puerum se insectantem, ac dicentem: Cur me occidisti? Unde petita venia monasterio egrediens, urbemque ingrediens captus et decollatus est. Hic sensus profundior, sed prior simplicior est.

Vers. 24. Quid

24. SEPTUPLUM ULTIO DABITUR DE CAIN, DE LAMECH VERO SEPTUAGIES SEPTIES. — Arabica, *septuplum vindicabitur propter Cain*, et *propter Lamech septuagies septies*. *Primo*, Rupertus per *septies* temporariam, per *septuagies septies* æternam pœnam accipit; *secundo*, quia Lamech, teste Josepho, 77 habuit proles, qui omnes perierunt diluvio; *tertio*, S. Hieronymus, et ex eo Nicolaus Papa ad Lotharium, ac Procopius: Cain, inquiunt, peccatum septies, Lamech septuagies septies vindicatum est: quia peccatum Cain septima generatione in diluvio deletum est: peccatum vero Lamech, et totius generis humani, cujus typus fuit Lamech (qui Hebraice idem significat quod humiliatus, ait Alcuinus), in septuagesima septima, scilicet per Christum deletum est: tot enim sunt generationes ab Adam usque ad Christum, *Luc.* III, vers. 23. Huic affinis est versio Chaldæi, quæ sic habet, *si in septem generationes vindicta dabitur de Cain, nonne de Lamech in septuaginta septem?* Verum Lamech non habuit tot generationes: ipse enim cum tota sua posteritate diluvio periit.

Septuagies septies ultio de Lamech? Prima expositio. Secunda. Tertia.

Quarto, Lipomanus, Delrio et alii sic explicant: videntur uxores Lamech ipsi improperasse suas cædes, comminando, quod et ipse pariter ab aliis occidendus foret; hisce respondet Lamech: « Quoniam occidi, » id est occidi sane, fateor, virum et adolescentem, mortemque sum meritus: sed tamen si Caini (qui voluntarius fuit parricida) interfector septuplum est puniendus, utique mei (qui casualis tantum et involuntarius sum homicida, quique facti sum pœnitens) interfector septuagies septies, id est longe gravius, punietur: ego enim Cainum inscius occidi; armigerum vero meum castigare tantum volui, non occidere (1).

Quarta.

Verum dico, pro *ultio dabitur de Cain et Lamech*, hebraice est יקם קין ולמך *iuckam Cain vel Lamech*, id est, vindicabitur et punietur ipse Cain et Lamech: sic enim Noster, Septuaginta et alii hanc phrasin vertunt, vers. 15; non ergo hic vindicta intentatur cæsori Caini et Lamechi, sed ipsi Caino et Lamecho. Lamech ergo ex vehementia doloris

Quinta et genuina.

(1) « Ex Hessii sententia Lamechus sese jactat propter filios suos, qui artium adeo utilium essent inventores: Cainum progenitorem suum propter cædem non esse punitum, multo minus se posse puniri, si vel simile scelus commisisset. Verba enim non significant cædem ab eo revera esse patratam, sed sunt verba hominis admodum insolentis et profani. Cæterum apparet, hæc verba a Mose ex quodam carmine antiquo inserta esse: tota enim oratio poeticam quamdam sublimitatem spirat. Sensus igitur horum duorum versuum hic erit: *Si propter viri aut juvenis cædem vulnera et plagæ mihi intendantur, cum de Caino pœna septuplex statuta fuerit, in Lamecho id fiet septuagies septies.* Herderus, in lib. *De Poeseos Hebraicæ indole, vom Geist der ebraischen Poesie*, Part. I, p. 344, existimat hoc Lamechi carmen laudes canere gladii a filio inventi, cujus usum et præstantiam contra hostiles aliorum insultus his verbis prædicet: *Lamechi mulieres, audite sermonem meum, percipite dicta mea: Occido jam virum, qui me vulnerabit, juvenem, qui plagam mihi infliget. Si Cainus septies est ulciscendus, in Lamecho id fiet septuagies septies.* » Hæc Rosenmullerus ad h. l. Cf. Meignan, op. cit., pag. 114

et pœnitentiæ ob admissum homicidium duplex, dicit : Si Cain, qui unum occidit, septuplum, id est multipliciter, graviter et plene punitus est; ergo ego, qui duos occidi, quique pœnam Caini vidi, nec tamen ab ejus peccato abstinui, septuagies septies, id est longe gravius et multiplicius puniendus sum. Ita S. Chrysostomus et Theodoretus. Est enim hæc phrasis et parœmia Hebræis familiaris, ut dicant septies puniri, pro graviter, plene et multifariam puniri : septuagies vero septies puniri, pro longe gravius et copiosius, ac quasi in immensum puniri. Est enim septenarius numerus multitudinis et universitatis : septuagenarius septimus vero est numerus quasi immensitatis. Huc respexit Christus *Matth.* XVIII, 22 : « Non dico usque septies, sed usque septuagies septies. »

Septem peccata Caini ex Cyrillo.

Secundo, proprie S. Cyrillus : Septuplum, inquit, punitur Cain, quia septem peccata admisit : *primum,* irreligiositatis, dum viliora obtulit; *secundum,* impœnitentiæ; *tertium,* invidiæ; *quartum,* quod dolose fratrem in agrum deduxerit; *quintum,* quod eum occiderit; *sextum,* quod Deo mentitus sit, dicens se nescire ubi esset frater; *septimum,* quod putaret se posse fugere et abscondi a Deo, quodque inscio et invito Deo putaret se posse occidi et mori, itaque vitæ hujus evadere supplicium. Verum hic sensus subtilior est et minutior, quam solidior.

Censet Alcazar 77 idem esse quod 490.

Censet Alcazar in *Apocal.* XI, 2, notat. 1, τὸ *septuagies septies* idem esse quod 490 : hunc enim numerum in Scriptura esse celebrem et reputari plenum ac perfectum : nam si 70 mulplices per 7, efficies 490. Sic cum dicimus, *ter quater,* significamus duodecim : alias enim diceremus, ter et quater. Verum hic sensus subtilior, et hic numerus plus æquo grandior videtur. Sicut ergo dicimus vigesies ter, pro 23 vicibus; sic et septuagies septies, pro 77 vicibus. Similis est phrasis *Amos* cap. I, vers. 6, 9, 11 : « Super tribus sceleribus Gazæ, et super quatuor non convertam eum. » Tria enim et quatuor, significant innumera scelera Gazæ.

Notat hæc Scriptura in Lamech, in odium polygamiæ et homicidii; utque sciamus primum polygamum Lamech, fuisse secundum homicidam : facilis enim ex libidine in rixas et cædes est lapsus.

Vers. 25.

25. VOCAVITQUE,—non Adam, sed Eva, ut patet ex Hebræo תקרא *ticra,* quod femininum est.

Seth idem quod thesis, vel positio.

NOMEN EJUS SETH. — *Seth* idem est quod thesis, sive positio aut fundamentum; radix enim שות *suth,* significat ponere, locare. Eva ergo, occiso Abel, mox videtur genuisse Seth, eumque ita vocasse, quasi fundamentum suæ sobolis et posteritatis, ac consequenter reipublicæ æque ac Ecclesiæ civitatisque Dei; hoc enim pro Abel futurus erat Seth, sicut Cain fuit caput et fundamentum civitatis diaboli, qua de re S. Augustinus scripsit lib. *De Civit. Dei.* Addit Suidas, Seth a pietate, sapientia et astrologia cognominatum esse Deum, eo quod ipse inventor fuerit litterarum et astrologiæ.

Porro stolidi fuerunt Sethiani hæretici, qui a Seth, filio Adæ, se prognatos gloriabantur : hi, ait Epiphanius, *hæres.* 39, Seth glorificabant, et ad ipsum omnia, quæ virtutis et justitiæ sunt, referebant, quin et ipsum esse Jesum Christum asserebant. Seth enim productum esse ex superna matre, quæ pœnitentiam egit, eo quod produxisset Cain : postea vero cum occisus esset Abel, et Cain abjectus, superno patri congressa sit, et purum semen, puta ipsum Seth, genuerit, a quo deductum est omne genus hominum. Hæc hæreticorum de more fuere deliria.

Vers. 26.

26. ENOS — *Enos* hebraice idem est quod infirmus, afflictus, ærumnosus, desperatæ valetudinis, certæ morti addictus; videtur ergo Seth prius ita filium vocasse, ut eum ejusque posteros admoneret miseræ suæ sortis et mortalitatis, cui omnes ob peccatum addicti sumus. Sicut ergo Adam vocatur ab adama, quasi homo ab humo, ita vocatur Enos a miseria et mortalitate. E contrario homo græce vocatur ἄνθρωπος quasi ἀνάθρων, id est *sursum aspiciens;* vel, ut ait S. Athanasius, tract. *De Definitionibus,* ἀπὸ τοῦ ἀνὼ θεωρεῖν τὴν ὄπα, id est, ab eo quod vultu superna suspicit. Potest *secundo,* homo dici *Enos,* a radice נשה *nasa,* id est oblitus est, ut Enos idem sit quod obliviosus, et vicissim cito oblivioni tradendus. Ad hoc etymon alludit Psaltes *Psal.* VIII : « Quid est homo quod memor es ejus? »

Enos vocatur a mortalitate.

Secunde, ab oblivione.

Huc pertinet id quod scribit Josephus, Adamum prædixisse mundi hominumque interitum, eumque duplicem, unum per diluvium, alterum per incendium et conflagrationem; ideoque posteros Seth pios et sapientes excitasse duas columnas, unam lateritiam, alteram lapideam, eisque sua inventa, artes et disciplinas, vel inscripsisse, vel scriptas inclusisse ad posterorum instructionem, et sui memoriam posteris consignandam : idque hoc consilio, ut, si lateritia diluvio periret, lapidea superstes remaneret, quæ, inquit Josephus, etiamnum extat in Syria.

ISTE COEPIT INVOCARE NOMEN DOMINI, — *q. d.* Enos auctor fuit ut passim homines rite Deum colerent. Unde Hebræa habent, *tunc cœptum est,* scilicet publice et per cœtus, auctore Enos, *invocari nomen Domini.* Tempore ergo Enos videntur cœtus hominum institui, et in Ecclesiam congregari cœpisse, ad publicas preces, ad publicas conciones et catecheses, ad publicum Dei cultum per sacrificia, aliosque ritus et cæremonias.

Addit Thomas Waldensis, et ex eo Bellarminus, lib. II *De Monachis,* cap. V, Enos instituisse peculiarem aliquem cultum; et sublimiorem, quam esset religio vulgi : nam ante Enos Abel, Seth et Adam invocaverunt Deum. Unde censent ipsi, Enos instituisse quasi præludium et initium vitæ Religiosæ et Monasticæ. Porro Septuaginta ver-

tunt, *hic speravit invocare nomen Domini*. Hebræum enim הוחל *huchal*, non tantum incipere, sed et sperare significat, a radice יחל *iachel*; et spes est causa invocationis. Perperam Rabbini vertunt, *tunc profanata est invocatio nominis Domini*, quasi tempore Enos cœperit idololatria; licet enim *huchal* a rad. חול *chol*, significet profanare, hic tamen non a *chol*, sed a חלל *chalal* descendit, quod in *hiphil* habet החיל *hechel*, significatque cœpit, incœpit : in *hophal* habet הוחל *huchal*, id est cœptum est, uti vertit Noster, Chaldæi, Vatablus, Forsterus, Pagninus et alii passim. Non recte quoque Cyrillus, Theodoretus et Suidas vertunt, *iste cœpit vocari nomine Domini*, quasi ipsi Enos, ob insignem pietatem Dei, ejusque liberis, filiorum Dei nomen sit inditum.

Putat D. Thomas II II *part.*, *Quæst* XCIV, art. 4, ad 2, in prima mundi ætate non fuisse idololatriam, ob recentem creati mundi memoriam. Verum hæc ratio non omnino concludit : nam recens memoria diluvii, et tantæ vindictæ Dei; non impedivit quin et mox surreperet idololatria. Unde Torniellus et alii putant, etiam tum fuisse idololatriam in aliis Adæ familiis : ideoque Enos ei opposuisse publicum unius Dei cultum, itaque S. Ecclesiæ visibilem formam instituisse.

DOMINI. — Hebraice est nomen tetragrammaton *Jehova* (1). Unde Rupertus, Cajetanus et alii putant, hoc nomen Adæ et Enos fuisse revelatum, ipsosque per illud Deum invocasse. Sed verius est Mosi primum hoc nomen tetragrammaton fuisse revelatum, ut dicam *Exodi* VI, 3. Moses ergo, qui hæc scripsit, postquam hoc nomen a Deo, *Exodi* VI, accepit, eo passim anterius, etiam in Genesi, Deum compellat, etiamsi Adam, Enos aliique Patriarchæ Deum tunc, non *Jehova*, sed *Elohim*, vel *Adonai* compellarint.

(1) De nomine Dei tetragrammato, seu *Jehovah*, vide quæ doctissime disseruit Drach, op. cit. t. I, p. 319 seq.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Texitur genealogia Adæ, per Seth, usque ad Noe, idque primo, ut per eam texatur chronologia mundi, ejusque propagatio hucusque ad nos; hinc fit per Seth : a Seth enim omnes descendimus. Nam cæteri omnes Adæ filii et posteri perierunt in diluvio. Secundo, ut videamus Deum omni tempore suam Ecclesiam, sui cultum et pietatem, in aliquibus conservasse, uti hic conservavit in Seth ejusque posteris. Tertio, ut constet genealogia Christi a Noe ad Adam, de qua Lucas cap. III, *vers.* 35.

1. Hic est liber generationis Adam. In die qua creavit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum. 2. Masculum et feminam creavit eos, et benedixit illis : et vocavit nomen eorum Adam, in die quo creati sunt. 3. Vixit autem Adam centum triginta annis : et genuit ad imaginem et similitudinem suam, vocavitque nomen ejus Seth. 4. Et facti sunt dies Adam, postquam genuit Seth, octingenti anni : genuitque filios et filias. 5. Et factum est omne tempus quod vixit Adam, anni nongenti triginta, et mortuus est. 6. Vixit quoque Seth centum quinque annis, et genuit Enos. 7. Vixitque Seth postquam genuit Enos, octingentis septem annis, genuitque filios et filias. 8. Et facti sunt omnes dies Seth nongentorum duodecim annorum, et mortuus est. 9. Vixit vero Enos nonaginta annis, et genuit Cainan. 10. Post cujus ortum vixit et octingentis quindecim annis, et genuit filios et filias. 11. Factique sunt omnes dies Enos nongenti quinque anni, et mortuus est. 12. Vixit quoque Cainan septuaginta annis, et genuit Malaleel. 13. Et vixit Cainan postquam genuit Malaleel, octingentis quadraginta annis, genuitque filios et filias. 14. Et facti sunt omnes dies Cainan nongenti decem anni, et mortuus est. 15. Vixit autem Malaleel sexaginta quinque annis, et genuit Jared. 16. Et vixit Malaleel postquam genuit Jared, octingentis triginta annis, et genuit filios et filias. 17. Et facti sunt omnes dies Malaleel octingenti nonaginta quinque anni, et mortuus est. 18. Vixitque Jared centum sexaginta duobus annis, et genuit Henoch. 19. Et vixit Jared postquam genuit Henoch, octingentis annis, et genuit filios et filias. 20. Et facti sunt omnes dies Jared nongenti sexaginta duo anni, et mortuus est. 21. Porro Henoch vixit sexaginta quinque annis, et genuit Mathusalem. 22. Et ambu-

lavit Henoch cum Deo : et vixit, postquam genuit Mathusalam, trecentis annis, et genuit filios et filias. 23. Et facti sunt omnes dies Henoch trecenti sexaginta quinque anni. 24. Ambulavitque cum Deo, et non apparuit, quia tulit eum Deus. 25. Vixit quoque Mathusala centum octoginta septem annis, et genuit Lamech. 26. Et vixit Mathusala postquam genuit Lamech, septingentis octoginta duobus annis, et genuit filios et filias. 27. Et facti sunt omnes dies Mathusala nongenti sexaginta novem anni, et mortuus est. 28. Vixit autem Lamech centum octoginta duobus annis, et genuit filium : 29. Vocavitque nomen ejus Noe, dicens : «Iste consolabitur nos ab operibus et laboribus manuum nostrarum, in terra cui maledixit Dominus.» 30. Vixitque Lamech, postquam genuit Noe, quingentis nonaginta quinque annis, et genuit filios et filias. 31. Et facti sunt omnes dies Lamech, septingenti septuaginta septem anni, et mortuus est. Noe vero cum quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham et Japhet.

Vers. 1. *Liber est catalogus.*

1. LIBER, — catalogus, enarratio, enumeratio generationum ab Adam ad Noe; hoc enim est heb. ספר *sepher*, a rad. ספר *saphar*, id est numeravit, recensuit. Eodem sensu *Matth.* cap. I, vocatur *liber*, id est catalogus, *generationis*, sive genealogiæ, *Christi*.

AD SIMILITUDINEM DEI, — ad imaginem suam. Sæpe enim Hebræi ponunt antecedens pro relativo.

Vers. 2. 2. VOCAVIT NOMEN EORUM ADAM, — ab hebræo *Adama*, *q. d.* Vocavit eos *homo* ab *humo*, ex qua creavit eos. Eva ergo etiam est Adam; id est homo. Utrique unum nomen indidit Deus, ut scirent conjuges se quasi unum hominem in duobus esse corporibus, seque uti nomine, ita et anima ac voluntate adunari debere. Secundo, nomine Adam monentur se esse terræ filios, viles, luteos, fragiles, mortales, et in terram reversuros. Memento, Adam, quia *adama*, id est terra et pulvis es, et in pulverem reverteris.

Vers. 3. 3. GENUIT (filium) AD IMAGINEM ET SIMILITUDINEM SUAM, — puta, sibi per omnia similem, non in peccato originali, uti explicat Calvinus, sed in natura, scilicet in corpore humano, et in anima rationali, in qua Seth, æque ut Adam, erat imago Dei. Vide dicta cap. I, 27.

Vers. 5. 5. ADAM ANNI NONGENTI TRIGINTA, ET MORTUUS EST. — Nota *primo* : Ab Adam usque ad diluvium, per Seth sunt decem generationes, estque hæc prima mundi ætas.

Anni priscorum æquales nostris.

Nota *secundo* : Anni hi fuerunt duodecim mensium, ut sunt nostri, ut patet *Gen.* VIII, 5; nam si fuissent menstrui, uti aliqui volunt, puta si annus unus fuisset tantum unus mensis, continens triginta dies, sequeretur eos qui hic 75 anno generasse leguntur, 75 mense generasse, ac consequenter generasse anno ætatis suæ 7; omnes denique defuncti essent ante annum ætatis 82, quem etiam hodie non pauci exsuperant. Ita S. Hieronymus et S. Augustinus, lib. XV *De Civit.* cap. XIII. Fateor Ægyptiis priscis annum fuisse menstruum. Id enim tradit Diodorus Siculus, lib. I; Varro apud Lactantium, lib. II, cap. XIII; Plutarchus in *Numa*; S. Augustinus, lib. XII *De Civit.* cap. XX, et Proclus, *in Timæum*, lib. I, pag. 33 : Αἰγύπτιοι, ait, τὸν μῆνα ἐνιαυτὸν ἐκάλουν, *Ægyptii vocabant mensem annum*. Verum nil tale de priscis Hebræis reperias.

Ab Adam ad diluvium sunt anni 1656.

Tertio, ex Hebræo textu, et ex nostra versione Latina patet, ab Adam usque ad diluvium fluxisse annos 1656. Ita S. Hieronymus, Beda et S. Augustinus supra. Quare in Septuaginta qui numerant annos 2242 (juxta editionem correctam a Cardinale Caraffa) irrepsit error; superat enim hic numerus veritatem annis 586. Suspicatur S. Augustinus sciolum quemdam mutasse numerum in Septuaginta, eo quod putaret hic accipi debere annos menstruos; insolitum enim et paradoxum videtur, ut homines tunc vixerint 900 solidos annos. Sed quia ille ipse rursum videbat sibi objici posse : si anni fuerunt menstrui, ergo qui centesimo anno dicuntur generasse, generarunt anno secundum nos octavo : hinc, ut hoc effugeret, pro 100 posuisse 200 (1).

Quarto, mortuus est Adam anno 57 Lamech, patris Noe, 726 annis ante diluvium, viditque totius humani generis sui propagationem et corruptionem. Addit S. Irenæus, lib. V, cap. XXXII, Adam mortuum esse feria sexta, die Veneris; quia eodem die creatus est, et peccavit Adam. Dixerat autem ei Deus : « In quacumque die comederis ex eo, morte morieris; » ergo mortuus est die Veneris, quo et peccavit. Verum illa com-

(1) « Alexandrini Interpretes in annorum numero partim consentiunt cum Hebræis codicibus, partim ab iis dissentiunt. Consentiunt, si attendas annos vitæ; dissentiunt in eo, quod aliter eos dividant. Sumunt enim neminem procreare sobolem potuisse ante centesimum et quinquagesimum annum. Hinc, cum Hebræi tribuant Adamo ante Sethum genitum annos 130, post genitum 800, Græci ante Sethum ponunt 230, postea tantum 700. Prodeunt anni vitæ æquales 830. Itidem Hebræi assignant Setho ante genitum Enoch annos 105, Græci 205. Contra sumit Samaritanus, neminem post centesimum quinquagesimum annum patrem fieri potuisse, atque ad hanc rationem annos, quos patres vixisse dicuntur, dividit. » Ita Rosenmullerus. Cf. Meignan, op. cit. p. 139; Wiseman, *Discours sur les rapports entre la science et la religion révélée*, Disc. 4.

minatio Dei alium habet sensum, uti superius dixi. Eva, si credimus Mariano Scoto, decem annis post maritum vixit, mortuaque est anno vitæ et mundi 940.

Quinto, traditio est Adam sepultum esse in Hebron. Tradit Jacobus Edessenus, qui fuit magister S. Ephrem, apud Barcepha lib. I, cap. XIV, quod Noe ossa Adam in arcam religiose susceperit, et post diluvium illa inter suos liberos distribuerit, Semque quem anteferebat cæteris, calvariam Adæ dederit, et cum ea Judæam. Tanta patribus fuit cura honorque sepulcri, ob animarum immortalitatem, quam certa fide et spe sibi proponebant. Hinc communis Patrum sententia est, cranium Adæ sepultum esse in monte Calvariæ, ut ibi Christi crucifixi sanguine rigaretur, abluerelur, vivificaretur. Audi inter alios Tertullianum, lib. II *Carmin. contra Marcionem*, cap. IV :

Cranium Adæ in monte Calvariæ sepultum.

Golgotha locus est, capitis calvaria quondam :
Hic medium terræ est, hic est victoria signum,
Os magnum hic veteres nostri docuere repertum,
Hic hominem primum suscepimus esse sepultum,
Hic patitur Christus, pio sanguine terra madescit,
Pulvis Adæ ut possit veteris, cum sanguine Christi
Commixtus stillantis aquæ virtute lavari.

Golgothæ elogia.

Denique Adamo et Evæ peccatum suum remissum est, ut patet *Sapientiæ* X, vers. 2. Intellige quatenus hoc peccatum eis personale erat, non autem qua peccatum erat naturæ, sive totius generis nostri ; sic enim hoc peccatum est nobis originale, et in omnes Adæ posteros nascendo transfunditur, atque hac ratione est irremissibile. Adde, traditio est Adamum et Evam esse salvatos, quæ ita certa est, ut Epiphanius, Philastrius, Augustinus et alii Encratitas hoc negantes damnent erroris. Vide Alphonsum a Castro voc. *Adam*. Quocirca Adamum inter alios, imo præ aliis Sanctis resurrexisse cum Christo *Matth.* cap. XXVII, vers. 53, docent S. Athanasius, orat. *De pass.*; Augustinus hic, Quæst. CLXI ; Origenes, tract. 35 *in Matth.*, et alii.

Adam et Eva salvati.

Quæres, unde tunc tam longævi fuerint homines (1) ? Pererius varias dat causas : *prima*, fuit bonitas primæva complexionis et temperamenti corporis in primis hominibus; *secunda*, fuit sobrietas, quæ tanta fuit, ut nec carnibus, nec vino uterentur; *tertia*, fuit primus vigor terræ, fructuum et alimentorum, quæ initio creationis suæ longe vivaciora et succulentiora et efficaciora erant quam jam, cum sunt effœta; *quarta*, fuit scientia Adæ, quam aliis communicavit, qua melius quam medici nostri norat vim herbarum, fructuum, metallorum, etc. ; *quinta*, fuit benignus aspectus, concursus et influxus astrorum ; *sexta*, fuit Dei voluntas et arcana cooperatio, idque ad hoc, ut homines citius propagarentur, et per longam experientiam scientias et artes omnes perdiscerent, utque primi homines fidem creationis rerum, Deique cognitionem et cultum posteris etiam remotissimis traderent. Unde Lipomanus magis Dei miraculo, quam naturæ, hanc longævitatem attribuit (2).

Unde prisci tam longævi. Causa Prima, Secunda, Tertia. Quarta. Quinta. Sexta.

Nota : Nullus istorum patrum attigit annum millesimum, ut videamus, etiam longissimam vitam in hoc mundo, ne punctum quidem esse ad æternitatem. Nam mille anni coram Deo sunt quasi dies hesterna quæ præterit, *Psalm.* LXXXIX 4.

ET MORTUUS EST. — Singulis hoc additur, ut videas efficacem fuisse sententiam mortis a Deo latam in Adamum peccantem, ejusque posteros, cap. III, vers. 19 ; nam, ut ait Sapiens *Ecclesiastici* XIV, 12 : « Hoc est testamentum hujus mundi : morte morietur. » Ergo cogitemus singuli : De me quoque brevi dicetur : « Et mortuus est, » hoc meum et cujusque est, aut erit emblema, hoc epitaphium : Cornelius vixit tot annos, et talianno mortuus est. « Facile contemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum, » ait S. Hieronymus, *epist.* 103.

Epitaphium cujusque : *et mortuus est.*

Severus imperator, auctore Dione Nicæno in ejus Vita, urnam sibi parari voluit, in qua sepeliretur, quam crebro manibus contrectans dicebat : « Tu virum capies, quem totus orbis capere non potuit ; » idque fecit, ut memoriam mortis retineret.

Exemplum Severi Imp.

Eadem de causa S. Joannes Eleemosynarius, Patriarcha Alexandrinus, jussit sibi extrui monumentum, sed imperfectum : solemnibus autem festis in conspectu multorum, voluit sibi a fabris dici : « Monumentum tuum, Domine, adhuc imperfectum est, jube ergo ut tandem perficiatur : incertum enim est qua hora mors ventura sit. » Ita Leontius in ejus Vita. « Incertum est, inquit Seneca, *epist.* 26, quo te loco mors exspectet ; itaque tu illam omni loco exspecta. In somnum ituri, læti hilaresque dicamus : Vixi, et quem dederas cursum, Deus alme, peregi. » Disce ergo mori : æternitatem cogita. O æternitas ! quam longa es, æternitas ; quam æterna, quam constans, æternitas !

S. Joannis Eleemosynarii.

VIXIT QUOQUE CAINAN SEPTUAGINTA ANNIS, ET GENUIT MALALEEL.—*Malaleel*, vel, ut hebr. est, *Mahalalel*, idem est quod *laudans Deum*; חלל *halal* enim est laudare, אל *el* Deum : sive quia filius assidue laudans Deum, inde vocatus sit *Mahalalel* ; sive quia pater Cainam eum in ortu ita vocarit, ut

(1) Decem ætatibus, quæ hic referuntur, tribuuntur semper anni pleni, quasi homines exacto integro anno, initio sequentis aut genuerint, aut fato functi sint ; quum vix dubitari possit, quin tempora generationis et mortis varia fuerint, atque in varios menses promiscue acciderint. Itaque eo deveniendum, ut mensium aliquot anno aut deficientium, aut insuper accedentium, nulla habita ratio esse dicatur, unde accuratam omnino chronologiam hinc colligi non posse liquet.

(2) Cf. Meignan, op. cit. pag. 138 ; Desdouits, *Soirées de Montlhéry*, 3e soirée ; *Annales de Philosophie*, tom. III, pag. 163 seq. ; Haneberg, op. cit. lib. I, cap. IV, p. 29 seq.

tam se quam ipsum ad jugem Dei laudem excitaret, ut quoties filium nominaret vocaretque *Mahalalel*, toties quasi dicat *Halleluia*, id est laudate Deum, vel potius הלל אל *hallel el*, id est lauda fortem Deum.

Vers. 22. quid *ambulare cum Deo?*

22. AMBULAVIT HENOCH CUM DEO, — *q. d.* Henoch ita sancte et pie vixit, quasi Deum semper præsentem præ oculis haberet, et revereretur, ideoque in omni opere cautissimus, modestissimus, religiosissimus semper incedebat, eratque Deo Deique voluntati per omnia consentiens, perinde ut homo cum homine amico, vel domino suo ubique et indivulse inambulans, illi per omnia consentit, illi in omnibus se conformat. Septuaginta vertunt, *Henoch placuit Deo*, scilicet præ cæteris hominibus, etiam justis et sanctis illius ævi. Targum Hierosolymitanum vertit, *servivit Henoch in veritate coram Domino*; Arabica, *Henoch rectum fecit incessum coram Deo*; Chaldæus, *et ambulavit Henoch in timore Dei*. Hac de causa tulit et rapuit eum ad se Dominus, tanquam altiorem terra, Deo angelisque dignum, imo familiarem.

Hinc aliqui Judæi putarunt Henoch fuisse angelum incarnatum. Ambulant, ait Hugo Cardinalis, post Dominum, humiles pœnitentes; cum Domino, sancti prælati et rectores; ante Dominum, pii concionatores, uti S. Joannes Baptista; a Domino, apostatæ, et qui suæ voluntati ac voluptati serviunt; contra Dominum, superbi et rebelles, uti Judæi *Levit.* XXVI, 2.

Addunt aliqui, « ambulare cum Deo » significare, in publico esse ministerio Dei et fungi officio sacerdotali. Sic enim de Heli Pontifice ait Deus I *Regum* II, 30 : « Loquens locutus sum, ut domus tua, et domus patris tui ministraret in conspectu meo, » hebraice *ambularet coram me*. Et vers. 35 : « Suscitabo mihi sacerdotem fidelem, etc. Et ambulabit coram Christo meo cunctis diebus. » Sacerdotum enim est assidue cum Deo in precibus, sacrificiis sacrisque actionibus versari; ipsi enim sunt angeli et mediatores inter Deum et homines, nec dubium est quin Henoch, velut caput familiæ, fuerit sacerdos.

Magna ars est, nosse cum Deo ambulare, illum ubique habere præsentem, illi se jungere, illi per omnia obsequi, cum illo sæpe colloqui, illius opem implorare, ab eo pendere, ab eo regi, illi totum uniri. Qui cum Deo ambulat, cum hominibus bene ambulat; qui tantum cum hominibus ambulat, nec cum Deo, nec cum hominibus bene ambulat. Ita ambulavit cum Deo S. Paulus, primus eremita, ab anno ætatis 15 ad annum 115 in eremo degens, cujus proinde defuncti animam inter Angelorum choros, inter Prophetarum et Apostolorum cœtus, in cœlum rapi vidit S. Antonius.

Exempla ambulantium cum Deo.

Hunc secutus est ipse S. Antonius, quem sæpe sol oriens eodem vestigio stantem, et in cœlum suspicientem aspexit, quo eum occidens reliquerat, teste S. Athanasio.

Ita Macarius in cœlis cum Deo versabatur, dicebatque sibi : « Habes Angelos, Archangelos, omnes supernas potestates, Cherubim et Seraphim, Deum horum omnium effectorem; illic versare, ne sub cœlos descenderis, ne incideris in mundanas cogitationes. » Testis est Palladius in *Lausiaca*, cap. XX.

Ita Anuph apud eumdem cap. XV : « Nullius, ait, alterius rei cupiditas in cor meum ascendit, nisi Dei. Nil ex rebus terrenis occultavit mihi Deus; non interdiu somnum cepi, non noctu requievi, Deum quærens; omnem petitionem accepi a Deo protinus; vidi sæpe Deo assistentes myriadas, vidi choros justorum. Vidi Martyrum congeriem, vidi monachorum vitæ institutionem; opus autem omnium Deum laudabat. Vidi justos lætantes in æternum. »

Ita ambulavit cum Deo Simeon Stylites, Joannes, Macedonius, Marcianus, Ephrem et alii innumeri, de quibus Evagrius in *Vitis Patrum*, et Theodoretus in *Philotheo*. O quam felices hi angeli terrestres!

Fuit ergo Henoch propheta, et scripsit quædam divina, quæ citat S. Judas in sua epistola; sed liber Henoch interiit : nam ille quem viderunt S. Hieronymus, S. Augustinus, Origenes, Tertullianus, supposititius et apocryphus est.

Vers. 24. Calvini error de morte Henoch.

24. ET NON APPARUIT, QUIA TULIT EUM DOMINUS.— Calvinus secutus Aben Ezra et Judæos, putat Henoch esse mortuum suaviter et placide, et mox a morte animam ejus translatam esse in cœlum, sed non vidisse Deum, donec Christus in cœlum ascenderet : itaque Henoch jam esse immortalem, nec amplius ad nos rediturum aut moriturum. Sed hæc omnia falsa et erronea sunt. *Primo*, quia, si esset mortuus Henoch, æque de eo ac de aliis omnibus dixisset Scriptura : « Et mortuus est; » *secundo*, quia de eo hic dicitur, « tulit, » id est rapuit eum vivum, « Deus : » unde Septuaginta vertunt, *transtulit eum Deus*. Hinc et *Ecclesiasticus* cap. XLIV, vers. 16, asserit Henoch; non mortuum, sed translatum in paradisum ut det Gentibus pœnitentiam; ergo vivit adhuc Henoch, et ad nos redibit, ut se opponat Antichristo, et prædicet Gentibus; *tertio*, quia expresse S. Paulus, *Hebr.* XI, 5, ait: « Henoch translatus est, ne videret mortem; » *quarto* ita docent communiter Patres, quos citat Delrio et Pererius (1).

Henoch raptus est in paradi-

Ex dictis sequitur *primo*, Henoch translatum esse in paradisum terrestrem, qui ante diluvium adhuc supererat; ille enim intelligitur, cum ab-

(1) *Quinto*, de Elia vivo in cœlum sublato idem, quod hic, verbum לקח usurpatur II *Reg.* II, 3 seqq. Nec aliter verba hebræa intellexisse videtur Onkelos : *Nec exstitit* amplius; *neque enim occidit eum Jova*. Clarius Jonathan : *Et ecce! non amplius erat inter incolas terræ; nam subtractus est, et ascendit in cœlum per Verbum, quod est coram Jova*. Locus hic argumento est, homines illis temporibus futuræ vitæ fidem habuisse.

sum terrestrem. solute nominatur paradisus, uti eum nominat Ecclesiasticus, cum ait, in eum translatum esse Henoch. Quare quod S. Ambrosius, lib. *De Paradiso*, cap. III, ait Henoch raptum in cœlum, intellige Henoch de terra sublatum esse in aera, et per aera in paradisum esse translatum; nec aliud voluit Tertullianus, cum lib. *De Resurrect. carnis*, cap. LVIII, dixit Henoch et Eliam de orbe esse translatos; orbem enim intelligit terram hanc ab hominibus habitatam et cultam.

Causam translationis indicat Sapiens, *Sapient.* cap. IV, vers. 10. *Primo*, quia dilectus erat Deo, et vivebat bonus inter malos : hinc raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus. Rursum, raptus est, quia ambulabat cum Deo, ideoque dignus erat paradiso et continua Dei contemplatione; *tertio*, raptus est, ut redeat, et det Gentibus pœnitentiam, perinde ac Elias eam dabit suis Judæis : hoc enim est quod de eo dicitur *Ecclesiastic.* cap. XLVIII, vers. 10 : « Qui inscriptus es in judiciis temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, et restituere tribus Jacob; » *quarto*, raptus est, ut suo raptu ostenderet quid Adam peccans perdiderit : pari enim modo omnes suo tempore citra mortem translati fuissemus, si in innocentia permansissemus; *quinto*, tulit eum Dominus, ut confirmaret fidem patrum de futura vita, *q. d.* Ex hoc ipso facto agnoscite, quod aliam vitam habeo, eamque meliorem, in qua Sanctos remunerabor.

Elias et Henoch candidati æternitatis. Sequitur *secundo*, fidei esse proximum quod Henoch, æque ac Elias, necdum sint mortui. Unde Tertullianus, lib. *De Resurrect. carnis*, LVIII, vocat eos æternitatis candidatos : « Æternitatis, ait, candidati ab omni vitio, ab omni damno, ab omni injuria et contumelia immunitatem carnis ediscunt; » et Irenæus, lib. V, cap. V, vocat eos « coauspicantes immortalitatem, » hoc est, ejus auspicium, et quasi adumbrationem accipientes.

Mortalia habent corpora. Sequitur *tertio*, Henoch et Eliam non gloriosa, sed mortalia habere corpora, adeoque morituros. Unde Tertullianus supra : « Henoch, ait, et Elias nondum resurrectione dispuncti, quia nec morte functi. » Errant ergo Procopius et Eugubinus, qui putant Henoch et Eliam frui visione Dei, et gloriosa habere corpora in cœlo.

Ubi sint Henoch et Elias? Quæres ubi jam sint Henoch et Elias, et qualem agant vitam? Respondeo : Communiter docent Patres eos versari in paradiso. Verum dico Henoch ante diluvium translatum esse in paradisum; post diluvium vero, quo inundatus et sublatus videtur paradisus, agit in loco aliquo amœno, quem Deus illi sive in aere, sive in terra præparavit, ad quem post diluvium raptus est Elias : ibi ergo simul agunt vitam quasi beatam, immunem a concupiscentia et a nostris ærumnis, in altissima Dei contemplatione.

Vivunt sine cibo. *Secundo*, sine cibo eos vivere censent Epiphanius, *hæresi* 64, et Hieronymus *ad Pammachium*: S. Augustinus vero hac de re dubitat, lib. I *De Peccat. meritis et remissione*, cap. III; aitque eos vel sine cibo vivere, vel certe vivere sicut Adam vixit in paradiso, scilicet ex ligno vitæ, ideoque nec morbo, nec senectute deficere. Sed verius est eos a Deo, vivos et vegetos per miraculum conservari, sine cibo : nam, ut dixi, paradisus, et consequenter lignum vitæ interiit.

An Henoch videat Deum? Asserit Catharinus et alii. Quæres *secundo*, an Henoch et Elias videant Deum, sintque beati? Asserunt Catharinus, tract. *De Gloria Christi consummata*; P. Salmeron, et propendet Barradius in illud *Joann.* cap. XXI, vers. 23 : « Sic eum volo manere, donec veniam. » Putant enim Henoch et Eliam, uti et S. Joannem Evangelistam, necdum esse mortuos, ideoque eos habere adhuc corpora mortalia, venturosque esse contra Antichristum, et ab eo martyrio afficiendos; interim tamen videre Deum, eoque frui, saltem a morte et resurrectione Christi.

Probatur primo. Probant id multis et plausibilibus rationibus : *Primo*, quia S. Joannem venturum esse cum Henoch, videtur asseri *Apocal.* cap. X, vers. 11 : « Oportet te iterum prophetare Gentibus; » et *Joan.* cap. XXI, vers. 23 : » Sic eum volo manere, donec veniam. » Nam corona martyrii Joanni, uti et cæteris Apostolis, debetur et promissa est, *Matth.* cap. XX, vers. 23, hisce verbis : « Calicem meum bibetis. » Jam S. Joannem videre Deum, non videtur dubium; nam Ecclesia eum publice in litaniis, æque ac alios Beatos; colit et invocat.

Secundo. *Secundo*, quia Ecclesia celebrat festum, tam S. Joannis, quam Eliæ julii 20, ut patet ex Martyrologio Romano : ergo ipsi fruuntur Deo.

Tertio. *Tertio*, quia Græci erexerunt templa in honorem, tam Eliæ, quam S. Joannis, uti docet Baronius in *Martyrolog.* julii 20. Ergo ipsi sunt beati; his enim solis eriguntur templa.

Quarto. *Quarto*, quia Henoch et Elias sanctissime vixerunt, ac proinde dignissimi sunt ut Deo fruantur, præsertim cum alii Prophetæ et Patriarchæ etiam minus sancti quam ipsi, quibuscum vixerunt, jam Deum videant.

Quinto. *Quinto*, quia sic optime evadimus difficultatem, quæ est de suspensione meritorum Henoch et Eliæ. Cur enim suspendit Deus merita eorum præter morem, nisi quia jam vident Deum, suntque non in via, sed in termino, puta sunt beati? Si dicas Deum eorum merita non suspendisse, inferam : Ergo ipsi in meritis et præmiis, pene in immensum superabunt omnes alios Beatos; nam per tot annorum millia assidue merentur et in dies merita sua adaugent, idque usque ad diem judicii : hoc autem videtur incredibile.

Negant alii, idque verius est. Verum hæc sententia nova et paradoxa videtur, solidoque carere fundamento.

Probatur primo. *Primo*, quia vix nullus veterum Patrum vel Doctorum eam asseruit; nam Nazianzenus, quem citat Barradius, eam non asserit, sed dubitat.

Secundo. *Secundo*, si Henoch et Elias vident Deum, ergo sunt beati, ergo sunt comprehensores, non viatores. Atqui viatores sunt, quia adhuc morituri sunt et martyrio laureandi.

Tertio. *Tertio*, nec Mosi, nec Paulo, nec ulli alteri mortalium concessum est, ut ante mortem videret Deum; imo Dominus edixit Mosi: « Non videbit me homo, et vivet, » *Exodi* cap. XXXIII, vers. 20. Ergo nec Henoch et Eliæ id concedendum est: sunt enim ipsi adhuc mortales, et reipsa morituri.

Quarto. *Quarto*, multo magis paradoxum videtur Henoch et Eliam a gloria cœlesti et visione Dei redire ad passiones, merita et mortem, quam merita eorum suspendi: quis enim beatus unquam e cœlo rediit ad labores, merita et mortem? quis unquam ex comprehensore factus est viator?

Quinto. *Quinto*, solus Christus fuit simul viator et comprehensor; hoc enim privilegium soli Christo dant omnes Theologi. Atqui secundum novam hanc sententiam, hoc falsum est: nam Henoch et Elias, saltem cum redibunt certaturi contra Antichristum, simul erunt viatores et comprehensores. Tunc enim non perdent visionem Dei, quam jam possident, quaque sunt beati.

Sexto. *Sexto*, si visio Dei non impediet tunc eorum merita et labores contra Antichristum, cur jam eorum merita impedit? Pari enim modo Christus ante mortem et resurrectionem suam videns Deum, nunquam per hanc visionem impeditus fuit a suo merito.

Septimo. *Septimo*, S. Joannem non esse mortuum, eumque venturum esse contra Antichristum, plane videtur improbabile, atque repugnat tam historicis plurimis, qui eum mortuum esse asseverant (citat eos Baronius), quam Ecclesiæ, quæ S. Joannis quasi mortui, et in cœlo cum Christo jam regnantis festum colit, eumque invocat. Secus est de Henoch et Elia; hos enim nemo colit vel invocat.

Respond. ad primum prioris sent. Ad *primum* respondeo, Joannem post illa verba *Apocalyps.* cap. X, iterum prophetasse Gentibus cap. XII, XIII, XIV et seq., usque ad finem Apocal.; non autem iis prophetaturum esse in fine mundi. Illud vero *Joan.* cap. XXI: « Sic eum volo manere, » idem est ac si diceret: « Si eum volo manere, » uti alii codices legunt; loquitur enim Christus non assertive, sed conditionate, idque ad retundendam curiosam Petri interrogationem: « Domine, hic autem quid? » Porro calicem passionis bibit S. Joannes, tum alias, tum eo tempore quo in dolium olei ferventis missus est. Unde ipse a Patribus vocatur, ab Ecclesia colitur, et revera est martyr.

S. Joannes Evangelista est martyr.

Ad secundum. Ad *secundum* respondeo. Græci celebrant festum Eliæ, non beati, sed rapti: illo enim die tantum recolunt memoriam raptus ejus, quia raptus hic fuit admirabilis.

Ad tertium. Ad *tertium* respondeo. Eodem modo et scopo Eliæ templa erexerunt Græci, quo festum illi instituerunt, scilicet ut iis testarentur et recolerent memoriam tam miri raptus Eliæ (templa enim proprie non Sanctis, sed soli Deo in honorem Sanctorum eriguntur), qui cœlestem hic egit vitam, et cœlestes quasi discipulos post se reliquit, fuitque Monachorum quasi pater et patriarcha, quique etsi nondum beatus sit, jam tamen quasi confirmatus est in gratia, certoque beandus, itaque ex Dei revelatione et oraculo jam quasi canonizatus est.

Ad quartum. Ad *quartum* respondeo. Ordo a Deo institutus postulat ut Henoch et Elias non videant Deum, cum nondum sint mortui: alii vero Prophetæ mortui sunt, ideoque vident Deum. Quare congruum est ut Henoch et Elias mediam vitam agant inter homines terrenos et inter beatos in cœlo, pacatam scilicet et jucundam, non tamen beatam. Eorum vero sanctitati et meritis rependitur, non visio Dei, sed aliud magnum quid, scilicet quod illi soli ex Prophetis venturi sint, quasi fortissimi pugiles Christi contra Antichristum, eumque confutaturi, ideoque martyrio ab eo laureandi.

Ad quintum. Ad *quintum*, de suspensione meritorum mox dicam, neque illa suspensio hic difficultatem tollit. Nam saltem Henoch merita fuerunt suspensa, a raptu ejus usque ad passionem Christi, per tria pene annorum millia (præcise enim anni 2997 interfluxerunt), quibus tamen Deus non vidit Henoch; si enim merita ejus tunc non fuerunt suspensa, ergo Henoch tot annis continue merendo, longissime superabit in gratia et gloria omnes Sanctos, itaque recidemus in incommodum quod ipso argumento prætenditur.

An mereantur, problema est. Quæritur *tertio*, an sint in statu merendi? Asserit Viegas in *Apoc.* cap. XI. Ratio est, quia sunt adhuc viatores, cumque priventur visione Dei, cur præter ordinem communem privarentur etiam facultate merendi, quam habent alii viatores? esto hac ratione meritis et gloria sunt superaturi Sanctos omnes, excepta B. Virgine. Negant vero idipsum Pererius et Suarez. Idque videtur probabilius; ratio est, quia alioqui tot annorum millibus innumera accumularent merita, nec inter eos et alios sanctos esset ulla comparatio, aut proportio in gratia et gloria: *secundo*, quia per raptum translati sunt in alium statum et vitam. Unde raptus videtur eis fuisse instar mortis, ac consequenter suspendisse eorum merita, donec redeant ad nos tempore Antichristi; tunc enim rursum merebuntur.

Jam ergo sunt quasi in statu medio viatorum et Beatorum, scilicet in statu quietis et contemplationis: unde sicut non laborant, nec patiuntur, sic nec merentur: plurimum autem merebuntur redeuntes et pugnantes contra Antichristum.

In Vita S. Pachomii refertur quod philosophus quidam Theodoro, discipulo S. Pachomii, hæc

tria ænigmata proposuerit, ad quæ ipse ita solerter respondit. *Primum* : Quis non natus mortuus est? Respondit Theodorus : Adam ; *secundum*, quis natus est, nec tamen mortuus ? Respondit : Henoch, qui translatus est ; *tertium*, quis mortuus est, nec tamen corruptus ? Respondit : Uxor Loth, quæ in statuam salis est conversa.

Tria ænigmata.

Nota : In fine mundi redibunt ad communem vitam Henoch et Elias, ut Antichristo per conciones, disputationes et miracula se opponant : ideoque ab Antichristo martyrio afficientur Hierosolymæ, qui corpora eorum projiciet insepulta in plateam ; sed post tres dies et dimidium, vivi et gloriosi, tota urbe spectante, resurgent, ascendentque in cœlum, ut patet *Apoc.* cap. XI, vers. 7 et seq. Ita passim Patres hic, et *Apoc.* cap. XI, estque communis hic fidelium sensus et traditio. Unde S. Augustinus, lib. XX *De Civit.* cap. XXIX, dicit hoc esse celeberrimum in sermonibus et cordibus fidelium.

Redibunt, ut se opponant Antichristo.

Occidentur, resurgent et in cœlum ascendent.

Denique Henoch atavus fuit Noe, ac consequenter pater fuit omnium nostrum ; omnes enim homines, consequenter et Antichristus, uti a Noe, ita et ab Henoch descendunt. Unde sequitur quod, cum ad nos redibit Henoch, cælebs manebit, nec enim ulla femina (cum omnes ex se descendant, sintque suæ filiæ) matrimonium ratum contrahere poterit, quia in lineas rectas ascendentium et descendentium, etiamsi gradibus infinitis ab invicem distarent, jure naturæ irritum est matrimonium, si ascendentes descendentibus copulari velint, uti habet communior sententia Doctorum, quos recenset Sanchez tom. II *De Matrimon.* lib. VII, disp. 51, licet ipse cum aliis contrarium doceat. Concionabitur ergo Henoch rediens omnibus suis filiis, puta omnibus hominibus et ab uno filiorum suorum, puta a spurio Antichristo, occidetur. Rursum raptus fuit Henoch anno mundi 987. Ergo cum hoc anno Christi 1615 agatur annus mundi 5565, sequitur Henoch hoc anno agere annum raptus sui 4578, vitæ vero suæ 4943.

Henoch rediens nullam uxorem ducere poterit.

Henoch raptus anno mundi 987, agit annum vitæ 4943.

27. DIES MATHUSALEM NONGENTI SEXAGINTA NOVEM ANNI. — Hic fuit omnium mortalium longævissimus ; Adam tamen eo longævior dici hac ratione potest, quod Adam creatus sit in ætate et statura perfecta, quibus jam est triginta, tunc fuisset 60 annorum, ut minimum ; Mathusalem autem natus est infans, et 60 annis crevit, et adolevit ad statum et staturam, in qua creatus est Adam : ergo si 60 annos a Mathusalem demas, vel totidem Adæ addas, superabit Adamus Mathusalem 21 annis. Ita Pererius. Natus est Mathusalem anno mundi 687 ; cumque vixerit annos 969, sequitur eum obiisse anno mundi 1656, scilicet eodem anno quo factum est diluvium, paucis (septem, si Hebræis credimus) diebus antequam illud inundaret. Ita S. Hieronymus. Non bene ergo S. Augustinus, lib. I *Quæst. in Genes.*, censet eum obiisse 6 annis ante diluvium ; sexto enim anno ante diluvium obiit, non Mathusalem, sed Lamech ejus filius, qui fuit pater Noe, ut patet *Gen.* cap. V, vers. 30 et 31. Sed audi S. Augustinum, initio *Quæst. in Gen.* : « Quæri, inquit, solet quomodo Mathusalem secundum annorum computationem, vivere post diluvium potuerit, cum omnes, præter eos qui in arcam ingressi sunt, periisse dicantur ? Sed hanc quæstionem plurium codicum mendositas peperit. Non solum quippe in Hebræis aliter invenitur, verum etiam in Septuaginta interpretatione. Mathusalem in codicibus paucioribus, sed veracioribus, sex annos ante diluvium reperitur fuisse defunctus.» Quod etiam explicat lib. XV *De Civit.* cap. XIII.

Vers. 27.

Mathusalem mortuus est anno diluvii.

29. NOMEN EJUS NOE, DICENS : ISTE CONSOLABITUR. — Ex hisce verbis patet Lamech fuisse prophetam. Nota, Noe hebraice duo significat : *primo*, quietem, a radice נוח *noach*, id est *quievit* ; inde enim Noe hebraice dicitur *Noach*, id est quies, vel quiescens, et quiescere faciens : unde Septuaginta vertunt, *hic requiescere faciet nos ab operibus et tristitiis manuum nostrarum* : sic et Arabicus ; *secundo*, significat consolationem vel consolatorem, a radice נחם *nacham*, id est consolatus est, ut Noe a *nacham* deducatur, per apocopen litteræ *mem* ; et ita deducit Scriptura hic dicens, זה ינחמנו *ze ienachamenu*, iste consolabitur nos, uti habent Hebræa, Chaldæus et Noster ; sed utrumque eodem redit : consolatio enim ab opere et labore, non est aliud quam quies ab opere et labore.

Vers. 29.

Noe idem est quod quies et consolatio.

Noe ergo quiescere fecit et consolatus est homines, *primo*, quia, ut ait S. Hieronymus, omnia retroacta opera, scilicet peccata, quieverunt per Noe, qui ea sepelivit diluvio ; *secundo*, ut R. Salomon, Hebræi, Cajetanus et Lipomanus, quia Noe aratrum et alia instrumenta agriculturæ, artemque faciliorem colendi agros invenit ; *tertio*, ut alii, quia propter sanctitatem et sacrificium Noe post diluvium, Deus benedixit terræ cap. VIII, vers. 21, et cap. XIX, vers. 1 et seq. : quod factum est, ut terra sic benedicta minori labore et cultura majores fructus afferat ; *quarto*, quia Noe plantavit vites et adinvenit vinum, quod est solatium cordis humani. Rursum, quia Noe a Deo fuit concessus usus carnium, quibus vita hominum roboratur. Addunt alii, quia Noe per diluvium hominibus ascivit mortem, quæ est omnium laborum nostrorum finis et quies. Verum mors et mersio improborum non est quies, sed initium æterni doloris et laboris. *Quinto* et maxime, hisce verbis prophetat Lamech de Noe filio suo, quod ipse erit generis humani, diluvio pene absumendi, reparator (hæc enim magna Lamechi et patrum fuit consolatio et quies), ait Hugo, et quod ipse mundo Deum Deique beneficentiam conciliabit ; quodque ex eo nascetur Messias, inquit Rupertus, qui nostra est requies et consolatio ; cujus est illa vox : « Venite ad me, omnes

Quinque modis Noe fuit consolator. Primo.

qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.» Noe ergo fuit typus Christi.

Quadruplices labores sublati per Noe.

Ante diluvium magni et longi fuerunt patrum dolores et labores, *primo*, quia vivebant 900 annos in continuis laboribus; *secundo*, quia terram colebant a Deo maledictam, ideoque sterilem; *tertio*, quia non habebant illas artes et instrumenta arandi et colendi terram; *quarto*, hi omnes eorum labores perituri erant diluvio: quæ magna futura erat eis pœna et afflictio. Ab his ergo eos quiescere facit et solatur Noe, *primo*, quia per arcam labores, id est opera labore eorum facta, restituit; *secundo*, quia ob ejus merita artesque ab eo et posteris inventas facilior jam est agricultura, omnisque labor hominum, uti paulo ante dixi.

Nota: Natus est Noe 600 anno ante diluvium, quod factum est anno mundi 1656; unde sequitur Noe natum esse anno mundi 1056, scilicet post mortem Adæ anno 126; mortuus est enim Adam anno tam suo quam mundi 930.

Tropologice, Noe symbolum est justitiæ, quæ omnes consolatur, « et requiescere facit ab operibus iniquitatis; hæc revocat a tristitia: quia dum ea quæ justa sunt gerimus, nihil timemus puræ conscientiæ securitate, non dolemus gravi dolore; nihil est enim quod majoris doloris sit, quam culpæ reatus,» inquit S. Ambrosius, lib. *De Noe*, I.

31. NOE VERO CUM QUINGENTORUM ESSET ANNORUM. Vers. 31. — Nota, non videri (licet id videatur S. Chrysostomo) Noe ad annum 500 abstinuisse conjugio: ergo alios ante Sem, Cham et Japhet genuit filios, qui mortui sunt ante diluvium; unde sequitur, non omnes qui hic primo generati nominantur, fuisse revera primogenitos. Ita S. Augustinus, libro XV *De Civit.* XX.

Hoc anno 500 cœpit Noe arcæ fabricam, eamque continuavit per 100 annos: perfecta est enim illa anno 600. Ita Origenes, Augustinus, Gregorius, Rupertus.

Rursum, post annum 500 Noe genuit, id est generare cœpit, Sem, Cham et Japhet, ut successivis annis genuerit, nunc Sem, nunc Cham, nunc Japhet: nec enim eodem anno hi tres simul sunt geniti.

Ex hoc loco colligitur chronologia mundi, puta a creatione mundi et Adæ usque ad diluvium fluxisse annos 1656; nam

Chronologia ab Adæ ad Noe et diluvium.

Adam	genuit	Seth	cum esset	130	annorum.
Seth		Enos		105	
Enos		Cainan		90	
Cainan		Malaleel		70	
Malaleel		Jared		65	
Jared		Henoch		162	
Henoch		Mathusalem		65	
Mathusalem		Lamech		187	
Lamech		Noe		182	
Noe		Sem, Cham et Japhet		500	

Post generationem Sem anno centesimo, qui fuit 600 vitæ Noe, factum est diluvium, *Genes.* cap. VII, vers. 11. Duravit diluvium anno integro, ut patet conferenti *Genes.* VII, 11, cum *Genes.* VIII, 13 et 14. Ergo a creatione mundi usque ad finem diluvii fluxerunt anni 1657.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Homines omnes, ac præsertim gigantes, libidinibus omnique scelere sese corrumpunt; hinc secundo, vers. 7, *Deus intentat orbi excidium per diluvium, ac consequenter, vers.* 14, *jubet Noe fabricare arcam, in qua tam ipse, quam animalia bina cujusque speciei, in semen posteritatis serventur.*

Finitur hic prima mundi ætas, primaque Genesis pars, atque incipit secunda, quæ est de Noe et diluvio, terminaturque in Abraham cap. XII.

1. Cumque cœpissent homines multiplicari super terram, et filias procreassent; 2. videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant. 3. Dixitque Deus: Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est: eruntque dies illius centum viginti annorum. 4. Gigantes autem erant super terram in diebus illis: postquam enim ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, illæque

genuerunt; isti sunt potentes a sæculo viri famosi. 5. Videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, 6. pœnituit eum quod hominem fecisset in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecus: 7. Delebo, inquit, hominem, quem creavi, a facie terræ, ab homine usque ad animantia, a reptili usque ad volucres cœli; pœnitet enim me fecisse eos. 8. Noe vero invenit gratiam coram Domino. 9. Hæ sunt generationes Noe: Noe vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulavit. 10. Et genuit tres filios, Sem, Cham et Japhet. 11. Corrupta est autem terra coram Deo, et repleta est iniquitate. 12. Cumque vidisset Deus terram esse corruptam (omnis quippe caro corruperat viam suam super terram), 13. dixit ad Noe: Finis universæ carnis venit coram me, repleta est terra iniquitate a facie eorum, et ego disperdam eos cum terra. 14. Fac tibi arcam de lignis levigatis: mansiunculas in arca facies, et bitumine linies intrinsecus et extrinsecus. 15. Et sic facies eam. Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, et triginta cubitorum altitudo illius. 16. Fenestram in arca facies, et in cubito consummabis summitatem ejus: ostium autem arcæ pones ex latere: deorsum, cœnacula, et tristega facies in ea. 17. Ecce ego adducam aquas diluvii super terram, ut interficiam omnem carnem, in qua spiritus vitæ est subter cœlum. Universa quæ in terra sunt, consumentur. 18. Ponamque fœdus meum tecum: et ingredieris arcam tu, et filii tui, uxor tua, et uxores filiorum tuorum, tecum. 19. Et ex cunctis animantibus universæ carnis bina induces in arcam, ut vivant tecum: masculini sexus et feminini. 20. De volucribus juxta genus suum, et de jumentis in genere suo, ex omni reptili terræ secundum genus suum: bina de omnibus ingredientur tecum, ut possint vivere. 21. Tolles igitur tecum ex omnibus escis, quæ mandi possunt, et comportabis apud te: et erunt tam tibi quam illis in cibum. 22. Fecit igitur Noe omnia quæ præceperat illi Deus.

Vers. 1. 1. CUMQUE COEPISSENT HOMINES MULTIPLICARI. — Josephus et Theodoretus putant hæc accidisse circa septimam ab Adamo generationem, scilicet sub tempora Henoch. Est ergo hic anacephalæosis: recapitulat enim hic Moses, et redit a Noe ad tempora priora, quæ causam dederunt diluvio.

Vers. 2. Qui filii Dei? quæ filiæ hominum? 2. VIDENTES FILII DEI FILIAS HOMINUM, QUOD ESSENT PULCHRÆ. — Quæres, qui sint filii Dei, et quæ filiæ hominum? Respondent aliqui filios Dei esse angelos, angelos enim esse corporeos, et in corpore hic primum suum peccatum luxuriæ admisisse, ob quod cœlo dejecti sint. Ita Josephus, Philo, lib. *De Gigantibus*; Justinus, *Apolog.* I; Clemens, III *Strom.*; Tertullianus, lib. *De Habitu mulierum* (ubi docet dæmones hic docuisse mulieres conficere stibium, brachialia aliosque fucos); Lactantius, lib. II, cap. XV. Nec mirum id eos censisse: nam et hoc sæculo Cajetanus censuit probabile esse angelos habere sua corpora.

Prima Sentent.

Secunda. *Secundo*, alii respondent filios Dei (scilicet quoad naturam) esse dæmones, qui ex se suaque natura et corpore generarint instar hominum, ut voluerunt Platonici, et Franciscus Georg. tom. I, problem. 74; vel potius, ut Burgensis et Franciscus Valesius, *Sacræ Philosophiæ* cap. VIII, esse dæmones, primum succubos, qui a potentissimis viris validissimum semen exceperint, quod deinde iidem quasi incubi in validissimas feminas transfuderint, itaque generaverint gigantes. Licet enim Pererius dubitet an ex incubis dæmonibus hoc modo generari possit homo, et idipsum neget Cyrillus, asserunt tamen Cardanus, Cajetanus, et bene idipsum probat Delrio, lib. II *Disquis. magic.* quæst. XV.

Tertia, et vera. Verum dico: « Filii Dei » vocantur hic filii Seth, *primo*, ob sanctitatem suam, justitiam, temperantiam aliasque virtutes, per quas Dei imago in eis, quasi filiis suis resplendebat. Ita S. Chrysostomus, Cyrillus, Theodoretus, Rupertus et Hilarius, in *Psal.* CXXXII. *Secundo*, ut Oleaster, est phrasis Hebræa: Hebræi enim omnia fortia, magna, egregia, dicunt esse Dei: ut montes Dei, cedri Dei, vocantur cedri et montes altissimi et maximi. Sic « Filii Dei » vocantur filii Seth, quia robusti; quia viribus, forma, pulchritudine, statura eximii: e contrario filii et filiæ Caini vocantur « filii et filiæ hominum, » *primo*, quia erant perversi et terræ affixi; *secundo*, quia corporis robur, formam et staturam enervarant et decurtarant. Unde, ut notat Pererius, Cainitæ dicuntur generasse, non filios, sed filias, quia vi generandi per profusam libidinem debilitata, non filios, sed fere tantum filias generare potuerunt. Addunt *tertio*, Theodoretus et Suida, Seth a pietate et sapientia Deum esse dictum: hinc ejus filios vocari filios Dei.

Quarta. *Quarto*, « Filii Dei » possunt accipi « filii potentum, » uti vertunt Symmachus, Chaldæus et Pagninus, ut « filiæ hominum » vocentur plebeiæ, quibus potentes per potentiam et tyrannidem sint abusi. Cum enim Deus, teste Damasceno, a providendo et prævidendo sit dictus; hinc rectores et potentes, quorum est aliis providere, vocantur dii. Unde illud Dei ad Mosen : « Constitui te Deum Pharaonis. » Ita Molina. Verum prior sensus, uti planior est et communior, ita et verior.

Vers. 3. Triplex ex Hebræo sensus. Primus. 3. NON PERMANEBIT. — Hebraice est לוֹ יִדוֹן *lo iadon*, quod Symmachus, Arias et alii a radice דוּן *dun* deducunt vertuntque, *non judicabit, non litigabit, q. d.* Deus : Non patiar hanc litem inter meam misericordiam et justitiam tamdiu durare; rursum, nolo amplius cum hominum pervicacia contendere. Tædet me, angunt me et discruciant tanti conflictus sibi adversantium affectuum : litem ergo dirimam, ac homines incorrigibiles totosque carni deditos plane delebo. Loquitur Deus ἀνθρωποπαθῶς. Sic quoque legit S. Hieronymus in *Quæst., sive Tradition. in Genes.* : « In hebræo, ait, scriptum est : Non judicabit spiritus meus homines istos in sempiternum, quoniam caro sunt, hoc est, quia fragilis est in homine conditio, non eos ad æternos servabo cruciatus, sed hic illis restituam quod merentur. Ergo non severitatem, ut in nostris codicibus legitur, sed clementiam Dei sonat, dum peccator hic pro suo scelere visitatur. »

Secundus. *Secundo*, melius Pagninus et Cajetanus cum S. Chrysostomo, pro *iadon* aliis punctis legunt יִדּוֹן *iiddon*, a radice נדן *neden*, id est, vagina, *q. d.* Non amplius manebit spiritus meus in hominis corpore, quasi in vagina; evaginabo, seu extraham animam de corpore. Unde Syri corpus vocant *nidne*, quod sit quasi vagina animæ.

Tertius. *Tertio* et planissime, dici potest cum Leone Castrio, lib. III *Apologiæ*, in Hebræo pro *iadon* legendum esse יָלוֹן *ialon*, a radice לון *lun*, id est, mansit, moratus est, hospitatus est; tam enim Septuaginta et Chaldæus quam Noster vertunt, « non permanebit, » scilicet spiritus in corpore, quasi in hospitio suo.

SPIRITUS MEUS. — Anima et vita homini a me inspirata, *Gen.* II; hinc halitum nostrum, vitam et animam Deus habet in manu sua, *Dan.* V, vers. 23.

IN ÆTERNUM. — In longum tempus, quale habuerunt homines ab Adam hucusque, quia; ut sequitur, post 120 annos omnes delebo diluvio.

QUIA CARO EST. — Quia carnalis, et in vitia carnis sua culpa projectus est. Ita S. Chrysostomus et Ambrosius (1).

Qui 120 anni hic præstituti hominibus? ERUNTQUE DIES ILLIUS CENTUM VIGINTI ANNORUM. — Putant aliqui hic a Deo statui terminum vitæ singulis hominibus, quasi singuli homines deinceps tantum essent victuri 120 annis. Ita Josephus, Philo, Rupertus, Abulensis. Sed falluntur : nam constat post hæc tempora homines vixisse, non 120, sed 400 annis, ut patet *Genes.* XI.

Dico ergo Deum hic statuere terminum vitæ toti generi humano, *q. d.* Homines carnales gravissime me offenderunt : possem eos hoc instanti delere; sed quia clemens sum, do eis tempus pœnitentiæ, idque largum, scilicet 120 annos : quod si illud negligant, post 120 annos omnes plane delebo per diluvium, quod orbi inducam. Ita Chaldæus, Hieronymus, Chrysostomus, et Augustinus lib. XV *De Civit.*, cap. XXIV. Ergo, ut recte advertunt S. Augustinus et Salvianus, lib. *Antikimenon ex Genesi*, dixit hæc verba Deus anno ætatis Noe 480, 20 annis ante nativitatem Sem, quæ contigit anno Noe 500, sicut diluvium contigit 600 : licet S. Hieronymus, Chrysostomus et Hugo hæc dicta velint anno 500 Noe, 100 annis ante diluvium : ita nimirum ut ab his 120 annis, Deus ob scelera hominum 20 dempserit et decurtarit. Hic ergo Deus statuit mundo tempus pœnitentiæ 120 annorum, illudque revelat Noe; ut ipse illud ipsum propalet mundo. Unde sequitur Noe hic implicite a Deo statui præconem pœnitentiæ et comminationis diluvii : quo diligenter et fideliter apud homines eum perfunctum esse non est dubium, atque in eodem collegas habuisse Mathusalem avum, et patrem Lamech, valde est verisimile. Unde Berosus Chaldæus, lib. I, sic ait : « Tum multi prædicabant, et vaticinabantur, et lapidibus excidebant de ea, quæ ventura erat, orbis perditione; sed enim illi assueti corridebant omnia, cœlestium illos ira atque ultione perurgente, pro impietate atque sceleribus. » Moraliter hic nota, uti impietas et improbitas familias, etiam antiquissimas et nobilissimas exstinguunt, ut patet in Caino et gigantibus : ita pietas et probitas easdem perpetuant, ut patet in Seth et Noe; hoc est quod *Psalm.* XXXVI dicitur : « Justi autem hæreditabunt terram : injusti autem disperibunt, simul reliquiæ impiorum interibunt. » Symbolice, Cabalistæ, et ex iis Petrus Bongus, tract. *De Numerorum mysteriis*, in sexies millesimo, annos hos 120 magnos et Mosaicos accipiunt, puta jubilei, ita ut quilibet annus hic complectatur quinquaginta annos vulgares : ac consequenter 120 hi efficiant sex millia annorum vulgarium (multiplica enim 120 per quinquaginta, habebis sex millia), quibus durabit hic mundus, vitaque et ætas hominum, de quo dixi cap. II, vers. 2.

Noe præco pœnitentiæ.

4. GIGANTES AUTEM ERANT. — Ex τῷ *erant* videtur, quod jam ante fuerint gigantes : ita tamen, ut hoc tempore fuerint multiplicati, ex commixtione filiorum Dei cum filiabus hominum. Unde Hebræa pro *postquam enim* habent, *et etiam postquam*; et Septuaginta clare ita vertunt, *gigantes erant super terram in diebus illis, et post illud, postquam ingressi sunt filii Dei ad filias hominum.* Ita S. Augustinus, Vatablus et alii.

(1) בְּשַׁגַּם plerisque est particula causalis ex præfixis בְּ, שֶׁ, et גַּם composita, et locum sic vertunt, quia etiam caro est. Aliis בְּשַׁגְּגָם est infinitivus pihel cum præfixo et affixo, ut sensus sit, dum errare eos facit caro.

Gigantes quomodo et unde nuncupati?

Nota : Gigantes hebraice vocantur נפילים *nephilim*, in est *cadentes* (a radice נפל *naphal*, id est *cecidit*), active, *q. d.* irruentes, opprimentes, et cuncta instar procellæ prosternentes, et ad casum ac ruinam impellentes : unde Aquila vertit, ἐπιπίπτοντες οἱ βιαῖοι, *illi violenter irruentes*; inde illud *Job* XVI, vers. 15 : « Irruit in me quasi gigas. » Erant enim gigantes vastissimi, procerissimi, fortissimi et violentissimi homines. Iidem a parentibus Rapha et Enac, vocantur *Raphaim et Enakim* : græce vocantur γίγαντες, quasi γηγενεῖς, id est ex terra geniti, quasi ventris et terræ filii, inquit S. Ambrosius et Philo.

Quinam fuerint?

Burgensis putat gigantes fuisse dæmones humana specie indutos : Valesius putat gigantes fuisse filios dæmonum incuborum; Philo putat homines sceleratissimos vocari gigantes. Sed certum est gigantes fuisse homines monstrosa statura, robore, latrociniis et tyrannide insignes.

Fabula gigantum unde?

Unde gigantes, per sua scelera, fuerunt maxima et potissima causa diluvii, ut patet *Sap.* XIV, 6; *Job* XXVI, 5. Idem insinuat hic Moses : ea enim de causa descripturus diluvium, gigantes, quasi diluvii causam, præmittit. Ita passim docent interpretes.

Ex hoc loco rursum, et potius ex fabrica turris Babel, de qua cap. XI, Gentiles sumpserunt fabulam gigantum et Titanum, ut post S. Ambrosium et Eusebium, lib. V *de Præparat. Evang.*, cap. IV, docet Pererius. Credidit enim vetustas gigantes fuisse homines excelsissimæ staturæ, et draconum pedibus, ab irata tellure procreatos in deorum perniciem, ut scilicet bellum diis inferrent, Jovemque cœli possessione dejicerent, sed temere et frustra : nam a Jove contriti sunt, quod paucis versibus ita perstringit Ovidius :

> Affectasse ferunt regnum cœleste gigantes,
> Altaque congestos struxisse ad sidera montes.
> Tum Pater omnipotens misso perfregit Olympum
> Fulmine, et excussit subjectum Pelion Ossæ.

POSTQUAM ENIM, — *q. d.* Maxime postquam. Nota : Gigantes maxime generati sunt ex filiis Seth (hi enim vocantur filii Dei), qui integerrimis erant viribus, et jam a primæva integritate degenerantes, summo amore ardoreque libidinis, toti in terram et ventrem projecti, filiabus Cain (hæ enim vocantur filiæ hominum), utpote pulcherrimis, agglutinati sunt. Fecit enim libido ut natura in iis omnem suam vim et extremum potentiæ suæ exereret, itaque vastissimi et validissimi homines prognati sunt. Thomas Fasellus, *De Rebus Siculis*, lib. I, decade 1, cap. VI, multa affert exempla gigantum hujus pene sæculi, quorum alii 18, alii 20, alii plures habebant cubitos in altitudine.

Libido peperit gigantes.

Vide hic ut robur æque ac virtus, vel vitium parentum in proles transfundantur. Recte Poeta :

> Fortes creantur fortibus
> Est in juvencis, est in equis patrum
> Virtus, nec imbellem feroces
> Progenerant aquilæ columbam.

5. CUNCTA COGITATIO. — Hebr. כל יצר מחשבות *col ietser machsebot*, omne figmentum cogitationum; *ietser* enim est figmentum, sive plasma figuli. Unde Illyricus delirat, dum ex hac, imo ex sua monstrosa figulina, format et fingit peccatum originale non esse accidens, sed substantiam et formam substantialem hominis. Talis enim substantia, inquit, est plasma figuli. Verum non advertit ipse hoc figmentum non esse Dei, sed « cogitationum; » cogitatio autem hominis non substantiam, sed substantiæ adamatæ imaginem sibi pingit et fingit : hæc autem imago est accidens, non substantia. Unde Calvinus vertit *cuncta imaginatio*. Sicut enim figulus sua idola, ita imaginatio et concupiscentia hominis, suas species, quasi idola sibi effingit (qua de re vide Cyprianum in prologo libri *De Cardin. operibus*), iisque non coacte, sed libere se pascit et oblectat, ideoque merito punitur, ut hi puniti sunt diluvio.

Vers. 5. Delirium Illyrici : peccatum originale esse tetram substantiam.

INTENTA ESSET AD MALUM. — Infert Calvinus; ergo omnia opera nostra, etiam sancta, aliquo occulto concupiscentiæ peccato sunt inquinata, imo tota sunt sordida. Nam Hebræa addunt רק *rac*, id est *tantum* intenta ad malum.

Calvini error : omnia opera justorum esse peccato inquinata.

Respondeo, τὸ *rac* nec Septuaginta, nec Chaldæus, nec Noster verterunt, quia viderunt id in Hebræo addi per pleonasmum et auxesin, satisque includi in eo quod dicitur, « cuncta cogitatio et omni tempore intenta ad malum. » Respondeo *secundo*, Scripturam hic non loqui de justis, sed de peccatoribus, ob quos inductum est diluvium. Nam statim excipit justum Noe vers. 8, cujus cuncta pene cogitatio intenta erat, non ad malum, sed ad bonum. Respondeo *tertio*, esse hic hyperbolen; nam peccatores, licet maximi, quædam tamen bona faciunt, dum parentibus obediunt, proximos juvant, aliis fidem servant, etc.; « cuncta » ergo, id est plurima et creberrima, « cogitatio. » Sic vulgo dicimus : Hic homo non aliud somniat (id est, sæpe non aliud cogitat) quam de suo ventre. Similis hyperbole est *Psal.* XIII, 3; *Rom.* III, 12.

Refellitur. Primo. Secundo. Tertio.

Adde, proprie Mosen loqui de peccatoribus, non omnibus, sed iis tantum qui erant tempore Noe, erantque pessimi et sceleratissimi : quos licet daremus nil boni, sed omnia mala fecisse, idque ex libera sua malitia, inde tamen nec sequitur eos aliter facere non potuisse, nec etiam alios peccatores, qui aliis temporibus vivunt, nil boni, sed omnia mala peragere.

Quarto.

Ex hoc loco probabiliter putat Pererius, illo tempore solum Noe cum suis prolibus fuisse justum, omnes alios fuisse impios, ideoque, uti aquis diluvii, ita et in infernum esse demersos, exceptis tamen infantibus, qui sacramento illius temporis renati mergebantur. Verum contrarium est probabilius, scilicet aliquos etiam adultos, cum se aquis involvi et sensim obrui viderent, pœnituisse, justificatos et salvatos esse. Docet hoc S. Hieronymus et Rupertus, satisque id ipsum

Verius est aliquos, dum in diluvio mergerentur, pœnituisse.

insinuat S. Petrus, *epist.* I, cap. III, vers. 19; sic enim in periculis naufragii, etiam sceleratissimi quique, magno pietatis affectu ad Deum confugiunt, emendationem spondent, veniam petunt et impetrant, ut corpore pereunte anima salvetur.

Vers. 6. 6. POENITUIT EUM. — Septuaginta ἐνεθυμήθη, *recogitavit*. Nam is quem facti pœnitet, sæpe illud versat et recogitat : Eccur hoc feci? utinam non fecissem! Pœnitet hominem cum is revocat cum dolore, et retractat sua dicta aut facta, ob eventum tristem, quæ non præviderat, ex iis consecutum. Deus omnia prævidit, nec dolere potest; ergo proprie eum nullius pœnitet : dicitur tamen anthropopathως pœnitere et dolere, cum ob hominum scelera, sua dona et gratias revocare statuit et decernit; cum peccatores a se creatos et beneficiis affectos, ob sua peccata, occidit et punit. Unde Symmachus vertit ἀπέστρεψεν, aversatus est; *pœnituit* ergo *Deum*, id est, Deus irascens et indignans peccatis hominum decrevit retractare et delere hominem, quem creaverat.

Aliter pœnitet hominem, aliter Deum.

Vers. 7. Peccatum totius universi harmoniam dissolvit: id probatur eundo per opera sex dierum.

7. DELEBO HOMINEM, etc., USQUE AD ANIMANTIA. — Nota : Peccatum totius universi harmoniam dissolvit, quia non tantum hominem, sed et elementa omnesque creaturas commaculat et distorquet. Ostendam hoc per singula creationis singulorum dierum opera : primo die, creata est lux: hanc fugat et obtenebrat peccatum. Hinc ait Jeremias, cap. IV : « Aspexi cœlos, et non erat lux. » Secundo die, creatum est firmamentum et orbes cœlestes : jam ob peccata cœli complicabuntur sicut liber, ait Isaias, cap. XXXIV, vers. 4, ne scilicet peccata et peccantes tegant et operiant. Tertio die, productæ sunt plantæ : de his audi Jeremiam, cap. IV : « Aspexi terram, et ecce vacua et nihil. » Quarto die, factus est sol : hunc peccatum eclipsat, ut docet Isaias, cap. XIII, vers. 10. Quinto die producti sunt pisces et aves : de his ait Jeremias, cap. IV, vers. 25, quod ob peccatum omne volatile recessit. Sexto die creata sunt quadrupedia et homo : hæc peccatum aufert ex montibus et silvis, ut patet *Osee*, cap. IV, vers. 3. Omnia ergo cum homine peccante puniuntur, quia ei ad peccatum serviunt : vel potius homo ipse in omnibus punitur, dum omnibus quibus abusus est, privatur.

Vers. 9. Animarum prosapia et nobilitas, est virtus.

9. NOE VIR JUSTUS. — (1) « Noe, ait S. Ambrosius, lib. *De Arca et Noe*, cap. IV, non genere, sed justitia laudatur : probati enim viri genus, virtutis prosapia est; quia sicut hominum genus, homines : ita animarum genus, virtutes sunt. » Hinc pereunte mundo, unus Noe servatur, quasi stirps incorrupta, ut novi mundi sit origo, et novorum hominum seminarium, ut ait S. Ambrosius.

Vera ergo nobilitas, laus et gloria in justitia, religione et virtute consistit. Ita censuerunt veteres Christiani, nobiles et Martyres. Ita Romanus Martyr, cum Galerius Imperator et Asclepiades, præfectus Antiochiæ, Christianos invaderent, flagris et plumbatis cæsus, noluit sibi nobilitatis nomine parci : « Absit, inquit, ut me nobilem sanguis parentum præstet, aut lex curiæ : generosa Christi sequela nobilitat viros. » Jussit ergo Asclepiades latera ejus mucronibus scindi; tum ille : « Gratias ago tibi, o præfecte, quod amplioris mihi oris patefecisti meatus, quibus Christum prædicare possim : tot ecce laudant ora, quot sunt vulnera : » testis est Prudentius in hymnis περιστεφάνων. Ita et S. Agatha Quintiano præfecto objicienti : « Non te pudet nobili genere natam, humilem et servilem Christianorum vitam agere? » respondit : « Multo præstantior est Christiana humilitas et servitus, regum opibus et superbia. » B. Gregorius Nazianzenus, *orat.* 11 : « Nobilitas vera, ait, est divinæ imaginis conservatio, atque archetypi imitatio, quam ratio et virtus efficiunt. »

In quo consistat perfectio viatoris?

PERFECTUS — perfectione, non patriæ, sed vitæ, quæ excludit omne peccatum, non veniale, sed mortale, quæque in assiduo studio et profectu virtutum consistit. Vide S. Augustinum, lib. *De Perfect. justitiæ*. Hinc de Noe canit Sibylla, lib. I :

Μοῦνος δ'ἐν πάντεσσι δικαιότατος ἦν, καὶ ἀληθὴς,
Νῶε πιςότατος καλοῖς τ' ἔργοισι μεμηλώς,

Solus in cunctis justissimus erat, et verax,
Noe fidelissimus et bonis operibus addictus;

et *Ecclesiasticus* cap. XLIV, vers. 17 : « Noe inventus est perfectus, justus, et in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. » Et Paulus, *Hebr.* XI, 7 : « Fide Noe aptavit arcam, per quam damnavit mundum, et justitiæ, quæ per fidem est, hæres est institutus. »

IN GENERATIONIBUS SUIS. — Inter homines sui ævi et sæculi, adeoque præ hominibus sui ævi. Ponitur abstractum pro concreto, scilicet « generationes suæ, » pro hominibus suo sæculo generatis. Ita ait Sapiens, *Eccle.* I, 4 : « Generatio præterit, generatio advenit, » id est, ætas et soboles una hominum præterit, mox altera filiorum et nepotum ei succedit. Sic enim B. Virgo dicitur benedicta inter mulieres, id est, præ omnibus mulieribus. Unde colligunt aliqui Noe quoque fuisse perfectiorem ipso Henoch, omnibusque suis majoribus, qui primo illo sæculo vixerunt. Verum hoc non est necessum dicere; nec enim necessum est sæculum Noe extendere usque ad Henoch, qui jam ante sexcentos annos raptus erat in paradisum; et licet eo extenderemus sæculum Noe, sufficit ad veritatem horum verborum dicere, Noe non ipso Henoch, nec omnibus omnino hominibus, sed plerisque fuisse perfectiorem.

An Noe perfectior fuit Henocho.

Secundo, Delrio per generationes intelligit actiones; hæ enim sunt quasi liberi, quos parit

(1) Vers. 9. « Hæc sunt *generationes* Noe. » Voce תולדות significantur quoque *eventa*, ea in primis quæ simul cum generationibus eadem opera describuntur.

homo toto vitæ suæ spatio, *q. d.* Toto vitæ suæ decursu, in suis actionibus perfectus fuit Noe. Hic sensus arctior et subtilior est. Prior ergo sensus magis planus, simplex et genuinus est.

CUM DEO AMBULAVIT, — uti Henoch, de quo dixi cap. V, vers. 22. Præclare Hugo de S. Victore, lib. I *De Claustro animæ* : « Sicut, ait, nullum est momentum, quo homo non utatur vel fruatur Dei bonitate et misericordia : sic nullum debet esse momentum, quo eum præsentem non habeat in memoria. Omne enim tempus in quo de Deo non cogitas, hoc te reputa perdidisse. » S. Basilius rogatus, quis frequenter irascitur? quis ad bona opera piger est? quis Dei gloriam non promovet? hoc unum ad singula respondebat : « Qui non semper cogitat Deum suarum actionum inspectorem esse. Hæc enim una recordatio, si esset assidua, contra omnia vitia medelam præberet. »

Cogitatio præsentiæ Dei est remedium omnium peccatorum.

Vers. 10. 10. SEM, CHAM ET JAPHET. — « Sem » Hebraice, inquit S. Cyrillus hic, *hom.* 3, significat perfectionem, vel plantationem; « Cham, » calliditatem; « Japhet, » amplificationem. Verius est « Sem » hebraice significare nomen, vel famam; « Cham, » calorem et nigrorem; « Japhet, » amplitudinem, ut patebit cap. IX, vers. 26. Jam abstracta ponuntur pro concretis : nomen et fama, id est, nominatus et famosus; calor et nigredo, id est, calidus et niger; amplitudo, id est, amplus.

Sem idem est quod famosus. Cham niger, Japhet amplus.

Vers. 11. 11. CORRUPTA EST AUTEM TERRA. — Incolæ terræ adeo corrupti sunt, ut ipsam terram suis sceleribus polluisse et corrupisse videantur : est metonymia cum auxesi.

Vers. 12. 12. OMNIS CARO, — omnis homo : est synecdoche; *caro* enim idem est quod homo; et hyperbole, nam *omnis* idem est, quod plerique : excipitur enim Noe justus cum suis.

CORRUPERAT VIAM SUAM, — suam vivendi rationem : sic viæ hominis vocantur opera, conversatio, consuetudo hominis; viæ Dei vocantur opera Dei, *Prov.* VIII, 22. Notat S. Ambrosius, lib. *De Noe et arca*, cap. V, diluvium carnis peperisse diluvium aquarum. « Caro, ait, causa fuit corrumpendæ etiam animæ, quæ velut origo et locus est quidam voluptatis, ex qua velut a fonte prorumpunt concupiscentiarum malarumque passionum flumina, lateque exundant; quibus demergitur animæ quoddam excusso gubernatore remigium, cum ipsa mens velut quibusdam tempestatibus et procellis victa, loco suo cedit. » Et cap. IX : « Corruptela diluvii causa est : ea ubi repserit, aperiuntur aquæ, ebulliunt omnes fontes cupiditatum, ut totum corpus tanto et tam profundo vitiorum diluvio mergatur. » Sicut ergo Noe includens se cum animantibus in arca, diluvium evasit : sic et tu cohibe tuos sensus et passiones intra mentis imperium, et poteris te tuaque ab omni diluvii periculo liberare (1).

13. FINIS UNIVERSÆ CARNIS VENIT CORAM ME, — instat dies decreta a me excidio hominum et animalium; statui jamjam finire et perdere orbem diluvio : patet ex seq. Vers. 13.

A FACIE EORUM, — per eos, ab eis. Ita Septuaginta. Chaldæus vertit, *propter mala opera sua* (2).

14. FAC TIBI ARCAM. — Hebræum תבת *teba* significat arcæ formam fuisse, non in morem navigii, cujus carina arcuatur, et summitas vel patet, vel concameratur; sed in morem cistæ undique clausæ et quadrangulæ, quæ inferne plana est, et æqualis quaquaversum, superne vero plana est, sed ita, ut modice in culmen et clivum exiguum assurgat. Ita S. Augustinus, lib. XV *De Civit.*, cap. XXVII; idque satis colligitur ex ejus dimensione, quam vers. seq. subdit Moses. Vers. 14. Arca fuit instar cistæ.

DE LIGNIS LEVIGATIS. — Hebraice de lignis גפר *gopher*, quod Septuaginta vertunt, *quadratis*; Noster, *levigatis*, id est, dolatis et perpolitis, tum ad aptiorem et arctiorem compaginem, tum ad elegantiam, tum ut commodius illinerentur bitumine. Oleaster vertit, *de lignis pini*; Chaldæus, Aben Ezra, et Rabbini vertunt, *de lignis cedri*. Cedrus enim in Syria abundat, estque incorruptibilis, et longissimas dat tabulas, easque leves et superfluitantes. Ex cedro factam esse arcam, docet etiam S. Ambrosius, lib. *De Arca*, cap. VII, et S. Augustinus, tractat. 6 *in Joan.* S. Hieronymus vertit, *ex lignis bituminatis* (ut גפר *gopher* idem sit quod כפר *copher*), id est bituminosis, hoc est resinosis : bitumen enim ample capitur pro resina; pinus autem et cedrus sunt resiniferæ, et sic omnes hæ versiones in unum convenirent. Ex cedro facta est arca.

MANSIUNCULAS IN ARCA FACIES. — Hebræa et Septuaginta, *nidos facies arcam*, id est, in parva stabula divides et distribues arcam, non solum ut aves, sed ut cætera animalia, sua discreta habeant habitacula. Unde Noster clare nidos hos exposuit per mansiunculas.

Symbolice S. Ambrosius, lib. *De Noe*, cap. VI : « Omne corpus nostrum, ait, attextum est sicut nidus, ut spiritus vitalis omnes partes viscerum penetret. Nidi quidam sunt oculi nostri, quibus se visus inserit. Nidi sunt nostrarum sinus aurium, per quos auditus se infundit. Nidus est narium, qui ad se odorem attrahit. Nidus est quartus major cæteris hiatus oris, in quo nutritur donec adolescat sapor, et unde vox evolat, in quo latet lingua. Spiritus quem carpimus et quo alimur, nidus est pulmo; sanguinis autem et spiritus nidus est cor. Ossa quoque validiora nidos habent. Sunt enim intus cavata, in quibusdam foraminibus est medulla. In visceribus ipsis mollioribus

(1) Hoc versu idem, quod in antecedente dictum erat, repetitur, non profecto quod auctor alterius monumenti verba retinuerit, quod nec ii sumunt, qui hanc narrationem e duobus monumentis compositam volunt, quum utroque hoc versu nomen אלהים usurpetur, sed est περισσολογία quædam, qualis vetustissimis scriptoribus haud infrequens.

(2) *Cum terra.* Aliis את idem valet quod על, ut sensus sit, *super terram*. Cf. I *Reg.* IX, 25; *Ps.* LXVII, 2.

nidi cupiditatis aut doloris sunt. » Et mox : « Est jam in hoc corpore nidus pudicitiæ, in quo erat nidus irrationabilis concupiscentiæ.

Cur arca oblita est bitumine, non pice ?

BITUMINE. — Pice aptius erat bitumen, ad tabulas conglutinandas et consolidandas, et ad fœtorem, ex stercore tot animalium provenientem, dispellendum.

Vers. 15.

15. TRECENTORUM CUBITORUM ERIT LONGITUDO ARCÆ, QUINQUAGINTA CUBITORUM LATITUDO, ET TRIGINTA CUBITORUM ALTITUDO. — Cubitus continet pedem cum dimidio, sive sex palmos; olim, uti pedes hominum et palmi, ita et cubiti erant majores, quam jam sint. Origenes cubitum hic intelligit, non communem, de quo jam dixi, sed qui continet sex cubitos communes et vulgares. Origenem sequitur Isidorus Clarius et Delrio. Sic enim non arcte et compacte, sed laxe et salubriter in arca degere poterant animalia omnia. Verum sic immanis fuisset vastitas arcæ, quæ vix in unam fabricam compingi, vixque aquis sustineri et moveri potuisset. Adde, alibi Scriptura cubitos non geometricos, sed communes accipere, ut cum ait, Goliath fuisse procerum sex cubitos et palmum; quis enim credat Goliath fuisse 36 cubitorum communium : ergo et hic cubiti communes accipiendi sunt. Ita Torniellus.

Cubitus est pes cum dimidio.

Arcæ longitudo erat decupla ad altitudinem, et septupla ad latitudinem. Eadem est proportio dimensionum in homine.

Nota : Arcæ longitudo decupla erat ad ejus altitudinem et profunditatem; talis enim est proportio 300 ad 30; nam decies triginta sunt trecenta. Rursum longitudo arcæ sextupla erat ad ejus latitudinem; talis enim est proportio 300 ad 50; nam sexies 50 sunt 300. Eadem est proportio dimensionum in corpore humano bene formato, ut nimirum ejus longitudo, quæ sumitur a vertice usque ad pedes, sit sextupla ad ejus latitudinem, quæ sumitur a latere dextero in sinistrum, eundo per medium pectus. Rursum, longitudo corporis humani decupla est ad ejus profunditatem, quæ sumitur a pectore, et per pectus penetrando in dorsum. Ita S. Augustinus, lib. XV *De Civit.*, cap. XXVI, et S. Ambrosius, lib. *De Arca*, cap. VI.

Arcæ capacitas fuit 450000 cubitorum.

Hinc sequitur arcæ capacitatem interius fuisse 450 000 cubitorum. Nam si geometrice 300 cubitos longitudinis arcæ, multiplices per quinquaginta latitudinis ejusdem, habebis cubitos quadratos quindecim millia; quæ si rursum multiplices per 30 cubitos altitudinis arcæ, habebis jam dicta 450 millia cubitorum solidorum. Hæc ergo fuit dimensio et capacitas arcæ interius, quæ sane ingens fuit et sufficiens omnibus animalibus et rebus arca contentis; ut non sit necesse cum Origene, cubitos hic, non communes, sed geometricos accipere : sic enim sextuplo major et capacior fuisset arca (1).

(1) Cf. Meignan, op. cit. pag. 143. N. Tiele in *Commentariis* demonstrat, posse in arca omnia animalia contineri et salvari. Arcæ enim, ait, capacitas erat 3 600 000 pedum solidorum. Ex iis si decimam tantum partem animalium habitationi tribuas, reliquam autem eorum cibis, 7000 animalium species sedem 52 pedum solidorum capacem singulæ habebunt.

Vers. 16.

16. FENESTRAM. — Præcipuam unam, grandiorem et pellucidam, ex vitro, crystallo, vel lapide speculari (hoc enim significat Hebræum צֹהַר *tsohar*, et Græcum διαφανὲς, ut vertit Symmachus). Nil ergo prohibet, alias minores per circuitum in tertio cœnaculo, ad lucem ubique recipiendam, factas esse fenestras. Fenestra hæc aperiri poterat : unde per eam Noe columbam et corvum emisit (2).

ET IN CUBITO CONSUMMABIS SUMMITATEM EJUS, — *q. d.* Altitudinem ejus, puta fenestræ, facies unius cubiti. Ita Vatablus, Oleaster, Delrio. *Secundo*, Torniellus sic explicat, *q. d.* Mensuram cubiti semper ad manum habe et adhibe, ut juxta eam singulas arcæ partes, ad mensuram a me præstitutam ædifices. *Tertio* et genuine (ut patet ex Hebræo), « ejus, » scilicet arcæ, summitatem sive altitudinem facies unius cubiti, *q. d.* Facies tectum arcæ non omnino, sed pene planum, ita videlicet, ut sensim et lente tantum assurgat ad altitudinem cubiti : sic ut cubitus iste sit altitudo mediana culminis arcæ, per totam ejus longitudinem. Ita Joannes Buteo et Pererius ex communi Doctorum sententia; describit enim Moses hic arcæ tectum ejusque formam arcuatam in culmine.

Arcæ tectum assurgebat altitudine unius cubiti usque ad culmen.

DEORSUM COENACULA ET TRISTEGA FACIES IN EA. — Ita hæc lege et junge, non autem, ut *deorsum* referas ad *ostium*, quod præcessit. Jam sensus est, *q. d.* Deorsum unum cœnaculum, sive tabulatum sub alio constituatur, inquit Delrio. *Secundo*, aptius ad Hebræa : « deorsum, » id est, tabulata infima; « cœnacula, » id est, tabulata media : in his enim fieri solent cœnacula; et *tristega*, id est, tabulata tertia vel suprema, facies in arca. Hebræa enim habent, *inferiora, secunda et tertia facies*; et Chaldæus, *mansiones inferiores, secundas et tertias facies in ea.* Unde patet arcam tres habuisse contignationes, sive tabulata; hæc enim vocantur a Græcis tristega, in quibus partim animalia, partim esca, aliaque supellex condita et distributa erant. His adde quartam imam, pro sentina. Jam singula ita exacte describit et distribuit Joannes Buteo, lib. *De Arca*. In ima hac parte erat locus saburræ, sive arenæ, quæ navi necessaria est, ut in aquis non fluctuet, non in hanc illamve partem inclinet, sed suo quasi

Arca tres habuit contignationes, sive tria tabulata, et quartam imam. In ima erat saburra et sentina.

(2) Interpretationi communi vocis צֹהַר duo opponit Schultens, primum, quod צֹהַר *pro fenestra* nusquam, neque in vicinis etiam linguis, apparere; deinde, absurdum esse, sumere, unicam tantum fenestram in tantæ molis ædificio fuisse, unius tantum cubiti altitudine : verba enim quæ sequuntur, *ad cubitum perficies illud*, haud dubie ad צֹהַר referenda esse, ut plura hujus formæ nomina sunt feminina. Schultensii igitur sententia est, nomine צֹהַר *tectum* arcæ notari, idque devexum, quo imber facile dilaberetur, collato Arabico *dhahro, dorsum*, quod dein ad gibbosas et elatas partes, tecta etiam, aliaque devexa notandum transfertur.

pondere et justo libramento recta in aquis consistat; in hac etiam erat sentina quæ sordes ex superioribus tabulatis per canales exciperet, atque per foricas, sive foramina in aquas foras emitteret. Hæc tamen foramina non erant in hac ima parte (hæc enim tota erat sub aquis), sed in sequenti, sive secunda contignatione, in quam per antliam ex ima parte aqua et sordes attollebantur: nisi malis dicere cum Torniello, sordes sublatas fuisse per funes in primum et summum tabulatum, ad fenestram arcæ, ut per eam, utpote magnam, foras ejicerentur.

In secunda erant animalia per cellas distributa.

In secunda contignatione, sive tabulato, erat locus omnium animalium tam reptilium, quam gradientium, in plurimas (Delrio numerat 300) cellas, sive mansiunculas, majores, vel minores, pro quantitate animalium, utraque ex parte distinctus : in cellis erant præsepia aliaque vasa cibum et potum continentia ; in cellarum pavimento erant fenestellæ, per quas sordes animalium in sentinam demitterentur; in medio cellarum utrimque erat transitus, seu via, qua homines cum lucernis discurrerent ad singulas cellas, ut eas inspicerent, et cuique animali de necessariis providerent. In hoc tabulato erat ostium arcæ, de quo versu 16, idque magnum et amplum, utpote per quod elephantes, cameli omniaque animalia inducta sunt in arcam.

In tertia erat annona.

In tertio tabulato erant distinctæ apothecæ, continentes tum annonam animalium et hominum, puta fœnum, paleas, poma, frumentum, semina, legumina; tum dolia aquæ dulcis, ad potum et ad lotionem. Ex hoc tertio tabulato, per foramina, tubos, in quodque præsepe secundi tabulati cibus et potus immittebatur : hic etiam reposita fuit omnis supellex, tam urbana quam rustica, post diluvium usui futura.

In quarta erant aves et homines.

In quarto et summo tabulato, locus erat hominum et avium. *Primo* ergo erat hic cubiculum Noe et filiorum distinctum a gynæceo, sive habitaculo mulierum (ab his enim viros, durante diluvio, abstinuisse docent S. Ambrosius, Rabanus, Anselmus Laodunensis, S. Hieronymus *in Zachariæ* XII, Delrio et alii); huic lumen infundebat fenestra arcæ. *Secundo,* erat hic culina cum camino et foco; *tertio,* furnus, pistrinum et molæ trusatiles; *quarto,* lignile cum lignis et carbonibus; *quinto,* penus annonæ tam cibi, quam potus. Ex alia parte erant caveæ et nidi singularum avium, cum suo pabulo. In his cœnaculis erant scalæ, per quas ex uno in aliud ascendebant et descendebant.

Spiracula erant in arca.

Porro, ut docet Buteo, in hac quarta contignatione erant spiracula ad auram excipiendam et renovandam. Erant hæc spiracula veluti quidam camini, qui usque ad arcæ summitatem protendebantur, ut per aperta quædam ostiola, utrimque sub prominente tecti stillicidio apte fabricata (quo a pluviis tuta, et ab aquarum fluctibus remotiora essent), fœtores exhalare, et inclusus aer transpirare posset, ne sordium fœtore infectus, animalia etiam ipsa inficeret interimeretque.

His omnibus tectum erat impositum, planum, sed nonnihil acclive, et assurgens ad altitudinem cubiti (ut patuit ante), ut utrimque pluviam illapsam effunderet foras arcam, in aquas.

Ima pars arcæ habebat quatuor cubitos altitudinis, secunda novem, tertia octo, quarta novem.

Jam triginta cubitos altitudinis arcæ, ita per quatuor tabulata jam dicta dispertitur Buteo, ut sentina habuerit quatuor cubitos altitudinis; secunda contignatio, in qua erant animalia, habuerit novem cubitos altitudinis; tertia, cibariorum, habuerit octo; quarta, hominum et avium, habuerit novem cubitos altitudinis.

Porro Noe, Deo dirigente, in arca, sicuti animalium mansiones locaque sapientissime distinxit, ne sese invicem ullo modo possent animalia lædere: ita etiam miro judicio onera cuncta intra arcam ea ratione locavit ac disposuit, ut ipsa arca, veluti justis librata ponderibus, recta positione, super aquas consistere ferrique posset.

Arcæ hujus et diluvii meminerunt omnes profani scriptores, teste Josepho, lib. I *Antiq.* cap. IV, ubi addit etiam suo tempore, reliquias arcæ apud Armenos ostendi solitas.

Allegorice, arca est Ecclesia, Noe est Christus salvator et consolator orbis; munda animalia et immunda in ea, sunt justi et impii; qui extra hanc Christi arcam est, puta hæreticus et infidelis, peribit regnante diluvio, inquit S. Hieronymus. Ita et S. Augustinus, lib. XV *De Civit.*, XXVI, et S. Gregorius, homil. 16 *in Ezechiel.*, ubi inter cætera ait : « In uno cubito consummatur arca, quia unus est auctor et redemptor S. Ecclesiæ sine peccato, ad quem omnes proficiunt, qui se esse peccatores noverunt.» Vide Ferum hic, in fine cap.

Allegorice, arca est Ecclesia, Noe Christus.

Tropologice, arca est anima sancta, per cruces et labores recisis vitiis dolata, quadrata et ex omni parte librata. Rursum, arca est secretum conscientiæ; Noe est mens; longitudo arcæ est fides; latitudo, charitas; altitudo, spes, item oratio et contemplatio; inundatio aquarum est impetus tentationum; montes Armeniæ in quibus arca requiescit, quies est animæ in contemplatione rerum divinarum; volucres arcæ sunt cogitationes cœlestes; animalia sunt opera et curæ circa res terrenas; corvus emissus nec reversus significat falsos Christianos, qui foris in fluctuatione temporalium lætantur, nec redeunt ad mentis quietem; columba reversa significat bonos Christianos, qui ad opera charitatis emissi, mox ad mentis quietem redeunt, sed cum ramo olivæ, quia peregerunt opera misericordiæ. Hæc omnia habet Hugo Victorinus, lib. *Allegor. in Gen.* cap. XVIII, et Origenes hic.

Insignis tropologia totius arcæ de anima sancta.

18. INGREDIERIS ARCAM TU ET FILII TUI; UXOR TUA, ET UXORES FILIORUM TUORUM.—(1) Separantur hic viri

Vers. 18.

(1) « Ponamque *fœdus* meum, » etc. Vox בריתי (a ברה, *dissecuit*, ob dissectionem animalium in pangendis fœderibus usitatam. Cf infra, XV, 10), ubi de

a feminis, ut innuat, in arca abstinendum usu conjugii, utpote tempore diluvii, id est, luctus et pœnitentiæ, ad propitiandum Numen. Hinc in arca nullus legitur genitus, idque insinuat Moses dicens cap. x, 1 : « Natique sunt eis filii post diluvium. » Et cap. xi, 10 : « Sem genuit Arphaxad biennio post diluvium. » Rationem dat Damascenus, lib. IV *Fidei*, cap. xxv : « Separavit, ait, eos ab uxoribus, ut cum castitate pelagus et illud commune naufragium evitarent. » Quocirca Hebræi et S. Hieronymus in cap. xii *Zachariæ*, ad illa verba : « Familia domus David seorsum, et mulieres eorum seorsum; » et Abulensis hic in cap. vii, et Remigius, cap. ii *Joelis* ad illa : « Egrediatur sponsus de cubili, » censent, toto tempore quo duravit diluvium et mundi universalis interitus, neque Noe, neque filios ejus operam dedisse generationi, quia tempus erat lugendi et orandi placandique Deum.

Vers. 19. 19. ET CUNCTIS ANIMANTIBUS BINA INDUCES. — De terrestribus intellige; ergo etiam feræ, ut leones, lupi, tigrides, bini inducti sunt in arcam, qui tunc cicures, quasi mites agnelli, Noe viro innocentissimo parebant, uti paruerunt Adamo in paradiso. Vide S. Chrysostomum; *homil.* 25. Nulli vero pisces ingressi sunt arcam, nec amphibia, quia hæc continenter tam in aquis, quam in terra vivunt. Frustra ergo et temere aliqui apud Hugonem, lib. I *De Arca morali*, cap. iii, amphibiis his cavitates sive nidos assignant, quos pro iis fecerit Noe forinsecus in extimo pariete arcæ, qui aquas spectabat; nam si quæ sunt amphibia, quæ tamdiu terra carere nequeunt, vel ob pabulum, vel quia in terra nocte stabulantur, hæc intra arcam cum aliis recepta et servata sunt. Rursum in arcam non sunt inducta animalia, quæ ex putrefactione, uti mures, vermes, apes, scorpiones; nec ea quæ ex congressu diversarum specierum, uti mulus ex equa et asina, nascuntur. Terrestrium ergo animalium, quæ ingressa sunt arcam, Arias Montanus, lib. *De Arca*, numerat species 150, exceptis serpentibus. Jam Pererius serpentium et reptilium numerat species 25. Quare universim fuissent circiter 175 species animalium terrestrium in arca; in quibus sex tantum sunt majores equo, paucæ æquales, multæ minores etiam ovibus. Omnia hæc terrestria Pererius æquat 250 bobus, nec in arca plus loci occupasse censet, quam occupent 250 boves. Avium vix 150 species apud Gesnerum et Aldrovandum invenies; in quibus paucæ majores sunt cycnis, pleræque iis minores. Potuit ergo facile arca hæc omnia capere, cum ejus capacitas fuerit 450,000 cubitorum, ut dixi vers. 15.

Leones quasi agnelli paruerunt in arca.

In arca non fuerunt pisces nec amphibia :

Nec mures, nec muli.

Animantium terrestrium species sunt 175, quæ in arca tantum occuparunt loci, quantum occupant 250 boves. Avium vix sunt 150 species.

20. INGREDIENTUR TECUM. — Hebraice יבון אליך *iabon elecha*, venient ad te, scilicet sponte sua, etiam si sint effera, idque vel Dei instinctu, vel angelorum impulsu, uti prius ad Adamum, cap. ii, 19, eadem adducta sunt. Ita S. Augustinus, lib XV *De Civit.*, cap. xxvii. Non ergo animalia hæc quæsivit Noe, eaque adduxit ad arcam, ut vult Philo; non etiam ipsa animalia, invalescente diluvio, fugerunt enatando ad arcam, ut vult Hugo Victorinus apud Buteonem.

Vers. 20. Angeli adduxerunt animalia ad arcam.

21. EX OMNIBUS ESCIS QUÆ MANDI POSSUNT. — Hebraice, « ex omni cibo qui comedi solet, » puta tam ab homine, quam a bestiis. Unde verius est quod asserit Joannes Buteo (licet contrarium opinetur Pererius), scilicet animalia carnivora in arca, non herbas, sed carnes, a Noe arcæ ad hunc finem impositas, comedisse (leo enim, v. g., tantum carne vescitur).

Vers. 21. Carnivora in arca comederunt carnes.

hominibus solis sermo est, quaslibet conventiones aut pactiones mutuas significat; at ubi de Deo agitur, sæpe aut sponsiones aut leges notat. Hoc loco mera est sponsio. Ita Allioli ad h. l.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Noe cum animantibus ingreditur arcam. Secundo, vers. 17, *diluvium occupat terram per dies* 150.

1. Dixitque Dominus ad eum : Ingredere tu, et omnis domus tua, in arcam : te enim vidi justum coram me in generatione hac. 2. Ex omnibus animantibus mundis tolle septena et septena, masculum et feminam : de animantibus vero immundis duo et duo, masculum et feminam. 3. Sed et de volatilibus cœli septena et septena, masculum et feminam : ut salvetur semen super faciem universæ terræ. 4. Adhuc enim, et post dies septem ego pluam super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus : et delebo omnem substantiam, quam feci, de superficie terræ. 5. Fecit ergo Noe omnia quæ mandaverat ei Dominus. 6. Eratque sexcentorum annorum, quando diluvii aquæ inundaverunt super terram. 7. Et ingressus est Noe et filii ejus, uxor ejus, et uxores filiorum ejus cum eo, in arcam propter aquas diluvii. 8. De animantibus quoque mundis et immundis, et de volu-

cribus, et ex omni, quod movetur super terram, 9. duo et duo ingressa sunt ad Noe in arcam, masculus et femina, sicut præceperat Dominus Noe. 10. Cumque transissent septem dies, aquæ diluvii inundaverunt super terram. 11. Anno sexcentesimo vitæ Noe, mense secundo, septimo decimo die mensis, rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, et cataractæ cœli apertæ sunt: 12. et facta est pluvia super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus. 13. In articulo diei illius ingressus est Noe, et Sem, et Cham et Japhet, filii ejus, uxor illius, et tres uxores filiorum ejus cum eis, in arcam: 14. Ipsi et omne animal secundum genus suum, universaque jumenta in genere suo, et omne quod movetur super terram in genere suo, cunctumque volatile secundum genus suum, universæ aves, omnesque volucres, 15. ingressæ sunt ad Noe in arcam, bina et bina ex omni carne, in qua erat spiritus vitæ. 16. Et quæ ingressa sunt, masculus et femina ex omni carne introierunt, sicut præceperat ei Deus: et inclusit eum Dominus de foris. 17. Factumque est diluvium quadraginta diebus super terram: et multiplicatæ sunt aquæ, et elevaverunt arcam in sublime a terra. 18. Vehementer enim inundaverunt: et omnia repleverunt in superficie terræ: porro arca ferebatur super aquas. 19. Et aquæ prævaluerunt nimis super terram: opertique sunt omnes montes excelsi sub universo cœlo. 20. Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes, quos operuerat. 21. Consumptaque est omnis caro quæ movebatur super terram, volucrum, animantium, bestiarum omniumque reptilium, quæ reptant super terram: universi homines, 22. et cuncta, in quibus spiraculum vitæ est in terra, mortua sunt. 23. Et delevit omnem substantiam, quæ erat super terram, ab homine usque ad pecus, tam reptile quam volucres cœli: et deleta sunt de terra; remansit autem solus Noe, et qui cum eo erant in arca. 24. Obtinueruntque aquæ terram centum quinquaginta diebus.

Vers. 1. 1. OMNIS DOMUS TUA, — omnis progenies et familia tua.

IN GENERATIONE HAC. — Inter homines hujus temporis.

Vers. 2. 2. EX OMNIBUS ANIMANTIBUS MUNDIS. — Theodoretus, Abulensis et Beda putant hæc animalia per anticipationem vocari munda, quia scilicet per legem Mosis *Levit.* XI, decernenda erant munda. Verum melius alii censent distinctionem animalium (etiam avium, ut habent Septuaginta) in munda et immunda, de qua *Levit.* XI, fuisse quoque in lege naturæ, idque instinctu Dei et traditione majorum; quod scilicet Deus tempore legis naturæ, illa animalia quasi munda secreverit ad sua sacrificia, quæ postea tempore legis Mosis, quasi munda Judæis secrevit ad esum. Ita. S. Chrysostomus, Didymus et Pererius.

Ante Mosen fuit distinctio animalium mundorum ab immundis quoad sacrificia.

SEPTENA ET SEPTENA, — id est quatuordecim, puta septem mares et septem feminas : quatuordecim enim ex mundis animalibus, quatuor vero ex immundis servata esse in arca censent Origenes, Justinus, Oleaster et Dionysius (1). Verum sic ingens fuisset animalium turba, quam capere non potuisset arca.

Melius ergo Josephus, S. Ambrosius, Chrysostomus, Theodoretus, Eucherius, Lyranus, Abulensis, Cajetanus et Pererius, sic exponunt : *Ex mundis tolles septena et septena,* id est septem tolles in arcam e singulis quæ munda sunt, scilicet *unum* par ad speciei propagationem; *secundum* par ad sacrificium; *tertium* par ad esum post diluvium; denique septimum marem pro sacrificio offerendo, mox ut cessarit diluvium, prout de facto, mox ut cessavit, Noe unum e singulis animalibus mundis, Deo in gratiarum actionem obtulit, cap. VIII, 20 : ita Pererius; ex immundis vero unum tantum par servatum est in arca, ad speciei propagationem.

Quid septena et septena ?

Symbolice, S. Ambrosius, lib. *de Noe et arca,* cap. XII, ait septena assumi, « quia mundus et sacer est septimus numerus. Nulli enim miscetur, nec ab alio generatur, ideoque virgo dicitur, quia nihil ex se generat : itaque virilis habet sanctificationis gratiam. »

Ex hoc loco aliisque argumentis, Pererius et Aldrovandus probant, phœnicem non fuisse in arca, ac proinde nullum phœnicem esse aut fuisse in mundo : quia Scriptura hic docet ex singulis animalibus bina, scilicet marem et feminam, inducta esse in arcam : phœnix vero unus et solus dicitur esse in mundo. Et certe non est ullus, qui asseveret se vidisse phœnicem. Rursum, qui asserunt phœnicem, valde inter se de eo dissentiunt. Videtur ergo phœnix esse fabula, forte inde orta, quod Ægyptii Heliopoli solem, quasi avem, orientem et occidentem, pinxerint; hunc fecerunt et finxerunt esse phœ-

Phœnicem esse avem, non realem, sed symbolicam, ostenditur.

Phœnix non est alius, quam sol.

(1) Ita Rosenmullerus et Allioli, et vix aliter verba litteraliter sumpta intelligi possunt.

nicem, cum tantum esset symbolum et hieroglyphicum solis, qui quasi phœnix solus est in mundo.

Huic conjecturæ favet quod veteres, teste Lactantio et Claudiano, phœnicem dixerunt esse solis avem, quæ eo oriente dulcissime caneret, eumque prona veneraretur. Quapropter Plinius, libro X, cap. II, describens phœnicem, ait eum esse fabulam, additque : « Allatus est, ait, in Urbem phœnix, Claudii principis censura, anno Urbis DCCC, et in comitio propositus, sed quem falsum esse nemo dubitaret. » Unde mirum est Conimbricenses, lib. II *de Cœlo*, cap. III, *quæst.* 6, art. 4, asserere esse phœnicem, idque tum ex aliis, tum ex hisce Plinii verbis confirmare : Plinius enim phœnicem habet pro fabula; alii veteres qui phœnicem astruunt, non ex sua sententia, sed ex priscorum scriptis, sive veris, sive fabulosis aut symbolicis eum astruunt. Verum Conimbricenses addunt, phœnicem non esse unum, sed plures; nec seipsum resuscitare, sed more communi generari; quare alium ponunt phœnicem ab eo qui a veteribus ponitur, quasi symbolum et typus resurrectionis : et tales phœnices se habere Abyssini aliique jactitant. Nam Conimbricenses aliique omnes jam consentiunt nullum esse talem phœnicem, qui unicus sit, quique moriens renascatur, qualem veteres descripserunt. Nisi ergo quæstio sit de nomine, dicendum est phœnicem non esse, nec fuisse in mundo.

Vers. 7, Octo tantum homines servati in arca.

7. ET INGRESSUS EST NOE ET FILII EJUS, UXOR EJUS, ET UXORES FILIORUM EJUS. — Nota : Octo tantum homines in arcam ingressi et servati sunt, regnante diluvio : ex his octo, septem servati sunt propter Noe. Henoch interim ex paradiso aquis obruto, alio est translatus.

Berosus Annii uxorem Noe Tyræam vocat; uxores vero filiorum Noe vocat Pandoram, Noellam et Noeglam. Verum viri docti valde dubitant an Berosus quem Annius edidit, sit verus et priscus ille Chaldæorum Berosus; Gnostici, teste Epiphanio, *hær.* 26, uxorem Noe vocarunt Noria : arguit eos Epiphanius, eamque asserit vocatam esse Barthenon. Rursum unam ex hisce uxoribus fuisse Sibyllam Babyloniam, fatetur ipsamet, lib. I *Oracul. Sibyll.*, post principium, ubi ipsa se cum marito in arca fuisse profitetur. Sed viri docti id suspectum habent, quasi versibus illis additum sit ab aliquo sciolo, ad antiquitatem et auctoritatem illi oraculorum libro conciliandam : nam quod ibidem ipsa addit, arcam subsedisse, non in montibus Armeniæ, sed Phrygiæ, manifeste repugnat Mosi cap. seq., vers. 4. Scio aliquos eruditos hæc symbolice accipere, atque opinari Sibyllas veras et primævas non fuisse feminas prophetissas, sed tantum fuisse priscam Hebræorum Kabulam, sive Kibyllam (unde Sibyllæ nomen), id est, doctrinam a patribus traditione acceptam : כבל *kabal* enim hebraice significat accipere, recipere, excipere ab alio : inde Kabulla vel Sibylla est παράδοσις, sive patrum traditio, quam Noe a priore sæculo acceptam posteris post diluvium tradidit : perinde ac Lactantius lib. I *Institut.* cap. VI, ex Varrone censet Sibyllam dictam esse quasi θεοβουλήν, eo quod consilia Dei denuntiaret. Veteres enim deos σίους, non θεούς, et consilium, non βουλήν, sed βυλήν, appellabant. Si ergo Sibylla est Kabula, vel θεοβουλή, utique ipsa cum Noe, et in Noe fuit in arca. Verum de Sibyllis alibi disputandum est.

An Sibylla fuerit in arca?

Sibyllam esse Kabulam aliqui censent.

11. ANNO SEXCENTESIMO VITÆ NOE — plane exacto, et 601 inchoato per 40 dies, inquit Pererius; verum contrarium est verius, scilicet anno 600 Noe inchoato, cœpisse diluvium : nam diluvium duravit totum annum, et anno 601 Noe, mense secundo, cessavit, ut patet cap. VII, vers. 13. Rursum Noe post diluvium vixit 350 annos; vixit autem universim annos 950. Quod si diluvium exstitisset anno 601 Noe, cum illud durarit annum integrum, sequeretur Noe vixisse annos 951, quod falsum est. Porro sexcentesimo anno factum est diluvium, inquit S. Ambrosius, lib. *De Noe*, cap. XIV : « Quia sexto die Adam creatus est. Idem numerus par, et in auctore est Adamo, et in reparatione (Noe) servatur; quia fons sexagesimi et sexcentesimi, sextus est numerus. » Vers. 11.

Nota hic constantiam fidei in Noe; nam centum annis in fide diluvii perstitit, scilicet ab anno 500 ad 600, illudque constanter prædicavit, esto ab omnibus etiam cognatis rideretur, quasi qui vano timore correptus, stulto labore in arcæ fabrica tot annos desudaret; sed hi hoc anno risum in fletum, et seram pœnitentiam commutarunt. Noe similis fuit Mathathias, lib. I *Machab.* II, vers. 19.

MENSE SECUNDO, — qui hebraice dicitur Iar, et fere respondet nostro maio, saltem quoad posteriorem sui partem : primus enim Hebræorum et sacræ Scripturæ mensis est Nisan, qui partim martio, partim aprili respondet. In maio ergo cœpit diluvium, idque ut ostenderet Deus causam diluvii non naturalem fuisse ex pluvia et imbribus hiemalibus, sed speciali providentia Dei illud effectum esse, sub initium æstatis, cum inchoantur calores et siccitates. Ut igitur major esset impiorum dolor, Deus eo perdidit tempore amœnissimo, quo nil nisi lætum sibi pollicebantur. « Edebant et bibebant, » ut ait Christus *Lucæ* XVII, 27; et S. Ambrosius, lib. *De Noe*, cap. XIV : « Tunc, ait, fecit diluvium, quando dolor eorum major foret, qui in sua abundantia puniebantur, tunc ultio terribilior tanquam dicentis Dei, etc. Pereant cum homine omnia, propter quem nata sunt omnia. In suis divitiis consumatur homo, cum sua dote moriatur. » Idem judicium contigit diviti Evangelico qui, multis bonis collectis, pollicebatur sibi deinceps lautam vitam; sed eadem nocte periit. Idem contigit Nabuchodonosori regi; idem Aman; idem Herodi, *Actor.* cap. XII. Hoc est quod ait Christus : « Qua hora non putatis, Diluvium cœpit in maio, cur?

Filius hominis veniet; et Paulus : « Cum dixerint : Pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus. » Nemo igitur in prosperitate mundana confidat. « Spes enim impii quasi lanugo quæ a vento tollitur, » *Sap.* v, 15. Josephus tamen incipiens annum a septembri, mensem hunc secundum vocat Marchesuan (sic enim legendum est, non autem Marsesona), qui respondet nostro octobri, cum abundant imbres; sed prius quod dixi verius est.

An Noe arca exierit in januario?

Denique Antonius Fonseca in *Annot. ad Cajetanum*, in cap. VIII *Gen.*, et Torniellus putant mensem ingressus et exitus Noe de arca fuisse januarium, quem ideo dicunt a primis Gentilibus postmodum ipsi Noe fuisse consecratum, et ab eo denominatum : siquidem Noe ab ipsis Janus nuncupabatur; quem idcirco bifrontem finxerunt, quod Noe viderit annum et sæculum tam vetus quam novum. Verum non video solidum hujus opinionis fundamentum; nec enim januarius apud Hebræos fuit mensis secundus, sive annum sacrum, sive vulgarem et civilem accipias : licet id subtiliter ostendere conetur Torniellus, pag. 107 (1).

SEPTIMO DECIMO DIE MENSIS. — Hunc diem fuisse Dominicum asserit Cedrenus : die enim Dominico tam cœpisse, quam desiisse, et finem accepisse diluvium, tradit ipse et alii nonnulli, penes quod sit fides.

RUPTI SUNT. — Hebraice נבקעו *nibkeu*, id est, impetu ac vi aquarum discissi, dissecti, diffracti, disrupti sunt.

OMNES FONTES, — omnes scaturigines, omnes rivi, omnia orificia, omnes venæ, omnes aquæductus ex abysso prodeuntes : ita ut aqua abyssi jam suis rivis, venis, alveis et aquæductibus coerceri non posset, sed eos perrumpens omnia inundaret, faceretque quasi unum mare per totam terram : unde cessante diluvio, reductæ sunt aquæ in suam hanc abyssum, ibique conclusæ, cum, ut ait Scriptura, « clausi sunt fontes abyssi »

ABYSSI MAGNÆ, — id est, abyssorum multarum. Sub terra enim sunt multæ abyssi, id est, voragines aquarum. Unde pro *magnæ* hebraice est רבה *rabba*, id est, multæ. Ita Pererius et Delrio. Verum cum hebraice sit, non תהמות *theomot*, id est abyssi, sed תהום *theom*, id est abyssus, et *rabba*, id est multa, per enallagen Hebræis familiarem, idem sit, quod magna, ut vertit Noster : verius censent alii abyssum magnam hic vocari barathrum, sive voraginem illam subterraneam, maximam et profundissimam, quæ tum ex aquis in ea initio mundi a Deo reconditis, tum ex mari, aquis est plenissima; quam multi putant esse matricem omnium fluminum, fontium et aquarum dulcium, de qua dixi cap. I, vers. 9. Hæc enim hebraice vocatur *theom*, tam hic quam *Deuteronom.* XXXIII, 13, ubi hebraice nuncupatur, *theom robetset tachat*, id est, abyssus cubans inferne : quod Noster vertit abyssum subjacentem; talem enim abyssum sive voraginem aquarum subterraneam esse, tum experientia multiplici, tum variis argumentis, tum auctoritate Platonis, S. Hieronymi, S. Basilii, Damasceni, Philonis, Plinii, Isidori, S. Thomæ, Bernardi et aliorum, quin et S. Scripturæ locis jam citatis; docent Conimbricenses tractatu 9 *in Meteora*, cap. IX, et Valesius *Sacræ Philosophiæ* cap. LXIII. Licet enim sub terra multæ sint aquarum voragines, tamen hæ omnes una censentur esse subterranea vorago, sive abyssus, præsertim quia verisimile est omnes invicem per venas et meatus conjungi, et in primaria ac majori quapiam voragine quasi matrice convenire. Ex hac ergo abysso erumpentes aquæ largissimæ, instar fluminum, imo marium, terram operuerunt : omne enim mare, per venas, cum abysso jam dicta conjungitur et unitur; unde per abyssum hic, maria quoque intelliguntur : abyssus enim est vorago aquarum, tam quæ terra, quam quæ mari continentur.

Abyssus est vorago aquarum sub terra et in mari.

An fuerit vacuum in abysso?

Dices : Ergo tum in mari et abysso fuit vacuum. Respondeo non fuisse, partim quia in abyssum loco aquæ subintravit aer; partim quia Deus tum rarefecit aquas maris et abyssi, quo factum est ut illæ majorem locum exposcerent, seque non tantum per alveos suos, sed et per terram diffunderent.

Nota τὸ *rupti sunt omnes fontes*, *q. d.* Tanta fuit aquæ, ex abysso et mari erumpentis, vis et copia, ut omnes suos fontes, limites et aggeres pervaderet, atque per latera quaquaversum se effunderet, totamque terram obrueret; perinde ut faciunt torrentes terra conclusi, dum vi aquarum suos exitus, alveos et aggeres, quibus quasi carceribus concludebantur, dilatant, diffringunt, rumpunt, et per latera undequaque erumpunt omniaque inundant.

Quæ cataractæ cœli? Prima sententia.

ET CATARACTÆ COELI APERTÆ SUNT. — « Cataractæ, » aiunt Eugubinus et Oleaster, sunt foramina quæ Deus fecit in cœlo, sive firmamento, ut per ea aquæ quæ supra firmamentum sunt, defluerent : propter diluvium enim aquas has ibidem fuisse repositas a Deo, initio mundi, censent ipsi; sed hoc modo findi debuisset, non tantum firmamentum, sed et omnes cœli planetarum, quod est improbabile.

Secunda.

Secundo, Petrus de Aliaco, et alii quos citat Pererius, pag. 252, per cataractas accipiunt constellationes, quarum vi naturali factum sit diluvium; sed hoc repugnat huic versui et vers. 4.

Tertia et vera esse nubes.

Dico ergo, cataractæ cœli hic per catachresin vocantur nubes, ipsaque secunda aeris regio, multas in partes plagasque divisa, quæ vapores

(1) *Mense secundo*, id est, novembri, ex Cappelli computatione in *Chronologia sacra*. Ante exitum ex Ægypto Israelitæ annum incipiebant ab octobri mense, quum seminarentur frumenta; hic autem mensis, postea ab eis *Tisri* vocatus, incipiebat 22 septembris, ita ut decimus septimus dies mensis Hebræorum secundi fuerit 6 novembris.

et aquas intra se quasi repagulis et cataractis quibusdam continet et coercet, *q. d.* Nubes, ipsaque secunda aeris regio, diluvio tanto impetu, aquarum vim maximam in terram dejecit, ut totus aer videretur rumpi in vastissima foramina, per quæ non tam guttas et pluvias, quam densissimos imbres, instar rivorum et fluviorum effudit, ita ut aer jam non aer, sed continuus quidam imber, imo mare esse videretur. Ita S. Chrysostomus, Rupertus et Pererius; cataractæ enim nuncupantur a καταρήγνυμι, id est, præceps deorsum ruo. Unde ruptis his cataractis subdit Moses: « Et facta est pluvia super terram quadraginta diebus. »

Duplex causa diluvii.

Nota: Duplex fuit causa diluvii, una supera, puta pluvia erumpens ex cataractis cœli; altera infera, puta eruptio et inundatio abyssi, ita ut terra media utrimque invasa et obruta fuerit aquis.

Sane difficile est pervidere unde tanta aquarum copia, quæ totam terram operiret, imo altissimos montes quindecim cubitis superaret, prodierit. Constat enim montes nonnullos ad quatuor milliaria Italica, sive ad quatuor millia passuum elevari, ac supra terram eminere: quanta est altitudo Alpium gradatim ascendentium. Quod si ubique terrarum æque altæ fuerunt aquæ, ut videtur (idque significat Scriptura cap. VIII, vers. 3, ubi ait arcam Noe in aquis diluvii fluitantem, iis sensim decrescentibus, tandem septimo mense quievisse super montes Armeniæ, ac decimo mense aliorum cacumina montium apparuisse: ergo illuc usque aquis fuerant obtecta), sane ingens fuit peripheria aquarum, quæ facile in se quatuor maria et amplius complecteretur, uti patet geometrice spatium hoc expendenti et metienti: quo enim altius scanditur, eo peripheriæ capacitas magis dilatatur, ac geometrica progressione gradatim excrescit in quantitatem ingentem. Mare enim longe minus est terra, ac videtur non multo majus esse montibus et collibus; in horum enim locum successit. Deus enim e terra prius rotunda montes elevavit, ut per hoc in ea faceret scrobes et fossas, in quas induceret aquas, quæ prius terram operiebant, ut terra aquis vacua posset habitari. Igitur mare parum contulit ad tantum diluvium. Rursum vapores e terra elevati atque aer non videntur potuisse reliquum conferre: nam ut ex vapore et aere fiat aqua, debet magna fieri aeris condensatio. Decem enim unciæ aeris, imo longe plures, non efficiunt unam unciam aquæ. Quare etiamsi major pars aeris fuisset conversa in aquam, vix videtur suffecisse ad tantam aquarum molem præstandam, etiamsi eas a Deo per rarefactionem extensas et expansas esse asseveres, præsertim quia si valde rarefactæ fuissent aquæ, fuissent utique valde subtiles, leves et aeriæ: unde non potuisset eis innatare, et supernatare arca tam gravis et onusta. Adde, tunc loco aeris in aquam versi et densati debuissent alia corpora succedere, aut ingens relinqui vacuum, quod natura abhorret; aut certe nova aqua, vel novus aer a Deo creari, et post diluvium annihilari, quod etiam absonum videtur. Quare nonnulli viri docti dicunt se rationibus jam allatis cogi ut fateantur cum Oleastro et Eugubino aquas, quæ diluvium causarunt, esse illas quæ primitus super cœlos in maxima copia a Deo ad hoc repositæ sunt, ideoque Deum in firmamento fecisse cataractas sive meatus, per quos hæ aquæ descenderent: hoc enim plana Mosis narratio exigere videtur. Cum enim aquas veras ad diluvium opportunas in cœlo reperiamus, tot tantasque aeris commutationes vestigare non est opus. Adde, multi veteres et moderni censent cœlos non esse solidos, sed liquidos et fissiles instar aeris vel ætheris: quod si concedas, facile per eos descendere potuerunt aquæ. In locum vero aquarum superarum ne esset vacuus, vel successit aer et æther, qui cum aquis superis videtur commutasse locum tempore diluvii; vel certe aquas reliquas, quæ super cœlos tempore diluvii manserunt, Deus rarefecit, ut locum aquarum sociarum, quæ descendebant, implerent. Porro, acceleravit, inquiunt, Deus descensum aquarum singulari impulsu; nam si naturali motu descendissent, impendissent in descensu ex loco tam alto et remoto, plusquam centum annos, uti ostendi cap. I, vers. 14. Favet huic sententiæ S. Petrus, *epistola* II, cap. III, vers. 5, ubi si accurate verba expendas, videtur dicere aquis diluvii periisse mundum, id est, cœlum et terram, sicut idem peribit in fine sui igne conflagrationis. Igitur sicut non tantum elementa, sed ipsimet cœli, ut ipse ait vers. 12, hoc igne « ardentes solventur; » sic pariter videntur iidem in diluvio aquis fissi et obruti, ita ut quodammodo periisse censeri possint. Hoc enim plena S. Petri antithesis exigere videtur; unde vers. 5, ait: « Quod cœli erant prius et terra, » etc., « per quæ ille tunc mundus aqua inundatus periit; cœli autem qui nunc sunt, » etc., « igni reservati, » *q. d.* Mundus et cœli priores periere diluvio: cœli autem, qui post diluvium a Deo sunt restituti, et nunc exstant, simili modo reservantur igni, ut eo conflagrent et pereant; quocirca subdit vers. 13: « Novos vero cœlos et novam terram secundum promissa ipsius exspectamus. » Accedit quod Esdras, lib. IV, cap. VI, vers. 41, firmamentum vocat spiritum, id est, aerem vel ætherem: hunc enim ipse vocat spiritum, ut patet vers. 39. Ita ipsi, qui posito hoc principio, quod cœli sint liquidi vel fissiles, non male philosophantur, ac facilem claramque tantarum, quantæ ad diluvium requirebantur, aquarum dant causam.

Verum, quia Aristoteles et Philosophi hoc principium pernegant, et quia aquæ illæ supra cœlos subtiles sunt et cœlestes, ac longissime remotæ a terra: idcirco respondeo et dico, *primo*,

solum mare tantum diluvium causare non potuit : diluvium enim longe majus fuit toto mari. Mare enim respectu terræ est exiguum : nam cum a terra separatum est, successit duntaxat in locum fossarum et scrobum, e quibus elevati sunt montes; quare fere sua quantitate montes adæquat, uti jam dictum est. Rursum nautæ qui bolide profunditatem maris explorarunt, asserunt mare, in sui medio, ubi profundissimum est, communiter non esse profundius dimidio milliari Italico, hoc est, quingentis passibus : cum semidiameter terræ sit trium millium milliarum, uti passim docent Mathematici. Quid est dimidium milliare, etiam in suprema, ideoque amplissima superficie terræ, si comparetur cum tribus millibus milliarium, quæ est mensura profunditatis terræ a superficie usque ad centrum? Insuper mare vix operit dimidiam superficiem terræ, nec ullos montes; imo Esdras, lib. IV, cap. VI, vers. 42, ait aquas et mare occupare septimam tantum terræ partem. Quare his ad calculum subductis, sequitur mare vix esse millesimam partem terræ : spatium autem ad quod diluvium excrevit super terram, continuit ducentesimam et trigesimam octavam partem terræ, uti mox dicam; qui numerus continet millenarium quater et amplius, quo fit ut ad spatium hoc ad quod diluvium excrevit, aquis implendum, quatuor maria non suffecissent, nisi dicas mare ad quadruplum solito magis a Deo fuisse rarefactum.

Dico *secundo* : Causa diluvii fuere vapores e globo terræ et maris rursum elevati ibique in pluviam resoluti. Pro quo nota : Si ponas diluvium ad quinque milliaria Italica super terram excrevisse : operuit enim altissimos montes ad 15 cubitos; montes autem aliqui ad quatuor milliaria supra terram attolluntur. Ponamus ergo ad faciliorem calculum, diluvium ad quinque milliaria super terram excrevisse, dico spatium hoc quinque milliarium non esse nisi ducentesimam trigesimam octavam partem globi terræ, uti periti Mathematici subductis rationibus Romæ mihi ostenderunt. Jam facile fuit Deo 238 partem terræ, cui immixtum est mare, in vapores vertere, eosque in pluvias convertere : hi ergo totum hoc quinque milliarium spatium implessent. Adde aquam decuplo rariorem esse terra : quare dictum numerum 238 portionis terræ, sufficientis ad implendum spatium quinque milliarium jam recensitum, multiplicandum esse per decem; quod si facias, convenient 2380 : quare 2380 pars terræ resoluta in vapores et pluvias suffecit ad implendum hoc spatium quinque milliarium. Quid est 2380 pars terræ ad totum terræ globum? In locum vero hujus portionis terræ in vapores abeuntis, successit aer et aqua, per rarefactionem dilatata, et solito magis expansa.

Denique potuit Deus pluvia pari modo rarefacere et extendere : quo dato, multo adhuc minor terræ et pluviarum portio, ad spatium hoc implendum suffecit. Probabile quoque est Deum partem aeris in pluviam et aquam convertisse. Tria ergo elementa, scilicet aer, aqua et terra, ad tantum diluvium causandum concurrerunt. Locum S. Petri explicui in Commentariis epistolæ ejusdem.

12. QUADRAGINTA DIEBUS. — Pluviæ hujus tam continuæ causa fuit, assidua vaporum multiplicatio et conversio in aquas; Deum enim tunc vapores, aerem aliaque in aquas resolvebat continuo per 40 dies, easque misericorditer, non simul, sed sensim depluit, ut interim terrerentur et pœniterent homines, ait S. Chrysostomus. Vers. 12.

Nota : Putat Oleaster non tantum per dies hos 40, sed etiam per 150 sequentes, continuo pluisse. Verum Scriptura tantum asserit 40 diebus pluisse, quo satis innuit, post 40 dies cessasse pluviam. Ita Abulensis et Pererius.

13. IN ARTICULO (in puncto diei illius; hebraice est בְּעֶצֶם הַיּוֹם *beetsem haiom*, in osse diei, id est, in subsistentia (ossa enim dant subsistentiam firmam corpori) illius diei, puta illo die 17 mensis secundi, anni 600 Noe) INGRESSUS EST, — scilicet ultimate et complete, Noe cum omnibus in arcam. Notandum enim ex vers. 1, 4 et 7, Noe in arcam ingredi cœpisse, septem diebus ante diluvium, ac per eos dies sensim cibaria et animalia induxisse in arcam, ita ut ipso die diluvii, qui fuit decimus septimus mensis secundi, omnia, et omnes perfecte essent ingressi. Τὸ ergo *ingressus*, significat hic actum non inchoatum, sed completum et perfectum. Voluit enim Dei clementia, hisce septem diebus, per apparatum quem faciebat Noe, perque continuam inductionem animalium et cibariorum in arcam, homines monere de instanti diluvio, et commovere ad pœnitentiam. Ita S. Ambrosius, Tostatus et Pererius. Vers. 13.

14. UNIVERSÆ AVES, OMNESQUE VOLUCRES. — Aves sunt, quæ pennas habent : volucres quæ alas, sive eæ pennæ sint, sive membranulæ, quales habet vespertilio. Vers. 14.

16. INCLUSIT EUM DOMINUS DE FORIS, — scilicet, extrinsecus ostium arcæ, contra aquas, bitumine obliniendo, quod Noe, utpote arca jam inclusus, facere non poterat. Unde Hebræa habent, *clausit Dominus pro eo*; vel, ut Vatablus vertit, *post eum*. Vide quantam curam et providentiam Deus habeat Noe et suorum. Vers. 16.

17. FACTUMQUE EST DILUVIUM. — Tropologice S. Ambrosius, lib. *De Noe*, XIII : « Diluvii species, ait, typus est purgationis animæ nostræ. Itaque cum mens nostra se a corporalibus mundi hujus illecebris, quibus ante delectabatur, abluerit, bonis quoque cogitationibus veteris colluviem cupiditatis absterget, tanquam purioribus absorbens aquis turbidorum prius amaritudinem fluentorum. » Vers. 17.

19. AQUÆ PRÆVALUERUNT NIMIS, — ita ut domos Vers. 19.

et urbes everterent, arbores eradicarent, omniaque sata et germina solo sternerent; nimirum tunc, ut canit Ovidius :

Omnia pontus erant, et deerant littora ponto.

Constantia Noe in octo tentationibus.

Nota hic rursum constantiam fidei, spei et patientiæ in Noe. Erat enim in tentationibus gravissimis, ut mirum sit eum non desperasse : *primo* enim relinquere cogebatur domum, amicos et omnia, imo eorum interitum videre; *secundo*, quasi in carcere et tenebris, fœtoreque animalium clausus erat; *tertio*, terrore quatiebatur videns tantam Dei iram, aquasque undique irruentes, imo nil nisi præsentem mortem aspiciens. Si enim in mare et fluctibus timent homines, quantum timuit Noe? *quarto*, timere poterat ne et ipsum, ob culpam aliquam, relinqueret Deus; *quinto*, nesciebat quamdiu tempestas duraret; *sexto*, non videbat exitum : clausa enim erat arca; *septimo*, cruciabat eum interitus omnium hominum et animalium; *octavo*, laborabat ut suos in arca consolaretur et confortaret, ne desperarent. Quis in tantis tentationibus non succubuisset, ac mori præelegisset? verum omnia hæc sustinuit et superavit Noe, uni Deo nixus, ejusque promissioni et providentiæ, quoniam nullum erat aliud auxilium aut consilium. Ita suos exercet et perficit Deus, dum omnia fulcra eis adimit, ut totos se Deo committant. Discamus et nos in arctis quibusque nos Deo unire in eumque maxime sperare. Dominus enim est qui suos « mortificat et vivificat : deducit ad inferos, et reducit. » Quid mirum ergo, si Noe a fide ita laudet Paulus, *Hebr.* XI, 7, et *Ecclesiasticus*, cap. XLIV, 17.

Vers. 20. 20. QUINDECIM CUBITIS ALTIOR FUIT AQUA SUPER MONTES. — Ergo pertigit diluvium usque ad imum mediæ regionis aeris : eo enim pertingit Olympus et alii montes celsissimi; ergo diluvium paradisum quoque obruit et destruxit. Putant aliqui, quod tantumdem, puta quindecim cubitis supra terram et montes excrescet ignis conflagrationis in fine mundi, illudque innuit S. Augustinus, lib. III *De Genes. ad litt.*, cap. II, idque probat ex II *Petr.* cap. II, vers. 5 et 7. Falsum ergo est, quod Cajetanus censuit, montes qui hic aquis operti dicuntur, esse illos, qui sunt sub cœlo aereo, non autem illos, qui superant mediam aeris regionem, quales ait ipse esse Olympum et Atlantem : hoc enim repugnat S. Scripturæ, hic, quæ omnes terræ montes diluvio superatos et obrutos asseverat, ut recte advertit S. Augustinus, lib. XV *De Civitate* XXVII. Fundamentum quoque Cajetani, scilicet quod aliqui montes superent mediam regionem aeris, sive locum pluviæ et nivis, falsum est; nam cacumen Atlantis nivibus tegi compertum est.

An omnes omnino montes obruti aquis?

Nota : Quindecim cubitis aqua excessit omnes montes, ne gigantes longissimi, aut aliud animal vastissimum, in altissimi montis vertice servari posset. Quare quod tradunt Judæi, Og regem Basan fuisse ex gigantibus iis, de quibus dictum est cap. VI, quodque in altissimo monte consistens evaserit diluvium, idque probant, ex eo, quod dicitur *Deut.* III, 10 : « Solus Og restiterat de stirpe gigantum, » fabella est, sic enim Og fuisset 800 annorum : tot enim anni sunt a diluvio, usque ad ingressum Hebræorum in Chanaan, quando ab eis occisus est Og, *Deuter.* III, 3.

Og gigantem evasisse diluvium fabulantur Judæi.

Quæres, quid fecerit Noe cum suis toto tempore in arca?

Quid egerit Noe in arca ?

Respondet Torniellus eum commiseratum esse cæteris omnibus pereuntibus, sibique congratulatum esse de sua salute in arca, ac Deo gratias egisse; *secundo*, vacasse precibus et contemplationi; *tertio*, se et animalia cuncta curasse, dando eis cibum et potum, sordes everrendo in sentina, indeque per antliam vel situlas extollendo, et extra arcam per fenestellas, quæ superius erant, ejiciendo; denique rem omnem arcæ administrasse.

Vers. 22. 22. ET CUNCTA IN QUIBUS SPIRACULUM VITÆ EST IN TERRA, MORTUA SUNT. — Hebræa ad verbum sic habent, *et omne cujus flatus spiritus* (id est, flatus respirationis sive respirans) *vitæ in naribus ejus ex omnibus quæ sunt in arida, mortua sunt*, hoc est, omnia omnino in terra respirantia mortua sunt. Unde Tigurina vertit, *et quidquid erat in cujus naribus spirabat flatus vitæ, de omnibus quæ in sicco degebant, mortua sunt;* Vatablus, *jam interierant.* Addit τὸ *in sicco* ob pisces, qui in humido, puta in aqua, versantur : hi enim mansere vivi et superstites. Pagninus : « Omnia in quorum facie erat anhelitus vitæ, ex omnibus quæ erant in sicco, mortua sunt. » Septuaginta vero sic : « Et omnia quæcumque habebant spiritum vitæ, et omnis qui erat super aridum, mortuus est. » Chaldæus : « Omnia in quibus est spiraculum spiritus vitæ in naribus suis, ex omnibus quæ sunt in arida, mortua sunt. »

Vers. 24. 24. OBTINUERUNTQUE AQUÆ TERRAM CENTUM QUINQUAGINTA DIEBUS. — Nota hos 150 dies non esse computandos seorsim post 40 dies pluviæ de quibus vers. 12 (ut volunt Josephus, Chrysostomus, Tostatus, Cajetanus), sed eos includere; nam a 17 die mensis secundi, quo cœpit pluvia et diluvium, usque ad diem 27 mensis septimi, quando imminutis aquis arca quievit in montibus Armeniæ, ut habetur cap. VIII, 4, tantum interfluunt dies 160; ergo primis 40 diebus fuit pluvia, qua terra et montes omnes ad quindecim cubitos fuerunt obruti: deinde per sequentes centum et decem dies, mansit aqua in hoc statu et altitudine, post quos cœpit decrescere, ita ut decimo post die arca quiesceret in montibus Armeniæ : tot enim universim numerantur dies, a 17 die mensis secundi, quo cœpit diluvium, usque ad diem 27 mensis septimi, quo quievit arca, nimirum dies 160, quos eo modo, quo jam dixi, partiri et distribuere oportet. Ita Lyranus, Hugo, Pererius.

Horrendum fuit hoc diluvii spectaculum : sen-

Horror diluvii. sim crescentibus aquis, circumcursabant per domos tremulæ matres cum parvulis, nescientes quo pergerent; surgebant alii pavidi de mensa, et effugium quærebant; e cubili exiliebant sponsus et sponsa, huc ille, illuc illa fugiebat, ut salientem evaderet undam; vidisses quosdam repente superiora domus, alios etiam tectorum cacumina conscendere; nonnullos item excelsarum arborum ramos scandere, alios vero cum festinatione ad collium montiumque juga se proripere, sed frustra: nemo enim hanc aquarum vim et impetum evadere potuit; ubique pavor, ubique tremor. O quam dolebant tunc, quod Noe hæc comminantem non audierant, sed irriserant! O Noe, quam sapuisti, inquiebant, o nos dementes, quam insani, quam stolidi fuimus! o si jam liceret arcam ingredi, quam cuperemus etiam tota vita in ea includi! potuimus aliquando, sed noluimus; nunc volumus, sed non possumus. Sero sapiunt Phryges. Ex hisce et similibus vides, quam horribile fuerit diluvium; quod ut magis videas et apprehendas, imaginare te in vertice montis consistere, ac videre aquas totam terram inundantes, omnia sternentes, homines et animalia sorbentes, arces et oppida evertentes, excrescentes, et montes omnes superantes, itaque ad te tandem in vertice consistentem pertingentes, teque pariter haurientes et mergentes. Hinc disce quid sit peccatum, quod hanc cladem toti orbi induxit; et si tale fuit diluvium aquæ in terra, quale erit diluvium ignis in gehenna? Cogita quam terribilis sit Deus in consiliis suis super filios hominum, quam terribilis sit ejus justitia et vindicta. « Elevaverunt flumina fluctus suos, a vocibus aquarum multarum. Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus. » Quid ergo erit in die judicii, qui similiter omnes ex improviso obruet? Audite Christum ipsissimam veritatem *Matth.* cap. XXIV, 37 : « Sicut in diebus Noe, ita erit et adventus Filii hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes et bibentes, nubentes, et nuptui tradentes, usque ad eum diem, quo intravit Noe in arcam, et non cognoverunt, donec venit diluvium, et tulit omnes: ita erit et adventus Filii hominis. »

« Tunc, inquit ex S. Bernardo Hugo Cardinalis, angustæ erunt viæ undique reprobis. Superius erit judex iratus; subtus, horrendum chaos; a dextris, peccata accusantia; a sinistris, infinita dæmonia ad supplicium trahentia; intus, urens conscientia; foris, mundus ardens. Miser peccator deprehensus, quo effugies? latere erit impossibile, apparere intolerabile. Si quæris, quis te accusabit? dico, quod totus mundus : quia, offenso Creatore, omnis creatura odio habet offendentem, puta peccatorem (1). » Horror judicii.

(1) Circa diluvium, omnesque eo spectantes quæstiones, vid. Meignan, op. cit. p. 143; Desdouits, *Soirées*, etc. 4e soirée; Wiseman, *Discours*, etc., Disc. 3, II *Parte*, imprimis autem pag. 288 et 299 edit. Migne.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Minuitur sensim, et tandem finitur diluvium : idque vers. 8, *ex columba redeunte cum ramo olivæ, discit Noe. Hinc, vers.* 16, *cum omnibus suis ex arca egreditur. Denique, vers.* 20, *offert sacrificium Deo, qui per illud placatus, promittit deinceps non fore diluvium.*

1. Recordatus autem Deus Noe, cunctorumque animantium, et omnium jumentorum, quæ erant cum eo in arca, adduxit spiritum super terram, et imminutæ sunt aquæ. 2. Et clausi sunt fontes abyssi, et cataractæ cœli : et prohibitæ sunt pluviæ de cœlo. 3. Reversæque sunt aquæ de terra euntes et redeuntes : et cœperunt minui post centum quinquaginta dies. 4. Requievitque arca mense septimo, vigesimo septimo die mensis, super montes Armeniæ. 5. At vero aquæ ibant et decrescebant usque ad decimum mensem : decimo enim mense, prima die mensis, apparuerunt cacumina montium. 6. Cumque transissent quadraginta dies, aperiens Noe fenestram arcæ, quam fecerat, dimisit corvum, 7. qui egrediebatur, et non revertebatur, donec siccarentur aquæ super terram. 8. Emisit quoque columbam post eum, ut videret si jam cessassent aquæ super faciem terræ. 9. Quæ cum non invenisset ubi requiesceret pes ejus, reversa est ad eum in arcam : aquæ enim erant super universam terram : extenditque manum, et apprehensam intulit in arcam. 10. Exspectatis autem ultra septem diebus aliis, rursum dimisit columbam ex arca. 11. At illa venit ad eum ad vesperam, portans ramum olivæ virentibus foliis in ore suo; intel-

lexit ergo Noe quod cessassent aquæ super terram. 12. Exspectavitque nihilominus septem alios dies : et emisit columbam, quæ non est reversa ultra ad eum. 13. Igitur sexcentesimo primo anno, primo mense, prima die mensis, imminutæ sunt aquæ super terram : et aperiens Noe tectum arcæ, aspexit viditque quod exsiccata esset superficies terræ. 14. Mense secundo, septimo et vigesimo die mensis, arefacta est terra. 15. Locutus est autem Deus ad Noe dicens : 16. Egredere de arca, tu et uxor tua, filii tui et uxores filiorum tuorum tecum. 17. Cuncta animantia quæ sunt apud te ex omni carne, tam in volatilibus quam in bestiis et universis reptilibus, quæ reptant super terram, educ tecum, et ingredimini super terram : crescite et multiplicamini super eam. 18. Egressus est ergo Noe, et filii ejus, uxor illius et uxores filiorum ejus cum eo. 19. Sed et omnia animantia, jumenta et reptilia, quæ reptant super terram, secundum genus suum, egressa sunt de arca. 20. Ædificavit autem Noe altare Domino : et tollens de cunctis pecoribus et volucribus mundis, obtulit holocausta super altare. 21. Odoratusque est Dominus odorem suavitatis, et ait : Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines; sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua : non igitur ultra percutiam omnem animam viventem sicut feci. 22. Cunctis diebus terræ, sementis et messis, frigus et æstus, æstas et hiems, nox et dies, non requiescent.

Vers. 1. 1. RECORDATUS AUTEM DEUS NOE. — Quasi Deus oblitus fuerit Noe, cum eum in illa horribili aquarum abysso cum arca fluitantem reliquit, hic finiente diluvio ejus recordari dicitur, quia eum inde jam liberat, ait Theodoretus.

Audivimus cap. præced. interitum omnium impiorum : hic audimus consolationem piorum : Sicut ergo prius ostendit gaudium impiorum inluctum fuisse conversum : ita hic declarat piorum tristitiam in gaudium esse conversam, juxta illud Tobiæ : « Hoc pro certo habet omnis qui colit te, quod vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur. »

ADDUXIT SPIRITUM, — id est, Spiritum Sanctum, inquit Theodoretus et S. Ambrosius. *Secundo*, Rupertus per spiritum accipit solem, qui suo ardore siccarit aquas. Verum dico, *spiritum*, id est, ventum validum, qui vi, non tam naturali (quomodo enim id fieret in tantis aquis, tam brevi tempore ?), quam divina, partim siccaret et consumeret aquas, partim eas densaret, et cogeret in abyssum et alveum unde eruperant : quo facto eas ibi reclusit, clausis abyssi fontibus et orificiis, et hoc est quod sequitur : « Clausi sunt fontes abyssi. » Ita S. Chrysostomus et Ambrosius. Quæ sit hæc abyssus dixi cap. VII, vers. 11. Idem ventus eadem vi effecit ne ex hoc diluvio ulla postea lues, vel pestilens quippiam spargeretur.

Spiritus, id est ventus, siccavit aquas.

Vers. 2. 2. ET PROHIBITÆ SUNT PLUVIÆ DE COELO. — Non quasi hucusque continuo pluerit per 150 dies, sed quod decrescente diluvio, Deus omnes omnino pluvias, etiam ordinarias prohibuerit, ut eo citius decrescerent aquæ, et terra siccaretur. Prohibuit ergo hic pluviam Deus per septem integros menses, scilicet a 17 die mensis septimi, quo cœpit aqua decrescere, ad 27 diem mensis secundi sequentis anni, quo arefacta est terra, ut patet vers. 14.

Vers. 3. 3. EUNTES ET REDEUNTES, — euntes redeundo ad mare, et ad abyssum subterraneam, per varios meatus, perque occultas venas. Ita S. Hieronymus.

MENSE SEPTIMO, — ab initio, non diluvii, ut volunt aliqui, sed anni, ut patet ex vers. 13 et sequentibus.

Vers. 4. 4. VIGESIMO SEPTIMO DIE. — Ita legunt constanter Latina Biblia, Septuaginta et Patres omnes, et ratio evincit ita legendum esse. Nam cum per 158 dies aquæ manentes in sua altitudine obtinuerint terram, sequitur eas in sua altitudine mansisse usque ad diem 17 mensis hujus septimi; cœpit enim diluvium 17 die mensis secundi. Jam a 27 die mensis secundi, ad 17 diem mensis septimi, præcise intersunt 150 dies, post quos aquæ cœperunt decrescere; ergo 17 die mensis septimi cœperunt decrescere ; non potuerunt autem uno die 15 cubitis, quibus quaquaversum montes, non tantum Armeniæ, sed etiam iis altiores in tota terra superabant, ita decrescere, ut eodem die 17 arca quiesceret in montibus Armeniæ; sed sensim hoc factum est, ita videlicet ut post 10 dies, puta 27 die ejusdem mensis, arca quiescere posset in illis montibus, uti hic dicitur. Valde enim lente decrevisse aquas patet ex eo quod, post quietem arcæ mense septimo, decimo tandem mense apparuerint cacumina montium. Quare Hebræa et Chaldæa hic non tam mutila, quam distorta et divulsa sunt ; nam pro 17 habent 27, nimirum pro duabus disjunctis vocibus עשר יום *asar iom*, id est, decimo die, legendum est conjunctim unica yoce עשרים *esrim*, id est, vigesimo, supple die.

Perperam ergo Eugubinus, Cajetanus et Lipomanus dixerunt nostrum textum hic esse corruptum.

MONTES ARMENIÆ. — Hebraice est, *montes Ararat*, quod Chaldæus vertit, *montes Cordu*, quos Josephus et Curtius *Cordiæos* vocant. Hi montes, inquiunt Pererius et Delrio, sunt pars Tauri montis (qui varia diversis locis nomina accipit), ubi is imminet Ciliciæ et Araxi fluvio, qui forte Ararat hebraice dicitur. Inde Stephanus, lib. *De Urbibus*, Tarsum Ciliciæ dictam putat a τερσάνω, id est, arefacio, quod in argumentum exsiccatæ ibi primum terræ, ibidem Tarsus sit condita. Verum alii Tarsum a Tarsis, filio Japhet, conditam et appellatam censent (1).

Unde Tarsus dicta?

Unde dicta Armenia?

Nota : Armenia postea ita dicta videtur, ab Aram, filio Sem, nepote Noe, *Genes.* cap. x. Quod si etymon Hebræum spectes, Aram et Armenia significat altam et excelsam ; est enim Armenia omnium orbis partium celsissima, idque vel ex eo colligitur, quod in montibus Armeniæ primum, decrescente diluvio, arca resederit.

Vers. 5.

5. DECIMUM MENSEM, — non a cœpto diluvio, ut vult Tostatus et Cajetanus, sed a cœpto anno 600 vitæ Noe, ut patet cap. præced. vers. 11, et hic vers. 13 et 14. Ita Lyranus et Pererius.

APPARUERUNT CACUMINA. — Licet enim jam ante, mense septimo, arca quieverit in montibus Armeniæ, nondum tamen tum detecti erant montes ; nam arcæ moles aliquot cubitis (puta septem vel octo) pondere suo sub aquas penetrarat, uti solent facere naves onerariæ ; his ergo cubitis septem vel octo sensim decrescente aqua, tandem detecti sunt montes, ita ut Noe spectanti per arcæ fenestram, demum mense decimo apparuerint cacumina montium. Verisimile est ea prius fuisse retecta et nudata aquis, sed mense decimo primum apparuisse, et visa esse ipsi Noe. Adde, non est necesse dicere æqualiter et æquo tenore, sensim semper decrevisse aquas ; verisimile est enim initio eas magis decrevisse, idque ut arca amplius non fluitaret, sed subsideret in montibus Armeniæ, ad securitatem et consolationem Noe : nam initio statim non tantum per ventum siccatæ et densatæ sunt aquæ, sed etiam a Deo subito reductæ sunt in suam abyssum, ex qua prodierant, quæ sane ingentem aquarum copiam excepit ; ibique sunt reclusæ ; unde vers. 2, dicitur : « Et clausi sunt fontes abyssi. »

Vers. 7.

An corvus sit

7. QUI (CORVUS) EGREDIEBATUR, ET NON REVERTEBATUR. — Chaldæus, Josephus et, ut nonnullis videtur ipsa Hebræa habent contrarium, scilicet, *corvus egrediebatur et revertebatur*. Unde Calvinus nostrum textum Latinum falsitatis accusat ; verum Septuaginta, noster Interpres et Patres omnes, præter Procopium, legunt cum negatione, *corvus egrediebatur, et non revertebatur*. Utraque versio et lectio verum habere sensum, ac proinde una cum alia facile conciliari potest.

reversus ra da cam?

Pro quo nota : Hebræa ad verbum sic habent : *Corvus egrediebatur exeundo et redeundo*, scilicet, corvus hic emissus ex arca, teste S. Augustino, S. Chrysostomo et aliis, videns cadavera in montibus jacentia, aut in aquis natantia, quæ necdum dissoluta, vel a piscibus devorata erant, illorum aviditate ; aut potius, ut censet Pererius, quia clausuræ in arca pertæsus, libertatis erat avidus, in arcam regredi nolebat ; quia tamen terra adhuc erat limosa et aquosa, subinde revolabat ad culmen arcæ, illique insidebat, ut rursum ad cadavera revolaret. Revertebatur ergo corvus ad cacumen arcæ, non vero revertebatur ad Noe, in ipsam arcam, sed ultro citroque volitabat. Unde Noe ex eo, an et quantum siccaretur terra, scire non poterat ; hinc paulo post columbam emisit, quæ id exploraret. Vide Franc. Lucam notat. 3 *in Gen.*

Hebræum *scob* significat recedere.

Secundo et magis genuine, Hebræum שוב *scob*, significat redire, non ad Noe emittentem, sed ad pristinum locum, libertatem et consuetudinem : unde *scob* sæpe sumitur pro *recedere*, ut patet hic vers. 3, et *Ruth.* I, 16, et *Ezech.* XVIII, 26, et alibi sæpe ; quare in Hebræo ita est ad verbum : *Corvus egressus est egrediendo et recedendo, donec siccarentur aquæ super terram*, hoc est, magis magisque egrediebatur, et recedebat, donec siccaretur terra ; id enim naturale est avibus, ut dimissæ e cavea, quam longissime aufugiant. Hunc vero sensum clarius explicuit noster Interpres, dum vertit : « Egrediebatur, et non revertebatur. » Unde et S. Hieronymus in *Tradition. Hebr. in Genes.*, ait in Hebræo esse, *egressus est exiens et non revertens* ; ita solerter et docte P. Gordonus, lib. I *Controv.* cap. XIX. Corvus enim exiens revertebatur ad suam libertatem, ac consequenter ad arcam non revertebatur, sed ab ea longius recedebat ; et hoc significat Hebræum *scob* (1).

Morale.

Ex hoc loco corvus apud Hebræos in proverbium abiit, ut dicant *corvus nuntius*, de eo qui missus est, et tarde vel nunquam redit.

Corvus non est reversus ad arcam, sed columba : corvi sunt, qui differunt pœnitentiam, dicunt : Cras, cras ; columbæ gementes sunt, qui statim pœnitent, et redeunt ad arcam. Hinc Alcuinus, lib. *De Virtutibus et vitiis* : « Forte, ait,

(1) Est etiamnum hodie regio in Armenia, quam incolæ *Ararat* vocant, sita medio fere loco inter Araxem, lacusque Van et Ormiam, quæ in d'Anvilliana Asiæ delineatione invenitur sub gradu longit. 63, latit. 39. Mons quidem ipse, in quo subsiderit navis, certe non potest definiri, sed tamen verisimile est, illum in ea quærendum esse regione, ubi hodie *Macis* invenitur, mons 12 milliaribus Gallicis ab urbe Erivan ad Orientem situs, æternis nivibus tectus, et a Persis *Couh Nouh*, id est, *Mons Noachi* dictus. In ejus cacumine navim Noachi adhuc incorruptam exstare, credunt etiamnum Mohammedani, teste Chardin, *Voyages*, tom. II, pag. 188, edit. Paris, 1811.

(1) Hebraici textus sensus est, corvum semel egressum dum exsiccabantur terræ, sæpius rediisse, denuoque exiisse. Similis constructio est I *Sam.* VI, 12 ; II *Sam.* III, 16. Quæstio autem, Hebræine librarii negationem detraxerint, an addiderint Græci, difficillima est.

respondes : Cras, cras (scilicet convertar); o vox corvina! corvus non rediit ad arcam, columba rediit; si tunc vis pœnitentiam agere, quando peccare non potes, quando peccata te dimiserunt, non tu illa : satis alienus es a fide, qui ad agendam pœnitentiam tempus senectutis exspectas. » Aliter S. Ambrosius, lib. *De Noe*, cap. XVII : Emissio corvi, ait, significat « quod omnis justus quando mundare se incipit, quæ tenebrosa sunt, et immunda, et temeraria, primo a se repellit. Siquidem omnis impudentia atque culpa tenebrosa est, et mortuis pascitur sicut corvus. Et ideo tanquam emittitur et fugatur culpa, et separatur ab innocentia, ut nihil remaneat in viri justi mente tenebrosum. Denique egressus corvus non revertitur ad justum, quia fugitans culpa omnis est æquitatis, nec probitati videtur et justitiæ convenire. » Et cap. XVIII, columbam ad arcam reversam, ait significare simplices et innocentes, qui missi ad sæculares convertendos, cum in iis vident inundasse malitiam, ne frustra laborent, et ea inquinentur, mox ad mentis arcam revolant : « Tarde enim, ait, inter astutias istius mundi, et sæcularium fluctus cupiditatum, portum solet invenire simplicitas. » Vide apud eum plura si lubet.

DONEC SICCARENTUR AQUÆ. — Τὸ *donec* non significat post terram siccatam corvum in arcam regressum esse, sed tantum ante siccationem non esse regressum; sic sumitur *donec, Matth.* cap. I, vers. ult.; *Psal.* CIX, 2, et alibi.

Vers. 9. 9. UBI REQUIESCERET. — Adhuc enim omnia erant limosa et luto obsita.

AQUÆ ENIM ERANT SUPER UNIVERSAM TERRAM. — Licet enim montes altos deseruissent, tamen adhuc totam terram planam, sive campestrem occupabant.

Vers. 11. 11. AD VESPERAM. — Tota die pasta (ait S. Chrysostomus, *homilia* 26) ad comparem in hospitium notum redit, ut nocturnum frigus vitet. Ita Delrio.

RAMUM OLIVÆ. — Quia olea semper viret foliis, teste Plinio lib. XVI, cap. XX. Potuit ergo olea hæc sub aquis diluvii annum integrum folia sua servare. Ita S. Chrysostomus, *hom.* 26 : licet S. Ambrosius, lib. *De Arca*, cap. XIX, malit oleam hanc sub aquis germinasse, non naturaliter, sed per Dei omnipotentiam.

Nota : Licet diluvium straverit plerasque omnes arbores in planitie sitas, oleam tamen hanc, aliquasque alias arbores et plantas, potuisse inter montium petras, quæ aquarum vim refrangebant, servari.

Nugantur hic Judæi, qui ramum hunc fabulantur allatum esse ex Sion, et monte Olivarum, ad quem quasi sacrum non pertigerit diluvium. Alii eum ex paradiso allatum somniant.

Oliva symbolum est Tropologice : Oliva, inquit S. Ambrosius, est insigne divinæ misericordiæ Rursum oliva, inquit Pererius, hieroglyphicum est pacis, victoriæ, æternitatis et felicitatis. Columba ergo hæc cum ramo olivæ Noe et mundo quasi securitatem ab aquis, pacemque ac Dei reconciliationem afferebat. Plura de symbolo olivæ dicam *Levit.* cap. II, vers. 1. pacis, æternitatis et felicitatis.

Allegorice, Noe est Christus, arca Ecclesia; post passionem et mortem Christi, adduxit Deus spiritum reducem vitæ, cum Christum suscitavit a mortuis, tumque dedit hominibus Spiritum Sanctum in remissionem peccatorum. *Secundo*, non statim exsiccatæ sunt aquæ per Spiritum, quia Deus aquas concupiscentiæ et tentationum ac peccatorum omnium non statim exsiccat, sed cum tempore; *tertio*, arca primo requievit in montibus, quia tempore passionis Christi, Ecclesia in Apostolis constitit; *quarto*, Noe 40 die fenestram aperuit, quia Christus 40 die post resurrectionem cœlos ascendit et reseravit; *quinto*, corvus emissus non revertitur, quia Judæi infideles ex Ecclesia ejecti, ad eam non redeunt; *sexto*, columba est Spiritus Sanctus, qui in specie columbæ super Christum visus est; *septimo*, tertia emittitur columba, quia Spiritus Sanctus ter ad nos venit : *primo*, cum baptizamur; *secundo*, cum confirmamur; *tertio*, cum suscitabit corpora nostra. *Octavo*, columba non sedit in terra lutosa, vel cadaveribus, quia Spiritus Sanctus non intrat in carnalem et malevolam animam; *nono*, columba ad vesperam venit, quia Spiritus Sanctus novissimis Christi diebus effusus est; *decimo*, columba affert ramum olivæ, quia Spiritus Sanctus affert nobis oleum divinæ gratiæ pacemque cum Deo; *undecimo*, Noe per columbam certificatur aquas cessasse, quia Spiritus Sanctus reddit testimonium spiritui nostro, quod sumus filii Dei; *duodecimo*, Noe tectum arcæ amovet, quia Christus omnia impedimenta amovet, ut liberum habeamus ingressum in cœlum; quod tunc fiet, cum dicet : *Venite, benedicti Patris mei*, etc. Allegoria totius historiæ.

QUOD CESSASSENT AQUÆ. — Quod usque ad arbores et terram essent imminutæ.

13. IMMINUTÆ SUNT AQUÆ, — usque ad terram, ita ut terra sicca apparuerit. Ubi nota : Primo die mensis primi, anni 601 Noe, terra hic dicitur exsiccata; intellige inchoate, ita scilicet, ut esset nudata aquis, remaneret tamen adhuc limosa et cœnosa : nam perfecte a cœno et limo siccata post 57 dies, scilicet 27 die mensis secundi, ut dicitur vers. seq., ita scilicet, ut Noe cum suis arca egredi, et per terram ingredi posset. Ita Pererius. Vers. 13.

ET APERIENS NOE TECTUM ARCÆ, ASPEXIT. — Noe non aperuit totum arcæ tectum, sed tantum partem, puta unam alteramve ejus tabulam, quantum scilicet opus erat, ut commode supra ipsum tectum elevari posset, et inde undique circumspicere (quod non poterat facere de fenestra, utpote quæ ad latus arcæ posita erat) et videre, an jam ubique aquæ deseruissent terram.

Tropologice S. Ambrosius, lib. *De Noe*, cap. XX :

Noe, id est, vir justus, aperit tectum, ut speculetur incorporalia, puta Deum et cœlites : « Et ideo, inquit, justus quem non videbat Dominum requirebat, corruptelæ exsors, cupidus æternitatis. »

Vers. 14. Diluvium duravit annum integrum et decem dies.

14. MENSE SECUNDO, SEPTIMO ET VIGESIMO DIE MENSIS AREFACTA EST TERRA. — Ex hoc loco patet diluvium durasse annum integrum, et decem dies; cœpit enim anno 600 Noe, die 17 mensis secundi; finitum autem est anno 601 Noe, die 27 mensis secundi : fuit ergo Noe in arca anno integro et decem dies.

An Moses utatur hic anno lunari, an solari?

Putat Pererius annum hic lunarem intelligi, qui continet duodecim lunationes, sive duodecim lunæ circuitus per Zodiacum, ac consequenter continet dies 354, ideoque undecim diebus minor est anno solari; hic enim continet dies 365. Ratio Pererii est, quia Hebræi utebantur mensibus, et consequenter annis lunaribus; ergo iisdem videtur hic uti Moses.

Verum hæc ratio non omnino concludit : nam Hebræi utebantur mensibus lunaribus, propter festa plura, quæ secundum lunam celebranda erant, uti neomenia celebranda erat in novilunio, pascha 14 luna mensis primi; inde tamen non sequitur Mosen in Pentateucho iisdem uti. Nam Moses conscribit hic chronologiam mundi, quæ secundum annos solares, utpote usitatissimos et communissimos conscribi solet. Adde : Hebræi suos annos lunares, per intercalationem, secundo, vel tertio quoque anno, redigebant ad annum solarem, eique coæquabant; itaque ipsi quoque anno solari utebantur : alioqui enim non potuissent semper inchoare annum suum mense novarum frugum, et in eo celebrare Pascha.

Anno solari uti Mosen, suadet id quod dixi cap. VII, vers. ultim., scilicet a 17 die mensis secundi, usque ad 27 mensis septimi fluxisse 160 dies, ita ut primis diebus 150 aquæ in suo statu constiterint, deinde decem ultimis diebus ita sint imminutæ, ut arca hæserit in montibus Armeniæ. Si enim menses lunares accipias, dicendum est, post illos 150 dies diluvii, terram subito per quatuor dies ita siccatam fuisse, ut arca in montibus illis hærere potuerit, cum tamen postea lente admodum siccata sit, ut patet vers. 5, 13, 14.

Vers. 16.

16. EGREDERE TU ET UXOR TUA. — Notant sanctus Ambrosius, lib. *De Arca*, cap. XXI, et Cajetanus, in ingressu arcæ, cap. VI, vers. 18, juberi a Deo, seorsum uxores a maribus ingredi, sed in egressu juberi simul egredi : quia, inquit S. Ambrosius, in ingressu, tacite illa separationis phrasi, a Deo monentur singuli abstinere a conjugio et a generatione, eo quod tunc esset tempus luctus et pœnitentiæ : in egressu vero, alia combinationis phrasi monentur uti conjugio, ad hominum propagationem.

Vers. 17. Qui feræ et homines venerint ad insulas et novum orbem?

17. CUNCTA ANIMANTIA, etc., EDUC TECUM, ET INGREDIMINI SUPER TERRAM.—Quæres, quomodo post diluvium lupi, vulpes, leones, tigrides aliæque noxiæ feræ de Asia, in qua ex arca egressus est Noe, ad insulas et terras medio mari ab ea separatas, ac præsertim in Americam, devenire potuerint?

Respondet S. Augustinus, lib. XVI *De Civit.*, cap. XVII : Tripliciter, scilicet animalia hæc vel natando ad insulas transisse, vel ab hominibus navibus eo fuisse deportata, vel Dei ordinatione et creatione in ipsis esse producta. Hoc tertium parum credibile videtur; nam post diluvium, imo post primam rerum creationem, *Gen.* I, factam, nihil de novo creavit Deus : ideo enim ex singulis animantibns masculum et feminam induxit in arcam, ut salvaretur semen eorum super terram, *Genes.* VII, 3.

Verius ergo est feras has, natando, ad insulas pervenisse. Experientia enim docet feras per integros dies et noctes, necessitate urgente, natare et enatare. Hujus rei magnum indicium est, quod in novo orbe, puta in America, feræ hæ reperiantur per totam continentem, et in insulis ei vicinis; in insulis vero a continente quatridui itinere dissitis nequaquam reperiantur (quia scilicet tamdiu jejunare, ut eo natando pervenirent, non potuerunt, uti se diligenter observasse, dum in America habitaret, asserit noster Josephus Acosta, lib. I *De Novo Orbe*, cap. XXI : unde addit nullam vulpem, leonem, ursum, aprum, aut tigridem reperiri in insula Cuba, Hispanica, Margarita et Dominica, quia longius a continenti absunt : perinde ut ante adventum Hispanorum in iisdem insulis nulli erant boves, equi, canes, vaccæ, quibus ab Hispanis postea invectis, insulæ illæ modo abundant.

Porro tam homines, quam animalia ex hoc orbe in Americam penetrasse terrestri itinere, aut parva et facili navigatione, probabiliter conjectat Acosta ex eo, quod Indi isti nec magnarum navium usum, nec magnetis, astrolabii et quadrantis peritiam habuerunt, sine quibus si per plures dies in pleno mari naviges, toto cœlo errabis. Hinc ait, sicubi insula occurrit a continente, atque aliis insulis valde disjuncta, qualis est Bermuda, eam omnino hominum carere commercio comperimus. Unde concludit ipse quod America nostro huic orbi sit continens, nostræque terræ aliquibus locis cohæreat, aut certe ab ea non sit valde disjuncta, ita ut scaphis, aut parvis navigiis eo trajici possit. Nam ad polum Arcticum non est omnis longitudo Americæ satis explorata, multique putant super Floridam latissimam esse terram, et Baccaleos usque ad Europæ extrema porrigi.

Secundo, quædam feræ ab hominibus vel lucri, vel novitatis, vel venationis, vel magnificentiæ, vel alia de causa eo delatæ sunt, uti huc in caveis spectandæ deferuntur, quarum quædam ex caveis elapsæ ad montes et silvas fugerunt, ibique generando multiplicarunt.

Si cui hæc non sufficiunt, is ad Dei providen-

tiam recurrat, dicatque, sicut cuncta animalia ab angelis in diluvio perducta sunt in arcam, ita post diluvium eorumdem opera per varias terras et insulas fuisse dispersa. Ita Torniellus anno mundi 1931, num. 49.

Vers. 19. 19. SECUNDUM GENUS SUUM, — secundum speciem suam, *q. d.* Animalia bina, vel septena, secundum species suas egressa sunt ex arca, ita scilicet ut animalia (mares et feminæ) ejusdem speciei simul egrederentur.

Vers. 20. 20. ALTARE. — Primum hoc est altare quod legitur in Scriptura; tamen non dubium est alia prius exstitisse, utpote in quibus sacrificavit Abel, cap. IV. Altare dicitur quasi alta ara, in qua scilicet victimæ Deo mactantur et offeruntur; unde altare hebraice dicitur מזבח *mizbeach*, a זבח *zabach*, id est, mactavit.

HOLOCAUSTA. — Ex septimo illo mundorum animalium cœlibe, seu solitario masculo, uti dixi vers. 2. Ita Diodorus Tarsensis in *Catena*.

Vers. 21. 21. ODORATUSQUE EST DOMINUS ODOREM SUAVITATIS, — puta *odorem bonæ fragrantiæ*, uti legit Novatianus, lib. *De Trinitate*, *q. d.* Deus acceptavit holocaustum Noe, tanquam rem sibi suavem et gratam; Deus eo delectatus est, sicuti nos nidore carnium assarum delectamur et pascimur : est enim sacrificium quasi cibus Dei; unde Chaldæus vertit : *Suscepit Dominus cum beneplacito oblationem ejus.* Hebraice pro *odorem suavitatis*, est ריח הניחח *reah hannichoach*, odorem quietis : quia scilicet hoc sacrificium Deum generi humano iratum placavit et tranquillavit. Ita Vatablus et Oleaster (1).

Quid odor quietis in Deo?

Loquitur Moses metaphorice et anthropopathos, *q. d.* Fumus hic sacrificii, et odor qui cum fumo ascendebat sursum, ad similitudinem suavis odoris placuit Deo, et quasi fœtorem peccatorum sustulit a naribus Dei : quia, ut ait S. Chrysostomus : « Justi Noe virtus fumum et nidorem victimæ, Deo fecit odorem fragrantiæ. » Ita Plato et Lucianus simili modo deos gentium inducunt, quasi suaviter odorantes sacrificia, eorumque nidore gaudentes.

Quid loqui ad cor? Primo. AIT AD EUM. — Hebraice אמר אל ליבו *amar el libbo*, dixit ad cor suum; Chaldæus vertit, *dixit in verbo suo*; Septuaginta, *dixit recogitans*, seu post multam cordis cogitationem et considerationem, *q. d.* Dixit Deus hoc maturo consilio, et deliberato decreto. *Secundo*, τὸ *dixit ad cor suum*, potest Secundo. accipi pro *dixit in corde suo*, vel ex corde suo, *q. d.* Serio, et ex intimo corde dixit; אל *el* enim Tertio. sæpe capitur pro מין *min*, vel *bet*. *Tertio*, Delrio sic explicat : *dixit ad cor suum*, id est, dixit ad Quarto et genuine, loqui ad cor Noe, qui erat corculum Dei. *Quarto*, optime ex phrasi Hebræa sic exponas : *amar el libbo*, id est, dixit ad cor ejus, puta Noe, qui præcessit : ad Noe enim hæc dici, omnes veteres consentiunt, *q. d.* Deus placatus sacrificio Noe locutus est ei ad cor, id est, consolatus est eum, demulsit eum, dixit illi ea quæ cordi ejus gratissima et jucundissima erant; hoc enim est Hebræis *loqui ad cor alicujus*. est consolari.

NEQUAQUAM ULTRA MALEDICAM TERRÆ. — « Maledicam, » id est, malefaciam, *q. d.* Non amplius terram perdam diluvio, uti feci.

PROPTER HOMINES, — propter hominum peccata.

SENSUS ENIM. — *q. d.* Miserebor humanæ infirmitatis et proclivitatis ad malum, ac proinde eorum peccata deinceps non puniam generali totius orbis diluvio; sed quosque peccantes propriis et particularibus pœnis castigabo : volo enim ipsum humanum genus conservare et propagare.

SENSUS ET COGITATIO HUMANI CORDIS. — Hebraice est יצר לב האדם *ietser leb haadam*, « figmentum cordis humani, » id est, ipsa natura et essentia hominis, puta ratio et voluntas, mala est, inquiunt Lutherus et Calvinus, sed inepte : nam ipsa natura, ratio et voluntas hominis sunt figmentum, non hominis, nec cordis humani, sed Dei et voluntatis divinæ. Figmentum autem cordis humani est ipsa ejus cogitatio, intentio, machinatio, ut vertunt Noster, Septuaginta, R. Kimchi et alii passim; tam Hebræi, quam Græci et Latini; hæc enim sibi fingit et plasmat homo in sua cordis officina; unde patet hominem esse liberi arbitrii : sicut figulus liber est, ut fingat tale vel tale figmentum, aut vas quod ipsi libuerit.

Secundo et melius, « figmentum, » id est, figulina et officina cordis humani prona est ad malum, ut illud formet et effingat; nam sicuti figulus in sua figulina format lances, ollas, matulas : ita homo in sui cordis et concupiscentiæ officina format ibi imaginationes rerum omnium, quas concupiscit. Hæc ergo figulina, vel officina cordis humani peccato corrupti, est ipsa concupiscentia, sive sensus, et, ut Septuaginta vertunt, διάνοια, mens peccato corrupta, et cogitabunda malorum, quæ motus concupiscentiæ profert et producit. Figulina cordis humani peccato corrupti est concupiscentia.

Dices : Ex concupiscentia nihil boni, sed tantum motus concupiscentiæ, qui mali sunt, prodire possunt; ergo ex corde humano nil boni, sed tantum malum prodire potest. Respondeo : Nego consequentiam, quia in corde humano est duplex officina, una concupiscentiæ, altera rationis, legis et virtutis; illa ad malum, hæc ad bonum propendet; hanc enim propensionem ad bonum naturaliter nobis inseruit Deus : jam in hominis arbitrio est, ut operetur in officina concupiscentiæ, vel rationis, et consequenter ut eligat et operetur vel malum, vel bonum, præsertim si gratia Dei adjuvetur. In corde est duplex officina, una virtutis, altera concupiscentiæ.

IN MALUM PRONA SUNT. — Hebraice רע *ra*, id est, *mala sunt*, puta ipsa figmenta, cogitationes et machinationes, quas sibi format et fingit cor huma-

(1) Vel, ut alii, *quietis*, id est suavitatis, *q. d.* suavem et fragrantem odorem, quo ejus animus veluti pacaretur. Nam fragrans odor animum turbatum exhilarat et recreat.

num, peccato et concupiscentia infectum et corruptum. Verum noster Interpres profundius vidit τὸ *ra*, id est, *mala*, sumi causaliter; pro *prona sunt ad malum*, aut, ut Septuaginta vertunt, *incumbunt in mala* : nam, uti dixi, figmentum sumit pro ipsa figulina, sensu et concupiscentia, quæ formaliter non sunt mala, id est, peccata; sed causaliter, quia prona sunt ad malum, et ad malum hominem incitant. Hæc enim est apposita ratio, cur Deus dicat se miserturum hominum, ut amplius eorum peccata non puniat diluvio, quia scilicet homines a nativitate infirmi, debiles et proni sunt ad malum : nam actualis malitia et peccatum, non misericordiam, sed iram Dei provocat.

AB ADOLESCENTIA SUA. — « Ex illa enim ætate, ait S. Ambrosius, crescit malitia; nam diligentia et studium peccandi incipit a juventute : ut puer quasi infirmus peccet, juvenis tanquam improbus, qui studiose cupiat peccata committere, et criminibus glorietur. »

22. CUNCTIS DIEBUS TERRÆ. — Non quamdiu terra durabit : hæc enim stat in æternum, sed quamdiu in terra erit generatio et corruptio, eruntque homines et animalia, propter quæ hæc temporum varietas inducta est. Vers. 22.

SEMENTIS ET MESSIS. — Putat Isidorus Clarius annum hic more Hebræorum in sex partes dividi, scilicet in floritionem, maturationem, calorem, seminationem, frigus et æstatem, de quibus Delrio hic. Verum longe verius est, ut patet ex ipsis antithesibus, hic describi, *primo*, vicissitudines laboris, unam seminandi, alteram metendi : sementis enim hic significat tempus seminandi; messis, tempus metendi; *secundo*, vicissitudines anni, æstatem et hiemem : *tertio*, vicissitudines qualitatum et tempestatum, frigus et æstum.

NON REQUIESCENT. — Non cessabunt, non desinent sibi mutuo succedere, uti desierunt et cessarunt toto anno diluvii.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Deus hoc capite homini per diluvium quasi renovato et recreato pristina bona, quæ per peccatum et diluvium amissa videri poterant, restituit, scilicet fœcunditatem, imperium in bestias, alimoniam etiam meliorem. Primo ergo Deus Noe ejusque posteritati benedicit, eique esum carnium indulget, non tamen sanguinis; unde secundo, vers. 5, homicidii pœnam sancit. Tertio, vers. 9, pactum init cum Noe, de non inducendo amplius diluvio, pactique tesseram dat iridem. Quarto, vers. 20, Noe inebriatur, et dormiens a Cham nudatur, sed a Sem et Japhet tegitur, ideoque evigilans maledicit Cham, sed Sem et Japhet benedicit.

1. Benedixitque Deus Noe et filiis ejus. Et dixit ad eos : Crescite, et multiplicamini, et replete terram. 2. Et terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, et super omnes volucres cœli, cum universis quæ moventur super terram : omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt. 3. Et omne, quod movetur et vivit, erit vobis in cibum : quasi olera virentia tradidi vobis omnia : 4. excepto, quod carnem cum sanguine non comedetis. 5. Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum : et de manu hominis, de manu viri et fratris ejus, requiram animam hominis. 6. Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius : ad imaginem quippe Dei factus est homo. 7. Vos autem crescite et multiplicamini, et ingredimini super terram, et implete eam. 8. Hæc quoque dixit Deus ad Noe, et ad filios ejus cum eo : 9. Ecce ego statuam pactum meum vobiscum, et cum semine vestro post vos : 10. et ad omnem animam viventem, quæ est vobiscum, tam in volucribus, quam in jumentis et pecudibus terræ cunctis, quæ egressa sunt de arca, et universis bestiis terræ. 11. Statuam pactum meum vobiscum, et nequaquam ultra interficietur omnis caro aquis diluvii, neque erit deinceps diluvium dissipans terram. 12. Dixitque Deus : Hoc signum fœderis quod do inter me et vos, et ad omnem animam viventem, quæ est vobiscum in generationes sempiternas : 13. Arcum meum ponam in nubibus, et erit signum fœderis inter me et inter terram. 14. Cumque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus : 15. et recordabor fœderis

mei vobiscum, et cum omni anima vivente quæ carnem vegetat; et non erunt ultra aquæ diluvii ad delendum universam carnem. 16. Eritque arcus in nubibus, et videbo illum, et recordabor fœderis sempiterni, quod pactum est inter Deum et omnem animam viventem universæ carnis quæ est super terram. 17. Dixitque Deus ad Noe: Hoc erit signum fœderis, quod constitui inter me et omnem carnem super terram. 18. Erant ergo filii Noe, qui egressi sunt de arca, Sem, Cham et Japhet; porro Cham ipse est pater Chanaan. 19. Tres isti filii sunt Noe: et ab his disseminatum est omne genus hominum super universam terram. 20. Cœpitque Noe vir agricola exercere terram, et plantavit vineam. 21. Bibensque vinum inebriatus est et nudatus in tabernaculo suo. 22. Quod cum vidisset Cham, pater Chanaan, verenda scilicet patris sui esse nudata, nuntiavit duobus fratribus suis foras. 23. At vero Sem et Japhet pallium imposuerunt humeris suis, et incedentes retrorsum, operuerunt verenda patris sui, faciesque eorum aversæ erant, et patris virilia non viderunt. 24. Evigilans autem Noe ex vino, cum didicisset quæ fecerat ei filius suus minor, 25. ait: Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis. 26. Dixitque: Benedictus Dominus Deus Sem, sit Chanaan servus ejus. 27. Dilatet Deus Japhet, et habitet in tabernaculis Sem, sitque Chanaan servus ejus. 28. Vixit autem Noe post diluvium trecentis quinquaginta annis. 29. Et impleti sunt omnes dies ejus nongentorum quinquaginta annorum, et mortuus est.

Vers. 2. Post peccatum Deus restituit homini semiplenum dominium in bestias.

2. TERROR VESTER SIT SUPER CUNCTA ANIMALIA TERRÆ. — Nota : Homo per peccatum plenum dominium in bestias amisit; unde aliquale et semiplenum ei dominium hic restituit et confirmat Deus : indidit enim Deus animalibus timorem quemdam, quo hominem, quasi dominum suum, timent et reverentur; et, si feræ sunt, hominis conspectum fugiunt, nec in eum sæviunt, nisi injuria lacessantur, aut fame urgeantur; quin et pisces, ait S. Basilius, hom. 10 *Hexam.*, humanas umbras verentur, et ab ipsis aufugiunt; imo et elephantes, si credimus Plinio, lib. VIII, cap. IV, hominum vestigia formidant. Hinc videmus sæpe boves et equos a parvis pueris agi. Rursum, aves et feras homo sagittis dejicit : nec ulla est bestia tam fortis, quæ non possit per hominem capi et domari. Audi S. Ambrosium, epist. 38 *ad Horontium,* vere et eleganter docentem quomodo feræ et irrationalia hominis rationem agnoscant, ejusque mansueti imperio mansuescant: «Sæpe, inquit, suspenderunt morsus suos revocante sono vocis humanæ; videmus innoxio canum dente lepores sine vulnere capi; leones quoque ipsos, si vox hominis resultaverit, prædam dimittere; pardos atque ursos incitari ac revocari vocibus; equos plausu hominum fremere, silentio mollire cursum. Denique sæpe verbere sine prætereunt verberatos : ita vehementer illos incitat linguæ flagellum. » Addit deinde : « Quid vero de muneribus loquar? Nutrit aries vellera, ut placeat homini, atque in fluvio mersatur, ut nitorem augeat. Oves quoque meliora pabula legunt, ut suaviore succo lactis fœta distendant ubera; subeunt partus dolores, ut homini sua munera ferant. Tauri depresso sulcis per totum diem aratro gemunt. Cameli præter subeundi oneris obsequia. tondendos se exhibent ut arietes, quo velut regi diversa animalia tributum suum conferant, pendantque vectigal annuum. Equus tanto se jactans equite, glomerat gressus superbos, atque ad domini ascensum dorsa sinuatus, herili terga substernit sedili. »

Maxime tamen hæc promissio in fidelibus impletur, quibus per Christum dictum est : « Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, » *Luc.* X; et : « Serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit, » *Marci* XVI. Ita leones cervice dejecta accesserunt ad S. Antonium, ejusque manus et pedes circumlinxerunt benedictionem petentes : ita boas serpens obedivit S. Hilarioni, duo dracones Ammoni, onager Macario Romano, hippopotamus Beno, crocodilus Heleno, leæna Joanni Abbati, hyæna Macario Alexandrino, canis Abbati Subevorum Syrorum, ut habetur in eorum vita in Vitis Patrum. Tropologiam vide apud S. Gregorium, lib. XXI *Moral.* cap. XI.

Vers. 3. Deus permittit Noe esum carnium, non autem præcipit.

3. OMNE QUOD MOVETUR ET VIVIT, ERIT VOBIS IN CIBUM. — « Omne, » scilicet comestibile, et humanæ complexioni conveniens : viperæ enim, scorpiones aliaque venenata animalia comedi nequeunt, quia repugnant complexioni humanæ, eamque destruunt. Adde non præcipi, sed permitti hic homini omnium, id est quorumlibet, esum, *q. d.* Permitto ut omne, id est quidlibet, quod placebit, quod complexioni et palato vestro gratum erit, in cibum assumatis. Ita Abulensis. Non ergo peccant Religiosi, qui hac Dei permissione non utuntur, et ad carnis macerationem, vel semper, vel certo tempore carnibus abstinent : quinimo heroicæ temperantiæ actus et signa edunt.

QUASI OLERA VIRENTIA TRADIDI (trado) VOBIS OMNIA, — ut animalibus vescamini, sicut hactenus olera comedistis.

Tropologice S. Ambrosius, lib. *De Noe,* cap. XXV : « Significatur, inquit, quod irrationabiles passiones ita debeant menti sapientis, ut olera rustico, esse subjectæ; atque ita utamur reptilibus cogitationibus, ut agricola oleribus, quæ licet obesse non possunt, cibi tamen non habent gratiam fortioris. Generale enim omnibus et commune præceptum, non altiora indicit genera virtutum, quæ utique paucorum sunt. Sed et si quis virtutum epulas fortiores sibi exhibere non possit, hujusmodi tamen habeat passiones, quæ non noceant, sed delectent. »

An esus carnium ante diluvium fuerit licitus et usitatus? Prima sententia.

Quæres : Fuitne ante diluvium carnium esus licitus et usitatus? *Primo*, Lyranus, Tostatus et Carthusianus in cap. I, vers. ult., censent nec licitum, nec usitatum fuisse; eo quod, cap. I, vers. ult., Deus tantum homini esum olerum concesserit. Idem senserunt Ethnici; unde Ovidius, lib. XV *Metamor.* de primo illo et aureo mundi sæculo ita canit :

> At vetus illa ætas non polluit ora cruore ;
> Tunc et aves tute movere per aera pennas,
> Et lepus impavidus mediis erravit in agris.

Sed errat, dum esum carnium postea inductum, quasi scelus execratur, dicens :

> Heu quantum scelus est, in viscere viscera condi,
> Alteriusque animantem animantis vivere letho!

Sic et Pythagoræi et Manichæi censuerunt nefas esse animal occidere, eoque vesci; quin et Tertullianus jam Montanista, lib. *De Jejuniis contra Psychicos*, cap. IV, esum carnium humanæ incontinentiæ indultum asseverat.

Secunda.

Secundo, Cajetanus hic, et Victoria, relect. *De Temperantia,* et Dominicus Soto, lib. V *De Justitia,* Quæst. I, art. 1, putant tunc esum carnium et licitum et usitatum fuisse : *primo*, quia carnis esum nusquam vetuit Deus, et caro cibus est homini convenientissimus; *secundo,* quia tunc erant greges ovium, quarum pastor erat Abel. Dices : Pascebat Abel greges ad lanam et lac, non autem ad esum. Contra, ergo nulla fuit laus Abelis præ Caino, ex eo quod pinguiores oves obtulerit Deo. Si enim illis nemo vescebatur, perinde fuisset illi et Caino, pingues atque macilentas sacrificare : macilentæ enim oves non raro tam bonam, imo meliorem, quam pingues, dant lanam et lac; carnem autem semper præbent deteriorem. Ita Cajetanus.

Tertia, et verior.

Tertio et optime, S. Chrysostomus, Theodoretus, Pererius et alii censent, ante diluvium non interdictum, sed licitum fuisse esum carnium : ab eo tamen abstinuisse viros religiosiores, puta posteros Seth, eo quod Deus assignans homini cibum, diserte tantum expressisset olera, non autem carnes, cap. I, vers. 29. Sic enim optime concordantur rationes tam primæ, quam secundæ sententiæ : Deus ergo hic post diluvium carnium esum, omnibus, etiam Sanctis explicite et diserte permittit, ob malignitatem terræ, tam peccato quam diluvio, salsedine maris, inductam, et consequenter ob vires imbecilliores, tam hominum quam plantarum. Tradunt enim medici, et experientia constat, carnes præ herbis plenius, solidius, succulentius, magisque carni humanæ conveniens alimentum hominibus præbere.

4. CARNEM CUM SANGUINE NON COMEDETIS. — Hebraice est בשר בנפשו דמו לא תאכלו *basar benapso damo lo tochelu, carnem in anima sua, in sanguine suo, non comedetis,* hoc est, ut vertit Pagninus, carnem cum anima sua, quæ est sanguis suus, non comedetis, *q. d.* Non comedetis carnem cum anima sua, quæ anima est sanguis vel consistit in sanguine animalis ipsius. Vers. 4.

Omnis sanguinis esus prohibitus Noe et posteris.

Nota : Præcipitur hic modus comedendæ carnis istiusmodi, ut primo animal juguletur, secundo sanguis effundatur, tertio caro coquatur et comedatur : prohibetur autem omnino comestio sanguinis, sive is adhuc in animali existat : unde prohibetur hic esus morticinorum et suffocatorum, ut docet Eucherius; sive is ab animali sit separatus, isque tam liquidus et potabilis, quam fartus et coagulatus, qualis est in farciminibus : omnem enim sanguinis esum hic prohibet Deus. Ita Lyranus, Tostatus, Carthusianus (1).

Cur? Causa Prima.

Quæres, cur adeo severe sanguinis esum inhibuerit Deus? Respondeo *primo*, ut homines quam longissime absterreret ab effusione sanguinis humani : ita S. Chrysostomus et Rupertus; nam Gentiles non tantum ad effusionem, sed etiam ad potationem sanguinis humani proruisse, testis est Tertullianus in *Apol.* cap. IX. Hanc rationem dat ipse Deus, vers. seq. Est enim sanguis vehiculum animæ et vitæ, spirituumque vitalium; hinc anima, id est vita, dicitur esse in sanguine, ut patet hic in Hebræo, et *Levit.* XVII, 11. *Secundo*, quia voluit Deus sanguinem, qui est quasi vita animalis, sibi soli quasi auctori vitæ offerri in sacrificiis, pro vita peccatoris, ut patet *Levit.* XVII, 11. Ita S. Chrysostomus et D. Thomas. Addit *tertio*, Rupertus, brutorum sanguinem esse gravem, terrestrem, melancholicum, et multarum ægritudinum causam, si comedatur; hinc vetitum esse comedi. Secunda. Tertia.

Est hoc præceptum de cavendo sanguinis esu, non naturale, sed positivum, quod renovatum est ab Apostolis, *Act.* cap. XV, vers. 29, duravitque non tantum ad tempora Tertulliani et Minutii, ut ipse fatetur in *Octavio*, sed etiam tempore Bedæ et Rabani, ut patet ex ejus Pœniten-

(1) Jarchi aliique Hebræi recentiores sentiunt vetari hic esum membri de vivente animali abscissi, quales delicias hodiernum Habessinis placere constat : vid. Rosenmulleri *Das alte und neue Morgenland*, P. I, pag. 39 et 309.

tiali. Verum jam exolevit : nunc enim sanguinem, non quidem bibere, sed comedere in farciminibus moris est.

Vers. 5. 5. SANGUINEM ENIM ANIMARUM. — Hæc est ratio cur Deus vetuerit sanguinis esum, videlicet ne homines assuescendo sanguini bestiarum, tandem nec humano parcerent, *q. d.* Adeo mihi pretiosus est sanguis vester, quo corpus vegetatur et vivificatur, ut eum etiam a brutis, quæ hominem necarint, requiram ; quanto magis eum a vobis, qui homines estis, requisiturus sum ?

Quomodo Deus requirat sanguinem hominis a bestiis ? Prima expositio. REQUIRAM DE MANU CUNCTARUM BESTIARUM, — id est dæmonum, qui feri sunt, bestiarum instar, ait Rupertus ; sed hic sensus symbolicus est, non litteralis. *Secundo,* Theodoretus sic exponit : In resurrectione requiram et vobis reddam omnem sanguinem, quem bestiæ effuderunt, vos necando aut lædendo ; hic etiam sensus non est genuinus, sed anagogicus. *Tertio,* alii sic exponunt : In sacrificio requiram sanguinem vestrum, ab homine inique effusum, de manu bestiarum ; quia nimirum homicidium, quo sanguis effunditur, adeoque omne peccatum hominis, voluit Deus expiari bestiarum sanguine, ut patet *Num.* XXVIII, 29. In sacrificio enim bestia occisa luit effensam homicidii, et cujusvis peccati hominis, adeoque Deus, quasi in bestia sacrificata, vindicat homicidium omnemque culpam hominis.

Quarta. *Quarto,* Abulensis et Lipomanus sic explicant, *q. d.* Si effundas proximi tui sanguinem, vel per te, vel per bestiam aliquam in eum emissam, Deus eum requiret non a bestia, sed a te, qui eum vel gladio, vel imperio tuo effudisti. Nam τὸ *de manu bestiarum,* referunt hi, non ad *requiram,* sed ad *sanguinem vestrum* : sed hoc durum et pene violentum est.

Quinta et genuina. *Quinto,* optime et planissime idem Abulensis et Oleaster sic exponunt, *q. d.* Puniam bestias, si illæ hominem occidant. Patet id *Exodi* cap. XXI, vers. 28, ubi Deus jubet bovem (et a pari quamvis aliam bestiam) homicidam lapidari (1).

Citati a reis judices ad tribunal Dei sistere se coacti. Rursum, ex hac Dei sanctione et permissione hic data, sæpe fieri solet quod ipse preces et vota eorum qui injuste damnantur, vel trahuntur a principibus aut judicibus ad mortem, exaudiat ; et præsertim, ut, si rei et damnati suos judices in causa injusta, vel etiam dubia, citent ad tribunal Dei, ipse judices mori, et se suo judicio causam dicturos non raro, etiam intra condictum a reis tempus, sistere cogat. Ita David multiplici injuria et violentia per Saulem afflictus, ac pene oppressus, illum coram Deo citans exclamat : « Judicet Dominus inter me et te, et ulciscatur me Dominus ex te, » etc. Nec vana fuit hæc provocatio, quando paulo post hic a Philistæis acie victus, et sagittis vulneratus, ne in manus eorum vivus incideret, proprio se ferro transverberavit.

Exemplum primum in Davide.

Secundum, in Zacharia. *Secundo,* adhuc evidentior est hæc Zachariæ pontificis, cum ingratissimi regis Joas præcepto, in atrio templi lapidaretur, ad divinum judicium appellatio : « Videat Dominus, et requirat ; » quoniam suo eventu non caruit. Anno namque vix exacto, et principes regii qui huic injuriæ consenserant, gladio Syrorum trucidati, et rex magnis cladibus afflictus, in lectulo a suis multis vulneribus confossus, simul cum aulicis ad divinum tribunal raptus est, dicturus de propriis factis rationem.

Tertium, in Machabæis. *Tertio,* septem fratres Machabæi pro patriis legibus ab Antiocho omni diritate et crudelitate vexati, eidem non obscure diem coram Deo dicebant, inquientes : « Dominus Deus aspiciet veritatem, » etc. « Videbis magnam potestatem Dei, qualiter te et semen tuum torquebit, » etc. « Tu non effugies manum Dei, » etc. Nam appellationes istas de cœlo efficaces sentiens, manifesta Dei ultione periit.

Quartum, in *Apoc.* VI. *Quarto,* non modo Paulus de Alexandro ærario conqueritur, dicens, II *Tim.* IV, 14 : « Reddet illi Dominus secundum opera sua ; » verum et beatorum Martyrum animæ ad eumdem, contra suos oppressores vociferantur : « Usquequo, Domine, non judicas, non vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra ? » Differtur autem tantum, non damnatur hæc eorum provocatio. Quin etiam Christus ipse ab injuriis Judæorum ad Patris judicium appellans, ait : « Ego non quæro gloriam meam ; est qui quærat et judicet. » Ab his sacris divinisque testimoniis nunc ad graves planeque memorabiles historias accedamus.

Quintum, de Fernando Rege. *Quinto* igitur loco, Nauclerus et Fulgosius referunt Fernandum Legionis et Castellæ regem, duos nobiles ex Garvajaliorum familia, de proditione sibi suspectos, sed inauditos, præcipiti judicio, de altissima rupe deturbari jussisse. At illi præclusam sibi defensionem, et præsentem mortem cernentes, Christo æquissimo judici causam suam commendarunt, et ad ejus tribunal intra trigesimum diem Fernandum regem citaverunt. Nec inanis fuit eorum provocatio ; quoniam trigesimo post die, morte percussus, coram divino Judice evocatus fuit.

Sextum, de equite Templario. *Sexto,* scribit idem Fulgosius equitem Neapolitanum cum reliquis Templariis confratribus suis ad supplicium raptum, ad Clementem VI et Philippum Pulchrum, Franciæ regem, quorum auctoritate necabatur, de fenestra prospectos, exclamasse : Quando mihi inter mortales nullus jam superest, ad quem appellem, ad justum judicem Christum, qui nos redemit, appello, ut ante ejus tribunal intra annum et diem vos sista-

(1) Legislator progreditur ad sanguinem hominis, tanquam digniorem et præstantiorem, cujus effusionem, ob hanc causam, tam sibi displicere docet, ut etiam animalia ipsa, ratione carentia, datura sint pœnas, si hominem occiderint, ut qui creatus sit ad imaginem Dei ; multo magis homines pœnas daturos esse, si cædem humanam perpetrarint. Ita Ravius.

tis, ubi causam meam exponam : intra annum vero uterque, rationem Deo redditurus, mortuus est.

Septimum, de Rudolpho Austrio.

Septimo, auctor est Joannes Pauli, Rudolphum Austriæ Ducem, equitem auratum damnasse, ut sacco inclusus mergeretur. Eques autem conspecto prius Duce, exclamavit : Dux Rudolphe, ad tremendum Dei tribunal intra annum te voco. Ille irridens respondit : Bene, præito, ego tum adero. Exacto tempore incidens in febrim, appellationis recordatus, servis dicit : Tempus mortis meæ instat ad judicium eundum, et statim obiit.

Octavum, de Francisco Armoricæ Duce.

Octavo, ex historiis Britanniæ Armoricæ recitat Æneas Sylvius, Franciscum illius Ducem, fratrem suum Ægidium læsæ majestatis falso accusatum, in carcere necasse. Hic paulo ante mortem conspecto Franciscano, adjuravit eum, ut ad fratrem Ducem renuntiaret, quatenus intra quadragesimum diem ad Dei tribunal se sisteret. Franciscanus abiens ad Ducem in finibus Normanniæ, fratris mortem et appellationem denuntiat. Dux territus, illico male habere cœpit, et, crescente in dies morbo, ad condictum diem expiravit.

ET DE MANU HOMINIS, DE MANU VIRI, ET FRATRIS EJUS. — Tria, inquit Delrio, inculcat homicidæ epitheta, quæ ejus culpam aggravant. *Primo,* vocat eum hominem, quem scilicet humanitatis memorem esse oportebat; *secundo,* vocat eum virum, quem scilicet decebat iræ dominari, et robore ac potentia sua non abuti; *tertio,* vocat eum fratrem, quem scilicet fratri suo arctissimo amore conjungi, ac proinde eumdem defendere, non occidere oportebat: omnes enim fratres sumus in Adamo, et quisque in communi suæ tribus aut familiæ patriarcha, contribuli suo frater est, quomodo Judæi (quibus maxime hic loquitur Moses) fratres erant in Abrahamo.

Vers. 6.

6. QUICUMQUE EFFUDERIT HUMANUM SANGUINEM, FUNDETUR SANGUIS ILLIUS. — « Fundetur, » id est, fundi debet, æquum et justum est ut fundatur, dignus est ut fundatur ejus pariter sanguis, puta per sententiam et condemnationem judicum, ut habet Chaldæus. Deus enim tam hic quam *Exodi* cap. XXI, vers. 12, *Matthæi,* XXVI, 57, lege talionis, tulit in homicidas sententiam mortis, quæ omnium gentium usu recepta est. Nota hoc contra Anabaptistas, qui magistratibus jus gladii in nocentes adimunt.

Homicidas Dei ultio persequitur ad necem.

Secundo, « fundetur, » scilicet ordinarie reipsa, ut de facto occidatur homicida, vel per judicem, vel per rixam, latrones, ruinas, incendia, aliosve similes casus. Deus enim hic spondet se necatorum fore vindicem, et homicidas talione mulctaturum variis vitæ infortuniis. Id ita esse experientia constat, qua videmus homicidas persequente eos numine, miris casibus, non naturali, sed fere violento morte occumbere. Exempla mira hac de re afferam *Deuteron.* XXI, 4.

Nota : Pro *humanum sanguinem* hebraice est דם האדם באדם *dam haadam baadam,* sanguinem hominis in homine; ubi τὸ *in homine* varie a variis exponitur. Septuaginta sic vertunt, *pro hominis sanguine fundetur sanguis illius. Secundo,* Oleaster, *in homine,* inquit, id est, per hominem. *Tertio,* Cajetanus vertit, *in hominem,* id est, inquit ipse, in hominis injuriam et contumeliam. *Quarto,* facillime et planissime Abulensis, « in homine, » inquit, id est intra hominem, vel in homine existentem sanguinem, ut sit pleonasmus, quem proinde noster Interpres tacuit et omisit (1).

AD IMAGINEM QUIPPE DEI FACTUS EST HOMO, — *q. d.* Si non movet te natura communis, moveat saltem imago mea : homo enim est imago mea; vide ergo ne eum occidendo, cœlestis regis vivam imaginem demoliaris, inquit S. Chrysostomus, itaque non tam homini, quam Deo ipsi sis injurius.

Aliter noster Salazar in *Prov.* I, 16 : « Per hominem, inquit, fundetur sanguis illius, » id est, per magistratum publicum; huic enim soli in vitam subditorum licet. Causam subdit : « Ad imaginem quippe Dei factus est homo, » id est, homo ille cui magistratus delatus est, expressa imago et simulacrum Dei existit, et ipsius vices agit, personamque illius repræsentat, atque inde in illum ea potestas et licentia in subditorum vitas derivatur, quæ alias Dei propria est : ut nimirum ipse non aliter contra improbos et sceleratos capitis sententiam ferre possit, quam Deus, cujus sustinet personam.

Vers. 7.

7. VOS AUTEM CRESCITE. — *q. d.* Videtis me, hac vetatione homicidii, velle consulere generis humani propagationi; illi ergo, hoc præsertim renovati mundi tempore, in tanta hominum paucitate incumbite, ac crescite et multiplicamini. Ita Rupertus, cujus allegoriam vide librum IV, cap. XXXIV.

INGREDIMINI SUPER TERRAM. — Hebraice שרצו בארץ *scirtsu baarets,* prolificate, et multiplicamini in terra instar piscium, ranarum aliorumque reptilium (horum enim mira est fœcunditas, fœtura et prolificatio, et hoc significat Hebræum *scarats*), ut nimirum quam citissime per universam terram ingredi, vosque spargere, eamque occupare et replere possitis.

Vers. 9.

9. ECCE EGO STATUAM. — Hebraice est מקים *mekim,* statuens, id est statuo; jam enim de facto Deus in præsenti statuit et sancit hoc fœdus et promissionem, de non inducendo amplius in terram diluvio, cum Noe et hominibus; unde mox vers. 12, fœderis hujus signum, puta iridem, reipsa assignat. Nota fœdus hoc non esse fœdus

(1) Accentus non permittit istam interpretationem; nam באדם cum sequenti est conjungendum, quum præcedat distinctivus major, Zakeph-Katon, תֵּ֣ האדם impositus. Nil igitur restat, nisi ut ב hic, ut alias sæpe, instrumentum significare sumamus, pro *per,* ut dicat Deus : Qui hominem occiderit, eum vicissim per hominem occidere volo.

contrahentium, in quo útraque pars ad certas fœderis conditiones invicem sese obligat et obstringit (nec enim in hoc fœdere se Noe Deo, sed Deus solus ipsi Noe se obligat); sed fœdus hoc esse meram Dei promissionem : hæc enim hebraice recte vocatur ברית *berit*.

Vers. 11. Diluvium Ogygiset Deucalionis.

11. NEQUE ERIT DEINCEPS DILUVIUM, — scilicet universale: unde sequitur, « dissipans terram, » scilicet universam; nam post diluvium hoc generale, fuit diluvium particulare, sed celebre, Ogygis in Græcia, tempore Jacob patriarchæ; et post hoc fuit diluvium Deucalionis in Thessalia; tempore Mosis. Ita Orosius, Eusebius, et alii in Chronicis.

Vers. 12.

12. HOC EST SIGNUM FOEDERIS QUOD DO INTER ME ET VOS. — Sicut ergo Deus hic in præsenti sancit fœdus cum Noe, ita et in præsenti fœderis signum, puta iridem, producit et assignat.

IN GENERATIONES SEMPITERNAS, — per omnes generationes, quamdiu generationi generatio succedet, usque ad consummationem omnium generationum sæculi, puta usque ad diem judicii; hæ enim generationes dicuntur sempiternæ, non absolute, sed respective, scilicet respectu Noe et posterorum ejus, cum quibus Deus fœdus hoc init. Significat ergo Deus hoc fœdus sempiternum fore, id est, tamdiu duraturum, quamdiu durabunt generationes, quibus propagentur posteri Noe, cum quibus hoc fœdus initur; unde Hebræum לדרות עולם *ledorot olam* verti potest, in durationes sæculi, puta quamdiu durabit hoc sæculum, hic mundus, hæc vita in terris.

Ex hoc ergo loco, non est damnanda (an vera, an falsa sit, non disputo hic) illa quorumdam Doctorum sententia, qua censent post diem judicii fore universale diluvium, quo rursum tota terra aquis cooperiatur, sicuti iis initio mundi cooperta fuit; nam hæc promissio Dei, de non inducendo amplius diluvio, tantum extenditur usque ad generationes hujus sæculi, puta usque ad diem judicii, non ulterius.

Vers. 13.

13. ARCUM MEUM PONAM IN NUBIBUS, ET ERIT IN SIGNUM FOEDERIS. — Arcus hic est iris, uti omnes Patres docent, præter S. Ambrosium, lib. *De Arca et Noe*, cap. XXVII, qui arcus hujus sensum non litteralem, sed tropologicum more suo assignat.

Nota : Deus arcum, puta iridem vocat suam, quia iris est pulcherrima, Deique opificis pulchritudinem et magnificentiam nobis repræsentat; unde de ea dicit *Eccli.* cap. XLIII, vers. 12 : « Vide arcum, et benedic eum, qui fecit illum : valde speciosus est in splendore suo, gyravit (cinxit) cœlum in circuitu gloriæ suæ, manus Excelsi aperuerunt illum. » Hinc Plato in *Theæteto* iridem, Thaumantis filiam, propter admirationem, dictam censuit.

Ante dicta Armefuit iris.

Nota *secundo*, contra Alcuinum et Glossam, ante Noe et diluvium fuisse iridem. Est enim naturalis ejus generatio et causa, scilicet reverberatio radiorum solis in nube rorida. Cum ergo hæc fuerit ante diluvium, æque ut nunc, sequitur et iridem fuisse ante diluvium.

Dices, quomodo ergo ait hic Deus in futuro : Arcum meum *ponam*, non autem, *posui*, in præterito? Respondeo : In Hebræo est præteritum נתתי *natatti*, dedi, posui, id est do, pono et dabo, ponam iridem, non absolute ut existat, sed ut sit in signum fœderis, quod Deus hic init cum Noe. Fuit ergo iris ante diluvium, signum naturale nubium roridarum, et consequenter futuræ pluviæ. Unde Ovidius :

Concipit iris aquas, alimentaque nubibus affert.

Iris juvat manna et plantas.

Julius Scaliger *Exercit.* 80, docet iridem matutinam portendere pluvias, vespertinam vero serenitatem. Rursum Aristoteles, lib. V *Histor. animal.* cap. XXII, tradit iridem multum conferre ad generationem mannæ, sive mellis aerii. Adhæc aspalathum aliasque herbas odoratiores fieri per iridem tradit Plinius, lib. XII, cap. XXIV : « Est, inquit, aspalathus spina candida, magnitudine arboris modicæ, flore rosæ, radice unguentis expetita. Tradunt in quocumque frutice curvetur arcus cœlestis, eamdem quæ sit aspalatho, suavitatem odoris existere; sed in aspalatho inenarrabilem quamdam. » Idem, lib. XVII, cap. V : « Terra, ait, cum a siccitate continua immaduit imbre, et in quam arcus cœlestis dejecerit capita sua, tunc emittit illum suum halitum divinum, ex sole conceptum, cui comparari suavitas nulla possit. » Post diluvium vero, et post hoc pactum Dei cum Noe, iris a Deo instituta est in signum supernaturale hujus pacti, de non futuro deinceps diluvio.

Iris ponitur in signum supernaturale diluvii deinceps prohibendi.

Nota *tertio*, apposite hoc signum non futuri diluvii esse iridem, ponique in nubibus; quia ex nubibus aquæ diluvii delapsæ sunt, et ex iis rursum metui posset diluvium : unde ne id metuamus, contrarium in iisdem nubibus ponit Deus hoc iridis signum. Addit S. Thomas. *Quodlib.* III, art. 30, et Abulensis hic, *Quæst.* VII, iridem naturale signum esse, quod proxime non sit futurum aquarum profluvium, ut ex eo fiat diluvium, quia ad hoc opus est, multas et crassas esse nubes, quæ in magnam pluviam resolvantur: illæ autem repugnant iridi; iris enim oritur in nube, non crassa et densa, sed rorida, opaca et concava, ex radiorum solis oppositi reflexione.

Nota *quarto*, Auctor *Historiæ Scholasticæ* in librum *Gen.* cap. XXXV : « Tradunt, inquit, Sancti, quod quadraginta annis ante diem judicii, non videbitur arcus cœlestis; » quia scilicet tunc summa erit siccitas, qua mundus præparabitur ad conflagrationem, quæ fiet sub diem judicii. Sed hæc traditio frivola et falsa est, falsoque attribuitur sanctis Patribus. Si enim tanta tunc foret siccitas, homines, animalia et plantæ ex ea interirent, cujus contrarium nos docet Christus, *Matthæi* XXIV, 38.

Symbolice et mystice, S. Ambrosius, lib. *De*

Iris symbolum est clementiæ Dei ob tres analogias.

Arca et Noe, cap. XXVII : Iris, inquit, est clementia Dei, quæ quasi arcus contentus, sed carens sagitta, per adversa quæ immittit, magis terrere nos vult, quam ferire; ut vitia corrigamus, itaque sagittas vindictæ evadamus, juxta illud *Psalm.* LIX, 6 : « Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus. » Ubi vide S. Augustinum et S. Gregorium, lib. XIX *Moralium*, sub finem. Unde S. Joannes, *Apoc.* IV, 3, vidit thronum Dei circumdatum iride, id est misericordia; iris enim tempore Noe pacis, reconciliationis et fœderis inter Deum et homines fuit signum, fuitque iris εἰρήνη, id est pax, ait Ticonius hom. 2 *in Apoc.*, quæ extat tom. IX S. Augustini. *Secundo*, iris versicolor recreat, et imbres varios in terram effundit : idem facit Dei misericordia. *Tertio*, sicut iris est semicirculus, in nostro hemispherio tantum apparens : ita et Dei misericordia tantum apparet in hac vita, justitia vero in altera.

Allegorice, iris est primo, lex Evangelica; secundo, baptismus.

Allegorice, iris signum est *primo*, legis Evangelicæ : hæc enim affert gratiam, et remissionem, et gloriam. Ita Rupertus, qui tamen perperam putat hunc sensum hoc loco esse litteralem. *Secundo*, iris cum sit aqueo et igneo colore, signum est baptismi Christi, qui fit per ignem et aquam, *Matth.* cap. III, vers. 11. Ita S. Gregorius, hom. 8 *in Ezech.* *Tertio*, iris est Verbum incarnatum, et carne velatum, sive est ipsa caro Verbi : *primo*, quia, sicut sol in nube irradians facit iridem, ita Verbum in carne irradians fecit Christum; *secundo*, quia sicut iris pacis fuit symbolum tempore Noe, ita et incarnatio Christi fuit reconciliatio mundi. *Tertio*, duo cornua iridis sunt duæ naturæ Christi, divina scilicet et humana; quarum chorda occulta et invisibilis, est arcana unio hypostatica. *Quarto*, in iride triplex est color : ita et in Christo. Christus enim fuit cæruleus, id est cœlestis, per orationem assiduam; fuit et viridis per florem gratiarum et virtutum; fuit denique rubicundus per sanguinem suum in cruce; *quinto*, ab hoc arcu emissæ sunt occultæ sagittæ amoris, quibus confixa et vulnerata sponsa cantabat : « Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. » *Sexto*, iris hæc imbrifera fuit, quia dedit in Pentecoste orbi prædicationis et doctrinæ cœlestis abundantiam, quasi pluviam : ita Ansbertus in *Apocal.* cap. IV, vers. 3. Cui adde *septimo*, iris quæ est semicirculus, significat Christum de cœlo descendentem ad terram, et rursum e terra remeantem ad cœlos. Denique significat regnum Christi, quod in hac vita semiplenum est et imperfectum; sed in cœlis complebitur hic circulus, puta regnum Christi, dominans omnibus in omnem æternitatem.

Tertio, iris est Verbum carne vestitum ob septem analogias.

Tropologice tres colores iridis sunt fides, spes, charitas.

Tropologice, tres colores iridis significant virtutem purgandi, illuminandi et perficiendi, quam a Deo et angelis participant sancti Doctores; *secundo*, color cæruleus est fides; viridis est spes, rubicundus est charitas : quas iris, id est Dei misericordia, depulit in homines, ut docent Viegas, Ribera, Pererius et alii in *Apoc.* IV, vers. 3.

Anagogice, iris quæ colore est aqueo et igneo, signum est uti diluvii facti, ita et conflagrationis mundi futuræ. Ita S. Gregorius, homil. 8 *in Ezech.* Rursum, iris quæ formam habet arcus, itaque belli speciem ostentat, significat judicium universale, inquit Richardus Victorinus in *Apoc.* cap. IV, in quo virebunt justi per gloriam æternam, sed rubebunt impii per ignem gehennæ. Duo iridis cornua sunt misericordia et veritas, sive justitia; hinc Christus judex pingitur insidere iridi : sedebit enim in nube gloriosa, qualis est iris.

Anagogice, iris significat diem judicii, in quo Christus sedebit in iride.

16. ET VIDEBO ILLUM (arcum, puta iridem), ET RECORDABOR FOEDERIS. — Ergo et nos vicissim quoties videmus iridem, recordemur diluvii et cataclysmi, qui orbem et peccatores perdidit; recordemur et pacti divini, Deoque nostro pro hoc pacto gratias agamus, illi grati et obsequentes simus. Denique dicamus : Si tam speciosa et varia est iris, quam speciosus et varius est Deus Deique domus?

Vers. 16.

18. PORRO CHAM IPSE EST PATER CHANAAN. — Meminit hic Moses Chanaan, ut viam sibi sternat ad maledictionem Chanaan, qua propter Cham patrem a Noe mulctatus est vers. 25. Addit *secundo* S. Chrysostomus, Cham solum intemperantem in arca, tempore diluvii genuisse Chanaan, ideoque ejus hic mentionem fieri. Verum alii omnes contrarium docent; imo ipsa S. Scriptura docet octo tantum animas (puta Noe cum tribus filiis, et singulorum uxoribus) per arcam salvatas esse, I *Petri* III, vers. 20. Rursum Chanaan natum esse post diluvium docet ipse Moses, cap. X, vers. 1 et 6.

Vers. 18.

An chanaan natus in arca?

In egressu ergo Noe ex arca, de quo hic loquitur Moses, necdum ex Cham genitus et natus erat Chanaan; dicitur tamen Cham pater Chanaan, quia ex Cham nasciturus erat, et tempore Mosis, qui hæc scribit, jam natus erat Chanaan et Chananæi, quos Hebræi ex Sem oriundi subegerunt et vastarunt, *q. d.* Ex Cham natus est Chanaan, tanquam mali corvi malum ovum : qui enim Cham : bonum generaret filium, qui bono patri ne quam filius, atque naturæ et eruditionis degener extiterat? Ita S. Ambrosius et Theodoretus. Unde et Chami irrisio, qua patrem Noe irrisit, punita fuit in Chanaan filio, dum ejus posteri Chananæi servitute et vastitate a Josue et Hebræis, qui fuerunt posteri Sem, mulctati sunt. Ita S. Ambrosius, lib. *De Arca et Noe*, XXVIII, ubi mystice : Cham, inquit, id est calor, pater est Chanaan, id est turbationis aut potius contritionis et confractionis; qui enim calet, continuo movetur et perturbatur, omniaque perturbat et confringit.

Quid *Cham pater Chanaan?*

19. TRES ISTI FILII SUNT NOE, ET AB HIS DISSEMINATUM EST OMNE GENUS HOMINUM. — Errant ergo, qui plures quam tres, numerant filios Noe, ut Berosus Annianus et Chronica Germaniæ, quæ Tuisconem, a quo oriundi sunt Teutones et Germani, asserunt

Vers. 19.

Tulseo non fuit filius Noe.

filium fuisse Noe; rursum, Noe post diluvium triginta alios genuisse filios, eosque ex Titæa uxore vocasse Titanas. Ex hoc loco ergo videtur Noe post diluvium jam fractus et senex, utque melius vacaret Deo, veneris pertæsus, abstinuisse usu conjugii, ideoque nullas alias genuisse proles: ab hisce enim tribus omnes homines prognati sunt. Contrarium sentit Cajetanus et Torniellus, scilicet Noe post diluvium alios genuisse filios, a quibus quoque gentes propagatæ sint; hos tres tamen solos hic nominari, quod illi hujus disseminationis in gentes illustriores fuerint principes, et capita primariarum gentium. Verum prius quod dixi, conformius est verbis Scripturæ, quæ vix alium patiuntur sensum; clare enim sic habent: «Ab his disseminatum est omne genus hominum super universam terram. »

Noe post diluvium continens.

Vers. 20. 20. COEPIT NOE VIR AGRICOLA EXERCERE TERRAM (1). — Hebraice est נוח איש האדמה *noach isch haadama*, cœpit Noe esse vir terræ, id est, esse agricola, cœpit post diluvium terram jam siccatam colere et exercere, *q. d.* Rediit Noe ad agriculturam, qua ante diluvium usi sunt homines, jussu Dei, *Genes.* II, 15, et cap. III, vers. 17; idque diligentius quam ante diluvium, quia diluvium sua salsedine, acrimonia, penetratione et inundatione primævam terræ pinguedinem et bonitatem exsuxerat et abluerat. Unde Pererius, Delrio et alii opinantur Noe invenisse aratra, iisque per equos et boves attractis, vomere terram procidisse, cum antea suis manibus et ligonibus homines terram foderent et colerent.

Moraliter, de agriculturæ dignitate et fructu.

Vide hic Noe patriarcham agriculturæ vacantem. Sic agricola fuit Sem, Japhet, Isaac, Jacob, Esau, Moses, Booz, Gedeon; denique totus populus Israel colebat agros, donec regem peteret, et Samuel jussu Dei ei diceret, quod rex agros, vineas, oliveta, optima tolleret, et daret ea servis suis; sed et segetes eorum addecimaret, I *Reg.* VIII. Saul pastor fuit asinorum, David ovium, Elias Elisæum ab aratro vocavit, et prophetam creavit. Si Pontificum vitas excutias, plures reperies agricolarum filios, uti fuere Sylverii, Adriani, Sylvestri, etc.

Cyrus Persarum rex, priscique imperatores Romani agricolæ fuerunt; unde Fabii, Lentuli, Pisones, Cicerones, Vitellii, Porcii, Servii, Appii, Scrophæ, agricolarum nomina, triumphali dignitate honorata sunt. Audi Valerium Maximum: « Illi etiam prædivites, qui ab aratro accersebantur, ut consules fierent, voluptatis causa sterile atque æstuosissimum Pupiniæ solum versabant, deliciarumque ignari, vastissimas glebas plurimo cum sudore dissipabant. Imo vero quos pericula reipublicæ imperatores asserebant, angustia rei familiaris bubulcos fieri coegit. » Romulus et Remus, Diocletianus, Justinus, reges et imperatores, æque ac pastores et agricolæ fuerunt.

Arcades mortalium omnium antiquissimos se venditantes, pastores et agricolas fuisse historiæ testantur; audi Poetam:

Pan (*Deus Arcadiæ*) curat oves oviumque magistros.

Græci Protea et Apollinem pastorem Admeti regis Thessaliæ fuisse fatentur, una cum Mercurio et Argo.

Phrygii, pastores Paridem, Priamum, Anchisen aliosque agnoscunt. Numidæ, Georgi, Scythæ, Nomades hanc vitam volunt, non aliam. Regum cura occupata fuit non solum agriculturæ exercitio, sed libris etiam quasi artem complexi sunt, ut Hiero, Mithridates, Philometor, Attalus, Archelaus; et duces, ut Xenophon, Syllanus, Cato, Plinius, Terentius Varro; a villa in senatum vocatus est Curius, aliique senes. Attilium vocantes ad imperium Romanum, eum semen spargentem invenerunt. Nec fuit eis rubori, eburneo scipione deposito, parta victoria et pace, ad stivam aratri reverti. Agriculturæ enim exercitium, *primo*, est a natura et a Deo institutum; *secundo*, magnam habet amœnitatem; *tertio*, sanitatem tuetur, et corpus roborat; *quarto*, fruges et fructus procurat; *quinto*, valet ad meditationem cœli, siderum, pluviæ, arborum aliarumque rerum naturalium; *sexto*, valet ad contemplandum colendumque Deum: inde prisca festa, Cerealia, Floralia, Vinalia, Sementina, Agnalia, Palilia, Charistia, etc.

Noe non invenit vitem, sed vinum.

ET PLANTAVIT VINEAM. — Nota, vitem ante diluvium fuisse; unde enim alias eam habuisset Noe? sed hucusque vitis videtur silvestris, inculta, et hinc inde sparsa fuisse, ex eaque non vinum expressisse homines, sed tantum uvas comedisse. Noe vero arte vitem excoluit, plantavit, in vineta distribuit, et primus ex uvis vinum expressit; nam nesciens vim vini, utpote antea non visi, nec cogniti, ex eo inebriatus est. Ita S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinianum*.

Notat S. Chrysostomus Noe ex vite vinum expressisse, ut eo suum et aliorum hominum post diluvium mœrorem, labores et infirmitatem leniret et roboraret; vinum enim roborat et lætificat cor hominis. Atque hinc Berosus Annianus censet Noe eumdem esse cum Jano; dictumque esse Janum, id est vitiferum, vel potius viniferum, ab Hebræo יין *iain* vel *ien*, id est vinum: hinc et Janus pingitur bifrons, quia Noe vidit tam sæculum quod erat ante diluvium, quam quod fuit post illud. Unde Ovidius, I *Fastor.*:

Janus, id est vinifer putatur esse Noe: cur bifrons?

Jane biceps anni tacite labentis origo,
Solus de superis qui tua terga vides.

Noe miscuit vino sanguinem simiæ, leonis,

Apposite gesta Romanorum symbolica, symbolice fingunt Noe miscuisse viti et vino sanguinem quatuor animalium, puta simiæ, leonis, porci et agni: quia vinum inebriat et ebrios alios facit moriones, quasi simias; alios pugnaces et crude-

(1) Totam hanc pericopen, *Gen.* IX, 18-27, egregie illustravit Meignan, op. cit. pag. 286 seqq.

porci, et agni. les, quasi leones; alios lubricos et fœdos, quasi porcos; alios mites, blandos et pios, quasi agnos.

Vers. 21. Noe ebrietas fuit venialis. 21. BIBENSQUE VINUM INEBRIATUS EST. — Ebrietas hæc Noe non fuit peccatum, saltem mortale; quia nesciens vim vini, et inexpertus; illud largius bibit. Ita S. Chrysostomus et Theodoretus. Perperam ergo Calvinus et Lutherus ebrietatem hanc tribuunt intemperantiæ Noe, quæ erat inexperientiæ. Aliter nonnulli, *q. d.* Inebriatus, id est exhilaratus est. Unde S. Ambrosius, juxta Septuaginta : « Non dixit, ait, vinum bibit, neque justus vinum ebibit, sed de vino, hoc est de ejus potione, libavit. Ebrietatis itaque species gemina est, una quæ titubationem corpori afferat atque ejus supplantet vestigia, sensumque perturbet; altera quæ mentem virtutis vaporet gratia, et omnem infirmitatem videatur avertere; de qua *Psal.* XXII : «Et calix meus inebrians quam præclarus est! »

Vide hic et admirare priscorum abstinentiam; omnes enim a condito mundo usque ad diluvium, per 1600 annos, vino æque ac carne abstinuerunt, adeoque valde longævi ac sapientes fuerunt; vixerunt enim ad 900 annos.

Moraliter, abstinentia prodest sanitati. Et castitati. Ubi nota *primo* : Abstinentia plurimum prodest : *primo*, sanitati et longævitati; consumit enim noxios humores, spiritusque vitales purificat et exacuit; *secundo*, castitati et virtuti; subtrahit enim nimium sanguinem, succum et spiritus qui venerem, iram aliasque passiones fovent et suscitant.

Et sapientiæ. Nota *secundo* : Sobrietas naturaliter confert ad scientiam, tum quia sanitatem tuetur, et vitam prolongat; tum quia caput facit serenum, spiritusque animales facit liberos et puros, aptosque ad speculandum et meditandum; tum quia anima (quæ una est in homine, eademque simul est vegetativa, sensitiva et rationalis) limitatæ est virtutis et activitatis, ideoque quo minus occupatur cibo cibique concoctione, digestione ac egestione, eo magis intendere potest et solet studio et contemplationi, in eamque totam vim suam exserere. Hinc Salomon, *Eccle.* II : « Cogitavi, ait, in corde meo abstrahere a vino carnem meam, ut animam transferrem ad sapientiam, devitaremque stultitiam. » Et Isaias, cap. XXVIII : « Quem docebit scientiam, et quem intelligere faciet auditum? Ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus. »

Exempla fidelium. Ita abstinentes Enos, Henoch, Mathusalem, Noe, sapientissimi fuerunt. Noe enim totius mundi fuit reparator, instructor et gubernator. Ita Nazaræi et Rechabitæ a sapientia, æque ac abstinentia commendantur. Ita Moses et Elias jejunio 40 dierum sapientiam et visionem Dei meruerunt. Ita Judith, Esther, Machabæi sapientiam illam et fortitudinem, qua Holofernen, Aman et Antiochum prostraverunt, adepti sunt. Ita Joannes Baptista abstinentia, quasi Angelus evasit. Ita Paulus primus Eremita, Antonius, Hilarion, et tot Anachoretarum et Monachorum examina vitam, quasi angeli terrestres, in abstinentia, contemplatione et sapientia longævam duxerunt, vixeruntque centum et amplius annos. Ita cœnobitæ olim, teste S. Hieronymo, perpetuo jejunabant, aquam bibentes, et solum panem cum leguminibus et oleribus manducantes.

Gentilium. Audi et Gentiles. Tradit Xenophon antiquos Persas ad panem nil nisi nasturtium adhibere solitos, tumque floruerunt sapientia et virtute bellica, orbisque imperium tenuerunt per 200 annos, scilicet a Cyro ad Darium, qui per deliciàs et vina imperium cum vita perdidit.

Chæredemus Stoicus tradit priscos Ægypti sacerdotes carne, vino, ovis et lacte semper abstinuisse, idque ut purius, intentius et acrius divinis rebus vacarent, ardoremque libidinis restinguerent. Atque hi Ægypti fuerunt sapientes et Astrologi. Esseni apud Judæos vino et carne sibi interdicebant, totique orationi et studio sacrarum Litterarum vacabant, de quibus mira narrat Josephus, Philo et Plinius; quinimo Porphyrius in libro *De Abstinentia ab esu animalium*, asserit plerosque ex eis divino afflatos spiritu vates exstitisse. Eubulus refert apud Persas tria fuisse Magorum genera, quorum primum (qui maxime sapientes et eloquentes existimabantur) præter farinam et olera nihil esitabant. Bardesanes Babylonius tradit Indorum Gymnosophistas solis arborum pomis, oryza et farina vivere. Euripides in Creta Jovis vates, carne et coctis omnibus abstinuit. Socrates virtutis studiosos hortabatur, ut abstinentiam colerent, et delicias veluti Sirenes respuerent; ideoque rogatus qua re ab aliis hominibus differret, ait : « Alii vivunt ut edant; ego vero edo ut vivam. » Isæus Assyrius, teste Philostrato, interrogatus quænam essent epulæ suavissimæ, respondit : « Ista curare desii. » Xenocrates tria tantum præcepta in templo Eleusinæ mansisse dixit, scilicet *primo*, venerandos esse deos; *secundo*, honorandos esse parentes; *tertio*, abstinendum esse a carnibus. Plinius ait vinum esse cicutam hominis; et Seneca ait ebrietatem esse voluntariam insaniam. Epicurus, licet voluptatis patronus, asserit ad jucunde et suaviter vivendum, tenuitatem victus conferre plurimum. Et in Epistolis suis testatur se aqua tantum et pane vesci solitum. De abstinentia Pythagoræ, Antisthenis, Diogenis, Apollonii Thyanæi mira habet Laertius, Plutarchus et Philostratus. Plura vide apud S. Hieronymum, lib. II *Contra Jovinianum*, et Plutarchum in duabus orationibus de usu carnium.

Vinum est cicuta. Ebrietas est voluntaria insania.

ET NUDATUS EST IN TABERNACULO SUO, — uti solent dormientes, et ebrii præ æstu disjicere tegumenta, seque nudare. Ita Theodoretus.

Vers. 22. Chanaan cum Cham irrisit Noe. 22. QUOD CUM VIDISSET CHAM, PATER CHANAAN. — Tradunt Hebræi et Theodoretus hic fieri mentionem Chanaan, eo quod Chanaan puer, doli tamen capax (forte enim 10 circiter erat annorum), primo viderit Noe avum suum nudatum, eum-

que irriserit, ac mox illud ipsum patri Cham renuntiarit, qui pueri petulantiam non repressit, sed probavit, patremque fratribus suis ridendum proposuit.

Notant hic S. Basilius et Ambrosius genium improborum, qui gaudent bonorum lapsus propalare. Addit Berosus Annii (penes quem sit fides) Cham fuisse magum, quodque inde dictus sit Zoroaster (idem habet Cassianus, *Coll.* VIII, XXI) quod ex odio, quo patrem pium prosequebatur, eum irriserit, eumque magia sua sterilem deinceps effecerit; quod docuerit homines congredi cum matribus, masculis et brutis, ideoque a Noe patre esse fugatum et ejectum.

Vers. 23. 23. OPERUERUNT VERENDA PATRIS SUI. — « Ne paterna reverentia vel ipso minueretur aspectu, » ait S. Ambrosius, lib. *De Noe*, cap. XXXI. Additque ex Cicerone, lib. I *Offic.* : « Unde etiam Romæ vetus fuisse usus dicitur, ne filii cum parentibus, et maxime puberes, intrarent lavacrum. » Ita tropologice tegenda esse parentum spiritualium, et Ecclesiasticorum peccata, docet S. Gregorius, lib. XXV *Mor.* cap. XXII; et suo exemplo docuit Constantinus Magnus in concilio Nicæno, dum chartas accusationum contra aliquos Episcopos sibi oblatas combussit, dictitans : « Si Episcopi alicujus stuprum videret, facinus id se suo paludamento obtecturum, ne flagitii ejus aspectus eos, qui ipsum cernerent, ulla ex parte læderet : » uti refert Theodoretus, lib. I *Hist.*

Constantini pia sententia.

Allegorice, S. Augustinus, lib. XVI *De Civitate* cap. II et VII : Cham sunt Judæi et hæretici : hi irrident Noe, id est, Christum et Christianos.

Vers. 24. 24. EX VINO, — ex somno in quem eum vis vini conjecerat.

CUM DIDICISSET, QUÆ FECERAT EI FILIUS SUUS MINOR. — Vidit enim Noe evigilans se tectum pallio non suo, sed alieno, scilicet filiorum, Sem et Japhet; causam ab eis quæsivit; illi patri singula exquirenti mentiri non ausi, rem totam et Chami scelus pandunt, alias illud silentio pressuri.

FILIUS SUUS MINOR, — scilicet Chanaan, inquit Theodoretus, qui filius, id est nepos, erat Noe; unde mox Noe eidem maledicit. Verum omnes alii filium hunc intelligunt Cham : hujus enim scelus et impietas hic punitur. Addit S. Chrysostomus, et incontinentia, quod tempore diluvii in arca usus sit conjugio, genueritque Chanaan; de qua re dixi vers. 18.

Cham fuit medius filiorum Noe.

Nota : Cham fuit filius minor Noe, non quasi fuerit minimus omnium, uti aliqui volunt, sed quia fuit junior Semo : fuit enim Cham senior Japheto; Cham ergo medius fuit filiorum Noe, unde vers. 18 et alibi passim medius ponitur. Ita S. Augustinus, lib. XVI *De Civitate* cap. I, et Eucherius.

Vers. 25. 25. MALEDICTUS CHANAAN, — supple erit, quia Noe hæc non tam maledicendi, vel imprecandi animo dixit, quam spiritu prophetico prædixit ea, quæ posteris filiorum suorum erant eventura; unde explicans subdit : « Servus servorum erit. »

Nota : Per Chanaan hic Vatablus intelligit ipsum Cham, scilicet patrem impium ex filio impiissimo; unde et Gennadius, Diodorus et Origenes putant tunc, cum hæc dixit Noe, necdum natum fuisse Chanaan. Verum contrarium verius est, scilicet simpliciter hic compellari ipsum Chanaan; causam ex Hebræis dixi vers. 18. Unde S. Ambrosius, lib. *De Noe*, cap. XXX : « Et pater, inquit, in filio, et in patre filius redarguuntur, habentes stultitiæ, nequitiæ, impietatis quoque commune consortium. Nec poterat fieri ut bonum generaret filium, qui bono patri nequam filius, et naturæ, et eruditionis degener extitisset. »

Cur Noe maledicit solum Chanaan, non alios filios Cham?

Nota *secundo* : Alii filii Cham, puta Chus, Mesraim, Phuth hic non maledicuntur a Noe, sed solus Chanaan; nam soli Chananæi, qui fuerunt posteri Chanaan, et æque ut ipse impiissimi, leguntur excisi a posteris Sem, puta a Judæis; vel eis serviisse, ut patet in Gabaonitis, qui inter Chananæos dolo vitam ab Hebræis obtinuerunt, ea lege ut eis servirent quasi vilissima mancipia; hoc enim significat τὸ *servus servorum*. Ita Rupertus.

Adverte Mosen hæc omnia propter Chananæos a Judæis expellendos scripsisse; parat enim hic viam suæ historiæ de expeditione et profectione Hebræorum in Chanaan, datque occasionem et causam, ex qua contigit, Dei voluntate, Judæos per se et per Josue occupare Chananæam, videlicet impietatem Cham et Chanaan, quam imitati sunt Chananæi, ideoque ex Chananæa sunt expulsi.

Hinc patet *tertio*, Cham et Chanaan hic puniri in suis posteris, puta Chananæis, qui paternæ impietatis fuerunt imitatores et hæredes. Vide hic quam infelices sint ii, qui habent impios parentes et præceptores! Merito Plato gratias agebat naturæ, sive Deo, *primo*, quod hominem; *secundo*, quod marem; *tertio*, quod Græcum; *quarto*, quod Atheniensem; *quinto*, quod tempore Socratis, a quo instrui posset, se genuisset.

Moraliter S. Ambrosius : « Manebat, ait, ante vini inventionem omnibus inconcussa libertas; nemo sciebat a consorte naturæ suæ obsequia servitutis exigere : non esset hodie servitus, si ebrietas non fuisset. »

SERVUS SERVORUM, — id est servus infimus et vilissimus. Nota pœnam peccati esse servitutem; hinc et servi facti et dicti sunt a servando, quod bello capti, cum possent occidi quasi hostes et nocentes, ex quadam indulgentia in vita servarentur servi, sive ad serviendum. Rursum qui noluit esse filius reverens, punitur ut fiat servus; justum enim est ut servili subjectione prematur is, qui filialem suavemque ac naturalem subjectionem, seu servitutem, violare non erubuit (1).

(1) De effectibus hujus Noachicæ in Canaan maledic-

Ridet Calvinus hic Papam, quod ex maledictione hac Chami sumpserit sibi titulum, « Servus servorum. » Sed errat; non enim Papa absolute se vocat servum servorum, sed, ut recte notat Rupertus, cum addito, « Servus servorum Dei; » idque facit ex pia animi submissione; non ergo ex impio Chamo hoc nomen sibi sumpsit Pontifex.

Vers. 26. 26. BENEDICTUS DOMINUS DEUS SEM. — Est hebraica metalepsis; ex consequente enim intelligitur antecedens, puta ex benedictione Dei intelligitur ipsa benedictio Sem; hisce enim verbis Noe, uti Cham maledicit, ita benedicit non tantum Deum, sed etiam Sem et Japhet. Sensus ergo est, *q. d.* Deus tanta benedictione et copia, tum frugum, tum sapientiæ, pietatis, religionis, gratiæ et cultus Dei cumulet Sem, ejusque posteros, ut quisquis eos viderit, benedicat Deum in Sem suosque tam liberalem, dicatque : Benedictus sit Deus, qui semper est Deus, Dominus, pater ac provisor Sem ejusque posterorum, qui semper suis beneficiis ostendit, quod sit Deus, tutor et curator Sem et suorum. Ita Lipomanus, Cajetanus et alii. Hæc benedictio completa est in Judæis, qui orti sunt ex Sem. Disce hic cum Noe, ad omnia bona et fausta, erumpere in laudem et benedictionem Dei.

Benedictio Dei redundat in Sion.

Moraliter, recte notat Pererius, *Ecclesiastic.* III, novem bona a Deo promitti filiis bonis, qui parentes honorant. *Primum* est, opes, tum temporales, tum spirituales : « Sicut, ait, qui thesaurizat, ita qui honorificat matrem suam. » *Secundum*, quod talis filius felix erit in suis pariter filiis : « Qui honorat patrem, jucundabitur in filiis. » *Tertium*, quod preces ejus exaudiet Deus : « In die orationis suæ exaudietur. » *Quartum*, quod longævus erit : « Qui honorat patrem, vita vivet longiore. » *Quintum*, quod stabilem habebit familiam et posteritatem : « Benedictio patris firmat domos filiorum. » *Sextum*, quod erit gloriosus : « Ex honore patris gloria filii; » sive quia pater honoratus reddit filios gloriosos, sive quod filius honorans patrem comparat sibi gloriam apud omnes. *Septimum*, quod in tempore tribulationis ab ea liberabitur a Deo : « Eleemosyna patris non erit in oblivione, et in die tribulationis memor erit tui. » *Octavum*, quod peccata ei remittentur : « Sicut in sereno glacies, ita solventur peccata tua. » *Nonum*, quod a Deo benedicetur, id est omni bonorum copia cumulabitur : « Honora, inquit, patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio a Deo, et benedictio illius in novissimo maneat. »

Novem bona promissa filiis parentes honorantibus.

Vers. 27. 27. DILATET DEUS JAPHET. — In hebræo pulchra est allusio ex etymo nominis Japhet, scilicet יפת אליהם ליפרת *japht elohim leiaphet*, *q. d.* « Dilatet Deus dilatatum. » S. Augustinus vertit, *lætificet*; Cajetanus et Eugubinus, *condecoret*, vel *venustum faciat* Deus ipsum Japhet.

Nota : Japhet (quem Gentiles vocant Japetum) deducitur a פתה *pata*, id est suadere, pellicere, persuadere; sed in *hiphil* (uti hic est) significat dilatare, uti vertunt hic Septuaginta, Chaldæus, noster Interpres, Vatablus, Mercerus, Pagninus et alii. Japhet ergo non tam venustum quam dilatatum significat. Frustra ergo se torquent Græci, qui Japhet nomen Hebræum deducunt a Græco ἰάπτειν, id est *lædere*, aut ab ἰᾶσθαι, id est *mederi*, aut ab ἵεσται καὶ πέτεσται, id est *emittere et volare*, *q. d.* Emittat Deus, et volare faciat Japhet per latitudinem terræ. Jam sensus est, *q. d.* Japhet posteritas dilatet se, sitque plurima, ita ut latissimas et amplissimas occupet regiones, adeo ut diffundat se in sortem et habitationem posterorum Sem. Id ita contigisse patet ex cap. seq., et ex S. Hieronymo hic in *Quæst. hebr.*, atque ex Josepho lib. I *Antiq.* VI. Ex quibus constat posteros Japhet occupasse Europam, et partem Asiæ Septentrionalem ad Occasum vergentem, a Tauro et Amano monte usque ad Tanaim; posteros vero Cham occupasse partem Meridionalem Asiæ, ab Amano et Tauro, scilicet Ægyptum, et partem Syriæ, atque totam Africam; posteros vero Sem occupasse Asiæ partem Orientalem, ab Euphrate usque ad Indicum Oceanum : vide Ariam Montanum in suo *Apparatu*, in Phaleg, sive de Primis gentium originibus.

Japhet, sive Japetus, idem est quod dilatatus.

Sem Asiam, Cham Africam, Japhet Europam occupavit.

Allegorice, et præcipue prophetatur hic Ecclesia Gentium dilatanda, coadunanda Judæis in Christo et Christianismo; nam ex Japhet orti sunt Gentiles; ex Sem vero orti sunt Judæi et Christus, qui primi habuerunt Dei templum, cultum et Ecclesiam, in quam deinde Gentiles transtulit Christus, ex utrisque faciens unam Ecclesiam, ejusque amplitudinem et caput ex Sem, id est ex Jerusalem et Judæis, in Japhet, id est Romam ad Gentiles transtulit. Ita S. Hieronymus, Chrysostomus, *hom.* 29, et Rupertus, lib. IV, cap. XXXIX; unde ex Hebræo sic apposite vertas, *pelliceat*, vel *persuadeat Deus Japheto* (Gentibus ex Japhet oriundis) *ut habitet in tabernaculis Sem*, puta in Ecclesia Christi, qui ex Judæis et Sem est oriundus. Est hic ergo prophetia clara de vocatione Gentium ad Christum. Hebræum enim פתה *pata*, proprie significat allicere, blandiri, persuadere.

Prophetia de vocatione Gentium: hæ enim ortæ sunt ex Japhet.

ET HABITET IN TABERNACULIS SEM. — Aliqui, ut Theodoretus, Lyranus, Abulensis, hic repetunt nomen, non *Japhet*, sed *Deus*, *q. d.* Deus habitet in tabernaculis Sem; ita factum est : nam inter Semitas, puta Judæos, habitavit Deus in tabernaculo et templo. Rursum ex Semitis natus est Christus Deus : ex iis enim Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Unde Chaldæus vertit, *et habitet divinitas in tabernaculis Sem.* Chaldæum enim שכינה *sechina* significat requiem, quo no-

Quid Chaldæus

tionis conf. Lenormant, *Introduction à l'histoire de l'Asie occidentale*, pag. 189, 226 seqq. et 280-1; Meignan, op. cit. pag. 314 seq. Forsan et hujusce maledictionis quasi sensu admonitus Hannibal, recepto Asdrubalis fratris capite a Romanis truncato, exclamasse fertur : « Agnosco fortunam Carthaginis ! »

Qm *sechina?* mine Hebræi præsentiam divinitatis in tabernaculo, super arcam in propitiatorio habitantis et quiescentis significant. Hinc et *sechina* vocatur Spiritus Sanctus, qui in Prophetis aliisque Sanctis requiescit, ait Elias Levita. Unde ex Chaldæo ita quoque vertas : « Et Spiritus Sanctus, sive ipsa sanctitas, requiescat in tabernaculo Sem. »

Secundo aptius et verius, τὸ *habites* referas ad *Japhet;* nam Semum Deus jam ante benedixit : hic ergo non Semum, sed Japhetum benedicit. Jam per tabernacula Sem Delrio, Pererius et alii ad litteram intelligunt Ecclesiam. Verum quia hæc omnia ad litteram spectant dilatationem et propagationem posterorum Japhet; hinc potius ad litteram, proprie dicta tabernacula hic accipias, et per ea sensu allegorico (qui tamen litterali hic prævalet, magisque quam litteralis intentus est a Spiritu Sancto) intelligas Ecclesiam, eo sensu quem dedi paragrapho præced.

Vers. 28. Noe vidit Abraham. 28. VIXIT NOE POST DILUVIUM TRECENTIS QUINQUAGINTA ANNIS. — Ergo cum Abraham, ut patebit cap. seq., natus sit anno 292 a diluvio, sequitur Abraham natum esse vivente adhuc Noe, et cum eo vixisse 58 annis. Vidit ergo Noe turrim Babel, vidit et omnes pene posteros suos corrumpere vias suas, et ad idololatriam deflectere : quantumvis ipse Noe, teste Epiphanio, a suis filiis exegisset jusjurandum, de servando vero veri Dei cultu et mutua concordia. Vidit ergo Noe mundum plenum hominibus, iisque impiis : vidit et ingemuit.

Notandum enim hic est, his trecentis annis post diluvium, miram hominum propagationem esse factam. Philo lib. *Antiq. Biblic.*, tradit Noe, paulo ante mortem, numerasse omnem suam sobolem, ex se proseminatam spatio 350 annorum quibus vixit post diluvium, ac invenisse filios et nepotes, per Japhet ex se descendentes, centum quadraginta millia, ducentos et duos, præter mulieres et pueros. Ex Cham vero, ducenta quadraginta quatuor millia, et nongentos. Ex Sem vero pauciores numerat; sed videntur aliquæ ciphræ posterorum Sem deesse in ejus codice. Omnibus ergo computatis, facile vidit ex se progenitos homines ad nongenta millia, et amplius. Quantus hic filiorum et nepotum exercitus! quantus patriarcha Noe! Verum liber ille dubiæ est fidei, tum quia Eusebius, lib. II *Hist.* cap. XVIII, et S. Hieronymus, lib. *De Viris illustr.*, ac Bellarminus, lib. *De Script. Eccles.*, ubi recensent opera Philonis, hujus libri non meminerunt; tum quia stylus libri diversus est a stylo Philonis; tum quia liber iste multis narrationibus apocryphis scatet. Ita Sixtus Senensis, lib. IV *Bibliot.* in *Philone*, et ex eo noster Possevinus. Numerus tamen quem ex eo recensui, credibilis est, imo justo minor videtur; nam, ut ex Ctesia narrat Diodorus lib. III, Ninus, monarchiæ Assyriorum conditor (cujus 43 imperii anno natus est Abraham, ait Eusebius), habuit in exercitu suo peditum decies septies centena millia, equitum vero ducenta millia : ad hæc currus falcatos ad decem millia et sexcentos. Ex adverso Zoroastres, rex Bactrianorum, contra Ninum comparavit exercitum quadragintorum millium. En in utroque exercitu erant tum vicies ter centena millia hominum, quos omnes videre potuit Noe pater, omnium; tunc enim adhuc vivebat. Nec id mirum : tunc enim homines habebant plures uxores, et toti vacabant generationi.

Rursum adverte hic fidem et cultum Dei, ab initio mundi per annos 2108, propagari et tradi potuisse per manus trium hominum, scilicet Adam, Mathusalem et Sem; nam Adam vidit Mathusalem, hic vidit Sem, Sem vidit Jacobum, qui natus est anno mundi 2108, qui fuit annus a diluvio 452. Sem enim vixit post diluvium 500 annis, ut patet cap. XI, vers. 11; potuit ergo Sem videre Jacobum. Denique tradunt Hebræi, Noe cum Sem ex Armenia rediisse in veterem patriam, id est, ad loca vicina Damasco; ibique condidisse regnum et pontificatum Salem, eumque tradidisse filio suo Sem, qui alio nomine dictus sit Melchisedech. Sed cap. XIV ostendam Sem non fuisse Melchisedech.

Fides per tres homines propagata ad annos 2108.

Addit Berosus Annianus lib. III, Noe, postquam arca consedit in montibus Armeniæ, ibidem habitasse, atque Armenos docuisse agriculturam, astrologiam, sacros ritus et cæremonias colendi Deum, ac denique multa secreta rerum naturalium; indeque profectum esse in Italiam, ibique docuisse homines tum pietatem, tum Physicam et Theologiam (quodque idcirco ab Italis appellatus sit pater deorum et anima mundi), ac tandem ibidem esse mortuum. Verum Berosus hic Annii de suppositione suspectus est.

De Noe vita et morte ex Beroso.

Symbolice S. Ambrosius, lib. *De Noe*, cap. XXXII : « In trecentis annis Noe, inquit, crucem Christi significari certum est (*Tau* enim Græcis index trecentorum, formam habet crucis), cujus typo justus a diluvio liberatus est. In quinquaginta, jubileus est numerus remissionis, quo Spiritus Sanctus missus a cœlo est, gratiam humanis pectoribus infundens. Perfecto igitur numero remissionis et gratiæ, justus curriculum vitæ hujus implevit. »

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Catalogus filiorum et posterorum Japhet vers. 2, et Cham vers. 6, et Sem vers. 21, eorumque per orbem partitio. Ex his enim posteris celebriores gentes ortæ et nominatæ sunt.

1. Hæ sunt generationes filiorum Noe : Sem, Cham et Japhet : natique sunt eis filii post diluvium. 2. Filii Japhet : Gomer, et Magog, et Madai, et Javan, et Thubal, et Mosoch, et Thiras. 3. Porrofilii Gomer : Askenez, et Riphath, et Thogorma. 4. Filii autem Javan : Elisa et Tharsis, Cettim et Dodanim. 5. Ab his divisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis, unusquisque secundum linguam suam et familias suas in nationibus suis. 6. Filii autem Cham : Chus, et Mesraim, et Phuth, et Chanaan. 7. Filii Chus : Saba, et Hevila, et Sabatha, et Regma, et Sabatacha. Filii Regma : Saba et Dadan. 8. Porro Chus genuit Nemrod : ipse cœpit esse potens in terra, 9. et erat robustus venator coram Domino. Ob hoc exivit proverbium : « Quasi Nemrod robustus venator coram Domino. » 10. Fuit autem principium regni ejus Babylon, et Arach, et Achad, et Chalanne, in terra Sennaar. 11. De terra illa egressus est Assur, et ædificavit Niniven, et plateas civitatis, et Chale. 12. Resen quoque inter Niniven et Chale : hæc est civitas magna. 13. At vero Mesraim genuit Ludim, et Anamim, et Laabim, Nephtuim, 14. et Phetrusim, et Casluim : de quibus egressi sunt Philistiim et Caphtorim. 15. Chanaan autem genuit Sidonem primogenitum suum, Hethæum, 16. et Jebusæum, et Amorrhæum, Gergesæum, 17. Hevæum, et Aracæum, Sinæum, 18. et Aradium, Samaræum, et Amathæum : et post hæc disseminati sunt populi Chananæorum. 19. Factique sunt termini Chanaan venientibus a Sidone Geraram usque Gazam, donec ingrediaris Sodomam et Gomorrham, et Adamam, et Seboim, usque Lesa. 20. Hi sunt filii Cham in cognationibus, et linguis, et generationibus, terrisque et gentibus suis. 21. De Sem quoque nati sunt, patre omnium filiorum Heber, fratre Japhet majore. 22. Filii Sem : Ælam et Assur, et Arphaxad, et Lud, et Aram. 23. Filii Aram : Us, et Hul, et Gether, et Mes. 24. At vero Arphaxad genuit Sale, de quo ortus est Heber. 25. Natique sunt Heber filii duo : nomen uni Phaleg, eo quod in diebus ejus divisa sit terra : et nomen fratris ejus Jectan. 26. Qui Jectan genuit Elmodad, et Saleph, et Asarmoth, Jare, 27. et Aduram, et Uzal, et Decla, 28. et Ebal, et Abimael, Saba, 29. et Ophir, et Hevila, et Jobab, omnes isti, filii Jectan. 30. Et facta est habitatio eorum de Messa pergentibus usque Sephar montem orientalem. 31. Isti filii Sem, secundum cognationes, et linguas, et regiones, in gentibus suis. 32. Hæ familiæ Noe juxta populos et nationes suas. Ab his divisæ sunt gentes in terra post diluvium.

Vers. 2. 2. FILII JAPHET (1). — Præponit Japhet, licet juniorem, Semo, quia breviter ejus prosapiam expedit, ut fusius agat de posteris Cham et Sem, ex quibus orti sunt Chananæi et Hebræi, propter quos maxime Genesim et Pentateuchum scripsit Moses ; ideoque deinceps solos Semi posteros est enumeraturus. Nota : Japheto obtigit Europa, Chamo Africa, Semo Asia. Vide dicta cap. IX, 27.

(1) Hæc Rosenmullerus : « Hoc caput geographiam continet antiquissimam, genealogiæ intextam, pro Hebræorum omniumque Orientalium populorum more, qui, a pueritia genealogiis memoria tenendis adsueti, in chronologia et geographia genealogiam adhibent. Nomina autem, quæ in hoc cap. occurrunt, non omnia virorum ac proprio vocabuli sensu filiorum nepotumque Noachi esse, sed gentium etiam urbiumque et regionum, jam ex eo liquet, quod multi in illis pluralis numeri leguntur (vers. 13, 14), nec verisimile est, patrem filiis nomina pluralia indidisse (Cf. Car. Lenormant, *Introduction à l'histoire de l'Asie Occidentale*, pag. 206)... Quædam ex nominibus hoc cap. obviis, naturam ingeniumque terrarum et urbium indicant, in quibus illæ gentes habita-

GOMER. — Ex hisce singulis post dispersionem quæ contigit in turri Babel, singulæ ortæ sunt gentes; sed quæ ex quo, incertum est: afferam in singulis, quod probabilius est, sequarque S. Hieronymum, Josephum, Isidorum, Ariam Montanum, qui exacte hæc tradit in *Phaleg*. Ex Gomer itaque orti et dicti sunt Gomari, sive Cimbri et Cimmerii, et, ut Josephus, Hieronymus et Isidorus tradunt, Galatæ: Galatæ enim Cimbri fuerunt; nam qui Brenno duce in Asiam perruperunt, Cimbri erant, et in Asia ac Græcia Gallogræci, a lacteo colore (γάλα enim græcis lac significat) sunt appellati; unde et Galatas Trevirensi lingua (quæ sane Germanica fuit, usos esse docet S. Hieronymus præfat. *in Epistola ad Galatas*: vide ibi dicta in procemio (1).

Ex Gomer orti sunt Cimbri.

MAGOG. — Ab hoc orti sunt Getæ et Massagetæ, Scythicæ gentes, et Tartari, de quibus Ezechiel, cap. XXXVIII et XXXIX.

MADAI. — Hic post dispersionem Babel ivit in Mediam, et ab eo orti dictique sunt Medi, et terra Media.

JAVAN. — Ab hoc orti sunt Iones omnesque Græci, indeque Græcia primo dicta est Ionia. Ita Josephus (2).

A Javan Iones.

THUBAL. — Ab hoc orti et dicti sunt Iberi quasi Ibeli vel Tibeli. Iberi, inquam, tam Asiani juxta Pontum Euxinum, quam Europæi, puta Hispani: sive hi ex illis, sive illi ex his sint oriundi. Ita Mariana, Delrio, Oléaster, Arias. Sic et nonnullas alias gentes ex iis quæ hic recensentur, ex Europa in Asiam, aut contra, translatas esse, sive ad militiam, sive ad coloniam, insinuat *Ezech.*, cap. XXXVIII, ubi Asianis nominibus et populis jungit aliquos ex his, quos hic in Europa collocamus.

A Thubal Iberi.

MOSOCH. — Ab hoc orti et appellati videntur Moscovitæ, licet S. Hieronymus et Josephus a Mosoch ortos putent Cappadoces (3).

THIRAS. — Ab hoc orti sunt Thraces, uti communiter docent Interpretes (4), licet Eugubinus a Thiras putet ortos esse Tyrios.

ASKENEZ. — Ex hoc orti sunt Tuiscones, qui postea a robore et virtute dicti sunt Germani vel Alemanni, quasi plane viri. Unde etiamnum Hebræi Germaniam hebraice vocant Askenez. Ita Oleaster, Delrio et alii. Vers. 3. Ex Askenez Germani.

Verisimile est Askenez habitasse in Asia, juxta Medos (cum Medis enim vocatur ad excidium Babylonis, *Jeremiæ* LI, 27), sed multos ex posteris transisse in Europam, ab eisque ortos esse nostros Ascanios, sive Tuiscones, hoc est Germanos. Ita Torniellus anno mundi 1931, num. 21 (5).

RIPHAT. — Ab hoc ortos Paphlagones putat Josephus (6).

THOGORMA. — Ab hoc orti sunt Turci, qui Turcimanni vel Turgimanni vocantur: unde et Hebræi modo regem Turcarum vocant Togar; licet Josephus a Thogorma natos putet esse Phryges (7).

runt, veluti Ægyptus, מצרים; quod quidem *limites* notare putant, quia hæc terra limitem inter Asiam et Africam facit; *Sidon*, a צוד, *venari, piscari*, ob piscium ubertatem; ערץ, *Damascena regio*, proprie *vallis*, quia Damascus in valle sita erat, etc. Cæterum in ea, quæ sequitur, geographia genealogica non omnes gentes, quæ tunc terram incolebant, sed eæ tantum recensentur, quæ Israelitis, Ægyptiis et forsitan etiam Phœniciis cognitæ erant. Et quidem de populis, qui proxima cognatione Israelitas attingebant, ut de Arabibus Joctanitis, paulo refert copiosius, deinde de coloniis Ægyptiorum et Phœnicum, denique et de Europæ maritimis, quæ Phœnicum navigationibus patefacta erant, nonnulla dicit. De toto hoc cap. copiose et magna cum eruditione disputavit Sam. Bochartus in *Phaleg et Canaan*, sive *Geographia Sacra* (quæ primum Cadomi prodiit 1646), cum qua conjungendum est J. D. Michaelis *Spicilegium Geographiæ exteræ Hebræorum post Bochartum*; atque Forsterus in *Epistolis ad J. D. Michaelis hujus Spicilegium... jam confirmantibus, jam castigantibus.* Quibus adde Volney, *Recherches nouvelles sur l'histoire ancienne*, Part. I, cap. XVIII; » necnon Lenormant, opere supra citato, cap. V, VI et VII; *Die Völkertaffel der Genesis, erläutert vom Feldhoff*, 1837; Schultess, *Das Paradies nebst Commentar über* Gen. X.

(1) Cf. Amédée Thierry, *Histoire des Gaulois*, tom. I, pag. 36 seqq.; tom. II, pag. 33 seqq.

(2) Septuaginta post יון additum legisse videntur ואלישה; vertunt enim καὶ Ἰωὰν καὶ Ἐλισά. Quod egregie cum originibus Græcis, quales ab Herodoto, lib. I, cap. LVI seq. narrantur, convenit. Hic enim dicit, Græcos, qui suis temporibus florebant, ex duobus diversis populis coiisse, Ionibus, Pelasgicæ originis, lingua barbara utentibus, et Doribus, Græce loquentibus, ideoque Ἕλληνες dictis. Si igitur ואלישה genuinum est, utriusque populi in Græcia habitantis mentionem Moses fecerit: יון erunt *Iones*, אלישה *Hellenes*.

(3) Juxta Rosenmullerum et Lenormant, op. cit. p. 305, nominibus *Thubal* et *Mosoch* vix est dubium designari eos populos, qui a Græcis scriptoribus *Moschi* (*Mosinæces* a Xenophonte) et *Tibareni* vocantur, et tam in sacris, quam in exteris monumentis semper tanquam vicini populi junguntur. Obtinebant autem Moschi Cappadociam et montes a Phasi usque ad Pontum Cappadocium, unde illi montes Moschici appellabantur. Excipiebant eos Tibarenicæ gentes, quæ Ciliciæ et Iberiæ partem habitabant, Josepho et Strabone testibus.

(4) *Samech* et ξ permutatis, ut in alphabeto quod Græci a Phœnicibus acceperunt, in quo littera ξ occupat locum litteræ *Samech*. Inde a nonnullis Hebræorum Thracia תראסיה per *Samech* scribitur.

(5) Ex Bocharti sententia, *ibid.* lib. III, cap. IX, *Ascenez* est Phrygia minor et Bithynia, quod in his regionibus fuit olim sinus Ascanius, lacus Ascanius, urbs et regio Ascania, insulæ Ascaniæ, Pontoque Euxino a poetis nonnunquam nomen ἀξείνου datur, quod e voce *Ascenez* depravatum videtur. Hæc sententia, quanquam non satis certis argumentis probata, cæteris verisimilior est.

(6) Nomine *Riphath* quis populus sit intelligendus, difficile dictu est, quum ipsa orthographia nominis dubia est: nam multi *Diphath* cum *daleth* scribunt. Nec Josephus quo indicio sibi Paphlagoniam agnoscere visus sit, dicit. Si *Riphath* genuinum sit, possent cum Clerico et Lenormant *Riphæi* intelligi, quos Pomponius Mela collocat ultra Arimphæos ad septentrionem, et pertinere eos ad orientalem Tanaidis ripam scribit, lib. II, cap. II.

(7) Per *Thogorma* Bochartus *Cappadociam* intelligit; sed melius placet sententia Michaelis, esse *Armenios* intelligendos. Cf. Mosen Chorenensem, *Armeniorum Historia*, lib I, cap. IX.

Vers. 4. 4. ELISA. — Ex hoc Italos esse natos censet Targum Chaldæum; Pererius tamen ex Elisa putat natos esse incolas insularum Fortunatarum, quæ inde Elisiæ sunt dictæ (1).

THARSIS. — Ab hoc orti sunt Tarsenses, et vicini Cilices (2).

CETTIM. — Inde orti sunt Citii, Cyprii et Cretenses (3). Unde Cyprus, Creta, et aliæ insulæ maris Mediterranei in sancta Scriptura vocantur Cethim.

DODANIM. — Multi ab hoc Rhodios deducunt quasi Dodanim sint Rhodanim, et dalet positum sit pro sibi simili littera resch. Alii tamen ab hoc Dodonæos in Epiro derivant (4).

Vers. 5. 5. AB HIS DIVISÆ SUNT INSULÆ GENTIUM — « secundum linguam suam, » ut sequitur; ergo post dispersionem factam in Babel id contigit est prolepsis. Nota : Hebræi omnes regiones, ad quas ex Judæa navibus itur, vocant insulas, sive veræ sint insulæ, sive non, sed terra continens, uti dixi *Jerem.* XXV, 22 (5).

Vers. 6. 6. CHUS. — Ab hoc orti sunt Æthiopes (6), qui hinc se sua lingua vocant Cussios. Ita Septuaginta, S. Hieronymus, Isidorus et alii.

MESRAIM. — Ab hoc habitata et propagata est Ægyptus, quæ inde hebraice vocatur *Mesraim*, et etiamnum ab Arabibus et Turcis vocatur *Mesra*.

Nota : *Psalm.* CV, 22, et *Psalm.* CIV, 27, et *Psalm.* LXXVII, 51, Ægyptus vocatur terra Cham; unde videtur quod Cham, qui fuit filius Noe, et pater Mesraim, primus incoluerit Ægyptum, regnumque Ægypti administraverit, qua de causa Saturnus Ægyptius est appellatus, uti docet Berosius, lib. IV et V, et Diodorus, lib. I. Hinc et nonnulli opinantur Cham esse Hammon, sive Jovem Hammonium. Eædem enim sunt litteræ, eademque est vox *Cham*, sive *Ham*, et *Hammon*. Ita *Theatrum vitæ humanæ* in voce *Ammon*. Vide dicta *Ezechielis* cap. VI, vers. 6. Patri Cham successit filius Mesraim, quem Berosus, et ex eo Annius Viterbiensis, putant fuisse eumdem cum Osiri, qui celeberrimus fuit Ægyptiorum rex et deus, uxoremque habuit Isidem. Favet huic opinationi cognatio vocum Mesraim et Osiris, si ad Hebræam originem deducantur, abjectis litteris servilibus, in priore *mem*, in secunda *aleph* cum *cholem*; tunc enim Mesraim est Osiris. Verum alii aliud etymon dant Osiridis, uti dicam cap. XLI (7).

Cham primus rex Ægypti.

PHUTH. — Ab hoc orti putantur Libyes et Mauritani, apud quos est flumen, quod vocatur *Phuth*, et a Plinio, *Hist. Nat.*, lib. V, cap. I, commemoratur.

CHANAAN. — Ab hoc ortos esse Chananæos clarissimum est.

Vers. 7. 7. SABA. — Duo Saba : primus hic, qui filius fuit Chus; is scribitur hebraice per Samech. Ab eo orti videntur Abyssini, quorum regia Saba dicta est, quæ postea a Cambyse, nomine sororis suæ vocata est Meroe, ex qua venit ad Salomonem regina illa, quæ Saba dicitur. Secundus Saba, filius fuit Regma; hic scribitur hebraice per schin. Ex hoc orti sunt Arabes Sabæi, de quibus dicitur : *Mittunt sua thura Sabæi*. Ita Septuaginta, *Psalm.* LXXII, 20, et S. Hieronymus hic. Duplex Saba.

HEVILA. — Ab hoc orti sunt Getulii in Africa, inquit S. Hieronymus et Josephus. Rursum Hevilæi qui habitarunt in Hevila, juxta sinum Persicum, et juxta Amalecitas, I *Reg.* XV, 7. In hac Hevila habitavit et Ismael, filius Abrahæ, *Gen.* cap. XXV, vers. 18 (8).

Vers. 8. 8. CHUS GENUIT NEMROD, — qui inter omnes filios Chus quasi princeps excelluit (9). Apte voca-

(1) *Elisa* haud dubie est Græcorum *Ellas*. Cf. Michaelis in *Spicileg.* pag. 79; Lenormant, *ibid.* p. 311 seq.

(2) Ita Hartmann, Volney, *Recherches Nouvelles*, tom. I, cap. XVIII, et Lenormant, *ibid.* p. 317. Aliter Rosenmullerus : « תרשיש esse *Hispaniam*, a Tartesso, nobilissimo olim portu et insula, in Baetis ostio, dicta, solidis argumentis probarunt Bochartus in *Phaleg*, lib. III, cap. VII, et Michaelis in *Spicilegio*, Part. I, p. 82. »

(3) Ita Lenormant. כתים Bochartus, *ibid.*, pro nomine *Italiæ* mediæ circa Romam habuit; Michaelis autem Macedoniæ (Cf. I *Mach.* I, 1; VIII, 1) nomen fuisse existimat. Vid. Rosenmullerum ad h. l.

(4) Alii, Galliæ Rhodanensis accolas.

(5) Omnes illi populi, qui antea sunt memorati, Japheto oriundi, illam sibi orbis terrarum partem diviserunt, quæ proprio nomine אִיֵּי הַגּוֹיִם dicitur (ad litteram *habitationes gentium*, sed ex usu proprio geographiæ Hebræorum dicitur de regionibus earum gentium, quæ Hebræis Phœnicibusque barbaræ erant, complectiturque, præter maris Mediterranei insulas, Europam, Asiam minorem, quæ Pontum Euxinum inter et Caspium mare sunt, Mediam et Magogitidem, sive Scythiam veterum Græcorum), in terris eorum, scil. populorum, quilibet juxta linguam suam, id est singuli populi habitatione et lingua diversi, secundum minores gentes, seu colonias, quarum quæque ad majorem aliquem populum referenda.

(6) Tum qui Arabiam primum incoluere, tum qui postea, licet ante Mosis tempora, ex Arabia in Habessiniam trajecerunt.

(7) מִצְרַיִם nomen, an sit origine Hebræum, an Arabicum, an Ægyptium, adhuc dubitatur. Forsterus ex Coptico ΜΕΣΧΗ-ΡΗ vult ortum esse, quod *agrum solis* denotat.

(8) סַבְתָּה haud diversum videtur a *Sabatha*, vel *Sabotha*, Arabiæ urbe, solis cultu celebris, ait Plinius, lib. VI, cap. XXVIII. רַעְמָה vel est *Rhegma*, Arabiæ urbs, ad sinum Persicum sita, quæ in Ptolomæi tabulis invenitur; vel est *Reaman*, Arabiæ Felicis urbs, quam Bartema descripsit, ut magnam mercaturam facientem. סַבְתְּכָא Bochartus *Samydachen*, Caramaniæ urbem, Stephano memoratam, esse autumat. Alii Zingitas vertunt, quorum patria hodie *Zanghebar* dicitur. שְׁבָא Sabæi esse videntur, qui Arabiæ Felicis partem ostio maris Persici et Caramanis proximam habitabant. דְּדָן vix dubium esse *Daden*, urbem ad sinum Persicum sitam, quam in tabula Asiæ d'Anvilliana invenies extra ostium sinus Persici, haud procul ab ipso mari Indico.

(9) « Hic, ut Michaelis notat, non populus aliquis, sed homo unicus, sive filius, sive nepos, Cuscho progenitori tribuitur; isque ita a reliquis, qui vers. præced. nominati erant, a Mose ipso distinguitur, ut jam ex hac filiorum disjunctione suspicari necesse sit, eos, qui antea nominantur, non proprio verbi sensu filios, sed populos esse Cuscho ortos. » Ita Rosenmullerus ad h. l.

Nemrod, id est rebellis, primus rex et tyrannus.

tur hebraice *Nemrod*, id es *rebellis*, quia primus hic fuit tyrannus, qui alios oppressit et sibi servire coegit, fuitque Dei contemptor. Ita S. Hieronymus, Josephus, Alcuinus et alii (1).

IPSE COEPIT ESSE POTENS IN TERRA. — Septuaginta vertunt, *iste erat gigas*, scilicet tum mole corporis, tum robore, tum audacia, tum superbia et crudelitate, inquit S. Augustinus. Videtur ergo Nemrod fuisse primus post diluvium gigas. Rursum fuit ipse potens opibus et usurpatione dominii; cœpit enim tyrannice homines sibi subdere. Primus ergo in orbe princeps et rex fuit Nemrod, isque tyrannus, inquit Abulensis.

Vers. 9.

9. ET ERAT ROBUSTUS VENATOR CORAM DOMINO. — « Venator, » non tam ferarum, ut vult Vatablus, Cajetanus et Aben-Ezra, quam hominum; quia vi et insidiis homines captabat et opprimebat; vel spoliando, vel necando, vel in servitutem adducendo, quomodo Brasilii aliique Indi etiam nunc homines venantur. Ita S. Augustinus, lib. XVI *De Civit.* cap. IV, Lyranus, Abulensis et alii. Venator ergo idem est quod latro et prædo. Sic Aristoteles λησταίαν, id est latrocinium, posuit inter genera venationum, et ex venatione ferarum facile dicitur venatio hominum. Unde Xenophon, lib. I *Pædiæ Cyri*, narrat Cyrum suos Persas aptasse ad bellum, exercendo eos in venatione et cæde animalium; uti et priori sæculo fecit Ismael Sophi, qui regnum Persidis Turcis ademit, et valde propagavit. Est enim venatoria exercitatio quasi bellorum et præliorum progymnasma.

Venator, id est prædo.

CORAM DOMINO. — Septuaginta ἐναντίον Κυρίου, quod S. Augustinus vertit, *contra Dominum*; unde Isidorus, lib. VI *Etymolog.*, tradit, quod Nemrod homines a Deo abductos ad idololatriam coegerit, videlicet ad cultum ignis in Chaldæa, post dispersionem turris Babel. Verum non *contra*, sed *coram Domino* vertendum esse patet ex Hebræo לפני *liphne*, id est *coram Domino*. Jam « coram Domino » idem est, quod revera, et eximie talis; utpote talis judicio Dei, qui falli non potest. Hinc Nemrod in proverbium abiit, ut de insigni tyranno dicatur, quod sit quasi alter Nemrod, venator et prædo. Addit Cajetanus τὸ *coram Domino* addi ad auxesin criminis; crimen enim gravius æstimatur, si commissum sit inspectante prætore.

Insuper alii tres novas afferunt expositiones. *Prima* est, « coram Domino, » quia splendidas victimas, quas venatu ceperat, Domino mactabat ad aras, inquit Aben-Ezra, Kimchi et Hebræi. *Secundo*, « coram Domino, » id est, ut homines ad civilem vitam et monarchiam, Dei nutu et beneplacito introductam, cogeret. *Tertio*, Melchior Canus, lib. II *De Locis*, cap. XV, « coram Domino, » id est sub dio, *q. d.* Nemrod homines quasi bestias per agros palantes, sub dio venabatur, ac sub tecta et in civilem societatem contrahebat. Verum juxta has expositiones, Nemrod fuisset prudens et laudandus princeps; jam autem constat illum fuisse impium et tyrannum, Deique et religionis sanctæ contemptorem.

(1) Solent Orientales non raro viros nobiles nominibus compellere, non iis quæ dum viverent, gesserunt, sed post mortem inditis, unde mirus ille nonnunquam inter nomina et res gestas consensus. Vel sunt *cognomina* iis quidem viventibus indita, quorum tamen solorum, nominibus ipsis oblivioni mandatis, superfuerit apud posteros memoria.

Vers. 10.

10. FUIT AUTEM PRINCIPIUM REGNI EJUS BABYLON. — Hinc notant passim Interpretes Nemrod hunc fuisse, vel antecessorem, et, ut Berosus Annianus ait, patrem Jovis Beli, avum vero Nini, scilicet Saturnum primum; aut potius, ut S. Hieronymus, Augustinus, Eusebius, Pererius et alii censent, Nemrod hunc fuisse ipsummet Belum, qui fuit pater Nini. Nam Nemrod et Beli tyrannis, mores, tempus et regia Babel per omnia conveniunt; uterque fuit primus rex Babylonis, uterque fuit auctor idololatriæ, teste S. Hieronymo, Cyrillo, Pererio et aliis; ac primus Ninus filius jussit patrem Belum quasi Deum publice divinis honoribus coli; atque hinc ex Belo idola apud Hebræos, Syros et Phœnices vocata sunt bel, baal, baalim: bel enim, vel baal, idem est, quod belus. Beli ergo proprium nomen fuit Nemrod, qui appellative et antonomastice dictus est Bel, Baal et Belus, id est Dominus et Dominator: sicut etiamnum Turcæ et Tartari suum regem, Magnum *Cham*, sive Magnum *Dominum* appellant.

Nemrod fuit Belus, pater Nini.

Ex Belo idola dicta sunt bel, baal, baalim.

Hic ergo Belus fuit primus Jupiter, primus et communis Gentium Deus. Hinc et eidem Jovi Belo Semiramis, Nini uxor, templum magnificentissimum extruxit, teste Diodoro, lib. III, cap. IV, in quo erat sepulcrum Beli, magnitudine structuraque mirandum; erat enim stadii altitudine, teste Strabone, lib. XVI. Atque hæc fuit origo idololatriæ, sub annum trecentesimum a diluvio. Licet enim Tertullianus, lib. *De Idololatria*, putet idola fuisse ante diluvium, tamen Cyrillus, lib. I et III *Contra Julianum*, asserit idololatriam nobis notam sumpsisse originem post diluvium a patre regis Nini, quem ipse Arbelum nominat, nos Belum nominamus. Hujus rei indicium quoque est, quod pleraque idola Gentium, præsertim Orientalium, ab hoc Bel, sive Belo denominata sint, ut Beelzebub, Beelphegor, Baalberith, Baalsames. Vide dicta cap. IV, vers. 26.

Nemrod auctor turris Babel.

Nota: Nemrod fuit auctor, inventor et conditor turris et urbis Babel; eam tamen postea restauravit, mireque auxit et ornavit Semiramis, uxor Nini, eaque de causa ab ea conditam esse Babylonem asserunt Herodotus, Diodorus Siculus, Strabo, Mela, S. Hieronymus, Josephus, Justinus et alii.

Nota *secundo*: Cœpit Nemrod, sive Belus in Babel regnare sub annum 170 a diluvio, cum facta est ibidem divisio linguarum et gentium; verum sensim viribus et potentia increscens, factus est rex et quasi monarcha, anno 184 a diluvio, re-

gnavitque 65 annis (tot enim annos Beli regno dant omnes historici), puta usque ad annum 249 a diluvio, quo defunctus est, ac successit ei filius Ninus. Nam anno Nini 43 natus est Abraham, uti omnes tradunt : natus est autem Abraham anno a diluvio 292, ergo 43 annus regni Nini incidit in annum 292 a diluvio; ac consequenter retro ascendendo et computando, primus annus regni Nini incidet in annum 249 a diluvio. Illo ergo 249, regno et vita defunctus est Belus, sive Nemrod, successitque ei filius Ninus.

Abraham natus est anno 43 Nini.

Denique Babylon hodie vocatur Baldag, vel Bagdet; quanquam vetus Babylon proprie non supersit, sed omnino sit diruta, ac loco illi vicino ædificata sit Baldag, quæ hodie exstat, uti docet Ortelius.

ET ARACH — quæ postea vocata est Edessa, urbs in Cœle-Syria, in qua regnavit Abagarus, cui Christus suam imaginem transmisit, teste Eusebio.

Arach est Edessa.

ACHAD. — Hæc est Nisibis, urbs Mesopotamiæ, ad Tigrim fluvium, in qua floruit S. Jacobus Nisibita, de quo Theodoretus.

Achad est Nisibis.

CHALANNE. — Hæc vel est Seleucia, vel certe Ctesiphon, regia Persarum, inquit S. Hieronymus.

TERRA SENNAAR. — Ita vocatur ager Babyloni circumjacens; addit hoc ad distinctionem alterius Babylonis, quæ est in Ægypto, quæque nunc Cayrus dicitur.

Vers. 11. 11. DE TERRA ILLA (Sennaar, puta de Babylone) EGRESSUS EST ASSUR. — Josephus et ex eo S. Augustinus et Hieronymus putant Assur hunc esse secundum filium Sem, de quo vers. 22; illum enim per anticipationem hic interseri, occasione regni Babylonis, cui proxime successit regnum Assyriorum in Ninive, cujus conditor fuit hic Assur; ab hoc enim Assur orti et dicti videntur Assyrii, atque ab eodem condita est urbs, quæ postea restaurata et valde aucta a Nino, dicta est Ninive. Hæc sententia est probabilis.

Quis Assur?

Assur est Ninus.

Verum quia hæc omnia spectant filios, non Sem, sed Cham usque ad vers. 21, ubi primum agit de filiis Sem, hinc verius Pererius, Delrio et alii censent hunc Assur esse Ninum, Beli filium; ab hoc enim conditam et dictam esse Niniven, sive Ninum urbem, omnes veteres consentiunt. Ninus ergo hic dicitur Assur, vel quia binominis erat, vel potius dicitur Assur per anticipationem, quia postea fuit primus rex et monarcha Assyriorum (1).

Vers. 12. 12. HÆC EST CIVITAS MAGNA. — « Hæc, » scilicet non Chale, sed Ninive, quæ primo loco posita est, quasi prima et præcipua; ad hanc enim licet remotiorem, more hebræo redit et respicit (2). Ninive enim tempore Nini maxima fuit urbium orbis, ut nec ante, nec post habuerit parem in hoc orbe; ambitus enim urbis erat 480 stadiorum, id est, sexaginta millium passuum; altitudo murorum erat pedum centum, latitudo tanta, ut tres currus simul incederent; turres habebat 150, singulas altitudinis 200 pedum. Ita ex Diodoro et Strabone Pererius. Postea tempore Jonæ prophetæ tanta fuit, ut vicatim obiri et lustrari, non minus triduo posset. Unde a Jona dicitur civitas itineris trium dierum.

Quanta Ninive?

Vers. 13. 13. LUDIM. — Inde Lydi, non illi quibus imperavit Crœsus, sed alii juxta Ægyptum, de quibus *Isaiæ* XLVI, 9, et *Ezech.* XXX, 5 (3).

LAABIM. — Inde Libyes in Africa.

NEPTHUIM. — Inde Numidæ.

Vers. 14. 14. PHETRUSIM. — Inde Arabes Petræi, quorum metropolis erat urbs Petra (4).

PHILISTIIM. — Hi sunt Philistini, cum quibus Judæis perpetuum fuit bellum : licet enim Abrahæ et Judæis data a Deo tantum sit Chananæa, ut exscinderent Chananæos, posteros Chanaan : tamen Philistini partem Chananææ, expulsis Chananæis, occupaverant, ut patet *Sophon.* II, 5. Sic Hevæos, qui erant Chananæi, terra sua expulerunt Cappadoces, ut dicitur *Deuter.* II, 23; unde jure ab utrisque Hebræi, Chananæam sibi debitam, et a Deo datam bello repetiverunt (5).

(1) את רחבת עיר Vulgatus vertit *plateas civitatis,* scil. Ninives. Sed quid opus dictu, Assurum non solam urbem Niniven, sed ejus quoque plateas condidisse? Nec tamen Michaelis vertendum putat *Rechoboth urbem;* non enim opus erat addi *urbem,* quod per se clarum in reliquis nominibus omnibus tacetur. Suspicatur itaque עיר partem nominis proprii fuisse, et hanc urbem *Rechoboth Ir* dictam esse, ut ab alia urbe Rechoboth דנהר, in Idumæa sita, cujus infra XXXVI, 37, mentio fit, distingueretur. Intelligit autem sub *Rechoboth Ir,* Adiabenem, non procul ab aliquo Lyci fluvii, sive Zabi ponte sitam, Ephremo et Ammiano testibus ductus. כלח videtur esse *Chetro,* sive *Hatra,* nunc vicus, trans Tigrim in regione Maragæ situs.

Sub *Resen,* vers. seq., videtur intelligenda illa urbs, quæ tempore Ephremi, ipso teste, vicus erat nomine Rhesin, in regione Margæ, Niniven inter et Chalach.

(2) De Resena tamen hic agi, censet Rosenmullerus.

(3) Quæ jam sequuntur nomina, non singulorum hominum esse, sed populorum (cf. Lenormant, *ibid.* p. 244) ex Ægypto egressorum, indicio est pluralis numerus, ut Aben-Esra recte monet, a Michaelis p. 254 laudatus. Plerosque autem populos, quorum originem Moses ad Ægyptios retulit, penitus ignoramus, quum nobis interiora Africæ parum sint cognita. Quem geographicæ notitiæ illarum regionum defectum jam suo tempore Josephus intellexit, *Antiq.* lib. I, cap. VI, § 2. Hæc apposite Rosenmullerus. Quanquam τῷ Lenormant Ananim et Nephtaim verisimiliter sunt nomades circa templum Jovis Ammonis et urbem Phthah, id est, Thebarum et Memphis accolæ.

(4) Bocharto *Phetrusim* Thebaidem signat, quæ modo superiori Ægypto accensetur, modo ab ea secernitur. Cf. *Isai.* XI, 11; *Jer.* XLIV, 1, 15. *Chasluim* idem Colchos esse putat.

(5) *De quibus egressi sunt Philistiim et Caphthorim.* Cui sententiæ tamen alia loca (*Deut.* II, 23; *Jerem.* XLVII, 4; *Amos.* IX, 7) videntur obstare, quæ potius testantur a Caphtoræis Philistæos ortos esse. Hæc ita conciliat Bochartus, ut Caluschæos dicat et Caphthoræos in unam gentem coaluisse, cujus colonia fuerint Philistæi. Michaelis verba transposita esse suspicatur, et sic rescribenda : *Et Coluschæos et Caphtoræos, ex quibus,* scil. Caphtoræis, egressi sunt Philistæi. Ipse tamen fatetur,

CAPHTORIM. — Inde Cappadoces. Ita Septuaginta et Noster (1).

Vers. 16. 16. HETHÆUM, JEBUSÆUM, etc. — Nota : Hæc omnia sunt nomina populorum, qui a filiis Chanaan prognati sunt; a patre enim Heth dicti sunt Hethæi; a Jebus, Jebusæi; a Sin, Sinæi, etc. : patet ex Hebræo.

Jebus condidit Jerusalem. Vilalpando parte I *De Urbe et templo*, lib. I, cap. X, censet quod Jebus, vel Jebusæus, filius Chanaan et pronepos Noe, condiderit Jerusalem, quæ ab eo dicta sit Jebus; sicut frater ejus Sidon, teste Josepho, condidit Sidonem; et Amathus Amathem, et Aradius Aradum urbem.

Vers. 17. 17. SINÆUM. — Sinæi hic sunt Sinæ, juxta Japoniam degentes, de quibus ad Christum convertendis prophetavit Isaias, cap. XLIX, vers. 12, in Hebræo, ut ibi dixi. Ita aliqui.

Verum, quia reliqui posteri Chanaan, de quibus hic est sermo, habitarunt non in India, sed in Judæa, vel juxta Judæam : hinc Sinæi hi videntur fuisse incolæ deserti et montis Sina. Alius hic est Sinæus a Cinæo per *C*, uti dicam *Judic.* cap. IV, vers. 17 (2).

Vers. 18. 18. ARADIUM. — Ab hoc viro vel potius populo, conditæ et dictæ sunt urbes Aradus et Antaradus juxta Sidonem, de quibus *Ezech.* XXVII, 8.

SAMARÆUM. — Videntur Samaræi iidem esse cum Pheresæis, et ab eorum parente, non prisco hoc, sed proximo illo, qui vixit tempore Amri regis Israel, dictusque pariter est Scemer, vel Scomer, tam mons quam urbs et regio vocata est Samaria, III *Reg.* XVI, 24.

AMATHÆUM, — incolas Emath urbis, quæ in Scriptura est duplex, scilicet Emath major, quæ est Antiochia; et Emath minor, quæ est Epiphania (3).

21. FRATRE JAPHET MAJORE (4). — Hebræum Vers. 21. הַגָּדוֹל *haggadol* est indeclinabile, unde tam verti potest *majoris* in genitivo, ut vertunt Septuaginta, quam *majore* in ablativo. Hebræi, Lyranus et Tostatus vertunt *majoris*, referuntque ad Japhet : unde putant Japhet fuisse primogenitum Noe, secundum Cham, tertium et ultimum Sem. Verum verius est vertendum esse *majore*; ita enim vertit Noster, Pagninus, Vatablus, Cajetanus et alii : hæc enim omnia spectant ad laudem, non Japhet, sed Sem; nam alibi, ut cap. IX, vers. 24, inter filios Noe primus ponitur Sem, secundus Cham, tertius Japhet.

Dices : Noe cœpit generare hos tres filios anno 500 vitæ suæ, ut habetur capite V, in fine : ergo anno hoc 500 genuit Japhet, anno 501 genuit Cham, anno vero 502 genuit Sem; nam *Genes.* X, 11, dicitur quod Sem biennio post diluvium (quod factum est anno 600 Noe) fuerit centum annorum : natus est ergo Sem anno 502 Noe, et consequenter anno 500 Noe natus est Japhet, fuitque primogenitus Noe.

Respondeo : Scriptura sæpe tantum integros numeros exprimit, parvos vero et minutos subticet. Sic hic quod dicitur cap. V, vers. 32, Noe cœpisse generare anno 500, intellige præcise non 500, sed 502. Vel certe quod dicitur cap. XI, Sem biennio post diluvium, cum genuit Arphaxad, 100 fuisse annorum, intellige præcise non 100, sed 102; binarium enim, utpote minutum, in

valde antiquum errorem esse, « si modo, inquit, errorem vocare ausim, qui et textum Samaritanum, et omnes versiones invasit. » Sunt autem Philistæi, qui toti apud exteros Palæstinæ nomen dederunt, non aborigines in illa, sed advenæ, id quod et ipsum nomen indicat. Est enim פְּלִשְׁתִּי nomen gentilitium a פְּלֶשֶׁת regionis ab illis possessæ nomine, deductum. Nominis vero פְּלֶשֶׁת radix est Æthiopicum פָּלַשׁ quod *migravit, emigravit* denotat. Philistæos ortu *Cretenses* esse existimavit Calmetus, in Dissertatione Commentariis in I lib. *Reg.* præmissa. Sed crudite ejus sententiam refutavit Michaelis in *Spicil.* p. 281 seqq. כַּפְתֹר Bocharto et omnibus pene antiquioribus interpretibus est *Cappadocia*, Calmeto *Creta*. Michaeli has sententias examinanti *Cyprus* esse videtur, quæ sententia omnium verisimillima est. Cf. Rosenmullerum ad h. l.

De Philistæorum Semitica lingua Cf. Lenormant, *ibid.*, p. 248 seqq.

(1) Vers. 4. Juxta multos Sidon hic non est nomen viri, sed urbis a primogenito Chanaanis conditæ. *Sidon* enim urbs nomen habet a piscium ubertate, aut a piscando, a verbo צוּד *venari, piscari*. Chettæorum sedes videtur fuisse circa Hebronem.

(2) Populi vers. 17 commemorati urbes in Libano, aut in vallibus huic monti subjectis, sitas habitabant. Cf. Lenormant, *ibid.*, p. 270-2.

(3) *Arvadæi* Aradam insulam occupaverunt in ora Phœnices ad os Eleutheri fluminis sitam : cui e regione in continenti Antaradus. צְמָרִי videtur esse urbs Simyra, haud procul ob Eleutherio sita, quæ Samaræos habuit conditores. Extat etiamnum urbs *Hamath*, in Syria ad Orontem sita, Græcis *Epiphania* dicta. Abulfeda, ipse princeps Hamathæ, dicit in sua *Syriæ Descriptione*, p. 108 : « Hamath est urbs antiqua memorata in scriptis Israelitarum. »

Vers. 19 describuntur fines terræ a Cananæis occupatæ. Septentrionalem terminum constituit Sidon, australem ab occidente Gerara et Gaza, australem ab oriente Sodoma, Gomorrha, Adama, Zebojim et Lasa.

(4) *Ipsi quoque Semo*, quemadmodum et cæteris (ne quis putaret, quia numerosissima Chami soboles posita fuerat, ideo institutum esse scriptori, Semum omittere), *nata est proles* satis copiosa, nam 27 habet posteros. *Patri omnium Hebræorum.* Quemadmodum ad infamandum Chamum supra eum vocaverat *patrem Canaanis*, a Noa maledicti, ita Semum nunc dicit patrem omnium filiorum Heber, sive Hebræorum, ad eum nobilitandum. Juxta multos עֵבֶר pro nomine appellativo, *transitum*, et *quod trans* fluvium aliquem est, τὸν πέραν significante, habendum, ut בְּנֵי עֵבֶר, scil. הַנָּהָר הַפְּרָת sint *incolæ regionis* transeuphratensis. Ad Semum commendandum et hoc pertinet, quod eum hac insignit nota, *fratri Japheti, natu majori*. Noluit enim Hebræorum progenitorem dicere fratrem Chami improbi, licet prole abundantis, sed Japheti, boni et probi. Cur vero hoc loco additum sit, fuisse Semum Japheti fratrem *natu majorem*, ejus rei ratio hæc reddi potest, quod, quum hoc capite Noachi filii ordine inverso recenseantur, ut facilior esset a Semi prole ad Abrahami historiam transitus, ne hoc ordine Semi juri derogetur, repetere Nostro necessarium visum esset, quod jam antea aliquoties monuerat, Semum filium Noachi natu maximum fuisse.

tanto numero non curat, sed silet Scriptura.

Vers. 22. 22. FILII SEM : ÆLAM. — Unde Ælamitæ, id est Persæ: sic ab Assur Assyrii, a Lud Lydi, quorum rex fuit Crœsus; ab Arphaxad Chaldæi descenderunt, inquit S. Hieronymus (1).

ARAM. — Inde Aramæi, id est Syri. Nota, in Scripturis Syriam late patere, et comprehendere Armeniam, quin et Mesopotamiam, quæ dicitur *Aram naharahim*, id est Syria duorum fluviorum, quia interjacet inter Tigrim et Euphratem, uti fusius dicam cap. XXV, vers. 20 (2).

Vers. 24. 24. HEBER. — A quo orti et dicti sunt Hebræi, qui primigeniam paradisi linguam, Hebræam scilicet, cum vero Dei cultu soli retinuerunt in divisione gentium et linguarum in Babel, quanquam et alia sit origo vocis *Hebræus*, ut dicam cap. XIV, vers. 13.

Heber unde vocatus. Putant aliqui Heber natum esse eo tempore, quo Arphaxad avus discedens ex Armenia trajecit fluvium Tigrim, et primo omnium consedit in Chaldæa, ac propterea infantem tunc natum appellasse Heber, id est *transiens*, scilicet Tigrim. Cui opinioni favet id quod docet S. Hieronymus et Josephus, lib. I *Antiq.*, cap. VII, scilicet, ab Arphaxad prodiise Chaldæos (3).

Vers. 25. 25. PHALEG, EO QUOD IN DIEBUS EJUS DIVISA SIT TERRA. — *Phaleg* enim hebraice idem est quod divisio : hæc divisio et dispersio contigit in Babel, de qua cap. XI.

Quando contigit divisio linguarum in Babel? Quæres, an hæc divisio linguarum et gentium contigerit in ortu, an in medio, an in fine vitæ Phaleg? S. Augustinus, lib. XVI *De Civit.* cap. XI, et Pererius censent eam in ortu Phaleg contigisse : inde enim puer nominatus est Phaleg.

Secundo et melius Hebræi, S. Hieronymus, Chrysostomus, Tostatus et Lyranus censent eam contigisse, non in ortu, sed durante vita Phaleg : pater enim ejus Heber, vir sanctus, vaticinans filio nascenti nomen Phaleg imposuit ab eventu, non præsenti, sed futuro, quem in spiritu prævidebat.

Contigit sub annum 170 a diluvio. Itaque dico verius videri, sub annum 170 a diluvio, cum jam Phaleg esset 70 annorum (natus est enim anno 101 a diluvio, ut patet cap. XI, vers. 15 et 16), factam esse hanc divisionem. Probatur *primo*, quia sub hunc annum 170, in Babel facta hac divisione, regnare cœpit Nemrod, ut dixi vers. 10; *secundo*, quia Scriptura hic non ait, in ortu, sed in diebus Phaleg divisam esse terram; *tertio*, quia anno 101 a diluvio, cum natus esset Phaleg, non videntur homines ita propagati fuisse, ut possent dividi in 70 gentes et linguas; erat enim tunc secunda tantum, aut ut summum tertia generatio a diluvio. Adde, quod magis urget : Heber genuit anno 34 ætatis suæ Phaleg, et post eum, ut videtur, genuit Jectan. Jectan autem plures habuit filios, uti hic dicitur, qui scilicet in dispersione Babel jam grandævi, in suam quisque regionem, gentem et linguam, æque ut alii, qui hic nominantur, dispersi sunt, ut patet vers. 31. Ergo non in ortu Phaleg, sed eo jam grandævo (utpote cujus junior frater Jectan tot tamque grandævos jam haberet filios), divisa est terra. Ita Diodorus, Lipomanus et alii. Prob. 4 argumentis.

Respondet S. Augustinus Jectan, non juniorem, sed seniorem fuisse Phaleg. Verum hoc parum videtur probabile : nam prior hic nominatur Phaleg, quam Jectan; sed esto sit verum, exiguo tempore ante Phaleg nasci debuit Jectan : nam Phaleg natus est anno Heber patris 34; sit ergo Jectan natus anno 30 aut 25 Heber, sic fuerit ut summum novem annis senior Phaleg; itaque non potuit Jectan in ortu Phaleg habere filios tot et tantos.

Hinc sequitur falsum esse quod tradunt Hebræi in *Seder Olam*, scilicet hanc divisionem linguarum et gentium factam esse in fine vitæ Phaleg, puta sub annum 340 a diluvio, 10 nimirum annis ante mortem Noe; nam hoc anno 340 jam natus erat Abraham, eratque 48 annorum : jam vero ante Abraham, Ninus contra Zoroastrem plurimis contractis gentibus dimicarat, uti dixi sub finem cap. præcedentis : erant ergo tum gentes jam pridem ante divisæ et dispersæ (4).

Vers. 29. 29. OPHIR, HEVILA. — Inde Indi et variæ Indorum gentes. Ita S. Hieronymus et Arias, qui ad Jobab pariter refert novi orbis partem illam, quæ dicitur Parias. Reliquorum qui hic nominantur, propagines incognitæ sunt (5).

(1) Primum ii tantum, qui regionem circa Niniven, Græcis Adiabenem dictam, incolebant, Assyrii dicebantur; deinde autem Assyriorum nomen latius patebat, et *Syros* etiam comprehendebat.

(2) Vers. 23 עוץ esse Arabiæ Desertæ partem septemtionalem, Euphrati et Mesopotamiæ contiguam, probabile est. חול Hieronymo et Josepho est Armeniæ pars; Michaeli vero hanc vocem cum Aramæo חילא, *vallis*, conferenti, verisimilius videtur, Cœle-Syriam illo nomine intelligi. Nominis גתר ne vestigium quidem apud exteros reperire potuit Bochartus. Nomine מש satis verisimiliter conjicit idem intelligendos esse *montis Masii*, qui Nesibi urbi a septentrione imminet, incolas.

(3) *Sale* tum veterum nonnullis, tum Bocharto, Susianorum conditor creditur.

(4) *Jectanem* ejusque posteros Arabiæ Felicis partem, hodie dictam ab indigenis *Iemen*, id est, regionem ad dextram seu austrum sitam, occupasse, Bochartus ostendit. Hodiernum Jectanis nomen superest in regione quadam Arabiæ *Kachtan* dicta; quo ipso nomine Arabes Jectanem appellant, cujus posteros sese esse dicunt. Vid. Niebuhr. *Beschreibung von Arabien*, pag. 275.

De nominibus vers. 26 commemoratis, vix aliquid constat, nisi quod iis indicentur Arabiæ populi.

Vers. 27. *Aduram* Bochartus putat fuisse *Drimatos* Plinii, *Hist. Natur.* lib. VI, cap. XX, ad fretum sinus Persici. *Uzal* vetus est nomen urbis hodie ab Arabibus dictæ *Sanaa*, in Arabia Felice. *Decla*, qua in Arabiæ parte sedem habuerit, definiri haud potest.

Vers. 28. De *Ebal* et *Abimael* nil certi constat. *Saba* esse Sabæos, celebrem olim Felicis Arabiæ populum, cui metropolis Mariba, demonstravit Bochartus.

(5) *Ophir* vix dubium est esse nomen alicujus regionis Arabiæ orientalis, sive australis, ad mare sitæ. Cf. I *Reg.*

Vers. 31. Error Philastrii.

31. ISTI SUNT FILII SEM SECUNDUM COGNATIONES ET LINGUAS. — Hinc Philastrius, lib. *De Hæresibus* cap. CVI, firmiter credendum esse docet, quod ante turrim Babel variæ fuerint linguæ, sed quas homines omnes tunc intellexerint; in dispersione vero Babylonica, in quoque patrefamilias unam tantum mansisse linguam, a lingua alterius cujuslibet patrisfamilias diversam. Huc accedit Nicolaus de Cusa, qui in *Compendio*, cap. III, ait, « adeo fuisse copiosam primam dicendi artem ex multis synonymis, ut omnes, quæ sunt postea divisæ linguæ, continerentur in ipsa, ipseque Adam, si quis illis loqueretur, omnes intelligeret, cum omnia vocabula imposuerit, et multis peritia linguarum subito concessa sit. »

Verum hoc falsum esse patet cap. seq., ubi ante hanc dispersionem terra dicitur fuisse labii unius et linguæ. Est ergo hic prolepsis, sive anticipatio; linguæ enim hic vocantur non quæ jam erant, sed quæ paulo post erant futuræ in Babel. Ita S. Augustinus, Rupertus et alii.

Vers. 32.

32. AB HIS DIVISÆ SUNT GENTES. — Communiter SS. Augustinus, Hieronymus, Prosper, Epiphanius numerant 72 gentes et linguas, in quas divisi sunt homines in dispersione Babel : tot enim personæ, puta septuaginta duæ, hoc capite nominatæ et enumeratæ reperiuntur, nimirum 14 ex filiis Japhet, 31 ex filiis Cham, 27 ex filiis Sem. Addunt enim ipsi Cainan, quem addunt Septuaginta. Verum cap. seq. ostendam demendum esse Cainan. Rursum demenda sunt hic nomina patrum : nec enim patres diversam a filiis fecere familiam aut gentem : iis ergo demptis, restant 55 filii, a quibus singulis singulæ gentes ortæ sunt, cum in dispersione Babel singulæ propriam linguam vel idioma sortitæ sunt; qua de re vide fuse Pererium, lib. XV et XVI.

Quinquaginta quinque linguæ et gentes divisæ sunt in Babel.

Ex dictis sequitur gentes has toto orbe, ac consequenter tam per inferius, quam per superius hemisphærium esse dispersas. Unde sequitur alias aliis esse antipodes, et adversis vestigiis insistere et ingredi. Antipodes esse negavit Plinius, lib. II, cap. LXVII, Cicero, Mela, et Nazianzenus, epist. 71 *ad Posthumianum*, et Augustinus lib. XVI *De Civitate* IX. Ratio eos movens erat, Oceani inter hunc orbem et novum interjecti immensitas, quæ eis videbatur esse impermeabilis; ut ex hoc orbe ad novum transire non potuerint homines. Sed ad hanc rationem respondi cap. VIII, vers. 17. Jam enim ex navigationibus Hispanorum constat Americam ab hominibus incoli, eosque nobis esse antipodes.

Antipodes sunt.

Rursum hinc colligitur gentes has dispersas esse per omnia mundi climata, atque habitare non tantum intra Tropicos, sed etiam extra eos, ac pene sub polis, insuper sub Æquinoctiali, sub quo veteres olim posuerunt Zonam torridam, quam ob æstum censuerunt esse inhabitabilem. Sed ex iisdem Hispanorum navigationibus constat Zonam torridam ab hominibus incoli, esseque temperatam, idque tum multitudine imbrium, tum dierum æstivorum brevitate, tum Oceani vicinia, tum ventis perpetuis, quibus perflatur, tum aliis divinæ providentiæ modis et remediis, uti docet oculatus testis Josephus Acosta, lib. II *De Novo orbe*, cap. VIII et sequent. Sic enim Deus implet decretum suum, quo sanxit cap. I, vers. 28 : « Replete terram. »

Zona torrida est habitabilis.

cap. IX, vers. 28; cap. X, vers. 22. *Hevila* videtur ea esse Arabiæ Felicis regio quæ hodie *Chaulan* dicitur, quam Niebuhr, *Beschreibung von Arabien*, pag. 280, dicit, « paucis milliaribus a Sanaa abesse. » *Jobab* Jobabitas Ptolomæi designare videtur, quorum metropolim *Nagaram* esse dicit. Ergo *Nagran*, urbs celeberrima, regni Homeritarum sæpe sedes, nunc provinciæ Hamdam primaria, metropolis olim Jobabitarum fuit, ut Michaelis ostendit.

Vers. 30. *Messa* Michaeli est *Mesene* antiquorum, ad ostia Tigridis et Euphratis sita, quia Syri totam ad Euphratem Tigrimque regionem infra Seleuciam, usque ad sinum Persicum, *Maischan*, aut nomine pleniore *Euphratem Maischanæ*, quin et Bassoram eodem nomine vocant. Et hanc regionem Jectanitæ habitasse videntur, ut Michaelis pluribus ostendit. *Sephar* Michaeli ea regio videtur, quæ Arabibus *Thahama* vocatur, id est, littoralia et declivia Arabiæ ad mare Erythræum.

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, extruitur turris Babel. Secundo, vers. 7, linguæ dividuntur, et gentes disperguntur. Tertio, vers. 10 texitur genealogia Sem usque ad Abraham, qui ex Ur Chaldæorum migrat in Haran et Chanaan.

1. Erat autem terra labii unius, et sermonum eorumdem. 2. Cumque proficiscerentur de Oriente, invenerunt campum in terra Sennaar, et habitaverunt in eo. 3. Dixitque alter ad proximum suum : Venite, faciamus lateres, et coquamus eos igni. Habueruntque lateres pro saxis, et bitumen pro cæmento. 4. Et dixerunt : Venite, faciamus nobis civitatem et turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum : et celebremus nomen nostrum, antequam dividamur in universas terras. 5. Descendit autem Dominus ut videret civitatem et tur-

rim, quam ædificabant filii Adam, 6. et dixit : Ecce, unus est populus, et unum labium omnibus : cœperuntque hoc facere, nec desistent a cogitationibus suis, donec eas opere compleant. 7. Venite igitur, descendamus, et confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui. 8. Atque ita divisit eos Dominus ex illo loco in universas terras, et cessarunt ædificare civitatem. 9. Et idcirco vocatum est nomen ejus Babel, quia ibi confusum est labium universæ terræ : et inde dispersit eos Dominus super faciem cunctarum regionum. 10. Hæ sunt generationes Sem : Sem erat centum annorum, quando genuit Arphaxad biennio post diluvium. 11. Vixitque Sem, postquam genuit Arphaxad, quingentis annis : et genuit filios et filias. 12. Porro Arphaxad vixit triginta quinque annis, et genuit Sale. 13. Vixitque Arphaxad, postquam genuit Sale, trecentis tribus annis : et genuit filios et filias. 14. Sale quoque vixit triginta annis, et genuit Heber. 15. Vixitque Sale, postquam genuit Heber, quadringentis tribus annis : et genuit filios et filias. 16. Vixit autem Heber triginta quatuor annis, et genuit Phaleg. 17. Et vixit Heber, postquam genuit Phaleg, quadringentis triginta annis : et genuit filios et filias. 18. Vixit quoque Phaleg triginta annis, et genuit Reu. 19. Vixitque Phaleg, postquam genuit Reu, ducentis novem annis : et genuit filios et filias. 20. Vixit autem Reu triginta duobus annis, et genuit Sarug. 21. Vixit quoque Reu, postquam genuit Sarug, ducentis septem annis : et genuit filios et filias. 22. Vixit vero Sarug triginta annis, et genuit Nachor. 23. Vixitque Sarug, postquam genuit Nachor, ducentis annis : et genuit filios et filias. 24. Vixit autem Nachor viginti novem annis, et genuit Thare. 25. Vixitque Nachor, postquam genuit Thare, centum decem et novem annis : et genuit filios et filias. 26. Vixitque Thare septuaginta annis, et genuit Abram, et Nachor, et Aran. 27. Hæ sunt autem generationes Thare : Thare genuit Abram, Nachor, et Aran. Porro Aran genuit Lot. 28. Mortuusque est Aran ante Thare patrem suum, in terra nativitatis suæ in Ur Chaldæorum. 29. Duxerunt autem Abram et Nachor uxores : nomen uxoris Abram, Sarai : et nomen uxoris Nachor, Melcha, filia Aran, patris Melchæ, et patris Jeschæ. 30. Erat autem Sarai sterilis, nec habebat liberos. 31. Tulit itaque Thare Abram filium suum, et Lot filium Aran, filium filii sui, et Sarai nurum suam, uxorem Abram filii sui, et eduxit eos de Ur Chaldæorum, ut irent in terram Chanaan ; veneruntque usque Haran, et habitaverunt ibi. 32. Et facti sunt dies Thare ducentorum quinque annorum, et mortuus est in Haran.

Vers. 1. 1. ERAT AUTEM TERRA LABII UNIUS, — loquelæ unius, scilicet Hebraicæ ; est metonymia. Hebræam enim primam et communem omnium hominum, tam ante diluvium, quam post usque ad fabricam turris Babel, fuisse loquelam et linguam, patet ex etymis et significatione nominum Adam, Evæ, Cain, Seth, Babel, Phaleg, Abraham, Isaac, Jacob et aliorum, quæ tradit ipsa Scriptura in *Genesi* : horum enim nominum origo et significatio, non ex alia quam Hebræa lingua peti potest. Estque hæc sententia S. Augustini, lib. XVI *De Civitate Dei*, cap. XI Origenis, Chrysostomi, Diodori, Hieronymi et cæterorum, præter unum Theodoretum, qui falso putat primam linguam fuisse suam Syriacam (fuit enim Theodoretus Syrus, utpote natus Antiochiæ in Syria, et Cyri in Syria postea Episcopus) ; Hebræam vero postea cœpisse, ac primo Moysi a Deo esse traditam : constat enim peritis, Syriacam dialectum esse linguæ Hebrææ ex ejusque corruptione prognatam : sicut Gallica, et Italica, et Hispana a Latina corrupta descendunt (1).

Prima mundi lingua fuit Hebræa.

Goropius Becanus vult primam mundi linguam fuisse Cimbricam, sive Flandricam, ab eaque omnia nomina S. Scripturæ, puta Adæ, Evæ, Cain, Mathusalem, etc., deducit. *Adam*, inquit, dicitur, quasi *had dam*, id est odium aggeris. Adam ergo idem est, quod agger invidiæ fluctibus objectus. *Eva*, dicitur quasi *eu vat*, id est, sæculi vas, quia in Eva principium omnium sæculorum

(1) Hebræam linguam fuisse hominum primam verius negant hodiernorum plerique. Cf. Molitor, *Philosophie der Geschichte, oder Uber die Tradition;* Wiseman, *Discours sur les rapports entre la science et la religion révélée;* Disc. 1, etc. Vitringæ sententiam, *labium unum* et *sermones eosdem* significare animorum et consiliorum unitatem ac consensum, et contra *confusionem labii*, dissensionem animorum, pluribus refutavit Perizonius in *Originibus Babylonicis*, pag. 152 seqq. Cf. Meignan, *ibid.* pag. 147.

fuit conceptum. *Abel* dicitur quasi *hat belg*, id est, odium belli, scilicet a Caino fratre sibi illati. *Cain* dicitur quasi *kaet ende*, id est, malus finis. *Mathusalem* dicitur *mact u salich*, id est, salva te, scilicet ab instante diluvio. *Henoch* dicitur quasi *eet noch*, id est juramentum (Dei cum hominibus) adhuc, scilicet perdurat, etc. Verum hæc non respondent etymis quæ dat Scriptura; illa enim prorsus alium sensum aliamque originem ingerunt. Quare in hisce etymis tam operose ex lingua Belgica accersendis, Goropius non aliud, quam ingenii sui acumen ostendit, quod utinam rebus solidioribus et utilioribus applicuisset. Unde vir doctus de hoc opere censuit illud ingenii duntaxat esse lúdum lusumque.

Vers. 2. 2. CUMQUE PROFICISCERENTUR DE ORIENTE, — de Armenia quæ Babyloni est orientalis, ubi cessante diluvio arca quieverat: ibi ergo mox a diluvio mansisse videtur Noe cum suis. Ita Epiphanius, initio lib. *De Hæresib.*, Pererius et alii (1). Noe secuti sunt ejus nepotes et posteri : idque notat Josephus et Plato, lib. III *De Legib.*, metu diluvii habitantes primum in montibus, inde sensim metu abeunte, in valles et campos descendere.

INVENERUNT CAMPUM IN TERRA SENNAAR. — Nota : Omnes (licet id neget Cajetanus) qui tunc erant homines, ex Armenia egressi videntur in Sennaar, id est, in Babylonem, spe majoris et melioris soli, et ob situm ejus commodiorem, utpote ex qua facilius se quaquaversum dispergere possent, ut circumquaque sibi invicem essent et manerent contigui et vicini. Unde Abulensis recte opinatur Noe, qui tum adhuc vivebat, interfuisse ædificationi turris Babel, ac forte eam adjuvisse; aliqui enim bono, alii, et longe plures, malo fine eam ædificabant : omnes enim homines tunc erant in Babel; unde et omnium ibi confusæ et divisæ sunt linguæ : ita quoque sentit Pererius, Delrio et alii.

Noe interfuit fabricæ Babel.

Sennaar, id est excussio dentium, puta linguarum.

Nota : Hic locus non tunc, sed postea ab incolis dictus est Sennaar, uti et Babel, ab eventu. Sennaar enim hebraice idem est, quod excussio dentium; quia dentati, id est superbi, homines ædificantes Babel, ibi suis dentibus, id est sua lingua; privati sunt, ait Rupertus et S. Gregorius scribens in *Psal.* IV *pœnitent.*, ad vers. penult. : « Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion ; » qui et tropologiam addit : « In Sennaar, ait, habitant dentati, qui detractionum morsibus proximos lacerant : horum dentes excutit Deus, cum illorum facta simul et verba confundit. De eo quippe scriptum est : Dentes peccatorum contrivisti; et iterum : Dominus conteret dentes eorum in ore ipsorum. »

(1) Cum Armeniæ montes in quibus hæsit arca, sint magis ad Aquilonem, quam ad Orientem Babyloniæ, Bochartus conjecit, מקדם more apud Assyrios recepto dici, quippe qui partes imperii sui, quæ trans Tigrim erant sitæ, *Orientales*, eas autem quæ cis hunc fluvium, *Occidentales* vocabant.

3. HABUERUNTQUE LATERES PRO SAXIS. — Quia, ut tradit Theodoretus, in Babylone magna erat saxorum inopia. Addunt aliqui id eos fecisse metu diluvii ignis, quo intellexerant rursum conflagraturum quandoque esse mundum : lateres enim, cum decocti sunt, validissime resistunt igni; lapides vero igni solvuntur in calcem. Si hoc cogitarunt, insipienter cogitarunt; nam uti nihil diluvio aquæ, ita nihil diluvio ignis in fine mundi, quod longe potentius erit, resistere poterit. Vers. 3.

4. TURRIM, CUJUS CULMEN PERTINGAT AD COELUM. — Turrim quæ sit altissima : est hyperbole. De altitudine hujus turris mira habet S. Hieronymus in cap. XIV *Isaiæ*, scilicet eam habuisse altitudinem quatuor millium passuum, quæ efficiunt milliare magnum, sive Germanicum. Addit Josephus, Nemrodianos cogitasse hanc turrim ædificare ea altitudine, ad quam diluvium, si rediret, ascendere non posset. Vide stultitiam hominum. Manserunt reliquiæ hujus turris, usque ad tempora S. Hieronymi et Theodoreti, ut ipsi fatentur (2). Vers. 4. Turris Babel alta unum milliare.

Nota, turrim hanc fuisse in ipsa urbe Babel, uti indicant Hebræa versu 9 : licet alii putent eam fuisse non in Babel, sed in vicina urbe Chalanne.

Secundo, auctor hujus fabricæ non fuit Noe, qui adhuc vivebat, sed Nemrod. Ita Josephus, Augustinus et alii.

CELEBREMUS NOMEN NOSTRUM. — Abulensis hos fabricatores Babel excusat a peccato, non solum mortali, sed etiam veniali, *primo*, quod turrim hanc tantum ædificarint ut esset specula, tam activa, quam passiva, ut scilicet eminus conspici posset ab omnibus circumcirca habitantibus, ut statis temporibus singuli in Babel, de rebus tum privatis, tum publicis et communibus acturi, redire et convenire possent : qua de causa etiamnum fiunt turres; *secundo*, esto voluerint celebrare nomen suum hac turri, hoc non erat malum; nam licet quærere famam et gloriam, dummodo res ex qua quæritur gloria, non sit mala, sed bona, nec detrahat honori divino. Adde, inter hos fabros erat Noe vir sanctus, princeps et pater omnium, qui non permisisset hanc turrim ædificari ad malum finem : ita Abulensis. An peccarint fabri turris Babel? Excusat eos Abul.

Verum melius S. Augustinus, Chrysostomus, Josephus et alii passim censent hos fabros peccasse vanitate et superbia; quid enim aliud significat tam alta et insana in cœlum usque turris Peccarunt vanitate et superbia.

(2) Imo recens repertæ iterum sunt hujus turris reliquiæ. Nam vestigia vetustissimæ ædis, *Birs-Nimroud* dictæ, ex inscriptione *cuneiformi* ibid. inventa, liquet, nihil aliud fuisse, nisi arcem a Nabuchodonosor erectam eo in loco, ut ipsa fert inscriptio, iisdemque fundamentis, quibus turris loquelæ confusionis antea exstruebatur. Vid. hanc inscriptionem eruditissime a D. Oppert interpretatam in *Journal Asiatique*, mensibus februar., mart. et seqq. ann. 1857, hoc titulo, *Inscription de Borsippa*.

structura? *Secundo,* cum aiunt : « Celebremus nomen nostrum, » quid aliud indicant, quam finem et scopum sui conatus et laboris improbi, esse ambitiosam cupidinem nominis æternandi? *Tertio,* Deo ingratum et exosum fuisse hoc opus, patet ex eo quod illud ipse impediverit, et ædificantes mulctarit dissonantia et diversitate linguarum, ut se invicem amplius intelligere non possent. Addit *quarto* S. Augustinus, lib. XVI *De Civit.* cap. IV, Nemrod ædificasse Babel, ut esset arx suæ tyrannidis et impietatis. Unde ex hac fabrica natam esse fabulam gigantum, bellum cœlo inferentium, de qua dixi cap. VI, vers. 4, docet Alcimus Avitus, et indicat Sibylla lib. III. Noe huic fabricæ interfuit, non præfuit, quia eam impedire non potuit : prævaluit enim Nemrod cum suis; si eam adjuvit Noe, bono fine, et ad gravius malum vitandum, eam adjuvit (1).

Ubi tamen adverte Deum permisisse hoc peccatum, et hanc turris fabricam ad tempus, et ad certam altitudinem, quia hac occasione intendebat ingens efficere bonum, scilicet dispergere homines per omnes provincias, ut totus orbis repleretur et coleretur ab hominibus, quod magnum fuit totius orbis ornamentum, æque ac commodum (2).

Moraliter S. Chrysostomus hic *hom.* 30, hisce fabris Babel similes dicit esse eos, qui splendidas domos, lavacra, porticus ædificant hoc fine, ut in iis æternent nomen suum. Additque : « Quod si omnino æternam memoriam amas, ego tibi viam monstrabo, nimirum, si has pecunias in manus inopum dispenses, relictis lapidibus et splendidis ædificiis, villis et balneis. Hæc memoria immortalis, hæc memoria innumeros tibi thesauros parit, hæc memoria a sarcina peccatorum alleviat, hæc multam tibi fiduciam apud Deum conciliat. » Probat id ex *Psal.* CXI : « Dispersit, dedit pauperibus, justitia (id est eleemosyna) ejus manet in sæculum sæculi. Vidisti memoriam quæ se in omne sæculum extendit? »

ANTEQUAM DIVIDAMUR.—Ita et Septuaginta. Unde quod Hebraice est פֶּן נָפוּץ *pen naphuts,* « ne forte dispergamur, » subaudi, nondum ullo memoriæ nominis et gloriæ nostræ relicto monumento. Sciebant enim se propediem dispergendos, præveniunt ergo et accelerant hoc sui monumentum, et hanc fabricam, ne ab ea morte, vel dispersione præventi, impediantur.

5. DESCENDIT AUTEM DOMINUS. — Non locum mutando (est enim ubique), sed cominus inspiciendo, impediendo et vindicando, inquit Cajetanus. Loquitur enim Scriptura de Deo anthropopathωs, *q. d.* Deus exacte, serio, lente et mature inspexit et consideravit hanc turrim, atque superbiam hanc hominum ædificantium insanam et intolerandam, ut eam impediret et puniret, perinde ac si e cœlo in terram Sennaar descendisset, uti faceret homo, vel angelus judex. Ita S. Augustinus. Vers. 5. Quid significet Dei descensus?

Unde recte notat ex Philone et S. Chrysostomo Delrio, quod S. Scriptura quando vult indicare Deum lento gradu procedere ad judicium et vindictam, dicat illum descendere, id est accedere ad nos, ut rem totam clarius cognoscat, et postea mature noxios puniat. Sic descendit in Sodomam, *Genes.* XVIII, 21, et in Judæam, *Micheæ* I, 3.

QUAM ÆDIFICABANT FILII ADAM, — qui ab adama, id est terra, orti, cum sint terrigenæ, nunc superbe in cœlum sua fabrica conscendere moliuntur.

6. LABIUM.—Loquela et lingua, uti dixi vers. 1. Vers. 6.

7. VENITE IGITUR, DESCENDAMUS, ET CONFUNDAMUS IBI LINGUAM EORUM. — Sunt hæc verba Dei, quasi consultantis, et insanam hominum machinationem et superbiam detestantis. Putant aliqui Deum hic loqui angelis; angelos enim adjuvisse hanc linguarum confusionem. Ita S. Augustinus, lib. XVI *De Civit.* cap. IX, Philo, Cajetanus et Pererius. Sed verius est Deum Patrem hic loqui, non quidem alteri cuipiam Deo, ut objiciebat Julianus Apostata, sed suo Filio et Spiritui Sancto. Uti et fecit cap. I, vers. 26, et cap. II, vers. 18. Sicut enim ibi creatio, non angelorum, sed solius Dei fuit opus : ita pariter fuit et hic hæc linguarum confusio; non enim angelus cujusque populi rector, suam ei linguam indidit (ut vult Origenes in cap. XI *Num.*), sed Deus. Sicut enim Deus solus per suam omnipotentiam menti illabi, ita et solus menti habitus scientiæ et linguarum indere potest. Ita S. Chrysostomus, Procopius, Rabanus, Rupertus et alii passim. Vers. 7. Sicut creatio, ita et linguarum confusio solius Dei fuit opus.

Quare cognitio S. Scripturæ, vel etiam linguæ Hebrææ aut Græcæ, quam diabolus nonnullis Anabaptistis, antea rudibus et idiotis, hausto bolo et symbolo anabaptismi suggerit, non est habitualis aut permanens, sed tantum actualis quasi suggestio et inspiratio : assistit enim iis dæmon, et suggerit hæc omnia, perinde ut nos, declamantibus publice, secreto carmina, vel ea quæ declamanda sunt, suggerimus; imo subinde non ipsi, sed per ipsos loquitur dæmon, ut energumeni, vel possessi a dæmone, non tam videantur, quam revera sint. Id ita esse ex eo patet, quod mox ut ab hæresi ad sanam fidem et mentem redeunt, relicti a dæmone, illico in Diabolus non potest indere habitualem linguarum cognitionem, sed tantum actualem.

(1) Cf. Meignan, op. cit. p. 149.

(2) Commatis 4 simplicissimum sensum Schroederus ait esse hunc : Structa urbe et prælta *arce* (quæ dicitur Græcis *Acropolis,* Hispanis *Alcasar,* Hebræis *turris*), quæ urbi insigniter condecorandæ inserviat, faciamus nobis nomen, ut ne (פֶּן nusquam valet *antequam*) per totam terram dispergamur, id est, societati nostræ, totum humanum genus complexuræ, multum adstituamus decoris, dignitatis et splendoris, quo omnes et præsentis et futuræ ætatis homines atque familiæ ad eam perpetuo colendam servandamque ultro alliciantur et invitentur, nec a nobis divulsi, vel sponte, vel per incertos fortunæ casus, in remotas et inhospitas regiones auferantur, nostræque communitatis vinculum dissolvatur.

pristinam suam ruditatem et ignorantiam recidant.

DESCENDAMUS. — Dices : Jam vers. 5 descenderat Deus; ergo frustra rursum hic descendit. Respondet S. Augustinus et Pererius hoc versu esse recapitulationem, et hunc versum præponendum esse vers. 6. Sed huic expositioni non favet vox *igitur*, quæ non recapitulantis, sed inferentis et prosequentis est.

Respondeo ergo, vers. 5 descenderat Deus, sed inchoate tantum; et aliquousque, ut eminus e cœlo turrim hanc intueretur. Unde ait Moses : « Descendit autem Dominus, ut videret civitatem et turrim ; » hic vero ulterius descendit Deus in terram Sennaar, ut scilicet nova operatione sua, in ea linguas confundat; ait enim : « Venite, descendamus, » non ut videamus (jam enim vidimus turrim), sed, « ut confundamus linguam eorum. »

CONFUNDAMUS. — Confundere non significat hic pudefacere, sed commiscere : uti confunditur vinum, cum aqua illi commiscetur; et confunditur vox philomelæ, dum ei stridulæ picarum et graculorum voces commiscentur; hoc enim significat Hebræum בלל *balal*, ex quo per crasin fit *bal*; inde geminata littera *bet* ad onomatopœiam fit *babel*. Unde nostri Germani videntur accepisse suum *babbelen*; et Galli, *babiller*.

Deus confudit linguas, quia pro una multas indidit et commiscuit.

Sic ergo Deus hic commiscuit linguas, ut pro una Hebræa lingua, quam omnes callebant, singulis propriam et diversam inderet linguam : ita ut dum homines colloquerentur, unus græce, alter latine, tertius germanice, quartus slavonice, etc., loqueretur : quæ sane magna linguarum et vocum erat commixtio et confusio, de quo rursum dicam vers. 9.

In Babel solæ matrices linguæ sunt conditæ.

Nota *primo* : In hac confusione, Deus tantum matrices linguas condidit, easque hominibus indidit : ex his enim cæteræ postea prognatæ sunt. Sic Hebraica, matrix et genitrix est Syriacæ, Chaldaicæ, Arabicæ; et Latina Italicæ, Valachicæ, Gallicæ, Hispanicæ; Græca Doricæ, Ionicæ, Æolicæ, Atticæ; Slavonica Polonicæ, Bohemicæ, Moscoviticæ; Germanica Helveticæ, Saxonicæ, Anglicæ, Scoticæ; Tartarica, Turcicæ, Sarcamanicæ; Abyssina Æthiopicæ, Sabææ, etc., inquit Genebrardus.

Nota *secundo*, quam vanæ sint hominum cogitationes coram Deo; putabant hi fabri se a nemine impediri posse: ridet hanc stultam eorum præfidentiam Deus, ac reipsa ait : Levi flatu hoc opus dissipabo, nullis utar machinis; tantum confundam linguas fabrorum, ut uno petente lateres, alter præbeat cæmentum; hoc petente trullam, alter porrigat sportam; itaque implebo cuncta confusione, ut invicem irridentes, et mutuo irascentes separentur, atque uti lingua, ita et animo confusi et pudefacti abeant et dispergantur in suam quisque regionem. Quod pulchre describit Marius Victor lib. XXX *in Genesim*.

UT NON AUDIAT, — ut non intelligant invicem, non quidem singuli homines (sic enim nulla fuisset hominum societas), sed singulæ cognationes. Tot enim fuerunt linguæ, quot familiæ sive cognationes, puta 55, uti dixi cap. X, vers. 32; has enim Deus voluit sic separare, et per orbem dispergere.

Superbia in Babel divisit linguas, quas humilitas in Sion univit. Vers. 8

Nota, quomodo superbia fabrorum meruerit linguarum divisionem, quarum unionem in Pentecoste meruerit humilitas Apostolorum, inquit S. Gregorius, hom. 30 *in Evang.*

8. ATQUE ITA DIVISIT. — Cum enim viderent quod mutuo sese intelligere non possent, secesserunt, et singuli in suas regiones dispersi sunt, uti jam explicui. Fuit ergo hæc pœna peccati utilis generi humano, « ut habitando orbi terrarum daret incolas malæ congregationis opportuna dispersio, » ait Prosper lib. II *De Vocatione Gentium*, cap. IV; « utque meminerimus, recte damnatam superbiam, » ait Cassianus, *Collat.* IV, cap. XII, qua factum est, « ut non intelligeretur homo jubens homini, qui noluit intelligere, ut obediret Deo jubenti, » ait S. Augustinus, lib. XVI *De Civit.*, cap. IV.

Vers. 9.

9. VOCATUM EST NOMEN EJUS BABEL, QUIA IBI CONFUSUM EST LABIUM UNIVERSÆ TERRÆ, — lingua scilicet omnium hominum.

Tropologice S. Augustinus in *Sent.*, sent. 221 : « Duas, ait, in toto mundo civitates faciunt duo amores : Jerusalem facit amor Dei, Babyloniam facit amor sæculi; interroget ergo se quisque, et inveniet unde sit civis. »

EJUS, — scilicet, non turris, sed urbis, ut patet ex Hebræo et Septuaginta.

A turri ergo, in cujus ædificatione, per divisionem linguarum confusi sunt ædificantes, vocata est urbs integra Babel, et ab urbe regio tota dicta est Babylonia, id est confusio. Babel ergo nomen suum accepit non a Belo, qui primus fuit rex et deus in Babel, sed a radice בלל *balal*, id est, confudit. Unde Septuaginta vertunt, *et vocatum est nomen ejus* σύγχυσις, id est *confusio*.

Urbem hanc (uti superius dixi) post 100 annos Semiramis incredibili magnitudine et magnificentia restauravit; turrim vero non altius extulit, sed mire ornatam templo Beli inclusit.

QUIA IBI CONFUSUM EST LABIUM, — id est, quia ibi pudore confusi sunt ædificantes Babel, cum se invicem amplius non intelligerent, inquit Pererius. Verum Hebræum *Balal*, id est confundere, non pudefacere, sed commiscere significat.

Babel mystice significat confusionem vitiorum.

Secundo, Philo, lib. *De Confus. ling.*, sic explicat, *q. d.* Vitiorum et impiorum societas a Deo confusa est in Babel, cum scilicet schismate distracta est, ne virtutem et bonos mores constipata everteret; nam linguæ confusæ dici non possunt, sed divisæ omnino. Sic enim ait Philo : « Docet Moses mystice quod, sicut concentus virtutum fovetur a Deo, sic confundi linguas, id est, constipatum vitiorum et impiorum cuneum dividi,

muta surdaque fieri vitia omnia, ut nec loquendo, nec invicem consentiendo damnum afferant. » Verum hic sensus mysticus est, per quem Philo litteralem evertere videtur.

Tertio, Philastrius, lib. *De Hæres.* cap. CVI, arbitratur in Babel non linguas, sed intelligentiam linguarum esse confusam et divisam; putat enim ipse ante fabricam Babel divisas fuisse hominum linguas, uti dixi cap. X, 31.

Verum respondeo : « Deus confudit, » hebr. *Balal*, id est *commiscuit*, linguam hominum, hoc est, unam linguam omnium hominum in varias dispescuit, easque inter se et inter homines permiscuit, ut dum plures simul loquerentur, non una vox et lingua, sed diversæ et confusæ multorum voces et linguæ audirentur, eo modo quo dixi vers. 7.

Quomodo commixtæ sint linguæ ?

Cui adde : Elementa primævæ linguæ, puta litteræ, apud omnes gentes et linguas eædem manserunt, sed aliter et aliter combinatæ et trajectæ : quod est confundere et commiscere. Sic et syllabæ multæ, quin et dictiones eædem manserunt, sed aliud et aliud hac, aliud illa lingua significant, ut sus Latinis porcum, Hebræis equum, Flandris silentium significat. Unde explicans subdit Moses vers. 7 : « Ut non audiat, » id est, intelligat, « quisque vocem proximi sui. »

Voces Hebreæ linguis permixtæ.

Denique aliis linguis multæ voces et phrases Hebrææ permixtæ sunt, v. g. שק *sac*, id est *saccus*, et קרן *keren*, id est *cornu*, ab Hebræis accepta, pleræque gentes et linguæ etiamnum retinent et usurpant. Plurima talia collegit Postellus et Avenarius, qui in suo lexico Hebræo omnia pene verba Græca ab Hebræis derivat, per quamdam litterarum trajectionem, commutationem, et commixtionem. Sic ex lingua Celtica, sive Belgica, multa ab Hebræis esse deducta; cum iisque in fundo, sive in litteris radicalibus convenire, solerter et ingeniose ostendere conatur Adrianus Scrieckius in suis *Originibus*, et in *Europa redivivа*, ubi ex etymis Belgicis omnium pene nominum propriorum gentium, quæ sunt in Europa, contendit probare Celticam, sive Belgicam linguam esse tantum dialecticum linguæ Hebrææ, eamque primo in Babel Japheti posteris fuisse inditam, qua proinde usi sint prisci Græci, Itali, Hispani (qui inde, inquit, Celtiberi vocantur), Galli, Britanni et Europæi omnes. Verum hoc est difficile creditu, difficilius demonstratu, præsertim cum lingua Græca et Latina admodum præstantes, politæ et artificiales sint, æque ac antiquissimæ, ut patet ex Græcorum et Latinorum scriptis, ac proinde videntur ipsæ in confusione linguarum, æque ac Celtica, nonnullis Japheti posteris a Deo esse inditæ. At quibus, nisi iis, qui Græciam et Latium incoluere? ii ergo non celtice, sed græce et latine sunt locuti. Illud crediderim, linguam Belgicam esse antiquissimam, unamque ex primis in Babel a Deo inditis. Insuper eam non pauca habere vocabula ab Hebræis derivata, aut iis similia et affinia. Sed eam tantum dialecto ab Hebraica differre, quis sibi persuadeat, qui utriusque dissonantiam et diversitatem inspexerit? tantum enim vel magis Belgica ab Hebræa, quantum Latina a Græca vel Hebræa distare videtur.

Solus Heber retinuit linguam Hebræam.

Notat S. Augustinus, lib. XVIII *De Civit.* XXXIX, Origenes, Hieronymus, Tostatus, Cajetanus, Oleaster, Genebrardus et alii passim, in solo Heber ejusque posteris, cum vera fide, religione et pietate mansisse primævam linguam Hebræam. In cæteris ergo delevit Deus habitum linguæ Hebrææ (ita ut homines viderentur sibi non tam esse obliti, quam omnem perdidisse linguæ Hebrææ memoriam quasi nunquam de ea quidquam novissent, vel audissent), et novum promptissimumque novæ linguæ habitum, eumque cuique genti alium et proprium, puta alterius et propriæ linguæ, inseruit. Ita Abulensis, Pererius et alii.

Hinc *secundo*, Epiphanius, initio libri *Contra hæres.*, et Suidas in voce *Serug*, hos fabros Babel græce μέροπης, quasi *voce divisos*, dictos esse *putant*: μερίζω enim idem est quod divido, ὄψ idem est quod vox : unde et a poetis unus gigantum, qui Jovem cœlo deturbare conati sunt, vocatus est Merops, a quo insula Cos Meropis appellata putatur : licet Homeri interpres homines velit dici *meropes*, eo quod distincta et articulata voce utantur; aut, ut alii, eo quod quisque uti vultum, ita et vocem ab alio quolibet diversam habeat, quæ duo in homine admiratur Plinius.

Turris Babel procellis dejecta.

Denique hæc contigerunt sub annum 170 a diluvio, ut dixi cap. X, 25. Addit Epiphanius et Sibylla, ac Abydenus apud Josephum et Eusebium, lib. IX *De Præp. Evang.* cap. ult., Deum turrim hanc procellis et ventis dejecisse, eaque ædificatores ipsos obruisse (1).

Vers. 10.

10. HÆ SUNT GENERATIONES SEM. — Solius Sem genealogiam pertexit Moses, idque in recta tantum Abrahami linea, quia cæteri posteri Noe, eo licet renitente, a Deo ad idola deflexerunt; et quia ex Abraham orti sunt Judæi (quibus hæc scribit Moses) et Christus (2).

(1) Hujus turris apud exteros etiam mentio fit : conf. Rosenmullerum ad h. l.; Rohrbacher, *Histoire universelle de l'Eglise catholique*, tom. I, p. 171; de Humbolt, *Vues des Cordilières*, tom. I, p. 96 et 114; Wiseman, ibid. *Disc.* 1, II part.

(2) « Supra cap. X Semi progeniem Noster recensere cœperat quidem, sed non absolverat, quia ad divisionem usque linguarum tantummodo illam producere voluit, ut ostenderet, quas ex se singuli ex posteris Noachi familias et gentes constituerint. Jam ergo omissis prorsus cæteris Noachi filiis, quod ex illis deinceps gentis Hebraicæ conditores, Abrahamus, et alii, in quibus immorari constituit, recta linea non descenderint, redit ad Semi genealogiam, quam ad Abrahamum usque texit. Cujus majores breviter tantummodo enumerat cum vitæ cujusque annis, ut simul haberetur certa annorum ratio a diluvio usque ad Abrahamum, quemadmodum supra cap. V in 10 hominibus ab Adamo ad Noachum usque anni singulorum recensentur, ut, quot anni

SEM ERAT CENTUM ANNORUM. — Ergo natus est Sem, non anno 500, sed 502 Noe, ut dixi cap. x, vers. 21; quia enim hic numerus minutus exprimitur, scilicet quod biennio post diluvium Sem fuerit 100 annorum, qui non exprimitur cap. v, vers. 32 : hinc Moses hic potius quam cap. v, præcise videtur consignare annos Sem.

Vers. 12. 12. ARPHAXAD GENUIT SALE. — Ita habent Hebræa et Chaldæa tam hic quam I *Paralip.* I, 18 et 24 Verum Septuaginta tam hic quam ibi interjiciunt Cainan; habent enim : « Arphaxad genuit Cainan, et Cainan genuit Sale. » Septuaginta sequitur S. Lucas, cap. III *Evang.*, vers. 36, unde Lipomanus, Melchior Cano, Delrio et alii putant hunc Cainan omnino interjiciendum esse, eique æque ac aliis dandos esse annos 30, antequam genuit Sale, ac consequenter hos triginta annos chronologiæ esse inserendos.

Cainan rejicitur. Quæres, uter hic sit sequendus, an Moses omittens Cainan, an versio Septuaginta Cainan inserens. Respondeo, Mosen potius esse sequendum quasi primum autographum. Moses enim hic tam chronologiam, quam historiam mundi pertexit : ergo non omisit 30 annos, qui juxta Septuaginta sunt dandi Cainan; hoc enim ingens esset vitium et error in chronologia, imo in historia. Itaque non minoris fere periculi est, dicere Mosen hic esse mutilum, quam dicere Lucam esse superfluum; aut dicere textum S. Scripturæ hic esse detruncatum, quam dicere in Luca esse redundantem in Cainan : pari enim modo corrumpitur, et falsa efficitur tam historia, quam chronologia; *secundo*, quia Hebræa, Chaldæa et Latina Biblia constanter, tam hic, quam I *Paralip.* I, omittunt Cainan; *tertio*, quia Hebræi, Philo, Josephus et alii veteres omittunt Cainan; *quarto*, quia regula est S. Augustini, lib. XV *De Civitate* III : « Si translatio ab originali dissentit, ei linguæ potius credendum est, unde in aliam per interpretationem facta est translatio; » ergo Mosi Hebræo potius credendum, quam versioni Septuaginta; *quinto*, quia in versionem Septuaginta irrepsisse hic mendum, patet *primo*, quia hic manifestus in eis irrepsit error in numeris, adeoque in hoc ipso Cainan : habent enim Cainan fuisse 130 annorum quando genuit Sale, cum tamen nemo etiam eorum qui Cainan recipiunt, illi ultra 30 annos assignet; *secundo*, quia editio Septuaginta a Romanis correcta, et auctoritate Sixti V Pontificis edita, expungit Cainan, I *Paral.* I. Recensens enim seriem generationum ab Arphaxad usque ad Abraham, sic eam pertexit : « Arphaxad, Sale, Heber, Phaleg, Ragau, Serug, Nachor, Thare, Abraham; » ubi plane consentiunt cum editione Latina vulgata vers 24. Si in lib. *Paral.*, in serie genealogiarum, expungendus est Cainan apud Septuaginta juxta correctionem Romanam, ergo apud eosdem expungendus est *Genes.* XI. Eadem enim series generationum utrobique conscribitur. Hæc sane conjectura valida est, magnamque movet suspicionem in *Genesi* apud Septuaginta intrusum esse Cainan. Suspicionem auget, quod apud Septuaginta in *Genesi*, iidem prorsus numeri generationis et ætatis dentur Cainan, qui dantur Salæ, cum in aliis semper evarient. Unde illi Salæ soli a Septuaginta dati videntur, et ab aliquo intrudente Cainan, in eo repetiti. Sic enim habent : « Et vixit Cainan 130 annos, et genuit Sala. Et vixit Cainan, postquam genuit Sala, annos 330 : et genuit filios et filias, et mortuus est. » Deinde eosdem numeros, imo eadem omnino verba ascribunt Salæ, dicendo : « Et vixit Sala 130 annos, et genuit Heber. Et vixit Sala, postquam genuit Heber, 330 annos, et genuit filios et filias, et mortuus est. » *Tertio*, quia Epiphanius, *hær.* 55, recitans seriem generationum ab Abraham usque ad Sem, juxta versionem Septuaginta, omittit Cainan; ergo in Septuaginta tunc non erat Cainan, sed postea irrepsit. Idem patet ex S. Hieronymo, *Quæst. in Gen.*, ubi absolute omittit Cainan; sic enim legit : « Arphaxad genuit Sale, Sale genuit Heber. » Quod si tunc Septuaginta habuissent Cainan, sane S. Hieronymus id non dissimulasset; nam ibi et alibi studiose notat Septuaginta ubicumque ab Hebræo dissentiunt : sicut in iisdem Quæstionibus diserte notat eosdem, quod in generationibus Adæ, Seth, Enos, etc. *Genes.* V, ponant 200 annos, ubi Hebræa habent 100. Ergo tempore S. Hieronymi et Epiphanii necdum in codices saltem correctio-

Secundo. Tertio. Quarto. Quinto.

essent ab orbe condito ad Noachum et celebratam illam veteris orbis eluvionem certo sciretur. Cæterum in iis quæ sequuntur, Alexandrini interpretes, atque Samaritanus uterque, annorum numeros ex iisdem, quas supra ad cap. v vidimus, legibus mutant. Ne enim nimis rapide ætas humana decresceret (quæ ex Hebræi textus lectione a 950 annis Noachi et 600 Semi ad 438 Arphaxadi præceps it, iterumque paucis stemmatibus interjectis, a 464 Eberi ad 239 Phalegi), itemque ne illa aliquando nova videretur capere incrementa, ut in Ebero ac Theracho, denique ne ante centesimum annum Patriarchæ ab Arphaxado ad Therachum sobolem procrearent, cautum est ea Alexandrini interpretis lectione, quæ in codice Vaticano invenitur; nam ab eo discedit codex Alexandrinus. Primarium, quod patribus ante filios ipsis natos centum annos addit; quod ipsum facit et Samaritanus, quanquam in Nachoro 50 annis contentus, ita tamen, ut post filium natum totidem annos vitæ patris demat, eadem in octo primis patriarchis mansura annorum omnium summa, quæ ex Hebraicis numeris constat. Samaritana lectio ipsa quoque systematica, sed paucioribus legibus, quam græca, contenta. Sufficit enim Samaritano, neminem grandæviorem patre fieri, quod spectans, Theracho quoque, cui plus quam septuaginta annos supra Hebraicam lectionem Græci addunt, sexaginta de Hebraicis demit. Hebræis enim moritur natus annos 205, Græcis plus quam 275, Samaritanis 145. De lento et æquabili vitæ humanæ decremento non laborat, sed illos tantum saltus relinquit, quod in Arphaxado et Phalego in præceps dehiscens natura fecisse videtur. Denique non vult, quemquam ejus temporis quinquagenario minorem filios genuisse : unde contrarium hujus, quod in genealogia ante diluvium tentaverat, hic facit; Græcisque consentiens Arphaxado, Selacho, Ebero, Phalego, Revo, Serugo, centum, Nachoro quinquaginta annos addit, antequam patres fierent. » Hæc Rosenmullerus.

res, tum Septuaginta, tum S. Lucæ, irrepserat Cainan. *Correctiones* dico, nam in aliquos alios irrepsit : S. Augustinus enim, *Quæst. in Genes.* XXIII, et Eusebius in *Chronico* interserunt Cainan. Audi et Procopium Gazæum, vetustum et gravem commentatorem : « Hebraica, ait, veritas habet, Salam genitum esse ab Arphaxad; quæ enim in medio ponuntur, obelisco signata visuntur. »

Ex dictis sequitur omittendum esse Cainan, ac consequenter a diluvio usque ad ortum Abrahæ, fluxisse annos tantum 292, non autem 322, uti numerant ii qui Cainan recipiunt.

Objectio. Dices S. Lucas : cap. III, in fine, confirmat ver-
Respon- sionem Septuaginta, additque Cainan. Respondent
sio. nonnulli conformiter non videri dubium, quin in S. Luca Cainan additus sit ex versione Septuaginta. Cum ergo rationes adductæ probent Cainan irrepsisse in Septuaginta, sequitur eumdem pariter in Lucam irrepsisse, non errore S. Lucæ, quasi is versionem Septuaginta tunc vulgatam, ejusque errorem secutus sit, uti volunt Jansenius et Cajetanus in *Lucæ* III, et Genebrardus in *Chronolog.* (sic enim errasset S. Scriptura ipseque Spiritus Sanctus, cujus scriba fuit S. Lucas : quod absit), sed errore librariorum, vel scioli alicujus, qui hebraice nesciens, cum in versione Septuaginta quæ olim vulgata fuit, in Genesi inveniret additum Cainan, eumdem ex Septuaginta in Lucam transtulit, illumque ei inserendum putavit. Sic multorum sententia irrepsit nomen Abraham pro Jacob *Actor.* VII, vers. 16, et nomen Jeremiæ *Matth.* XXVII, 9. Sic *Matthæi* I, 12, passim ex Latinis codicibus excidit una generatio : hoc enim modo supplendum et legendum est cum S. Epiphanio et aliis : « Josias genuit Jeconiam et fratres ejus : Jeconias autem genuit Jechoniam in transmigratione Babylonis. » Jam enim tantum legitur : « Josias autem genuit Jechoniam et fratres ejus in transmigratione Babylonis. » Si locus Matthæi passim mendosus restitui potest ex libris Regum, cur non et locus Lucæ ex Mosis autographo? Locum enim esse mendosum tam ex aliis Scripturæ locis, quam ex aliis exemplaribus ejusdem loci evariantibus, colligi potest. Sic pro « Bethania, » uti *Joan.* I, 28, legunt omnes codices Latini, Syri, et plurimi Græci, multi reponendum volunt « Bethabara : » nam ita legit Chrysostomus, Origenes, Theophylactus, Euthymius et alii in illum locum commentantes : vide Franciscum Lucam in *Notat.* ibid., ex quo plura talia colligas. Sic IV *Reg.* VIII, 26, pro « viginti duorum annorum erat Ochozias, » Cajetanus, Bellarminus et alii legendum putant, « quadraginta duorum annorum erat Ochozias; » ita enim legitur II *Paralip.* XII, 2. Si in hisce Scripturæ locis viri sapientes censent quasdam voces irrepsisse (esto eæ in omnibus vel pene omnibus Bibliis, etiam Romanis, habeantur), eo quod illæ videantur aperte repugnare aliis ejusdem Scripturæ sententiis, cur id ipsum hic in Cainan contigisse, eamdem ob causam opinari non liceat? præsertim cum ad id major cogat hic ratio, ac pene necessitet. Nam *primo*, Moses diserte et præcise hic asserit Arphaxad, anno ætatis suæ 35, genuisse Sale. Hoc autem absolute falsum est, si ex Septuaginta interjiciamus Cainan : nam secundum illos Cainan genitus est ab Arphaxad hoc ipso anno ejus 35. Sale vero post triginta annos genitus est a Cainan, non ab Arphaxad. Durum enim et violentum videtur, ac in chronologia mendacium, quod aliqui respondent Sale genitum esse anno 35 Arphaxad, non in se, sed in patre suo Cainan. *Secundo*, Moses exacte et ex professo, isque solus, conscribit hic historiam, genealogiam et chronologiam mundi : ergo incredibile est quod ipse omiserit 30 annos vitæ Cainan. Hi enim triginta anni perturbant, et vitiant totam chronologiam. Quis audeat dicere Mosen truncasse, et consequenter vitiasse chronologiam triginta annis? *Tertio*, nulla probabilis ratio dari potest, cur Moses omiserit Cainan; nam illa quæ a nonnullis affertur, quod scilicet voluerit generationes quæ fuerunt ante et post diluvium, ad duas decades redigere, ut sicut decem sunt generationes ab Adam usque ad Noe, sic et decem assignaret a Noe usque ad Abraham, illa, inquam, ut recte ait Pererius, nec talis probari potest, et levis est ac futilis, nec talis et tanta, ut propter eam debuerit Moses chronologiam (cujus exacta cognitio tanti erat momenti) perturbare et confundere. Quare si Mosis, æque ac libri *Paralip.*, ac Vulgatæ editionis utrobique fidem, integritatem et chronologiam tueri volumus, vel inviti, inquiunt, cogimur asserere Cainan in Septuaginta irrepsisse. Satius enim est, et minoris notæ ac periculi, errorem hunc librariis et descriptoribus, quam ipsis Septuaginta utpote viris sapientissimis impingere; uti iisdem librariis errorem, qui hic in numeris apud Septuaginta reperitur, impingit S. Augustinus, libr. XV *De Civitate* XIII, ubi et asserit vetus esse hoc mendum, utpote a priscis primisque descriptoribus commissum, quod proinde in omnia deinceps exemplaria Septuaginta, et ex iis illico in omnia S. Lucæ pervasit. Cum enim versio Septuaginta, apud gentes Hebræa ignorantes, toto orbe esset vulgata, et in ea invenirent Cainan, putarunt eumdem omnino addendum esse in S. Luca, præsertim cum initio non statim S. Lucas habitus sit scriptor canonicus. Unde non mirum quod id ipsum ex aliis exemplaribus, utpote vitiatis, emendari non possit; sed ex originali textu Hebræo, cui astipulatur Latinus et Chaldæus (qui tanti, imo pluris sunt, quam multa exemplaria evariantia), emendandum sit. In hanc sententiam præ cæteris propendet Pererius. Sic et Beda (licet timide), Ado quoque, Isidorus, Abulensis, Lucidus, Eugubinus, Genebrardus, Jansenius et Cajetanus omittunt Cainan. Quin et plerique Interpretum *Lucæ* III, 36, reipsa astipulantur. Nam exponentes illud de Sale : « Qui

fuit Cainan, » sic exponunt : « Qui fuit, » scilicet non filius naturalis, uti cæteri apud Lucam, sed vel frater, vel filius legalis, vel etiam ille ipse « Cainan ; » quæ expositiones, quia contortæ, et nostram sententiam validant, utpote præter quam nulla alia expositio vel conciliatio solida, quæ viro cordato satisfaciat, dari possit; et reipsa Cainan e serie genealogiæ et chronologiæ auferunt, quod unum hic agimus et deposcimus. Hic enim nobis sufficit ut Mosis, utpote sacri et divini historici et chronologi, historia et annorum mundi series integra et intacta consistat, cum præter illam non habeamus aliam : quod si illam mutilam aut vitiatam fatemur, mutilamus, imo tollimus e mundo omnem veram, non tantum mundi primævi, sed et sæculorum omnium sequentium indeque dependentium chronologiam, cum tamen Deus eam hominibus per Mosen conscribi et tradi voluerit. An non hæc ratio adeo justa est et gravis, ut cogat fateri irrepsisse Cainan? Qua in re ita Mosi fidem arrogamus, inquiunt, ut nihil Septuaginta vel S. Lucæ et Vulgatæ editioni derogemus : imo ipsos ab injuria et mendo librariorum vindicamus, ac suæ puritati restituimus, et cum Mose suoque prototypo conciliamus, idque per omissionem unius tantùm voculæ. Dices : ergo eradendus est Cainan e textu Septuaginta et S. Lucæ, uti eradunt eum hæretici, dicentes eum confictum esse a Septuaginta. Respondeo : Nego consequentiam, tum quia passim exemplaria Græca et Latina habent Cainan : unde ejus erasio multos offenderet. Qua de causa Romani, qui jussu Sixti V et Clementis VIII Vulgatam editionem correxerunt, in præfatione sic aiunt : « In hac tamen pervulgata lectione sicut nonnulla consulto mutata, ita etiam alia quæ mutanda videbantur, consulto immutata relicta sunt, quod ita faciendum esse ad offensionem populorum vitandam, S. Hieronymus non semel admonuit, » etc. Quocirca præstat et sufficit viros doctos ea in suis Commentariis annotare. Tum quia forte hic aliud secretum et mysterium divinum latet, quod Deus homines ignorare voluit, uti innuit Beda. Quod ergo hic dicimus de Cainan omittendo, dicimus de chronologia, idque quantum humanis conjecturis et rationibus assequi possumus. Humanitus enim loquimur : reliquum Deo et Ecclesiæ resignamus. Ita Sixtus Senensis lib. V *Biblioth.*, anno 88, et alii. Verum hæc suo loco *Lucæ* III, 36, discutienda sunt.

Nota : Uti dixi cap. V in genealogia Adæ usque ad Noe, numeros in Septuaginta esse corruptos, ita et hic corrupti sunt : hic enim Septuaginta tam Arphaxad, quam aliis adjiciunt centum annos, quos non habent Hebræa, nec Noster; unde secundum Septuaginta ita corruptos, sequitur a diluvio usque ad Abram fluxisse annos 1172, cum juxta Hebræam veritatem tantum fluxerint 292.

13. VIXITQUE ARPHAXAD TRECENTIS TRIBUS ANNIS. — Vers. 13. Ita legunt Biblia Latina, Romana et Regia, et Septuaginta Græca ex editione Caraffæ. Verum Hebræa, Chaldæa et Septuaginta tam ex editione Complutensi, quam Regia, multa etiam vetera Latina Biblia, legunt 403, idque magis consentit cum ætate istius ævi : nam Sale et Heber, qui fuerunt posteri Arphaxad, vixerunt 400 annis et amplius.

Nota : Ante diluvium vixerunt homines 900 annis, mox a diluvio tantum 400, et mox 300; unde patet vitam priorum tam longævam, scilicet usque ad 900 annos, eis obtigisse, non ex vi naturæ et causarum naturalium, sed potius ex dono Dei; nec enim statim in prima aut secunda generatione, potuit naturaliter vita hominum decrescere ad 500 aut 600 annos.

20. SARUG. — Hunc Epiphanius et Suidas faciunt inventorem simulacrorum, formandi scilicet picturas et statuas, in quibus repræsentarentur, colerentur et adorarentur principes aliique viri illustres, quasi tunc cœperit idololatria. Verum idololatriæ auctorem fuisse Nemrod, sive Belum, superius dixi. Sarug ergo ejus non fuit auctor, sed propagator per suam plasticen et pictoriam. Errat rursum hic Suidas, dum Sarug collocat in posteris Japhet. Vers. 20. Sarug, inventor artis pictoriæ et statuariæ.

26. VIXITQUE THARE SEPTUAGINTA ANNIS, ET GENUIT ABRAM, ET NACHOR, ET ARAN. — Nota : Thare primum filium genuit Aran, secundum Nachor, tertium Abram; fuit ergo Abram minimus natu. Id patet : nam Abram habuit uxorem Saram, quæ erat filia Aran, eaque tantum decennio fuit senior Abramus. Atqui Aran cum genuit Saram, ut minimum viginti erat annorum : ergo Aran ut minimum decennio senior erat Abramo. Præponitur autem hic fratribus suis Abram, licet junior, quia ejus unius prosapiam, fidem et gesta deinceps prosequi intendit Moses. Vers. 26. Abram fuit minimus natu fratrum.

Sensus ergo est : vixit Thare 70 annos, et jam tum genuerat Aran et Nachor; ipsum vero Abram præcise genuit anno 70. Ita Pererius et alii. Perperam ergo aliqui putant Abram natum esse anno Thare, non 70, sed 130; quorum rationem solvam cap. XII, vers. 4. Disertis enim verbis hic dicitur, quod Thare genuerit Abram, cum 70 annorum esset : atque ita per hunc annum 70 Thare continuat Moses suam chronologiam, quæ alioqui esset incerta et dubia, imo falsa, si non 70, sed 130 anno Thare natus esset Abram.

Nota *secundo* : Natus est Abram anno 272 a diluvio; cumque Noe vixerit post diluvium 350 annis, hinc sequitur Noe mortuum esse anno Abrami 58. Abram ergo vidit omnes suos avos, numero novem, usque ad Noe : scilicet vidit Thare, Nachor, Sarug, Reu, Phaleg, Heber, Sale Arphaxad, Sem, Noe (1).

(1) Verisimillimum est, esse *Ur*, quæ vers. 28 commemoratur, eamdem cujus Ammianus Marcellinus, lib. XXV,

Vers. 31. 31. TULIT ITAQUE THARE ABRAM FILIUM SUUM, — scilicet postquam Abram ex Ur Chaldæorum a Deo evocatus est, cap. seq. vers. 1. Est ergo hic prolepsis sive anticipatio : voluit enim Moses hic vitam simul et mortem Thare pertexere, antequam ordiretur gesta Abræ, etiam illa quæ gessit vivente adhuc Thare patre suo.

Nota : Putant aliqui cum S. Chrysostomo, Thare in Chaldæa initio coluisse, idola, sed ab Abramo filio conversum ea deseruisse et coluisse Deum verum. Id probant ex *Judith*, cap. v, 8; sed ille locus potius contrarium asserit, scilicet noluisse eum colere idola patria. Idem rursum probant ex *Josue* XXIV, 2.

Abraham nunquam coluit idola.

Ex quo loco etiam Abramum initio, antequam a Deo vocaretur, idola coluisse colligunt Philo lib. *De Abraham*, Hebræi, Genebrardus et Andreas Masius scribens in *Josue* XXIV. Verum verius est primo, Abram nunquam idola coluisse. *Primo*, quia *Josue* XXIV, vers. 2, non Abram, sed Thare tantum et Nachor dicuntur serviisse diis alienis. *Secundo*, quia Abram quasi pater credentium et exemplar fidei in Scriptura nobis proponitur; ergo nunquam fuit infidelis. *Tertio*, quia ita sentiunt Josephus, Suidas, Pererius, Delrio et alii plurimi.

Secundo, verius est Thare in Chaldæa non coluisse idola, sed cum Abramo coluisse Deum verum, ideoque cum a Chaldæis divexaretur, monente et evocante eum Abramo, inde secessisse et migrasse in Chanaan : verum cum Thare jam fatigatione et senio conficeretur, fessus substitit in itinere, puta in Mesopotamiæ urbe Haran, quæ vulgo Carrhæ dicitur, ubi M. Crassus Romanus dux a Parthis cladem accepit.

Thare in Haran lapsus est in idololatriam.

Tertio, verius est Thare in Mesopotamia, puta in Haran, lapsum esse in idololatriam, vel ex consuetudine istius gentis, vel adventu filii Nachor idololatræ ex Chaldæa (Nachor enim ex Chaldæa in Haran commigrasse patet *Gen.* XXIV, 10; *Genes.* XXVIII, vers. 2, 5, 6, 10, eumque ibi cum domo sua coluisse idola patet *Gen.* XXXI, 30), vel discessu et absentia ipsius Abræ, cum is ex Haran perrexisset in Chanaan. Id patet *Josue* cap. XXIV, 2, ubi sic dicitur : « Trans fluvium habitaverunt patres vestri ab initio, Thare pater Abrahæ et Nachor, servieruntque diis alienis. » Trans fluvium, scilicet Euphratem in Mesopotamia, non autem in Chaldæa : sic enim se explicat Josue vers. seq., et vers. 14 et 15. Ita ex S. Augustino et Tostato Pererius.

ET EDUXIT EOS DE UR CHALDÆORUM. — « Ur » fuit urbs Chaldææ quæ alio nomine dicta est Camirine, teste Eupolemo apud Eusebium, lib. IX *Præp. Evang.* IV. Porro Chaldæi dicuntur ab Hebræo, et Chald. *Chasdim*, mutata littera *s* in *l*, sicut ex Ὀδυσσεὺς factum est Ulysses. *Chasdim* vero plurale in sing. habet *Chassad*, quod Hebræi nonnulli decurtatum putant ab Arphaxad : tres enim litteræ ultimæ in utroque nomine sunt eædem; nam vocales non æstimant Hebræi. Quare ipsi censent Chaldæos oriundos et nominatos esse ab Arphaxad, filio Sem. Alii a Cased, filio Nachor, fratris Abræ, ortos et dictos putant Chaldæos, de quo cap. XXII, 21. Sed hic posterior fuit.

Nota : *Ur* hic significat ignem; unde videtur hæc urbs dicta *Ur*, quod in ea servaretur et coleretur sacer ignis. Sic enim Persæ ignem sacrum quasi numen colebant in locis, quæ inde πυρεῖα vocat Procopius historicus in *Persicis*. Pari modo ignem coluisse Chaldæos tradit S. Hieronymus. Sic ergo *Ur* dicta videtur a cultu ignis, sicuti Heliopolis dicta est a cultu solis. Forte *Ur* eadem est cum Uram, quam Plinius lib. VII, cap. XXIV, ponit juxta Euphratem.

Ur Chaldæorum urbs ita dicta a cultu ignis.

Hinc etiam noster Interpres lib. II *Esdræ*, cap. IX, 7, pro *Ur*, quod est in Hebræo, vertit *ignem*; vertit enim : « Deus, qui elegisti Abraham, et eduxisti eum de igne (hebr. *de Ur*) Chaldæorum. » Ubi adverte Esdram omnino videri alludere ad hunc locum *Genes. q. d.* Deus, qui eduxisti Abram de Chaldæorum urbe, quæ hebr. vocatur *Ur*, id est ignis : sic enim et alibi noster Interpres, propria urbium, hominum et locorum nomina subinde interpretatur per eorum significata, ut patet *Judic.* XV, 19; *Genes.*, XXVI, 20 et 22, et alibi. Unde *secundo*, ignis apud Esdram accipi potest appellative, ut significet tribulationem; hujus enim in Scriptura symbolum est ignis, ut patet *Ps.* XVI, 3; *Ps.* LXV, 12. Multas enim afflictiones Abramum passum esse a Chaldæis, eo quod nollet adorare ignem, docet Josephus, S. Augustinus lib. XVI *De Civit.* XIII, et alii.

Potest *secundo*, ignis apud Esdram capi proprie; nam Hebræorum traditio est, Abramum hac eadem de causa proprie in ignem, ut habet Esdras, a Chaldæis injectum, sed ex eo per miraculum a Deo liberatum esse : quam traditionem licet initio suggillet, postea tamen approbat S. Hieronymus et, ut videtur, Ecclesia, quæ pro moribundis orat, ut Deus eos liberet ab angustiis mortis, et ab igne gehennæ, sicut Abramum liberavit de *Ur*, puta de igne Chaldæorum.

Abram de *ur*, id est igne Chaldæorum liberatus fuit.

Idem indicat S. Scriptura, cum hanc eductionem et liberationem Abræ de Ur Chaldæorum, quasi rem magnam et admirabilem celebrat. Nec mirum est ejus non meminisse Josephum, Philonem et Paulum, *Hebr.* XI, uti objicit Pererius, quia illi tantum fere referunt ea quæ habentur in S. Scriptura, uti sæpe de se profitetur Josephus. Moses etiam idipsum tacuit, quia compendio

cap. VIII, mentionem facit, reditum Romani exercitus sub Joviano post mortem Juliani describens. Narrat Romanos, transvecto Tigri, ad locum centum millibus passuum a Corduena remotum, via sex dierum emensa, ad Ur, Persicum Castellum venisse. Unde profectis primo Thisalphata, deinde Nesibin iter fuit. Hanc *Urem* Abrahami fuisse patriam, ideo verisimile est, quia ab Ure Ammiani, quæ erat inter Nesibin et Tigrim, in Palæstinam recta via euntibus, transeundum erat *Carras* sive *Charane*, ubi Tharach consedit.

omnia, tam Adami quam aliorum usque ad Abrami vocationem gesta perstringit. Quid enim habes in *Genesi* de actis Adæ, Seth; Enos, Mathusalem, et aliorum ante diluvium per 1656 annos? Ubi tamen adverte in hac traditione circumstantias quasdam fabulosas ab Hebræis admisceri, ut quod Aran, frater Abrahæ, in eumdem ignem injectus, ab eo consumptus sit, eo quod non tantæ esset fidei quantæ erat Abram; nam Aran naturali morte esse defunctum satis indicat Moses vers. 28. Rursum, quod Nemrod, urgente Thare, patre Abrahæ, utpote idololatra, Abrahamum conjecerit in ignem. Nam Nemrod, sive Belus ante Abram mortuus est : natus est enim Abram anno 43 Nini, qui Belo patri defuncto successit, uti dixi cap. x.

Potest *tertio*, verti *de Ur*, id est, de doctrina (erroris et idololatriæ) Chaldæorum; sic enim Noster *Urim* vertit doctrinam, *Exodi* XXVIII, 31, et alibi.

32. MELCHA, FILIA ARAN, PATRIS MELCHÆ, ET PATRIS JESCHÆ.— Jescham hanc esse Saram, Abulensis et alii plerique opinantur. Sicut enim prior filia Aran, puta Melcha, nupta fuit Nachor patruo suo, ita et secunda, puta Jescha sive Sara, nupta fuit Abramo patruo suo, uti hoc versu subindicat Moses, et clarius cap. XX, vers. 12, ubi Abram Saram vocat sororem suam, id est, neptem ex fratre Aran. Saram enim non fuisse neptem Abrahæ ex fratre Nachor, satis hic indicat Moses, cum Abram et Nachor simul duxisse uxores commemorat. Vers. 32. Iescha et Sara.

Ex hoc capite colligitur chronologia mundi, scilicet a fine diluvii usque ad Abram fluxisse annos 292 : id patet, nam

biennio post diluvium Sem genuit Arphaxad,

Arphaxad		Sale		35		
Sale		Heber		30		
Heber		Phaleg		34		
Phaleg	genuit	Reu	cum esset	30	annorum.	
Reu		Sarug		32		
Sarug		Nachor		30		
Nachor		Thare		29		
Thare		Abram		70		

Summa 292 anni.

Ergo Abram natus est anno 292 a diluvio, qui fuit annus mundi 1949.

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Incipit hic pars tertia Geneseos. Prima enim est a cap. I *ad* VI, *continens gesta ab Adamo usque ad Noe, et diluvium. Secunda a cap.* VI, *hucusque, continens gesta a Noe ad Abram. Tertia hæc pars ab hoc capite ad cap.* XXV, *continet gesta Abrami. Hac ergo tertia parte Abram quasi pater credentium, sanctitatis et perfectionis exemplar nobis proponitur. Isque primo quasi incipiens virtutis iter usque ad cap.* XVII, *inde ut in eo proficiens usque ad cap.* XXII, *exinde ut perfectus ad cap.* XXV. *Vide de laudibus Abrahæ Philonem, S. Chrysostomum et Ambrosium, qui ait lib.* I De Abraham *cap.* II: Magnus plane vir Abraham, et multarum virtutum clarus insignibus, quem votis suis philosophia non potuerit æquare. *Et infra* : Tentatur ut fortis, incitatur ut fidelis, provocatur ut justus : facto prævenit dictum Sapientum : Sequere Deum, etc. *Hoc ergo capite Abraham, evocatus a Deo ex Chaldæa patria sua, cum ampla promissione, peregrinatur in Chanaan, puta in Sichem et Bethel. Secundo, vers.* 10, *ob famem pergit in Ægyptum, ubi rapitur Sara a Pharaone; sed ob flagella a Deo immissa restituitur Abrahæ.*

1. Dixit autem Dominus ad Abram : Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram quam monstrabo tibi. 2. Faciamque te in gentem magnam, et benedicam tibi, et magnificabo nomen tuum, erisque benedictus. 3. Benedicam benedicentibus tibi, et maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur universæ cognationes terræ. 4. Egressus est itaque Abram sicut præceperat ei Dominus, et ivit cum eo Lot : septuaginta quinque annorum erat Abram cum egrederetur de Haran. 5. Tulitque Sarai uxorem suam, et Lot, filium fratris sui, universamque substantiam quam possederant, et animas quas fecerant in Haran : et egressi sunt ut irent in terram Chanaan. Cum-

que venissent in eam, 6. pertransivit Abram terram usque ad locum Sichem, usque ad convallem illustrem : Chananæus autem tunc erat in terra. 7. Apparuit autem Dominus Abram, et dixit ei : Semini tuo dabo terram hanc. Qui ædificavit ibi altare Domino, qui apparuerat ei. 8. Et inde transgrediens ad montem, qui erat contra Orientem Bethel, tetendit ibi tabernaculum suum, ab Occidente habens Bethel, et ab Oriente Hai : ædificavit quoque ibi altare Domino, et invocavit nomen ejus. 9. Perrexitque Abram vadens, et ultra progrediens ad Meridiem. 10. Facta est autem fames in terra : descenditque Abram in Ægyptum, ut peregrinaretur ibi : prævaluerat enim fames in terra. 11. Cumque prope esset ut ingrederetur in Ægyptum, dixit Sarai uxori suæ : Novi quod pulchra sis mulier : 12. et quod, cum viderint te Ægyptii, dicturi sunt : Uxor ipsius est ; et interficient me, et te reservabunt. 13. Dic ergo, obsecro te, quod soror mea sis : ut bene sit mihi propter te, et vivat anima mea ob gratiam tui. 14. Cum itaque ingressus esset Abram Ægyptum, viderunt Ægyptii mulierem, quod esset pulchra nimis. 15. Et nuntiaverunt principes Pharaoni, et laudaverunt eam apud illum : et sublata est mulier in domum Pharaonis. 16. Abram vero bene usi sunt propter illam : fueruntque ei oves et boves, et asini, et servi, et famulæ, et asinæ, et cameli. 17. Flagellavit autem Dominus Pharaonem plagis maximis et domum ejus, propter Sarai, uxorem Abram. 18. Vocavitque Pharao Abram, et dixit ei : Quidnam est hoc quod fecisti mihi? quare non indicasti quod uxor tua esset? 19. Quam ob causam dixisti esse sororem tuam, ut tollerem eam mihi in uxorem? Nunc igitur ecce conjux tua, accipe eam ; et vade. 20. Præcepitque Pharao super Abram viris : et deduxerunt eum, et uxorem illius, et omnia quæ habebat.

Vers. 1. 1. DIXIT AUTEM DOMINUS AD ABRAM : EGREDERE.— Putant aliqui Abramum bis vocatum fuisse a Deo : *primo*, in Ur Chaldæorum, *Act.* VII, 2 ; *secundo*, hic ex Haran, ut pergeret in Chanaan. Ita Diodorus et S. Hieronymus. Verum verius est tantum semel a Deo vocatum esse Abram, eamdemque esse vocationem, de qua agit Moses hic, cum ea de qua agit S. Stephanus *Act.* VII. Eadem enim hic et ibi sunt verba : citat enim Stephanus hæc verba Mosis ; ac proinde una et eadem utrobique est vocatio. Unde patet hanc Abrahæ vocationem contigisse non in Haran, sed in Ur Chaldæorum ; id enim asserit S. Stephanus, *Actor.* VII. Ita S. Augustinus, lib. XVI *De Civit.* XV. Est ergo hic prolepsis : « dixit autem, » id est dixerat autem, scilicet jam ante cum versaretur Abram in Ur Chaldæorum (1) : hæc enim una Dei vocatio movit Abram, ut exiret primo ex Ur in Haran cum patre ; deinde, ut ibi derelicto patre ex Haran pergeret in Chanaan, quo eum evocarat Deus. Non enim quievit Abram, donec primæ Dei vocationi plene satisfaceret.

Abram semel tantum vocatus est in Chananæam.

Objectio. Dices : S. Stephanus asserit Abramum vocatum in Mesopotamia ; ergo non fuit vocatus Abram ex Ur, quæ est in Chaldæa.

Respondeo. Respondeo : S. Stephanus Mesopotamiam late sumit, ut complectatur etiam vicinam Chaldæam. Id ita esse patet ex eo quod subdit Stephanus : « Tunc exiit de terra Chaldæorum, et habitavit in Charan. » Sic Babylonem, quæ est metropolis Chaldæorum, Mesopotamiæ annumerat Plinius, lib. VI, cap. XXVI.

DOMINUS.— Idem et clarius asserit S. Stephanus *Act.* VII. Fabulatur ergo Lutherus, dum Abramum non a Deo, sed a Sem vocatum esse asserit : fingit enim ipse Deum id indicasse Semo, Semum id retulisse Abramo.

Nota, Deum Abrahæ aliisque Prophetis tripliciter esse locutum, scilicet aliquando per somnia a se immissa, ut patet cap. XV, vers. 12 ; aliquando per angelos voce sensibili ; aliquando per locutionem spiritualem in mente et phantasia, quo modo Abrahæ hic locutus est Deus.

Tripliciter Deus locutus est Prophetis.

EGREDERE. — Hebraice לך לך *lech lecha*, « vade tibi, » *q. d.* Absolute vade, et egredere e patria et domo tua, amplius eo non rediturus.

Nota : Inter omnes homines hic primo a Deo vocatur Abram, ex patria sua Chaldæa in Chanaan : datur ergo hic typus vocationis omnium, qui vocantur ad fidem, gratiam, justitiam, perfectionem et salutem. Hinc et Abram dicitur pater credentium et justorum, idque *primo*, quia primus Abram ex media infidelitate Chaldæorum hic evocatur a Deo, ejusque fides et obedientia tam fuit illustris, ut illico Deum vocantem secutus sit, licet nesciret quo vocaretur, et quo iret, *Hebr.* XI. *Secundo*, quia primus Abram promissionem accepit de Christo ex se nascituro, per cujus fidem et gratiam omnes gentes erant benedicendæ. *Tertio*, quia Abram pater fuit Hebræo-

Vocatio Abrahæ est typus vocationis omnium.

(1) Igitur in commate 32 cap. XI est prolepsis, quali optimi quique scriptores uti solent. De tota hac Messiæ promissione vid. Meignan, op. cit. p. 318 seqq.

rum; penes quos fere solos fuit fides et Ecclesia Dei usque ad Christum.

Tropologice, de triplici vocatione et renuntiatione vide Cassianum, initio Collationis 3. Nam Paphnutius Abbas, cap. VI, tria hæc adaptat triplici abrenuntiationi. « *Prima* est, ait, qua corporaliter universas divitias mundi facultatesque contemnimus; *secunda*, qua mores ac vitia, affectusque pristinos animi carnisque respuimus; *tertia*, qua mentem nostram de præsentibus universis ac visibilibus evocantes, futura tantummodo contemplamur, et ea quæ sunt invisibilia concupiscimus. Quæ tria ut simul perficiantur, etiam Abrahæ legimus Dominum præcepisse, cum dixit : Exi de terra tua, et de cognatione tua, id est de conversatione et moribus vitiisque prioribus, quæ nobis a nostra nativitate cohærentia, velut affinitate quadam et consanguinitate cognata sunt; tertio, de domo patris tui, id est de omni memoria mundi hujus, quæ oculorum occurrit obtutibus. De duobus enim patribus, id est, sive de illo qui deserendus est, sive de illo qui expetendus est, ita per David ex persona Dei canitur : Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui. Nam qui dicit : Audi, filia, pater utique est, et illum cujus domum vel populum oblivioni tradi debere persuadet, patrem nihilominus suæ filiæ fuisse testatur. » Rursum Philo, lib. *De Migrat. Abraham*, et eum secutus S. Basilius in cap. VII *Isaiæ*, et S. Ambrosius, lib. I *De Abraham*, cap. II, « migrationem de terra » tropologice exponit, « fugam e carcere corporis et voluptatibus, tanquam custodibus carceris istius; » cognationem intelligit, « sensuum familiarem usum, qui sensus sunt cognati mentis, et cum ea pars animæ. » Per domum paternam accipit « mentem, sive intellectum et rationem, quæ quasi pater potentias suas in singulas partes seminat, suas cuique operationes tribuens, et omnes gubernans. »

Alcuinus sive Albinus Quæst. CLIV *in Gen.* ait, « Per tres egressiones, de terra, de cognatione, de domo paterna, significari egrediendum nobis de terreno homine, de cognatione vitiorum nostrorum, et de mundo qui diaboli domus est, » idque significari *Psal.* XLIV, vers. 11 : « Obliviscere populum tuum et domum patris tui. » Hugo Victorinus, lib. II *Alleg. in Gen.* cap. II, docet significari egressum animæ de delectatione terrena et de conversatione prava, in qua sub patre diabolo primum permansit : invitatis autem ad terram vitæ spiritalis tabernaculum esse conversationem honestam, altare fidem firmam, sacrificium actionem bonam.

Abram reliquit omnia sua, omnesque cognatos

DE TERRA TUA, — de Ur Chaldæorum, quæ est patria tua.

DE COGNATIONE TUA, — relinque cognatos tuos Chaldæos idololatras.

DE DOMO TUA. — Quin et domum tuam desere, domum, inquam, tam splendidam, tam caram, nec solum domum ipsam, sed et incolas domus, puta fratrem patrem, et uxorem; si manere velint, relinque, et egredere solus, ut Deum vocantem sequaris. Ecce quot verbis, tot stimulis pungit, exercet et acuit Deus fidem et obedientiam Abrahæ. Ita videtur Abram reliquisse reipsa domi in Chaldæa Nachor fratrem idololatram, cum sua familia; nam capite præced. vers. 31, solus Thare, Lot et Sara, cum Abraham egressi dicuntur ex Chaldæa in Haran : postea tamen Nachor, vel desiderio patris et fratris, vel quia ob discessum patris et fratris vexabatur a Chaldæis, ex Chaldæa suos in Haran secutus est, ut patet cap. XXIV, 10. In Chaldæa.

Nota hic in Abramo conditiones et dotes perfectæ obedientiæ. *Prima* est, obedire prompte et libenter : prompte enim ipse Deum vocantem secutus est. Ita Cassianus jubet monachis, « ut præter Abbatis mandatum, nulla penitus voluntas vivat in eis. » Proprietates obedientiæ. Prima.

Secunda est, obedire simpliciter, quod fit cum judicium nostrum submittimus judicio Superioris. « Exiit » enim Abram « nesciens quo iret. » Ita Petrus et Andreas vocati a Christo, non hæsitantes, non solliciti unde viverent, non considerantes quomodo rudes homines prædicatores fieri possent, sine mora secuti sunt Christum. « Crede tibi salutare, quidquid monasterii præpositus præceperit, nec de majorum sententia judices, cujus officii est obedire, et implere quæ jussa sunt, dicente Mose : Audi Israel, et tace, » inquit S. Hieronymus *ad Rusticum*; et S. Gregorius : « Nescit judicare, quisquis perfecte didicerit obedire. » Secunda.

Tertia est, obedire hilariter : Abram enim cum Sara, Lot rebusque omnibus lætus exivit ex Ur. S. Basilius in *Constitut. monast.* : « Apostoli, ait, submissa mentis cervice obedientiæ jugum subierunt, alacrique animo in fora, in contumelias, in lapidationes, in ignominias, in cruces, in varias neces processere : hanc obedientiam præstet monachus. » Tertia.

Quarta est, obedire humiliter : Deo enim ardua præcipienti humiliter subjecit se Abram, dicens cum Psalte : « Nonne Deo subjecta erit anima mea? » et : « Ut jumentum factus sum apud te; » hinc non obtendit senium patris, non viæ molestias, etc. Quarta.

Quinta est, obedire viriliter et constanter : Abram enim viriliter superavit omnes difficultates cognatorum et itinerum, ut obediret Deo. Recte S. Augustinus, lib. I *Soliloq.* XV : « Constanter, ait, Deo crede eique te totum committe, quantum potes : ita enim ipse te ad se sublevare non desinet, nihilque tibi evenire permittet, nisi quod tibi prosit, etiamsi nescias. » Quinta.

Sexta est, obedire indifferenter : indifferens enim erat Abram ut iret quocumque eum vocaret Deus; Deo enim se totum resignabat. « Nihil gra- Sexta.

tius Deo possumus offerre, quam ut dicamus ei cum Isaia : Posside nos, » ait S. Augustinus *in Psal.* CXXXI. Scribit Cassianus, lib. IV, cap. X, Tabennesiotas monachos « sic universa complere quæcumque a Superiore fuerint præcepta, tanquam si a Deo cœlitus sint edita. »

Septima. *Septima* est, obedire perseveranter : Abram enim tota vita peregrinatus est in Chanaan, ut obediret Deo. Ita Christus obedivit usque ad mortem, et mortem crucis. Denique Climachus, *Gradu 4* : « Obedientia, ait, est perfecta abnegatio propriæ animæ et corporis, mors voluntaria, vita sine sollicitudine, navigatio sine damno, sepultura voluntatis, est iter facere dormiendo, suo onere aliis imposito. »

QUAM MONSTRABO TIBI. — Deus ergo vocans Abram non revelavit ipsi quonam esset eundum : sed id postea ei revelavit. Unde Apostolus fidem et obedientiam Abrami laudat dicens *ad Hebr.* XI : « Fide, qui vocatur Abraham, obedivit in locum exire quem accepturus erat in hæreditatem ; et exiit nesciens quo iret. » Nam, ut recte ait Delrio, solet vaga et incerta peregrinatio liberorum procreationi et educationi officere, opes deterere, famam maculare, amicitias solvere.

Verum Deus hic Abramo peregrinaturo, omnia contraria in præmium obedientiæ pollicetur, quæ reipsa eidem præstitit. Hinc Abrahæ obedientiam, pariter et remunerationem Judæis et nobis imitandam proponit Isaias cap. LI, vers. 2 : « Attendite, ait, ad Abram patrem vestrum, et ad Saram quæ peperit vos, quia unum vocavi eum, et benedixi ei, et multiplicavi eum. »

Abram scivit se vocari in Chanaan, sed nescivit in quam ejus partem vocaretur. Nota : Deus vocans Abramum revelavit simul ei eundum esse in Chanaan, ut patet vers. 5, et cap. XI, vers. 31 ; sed non revelavit illi in quam partem Chanaan eum commigrare vellet ; regio enim Chanaan ampla erat, et in multos reges partita. Quod hic dicitur, sic intellige : « Veni in terram (id est, in illam terræ Chanaan portionem) quam monstrabo tibi, » hebraice אראך *arecha*, id est quam faciam te videre, quam oculis tuis ostendam.

Contrarium sentit Pererius, scilicet quod Deus e patria vocans Abramum, ad exercendam ejus fidem et obedientiam, nec locum, nec nomen Chanaan, quo volebat eum pergere, illi indicarit. Verum prior sententia, quæ est Abulensis et Oleastri hic, ac Riberæ in *Hebr.* XI, 8, verior videtur, uti ibi fusius ostendi. Porro, « evocavit, inquit S. Chrysostomus, Deus Abraham ex Chaldæa, quia volebat eum doctorem fieri omnibus Palæstinis et Ægyptiis. »

Fidelis est civis mundi. Moraliter, discant hic cum Abramo fideles illud Nazianzeni, *orat.* 28 : « Nobis omnis terra, et nulla terra patria est, » nulla terra erit nobis patria, cum cœlum patriam nostram esse putabimus, et mundum exilium. Nam, ut ait Hugo Victorinus, lib. III *Didasc. erud.*, cap. XX : « Magnum virtutis principium est, ut discat paulatim exercitatus animus visibilia hæc et transitoria primum commutare, ut possit etiam postmodum derelinquere. Delicatus ille est adhuc, cui patria dulcis est ; fortis autem, cui omne solum patria est ; perfectus vero, cui totus mundus exilium est. Ille mundo amorem fixit, iste sparsit, hic extinxit. » Κοσμοπολιται sumus, id est non uni urbi, sed toti orbi nati. Talis Adamus fuit natura, ait Philo ; sed electione Socrates et Diogenes, quorum uterque cum interrogaretur, Cujas es ? « Mundanus, ait, quia totius mundi civis sum et incola. » Talem se esse gloriatur Seneca, lib. *De Tranquill.* cap. III : « Magno, ait, animo nos, non unius urbis mœnibus clausimus, sed in totius orbis commercium emisimus, patriamque nobis mundum professi sumus, ut liceret latiorem virtuti campum dare. » Pontius in *Vita S. Cypriani* : « Christiano, ait, totus hic mundus una domus est. » Proinde S. Basilius Præfecto Valentis imperatoris exilium minitanti, « exilium se non cognoscere » respondit, « qui nullo loco circumscriptus esset, » teste Nazianzeno, *orat.* 20. Alexander Magnus, teste Plutarcho, Persis devictis, Macedonibus matrimonio junxit Persides puellas : tum universis mandavit, « ut mundum pro patria, castra pro arce, bonos pro cognatis, malos pro peregrinis agnoscerent. » Quid jam faciat Christianus ? Audi S. Augustinum in *Sentent.*, Sent. 17 : « Omnis, ait, qui ad supernam pertinet civitatem, peregrinus est mundi ; et dum temporali utitur vita, in patria vivit aliena, ubi inter multa illecebrosa, et multa fallacia Deum nosse et amare paucorum est. » S. Cyprianus, cum Proconsul ob fidem Christi minaretur ei exilium, dixit : « Exul non erit, qui Deum in mente habebit, quia Domini est terra, et plenitudo ejus. »

Adam fuit cosmopolita.

Sic et S. Basilius, et Alexander.

Et S. Cyprianus.

2. FACIAMQUE TE IN GENTEM MAGNAM. — Notat Cajetanus Abrahæ, si Deo vocanti obediat, septem a Deo benedictiones ; sive ingentia bona promitti. *Primum* est, principatus, seu paternitas magnæ gentis, cum ait : « Faciamque te in gentem magnam, » ut scilicet ex te gens Judæorum maxima nascatur, quæ numero æquetur stellis cœli, et arenæ maris ; quæque magna sit honore et dignitate, tum legis et veræ fidei, tum victoriarum aliarumque rerum, *Deut.* IV, 7.

Vers. 2. Septem benedictiones Abrahæ obedienti promissæ et præstitæ. Prima.

Secunda. *Secundum* est, frugum opumque copia, cum ait : « Et benedicam tibi, » *q. d.* Homines bene et male precantur, sed verbo tenus ; nam ultra quod faciant non habent : ego vero quidquid volo, quidquid imprecor, præsto ; reipsa ergo benedicam et benefaciam tibi.

Tertia. *Tertium* est, nominis celebritas et gloria ; cum ait : « Et magnificabo nomen tuum, » ut scilicet cunctis sæculis, et toto orbe celebre sit nomen tuum, ut Abrahæ nomine, fide et prosapia glorientur Judæi, Saraceni, Christiani.

Quarta. *Quartum* est, complexio omnium benedictionum et bonorum, cum ait : « Erisque benedictus ; » hebraice est תהי ברכה *thei beracha*, « sis

benedictio; » id est, ita plane per omnia sis benedictus, ut videaris esse ipsa benedictio, utque homines cuipiam benedicere volentes, te in exemplum statuant, dicentes : Fiat tibi, benedicat tibi Deus, sicuti fecit et benedixit Abrahæ; quemadmodum Cæsari in inauguratione olim acclamabant : Sit Augusto felicior, sit Trajano melior.

Quinta. *Quintum* est, quod non solum tibi, o Abram, sed et amicis tuis benefaciam : « Benedicam, ait, benedicentibus tibi, » vers. 3.

Sexta. *Sextum* est, quod tibi maleficis pariter malefaciam : « Maledicam, ait, maledicentibus tibi, » *q. d.* Inimicos tuasque injurias ulciscar et puniam : iidem enim mihi futuri sunt amici aut inimici, qui tibi; quod proprium est perfecti fœderis et plenæ amicitiæ. Huc alludit Balaam, *Num.* XXIV, 9 : « Qui, ait, benedixerit tibi; erit et ipse benedictus; qui maledixerit, in maledictione reputabitur. »

Moraliter, nota hic quam utile sit habere viros sanctos sibi amicos, iisque esse benevolum et beneficum; et contra, quam malum sit iis detrahere, eos odisse, affligere et persequi : qui enim eos habet hostes, Deum sentiet hostem et vindicem.

Septima. Hæc sex fere corporalia sunt et temporalia; *septimum* vero ac præcipuum spirituale est ac æternum; de quo subdit, dicens :

Vers. 3. *In te*, id est, in Christo Filio tuo. 3. IN TE BENEDICENTUR OMNES COGNATIONES TERRÆ. — « In te, » id est in semine tuo, uti exponitur *Gen.* XXII, 17, hoc est in Christo, qui ex Abramo natus est, uti exponit S. Paulus *ad Galat.* III, 16, et S. Petrus, *Act.* III, 26. Quod enim Christo filio præstitum est, hoc et Abrahæ parenti Christi præstitum est, juxta *Can.* 15; per hoc enim spirituale et sanctum semen, puta per Christum, Abram factus est pater omnium credentium, *q. d.* Per Christum filium tuum, o Abram, perque fidem in Christum, omnes gentes benedicentur, id est justificabuntur, fientque amici et filii Dei, ac consequenter hæredes regni Dei, et aliquando audient : « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. » Est ergo quod gaudeas, o Abram, quia per Christum filium tuum pater eris omnium fidelium, justorum et electorum. Ita Interpretes hic, et S. Hieronymus, Anselmus et alii in epist. *ad Galat.* III, 16.

Secundo, *In te*, id est instar tui. Posset *secundo*, etiam sic accipi (1) : « in te, » id est instar tui, ad tui imitationem et exemplum, *q. d.* Sicut tu per fidem, ita et omnes gentes per fidem, non per opera legis benedicentur, id est justificabuntur. Hebræi enim litteram *bet*, id est *in*, sæpe sumunt pro affini littera servili *caph*, quæ est nota similitudinis et comparationis. Ita S. Chrysostomus, S. Augustinus, Theophylactus, Œcumenius in epist. *ad Galatas* capite III, vers. 16.

Benedictio Dei Abrahæ promissa, est justitia et salus. Adverte hic, sicut dicere Dei, utpote efficax, idem est quod facere (« ipse enim dixit, et facta sunt ») : ita benedicere Dei, idem est quod benefacere et bona largiri; quæ quo majora sunt, eo major est benedictio. Jam quia maximum bonum est gratia et justitia, per quam fimus divinæ consortes naturæ, amici, filii hæredesque Dei et gloriæ cœlestis, hinc benedictio absolute posita; eamdem gratiam et justitiam per antonomasiam significat. Hæc ergo Abrahæ benedictio proprie significat hanc justificationem, tam Abrahæ quam posterorum ejus, hoc est fidelium, qui per Christum renati Abrahæ fidem imitantur. Unde recte explicant Patres *benedicentur*, id est, inquiunt, justificabuntur, benedictionem, id est justitiam assequentur; nec enim majus bonum benedictionemve Deus nobis donare potest, quam suam justitiam, amicitiam, filiationem.

BENEDICENTUR. — Male vertit Pagninus (2), « in te benedicent se omnes gentes, » dicendo scilicet : Utinam sim tam felix et benedictus, quam fuit Abram! Hebræum enim נברכו *nibrechu* pure passivum est, scilicet conjugationis passivæ *niphal*, proprieque significat *benedicentur*; non ergo significat actionem reflexam agentis in seipsum,

(1) Sed minus recte ad litteram. Nam בך hic significat *per semen tuum*, cui interpretationi hodierni omnes consentiunt.

(2) Ita et hodiernorum Rationalistarum plerique, ut De Wette, Gesenius, Knobel, etc. Equidem fatendum est in aliis locis (infra XXII, 18; XXVI, 4) hujusce loci geminis formam hithpahel adhiberi; sed quemadmodum formæ niphal quorumdam verborum (נכבד, שמר) reciproca vis subest, ita forma hithpahel aliquando est passiva : quæstio igitur est, passivum an reciprocum significatum tum נברכו, tum יתברכו hic habeant. Utrumvis autem eligas, eadem erit istorum oraculorum interpretatio. Nam « Benedictio, ut recte animadvertit Jahn, *Append. hermenut.* Fasc. II, p. 197, in omnibus his locis spectatur in *effectu*, et venit pro beatitudine quam Deus largietur, » ut verba illa idem valeant ac *prosperari*, sive *de sua prosperitate sibi gratulari*. Neque enim sensus est, Abrahami posteros aut sibimet aut cæteris gentibus bene esse precaturos. Non, inquam sibimet : qui enim bene precaturi erant, aperte secernuntur a posteris Abrahami; non cæteris gentibus, quod sane nec verba significare possunt, nec unquam hi consueverunt facere, nec res adeo grandis hæc fuisset ut eam Deus Abrahamo prænuntiaret, ac polliceretur, idque inter alia longe majora, tantoque cum apparatu. Sed neque potest sensus esse, futurum, ut gentes cæteræ sibimet ipsæ felicitatem adprecentur, *quam Abrahamo ejusque posteris esse noverant*, quum Israelitarum nomen, quoadusque res eorum stetere, vix ultra finitimas gentes permearit, neque eorum regnum, quod attinet ad gloriam atque potentiam, unquam potuerit cum Ægyptiorum, Assyriorum, Medorum, Persarum, Græcorum atque Romanorum imperiis comparari, ut hi sibi Israelitarum sortem præoptarent, quos imo contemptui plerumque habuere; Abraham vero, Isaac et Jacob eccui tandem gentium olim cogniti erant? Sensus itaque sit, oportet, per Abrahamum, perque hujus progeniem gentibus omnibus tale bonum adventurum, quo felices eæ forent, quodque jure ac merito in votis haberent, sibique adprecarentur. Ita fere P. Patritius, op. cit. tom. II, pag. 60 seq. Cf. Meignan, op. cit. pag. 318 seqq.

scilicet *benedicent se* : hoc enim significatur ultima conjugatione *hitpael*, sicque dicendum fuisset התברכו *hitbarechu*. Rursum versionem ac sensum Pagnini plane excludit versio ac sensus S. Pauli, *Gal.* III, 8. Paulus enim citans hunc locum ait : « Benedicentur in te omnes gentes, » puta « omnes cognationes (familiæ, tribus, gentes) terræ; » sicut enim omnes omnino gentes in Adamo maledictæ et mortuæ sunt, ita et in Christo omnes benedictæ et justificatæ sunt.

Vers. 4. 4. SEPTUAGINTA QUINQUE ANNORUM ERAT ABRAM; CUM EGREDERETUR DE HARAN. — Abram natus est anno Thare 70; rursum Abram egressus est de Haran annos natus 75 : ergo egressus est de Haran, cum pater ejus Thare ageret annum ætatis 145. Post hunc Abrahæ egressum de Haran, vixit Thare adhuc 60 annis; mortuus est enim annum agens 205.

Dices : Quomodo ergo S. Stephanus, *Actor.* VII, asserit Abram exisse de Haran, post mortem Thare?

Aliqui ex hoc loco, *Actor.* VII, putant Thare genuisse Abramum anno ætatis suæ non 70, sed 130 : his enim 130 annis, si addas hos 75 Abrami, cum egressus est de Haran, habebis annos 205 vitæ Thare; ita ut illo anno 205 statim a morte patris Abram exiverit de Haran. Ita Lyranus et Torniellus. Sed hoc repugnat capiti præced., vers. 26, ubi diserte dicitur quod Thare anno ætatis suæ, non 130, sed 70, genuerit Abramum. Quod si his 70 annis addendos dicas alios 60, ut fiant 130, incertam facies, et turbabis totam S. Scripturæ chronologiam, quam Moses in Genesi tam ordinate pertexit.

Respondeo ergo, Abram ex Ur Chaldæorum cum Thare migrans in Haran, parvo tempore, et forte tantum aliquot mensibus, ibi cum patre substitit, ac mox valedicens patri, ex Haran cum Lot perrexit in Chanaan, eo enim primitus vocatus fuerat a Deo : cui vocationi Abram gestiebat et festinabat obedire; unde et Moses hic nullius rei ab Abramo in Haran gestæ meminit, sed tantum capite præcedenti, vers. 31, significat eo, ex Ur, Abramum migrasse, et mox hoc cap. subjicit, eum ex Haran progressum esse in Chanaan, quo a Deo evocabatur : Abram ergo in Chanaan, vivente adhuc patre, peregrinatus est ad sexaginta annos, quibus exactis moritur ejus pater Thare in Haran; redit ergo Abram in Haran, ut patrem sepeliat, et hæreditatem cernat, quo facto rursum revertitur in Chanaan.

Abram bis ex Haran ivit in Chanaan.

Hic iterato Abramum vocat Deus, promittitque ejus semini terram Chanaan, cap. XV, vers. 18: qua de causa Abram constituit in Chanaan sedem figere.

De secunda Abrami ex Haran in Chanaan profectione loquitur S. Stephanus, *Act.* VII, cum ait : « Et inde (ex Haran) postquam mortuus est pater ejus (Thare), transtulit illum (Abramum) in terram istam » (Chanaan), ubi pro *transtulit* græce est μετῴκησεν, id est firmiter collocavit, sedem fixit. Post mortem enim Thare, Abram secundo veniens in Chanaan, ibi firmiter et jugiter mansit.

Hæc est ergo epitome annorum Thare : Thare anno 70 genuit Abram; anno vero 145 Thare patris sui, Abram ex Haran profectus est in Chanaan; anno postea 60 moritur Thare, scilicet anno ætatis suæ 205, qui fuit Abrahæ 135.

Nota : Ab hoc anno 75 vitæ Abrahæ, quo ipse a Deo ex Ur evocatus est in Chananæam, usque ad egressum filiorum Israel ex Ægypto, ad eamdem Chananæam possidendam, fluxerunt anni 430, ut patet *Galat.* III, 17; *Exodi* XII, 40.

5. LOT, FILIUM FRATRIS SUI, — filium Aran : erat ergo Lot frater Saræ, uxoris Abrahæ. Vers. 5.

ANIMAS QUAS FECERAT IN HARAN. — « Facere, » Hebræis idem est quod parare, acquirere, sive per emptionem, sive per generationem, sive alio quovis modo. Rursum per animas synecdochice intelligit homines; nam pecora intellexit per substantiam, quæ præcessit. Substantia enim et opes priscorum fere erant pecora, *q. d.* Abram et Lot duxerunt secum tam pecora, quam homines, sive quos quasi servos emerant, sive quos servi et ancillæ eorum genuerant : hos enim quasi servos sibi natos acquirebant, et faciebant esse suos Lot et Abram : nam nec Abram, nec Lot ullam adhuc genuerant prolem.

Secundo, Hebræi facere animas spiritualiter explicant : quia, inquiunt, Abram viros plurimos, et Sara mulieres multas ab infidelitate ad Dei cultum traduxerunt : itaque eas quasi Deo fecerunt et procrearunt; unde Chaldæus vertit, « et animas quas legi subjecerunt in Haran. »

Ex dictis facile patet fabulosum esse quod narrat Nicolaus Damascenus apud Josephum et Eusebium, scilicet Abramum, antequam veniret in Chanaan, vixisse Damasci, ibique quasi regem regnasse; et quod narrat Justinus, lib. XXXVI, cum ait : « Judæis origo est Damascena, nomen urbi a rege Damasco : post Damascum, Abraham, Moses, Israel reges fuere; » in quibus verbis tot pene sunt errores, quot verba.

6. USQUE AD CONVALLEM ILLUSTREM. — עד אלון מורה *ad elon more*. *Elon* quercum et quercetum, indeque convallem, sive planitiem quercubus consitam significat; unde Chaldæus vertit, *usque ad quercetum More*; Septuaginta, *usque ad quercum excelsam*. Clare vertas, *usque ad quercum*, vel *quercetum More*, id est *illustre* (1) : est enim hoc nomen proprium loci ita dicti, quod illustris esset, tum quercubus, tum agrorum amœnitate; Vers. 6. Convallis More, id est illustris.

(1) A verbo ראה, *vidit*, hinc *conspicuum esse*. Multi vertunt, *usque ad Terebinthum Moreh;* אלון enim est *terebinthus*, non *quercus;* מורה vero videtur nomen viri esse, a quo arbor illa aut tractus nomen habuit. *Usque ad locum Sichem*, quod præcedit, id est, ad eum locum, ubi deinde urbs Sichem extructa est. Nam Sichemus, *Gen.* XXXIV, 2, a quo urbs illa vel condita est, vel certe nomen accepit, Abrahami tempore nondum natus fuit.

irrigatur enim medio Jordane, sicut paradisus Domini, et sicut Ægyptus. Est hoc quercetum, sive hæc convallis sita juxta Sichem, seseque porrigit a Betsan, sive a mari Galilææ, juxta descensum Jordanis, usque ad mare Mortuum; imo complectebatur ipsum mare Mortuum, sive locum ejus, ante subversionem Sodomæ : ita Borchardus. Falluntur ergo, qui convallem More volunt esse convallem Mambre, quæ ita dicta est a possessore Mambre, de qua cap. XIV, vers. ult.; nam Mambre est juxta Hebron; More vero est juxta Sichem. Vide de hac convalle More Andream Masium in cap. VIII *Josue*, 30, ubi vult dici convallem *More*, a radice ראה *raa*, id est vidit, quod in *hiphil* significat ostendit, videre fecit; quasi convallis More sit idem quod convallis ostendentis, vel monstratoris, scilicet Dei: eo quod Deus Abrahæ in hac valle ostendit et monstravit terram Chanaan (sicuti ei promiserat vers. 1), ut patet cap. XIII, vers. 14; quia enim hæc vallis valde pulchra, illustris (uti vertit noster Interpres) et spectabilis est : hinc in ea quaquaversum Chananææ amplitudinem et pulchritudinem Abrahæ ostendit Deus. Sic ab eadem radice *raa* vocatur mons Moria, quasi mons visionis Dei, uti patebit cap. XXII, vers. 2.

CHANANÆUS AUTEM TUNC ERAT IN TERRA. — Chananæi tunc incolebant convallem illustrem jam dictam, quam Deus eis extorquere et tradere Abrahæ posteris jam parat et destinat, uti patet ex sequentibus.

Vers. 7. 7. APPARUIT AUTEM DOMINUS ABRAM, — per angelum, qui in corpore assumpto, quasi personam Dei repræsentans, vice Dei locutus est Abrahæ. Omnes enim corporales Dei apparitiones, quæ narrantur in veteri Testamento, non per Deum immediate, sed per angelos esse factas, docent Patres.

SEMINI TUO DABO TERRAM HANC, — posteris tuis Judæis, ex Isaac descendentibus, dabo Chananæam.

Anagogice, terra promissionis est cœlum, semen sunt fideles et sancti.

ÆDIFICAVIT IBI ALTARE, — in quo scilicet Abram victimas Deo obtulit in gratiarum actionem, pro Chananæa suis posteris a Deo promissa. Nec dubium quin Abram suos eo evocaverit, quin et extraneos, atque coram eis verum Deum prædicaverit et celebraverit, promissionesque sibi factas confessus sit, insuperque Deum invocaverit. Omnia enim hæc altaris publici constructio in se complectitur, scilicet confessionem, laudem, prædicationem, oblationem et invocationem solemnem et publicam.

Vers. 8. 8. AD MONTEM QUI ERAT CONTRA ORIENTEM (Orientalis) BETHEL (1). — Tostatus putat hunc montem esse Garizim et Hebal, de quo *Deuter.* XXVIII. Est prolepsis : vocatur enim Bethel, quæ tum vocabatur Luza : nam postea a Jacobo vocata est Bethel, cap. XXVIII, vers. 19. Recte S. Ambrosius : « Ubi Bethel, ait, est, hoc est domus Dei, ibi et ara; ubi ara, ibi et invocatio Dei nostri. » Hæreticis desunt ara et Bethel, ergo et vera invocatio cultusque Dei (2).

Vers. 10. 10. DESCENDITQUE IN ÆGYPTUM. — Chananæa enim altior est Ægypto, ut eo pergens descendere debeat; hinc et Ægyptus ob exundationem et oblimationem Nili fertilior Chananæa, non sensit hanc Chananææ famem. Adde, descendere in Scriptura sæpe significat ire. Sapienter S. Ambrosius, lib. I *De Abraham*, cap. II : « Exercetur, inquit, athleta Dei et duratur adversis : in desertum abiit, famem incidit, in Ægyptum descendit. Compererat in Ægypto lascivam esse juvenum luxuriam, etc., monuit uxorem ut sororem se diceret. Sara, ut tueretur maritum, mentita est germanitatem. »

Vers. 13. 13. DIC QUOD SOROR MEA SIS. — Non mentitur Abram; erat enim Sara ejus soror eo sensu, quo dicam cap. XX, vers. 12.

Dices : Saltem Abram hic uxorem suam exponit adulterii periculo. Ita Calvinus, qui hic Abramum in lenocinii suspicionem vocat.

Respondeo negando idipsum : nam Abram Saræ tantum jubet tacere quod sit uxor, et vere dicere quod sit soror sua, idque ob præsens vitæ suæ periculum. « Periculum enim nunquam sine periculo pellitur. » Cavit ergo hic vitæ suæ Abram, ne, quia maritus, occideretur, quod cavere poterat et debebat; reliquum, quod cavere ob Ægyptiorum incontinentiam non poterat, Deo commendavit, videlicet ne uxor eriperetur et violaretur. Sciebat enim se in hoc præsertim articulo necessitatis, Deo curæ esse, cœpitque hic pater fidei contra spem in spem credere. Ita S. Augustinus, lib. XXII *Contra Faustum*, cap. XXXIII. Unde non male censet Pererius Abramum Dei instinctu hæc dixisse et fecisse. Adde, confisus est Abram constantiæ et castitati Saræ (tot enim annis eam pudicissimam expertus erat) quod nunquam peccato consentiret.

Vers. 15. 15. ET NUNTIAVERUNT. — Hebraice ויראו *vaiiru*, et viderunt. Ita et Septuaginta. Noster vero videtur legisse ויגידו *vaiaggidu*, facile enim ד in נ, et א in י et ר commutatur. Nostro favet, quod τὸ *et viderunt*, immediate ante præcesserit; unde non videtur mox repetitum fuisse a Mose.

IN DOMUM, — non ad stuprum, sed ad matrimonium, quasi conjux saltem secundaria regis futura, ut patet vers. 19 (3).

(1) *Et inde transgrediens.* Hebraice est, *et revellit inde*, paxillos scil. terræ infixos, quibus alligata erant tentoria.

(2) *Et invocavit nomen Domini*, id est victimas mactavit, et solemni ritu obtulit Domino. Cf. XIII, 4.

(3) *Principes*, id est, proceres, aulici; juxta alios, præfecti regionibus Canaanæ vicinis, aut Nomarchæ, qui peregrinos advenientes, præsertim eos, qui, ut Abrahamus, magnum agmen ducebant, observare jussi erant.

Vers. 16. 16. ABRAM BENE USI SUNT. — Hebraice est הֵיטִב *heteb*, id est *benefecit*, scilicet Pharao (ac consequenter ad exemplum regis cæteri ejus aulici benefecerunt) Abramo (1).

Vers. 17. 17. FLAGELLAVIT AUTEM DOMINUS PHARAONEM, — non ob adulterium, quia nesciebat esse conjugem Abrahæ, sed ob vim Saræ illatam; quia invitam rapi jusserat. Vere S. Ambrosius, lib. II *De Abraham*, cap. IV : « Afflictiones, ait, viro forti coronæ sunt, invalido infirmitates sunt. »

PLAGIS MAXIMIS, — Rabbini carnales plagam hanc putant fuisse fluxum seminis et impotentiam copulæ. Unde quod nos habemus, « propter Saram, » hebraice est, *propter verbum Saræ*; quod ipsi vertunt, *propter angelum Saræ*, quod nimirum hic angelus fuerit custos pudicitiæ Saræ, cumque ei diceret Sara : Percute talem (a quo scilicet ipsa suæ castitati timebat), mox percutiebat eum angelus et faciebat impotentem, ita ut ad Saram accedere; nec vellet, nec posset. Fabulæ hæ sunt Judaicæ.

Secundo, Josephus plagam hanc censet fuisse pestilentiam; rursum, tumultum et seditiones populares.

Tertio, Philo et Pererius censent fuisse morbos et dolores gravissimos; ita ut nec diu, nec noctu quiescere aut respirare Pharao posset.

Quarto, Catholici Doctores passim censent fuisse sterilitatem, tam hominum, quam animalium; hac enim pœna ob similem Saræ raptum punivit Deus Abimelech cap. XX, vers. 17 et 18. Hinc recte infert Procopius Saram apud Pharaonem castam et inviolatam permansisse. Deus enim qui hic injuriam Abrahæ, per Saræ raptum illatam, tam graviter vindicavit, multo magis eidem eamdem inviolatam servavit; unde hic impleri cœpit illud *Psal.* CIV, 14 : « Non reliquit hominem nocere eis, et corripuit pro eis reges. » Adde, solebant mulieres per plures dies ungi, ornari et præparari, antequam ad torum regis admitterentur, ut patet de Esthere.

Videmus hic igitur *primo*, verum esse illud *Psal.* CXLV : « Dominus custodit advenam, pupillum et viduam suscipiet; » hujusmodi enim personæ derelictæ, Deo speciali modo curæ sunt. Unde *Psal.* IX, dicitur : « Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor; » hinc in lege sæpe præcipitur, ne molesti sint peregrinis; hospitibus enim tutela et fides debetur. Videmus *secundo*, quantum Deus curet et protegat justos. Unus hic Abram justus plus Deo curæ est, quam Pharao cum omni regno, et propter unum justum etiam regem flagellat : quis igitur non libenter serviat Deo, qui tam fideliter suis adest et assistit? Videmus *tertio*, quod Deus specialis est vindex conjugii : nesciebat rex Saram esse uxorem Abrahæ, et tamen flagellatur cum tota domo, tantum peccatum est adulterium.

Unde S. Ambrosius lib. I *De Abraham*, cap. II : « Unusquisque, ait, se castum præbeat, alienum non affectet torum, nec latendi spe; aut faciendi impunitate alienam uxorem incestet; non incuria aut stultitia provocetur mariti, aut absentia longiore. Adest præsul conjugii Deus, quem nihil lateat, nullus evadat, nemo irrideat. Vicem absentis mariti tuetur, servat excubias, imo sine excubiis deprehendit reum, antequam faciat quod paraverit : in animis singulorum, in mentibus universorum crimen agnoscit. Et si maritum, adulter, fefelleris, non falles Deum; et si maritum evaseris, et si judicem fori luseris, non evades judicem totius mundi. Ille gravius ulciscitur injuriam inopis, contumeliam imprudentis mariti. » Subdit S. Ambrosius Abram meritum esse hanc Dei tutelam per pietatem, qua Deo jubenti ut in Ægyptum descenderet, obedivit. « Nam quia studio obeundi cœlestis oraculi, uxorem quoque in periculum deduxit pudoris, etiam castimoniam conjugii defendit, » scilicet Deus. Sic in Vitis Sanctorum legimus, Monachos a suis Abbatibus missos ad feminas pietatis causa, cum libidinis stimulo tentarentur, obedientiæ merito et præsidio, orandoque tentationem superasse. Tantas vires, tantam tutelam in periculis præstat obedientia.

DOMUM EJUS. — Nam aulici ejus et domestici ad Saræ raptum et detentionem concurrerant et juverant.

Vers. 18. 18. QUOD UXOR TUA ESSET. — Scivit id Pharao revelante Deo, ait S. Chrysostomus. Addit Josephus sacerdotes Ægyptiorum, in hac plaga deos, vel potius dæmones suos consulentes, idipsum Pharaoni indicasse. Potuit denique Pharao, tale quid suspicans, Saram interrogare, et ex ea veritatem cognoscere, uti factum esse putat Pererius.

Vers. 19. 19. UT TOLLEREM, — ut non dubitarem eam (putans esse liberam) tollere mihi in uxorem.

Tradit Josephus Ægyptios ab Abramo mathesin didicisse. Verum a Josepho, Mose et Hebræis in Ægypto habitantibus potius id factum esse videtur, idque indicatur *Psal.* CIV, 21; nam Abram non videtur diu hæsisse in Ægypto (2).

Pharao non est nomen proprium, sed communis regum Ægyptiorum titulus, qui eis tribuebatur usque ad tempora Ezechielis, *Ezech.* XXXII, 2. Significat autem hoc nomen in lingua Ægyptiaca *regem*, ut Josephus dicit, *Antiq.* lib. VIII, cap. II, et ex lingua Coptica ostendi potest. Nam in ea lingua ΟΥΡΟ est rex, et præmisso articulo ΠΙ-ΟΥΡΟ, unde ΦΟΥΡΟ.

(1) Quod hoc versu medios inter *asinos et asinas* inseruntur *servi et ancillæ*, offendit Hubigantium, præsertim quia vertendum putat, *fuerunt illi asini et servi, ancillæ et asinæ*. Ideo Hebræum textum ipse corrigere vult ex Samaritano, ubi meliori ordine eadem nomina legi ait. Sed male. Nam hæc vocabula ὁμοιοτέλευτα et πολυσυνδέτως adhibita indicant Pharaonem suæ liberalitati nec ordinem nec modum constituisse, et multis beneficiis ita Abrahamum cumulasse, ut se invicem trudere viderentur. Insuper, Hebræum hodiernum verti posse ac debere, *fuerunt illi oves bovesque, et asini, et servi et ancillæ*, docet accentus.

(2) Vers. 20. *Super Abraham*, hebr. עָלָיו, *de eo*, id est *propter eum*. Alii : Suis jussit Pharao ut agerent quæ ad Abrahamum pertinebant, scil. ut deducerent eum, etc.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Abram a Lot se separat. Lot Sodomam eligit, Abram Chananæam; quam vers. 14, ei Deus ostendit et promittit.

1. Ascendit ergo Abram de Ægypto, ipse et uxor ejus, et omnia quæ habebat, et Lot cum eo, ad australem plagam. 2. Erat autem dives valde in possessione auri et argenti. 3. Reversusque est per iter, quo venerat, a meridie in Bethel, usque ad locum ubi prius fixerat tabernaculum inter Bethel et Hai : 4. in loco altaris quod fecerat prius, et invocavit ibi nomen Domini. 5. Sed et Lot, qui erat cum Abram, fuerunt greges ovium, et armenta, et tabernacula. 6. Nec poterat eos capere terra, ut habitarent simul : erat quippe substantia eorum multa, et nequibant habitare communiter. 7. Unde et facta est rixa inter pastores gregum Abram et Lot. Eo autem tempore Chananæus et Pherezæus habitabant in terra illa. 8. Dixit ergo Abram ad Lot : Ne, quæso, sit jurgium inter me et te, et inter pastores meos et pastores tuos : fratres enim sumus. 9. Ecce universa terra coram te est : recede a me, obsecro : si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo ; si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam. 10. Elevatis itaque Lot oculis, vidit omnem circa regionem Jordanis, quæ universa irrigabatur, antequam subverteret Dominus Sodomam et Gomorrham, sicut paradisus Domini, et sicut Ægyptus venientibus in Segor. 11. Elegitque sibi Lot regionem circa Jordanem, et recessit ab Oriente : divisique sunt alterutrum a fratre suo. 12. Abram habitavit in terra Chanaan : Lot vero moratus est in oppidis, quæ erant circa Jordanem, et habitavit in Sodomis. 13. Homines autem Sodomitæ pessimi erant, et peccatores coram Domino nimis. 14. Dixitque Dominus ad Abram, postquam divisus est ab eo Lot : Leva oculos tuos, et vide a loco, in quo nunc es, ad Aquilonem et Meridiem, ad Orientem et Occidentem. 15. Omnem terram, quam conspicis, tibi dabo et semini tuo usque in sempiternum. 16. Faciamque semen tuum sicut pulverem terræ : si quis potest hominum numerare pulverem terræ, semen quoque tuum numerare poterit. 17. Surge, et perambula terram in longitudine, et in latitudine sua : quia tibi daturus sum eam. 18. Movens igitur tabernaculum suum Abram, venit et habitavit juxta convallem Mambre, quæ est in Hebron : ædificavitque ibi altare Domino.

Vers. 1. 1. AD AUSTRALEM PLAGAM, — respectu Chananææ, sive Judææ ; ad hanc enim semper plagas mundi accommodat S. Scriptura, utpote Judæis scripta ; erat ergo hic locus Judææ australis, Ægypto vero aquilonaris : rediit enim Abram in Bethel, unde exierat.

Vers. 4. 4. IN LOCO ALTARIS, — ad locum altaris, in quo scilicet cap. XII, vers. 8, altare erexerat. Patet ex Hebræo.

Vers. 5. 5. QUI ERAT CUM ABRAM. — Hisce verbis significat Moses, quod Lot propter societatem Abrahæ fuerit a Deo benedictus et locupletatus.

TABERNACULA, — papiliones, in quibus ipse cum sua familia degebat : nec enim in domibus, sed in casulis, quasi peregrini degebant, *ad Hebr.* cap. XI, vers. 9.

6. NEC POTERAT EOS CAPERE TERRA. — Eadem Chananææ portio non sufficiebat ad pascua, quibus alerentur tot tantique greges utriusque. « Sæculare vitium, ait S. Ambrosius, lib. I *De Abraham,* cap. III, ut divites terra non capiat. Nihil enim satis est divitum cupiditati. Quanto ditior quis fuerit, tanto avidior ad possidendum est. Extendere agri terminos cupit, et vicinum excludere. Numquid hujusmodi Abraham ? minime. Tamen ut minime avarus electionem offert, ut justus dissensionem amputat. » Vers. 6.

7. UNDE FACTA EST RIXA, — dum quisque pastorum meliora pascua suis gregibus assignat. Vide hic quomodo opes pariant lites et rixas, etiam inter fratres et cognatos amicissimos, unde S. Chrysostomus, *homil.* 33 : « Aucta sunt, ait, ar- Vers. 7.

menta, multiplicati greges, affluxerunt divitiæ multæ; et statim discinditur concordia. Antea erat pax et charitatis vinculum, nunc rixa et contentio; ubi enim meum et tuum, illic omne litium genus; ubi autem hæc non sunt, ibi secura versatur pax et concordia. » Hinc de primis Christianis, ait Lucas IV, 32 : « Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una. » Causam subdit : « Nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. »

EO AUTEM TEMPORE CHANANÆUS ET PHEREZÆUS HABITABANT IN TERRA, — *q. d.* Ne ergo ab eis invaderetur et opprimeretur Abram ejusque familia, cum Lot contendens et dimicans; rursum, ne Chananæi hisce pastorum rixis scandalizarentur, itaque blasphemarent Abrahæ familiam fidelem et religiosam, ac consequenter magis averterentur ab ejus fide et religione, Deoque vero : hac de causa voluit Abraham separari a Lot, itaque omne eorum scandalum tollere.

Vers. 8. 8. FRATRES ENIM SUMUS. — « Fratres, » id est cognati; erat enim Lot Abrahæ ex fratre nepos.

Vers. 9. 9. ECCE UNIVERSA TERRA CORAM TE EST, — in tua est potestate et electione, licet tibi eam partem regionis eligere, quæ tibi placuerit; hanc enim tibi incolæ libenter vendent aut locabunt.

Inter fratres major dividat, minor eligat. Abram patruus dat hic suo nepoti Lot optionem, ut eligat regionem quam velit. Hinc videtur orta veterum consuetudo in divisione hæreditatis inter fratres, ut frater major quasi prudentior, hæreditatem in æquas partes dividat, minor vero eligat (ut sic neuter se deceptum esse queri possit), quod laudat S. Ambrosius, lib. I *De Abraham,* cap. III, et Augustinus, lib. XVI *De Civit.* cap. XX. Cujusmodi, inquit Ambrosius, debeat esse divisio, Patriarcha docet : firmior dividat, infirmior eligat, ne habeat quod queratur. Electionis enim suæ partem non poterat calumniari. Non residet occasio resiliendi, cui datur optio eligendi.

SI AD SINISTRAM. — Per sinistram intelligit Septentrionem, per dexteram Meridiem. Ita Chaldæus et Vatablus. In Hebræo pulchre verbum verbo opponitur; habet enim sic : « Si tu sinistrabis, ego dextrabo; si tu dextrabis, ego sinistrabo, » hoc est, si tu sinistram elegeris, ego eligam dextram, et contra. Præclare S. Ambrosius, lib. II *De Abraham,* cap. VI : « Dixit, ait, ante nos vir ex philosophiæ profectus disciplina, quatuor hæc bono viro inesse, ut elaboret *primum,* ut omnes amicos faciat; *secundum,* ut si non potest amicos facere, certe nec inimicos; *tertium,* ut si nec istud suppetit, ex sententia discedat; *quartum,* si quis cedentem persequitur, vindicet se, ut potest; sed illa tria in Abrahæ non sermonibus nudis, sed veris operibus agnoscimus. Quartum autem non ita est, quando etiam circa cedentem servavit affectum parentis, ut eum non solum non persequeretur, sed etiam captum erueret ac liberaret. »

Vers. 10. 10. OMNEM CIRCA (circumcirca) REGIONEM JORDANIS. — Vatablus vertit, *universa æquora campi Jordanis;* Chaldæus, *omnem planitiem Jordanis* (1).

SICUT PARADISUS DOMINI. — Hebraice כגן אדוני *kegan adonai,* sicut hortus Domini, quem scilicet Deus Adamo instruxerat et adornaverat, *Genes.* II, 8 : ita S. Augustinus; et sicuti quilibet alius hortus amœnissimus, qui a Deo vel factus est, vel fieri potest (2).

ET SICUT ÆGYPTUS VENIENTIBUS IN SEGOR, *q. d.* Sicut ea pars Ægypti, qua itur in Segor : hæc enim irrigatur a Nilo, ideoque fertilissima est. Verum quia hæc pars Ægypti pari modo Sodomam et Gomorrham respicit, quæ nobiliores erant urbes quam Segor, quas proinde potius quam Segor nominasset hic Moses; hinc *secundo,* et magis apte ac genuine, τὸ *venientibus in Segor* refert non ad τὸ *sicut Ægyptus,* sed superius ad τὸ *regionem Jordanis, quæ universa irrigabatur venientibus* (veniendo) *in Segor, q. d.* Tota Pentapolis ante subversionem, maxime a loco in quo tunc erat Abram, eundo versus Segor, irrigua erat et fertilissima, sicut paradisus, et sicut Ægyptus, quam Nilus fœcundat. Ita S. Augustinus, Cajetanus, Pererius.

11. ELEGITQUE SIBI. — Permisit Deus in hac electione sua Lot decipi, tum ut ejus exemplo et conversatione Sodomitæ ad peccatorum odium, et virtutis amorem excitarentur; tum ut discamus amœniora non præferre salutaribus, nec sequi in electione nostram cupiditatem. « Infirmior, ait S. Ambrosius, lib. I *De Abraham,* cap. III, amœniora eligit, utiliora fastidit. Plerumque enim ubi fructus impares sunt, prudentior amœniora declinat. Cito invidiam movent, cito in se excitant mentem avari, » etc. Vers. 11.

RECESSIT AB ORIENTE. — Dices : Lot ibat ad Jordanem et Pentapolim, quæ sunt ad Orientem; ergo non recessit ab Oriente, sed ad eum accessit. Respondent aliqui esse enallagen præpositionis : *ab* enim poni pro *ad, versus;* hebr. enim est, *profectus est ab Oriente,* hoc est versus Orientem. Tantum enim vult dicere Lot secessisse ab Abraham; ille enim Orientem, hic Occidentem peragravit, *q. d.* Lot recessit ab Abraham versus Orientem. *Secundo,* alii cum Pererio respondent Lot recessisse ab Oriente, quia non directe rectoque itinere ex Bethel perrexit ad Orientem; sed lateraliter reflexit iter ad Pentapolim, quæ respectu Bethel partim erat ad Orientem, partim ad Meridiem. Cum enim veniret ex Meridie, puta ex Ægypto, in Bethel, non recta perrexit ad Orientem, sed reflexit viam ad Meridiem, unde venerat. *Tertio* et genuine, Orientem hic Moses vocat locum, in quo consistebant Lot et Abraham, cum se ab invicem diviserunt, nimirum eum de quo dixit cap. XII, 8 : « Et inde transgrediens ad montem

(1) Hebræum משקה est regio canalibus fossisque rigata.

(2) Omnia in suo genere excellentissima *divina* sive *Dei* in Scripturis nominantur.

qui erat contra Orientem Bethel, tetendit ibi tabernaculum suum, ab Occidente habens Bethel, et ab Oriente Hai. » Hic ergo locus, in quo facta est separatio Lot ab Abraham, ut patet cap. XIII, 3, vocatur Oriens, quia erat contra Orientem Bethel, et ab Oriente habebat Hai. Sensus ergo est : Lot recessit ab Oriente, id est a loco in quo cum Abraham fecit pactum separationis, qui ob respectus jam dictos a Mose vocatur Oriens.

ALTERUTRUM A FRATRE SUO. — Hebraice « vir a fratre suo, » id est alter ab altero, frater a fratre, puta patruus a nepote.

Vers. 12. 12. ABRAM HABITAVIT IN TERRA CHANAAN. — « Chanaan » hic nomen est unius gentis et partis terræ promissionis, sitæ juxta mare Mediterraneum et fluenta Jordanis.

Chananæus enim fuit unus e septem populis habitantibus in terra promissionis, quos expulerunt Hebræi; a quo quasi præcipuo tota regio dicta est Chanaan, vel Chananæa; et hoc sensu etiam Lot habitans in Sodomis, habitavit in Chanaan. Sed arcte accipiendo vocem Chanaan, uti hic capitur, Abram in Chanaan, Lot vero non in Chanaan, sed in Sodomis habitavit. Sodoma autem non Chananæorum proprie, sed Pherezæorum erat, inquit Tostatus.

LOT VERO MORATUS EST IN OPPIDIS, QUÆ ERANT CIRCA JORDANEM, ET HABITAVIT IN SODOMIS, — scilicet Lot proficiscens et peregrinans cum suis gregibus, obibat oppida et campos Jordanis, usque ad Sodomam, ut clare habent Hebræa.

Vers. 13. 13. SODOMITÆ PESSIMI ERANT ET PECCATORES CORAM DOMINO, — hoc est, eximii et gravissimi peccatores; quia quæ Dei sunt, vel coram Deo, hæc magna et eximia sunt. Peccata hæc, vel potius peccatorum horum originem, explicat Ezechiel cap. XVI, 49, cum ait : « Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis, et abundantia, et otium ipsius (Septuaginta vertunt, *deliciis affluebat ipsa et filiæ ejus, et gloriabantur magnifice*), et manum egeno et pauperi non porrigebant, » *q. d.* Hæc fuit quintuplex Sodomæ iniquitas, eaque radix et origo cæterarum, scilicet libidinum portentosarum : nimirum *prima* Sodomæ iniquitas, fuit superbia; *secunda*, saturitas panis et ciborum, puta comessatio et compotatio; *tertia*, abundantia et luxus rerum omnium; *quarta*, otium.

Quintuplex peccatum Sodomæ.
Primum.
Secundum.
Tertium.
Quartum.

Quæritur, Ægysthus quare sit factus adulter :
In promptu causa est, desidiosus erat.

Quintum. *Quinta*, immisericordia. Unde S. Hieronymus in citatum versum *Ezech.*, sic ait : « Superbia, saturitas panis, rerum omnium abundantia, otium et deliciæ peccatum sodomiticum est; et propter hoc sequitur Dei oblivio, quæ præsentia bona putat esse perpetua, unde de Israele scriptum est : Manducavit et bibit, et saturatus est, et impinguatus, et calcitravit dilectus. Quod sciens sapientissimus omnium Salomon ita precatur : Tribue mihi necessaria et quæ sufficiant, ne saturatus mendax fiam, et dicam : Quis me videbit? aut pauper effectus, furer, et pejerem nomen Dei mei. » Hactenus S. Hieronymus.

Secundo, Sodomitæ erant peccatores coram Domino, id est palam, publice in oculis solis hujus, ipso Deo et sole spectante inverecunde peccabant, *q. d.* Sodomitæ non tantum iniquissimi erant, sed et impudentes, Dei hominumque contemptores.

Tertio, Hebræum לאדני *ladonai*, quod Noster vertit *coram Domino*, potest cum Vatablo verti, *in Dominum, contra Dominum.*

Eo major fuit virtus Lot, quod inter pessimos optimus fuerit, uti docet S. Petrus II *epist.* II, 7, et S. Gregorius, lib. I *Moral.* cap. I.

Vers. 15. 15. OMNEM TERRAM QUAM CONSPICIS. — Probabile est quod sentit Pererius, scilicet Deum, vel angelum vice Dei, Abramo vigilanti (æque ac Mosi *Deuter.* XXXIV, 1) objecisse imaginem totius terræ promissionis (hanc enim totam naturaliter, tantum circumspiciendo, pervidere non poterat Abram) et singularum ejus partium, in qua omnia quæ in illa terra spectatu digna erant, proprie, distincte ac liquido cerneret. Sic enim diabolus Christo ostendit omnia regna mundi et gloriam eorum, *Matth.* IV, 8. Sic S. Benedictus, Deo eum elevante, vidit totum mundum, velut exiguum globum in aere pendulum, sub uno solis radio oculis suis subjectum, uti refert S. Gregorius lib. III *Dialog.* cap. XXXV.

TIBI DABO, ET SEMINI TUO USQUE IN SEMPITERNUM. — Τὸ *et* exegeticum est, idemque valet, quod *id est;* Abrahæ enim censetur dari quod semini et ejus posteris datur, juxta *Can.* 15. Ita S. Chrysostomus et Cajetanus (1). Promittitur ergo hic ad litteram Hebræis possessio terræ Chanaan in sempiternum; non absolute, sed respective, scilicet quamdiu durabit hoc semen, id est populus et respublica Hebræorum. Jam enim disperso et everso ejus regno, et republica, quid mirum si terram hanc, in qua rempublicam et regnum suum habebant, amplius non obtineant?

Lex vetus fuit æterna, sed respective tantum et conditionate.

Adde cum S. Thoma, vel potius Thoma Anglico, Pererio et aliis, promissionem hanc esse conditionatam; promittitur enim Hebræis Chananæa hac conditione, si videlicet ipsi vicissim Deo obediant, ejusque legem et cultum servent, ut patet *Levit.* XXVI : quod quia non fecerunt Judæi, hinc Deus rescidit sua pacta et promissa, eosque afflixit et evertit, uti eis comminatus fuerat *Levit.* XXVI.

Nota : Deus hic remuneratur Abrahæ mansuetudinem et magnanimitatem, qua Lot, licet juniori, cesserat meliora pascua, *q. d.* Tu prius Lot, pacis

(1) Rectius Clericus : « Quamvis Deus hos agros Abrahami demum posteris, post aliquot secula, possidendos dederit; attamen iis sensu dilutiore Abrahamum donasse etiam censeri potest, quum in iis per plurimos annos pacate vixerit, consenuerit et obierit; quin et in agro a se empto Saram uxorem sepelierit, et ipse tandem sepultus fuerit. »

causa; cessisti Pentapolim; ideo ego nunc tibi majora do. « Omnem, ait, terram quam conspicis tibi dabo. » Vide quam largiter Deus remuneret, si quid pacis causa relinquatur. Parum cesserat Abram ipsi Lot, et nunc universam terram accipit.

Unde S. Ambrosius, lib. II *De Abraham*, cap. VII: « Hinc, ait, tanquam ex fonte hauserunt Stoici philosophici dogmatis sententiam, omnia sapientis esse. Oriens enim et Occidens, Septentrio et Meridies, portiones sunt universitatis. His enim totus mundus includitur. Hæc cum promisit Deus daturum se Abrahæ, quid aliud declarat, nisi sapienti et fideli præsto omnia, deesse nihil? Unde et Salomon in *Proverb.* cap. XVII, ait : Ejus qui fidelis sit, totus mundus divitiarum. » Et mox : « Quomodo sapientis totus mundus est? Quoniam ipsa natura dat illi sortem omnium, etiamsi ipse nihil possideat. Domina est et possessor sapientia, quæ sua putat naturæ munera, quoniam in usum hominum data sunt, nec ullis indiget, etiamsi desint ei ad victum necessaria. Sapiens suum judicat quidquid naturæ est, qui vivit secundum naturam. Non enim amittit jus suum, qui meminit se ad imaginem Dei factum, et ad homines a Deo dictum : Crescite et multiplicamini, et replete terram, et dominamini in ea, et imperate piscibus maris, et volatilibus cœli, et omnibus pecoribus, et omni terræ; et omnibus quæ repunt super terram. Et novit, quia sapientia mater omnium est, et orbem terrarum possidet.» Anagogice, idem accipit « terram resurrectionis, quam promisit patribus nostris, fluentem lac et mel, suavitatem vitæ, jucunditatis gratiam, splendorem gloriæ, cujus hæres primus factus est primogenitus a mortuis Dei Filius Jesus Christus. » Ita S. Chrysostomus, *hom.* 34 : « Sciebat, ait, Patriarcha cedentem minoribus, assecuturum majora, et cessit Loto, regionemque deteriorem elegit, ut contentionis resecaret occasionem, et servata virtute sua peculiari totam domum pacatam redderet. » Et anterius : « Nihil animam ita in tranquillitate et quiete esse facit, ut mansuetudo et modestia : Hæc omni diademate se possidenti est utilior, » etc.

Anagogice, promittitur hic spirituale semen Abrahæ, id est, fideles et electi plurimi; eisque terram viventium in cœlis, proprie in sempiternum possidendam, Deus hic pollicetur. Ita ex Apostolo *Rom.* IV, 16, S. Augustinus, XVI *De Civit.* XXI.

16. SICUT PULVEREM TERRÆ. — Id est, plurimos, et pene innumerabiles dabo tibi posteros. Est hyperbole. Nam in rigore arithmetico clarum est longe plures esse arenas in terra, quam sint, fuerint, ac futuri sint Judæi. Vers. 16.

Symbolice Isidorus Pelusiota, lib. III, *ep.* 296, notat posteros Abrahæ hic comparari pulveri terræ, cap. XV vero, vers. 5, stellis cœli : quia ex iis alii futuri erant sapientes et sancti, cœlestes, sublimes et illustres instar stellarum cœli; alii vero insipientes et pravi, terrestres, viles, obscuri, ideoque dispergendi in omnem terram instar arenæ vento agitatæ.

17. PERAMBULA. — Non præcepit, sed offert, *q. d.* Si vis scire quanta sit hæc terra, perambula eam, miraberis, et gaudebis. Ita S. Chrysostomus; nec enim reipsa Abram totam Chananæam perambulavit. Vers. 17.

18. CONVALLEM MAMBRE. — Hebraice est, *elon Mambre*, id est, quercus et quercetum Mambre. Hæc ergo convallis quercubus erat consita; dicta est Mambre a possessore, qui vocabatur Mambre, de quo cap. XIV, 13. Vers. 18.

IN HEBRON, — in territorio Hebron, juxta Hebron (1).

ÆDIFICAVITQUE IBI ALTARE DOMINO. — Abram religiosus ubique Domino erigit altaria, dicitque Deo : « A te principium, tibi desinet. » Non ergo Abrahæ filii sunt Novantes, qui aras evertunt.

(1) Multi putant voces *in Hebron* non esse a manu Mosis, nam non Abrahami tantum temporibus, sed ipsius Mosis et Josue, hæc urbs vocabatur *Arba*, aut *Kiriath-Arba*. Vid. infra XXIII, 2; XXXV, 4; *Jud.* I, 10. Cum vero Caleb eam expugnasset, mutatum id nomen in *Hebronem* est, quemadmodum vocabatur Calebi nepos. Alii tamen censent, *Hebron* antiquissimum urbis nomen fuisse, quod illa jam Abrahami ætate habuerit, postea autem, dum in Ægypto degerent Jacobi posteri, in *Kiriath-Arba* mutatum fuerit; postquam vero expugnata urbs a Josua fuisset, inditum iterum esse illi priscum Hebronis nomen: quemadmodum urbs Hierosolymitana, postquam per aliquod tempus *Ælia Capitolina* vocata esset, priscum nomen serioribus temporibus recuperavit. Cf. *Jos.* XV, 13.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Babylonii bello superant Pentapolitas : inter eos capitur et Lot, quem Abram vers. 14, *liberat cæsis Babyloniis : quare lætus pro victoria Abram, vers.* 18, *decimas dat Melchisedeco, et ab eo benedicitur.*

1. Factum est autem in illo tempore, ut Amraphel, rex Sennaar, et Arioch, rex Ponti, et Chodorlahomor, rex Elamitarum, et Thadal, rex Gentium, 2. inirent bellum contra Bara, regem Sodomorum, et contra Bersa, regem Gomorrhæ, et contra Sennaab, regem Adamæ

et contra Semeber, regem Seboim, contraque regem Balæ, ipsa est Segor. 3. Omnes hi convenerunt in vallem Silvestrem, quæ nunc est mare salis. 4. Duodecim enim annis servierant Chodorlahomor, et tertio decimo anno recesserunt ab eo. 5. Igitur quarto decimo anno venit Chodorlahomor, et reges qui erant cum eo, percusseruntque Raphaim in Astarothearnaim, et Zuzim cum eis, et Emim in Save Cariathaim, 6. et Chorræos in montibus Seir, usque ad Campestria Pharan, quæ est in solitudine. 7. Reversique sunt, et venerunt ad fontem Misphat, ipsa est Cades: et percusserunt omnem regionem Amalecitarum, et Amorrhæum qui habitabat in Asasonthamar. 8. Et egressi sunt, rex Sodomorum, et rex Gomorrhæ, rexque Adamæ, et rex Seboim, necnon et rex Balæ, quæ est Segor: et direxerunt aciem contra eos in valle Silvestri: 9. scilicet adversus Chodorlahomor, regem Elamitarum, et Thadal, regem Gentium, et Amraphel, regem Sennaar, et Arioch, regem Ponti: quatuor reges adversus quinque. 10. Vallis autem Silvestris habebat puteos multos bituminis. Itaque rex Sodomorum et Gomorrhæ terga verterunt, ceciderunteque ibi: et qui remanserant, fugerunt ad montem. 11. Tulerunt autem omnem substantiam Sodomorum et Gomorrhæ, et universa quæ ad cibum pertinent, et abierunt: 12. nec non et Lot et substantiam ejus, filium fratris Abram, qui habitabat in Sodomis. 13. Et ecce unus qui evaserat, nuntiavit Abram Hebræo, qui habitabat in convalle Mambre Amorrhæi fratris Escol, et fratris Aner: hi enim pepigerant fœdus cum Abram. 14. Quod cum audisset Abram, captum videlicet Lot fratrem suum, numeravit expeditos vernaculos suos trecentos decem et octo: et persecutus est usque Dan. 15. Et divisis sociis irruit super eos nocte, percussitque eos, et persecutus est eos usque Hoba, quæ est ad lævam Damasci. 16. Reduxitque omnem substantiam, et Lot fratrem suum cum substantia illius, mulieres quoque et populum. 17. Egressus est autem rex Sodomorum in occursum ejus, postquam reversus est a cæde Chodorlahomor, et regum qui cum eo erant in valle Save, quæ est vallis regis. 18. At vero Melchisedech, rex Salem, proferens panem et vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi, 19. benedixit ei, et ait: Benedictus Abram Deo excelso, qui creavit cœlum et terram: 20. et benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt. Et dedit ei decimas ex omnibus. 21. Dixit autem rex Sodomorum ad Abram: Da mihi animas, cætera tolle tibi. 22. Qui respondit ei: Levo manum meam ad Dominum Deum excelsum possessorem cœli et terræ, 23. quod a filo subtegminis usque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua sunt, ne dicas: Ego ditavi Abram: 24. exceptis his, quæ comederunt juvenes, et partibus virorum, qui venerunt mecum, Aner, Escol et Mambre: isti accipient partes suas.

Vers. 1. 1. AMRAPHEL; REX SENNAAR,—rex Babylonis, uti dixi cap. XI, vers. 2. Hic ergo Amraphel videtur tertius aut quartus fuisse a Nemrod, primo rege et tyranno Babylonis. Rursum, hic Amraphel fuit primus et præcipuus hujus belli dux (1).

Dices: Quomodo ergo Josephus hoc bellum vocat bellum et exercitum Assyriorum? Respondeo: Sub Assyriis Babylonios intelligit, jam enim una eademque erat monarchia Assyriorum et Babyloniorum: omnes enim hi reges subditi fuerunt regi Assyriorum, scilicet Nino monarchæ.

(1) Rectius hebræum Septuaginta vertunt, factum est autem, regnante Amraphele, rege Sennaar, ut Arioch rex, etc. Nam Amraphelis mentio inservit hic designationi temporis, quo hæc gesta sunt. Fœderatorum regum præcipuum Chodorlahomorem fuisse, cui reliqui auxilium tulerunt, colligere est e vers. 4.

Videtur ergo Ninus, translata monarchia ex Babylone in Ninivem, alium regem vel viceregem in Babylone constituisse, cujus hic Amraphel fuerit successor.

Nota: Hoc bellum videtur contigisse quinque circiter annis post egressum Abrahæ de Haran in Chanaan, qui contigit anno Abrahæ 75, *Gen.* XII, 4. Nam gesta Abrahæ, a cap. XII hucusque, facile quinque annos exposcunt, uti et quinque annos exposcunt, quæ ab hoc cap. narrantur usque ad cap. XVI, scilicet usque ad nativitatem Ismaelis, quæ contigit anno decimo a vocatione Abrahæ, ut patet cap. XVI, vers. 3.

Contigit ergo hoc bellum sub annum Abrahæ 80, qui fuit Nini junioris trigesimus. Nam Abram natus est anno 43 Nini senioris, qui universim regnavit annos 52. Novennis ergo erat Abram, cum mor-

Sub annum Abrahæ 80, contigit hoc ejus bellum.

tuus est Ninus senior. Huic Nino successit uxor Semiramis, qui regnavit 42 annis. Huic deinde successit filius Ninus junior, qui regnavit annis 83; ergo annus 80 Abrahæ incidit in 29 vel 30 Nini junioris.

ET ARIOCH, REX PONTI. — Hebræi, Chaldæus et Septuaginta habent, *rex Ellasar*. Forte hæc est urbs Cœlesyriæ, quæ a Stephano vocatur Ellas, alio nomine Pontus dicta; uti vertit hic noster Interpres. Aliter Tostatus et Pererius, qui per Pontum hic Hellespontum intelligunt : ut Arioch hic fuerit rex Hellesponti, indeque aliis regibus hic nominatis in auxilium venerit. Verum hi nimis remote hunc Arioch in Pentapolim accersunt (1).

CHODORLAHOMOR, REX ELAM, — rex Persarum, qui ab Elam filio Sem prognati, dicti sunt Elamitæ et Elymæi. Ita Diodorus. Hic Chodorlahomor videtur fuisse fax belli : alios enim reges accendit in Pentapolitas, ut eos olim a se subjugatos, et jam rebellantes, rursum sub jugum suum mitteret.

ET THADAL, REX GENTIUM, — rex Galilææ superioris, quæ dicta est Gentium, eo quod a vicinis gentibus, Arabibus et Ægyptiis, teste Strabone, lib. XVI, propter fertilitatem et mercimoniorum ob insignes portus opportunitatem, incoleretur; ideoque postmodum a Judæis, illi Galilææ nomen indentibus, dicta est Galilæa Gentium. Ita Andreas Masius in *Josue* cap. XII, vers. 9.

Aliter Lyranus et Tostatus hic gentes accipiunt, scilicet errones et profugos ex variis gentibus, quibus asylum in suo regno dederit hic Thadal.

Vers. 2. 2. BALÆ, IPSA EST SEGOR. — Quæ prius dicebatur Bala, postea dicta est Segor, id est *parva* : postquam scilicet Lot illi quasi parvæ veniam a Deo impetravit, ut in eam se reciperet, ne communi Pentapolis incendio conflagraret, ut patet cap. XIX, vers. 22.

Symbolice S. Ambrosius, lib. II *De Abraham*, cap. VII : « Quinque reges, ait, quinque sensus corporis nostri sunt, visus, odoratus, gustus, tactus, auditus. Quatuor reges, illecebræ corporales atque mundanæ sunt : quoniam et caro hominis, ut mundus, quatuor constat elementis. Merito reges dicuntur, quia habet suum culpa dominatum, habet regnum grande. Sensus igitur nostri facile delectationibus sæcularibus se dedunt, et quadam earum potestate capiuntur. Corporales enim delectationes et illecebras hujus sæculi non vincit, nisi mens quæ fuerit spiritualis, adhærens Deo et se totam a terrenis separans. Deflexio (hoc enim significat hebraice *Lot*) omnis his capitur. »

Vers. 3. 3. IN VALLEM SILVESTREM, QUÆ NUNC EST MARE SALIS, — in vallem pulchram, et instar nemoris arboribus consitam (2), quæ post conflagrationem Sodomæ versa est in lacum asphaltitem, ideoque dicta est mare salsum. Pentapolis enim, post conflagrationem, aquis iis salsis a Deo est obruta, ut nullum animal ibi vivere possit, unde et vocatur mare hoc Mortuum.

Vers. 4. 4. RECESSERUNT, — Hebraice מרדו *maradu* rebellarunt, jugum excusserunt.

Vers. 5. 5. PERCUSSERUNTQUE RAPHAIM. — Narrat hic obiter Moses, quod Chodorlahomor cum suis, antequam bellum suis rebellibus Pentapolitis inferret, prius vastarit quatuor gentes eis vicinas, ne rebellibus opem ferre possent : puta Zuzim, Emim, Chorræos et Raphaim. Raphaim videntur fuisse gigantes, posteri Rapha gigantis, et habitasse in terra Basan, quæ idcirco dicta est terra gigantum, *Deuteron.* III, 13. Putant Rabbini *Raphaim* dici ab Orpha, nuru Noemi, *Ruth.* cap. I; ab Orpha enim natum esse Goliath gigantem, quem occidit David. Idem sensit Prudentius in *Hamartigenia*, dum loquens de Orpha, ait illam contempta Noemi, maluisse « semiferi stirpem nutrire Goliæ. » Verum hæc est fabula, nam ערפה per *ain*, רפה *rapha* sine *ain* scribitur : *ain* autem nunquam ex themate excidit.

Raphaim qui est unde?

Secundo, Forerius in *Isaiæ* XXVI, 14, putat « Raphaim » dici a רפא *rapha*, id est mederi, sanare : gigantes enim erant homines sani, firmi, torosi.

Tertio, alii « Raphaim » deducunt a רפה *rapha*, id est dissolvere, quia gigantes suo tantum aspectu vasto et horribili vires ac nervos hominum dissolvebant.

Quarto, Pineda in *Job* XXVI, 5, et Sanchez in *Isaiæ* XXVI, 14, putant « Raphaim » dici a *Rapha*, patre Goliath, qui quatuor filios gigantes genuit, II *Reg.* XXI; inde quivis gigantes dicti sunt « Raphaim. » Sic *Enakim* dicti sunt gigantes a primo eorum parente *Enac*. Verum obstat quod Moses hebraice scribens vocet eos « Raphaim : » ergo diu ante Davidem et Goliath gigantes vocabantur « Raphaim, » tempore Mosis et Josue; nam in libro Josue sæpius fit mentio « Raphaim. » Videntur ergo « Raphaim » dicti et orti a parente suo *Rapha*, qui Mose fuit antiquior. Responderi posset Mosen non vocasse eos « Raphaim, » sed « Nephillim, » aut « Enakim; » sed compilatorem Pentateuchi usitato tum nomine vocasse eos « Raphaim, » sicut *Gen.* XIV, 14, urbs *Dan*, quæ tempore Mosis *Lesem*, postea vero a Danitis occupata vocata est *Dan*. Verum rursum obstat quod compilator hic Pentateuchi fuerit Josue vel alius ei coævus, qui longe præcessit tempora Davidis et Goliath. Accedit quod *Enakim* fuerint tempore Mosis, ut patet *Deuter.* I, 28. Constat autem eos tunc ita vocatos a patre suo Enac, qui Mosen præcessit : ergo idem dicendum est de « Ra-

(1) Nomen *Ponti* hic tractum aliquem Babyloniæ confinem videtur designare.

(2) Hebr. est vallem *siddim*, hoc est, *planities agrorum*, a שדה, qui vero שדים, non שדים in plurali esse deberet. Alii derivant a שדד, *occavit*, ut *siddim* sint agri aratro proscissi et complanati.

phaim; » fuerunt enim hæ duæ stirpes et familiæ gigantum.

Cætera nomina propria sunt locorum. Vide hic morem Dei, qui solet impios per impios punire : sunt enim impii virga et flagellum Dei. Sic Judæos punivit per Chaldæos, Chaldæos per Persas, Persas per Græcos, Græcos per Romanos, Romanos per Gothos.

ASTAROTHCARNAIM. — Astaroth vel Astarte fuit dea Syrorum et Palæstinorum, quam Græci et Latini Dianam et Junonem vocarunt; unde et S. Augustinus hic, *Quæst.* 16, asserit lingua Punica, quæ ex Hebræa descendit, Junonem vocari Astartem. Jam Diana hæc est luna, diciturque Carnaim, id est bicornis. Dicta ergo videtur hæc urbs Astarothcarnaim, a Dianæ idolo quod in ea colebatur. Dianam enim, eo quod eadem esset luna, solere pingi et fingi cum lunula bicorni in fronte, docent veteres statuæ et numismata. Ita Delrio.

Astaroth-carnaim est Diana, puta luna bicornis, ejusque idolum et urbs.

Aliter R. Nehemannus : putat enim ipse hanc Astartem dici Cardaim, id est bicornem, eo quod sita esset urbs hæc cum suo Astartis idolo in bicorni, seu bicolli monte (1).

Vers. 7. 7. AD FONTEM MISPHAT,—id est judicii; ita dictus est postea hic fons, eo quod Deus ibi judicarit Mosen et Aaron, quasi indignos qui terram promissam ingrederentur, propter incredulitatem, qua non crediderunt Deo promittenti aquas ex petra *Num.* XX : ita Tostatus, Lyranus et S. Hieronymus *ad Fabiolam.*

Secundo et certius, Pererius putat, idem esse *Misphat* et *Meriba* : fons enim *Misphat* idem est cum aquis *Meriba*, id est contradictionis, *Numer.* XX, 13. Dicitur ergo hic fons *Misphat*, id est judicii, vel *Meriba*, id est litis, jurgii, murmuris et contradictionis, quia ibi Judæi ob defectum aquæ murmurarunt contra Dominum, et cum eo quasi lite et judicio expostularunt. Verum quia Deus hanc litem miraculo vicit et diremit, dum miraculose ex petra dedit aquas, itaque sanctificatus fuit in eis : hinc fons hic et locus postea dictus est Cades, id est sancta, ut patet *Num.* XX, 13. Fons hic situs est contra Petram Arabiæ. Vide Adrichomium (2).

ASASONTHAMAR,—*q. d.* Urbs palmarum. Fuit hæc Amorrhæorum urbs, postea Engaddi dicta. Ita ex S. Hieronymo, Eucherio, Chaldæo Adrichomius.

10. VALLIS AUTEM SILVESTRIS HABEBAT PUTEOS MULTOS BITUMINIS. — Addit hoc Moses, ut significet regem Sodomæ cum suis hunc locum ad conflictum elegisse, eo consilio et dolo, ut hostes Babylonii horum locorum ignari, utpote peregrini, in hos puteos pugnando corruerent; sed Dei judicio secus factum est, scilicet ut ipsimet Sodomitæ victi et perculsi, in hosce puteos suos caderent; unde sequitur : Vers. 10.

CECIDERUNTQUE IBI. — Non ipsi reges Sodomæ et Gomorrhæ (hi enim fugerunt et evaserunt, ut patet vers. 17), sed eorum milites partim gladio ceciderunt, partim ex trepidatione et præcipitatione fugiendo in puteos bituminis corruerunt. Ita Abulensis.

Permisit Deus hic Pentapolitas succumbere, ut hac plaga et castigatione eos ad mentem et frugem reduceret; sed frustra : ideoque paulo post eos igne cœlesti subvertit.

12. NEC NON ET LOT. — Permisit Deus Lot in Sodomis capi, ut castigaret ejus præproperam et sensualem electionem, qua inter impiissimos Sodomitas, illectus loci fertilitate, habitare præelegerat. Fuit tamen hæc Lot captivitas injusta, idcoque justo bello liberavit eum Abram. Esto enim Chodorlahomor Pentapolitas rebellantes justo bello invasisset, Lot tamen, utpote exterum et peregrinum, tangere non poterat. Adde Chodorlahomor Pentapolitas magis ambitione et libidine dominandi, ut videtur, quam justo aliquo titulo sibi subjugasse : totum ergo ejus hoc bellum injustum fuisse videtur, ac proinde juste eum Abram persecutus est, et cecidit. Vers. 12. Abram habuit justum belli titulum.

13. ABRAM HEBRÆO. — Hic primo invenitur cognomen Hebræi. Quæres, unde dicti sint Hebræi? Respondeo *primo*, ab Heber, qui fuit atavus Abræ. Hebræi ergo dicti sunt posteri Heber : non omnes, sed ii tantum qui per Abram, Isaac et Jacob descendentes, divisis in Babel linguis, primigeniam linguam Hebræam ab avo suo Heber, cum vera unius Dei fide, religione et pietate traxerunt et conservarunt : hi enim vocantur filii Heber, puta Hebræi, cap. X, vers. 21. Ita S. Hieronymus, Acacius, Josephus, Eusebius, Cajetanus, Tostatus, Eugubinus, et S. Augustinus, lib. II *Retract.* XIV, ubi retractat id quod dixerat lib. I *De Consensu Evang.*, cap. XIV, scilicet Hebræos ab Abram, quasi Abræos dictos esse : hoc enim non esse verum, patet ex hoc loco, ubi ipsemet Abram vocatur Hebræus : rursum ex eo quod Abram per aleph, Hebræus vero per ain scribatur. Vers. 13. Hebræi dicti sunt ab Heber avo suo.

Secundo, Hebræus dicitur a radice עבר *abar*, id Secundo.

(1) *Zuzim* a Veteribus pro gigantum gente, sicut Raphaim, esse habitos, patet ex antiquis versionibus. Quod sequitur בהם, pro punctorum diversitate diversimode verti potest. Aliis est *cum* eis, aliis הם Zuzæorum sedes habetur. Cf. Rosenmullerum ad h. l. אימים *terribiles* sonat : Emæi sedes habebant in *planitie* urbis *Kiriathaim*, Moabiticæ scil., de qua *Jerem.* XLVIII, 20, 21; *Ezech.* XXV, 9.

Vers. 6. *Et Chorræos in montibus eorum*, videl. *Seir.* Chorræi sunt Troglodytæ (חור *foramen*, τρωγλη), qui in montibus nunc desertis, quos olim Idumæi coluerunt, ante eos habitabant. Pro *campestria* alii Hebræum vertunt *terebinthum*. *Pharan* pars est desertæ Arabiæ ad Idumææ montes usque porrectæ, in qua Ptolemæus *Pharauctas* collocat.

(2) Verba tamen quæ sequuntur, *ipsa est Cades*, novum magisque hujus loci notum nomen, indicare videntur τὸ *Misphat* fuisse nomen vetus, ob causam aliquam nobis ignotam loco olim inditam.

Regionem Amalecitarum, id est incolas illius regionis quam postea occupaverunt Amalecitæ, inter Ægyptum et terram Canaan. Cf. infra XXXVI, 12.

Hebræus idem est quod transiens, scilicet Euphratem.

est transivit, quasi dicas, transiens, transamnanus, transeuphrateus, uti nos vocamus transmarinos, transalpinos, transmosanos, quia scilicet Abram et Hebræi ex Chaldæa oriundi, transierunt Euphratem, ut habitarent in Palæstina : unde primus Abram hic post transitum Euphratem, habitans in Chanaan vocatur Hebræus. Hinc et Septuaginta et Aquila hic pro *Hebræo* vertunt περάτῃ, id est transitori, vel, ut vertit S. Augustinus hic, Quæst. 29, *transfluviali*. Ita Theodoretus, S. Chrysostomus, Origenes, Diodorus, Rupertus, Burgensis hic, et Ribera in I *Jonæ*.

Hebra est Euphrates, ait Theodoretus.

Addit Theodoretus Hebræum dici ab Euphrate, scilicet transito : « Hebra enim, ait, Syrorum lingua, idem est quod Euphrates. » Unde et utrobique pene eædem sunt litteræ, ut Hebræus idem sit quod Euphratæus : forte Mesopotamii ob continuum transitum, fluvium suum Euphratem vocarunt Hebra, id est transitum : sicut Judæi Jordanem in suo trajectu vocarunt *bet abara*, id est domum sive locum transitus, *Joan.* I, 28.

Qui ergo primo ab *Heber* dicti sunt Hebræi, iidem postea a transitu Euphratis dicti pariter sunt Hebræi, id est transitores, transamnani ; utrumque enim in Hebræos competit.

Cur Abram hic vocetur Hebræus?

Nota, in hoc bello primo Abram vocatur *Hebræus*, ut significetur Abram non Sodomita, non Palæstinus, non Syrus, sed Hebræus, sua hac victoria præludere Hebræis, qui sub Josue pari modo victores et gloriosi futuri erant, in eadem Chananæa, eamque totam sibi a Deo promissam erant bello subacturi : unde Chananææ possessionem hic quasi inchoat, primusque in ea victor et triumphans pedem figit Abram.

Vers. 14.

14. NUMERAVIT EXPEDITOS. — Hebraice est ירק חניכיו *iarec chanichaf* id est, expedivit (1) initiatos, vel instructos suos, quos scilicet jam ferrum armaque tractare docuerat, ut peregre inter impios et infideles habitans, contra eorum injurias, iis justo bello se tueri posset. Habebat enim jus belli, tanquam princeps independens familiæ suæ numerosæ, et ab aliis populis segregatæ a Deo constitutus, de quo plura cap. XXXVIII, vers. 24.

VERNACULOS SUOS, — servos domi suæ natos. Ita Hebræa.

Mysteria numeri 318.

TRECENTOS DECEM ET OCTO. — Ut scias (ait S. Ambrosius, lib. *De Abraham*, cap. III) non quantitatem numeri, sed meritum electionis expressum : eos enim adsciscit Abram, quos numero fidelium dignos judicavit, qui in Domini nostri Jesu Christi passionem crederent. T enim, quod Græcis 300 significat, signum est crucis ; I et H, quæ significant 10 et 8, initium sunt et abbreviatio græci nominis Jesu, si τῷ *H* T inscribas hoc modo ιħs ; tantum enim deest littera S, ut sit plenum nomen Jesus. Magis ergo merito fidei vicit Abram, quam numeroso exercitu. Ita S. Ambrosius, Eucherius et Rupertus, lib. V, cap. XV. Ubi adverte. Contigit hæc Abrahæ victoria juxta Dan, ut patet vers. 14, quæ postea a Philippo Tetrarcha, in gratiam Cæsaris Tiberii, dicta est Cæsarea Philippi, ubi Petrus obscuram et symbolicam hanc Abrahæ fidei confessionem clare expressit ; dicens : « Tu es Christus Filius Dei vivi ; » *Matthæi* XVI.

Rursum idem S. Ambrosius, lib. I *De Fide ad Gratianum*, et Liberius Papa in epistola *ad Orientales*, et Rupertus hic putant hisce 318 Abrahæ patris credentium militibus, præsignificatos fuisse 318 Patres, fidei pugiles, qui in victrice Nicæa infidelem Arium vicerunt et damnarunt. Verum hæc omnia symbolice sunt accipienda, et ænigmatice. Moses enim hæc scripsit hebraice, non græce : sed potuit Spiritus Sanctus hæc ita attemperare, ut etiam in lingua et Ecclesia Græca (quæ futura erat florentissima, in quam proinde hæc Hebræa transferri volebat) sua continerent mysteria.

Vers. 15.

15. ET DIVISIS SOCIIS IRRUIT SUPER EOS NOCTE. — Abram unam turmam duxit : socios tres, puta Aner, Escol et Mambre, in tres, ut videtur, turmas divisit, ut omnes effugii vias hosti clauderet, utque a quatuor partibus eos adoriens percelleret, opinantes a magno exercitu se undique cingi, itaque omnes somno vinoque sepultos opprimeret.

Nota hic Abrahæ bellicam fortitudinem, prudentiam, vigilantiam, fidem, justitiam, rursum charitatem, amicitiam, liberalitatem tum erga Lot, tum erga suos socios et amicos. Sic Leonidas, rex Lacedæmonum, cum trecentis in castra Xerxis, quæ numerosissima erant, irrumpens, non ante cædendi finem fecit, quam fessus occumberet, qui ad suos : « Prandete, ait, Commilitones, quasi apud inferos cœnaturi. » Vide hic quam facile Deus dejiciat omnem mundi potentiam, quamque per paucos, æque ac per multos salvare possit.

Leonidæ vox.

USQUE DAN. — Urbs Dan tempore Abrahæ et Mosis vocabatur Lais vel Lesem ; et ita scripsit Moses : sed qui hæc diaria Mosis digessit, pro Lais substituit nomen Dan, quo post Mosen vocata est, *Josue* XIX, 47 : vide *Can.* 3. Alii putant Mosen spiritu prophetico vocasse eam Dan, quia ita vocandam prævidebat ; sed prius est verius (2).

(1) Verbum דָּרִיק alias, ut *Ps.* XXXV, 3, *gladios* lanceasve vaginis, thecis aut armentariis suis *educere* sonat ; hic per metaphoram *milites in aciem* velut ex umbratica vita *educere* valet. Septuaginta et Hieronymus fortasse וידק per *daleth* legerunt, quod ad דוק *curiosius inspicere*, hinc *lustrare*, *numerare*, retulerunt.

(2) Alii existimant fuisse alium locum ab urbe *Dan*, non quidem remotum, ubi alter fontium Jordanis. Cf. Josephum, *Antiq.* lib. I, cap. X. Hic fons, priusquam urbs Lais nomen novum nancisceretur, dudum *Dan* dictus, deinde, cum Danitæ ea loca invasissent, id nominis est sortitus, cum ipsa etiam urbe vicina. Quod cum fieri saltem possit, hoc ex loco certum duci non potest argumentum, hoc vocabulum a Mose scriptum non esse. Ita Clericus.

Vers. 17. 17. EGRESSUS REX SODOMORUM, — vel ex montibus, vel ex urbe Sodoma, in quam, licet ab hoste jam ante direptam, fuga elapsus evaserat.

IN OCCURSUM EJUS, — ut Abrahæ de victoria congratularetur, eisque gratias ageret, et ab eo suos cives ab hoste liberatos repeteret.

IN VALLE SAVE, QUÆ EST VALLIS REGIS. — Quia hæc vallis postea dicta est vallis regis Melchisedech, ut habent Septuaginta, forte ex eo quod circa hanc vallem Melchisedech occurrerit Abrahæ victori, eique benedixerit, ac sacrificium Deo obtulerit. Aut certe hæc vallis dicta est regis, id est, ampla et regia; unde Josephus eam vocat campum regium. Hinc dicitur vallis *Save*, id est *plana*: dicitur etiam vallis illustris ob amœnitatem, quia juxta Jordanem sita est, porrigiturque usque ad mare Mortuum. Ita Borchardus.

Vers. 18. 18. AT VERO MELCHISEDECH. — Videtur Abram ex Dan, et convalle Save, sive illustri, domum rediens in Hebron, sive ad convallem Mambre, nonnihil deflexisse versus Salem ad Melchisedech, ut regem tam pium et tam celebrem viseret, utque per eum pro victoria adepta gratias Deo ageret et sacrificaret. Melchisedech, intelligens adventare Abram, occurrit ei.

Quæres, quis fuerit hic Melchisedech?

Primo, hæretici Melchisedechiani docuerunt Melchisedech esse Spiritum Sanctum : hic enim est Melchisedech, id est, rex justitiæ; sed hæc est hæresis.

Secundo, Origenes et Didymus putarunt Melchisedech fuisse angelum.

Tertio, Hebræi, teste S. Hieronymo hic in *Quæst.*, volunt Melchisedech fuisse Sem filium Noe : vixit, enim Sem usque ad tempora Abrahæ et Melchisedech.

Dico *primo*, de fide est Melchisedech fuisse verum et merum hominem. Fuit enim rex Salem et sacerdos, qui occurrit et benedixit Abrahæ, uti hic dicitur. Ita Epiphanius, *hæres.* 56; Cyrillus, et alii passim.

Melchisedech fuit regulus Chananæus. Dico *secundo*, probabilius est Melchisedech non fuisse Sem, sed aliquem e regulis Chananæorum, qui inter impios Chananæos pius et sanctus vixit. Ita Theodoretus, Eusebius et passim veteres, quia Sem genealogia texitur in Genesi : Melchisedech autem est sine genealogia, ut ait Apostolus, *Hebr.* VII. *Secundo*, quia Sem cum posteris occupavit Orientem; Cham vero cum suis occupavit terram Chanaan, in qua erat Salem, cujus rex fuit Melchisedech : erat ergo ipse Chamæus et Chananæus, non autem Sem aut Semita. Vide dicta *ad Hebræos*, VII, 7.

Dico *tertio*, Melchisedech idem est quod rex justitiæ; a justitia ergo et sanctitate huic regi inditum et appropriatum est hoc nomen Melchisedech : non ergo hoc nomen fuit commune regum Jerusalem, uti vult Cajetanus, quemadmodum Ægyptis regibus commune fuit nomen Pharao, et postea Ptolomæus; atque Palæstinis regibus tempore Abrahæ commune nomen erat Abimelech. Sed huic personæ et regi proprium fuit hoc nomen Melchisedech; fuit enim ipse typus Christi justi et sancti Sanctorum. Unde tradit S. Ignatius, epist. *ad Philadelphiam*, et Suidas, Melchisedech et regem et pontificem et virginem tota vita permansisse.

Dico *quarto*, Melchisedech fuit typus Christi : *primo*, in nomine et nominis etymo : uterque enim fuit rex justitiæ; *secundo*, in officio et statu : uterque enim fuit rex Salem, id est pacis; *tertio*, in generatione : uterque enim fuit sine patre et matre, *ad Hebræos* VII, 2; *quarto*, in ætate et duratione : uterque enim quasi æternus inducitur in Scriptura; *quinto*, in pontificatu; *sexto*, in sacerdotio Eucharistico. Vide dicta *ad Hebræos*, VII, 16 et seq. Melchisedech fuit virgo. Fuit typus Christi ob sex analogias.

REX SALEM. — Censet S. Hieronymus, epistola 126 *ad Evagrium*, hanc Salem non esse Jerusalem, sed aliam urbem sitam juxta Scythopolim, ubi Joannes baptizabat, *Joan.* III, 23, in qua, ait Hieronymus, etiamnum ostenditur palatium Melchisedech, sed errore vulgi, uti videtur. Forte Jeroboam ejusque posteri, ut hoc suum palatium celebrarent, dixerunt illud fuisse palatium Melchisedech. Nam communiter Patres docent Melchisedech fuisse regem Salem, id est Jerusalem : ita Irenæus, Eusebius Cæsariensis, et Emissenus, Apollinarius; Josephus, Chaldæus, Procopius, Abulensis, Andreas Masius, Isidorus, et ex iis Ribera in *Hebr.* VII, estque hæc traditio Hebræorum. Jerusalem enim prius dicta est Jebus, et Salem, ut patet *Psalm.* LXXV, 3, in Hebræo. Imo Josephus, lib. VII *Belli*, cap. XVIII, et ex eo Hegesippus et Isidorus, tradunt Jerusalem conditam esse a Melchisedech. Fuit rex Jerusalem.

PROFERENS (hebraice הוֹצִיא *hotsi*, id est protulit) PANEM ET VINUM, — non ad cibum militum, vel ad epulum victoriale, ut volunt Calvinus et Kemnitius : jam enim ex præda saturi erant milites, ut patet vers. 24; sed ad sacrificium pacificum, in gratiarum actionem pro victoria Abrahæ a Deo concessa offerendum. Patet id, *primo*, ex eo quod subditur : « Erat enim sacerdos, » *q. d.* Protulit panem et vinum ad sacrificium, quia erat sacerdos, cujus proprium munus est sacrificare; *secundo*, quia *Psal.* CIX, *Hebr.* VII, et alibi celebre est sacerdotium, ac consequenter sacrificium Melchisedech. Jam vero nusquam alibi sacrificium Melchisedech, ejusque ritus et modus exprimitur nisi hic; ergo protulit hic panem et vinum ad hoc, ut ea Deo ex more suo offerret in sacrificium. Solitus ergo erat Melchisedech Deo panem et vinum offerre. *Tertio*, quia veteres Rab- Idem verus sacerdos.

Vers. 15. *Hoba*, quo nomine Eusebii adhuc tempore villa (κώμη) exstitit in tractu Damasceno. *Ad lævam Damasci*, id est, ad septentrionem Damasci. Oriens enim censetur anterior mundi pars, occidens posterior : unde hic dicitur אחור, ille קדם. Meridies *dextra* pars mundi vocatur, unde sequitur septentrionem esse *sinistram*.

bini, quos citat et sequitur Galatinus, lib. X *De Arcanis catholicæ veritatis*, Genebrardus in *Chronologia*, in *Melchisedech*, vertunt, *obtulit panem et vinum*. Hebræi enim verbo *hotsi* in sacrificiis utuntur, ut patet *Judic.* cap. VI, vers 18, ubi hebraice est הוֹצִיאתִי מִנחָתִי *hotseti mincha*, quod noster Interpres vertit, *portans sacrificium*; S. Augustinus vero in lib. *Judicum*, Quæst. XXXV, vertit *offeram sacrificium*. *Quarto*, quia Apostolus, *Hebr.* cap. VII, sacrificium Melchisedech opponit Aaronico, dicitque Christum sacerdotem esse secundum ordinem non Aaron, sed Melchisedech : Aaronici autem sacerdotes offerebant omnis generis animalia : ergo Melchisedech non hæc, nec victimam cruentam, sed incruentam, puta panem et vinum, obtulit. *Quinto*, est hæc communis sententia Patrum, Irenæi, Cypriani, Augustini, Hieronymi, Theodoreti, Eusebii, Ambrosii et aliorum, quos citat Bellarminus, lib. I *De Missa*, cap. VI.

Hinc patet Missam esse sacrificium, Christumque non tantum in cruce, sed etiam in ultima cœna sacrificasse, adeoque Eucharistiam non tantum esse Sacramentum, sed et sacrificium : tam enim David, quam Apostolus, dicunt Christum esse sacerdotem, secundum ordinem non Aaron, sed Melchisedech : atqui talis non fuit in cruce, quia in cruce cruentum obtulit sacrificium, quod proinde potius fuit secundum ordinem Aaron, quam Melchisedech; ergo talis fuit in ultima cœna, cum scilicet Eucharistiam sub specie panis et vini instar Melchisedech Deo obtulit. Ita passim docent omnes Patres, quos citat Bellarminus loco jam citato.

Nota : Melchisedech prius panem et vinum Deo obtulit in sacrificium, scilicet partem panis cremando, partem vini libando, id est, effundendo Deo in gratiarum actionem pro victoria Abrahæ; deinde reliquam panis et vini partem in milites Abrahæ libandam, id est, participandam et comedendam distribuit : hoc enim moris erat in sacrificio pacifico. Ita pariter Christus in ultima cœna obtulit panem et vinum, consecrando illa, et transsubstantiando in sacrificium Eucharisticum, eaque deinde Apostolis libanda distribuit, et similiter offerenda et libanda præcepit.

ERAT ENIM SACERDOS. — Hebraice וְהוּא כֹהֵן *vehu cohen, et ipse sacerdos*, id est, quia erat ipse sacerdos : dat enim causam, cur protulerit panem et vinum, scilicet, quia ex iis parabat sacrificium : hæc enim ad præcedentia in hoc versu pertinere, non autem ad sequentem vers. 9, uti volunt Novantes, patet ex textu Hebræo, Græco, Chaldæo et Latino, qui omnes hæc in eodem versu jungunt præcedentibus, scilicet vers. 18, non autem sequentibus vers. 19. Falluntur ergo Novantes, qui Melchisedech sacerdotem hic vocari putant eo tantum nomine, quod benedixerit Abrahæ, uti sequitur.

Sic sæpe hebræum *vau*, id est *et*, sumitur pro rationali כִּי *ki*, id est *quia, nam, enim;* ut *Ps.* XCIV, vers. 5 : « Ipsius est mare, et (id est *quia*, ut vertit S. Hieronymus) ipse fecit illud. » *Isaiæ* LXIV, 5 : « Tu iratus es, et (*quia*) peccavimus. » *Lucæ* capite I, vers. 42 : « Benedicta tu in mulieribus, et (*quia*) benedictus fructus ventris tui, » et alibi sæpe.

SACERDOS. — Novantes vertunt, *princeps*; sic enim sumitur hebraice כֹהֵן *cohen*, II *Reg.* VIII, 18, ubi filii David vocantur sacerdotes, id est principes; et, ut Septuginta vertunt, ἀρχαί, uti exponitur I *Paral.* XVIII, 17. Verum proprie *cohen* non nisi sacerdotem significat, abusive vero et raro significat principem. Hic vero significare sacerdotem patet, *primo*, tum ex antecedentibus, tum ex sequentibus : non enim principis, sed sacerdotis est tam sacrificare, quam benedicere; *secundo*, quia ita vertunt Septuaginta, Chaldæus, Philo, Josephus et Rabbini; *tertio*, quia sequitur, « Dei altissimi; » erat ergo sacerdos : non enim recte quis dicitur Princeps Dei altissimi, sed recte quis dicitur Sacerdos Dei Altissimi; *quarto*, quia ita vertit S. Paulus, *Hebr.* VII, 1, cum ait : « Hic enim Melchisedech, rex Salem, Sacerdos Dei summi, » græce ὑψίστου (uti et vertunt Septuaginta quos citat et sequitur Paulus), id est altissimi (1). Melchisedech fuit sacerdos.

Notat S. Dionysius, cap. VIII *Cœlest. Hierarch.*, Melchisedech dici sacerdotem Dei altissimi, non tantum eo quod illi ipse serviret, sed quod et alios ad ejus fidem cultumque converteret ac promoveret.

19. BENEDIXIT EI. — Puta Melchisedech Abramo, tanquam major juniori benedixit. Erat enim Melchisedech typus Christi, sacerdotis æterni, cum Abram ad suos Levitas temporarium tantum sacerdotium transmiserit. Benedixit autem, dicens : « Benedictus Abram Deo excelso, » id est a Deo, vel apud Deum excelsum, *q. d.* Benedicatur Abram, et bonis cumuletur a Deo excelso, prout ipse cœpit ei benedicere, dum ipsi hanc victoriam tam illustrem contulit. Ita Lipomanus, qui hic notat tres actiones sacerdotales Melchisedech : prima est, quod panem et vinum obtulerit; secunda, quod Abramo victori benedixerit; tertia, quod ab eo decimas acceperit. Vers. 19.

QUI CREAVIT, — Hebraice est קֹנֵה *kone*, id est possessor, qui possedit, vel qui comparavit : sed ideo Deus est possessor cœli et terræ, quia eorumdem est creator, eaque creationis titulo sibi comparavit, suaque fecit. Sic vers. 22, dicitur Deus possessor (id est creator, ideoque possessor) cœli et terræ. Sic *Psal.* CXXXVIII, 13, dicitur, « possedisti (id est formasti, et formando possedisti) renes meos. »

20. DEDIT EI DECIMAS. — Puta Abram Melchise- Vers. 20.

(1) Apud antiquissimos populos rex simul erat sacerdos, vel pontifex. Apud Virgilium, *Æneid.* III, 80, legitur :

Rex Anius, rex idem hominum Phœbique sacerdos.

Cf. Aristotelem, *Polit.* lib. III, cap. XIV.

decho, ut patet *ad Hebr.* VII, vers. 4. Ita Josephus et alii passim. Falluntur ergo Hebræi nonnulli, qui e contrario volunt Melchisedech dedisse decimas Abramo : quorum hæc est ratio. Ille dedit decimas qui præcessit, quique benedixit Abramo; atqui hic est Melchisedech : ergo Melchisedech dedit decimas. Verum falsa est major propositio. Hebræis enim crebra est enallage personæ : ipsi enim sæpe ab una persona ad aliam tacito nomine transeunt, eamque ex dialogismo, vel aliis circumstantiis subintelligendam relinquunt.

Tropologice S. Ambrosius hic : « Qui vincit, ait, non debet arrogare sibi victoriam, sed deferre Deo. Hoc Abraham docet, qui triumpho humilior factus est, non superbior : sacrificium denique obtulit, decimas dedit. »

DECIMAS. — Unum de decem, inquit Chaldæus. Vide hic quam fides et ratio naturalis inclinent ad dandas Deo decimas, etiamsi eas absolute non præcipiant; et hoc sensu decimæ dici possunt esse juris naturæ, cum absolute sint juris positivi, scilicet divini in lege veteri, humani in lege nova. Abrahæ avi exemplum secutus est Jacob, cap. XXVIII, vers. 22.

Ita et Gentiles quodam religionis impulsu, sæpe in bello de manubiis decimas voverunt et reddiderunt. Id a Posthumio factum est, obtenta belli Latini victoria, nec non ab aliis Romanorum ducibus, uti narrat Dionysius Halicarnassius, lib. VI, Livius et alii. Xenophon quoque in *Cyro*, lib. V : « Hic etiam, inquit, pecuniam de captivis collectam partiti, eamque quam decimæ nomine aut Apollini, aut Ephesiæ Dianæ voverant, consecrandam Prætores acceperunt. » Idem in *Agesilao* : « Hostium, ait, ita fruitus agro est, ut duobus annis centum talenta et amplius Deo apud Delphos decimam dedicaret. »

Notat Chrysostomus, orat. 4 *Contra Judæos*, Melchisedech præfigurasse sacerdotes novæ legis; Abram, qui ei decimas dedit, adumbrasse laicos.

EX OMNIBUS — spoliis, quæ Babyloniis in bello ademerat.

Vers. 21. 21. DA MIHI ANIMAS, — homines : ita Septuaginta, *q. d.* Redde mihi cives et subditos meos captivos, quos cum Lot hostibus excussisti; cæteram prædam tibi serva.

Nota, quid valeat unius viri virtus et gratia apud Deum : scilicet, Deus in unius justi Lot gratiam, tot impios Pentapolitas liberavit, ut famulum suum Abram magnificaret.

Vers. 22. Levo manum, id est juro. 22. LEVO MANUM MEAM. — *q. d.* Levans manum in cœlum, quasi ad Deum, quem testem et vindicem invoco, juro : hac enim cæremonia veteres jurabant, levando scilicet manum in cœlum (1).

POSSESSOREM COELI ET TERRÆ. — Hinc Philo, libro *De Cherubim*, docet Deum solum habere dominium rerum omnium; homines vero earumdem tantum habere usum et fructum.

Vers. 23. 23. A FILO SUBTEGMINIS USQUE AD CORRIGIAM CALIGÆ, — id est, nec vilissimum, nec minimum quid accipiam. Est adagium. Vox *subtegminis* non est in Hebræo, sed a nostro Interprete addita est explicationis causa. Subtegmen est filum quod sub stamine texitur, vel quod stamini intexitur : in textrina enim sibi respondent quasi correlativa, stamen et subtegmen. Porro caliga est genus calceamenti militaris, unde milites caligati dicti sunt, et Caius imperator dictus est Caligula. Sic *Actor.* XII, 8, dicitur : « Calcea te caligas tuas, » quasi calceos tuos (2).

Caliga pro calceo.

NON ACCIPIAM EX OMNIBUS QUÆ TUA SUNT, — quæ sunt Pentapolitanorum, quæque ab hoste recuperavi : nam ex bonis hostium non negat Abram se partem suam accepturum.

Nota hic continentiam Abrahæ, quæ eum vere divitem fecit, ut posset dicere illud Senecæ : « Meæ sunt divitiæ, tu divitiarum es : quia divitiæ sapienti in servitute, stulto in imperio sunt. » Noluit ergo quidquam accipere, *primo*, ut omnes viderent eum non propter lucrum pugnasse, sed ex charitate, ad liberandos captivos. Quam paucos hodie sic bellantes invenies? *Secundo*, quia illa bona pauperibus erepta erant : maluit ergo ea ipsis restitui, quam illis ditari; *tertio*, quia noluit esse obnoxius regi ea offerenti; *quarto*, ut gloriam victoriæ non sibi, sed Deo attribueret; *quinto*, ut insignem animum, terrena omnia parvipendentem, impiis ostenderet, seque majus quiddam habere quam opes, in quibus infideles omnem spem collocant, *q. d.* Habeo Deum, qui plus potest, quam omnia mundi bona. Unde S. Ambrosius, libro II *De Abraham*, capite VIII : « Perfectæ, ait, mentis est, nihil de terrenis, nihil de corporalibus illecebris assumere. Ideo Abraham dicit : Nihil sumam ab omnibus tuis. Quasi contagium declinat intemperantiæ, quasi labem refugit corporalium sensuum, delectationes mundi rejicit, quærens quæ supra mundum sunt : hoc est extendere manus ad Dominum. Manus, operaria virtus est animæ. Angustæ mentes invitentur promissis, erigantur speratis mercedibus. »

Aliter Pererius : « Quæ tua sunt, » inquit, id est, quæ tua fuerunt, sed jam mea sunt; nam capta bello justo, cujuscumque illa fuerint, fiunt victoris, lege non naturali, sed positiva multarum gentium, quam in Hispania servari docent Abulensis et Covarruvias : eamdem in Belgio

(1) Idem jurantium apud Virgilium occurrit ritus, *Æneid.* XII, 195 :

> Sic prior Æneas, sequitur sic deinde Latinus,
> Suspiciens cœlum, tenditque ad sidera dextram :
> Hæc eadem, Ænea, terram, mare, sidera juro.

(2) Quia constructione phraseos per particulam מ sequente עד majora minoribus opponi solent, hinc aliqui hunc locum sic interpretantur : Non a rebus *pretiosioribus* usque ad vilissima quævis, ita ut חוט hic minime rem nihili, sed pretiosam, proprie vestem captivam indicet. Cf. *Prov.* VII, 16; *Oseæ* II, 15.

obtinere nonnulli dicunt, ut nimirum præda ab hoste abacta, et hosti rursum excussa cedat excussori, modo illa spatio 24 horarum fuerit in manu hostium. Verum hæc, ut dixi, sunt juris positivi, non naturæ, quod sequitur hic Abram.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Deus promittit Abrahæ semen numerosum instar stellarum cœli, simulque terram Chanaan. Hinc secundo, vers. 9, hujus promissionis dat signum, puta victimas, quibus simul fœdus suum cum Abram sancit. Tertio, vers. 13, se posteros Abrahæ post 400 annos in Chanaan inducturum pollicetur.

1. His itaque transactis, factus est sermo Domini ad Abram per visionem, dicens : Noli timere, Abram, ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis. 2. Dixitque Abram, Domine Deus, quid dabis mihi? ego vadam absque liberis : et filius procuratoris domus meæ iste Damascus Eliezer. 3. Addiditque Abram : Mihi autem non dedisti semen : et ecce vernaculus meus hæres meus erit. 4. Statimque sermo Domini factus est ad eum, dicens : Non erit hic hæres tuus, sed qui egredietur de utero tuo, ipsum habebis hæredem. 5. Eduxitque eum foras, et ait illi : Suspice cœlum, et numera stellas, si potes. Et dixit ei : Sic erit semen tuum. 6. Credidit Abram Deo, et reputatum est illi ad justitiam. 7. Dixitque ad eum : Ego Dominus qui eduxi te de Ur Chaldæorum, ut darem tibi terram istam, et possideres eam. 8. At ille ait, Domine Deus, unde scire possum, quod possessurus sim eam? 9. Et respondens Dominus : Sume, inquit, mihi vaccam triennem, et capram trimam, et arietem annorum trium, turturem quoque et columbam. 10. Qui tollens universa hæc, divisit ea per medium, et utrasque partes contra se altrinsecus posuit : aves autem non divisit. 11. Descenderuntque volucres super cadavera, et abigebat eas Abram. 12. Cumque sol occumberet, sopor irruit super Abram, et horror magnus et tenebrosus invasit eum. 13. Dictumque est ad eum : Scito prænoscens, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, et subjicient eos servituti, et affligent quadringentis annis. 14. Verumtamen gentem, cui servituri sunt, ego judicabo; et post hæc egredientur cum magna substantia. 15. Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona. 16. Generatione autem quarta revertentur huc; necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum usque ad præsens tempus. 17. Cum ergo occubuisset sol, facta est caligo tenebrosa, et apparuit clibanus fumans, et lampas ignis transiens inter divisiones illas. 18. In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abram, dicens : Semini tuo dabo terram hanc a fluvio Ægypti usque ad fluvium magnum Euphratem. 19. Cinæos, et Cenezæos, Cedmonæos, 20. et Hethæos, et Pherezæos, Raphaim quoque, 21. et Amorrhæos, et Chananæos, et Gergesæos, et Jebusæos.

vers. 1. 1. HIS ITAQUE TRANSACTIS, — *q. d.* Confecto in Sodomis bello et victoria, gratiisque Deo actis per Melchisedech; cum Abram metueret ne Babylonii bellum restaurarent, aut ne Chananæi invidia aut spe prædæ illecti, in eum quasi spoliis onustum irruerent : Deus volens remunerari ejus pietatem, fortitudinem et virtutem, apparuit Abramo, eumque roboravit, dictitans, nihil ipsi ab Assyriis aut Chananæis esse metuendum : ipsum enim sibi cordi esse et curæ, se ejus tutorem, protectorem et remuneratorem fore.

PER VISIONEM, — non in somno, sed in visione qua Abram vigil vidit angelum; Deum repræsentantem, in corpore assumpto : vel oculis corporeis, vel potius oculis mentis, cum eoque fœdus iniit. Ita Tostatus, Pererius, Oleaster.

EGO PROTECTOR TUUS. — Hebraice אבכי מגן לך *anochi magem lach*, ego sum *clypeus* tuus, ego sum scutum tuum, ego instar scuti te protegam, omniaque hostium tela excipiam. Unde Septuaginta vertunt, *ego hyperaspistes tuus*, qui scilicet te præcedo, et scuto meo protego, uti capitanei in

Deus est clypeus justorum.

acie suum habent hyperaspistem præambulum. Vide hic quomodo Deus justos et amicos suos soletur et protegat. Sic protexit Davidem, *Psalm.* v, 13 : « Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos. » Et *Psal.* CXVII, 6 : « Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo. »

Notum est apud Alciatum emblema militis, qui scutum, quo omnium hostium tela exceperat, cymbam fecit, qua fluvium pedibus impermeabilem trajecit, indeque clypeum osculatus : « Hic, inquit, verus et solus amicus mihi fuit, cum premererque solo, cum premererque salo. » Tale scutum ubique et in omnibus Abrahæ aliisque Sanctis fuit et est Deus.

ET MERCES TUA MAGNA NIMIS, — *q. d.* Quia tam pie, sancte et fortiter egisti, o Abram ; et quia respuisti mercedem vilem regis Sodomæ, cap. XIV, vers. 22, hac de causa ego tuæ fidei, patientiæ, fortitudini, charitati, obedientiæ meam mercedem rependam magnam nimis, quæ tuos labores longe exsuperet. Ita SS. Chrysostomus, Ambrosius, Cajetanus.

Nota hic mercedis nomen, contra hæreticos : ubi enim est merces, ibi est meritum bonorum operum, quod hanc mercedem meretur.

Merces honorum operum duplex.

Merces hæc *primo*, est temporaria, puta multitudo et amplitudo familiæ et posteritatis, ut patet vers. 5. *Secundo*, est spiritualis et æterna, *q. d.* Ego ipse qui sum Deus bonorum omnium oceanus, ero merces, præmium et beatitudo tua objectiva, o Abram. Idem canit David *Psal.* XV : « Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei, tu es qui restitues hæreditatem meam mihi. Funes ceciderunt mihi in præclaris ; etenim hæreditas mea præclara est mihi. » Et *Psal.* LXXI : « Quid mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? » et S. Thomas Aquinas cum Neapoli orans audiret a Christo crucifixo : « Bene scripsisti de me, Thoma, quæ ergo erit merces tua? » respondit : « Non alia quam tu, Domine, » tu enim es spes mea, merces mea, amor meus et omnia. Mentiuntur ergo impii, qui dicunt *Malach.* III, 14 : « Vanus est qui servit Deo. »

Deus est merces et beatitudo Sanctorum.

Addunt *tertio* nonnulli, per τὸ *ego protector tuus*, promitti Abrahæ donum perseverantiæ : per τὸ vero *et merces tua*, significari et revelari Abrahæ æternam ejus electionem, eamque efficacem ad gloriam. Sed hoc uti mysticum, ita incertum est.

Vers. 2. 2. QUID DABIS MIHI, *q. d.* Credo, Domine, te multa bona et opes mihi largiturum, sed cui illa servient? ego enim illiberis sum, filio et hærede careo. Sciebat Abram Deum sibi promisisse filium cap. XII, vers. 7, nec de Dei fide dubitat ; sed in re tanta tamque cupita ; metuit ne sua culpa Dei promissionem averterit, vel everterit. Cupido enim et amor omnia tuta timet ; nec quiescit donec potiatur amato, reque ita cupita.

Quid sit משק?

FILIUS PROCURATORIS. — Hebraice est בן משק *ben mesec*, quod *primo*, Gennadius et Diodorus exponunt *filius Mesec*, quæ est ancilla mea oriunda Damasco *Secundo*, Vatablus vertit, *filius relictionis domus meæ*, id est, is cui curam omnem rei familiaris meæ reliqui et commisi, puta dispensator et procurator meus. *Tertio* et proprie, Oleaster et Forsterus vertunt, *filius excursionis* vel *discursionis domus meæ*, id est, qui discursat per domum meam, uti solet œconomus, in rebus dispensandis et administrandis. *Mesec* enim deducitur a radice שוק *scuc*, vel שקק *scacac*, id est *discurrere*, quod proprium est procuratorum. Unde Chaldæus et Theodotion vertunt, *filius œconomiæ* vel *procurationis meæ*. Jam per hebraismum ponitur abstractum pro concreto, puta excursio pro excursore, procuratio pro procuratore : intelligitur enim nomen איש *is*, id est vir, *q. d. is mesec*, id est *vir procurationis*, cui scilicet credita est procuratio (1). Sic vulgo vocamus justitiam ipsum judicem, qui præest justitiæ. Unde Aquila vertit, *filius potum dantis domui meæ*, id est, ut S. Hieronymus in *Quæst. Hebr.* vertit, *filius procuratoris domus meæ* : procurator enim cibum et potum procurat et præbet familiæ.

ISTE DAMASCUS ELIEZER, — supple, meus hæres erit, quia careo filio. Jam Gennadius et Diodorus putant Eliezer vocari Damascum, id est Damascenum, quia natus erat ex matre Damascena.

Secundo, Tostatus, Delrio et Honcala putant huic servo proprium nomen fuisse Damascus, qui fuerit filius Eliezeri, *q. d.* Damascus Eliezeri, scilicet filius.

Tertio et genuine, ut videtur, Damascus hebraice דמשק *Dammesec*, descendit a *mesec*, quod præcessit ; ut præfixa littera *dalet* sit articulus, quem Syri usurpant pro *he* demonstrativo Hebræorum. « Damascus » ergo, vel *Dammesec*, idem est quod iste *mesec*, puta iste procurator, quod vulgo dicunt Flandri *den Procureur*. Itaque ex officio quasi perpetuo et hæreditario procurationis, hic servus vocatus Damascus, cum ejus proprium nomen esset Eliezer. Ab hoc Damasco conditam esse urbem Damascum tradit S. Hieronymus, Tostatus et alii. Quare ingeniosius quam verius censent alii, Damascum dici a דם *dam* et שק *sac*, quasi dicas, saccus sanguinis, puta rubri vini. Unde et Græci eam Damascum, quasi αἷμα, sanguinis, id est vini, et ἄσκον, saccum dictam voluerunt : et quia magna ibidem fuit vini fertilitas et copia, hinc Bacchum istic in sacco habitasse finxerunt. Sed hoc Gentilium fuit commentum, qui hunc Damascum Abrahæ œconomum ignorarunt ; ideoque ex etymologia Damasci, ejus nomenclaturam indagarunt.

Eliezer procurator Abrahæ, ideoque vocatur Damascus.

Hic Damascus condidit urbem Damascum.

(1) Melius, ut videtur, hanc vocem Schultensius illustrat ex Arabico *mashak*, quod proprie *pectinare, polire*, deinde vero metaphorice *diligenter et nitide curare* significat, ut *filius politionis domus meæ* sit politor, procurator domus meæ, qui universam domum administrat. Conqueritur Abrahamus, quod peregrino (Damasceno cuidam) et alienigenæ, non proprio filio, domus suæ curam committere, bonaque sua relinquere cogatur.

Vers. 3. 3. VERNACULUS MEUS, — verna meus, id est servus meus domi meæ natus, ut habent Hebræa.

Vers. 4. 4. STATIMQUE. — Vide quam cito angustiis et scrupulis suorum occurrat Deus.

DE UTERO. — De ventre. Est hebraismus.

Vers. 5. 5. NUMERA STELLAS. — Erat ergo tunc nox, non illunis, sed innubis, serena et stellata. Hinc patet stellas, etiam visibiles, esse nobis innumerabiles. Nam, ut ait S. Augustinus, quanto quisque acutius intuetur, tanto plures in cœlo videt. Ita ipse, lib. XVI *De Civit.* XXIII, S. Basilius, Eusebius, Aristoteles, Plato, et Seneca apud Pererium. Dioptra vero longe plures stellas ostendit, quæ solis oculis cerni nequeunt. Cum ergo nonnulli ex Ptolemæo et Astrologis tantum numerent stellas 1022, tantum visu insignes, illustres et magis notabiles numerant.

Stellæ innumerabiles.

Nota : Jubet Deus Abram numerare stellas, tum quia erat astronomus, tum quia eas sæpe suspicere, et ad cœlum suspirare et anhelare solebat, uti et faciebat S. P. N. Ignatius. Hinc Orpheus apud Clementem, lib. V *Stromat.*, Abrahamum vocat Astrologum, dum canit :

> Unus præterquam, cui derivatur origo
> Chaldæum ex genere; is noscebat sidera cœli,
> Illorumque vias, et qua moveatur in orbem
> Sphæra.

Posteritas Abrahæ, tum carnalis, tum spiritualis.

SIC ERIT SEMEN TUUM, — *q. d.* Instar stellarum erit, o Abram, posteritas tua, tum ad litteram, carnalis Judæorum, quam proprie hic efflagitas; tum allegorice, spiritualis credentium et Christianorum : hi enim sunt filii Abrahæ; tum quia ejus fidem et pietatem imitantur; tum quia Christus filius Abrahæ secundum carnem, Christianorum omnium est parens; et hoc est quod, teste S. Ambrosio et S. Augustino, dixit Christus *Joan.* VIII, 56 : « Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum; vidit, et gavisus est. »

Sancti sunt stellæ ob sex analogias.

Nota posteros Abrahæ, tum carnales, tum potius spirituales, recte comparari stellis cœli, quia posteritas hæc instar stellarum *primo*, est innumera et maxima (quod maxime hic ad litteram intenditur); *secundo*, est sublimissima et cœlestis; *tertio*, est constans, ordinatissima et æterna; *quarto*, est potentissima; *quinto*, est famosissima; *sexta*, est splendidissima et gloriosissima, atque talis maxime erit post resurrectionem : « Qui enim docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates, *Danielis* cap. XII. Stellæ ergo significant fideles illustres, uti sunt Doctores. Atque huc alludit Ecclesia, cum canit : « Signifer tuus S. Michael repræsentet eas in lucem sanctam, quam olim Abrahæ promisisti (ubi? nisi hic, et vers. 1) et semini ejus. »

Judæi fuerunt figura Christianorum

Nota *secundo* : Filii Abrahæ carnales, puta Judæi, expressa fuerunt figura spiritualium Abrahæ filiorum, puta Christianorum, *primo*, in numerosissima eorum multiplicatione; *secundo*, in durissima eorum vexatione et afflictione in Ægypto; *tertio*, in tam felici transitu maris Rubri demersis Ægyptiis; *quarto*, in cibo, puta manna cœlesti, quo aliti sunt in deserto per 40 annos; *quinto*, in serpente æneo : quem quicumque morsi a serpentibus aspiciebant, sanabantur; *sexto*, in peregrinatione 40 annorum per desertum, duce columna cœlesti, per tot pericula et tentationes; *septimo*, in introductione eorum in terram promissam, duce Josue, sive Jesu filio Nave; *octavo*, in abundantia vini, mellis et olei in terra Chanaan. Hæc enim omnia spiritualiter facile est adaptare Christianis. per octo analogias.

Vers. 6. 6. CREDIDIT ABRAM DEO, — promittenti rem tam arduam, et per naturam impossibilem, puta quod ex Sara anu et sterili generaret filium, et per eum posteros innumeros, instar stellarum cœli.

Nota : Hæc fides Abrahæ non nuda et informis fuit, uti volunt Novantes; sed submissionis, obedientiæ, reverentiæ, charitatis, aliarumque virtutum operibus vestita et formata, ut patet ex præcedent. et seq., atque ex Jacobi *epist.* cap. II, vers. 21.

Abram hic factus est non justus, sed justior.

ET REPUTATUM EST (a Deo, vel judicio Dei, quod sincerum est, et falli nequit) ILLI AD JUSTITIAM. — Hebraice est, *vaiachscebeha lo tsedaka*, « et reputavit illam, » scilicet fidem, Deus « illi ad justitiam, » majorem scilicet (nam jam ante justificatus erat Abram, ut patet vers. 1 et cap. præced.), et ut coram Deo justior appareret, et revera esset. Deus enim ita æstimat, uti res ipsa in se habet; alioqui enim falleretur Dei judicium.

Imputativa Novantium justitia rejicitur.

Perperam ergo Novantes ex hoc loco probare contendunt suam justitiam imputativam. Sic enim dixisset Moses : Imputavit Deus Abrahæ justitiam Christi; jam autem contrarium dicit, scilicet quod Deus ipsi Abrahæ fidem non Christi, sed ipsiusmet Abrahæ imputarit ad justitiam, quia scilicet propter Abrahæ fidem, actusque fidei tam heroicos, eum justum, imo solito justiorem habuit et censuit. Nam per hos intrinsecos fidei actus, non denominative, nec imputative, sed revera et intrinsece justificatus est, et in justitia crevit Abram.

Nota : Hæc sententia, « Credidit Abram Deo, et reputatum est illi ad justitiam, » generalis est, et ad omnia præcedentia pertinet. Abram enim per fidem ex injusto factus est justus, et per fidem in justitia jam adepta crevit. Vult enim S. Scriptura hic Abram proponere quasi patrem fidei et exemplar justificationis. Hic tamen potius quam alibi hanc sententiam ponit, quia credere semen tale ac tantum, tum carnale, tum spiritale ex conjugibus senibus, sterilibus et infirmis nasciturum, arduus erat fidei actus, isque amplissimus, omnia alia credenda tacite complectens. Plura de hoc loco dixi *Rom.* IV, 3.

Vers. 7. 7. POSSIDERES, — per tuos posteros.

Vers. 8. 8. UNDE SCIRE POSSUM. — Non dubitat Abram de Dei promissione (alioqui enim fides ejus non

Cur Abram petat signum?

fuisset illi reputata ad justitiam), sed tantum modum ejus scire cupit, et ejus quod crediderat symbolum aliquod, et similitudinem sibi exhiberi exoptat. Ita Theodoretus, S. Chrysostomus et S. Augustinus. Id ita esse patet ex responsione Dei, qui annuens petitioni Abrahæ tale dat signum, quo modum et ordinem futuræ ob oculos ponit; *secundo*, cupit hic Abram ut Deus promissum suum confirmet, nec ullis posterorum demeritis idipsum irritet, inquit Rupertus et Tostatus; *tertio*, non tam sibi quam posteris signum petit hic Abram, ut scilicet per signum hoc posteri firmius idipsum crederent. Ita Cajetanus.

Vers. 9. 9. SUME MIHI VACCAM TRIENNEM, etc. — *Primo*, in usum fœderis, quod tecum more et ritu vestro pacisci, horumque animalium occisione et divisione sancire volo; *secundo*, ut post initum mecum fœdus, iis mihi sacrifices; *tertio*, ut per ista tibi adumbrem et significem quæ posteris tuis eventura sunt, partim læta, partim tristia, antequam ineant possessionem terræ Chanaan, eis a me promissæ. Ita Pererius.

VACCAM TRIENNEM, ET CAPRAM TRIMAM, ET ARIETEM ANNORUM TRIUM, TURTUREM QUOQUE ET COLUMBAM. — Hæc omnia symbola sunt futurorum post Abram in ejus posteris, puta Hebræis.

Vacca, capra et aries significant tres generationes Hebræorum.

Primo ergo, « vacca » hæc « triennis » indomita significat primam generationem Hebræorum, eorumque libertatem in Ægypto tempore Joseph: tunc enim libere et laute, instar juvencæ, pascebantur opibus Ægypti; *secundo*, « capra trima » significat secundam generationem Hebræorum, quam post Joseph instar capræ mulgere cœperunt Ægyptii, Hebræorum operis et servitute se ditando; *tertio*, « aries » durus et cornutus significat tertiam generationem Hebræorum numerosissimam et fortissimam, ac proinde durissima servitute oppressam ab Ægyptiis, nascente Mose; *quarto*, « duæ aves; » non divisæ, uti cætera; sed integræ in sacrificium oblatæ, significant, quod post 400 annos Hebræi liberi et integri essent evolaturi ex Ægypto, ut Deum colerent, tum in deserto, tum in Chanaan. « Turtur » gemebunda significat 40 annos luctus, in peregrinatione per desertum. Unde turtur hebraice dicitur תור *tor*, a תור *tur*, id est cogitare, meditari, eo quod turtur intus loqui videatur, instar eorum qui meditabundi secum loquuntur. « Columba » socialis significat tempus Josue, quo Hebræi in terra promissa læte ac placide habitarunt. Pro *columba* hæbraice est גוזל *gosal*, id est pullus columbæ, sive pipio, ut vertit Chaldæus. Hebræi enim recenter sub Josue Chananæam ingressi, in ea fuerunt quasi pipiones.

« Dissectio quadrupedum » significat afflictiones varias Hebræorum in Ægypto; harum finem significant aves integræ. « Volucrum volatus » ad cadavera significat Og, Seon, Amalec aliosque hostes Israelem peregrinantem invadentes et vellicantes. « Abram volucres abigens » significat Dei providentiam, Hebræos ob merita Abrahæ tuentem et protegentem. Ita Theodoretus et Diodorus Tarsensis.

Tropologice, de oratione et variis in ea distractionibus instar avium abigendis, vide apud S. Gregorium lib. XVI *Moral.* XX.

Quæres, cur Deus voluit hæc animalia terrestria esse trima, sive trium annorum? Respondeo *primo*, quia trima animalia perfecta sunt statura, ætate et robore; *secundo*, symbolice, quia servitus Ægyptia duravit per tres generationes, puta Caat, Amram et Mosis.

Tropologice vacca est humilitas, capra pœnitentia, aries fortitudo, turtur castitas, columba mansuetudo.

Tropologice, qui contendit ad terram promissionis in cœlis, quasi verus Hebræus Abrahæ filius, hic sumat *primo*, vaccam triennem, id est humilitatem triplicem, puta, humiliet se superioribus, paribus et inferioribus; *secundo*, capram trimam, id est pœnitentiam triplicem; puta contritionem, confessionem et satisfactionem; *tertio*, arietem trimum, id est fortitudinem triplicem, ut scilicet fortiter ferat pro fide et Dei obsequio damna opum, honoris et corporis, sive vitæ; *quarto*, sumat turturem, id est castitatem et orationem; atque columbam, id est simplicitatem et mansuetudinem; *quinto*, abigat volucres, id est dæmonum tentationes.

Mystice, hoc est physice, S. Ambrosius, lib. II *De Abraham*, cap. VIII: Vitula, inquit, repræsentat terram, capra aquam, aries aerem, qui fortis ut aries, ventis et procellis terram aquamque concutit. Hæc enim offerenda sunt Deo. Moraliter, vitula est caro, capra est sensus, aries est verbum. « Caro nostra vitula est: laborat ut serat: laborat ut colligat: laborat ut pariat: innumeris fatigatur laboribus. Unde et Græci δάμαλιν ἀπὸ τοῦ δαμᾶσθαι λίαν, eo quod dometur nimis. Sensus autem nostri caprarum modo, velut saltu quodam alis exiliunt. Ad omnem occasionem præsto sunt, vel occursu femineæ pulchritudinis, vel odore suavitatis alicujus; auditu pariter et tactu moventur velociter, quibus etiam animæ inflectunt constantiam. Aries vehemens est, sicut et sermo noster efficax operationis, ordine quodam » vitæ et actionum « gregem ducens. » Hæc ergo tria Deo litanda sunt. Ita S. Ambrosius.

Allegorice, hæc animalia significabant Christum Christique sacrificium, quo sancitum est novum fœdus Christianorum cum Deo. Aries ergo, sive ovis significat Christi innocentiam: capra significat similitudinem carnis peccati in Christo: vacca, robur et patientiam Christi in perferendis laboribus: turtur, Christi munditiem et castimoniam: columba, quæ sine felle est, incomparabilem Christi mansuetudinem, quam ille nos præcipue amare et imitari voluit dicens: « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde. » Ita Lyranus.

Vers. 10. Sanciebantur

10. DIVISIT EA PER MEDIUM. — Fidit ea secando a capite ad caudam. Videtur hic Deus instituere ritum feriendi fœderis, ut scilicet in fœdere fin-

Fœdera divisione victimarum.

dant et dividant animalia, sive victimas fœderales, interque partes ita divisas transeant, imprecando sibi similem necem et fissionem, si fœdus violent. Unde hunc ritum deinceps servarunt Judæi, ut patet *Jerem.* cap. XXXIV, vers. 18. Chaldæi quoque : apud Chaldæos enim, inquit Diodorus Tarsensis, tutius habetur jusjurandum, cum illud per animalium sectionem sanciunt, eamdem prævaricatoribus imprecantes. Sic Romani et Latini :

Stabant, et cæsa firmabant fœdera porca.

Plura hac de re dixi I *Corinth.* cap. XI, vers. 25, et dicam *Exodi* XXIV, 8.

PARTES CONTRA SE. — Posuit partes illas sibi altrinsecus respondentes, relicto spatio intermedio ad transeundum. Hæc omnia fecit Abram instinctu et jussu Dei, licet id non exprimat Moses.

AVES NON DIVISIT, — quia non faciebant ad fœdus symbolice. S. Ambrosius, lib. II *De Abraham,* cap. VIII : « Non sunt enim, inquit, divisi justi ; quibus dicitur, ut sint simplices sicut columbæ. Mens enim directa ad Christi gratiam, videbat hunc mundum plenum esse iniquitatis : pudicitiam autem, fidem, sinceritatem nullis esse obnoxias passionibus; avaritiam vero, sollicitudines sæculi, quibus suffocantur qui habent voluptates divitiarum, dilacerari ac dividi. Unde et divitiæ dictæ sunt, quod mentem dividant, atque in diversum scindant, et in partes trahant, nec sinant incorruptam esse et integram. »

Vers. 11. 11. ABIGEBAT. — Recte : hoc enim significat hebræum יֶשֶׁב *iassceb*, a radice נָשַׁב *nascab*, id est amovit, expulit. Ita Chaldæi, Vatablus et alii, estque hæc versio vera et genuina. Certum enim est Abram abegisse volucres a suis victimis, alioqui enim eas devorassent. Verum Septuaginta aliis punctis legentes יֵשֵׁב *iesceb,* contrarie vertunt, *sedit cum eis Abram,* quod tamen verum quoque est; sedebat enim eminus Abram cum avibus a se abactis : hæ enim abactæ eminus sedebant victimis inhiantes, et ad eas redire cupientes.

Simili modo cum Episcopus solemnem Missam facit, diaconi ex utroque latere tenent flabella, ad muscas et culices abigendas, ne in calicem incidant : sicut Abram volucres, quæ ad victimas descendebant, abigebat, ait Turrianus in *Constit. Apost. S. Clementis* lib. VIII, cap. XII.

Notat S. Ambrosius, lib. II *De Abraham,* nullam hinc aruspicinæ, qua ex volatu vel garritu avium divinabant Gentiles, sumendam esse commendationem, quod tamen subinnuit Valesius *Sacræ Philosophiæ* cap. XXX, ubi videtur gentilizare, ideoque censuram Indicis Romani incurrit.

Vers. 12. 12. CUMQUE SOL OCCUMBERET, SOPOR IRRUIT SUPER ABRAM.—Sopor hic Abrahæ partim fuit naturalis, ex nimio labore diurno, occidendi, dividendi, sacrificandi victimas, abigendique ab eis volucres; partim fuit Abrahæ a Deo immissus, sicut Adæ soporem immisit *Gen.* II, 21. Est enim utrobique in hebræo eadem vox תַּרְדֵּמָה *tardema,* quam Septuaginta vertunt *ecstasin.* In exstasin ergo raptus Abram, vidit posterorum (ut patet vers. seq.) suorum in Ægypto servitutem, idque videns horrore et angore correptus est. Ita Philo, Pererius et alii.

Abram in exstasi videt futura.

Symbolice, hic sopor significabat Deum, quasi dormientem et dissimulantem ad tempus afflictionem Hebræorum : unde contigit in occasu solis, id est mortuo Joseph, qui eorum apud Pharaonem erat patronus; *secundo,* Pererius putat hunc soporem Abrahæ significare, quod Abram ante sit moriturus, nec visurus suæ gentis calamitatem.

Sopor Dei est Dei patientia et dissimulatio.

Allegorice, hæc ad perturbationem in fine mundi futuram refert S. Augustinus, lib. XVI *De Civit.* cap. XXIV.

13. IN TERRA NON SUA.—Puta partim in Ægypto, partim in Chananæa. Vers. 13.

ET SUBJICIENT EOS SERVITUTI, ET AFFLIGENT QUADRINGENTIS ANNIS. — Nota, hos 400 annos partim referendos esse ad τὸ *affligent*, partim ad τὸ *peregrinum erit semen tuum*, quod præcessit. Nam in Ægypto non servierunt Hebræi, imo non habitarunt 400 annis, sed tantum 215, uti ostendam *Exodi* XII, 40. Sensus est ergo, *q. d.* Ab hoc tempore, quo mox tibi, o Abram, promissum semen dabo, faciamque tibi nasci Isaac, usque ad egressum tuorum posterorum ex Ægyptia servitute in Chanaan, fluent anni 400, quibus Isaac et posteri tui, partim peregrini erunt hic in Chanaan et in Ægypto, partim in Ægypto servient et affligentur.

Nota, hos 400 annos inchoandos esse a nativitate Isaac (hæc enim concernunt posteros Isaac, non autem Ismaelis), quæ contigit anno 100 Abrahæ, qui fuit 25 ab ejus vocatione, *Genes.* XII, 4. Ab hoc enim anno 100 Abrahæ, usque ad exitum Hebræorum ex Ægypto fluxerunt anni 405. Sed Scriptura solet parvos numeros prætermittere, ideoque hic quinque annos omittit. Ita ex S. Augustino Pererius. Vel si præcisam supputationem requiris, hos annos inchoa ab ejectione Agar et Ismaelis ex domo Abrahæ; tunc enim remansit in domo Abrahæ solus Isaac, unicus hæres ejus, et harum ejus promissionum. Unde *Genes.* XXI, 12, ubi ejectio Ismaelis præcipitur, dicit Deus Abrahæ : « Quia in Isaac vocabitur tibi semen. Sed et filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia semen tuum est. » Ita Torniellus. Hæc enim ejectio Ismaelis contigit anno Abrahæ 105, cum Isaac esset quinquennis, ut dicam cap. XXI (1).

Ab Isaac ad exitum ex Ægypto sunt anni 405.

14. JUDICABO.—Gravissime puniam plagis Ægyptiacis, *Exodi* VII et seq. Vers. 14.

MAGNA SUBSTANTIA, — magnis opibus, tum suis, tum Ægyptiacis. Spoliabunt enim Ægyptum, *Exodi* cap. XII, vers. 36.

(1) Pro *subjicient eos servituti*, Hebr. est, *et servient inter eos*, scil. Ægyptios.

Vers. 15. 15. IBIS AD PATRES TUOS IN PACE, — defungeris morte placida, pacata et læta. Audi S. Ambrosium, lib. II *De Abraham*, cap. IX : « Nonnulli putaverunt patres esse elementa, ex quibus constat caro nostra dum vivimus, et in qua resolvimur. Sed nos qui meminimus matrem nobis esse Jerusalem, quæ sursum est, illos asserimus patres, qui vitæ merito et ordine antecesserunt. Erat illic Abel pia victima, erat pius et sanctus Henoch, erat Noe : ad eos promittitur Abraham transitus. »

IN SENECTUTE BONA, — provecta, matura, annorum 175.

Vers. 16. Generatio est spatium centum annorum. 16. GENERATIONE AUTEM QUARTA REVERTENTUR HUC. — « Generatione quarta, » id est, quarto sæculo, sive quarto centenario annorum, puta post 400 annos. Generatio enim, sive spatium vitæ humanæ, 100 annis circumscribitur, *Eccli.* XVIII, 8.

Potest *secundo*, cum Pererio generatio hic proprie capi, pro ea qua pater generat filium ; nam post descensum Jacob in Ægyptum, hæ fuerunt quatuor generationes in linea Juda, eorum qui ex Juda nati sunt in Ægypto : Esron, qui fuit nepos Juda, genuit Ram (en prima). Ram genuit Aminadab (en secunda). Aminabab genuit Naasson (en tertia). Naasson genuit Salmon, qui terram Chanaan Judæis a Deo promissam ingressus est (en quarta).

Dices : Septuaginta, *Exodi* XIII, 18, non quatuor, sed quinque generationes hic computant. Respondeo : Septuaginta computant a filiis Jacob exclusive; computant enim ipsum Phares, filium Juda. Nam Phares genuit Esron, at non in Ægypto, sed in Chanaan. Esron enim cum Phares patre, et avo Juda, et abavo Jacobo, e Chanaan intravit Ægyptum, ut patet *Gen.* XLVI, 12 et 26. Ideoque hæc quinta generatio hic omittitur.

NECDUM ENIM COMPLETÆ SUNT INIQUITATES AMORRHÆORUM. Nota : Per 40 annos toleravit Deus Chananæorum peccata, donec scilicet impleretur ab eis mensura peccatorum, a Deo vindictæ et excidio eorum præstituta : qua impleta, et Chananæis expulsis et deletis, in eorum locum et regionem surrogavit Hebræos.

Tria Chananæorum peccata. Nota *secundo* : Amorrhæorum et Chananæorum iniquitates (ut patet *Levit.* XVIII, et *Deuter.* IX et XII) præcipue fuere tres. *Primo*, idololatria, qua etiam proprios filios igni comburendo diis immolabant. *Secundo*, injustæ oppressiones peregrinorum et pauperum. *Tertio*, promiscua matrimonia cum consanguineis et cognatis. Rursum libido nefanda, non tantum marium cum maribus, sed etiam cum bestiis. Hæc ita abominanda fuerunt, ut terra non potuerit eos amplius sustinere, sed eos evomere sit coacta, ut ait Scriptura.

Quæ peccata maxime puniat Deus in hac vita? Ubi nota *tertio* : Deus in hac vita maxime solet punire peccata publica et inverecunda, quæ humanæ societati exitialia sint. Humana vero societas tribus maxime coalescit : *primo*, religione et pietate in Deum; *secundo*, æquitate et justitia; *tertio*, recta vivendi disciplina, et bona morum compositione. Contra *primum* peccant atheismus et idololatria ; contra *secundum*, rapinæ et oppressiones innocentum ; contra *tertium*, promiscua et infanda libido.

Denique S. Gregorius *in Ezech.* explicans illud, cap. III, *Si conversus justus a justitia fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo* : « Hoc, ait, cum tremore nobis considerandum est, quod justus et omnipotens Deus, cum irascitur præcedentibus peccatis, permittit ut cæcata mens etiam in alia delabatur. » Sic permisit Chananæos labi in alia et in alia scelera, donec impleretur eorum mensura. Magna ergo Dei pœna est impunitas peccandi, peccatori indulta ad graviorem ejus punitionem et damnationem. Ex hoc ergo loco disce *primo*, quidquid peccamus, quasi in unum cumulum coram Deo venire, ut mensura impleta certum super nos cadat exitium. Non ergo levia putemus esse peccata, etiam parva, quia addunt aliquid ad hunc cumulum. Disce *secundo*, gratiam esse, ubi Deus cito peccata punit : per hoc enim cumulus peccatorum decrescit; ex adverso magna ira Dei est, ubi Deus diu differt et dissimulat : tunc enim cumulus culpæ augetur, ac consequenter et pœnæ. Disce *tertio*, Deum impios tolerare ad certum terminum, quem transgredi non possunt sine Dei punitione. Disce *quarto*, cum in republica vel urbe, aut principe, aliove homine, peccata ad summum pervenerunt, tum certam Dei vindictam imminere. Eam ergo pœnitentia cita avertamus.

17. FACTA EST CALIGO. — Hæc omnia vidit Abram in exstasi, ut habent Septuaginta, vers. 12. Ita S. Augustinus, lib. II *Retract.* cap. XLIII. Vers. 17.

CLIBANUS FUMANS. — Clibanus ardens, et per flammam fumosam erumpens ; hic clibanus est symbolum et imago fornacis metaphoricæ, puta Ægyptiacæ servitutis in luto et latere, quem in suis furnis coquebant Hebræi : unde hæc eorum servitus vocatur fornax ferrea Ægypti, *Deut.* IV, 20 (1).

Symbolice S. Ambrosius, lib. II *De Abraham*, IX : « Fornacis, ait, similitudine exprimi videtur vita humana, quæ implicata iniquitatibus sæculi istius atque involuta, non habens veri fulgoris claritudinem, et splendorem sinceri luminis, intus quasi fornax æstuat diversis cupiditatibus, et quibusdam desideriorum anhelat ignibus : foris velut quodam fumo obtexitur, ne videat veritatis faciem ; donec cœlestes lampades dirigat Dominus Jesus, hoc est fulgorem gloriæ suæ. »

LAMPAS IGNIS. — Hebræi lampadem ignis vocant facem, vel titionem ardentem. Fuit ergo hæc lampas facula ardens et index Dei, qui passim solitus est in veteri Testamento apparere in igne, ut dixi *Hebr.* XII, 29. Lampas est facula.

(1) Hebr., *et fuit, sol iverat.* בָּאָה est tertia præteriti feminina, non vero participium. Clibanus, sicut et lampas, Dei præsentis ac fœdus cum Abrahamo ferientis indicium est.

Cur transit?

Nota : In fœderibus feriendis solebant ferientes transire inter victimas divisas, imprecantes sibi similem necem et divisionem, si fœdus violarent, ut dixi vers. 10. Hoc ergo lampadis, vel faculæ transitu per media animalia, firmat Deus suum fœdus cum Abram : loco enim Dei transit angelus in hac face repræsentatus et delitescens. Abram quoque, qui fœdus init cum Deo, pari modo transisse, vel potius visus sibi transire intelligendus est. Omnia enim hæc in visione sibi videre visus est Abram.

Quia hoc transitu sancit fœdus.

Fax hæc fuit typus columnæ ignis et nubis.

Secundo, hæc lampas sive facula significabat columnam ignis et nubis, per quam Deus Hebræos divisit ab Ægyptiis in mari Rubro, *Exodi*, cap. XIII, vers. 21. Eosque deinceps per desertum deduxit in terram promissam.

Rursum, lampas est Deus, ipso transitu quasi invitans Hebræos ad exitum ex Ægypto, juxta illud *Eccli.* L, 31 : « Lux Dei vestigium ejus, » id est præeuntis lucis, puta Dei vestigia sequitur. Deus enim in columna ignis et nubis præcedens castra Hebræorum, ea eduxit, viamque per desertum ostendit et præivit. Insuper Clemens Alexandrinus in *Parænet. ad Gentes*, in ipsa columna ignis lucentis et ardentis Deum ita populo loquentem inducit : « Si obedieris, lucem ; si non obedieris, ignem in te immittam. » Denique clibanus fumans est judex molestans torquensque impios in die judicii : lampas vero transiens est purgatorium breve, quo pii excoquuntur, ut transeant in vitam æternam.

Allegorice, hæc facula transiens significabat gloriam Dei, fidei et gratiæ a Judæis transituram ad Gentes. Ita Rupertus.

Anagogice, hæc facula significat diem judicii et ignem conflagrationis mundi, qui dirimet electos et reprobos, salvandos et damnandos. Ita Augustinus, lib. XVI *De Civit.* cap. XXIV.

Denique hæc facula transiens inter partes animalium divisas, eas cum columba et turture pariter absumpsit et combussit ; idque ut hoc modo perficeretur Abrahæ sacrificium, utque hoc signo testaretur Deus gratum sibi esse hoc Abrahæ sacrificium. Sic enim per ignem acceptavit Deus sacrificium Abelis, Gedeonis, Manue, Salomonis et aliorum, uti dixi cap. IV, vers. 4. Ita Chrysostomus, *hom.* 37.

Vers 18.

18. A FLUVIO ÆGYPTI. — Hic fluvius est rivus Nili, qui inter Rhinocoluram et Pelusium ingreditur mare Mediterraneum ; unde alibi vocatur torrens Ægypti, vel deserti : de quo vide Riberam in *Amos* cap. VI, num. 45 (1).

Vers. 19.

19. CINÆOS. — Nota : Hebræi sub Josue septem tantum gentium terram possederunt.

Cur nunc septem, nunc undecim gentes numerentur in Chanaan?

Dices : Quomodo ergo undecim gentium hic eis terra promittitur? decem enim hic nominantur, quibus si addas Hevæos, quos alibi exprimit Scriptura, habebis 11. Respondet Abulensis hanc promissionem non solos Hebræos, sed omnes Abrahæ posteros spectare, itaque hic Deum complecti etiam portionem terræ, quæ cessura erat Esau, nepoti Abrahæ, et Idumæis ; rursum portionem cessuram filiis Ammon et Moab, quibus in gratiam Abrahæ patrui sui Deus duarum gentium regionem tradidit. His tribus demptis restant octo, jam ex his octo Raphaim, sive gigantum, terra alibi sub Amorrhæis comprehenditur ; iis ergo demptis, restant 7 tantum gentes, quas possederunt Hebræi juxta Dei promissa. Verum verius est hæc omnia spectare, non Idumæos, nec Ammonitas et Moabitas, sed solos Hebræos, posteros Isaac et Jacob ; hi enim sunt semen Abrahæ, cui sua promissa consignat Deus.

Melius ergo respondet S. Augustinus Quæst. 21 *in Josue*, et ex eo Pererius, in Scriptura duplicem poni terram promissam : *primam*, quam Hebræi possederunt sub Josue, quæ septem tantum continebat gentes ; *secundam*, quam iidem possederunt sub Davide et Salomone, cum florentissimum fuit regnum Judæorum, eaque undecim gentes, quæ hic Abrahæ promittuntur, complectitur ; non quasi Hebræi sub Salomone omnem hanc terram inhabitarint, sed quod tota eis fuerit subdita et vectigalis.

Tertio et optime respondent S. Hieronymus et Andreas Masius in cap. I *Josue*, vers. 4, Deum non dedisse Hebræis totam terram hic eis promissam, eo quod ipsi conditiones promissionis et pacti, scilicet legem et cultum Dei non servarint. Unde passim in lib. *Judicum* dicitur, quod Chananæus etiam tunc habitaret in terra, quodque Deus reliquerit eis Jebusæum, qui exerceret Israelem. Hac ergo de causa, licet hæ gentes universim fuerint undecim, passim tamen nominantur septem tantum, ut videre est *Deut.* VII, 1 ; *Josue* XXIV, 11. Rursum, aliquando tantum sex nominantur : omittuntur enim Gergesæi, quia hi pauciores erant et viliores ; unde eos sub aliis comprehendit Scriptura.

(1) Laxius hic Israelitarum ditionis fines designantur duobus nobilissimis fluminibus. Cæterum Davidis Salomonisque temporibus, reges inter duos illos fluvios positi aut omnes, aut plerique, regum Hebræorum vectigales fuere.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Agar ex Abram concipit; hinc superbit, affligitur, fugit in desertum; ibi, vers. 7, *solatur, ac redire eam jubet angelus, simulque Ismaelem filium ei promittit et describit : quem rediens, vers.* 15, *parit Agar.*

1. Igitur Sarai, uxor Abram, non genuerat liberos; sed habens ancillam Ægyptiam nomine Agar, 2. dixit marito suo : Ecce, conclusit me Dominus, ne parerem; ingredere ad ancillam meam, si forte saltem ex illa suscipiam filios. Cumque ille acquiesceret deprecanti, 3. tulit Agar Ægyptiam ancillam suam, post annos decem quam habitare cœperant in terra Chanaan : et dedit eam viro suo uxorem. 4. Qui ingressus est ad eam. At illa concepisse se videns, despexit dominam suam. 5. Dixitque Sarai ad Abram : Inique agis contra me : ego dedi ancillam meam in sinum tuum, quæ videns quod conceperit, despectui me habet. Judicet Dominus inter me et te. 6. Cui respondens Abram : Ecce, ait, ancilla tua in manu tua est, utere ea ut libet. Affligente igitur eam Sarai, fugam iniit. 7. Cumque invenisset eam Angelus Domini juxta fontem aquæ in solitudine, qui est in via Sur in deserto, 8. dixit ad illam : Agar ancilla Sarai, unde venis? et quo vadis? quæ respondit : A facie Sarai dominæ meæ ego fugio. 9. Dixitque ei angelus Domini : Revertere ad dominam tuam, et humiliare sub manu illius. 10. Et rursum : Multiplicans, inquit, multiplicabo semen tuum, et non numerabitur præ multitudine. 11. Ac deinceps : Ecce, ait, concepisti, et paries filium : vocabisque nomen ejus Ismael, eo quod audierit Dominus afflictionem tuam. 12. Hic erit ferus homo : manus ejus contra omnes, et manus omnium contra eum; et e regione universorum fratrum suorum figet tabernacula. 13. Vocavit autem nomen Domini qui loquebatur ad eam : Tu Deus qui vidisti me. Dixit enim : Profecto hic vidi posteriora videntis me. 14. Propterea appellavit puteum illum, Puteum viventis et videntis me. Ipse est inter Cades et Barad. 15. Peperitque Agar Abrahæ filium : qui vocavit nomen ejus Ismael. 16. Octoginta et sex annorum erat Abram, quando peperit ei Agar Ismaelem.

Vers. 2. 2. CONCLUSIT ME DOMINUS.— Nota hebraismum : aperire vulvam est fœcundare, dare prolem; e contrario concludere vulvam, vel feminam, est facere sterilem, conceptu et prole privare.

INGREDERE AD ANCILLAM MEAM,— quasi maritus ad conjugem tuam, quam per hunc ingressum, puta per copulam maritalem, tibi matrimonio jungis.

Agar fuit uxor Abrahæ secunda. Carpit hic Calvinus Saram quasi lenam, et Abram quasi adulterum ancillæ suæ Agar. Verum utrumque excusat S. Chrysostomus, Augustinus, Ambrosius, Josephus, Hieronymus et alii. Abram enim Agar non habuit quasi concubinam, sed eam duxit hic in uxorem secundariam; tum enim licita erat polygamia; nec ad eam libido, sed spes et desiderium prolis et posteritatis tam Saram, quam Abram incitabat. Pulchre S. Augustinus, lib. XVI *De Civit.* cap. XXV de Abram : « O virum, inquit, viriliter feminis utentem, conjuge temperanter, ancilla obtemperanter, nulla intemperanter! »

Addit Josephus, Saram a Deo admonitam suasisse Abrahæ nuptias Agar. Idem insinuat S. Augustinus, lib. X *Contra Faustum*, cap. XXXII.

Ubi nota *primo*, fidem et pietatem Saræ, quod suæ ipsius dignitatis oblita, hoc agit ut Dei promissio de prole et stirpe Abrahæ impleatur. *Secundo*, ejus prudentiam, quod marito uxorem dat non extraneam, sed ancillam, ut vel sic natos ex ea filios sibi adscribere posset. *Tertio*, ejus humilitatem, quod sponte juri suo cedit, ancillamque sibi prætulit : qua de causa meruit a Deo exaltari per conceptum Isaac. *Quarto*, ejus dilectionem erga maritum, ut ejus stirpi consulat. *Quinto*, ejus castitatem, quod, cum videt se concipere non posse, virum ultra non appetit. Una tantum re Sara imperfectior fuit Abramo, quod in prole habenda nimis festinarit, uti facere solent mulieres. Abram enim et quivis vere fidelis exspectat, etiamsi moram fecerit Dominus. Quare et punita fuit hac ipsa in re, cum scilicet Agar pariens,

eam, licet dominam, despexit. Notent hoc parentes, qui nimio desiderio filios quærunt : per eos enim punientur, cum filii tales evadent, ut parentibus non nisi molestias et miserias creent, ut optent subinde eos non esse natos.

Dices : Polygamia est contra jus naturæ, ergo nullus, ne Deus quidem in ea dispensare, eamque concedere potest. Negant antecedens Durandus in IV, dist. 33, et Abulensis in cap. XIX *Matth.* Hi enim volunt polygamiam tantum vetitam esse lege positiva Christi in Evangelio, *Matth.* XIX, 6. Verum omnes alii docent polygamiam illicitam esse jure non tantum positivo, sed etiam naturali. Unde S. Ambrosius, lib. I *De Abraham*, cap. IV, eam vocat adulterium, sed ob mysterium illo ævo permissum. Respondeo ergo negando consequentiam : Deus enim potest dispensare in lege naturæ, præsertim si ea sit secundaria, qualis est ea quæ vetat polygamiam. Polygamia in se est vetita, nisi ab altiori potestate, puta divina, permittatur : tum enim est licita; tantum enim in se est mala et vetita, quia nonnihil repugnat paci familiæ et bonæ educationi prolium, ad quam tenentur parentes : verum Deus hac obligatione parentes liberare, eamque alio modo et majore bono (v. g. propagatione veræ fidei) compensare potest. Deus ergo dispensando in lege naturæ, v. g. monogamiæ, non tam legem, quam legis objectum et materiam tollit et immutat. Sic cum jussit Osee ducere fornicariam, ex fornicaria effecit conjugem Osee. Sic cum jussit ut Hebræi spoliarent Ægyptios, Ægyptiorum bona dedit Hebræis, ac proinde nec actus Osee fornicatio, nec Hebræorum furtum fuit : quia Deus Osee dederat jus in corpus ejus, quæ prius fuerat fornicaria; Hebræis vero dederat jus in bona Ægyptiorum. Sicut ergo Deus donavit Hebræis bona Ægyptiorum, ita condonavit et remisit Abrahæ, aliisque ea ætate obligationem ad procurandam tantam pacem familiæ, tamque commodam prolium educationem, ad quantam natura incitat parentes, et quanta esse solet in monogamia; ac consequenter permisit eis Deus polygamiam, in qua paulo incommodior est prolium educatio, pauloque minor pax familiæ. Potest enim Deus et prolem, et totam familiam, non tantum negligere, sed et turbare atque dispergere, imo perdere et occidere; idque tam per alios homines, etiam parentes, quam per seipsum. Est enim ipse summus omnium ipsiusque naturæ dominus. Adde : Polygamia, si eam petat primaria uxor, uti hic petiit Sara, idque ad gentis et veræ fidei ac religionis conservationem ac propagationem, annuente Deo, non est contra jus naturæ, uti passim docent Doctores cum D. Thoma (1).

Deus potuit dispensare in polygamia Abrahæ, et in lege naturæ.

Quo titulo?

CUMQUE ILLI ACQUIESCERET DEPRECANTI. — Nota hic castitatem Abrahæ, qui non nisi precibus Saræ, idque ægre, impelli potuit ad nuptias Agar.

3. AGAR ÆGYPTIAM. — S. Chrysostomus putat Agar a Pharaone Abrahæ in Ægypto peregrinanti, cap. XII, vers. 16, donatam fuisse. Addit Philo eam ab Abramo et Sara, tum verbo, tum sanctæ vitæ exemplo (addunt Hebræi, et miraculo, quo Deus ob raptam Saram flagellavit Pharaonis aulam, cap. XII, vers. 16), ad veram fidem, verique Dei cultum esse conversam : rursum, Abram ab ea abstinuisse, postquam vidit illam concepisse. Vers. 3.

QUAM HABITARE, — ex quo habitare.

5. INIQUE AGIS CONTRA ME. — Hebraice, *injuria mea* (quæ mihi ab ancilla mea irrogatur) *super te est*, id est tibi imputanda est : eo quod Agar ancillam meam, contra me insolescentem non castigas, sed toleras. Ita S. Chrysostomus. Vers. 5.

JUDICET DOMINUS INTER ME ET TE. — De mea causa et tua, num videlicet æquum sit, me hanc injuriam pati, et te illam dissimulare. Vide hic quam infida et fallacia sint hominum consilia, ut non nobis, sed Deo fidere discamus. *Primo*, Sara sperabat semen promissum ex Agar, sed fallitur. *Secundo*, putabat per conjugium magis Agar sibi devincire; at mox sensit eam contumacem. Ita ancillæ et servi, si exaltentur, in dominos insurgunt. *Proverb.* XXIX, 21 : « Qui delicate a pueritia nutrit servum suum, postea sentiet eum contumacem; » et cap. XXX, vers. 21 : « Per tria movetur terra, et quartum non potest sustinere : per servum, cum regnaverit; per stultum, cum saturatus fuerit cibo : per odiosam mulierem, cum in matrimonio fuerit assumpta; et per ancillam, cum fuerit hæres dominæ suæ. » *Tertio*, per hanc superbiam matris præostensa fuit ferocia filii nasciturі, quem Sara sui filii Isaaci persecutorem experta est. Ecce quam male cadunt præpropera et nimis humana consilia. Sic Ezechias ostendendo thesauros suos, amicitiam Babyloniorum ambiebat; verum per hos eos ipsos ad invadendum regnum ejus excitavit. Ita quotidie maxime eos adversarios experimur, quos nimis commendavimus, vel promovimus.

Moraliter, infida, esse hominum consilia.

6. ECCE, AIT, ANCILLA TUA IN MANU TUA EST, — *q. d.* Non mihi imputa alienam, imo tuam culpam. Servus si esset, ego compescerem, ancillam tuam tu tracta pro meritis : fori tui est, non mei. « Scio quem tibi debeam honorem : Unum tantum est cui studeo, ut tu mœrore careas et turbatione, ac in omni sis honore, » ait S. Chrysostomus, *hom.* 38. Qui et addit morale dogma : « Hoc est verum, ait, contubernium, hoc mariti officium, quando non magna diligentia ad mulieris spectat verba, sed imbecillitati sexus veniæ nonnihil concedit, hoc unum satagens, ut e medio tollatur tristitia, et pax atque concordia constringantur arctius. » Et inferius : « Ut et illa ad virum suum habeat conversionem, et vir ab externis ac forensibus negotiis et turbationibus ad eam quasi ad portum Vers. 6.

(1) *Suscipiam filios.* Hebr. est *ædificabor*, id est, domum meam ædificabo. Alii verbum hebr. deductum volunt a בֵּן, *filius*, vertuntque, *filiabor ex ea.*

confugiat, et omnigenam inveniat consolationem. In adjutorium enim data est, » etc.

AFFLIGENTE IGITUR EAM SARAI, — cum Sara puniret et coerceret ejus insolentiam.

Vers. 7. 7. ANGELUS DOMINI. — Misit Deus hunc angelum ad Agar, permotus precibus Agar, ait Josephus; vel potius, ob merita et in gratiam Abrahæ amici sui, ut ejus proli, puta Ismaeli consuleret.

Fons Hebræis est puteus. FONS, — id est puteus, ut patet vers. 14. Scriptura enim puteum vocat fontem, quia in puteis est fons et scaturigo aquarum.

QUI EST. — « Qui, » scilicet fons in ea parte deserti, qua ex Chanaan per Sur itur in Ægyptum: in Ægyptum enim, utpote patriam suam, fugiens contendit Agar. Hoc desertum Syri vocant Agaram ab Agar: unde prodierunt Agareni, qui et Ismaelitæ, ab Ismael, et Saraceni vocantur, non a Sara uxore Abrahæ, ut vulgus putat ex S. Hieronymo: sic enim Sarani dicendi essent; sed a Saraca urbe Arabiæ, inquit Stephanus: ita et Covarruvias, tom. II *Var. resol.* lib. IV, cap. IX (1).

Unde Saraceni et Agareni.

Vers. 8. 8. AGAR, ANCILLA SARAI, UNDE VENIS? — Quærit angelus, non quod nesciat, sed ut confessionem peccati eliciat, *q. d.* Quomodo e tam bona et felici domo Abrahæ, in hoc vagum et miserum exilium te conjecisti? Sic Deus ait Adæ: «Adam, ubi es?» et Caino: « Quid fecisti? »

Vers. 9. 9. HUMILIARE SUB MANU ILLIUS. — Illius potestati et correctioni te subde. Hæc in Scriptura prima est visio angeli. Nota hic angelorum opus et officium esse homines quasi servos, tum ad Deum, tum ad dominos suos reducere. Rursum, sanum hoc consilium angeli, « Humiliare sub manu illius,» dandum est ancillis et servis immorigeris et fugitivis.

Tropologice, Agar animam peccatricem et pœnitentem, Sara Ecclesiam, Abram Christum significat: huic illa reconciliatur per humilem confessionem. Vide Ferum hic.

Vers. 10. 10. MULTIPLICANS MULTIPLICABO. — Plurimum multiplicabo tuos posteros ex Ismael, eo quod ipse sit filius Abrahæ. Ita videmus etiamnum Ismaelitas, sive Saracenos, non tantum Arabiam, Ægyptum, Mauritaniam, Numidiam, Turciam, Persiam, Armeniam, sed et Indias, totumque pene Orientem ingenti numero pervasisse et occupasse.

Vers. 11. 11. VOCABIS NOMEN EJUS ISMAEL, EO QUOD AUDIERIT DEUS AFFLICTIONEM TUAM. — *Ismael* ergo idem est quod exauditio Dei, vel ad verbum, audivit Deus. Ismael ergo idem est quod שמע אל *scama el*, id est exaudivit Deus, scilicet orationem tuam, quam fudisti cum affligereris.

Sex viris ante ortum Deus indidit nomen. Notat recte ex Abulensi Pererius, quinque, aut potius sex viris illustribus, prænuntiatum esse nomen a Deo ante eorum nativitatem. *Primus* est Ismael hic. *Secundus* est Isaac, *Gen.* XVII, 19. *Tertius* est Salomon, I *Paralip.* XXII, 9. *Quartus* est Josias; III *Reg.* XIII, 2. *Quintus* est Joannes Baptista, *Luc.* I, 60. *Sextus* est Jesus Christus, *Matth.* I, 21.

AFFLICTIONEM TUAM. — Rabbini, quos sequitur Abulensis, tradunt quod Agar partim in pœnam contemptæ dominæ suæ, partim ex labore itineris, fœtum in utero extinxerit, hancque intelligi hic afflictionem Agar; sed quia acquievit angelo suadenti reditum et humiliationem sub domina sua, hac de causa Deus vivificarit fœtum ex utero extinctum, et hoc esse quod ait angelus: « Ecce concepisti,» vel, ut ipsi vertunt, *concipies*, *q. d.* Nuper concepisti ex Abram, sed nunc rursum concepisti ex Deo fœtum tuum mortuum vivificante; ideoque vocabis nomen prolis Ismael, quia Deus exaudivit preces afflictionis tuæ, fœtum resuscitando. Verum hæc sunt figmenta Judæorum; afflictionem ergo hic intelligit famem, sitim, labores, anxietates aliasque ærumnas fugæ et itineris.

Hebræi fabulantur Ismael esse resuscitatum.

Vers. 12. 12. HIC ERIT FERUS HOMO. — Hebraice, hic erit פרא *pere*, puta onager, ut vertit Chaldæus, id est, instar onagri ferus, durus, intractabilis, solivagus, et incertis sedibus errans, jugique impatiens. Nam, ut ait *Job*, cap. XI, vers. 12: « Vir vanus in superbiam erigitur, et tanquam pullum onagri, se liberum natum putat.»

Ismael fuit onager.

Nota: Angelus hæc prædicit non tantum de Ismael, sed de posteris ejus: quales illos etiam hodie videmus et experimur. Vide Ammianum Marcellinum, lib. XIV *De Moribus Saracenorum.*

MANUS EJUS CONTRA OMNES, ET MANUS OMNIUM CONTRA EUM, — *q. d.* Posteri Ismael omnes impugnabunt, et ab omnibus impugnabuntur. Nam in circuitu deserti Pharan, in quo habitavit Ismael, multæ gentes habitabant, quæ contra Ismael ejusque posteros pugnare solebant (2).

ET E REGIONE UNIVERSORUM FRATRUM SUORUM FIGET TABERNACULA, — *q. d.* Ismael erit audax et impavidus; erit enim ipse non pars unius gentis, sed per se separatim unam gentem constituet (idque in gratiam Abrahæ, cujus ipse est filius), quæ secure ex adverso fratrum suorum, et quorumlibet hominum habitare audeat (3).

Nota: Fratres Ismael fuerunt Isaac, aliique filii Abrahæ, nati ex Cetura; ex horum adverso habitavit Ismael in deserto Pharan, *Genes.* cap. XXI.

FIGET TABERNACULA. — Ita etiamnum Nomades aliique Ismaelitæ permulti, non in domibus, sed in papilionibus habitant. Hæc sunt tabernacula Cedar, de quibus *Cant.* cap. I, vers. 5.

Vers. 13. 13. VOCAVIT NOMEN DOMINI. — Invocavit nomen Domini, dicens id quod sequitur:

(1) שור est *Pelusium* ad Nili ostium.

(2) « Ismaelitæ, sive Arabes, erraticum vitæ genus agentes, adhuc hodie Arabiam omnem, et vicinarum regionum fines latrociniis infestos faciunt. In quoslibet, si impune possint eos spoliare, impetum faciunt, omnesque vicissim ab eis cavent, uti notum est ex itinerariis. » Ita Rosenmullerus ad h. l.

(3) Hebr. *ad faciem omnium fratrum suorum habitabit*, id est, fratribus suis ab Oriente. Hebræi enim, cum situm regionis describere volunt, faciem ad Orientem convertere solent.

TU DEUS, QUI VIDISTI ME.—Nota : Agar angelum vocat Deum, quia Dei personam repræsentabat, uti vicerex repræsentat regem. Tu ergo, o Deus, id est, o angele vice Dei, vidisti, id est respexisti me, meamque afflictionem, mei curam et providentiam egisti in horribili hoc deserto. Agit enim hic Agar gratias Deo pro ejus paterna erga se visitatione, providentia et tutela. Ita Cajetanus, Lipomanus et alii.

Secundo, Vatablus vertit, *tu es Deus visionis*, quia scilicet vides omnia, adeoque me etiam vagam et profugam in deserto, ubi nemo alius me videt aut curat. Unde Chaldæus vertit, *tu es Deus videns omnia* (1).

VIDI POSTERIORA (id est tergum) VIDENTIS ME—, puta Dei, vel potius angeli Deum repræsentantis, *q. d.* His oculis aspexi Deum, aut potius angelum, a tergo mihi obversum, cum me alloqueretur.

Cur Deus Agar et Mosi ostenderit dorsum, non faciem? Prima causa.

Nota : Deus, aut potius angelus Deum repræsentans, Agar æque ac Mosi, *Exodi* XXXIII, 23, non faciem, sed tergum tantum ostendit in corpore a se assumpto : idque ut significaret faciem, id est claram Dei cognitionem et visionem, non tantum essentiæ divinæ, sed et gloriæ corporis a Deo assumpti, quæ majestati Dei aliquatenus respondeat, et in facie de more maxime resplendeat, non posse capi ab oculo mortali.

Secunda. Rursum, quia Agar hic imperfecte Deum cognoscebat et diligebat, utpote quæ obedientiam heræ suæ fugiebat, Deum quoque fugiebat; ideoque necdum reversa, necdum plene conversa; Deo quasi tergum ostendit : hinc vicissim ei Deus non faciem, sed tergum suum ostendit. Hoc ergo Deus egit foris in oculis corporalibus Agar, quod apud illam agebatur in oculis cordis. Eadem de causa, teste S. Gregorio, homil. 23 *in Evang.*, Christus, gloriosus licet, quasi peregrinus tamen apparuit duobus discipulis in Emmaus, et quasi hortulanus Magdalenæ.

Allegorice, Agar est Synagoga Judæorum, Sara est Ecclesia Christianorum, cui illa insultans expellitur. Vide Rupertum, lib. V, cap. XXV.

Aliter, imo contrarie, puta negative, hæc vertunt et explicant Vatablus et Cajetanus hoc modo, *q. d.* Vidine illum abeuntem qui vidit me, sive apparuit mihi? non vidi. Unde cognovi esse angelum Domini; nam quamdiu colloquebatur mecum, videbam illum : mox ita disparuit, ut videre non potuerim; quem abeuntem videre potuissem, si homo fuisset. Vere ergo cognovi Dominum misisse ad me angelum suum, qui me consolaretur. Quasi Agar hic a subita disparitione colligat angelum esse Domini. Verum Septuaginta, Chaldæi, Noster et alii passim hæc non negative, sed affirmative vertunt.

14. APPELLAVIT — ipsa Agar, vel quisquis hoc nomen dedit fonti, sive puteo (2). Vers. 14.

15. PEPERITQUE, — postquam angeli consilium secuta, domum reversa, Abrahæ et Saræ, humiliando se, reconciliata est. Vers. 15.

(1) Rosenmullerus Hebræa sic cum Syro vertit, *tu Deus visionis* (est enim רָאִי nomen quale עָנִי *afflictio*), id est conspicuus, qui se conspiciendum præbet. Septuaginta et Hieronymus hanc vocem habuere pro participio suffixo primæ personæ, sed id foret רָאִנִי, sive, in pausa, רָאִנִי. Postremum hujus versus membrum interpretes varie exponunt; Rosenmullerus hoc modo : *An etiam hic video*, scil. lucem, id est, adhuc vivo, *post visionem*, scil. Dei. רָאִי enim, ait, nec est *ego videns*, nec *videns me*, sed idem quod nomen רָאִי, mutato tantum, propter pausam, sheva composito in analogam vocalem longam.

(2) Alii vertunt hebr., *puteum viventis*, scil. Dei, *visionis* qua se Deus mihi ostendit. Gesenius, *puteum vitæ, visionis*, id est, ad quem conspicitur Deus sine vitæ jactura; quod durius videtur.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Deus pactum init cum Abrahamo, pactique signum instituit circumcisionem. Secundo, vers. 15, *promittit ei filium Isaac. Tertio, vers.* 23, *Abraham se suosque circumcidit.*

1. Postquam vero nonaginta et novem annorum esse cœperat, apparuit ei Dominus, dixitque ad eum : Ego Deus omnipotens, ambula coram me, et esto perfectus. 2. Ponamque fœdus meum inter me et te, et multiplicabo te vehementer nimis. 3. Cecidit Abram pronus in faciem. 4. Dixitque ei Deus : Ego sum, et pactum meum tecum, erisque pater multarum gentium. 5. Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram; sed appellaberis Abraham : quia patrem multarum gentium constitui te. 6. Faciamque te crescere vehementissime, et ponam te in gentibus, regesque ex te egredientur. 7. Et statuam pactum meum inter me et te, et inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno : ut sim Deus tuus, et seminis tui post te. 8. Daboque tibi et semini tuo terram peregrinationis tuæ om-

nem terram Chanaan in possessionem æternam, eroque Deus eorum. 9. Dixit iterum Deus ad Abraham : Et tu ergo custodies pactum meum, et semen tuum post te in generationibus suis. 10. Hoc est pactum meum quod observabitis inter me et vos, et semen tuum post te. Circumcidetur ex vobis omne masculinum : 11. et circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter me et vos. 12. Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris ; tam vernaculus, quam emptitius circumcidetur, et quicumque non fuerit de stirpe vestra : 13. eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum. 14. Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit. 15. Dixit quoque Deus ad Abraham : Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram. 16. Et benedicam ei, et ex illa dabo tibi filium cui benedicturus sum, eritque in nationes, et reges populorum orientur ex eo. 17. Cecidit Abraham in faciem suam, et risit, dicens in corde suo : Putasne centenario nascetur filius? et Sara nonagenaria pariet? 18. Dixitque ad Deum : Utinam Ismael vivat coram te. 19. Et ait Deus ad Abraham : Sara uxor tua pariet tibi filium, vocabisque nomen ejus Isaac, et constituam pactum meum illi in fœdus sempiternum, et semini ejus post eum. 20. Super Ismael quoque exaudivi te : ecce benedicam ei, et augebo et multiplicabo eum valde : duodecim duces generabit, et faciam illum in gentem magnam. 21. Pactum vero meum statuam ad Isaac, quem pariet tibi Sara tempore isto in anno altero. 22. Cumque finitus esset sermo loquentis cum eo, ascendit Deus ad Abraham. 23. Tulit autem Abraham Ismael filium suum, et omnes vernaculos domus suæ : universosque quos emerat, cunctos mares ex omnibus viris domus suæ : et circumcidit carnem præputii eorum statim in ipsa die, sicuti præceperat ei Deus. 24. Abraham nonaginta et novem erat annorum, quando circumcidit carnem præputii sui. 25. Et Ismael filius tredecim annos impleverat tempore circumcisionis suæ. 26. Eadem die circumcisus est Abraham et Ismael filius ejus. 27. Et omnes viri domus illius, tam vernaculi, quam emptitii et alienigenæ pariter circumcisi sunt.

Vers. 1. 1. APPARUIT DOMINUS, — puta angelus vice Dei, Deumque repræsentans in corpore assumpto, ut patet vers. 17 et 22. Ita Cajetanus et alii ; idque ad hoc, ne putaret Abram promissionem seminis sibi cap. XV factam, per Ismael esse completam, sed complendam esse in Isaac.

Deus dicitur a Saddai. EGO DEUS OMNIPOTENS.—Hebr. אל שדי *el saddai*, *q. d.* Ego sum Deus fortis et liberalis. Nota : *Saddai* componitur ex ש *schin* articulo relativo, et *dai* די, id est sufficientia (ex hoc hebræo *dai*, vel *de*, aliqui deducunt Græcum Ζεὺς et Θεός, ac Latinum *Deus*, licet alii Deum a dando, sicut Jovem a juvando dici putent), *q. d.* Cui est omnis sufficientia, abundantia, copia, plenitudo, copiæ cornu ; qui est sufficientissimus, abundantissimus, copiosissimus, adeo ut non tantum per se bonis omnibus abundet, sed etiam aliis omnem sufficientiam et abundantiam tribuat. Nam, ut ait Joannes cap. I, de Filio Dei : « De plenitudine ejus nos omnes accepimus. »

Saddai idem est quod cornu copiæ.

Unde ad *Saddai* alludit Apostolus I *Timoth.* cap. VI, cum ait : « Neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum. » Hinc et R. Saadias : « Deus, ait, dicitur Saddai, quia ipse abundat, omnesque omnium creaturarum defectus supplet. » Quare Aquila, Symmachus et Theodotion, teste Hieronymo, epist. 136, *ad Marcellam*, et in *Ezech.* cap. X, vers. 5, *Saddai* vertunt robustum (1), et sufficientem ad omnia perpetranda, ut sit idem quod αὐτάρκης, παντοκράτωρ, id est sibi sufficiens et omnipotens, uti Noster vertere solet.

Secundo, Saddai idem est quod mammeus. *Secundo*, ut cum aliis locis, tum *Genes.* cap. XLIX, vers. 15, ex Hebræo colligitur, deducitur a שד *scad*, id est uber, mamma : quasi dicas *mammeus* ; ex Deo enim, quasi ubere bonis omnibus distento, affluenter bona omnia sugimus. *Saddai* ergo significat, quod Deus dulcis sit ut mamma et lac ; quodque omnia eo charitatis affectu et amore nutriat, quo mater infantem uberibus applicando fovet, lacteque alit ac nutrit ; atque uti a רחם *rechem*, id est matrice, Deus vocatur רחום *rachum*, id est misericordissimus, ita ab *scad*, id est ubere, vocatur *Saddai*; id est uberrimus, quasi dicas, divina ubertas. Dicitur ergo Deus *Saddai*, quod sit munificus, efficax, omnipotens ; quod ipsius cura, providentia, sapientia, bonitate cuncta existant, vivant

(1) Ita Ikenius in peculiari Dissertatione. Est autem י terminatio pluralis, seu forma nominibus collectivis exprimendis inserviens, et שדי pro plurali excellentiæ, ut אדני, habendum, quasi dicas *potentissimus*.

et moveantur; quodque omnes homines et creaturæ de ejus inexhausta plenitudine existentiam, vitam, operationes, bonaque omnia, tanquam de immenso et inexhausto thesauro hauriant et accipiant. Unde *Saddai* explicans Paulus *Actor.* cap. XVII : « Deus, ait, non est indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam, et inspirationem, (halitum) et omnia, » etc.

Sic Plato inter hæc tria, ἔνδεια, αὐτάρκεια, ὑπέρχυσις, inopia, sufficientia, effusio, distinguens, solam effusionem bonitatis Deo tribuit : sicut enim crater aliquis vino plenus et superplenus effluit et superfluit, ita et Deus Deique bonitas.

Platonem reprehendit Nazianzenus, orat. 4. *De Filio*, sed hactenus tantum quod hoc crateris exemplo, effusionem quamdam non voluntariam, nec liberam, sed naturalem et necessariam, Deo tribuere videatur : alioqui ipse Nazianzenus, orat. *De Pascha*, hanc effusionem in Deo admittit.

Dicit ergo Deus Abrahæ : Ego sum Deus *saddai*, sufficientissimus, copiosissimus, ditissimus, munificentissimus, qui te ditare bonisque omnibus cumulare possum et volo. Ambula ergo coram me, ut capax sis harum opum, utque dignus sis iis bonis, quæ tibi promisi. Pari modo dixit Deus Jacobo *Genes.* cap. XXXV, vers. 11 : « Ego Deus omnipotens (hebraice *saddai*), ideoque ex me cresce et multiplicare. » Et Isaac ad Jacob, *Gen.* cap. XXVIII, vers. 3 : « Deus, inquit, omnipotens (hebr. *saddai*) benedicat tibi, et crescere te faciat atque multiplicet. » Et hoc est quod Deus dixit Moysi *Exod.* cap. VI : « Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac et Jacob in Deo omnipotente (instar Dei *saddai*, tanquam Deus *saddai*, ut habent hebræa), et nomen Adonai non indicavi eis. »

Moraliter, nihil nos satiat nisi Deus saddai.

Deus ergo est noster *Saddai*, qui satiat, qui replet in bonis omne desiderium nostrum : cur ergo, infelix homo, per multa vagaris, requiem quæris, et non invenis? amas opes, non satiaris, quia non sunt *Saddai* : amas honores, non expleris, quia non sunt *Saddai*; amas gratiam et pulchritudinem corporum, non sunt illa tuum *Saddai*. O cor humanum, cor indignum, cor ærumnas expertum, ærumnis obrutum, quid per vana, exilia, brevia et fallacia bona frustra discurris? illa famem, illa sitim animæ tuæ satiare non possunt. Ama tuum *Saddai* : ille solus sinus omnes animæ tuæ implere potest : ipse solus torrente, imo pelago voluptatum potare te sufficit, quoniam apud ipsum est fons vitæ : ipse est rationi plenitudo lucis, voluntati multitudo pacis, memoriæ continuatio æternitatis : ipse suis est, et erit omnia in omnibus. Delectat te gloria? « Gloria et divitiæ in domo ejus; » delectat te pulchritudo? « fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum; » delectat te sapientia? « o altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! » delectat te sapor, vina, deliciæ? « satiabimur, cum apparuerit gloria tua; » et, « inebriabuntur ab ubertate domus tuæ. » Nimirum Deus omnes gloriæ, omnes opum, omnes scientiæ, omnes gaudii, omnes deliciarum suarum thesauros, imo se totum in electos amicos suos in cœlo transfundet. In hoc ergo unico bono tuo, o anima mea, te totam defige. Hæc requies est, hoc centrum cordis tui : hoc unicum omnibus votis et studiis prosequere. Dicito ergo cum S. P. N. Ignatio : « Domine, quid volo aut quid velim extra te? Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum. » Et cum S. Ludovico : « Divitiæ meæ Christus, desint cætera. Omnis copia, quæ Deus meus non est, mihi inopia est. »

AMBULA CORAM ME, — uti servus coram domino, discipulus coram magistro, miles coram duce, filius coram patre, illi per omnia præsto, obsequens, fidelis, ut illi sincere, accurate, perfecte serviat, obediat, placeat. Unde Septuaginta vertunt, *complace coram me*; Chaldæus, *servias coram me*. Hoc est quod canit Zacharias : « Serviamus illi in sanctitate et justitia coram ipso omnibus diebus nostris. » Sic fecit Henoch cap. V, vers. 22, et Noe cap. VI, vers. 6. Felix qui Deum semper præsentem cogitat, reveretur, et quasi coram præsente ubique ambulat, suaque omnia agit et operatur. Audiant Christiani Gentilem Senecam, *epist.* 10 : « Sic vive, inquit, cum hominibus, tanquam Deus videat; sic loquere cum Deo, tanquam homines audiant. » Audiant Salomonem *Prov.* cap. III, vers. 6 : « In omnibus viis tuis cogita illum, et ipse diriget gressus tuos; » et Tobiam ad filium, cap. VI, vers. 6 : « Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum; » et Michæam, cap. VI. vers. 8 : « Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te : utique facere judicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo. » Nota hic tres gradus et status Abrahami cuique in exemplum virtutis proponi. A capite enim XII hucusque Abram descriptus fuit ut incipiens : hic vero usque ad cap. XXII describitur ut proficiens. Denique a cap. XXII, usque ad XXV describitur ut perfectus. Proficienti ergo hoc primum datur præsentiæ Dei præceptum : « Ambula coram me. »

Locus moralis de præsentia Dei.

Porro hujus præsentiæ Dei fructus *primus* est, fuga peccati : « Memento Dei, et non peccabis, » ait S. Ignatius *ad Heronem*, et Clemens Alexandrinus, lib. III *Pædogogi*, cap. V : « Hac solum ratione fit ut quis nunquam labatur, si Deum sibi ipsi semper adesse existimat. » Scortum sollicitabat S. Ephrem ad scelus; ille in speciem annuit, modo id fieret in foro : cumque scortum diceret, hoc fore infame et pudendum; tum Ephrem : Quanto magis pudere debet te coram Deo, qui omnia etiam occultissima intuetur? Quo responso perculsa meretrix, veniam petiit, et monasticam vitam amplexa est. Ita Susanna mori maluit, « quam peccare in conspectu Domini. » Ita et sanctus ille qui Thaidem convertit.

Ejus fructus. Primus.

Secundus fructus est victoria tentationum, periculorum et inimicorum, *Psal.* cap. XXIV, vers. 4 :

Secundus.

« Etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. » Ita Machabæi, « Dominum orantes cordibus, » prostraverunt Nicanorem cum 35 millibus, « præsentia Dei magnifice delectati, » lib. II *Machab.* XV, 16.

Tertius. *Tertius.* « Semper Dei memineris, et cœlum mens tua evadet, » ait S. Ephrem. Ita Jacob, videns Dominum cum angelis in scala, ait : « Non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cœli. »

Quartus. *Quartus.* Talis est quasi angelus; angeli enim semper vident faciem patris. Talis fuit Elias : « Vivit, ait, Dominus, in cujus conspectu sto, » lib. III *Reg.* cap. XVII, vers. 1.

Quintus. *Quintus.* Talis mire excitatur ad amorem Dei, semperque lætatur, quia Dei præsentia fruitur. Ita David *Psal.* cap. XV : « Providebam Dominum in conspectu meo semper; » ac subdit : « Propter hoc lætatum est cor meum, et exultavit lingua mea; » nam, ut ait S. Paulus : « Qui adhæret Domino, unus spiritus est. »

Sextus. *Sextus.* Hæc Dei præsentia fugat iram, concupiscentiam, distractiones, hominemque facit perfectum. Ita S. Dositheus, ut habetur in ejus Vita, ex hoc S. Dorothei præcepto : « Cogita semper Deum tibi præsentem, et te coram illo stare, » ex dissoluto milite monachus perfectus evasit.

ESTO PERFECTUS. — Conare perfecte legem et voluntatem meam implere, atque opera tua omnia et singula perfecte facere, sic ut in iis nihil desit, nihil carpi possit; teque omnibus virtutibus perfice. Unde Septuaginta vertunt γίνου ἄμεμπτος, *esto irreprehensibilis.* Mercedem subjungit, dicens :

Vers. 2. 2. PONAM FOEDUS MEUM INTER ME ET TE.—Si videlicet perfecte coram me ambulaveris, amicitiam et fœdus peculiare tecum sanciam et colam, ut ego peculiari cura te tuosque præ aliis hominibus ac gentibus protegam, dirigam et promoveam, vocerque Deus Abrahæ : tu vicissim peculiari fide, obedientia et cultu mihi servias; hujusque fœderis symbolum et signum dabo circumcisionem, vers. 10 (1).

Nota : Perfectionem Deus non exegit ab Abrahamo juvene, sed sene, cum prope esset, ut nasceretur Isaac : in signum, quod tempore Christi Deus exigeret perfectionem a fidelibus. Religio enim Christiana non est aliud, quam disciplina, officium et conatus ad summam perfectionem.

Media ad novem perfectionem. Primum. Secundum. Tertium. Media ad eximiam, etiam Religiosorum, perfectionem suggerit sanctus quidam doctor, scilicet : *primo*, ambulare jugiter coram Deo; *secundo*, in omnibus, tam tristibus, quam lætis, conformare se voluntati Dei, ac dicere : Fiat voluntas tua; sit nomen Domini benedictum. *Tertio*, vis cito esse perfectus : recipe te in fundum animæ tuæ, ac inibi diligenter scrutare quid te maxime inhibeat et distineat, ne purus sis et liber, ac agilis ad obsequium Dei, omnenque virtutem, et hunc laqueum, hunc lapidem qui te detinet, radicitus reseca, et in profundum maris demerge : alioqui fac quod vis, omnia erunt frustra. Hæc mortificatio dura est, et viva quædam mors, quæ carnem quasi ab ossibus abradit : sed necessaria, et usu ipso fit facilis. *Quarto*, natura nostra fallacissima est, ac mille angulis et versutiis prædita, in quibus seipsam fovet ac retinet : quæ nisi funditus extirpentur, parum proficies; inter hæc maximum est, quod etiam Sanctos tenet, etiam subinde monachos, velle videri, velle ut alii ad eos se convertant, ut ipsis deferant honorem, etc. Hoc plane abnegandum est, ut funditus venias ad illud Joannis Baptistæ. « Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus (Christi). » Hinc *quinto*, abstrahe te saltem mente ab omnibus hominibus. *Sexto*, expedi te ab omnibus rebus, quæ si tibi acciderent, affectus adhæsionem, et curas nimias ac sollicitudines adveherent : a quibuscumque intro receptis imaginibus mundum et liberum te serva. *Septimo*, animum tuum fige in Deo, quasi in scopo; cætera, ut jejunia, vigilias, paupertatem huc refer, tantumque ex iis assume, quantum tibi ad finem hunc utile est. *Octavo*, sic te in omnibus Deo resigna, ut si quis vasto jactetur pelago, ac pallio resideat : talis enim quid agat, nisi ut Deo se totum resignet? sic et tu facito. *Nono*, disce contemnere omnia, et contemni ab omnibus, ut cum S. Paulo fias purgamentum mundi, et peripsema omnium.

Quartum. Quintum. Sextum. Septimum. Octavum. Nonum.

Vers. 3. 3. CECIDIT, — adorans et gratias agens Deo.

Vers. 4. 4. EGO SUM. — Ego sum qui sum; sum æternus, sum immutabilis, sum constans et fidelis in promissis, ideoque pactum meum, quod tecum hisce verbis sancio, erit immutabile et irrevocabile. S. Hieronymus, Epistola *ad Marcellam*, notat Deum tantum esse; quia non novit fuisse, nec fore; cujus essentia est esse, et cui nostrum esse comparatum non est, de quo plura *Exodi* cap. III et VI.

Vers. 5. 5. NEC ULTRA VOCABITUR NOMEN TUUM ABRAM, SED APPELLABERIS ABRAHAM. — Abram hebraice dicitur quasi *ab ram*, id est, pater excelsus, qui excelsa cogitat, in excelsis, v. g. in cœlestibus habitat, excelsa et divina molitur et agitat.

Cur Abram dictus sit Abraham? Nunc Deus Abram vocat Abraham quasi אב רם המון *ab ram amon*, id est, pater magnæ et excelsæ multitudinis, seu pater multorum excelsorum; quia, ut sequitur, « constitui te patrem multarum gentium, » puta Judæorum et Gentilium. Quia ergo Abraham hactenus suo nomine bene usus fuit, beneque ipsi vita excelsa respondit : hinc aliud hic suscipere meretur, quo alios quoque multos excelsos faciat. Si et nos respondeamus nomini nostro, quod a Christo accepimus, dabit nobis aliud novum, quod os Domini nominabit, *Isaiæ* cap. LXII, vers. 2; *Apoc.* III, 12.

(1) Fœdus *generale* jam inierat Deus cum Abrahamo cap. XV, sed hic *speciale* circumcisionis spectatur, ut liquet ex sequentibus.

Nomen ergo Abraham est quasi columna, in qua Deus promissionem posteritatis, et seminis fidelis electique, inscripsit ad æternitatem, ait S. Chrysostomus hic. Vide laudes Abrahæ decantatas ab *Ecclesiastico*, cap. XLIV, vers. 20.

Nota ex Apostolo *Rom.* cap. IX, vers. 5, 6, 7, posteros Abrahæ litteraliter hic accipi naturales et carnales, puta Judæos, qui in duodecim tribus, quasi 12 gentes fuerunt divisi.

Allegorice vero et potissimum hic accipi spirituales Abrahæ filios, puta fideles, qui fidem et pietatem Abrahæ imitantur; quales primo fuerunt Judæi : deinde sub Christo pauci Judæi et Gentes omnes : hi enim proprie vocantur multæ Gentes, et inter has multi fuerunt excelsi, puta Apostoli, Martyres, Doctores, Virgines, etc. Miscet ergo hic Deus promissiones spirituales cum carnalibus, uti dixi *Roman.* IX, 6.

Abraham est pater omnium excelsorum.

Abraham ergo est pater omnium excelsorum; puta cœlicolarum, videlicet 144 millium signatorum ex Judæis, et turbæ magnæ signatæ ex Gentibus, quam dinumerare nemo poterat, *Apoc.* VII, 9.

Notant Hebræi, S. Hieronymus, Lipomanus et alii, ad Abram addi litteram *he*, ut fiat *Abraham*, eamdem addi quoque Sarai, ut fiat Sarah, quæ littera *he* præcipua est in nomine tetragrammato Dei : bis enim in eo ponitur, quasi per hoc indicet Deus Messiam, qui Deus est, Deique filius, puta Jesum Christum, ex Abraham et Sarah nasciturum.

Littera *he* cur addita Abrahæ ?

Addit Pererius *he* significare quinque, puta quintum millenarium annorum mundi, cujus initio ex Abraham et Sarah natus est Christus. Verum verius est Christum natum esse sub finem quarti millenarii.

Notat *secundo*, Philo lib. *De Gigantibus*, Abram dictum esse patrem excelsum, quia erat astrologus, quia alta et cœlestia scrutabatur; postea vero dictum esse Abraham, quasi אב בר המון *ab bar hamon*, id est, pater electus magni soni vel vocis, sive pater electæ consonantiæ : ea autem est intellectus, vox et vita probi viri : hic enim est electus et purgatus, atque pater vocis et consonantiæ, qua Dei laudes personamus, eique in omni vita factis dictisque nostris consonamus. Ex Abram ergo factus est Abraham, id est, ex astrologo divinus, ex homine cœli homo Dei : ita Philo. Sed hæc symbolica et mystica sunt.

Nota *tertio*, hic memoria lapsum videri Chrysostomum, dum ait Abram significare transitorem, itaque vocatum esse a parentibus, eo quod præsagirent ejus transitum ex Ur Chaldæorum in Chanaan : confundit enim Chrysostomus nomen Abram cum nomine Hebræus, quod transitorem significat; aut certe putat Abram a parentibus vocatum esse Hebræum, quod non est verisimile.

Vers. 6. 6. REGESQUE EX TE EGREDIENTUR. — Puta reges Israel et Juda ex Jacob : ex Esau reges Idumæorum et Amalecitarum; quin et Ismael, aliique ex Cetura geniti suos habuere reges.

Vers. 7. 7. ET STATUAM. — Hebraice הקימותי *hakimoti*, stare faciam, stabiliam, confirmabo pactum quod jam tecum ineo, uti dixi vers. 4.

FOEDERE SEMPITERNO. — Fœdus hoc æternum fuit, non absolute, sed respective in semine carnali, puta Judæis. Duravit enim tam diu, quamdiu duravit Judæorum Ecclesia et respublica. Sed in semine spirituali, puta fidelibus, absolute æternum est.

UT SIM DEUS TUUS, ET SEMINIS TUI POST TE, — *q. d.* Ea lege et conditione pactum tecum et cum tuis, o Abram, ineo, ut scilicet sim tuus tuorumque Deus, nimirum ut a vobis solus adorer et colar, utque a me solo pendeatis; ego vicissim vos quasi peculium meum amem, curem, protegam et benedicam. Ita Vatablus et alii.

Vers. 9. 9. CUSTODIES, — custodi. Ita S. Augustinus.

Vers. 10. 10. HOC EST PACTUM, — hoc est signum pacti jam tecum initi, patet ex sequent. Unde Apostolus, *Rom.* IV, 11, loquens de Abram : « Signum, inquit, accepit circumcisionis signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio, ut sit pater omnium credentium per præputium (præputiatorum, puta Gentilium). »

Circumcisionis institutio, usus, causæque. Prima.

Nota breviter hic usum et causas hujus signi, puta circumcisionis; *primo* enim erat hoc signum memorativum pacti hic a Deo cum Abraham initi, ut Judæi dum circumcidebantur, vel circumcisos se cogitabant, recordarentur se jam transisse in fœdus hoc cum Deo initum, adeoque esse se populum Deo dicatum et consecratum. Sicut ergo dæmon, qui est simia Dei, suis sagis in fronte stigma imprimit, quo notantur, significanturque esse sui juris, suæ oves, suum peculium, sua mancipia : ita multo magis Deus omnium Dominus voluit Abrahæ et Judæis hoc stigma circumcisionis in carne sensibiliter, intime et indelebiliter incidere, ut significaretur eos transisse in jus Dei, esseque Dei populum et peculium.

Secunda.

Secundo, circumcisio erat signum repræsentativum fidei Abrahæ, et justitiæ per eam adeptæ, uti ait Apostolus verbis paulo ante citatis.

Tertia.

Tertio, erat hoc signum distinctivum fidelium ab infidelibus, puta Judæorum a Gentilibus.

Quarta.

Quarto, erat hoc signum demonstrativum et purgativum peccati originalis, uti docent Patres : circumcidebatur enim membrum genitale, quo peccatum originale transfunditur; de qua re vide S. Thomam, Suarez et Scholasticos.

Quinta.

Quinto, erat præfigurativum baptismi : tam enim baptismus quam circumcisio, primum est Sacramentum et initiativum veræ religionis et fidei, ejusque est publica professio et obligatio; ac consequenter est adoptio et ascriptio in Ecclesiam Dei, ejusque jura et præmia.

Hac de causa novum nomen in circumcisione, uti jam in baptismo, circumciso imponi solebat : uti hic Abram circumcidendus, pro Abram vocatus est Abraham; quia per circumcisionem, in

nomen, gentem et religionem novam, puta Judaicam, asciscebantur. Sic et Romani puellis octavo die a nativitate, pueris nono die nomen imponebant; cujus rei causam dat Plutarchus, Quæst. 102 in *Quæst. Rom.*

CIRCUMCIDETUR EX VOBIS OMNE MASCULINUM. — Abraham ex vi hujus legis, tenebatur circumcidere suam familiam, ac consequenter et Ismaelem et Isaacum. Similiter tenebatur postea Isaac circumcidere Jacobum et Esau. Quando vero Ismael et Esau separati sunt a familia Abrahæ et Isaaci, non amplius obligati fuerunt circumcidere suas proles; Jacob autem ad id obligatus fuit, quia ex omnibus ejus filiis collecta fuit familia Abrahæ (puta populus Dei, ex quo Christus erat nasciturus), quæ hac lege obligabatur.

Ismael et Esau non obligati ad circumcisionem.

Idumæi tamen, Saraceni, Ammonitæ et alii quoque populi receperunt circumcisionem, non ut Sacramentum legis veteris, cum intentione profitendi legem Mosaicam (sic enim ea fuissent obligati), sed tantum ex humana quadam consuetudine, ad imitationem suorum parentum, ideoque lege Mosaica non fuerunt obligati.

Gentes receperunt circumcisionem.

Per eam expiati sunt a peccato originali.

Adde, valde probabile est, quod docet Sebastianus Episcopus Oxomensis, et ex eo Franciscus Suarez, III *part.*, Quæst. LXX, dist. XXIX, sect. 2, scilicet circumcisionem, quatenus ipsa fuit remedium, quo remittebatur peccatum originale, et professio fidei de Christo venturo, potuisse esse in usu omnium gentium; potuerunt enim ipsæ hoc signum eligere inter alia, quod sine dubio validum erat ad talem effectum, si ea intentione fieret, quamvis non fieret cum intentione profitendi judaismum, seque illi populo adjungendi. Itaque tales circumcisione expiabantur a peccato originali, non vero obligabantur ad legem Mosaicam.

OMNE MASCULINUM. — Fallitur ergo Strabo, lib. XVII, qui etiam feminas putat circumcisas fuisse: circumcisio enim data est vel maxime ad hoc, ut ea, quasi signo, distingueretur populus Abrahamiticus ab aliis gentibus; hæc autem populi distinctio petitur a maribus, non a feminis.

Vers. 11. Circumcisio cur in tali membro?

11. CIRCUMCIDETIS CARNEM PRÆPUTII. — Quæres, cur in hoc membro præputii instituta sit a Deo circumcisio? Respondeo *primo*, quia in hoc membro Adam primo inobedientiæ suæ effectum, et carnis rebellionem sensit.

Secundo, quia hoc membro generamur, et transfunditur peccatum originale, quod circumcisione curatur.

Tertio, ut significaretur Christus redemptor, et novi fœderis institutor generandus ex Abrahæ semine.

Circumcisio spiritalis triplex.

Allegorice, circumcisio typus fuit baptismi et pœnitentiæ; tropologice, mortificationis luxuriæ omniumque vitiorum; anagogice, resurrectionis, quæ fiet octavo die, id est octavo mundi ætate et sæculo, in qua circumcidetur omnis carnis naturæque corruptio. Vide Rupertum et Origenem, *homil.* 3. Vide et Barradium *De Circumcisione Christi.*

Vers. 12. Circumcisio cur dilata in octavum diem?

12. INFANS OCTO DIERUM. — Nota, non potuisse præverti octavum diem, quia ante illum infans nimis tener est, et incertum est an sit vitalis futurus, ut ex Galeno docet Franciscus Valesius, *Sacræ Philosophiæ* cap. XVIII.

Nota: Si infans ante octavum diem periculum vitæ adiret, poterat æque ut fœminæ salvari, remediis et ritibus legis naturæ.

Nota *secundo*: Justa de causa poterat circumcisio differri post octavum diem, ut dilata est in deserto per 40 annos, ob continuam peregrinationem, *Josue* v, 6. Ita Theodoretus et Josephus.

An cultro lapideo peracta circumcisio?

CIRCUMCIDETUR. — Censent aliqui, ut S. Augustinus, S. Bernardus et Magister Sententiarum, Judæos solitos esse circumcidi cultro lapideo; tali enim usus est Moses, *Exodi* IV, et *Josue* cap. V. Verum nihil tale hic præcipitur: imo S. Justinus *Contra Tryphonem* testatur sua ætate Judæos non lapideo, sed ferreo cultro usos esse in circumcisione. Ita S. Thomas, vel potius Thomas Anglicus, Lyranus, Tostatus et alii.

TAM VERNACULUS, QUAM EMPTITIUS CIRCUMCIDETUR, ET QUICUMQUE (servus vester) NON FUERIT DE STIRPE VESTRA. — Hebræa clarius hæc transponendo exprimunt hoc modo: « Omnis servus domi natus et emptitius, qui non est de semine tuo, circumcidendo circumcidetur. »

Est hic triplex expositio et sententia. *Prima* Cajetani, Lipomani, Lyrani et S. Ambrosii, qui putant omnes qui erant de familia Abrahæ, etiam servos, quin et famulos liberos, hic obligari ad circumcisionem. *Secunda* est Pererii, Soti, Alensis, Bonaventuræ, Ruperti, nullum adultum servum hic obligari ad se, vel suas proles circumcidendum, nisi ipse sponte in id consentiat. In hanc inclinat Suarez, III *part.*, Quæst. LXX, art. 2, dist. XXIX, sect. 2, *q. d.* « Servus emptitius circumcidetur, » id est, circumcidi poterit, si videlicet velit ad vestrum populum transire, et fieri judæus. *Tertia* sententia, et S. Scripturæ conformior, est Abulensis, qui censet, non famulos liberos, non mercenarios; sed servos, sive mancipia Hebræorum, etiamsi essent alienigenæ, coactos fuisse circumcidi, sive vernæ essent, id est, domi heri nati; sive emptitii, sub quibus et bello captos accipe: est enim omnium par ratio. Nec id mirum: est enim, ait Aristoteles, lib. V *Ethicorum*, servus possessio domini; et, ut Hebræa hic habent, servus est pretium aut possessio pecuniæ domini, quasi qui pecunia emptus, possideatur a domino instar pecuniæ. *Secundo*, quia τὸ *circumcidetur* præceptum significat, quod elides, si subaudias, « si velit: » fertur enim hic lex de circumcisione. Accedit, quod in Hebræo est, *himmol iimmol*, circumcidendo circumcidetur, *q. d.* omnino circumcidetur. Et ita hoc Dei præceptum videtur intellexisse Abraham, ut satis liquet vers. 23, ubi dicitur Abraham circumcidisse Ismael et

Servis Hebræorum etiam emptitiis præcepta fuit circumcisio. Prob. Primo.

Secundo.

servos omnes, « sicut præceperat ei Deus; » ergo circumcisio servis non permissa, sed præcepta fuit : sicut enim Deus eam imposuit Abrahæ et posteris ejus, ita et servis eorum : hi enim herorum suorum sunt mancipia; præsertim, quia circumcisio et judaismus servis tunc erat utilis et honorifica : per eam enim aggregabantur familiæ Abrahæ et populo Dei. *Tertio*, quia alioqui non fuisset distinctio inter servum et mercenarium, quam tamen ponit Deus, *Exodi* XII, 44; nam et mercenarii, si volebant, poterant circumcidi, itaque comedere phase. Distinctio ergo fuit hæc, quod servi tenebantur circumcidi, non mercenarii. Ratio legis erat, ut familia Abrahæ tota esset Deo dicata, utque cultus Dei, fides et salus ita ad plures propagaretur, si non amore et sponte, certe metu et coactione. Erat enim illa ætas et lex, non filiorum, sed servorum. Denique si Abraham ejusque posteri queri non poterant, hoc onus sibi a Deo imponi, quid de eo queri poterant Abrahæ mancipia?

Tertio.

Ratio legis.

14. DELEBITUR ANIMA ILLA DE POPULO SUO. — Hebræi sic exponunt, *q. d.* Si quis Judæorum circumcisus non fuerit, morietur ante annum quinquagesimum, et sine liberis; id ita fieri solitum tradunt, imo fabulantur ipsi.

Vers. 14.

Quid sit *deleri de populo?*

Primo.

Secundo, Diodorus et Cajetanus volunt hic sermonem esse de adulto tantum, eumque juberi hic occidi per judices, si circumcisionem sui, vel suorum negligat. Verum ex antecedentibus, maxime vers. 12, patet Deum hic omnibus incircumcisis, etiam infantibus pœnam mortis intentare.

Secundo.

Tertio, Vatablus sic exponit: « Delebitur anima, » id est, homo ille non censebitur in populo meo, non censebitur filius Abrahæ, nec hæres Chanaan aliarumque mearum promissionum. Rursus, non erit particeps passionis Christi, quæ circumcisione fuit figurata, ac consequenter non nanciscetur circumcisionem cordis spiritualem, quæ fit per gratiam, nec erit hæres regni cœlestis, cujus typus erat Chanaan, quia scilicet remanet in peccato originali, quod circumcisione tollendum erat. Ita S. Augustinus et Rupertus.

Tertio.

Quarto, optimus et plenissimus erit sensus, si secundam et tertiam expositionem jungas hoc modo, *q. d.* Quicumque, etiam infans, circumcisus non fuerit, cum ad adultam ætatem venerit, per judices morte punietur; quia circumcisionem neglexit, non in infantia, sed in adolescentia. Tunc enim, utpote rationis compos, debebat negligentiam parentum supplere, et curare se circumcidi. Hunc esse sensum patet ex eo quod sequitur : « Quia pactum meum irritum fecit, » id est, violavit : hoc autem nemo facit in infantia, sed in adolescentia, cum rationis est compos.

Quarto.

Punitio incircumcisorum.

Secundo, quia pro *delebitur*, hebraice est נכרתה *nichreta*, id est exscindetur; jam exscindi de populo, idem est quod occidi : simili enim modo violator sabbati jubetur exscindi de populo, id est, occidi a judicibus, *Num.* XV, 31, in hebræo. Ita Pererius. Nec dubium est quin ex hac lege Judæi adultos negligentes circumcisionem morte mulctarint (1).

Rursum, spiritualiter hic per mortem corporalem significatur et intentatur mors spiritualis animæ, et æterna damnatio, illi qui circumcisionem vel infans non susceperit (infanti enim mors animæ infligi potest a Deo, non vero mors corporis a judice), vel adultus neglexerit: quod scilicet hac de causa exscindatur a familia Abrahæ, a populo et Ecclesia Dei, ac consequenter ab hæreditate cœlesti. Unde Septuaginta habent : « Infans qui octavo die non fuerit circumcisus, delebitur de populo suo. » Verum « octavo die » non habent Hebræa, nec Latina, videturque ab aliquo insertum : elidit enim priorem sensum.

QUIA PACTUM MEUM IRRITUM FECIT, — proprie in adolescentia, ut dixi. *Secundo*, in infantia improprie et passive, *q. d.* Quia pactum meum in eo irritum fuit et violatum in infantia; non sua, sed parentum culpa, vel etiam casu, ut per hebraismum *hiphil* ponatur pro *cal.* Ita S. Augustinus (quem sequitur Rupertus), lib. XVI *De Civit.* cap. XXVII, qui tamen juxta Septuaginta legens τὸ *octavo die*, pactum hic intelligit illud, quod iniit Deus cum Adamo, de non comedendo pomo vetito; quod quia Adam violavit, hinc cum suis posteris periit, et incurrit debitum mortis æternæ : hanc vero mortem actu incurrerunt, quotquot hoc Adæ peccatum circumcisione non expiarunt. Verum ex præcedenti patet hæc intelligenda esse de pacto inito, non cum Adamo, sed cum Abrahamo, vers. 10, cujus signum erat circumcisio.

15. NON VOCABIS SARAI, SED SARAM. — « Sarai » idem est, quod princeps vel domina mea, puta domus meæ; « Sara » vero absolute significat principem et dominam, *q. d.* Sarai hactenus unius mariti et familiæ fuit domina; jam vero erit Sara, id est, absolute princeps et domina, quia erit mater gentium plurium, imo cunctarum per Isaac, quem pariet. Ex Isaac enim nascetur Christus, qui erit pater omnium gentium fidelium et Christianarum : harum ergo avia, mater, domina et princeps erit Sara. Ita S. Hieronymus, Ambrosius et alii (2).

Vers. 15.

Cur Sarai dicta est Sara?

Nota : Tam Hebræis, quam Græcis et Latinis moris erat, ut uxor virum dominum, et vicissim viri uxores vocarent dominas, itaque mutuum honorem et amorem testarentur et foverent. Sic Sara Abrahamum vocabat dominum suum, et ipse vicissim eam vocabat Saram, id est dominam.

(1) Sunt qui *exsilii* pœnam excisione hac e populo Hebræo intelligi opinantur, v. g. Clericus et Michaelis.

(2) Juxta Ikenium שרי est *generosa, nobilis, principissa;* שרה vero, *prolifera fœcunda,* coll. arab. *sara* (cum elix hamzato), *multam prolem habuit.* Cæterum nomina mutare, ob memorabiles, qui ipsis accidunt, eventus, apud Orientales hodienum non est infrequens.

Nota *secundo*, « Sarai » additur littera ה *he*, ut fiat *Sarah*, causam dixi vers. 5.

Allegorice, Sara, ait S. Ambrosius, typus est Ecclesiæ, quæ filios suos gentesque omnes regit prudentissime.

Vers. 16. 16. BENEDICAM EI, — eam sterilem et anum, supra naturam, per miraculum faciam fœcundam, ut pariat Isaacum.

REGES — quos nominavi, vers. 6.

Vers. 17. 17. CECIDIT ABRAHAM, etc., ET RISIT, DICENS : PUTASNE CENTENARIO NASCETUR FILIUS? — Non dubitat Abraham de Dei promissione, ut vult S. Chrysostomus et Hieronymus, nam ejus fidem commendat Moses, cap. XV, vers. 6, et Paulus, *Rom.* IV, 19. Sed verba hæc ejus sunt animi exultantis, gratulabundi, et ad tantum, tamque novum et inauditum beneficium obstupescentis. Unde Abraham non ex incredulitate, uti aliqui volunt, sed ex ima demissione et reverentia, quasi se indignum agnoscens, ut sibi ex Sara nascatur Isaac, non pro Isaaco nascituro, sed pro Ismaele jam nato orat, dicens : « Utinam Ismael vivat coram te. » Ita S. Ambrosius, Augustinus, Rupertus. « Risus Abrahæ, ait S. Augustinus, lib. XVI *De Civit.* cap. XXIX, exultatio est gratulantis, non irrisio diffidentis. »

Addunt Cajetanus et Pererius Abrahamum dubitasse, non de potentia Dei, aut veritate promissionis divinæ, sed an hæc promissio litteraliter ut sonat, an parabolice, symbolice, vel ænigmatice intelligi deberet. Verum nil tale, imo contrarium potius insinuat tam Moses hic, quam Paulus, *Rom.* IV, 19.

An Abraham absolute impotens fuerit ad generandum?

PUTASNE CENTENARIO NASCETUR FILIUS? — Quæres an Abraham, quia centenarius, fuerit impotens ad generandum absolute, an tantum respective? Aliqui censent eum absolute fuisse impotentem respectu cujuslibet feminæ, ac consequenter per miraculum fuisse ei absolute restitutum vigorem et potentiam omnem generandi. Probant, quia hac de causa Apostolus, *Rom.* IV, 19, absolute vocat corpus Abrahæ emortuum; itaque eo loco explicui.

Respondeo, Non, sed tantum respectu Saræ.

Verum, re profundius considerata, probabilius mihi videtur Abraham non absolute, sed respective tantum fuisse impotentem ad generandum, scilicet respectu Saræ uxoris suæ, utpote quæ erat nonagenaria, et cui jam menstrua fluere desierant : ex tali enim Abraham centenarius suscitare prolem non poterat; poterat tamen ex juniore : nam post mortem Saræ, cum ipse 137 esset annorum, sex proles genuit ex Cetura, utpote quæ adolescentula, vivida erat et fœcunda : ad hanc enim satis vigoris et potentiæ habebat adhuc in illo senio, non vero ad Saram, unde per miraculum id a Deo hic accipit.

Prob. Primo.

Id ita esse probatur *primo*, quia Abraham post generationem Isaac vivit 75 annis; ergo cum genuit Isaac, vigor vitæ, et consequenter potentia

Secundo. generandi in eo non fuit plane emortua. *Secundo*, homines ea ætate vivebant ad ducentos annos, sicut Thare, pater Abrahæ, vixit 205 annos; ergo non fuerunt decrepiti et impotentes ad generandum anno centesimo; alioqui per dimidium vitæ et ætatis fuissent decrepiti : quod insolitum est, et præter naturam. *Tertio*, quia Jacob Abrahæ nepos, qui in majoribus fuit laboribus pascendi greges, quam Abraham, genuit Benjamin anno ætatis 107, uti ostendam cap. XXXV, vers. 18; ergo Abraham potuit generare anno 100. Tertio.

Ad argumentum respondeo, Apostolum vocare Abrahæ corpus emortuum, non absolute, sed respective, scilicet respectu Saræ suæ conjugis, unde subdit : « Et emortuam vulvam Saræ. » Nam τὸ *et*, copulatim et junctim cum τὸ *corpus suum emortuum*, explicandum est; certum enim est Abrahæ corpus non fuisse plane emortuum, nam vixit adhuc 75 annos. Alludit ergo Apostolus ad hunc locum, idemque dicit quod hic dicitur : Abraham enim centenarius, et Sara nonagenaria, ita habebant corpus emortuum, ut ex sese invicem non possent generare; ex alia tamen juvencula posset Abraham. Ita S. Augustinus, Eucherius et alii.

Nota : Deus probavit et exacuit fidem, spem et longanimitatem Abrahæ, differens prolem promissam, utpote rem ingentem, per 25 annos; illam enim promisit Abrahæ, cum ipse 75 esset annorum, cap. XII, vers. 3 : hic vero eam præstat, cum ipse esset centum annorum, cum naturaliter res videretur esse desperata.

Vers. 18. 18. UTINAM ISMAEL VIVAT CORAM TE. — Abulensis dupliciter hæc explicat : *primo*, admirative, *q. d.* O Domine, ex quo tantum bonum vis mihi facere, ut des Isaacum, vivat etiam obsecro coram te Ismael meus; *secundo*, Abraham, inquit, videns quod Deus ei volebat dare alium filium, puta Isaacum, in quo complendæ erant benedictiones, timuit quod vellet occidere, vel abbreviare dies Ismaelis; ideo rogavit pro eo, dicens : Utinam vivat Ismael. Verum, uti paulo ante dixi, verius est Abraham ex summa humilitate et reverentia non ausum orare pro Isaaco, orasse pro Ismaele, *q. d.* Utinam saltem Ismaelem in vita conserves, eique benedicas, uti, vers. 16, benedixisti Isaaco quem mihi nasciturum promittis. Vivat, inquam, Ismael meus coram te, ut scilicet tibi placeat, tuisque mandatis obediat. Ita S. Ambrosius et Vatablus.

Ismael salvatus videtur.

Quare cum Deus idipsum annuat et concedat Abrahæ, vers. 20, hinc probabiliter colligunt Hebræi Ismaelem pœnitentiam egisse, Deo placuisse, recte et juste vixisse, esseque salvatum. Unde et cap. XXI, 20, Deus dicitur fuisse cum eo; et cap. XXV, vers. 17, post mortem dicitur Ismael appositus ad populum suum.

Alii tamen, ut Lipomanus et Pererius, de Ismaelis salute dubitant; sic et Cajetanus, qui ita scribit : « Ismael primus inter homines sortitus est nomen a Deo; et cum hac tam nova, ac non parva gratia, nihil scitur an bonus, an malus fue-

rit; ut ex divina gratia gratis data, nullus glorietur, nullus laudetur, nullus speretur bonus. »

Vers. 19. 19. SARA. — Hebraice additur אבל *abal*, imo, quin etiam, *q. d.* Non tantum tibi vivet superstes Ismael, sed etiam Sara gignet tibi Isaacum.

Isaac, id est risus. ISAAC. — Isaac significat risum, a radice צחק *tsachak*, id est risit: ita dictus est Isaac, ob risum et gaudium Abrahæ, cum audit a Deo eum sibi nasciturum, vers. 17. Postea Sara pariter ridens, et gaudens de nato hoc sibi filio, hoc nomen jam datum iterat et confirmat, cap. XXI, vers. 6, dicens: « Risum fecit mihi Deus; quicumque audierit, corridebit mihi. »

Allegorice, Isaac fuit typus Christi, qui fuit risus et gaudium universæ terræ, ait Rupertus.

CONSTITUAM PACTUM MEUM ILLI. — Pacti quod tecum inivi, hæres erit Isaac, ac consequenter quæcumque hoc pacto promisi, Isaaco et posteris ejus cedent, non Ismaeli: qualia sunt, quod dabo tibi tuisque terram Chanaan; quod ero tibi tuisque Deus, et ipsi mihi erunt populus; quod in semine tuo (Christo) benedicentur omnes gentes.

Vers. 21. 21. AD ISAAC, — cum Isaac. Ita Hebræa et Chaldæa.

TEMPORE ISTO, — sub hoc anni tempus.

ANNO ALTERO — proxime sequenti.

Vers. 22. 22. ASCENDIT DEUS AB ABRAHAM. — Angelus Deum repræsentans subtraxit se oculis Abrahæ, et in cœlum rediit. Ita fecit et angelus apparens Manue, *Judic.* XIII, 20.

Vers. 23. 23. STATIM IN IPSA DIE. — Nota hic promptam et celerem obedientiam Abrahæ, totiusque familiæ in circumcidendo se: qualis herus, tales servi; erant autem facile quadringenti. « Verus obediens, inquit Abulensis, moras nescit; nec diu in agendo deliberat, cum mandatum fuerit, sicut nec verus moralis, nihil agendo moratur, postquam consiliatum fuerit, ut ait Aristoteles, lib. VI *Ethic.* cap. *de eubulia*. Eumdem locum habet obedientia et eubulia, quia sicut post consilium perfectum nihil manet, nisi operari: ita proposito mandato obedienti solum operatio sequitur. » Et S. Bernardus, serm. *De Virtute obedientiæ*: « Fidelis obediens, inquit, nescit moras, fugit crastinum; ignorat tarditatem, præripit præcipientem; parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes; totum se colligit, ut imperantis compleat voluntatem. » Et S. Benedictus in *Regulis*: « Perfecta obedientia sua imperfecta relinquit. » Et David, *Psalm.* XVII, vers. 45: « In auditu auris obedivit mihi. » Ita Petrus, Andreas, Joannes, Jacobus; vocati a Christo, continuo relictis omnibus secuti sunt eum. Ita faciunt angeli, de quibus ait Psaltes: « Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis. » Ita faciunt stellæ, quæ « vocatæ dixerunt: Adsumus; » et fulmina, de quibus Jobo ait Deus, cap. XXXVIII, vers. 35: « Numquid mittes fulgura, et ibunt; et revertentia dicent tibi: Adsumus? » Audi Ethnicos. Cyrus apud Xenophontem, lib. IV, laudat Chrysantem militem, qui in prælio gladium hosti jam incussurus, cum audiret receptui cani, ictum non intulit; et rogatus, cur hosti pepercisset, respondit: Quia « melius est imperatori parere, quam hostem interficere. » Audi Cleanthem Philosophum apud Senecam, *epist.* 106:

> Duc me, parens, celsique dominator poli,
> Quocumque placuit: nulla parendi mora est;
> Adsum impiger.

Vers. 25. 25. TREDECIM. — Hinc Saraceni, exemplo patris sui Ismaelis, circumcidunt se anno ætatis suæ 13, ait Josephus, lib. I, cap. XII. Sed in hoc non servant legem Dei, quæ jubet quemque octavo die circumcidi, vers. 12.

Mysticum sensum hujus capitis pete a Ruperto, lib. V, a cap. XXVIII ad XXXVII.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Abraham tres angelos hospitio et convivio excipit. Secundo, hi, vers. 9, promittunt ei filium ex Sara. Tertio, vers. 17, revelant ei instans excidium Sodomæ; unde pro Sodoma orat et interpellat Abraham.

1. Apparuit autem ei Dominus in convalle Mambre, sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso fervore diei. 2. Cumque elevasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum: quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi, et adoravit in terram. 3. Et dixit: Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum: 4. sed afferam pauxillum aquæ, et lavate pedes vestros, et requiescite sub arbore. 5. Ponamque buccellam panis, et confortate cor vestrum, postea transibitis: idcirco enim declinastis ad servum vestrum. Qui dixerunt: Fac ut locutus es. 6. Festinavit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei: Accelera, tria sata similæ commisce, et fac subci-

nericios panes. 7. Ipse vero ad armentum cucurrit, et tulit inde vitulum tenerrimum et optimum, deditque puero : qui festinavit et coxit illum. 8. Tulit quoque butyrum et lac, et vitulum quem coxerat, et posuit coram eis : ipse vero stabat juxta eos sub arbore. 9. Cumque comedissent, dixerunt ad eum : Ubi est Sara uxor tua? ille respondit : Ecce in tabernaculo est. 10. Cui dixit : Revertens veniam ad te tempore isto, vita comite, et habebit filium Sara uxor tua. Quo audito Sara risit post ostium tabernaculi. 11. Erant autem ambo senes, provectæque ætatis, et desierant Saræ fieri muliebria. 12. Quæ risit occulte, dicens : Postquam consenui, et dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo? 13. Dixit autem Dominus ad Abraham : Quare risit Sara, dicens : Num vere paritura sum anus? 14. Numquid Deo quidquam est difficile? juxta condictum revertar ad te hoc eodem tempore, vita comite, et habebit Sara filium. 15. Negavit Sara, dicens : Non risi, timore perterrita. Dominus autem : Non est, inquit, ita, sed risisti. 16. Cum ergo surrexissent inde viri, direxerunt oculos contra Sodomam : et Abraham simul gradiebatur, deducens eos. 17. Dixitque Dominus : Num celare potero Abraham quæ gesturus sum : 18. cum futurus sit in gentem magnam, ac robustissimam, et benedicendæ sint in illo omnes nationes terræ? 19. Scio enim quod præcepturus sit filiis suis, et domui suæ post se, ut custodiant viam Domini, et faciant judicium et justitiam : ut adducat Dominus propter Abraham omnia quæ locutus est ad eum. 20. Dixit itaque Dominus : Clamor Sodomorum et Gomorrhæ multiplicatus est, et peccatum eorum aggravatum est nimis. 21. Descendam et videbo, utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverint : an non est ita, ut sciam. 22. Converteruntque se inde, et abierunt Sodomam : Abraham vero adhuc stabat coram Domino. 23. Et appropinquans ait : Numquid perdes justum cum impio? 24. Si fuerint quinquaginta justi in civitate, peribunt simul? et non parces loco illi propter quinquaginta justos, si fuerint in eo? 25. Absit a te, ut rem hanc facias, et occidas justum cum impio, fiatque justus sicut impius : non est hoc tuum; qui judicas omnem terram, nequaquam facies judicium hoc. 26. Dixitque Dominus ad eum : Si invenero Sodomis quinquaginta justos in medio civitatis, dimittam omni loco propter eos. 27. Respondensque Abraham, ait : Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis. 28. Quid si minus quinquaginta justis, quinque fuerint? delebis, propter quadraginta quinque, universam urbem? Et ait : Non delebo, si invenero ibi quadraginta quinque. 29. Rursumque locutus est ad eum : Sin autem quadraginta ibi inventi fuerint, quid facies? Ait : Non percutiam propter quadraginta. 30. Ne, quæso, inquit, indigneris, Domine, si loquar : Quid si inventi fuerint triginta? Respondit : Non faciam, si invenero ibi triginta. 31. Quia semel, ait, cœpi, loquar ad Dominum meum : Quid si ibi inventi fuerint viginti? Ait : Non interficiam propter viginti. 32. Obsecro, inquit, ne irascaris, Domine, si loquar adhuc semel : Quid si inventi fuerint ibi decem? Et dixit : Non delebo propter decem. 33. Abiitque Dominus, postquam cessavit loqui ad Abraham : et ille reversus est in locum suum.

Vers. 1. APPARUIT AUTEM EI DOMINUS — in specie trium virorum, uti sequitur; tres enim (viri de quibus vers. seq.) repræsentabant Dominum, uti mox dicam. In memoriam hujus apparitionis angelorum Abrahæ factæ juxta quercum Mambre, quotannis eodem convenire solebant Judæi, Gentiles et Christiani, ibique quisque suo ritu festa et sacrificia peragere. Verum Constantinus imperator, sublatis impiis Judæorum et Gentilium ritibus, jussit locum purgari, ibique erecto templo ad Christiana sacra tantum deputari et consecrari, uti narrat Sozomenes, lib. II, cap. III.

SEDENTI IN IPSO FERVORE DIEI. — Hinc videtur quod Abraham more suo soleret sub meridiem et prandium ad ostium sedere, et exspectare peregrinos et hospites, qui in fervore diei solent ad hospitia divertere; unde cum expandit sagenam suæ hospitalitatis, non tantum homines, sed et angelos latenter suscepit : hoc est enim quod ait Apostolus, *Hebr.* XIII, 2 : « Hospitalitatis nolite oblivisci; per hanc enim latuerunt quidam, angelis hospitio receptis. » Vide de laude hospitalitatis ibi dicta, et S. Chrysostomum hic *hom.* 41; S. Ambrosium, lib. I *De Abraham*, cap. V, et

Hospitalitatis encomia et proprietates.

S. Augustinum, sermonibus 68 et 70 *De Tempore*.

Audi S. Ambrosium : « Qui scis, inquit, an Deum suscipias, cum hospitem putas ? Abraham dum peregrinantibus defert hospitium, Deum atque angelos ejus suscipit hospitio : quamvis et cum hospitem suscipis, Deum suscipis. Sic enim scriptum in Evangelio legis, dicente Domino Jesu : Hospes eram, et collegistis me; quod enim uni horum minimorum fecistis, mihi fecistis. Unius horæ hospitio vidua illa quæ suscepit Eliam, et exiguo cibo, perpetuum toto tempore famis invenit alimentum, et mercedem accepit mirabilem, ut nunquam farina de hydria deficeret. Eliseus quoque, defuncti pignoris resuscitatione donata, hospitii resolvit pensionem. » Hæc et plura Ambrosius.

Rursum notat hic S. Ambrosius : « Disce, ait, quam impiger esse debeas, ut possis prævenire hospitem, ne quis præveniat, et te boni muneris defraudet copia. » Et S. Chrysostomus hic : « Currit, ait, et volat senex; vidit enim prædam quam venabatur : non vocavit famulos; quasi diceret : Magnus thesaurus est, magna negotiatio, per meipsum hanc mercem inferre debeo, ne elabatur tantum lucrum. » Et rursum : « Vide liberalitatem Abrahæ : vitulum mactavit, et fermentavit farinam. Audi et alacritatem : per seipsum et per uxorem hoc facit; considera etiam, quam alienus est a fastu : adorat et obsecrat. Omnia illa habere oportet hospitio excipientem, alacritatem, festivitatem, liberalitatem. Audiant viri, audiant mulieres. Viri quidem, ut sic suas contubernales erudiant, ut si quando spirituale lucrum incidat, non per famulos hoc perficiatur, sed per seipsos faciant omnia; mulieres autem, ut accelerent juvare viros in tam bonis operibus per seipsas; imitentur sacram vetulam in tanta senecta laborem libenter suscipientem, et famularum opera perficientem. » Nimirum in domo justi nemo otiosus est : quisque hospitalitati similive pio operi primus manus admovere satagit. Sane S. Carolus Borromæus cum amplam haberet familiam, ita cuique per totum diem suas partiebatur operas, easque utiles et pias, ut nemo vel quadrantem horæ per diem haberet liberum et non occupatum. Id mihi Romæ narrarunt qui cum eo diu vixerunt. Hac de causa familia ejus tota erat quieta, ordinata, sancta, fructuosa instar apum. Hoc imitentur Principes et prælati; otium enim perdit familias, præsertim aulicas. Et S. Hieronymus, epist. 26 *ad Pammachium* : « Ipse (Abraham) pedes lavit, ipse pinguem vitulum portavit humeris de armento, stetit ut servus peregrinis prandentibus, et Saræ manibus coctos cibos jejunaturus apposuit. »

Vers. 2. 2. TRES VIRI. — Concilium Sirmiense, *Can.* 14, vult medium horum trium fuisse Filium Dei; sed fuit hoc conciliabulum Arianorum, uti fuse docet Baronius, anno Christi 357.

Nota ergo *primo*, hos tres viros fuisse angelos, qui corpus humanum ex aere formarunt et assumpserunt, ut cum Abrahamo loquerentur. Paulus enim *Hebr.* cap. XIII, vers. 2, et Moses cap. seq., vers. 1, vocat eos angelos. Ita S. Augustinus, lib. XVI *De Civit.* XXIX, et alii passim. Hebræi et Lyranus putant *unum* ex his tribus fuisse missum ad nuntiandum partum Saræ; *secundum*, ad evertendum Sodomam; *tertium*, ad liberandum Lot ex Sodoma. Verum non unus, sed duo missi sunt simul, tam ad evertendum Sodomam, quam ad liberandum ex ea Lot, ut patet cap. XIV, vers. 1, 10 et 16. Ita Abulensis. Angeli apparent Abrahamo.

Secundo, unus trium, scilicet medius, cæteris apparebat illustrior, quia erat superior angelus; unde ipse solus fere hic loquitur, vocaturque Dominus. Hebræi apud Lyranum et Tostatum putant hunc medium fuisse Michaelem, qui a dextris habuerit Gabrielem, a sinistris Raphaelem; quos duos deinde misit ad evertendum Sodomam, et ad Lot ex ea educendum; de quo cap. seq. Hinc unum hunc medium, quasi duobus aliis illustriorem, Abraham alloquitur, audit et adorat. Unde allegorice Eucherius, lib. II *in Genes.* cap. XXVII. « In tribus, inquit, viris, qui venerunt ad Abraham, Domini Christi prænuntiabatur adventus, cum quo duo angeli comitabantur, quos plerique Mosen et Eliam accipiunt; unum priscæ legis latorem, qui per eamdem legem adventum Domini indicavit; alium qui in fine mundi venturus est, denuntiaturus secundum adventum Christi, atque ejus Evangelium prædicaturus. » Tres angeli significant Christum cum Mose et Elia.

Tertio, Abraham in primo horum trium occursu, putavit omnes tres esse homines; scilicet communes suos hospites; Apostolus enim *ad Hebr.* XIII, ait eum latenter et ignoranter suscepisse angelos, quia scilicet putabat eos esse homines, non angelos : unde omnibus tribus quasi hominibus pedes lavat, epulum et reliqua, quæ hospitibus necessaria sunt, sedulo parat et curat. Ita S. Chrysostomus et Ambrosius. Suscipiuntur tres angeli ab Abrahamo.

Dices, quomodo ergo hic dicitur eos adorasse? Respondeo, « adoravit eos, » id est, prosternens se in terram, civilem et Orientalibus consuetam reverentiam eis exhibuit. Simili modo adoravit filios Seth, cap. XXIII, vers. 7.

Ubi adverte, quanta non tantum charitate, sed et reverentia hospites excipere solitus sit Abraham. Ab Abrahamo didicit Apollonius Abbas, ut habetur in Vitis Patrum, hanc reverentiam : ipse enim fratres peregre venientes excipiebat, adorans eos, et usque ad terram se prosternens, et surgens osculabatur, et fratres monebat, ut adventantes fratres quasi Dominum susciperent : « Nam, aiebat, et adorari fratres adventantes, propterea traditio nostra habet, ut certum sit, in adventu eorum Christi adventum haberi; » et Abrahami exemplum subjicit. Hac Patrum traditione imbutus S. Benedictus præcipit : « Omnibus venientibus, sive discedentibus hospitibus, in- Reverenter excipiendi hospites.

clinato capite, vel prostrato omni corpore in terra, Christus in eis adoretur, qui et suscipitur. »

Agnoscuntur angeli ab Abrahamo.

Quarto, Abraham cum hisce tribus agendo, sensim ex splendore, sermone, majestate aliisque signis, atque ex Dei instinctu agnovit eos non esse homines, sed angelos, legatos Dei, imo Dei vicem et personam gerere, maxime medium qui in persona Dei loquitur, vocaturque semper « Jehova, » et quasi Deus excidium intentat Sodomæ, vers. 20; unde ut talem omnino reverenter compellat, honorat, et pro Sodoma precatur Abraham. Ita S. Augustinus. Unde patet Abrahamum id cognovisse, non postquam ab eo discessit et evanuit angelus vers. ult., ut volunt aliqui, sed ante, uti jam ostendi.

Significant SS. Trinitatem.

Quinto, hi tres symbolice significabant sanctam Trinitatem, et medius significabat essentiam divinam, tribus personis communem. Ita S. Ambrosius, Eusebius, Cyrillus; unde Abraham tres vidit, et unum adoravit, ut canit Ecclesia.

Adorantur.

Hinc sequitur, quod Abraham hos angelos, ut angelos Deique legatos *primo* adorarit dulia, *secundo*, agnoscens eos repræsentare Deum et SS. Trinitatem in eis repræsentatam, adorarit latria, ut docet S. Augustinus; qui enim hic apparet et loquitur cum Abrahamo, semper vocatur « Jehova, » quod est nomen proprium Dei, cui debetur latria.

Simili modo legatus regis dupliciter honorari potest, *primo*, ut legatus, *secundo*, ut rex, cujus personam induit et repræsentat, sic ut non tam legatus, quam rex in legato censeatur coli et honorari, sicuti Sancti repræsentantur et coluntur in sua imagine : est enim legatus viva sui regis imago (1).

Vers. 4. 4. LAVENTUR. — Sinite ut mei, vel potius ego ipse (ut insinuat S. Augustinus, serm. 70 *De Tempore*, et S. Hieronymus, epist. 26 *ad Pammachium*) vobis pedes lavem. Abraham a medio, quem primo allocutus est, ad duos laterales se suumque sermonem convertit, uti solemus facere, dum cum pluribus agimus.

Nota hic Abrahami et priscorum morem lavandi pedes hospitibus, tum ad sordes, tum ad lassitudinem tollendam, de quo dixi I *Tim.* v, vers. 10. Vide et Guilielmum Hamerum hic, et fuse Jacobum Gretserum in *Pedilavio*.

Quale corpus assumant angeli?

Quæres hic, quales pedes, et quale corpus assumant angeli, et quo modo ? Respondeo *primo*, angeli non possunt sibi unire aliquod corpus substantialiter, sive unione hypostatica, quia hoc solius est divinæ virtutis; *secundo*, possunt angeli corpora assumere, sibi ea accidentaliter uniendo, eaque movendo ac si essent viva. *Tertio*, etsi angeli possint cadavera recens defuncta ita assumere et movere, ac si vere viverent, uti subinde faciunt dæmones; communiter tamen sibi corpus effingunt ex circumstante aere, admixtis crassioribus exhalationibus, quibusdam obscurioribus, quibusdam lucidioribus, sic ut utrasque ita inter se commisceant et condensent, ut solida corpora verosque colores et figuras membrorum humanorum referant, ita ut oculis veritas discerni nequeat. Id ex eo patet, quod hæc corpora disparentibus angelis, mox in aerem et vaporem resolvantur. Ita Vasquez I *part.*, Quæst. CLXXXIV.

Corpus angeli vere non est coloratum.

Hinc sequitur *primo*, in hujusmodi corporibus non esse veros colores, sed apparentes, quales in nubibus cernimus; *secundo*, angelum in tali corpore non posse exercere operationes ullas vitales, communes animantibus, quales sunt videre, comedere, audire, sentire, loqui : quia ad has, ut sint vitales, requiritur corpus vivum et animatum, angelus autem non potest corpus animare; potest tamen hujusmodi operationes ita imitari, ut non possint a nobis deprehendi esse falsæ, fictæ vel adumbratæ. *Tertio*, talia corpora non esse vere densa et solida, sicuti alia corpora : sed talia apparere resistente angelo. Infert hinc Vasquez hæc corpora non habere veram mollitiem, aut duritiem; et consequenter secundo, nos palpando posse sentire ea non esse vera humana corpora, idque probat ex illo *Joan.* XX : « Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. » Sed hic locus non convincit, ut ibi dixi. Sicut ergo cætera corporis accidentia, ita et mollitiem ac duritiem corporis humani, magis minusque in hac illave parte resistendo, in tali corpore exhibere potest angelus, ita ut ab homine internosci nequeat; sicut enim manum, brachium, digitum possumus modo rigidum, modo mollem et flexilem exhibere, prout anima per spiritus nervos et musculos vult, aut non vult resistere; et sicut echinus, sive porcellus hortensis, quem vulgo hericium vocamus, suos aculeos potest instar spinarum exserere aut remittere : ita potest et angelus. Id ita esse patet : nam angeli permiserunt se palpari,

Nec solidum.

An palpabile ?

(1) Nomen אֲדֹנָי, plurale excellentiæ, in singulari *Dominus* vertendum, ultimæ syllabæ Qametz adscriptum habens, nonnisi de Deo usurpari constat, ut ab אֲדֹנִי *domini mei* discernatur. Atque ne *domini mei* hoc loco quis reddat, cavere voluerunt Masorethæ apposita nota marginali קְרֵי, qua significatur nomen divinum hic esse. Censent tamen multi ex mente Scriptoris esse אֲרֹנִי *mi domine* legendum. Quum enim Abraham roget hospitem, ut *lavat pedes*, etc., vix credibile est, eum statim intellexisse, non hominem, sed Deum esse, quo cum loqueretur. *Si inveni gratiam in oculis tuis*, id est, si qua mihi est apud te gratia. Latini simili oratione utebantur aliquid rogaturi. Cf. Ovidium, *Metamorph.* VI, 440. « Talis hospitalitas, ait Rosenmullerus, qualis Abrahamus hic exemplum præbet, hodienum in pluribus Orientis regionibus, et apud ipsos latrocinantes Arabes invenitur. Certe in illis regionibus incultis atque desertis, ubi diversoria pene nulla, nisi in urbibus magnis, longis intervallis distantibus, peregrinis patent, hospitalitas et æqua et necessaria est. Non autem fuit hospitibus mos pulsandi ostium, aut eos quorum hospitio excipi cupiebant, priores alloquendi. Solebant potius in via stare, exspectantes dum aliquis eos alloqueretur.» Sic apud Homerum, *Odyss.* I, 103.

cum Abraham eis hic lavit pedes, ut patet vers. 5; et cum manum Lot apprehenderunt, eumque eduxerunt ex Sodomis, cap. XIX, vers. 16.

Vers. 5. 5. BUCCELLAM PANIS. — Modeste ad panem tantum invitat, cum splendidum eis paret convivium, ut patet ex sequentibus; frugale tamen, more illius ævi; nec enim hic legis perdices, capones, cervos, etc. Simile est, cap. XXXI, vers. 34, et alibi.

Ita Plato Aristippi luxum in emendis piscibus reprehendit. Phocion filium suum Phocum, qui plura solito obsonia coemerat, objurgans, ita comminatus est ei, si plura quam secundum naturam comederet, vel ingurgitaret, ipsum condignas pœnas luiturum. C. Fannii Consulis lege introductum est, ne quid apud Romanos volucrum, præter unam gallinam, quæ altilis non esset, apponeretur; et singulis cœnis domesticis denos asses præfinivit: testis est Macrobius et Gellius. Cicero Q. Crasso, et Q. Scævolæ non meram elegantiam, sed multa parcimonia mixtam laudi dedit: « Crassus, ait, erat parcissimus elegantium, Scævola parcorum elegantissimus. » M. Cato vinum in prætura et consulatu, idem quod et operæ, bibebat: epulas ad cœnam ex foro triginta comparabat assibus, idque se facere aiebat reipublicæ causa, quo corpus suum esset ad perferendam militiam robustum.

IDCIRCO — ut scilicet honoretis me, utendo mea hospitalitate; vel, ut alii, *q. d.* Dei providentia factum est, ut hac hora prandii per me iter haberetis, quo possetis meam hospitalitatem experiri, itaque non tam vobis quam mihi, qui hospitibus et hospitalitate mire delector et pascor, gratificari (1).

Vers. 6. 6. TRIA SATA. — « Satum, » vel, ut Hebræi loquuntur, *saa*, genus est mensuræ aridorum, æqua lis bato, qui est liquidorum; noster Interpres alibi *modium* vertit; cum ergo tres modii, sive tria sata facerent unum *ephi* vel *epha*, ut patet *Ruth* II, 17, uti decem *ephi* faciebant unum *corum*, qui continet triginta modios, ut patet *Ezech.* XLV, 11, hinc sequitur satum fuisse tertiam partem *ephi*, et trigesimum *cori*.

Satum mensuræ genus quale?

Porro hic modius, sive satum Hebræorum continebat tres modios Atticos, ut colligitur ex Josepho lib. XV *Antiq.* cap. XI. Italicum vero modium unum cum medio continebat, teste S. Hieronymo in *Matthæi* cap. XIII, et Josepho IX *Antiq.* cap. IV.

SUBCINERICIOS PANES. — Qui lati et plani, absque fermentatione, extra clibanum statim sub cinere coquuntur: ut scilicet hac ratione illico succurramus fami hospitum.

Nota: Hebræi olim, uti etiamnum faciunt Saraceni et Mauritani pene omnes, qui Hebræis uti lingua, ita habitu et ritibus sunt similes, quotidie in fictili vase et concha farinam subigebant, indeque panem in dies singulos coquebant, vel in clibanis, vel in craticula, vel in sartagine tecta, undique carbonibus et cinere circumdata: tum ut recentior esset panis, tum ut ex tempore parabilis et ad manum esset, cum hospites adventabant. Unde crebra est mentio in Scripturis panis subcinericii, quem Hebræi vocant עגה *ugga*, quasi dicant *ustulatum* (2).

Tropologice, de officio Abrahæ et Saræ, id est, spiritus et carnis in rebus et promissis divinis, disserit S. Gregorius, lib. IX *Moralium* cap. LI: « Sara, ait, promissiones Dei audiens ridet, sed ridens corripitur, correpta autem protinus fœcundatur: quia cum cura carnis sui confidentiam habere desierit, contra spem ex divina promissione accipit, quod habituram se ex humana ratione dubitavit; unde et bene Isaac, id est risus dicitur, quia cum supernæ spei fiduciam concipit, quid mens nostra aliud quam gaudium parit? Curandum itaque est, ne aut necessitatis metas cura carnis transeat, aut in eo quod moderate exequitur, de se præsumat, » etc.

8. STABAT JUXTA EOS, — ut ministrans et incitans tres suos hospites ad bene prandendum. Vers. 8.

SUB ARBORE. — S. Augustinus, sermone 66 *De Temp.*: « Arborem, ait, incolebat Abraham, sub qua constitutum erat qualecumque effugium, angustum quidem homini, sed sufficiens majestati. Dignum enim Deo palatium fides devota pingebat, in quo fuisset majestas divina pransura. »

9. CUMQUE COMEDISSENT. — Non vera, nec vitalis fuit hæc angelorum comestio, quia non fiebat ab anima informante, sed assistente corpori aerio ab eis assumpto; trajecerunt ergo angeli ci- Vers. 9. Qualis angelorum in corpore assumpto comestio?

(1) Non sunt verba exprobrantis, sed lætantis et factum laudantis, quod erat indicium, eos de sua hospitalitate bene sensisse

(2) Audi Thevenotium, *Itiner. Oriental.* lib. II, cap. XXXII: « Vescuntur etiam libis, seu placentis, inter quas *Mafroucam* in deliciis habent. In vase ligneo farinam aqua diluunt, massamque conficiunt, quam diligenter depsunt, deinde in placentas tenues et rotundas, cujus diameter est sesquipedalis, extendunt. Eas purgato, ubi ignis accensus fuerat, loco calenti in arena imponunt, teguntque calidis cineribus primum, deinde prunis. Cum alterum latus coctum est, placentam invertunt, cineribusque et prunis similiter tegunt, donec id quoque latus coctum sit. »

Ne cui mirum videatur, quod, vers. 7, Abrahamus ipse, vir tam dives adeoque regulus (*Emir*), ad greges cucurrit et vitulum adportavit, observandum est, tale quid etiamnum in Oriente viro nobili non indignum esse. Simili modo apud Homerum, *Iliad.* XI, 205-221, duo nobiles heroes, Achilles et Patroclus, ipsi coquunt.

Vers. 8, חמאה, quod *butyrum* Vulgatus interpres vertit, melius verteretur *pinguedo lactis*, gall. *crême;* nam butyrum in Palæstina, olei optimi ferace, non confici solebat; imo, ut asserit Michaelis, ejus usum in assandis carnibus lex prohibebat. Denique, *Jud.* V, 25, *Job.* XX, 17, et XXIX, 6, vix dubitari potest חמאה esse fluidum quid atque potabile. *Et ipse stabat juxta eos*, scil. ministrans illis; nam alias עמד per לפני constructum, *coram aliquo stare*, valet, *ei ministrare.*

bum hunc intra corpus a se assumptum, ibique eum resolverunt in aerem, perinde ac sol humorem terræ in vaporem resolvit et consumit, nec in se convertit. Ita Theodoretus. Vide dicta vers. 4.

Qualis Christi post resurrectionem ?

Secus est de Christo, qui post resurrectionem suam cum Apostolis vere comedit, sed simili modo atque angeli hi, cibum a se comestum in aerem resolvit; nec enim corpus gloriosum cibo alitur. Ita S. Thomas 1 *part.*, *Quæst.* LI, art. 2, ad 5.

Vers. 10. 10. CUI (Abrahamo) DIXIT — unus pro tribus, puta medius cæteris illustrior, qui ad hoc maxime erat missus; nam duo reliqui postea Sodomam iverunt ad eam perdendam, ut patet vers. 22.

VENIAM AD TE TEMPORE ISTO, — proximo anno, hoc eodem die et hora, ut habent Septuaginta; ergo eum rediisse ad Abrahamum certum est: id enim hic promittit, licet id eum reipsa præstitisse, in sequentibus non narretur.

VITA COMITE. — Vivente te, et Sara vigente et gaudente; hebr. est, *secundum tempus hoc vitæ*, id est, ut Chaldæus vertit, *in tempore isto quo vos eritis vivi*; non enim loquuntur de sua (cum sint angeli, de quorum perenni vita nullum potest esse dubium), sed de Abrahæ et Saræ vita et incolumitate, eamque hic utrique spondent, ac cum ea prolem, quasi dicant : Vivetis tum, et filium habebitis.

Quare non recte Abulensis sic explicat, « vita comite, » id est, si vita tam vobis quam mihi superstes fuerit, quasi angelus de vita sua dubie loquatur, ut homo, qui de vita sua futura dubius est; certo enim promittit hic angelus se redituram ad Abraham et Saram, certoque eis promittit prolem, ac consequenter certam utrique vitam spondet; omne ergo tam prolis, quam vitæ dubium excludit (1).

Vers. 11. 11. FIERI MULIEBRIA, — fluere menstrua, quæ ad conceptionem sunt necessaria.

Vers. 12. 12. RISIT OCCULTE. — Hebraice, chaldaice et græce est, *risit intra se* : risit quasi rem impossibilem, scilicet anum et sterilem parituram. Ita S. Augustinus hic *Quæst.* 36. Est enim risus species confutationis, ait Plato in *Gorgia*. Hinc et ejus risum reprehendit angelus, quasi ex dubitatione vel diffidentia profectum, cum ait : « Numquid Deo est quidquam difficile? » S. Ambrosius tamen risum hunc Saræ fuisse putat indicium futuri mysterii potius, quam incredulitatis argumentum : « Risit enim, inquit, adhuc nesciens quid rideret, quod publicam esset in Isaac paritura lætitiam. » Sed prius quod dixi, verius est.

DOMINUS MEUS, — maritus meus Abraham. Instar Saræ, uxores bonæ revereantur maritos, eosque vocent dominos, uti monet S. Petrus *epist.* I, cap. III, vers. 5 et 6.

13. DIXIT AUTEM DOMINUS, — puta angelus ille medius Dominum repræsentans, uti dixi vers. 2. Hoc dicto angelus pandens occultum risum Saræ, ostendit se non hominem, sed angelum, vel Deum esse. Unde pro eo quod sequitur : « Numquid Deo quidquam est difficile? » Chaldæus vertit, *numquid occultabitur a facie Domini verbum?* utrovis enim modo verti potest Hebræum פלא *pala*. Vers. 13.

16. VIRI, — tres illi angeli; vers. 2. Vers. 16.

17. DOMINUS, — medius angelus, illustrior, personam Dei repræsentans. Vers. 17.

NUMQUID CELARE POTERO, — Hebraice המכסה *hamecasse*, « numquid celabo? » amor et familiaritas mea non fert ut amicum meum Abrahamum, ita mihi charum, celem hæc secreta mea, præsertim quia scio ipsum intellecto hoc meo decreto de excidio Sodomorum, pro iis oraturum. Volo ergo hac revelatione illi dare materiam charitatis et orationis, simulque ostendere quantum ipsius precibus tribuam, atque ex adverso volui patefacere quanta fuerit perversitas et corruptio Sodomorum, utpote in qua nequidem decem justi inventi sunt, adeo ut pro iis ulterius rogare ausus non fuerit Abraham.

18. CUM FUTURUS SIT. — Est argumentum a majori, *q. d.* Tam insigni tantæ posteritatis et benedictionis beneficio decoravi Abrahamum, ergo par est ut tantillum beneficium, puta revelationem secreti mei, ei non denegem. Vers. 18.

ROBUSTISSIMAM. — Hebraice עצום *atsum*, id est *osseam*, ut vertit Aquila, id est *fortem* (instar ossis), ut vertit Symmachus, hoc est *multum*, ut vertunt Septuaginta : fortitudo enim populi maxime consistit in ejus multitudine.

19. SCIO ENIM. — Hæc est secunda ratio movens Deum, ut secreta sua detegat Abrahamo, quod scilicet per ea, puta per punitionem Sodomorum, velit Abrahamum suos posteros erudire, ut ab eorum peccatis caveant, ne similiter puniantur. Vers. 19.

UT FACIANT JUDICIUM ET JUSTITIAM, — ut recte et juste vivant : « judicium » enim significat id quod judicio Dei et sapientum rectum, justum et sanctum est. Ita Vatablus.

UT ADDUCAT DOMINUS PROPTER ABRAHAM. — Potest quoque ex Hebræo verti, *super Abraham*. Loquitur hic Deus de se in tertia persona. Sensus enim est : Ut ego impleam ea quæ Abrahæ promisi, ut scilicet ea exhibeam posteris ejus.

20. CLAMOR SODOMORUM. — Est prosopopœia, *q. d.* Peccata Sodomæ ita enormia sunt et impudentia (hoc enim significat clamor, ait S. Augustinus), ut publice et ubique in omnium ore versentur, adeoque fama (ut vertit Vatablus) eorum in cœlum per angelos sparsa, ad me pervaserit : imo ipsamet eorum peccata, quasi accusatores in cœlum ad me conscenderunt, clamantque contra Vers. 20. Quid clamor Sodomorum?

(1) כעת חיה aliter Drusius vertit, *hoc tempore vivente*, id est redeunte, *q. d.* iterum vivente, hoc est, hoc tempore in anno altero.

tam impios homines, atque vindictam a me extorquent. Descendam ergo eo, ut videam an hæc fama, et hic peccatorum quasi accusatorum clamor verus sit, an non, ut experientia id sciam. Loquitur et agit hic Deus more nostrorum judicum, qui cominus de facto inquirunt, remque inspiciunt, ut dixi. Nam Deus ante experientiam omnia novit ab æterno.

Nota : Hanc experientiam sumpsit Deus, cap. sequenti vers. 5, cum se per duos hosce angelos Sodomitis duorum virorum specie objecit, qui statim ab eis ad stuprum appetiti sunt.

Nota *secundo*, multa fuisse peccata Sodomæ, sed præcipua fuerunt, otium, gula, superbia, inhospitalitas, crudelitas, Dei contemptus, et ex hisce nata tam portentosa libido, *Ezech.* XVI, 49, uti dixi cap. XIII, vers. 13.

Vers. 21. 21. DESCENDAM, ET VIDEBO. — Descendit Deus per duos hosce angelos, Deum pariter repræsentantes; quos tertius, puta medius, angelus illustrior, misit in Sodomam.

Ex hoc loco Concilium Lateranense I, cap. VIII, monet judices, ne facile accusationibus credant, sed eas lente et mature instar Dei examinent et inquirant, antequam reum condemnent; nam, ut ait Seneca, lib. II *De Ira* : « Veritatem dies aperit, potestque pœna dilata exigi, exacta revocari non potest. » Idem cuique faciendum, ne facile accusatoribus, vel detractoribus credat. Est enim pusilli animi cito irasci, et credere rumoribus. « Sæpe enim sinistro rumori malignitas dat initium, credulitas incrementum. » « Deus, ait Philo *De Confusione linguarum*, dicitur ad visendum descendere, qui omnia priusquam fiant providet manifestissime, ut doceamur, ne quis homo de absentibus et futuris, et incertis putet se posse conjecturam facere; sed prius maxime prospicere debet : visus enim certus potius quam fallax auditus testis adhibendus est. » Et S. Gregorius, lib. XIX *Moral.* cap. XXIII, exponens illa verba *Job*, cap. XXIX, vers. 16 : « Et causam quam nesciebam diligentissime investigabam, » sic ait : « Deus cum omnia illi nuda et aperta sint, mala Sodomorum punivit non audita, sed visa. » Hinc S. Chrysostomus commendat Prælatis ne aliquid definiant propter solos vulgi rumores : « Noli, inquit, ex suspicione tua judicare, antequam discas utrum res ita se habeat; neque aliquem culpa; sed potius Deum imitare, qui ait *Gen.* XVIII : Descendam, et videbo. » Notus est Theodosii imperatoris lapsus in præcipitata sententia et cæde Thessalonicensium, cujus eum monitu S. Ambrosii postea adeo pœnituit; et Davidis circa Miphiboset, II *Reg.* XVI, 4, collato cum II *Reg.* XIX, 27.

Mature examinanda crimina lenteque ferendam esse sententiam.

Vers. 22. 22. CONVERTERUNTQUE SE. — Ex hoc loco, et ex cap. sequent., vers. 1, apparet duos angelos ab Abrahamo discessisse Sodomam, tertium vero cum eo adhuc mansisse; unde de eo subdit Moses : « Abraham adhuc stabat (in oratione, ut addit Chaldæus) coram Domino; » eum enim orat Abraham usque ad finem capitis, ut Sodomæ parcat; unde finita oratione et colloquio, tertius ille ab Abrahamo abiit et disparuit, ut patet vers. 33.

Vers. 25. 25. QUI JUDICAS OMNEM TERRAM, — qui justissimus es judex, norma justitiæ, et judex judicum terræ.

Vers. 26. 26. IN MEDIO CIVITATIS, — in ipsa civitate; hoc enim significat hic hebraismus. Per hanc civitatem sive metropolim, puta Sodomam, totam Pentapolim intellige; unde si Deus in tota Pentapoli decem justos invenisset, toti Pentapoli pepercisset. Ita Abulensis. « Unde, inquit S. Ambrosius, discimus quantus murus sit patriæ vir justus, quemadmodum non debeamus invidere viris sanctis, nec temere derogare. Illorum enim fides nos servat, illorum justitia ab excidio defendit; Sodoma quoque si habuisset viros decem justos, potuit non perire. »

Vers. 27. 27. COEPI. — Incipere in Scriptura sæpe significat desiderare, optare, gestire, conari, parere, moliri; hoc enim est hebræum הוֹאלתי *hoalti*. Unde Hebræa ad verbum habent : *Cupio*, vel *gestio loqui ad Dominum, tametsi sim pulvis et cinis*, scilicet vilissimus et abjectissimus. Ita Vatablus. Agnosce ergo, o homo, o princeps, præsertim coram Deo in oratione, quod sis pulvis et cinis : nosce teipsum. S. Augustinus, lib. XIII *De Civit.*, cap. VIII, narrat Alcibiadem summo loco natum, cum ex sermone Socratis seipsum agnovisset, nihilque inter se et bajulum quemvis interesse, illacrymasse, petiisseque sibi virtutem tradi. « Scito, inquit Auctor libri *De Spiritu et anima* apud S. Augustinum, cap. LI, quoniam homo es, cujus conceptio culpa, nasci miseria, vivere pœna, necesse mori; attende ergo sollicite quid agas, vel quid agere debeas; » et S. Bernardus in Carm. :

Homo cinis.

> Unde superbit homo, cujus conceptio culpa,
> Nasci pœna, labor vita, necesse mori?

Præclare S. Ægidius, comes S. Francisci : « Humilitas, inquit, est instar fulminis, quod ferit quidem, sed nulla post se relinquit vestigia; ita sane humilitas omne peccatum dissipat, et tamen ut homo in oculis suis sit nihil, efficit. » Hac Abraham Deo charus et amicus evasit; nam, ut aiebat S. Ludovicus Episcopus Tolosanus : « Nihil tam gratum Deo, quam si vitæ merito magni, humilitate simus infimi, cum tanto quis Deo sit pretiosior, quanto propter eum sibi est vilior. »

Vers. 32. 32. NON DELEBO PROPTER DECEM. — Hic Deus injecit Abrahæ timorem et verecundiam, ne ultra progrederetur in sua petitione ad quatuor, qui revera tantum erant in Sodomis, scilicet Lot, ejus uxor et duæ filiæ, inquit S. Chrysostomus : reliqui enim omnes quasi nocentes cœlesti igne in Sodomis conflagrarunt. Fecit hoc Deus, ne si Abraham ob quatuor Sodomæ parci peteret, idque

ipse abnueret, Abrahamum contristaret; decreverat enim omnino quatuor has civitates perdere; jam enim completa erat peccatorum Sodomæ mensura, imo supereffluebat.

Dices : Cur saltem non permisit Deus Abraham descendere ad octo vel quinque, ut propter octo vel quinque justos peteret parci Pentapoli? Respondet Abulensis, quia in Pentapoli facile erant septem vel octo justi; si enim in Sodoma erant quatuor justi, in singulis reliquis urbibus facile fuisset invenire unum justum; cumque eæ essent quatuor, universim fuissent octo justi in Pentapoli.

Si objicias : Ergone quatuor hi justi cum impiis in Pentapoli conflagrarunt? Respondet Abulensis, minime, quia uti Lot cum uxore et filiabus ex Sodomis, ita reliqui quatuor hi justi ex suis urbibus, totaque Pentapoli, vel monitu angelorum, vel Dei instinctu ante ejus excidium excesserunt. Verum hoc est conjectare et divinare. Cum ergo omnes Pentapolitæ, excepto Lot cum suis, et exceptis incolis urbis Segor, cœlesti igne, quasi subito fulmine sint afflati et consumpti, liquet omnes pariter fuisse impios.

Respondeo ergo Abraham infra decem non descendisse, tum quia dixerat, vers. præced., hanc suam petitionem fore ultimam : cum enim toties minuendo descendisset, non ausus fuit sæpius descendere, ne Deo esset importunus, illique fastidium aut iram moveret; tum quia continuo a quadraginta usque ad decem, per denarios pertendo descenderat Abraham. Pari ergo modo et congruentia, hic a decem ad unum vel nullum descendere debuisset. Tum denique, quia putabat facile decem justos in Pentapoli inveniendos esse.

Sed cur Abraham non meminit Lot nepotis sui, cur eum communi clade eripi non postulavit? An ut rem claram id Moyses prætermisit? an quod justum norat, liberandum confidebat?

Moraliter docet hic S. Chrysostomus, *homil.* 42, quanto in pretio haberi debeant justi, etiamsi exterius viles et pauperes, cum propter eos Deus urbibus et provinciis sceleratis parcat : illi enim sunt bases et columnæ reipublicæ. Talis fuit David, de quo ait Deus Ezechiæ : « Protegam urbem hanc, et salvabo eam propter David servum meum, » IV *Reg.* XIX, 34. « Talis erat Elias, qui melotem tantum habuit, et purpura vestitus Achab illius melote indigebat. Melote hujus cœlum clausit, pluviarumque descensum stitit. Et lingua Prophetæ frenum fuit cœlo : purpura autem amictus, et diademate circumibat quærens Prophetam. » Hinc de eo et similibus ait Paulus : « Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, » *Hebr.* XI, 37. « Ut dubitari non debeat ipsorum meritis adhuc stare mundum, » ait Ruffinus, Præf. in lib. II *De Vitis Patrum.*

33. ABIITQUE DOMINUS. — Unus hic angelus finito colloquio cum Abraham, disparuit; reliqui vero duo perrexerunt in Sodomam, ut patet cap. seq., vers. 1. Vers. 33.

CAPUT DECIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Lot hospitio excipit angelos, quos Sodomitæ petunt ad scelus nefandum; hinc angeli educentes Lot, igne cœlesti cremant Pentapolim, excepta Segor, cui Lot veniam impetrat. Secundo, vers. 26, *uxor Lot respiciens post se, vertitur in statuam salis, filiæ vero ex patre concipiunt, et pariunt Moab et Ammon.*

1. Veneruntque duo angeli Sodomam vespere, et sedente Lot in foribus civitatis. Qui cum vidisset eos, surrexit, et ivit obviam eis : adoravitque pronus in terram, 2. et dixit : Obsecro, domini, declinate in domum pueri vestri, et manete ibi : lavate pedes vestros, et mane proficiscemini in viam vestram. Qui dixerunt : Minime, sed in platea manebimus. 3. Compulit illos oppido, ut diverterent ad eum : ingressisque domum illius, fecit convivium, et coxit azyma, et comederunt. 4. Prius autem quam irent cubitum, viri civitatis vallaverunt domum a puero usque ad senem, omnis populus simul. 5. Vocaveruntque Lot, et dixerunt ei : Ubi sunt viri qui introierunt ad te nocte? educ illos huc, ut cognoscamus eos. 6. Egressus ad eos Lot, post tergum occludens ostium, ait : 7. Nolite, quæso, fratres mei, nolite malum hoc facere. 8. Habeo duas filias, quæ necdum cognoverunt virum : educam eas ad vos, et abutimini eis sicut vobis placuerit, dummodo viris istis nihil mali faciatis, quia Ingressi sunt sub umbra culminis mei. 9. At illi dixerunt : Recede illuc. Et rursus : ingressus es, inquiunt, ut advena; numquid ut judices? te ergo ipsum magis quam hos affligemus. Vimque faciebant Lot vehementissime : jamque prope erat ut effrin-

gerent fores. 10. Et ecce miserunt manum viri, et introduxerunt ad se Lot, clauseruntque ostium, 11. et eos qui foris erant, percusserunt cæcitate a minimo usque ad maximum, ita ut ostium invenire non possent. 12. Dixerunt autem ad Lot : Habes hic quempiam tuorum ? generum, aut filios, aut filias, omnes, qui tui sunt, educ de urbe hac : 13. delebimus enim locum istum, eo quod increverit clamor eorum coram Domino, qui misit nos ut perdamus illos. 14. Egressus itaque Lot, locutus est ad generos suos, qui accepturi erant filias ejus, et dixit : Surgite, egredimini de loco isto ; quia delebit Dominus civitatem hanc. Et visus est eis quasi ludens loqui. 15. Cumque esset mane, cogebant eum angeli, dicentes : Surge, tolle uxorem tuam, et duas filias quas habes, ne et tu pariter pereas in scelere civitatis. 16. Dissimulante illo, apprehenderunt manum ejus, et manum uxoris, ac duarum filiarum ejus, eo quod parceret Dominus illi. 17. Eduxeruntque eum, et posuerunt extra civitatem : ibique locuti sunt ad eum, dicentes : Salva animam tuam : noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione : sed in monte salvum te fac, ne et tu simul pereas. 18. Dixitque Lot ad eos : Quæso, Domine mi, 19. quia invenit servus tuus gratiam coram te, et magnificasti misericordiam tuam quam fecisti mecum, ut salvares animam meam, nec possum in monte salvari, ne forte apprehendat me malum, et moriar. 20. Est civitas hæc juxta, ad quam possum fugere, parva, et salvabor in ea : numquid non modica est, et vivet anima mea ? 21. Dixitque ad eum : Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, ut non subvertam urbem pro qua locutus es. 22. Festina et salvare ibi : quia non potero facere quidquam donec ingrediaris illuc. Idcirco vocatum est nomen urbis illius Segor. 23. Sol egressus est super terram, et Lot ingressus est Segor. 24. Igitur Dominus pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem a Domino de cœlo : 25. et subvertit civitates has et omnem circa regionem, universos habitatores urbium, et cuncta terræ virentia. 26. Respiciensque uxor ejus post se, versa est in statuam salis. 27. Abraham autem consurgens mane, ubi steterat prius cum Domino, 28. intuitus est Sodomam et Gomorrham, et universam terram regionis illius : viditque ascendentem favillam de terra quasi fornacis fumum. 29. Cum enim subverteret Deus civitates regionis illius, recordatus Abrahæ, liberavit Lot de subversione urbium in quibus habitaverat. 30. Ascenditque Lot de Segor, et mansit in monte, duæ quoque filiæ ejus cum eo (timuerat enim manere in Segor) ; et mansit in spelunca ipse, et duæ filiæ ejus cum eo. 31. Dixitque major ad minorem : Pater noster senex est, et nullus virorum remansit in terra, qui possit ingredi ad nos juxta morem universæ terræ. 32. Veni, inebriemus eum vino, dormiamusque cum eo, ut servare possimus ex patre nostro semen. 33. Dederunt itaque patri suo bibere vinum nocte illa. Et ingressa est major, dormivitque cum patre ; at ille non sensit, nec quando accubuit filia, nec quando surrexit. 34. Altera quoque die dixit major ad minorem : Ecce dormivi heri cum patre meo, demus ei bibere vinum etiam hac nocte, et dormies cum eo, ut salvemus semen de patre nostro. 35. Dederunt etiam et illa nocte patri suo bibere vinum, ingressaque minor filia, dormivit cum eo : et ne tunc quidem sensit quando concubuerit, vel quando illa surrexerit. 36. Conceperunt ergo duæ filiæ Lot de patre suo. 37. Peperitque major filium, et vocavit nomen ejus Moab : ipse est pater Moabitarum usque in præsentem diem. 38. Minor quoque peperit filium, et vocavit nomen ejus Ammon, id est, filius populi mei : ipse est pater Ammonitarum usque hodie.

Vers. 1. 1. VENERUNTQUE DUO ANGELI. — « Duo, » scilicet qui ab Abrahamo recesserant, tertio cum eo remanente, cap. præced., vers. 22. Symbolice angelus unus e tribus, repræsentans Deum Patrem, manserat cum Abraham, ut ejus domum benediceret, eumque patrem efficeret ad generandum Isaac : unde videtur hic angelus fuisse medius et primarius inter tres, puta Michael, qui duos socios Gabrielem et Raphaelem misit ad exscindendam Sodomam : Gabriel enim juxta etymon suum est *fortitudo Dei*, puta fortis executor divinæ justitiæ, hicque repræsentat secundam in Trinitate

personam, puta Filium, quia ejus incarnationem annuntiavit B. Virgini, *Lucæ* I. Incarnatio enim fuit opus summæ Dei fortitudinis et potentiæ. Raphael vero videtur esse angelus præses castitatis, et ultor incestus : unde Tobiam caste tutatus est ab Asmodæo, qui septem incestos Saræ sponsos occiderat, *Tob.* VII et VIII. Quare Raphael missus est Sodomam, ut incestos Sodomitas perderet. Hic repræsentabat Spiritum Sanctum, qui est tutor et vindex sanctitatis, id est puritatis et castitatis, summusque osor impuritatis ac libidinis. Quare per hos duos angelos significatur Filium et Spiritum Sanctum excidisse Sodomam : nam, ut ait Procopius : « Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio : Filio autem naturaliter adest et inest Spiritus Sanctus. » Addunt nonnulli Filio additum Spiritum Sanctum, quia Deus Pater judicium et vindictam bonitate et clementia, quæ appropriatur Spiritui Sancto, temperat et mitigat, *q. d.* Mitto Filium, ut vos judicet et perdat, sed addo ei Spiritum Sanctum qui vos invitet ad pœnitentiam, quam si capessatis, veniamque flagitetis, Spiritus Sanctus judicium et vindictam Filii sistet et inhibebit, ac indulgentiam vobis largietur.

VESPERE — ejusdem diei, quo cum Abrahamo pranderant, cap. præced., vers. 1 et seq.

Symbolice justis, ut Abrahæ, angeli lucem; impiis, uti Sodomitis, tenebras adducunt. Ita S. Ambrosius, lib. II *De Abraham*, cap. VI. *Secundo*, vespera significabat vesperum et occasum imminere civitati, ait Cajetanus. *Tertio*, vesper hic portendit æternam noctem Sodomitis imminentem. Ita S. Gregorius, lib. II *Moral.* cap. II.

SEDENTE LOT. — Putant Judæi, quod Lot sederit hic quasi primus judex inter alios judices, qui tunc temporis sedebant in portis civitatum, ut patet *Deuter.* XXI, 22. Verum hoc falsum esse patet ex vers. 9 (1).

Dico ergo cum Abulensi : Lot habitans olim in domo Abrahæ, ibi didicit hospitalitatem; eam ergo hic more suo exercet, dum sedet in porta civitatis, ut hospites colligat, ne a Sodomitis vim et stuprum patiantur, quale duobus angelis intentarunt, vers. 5. Putabat Lot, æque ut Abraham, eos esse homines, non angelos, *Hebr.* cap. XIII, vers. 2.

ADORAVITQUE EOS. — Nota Lot, in hospitalitate, humilitatem : adoravit enim hos peregrinos, nesciens eos esse angelos; nam decor et splendor vultus indicabat eos esse viros graves, vel Prophetas a Deo missos. Ita S. Augustinus, *Quæst.* 41. Rursum se vocat eorum puerum, id est servum, ut habent Hebræa.

Vers. 2. 2. MINIME. — Invitati a Lot angeli, primo honestatis causa recusant, mox dum urgentur acquiescunt. Fallitur ergo Cassianus, *Collat.* XVII, XXIV, qui putat angelos hic mutasse sententiam.

3. COMPULIT ILLOS OPPIDO.—Invitavit et ursit eos mirum in modum. Vers. 3.

AZYMA. — Panes sine fermentatione subito coxit in clibano, vel sartagine, quales coxerat Abraham : azyma enim idem sunt cum panibus subcinericiis. Vide dicta cap. XVIII, vers. 6.

4. OMNIS POPULUS SIMUL, — etiam ab extremis urbis partibus, ut habent Hebræa; idque vel ad patrandum, vel ad intuendum nefas. Notat hoc Moses, ut pateat non fuisse decem justos in Sodomis, sed omnes, præter Lot cum suis, fuisse impios et nefandos Sodomitas. Ita Burgensis, Cajetanus, Pererius. Vers. 4.

5. UT COGNOSCAMUS, — ut turpiter eis abutamur : hoc est scelus Sodomiticum, de cujus enormitate vide Hamerum hic, et Hieronymum Magium integro volumine de hac re edito. Vers. 5.

ABUTIMINI ILLIS. — Aliqui excusant hoc dictum et factum Lot, quasi senserit (quod sensit Dominicus Soto, lib. IV *De Justitia*, Quæst. 7, art. 3, et plures alii Theologi, atque satis insinuat D. Thomas, Quæst. I *De Malo*, art. 5, ad 14, et S. Ambrosius, lib. I *De Abraham*, cap. VI) licere volenti facere majus flagitium, suadere minus : sic enim volenti committere sodomiam aut stuprum, licet suadere ut eat potius ad meretrices in lupanari expositas, et latroni volenti occidere viatorem, licet suadere ut potius eum spoliet. Pari ergo modo Lot molientibus sodomiam licite potuit suadere fornicationem. Unde Gabriel Vasquez, II II, Quæst. 43 *De Scandalo*, dubio 1, ex hoc facto Lot docet, licitum esse volenti omnino facere majus malum, suadere minus, etiamsi ipse de eo nihil cogitaret. Sic enim Lot volentibus committere sodomiam, proposuit et suasit stuprum filiarum, de quo ipsi non cogitabant. Adde, Lot non suadere, sed tantum offerre filias sibi per omnia obedientes, ad stuprum, ut majorem vexationem et injuriam tantorum virorum redimat.

Verum dico peccasse Lot, quia filiarum suarum famæ et pudicitiæ, ac consentiendi in actum venereum periculo ; magis consulere et prospicere (utpote pater) debuit, quam hospitum externorum, esto ii viri sancti et prophetæ essent. Lot peccavit offerendo filias turpitudini. Primo.

Secundo, Lot non erat dominus suarum filiarum, ac consequenter non erat dominus corporum et pudicitiæ earumdem; ergo non potuit eas, maxime non consentientes, offerre stupro : non enim tenebantur, imo non poterant, illæ in hac oblatione obedire patri; et plane verisimile est eas hac in re noluisse obedire patri; quæ enim virgo honesta tale stuprum suum potius quam alterius cujuslibet non horrescat? Secundo.

Tertio, Sodomitæ non cogitabant de filiabus Lot vitiandis; ergo inique eas illis tam impuris ipse proposuit et objecit, ut liberaret suos hos- Tertio.

(1) Mos erat antiquissimis temporibus ad portas urbium convenire, et consilia publica, privataque etiam negotia ibi agitare. Cf. infra XXXIV, 20; *Deut.* XXI, 19; *Ruth*, IV, 1. Sic et apud Homerum, *Iliad.* III, 148, ad Scæas portas sedent Trojani senes.

pites; non enim licet impedire damnum Petri cum damno Pauli, dicendo latroni volenti spoliare Petrum : Spolia Paulum, de quo latro non cogitat, uti docte docet noster Lessius, lib. II *De Justitia*, cap. XIII, dub. 3, num. 19.

Videtur tamen inconsideratio et perturbatio Lot in re tam ancipiti multum de peccati gravitate minuisse; anceps enim erat Lot et inops consilii in re tam implexa : volebat enim omni modo hospitum talium, tamque venerandorum indemnitati, honori et pudicitiæ consulere, nec alius ei tunc modus occurrit, quam si pro eis filias suas offerret, quem statim amplexus est, non cogitans, nec advertens se hac ratione injuriam facere filiabus suis. Ita S. Augustinus, lib. *Contra mendacium*, cap. IX, Lyranus, Thomas Anglicus, Tostatus, Lipomanus, Pererius.

Addit Cajetanus Lot obtulisse filias, animo non redimendi flagitium flagitio, sed placandi hyperbolica submissione furentem populum; putabat enim, et rationabiliter (uti rei probavit eventus), quod populus non acceptaret talem oblationem, sed quod placatus tanta submissione ipsius Lot desisteret a cœpto; et eo rationabilius, quod filiæ ejus jam erant desponsatæ civibus Sodomæ. Sicuti vir aliquis placaturus alium quem injuria lacessivit, ei pugionem nudum offert dicendo : Occide me; non animo ut interficiatur, sed ut tanta submissione placetur læsus. Per exaggerationem ergo hæc dixit Lot, perinde ac David dixit ad Jonatham, I *Reg.* XX, 8 : « Si est iniquitas in me, tu me interfice, et ad patrem tuum ne introducas me; » et Judas, *Gen.* XLII, dixit patri suo Jacob : « Duos filios meos interfice, si non reduxero tibi Benjamin. » Ita Cajetanus.

Moraliter S. Chrysostomus, *homil.* 43, stupet charitatem Lot erga hospites et exteros, quorum integritatem filiarum suarum pudori anteponit. « Nos autem, ait, videntes sæpe fratres nostros in ipsum impietatis profundum, et quasi in fauces diaboli cadere, neque sermone eos dignamur, neque consulere, neque verbis admonere, et eripere a malitia, et ad virtutem manuducere. Quid enim, inquis, mihi cum eo commune? mihi non est curæ, nil mihi negotii cum eo. Quid dicis, homo? nihil tibi commune cum eo? frater tuus est, ejusdem tecum naturæ; sub eodem estis Domino, sæpe etiam ejusdem participes mensæ spiritualis; » etc.

SUB UMBRA CULMINIS MEI. — Hebraice, sub umbra tabulati vel contignationis, id est, tecti et domus meæ; tectum enim eos qui in domo sunt, instar umbræ obumbrat et protegit ab æstu, aliisque aeris injuriis.

Rursum, peregrini sunt sub umbra, id est, protectione et cura hospitis sui, cujus est providere, ne quæ illis injuria in domo sua inferatur, et hoc proprie hic intendit Lot.

Vers. 9. 9. RECEDE ILLUC. — Facesse hinc.

INGRESSUS ES UT ADVENA, NUMQUID UT JUDICES? Hebraice est : « Unus ille venit ad peregrinandum (ut instar peregrini inter nos degat), et ille judicando nos judicabit? » quasi dicant : Venitne ille peregrinus ut sit judex noster, ut nos judicet? Unde Septuaginta vertunt : « Ingressus es habitare, non etiam judicium judicare. »

VIMQUE FACIEBANT LOT. — Pars eum protrudentes et abripere conantes, pars effringentes ostium, a Lot egrediente ad eos post se clausum, vers. 6.

Vers. 10. 10. INTRODUXERUNT AD SE LOT, CLAUSERUNTQUE OSTIUM. — Duo angeli ostium a Lot clausum aperuerunt, ut eum a violentia Sodomitarum ereptum in domum introducerent; eoque introducto rursum ostium clauserunt, ne Sodomitæ pariter ingrederentur.

Vers. 11. 11. PERCUSSERUNT CÆCITATE. — Septuaginta ἀορασίᾳ, id est *avidentia*, qua cætera videntes ostium tantum Lot, quod quærebant, videre non potuerunt. Ita Josephus, S. Ambrosius, Chrysostomus et Augustinus, Quæst. 43. Unde Vatablus vertit : *Perstrinxerunt illis oculos, ut hallucinarentur, nec fatigati quidem invenirent ostium.* Si enim, ait S. Augustinus, omnino cæci fuissent, non ostium Lot, sed duces, qui eos domum reducerent, quæsissent.

Aorasia Sodomitarum unde? Nota : Id factum est hac ratione, quod Deus eis aliam speciem objecerit, ut loco ostii viderent, verbi gratia, solidum parietem, aut quid aliud; id autem fecit uno horum quatuor modorum, puta immutando vel speciem objecti, vel aerem medium, vel potentiam visivam, vel sensum communem, ad quem omnes visiones et sensationes deferuntur. Simili modo Syri, IV *Reg.* VI, Eliseum quærentes et videntes, non viderunt, nec agnoverunt esse Eliseum. Sic Christus post resurrectionem duobus discipulis ut peregrinus, Magdalenæ vero tanquam hortulanus apparuit.

Simile fuit illustre miraculum Gregorii Thaumaturgi, qui cum diacono persecutores fugiens in montem, cum a quodam proditus esset, persecutores montem undique cinxerunt, et perscrutati sunt, nec tamen eum viderunt; redeuntes ergo ad proditorem eum increpuerunt; ille eum tali loco fuisse certo asseveravit : ipsi vero eo loco ab eo designato, non duos homines, sed duas arbores invenisse se asseruerunt. Illis digressis, proditor ad locum ascendit, viditque Gregorium cum diacono manibus in cœlum elatis orantem, qui persequentibus duæ arbores fuisse videbantur; quare ad pedes ejus accidens conversus ad Christum, ex persecutore cum eo factus est profugus. Ita Nyssenus in ejus Vita.

Tropologice S. Ambrosius : « Hic, ait, ostenditur, quia cæca est omnis libido, et quod est ante se, non videt. »

ITA UT OSTIUM INVENIRE NON POSSENT. — Hebraice est, *vaiiulu limtso happetach*, et laboraverunt, sive fatigati sunt quærendo ostium : sed frustra, quia illud omni suo conatu invenire non potuerunt.

Addit S. Chrysostomus ex Hebræo יללו *iilu*, id est *fatigati sunt*, Sodomitis luxata fuisse membra, ut vires eis motusque membrorum deficerent, idque factum esse a Deo hoc fine, ut significaret eos, mente et vitiis cæcos et enerves esse, quodque libido mentem maxime excæcet, eamque æque ac corpus enervet.

OSTIUM. — Putant Ribera, in cap. I *Sophon.* num. 81, Delrio et alii, Mosen loqui de ostio domus, tam Lot, quam cujusque Sodomitæ; quasi quisque suam domum regressus, illam invenire et ingredi non potuerit : id enim videtur asserere Sapiens, *Sapient.* XIX, 16. Dignum enim erat, ut qui alienas fores volebant effringere, suas non invenirent.

Verum melius S. Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus et Pererius censent Mosen tantum loqui hic de ostio solius Lot, quod Sodomitæ conabantur effringere, sed cæcitate percussi, omni suo conatu invenire non potuerunt : illud enim exigit planus Scripturæ maxime Hebraicæ contextus, et series historiæ. Sapiens autem, *Sap.* cap. XIX, vers. 16, loquitur de Ægyptiis, non de Sodomitis : tantum enim Ægyptios comparat Sodomitis in eo, quod utrique percussi sint cæcitate, quodque uti Sodomitæ ostium Lot quod quærebant, ita Ægyptii suum quisque ostium quod quærebant, in triduanis Ægypti tenebris, invenire non potuerint.

Tropologice Gregorius, lib. VI *Moral.* cap. XVI : « Quid est quod malis adversantibus intra domum Lot reducitur et munitur, nisi quod justus quisque dum pravorum insidias sustinet, ad mentem revertitur, et imperterritus manet? Sodomitæ autem viri in domo Lot ostium invenire nequeunt, quia corruptores mentium, contra vitam justi nullum accusationis aditum deprehendunt. Percussi enim cæcitate quasi domum circumeunt, quia invidentes dicta factaque perscrutantur : sed quia eis de vita justi, fortis undique ac laudabilis actio obviat, errantes nihil aliud quam parietem palpant. Bene ergo dicitur : Quasi in nocte, sic palpabunt in meridie : quia dum bonum quod vident accusare nequeunt, cæcati malitia, malum quod non vident ad accusationem quærunt. »

Vers. 12. 12. DIXERUNT. — Duo illi viri, ut habent Hebræa, puta duo angeli.

Vers. 14. 14. QUASI LUDENS LOQUI. — Ludere et jocari, aut delirare, et ludicra non seria loqui.

Vers. 15. 15. TOLLE UXOREM TUAM ET DUAS FILIAS. — Hi ergo quatuor, puta Lot, uxor et duæ filiæ crediderunt angelis, egressique sunt Sodomis et salvati : generi vero, famuli et ancillæ Lot non crediderunt, sed manentes in Sodoma cum aliis combusti sunt.

Vers. 16. 16. DISSIMULANTE ILLO. — Hebraice ויתמהמה *vaiitmama*, id est, cum moras necteret : sive ut generis suis persuaderet discessum, ut vult S. Ambrosius; sive ut domum et supellectilem suam incendio eriperet, ut vult Rupertus; sive orans Deum ut urbi parceret, ut vult Abulensis. Ecce amœnitas et opes Pentapolis invitarunt Lot ad se, eædem ipsum jam detinent et pene perdunt. Disce contemnere terrena et amœna.

17. SALVA ANIMAM. — Vitam tuam hoc incendio eripe; domum, supellectilem, et cætera omnia neglige : ne si moreris, et ea tecum salvare velis, cum iis pereas et conflagres. Vers. 17.

Simili modo, Gothico Romæ excidio anno Domini 410, a Deo ereptus est S. Innocentius Pontifex, ob vitæ innocentiam et sanctitatem, qua et S. Chrysostomum defendit, ideoque Arcadium Imperatorem et Eudoxiam, qui eum in exilium egerant, excommunicavit; ac Pelagii subnascentem hæresim damnavit : eoque nomine dilaudatur a S. Hieronymo *ad Demetriadem*, et sæpius a S. Augustino disputante contra Pelagianos. De quo ita scribit Paulus Orosius illi coævus, lib. VII *Hist.* cap. XXXIX : « Adest Alaricus, trepidam Romam obsidet, turbat, irrumpit, » etc. « Accidit quoque, quo magis illa urbis irruptio indignatione Dei acta, quam hostis fortitudine probaretur, ut S. Innocentius Ecclesiæ Romanæ Episcopus, tanquam justus Lot subtractus a Sodomis, occulta providentia Dei apud Ravennam tunc positus peccatoris populi non videret excidium. »

NOLI — tu cum tuis : nam non soli Lot, sed et uxori, et filiabus hoc præceptum datur; ideo enim uxor Lot conversa est in statuam salis, quia contra hoc præceptum retro respexit. Ita Abulensis.

NOLI RESPICERE. — Vatablus putat esse adagium. *q. d.* Ne te incœpti pœniteat. Sic enim *Luc.* IX dicitur : « Nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei. » Sed dico hæc verba non adagialiter, sed proprie esse accipienda; id patet ex eo, quod uxor Lot punita est, quia retro respexit : non autem quia eam cœpti itineris pœnituit.

Quæres, cur Deus tam rigide vetuit Lot cum suis, ne retro respicerent? Respondeo *primo*, ad exercendam obedientiam Lot : sic enim Deus exercuit obedientiam Adæ, vetans pomum in paradiso. *Secundo*, ad sceleratæ gentis detestationem, utpote quam Deus a suis respici nollet; nolebat enim Deus ut Lot Sodomitis pereuntibus condoleret; sed volebat omnem compassionem, cogitationem et memoriam impiissimorum hominum ex animis suorum delere : imo volebat ut sua domo et bonis pereuntibus cum impiis, non dolerent; statuerat enim totam urbem ob impietatem facere anathema ignis et incendii divini. Sic Christus jussit Apostolis excutere pulverem de pedibus in eos qui Evangelium aversarentur, ut hoc signo protestarentur se cum tam impiis hominibus nihil, ne pulverem quidem velle habere commune. *Tertio*, quia volebat Deus Lot citissime fugere et salvare se : instabat enim incendium. Rursum, volebat Deus docere, Lot

Quare Lot respicere vetitum? Primo. Secundo. Tertio.

nosque omnes debere curiositatem nostram mortificare, ait Philo Cyprius in *Catena*. *Quarto*, quia nolebat Deus Lot aliquod pœnitentiæ signum dare, quale est retro respicere : idque ut hoc exemplo tropologice doceret Christianos omnes, præsertim salutis suæ et perfectionis studiosos, quæ retro sunt oblivisci, ad anteriora semper contendere, et in verticem montis, id est, culmen Evangelicæ perfectionis, conscendere. Ita S. Augustinus, lib. XVI *De Civit.* cap. XXX. Quarto.

IN MONTE SALVUM TE FAC. — « In monte, » scilicet, qui imminet urbi Segor : huc enim profugit Lot, vers. 30.

Tropologice S. Gregorius, part. III *Pastor., admon.* XXVIII : « Ardentem, ait, Sodomam fugere, est illicita carnis incendia declinare; altitudo vero montium est munditia continentium; in monte enim stare, est carni non carnaliter adhærere. Sed qui ad montana scandere non possunt, salvantur in Segor: quia conjugalis vita nec a mundo longe divisa est, nec tamen a gaudio salutis aliena. »

Arsenius, præceptor Arcadii Imperatoris, fugiens in eremum, quadam vice descendit ad flumen. Erat ibi puella Æthiopissa, quæ tetigit melotem ejus; ille autem increpavit eam, illa vero dixit : « Si monachus es, vade in montem. » Compunctus in hoc verbo senex, dicebat ad seipsum : « Arseni, si monachus es, vade in montem; » ibi vero assidue sibi dicebat : « Arseni, propter quid existi? » Ita vixit in eremo 55 annos, mortuusque est anno ætatis 95.

Vers. 18. 18. QUÆSO, DOMINE. — Duo erant angeli, sed unus Lot et uxorem manu ducebat : hunc compellebat hic Lot dicens : « Domine; » alter eum sequens inter filias duas medius, eas pariter ducebat.

Vers. 19. 19. NEC POSSUM IN MONTE SALVARI, — *q. d.* Trepido et timeo, cum sim senex et tardi gradus, non satis cito clivum superem, sed incendium me assequatur. Fuit hæc non prompta, sed lenta et morosa obedientia Lot, hac ex parte culpanda, quod nimis suæ infirmitati innixus, angelo comiti et divinæ providentiæ sit diffisus; altera tamen ex parte laudanda, quod scilicet hoc prætextu postularit et impetrarit parci urbi Segor.

Vers. 20. 20. NUMQUID NON MODICA EST? — *q. d.* Cum modica sit hæc urbs Segor, modicos habet cives, et modice peccavit, da ergo mihi modica ejus crimina, ut eam modicam mihi quasi refugium et asylum serves.

Vers. 21. 21. SUSCEPI PRECES TUAS, — suscepi et exaudivi te, tuasque preces et vota. Septuaginta vertunt, ἐθαύμασα, admiratus sum, id est, mire reveritus sum, et honoravi faciem tuam, dum scilicet tui amore reverentia, juxta vota tua parco urbi ad ignem damnatæ (1).

22. DONEC INGREDIARIS ILLUC. — « Illuc, » non in urbem, sed in territorium Segor, nam dum Lot versaretur inter Segor et Sodomam, jam Sodoma conflagrabat; inter Segor enim et Sodomam uxor Lot respiciens hoc incendium, versa est in statuam salis, quæ etiamnum exstat. Ita Abulensis, Adrichomius, Borchardus et alii. Vers. 22.

Pulchre urget hæc Dei verba, « Non potero facere quidquam, donec ingrediaris illuc, » noster Prado in cap. IX *Ezechiel.* vers. 6 : « O, ait, divinæ bonitatis pelagus! nonne satis erat fidem astrinxisse suam, Dei angelum erepturum Lotum de Sodomæ incendio? quorsum tanta cunctatio? videlicet acceperat angelus a Deo mandatum non modo salvandi Lot, sed etiam ipsum sospitem, incolumem, tutum et securum conservandi. Non potero, ait, facere quidquam; at peccata Sodomorum multa sunt nimis. Non potero facere quidquam; at impleta sunt scelera impudentium. Non potero facere quidquam; at clamant in cœlum. Non potero facere quidquam; at venisti executurus sententiam absque venia. Non potero facere quidquam, quousque sese in montem recipiat Lot. Quorsum tam insolita providentia? quo nepotem Abrahami servi Dei nec tangat, nec olfaciat ignis, neque occupet, neque vero sollicitet pereuntium calamitas. Quam merito David canebat : Qui habitat in adjutorio (in tutela, latibulo) Altissimi, in protectione (in umbra) Dei cœli commorabitur. Dicet Domino : Susceptor meus (asylum meum et arx mea) es tu. »

IDCIRCO VOCATUM EST NOMEN URBIS ILLIUS SEGOR. — Quæ prius Bala dicebatur, jam vocata est Segor, id est parva, quia Lot eam quasi parvam, ne cremaretur, exoravit vers. 20. Quatuor ergo urbes Pentapolis, puta Sodoma, Gomorrha, Adama et Seboim, hoc igne cœlesti conflagrarunt; quinta Segor, communi aliarum incendio destinata, precibus Lot servata est.

Putant Theodoretus, Procopius, Suidas et Lyranus, Segor quoque, posteaquam ex ea egressus Lot, profugit in montem, esse vastatam, et hiatu terræ absorptam. Sed contrarium est verius; jam enim precibus Lot pepercerat ei Dominus, vers. 21, itaque sola hæc servata est. Ita S. Hieronymus, Josephus, Borchardus et alii.

Dices : *Sapient.* X, 6, dicitur ignis descendisse in Pentapolim, ergo etiam in Segor. Respondeo, « in Pentapolin, » id est, in regionem illam quæ a quinque urbibus dicta est Pentapolis, descendit ignis, et exussit omnia, præter Segor. De Segor ex S. Hieronymo, Bredembachio, Borchardo, Guilielmo Tyrio et aliis, ita scribit Adrichomius : « Segor urbs, parvula, prius Bala, sive Bale, vel Bela dicta, hebraice Salissa, latine vitula conternans (vitiose aliqui legunt *consternans*) vocabatur, quod scilicet terræ motu tertio absorpta (quod

(1) Ad litteram, *ecce sustuli*, seu *accepi faciem tuam etiam ad hanc rem.* Significatur προσωποληψία, qua fit, ut personarum quarum res agitur, quam ipsarum rerum magis ratio habeatur.

Segor urbs. significat hebraice *Bala*) sit et prostrata. Syriace Zoar, Zoaræ et Seora dicitur, nunc Balezona vocatur. Sola hæc ex quinque Pentapolis urbibus, precibus Lot de incendio servata est. Apud eam gignitur balsamum, et poma palmarum, antiquæ ubertatis indicia. Tempore S. Hieronymi Palmerina dicebatur; de Jericho distat quinque leucis, posita sub monte Engaddi. »

Vers. 23. 23. SOL EGRESSUS EST SUPER TERRAM, ET LOT INGRESSUS EST SEGOR. — *q. d.* Lot qui ante lucem e Sodomis exivit, orto jam sole pervenit in Segor, cum jam Sodoma conflagraret: ita Lipomanus et Cajetanus; unde videtur quod summo mane in crepusculo, mox ut Lot egressus est, Sodoma conflagrarit.

Vers. 24. Quid *Pluit Dominus a Domino?* 24. PLUIT DOMINUS A DOMINO, — id est, pluit Dominus a seipso, puta a se; suaque omnipotentia, non a causis naturalibus, *q. d.* Non naturalis, sed cœlestis et divina fuit hæc pluvia ignis et sulphuris. Ita Cajetanus, Pagninus, Vatablus, Oleaster. Non ergo hoc Sodomæ incendium fuit terrestre, exhalatum eructatumque ex terra, ut vult Strabo lib. XV *Geographiæ*, qui id probat ex vers. 28 hic, sed perperam.

Secundo, hæc phrasis innuit distinctionem personarum in divinis, *q. d.* Pluit Dominus a Domino, id est, pluit Filius a Patre; Filius enim a Patre uti essentiam, ita potentiam omnemque pluendi et agendi vim accipit. Ita S. Hilarius, lib. V *De Trinitate*; Eusebius, lib. V *Demonstrat.* XXIII; Hieronymus, in cap. II *Zachar.*; Augustinus, et alii; imo Concilium Sirmiense, *Can.* 15, ipsum definit.

Dices : Concilium Sirmiense eo loci damnat priorem sensum. Respondeo : Damnat eum tantum ad mentem Photini, qui ex hoc loco inferebat Filium non esse Deum, nec Patri coæternum. Adde Concilium hoc non esse ab Ecclesia receptum, nisi quatenus Photinum damnat; imo, ut dixi cap. præcedenti, Concilium hoc fuit Arianorum; docet enim Filium, qua Deus est, Patri esse obsequentem et ministrantem.

SULPHUR ET IGNEM. — Sulphure recte significatus et punitus fuit peccatorum fetor; igne, libidinis ardor, ait Gregorius, lib. IV *Moral.* cap. X (1).

Pœna prisca Sodomitarum fuit iguis. Rursum hic ignis et sulphur symbola fuere et prænuntia ignis gehennæ. Ita Laius, rex Thebarum, licet Gentilis, ignis supplicio in emasculatores, tanquam naturæ jura pervertentes, animadvertendum censuit, ait Plato apud Cœlium, lib. XV, cap. XVI.

Vers. 25. 25. UNIVERSOS HABITATORES. — Ergo in Sodomis tam viri, quam feminæ omnes erant impiissimæ et Sodomitæ, vel actu, vel affectu et consensu. Vide *Ezech.* XVI, 49.

Dices : Quo jure, qua causa combusti sunt parvuli et innocentes omnes? Respondeo, quia Deus, qui omnium, mortisque et necis est dominus, per eos etiam volebat parentes, et tantum parentum scelus punire; parvulis autem bene hac morte consulit, ne, si superstites manerent, patrissarent, itaque æternis ignibus addicerentur.

Omnes Sodomitæ impœnitentes, ideoque damnati. Quæres, an aliqui Sodomitæ, videntes suas flammas, in morte pœnituerint, sintque salvati? Asserit S. Hieronymus, sed communiter alii passim putant omnes in impietate esse mortuos esseque damnatos; versabantur enim in flagranti crimine ejusdem noctis, qua duos angelos ad stuprum appetierant, vers. 2. Adde : Subita flamma eos corripuit et obstupefecit, ut nec sensum nec tempus haberent pœnitendi. Secus fuit in diluvio; quod sensim et lente increscens, spatium dedit pœnitentiæ. Ita Tostatus, Pererius et alii, et indicat S. Judas sua *epist.* vers. 7.

CUNCTA TERRÆ VIRENTIA. — Nota hic insignem libidinis Sodomiticæ ultionem. Pentapolis antea fertilis erat et amœna, instar paradisi; post peccatum et cœlestem conflagrationem, tota effecta est squalida et putida; nam pars extima mansit cremata et cinerulenta : hic natæ arbores pulchra dant poma; sed si ea tangas, in favillam vertuntur: reliqua interior pars putidissimis et crassissimis aquis e terra erumpentibus tecta, quibus passim innatant moles bituminis, quas putei; quibus vallis hæc erat plena, ex imo evomuere; unde hic lacus dictus est Asphaltites, et quia pisces non fert, nec aliquid vivum, dicitur mare Mortuum, et a salsedine salsissimum, a loco vero campestri et deserto dicitur mare Solitudinis, quod per 72 milliaria in longum, et per sex in latum excurrit; influit in hunc lacum Jordanis, et pisces cum eo, qui mox ut lacum ingrediuntur, emoriuntur. Si quod vero animal vivum, puta equus, bos, homo in eum injiciatur, supernatat, nec mergitur. Ita Tertullianus in carm. *De Sodoma*, Josephus, Orosius, Tacitus, Solinus, Plinius et alii, ubi agunt de Asphaltite.

Mare Mortuum quale?

Addit Philo, lib. *De Abraham*, mare hoc, sive lacum, continuum fumum et sulphur, quasi reliquias hujus incendii, exhalare. Et Borchardus oculatus testis in *Descriptione terræ sanctæ* : Mare Mortuum, inquit, semper est fumans et tenebrosum, sicut ego oculis meis vidi, ut videatur esse os inferni; adeo tetrum vaporem fumat, ut vicina ad mediam diætam, scilicet ad quinque vel sex leucas, sterilia reddat, ita ut ne germen quidem producant. Quin et Sapiens *Sap.* X, 7 : « In testimonium, ait, nequitiæ fumigabunda constat deserta terra, et incerto tempore (intempestivos, immaturos, imperfectos, evanidos) fructus habentes arbores. »

Si hæc in Sodomis facta sunt, quid fiet in gehenna? Videte, mortales, videte, carnales, exemplum et typum vestrum, II *Petri* II, 6. « Discite justitiam moniti, et non temnere divos. » Quis ex vobis habitare poterit cum igne devorante (corpora et animas)? habitare cum ardoribus sempi-

(1) Multis *fulmen* dicitur sulphur et ignis, quasi sulphur ignitum, vel accensum.

ternis? hoc igne, ignisque meditatione suffocate ignem concupiscentiæ vestræ. Nam omnes ignes omnesque pœnæ hujus mundi, respectu ignis et cruciatus inferni, sunt tantum quasi ignis pictus ad verum et magnum ignem, ait S. Polycarpus presbyter in *Vita S. Sebastiani*.

Ignis noster est quasi ignis pictus respectu ignis inferni.

Nota : Hoc Pentapolis excidium et incendium contigit præcise anno uno ante nativitatem Isaac, quæ contigit anno Abrahæ centesimo. Id patet : nam angeli qui subverterunt Sodomam, pridie pranderant apud Abraham, eique promiserant Isaac sequenti anno nasciturum cap. XVIII, 10; indeque eodem die iverunt Sodomam, vespereque excepti sunt a Lot, cum nocte sequenti invaserunt eos Sodomitæ, ideoque summo mane ab iisdem angelis cremata est Sodoma. Unde sequitur Sodomæ incendium contigisse anno Abrahæ 99; cum ergo Abraham natus sit anno a diluvio 292, adde annos 99 vitæ Abrahæ, habebis annum 391, a diluvio, quo contigit hoc Sodomæ excidium, qui fuit annus mundi 2047; ante plagas vero Ægypti, et egressum Hebræorum ex Ægypto fuit hic annus 406 (1).

Incendium Sodomæ contigit anno Abrahæ 99, mundi 2047.

Vers. 26. 26. RESPICIENSQUE UXOR EJUS POST SE. — Id factum est juxta urbem Segor, quo eam cum Lot et filiabus deduxere angeli quasi in tutum, et inde mox Dei ultionem in Sodomam executi sunt, pluendo in eam sulphur et ignem.

Respexit autem, excita strepitu ignis et sulphuris pluvii et clamore pereuntium, partim ex timore, ne et ipsam flamma corriperet, partim ex curiositate, partim ex dolore rerum amissarum et civium suorum patriæque suæ conflagrantis. Punitur ergo, quia inobediens fuit et incredula, ut ait *Sap.* cap. X, 7; non enim credidit quidquam referre ad incolumitatem et salutem suam, si respiceret retro necne : unde Dionysius Carthusianus censet eam peccasse mortaliter. Alii tamen venialem hanc fuisse culpam opinantur, tum quia nimio metu perculsa respexit; tum quia non respicere levis illi videbatur res et materia, proinde non putabat hoc præcipi et obligare sub peccato mortali; punita tamen fuit, quia Deus volebat eam statuere aliis in exemplum, uti mox dicam; simili enim modo ad exemplum aliorum, punivit Deus morte Prophetam illum, cujus historia narratur III *Reg.* XIII, ob inobedientiam tantum venialem, ut videtur.

Quale peccatum uxoris Lot respicientis.

VERSA EST IN STATUAM SALIS. — Vatablus vertit, *versa est in statuam perpetuam*; sic *Num.* XVIII, 19, vocatur pactum salis, id est perpetuum. Verum hoc satis improprium et alienum est; unde passim alii censent eam proprie versam esse in statuam salis, nec de eo dubitare licet.

Nota *primo* : Statua hæc fuit effigie muliebri. Fuit enim statua uxoris Lot, cujus proinde formam ipsa statua retinuit.

Secundo, sal hoc videtur fuisse metallicum, quod pluviæ resistit, et ædificiis soliditate sua est utile, de quo Plinius, lib. XXXI, cap. VII; nam hæc statua duravit ad multa sæcula. Audi Tertullianum, carm. *in Sodoma* :

> Ipsaque imago sibi formam sine corpore servans
> Durat adhuc, nunquam pluviis, nec diruta ventis :
> Quin etiam si quis mutilaverit advena formam,
> Protinus ex sese suggestu vulnera complet.
> Dicitur et vivens alio jam corpore sexus,
> Munificos solito dispungere sanguine menses.

Mira de statua uxoris Lot.

Ubi nota τὸ *vivens*, non quod vere vivat hæc statua, sed quod viventis more quasi menstrua quædam effundat, quod æque mirum est, atque alterum quod asserit hic Tertullianus, statuam hanc, si a quopiam mutiletur, mox hoc mutilum quasi vulnus suum sarcire et implere. Horum fides sit penes Tertullianum.

Quin et Borchardus, qui vixit abhinc trecentis annis, testatur statuam hanc sua ætate adhuc extitisse, inter Engaddi et mare Mortuum, eamque etiamnum extare docet Adrichomius. Quin et Targum Hierosolymitanum addit statuam hanc duraturam usque ad diem resurrectionis et judicii. Hinc de hac statua salis uxoris Lot est ænigma :

> Cadaver, nec habet suum sepulcrum;
> Sepulcrum, nec habet suum cadaver;
> Sepulcrum tamen et cadaver intus,

quia scilicet ipsa sibi cadaver est et sepulcrum.

Quæres; cur uxor Lot versa est in statuam salis? Respondent Hebræi apud Lyranum, eo quod vespere præcedente, cum Lot angelos exciperet in cœna, non apposuerit sal, quo cibi condiri solent, idque ex gentilitio hospitum et hospitalitatis odio; Sodomitæ enim erant inhospitales. Verum hæc est Judaica fabula et figmentum.

Cur versa in statuam salis? Respondent Hebræi, fabulosa.

Dico ergo : Versa est uxor Lot in statuam salis, ad hoc ut esset quasi marmor et monumentum perenne divinæ castigationis, quo posteri doceantur Deo per omnia obedire et servire, nec retrospicere, ut bonis cœptis desistant, ac repetant mundi et carnis oblectamenta : nam sal sua siccitate memoriæ prodest, et corpora a corruptione conservat; metallicum vero solidum est; unde symbolum est æternitatis et memoriæ æternæ : hinc pactum salis vocatur pactum æternum.

Respondeo vera.

Hinc tropologice S. Prosper, lib. I *De Prædict. et Promiss.* cap. XVI : « Uxor, ait, Lot salis statua effecta, suo exemplo fatuos condivit, in proposito sancto, quo tendunt proficientes, noxia curiositate retro non debere respicere. » His enim ait Christus, *Luc.* XVII, 31 : « Mementote uxoris Lot. » Sic et S. Augustinus in *Psalm.* LXXV, hæc adaptat apostatis, qui votum castitatis infringunt.

(1) Narrationi Mosaicæ hoc cap. mirum in modum similis est ea, quam Ovidius, *Metamorph.* VIII, 616 seqq., de Philemone et Baucide habet. — De Sodomæ et Gomorrhæ reliquiis, ab hodiernis Arabibus *Kharbet-Esdoum* et *Kharbet-Oumram* vel *Goumram* vocatis, vid. F. de Saulcy, *Histoire de l'Art Judaïque*, pag. 6 seqq.

An anima uxoris Lot etiam conversa in statuam?

Quæres *secundo*, an uxoris Lot corpus solum, an vero etiam anima interierit, et versa sit in statuam salis? Animam cum corpore esse conversam in statuam, suadere videtur *primo*, quod absolute hic miro et inaudito modo uxor dicatur conversa in statuam; uxor autem constat tam, imo magis, anima quam corpore. *Secundo*, quia id videtur dicere Sapiens *Sap.* x, 7, cum ait: « Incredibilis (incredulæ) animæ memoria stans figmentum salis. »

Respondeo negative. Prob. Primo. Secundo. Tertio.

Verum respondeo et dico solum corpus versum esse in statuam : hæc enim conversio fuit mors uxoris Lot : in morte autem anima non interit, sed solum corpus commutatur in cadaver, et inde in terram; *secundo*, quia anima est incorporea : ergo non potuit proprie transmutari in corpus, puta in statuam; *tertio*, anima est immortalis, ergo interire et commutari nequit. Et cur, quæso, per miraculum et contra naturam Deus eam fecisset hic mortalem, imo reipsa mori, cum idipsum hominibus ad exemplum non prosit? ad hoc enim sufficit corpus visibile converti in statuam visibilem. Hæc ergo a Sapiente vocatur incredulæ animæ, id est hominis, monumentum, nam alioqui nec anima, nec animæ, sed tantum corporis in statuam conversio videri potest. Itaque anima hujus uxoris, corpore converso in statuam, superstes mansit, atque ivit ad infernum, aut potius Purgatorium; videtur enim hæc ejus retrospectio venialis tantum fuisse culpa, ut dixi.

Vers. 27. 27. CUM DOMINO, — cum tertio illo angelo de quo cap. XVIII, 23, qui vers. 33 ab Abrahamo jam discesserat.

Vers. 28. 28. FAVILLAM, — fumum flammæ et favillæ mixtum. Ita Hebræi, Chaldæi et Septuaginta. Spectabat enim Abraham ipsum Sodomæ incendium.

Vers. 29. 29. RECORDATUS EST ABRAHÆ, — ne perderet justum Lot, nepotem Abrahæ, cum impiis Sodomitis, ob merita et preces Abrahæ qui oraverat dicens : « Ne perdas justum cum impio, » cap. XVIII, 23.

Vers. 30. 30. ASCENDITQUE ET MANSIT IN MONTE. — Angelus vetuerat tantum ne in via respicerent retro; cum ergo ex via in Segor pervenit Lot, respexit, videnque horribilem illam ignis et sulphuris pluviam, ac longe lateque populans incendium, consternatus, immemor sui et promissionis angelicæ, quasi in Segor necdum satis esset tutus, ex Segor profugit ad montana.

Vers. 31. 31. NULLUS VIRORUM REMANSIT IN TERRA. — Censet Origenes filias Lot traditionem a patre accepisse, mundum, uti olim diluvio perierat, ita secundo periturum incendio; unde nimius timor et horror incendii hujus Sodomitici impulit eas, ut totum orbem conflagrasse putarent, et hic error, quem tamen vel patre, vel tempore docente deponere poterant et debebant, impulit eas ad incestum; non libido. Vide S. Augustinum lib. XXII *Contra Faustum*, cap. XLII et XLIII.

Nota : Josephus, S. Chrysostomus, Theodoretus, Ambrosius, has filias Lot a peccato excusant, idque ex duplici capite : *primo*, ex ignorantia earum invincibili; *secundo*, quod tali casu quo illæ solæ cum patre fuissent superstites, licita erat earum cum patre commixtio, ad servandum genus humanum, ait Ambrosius, lib. I. *De Abraham*, cap. VI : sic enim Eva, quæ ex Adami costa est facta, itaque Adæ fuit quasi filia, ejusdem tamen fuit uxor, quia hæc erat tunc sola in mundo femina.

Verum contrarium docet S. Augustinus et communiter Theologi. *Primo*, ignorantia hæc et error filiarum erat vincibilis, uti dixi; *secundo*, concubitus filiæ cum patre est contra omnem naturæ pudorem, unde nullo casu aut necessitate licitus est, nisi Deus dispenset, eumque concedat.

Moraliter, recte notat Lipomanus, cohabitationem feminarum cum viris, licet eis sint sanguine junctæ, nunquam carere periculo. Unde S. Augustinus nec neptes, nec sorores in domum suam admisit.

Vers. 33. 33. BIBERE VINUM, — quod in Segor emerant, et inde cum victualibus cæteris, ad aliquot dierum victum asportarant. « Peccavit Lot, ait S. Augustinus, lib. XXII *Contra Faustum*, cap. XLIV, non quantum meretur incestus (quem ebrius et sui impos præter omnem opinionem et suspicionem admisit), sed illa ebrietas. » Hæc autem tantum videtur fuisse venialis. Ita Theodoretus, S. Chrysostomus, Pererius. Plane enim consternatus, et ob conjugis bonorumque omnium amissionem, tristissimus erat Lot, ideoque paulo largius bibit ad leniendam mœstitiam, non tamen ita, ut putaret se temulentum fore. Sed vinum ipsi forte insuetum, aut solito potentius, mox cerebrum labore et mœrore debilitatum occupavit et oppressit : tristes enim illico capiuntur vino.

Ebrietas Lot fuit veniale peccatum.

NON SENSIT. — Fuit aliquis sensus in Lot, ut patet; sed confusus, sopitus et perturbatus, qualis esse solet in dormientibus, maxime semisopitis et semivigilantibus. Ita Cajetanus. In particulari ergo non sensit, nec agnovit Lot filiam, ejusque accessum et recessum.

Vers. 35. 35. DEDERUNT ETIAM ET ILLA NOCTE PATRI SUO BIBERE VINUM — Hæc secunda ebrietas Lot majus peccatum fuit priori, quia ex priori expertus jam vini potentiam, suamque temulentiam, sapere debuisset et cavere, sibique temperare a vino, ne in secundam incideret. Sed quis, præsertim ita afflictus, per omnia tam providus est?

Vers. 37. 37. MOAB. — *Moab* dicitur quasi מאב *meab*, id est, ex patre, *q. d.* Hunc filium genui ex patre meo, ut idem sit illi pater et avus; impudens fuit hæc filia in congressu cum patre; impudentior in nomine prolis, quo crimen suum publicat (1).

Vers. 38. 38. AMMON. — Hebraice בן עמי *ben ammi*, id est filius populi, vel, ut Septuaginta, generis mei, quem scilicet ex meo genere et gente, ex mea cog-

(1) Aliis מו videtur priscum nomen, quod et *aquam* et *semen* valet, ut מואב sit *semen patris*.

natione et parentela, puta ex patre, suscepi, *q. d.* Filius hic meus non generatus est ab impiis Sodomitis, inter quos vixi, sed totus est ex meo populo et gente, natus nimirum ex parentis satu filiæque conceptu. Voluit Deus in filiis manere incestus hujus paterni tam infamis memoriam, ut Hebræi eorum connubiis prætextu cognationis se non contaminarent. Ita Theodoretus.

Quare apposite « S. Paula terram sanctam peragrans, cum ad Segor sive Zoaram venisset, recordabatur speluncæ Lot, et versa in lacrymas virgines socias admonebat, cavendum esse vinum in quo est luxuria, cujus opus Moabitæ sunt et Ammonitæ, » uti refert S. Hieronymus in ejus Vita.

Ebrietas quid? Vide hic quid sit ebrietas, etiam involuntaria, et in quæ absurda hominem adigat.

Quid ergo est ebrietas voluntaria? in quæ mala adigit? quam multis « fuit » funesta?

Quid est ebrietas? Audi S. Basilium, homilia *in ebrietatem* : « Est dæmon voluntarius, malitiæ mater, virtutis inimica, fortem virum reddit ignavum, ex temperante facit lascivum, justitiam ignorat, prudentiam extinguit. Quid, quæso, sunt ebrii aliud quam gentium idola? oculos habent, et non vident. »

Quid est ebrietas? Audi S. Ambrosium, *De Elia et jejunio*, cap. XVI : « Est fomentum libidinis, incentivum insaniæ, venenum insipientiæ. Per hanc homines vocem amittunt, colore variantur, oculis ignescunt, ore anhelant, fremunt naribus, in furore ardescunt. »

Quid est ebrietas? Est homo nec mortuus, nec vivus, » ait S. Hieronymus in cap. V *ad Galat.*

Quid est ebrius? « Est dæmon voluntarius, mortuus animatus, morbus veniam non habens, ruina excusatione carens, commune generis nostri opprobrium; ubi ebrietas, illic diabolus, ibi turpia verba; ubi saturitas, illic dæmones choros agunt, » ait S. Chrysostomus, homil. 57 *ad Pop.* Rursum hom. 58 *in Matth* : « Quanto melior asinus ebrioso est? quanto canis præstantior? Omnes certe bestiæ, cum bibunt aut comedunt, ultro quam satis est non sumunt, etiamsi mille homines cogerent. »

Quid est ebrietas? « Est voluntaria insania, » ait Seneca, *epist.* 83.

Ebrietatis effectus. *Secundo*, vis scire effectus ebrietatis? *Primo*, iram Dei provocat, *Isaiæ* V : « Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam. » *Prov.* XXIII : « Cui væ, cui rixæ, cui foveæ, cui sine causa vulnera, cui suffusio oculorum? nonne his qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis? » *Secundo*, mentem eripit. *Proverb.* XXIII, 31 : « Ne intuearis vinum, quando flavescit, cum splenduerit in vitro color ejus : ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber. » *Osee* IV, 11 : « Fornicatio, et vinum, et ebrietas auferunt cor. » *Tertio*, luxuriam inflammat, ut patet hic in Lot. *Prov.* XX, 1 : « Luxuriosa res vinum, et tumultuosa ebrietas. » *Ephes.* V, 18 : « Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. » *Quarto*, jacturam facit vitæ et fortunarum. *Eccli.* XXXVII, 34 : « Propter crapulam multi obierunt; qui autem abstinens est, adjiciet vitam; » et cap. XIX, 1 : « Operarius ebriosus non locupletabitur. » *Quinto*, tollit erubescentiam, qua sublata homo erumpit in verba spurca, rixosa, litigiosa, etc., quin et verbera ac cædes. *Sexto*, proprium hoc habet, quod peccatorem constituat in periculo certo et inevitabili damnationis æternæ; alii enim peccatores, si ingruat mors, pœnitent, cum sint rationis compotes, et sacramentis expiantur; solus ebrius nec pœnitentiæ, nec sacramentorum est capax, ut, si lædatur, vel catarrho suffocetur, certo certius damnetur; hinc ait Paulus, I *Cor.* VI, 10, et *Galat.* V, 21, quod ebriosi regnum Dei non possidebunt.

Exempla. *Tertio*, vis exempla? Lot, quem Sodoma non vicit, ebrius geminum commisit incestum. Noe vir perfectus, ebrius nudatus et a filio illusus est. Samson repletus vino per Dalilam hostibus traditus est. Holopherni ebrio caput a Judith resectum est. Filii Job dum vinum bibunt, ruina domus oppressi sunt. Herodes inter pocula caput Joanni Baptistæ præcidi jussit. Dives Epulo ob excessum in potu, ne guttulam quidem aquæ post hanc vitam habere meruit, ait S. Chrysostomus. Alexander ebrius Clitum charissimum occidit, quin et seipsum Herculeano scypho. Balthazar, monarcha ultimus Babyloniorum, temulentus vidit manum scribentem, *mane, tekel, phares;* et eadem nocte a Cyro regno et vita spoliatus est. Cogitet ebrius sibi eamdem sententiam a Deo ferri : *mane*, numerati et succisi sunt dies vitæ tuæ, brevi, et forte hac die, hac hora morieris; *tekel*, appensus es, et inventus es minus habens, minus sobrietatis et virtutis, quia gravis es vino et vitiis; *phares*, divisus es, corpus tuum quod ita saginasti, dabitur vermibus in epulum, anima dabitur dæmonibus in ludibrium et tormentum.

CAPUT VIGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Abrahæ in Geraris a rege abripitur uxor, hinc a Deo, vers. 3, punitur et increpatur rex; qui, vers. 9, cum Abraham expostulat quod eam sororem vocarit, ac tandem, vers. 17, orante pro eo Abraham sanatur.

1. Profectus inde Abraham in terram Australem, habitavit inter Cades et Sur : et peregrinatus est in Geraris. 2. Dixitque de Sara uxore sua : Soror mea est. Misit ergo Abimelech, rex Geraræ, et tulit eam. 3. Venit autem Deus ad Abimelech per somnium nocte, et ait illi : En morieris propter mulierem quam tulisti; habet enim virum. 4. Abimelech vero non tetigerat eam, et ait : Domine, num gentem ignorantem et justam interficies? 5. Nonne ipse dixit mihi : Soror mea est; et ipsa ait : Frater meus est : in simplicitate cordis mei et munditia manuum mearum feci hoc. 6. Dixitque ad eum Deus : Et ego scio quod simplici corde feceris : et ideo custodivi te ne peccares in me, et non dimisi ut tangeres eam. 7. Nunc ergo redde viro suo uxorem, quia propheta est, et orabit pro te, et vives : si autem nolueris reddere, scito quod morte morieris tu, et omnia quæ tua sunt. 8. Statimque de nocte consurgens Abimelech, vocavit omnes servos suos, et locutus est universa verba hæc in auribus eorum, timueruntque omnes viri valde. 9. Vocavit autem Abimelech etiam Abraham, et dixit ei : Quid fecisti nobis? quid peccavimus in te, quia induxisti super me et super regnum meum peccatum grande? quæ non debuisti facere, fecisti nobis. 10. Rursumque expostulans, ait : Quid vidisti, ut hoc faceres? 11. Respondit Abraham : Cogitavi mecum, dicens : Forsitan non est timor Dei in loco isto : et interficient me propter uxorem meam. 12. Alias autem et vere soror mea est, filia patris mei, et non filia matris meæ, et duxi eam in uxorem. 13. Postquam autem eduxit me Deus de domo patris mei, dixi ad eam : Hanc misericordiam facies mecum : in omni loco, ad quem ingrediemur, dices quod frater tuus sim. 14. Tulit igitur Abimelech oves et boves, et servos et ancillas, et dedit Abraham, reddiditque illi Saram uxorem suam, 15. et ait : Terra coram vobis est; ubicumque tibi placuerit, habita. 16. Saræ autem dixit : Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum sunt, et quocumque perrexeris : mementoque te deprehensam. 17. Orante autem Abraham, sanavit Deus Abimelech et uxorem, ancillasque ejus, et pepererunt : 18. concluserat enim Dominus omnem vulvam domus Abimelech propter Saram uxorem Abrahæ.

Vers. 1. 1. PROFECTUS INDE ABRAHAM. — Ex Mambre, ut patet cap. XVIII, 1, profectus est in Geraram, *primo*, ob cladem recentem Sodomæ, ut scilicet longius abesset a Sodomis et mari Mortuo, quod suo fumo vicinis locis sterilitatem et pestem afflabat.

Secundo, quia Deus volebat eum in Chanaan esse peregrinum, et assidue peregrinari, ut doceret nos in hac vita esse peregrinos et tendere ad cœlum, *Hebr.* XI, 10.

Tertio, ut variis locis et gentibus prodesset sua doctrina, pietate et vitæ exemplo, atque undique spargeret veræ religionis et virtutis semina : ita Chrysostomus.

Vers. 2. 2. TULIT EAM, — ut conjugem eam duceret; erat Sara jam nonagenaria : unde mirum alicui videatur, illam ea ætate tanta fuisse pulchritudine, ut a rege appeteretur. Verum nonagenarii tunc erant similes nostris quadragenariis, vel quinquagenariis, qua ætate nonnulli robusti pristinam adhuc servant pulchritudinem. Addit Procopius divinitus cum fœcunditate Saræ restauratam fuisse pristinam pulchritudinem.

Adjuvit hanc Saræ pulchritudinem, quod ipsa valde bono erat temperamento, quod nunquam pepererat, quod nunquam lactaverat, quodque, ut Torniellus et alii putant, multis antea annis, scilicet ex quo sterilem se esse certo intellexit, copula conjugali abstinuit, uti colligitur cap. XVIII, 12 : hæc enim vires et pulchritudinem conservant,

sicuti e contrario, debilis complexio, crebri partus, lactationes longæ, frequens copulæ usus, vires enervant, rugas et senium accelerant.

Nota : Sara paucis diebus post angelorum ab Abrahamo discessum concepit Isaac, simulque cum Abraham ivit in Geraram, ubi statim Abimelech eam sibi tulit, ideoque a Deo mox flagellatus est, ut patet vers. 17, sterilitate communi et morbo gravissimo, sed medicis ignoto : itaque impeditus fuit ne Sara abuteretur : desperata medicorum ope Deus in somnis illi apparuit, jussitque Saram reddi : ita Josephus.

Vers. 3. 3. PER SOMNIUM. — Hinc patet dormienti Abimelech hanc visionem in imaginatione objectam esse : angelus enim in ea hæc verba Dei loquentis, et Abimelech respondentis ita efformavit, ut rex omnino videretur sibi cum Deo colloqui.

EN MORIERIS; — scilicet, nisi jam sciens conjugatam, marito eam reddas, ut patet vers. 7.

Vers. 5. 5. IN SIMPLICITATE, — simplici, innocenti, recto et sincero animo; simplex enim in Scriptura vocatur rectus, sincerus, innoxius, qui nulli est injurius.

Vers. 6. 6. ET EGO SCIO, — te innoxium ab adulterio, sed non ab injuria : tulisti enim invitam pro tuo imperio, ideoque punivi te, vers. 17.

NE PECCARES, — ne vel inscius mœchareris, essesque materialiter saltem adulter.

NON DIMISI, — morbo impedivi, vers. 17.

Vers. 7. 7. ORABIT, — et exorabit, ut cesset ista plaga tua.

QUIA PROPHETA EST, — quia vir sanctus est, cum quo Deus familiariter agit et loquitur. *Secundo*, proprie propheta fuit Abraham : multa enim futura prænovit, uti nasciturum sibi Isaac, et ex eo Christum, posterosque suos quarta generatione obtenturos Chananæam, evertendam Sodomam, etc. Septem vocis *propheta* significationes assignavi I *Cor.* XIV, initio (1).

Vers. 8. 8. STATIMQUE DE NOCTE, — summo mane, ut habent Hebræa, Chaldæa et Septuaginta (2).

Vers. 9. 9. SUPER REGNUM MEUM. — Solet enim Deus regna ob peccata regum punire, quia populus est aliquid principis, et quasi principis pars, sive membrum politicum. Ita Abulensis.

INDUXISTI SUPER ME PECCATUM GRANDE, — materiale adulterium. Dicendo enim Saram esse tuam sororem, non uxorem, dedisti mihi occasionem accipiendi eam in uxorem, quæ mihi non potest esse uxor, sed pellex et adultera; vulgus enim materiale peccatum vocat peccatum, putatque esse pœna dignum. Metuere etiam, et dubitare poterat Abimelech, an satis Abrahamum examinasset et inquisiisset num Sara esset conjugata. Certe cupiditate aliqua peccasse videtur et licentia, uti solent reges nonnulli, præsertim pagani, imperiose multa poscere, etiam conjuges et bona aliorum. Adde fuisse aliquam formalem culpam in Abimelech, in eo quod Saram invitam abduxerit, uti dixi. *Secundo*, « peccatum grande, » id est, grandem peccati mei jam dicti ultionem, pœnam et plagam, ut patet vers. 17. Ita Abulensis. Deus enim subinde etiam ob materialia peccata homines punit, id est castigat, affligit, ut ipsi, ac præsertim principes et prælati, ea indagent et extirpent. Ita fecit hic Deus cum Abimelech. Deus punit etiam materialia peccata.

Vers. 12. 12. VERE SOROR MEA EST, — *q. d.* Vere more gentis meæ, quæ neptes sorores, nepotes fratres vocat, vocavi Saram sororem meam, cum neptis sit, ut dixi cap. XII, vers. 13; sic Abraham vocat Lot fratrem, id est nepotem suum, cap. XIII, vers. 8. Sara soror Abrahæ, quo sensu?

Addit S. Chrysostomus quod omnes in familia Thare, ipsum Thare patrem vocabant, ac si omnes inter se fratres et sorores fuissent; maxime cum mortuo Aran, patre Saræ et Lot, habuerunt Thare non solum avi, sed et patris loco. Sic vulgo Flandri et Galli suos avos vocant magnos patres.

Quare non est verisimile, quod Cajetanus et alii ex hoc loco astruunt, Saram proprie fuisse sororem Abrahæ, ex eodem proximo patre Thare, sed alia matre genitam; nam jure naturæ illicitum et irritum est matrimonium in primo consanguinitatis gradu, non tantum lineæ rectæ, sed et lateralis, puta inter fratrem et sororem. Ita S. Augustinus, lib. XXII *Contra Faustum*, cap. XXXV. Et quis credat Abrahamum virum tam probum, prudentem et honestum, sororem suam in conjugem accepisse?

FILIA PATRIS MEI, ET NON FILIA MATRIS MEÆ, — *q. d.* Sara ex eodem patre Thare mecum, sed per aliam matrem descendit; unde videtur quod Thare duas habuerit uxores, ex quarum una natus est Abraham, ex altera Aran, qui genuit Saram et Lot.

Hinc patet conjugium in secundo gradu collateralium, puta inter patruum et neptem, non plane vetari lege naturæ, et tum fuisse usitatum; jam autem vetitum est lege positiva. Ita S. Augustinus supra.

Vers. 13. 13. POSTQUAM AUTEM EDUXIT ME DEUS. — Hebraice est, « cum errare et instar erronis peregrinari (hoc est enim Hebræum התעו *hitu*) me fecerunt dii, » puta Deus unus, sed in personis trinus.

Vers. 16. 16. MILLE ARGENTEOS, — scilicet siclos, ut vertit Chaldæus; nam, cum in Scriptura ponitur argenteus vel aureus, intelligitur siclus, uti bene probat Mariana cap. VI *De Ponderibus*, et Delrio hic; jam mille sicli argentei sunt mille floreni Brabant-

(1) נביא proprie *oratorem*, hinc *nuntium*, *internuntium*, interpretem designat. Sic Aaron, *Exod.* VII, 1, dicitur Mosis *Nabi*, quia mandata Mosis ad Pharaonem perferebat. Hic Abrahamus Abimelechi veluti est *nuntius* ad Deum, futurus alias, si opus esset, nuntius Dei ad homines.

(2) *Servos suos*, non mancipia, sed aulicos liberæ sortis. Vers. 10. *Quid vidisti*, hoc est, ecquid tibi erat in mente, ut, etc.

tici : siclus enim est florenus, sive 4 regales Hispanici. Septuaginta vertunt mille didrachma, scilicet Hebraica : nam didrachmum Hebræum, sive siclus, continebat non 2, sed 4 drachmas Atticas, puta 4 regales, uti dixi supra (1).

FRATRI, — quem vocas fratrem tuum, cum sit maritus. Est ironia.

HOC ERIT TIBI IN VELAMEN OCULORUM, — id est, in defensionem pudoris, et, ut Chaldæus vertit, in velamen honoris tui, quod miserim tollere te mihi in sponsam, quodque honeste te habuerim, et intactam viro reddiderim : oculi enim sunt sedes pudoris. Alludit ad ritum veterum; sponsæ enim cum nuptui dabantur, ob pudorem obnubebant velo, quod flammeum dicebatur, vel pallio caput, uti fecit Rebecca, *Gen.* cap. XXIV, vers. 65. Vide Alexandrum ab Alexandro, lib. II *Genial.* cap. V; vide etiam dicta I *Corinth.* XI, 5 et seq. (2).

Flammeus nuptarum velum.

Sensus ergo est, ut recte Delrio, *q. d.* En ego quasi paranymphus, et novantiqui matrimonii auspex, te viro uxorem in manum do, Caio Caiam, quia et dotem superaddo siclos mille. Illud sit tibi loco flammei, quin et iis flammeum eme si voles, hoc nova nupta pudorem tum nuptiarum, tum mendacii tui, tum suspicionum quarumlibet de me et te obnube; facile enim omnes intelligent, te caste a me habitam, ex eo quod tam solemniter et honorifice a me sis viro reddita.

Secundo, Hamerus sic explicat : Dedi tibi mille argenteos, ut emas tibi tuisque ancillis velamen vultus, ad operiendam pulchritudinem, ne sit ea aliis ut mihi fuit, illecebra et irritamentum libidinis, *q. d.* Noli quasi innupta aperto capite, uti ante fecisti, incedere, sed quasi nupta illud obnube et vela.

Tertio, Cajetanus vertit, non *hoc*, sed *hic*, scilicet Abraham maritus tuus, erit velamen oculorum omnibus ad concupiscendum te in uxorem, *q. d.* Nemo qui noverit hunc esse maritum tuum, etsi videat te esse pulcherrimam, audebit te concupiscere et sumere in uxorem. Abraham enim, utpote maritus, omnibus velabit et claudet oculos, spem et mentem conjugii. Sed primus sensus magis est genuinus.

MEMENTO TE ESSE DEPREHENSAM. — Lipomanus vult corrigendum esse, *reprehensam* : sic enim habent Hebræa et Chaldæa. Sed reprehensa fuit Sara hoc ipso, quo deprehensa, et verbis istis quasi sale aspersa, *q. d.* Deinceps noli uti hac dissimulatione et dolo, ut maritum voces fratrem tuum, ne te probri, alios peccati periculo exponas; unde Septuaginta vertunt, *in cunctis esto veridica* (3).

18. CONCLUSERAT ENIM DOMINUS OMNEM VULVAM DOMUS ABIMELECH, — ne possent mulieres fœtum concipere, vel ante conceptum edere et parere : ex quo necesse erat gravidas acerbissimis doloribus excruciari, *q. d.* Fecit Deus omnes steriles. Addit Josephus, Abimelech adeo gravi morbo percussum a Deo, ut medici de ejus vita desperarent. Hoc etiam innuit Scriptura cum ait : « Orante autem Abraham (vide, ait S. Chrysostomus, quid valeant preces justi apud Deum), sanavit Deus Abimelech. » Addunt et alii apud Pererium eum ingenti cruciatu in verendis afflictum fuisse. Vers. 18.

Non peccarat, vel certe parum peccarat Abimelech, ut patet vers. 4 et 6, itaque pœna hæc non illi tam pœna fuit, quam frenum ne Saram tangeret; et stimulus, qui eum cogeret, ut statim Saram redderet Abrahæ.

Ex hoc cap. liquet tunc gentes aliquas, puta Geraritas, coluisse unum verum Deum : eum enim colebat eorum rex Abimelech, vir pius et probus, ut colligitur, *primo*, ex eo quod Saram noluit uxorem, nisi audiens esse sororem Abrahæ, putansque esse innuptam : mox vero ut nuptam scivit, reddidit; *secundo*, quia vers. 4 se et suos vocat « gentem justam; » *tertio*, quia cum Deo familiariter colloquebatur, vers. 3, Deusque ejus excusationem acceptavit, vers. 6; *quarto*, quia vers. 10, expostulans cum Abraham dicit : « Quid vidisti (impietatis in gente mea) ut hoc faceres? *quinto*, quia vers. 14 Abraham liberaliter habuit, eumque invitavit ut secum habitaret.

Talis fuit quoque Melchisedech, rex Salem, et, ut videtur, ejus cives, cap. XIV; item Hebronitæ, cap. XXIII. Talis fuit et Job cum suis Hussitis. Ita Theodoretus et alii. Præter Abraham ergo ejusque posteros, erant tunc alii principes et populi colentes et timentes Deum verum.

Moraliter S. Chrysostomus, *hom.* 45, notat quam justus, v. g. Abraham, sit Deo cordi et curæ, ut, quia in eum confidit, ipsum non tantum a morte liberet, sed et gloriosum divitemque repente efficiat. « In hunc enim modum, ait, solet Deus agere : non solum a tristibus liberat eos, qui fortiter se gerunt in periculis in quæ incidunt, sed et tantam in adversis præbet lætitiam, ut in eorum oblivionem omnino veniant, et in multa sint bonorum affluentia. » Et inferius : « Nam semper omnia ita facit et tractat, et singula dispensat, ut qui sibi serviunt quasi luminaria reluceant, et eorum virtutem ubique manifestam faciat. »

(1) Antiquissimi illius sicli pretium definiri vix potest.

(2) Recte Schroederus observat, antiquissimis illis temporibus morem fuisse, puellis faciem non prius obvelandi, quam cum viro essent jungendæ, ut ita merito fidem servandam significarent. Hinc Abimelechus, reprehensurus Saram, quod matrimonium cum Abrahamo dissimulasset, et, velo contra uxorum morem deposito, virginem se gessisset, *ecce*, inquit, *mille argenteos*, etc. Eam igitur hortatur, ut tegumentum sibi comparet, ne et aliis viris idem accidat quod sibi.

(3) Juxta Kimchium, in *Lexico*, verba hæc sunt, non Abimelechi, sed Scriptoris (tertia feminina, forma ad chaldaismum inclinante, pro נֹכַחַת) volentis dicere, quod, quandoquidem hæc omnia illi evenerint, nunc ita correpta et monita fuerit, ne ultra se diceret sororem Abrahami. Ad verbum, *et de omni re reprehensa est.*

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Nascitur, circumciditur et ablactatur Isaac. Secundo, vers. 10, *Ismael et Agar domo Abrahæ pelluntur; eos in deserto solatur angelus. Tertio, vers.* 22, *Abraham init fœdus cum Abimelech.*

1. Visitavit autem Dominus Saram sicut promiserat: et implevit quæ locutus est. 2. Concepitque et peperit filium in senectute sua, tempore quo prædixerat ei Deus. 3. Vocavitque Abraham nomen filii sui, quem genuit ei Sara, Isaac: 4. et circumcidit eum octavo die, sicut præceperat ei Deus, 5. cum centum esset annorum: hac quippe ætate patris, natus est Isaac. 6. Dixitque Sara: Risum fecit mihi Deus: quicumque audierit, corridebit mihi. 7. Rursumque ait: Quis auditurum crederet Abraham, quod Sara lactaret filium, quem peperit ei jam seni? 8. Crevit igitur puer, et ablactatus est: fecitque Abraham grande convivium in die ablactationis ejus. 9. Cumque vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham: 10. Ejice ancillam hanc, et filium ejus: non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac. 11. Dure accepit hoc Abraham pro filio suo. 12. Cui dixit Deus: Non tibi videatur asperum super puero, et super ancilla tua: omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus: quia in Isaac vocabitur tibi semen. 13. Sed et filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia semen tuum est. 14. Surrexit itaque Abraham mane, et tollens panem et utrem aquæ, imposuit scapulæ ejus, tradiditque puerum, et dimisit eam. Quæ cum abiisset, errabat in solitudine Bersabee. 15. Cumque consumpta esset aqua in utre, abjecit puerum subter unam arborum, quæ ibi erant, 16. et abiit, seditque e regione procul quantum potest arcus jacere; dixit enim: Non videbo morientem puerum: et sedens contra, levavit vocem suam, et flevit. 17. Exaudivit autem Deus vocem pueri: vocavitque angelus Dei Agar de cœlo, dicens: Quid agis, Agar? noli timere: exaudivit enim Deus vocem pueri de loco in quo est. 18. Surge, tolle puerum, et tene manum illius, quia in gentem magnam faciam eum. 19. Aperuitque oculos ejus Deus: quæ videns puteum aquæ, abiit, et implevit utrem deditque puero bibere. 20. Et fuit cum eo: qui crevit, et moratus est in solitudine, factusque est juvenis sagittarius. 21. Habitavitque in deserto Pharan, et accepit illi mater sua uxorem de terra Ægypti. 22. Eodem tempore dixit Abimelech, et Phicol princeps exercitus ejus, ad Abraham: Deus tecum est in universis quæ agis. 23. Jura ergo per Deum ne noceas mihi, et posteris meis, stirpique meæ: sed juxta misericordiam, quam feci tibi, facies mihi, et terræ in qua versatus es advena. 24. Dixitque Abraham: Ego jurabo. 25. Et increpavit Abimelech propter puteum aquæ quem vi abstulerant servi ejus. 26. Responditque Abimelech: Nescivi quis fecerit hanc rem: sed et tu non indicasti mihi, et ego non audivi præter hodie. 27. Tulit itaque Abraham oves et boves, et dedit Abimelech: percusseruntque ambo fœdus. 28. Et statuit Abraham septem agnas gregis seorsum. 29. Cui dixit Abimelech: Quid sibi volunt septem agnæ istæ, quas stare fecisti seorsum. 30. At ille: Septem, inquit, agnas accipies de manu mea, ut sint mihi in testimonium, quoniam ego fodi puteum istum. 31. Idcirco vocatus est locus ille Bersabee, quia ibi uterque juravit. 32. Et inierunt fœdus pro puteo juramenti. 33. Surrexit autem Abimelech, et Phicol princeps exercitus ejus, reversique sunt in terram Palæstinorum: Abraham vero plantavit nemus in Bersabee, et invocavit ibi nomen Domini Dei æterni. 34. Et fuit colonus terræ Palæstinorum diebus multis.

Vers. 1. 1. VISITAVIT AUTEM DOMINUS SARAM, — dando ei conceptum et prolem promissam. Ita Rupertus. *Secundo*, post conceptum et natum Isaac, angelus Dei vicarius visitavit corporali forma Saram, ut ei de prole gratularetur, juxta id quod promiserat, cap. XVIII, dicens : « Revertens veniam ad te tempore isto, et habebit filium Sara (1).

Vers. 2. 2. IN SENECTUTE SUA. — « Sua, » id est ejus, scilicet Abrahami, est hebraismus : Hebræa enim sic habent : *Peperit Sara Abrahamo filium in senectute ejus*, vel *pro senectute ejus*, qui scilicet seni Abrahæ esset consolationi et voluptati. Adde, Hebræi dicunt prolem nasci patri, non matri, quia proles patris est hæres, patrisque nomen et familiam propagat; non matris.

Vers. 3. 3. VOCAVITQUE ABRAHAM NOMEN FILII SUI, etc., ISAAC, — quia scilicet Isaac hebraice idem est quod *risus*. Isaac enim fuit risus gaudiumque senis Abrahæ et sterilis Saræ, adeoque totius orbis; nam ex eo nasciturus erat Christus. Unde vers. 6 ait Sara : « Risum fecit mihi Dominus; quicumque audierit, corridebit mihi. » Hinc allegorice S. Ambrosius, lib. *De Isaac*, cap. I : « Isaac, ait, ipso nomine figuram et gratiam signat. Isaac enim risus latine significatur : risus autem insigne lætitiæ est. Quis autem ignorat quod is (Christus) universorum lætitia sit, qui mortis formidolosæ, vel pavore compresso, vel mœrore sublato factus omnibus est remissio peccatorum? Itaque ille nominabatur, et iste designabatur; ille exprimebatur, et iste annuntiabatur. »

Vers. 5. 5. CUM CENTUM ESSET ANNORUM. — Refert hæc non ad τὸ *præceperat*, sed ad τὸ *circumcidit*. Circumcisus enim, uti et natus, est Isaac; anno Abrahæ 100.

Nota : Hoc tempore vivebat adhuc in Haran Thare, pater Abrahæ, et avus Isaac. Thare enim genuit Abraham anno ætatis suæ 70; cum ergo Abraham centum erat annorum, genuitque Isaac, Thare erat 170 annorum; post hæc vixit adhuc Thare 35 annis : mortuus est enim anno ætatis suæ 205, *Gen.* XI, 32.

Tropologice S. Ambrosius, lib. I *De Abraham*, cap. VII : « Si fueris centenarius, id est perfectus, habebis posteritatem, lætitiam exultationis, hæreditatem vitæ æternæ : » centenarius enim est numerus perfectionis, et Isaac risum et exultationem significat.

Vers. 6. 6. RISUM FECIT MIHI DEUS. — Chaldæus vertit : *Gaudium fecit mihi Deus, omnis qui audierit congratulabitur mihi*. Sara typus fuit B. Mariæ parientis Christum, qui est desiderium et gaudium collium æternorum, unde ipsa canit : « Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo, quia respexit humilitatem ancillæ suæ : ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. »

(1) פקד proprie denotat *aliquid accurate inspicere*, hinc curam gessit, invisit, rationem habuit, memor fuit alicujus, sive promissi.

Vers. 7. 7. QUIS AUDITURUM CREDERET ABRAHAM. — Hebraice מי מלל *mi millel*, quis dixisset Abrahæ?

QUOD SARA LACTARET. — Deus cum partu lac Saræ per miraculum restituit, quia volebat eam quasi matrem, per se, non per nutricem lactare Isaac.

Moraliter, matres debere lactare suas proles. Cur?

Discant hic matres se debere per se suas proles nutrire et lactare : natura enim hoc illis onus imposuit. Hinc mamillas et ubera, veluti lagenulas quasdam ad proles nutriendas aptas, illis largita est. Et aliqui quidem putant esse peccatum mortale, absque causa per nutricem alere; melius tamen cum Navarro in *Enchirid.*, cap. XIV, num. 17, dicendum existimamus tantum esse veniale : ratione tamen aliquarum circumstantiarum gravius peccatum esse potest. Si autem id fiat subsistente causa legitima, nullum peccatum erit. Peccant ergo illæ matres, quæ absque justa causa et necessitate, filios alere dedignantur : et illæ adhuc gravius, quæ absque delectu quibusvis fere nutricibus tradunt, sæpe incognitis, infirmis, etc., ex qua re multa mala oriuntur : nam præter id, quod aliquando alii filii supponuntur,

Prima causa.

Primo, infans vel non vivit, vel debilior vivit, quia lac sugere compellitur naturæ suæ non conforme; qui si ex eodem corpore, ex quo genitus est, pastus esset, ac materni corporis calore fotus, robustus evaderet, meliorisque ingenii et indolis. Vide Plinium, lib. XXVIII, cap. IX, ubi scribit lac maternum esse utilissimum et naturæ prolis convenientissimum. Vide etiam apud A. Gellium, lib. XII *Noct. Att.* cap. I, Orat. Phavorini Philosophi, in qua plurima incommoda enumerantur, quæ ex tali educatione per lac aliarum promanant. Quod verissimum esse ex eo constat, quod hædis, si ovium lacte aluntur, pili teneriores gignentur; et agnis, si caprarum, lana existet durior; imo arbores, si transplantentur ex loco suo naturali, ex humore quem radices transplantatæ attrahunt, sæpe vel mutantur, vel pereunt. Si ergo nutrices fuerint rusticæ, si improbæ, si impudicæ, si iracundæ, si temulentæ, si crudeles, si forte etiam lepra, aut alio morbi genere infectæ, tales fere proles existent. Sic Dido apud Virgilium insectatur Æneam tanquam degenerem, ut qui a matre educatus non fuerit. Scribit Lampridius Titum, filium Vespasiani Imperatoris, toto vitæ tempore adversa valetudine laborasse, eo quod a nutrice infirma lactatus esset; et pluribus aliis idem contigisse. De Tiberio quoque Cæsare fertur quod fuerit magnus potator, quia nutrix ipsius talis erat.

Secunda.

Secundo, ex eo quod filius non lactetur a propria matre, fit ut mater filium, et filius matrem minus amet. Hinc D. Ambrosius, lib. I *De Abraham*, cap. VII, ex eo quod Sara lactaverit filium, infert : Provocantur feminæ meminisse dignitatis suæ, et alere filios suos : hæc enim matrum gratia, hic honos; denique, inquit, eos plus amare filios solent, quos ipsæ matres lactaverunt ube-

ribus suis. Unde naturalem parentum ac filiorum amorem majorem videmus in communi plebe, quam in familiis nobilium : quoniam fere nobiles feminæ infantes suos per nutrices lactare curant, et eos sæpe nec vident, nec ab eis videntur ante annum vel alterum.

Tertia. *Tertio*, S. Basilius, homil. 9 *Hexam.* ostendit nullum fere genus esse quod alteri proles alendas committat, tametsi sævissimum et crudelissimum. Videmus, inquit, ut in ovium copioso grege a stabulis exiliens agnus, matris suæ continuo percipiat vocem, ad eamque properet, atque lactis fontes proprios recta petat, et mater inter innumeros agnos internoscat proprium; lupi, leones, tigrides, ac cæteræ feræ immanes ita suos fovent fœtus, ut fere semper in sinu, vel ad mamillas habeant. Aves sæpe 5, 6, 7 et 8, et plures sub alis habent, et licet nec lac ipsis natura impertiverit, nec grana habeant, nec alia semina unde suos pullos alant, tamen curam adhibent, ut ipsis necessaria subministrent; imo quod magis est admirandum, tantum est in ipsis feris et avibus nutriendi et incubandi desiderium, ut subinde pro hoc officio mas et femella contendant, ut patet in cycnis et ursis, alioqui feris animalibus, quæ etiam catulos informes lambendo formant. Et ita soli homines a matribus deseruntur, et nutricibus, nescio quibus, exponuntur.

Pudeat ergo eas, quod a brutis animantibus in officio charitatis superentur; et imitentur sanctas mulieres quæ proprio lacte filios aluerunt, ut Sara Isaac, Rebecca Jacob, Anna Samuelem, et mater illa nobilis septem fratrum Machabæorum, II *Machab.* VII, ac ipsa Dei genitrix Filium suum Christum Dominum. Divus quoque Augustinus in lib. *Confess.* fatetur se cum matris lacte, Dei honorem et venerationem hausisse. Ex quibus omnibus sequitur pravam consuetudinem præter ipsam naturam effecisse (sicut ait D. Gregorius ad interrogationem Augustini Anglorum Episcopi, cap. X), ut mulieres filios quos gignunt nutrire contemnant, eosque aliis mulieribus tradant, quod ex causa incontinentiæ videtur inventum : quia dum se continere nolunt, lactare despiciunt quos gignunt.

Vers. 8. 8. ABLACTATUS EST.—Quod fiebat tum anno circiter quinto, uti jam fit tertio : præsertim si proles esset unica, uniceque dilecta; quinquennis ergo fuit Isaac, cum eum vexavit et persecutus est Ismael (1).

FECIT GRANDE CONVIVIUM IN DIE ABLACTATIONIS.— Quia moris tum erat, ait Cajetanus, ut initium comedendi primogeniti, quasi jam per se vivere incipientis, et vitalis futuri, celebraretur communi convivii lætitia.

Secundo, ut convivæ, aliique passim viderent ex lacte Saræ, partum fuisse verum, non supposititium, nec subventaneum, ait S. Chrysostomus.

Tropologice S. Augustinus et Rupertus : Ingens, inquiunt, est gaudium, cum homo non lacte, sed solido sapientiæ et virtutis cibo vescitur.

9. LUDENTEM, — irridentem, subsannantem, vexantem, imo persequentem Isaac, uti explicat Apostolus, *Galat.* IV, 29. Sic duellum Joab cum Abner vocatur lusus, II *Reg.* II, 14 : « Surgant, ait, pueri, et ludant, » id est duellent; sic canes ludunt eum felibus, et feles cum muribus. Vers. 9. Lusus Ismael cum Isaac qualis?

Causa cur Ismael illuserit et vexaverit Isaacum, videtur fuisse invidia convivii tam solemnis (quod fecit Abraham in ablactatione Isaac), et primogenituræ ac promissionis de semine benedicto, ex Isaac nascituro : hæc enim sibi potius, utpote primogenito, et 12 annis seniori, quam Isaac, deberi putabat Ismael. Ita S. Hieronymus et alii.

Porro, jure non tantum in Ismaelem, sed etiam in matrem ejus Agar, excanduit Sara, eo quod ipsa filii sannas et petulantiam non compesceret.

10. EJICE ANCILLAM. — Dicit hæc Sara mota a Deo, ut colligitur vers. 12; prudenti enim et præsago spiritu timebat ne Ismael, qui tam cito suum vexabat Isaac, deinceps crescentibus odiis eum supplantaret, vel opprimeret; voluit ergo eum separari, et domo expelli. Ita videmus multo melius et quietius separari, ac seorsum vivere proles diversi tori, scilicet ex eodem parente, sed alia matre genitas. Vers. 10.

Allegorice, ejectus et reprobatus est Ismael, id est Synagoga, quia illusit filium liberæ, id est, quia Christum regem libertatis illusit, flagellavit, crucifixit, ejusque domesticos libertos, puta Apostolos et Christianos, pertinaci odio persecuta est.

12. CUI DIXIT DEUS, — nocte in somnis per visionem, ut patet vers. 14. Vers. 12.

IN ISAAC VOCABITUR TIBI SEMEN, — in Isaac et Isacidis censebitur et vocabitur posteritas tua : filii enim Isaac vocabuntur filii Abrahæ, eruntque hæredes promissionis, quam tibi, o Abraham, feci; non autem filii Ismael : hi enim non Abramidæ, sed Ismaelitæ, Agareni et Saraceni vocabuntur.

Allegorice, in Isaac, id est in Christo Isaaci filio, eoque solo, vocabuntur Christiani fideles, filii Abrahæ, qui est pater credentium, ac consequenter filii Dei, et hæredes vitæ æternæ, *Galat.* IV, 23 et 24.

14. DIMISIT EAM. — Facit hic Abraham divortium cum Agar, jussu Dei; unde Agar et Abraham invicem deinceps debitum conjugale reddere non tenebantur, perinde ut non tenetur modo conjux conjugi adultero, vel ob rixas, aliasve justas causas per divortium separato, debitum reddere. Non tamen facta est hic matrimonii inter Agar et Abraham dissolutio, ita ut Vers. 14.

(1) Lactationis tempus, ut adhuc hodie apud plures Orientis populos, sic et olim per biennium trienniumve duravit. Cf. II *Machab.* VII, 28; Josephum, *Antiq.* lib. II, cap. IX.

liceret Agar alteri nubere. Agar enim non matrimonio, sed domo tantum Abrahæ ejecta fuit per divortium, ob suas lites quas habuit cum Sara, uti ejicitur adultera. Ita Abulensis.

TRADIDIT PUERUM, — non humeris portandum, sed pedibus ducendum; erat enim jam Ismael 17 annorum, ut patet ex dictis vers. 8. Quare quod in Septuaginta jam legimus : « Et posuit puerulum super humerum ejus, » corruptum videtur; itaque transpositis verbis legendum : « Dedit Abraham Agar panem et utrem aquæ, et imposuit super humerum ejus, et puerum, » supple dedit illi, non in humerum, sed in manu ducendum.

Vers. 15. 15. ABJECIT, — non tam brachiis, quam animo, *q. d.* Dimisit et reliquit eum, fatiscentem fame sub arbore, quasi desperatum, et mox moriturum. Ita S. Augustinus.

Vers. 16. 16. ET FLEVIT — Agar, flevit et puer Ismael, unde et flentem eum audivit Deus, ejusque misertus est. « Sic, ait S. Chrysostomus, *homil.* 46, quandocumque voluerit Deus, licet in solitudine simus, et in extremis afflictionibus, nullamque spem salutis habeamus, nullo alio opus habebimus, divina gratia nobis omnia suppeditante. Nam si ejus gratiam nacti fuerimus, nullus nobis prævalebit, sed nos potentiores omnibus erimus. » Ergo in arctis et desperatis rebus vicinissimus est Deus, et invocatus illico succurrit. Nam, ut ait Psaltes : « Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor. » Ita Deus affuit Davidi in deserto, eumque quasi jam captum, e manibus Saulis persequentis eripuit, I *Reg.* XVIII et seq.

Vers. 17. 17. NOLI TIMERE — meum adventum et fulgorem, aut pueri mortem; non enim morietur.

Vers. 19. 19. APERUITQUE OCULOS EJUS, — fecit ut videret vicinum fontem, quem prius mœrore turbata et prostrata non viderat, *q. d.* Deus oculos Agar inflexit, direxit, et ostendit ei puteum.

Sic, allegorice ait Rupertus, Deus in fine mundi Judæis ab Ecclesia profugis et errantibus viam veritatis, et puteum Scripturæ, atque in eis aquam vitæ, puta Christum, ostendet.

DEUS, — angelus vicem Dei gerens. Vide *Canon*, 16.

Vers. 20. 20. ET FUIT CUM EO, — supple *Deus*, uti habent Hebræa, Chaldæa et Septuaginta, *q. d.* Deus favit, juvit, direxit, promovit Ismaelem, in gratiam Abrahæ patris ejus. Fabulosum ergo videtur, quod tradunt Hebræi, Ismaelem latrociniis vacasse.

FACTUSQUE EST JUVENIS SAGITTARIUS, — a juventute vacavit venationi et sagittationi ferarum (1).

(1) רבה multi, ut Vulgatus interpres, a *crescendi* significatu quem verbum רבה obtinet, proprie *crescentem*, id est adolescentem, denotare existimant. Kimchi censet רבה significatu haud differre a רבב, *jaculatus est*, vertitque *jaculator*. Nomen קשת Rosenmullero est *arcuarius*, ut sensus sit : *Factusque est jaculator*, non lapidum, sed *arcuarius*, hoc est sagittarum.

23. NE NOCEAS MIHI, — quod non nocebis mihi meisque posteris; hebraice est עם תשקר *im tiscor*, quod non mentieris mihi, id est, quod dolo malo mecum non ages. Ita Vatablus. *Secundo*, quod inique mecum non ages, quod non eris mihi injurius, quod per vim me meosque non opprimes : in Scriptura enim mendacium vocatur ipsa iniquitas et injustitia; et mentiri dicitur qui fidem fallit, quique proximo suo iniquus et injurius est; hic enim agit contra veritatem practicam, puta contra officium et debitum quod alteri præstare debet. Vers. 23.

SED JUXTA MISERICORDIAM QUAM FECI TIBI. — Est hebraismus, *q. d.* Sicut ego de te bene meritus sum, dando tibi oves, boves, servos, ancillas, et mille argenteos, cap. XX, vers. 14 : ita quoque tu studebis de me meisque bene mereri.

31. BERSABEE. — Ita dictus est locus a באר *beer*, id est *puteus*, et שבע *scebua*, id est *juramenti*, quia ibi juravit Abraham fœdus et fidelitatem Abimelech. Vers. 31. Unde dicitur *Bersabee*?

Secundo, dictus est Bersabee a *beer*, id est puteus, et *sceba*, id est septem, *q. d.* Puteus septem, scilicet agnarum, quas pro puteo et loco circumjacente Abraham regi numeravit. Puteum ergo hunc, licet a se suisque effossum, non gratis, nec hæreditario jure, sed titulo emptionis et permutationis possedit Abraham. Vide S. Augustinum, *Quæst.* LVI.

Ab hoc puteo, urbs illi vicina dicta est Bersabee, quæ est ultima Judææ ad meridiem, sicuti Dan est ultima ad septentrionem; unde Scriptura solet Judææ longitudinem exprimere per duos hosce ejus terminos, dicens : « A Dan usque Bersabee. » In Bersabee diu habitarunt Abraham, Isaac et Jacob; unde in Bersabee, uti et in Dan, Jeroboam constituit suos vitulos aureos a populo adorandos. Alius est hic puteus a puteo Viventis et Videntis, uti patet cap. XVI, vers. 14.

Docent Hebræi hebræum נשבע *nisba*, id est juro, a שבע *sceba*, id est septem, deduci, eo quod jusjurandum suscipi non debeat nisi septem, id est, multis gravibusque de causis, æque ac argumentis ac testibus; est enim jusjurandum res sacra, in qua interponitur divina auctoritas et veracitas, quæ proinde non temere, nec leviter, sed animo multipliciter confirmato et certo adhibenda est.

33. PLANTAVIT NEMUS. — Septuaginta vertunt, *plantavit agrum*; Onkelos, *plantavit plantationem*; Jonathas, qui est auctor Targum Hierosolymitani, *plantavit hortum arbore densum*, et plenum optimis fructibus. Additque Jonathas, quod Abraham in hoc horto solitus sit peregrinos hospitio excipere et recreare, ac pro mercede pacisci, ut creatorem cœli et terræ, qui hæc illis dedisset, timerent et colerent; unde ex eo quod sequitur, « Et invocavit ibi nomen Domini Dei æterni, » patet Abrahamum illic etiam altare ad orationem et sacrificium extruxisse. Erat ergo hoc quasi ere- Vers. 33. Abraham hospites obligabat ad cultum Dei.

mitorium et oratorium Abrahæ, quo se subinde a curis et negotiis, cum Deo acturus recipiebat. Ita Cajetanus et Pererius.

Hinc hoc nemus hebraice vocatur אשל *escel*, id est arboretum, aut silva arboribus consita, silens et amœna, a radice שלה *scala*, id est, quietus et tranquillus fuit : inde ergo dicitur hoc nemus אשל *escel*, a quiete, silentio et tranquillitate : sicut idem nemus, aut locus hebraice vocatur אשרה *ascera*, a felicitate et beatitudine : in luco enim quieto et amœno, homo sibi videtur esse quasi in paradiso, felix et beatus (1).

34. ET FUIT COLONUS, — incola et peregrinus, non indigena et inquilinus. Hebraice enim est ויגר *vaiager*, et peregrinatus est Abraham in terra Palæstinorum. Vers. 34.

(1) אשל est *tamarisci* species. Veteres interpretes posuerunt genus pro specie, verteruntque *arborem*, vel *nemus*.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Abraham a Deo jussus immolare filium, obedit; sed sistitur ab angelo. Secundo, amplam, vers. 15, *obedientiæ mercedem et benedictionem recipit. Tertio, vers.* 20, *texitur progenies Nachor et Rebeccæ, quæ futura erat uxor Isaaci.*

1. Quæ postquam gesta sunt, tentavit Deus Abraham, et dixit ad eum : Abraham, Abraham. At ille respondit : Adsum. 2. Ait illi : Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac, et vade in terram Visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum super unum montium quem monstravero tibi. 3. Igitur Abraham de nocte consurgens stravit asinum suum, ducens secum duos juvenes, et Isaac filium suum. Cumque concidisset ligna in holocaustum, abiit ad locum quem præceperat ei Deus. 4. Die autem tertio, elevatis oculis, vidit locum procul, 5. dixitque ad pueros suos : Exspectate hic cum asino : ego et puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos. 6. Tulit quoque ligna holocausti, et imposuit super Isaac filium suum, ipse vero portabat in manibus ignem et gladium. Cumque duo pergerent simul, 7. dixit Isaac patri suo : Pater mi. At ille respondit : Quid vis, fili? Ecce inquit, ignis et ligna : ubi est victima holocausti? 8. Dixit autem Abraham : Deus providebit sibi victimam holocausti, fili mi. Pergebant ego pariter : 9. et venerunt ad locum quem ostenderat ei Deus, in quo ædificavit altare, et desuper ligna composuit : cumque alligasset Isaac filium suum, posuit eum in altare super struem lignorum. 10. Extenditque manum, et arripuit gladium, ut immolaret filium suum. 11. Et ecce angelus Domini de cœlo clamavit, dicens : Abraham, Abraham. Qui respondit : Adsum. 12. Dixitque ei : Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam : nunc cognovi quod times Deum, et non pepercisti unigenito filio tuo propter me. 13. Elevavit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio. 14. Appellavitque nomen loci illius : Dominus videt. Unde usque hodie dicitur : In monte Dominus videbit. 15. Vocavit autem Angelus Domini Abraham secundo de cœlo, dicens : 16. Per memetipsum juravi, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me : 17. benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli et velut arenam quæ est in littore maris; possidebit nomen tuum portas inimicorum suorum, 18. et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ. 19. Reversus est Abraham ad pueros suos, abieruntque Bersabee simul, et habitavit ibi. 20. His ita gestis, nuntiatum est Abrahæ quod Melcha quoque genuisset filios Nachor fratri suo : 21. Hus primogenitum, et Buz fratrem ejus, et Camuel patrem Syrorum, 22. et Cased, et

Azau, Pheldas quoque et Jedlaph, 23. ac Bathuel, de quo nata est Rebecca : octo istos genuit Melcha, Nachor fratri Abrahæ. 24. Concubina vero illius, nomine Roma, peperit Tabee, et Gaham, et Tahas, et Maacha.

Vers. 1. * 1. TENTAVIT DEUS ABRAHAM, — dando et objiciendo illi insigne objectum et materiam heroicæ virtutis et obedientiæ, hoc fine, ut ejus virtutem in animo latentem ostenderet, acueret, perficeret, ac tandem coronaret. Diabolus vero tentat objiciendo illecebras, hoc fine, ut pertrahat hominem in peccata et gehennam : quorum malorum intentator est Deus, ipse enim neminem hoc modo et fine tentat (1).

Aliter tentat Deus, aliter diabolus.

Vidit hoc quoque per umbram Seneca, lib. *De Providentia* : « Deus, inquit, viros bonos, ut severi patres suos filios, durius educat, aitque : Duris operibus, doloribus ac damnis colligant robur : marcet sine adversario virtus ; eoque præsente acuitur, atque inter adversa manet in suo statu, et quidquid evenit in suum colorem trahit, ut mare flumina. Ecce par Deo dignum, vir fortis cum mala fortuna compositus : spectaculum Deo dignum. Fortuna ut gladiator, fortissimos sibi pares quærit, alios fastidio transit : ignem experitur in Mutio, paupertatem in Fabricio, exilium in Rutilio, tormentum in Regulo, venenum in Socrate, mortem in Catone. » Longe magis Deus noster ignem experitur in Laurentio, bestias in Ignatio, lapides in Stephano, equuleos in Vincentio, rotas in Catharina, gladium in Dorothea. Pergit Seneca : « Periculosissima est felicitatis intemperantia. Gaudent magni viri aliquando rebus adversis, non aliter quam milites fortes bellis. Gubernatorem in tempestate, in acie militem cognoscas. Hanc rationem sequuntur Dii in bonis viris, quam in discipulis suis præceptores, qui plus laboris exigunt ab his in quibus certior est spes doctrinæ. »

« Hoc est propositum Deo, quod sapienti viro : ostendere hæc, quæ vulgus appetit, quæ reformidat, nec bona esse, nec mala : ideo tam bonis quam malis ea objicit. » Non sunt mala, nisi male sustinenti.

« Quid est boni viri? præbere se fato (Deo) : grande solatium est cum universo rapi : omnia mala ab eo removit Deus, flagitia scilicet.

» Tolerantes nati sunt in exemplar. Deus extra patientiam est, illi supra patientiam sunt. Dicit ergo eis Deus : Ego vobis solida bona dedi; id in quoque solidissimum est, quod exercuit.

» Dicant probi : Digni visi sumus Deo, in quibus experiretur, quantum humana natura posset pati. Optimi milites ad durissima mittuntur. » Hæc et plura sparsim Seneca.

Notant Hebræi Abraham decies fuisse tentatum a Deo : *primo*, cum jussus est relinquere patriam et cognatos, et ire peregrinus in terram ignotam; *secundo*, cum ob famem jussus est peregrinari in Ægyptum; *tertio*, cum ei ablata est uxor a Pharaone, ipseque periculum vitæ, et uxor pudicitiæ subiit; *quarto*, cum ob jurgia famulorum coactus est divelli a Lot, quem quasi filium aluerat et diligebat; *quinto*, cum quatuor reges fortissime debellavit, ut Lot captivum liberaret; *sexto*, cum Agar, quam uxorem duxerat, jam ex se gravidam, impulsu Saræ domo ejecit; *septimo*, cum senex jussus est circumcidi; *octavo*, cum per regem Abimelech ablata est ei uxor; *nono*, cum rursum uxorem Agar et filium Ismaelem, primo Saræ instinctu, tum Dei jussu domo expulit; *decimo*, cum jussus est immolare filium suum Isaac : et quia hæc omnium fuit gravissima, ideo hanc solam Moses vocat tentationem.

Decem Abrahæ tentationes. Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta. Septima. Octava. Nona. Decima.

ET DIXIT AD EUM, — nocte per visionem, ut patet vers. 3.

ADSUM. — Hebraice הִנֵּנִי *hinneni*, ecce ego, scilicet quasi famulus corpore et animo præsto sum, ut tibi obsequar, meque et mea omnia ad nutum tibi impendam : quid ergo a me poscis?

Vers. 2. 2. TOLLE FILIUM. — Hebræa magis pungunt et stimulant animum Abrahæ, habent enim : *Tolle nunc filium tuum, unicum tuum, quem dilexisti Isaac*; et Septuaginta : *Tolle filium tuum, illum dilectum tuum, quem dilexisti, illum Isaac*. Quot hic verba, tot sunt stimuli, tot tentationes. *Primo* « tolle, » ait, non boves, non famulos, sed « filium. » *Secundo*, eumque « unicum, » si multos haberes, facile unum e multis dares; jam unigenitum habes, eumque mihi immolare posco. *Tertio*, « quem diligis, » hebraice, *quem dilexisti*, scilicet continuo, hucusque sine ulla amoris cessatione vel imminutione : tum quia Isaac erat suavissimis moribus, patris reverentissimus et obedientissimus; tum quia genuerat eum pater in senectute per miraculum; tum quia per Isaac promissa erat Abrahæ maxima posteritas, omnisque benedictio, et Christus ipse, per quem vitam æternam sperabat. Quare filium suum offerendo, simul etiam omnes spes suas, omniaque bona sibi promissa, Deo offerebat. *Quarto*, « Isaac; » *q. d.* Da mihi tuum Isaac, tuum risum, tuum gaudium, tuum corculum. Hoc nomen mire feriebat et sauciabat patris aures et animum : jam enim futurus erat non Isaac, sed Abel; non Benjamin, sed Benoni; non risus, sed luctus. Vide Origenem, *homil.* 8. *Quinto*, « offeres; » non ait : Dabis eum offerendum, sed tu tuis

Octo stimulis pungit et tentat hic Deus Abrahamum. Primus. Secundus. Tertius. Quartus. Quintus.

(1) Inter rationes, ob quas Deus ab Abrahamo petiit insigne illud pietatis et obedientiæ documentum, hæc assignari potest, quod, quum idololatræ vicini, videlicet Phœnicii, diis suis pueros immolare non dubitarent, dum Hebræi victimas offerrent brutas, voluit Deus ostendere, nec sibi cultores defuisse, qui, si Deo ita visum fuerit pretiosissimas victimas immolare ei parati fuerint.

manibus eum trucidabis, cremabis, immolabis.

Sextus. *Sexto*, « mihi » (hoc enim hic intelligitur); sciebat Abraham Deum humanas victimas detestari; sciebat in Isaac sibi semen omniaque bona esse promissa: nonne ergo dicere poterat : Quomodo ergo, o Domine, horum omnium quasi oblitus aut pœnitens, meum tuumque Isaac occidi, tibi-

Septimus. que immolari jubes? *Septimo*, « in holocaustum, » ut nec corpus, nec pars ulla corporis patri relinquatur, sed totus Isaac in cineres redigatur et

Octavus. quasi annihiletur. *Octavo*, « tolle nunc, » non cras, non mane, sed nunc, hac nocte, hac hora. Ecce tibi, quot quantisque modis tentatus et probatus Abraham, quantam obedientiæ palmam tulit? Vide quam excelso et constanti animo hæc omnia devoraverit et superaverit; ut de eo recte dicas, quod Pyrrhus rex aiebat de Fabricio Romano : « Facilius est solem a suo cursu, quam Fabricium a suo proposito avertere. » Hinc vide ejus promptitudinem et celeritatem; nam eadem ipsa nocte obedivit, et exivit, ut immolaret Isaac.

Totum hoc caput egregie expendit ac ponderat S. Augustinus, serm. 72 *De Tempore*, et S. Ephrem *De Abraham et Isaac*.

UNIGENITUM. — Quia Isaac solus erat filius repromissionis, miraculo genitus, unice dilectus Abrahæ, ejusque stirpis et familiæ hæres ac propagator; Ismael enim jam ex domo Abrahæ ejectus, quasi exhæres, filius Abrahæ non reputatur.

Exempla matrum afferentium filios ad mortem. Abrahamum imitata est mater Machabæorum coram Antiocho, quæ septem filios ad mortem obtulit, et ad martyrium incitavit. Idem fecerunt SS. Felicitas et Symphorosa, aliæque matres, atque in primis illa cujus meminit Prudentius in hymno de S. Romano Martyre, quæ cum videret filium parvulum ob Christi fidem, Antiochiæ ab Asclepiade præfecto loris dirissime cædi, constans sine fletu spectavit, quin et filiolum aquæ haustum poscentem objurgavit, dicens : « Calicem cum exspecta, quem occisi in Bethlehem infantes olim biberunt, lactis et papillarum immemores : Isaacum respice, qui cum immolandus aram et ensem aspexisset, ultro colla præbuit. » Interea cutem cum capillis a vertice tortor revellit. Acclamat mater : « Patere, fili; mox enim ad eum venies, qui caput nudatum nunc tuum per contumeliam, regio vestiet diademate. » Puer lætus virgas et dolores vulnerum ridet; damnatur, ducitur cum Romano ad supplicium. Perventum est ad cædis locum : puerum, quem in complexu mater foras extulit, carnifex poscit, dat illa, præter osculum, nihil morata. Et : « Vade, ait, nate dulcissime; » cervicem dum ense carnifex ferit, accinit illa : « Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Ecce servus tuus, et filius ancillæ tuæ. » Hæc ubi dixisset, caput amputatum pueri in pallium explicitum excipit, et pectori applicat. Romanus deinde in ignem conjicitur, sed imber exortus eum extinxit. Carnifex Romano linguam exsecat : loquitur ille nihilominus : « Christum, ait, loquenti nunquam lingua defuit. » Præfectus ergo eum in carcerem abripi et strangulari jussit.

IN TERRAM VISIONIS. — Hebraice est, *vade in terram* מריה *Moria*, quæ scilicet postea ab Abrahamo dicta est Moria, vers. 14. Mons Moria est mons Sion, in quo Salomon ædificavit templum.

Nota : Moria *primo*, cum Oleastro deducit potest a radice מרר *marar*, id est amarus fuit, vel a מור *mor*, id est myrrha : quia mons Moria ferax est myrrhæ, aloes et cinnamomi; vel potius quia mons hic fuit amarus tam Abrahamo immolanti, quam filio immolando. Unde Pagninus et ex eo noster Barradius, tom. II, lib. III, cap. XI : Moria, ait, dicitur, quasi מורי *mori*, id est myrrha mea, et יה *iah*, id est Deus, *q. d. Myrrha mea Deus*. *Secundo*, Moria deduci potest a radice ירא *iare*, id est timuit, eo quod in hoc monte Dominus posthac coli, et quasi præsens timeri et adorari deberet; unde Chaldæus vertit, *vade in terram divini cultus*. *Tertio*, Moria deduci potest a radice ירה *iara*, id est docuit, eo quod תורה *thora*, id est lux et doctrina, de Sion et Moria esset exitura, *Isaiæ* II, 3. *Quarto* et optime, Noster cum Symmacho *Moria* deducit a radice ראה *raa*, id est vidit, vertitque *terram*, vel *montem visionis*. *Primo*, quia hic locus altus erat et conspicuus, ut eminus videri posset. Ita Vilalpando, lib. III. *De Templo*, cap. V. *Secundo*, quia in Sion et Moria Prophetæ acceperunt suas visiones, ibique Christus homo visibilis apparuit, *Baruch* III, vers. ult. *Tertio* et optime, quia Deus hunc montem Moria Abrahæ ostendit, vers. 4, ibique ab eo visus est, ipseque vidit et respexit Abrahamum suis oculis et respectu, tum misericordiæ suæ, dum vetuit immolari filium; tum beneficentiæ suæ, dum tantam Abrahæ obedientiam amplissime est remuneratus : vide vers. 14. *Quinto*, Barradius loco citato : Moria, ait, dicitur, quasi, מורה יה *more iah*, id est, *docens Deus*, aut *pluvia Deus* (1).

Moria mons undedictus? Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Quæ terra visionis? Quinto.

Nota *secundo*, ex Diodoro Tarsensi : Mons Moria in plures colles et monticulos fuit divisus : in Orientali enim parte montis Moria fuit Sion, in qua erat arx David; juxta quam in area Ornan Jebusæi a Davide coempta, Salomon extruxit templum, ut patet II *Paral.* III, vers. 1. Alia pars Moria extra urbem Jerusalem mansit, posteaque dicta est mons Calvariæ, in quo tam Isaac, quam Christum per Isaac significatum, immolatum esse docet S. Hieronymus, et S. Augustinus, lib. XVI *De Civitate* cap. XXXII, ubi sic ait : « Hieronymus presybter scripsit se certissime a senioribus Judæorum cognovisse, quod ibi immolatus sit Isaac, et Adam sepultus, ubi postea Christus est crucifixus. » Sic et Borchardus in *Descriptione terræ sanctæ*, et Genebrardus, lib. I *Chronograph.*,

Situs montis Moriæ, et partes. Ibi immolatus est Isaac ubi Christus crucifixus.

(1) Alii tandem vocem hanc e participio hophal verbi ראה et nomine יה compositam esse docent, *q. d.* Visio Dei.

asserunt in eodem montis tractu tres esse colles, sive montes, qui aliquando una appellatione Sion dicuntur, aliquando peculiaria sortiuntur nomina. *Primus* est Sion, qui propter celsitudinem hoc nomine appellatur : significat enim Sion speculam. *Secundus*, Moria. *Tertius*, Calvariæ mons. In Sione civitas David, et arx; in Moria templum; in monte Calvariæ Christus est in crucem actus. Addunt nonnulli Hebræi, in Moria sacrificasse Abelem et Cainum, item Noe mox a diluvio; sed temere et sine fundamento hæc asserunt. Abraham ergo hic suo sacrificio quasi initiavit et consecravit montem Moria in templum posterorum et Christi, itemque montem Calvariæ in aram Christi.

Nota *tertio* : Pro Moria Aquila vertit, καταφανῆ, id est lucidum : quia in Moria fuit templum, in quo erat דביר *debir*, id est oraculum Dei, et lex, ac Spiritus Sanctus docens homines veritatem, illuminans Prophetas, eisque oracula inspirans : ita S. Hieronymus.

Allegorice, Moria primo est mons Calvariæ.

Allegorice, Calvariæ mons ubi crucifixus est Christus, fuit mons Moria juxta quinque etyma jam data, scilicet *primo*, ob crucis amarorem. *Secundo*, ob holocaustum quod ibi Patri obtulit Christus. *Tertio*, quia ibidem legem Evangelicam sua morte sanxit. *Quarto*, fuit terra visionis, quia in eo Christus crucifixus admirandum terræ cœloque spectaculum exhibuit. *Quinto*, quia ibi Deus docuit nos ex cathedra crucis viam in cœlum; nam, ut ait S. Augustinus, tract. 119 *in Joan.* « Lignum illud, ubi fixa erant membra morientis, cathedra fuit magistri docentis. » Rursum, Calvariæ mons fuit Moria, id est pluvia Dei, quia sanguinis Dei pluvia in eo effusa est. Denique fuit Moria, id est lucidus et illuminans, quia omnes homines Christus crucis suæ radiis illustravit. Quocirca cum sol alium solem in cruce orbem illuminantem cerneret, merito radios suos retraxit.

Secundo, Ecclesia.

Secundo, Moria est Ecclesia, *primo*, quia ipsa docet crucem Christi ferre, et sanctis Sacramentis, quasi myrrha quadam a peccati putredine nos præservat. *Secundo*, quia in ea est timor Dei, verusque ejus cultus. *Tertio*, quia ipsa docet legem Verbumque Christi. *Quarto*, est terra visionis, quia ex illa sola per veram fidem videntur invisibilia, et ea quæ sunt in cœlo. Rursum, quia toto orbe est spectabilis; nam, ut ait Isaias, cap. II, est mons in vertice montium. Ad hæc habet videntes, id est Prophetas. *Quinto*, habet doctorem Spiritum Sanctum, qui eam docet omnem veritatem. Rursum, Ecclesia verbo Dei et sacris concionibus, quasi pluvia cœlesti irrigat arentia hominum corda. Denique est mons illuminans, quia sicut cœlum solem, ita Ecclesia Christum habet totum orbem illuminantem.

Tertio, B. Virgo.

Tertio, Moria est B. Virgo, in cujus utero templum, id est humanitas Christi est ædificata. *Primo*, quia B. Virgo in passione Christi fuit mare amaritudinis. *Secundo*, quia tam Christum quam se Deo obtulit in juge holocaustum. *Tertio*, quia ipsa fuit arca testamenti continens legem Dei. *Quarto*, fuit terra visionis. Quid enim visu dignius, quam Virgo Deipara? Rursum, pro *Moria* Septuaginta vertunt, *terra excelsa*; sic nihil excelsius fuit Maria infra Deum. *Quinto*, quia fuit doctrix Apostolorum post mortem Christi. Rursum ipsa sicut vellus Gedeonis cœlestem rorem gratiæ et pluviam Spiritus Sancti copiosissime excepit. Denique Maria est stella maris, et mulier amicta sole, quæ totum orbem illuminat.

Moraliter, anima fidelis.

Moraliter, in terra visionis oblatus est Isaac Christi typus : utinam ergo anima Christiana terra sit, non oblivionis, sed visionis! utinam semper ante oculos lacrymis madentes, habeat suum Isaac e cruce pendentem! utinam ut ille in manibus suis sanguine illam descripsit, ita illa in corde suo perpetua memoria illum inscribat! *Isaiæ* XLIX : « Ecce, inquit, in manibus meis descripsi te. » Utinam in hac terra visionis semper videatur verus Isaac, sancta cogitatione! utinam semper immoletur, sancta meditatione! Hoc ille flagitat dicens, *Cant.* VIII : « Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, » *q. d.* Sicut annulus signatorius suam figuram ceræ imprimit : ita Christus crucifixus suam crucem, dolores et amorem imprimat cordi tuo, juxta illud S. Augustini lib. *De S. Virg.* cap. LV : « Toto vobis figuratur in corde, qui pro vobis fixus est in cruce. »

Vers. 3.

3. ABRAHAM DE NOCTE CONSURGENS. — « De nocte, id est summo mane, in crepusculo, ante lucem. Hebræa enim habent, *manicavit Abraham mane*. Saræ hic non fit mentio; unde videtur ea inscia (utpote quæ nimis tenere suum diligebat Isaac) hæc omnia fecisse Abraham. Ita Josephus, S. Chrysostomus et Pererius. S. Augustinus tamen, *serm.* 73, Nyssenus et Procopius putant Saram consciam et consentientem fuisse immolationi filii (1).

Vers. 4.

4. DIE TERTIO. — Habitabat Abraham in Geraris, ait S. Hieronymus; inde ad Sion et Moria tridui est iter. Per Geraris, non urbem, sed regionem intellige; nam, ut recte Abulensis, videtur Abraham tum habitasse in Bersabee, ut colligitur cap. præced., vers. 31. Unde et post immolationem in Bersabee rediit, ut patet hoc cap., vers. 19. Licet enim ex Bersabee usque ad Sion, tantum sit iter unius diei, tamen Abraham, quia onustus erat rebus ad sacrificium necessariis, ita lente processit, ut tertio demum die perveniret in Sion et Moria; et hoc sensu dixit S. Hieronymus esse iter tridui.

Tentatio Abrahæ triduana.

Triduum hoc auxit tentationem Abrahæ : nam, ut ait Origenes : « Per triduum ambulat Abraham, ut per totam viam cogitationibus discerpa-

(1) *Duos juvenes*, scil. servos ejus. נַעַר enim apud Hebræos eodem modo usurpari constat, quo *puer* et παῖς apud Romanos et Græcos.

tur, hinc urgente præcepto, illinc filii affectu reluctante : ut per omnia hæc spatium certaminis accipiant, hinc affectus, inde fides; hinc amor Dei, inde amor carnis; hinc præsentium gratia, inde futurorum exspectatio; jubetur quoque Abraham montem, id est cœlestia, conscendere, ut loci altitudo fidei et obedientiæ in operando sublimitatem significaret. » Hinc et Theodoretus ait Abraham in hac tentatione, quasi agonia et morte, fuisse per tres dies et noctes, sicut Christus triduo fuit, partim in cruce et passione, partim in morte, sepulcro et inferno.

VIDIT LOCUM.—Ex signo aliquo a Deo dato cognovit, ubi et in quo colle montis Moria præcise immolare deberet suum Isaac.

Rabbini, quos sequitur Abulensis, tradunt hoc signum fuisse columnam ignis in cacumine montis Moria, circa collem Calvariæ apparentem.

Vers. 5. 5. POSTQUAM ADORAVERIMUS. — Postquam sacrificaverimus. Est metalepsis; sacrificio enim jungi solet adoratio.

REVERTEMUR AD VOS. — Melchior Canus, lib. II *De Locis*, cap. IV, vult Abraham hic esse mentitum; putabat enim ipse occidere et immolare suum Isaac. *Secundo*, Cajetanus, « revertemur, » scilicet secundum cursum ordinarium causarum naturalium : supernaturalia enim excipiuntur. *Tertio*, alii, « revertemur, » scilicet si vita comes fuerit, si Deus voluerit. *Quarto*, Thomas Anglicus, « revertemur, » id est revertar ego, non Isaac, ut pluralis ponatur pro singulari.

Verum dico, asserit Abraham se cum Isaac reversurum, quia certus erat, certoque credebat quod Deus Isaacum vel a morte liberaret, vel occisum et immolatum resuscitaret. Nam ex Isaac exspectabat semen benedictum, et posteritatem maximam : hoc enim ei promiserat Deus, et hoc est quod ait Apostolus, Abraham contra spem (naturæ) in spem (gratiæ et divinæ promissionis) credidisse; arbitrando, « quia et a mortuis suscitare potens est Deus, » *Hebr.* XI, 19. Ita Origenes et S. Augustinus, lib. XVI *De Civit.* XXXII, et alii. Vide hic cæcam, sed excelsam Abrahæ fidem, spem et obedientiam, cui nihil est arduum, nihil impossibile, nihil incredibile.

Vers. 6. 6. ET IMPOSUIT SUPER ISAAC, — ut esset typus Christi crucem bajulantis. Ita Prosper, part. I *Prædict.* cap. XVII et XVIII.

Isaac immolandus erat 25 annorum. Erat tunc Isaac ut minimum 25 annorum, ait Josephus; Abraham 125, Sara 115. Hebræi vero tradunt Isaac fuisse 37 annorum. Errant Aben-Ezra et Burgensis, dicentes Isaac 12 tantum fuisse annorum. Quomodo enim puer duodennis tantam struem lignorum per triduum tulisset, quanta requirebatur ad eum quasi holocaustum comburendum? quanquam ad eum totum cremandum, et in cineres redigendum, Abraham ex vicinis locis ligna præcidere et addere debuisset.

IGNEM ET GLADIUM, — gladium ad jugulandum filium, ignem ad eum quasi victimam et holocaustum Deo comburendum.

Tropologice, gladius est mortificatio, ignis est charitas, quibus Abraham immolavit filium, nosque affectiones, passiones, dolores, cruces omniaque nostra Deo immolare debemus.

7. UBI EST VICTIMA?—Hoc colloquium cum filio mire rursum sauciavit animum Abrahæ; fecitque ut vulnus illi a Deo inflictum recrudesceret. Vers. 7.

9. CUMQUE ALLIGASSET ISAAC. — Vide Josephum narrantem, quomodo Abraham filio prius Dei voluntatem de eo immolando declararit, ille alacer responderit se vitam datori Deo debere, eamque repetenti jam læto animo redditurum. Cur ergo eum ligavit pater? Respondeo *primo*, ne, si vellet, resilire posset. Plenissime ergo Isaac dat Deo et velle et posse suum. « Nectit, ait S. Ambrosius, filio manibus suis vincula pater, ne refugiendo filius, et vi ignis exustus, peccatum incurreret. » *Secundo*, ne naturalem aliquem inconditum, incompositum et involuntarium motum, et renisum sacrificio indecentem, in ipsa jugulatione ederet. Ita Cajetanus. *Tertio*, ut esset typus Christi, clavis affixi cruci (1). Vers. 9. Isaac cur ligatus?

Tropologice, sic Religiosi se per vota Deo alligant et astringunt, eique suum offerunt velle et posse.

10. ARRIPUIT GLADIUM. — Maluisset Abraham ipse mori et immolari, quam immolare filium : naturaliter enim patres optant filios superstites sibi, quia per eos stirps et familia patris propagatur, ut morte filii, non modo se, sed etiam suæ posteritatis spem emori et extingui sentiant. Vers. 10.

Auxit rei acerbitatem, quod ipse humeris filii imposuit ligna, quibus ille cremandus erat; quod ignem et gladium, quo filium jugularet, manibus suis gestavit; quod ipsemet extruxit altare, et ligna desuper composuit, et in eo posuit filium manibus pedibusque colligatum, magnoque animo dextram tollens, gladium in ejus cervices vibravit, idque lætis et siccis oculis : nullæ enim ejus leguntur lacrymæ, non gemitus, non aversio vultus.

Sic exemplo Abrahæ, inquit S. Ambrosius, lib. I *De Abraham*, cap. VIII : « Quot patres, occisis martyrio filiis, lætiores ab eorum tumulis reverterunt? »

Hanc Abrahæ obedientiam imitatus est quoque Abbas Mutius, apud Cassianum, lib. IV, cap. XXVII et XXVIII, qui ex mandato sui senioris, proprium filium octennem in profluentem abjicere voluit. « Cujus fides et devotio, ait Cassianus, in tantum Deo fuit accepta, ut divino statim testimonio comprobata sit. Revelatum namque est Mutius instar Abrahæ offert filium, reo tene?

(1) Victimæ enim vinciri solebant, ne ictum effugerent, præsertim humanæ. Orestes et Pylades apud Ovidium

—— Immitem Triviæ ducuntur ad aram,
Evincti geminas ad sua terga manus.

Sic et Sinon, *Æneid.* II, 134, « vincula rupisse » se ait.

continuo seniori, hac eum obedientia, Abrahæ patriarchæ opus implesse. »

Ubi nota, hoc Mutii exemplum admirandum magis esse quam imitandum : excedit enim ordinarias obedientiæ et prudentiæ leges. Nec enim homo sui, vel suorum necem præcipere potest, uti potest Deus, qui vitæ necisque est Dominus, ac consequenter subditus homini talia præcipienti parere nequit. Itaque Mutius hic ardore obedientiæ quasi cæcus, suum omne judicium de facti qualitate et eventu commisit et submisit suo seniori, quem virum prudentem esse et sanctum sciebat, tantumque hoc actu et conatu suo obedientiam promptam et mortificationem affectus paterni erga prolem suam, eam abjiciendo, ostendere voluit : non autem eam mergere intendit. Sciebat enim seniori omnem hanc rem et se suamque prolem curæ esse : nec dubitabat eum curaturum, ut explorata sua obedientia et affectus patrii mortificatione, de affectu et cæteris omnibus ita disponeret, ut non tantum peccatum, tam imperando quam parendo excluderetur, sed etiam ut proli consuleretur. Poterat enim senior in ipsa via mandatum revocare, vel aliquos in flumine statuere, qui prolis projectionem impedirent (ut de facto fecit), vel aliis modis necem prolis impedire. Totum ergo hoc negotium Mutius prudentiæ et providentiæ senioris sibi imperantis resignavit. Prudentia enim non tam in parente, quam in imperante requiritur.

Abrahæne virtus major, an Isaaci ?

Quæres, utrius virtus fuerit major, an Abrahæ immolantis, an Isaac immolati? Utriusque virtutem stupet S. Chrysostomus, et nescit quem præferat. Audi eum hom. 48 *in Gen.* : « O religiosam animam! o fortem mentem! o ingens robur animi! o rationem, omnem humanæ naturæ affectum vincentem! Utrum admirer, fortemne spiritum patriarchæ, an tam constantem pueri obedientiam : quod neque reluctatus est, nec factum ægre tulit; sed cessit, et obtemperavit iis quæ a patre fiebant, et sicut agnus cum silentio super altare decubuit; exspectans patris dexteram? »

Zeno dubitat, et utrumque extollit.

Audi et Zenonem Episcopum Veronensem in *Catena Lipomani* : « Mira, ait, patriarchæ tentatio, quæ cum aut sacrilegum faceret, si contemneret Deum, aut crudelem, si occideret filium : nisi quadam singulari ac vere divina patientia, inter religionem pietatemque negotium temperasset, in spe non denegans Deo, quod contra spem acceperat a Deo; ideo Isaac sibi dulcissimum filium, Deo victimam dulciorem, contemnit, ut servet; destinat jugulare, ne jugulet; securus illo se non posse displicere facinore, quod Deo gerebatur auctore. O novum spectaculum ac vere Deo dignum! in quo definire difficile est utrum sit patientior sacerdos, an victima. Non percussoris, non percutiendi variat color, non membra tremore vibrantur, non demissi, non torvi sunt oculi : nemo rogat, nemo trepidat; nemo se excusat, nemo turbatur. » Ac deinde eos inter se comparans, uniusque actus alterius actibus contraponens : « Ille, ait, exerit gladium, iste cervicem. Uno voto, una devotione, ne quid profanum sit, diligenter ac patienter geritur, quod ab altero celebratur; ille lignum quo exuratur sibi portat, iste aram construit. Sub tanto non dicam humanitatis, sed ipsius naturæ metu læti sunt. Soli cedit affectus pietati, pietas religioni : favet utrique religio, medius stupet gladius, nullo impedimento suspensus, mactationi terribili gloriam se præstitisse, non crimen. Quid hoc est? Ecce immanitas in fidem, et scelus transit in sacramentum; parricida redit incruentus, et qui immolatus est vivit. Ambo ergo gloriæ et claritatis exemplum; ambo Dei cultus, admirabile sæculi testimonium. Felix orbis foret, si omnes sic fierent parricidæ. »

Rationes pro Isaaco.

Pro Isaac ergo stant hæ rationes: *primo*, quod majoris fortitudinis sit mortem pro Deo subire, quam eam aliis inferre : fortiores enim sunt Martyres quam milites; Isaac autem vere hic fuit Martyr, quia pro actu virtutis, scilicet ut obediret Deo, certæ morti se obtulit. Pater enim in eum gladium extendit, ictumque lethalem ei dedisset, nisi Deus eum avertisset. Sic enim S. Joannes Evangelista, Daniel aliique vere sunt Martyres, quia oleo ferventi, leonibus, etc., fuerunt objecti, esto ab eis non sint læsi, Deo eos protegente. Ex parte enim sua et tormenti, naturaliter et necessario eis moriendum erat. Quod ergo Deus per miraculum eos in vita servarit, id nihil naturæ rerum, nec eorum virtuti aut martyrio detrahit. *Secundo*, Abraham in animo tantum dolebat; Isaac vero ad animi et corporis cruciatus mortemque se obtulit. *Tertio*, prævisa tela minus feriunt : Abraham per triduum itineris animum suum ad filii immolationem composuit; Isaac vero in ipsa ara nihil minus cogitans, repente ad immolationem a patre postulatus, illico alacer sese obtulit. Nam, ut docet Aristoteles, lib. III *Ethic.* cap. VIII, magis fortis viri esse videtur, in subitis terroribus esse interritum, quam in prævisis. *Quarto*, Isaac erat 25 annorum, in flore ætatis, sperans adhuc vivere centum annos, multamque habere sobolem et familiam, quæ omnia amore Dei morti se offerendo præcidit, spesque suas omnes abrupit : hac enim de causa juvenibus acerbissima est mors, quæ senibus est tolerabilior. *Quinto*, Isaac a patre ligari voluit, aram conscendit, cervicem obtulit, ictum certissime exspectavit.

Primo. Isaac fuit Martyr. Secundo. Tertio. Quarto. Quinto.

Rationes pro Abrahamo, quibus consentit auctor. Prima.

Verum dico cum Pererio : Major fuit virtus Abrahæ quam Isaac, *primo*, quia Abraham plus diligebat vitam filii sui Isaac, quam suam, et quam ipse propriam vitam diligeret; idque *primo*, quia Isaac erat unigenitus ex dilectissima uxore; *secundo*, quia Isaac erat ejus amantissimus et obsequentissimus; *tertio*, quia in senectute ingenti miraculo eum genuerat; *quarto*,

quia Isaac innocentissimus erat et sanctissimus; *quinto*, quia in unius Isaac vita omnes Dei promissiones ei datæ nitebantur.

Secunda. *Secundo*, quia Abraham per totum triduum cogitatione et machinatione atrocissimi facinoris discruciatus est; Isaac vero tantum ad momentum instante ipsa immolatione. Itaque licet quoad prævisionem, uti supra dixi, fuerit minor, tamen quoad durationem fuit major Abrahæ tentatio et tribulatio.

Tertia. *Tertio*, quia Abraham maximas circa fidem habuit tentationes, eo quod viderentur promissa Dei sibi facta, morte Isaac penitus aboleri; quin et Hebræi tradunt tunc ei apparuisse dæmonem specie angelica, eumque gravissimis verbis deterruisse ab immolando, tanquam a re impia et crudelissima, ac Dei voluntati contraria; et ad id aptant quidam illa Pauli verba *ad Hebr.* XI : « Fide Abraham obtulit primogenitum suum Isaac, cum tentaretur, » scilicet a diabolo, inquiunt ipsi.

Quarta. *Quarto*, atrocius erat patri necare filium, quam filio necari : is enim uno ictu jugulatus quasi puncto temporis mortem hausisset; Abraham vero longum et multiplicem habuisset dolorem, *primo*, jugulando filium; *secundo*, sacrificali ritu membratim eum concidendo, deinde cremando eum et redigendo in cineres sine ullis ejus reliquiis, ac denique perpetua memoria recolendo se talem immolasse et perdidisse filium. Unde Deus ipse obedientiam non Isaaci, sed Abrahæ commendat, ac propter eam se Isaaco benedicturum promittit, cap. XXVI, vers. 3 : « Tenuit, ait S. Ambrosius, manum ejus divina vox, et ictum vibrantis occupavit dexteræ. »

Vers. 11. 11. ABRAHAM, ABRAHAM. — Iterationis hujus tres causas dat S. Ambrosius, lib. I *De Abrahum*, cap. VIII : « Tenuit, inquit, quodammodo manum ejus divina vox, et ictum vibrantis occupavit dexteræ. Non semel vocavit, *primo*, ne aut non plene audiret, aut fortuitam vocem putaret; *secundo*, sic revocavit quemadmodum imperavit, vers. 1; *tertio*, repetivit vocem, tanquam veritus ne præveniretur studio devotionis, et una vox impetum ferientis revocare non posset. »

Vers. 12. 12. NON EXTENDAS MANUM. — « Non hoc præcepi, ait S. Chrysostomus, *hom.* 47, ut opus perficiatur, neque volo ut occidatur puer tuus, sed ut obedientia tua manifesta fiat omnibus. Igitur ne feceris ei quidquam. Contentus sum voluntate tua, et ex hac te corono et prædico. » Ita sæpe nobiscum agit Deus; factum difficile mandat et poscit, sed ubi voluntatem obsequentem viderit, ea contentus executionem inhibet. Unde idem, *hom.* 49 : « Patriarcha, ait, sacerdos pueri factus est, et proposito quidem cruentavit dexteram, sacrificiumque obtulit; per ineffabilem autem misericordiam Dei, salvo et sano filio recepto rediit, et propter voluntatem prædicatur, coronaque fulgida redimitur, et summum agonem certavit, et per omnia pietatem mentis suæ declaravit. » Ecce quomodo Deus suos quandoque ad extrema et ad restim adigit, vel adigi permittit, ut omnem suam spem et voluntatem in Deum Deique opem et voluntatem conferant et transferant; tuncque in ipso extremæ necesitatis articulo, et in limine mortis adest et succurrit. Hac enim fide et spe in finem usque animatus Abraham obtulit Isaac, ut Apostolus ait *Hebr.* XI, 19 : « Arbitrans quia et a mortuis suscitare potens est Deus, unde et eum in parabolam accepit, » ut scilicet Isaac esset parabola, fabula, exemplum memorabile omnium sæculorum, quod omnibus sæculis homines memorarent et celebrarent, sibique imitandum proponerent, ut cum Deus per se aut suos nobis aliquid jusserit, licet arduum et difficile, exemplum Isaac ob oculos habentes, fidenter et generose nos offeramus, remque jussam capessamus, certi Deum affore, implexa explicaturum, ardua superaturum, ignominiam, infirmitates, ærumnas, mortes omniaque mala quæ timemus, in bonum nostrum, laudem et gloriam conversurum, uti fecit Isaaco. Hinc hujus immolationis memoria antiquissimis omnium gentium imaginibus est celebrata. Testis est Gregorius Nyssenus citatus in Concilio Nicæno II, act. 4, can. 2 : « Vidi, ait, sæpius descriptionis ejus (immolationis Isaac) imaginem, et sine lacrymis transire non potui, cum tam efficaciter et ad vivum ob oculos historiam ejus rei poneret. » Si ergo tentaris, contemneris, doles, infirmaris, tristaris, infamaris, mortificaris, cruciaris, imo suspenderis, combureris, Isaacum imitare : modicum est, æternitatem cogita.

Imago Isaaci antiquissima.

Hac cogitatione armati fideles generosi omnem parentum, carnis suique amorem; quin et tormenta mortesque vicerunt. Ita Liberatus Abbas, Bonifacius, Rusticus aliique a Wandalis ad arianismum sollicitati : « Satius, inquiebant, est momentanea perferre supplicia, quam æterna subire tormenta. » Jussit rex eos navi impositos in mari cremari; illi fidenter canebant : « Gloria in excelsis Deo : ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis; » ignis cum accenderetur, sæpius extinctus est : ergo rubore et furore perculsus rex, mandavit eos remorum vectibus necari. Testis est Victor Uticensis, lib. IV *Persecut. Wandal.* Idem respondit Thomas Morus uxori suæ; itaque ejus amorem, uti Abraham sui filii, superavit.

Rursum, nota hic vere obedientem, qualis fuit Isaac, mori non posse. Refert Climachus, Gradu 4 *De Obedientia*, Achatium in obedientia mire exercitatum, cum post mortem e sepulcro a sene quodam evocaretur, rogareturque an mortuus esset, respondisse : « Obediens mori nequit. »

NUNC COGNOVI, — id est, nosse te feci, ait S. Augustinus, *Quæst.* LVIII, et Gregorius, lib. XXVIII *Moral.* cap. VII.

Secundo, « nunc cognovi, » id est, nunc per illud factum tuum feci manifestum, et evidenter cognoscibile. Ita Diodorus et Pererius.

Tertio et planissime, « nunc cognovi, » scilicet per experientiam, *q. d.* Nunc reipsa expertus sum : loquitur enim Deus hic more hominum, qui, cujus rei periculum fecerunt, id se perfecte putant novisse.

QUOD TIMEAS, — quod ames, colas, reverearis Deum, illique per omnia obsequaris et placere studeas; hæc enim omnia complectitur timor Dei, adeoque timor hic sanctorum filialis non est aliud quam amor, cultus et honor Dei.

Vers. 13. 13. ARIETEM INTER VEPRES HÆRENTEM CORNIBUS. — Verus fuit hic aries, aliunde ab angelo adductus, et adhæsit vepribus, vel, ut hebraice est, *in implexu*, scilicet veprium et ramorum, ne Abrahamum effugeret, sed præsto esset immolaturo. Hebræi tradunt hæc facta esse die prima mensis septimi, qui dicitur Tisri; indeque eo die a Judæis celebrari festum Tubarum, eo quod tunc cornibus arietinis clangerent, in memoriam Isaac ab immolatione liberati, et arietis pro eo surrogati (1).

Quid aries mystice? Allegorice, sicut pro Isaac aries, ita pro nobis immolatus est Christus, ait S. Augustinus, lib. XVI *De Civit.* cap. XXXII. *Secundo*, S. Ambrosius et Cyrillus, pro Isaac aries, id est, pro deitate immolata est humanitas Christi.

Anagogice, Isaaco succedit aries, id est, passioni succedit resurrectio, infirmitati fortitudo, morti immortalitas, inquit Theodoretus.

Rursum, aries hic cornibus hærens et suspensus inter vepres, significat Christum in cruce suspensum, ait Ambrosius, qui addit Abraham hic vidisse diem immolationis et passionis Christi. Et hoc est quod ait Christus, *Joan.* VIII, 56 : « Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum; vidit, et gavisus est, » indeque locum hunc vocatum esse *Dominus videbit*, vel apparebit, ut sequitur. Septuaginta retinentes Hebræam vocem *Sabec*, quasi propriam certæ arboris, vertunt, *et ecce aries unus detentus ex cornibus in arbore Sabec*; vel, ut Procopius legit ex Syriaca translatione, *et ecce aries unus pendens in arbore Sabec*, aitque illum arietem apparuisse instar ascendentis in arbore Sabec, nec tantum cornibus, sed pedibus etiam anterioribus innixum hæsisse in illius arboris ramis, eaque figura Christum in arboris crucem ascendentem, in ea pendentem, illi affixum clavis hærentemque repræsentasse. Idemque expendit S. Ambrosius, lib. I *De Abraham Patriarcha*, cap. VIII, ubi imprimis ita legit : « Et ecce aries unus suspensus cornibus in virgulto Sabec. » Deinde addit : « Quis significatur, nisi ille de quo scriptum est, *Psalm.* CXLVIII : Exaltavit cornu populi sui? Cornu nostrum Christus est elevatus et exaltatus a terris : hunc vidit Abraham in isto sacrificio, hujus passionem aspexit; et ideo ipse Dominus ait de eo : Abraham voluit videre diem meum : vidit, et gavisus est; unde ait Scriptura : Vocavit Abraham nomen loci illius, Dominus vidit, ut dicant hodie : In monte Dominus apparuit, hoc est, quod apparuerit Abrahæ revelans futuram sui passionem corporis, qua mundum redemit; demonstrans etiam genus passionis, cum suspensum ostendit cornibus arietem. Virgultum illud patibulum crucis est. » Hæc Ambrosius. Annotavit etiam D. Athanasius, lib. *Quæst. ad Antiochum*, Quæst. XCVI, ad mysterium quoque spectare quod *Sabec* interpretatur remissio, seu condonatio quam Christus nobis per crucem promeruit : « Planta, inquit, Sabec, est veneranda crux. Juxta Hebræos videtur Sabec remissio esse et condonatio; aries vero qui in Sabec hærebat ad plantam, quem pro Isaac Abraham holocaustum obtulit, figuravit Christum pro nobis in cruce immolatum. »

Quarto, subtiliter animadvertunt plerique, in quibus est Leo a Castro, lib. VI *Apolog.*, et in cap. XXIX *Isaiæ*, cum Christus in cruce dixit : *Eli, Eli, lamma sabacthani*, ad eamdem plantam *Sabec* allusisse, ut indicaret se esse illum arietem pendentem atque suspensum ex arbore Sabec, id est in cruce, quem Dominus sub typo alterius arietis pendentis ex planta Sabec, Abrahæ olim ostenderat; itaque idcirco verbum illud *sabacthani*, potius quam aliud usurpasse, ut nomine quoque ipso plantam illam Sabec, ex qua ille alter aries pependerat, fidelibus in memoriam revocaret, seque ostenderet tunc temporis figuram illam cumulatissime adimplere; verbum enim *sabacthani* a nomine *Sabec* inflexum videtur, esto habeat suam quoque radicem Syriacam שבק *sebac*, id est reliquit.

Vers. 14. 14. APPELLAVITQUE NOMEN LOCI ILLIUS : DOMINUS VIDET. — *q. d.* Abraham loco huic in quo filium immolavit, dedit nomen hoc, scilicet אדני יראה *adonai iire*, id est, *Dominus videbit*, vel *videt*, idque ex eo quod ipse filio suo roganti de victima, vers. 8, responderit *adonai iire*, id est, Dominus videbit, sive providebit de victima. Ita Vatablus, Lipomanus, Oleaster, Pererius et alii.

Cur mons hic dictus sit, Dominus videt? Causa prima. Etymon Moria, id est visio Dei.

Ex verbo *iire*, id est videbit, factum est nomen *Moria*, id est visio; unde mons hic dictus est Moria, id est visionis, ut patet vers. 2 in Hebræo. *Moria* ergo idem est quod *adonai iire*, id est, Dominus videbit.

Origo vocis Jerusalem.

Rursum ex *iire*, et antiquo nomine *Salem* (sic enim prius vocata est Jerusalem, ut patet cap. XIV, vers. 18), conflatum est nomen *Jerusalem*; Moria enim erat in Jerusalem. Ita Andreas Masius in *Josue*, cap. X.

Secunda. *Secundo*, S. Augustinus; lib. XVI *De Civit.* cap. XXXII : Dicitur, ait, hic locus *Deus videt*, id est, Deus videri se fecit, cum per angelum apparuit Abrahæ, vers. 11.

Tertia. *Tertio*, Hebræi, Chaldæus et Pererius : Dictus est, inquiunt, mons hic *Dominus videt*, quia Dominus in hoc monte vidit afflictionem, obedien-

(1) Pro אחר, quod Vulgatus interpres recte vertit *post tergum*, multi codices habent אחד, *unum*, scil. arietem.

tiam et sacrificium Abrahæ, illudque acceptavit, atque afflicto Abrahæ providit, per angelum sistentem gladium Abrahæ, et per arietem pro Isaac substitutum.

Quarta. *Quarto*, dicitur mons hic, « Dominus videt, » quia in monte hoc exstruendum erat templum, in quo Deus visurus et exauditurus erat supplicantium vota. Unde Chaldæus putat Abrahamum hic sua immolatione, montem hunc Moria, sive Sionem destinasse templo, illudque ibi ædificandum prædixisse. Sic enim habet Chaldæus : « Et dixit Abraham coram Domino : Hic erunt servientes (Deo) generationes, propterea dicebatur in die hac : In monte hoc Abraham coram Deo immolavit. »

UNDE USQUE HODIE DICITUR : IN MONTE (subaudi cui nomen est) DOMINUS VIDEBIT, — subaudi, hoc illudve gestum, vel factum est. Cum enim homines narrant aliquid, quod accidit, vel factum est in monte Sionis, sive in Moria, dicunt id factum esse in monte, cui nomen est, « Dominus videbit, » *q. d.* Etiamnum hoc tempore, quo ego Moses hæc scribo, iste mons exinde vocatur « Dominus videt, » vel « videbit, » quia scilicet in eodem Abraham Deo immolavit dicens : Dominus videbit, vel providebit sibi victimam, fili mi; et quia in eodem Deus Abrahæ visus est, ut vertunt Septuaginta, dum ei per angelum apparuit.

Dominus videbit, id est providebit.

Secundo, « usque hodie dicitur, » etc., *q. d.* Usque hodie hoc dicto Abrahæ, « Dominus videbit » et providebit, quasi proverbio utimur, dum in angustiis constituti, speramus et invocamus Dei auxilium. Speramus enim quod, sicut in monte hoc Moria Dominus vidit, tam afflictionem, quam pietatem et obedientiam Abrahæ et Isaac, eorumque misertus est : ita pariter nos posterosque nostros præsertim in hoc eodem monte et templo Moria orantes, in qualibet afflictione, videbit, respiciet, exaudiet et liberabit. Ita S. Hieronymus, Cajetanus et Pererius.

Tribulatis eundum in Moria, id est ad Dei providentiam.

Idem proverbium Christianis usurpandum, ut in omni tribulatione recipiant se in montem Moria, in montem templi, in montem spei et orationis, dicantque : Dominus videbit et providebit omni necessitati meæ.

Ita S. Gordius Martyr, spe in Deum fretus, ultro se Præsidi et tormentis obtulit; jubet ille expediri flagella, rotas, equuleos, et omne tormentorum genus excogitari. Gordius, oculos ad cœlum elevans, illud psalmi pronuntiavit : « Dominus mihi adjutor, non timebo, quid faciat mihi homo, et non timebo mala, quoniam tu mecum es. » Tormenta deinde ultro in se provocat, et si quæ moræ intercedant increpat, ac tandem vultu alacri in ignis supplicium volens se immisit, inquit S. Basilius, serm. *De Gordio*.

Nota : Pro יִרְאֶה *iire*, id est videbit, jam Hebræi aliis punctis legunt יֵרָאֶה *ierae*, id est videbitur, quasi dicant : « Unde usque hodie dicitur, In monte Dominus videbitur, » id est, apparebit et succurret. Sed eodem redit sensus; cum enim Deus videt nos, tunc pariter videtur a nobis.

Verum S. Ambrosius, Eucherius, Vatablus et Lipomanus sic exponunt, quasi hæc sit prophetia de Christo, *q. d.* « In monte Dominus videbitur, » id est, Christus Dominus apparebit in monte hoc et templo Sion, cum in eo concionabitur, et in monte Calvariæ, cum in eo crucifigetur; unde et Septuaginta vertunt : *In monte Dominus visus est.*

15. VOCAVIT AUTEM ANGELUS DOMINI ABRAHAM SECUNDO, — quia primo vocavit eum, cum vetuit ne filium immolaret, vers. 11. Per angelum hunc Origenes intelligit Filium Dei : Filius Dei, ait, sicut inter homines habitu repertus est homo, ita hic inter angelos habitu repertus est angelus, non quasi angelicam naturam assumpserit, sed quia angeli munus, quod est Dei voluntatem annuntiare, hic suscepit. Verum contrarium docent passim Patres, scilicet angelum hunc fuisse angelum, non Filium Dei; patet enim ex sequentibus eum loqui ut legatum Dei verbaque Dei enuntiare quasi esset præco Dei; ergo fuit angelus, non Filius Dei. Vers. 15.

16. QUIA FECISTI HANC REM. — Hinc videtur quod Abraham hac sua obedientia et filii victima, inter alia meruerit, saltem de congruo, ut ex sua stirpe potius quam ex alia, imo ex eodem Isaac nasceretur Christus; ac consequenter idem meruit et Isaac. Hoc enim est præmium obedientiæ, quod mox subjicit Deus dicens : « Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. » Ita Pererius. Vide quid sit Deo obedire; vide quam grata, quanti meriti apud Deum sit obedientia. Præclare S. Hieronymus (vel quisquis est auctor), epist. *De Circumcis.* : « Cum, ait, unico non parcit in terris, stellas pro filiis annumerare jubetur in cœlis. » Cur semen Abrahæ comparetur stellis dixi cap. XV, vers. 5. Vers. 16. Abraham obedientia sua meruit fieri pater Christi.

17. POSSIDEBIT SEMEN TUUM PORTAS, — puta urbes Chananæorum sub Josue; Palæstinorum, Ammonitarum, Syrorum, etc. sub Davide et Salomone. Est synecdoche; per portas enim intelligit urbes; qui enim portas occupat, urbem occupat. Sic Christus portas inferorum infernumque occupavit, et deprædatus est. Sic et Apostoli eorumque successores Romam omnesque pene orbis urbes subegerunt Christo, Christique fidei et Ecclesiæ. Vers. 17.

18. BENEDICENTUR IN SEMINE TUO OMNES GENTES, — *q. d.* In Christo qui ex te nascetur, quasi semen, id est proles tua, imo Dei, benedicta, justitiam, gratiam, salutem et gloriam assequentur quælibet gentes. Vide dicta *ad Galat.* III, 16. Vers. 18.

20. QUOD MELCHA QUOQUE GENUISSET FILIOS NACHOR (1). — Texitur hic genealogia Nachor, tum Vers. 20.

(1) Cum multiplex sit Aram, seu Syria (commemoratur enim *Aram-Neharaim*, seu Mesopotamia, *Aram-Zoba*, id est Nesibis, *Syra Damasci*), atque vers. 21 ut notatu dignum quid memoratur, quod Camuel Arami pater fuerit, indicari videtur utrum [illegible] et Aramum Sethi filium

in gratiam Abrahæ; cujus ipse erat frater: tum propter Rebeccam, quam sibi nurum, filio vero suo. Isaac uxorem quæsivit Abraham, ut ex ea manifesto constaret genus tam maternum, quam paternum Jacobi et Jacobæorum, puta Israelitarum omnium.

supra x, 23, et hunc Camuelis filium, suæ Syriæ nomen dedisse.

Vers. 24. E voce פִּלֶגֶשׁ, *concubina*, non dubium esse πελλαχὶς et *pellex* factum.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Moritur Sara : emit Abraham agrum cum spelunca duplici ab Ephrone, in eaque sepelit Saram.

1. Vixit autem Sara centum viginti septem annis. 2. Et mortua est in civitate Arbee, quæ est Hebron, in terra Chanaan : venitque Abraham ut plangeret et fleret eam. 3. Cumque surrexisset ab officio funeris, locutus est ad filios Heth, dicens : 4. Advena sum et peregrinus apud vos : date mihi jus sepulcri vobiscum, ut sepeliam mortuum meum. 5. Responderunt filii Heth, dicentes : 6. Audi nos, domine, princeps Dei es apud nos : in electis sepulcris nostris sepeli mortuum tuum, nullusque te prohibere poterit, quin in monumento ejus sepelias mortuum tuum. 7. Surrexit Abraham, et adoravit populum terræ, filios videlicet Heth, 8. dixitque ad eos : Si placet animæ vestræ ut sepeliam mortuum meum, audite me, et intercedite pro me apud Ephron, filium Seor, 9. ut det mihi speluncam duplicem, quam habet in extrema parte agri sui; pecunia digna tradat eam mihi coram vobis in possessionem sepulcri. 10. Habitabat autem Ephron in medio filiorum Heth. Responditque Ephron ad Abraham cunctis audientibus qui ingrediebantur portam civitatis illius, dicens : 11. Nequaquam ita fiat, domine mi, sed tu magis ausculta quod loquor : Agrum trado tibi, et speluncam quæ in eo est, præsentibus filiis populi mei; sepeli mortuum tuum. 12. Adoravit Abraham coram populo terræ. 13. Et locutus est ad Ephron circumstante plebe : Quæso, ut audias me : Dabo pecuniam pro agro : suscipe eam, et sic sepeliam mortuum meum in eo. 14. Responditque Ephron : 15. Domine mi, audi me : Terra, quam postulas, quadringentis siclis argenti valet : istud est pretium inter me et te; sed quantum est hoc? sepeli mortuum tuum. 16. Quod cum audisset Abraham, appendit pecuniam quam Ephron postulaverat, audientibus filiis Heth : quadringentos siclos argenti probatæ monetæ publicæ. 17. Confirmatusque est ager quondam Ephronis, in quo erat spelunca duplex, respiciens Mambre, tam ipse, quam spelunca, et omnes arbores ejus in cunctis terminis ejus per circuitum, 18. Abrahæ in possessionem, videntibus filiis Heth, et cunctis qui intrabant portam civitatis illius. 19. Atque ita sepelivit Abraham Saram uxorem suam in spelunca agri duplici, quæ respiciebat Mambre, hæc est Hebron in terra Chanaan. 20. Et confirmatus est ager, et antrum quod erat in eo, Abrahæ in possessionem monumenti a filiis Heth.

Vers. 2. 2. ARBEE, QUÆ EST HEBRON.—Unde Hebron dicta sit Arbee, dicam *Josue* XV. Mortua est Sara anno ætatis 127, qui fuit Abrahæ 137, biennio post mortem Thare; mortuus est enim Thare anno Abrahæ 135.

VENITQUE ABRAHAM, UT PLANGERET ET FLERET EAM.—Putant aliqui Saram mortuam esse absente Abrahamo, et propterea dixisse Mosen : « Venitque Abraham. » Verum *venire* apud Hebræos sæpe significat ordiri aliquid, accingere se ad aliquid faciendum. Sic Abraham hic *venit*, id est accinxit se, ad plangendum Saram. Unde aliqui vertunt, *cœpit Abraham plangere Saram.*

Nota : Planctus distinguitur a fletu, significatque solemnem luctum, luctusque et funeris pompam. Sic Stephano fecerunt planctum magnum, id est, magnam luctus et funeris pompam, *Act.* VII. Sic David solemni funere et carmine planxit Saul et Quid planctus?

Jonatham, cæsos in bello, II *Reg.* 1, 17. Sic universus Juda et Jerusalem planxit et luxit mortem Josiæ regis dilectissimi, II *Paralip.* XXXV, 24.

Vers. 4. 4. JUS SEPULCRI. — Hebr. est אחושת קבר *achussat keber*, id est, possessionem sepulcri, sive sepulcralem : non enim petit Abraham misceri sepulcris idololatrarum, sed sibi seorsum locum postulat, in quo sepeliatur tam Sara, quam ipse et posteri. Mystice Abbas Pastor in *Vitis Patrum* rogatus a quodam : « Quid faciam ut salver? » respondeo : « Quando venit Abraham in terram repromissionis, monumentum sibi comparavit, et per sepulcrum terram in hæreditatem accepit. » *q. d.* Ita et tu per cogitationem mortis tendes ad salutem in cœlum. Et dixit frater : « Quid est sepulcrum? » respondit senex : « Locus flendi et lugendi. »

MORTUUM MEUM, — id est mortuam meam, uxorem scilicet. Ita S. Augustinus. *Secundo*, simplicius « mortuum meum, » scilicet corpus vel cadaver; unde Vatablus vertit, *funus meum*. Adde, post mortem nulla in corpore sexus distinctio consideratur; unde recte vocamus mortuum, sive is vir sit, sive femina.

Vers. 6. 6. PRINCEPS DEI ES APUD NOS, — quasi dicant : Habemus et reveremur te quasi principem, et ut Septuaginta vertunt, *regem sanctum*, qui Deo carus et curæ sis, ac proinde insignis et illustris sis, eximieque venerandus. Suspicimus te ob tuas virtutes, et propter Dei erga te favorem, curam et protectionem; perinde ac si magnus esses princeps, ex cœlo ad nos lapsus (1).

IN ELECTIS, — in selectissimis sepulcris nostris sepeli Saram. Non sunt assecuti mentem Abrahæ, qui cum Hethæis, utpote idololatris, misceri et sepeliri nolebat.

NULLUSQUE TE PROHIBERE POTERIT, — nemo erit tam protervus, ut audeat velitque te prohibere.

Vers. 7. 7. ADORAVIT. — Hebraice est ישתחו *iistachu*, id est, incurvavit se Abraham gratias agens, et honorem ac reverentiam civilem exhibens Hethæis : ita Cajetanus et alii.

Vers. 9. 9. SPELUNCAM DUPLICEM. — Erat duplex, vel quia duas habebat cryptas, unam pro sepeliendis viris, alteram pro mulieribus, ut vult Procopius; vel quia una erat interior, alia exterior, in qua quasi inclusa erat interior. Ita Aben-Esra (2).

PECUNIA DIGNA, — pretio justo.

Vers. 10. 10. PORTAM CIVITATIS. — Hinc videtur quod in portis, quasi loco publico, quo omnes etiam exteri facile convenirent, olim tam commercia quam judicia peragi solerent. In portis ergo olim sedebant judices, scabini et consules, ibique omnia tam publica, quam privatarum negotia tractabant, uti jam sedent et tractant in domo civica (3).

Vers. 13. 13. DABO PECUNIAM PRO AGRO. — Nolebat Abraham agrum gratis habere, sed emere justo pretio, tum quia hoc est animi honesti, liberalis et regii; tum, ne posteri Ephronis agrum repeterent, vel communem in eo sepulturam postularent. Ita viri liberales inter se certant liberalitate, sicut avari certant parcimonia. Narrat Ælianus Alcibiadem Socrati præceptori lautissima munera misisse; ea Socrates magno animo recusavit, Xantippe uxore plurimum instante : « Sua est Alcibiadi, ait, nobis etiam nostra sit ambitio : Alcibiades dando, Socrates non accipiendo suam ostendit liberalitatem. »

Dices : Emere sepulturam et jus sepulcri, est simonia. Respondet *primo* D. Thomas, II II, *Quæst.* C, art. 4, ad tertium, Abraham non emisse jus sepulturæ, sed tantum agrum in quo sepeliret Saram : ager autem per se vendibilis est.

Secundo, Abulensis : Sepulcrum, inquit, fit sacrum, ita ut vendi non possit sine simonia, non effossione, sed mortui in illa elatione; necdum ergo erat sacrum, cum illud emit Abraham. Hoc verum est jure civili Romanorum, quo ipsa illatione cadaveris fit locus religiosus.

Verum hoc nihil facit ad crimen simoniæ, quod Ecclesiasticum est, non civile; ut ergo locus sepulturæ sine simonia vendi non possit, debet esse sacer consecratione, sive benedictione Ecclesiastica, ut passim docent Theologi et Canonistæ. Tempore autem Abrahæ, necdum erat consecratio sive benedictio Ecclesiastica (hanc enim Ecclesia Christiana instituit), qua locus consecraretur ad sepulturam; unde sine simonia vendi poterat. Ita Cajetanus, Lipomanus et alii. Adde sepulcra, uti et sacerdotia Gentilium, utpote idololatrarum non esse sacra, sed profana; imo sacerdotia eorum diabolica sunt, ac proinde ea emere non est simonia. Gentiles tamen ea vendentes, ex conscientia erronea, qua putabant ea esse sacra, peccabant simonia. Ita D. Thomas (4).

Locus sepulturæ fit sacer consecratione, ut eum vendere sit simonia.

(1) Aliis *princeps Dei* est præstans et excellens princeps. Nam scriptura, ut ait Kimchi, rem quam vult magnificare, jungit Deo.

(2) Vel quia plures sinus habebat, multorum cadaverum capacem; vel quia habebat duplicem aperturam, et ex duabus partibus ingressum. Quas tamen conjecturas supervacaneas esse ait Rosenmullerus; nam, ut e vers. 17 et e loco infra XLIX, 30, apparet, *Machpela* est nomen proprium, ut sensus sit, *ut det mihi speluncam* in agro cui nomen *Machpela*. Cæterum speluncæ in Palæstina frequentes sepulcris inserviunt. « Hebræorum sepulcra, saltem honestiora, quæque familiis principum patria erant ac gentilitia, speluncæ erant amplæ, sub terram, ex nativa rupe, arte manuque excavatæ, quædam tam spatiosæ, ut columnis suffulcirentur; ad latera circum quaque excidebantur cellæ recipiendis sarcophagis... Nullam omnino lucem admittebat specus; quippe augusto aditu, quique advoluto saxo obstruebatur. Multa hujusmodi conditoria etiamnum in Judæa visuntur. » Hæc Lowthius, *De sacra Poesi Hebræorum*, Prælect. VII.

(3) Pro *habitabat*, concinnius Hebræum vertes, *sedebat, præsens erat.*

(4) Vers. 15. quia ארץ est in regimine, hinc multi vertunt, *terra quadringentorum siclorum*, tam parvæ summæ, quid est inter nos, qui ambo divites sumus, et insuper animis juncti?

Vers. 16. 16. QUADRINGENTOS SICLOS ARGENTI, — puta 400 florenos Brabanticos; de siclo plura dicam *Exodi* XXX, 13.

PROBATÆ MONETÆ PUBLICÆ. — Hebr. *argenti inter mercatores transeuntis*; Septuaginta, *argenti probati mercatoribus* : mercatores enim monetam maxime discernere, appendere et probare solent, maximeque probam et probatam exigunt.

Vers. 17. 17. CONFIRMATUS EST AGER, — *q. d.* Per emptionem firmo et stabili jure translatus est hic ager, cum sua spelunca duplici, in dominium Abrahæ.

Considera, Abraham in Chanaan non habuit domum, non agrum proprium, sed tantum sepulcrum proprium; quia volebat Dei monitu esse peregrinus in vita, tendereque ad cœlum; in morte autem quasi in termino et confinio cœli proprium sibi suorumque fidelium poposcit locum, ne cum infidelibus requiesceret : in morte enim est discriminatio fidelium et infidelium; ergo par est ut eadem sit et in sepulcro. Vide quanta priscis patribus fuerit cura sepulcri, et quanta jam esse debeat fidelibus, ut in locis sacris cum fidelibus et sanctis sepeliantur, idque ob spem beatæ resurrectionis cum eis; infideles enim et hæretici suam habent asini sepulturam.

Sepultura inter fideles quanti sit?

Hac de causa in hoc Saræ sepulcro sepultus est Abraham, Isaac, Rebecca et Lia; quin et Jacob in idem ex Ægypto transferri voluit. Sic, ut habet Regum historia, Samuel, Saul, Jonathas, propheta a leone occisus, III *Reg.* XIII, Josias rex et alii honorifice cum suis sepulti sunt. Sic Tobias officium sepulturæ corporibus fidelium, a tyranno trucidatorum, benigne exhibuit. Sic Joannes Baptista a suis discipulis studiose ad sepulturam, ex carcere elatus est. Sic Joseph ab Arimathia corpus Christi a Pilato petiit, et in monumento suo novo, quod exciderat in petra, condidit. Sic S. Antonius a Deo missus est ad S. Paulum primum Eremitam, ut eum sepeliret, cumque sarculum non haberet, duo leones illi sepulcrum unguibus suis effoderunt.

EPHRONIS. — S. Stephanus *Actor.* VII, asserit hunc agrum emptum esse non ab Ephrone, sed a filiis Hemor, aliaque quædam habet, quæ cum hoc loco non satis consentire videntur, sed de iis dicendum est *Actor.* VII.

19. MAMBRE, HÆC EST HEBRON. — Hebron dicta est Arbee, dicta est et Mambre a convalle adjacente, quæ dicta est Mambre, a viro potente Mambre, qui eam possidebat, quique cum Abraham pugnavit contra quatuor reges, cap. XIV, vers. 13. Vers. 19.

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Adjurat Abraham servum suum, ut Isaaco uxorem quærat ex Haran; adducit ille Rebeccam, adductam Isaac capit.

1. Erat autem Abraham senex, dierumque multorum : et Dominus in cunctis benedixerat ei. 2. Dixitque ad servum seniorem domus suæ, qui præerat omnibus quæ habebat : Pone manum tuam subter femur meum, 3. ut adjurem te per Dominum, Deum cœli et terræ, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito; 4. sed ad terram et cognationem meam proficiscaris, et inde accipias uxorem filio meo Isaac. 5. Respondit servus : Si noluerit mulier venire mecum in terram hanc, numquid reducere debeo filium tuum ad locum, de quo tu egressus es? 6. Dixitque Abraham : Cave nequando reducas filium meum illuc. 7. Dominus Deus cœli, qui tulit me de domo patris mei, et de terra nativitatis meæ, qui locutus est mihi, et juravit mihi, dicens : Semini tuo dabo terram hanc : ipse mittet angelum suum coram te, et accipies inde uxorem filio meo; 8. sin autem mulier noluerit sequi te, non teneberis juramento : filium meum tantum ne reducas illuc. 9. Posuit ergo servus manum sub femore Abraham domini sui, et juravit illi super sermone hoc. 10. Tulitque decem camelos de grege domini sui, et abiit, ex omnibus bonis ejus portans secum, profectusque perrexit in Mesopotamiam ad urbem Nachor. 11. Cumque camelos fecisset accumbere extra oppidum, juxta puteum aquæ vespere, tempore quo solent mulieres egredi ad hauriendam aquam, dixit : 12. Domine Deus domini mei Abraham, occurre, obsecro, mihi hodie, et fac misericordiam cum domino meo Abraham. 13. Ecce ego sto prope fontem aquæ, et filiæ habitatorum hujus civitatis

egredientur ad hauriendam aquam. 14. Igitur puella, cui ego dixero : Inclina hydriam tuam ut bibam; et illa responderit : Bibe, quin et camelis tuis dabo potum : ipsa est, quam præparasti servo tuo Isaac : et per hoc intelligam quod feceris misericordiam cum domino meo. 15. Necdum intra se verba compleverat, et ecce Rebecca egrediebatur, filia Bathuel, filii Melchæ, uxoris Nachor, fratris Abraham, habens hydriam in scapula sua. 16. Puella decora nimis, virgoque pulcherrima, et incognita viro : descenderat autem ad fontem, et impleverat hydriam, ac revertebatur. 17. Occurritque ei servus, et ait : Pauxillum aquæ mihi ad bibendum præbe de hydria tua. 18. Quæ respondit : Bibe, domine mi; celeriterque deposuit hydriam super ulnam suam, et dedit ei potum. 19. Cumque ille bibisset, adjecit : Quin et camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant. 20. Effundensque hydriam in canalibus, recurrit ad puteum ut hauriret aquam : et haustam omnibus camelis dedit. 21. Ipse autem contemplabatur eam tacitus, scire volens utrum prosperum iter suum fecisset Dominus, an non. 22. Postquam autem biberunt cameli, protulit vir inaures aureas, appendentes siclos duos, et armillas totidem pondo siclorum decem. 23. Dixitque ad eam : Cujus es filia? indica mihi : est in domo patris tui locus ad manendum? 24. Quæ respondit : Filia sum Bathuelis, filii Melchæ, quem peperit ipsi Nachor. 25. Et addidit, dicens : Palearum quoque et fœni plurimum est apud nos, et locus spatiosus ad manendum. 26. Inclinavit se homo, et adoravit Dominum, 27. dicens : Benedictus Dominus Deus domini mei Abraham, qui non abstulit misericordiam et veritatem suam a domino meo, et recto itinere me perduxit in domum fratris domini mei. 28. Cucurrit itaque puella, et nuntiavit in domum matris suæ omnia quæ audierat. 29. Habebat autem Rebecca fratrem nomine Laban, qui festinus egressus est ad hominem, ubi erat fons. 30. Cumque vidisset inaures et armillas in manibus sororis suæ, et audisset cuncta verba referentis : Hæc locutus est mihi homo : venit ad virum, qui stabat juxta camelos, et prope fontem aquæ, 31. dixitque ad eum : Ingredere, benedicte Domini : cur foris stas? præparavi domum, et locum camelis. 32. Et introduxit eum in hospitium : ac destravit camelos, deditque paleas et fœnum, et aquam ad lavandos pedes ejus, et virorum qui venerant cum eo. 33. Et appositus est in conspectu ejus panis. Qui ait : Non comedam, donec loquar sermones meos. Respondit ei : Loquere. 34. At ille : Servus, inquit, Abraham sum : 35. et Dominus benedixit domino meo valde, magnificatusque est : et dedit ei oves et boves, argentum et aurum, servos et ancillas, camelos et asinos. 36. Et peperit Sara, uxor domini mei, filium domino meo in senectute sua, deditque illi omnia quæ habuerat. 37. Et adjuravit me dominus meus, dicens : Non accipies uxorem filio meo de filiabus Chananæorum, in quorum terra habito; 38. sed ad domum patris mei perges, et de cognatione mea accipies uxorem filio meo. 39. Ego vero respondi domino meo : Quid si noluerit venire mecum mulier? 40. Dominus, ait, in cujus conspectu ambulo, mittet angelum suum tecum, et diriget viam tuam : accipiesque uxorem filio meo de cognatione mea, et de domo patris mei. 41. Innocens eris a maledictione mea, cum veneris ad propinquos meos, et non dederint tibi. 42. Veni ergo hodie ad fontem aquæ, et dixi : Domine Deus domini mei Abraham, si direxisti viam meam, in qua nunc ambulo. 43. Ecce sto juxta fontem aquæ, et virgo quæ egredietur ad hauriendam aquam, audierit a me : Da mihi pauxillum aquæ ad bibendum ex hydria tua : 44. et dixerit mihi : Et tu bibe, et camelis tuis hauriam : ipsa est mulier, quam præparavit Dominus filio domini mei. 45. Dumque hæc tacitus mecum volverem, apparuit Rebecca veniens cum hydria, quam portabat in scapula : descenditque ad fontem, et hausit aquam. Et aio ad eam : Da mihi paululum bibere. 46. Quæ festinans deposuit hydriam de humero, et dixit mihi : Et tu bibe, et camelis tuis tribuam potum. Bibi, et adaquavit camelos. 47. Interrogavique eam, et dixi :

Cujus es filia? Quæ respondit : Filia Bathuelis sum, filii Nachor, quem peperit ei Melcha. Suspendi itaque inaures ad ornandam faciem ejus, et armillas posui in manibus ejus. 48. Pronusque adoravi Dominum, benedicens Domino Deo domini mei Abraham, qui perduxit me recto itinere, ut sumerem filiam fratris domini mei filio ejus. 49. Quamobrem si facitis misericordiam et veritatem cum domino meo, indicate mihi : sin autem aliud placet, et hoc dicite mihi, ut vadam ad dexteram, sive ad sinistram. 50. Responderuntque Laban et Bathuel : A Domino egressus est sermo : non possumus extra placitum ejus quidquam aliud loqui tecum. 51. En Rebecca coram te est, tolle eam et proficiscere, et sit uxor filii domini tui, sicut locutus est Dominus. 52. Quod cum audisset puer Abraham, procidens adoravit in terram Dominum. 53. Prolatisque vasis argenteis, et aureis, ac vestibus, dedit ea Rebeccæ pro munere, fratribus quoque ejus et matri dona obtulit. 54. Inito convivio, vescentes pariter et bibentes manserunt ibi. Surgens autem mane, locutus est puer : Dimittite me, ut vadam ad dominum meum. 55. Responderuntque fratres ejus et mater : Maneat puella saltem decem dies apud nos, et postea proficiscetur. 56. Nolite, ait, me retinere, quia Dominus direxit viam meam : dimittite me ut pergam ad dominum meum. 57. Et dixerunt : Vocemus puellam, et quæramus ipsius voluntatem. 58. Cumque vocata venisset, sciscitati sunt : Vis ire cum homine isto? quæ ait : Vadam. 59. Dimiserunt ergo eam, et nutricem illius, servumque Abraham, et comites ejus, 60. imprecantes prospera sorori suæ, atque dicentes : Soror nostra es, crescas in mille millia, et possideat semen tuum portas inimicorum suorum. 61. Igitur Rebecca et puellæ illius ascensis camelis, secutæ sunt virum, qui festinus revertebatur ad dominum suum. 62. Eo autem tempore deambulabat Isaac per viam quæ ducit ad puteum, cujus nomen est Viventis et Videntis ; habitabat enim in terra Australi. 63. Et egressus fuerat ad meditandum in agro, inclinata jam die : cumque elevasset oculos, vidit camelos venientes procul. 64. Rebecca quoque, conspecto Isaac, descendit de camelo, 65. et ait ad puerum : Quis est ille homo qui venit per agrum in occursum nobis? Dixitque ei : Ipse est dominus meus. At illa tollens cito pallium, operuit se. 66. Servus autem cuncta quæ gesserat, narravit Isaac. 67. Qui introduxit eam in tabernaculum Saræ matris suæ, et accepit eam uxorem : et in tantum dilexit eam, ut dolorem, qui ex morte matris ejus acciderat, temperaret.

Vers. 1. 1. ERAT AUTEM ABRAHAM SENEX. — Erat Abraham 140 annorum, cum servum misit ut Rebeccam uxorem quæreret Isaaco ; Isaac enim duxit Rebeccam anno ætatis suæ 40 (ut patet cap. seq. vers. 20), qui fuit Abrahæ 140 : natus est enim Isaac anno Abrahæ centesimo ; ætas ergo Abrahæ superat ætatem Isaaci centum annis. Ita S. Augustinus.

Vers. 2. 2. SERVUM SENIOREM, — œconomum suum Eliezer, de quo cap. XV, vers. 2.

PONE MANUM TUAM SUBTER FEMUR MEUM, — *q. d.* Me sedente pone sub coxa mea manum tuam, et hoc ritu ac cæremonia mihi jura, quod filio meo non accipies uxorem Chananæam. Ad litteram, hic fuit ritus jurantium per femur, quia femur causa et symbolum est generationis et vitæ. Femur ergo tenendo, jurantes testabantur Deum vitæ auctorem, in cujus manu est salus nostra, *q. d.* Si recte et vere juro, et juratum præsto, Deus mihi vitam longam et felicem, quæ femore significatur, præstet ; sin fallo et pejero, peream, neque particeps sim vitæ, quæ processit ex femore. Ita Martinus de Roa, lib. IV *Singul.* cap. IV.

Putant Hebræi hanc cæremoniam ponendi manum sub femore, fuisse solemnem Judæis in juramento, ob significationem et reverentiam sacramenti circumcisionis, quod in membro femori vicino celebrabatur. Verum hoc falsum esse videtur : nam soli Abraham et Jacob hac cæremonia suos adjurarunt ; cæteri vero in Scriptura manu in altum (uti et modo fit) elevata jurasse leguntur (1). Jurabant olim ponendo manum sub femore, cur?

Nota ergo, per femur sive coxam, partes etiam genitales, quæ inter femora sunt, tacite intelligi et comprehendi. Sic enim filii Jacob dicuntur

(1) Non contemnenda est Aben-Esræ sententia, ea, quæ hic describitur, jurandi ratione servum testatum fuisse obedientiam hero suo, simulque significari heri in servum potestatem. Et quamvis alios jurantes manum in cœlum attollerent, hic tamen jurandi ritus videtur observatus inter æquales ; at ubi subjectus alicui adjurabatur, ut filius (infra XLVII, 29), aut servus, manus femori subjiciebatur in signum obsequii et subjectionis.

egressi de femore, id est genitalibus ejus, *Gen.* XLVI, 26 et alibi.

Hoc ergo symbolo et cæremonia ponendi manum sub femore, significat Abraham ex femore suo jam natum esse Isaac, et ex eodem per Isaac nascituram esse sobolem magnam, imo Christum, semen suum benedictum, sibi a Deo promissum. Ut ergo hæc soboles, et Christus ex se per Isaac nascatur, hac de causa Isaaco hic fidelem quærit uxorem, servumque suum, ut talem ei quærat, per femur, quasi per sobolis originem; item per femur, id est, per Christum, utpote ex femore suo nasciturum, adjurat, id est obstringit et jurare compellit. Primus enim qui hac forma adjurationis est usus, fuit Abraham; eum deinde secutus est nepos Jacob cap. XLVII, vers. 29. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Augustinus, *serm.* 75; Ambrosius, lib. I *De Abraham,* cap. ultim.; Prosper, I part. *Prædicationibus* cap. VII, et S. Gregorius, qui sic ait : « Manum sub femore jubet ponere, quia per membrum illud descensura erat caro ejus, qui filius Abrahæ esset ex humanitate, et Dominus ejus ex divinitate, quasi dicat : Tange filium meum, et jura per Deum meum. Unde non super femur, sed sub femore manum ponere jussit; quia inde erat ille descensurus, qui homo quidem, sed super homines veniret. »

Vers. 3. 3. ADJUREM, — id est, juramento tuo te obstringam, jurare te faciam. Ita Hebræa. Cogit enim Abraham servum sibi hac cæremonia jurare. Unde de facto servus ei hoc ritu juravit, ut patet vers. 9. Non ergo adjurare hic significat per sacra obtestari aliquem, sed adigere eum ad juramentum, et juramento hoc eum obstringere ad aliquid promittendum, vel faciendum.

Vers. 4. 4. UT NON ACCIPIAS UXOREM FILIO MEO DE FILIABUS CHANANÆORUM (quia Chananæi impii erant et idololatræ), SED AD TERRAM ET COGNATIONEM MEAM PROFICISCARIS, — non in Chaldæam, sed in Mesopotamiam, puta in Haran, ad domum Nachor fratris mei, ut patet vers. 10; in Haran enim Abraham cum patre et tota cognatione migravit cap. XII, vers. 1. Licet enim domus Nachor more gentis, cum qua habitabat, idola coleret, ut patet cap. XXXI, vers. 30; tamen aliquid de unius Dei cultu norat et servabat, adeoque cum idolis simul Deum cœli colebat, ut patet hic vers. 31. Eratque hæc domus bene morata, ut patet ex sequentibus.

Noluit Abraham ut Isaac duceret Chananæam, cur?

Tropologice, quam cavenda sint infidelium, hæreticorum et impiorum connubia, vide apud S. Chrysostomum et Ambrosium, lib. I *De Abraham,* cap. ult. : « Sæpe, ait Ambrosius, illecebra mulieris decepit etiam fortiores maritos, et a religione fecit discedere. Primum ergo in conjugio religio quæritur. Disce ergo quid in uxore quæratur: non aurum, non argentum quæsivit Abraham, non possessiones, sed gratiam bonæ indolis. » Allegorice idem ibidem : « Ubi, ait, invenitur » uxor Isaac, puta Christi, hoc est « Ecclesia, nisi in Mesopotamia? ibi duobus stipatur fluminibus, lavacro gratiæ et fletu pœnitentiæ. Muniunt eam Tigris, hoc est prudentia; et Euphrates, hoc est justitia, et illuminatio fructuosa, a barbaris separans gentibus. »

Vers. 6. 6. CAVE NE QUANDO REDUCAS FILIUM MEUM ILLUC. — « Reducas, » id est, reducendum promittas, *q. d.* Si filia, quam in Haran quæris, huc ad me et Isaacum venire nolit, sed velit eo Isaac venire ad se, ne consentias, nec promittas ei matrimonium filii mei; quia Deus ex Mesopotamia me et meos in perpetuum exire voluit, atque venire in terram hanc, quam mihi meisque promisit.

Vers. 7. 7. IPSE MITTET ANGELUM SUUM. — Ecce prisci Hebræi credebant custodes Angelos hominibus a Deo dari, ut eos servent, ducant, doceant dirigantque. Simile est *Tobiæ* cap. V, vers. 5. Censet Scaliger angelum dici a Persico *angar,* id est cursor, nuntius, mutato *r* in *l,* sicut pro Belial dicitur Beliar; sic enim et Hebræi a Persico *Angar,* epistolam latam a cursoribus, sive angaris, vocant *iggeret* quasi *ingeret.*

Vers. 9. 9. JURAVIT ILLI SUPER SERMONE HOC. — Juravit se fideliter sermones et jussa Abrahæ domini sui completurum (1).

Vers. 10. 10. AD URBEM NACHOR, — ad Haran, in qua erat domus Nachor, distans a Bersabee, ubi tunc versabatur Abraham, itinere septem vel octo dierum. Ita Abulensis (2).

Vers. 12. 12. OCCURRE. — Hebraice הַקְרֵה *hacre,* id est, fac mihi occurrat, scilicet id quod peto, puta talis filia, qualem Isaaco uxorem cupit Abraham. Septuaginta vertunt : *Prosperum fac mihi occursum.*

Moraliter, uxor bona est donum Dei insigne.

Discant hic Christiani sibi suisque conjuges quærere, non tam conciliatione hominum quam Dei; nec tam spectent opes, formam et genus, quam educationem et mores probos et commodos. Ita Pulcheria fratri suo Theodosio Imperatori Eudoxiam pauperem, sed bene eruditam et moratam uxorem curavit. Verum quia multi secus faciunt, hinc tam multa litigiosa et infelicia videmus matrimonia. Recte ergo ait Sapiens *Proverb.* cap. XIX, 14 : « Domus et divitiæ dantur a parentibus; a Domino autem proprie uxor prudens. » Ita Rebecca Isaaco, Ruth Booz, Sara Tobiæ, uxores a Deo datæ, pacificum, fœcundum et felix habuere conjugium. Nam, ut ait Sapiens *Proverb.* XVIII, 22 : « Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum, et hauriet jucunditatem a Domino. » Bona enim strenuaque et prudens mu-

(1) Hebr. est אֲדֹנָיו. Sic enim sæpius nomina appellativa, quæ dominium notant, numero plurali pro singulari ponantur. Cf. infra XL, 1; *Exod.* XXI, 4, 29.

(2) *Accumbere,* id est, genua flectere. Cameli, ait Clericus, ut commode onerari et conscendi queant, jubente præfecto genua flectunt, deinde resurgunt; tum sicubi aliquantum sit quiescendum, iterum onusti genua flectunt, et sic etiam exonerantur. Cf. Homeri *Odyss.* VII, 20.

lier, est rara avis in terris. « Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni, » inquit Salomon *Eccles.* cap. VII, vers. 29. Hinc Cato dixit mulierem esse malum necessarium. Vis scire quantum malum sit mala mulier, audi *Eccli.* cap. XXV, vers. 17 : « Omnis malitia nequitia mulieris; » et vers. 22 : « Non est caput nequius super caput colubri, et non est ira super iram mulieris : commorari leoni et draconi placebit, quam habitare cum muliere nequam; » et vers. 31 : « Plaga cordis mulier nequam. » Deus ergo fornicariis, adulteris aliisque impiis in pœnam peccati dat malas uxores : quæ plaga est maxima et continua : durat enim per totam vitam.

E contrario, « mulieris bonæ beatus vir. Mulier fortis oblectat virum, et annos vitæ illius in pace implebit. Pars bona mulier bona; in parte bona timentium Deum dabitur viro pro factis bonis, » *Eccli.* cap. XXVI, vers. 1, 2 et 3. Cujus rei exemplum memorabile extat apud Sophronium, vel potius Joannem Moscum in *Prato spirit.* cap. CCI, de Constantinopolitano quodam nobili, qui sua pauperibus distribuens, moriens filio suo Jesum Christum reliquit curatorem. Christus enim ob patris eleemosynas, filio divitem et probam curavit uxorem, cum qua sanctam et jucundam egit vitam. Vere ergo Siracides *Eccli.* XXVI, 16 : « Gratia, inquit, mulieris sedulæ delectabit virum suum, et ossa illius impinguabit; disciplina illius datum Dei est; gratia super gratiam, mulier sancta et pudorata; sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus ejus. »

Vers. 13. Omen sacrum.

13. ECCE EGO STO. — Petit hic servus a Deo certo signo a se designato, uxorem Isaaci futuram sibi demonstrari; ad hoc signum designandum motus est et instigatus a Deo; unde et illud adhibuit cum certa spe divinæ providentiæ, opis et directionis, juxta ea quæ sciebat Deum Abrahæ promisisse, et Abraham sibi, dicendo : « Deus mittet angelum suum coram te. » Unde et signum hoc sibi exhiberi petit humili prece præmissa. Denique signum hoc esse a Deo, eventus qui secutus est tam prosper declaravit; alioqui enim hic servus temerario omine et divinatione tentasset Deum. Simile fuit omen Jonathæ, quod ex Dei instinctu captavit ex verbis Philistinorum de iis invadendis, illudque sequens eos cecidit : « Si dixerint, ait, ascendite ad nos, ascendamus; quia tradidit eos Dominus in manibus nostris, hoc erit nobis signum, » I *Reg.* XIV, 10.

Sic Gedeon, ex somnio Madianitæ, captavit omen victoriæ, *Judic.* cap. VII, vers. 13.

Simile fuit omen Clodovæi, qui castra movens contra Gothos, munera misit Turonam ad S. Martinum legatis mandans : « Ingressuri templum, observate quæ futuri eventus ex bello quod paramus, conjecturam possint præbere; » parent illi, et venientes ad templum, audiunt monachos illud Davidicum psallentes : « Præcinxisti me virtute ad bellum, » captatoque omine felici, ad regem redeunt, omen nuntiant; quod eventus declaravit fuisse non vanum, sed divinum; testis est Fulgosius, lib. I, cap. III.

E contrario, superstitiosum fuit omen Nabuchodonosoris, quod ipse, non Dei, sed suo, vel dæmonis instinctu, captavit, cum dubitaret an Ammonitas, an Judæos invadere deberet; capiens enim duas sagittas, uni inscripsit nomen Rabbath (quæ erat Petra Arabiæ, metropolis Ammonitarum), alteri nomen Jerusalem, eas deinde commiscuit; mox unam cæce eduxit; cui inscriptum videns Jerusalem, statim contra eam perrexit. *Ezech.* XXI, 21.

Simile omen fuit Philistinorum, qui ex vaccarum arcam Domini vehentium itinere et gressu conjecerunt, an plaga eis immissa a Deo, an casu obvenisset, I *Regum* VI, 7. Plura de omine sacro et licito, ac profano, illicito et superstitioso, vide apud Pererium hic.

Nota : Hoc signum quod statuit hic servus, congruum fuit; erat enim signum bonæ uxoris et indolis affabilis, hospitalis, providæ et strenuæ. Ita S. Chrysostomus, Theodoretus, Rupertus.

FONTEM, — puteum, ut patet vers. 11 et 20; sic enim in Scriptura fons et puteus idem sunt.

14. IPSA EST, — ea sit, quam præparasti uxorem Isaaco, *q. d.* Quæso, Domine, ut quam tu vis esse uxorem Isaaci, illa ipsa (eaque sola) hæc faciat et dicat, quæ ego hic postulo; ut ex his ejus factis dictisque cognoscam quod ipsa sit, et non alia (1). Vers. 14.

Vers. 15. Rebecca speculum virginum octuplex.

15. ET ECCE REBECCA EGREDIEBATUR. — Nota hic speculum virginum in Rebecca : nam *primo,* non otiosa sedet ut pleræque, sed laboriosa hydriam gestat, aquamque haurit; *secundo,* cum aquam hausit, revertitur, non diu moratur in publico; et licet servum Abrahæ videret, non tamen curiose inspicit, vel alloquitur; *tertio,* cum servus ab ea petit potum, statim consistit, offert, benigne alloquitur, dominum vocat; plus offert quam ille petierat; non gravatur incognito servire, cum nostræ subinde tam morosæ sint, ut vix alloqui homines dignentur, præsertim extraneos, quasi ii ad se nihil pertineant; *quarto,* quamvis audiret eum esse servum Abrahæ, non tamen ipsa eum in domum introducit : hoc enim virgini indecorum fuisset; sed currit, ac in domo matri nuntiat; *quinto,* non curiose inquirit cur servus hic advenerit, aut quid sibi velit : virgo enim non debet esse curiosa; *sexto,* obtemperat parentibus, cum videt eos consentire ut ad Isaac pergeret, tametsi durum esset ei relinquere parentes et patriam, nihil contradicit; *septimo,* non mollis est, sed virilis : camelum enim conscendit, et iter longum ingreditur; *octavo,* cum vidit Isaac, statim e camelo descendit, et se operuit : Vers. 15.

(1) וַתְּהִי, *et sit,* id videlicet quod sequitur.

unde apparet ejus verecundia et reverentia erga sponsum (1).

Vers. 21. 21. CONTEMPLABATUR EAM TACITUS, — admirans ejus non formam tantum, sed officiositatem, sedulitatem, beneficentiam, liberalitatem, atque explorans num per omnia ita se gereret, talisque esset, quæ digna esset Isaaco, quæque suis et Abrahæ votis responderet.

Vers. 22. 22. INAURES AUREAS, APPENDENTES SICLOS DUOS. — Nota : Hic servus utrique auri Rebeccæ unam dedit inaurem, id est universim duas, ita ut quæque appenderet dimidium siclum, sive drachmam unam, ut habent Septuaginta, Hebræa et Chaldæa, ac consequenter utraque simul appenderet siclum unum, sive drachmas duas (2).

Dices : Quomodo ergo noster Interpres vertit *siclos duos?* Respondeo : Noster siclos minores, sive dimidiatos intelligit. Dimidium enim sicli vocatur subinde siclus, sicut regalis apud nos major est et minor sive dimidiatus; major enim est 10 stuferorum, minor 5 stuferorum. Vide dicta in fine libri *De Ponderibus*.

Vers. 27. 27. NON ABSTULIT MISERICORDIAM ET VERITATEM SUAM A DOMINO MEO, — *q. d.* Deus misericors fuit et verax erga herum meum Abraham : misericors in pollicendo, verax in præstando promissa; uti jam video Deum misericorditer et veraciter iter meum direxisse ad cognatos Abrahæ, et ad Rebeccam, ut eam acciperem uxorem Isaaco.

Vers. 28. 28. IN DOMUM MATRIS SUÆ. — Quia in domo veterum Hebræorum alia erant habitacula et domus virorum, alia mulierum. Seorsim enim in gynæceo mater cum puellis degebat, uti docet Nicolaus Serarius in *Hester.* cap. II, pag. 469. Adde, viri tum plures habebant uxores, quæ seorsim ad pacem servandam habitabant. Ita Cajetanus et Thomas Anglicus. Ad hoc gynæceum cucurrit Rebecca, ostendens inaures acceptas a servo Abrahæ.

Nota : Rebecca ostentat sua dona matri; nam vulgo dicitur :

Quæ recipit dona, femina nulla bona :

quod intellige, si ea furtim et sine suorum consilio aut consensu recipiat.

29. HABEBAT AUTEM REBECCA FRATREM, NOMINE LABAN. — Sicut Rebecca speculum fuit virginum, sic Laban patrumfamilias. Nam *primo*, cum audisset verba sororis, statim egreditur ad virum invitandum, non exspectat donec rogetur; *secundo*, benigne eum alloquitur et pie : « Ingredere, ait, benedicte Domini; » *tertio*, non tantum ipsum introducit, sed et eos qui cum ipso erant, nihil veritus sumptuum magnitudinem; *quarto*, ipsemet Laban camelos destravit, aquam lavandis pedibus attulit, mensam paravit, etc. Vide hic quanta fuerit priscorum hospitalitas. *Quinto*, cum audisset rem ut erat gesta, non contradixit, sed intulit : « A Domino egressus est sermo, » quo rem hanc non casui aut fortunæ; sed divinæ ordinationi adscripsit; *sexto*, ipse et Bathuel parens non cogunt puellam, sed inquirunt ejus voluntatem; *septimo*, cum vident servum festinare, non retinent eam, sed sinunt abire, adduntque nutricem ejus, ut haberet quæ ipsam curaret et instrueret; *octavo*, bene precatur sorori. Vers. 29. Laban speculum patrumfamilias octuplex.

30. CUMQUE VIDISSET, — postquam viderat et audierat. Est Hebraismus, quem Vatablus clare explicat ita vertens, *viderat enim inaures, audieratque verba Rebeccæ.* Vers. 30.

31. INGREDERE, BENEDICTE DOMINI. — Id est, benedicte a Domino, qui scilicet es in Dei gratia, cuique Deus favet, quemque prosperat, atque ut favere et prosperare pergat, oramus et optamus. Vers. 31.

PRÆPARAVI DOMUM, — curavi præparari domum, mandavi famulis, ut præpararent tibi hospitium (3).

35. BENEDIXIT DOMINO MEO VALDE, — insigniter ditavit eum. Vers. 35.

36. DEDITQUE ILLI OMNIA, — dare decrevit; destinavit dare illi omnia, quasi unigenito suo; necdum enim Abraham possessione bonorum se abdicarat, necdum ea in Isaac transtulerat. Vox ergo « dedit, » significat actum non completum, sed inchoatum et destinatum, uti et vox « præparavi, » vers. 35. Vers. 36.

40. IN CUJUS CONSPECTU AMBULO, — quem quasi præsentem intueor, et revereor, et colo. Sic in conspectu Dei, sive coram Deo, et cum Deo ambulavit Henoch, cap. V, vers. 22, et Noe, cap. VI, vers. 9 : vide ibi dicta, *q. d.* Quia ego Deum ita colo, hinc vicissim Deus mittet angelum suum, ut me meaque per te dirigat et prosperet. Vers. 40.

41. INNOCENS ERIS A MALEDICTIONE, — absolutus eris tuo juramento execratorio, et consequenter a maledictione et pœna quam tibi jurando imprecatus es, casu quo illud violares, dicendo de more : « Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat, » si non fecero jussa Abrahæ heri mei. Vers. 41.

47. SUSPENDI, — dedi ut suspenderet; patet vers. 30. Vers. 47.

(1) Vers. 16. בתולה est puella quæ sua בתולים, id est, signum physicum virginitatis, servavit. Additur hic *et incognita viro*, ut sit vere עלמה, id est, specie et re virgo. Cf. Drach, *De l'Harmonie entre l'Eglise et la Syn.* t. II, p. 131-2.

Vers. 20. *Canalibus*, Hebr. שקת, scil. lapis excavatus, e quo cameli biberent.

(2) נזם, quod Hieronymus *inaures* vertit, significat *nasi annulum*. Cf. *Ezech.* XVI, 12. Solebant enim Orientales mulieres, et adhuc hodie solent, nares perforare, e quibus annuli aut gemmæ pendent. Ita Rosenmullerus. Juxta de Saulcy, *Histoire de l'Art Judaïque*, p. 12, נזם est globulus aureus, gemma quadam, turchoide ut plurimum, ornatus, quem mulieres in una e naribus insertum gerebant. Addit de Saulcy, hunc morem adhuc vigere inter mulierculas Damasci vicinarumque regionum. Cæterum, accuratior videtur ordo vers. 47 memoratus. Nam vix credibile est, Rebeccam prorsus ignotam tantis muneribus ab Abrahami servo donatam fuisse.

(3) Ad marginem ויושם, significatione eadem, legi præcipitur. Sed τὸ *chetib* a radice minus usitata ישם deducitur, significatu haud diversa a שום.

Vers. 49. 49. SI FACITIS MISERICORDIAM ET VERITATEM. — Quid misericordia et veritas? Nota : His duobus Scriptura complectitur omne officium virtutis: omne enim vel indebitum et liberale est, et est misericordia ; vel præceptum est et debitum, sive ex justitia, sive ex pietate, sive ex alia virtute, et vocatur veritas; hic ergo veritas, est pietas quam parentes Rebeccæ debebant cognato suo, imo patruo Abrahamo. Ita Oleaster.

Aliter Cajetanus : Veritas, inquit, hic est verificatio, *q. d.* Si verificare vultis, veraque ostendere et efficere tot signa divinæ voluntatis, quibus Deus ostendit se velle Rebeccam Isaaco tradi.

UT VADAM AD DEXTERAM, SIVE AD SINISTRAM. — Est hebraismus, *q. d.* Ut sciam qua via mihi eundum sit, quid mihi agendum sit; utrum hic sistere, an alio pergere debeam : poterat enim ex aliis filiis Nachor (habuit enim undecim, ut patet cap. XXII, 21) uxorem petere Isaaco, idque fecisset, si in Rebecca repulsam tulisset.

Vers. 50. 50. RESPONDERUNTQUE LABAN ET BATHUEL. — Laban frater erat Rebeccæ, ac proinde filius Bathuelis, sed qui patre senescente videtur familiam administrasse; unde hic passim pro patre loquitur, et matrimonium Rebeccæ cum Isaaco conficit. Sapienter S. Ambrosius : Rebecca, ait, « judicium exspectat parentum; non est enim virginalis pudoris eligere maritum. » Unde et Andromacha apud Euripidem : « Sponsalium, inquit, meorum pater meus curam subibit; hoc enim non est meum (1). »

A DOMINO EGRESSUS EST SERMO; — hoc negotium divino nutu geritur; hæc est voluntas Dei, ut Rebeccam tradamus Isaaco.

Vers. 51. 51. SICUT LOCUTUS EST DOMINUS, — non voce, sed signo, quo voluntatem suam ostendit vers. 14. Ita S. Augustinus, Quæst. LXVII.

Vers. 52. 52. PUER, — servus.

Vers. 57. 57. QUÆRAMUS IPSIUS VOLUNTATEM, — non de nuptiis cum Isaaco : in has enim Rebeccam jam ante consensisse colligitur ex vers. 51, 53, 54 et 55; sed de subito abitu a parentibus, et profectione in Chanaan ad Isaacum. Ita S. Ambrosius (2).

Allegorice S. Ambrosius : Rebecca, ait, repræsentat Ecclesiam e gentilismo vocatam a Christo ad connubium : « Quæ vocata non fecit moram, et ideo acceptior Domino; quia populus Judæorum, qui erat ad cœnam vocatus, dignus non fuit venire; congregatio autem gentium simul ut accersiri se vidit, occurrit. Cum veheretur camelo, venit ad maritum, eo quod populus nationum belluina quadam horridus meritorum deformitate, qui formæ suæ nullum habebat decorem, fidem esset atque sensum Ecclesiæ recepturus. »

62. PER VIAM, — per desertum, scilicet Sur, in quo, utpote vicino, solus Isaac meditaturus inambulare solebat (3). Solitudo enim aptissima est orationi, æque ac speculationi et contemplationi. Sciverunt id Gentiles. Plato, post longam peregrinationem Athenas reversus, secessit in locum suburbanum, arboribus umbrosum, qui ab Academo possessore dictus est Academia, ibique philosophatus est et gymnasium erexit. Vers. 62.

Cicero sæpe a negotiis et urbe secedebat in rus; ibique philosophabatur. Testis est ipse, lib. III *Offic.*

Poetæ olim recipiebant se in avios montes, ibique in solitudinis recessu carmina pangebant. Ita Hesiodus canit se poeticem a Musis didicisse, sed in monte Helicone, dum agnos pasceret, indicans solitudinem esse ingenii suscitabulum; nimirum «carmina secessum scribentis et otia quærunt. »

Euripides in insula Salamine tragœdias suas scripsit, in spelunca tetra et horrida, quam Aulus Gellius se vidisse scribit.

Horatius negat se Romæ poemata pangere posse.

E fidelibus, Elias, Elisæus, Joannes Baptista, Hieronymus, Basilius, Nazianzenus plurimique alii in eremum secesserunt, ibique sapientiæ et contemplationi vacarunt; idque exemplo Christi, qui noctu oraturus secedebat in montes, uti in Thabor in transfiguratione, et in hortum tempore passionis.

Vidimus hic autographum Thomæ a Kempis *De Imit. Christi,* in cujus initio hæc legebatur sententia: « In omnibus requiem quæsivi, et non inveni, » *dan in een hoecxken met een boecxken,* id est « nisi sensim sedens in angulo cum libello. » Hoc est quod magnus ille Arsenius eremita dicebat: « Non possum simul cum Deo et hominibus habitare. »

AD PUTEUM, — de quo cap. XVI, vers. 14, et cap. seq., vers. 11.

IN TERRA AUSTRALI — Chananææ, scilicet non longe a Bersabee.

AD MEDITANDUM. — Septuaginta vertunt, ἀδολεσχῆσαι, id est, ad se exercendum, puta ad faciendum spirituale exercitium meditationis; ἀδολεσχῆσαι enim significat, magno studio et solertia alicui rei esse intentum, ait Procopius, estque animi cum delectatione studiosissime cogitantis et meditantis, inquit S. Augustinus. Meditabatur ergo hic Isaac, tum res naturales, uti motus et cursus siderum, eorumque auctorem et motorem Deum. Ita Hebræi, Lyranus et Tostatus; nam, ut ait Pe- Vers. 63. Meditatio Isaaci.

(1) Videtur illis temporibus moris fuisse, ut in matrimoniis virginum fratres potius, aut æquo consulerentur, ac parentes, et ut omnino fratres sororum suarum tuendarum jus haberent. Conf. infra XXXIV, 13; *Jud.* XXI, 22. Arvieux narrat, Arabes uxorum suarum læsum honorem non tam ægre ferre, quam sororum. Sequitur: *Non possumus loqui ad te bonum aut malum,* id est, contradicere tibi omnino non possumus. Nam *bonum* et *malum* omnia complectuntur; itaque eodem hæc recidunt, ac si dicerent, se nihil habere, quod reponerent petitioni ejus, se plane quod petiit probare.

(2) Hebræa habent, *et rogemus os ejus,* sciscitemur ex ea, quo sit animo.

(3) Pro *deambulabat,* in hebr. est, *veniebat a veniendo,* ut Galli dicunt, *venait d'arriver.*

riander : « Sapientis vita est meditatio; » et : « Docto cogitare est vivere. » Ita Carneades cogitationibus quasi alebatur. Hinc sapiens nihil miratur, pueri ad omnia obstupescunt; illi enim omnia prævisa et præmeditata sunt, his nihil. Tum potius meditabatur Isaac res cœlestes et divinas. Ita S. Ambrosius, lib. *De Isaac*, cap. I : « Sapientis enim est, inquit, segregare se a voluptatibus carnis, elevare animam, atque a corpore abducere. Hoc est enim se hominem cognoscere. » Pergit S. Ambrosius toto libro, sub typo Isaac describere progressum animæ sanctæ, quæ ad spiritale cum Christo connubium aspirat. Unde Chaldæus vertit, *exierat ad orandum*. Hinc Alcuinus docet Isaac hic fuisse typum Christi, qui vespere et noctu oraturus secessit in montem. Perperam Aquila et Symmachus vertunt : *Isaac exiit ad confabulandum in agro*, puta cum suis rusticis et operariis.

Vers. 64. 64. REBECCA QUOQUE CONSPECTO ISAAC DESCENDIT, — suspicata nimirum id quod erat, hunc esse Isaac maritum suum, se ex camelo in terram demisit, honoris sponso suo deferendi causa.

Secundo et melius dicemus, hic esse hysteronproteron; prius enim videtur Rebecca rogasse servum, quis esset ille qui illis occurrebat, eumque respondisse, esse Isaac; ac tum demum e camelo in terram desiliisse Rebeccam.

Vers. 65. 65. PALLIUM, — ut eo quasi flammeo honestatis et pudoris causa, nova nupta coram sponso suo se tegeret et obnuberet. Vide dicta capite XX, vers. 16.

Vide hic novæ sponsæ Rebeccæ verecundiam. « Considera, inquit S. Chrysostomus, *homil.* 48, quomodo nusquam superflua illa et inutilia, nusquam diabolica pompa, nusquam cymbala, et tibiæ, et choreæ, et satanica illa convivia et scommata omni obscenitate plena; sed omnis honestas, omnis sapientia, omnis bonitas, » etc.; et S. Ambrosius : Rebecca videns Isaac, ait, « Descendit, et caput suum pallio obnubere cœpit, docens verecundiam nuptiis præire debere. Inde enim et nuptiæ dictæ, quod pudoris gratia puellæ se obnuberent. Discite ergo virgines quemadmodum servetis verecundiam, ne intecto capite prodeatis ante extraneos, cum Rebecca jam desponsata designatum maritum aperto capite non putaverit videndum. »

Vers. 67. 67. IN TABERNACULUM SARÆ. — Triennio post mortem Saræ, duxit Isaac Rebeccam, ut patet ex dictis cap. hujus vers. 1; hinc patet seorsim a viris habitasse uxores, ut dixi vers. 28.

Notat Nannius in *Cant.* III, sponsam olim ductam fuisse in tabernaculum vel cubiculum socrus suæ, ut significaretur quod novella sponsa esset futura materfamilias, ex qua liberorum, successionis, et familiæ filum produceretur et propagaretur; quodque ipsa in pari honore et gradu futura esset apud domesticos, quam fuerat sponsi mater. Quare sponsa ipsa rem similem sponso (quo firmior sit charitas) se facturam vicissim pollicetur, dicens, *Cant.* III, vers. 4 : « Introducam illum in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ, » *q. d.* Sponsus me loco matris suæ habebit, inducetque in ejus cubiculum et locum. « Propter hoc *enim* relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ; » vicissim ego sponsa illum parentum loco habebo, et introducam in locum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ.

Allegorice, Abraham Deum Patrem significat, Isaac Christum, Rebecca Ecclesiam, imo quamvis fidelem animam, servus Abrahæ Apostolos. Attende quid hæ quatuor personæ hoc capite gesserint, et videbis quid ad salutem nostram fecerit Deus Pater, quid Christus, quid Apostoli, et quid nobis faciendum sit. Allegori totius capitis.

Primo ergo, sicut Abraham unicum habuit filium, cui omnia sua dedit : sic et Deus Pater, etc.; *secundo*, Abraham non vult filium suum solum esse, sed cogitat ei uxorem dare, ut filios procreet : sic Deus Pater vult Christum jungi Ecclesiæ, aitque ei : « Postula a me, et dabo tibi Gentes hæreditatem, » etc.; *tertio*, Abraham primus facit mentionem nuptiarum, ipse servum mittit, alioqui non iturum; ipse uxorem vocari facit, alioqui ex se non venturam : sic Deus auctor est et principium salutis nostræ, alioqui ad Christum nunquam venissemus : ipse Prophetas et Apostolos misit, qui nos vocarent; *quarto*, Abraham non per se, sed per servum seniorem et fidelissimum hoc executus est : sic et Deus oves et sponsam suam committit pastoribus fidelissimis. Hinc Petro ter dicit : « Diligis me plus his? pasce oves meas; » *quinto*, Abraham servum adjurat : sic Deus prædicatoribus prædicandi officium sub gravi pœna injungit : « Væ mihi, si non evangelizavero! » ait S. Paulus 1 *Corinth.* IX, et *Ezech.* III, Deus sanguinem pereuntium de manu speculatorum requirit; *sexto*, Abraham filio cupit uxorem, sed quæ ejusdem sit sanguinis, eisdem moribus prædita quibus Isaac : sic Deus sanctam vult habere Ecclesiam, quæ Filio suo sit honori, non pudori. « Sancti, inquit, estote, quia ego sanctus sum. » Primo, Abraham est Deus Pater ob sex analogias. Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta.

Secundo, in Isaac videmus quid Christus tempore suæ desponsationis fecerit. *Primo*, Isaac egressus fuerat in agrum, Christus in mundum; *secundo*, Isaac vespere egressus est : Christus venit in ultima ætate mundi; *tertio*, Isaac tunc habitabat in parte Australi : Christus veniens ab Aquilone frigido, qui judicium designat, convertit se ad Austrum misericordiæ; *quarto*, Isaac deambulabat ad puteum Viventis et Videntis. Vivens et Videns Deus est; ipsius enim oculis omnia nuda sunt et aperta. Fons hujus Viventis et Videntis est S. Scriptura. Via ad fontem est humilitas passionis; per hanc viam deambulabat Christus in sua peregrinatione, nunc hanc, nunc illam Scripturam implens, donec impletis omnibus diceret : Secundo, Isaac est Christus ob octo analogias. Prima. Secunda. Tertia. Quarta.

Quinta. « Consummatum est; » *quinto*, Isaac sponsæ venienti occurrit: et Christus omnibus ad se venientibus per gratiam occurrit, ut patet in Zachæo et
Sexta. filio prodigo; *sexto*, Isaac Rebeccam in uxorem accepit, non in famulam : sic et Christus Ecclesiam;
Septima. *septimo*, Isaac Rebeccam induxit in tabernaculum Saræ matris : Christus Ecclesiam gentium induxit in locum Synagogæ Judæorum, ex quibus
Octava. progenitus erat; *octavo*, Isaac ita dilexit Rebeccam, ut dolorem ex morte matris temperaret : sic et Christus, videns civitatem, flevit super eam; sed adeptus Ecclesiam gentium dolorem temperavit.

Tertio, servus sunt Apostoli ob tredecim analogias. Prima. *Tertio*, in servo Abrahæ describitur officium Apostolorum et prædicatorum. *Primo*, servus jussu heri exiit ut quæreret sponsam, nesciens quam et qualem, sed Domino commisit effectum et successum rei : sic Apostoli egressi prædicaverunt ubique, cum nescirent qui crediturі essent : ipsi spargebant semen, Domino committebant
Secunda. fructum; *secundo*, servus tulit secum de omnibus bonis heri, quibus puellam ornaret : sic Apostoli non venerunt vacui, sed magna munera attulerunt, scilicet gratiam, pacem, miracula, sanctitatem
Tertia. vitæ et morum, etc.; *tertio*, servus Abrahæ ad fontem stat, et deliberat quæ puella eligenda sit : sic Apostoli non projecerunt margaritas ante porcos; sed iis prædicarunt, ex quibus majorem sperabant fructum; nec obstinatos et indignos baptizarunt aut reconciliarunt, sed pœnitentes et
Quarta. apte dispositos; *quarto*, servus non it nisi missus : sic et veri Apostoli, de erronibus enim dicitur : « Ipsi currebant, et ego non mittebam eos; »
Quinta. *quinto*, servus antequam rem aggrediatur, orat : sic et Apostoli, prædicatio enim sine oratione
Sexta. prævia nullum fructum facit; *sexto*, servus mox ut suum officium fecit, invenit virginem quam quærebat : sic et Apostolis Deus cooperatus est, ut apud quaslibet gentes invenirent qui eos reci-
Septima. perent et crederent; *septimo*, servus potum petit a virgine; sitis Apostolorum est desiderium salutis hominum : huic potum præstant, qui eorum
Octava. verba audiunt, et opere explent; *octavo*, servus cum videret juxta votum suum virginem facere, gratias egit Deo : sic et Paulus ubique gratias egit
Nona. Deo pro gentium conversione; *nono*, servus dat sponsæ ornamenta aurium et manuum : Apostoli ornant Ecclesiam, ut habeat aures ornatas per fidem, manus per bona opera. Pharisæi tantum ornabant manus, hoc est, tantum docebant opera legalia; Simon et hæretici tantum ornant aures, id est, tantum prædicant fidem, quæ est ex auditu : verum neutrum sufficit; *decimo*, servus vir- Decima.
gini in conjugium consentienti majora munera dat : sic et fidelibus majora dona Spiritus Sancti subministrantur; *undecimo*, servus, confecto ne- Undecima.
gotio, mox redit, quia tantum rem heri curat : sic fecerunt Apostoli, sic faciant omnes prædicatores; *duodecimo*, servus virginem e domo patris Duodecima.
educit ad domum Abrahæ : sic et Apostoli animas e gentilismo adduxerunt ad Ecclesiam; *decimo-* Decima-
tertio, servus non sibi adducit sponsam, sed do- tertia.
mino : sic et Paulus fecit, dicens : « Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo. »

Quarto, Rebecca ostendit mores Ecclesiæ et fi- Quarto, Rebecca
delis animæ. *Primo*, Rebecca hebraice est idem est anima
quod saginata, impinguata : quia maritum habet ob decem
Isaac, id est risum, puta Christum, qui est ani- analo-
mæ gaudium; *secundo*, Rebecca virgo erat : et gias.
Christus virginem vult habere sponsam, ab omni Prima.
amore carnis et mundi puram; vide dicta II *Cor.* Secunda.
cap. XI, 2; *tertio*, Rebecca in labore invenitur : Tertia.
Christus non vult habere otiosos; *quarto*, Rebecca Quarta.
charitatem ostendit servo Abrahæ : et Christus
charitatem ab anima fideli exigit; *quinto*, Rebecca Quinta.
servo Abrahæ hospitium et victum offert : sic fideles facere debent prædicatoribus; *sexto*, Re- Sexta.
becca, omnibus relictis, sequitur servum Abrahæ : sic facit et fidelis; *septimo*, Rebecca secum Septima.
ducit puellas : sic et fidelis familiam suam; *oc-* Octava.
tavo, Rebecca appropinquans ad Isaac descendit de camelo : sic fidelis humiliatur accedens ad Christum, atque cum pudore et pœnitentia relinquit quidquid tortuosum erat et superbum; *nono*, Rebecca videns Isaac, statim operuit se : Nona.
sic fidelis quo magis Christum agnoscit, eo magis erubescit de præterita vita, *Roman.* VI : « Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? » *decimo*, Rebecca perpetuo manet Decima.
cum Isaac, non revertitur ad domum patris sui : sic fidelis qui perseveraverit cum Christo usque in finem, hic salvus erit. Ita S. Gregorius, lib. XXXV *Moralium* cap. XVII; Eucherius, lib. II *in Genes.* cap. XL; Ferus et alii.

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Abraham ex Cetura suscipit sex proles, et moritur. Secundo, vers. 12, recensentur Ismaelis proles et obitus. Tertio, vers. 20, Rebecca parit Isaaco Jacob et Esau; quorum minor præfertur a Deo majori. Quarto, vers. 29, Esau ob pulmentum vendit primogenituram Jacobo.

1. Abraham vero aliam duxit uxorem nomine Ceturam : 2. quæ peperit ei Zamram, et Jecsan, et Madan, et Madian, et Jesboc, et Sue. 3. Jecsan quoque genuit Saba, et Dadan. Filii Dadan fuerunt Assurim, et Latusim, et Loomim. 4. At vero ex Madian ortus est Epha, et Opher, et Henoch, et Abida, et Eldaa : omnes hi filii Ceturæ. 5. Deditque Abraham cuncta quæ possederat, Isaac : 6. filiis autem concubinarum largitus est munera, et separavit eos ab Isaac filio suo, dum adhuc ipse viveret, ad plagam Orientalem. 7. Fuerunt autem dies vitæ Abrahæ, centum septuaginta quinque anni. 8. Et deficiens mortuus est in senectute bona, provectæque ætatis, et plenus dierum : congregatusque est ad populum suum. 9. Et sepelierunt eum Isaac et Ismael filii sui in spelunca duplici, quæ sita est in agro Ephron filii Seor Hethæi, e regione Mambre, 10. quem emerat a filiis Heth : ibi sepultus est ipse, et Sara uxor ejus. 11. Et post obitum illius benedixit Deus Isaac filio ejus, qui habitabat juxta puteum nomine Viventis et Videntis. 12. Hæ sunt generationes Ismael filii Abrahæ, quem peperit ei Agar Ægyptia, famula Saræ : 13. et hæc nomina filiorum ejus in vocabulis et generationibus suis. Primogenitus Ismaelis Nabaioth, deinde Cedar, et Adbeel, et Mabsam, 14. Masma quoque, et Duma, et Massa, 15. Hadar, et Thema, et Jethur, et Naphis, et Cedma. 16. Isti sunt filii Ismaelis : et hæc nomina per castella et oppida eorum, duodecim principes tribuum suarum. 17. Et facti sunt anni vitæ Ismaelis centum triginta septem, deficiensque mortuus est, et appositus ad populum suum. 18. Habitavit autem ab Hevila usque Sur, quæ respicit Ægyptum introeuntibus Assyrios; coram cunctis fratribus suis obiit. 19. Hæ quoque sunt generationes Isaac filii Abraham : Abraham genuit Isaac. 20. Qui cum quadraginta esset annorum, duxit uxorem Rebeccam filiam Bathuelis Syri de Mesopotamia, sororem Laban. 21. Deprecatusque est Isaac Dominum pro uxore sua, eo quod esset sterilis : qui exaudivit eum, et dedit conceptum Rebeccæ. 22. Sed collidebantur in utero ejus parvuli, quæ ait : Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere? Perrexitque ut consuleret Dominum. 23. Qui respondens, ait : Duæ gentes sunt in utero tuo, et duo populi ex ventre tuo dividentur, populusque populum superabit, et major serviet minori. 24. Jam tempus pariendi advenerat, et ecce gemini in utero ejus reperti sunt. 25. Qui prior egressus est, rufus erat, et totus in morem pellis hispidus : vocatumque est nomen ejus Esau. Protinus alter egrediens, plantam fratris tenebat manu : et idcirco appellavit eum Jacob. 26. Sexagenarius erat Isaac, quando nati sunt ei parvuli. 27. Quibus adultis, factus est Esau vir gnarus venandi, et homo agricola; Jacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis. 28. Isaac amabat Esau, eo quod de venationibus illius vesceretur : et Rebecca diligebat Jacob. 29. Coxit autem Jacob pulmentum : ad quem cum venisset Esau de agro lassus, 30. ait : Da mihi de coctione hac rufa : quia oppido lassus sum. Quam ob causam vocatum est nomen ejus Edom. 31. Cui dixit Jacob : Vende mihi primogenita tua. 32. Ille respondit : En morior, quid mihi proderunt primogenita? 33. Ait Jacob : Jura ergo mihi. Juravit ei Esau, et vendidit primo-

genita. 34. Et sic accepto pane et lentis edulio, comedit, et bibit, et abiit, parvipendens quod primogenita vendidisset.

Vers. 1. 1. ABRAHAM VERO ALIAM DUXIT UXOREM. — Mortua erat Sara, Agar jussu Dei dimissa, forte etiam mortua : ergo Abraham aliam et tertiam duxit uxorem, ut ex eo semen inter gentes quoque multiplicaretur. Factum id postquam Isaac duxisset Rebeccam (de quo cap. præced.), ac consequenter post annum Abrahæ 140.

Allegorice, filii Agar sunt Pagani et infideles, filii Ceturæ sunt hæretici, qui filios Isaaci, id est fideles et Catholicos, persequuntur. Ita Origenes, et S. Augustinus, Quæst. LXX.

NOMINE CETURAM. — Hebræi, Lyranus et Thomas Anglicus putant hanc eamdem esse cum Agar, quæ dicta sit קטורה *Cetura*, id est thurificata, quod ejecta ex domo Abrahæ, pudicitiæ, orationi et cultui Dei, cujus symbolum est thus et thurificatio, se dederit. Adduntque quod Abraham, mortua Sara, miserit Isaacum ad reducendam Agar, sive Ceturam. Verum hæc sunt commenta Judæorum, quæ fuse confutat Abulensis et Cajetanus. Videtur tam Cetura, quam Agar, fuisse ancilla, sive serva Abrahæ; nam si fuissent ingenuæ, non vocarentur concubinæ vers. 6.

Cetura idem quod thurificata.

Ceturam ducit Abraham anno ætatis 137.

Nota : Abraham duxit Ceturam post mortem Saræ, quæ mortua est anno ætatis suæ 127, cum Abraham esset 137 annorum. Tot ergo annorum existens duxit Ceturam, et ex ea sex proles suscitavit; erat enim Cetura vivida et fecunda. Adde, Deus, qui Abrahæ vim generandi ex Sara supra naturam dedit, adjuvit quoque vim generandi ejusdem ex Cetura, et quod ei deerat supplevit.

Vers. 2. 2. MADIAN. — Ex quo orti sunt Madianitæ : hi ergo sunt posteri Abrahæ ex Cetura, nobis cogniti; cæteri incogniti sunt. Tradit tamen Josephus eos incoluisse Arabiam Felicem, usque ad mare Rubrum.

Vers. 3. 3. FILII DADAN FUERUNT ASSURIM, ET LATUSIM, ET LOOMIM. — Sunt ista nomina gentium et populorum, qui originem traxerunt a filiis Dadan. Ita Vatablus, et patet ex Hebræo. Forte ita dicti sunt ab artificio cujusque; nam *Assurim*, teste S. Hieronymo, significat negotiatores; *Latussim*, fabros ferri et æris; *Loomim*, multarum tribuum ac populorum, supple, possessores, vel rectores. Chaldæus vertit, *habitantes in castris, in tabernaculis et in insulis.*

Vers. 4. Afer nomen dedit Africæ.

4. OPHER. — Hujus filius Afer nomen dedit Africæ urbi et regioni, uti ex Alexandro Polyhistore, et Cleomede docet Josephus; quanquam alii apud Solinum, Africam dictam velint ab Afro, Libys et Herculis filio. Putant aliqui ab his filiis Ceturæ ortos esse Brachmanas, qui sunt sapientes et quasi Religiosi Indorum, dictosque esse Brachmannos; quasi Abrahamannos; unde et Brachmanæ colunt quemdam Perabrammam, quasi deorum antiquissimum, qui videtur esse primus ipsorum parens Abraham. Hæ plausibiles sunt conjecturæ, sed incertæ.

Vers. 6. 6. FILIUS AUTEM CONCUBINARUM — Agar et Ceturæ. Hinc patet Abraham non neglexisse Agar et Ismaelem, etiamsi a se dimissos; sed eis subinde munera misisse.

Nota concubinas has fuisse veras uxores (ita enim vocantur vers. 1 et alibi), sed ignobiliores et fere servas. Unde primaria uxor erat et dicebatur domina. Sic Abraham Jeschæ cap. XI, 29, dedit nomen Sarai, id est princeps vel domina mea. Hæc primaria uxor ducebatur præmissis sponsalibus, dote dicta et solemni ritu, eratque materfamilias, et bonorum omnium cum marito consors, atque gubernatrix domus, ejus denique filius erat hæres patris. Nil tale communiter et ordinarie habebant concubinæ; sed fere manebant servæ, et servilis conditionis. Ita Pererius et alii.

Quæ uxor, quæ concubina?

MUNERA. — Aurum, argentum, vestes, pecora, etc.

SEPARAVIT, — ne cum Isaaco contenderent, eumque in terræ promissæ possessione turbarent. Rursum ne posteri eorum sua idololatria et vitiis Isacidas inficerent.

AD PLAGAM ORIENTALEM. — Nota : Posteri Ismael proxime contingebant posteros Isaac, Orientem versus. Nati vero ex Cetura post Ismaelitas ulterius ad Orientem habitarunt, ideoque hi semper in Scriptura vocantur *filii Orientis*, quorum crebra est mentio. Vide Ariam in lib. *Chanaan* cap. III et IV.

Filii Orientis qui?

Vers. 8. 8. ET DEFICIENS, *q. d.* Abraham non morbo, non vi aliqua extrinsecus illata, sed præ senio, deficiente naturali humore, calore et viribus, mortuus est.

MORTUUS EST. — Mortuus est Abraham post mortem Thare patris sui anno 40, post matrimonium Isaaci (quod contigit anno Abrahæ 140, Isaaci 40) anno 35, cum Esau et Jacob, ex Isaaco sexagenario geniti, jam essent 15 annorum. Licet enim nativitatem Jacob et Esau, in sequentibus hoc cap. post mortem Abrahæ, narret Moses, tamen ea ante contigit. Voluit enim Moses omnia Abrahæ gesta, vitam et mortem simul percensere, ac deinde gesta Isaaci ac Jacobi sigillatim ordine prosequi. Quædam ergo hic conjunguntur, licet posterius sint gesta, quæ eodem pertinent, per anticipationem; eademque de causa alia postponuntur, licet prius sint gesta, per hysterologiam.

Nota : Natus est Abraham anno post diluvium 292; vixit autem annos 175; mortuus est ergo anno post diluvium 467. Noe vero mortuus est anno post diluvium 350, cum Abraham esset 58 annorum. Sem vero filius Noe, qui fuit nonus

Chronologia vitæ Abraham.

avus Abrahæ, vixit post diluvium annos 502; Sem ergo 35 annos supervixit Abrahæ. Heber vero, sextus avus Abrahæ, obiit anno 561 post diluvium; ergo 94 annis supervixit Abrahæ suo sexto abnepoti. Mortuus est itaque Heber anno 109 vitæ Jacobi, sicut Sem mortuus est cum Jacob esset 50 annorum.

Sem et Heber vixerunt post mortem Abrahæ.

Nota *secundo*: Obiit Abraham anno mundi 2123, cum Ismael esset 89 annorum, Isaac vero 75, viditque filios tam Isaaci duos, quam Ismaelis duodecim, totidem populorum principes. Filii Ceturæ tunc circiter erant 30 annorum. Ceturam enim duxit Abraham paulo post annum ætatis suæ 140, uti dixi.

Nota *tertio*: A morte Abraham usque ad descensum Jacobi in Ægyptum, qui contigit anno ætatis Jacobi 130, fluxerunt anni 115; a morte vero Abrahæ usque ad egressum Mosis et Hebræorum ex Ægypto, fluxerunt anni 330. Cum ergo Moses tunc, in egressu Hebræorum ex Ægypto, esset octogenarius; hinc sequitur eum natum esse 250 annis post mortem Abrahæ.

Periodus vitæ Abrahæ.

Nota *quarto*: Hæc est periodus vitæ Abrahæ. Abraham anno ætatis suæ 75 ex Chaldæa a Deo evocatus, profectus est in Haran; anno ætatis 85 duxit Agar, et 86 natus est ei Ismael; anno 99 fuit circumcisus; eodem anno igne cœlesti cremata est Sodoma; anno 100 nascitur ei Isaac; anno 105 ablactatur Isaac, et Ismael domo ejicitur; anno 125 contigit immolatio Isaac; anno 135 moritur Thare; anno 137 moritur Sara; anno 140 Isaaco uxorem dat Rebeccam; anno 160 ex Isaac nati sunt ei nepotes, Jacob et Esau; anno 175 moritur Abraham.

IN SENECTUTE BONA, — mature et tempore suo, sive spectes ætatem, sive gratiam; ætatem, quia decrepitus, et sine ægritudine; gratiam, quia plenus meritis decessit. Nam, ut ait Philo libro *Quis divinarum rerum sit hæres*, recte dixit Propheta quidam: « Malle se unam diem cum virtute vivere, quam mille annos in umbra mortis, » puta in peccato et mala vita.

PLENUS DIERUM, — vivendi satur, ut habent Hebræa, et cupiens dissolvi.

Moraliter, de voto moriendi.

Questus est Aristoteles naturam animalibus quina aut dena sæcula ad vivendum indulsisse, homini ad tanta genito tanto citeriorem terminum stare. Verum fidelis novit illud : « Scio me ascendere ut descendam, virere ut arescam, ut senescam adolescere, vivere ut moriar, mori ut in æternum beer. » Volat ætas, inquit Cicero, et nihil omnino aliud est tempus hujus vitæ, quam cursus ad mortem, in quo, ut ait S. Augustinus, nemo vel paululum stare, vel paulo tardius ire permittitur. Sapiens ergo qui tota vita vivere, imo mori didicit, scit corpus hoc gravem esse sarcinam nobilium animarum, ideoque illud terræ, unde ei origo est, cupit restitui, pulveremque pulveri reddi, ut animus liber ad patres et ad angelos Deumque evolet.

Si Abraham satur vitæ optavit mortem, iturus ad limbum, quidni Christianus optet mortem, Martyr crucem pro Deo, iturus in cœlum? B. Thomas Morus capite plectendus, dum carnifex de more veniam peteret, osculum ei et angelottum aureum dedit, dicens : « Tu mihi hodie id beneficii præstabis, quod hactenus nemo mortalium præstitit aut præstare potuit. » Audi S. Theodoram accurrentem ad locum supplicii, et cum milite, qui mutatis vestibus eam e carcere, ne violaretur, liberarat, de martyrio contendentem : « Non ego te mortis vadem elegi, sed prædem pudoris optavi; in me lata est ista sententia, quæ pro me lata est. Moriar certe innocens, ne moriar nocens. Nihil hic medium: hodie ego aut rea tui sanguinis, aut martyr mei, » ut refert S. Ambrosius, lib. II *De Virgin.*

CONGREGATUS EST AD POPULUM SUUM, — *q. d.* Abraham mortalitatem, uti cæteri, exuit, ingressus est viam universæ carnis, atque a statu viventium hic transiit ad statum patrum, degentium in altera vita.

Quid est congregari ad populum suum?

Unde ex hac phrasi Theodoretus, Cajetanus, Lyranus et Pererius colligunt, *primo*, animam hominis esse immortalem (1); *secundo*, animas mortuorum non vivere solitarias, sed gregatim et socialiter, quasi in populo, sive in cœlo sint, sive in limbo, uti erant tempore Abrahæ; *tertio*, tam de malis, uti Roboam, Achaz et aliis, quam de bonis, dici : « Dormivit cum patribus suis; » sed fere de bonis tantum et justis, uti de Abraham, Isaac, Jacob, Mose, Aarone, dici : « Congregatus est ad populum suum. » *Quarto*, S. Augustinus, Quæst. CCLXVIII, Tostatus et Burgensis, per *populum* accipiunt societatem angelorum, ad quam congregatus sit Abraham aliique sancti patres. Verum simplicius et germanius Rupertus et alii, per *populum* accipiunt societatem justorum hominum, ad quam colliguntur justi morientes, sicuti de agris colligitur et congregatur matura messis in horreum. *Quinto*, notat Burgensis, in veteri Testamento legi : « Congregatus est ad populum suum, » id est, ad Heber, Noe, Abel, Seth, Adam, aliosque in limbo beatitudinem exspectantes; sed in novo Testamento, quo animæ puræ mox in cœlum avolant, dici : « Beati mortui qui in Domino moriuntur, etc. Euge, serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui. »

Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Quinto.

Epitaphium Abrahæ vide *Ecclesiastici* cap. XLIV, vers. 20., ubi sic ait : « Abraham magnus pater multitudinis gentium, et non est inventus similis illi in gloria, qui conservavit legem Excelsi, » etc.

Addit Burgensis ante Abraham neminem e patribus descendisse ad limbum; sed Adam, Abel, Seth, Enos, Noe omnesque ante Abraham justos

(1) De futuræ vitæ fide apud Israelitas, vide Breecheri libellum e germanica lingua in gallicam versum ab Isid. Cahen, hoc titulo, *Immortalité de l'âme chez les Juifs;* in primis autem opus egregium *La Vie future*, auctore H. Martin.

ivisse ad Purgatorium, ob sua venialia peccata quæ fecerant: quia, inquit, de iis dicitur quod mortui sint; de Abraham vero primo omnium dicitur, quod congregatus sit ad populum suum, puta in limbo.

Primum Abraham ivisse ad limbum, falsum est.

Verum hoc est improbabile. Abel enim obiit Martyr, ergo ivit ad limbum, non ad Purgatorium. Sic Noë fuit vir justus atque perfectus, imo cum Deo ambulavit. Iverunt ergo hi aliique ad limbum; non tamen dicuntur congregati ad populum suum, quia tunc necdum erat populus, et multitudo justorum in limbo; sed ipsi hunc populum morientes paulatim adunarunt et constituerunt. Cum enim occisus est Abel, nullus erat in limbo, sed ipse primus eo concessit.

Hic finitur tertia pars Geneseos, incipitque quarta et ultima, continens gesta Isaaci, Jacobi et Josephi.

Hic finitur tertia pars Geneseos, quæ est a nativitate Abrahæ usque ad mortem ejusdem, in qua et Pererius finit tertium suum tomum Comment. in Genesim.

11. BENEDIXIT ISAAC, —benefecit Isaaco, ditando eum (1).

14. MASMA QUOQUE, ET DUMA, ET MASSA. — Sunt nomina propria trium filiorum Ismaelis. Hebræi ea conjuncta proverbialiter usurpant, dicentes, *masma, duma, vemassa.* Quo volunt significare, multa audienda, tacenda et ferenda esse; quod Græci dicunt ἀνέχου καὶ ἀπέχου. *Masma* enim hebraice auditum significat, *duma* silentium, *massa* tolerantiam. Quod Itali dicunt: « Audi, vide, tace, si vis vivere in pace (2). »

Vers. 15. 15. THEMA. — A quo civitas et regio Theman, ad meridiem Idumææ, cujus rex fuit Eliphaz, amicus S. Job, qui inde Themanites dicitur (3).

Vers. 17. 17. APPOSITUS EST AD POPULUM SUUM. — Ex hac phrasi colligunt Hebræi, Ismaelem post lusum et vexationem Isaaci, cum domo Abrahæ ejectus esset, mentem et vitam mutasse, recte vixisse, ideoque salvatum esse. Vide dicta vers. 8.

Vers. 18. 18. HEVILA. — Regio est, non Indiæ, sed sita prope desertum Sur, inter Ægyptum, Assyriam et Palæstinam; de qua cap. II, vers. 11. Posteri ergo Ismael omnem illum tractum, qui a sinu Persico usque ad Assyriam protenditur, possederunt, quæ hodie putatur dici Cabana.

CORAM CUNCTIS FRATRIBUS, — quia Ismael inter suos fratres, medius habitavit; habebat enim ab Occidente Isaacum, ab Oriente filios Ceturæ.

CORAM CUNCTIS FRATRIBUS SUIS OBIIT. — Pro obiit, hebraice est נפל *naphal*, id est cecidit, *q. d.* Stantibus et viventibus, ac videntibus fratribus suis Ismael cecidit et obiit; idque nonnihil præmature, anno ætatis 137, cum alii parentes et fratres ejus diutius vixerint; Isaac enim vixit annos 180. Mortuus est Ismael post mortem Abrahæ anno 48: natus est enim anno Abrahæ 86. Abraham autem universim vixit annos 175. Alii sic exponunt, *cecidit*, scilicet sors ejus, *q. d.* Habitavit Ismael inter fratres suos, uti vertunt Septuaginta, Chaldæus et Arabicus (4). Verum nulla sortis hic fit mentio. Unde Pagninus vertit, *et mortuus est* (5).

Vers. 20. 20. BATHUELIS SYRI DE MESOPOTAMIA, — *q. d.* Bathuel erat Syrus, oriundus ex illa Syriæ parte, quæ Mesopotamia dicitur. Pro quo nota *primo*: Syrus hebraice dicitur ארמי *Arammi*, quasi dicas Armenius; et Syria vocatur *Aram*, quasi dicas Armenia. Videtur ergo ex hac voce Hebræa, quod Syria latissime, ut mox dicam, patens, olim dicta sit Armenia, ab Aram filio Sem, nepote Noe, *Genes.* X.

Syria dicta est Aram, id est Armenia.

Secundo, Syria apud priscos longe lateque patebat, ac multas regiones complectebatur, variis cognominationibus distinctas, ut patet II *Regum* cap. X, vers. 6 et 8.

Multiplex Syria.

Primo enim, regio in qua Damascus est sita, vocatur ארם דמשק *Aram Dammesec*, Syria Damasci.

Secundo, Syria in qua sita est Zoba, dicitur Aram, vel Syria Zoba. Est autem illa, quæ inter Libanum et Antilibanum jacet, et corrupto vocabulo Hebræo Zoba, Cava Syria, et a Græcis Cœle, ob demissam a declivitate montium planitiem (id quod Hebræis sonat Zoba), dicta est.

Tertio, ארם נהרים *Aram naharaim*, id est Syria duorum fluviorum, est Mesopotamia, quæ et interamnis dicitur, quia inter Euphratem et Tigrim sita est. Eadem dicitur ארם פדן *Aram padan*, quasi dicas, Syria campestris. *Padan* enim lingua Ismaelitica significat agrum, seu regionem campestrem (6). Unde et Italiæ fluvius nobilissimus, Padus dicitur, quia per planas regiones diu fluit. Sic Bathuel hic dicitur Syrus, quia Mesopotamius, puta oriundus ex Haran, urbe Mesopotamiæ.

Padus, id est campestris.

Quarto, est Syria Maacha; ita dicta est a Maacha, filio Nachor ex Roma uxore, *Gen.* cap. XXII, vers. ult.

(1) Vers. 13, pro *generationibus* alii vertunt, *secundum ordinem*, quo scil. singuli sint nati.

(2) « Hi (omnes Ismaelis filii) terram omnem ab Euphrate ad mare Rubrum pertingentem habitant, regionem *Nabatenam* appellantes. » Ita Josephus, *Archæol.* lib. I, cap. XII, § 4. Arrianus in *Periplo* regiam Nabathæorum *Petram* urbem esse narrat, quæ inter lacum Asphaltiten et sinum Arabicum sita sit.

(3) חצרים sunt *pagi portatiles* Nomadum, ait Rosenmullerus, tentoriis in orbem positis constantes, quos Tartarico vocabulo *Horde* dicere solemus. טירות *domus* pastoritiæ, in quibus sunt pabula, esse videntur. Videlicet Nomades, quales Ismaelitæ fuerunt, suos quidem greges per alta deserta sub dio pascebant, videntur tamen et aliquando casas cum stabulis habuisse, in quæ greges cogebantur, maxime quidem cum tonderentur, sed fortasse et securitatis causa.

(4) Ita et Rosenmullerus post Clericum. נפל enim, aiunt, non solet nisi de præmatura aut violenta morte usurpari; atqui, vers. 17, dicitur Ismael *deficiens mortuus esse.*

(5) Vers. 19. תולדת hic, ut supra IX, 6, et infra XXXVII, 2, non modo *generationem*, sed etiam historiam et narrationem de iis quæ evenerunt Isaaco, denotat.

(6) *Campos Mesopotamiæ* Curtius dicere solet, ut lib. III, 2, 3; cap. VIII, 1, etc.

Vers. 21. 21. DEPRECATUSQUE EST. — Hebraice est יעתר *iethar*, id est, multum et instanter precatus est, blanda et suavi prece amanter Deum demulcendo. Unde S. Chrysostomus censet Isaacum per 20 annos orasse pro sterilitate Rebeccæ tollenda, ac vigesimo demum anno id impetrasse; nam Isaac duxit Rebeccam anno ætatis suæ 40, ac demum anno 60 genuit ex ea Jacob et Esau. « Ut et nos, inquit ipse *homil.* 49, æmulantes justum, assidui simus in divinis precibus, si quando aliquid a Deo petierimus. Si enim justus ille ita virtute præditus, et tantam apud Deum gratiam habens, tantam præ se tulit constantiam et studium, continuo Deum orando, ita ut solveretur Rebeccæ sterilitas : quid dicemus nos, qui tantis peccatorum oneribus premimur; sed et si parvo tempore studium aliquod et diligentiam exhibuerimus, torpescimus et resilimus, nisi statim exaudiamur, » etc.

Isaac viginti annis oravit pro prole.

Sanctæ mulieres cur steriles?

Nota. Sanctas mulieres Saram et Rebeccam (uti et Rachel et Annam) Deus ad tempus steriles esse voluit, ut doceret nos semen illud benedictum, puta Christum, ex Sara et Rebecca (uti et viros sanctissimos, Josephum ex Rachele, Samuelem ex Anna) non naturæ viribus, sed ex mero Dei dono, per miraculum natum orbique datum esse. Ita S. Chrysostomus. Statuerat ergo Deus, ex Rebecca nasci Jacob et Christum, sed non nisi mediantibus causis secundis et obtinentibus id precibus Isaaci (1).

Vers. 22. 22. COLLIDEBANTUR IN UTERO EJUS PARVULI. — Septuaginta vertunt, ἔσκιρτων, quod S. Ambrosius vertit, *exultabant*; S. Augustinus, *gestiebant*; hebraice est, יתרצצו *iitrotsetsu* : quod S. Hieronymus vertit, *calcitrabant*; Aquila, *confringebantur*; Symmachus, διεπάλαιον, id est colluctabantur, quasi palæstritæ.

Jacob et Esau colluctabantur in utero de primogenitura.

Hi ergo pueri invicem quassabant, trudebant et coarctabant, dum uterque gestit et nititur prior utero matris exire ac nasci, ut sit primogenitus.

Nota : Hoc certamen, et hæc lucta parvulorum Jacob et Esau, non vi naturæ, sed Dei nutu facta est, ad præsagium, quod Jacob et Esau nati, inter se colluctarentur et concertarent de primogenitura et primatu, ut patet vers. 23. Unde Jacob tenuit plantam Esau, quasi eum supplantare volens ne prior ex utero egrederetur. Ita Rupertus : « Utriusque habitus, inquit, ostendit quis intus fuerit princeps duelli, videlicet Esau collisus a Jacob quasi fugere videtur, isque manu tenens pedem, insequentis ac terga devicta pulsantis schema præfert. » Additque allegorice hac lucta Jacob et Esau, significari luctam Christianorum cum Judæis.

Historia Scholastica, et S. Ambrosius, lib. IV *De Fide*, cap. IV, et S. Augustinus citatus a Dionysio Carthusiano (tamen hactenus in S. Augustino nihil tale reperi) putant hanc collisionem Jacob similem fuisse exultationi Joannis Baptistæ in utero matris, ac proinde tam Jacob, quam Joannem Baptistam in utero matris esse sanctificatos. Confirmant hoc ex eo quod Apostolus *Rom.* IX, asserit Deum dilexisse Jacob, priusquam boni quidquam egisset, et cum adhuc esset in utero matris suæ. Verum pari modo dicendum esset Esau esse sanctificatum in utero. Alia ergo fuit exultatio S. Joannis, alia collisio et colluctatio Jacob et Esau, alia quoque est mens Apostoli, uti dixi *Rom.* IX. Hæc ergo illorum sententia caret fundamento, et temere asseri videtur.

An Jacob sanctificatus sit in utero?

Ita virorum illustrium vita et facinora ostentis et præsagiis sæpe præsignificata sunt. Socrates vidit per somnum oloris pullum sibi in gremio plumescere, qui continuo exortis alis in altum evolans, suavissimos cantus edidit : hic scilicet erat Plato, Socratis discipulus, qui inter Philosophos sapientia et facundia emicuit. Unde postridie cum Plato Socrati a patre commendaretur : Hic est, inquit, cycnus quem vidi. Testis est Laertius in *Platone*.

S. Dominici mater gravida visa est sibi in quiete, continere in utero catulum ore præferentem facem, qua, editus in lucem, orbem terrarum incenderet. Quo somnio significabatur fore ut S. Dominicus splendore sanctitatis ac doctrinæ homines toto orbe inflammaret.

S. Thomas Aquinas adhuc infans chartam versans, imo comedens, significabat quam studiosus foret adultior factus.

Ex ore S. Ephrem pueri visa parentibus prodire vitis, quæ omnem circumcirca regionem repleret, significabat quantum se sparsura esset ejus doctrina et virtus.

PERREXITQUE UT CONSULERET DOMINUM — in monte Moria per Melchisedech. Ita Eusebius, Gennadius, Theodoretus et Diodorus. Sic et Chrysostomus *homil.* 50, ait Rebeccam per sacerdotem Deum consuluisse, et per eumdem responsum a Deo accepisse. Unde addit : « Vide quanta et tunc erat sacerdotum dignitas. »

Secundo, Paraphrastes Hierosolymitanus, et Hebræi vertunt : *Abiit ut peteret misericordiam in domo ubi concionabatur Sem.* Sem enim filius Noe adhuc vivebat : mortuus est enim cum Jacob annum ageret quinquagesimum. Porro putant Hebræi Melchisedech fuisse Sem : et sic hæc eorum expositio cum prima Eusebii coincideret.

Tertio, facillime et planissime Theodoretus, Diodorus et Procopius censent Rebeccam, animo consternatam ad vicinum et domesticum altare ivisse, ibique Deum orasse, qui per angelum respondit id quod sequitur : « Duæ gentes in utero tuo sunt, et major serviet minori. » Ex quo intellexit Rebecca, quod Jacob præferretur Esau, eique primogenituram et benedictionem paternam

(1) Loco *pro* uxore sua, hebr. est לנכח, id est *coram*, quod sic exponi potest, Isaacum et Rebeccam vel *simul* orasse, vel propter *eumdem* finem.

prærriperet; quod tamen maritum suum Isaacum celavit, ut mysterio prophetico locus daretur, de quo cap. XXVII, vers. 23.

Vers. 23. 23. DUÆ GENTES, — duo filii, qui erunt patres et capita duarum gentium, puta Judæorum et Idumæorum, sibi invicem adversantium. Vide *Amos* I, vers. 11.

Major serviet minori, id est Idumæi servient Judæis. MAJOR SERVIET MINORI. — Primogenitus Esau serviet minori Jacobo, non in sua persona (hoc enim nusquam factum legimus, imo potius Jacob submisit se Esau), sed in suis posteris. Judæi enim posteri Jacobi, soli quasi hæredes Abrahæ possederunt terram promissam Chanaan, et beneficiis Dei locupletati sunt, eisque servierunt Idumæi, posteri Esau, tempore Davidis et Salomonis, ut patet II *Regum* cap. VIII; et licet postea jugum excusserint, rursum tamen ab Hyrcano subjugati, circumcisionem receperunt, et in unam gentem cum Judæis coaluerunt, teste Josepho, lib. XIV *Antiquit.* cap. XVII. Unde Plinius et alii subinde Idumæos cum Judæis confundunt.

Allegorice, Judæi servient Christianis. Allegorice, Judæi, licet antiquiores sint, servient et postponentur in Ecclesia, gratia et salute Christianis, perinde ac lex vetus servivit novæ, *Rom.* cap. IX, vers. 10.

Tropologice, mali servient bonis. Tropologice, mali tyranni serviunt bonis Martyribus, quia sua persecutione, crucibus et tormentis parant et fabricant eis coronas æternas. Adde, sæpe mali bonis in hac vita subjicientur: verum certo, et semper eis subjicientur post diem judicii; tunc « enim justi judicabunt nationes, et dominabuntur populis. » Ita S. Augustinus, *serm.* 78.

Secundo, in justis major servit minori, id est, caro servit spiritui, et vitia cedunt virtutibus, ait Origenes.

Vers. 25. 25. ET TOTUS IN MOREM PELLIS HISPIDUS, VOCATUMQUE EST NOMEN EJUS ESAU. — Infantes nasci solent glabri; at Esau toto corpore hispidus natus est, Dei nutu, ut ejus agrestis et aspera indoles, mores et vita futura præsignaretur.

Esau idem est quod factus, et perfectus quasi vir. Seir, id est pilosus. Edom, id est rufus. Esau ergo nascens, non tam infans, quam vir perfectus sua pilositate et hirsutia videbatur, indeque dictus est Esau, quasi עשוי *asui*, id est, factus et perfectus: erat enim hispidus instar viri perfecti; *secundo*, inde quoque dictus est שעיר *Seir*, id est pilosus. *Tertio*, dictus est אדום *Edom*, id est rufus, tum a colore rufo, tum potius a coctione rufa, pro qua vendidit primogenita sua Jacobo, ut patet vers. 30. Ita S. Hieronymus in *Abdiam* Cajetanus, Oleaster, et Pererius. Rursum S. Hieronymus in *Amos* cap. II, vers. 9: « Ex cujus (quercus) vocabulo Philo vir disertissimus Hebræorum, Esau appellatum putat δρύινον, id est, quercinum et roboreum, licet et Esau possit ποίημα, id est factura, intelligi, ut ad mala opera referatur. » Verum quomodo a quercu dictus sit Esau, non video; quercus enim hebraice vocatur אלה *ela*, non *Esau*, nisi forte Philo derivet Esau, ab עז *az*, id est, robustus fuit. Sed Esau hebraice per ש scribitur, *az* vero per ז?

Esau fuit typus improborum, ob 12 analogias. Tropologice, Esau repræsentat improbos, ob duodecim analogias, inquit Pererius. *Prima* est, Esau fuit prior et honorabilior apud homines, Jacob vero apud Deum: sic mali in hac vita excellunt bonis naturæ, ingenii, prudentiæ, nobilitatis, roboris, pulchritudinis, opum, ab hominibus coluntur, cum apud Deum sint inglorii et ignobiles; contrarium prorsus est in bonis. *Secunda* est, quod major serviet minori: ita sane mali in hoc mundo videntur dominari bonis, sed revera serviunt ipsis, et ipsorum gloriæ ac coronæ, uti dixi. *Tertia*, collisio Jacob et Esau significat luctam et pugnam assiduam, quæ est inter malos et bonos. *Quarta*, Esau prior egreditur, sed Jacob ejus tenet calcaneum: ita impiorum priora sunt læta et prospera, sed extrema sunt luctuosa et funesta in æternum. *Quinta*, Esau erat totus hispidus, quod significabat ejus mores asperos, ferocem animum, versutum ingenium, libidinosum affectum: tales sunt impii. *Sexta*, Esau erat venator et agricola: sic impii toti terræ et terrenis bonis inhiant. *Septima*, Esau vili lenticula vendidit primogenituram: ita impiis jus adoptionis filiorum Dei, et spem vitæ æternæ commutant cum vilissimis bonis. *Octava*, Esau hoc damnum suum parvipendit: sic reprobi amissionem gratiæ divinæ, et gloriæ cœlestis pro nihilo ducunt. *Nona*, Esau ducens uxores Chananæas graviter parentes offendit: ita mali, dum improbis sociis agglutinantur, Deum et Ecclesiam graviter offendunt. *Decima*, sensit tandem Esau sua mala et damna, et ingemuit, flevit, pœnituit, sed irrita et cassa pœnitentia: similem pœnitentiam agunt reprobi *Sap.* v. *Undecima*, Esau oderat Jacob, eumque persequebatur: ita mali bonos persequuntur. *Duodecima*, Isaac diligebat Esau, quia ex ejus venatione comedebat; Rebecca vero amabat Jacob simpliciter et absolute, quia bonus et sanctus erat: ita mali non sunt diligendi nisi secundum quid, quia eorum opera artificialia, et inventa corporalia reipublicæ utilia sunt; at electi et sancti, uti magni sunt et honorati coram Deo, ita simpliciter amandi et honorandi.

Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta. Septima. Octava. Nona. Decima. Undecima. Duodecima.

PROTINUS ALTER EGREDIENS, PLANTAM FRATRIS TENEBAT MANU. — Situs hic erat quasi volentis præcedere, aut simul cum fratre ex utero egredi, quasi præillo, aut certe cum illo niteretur occupare jus primogenituræ. Non naturaliter, sed Dei nutu et dispositione hoc factum est. Vide dicta vers. 22.

Jacob, id est plantam tenens, vel supplantator. ET IDCIRCO APPELLAVIT (Isaac pater, cujus erat proli indere nomen) EUM JACOB. — Jacob enim idem est, quod supplantator, ut patet cap. XXVII, vers. 36, vel tenens plantam. (עקב *ekeb* enim plantam significat), itaque decipiens et supplantans.

Allegoriam habet Eucherius lib. II, cap. XLVI, scilicet Jacob est Christus, qui supplantavit Esau, id est Judæos

Vers. 27. 27. AGRICOLA. — Septuaginta ἀγροικός, id est *agrestis*; hebraice est, *Esau erat vir agri*, id est, assidue et libenter versabatur in agro, procul ab urbe, raro domi, fere in campis degens (1).

Simplex, id est integer, perfectus. VIR SIMPLEX. — Hebraice est תם *tam*, quod Septuaginta vertunt ἄπλαστος, id est, non fictus, quasi dicas, sine fuco et dolo; Symmachus vertit, ἄμωμος, id est, sine crimine; Aquila, ἁπλοῦς, id est non duplex, sed simplex; proprie *tam* idem est, quod rectus, innocens, integer, perfectus; radix enim תמם *tamam*, significat perficere, consummare. Vir simplex ergo est vir integer, qui uni Deo et virtuti intendit, non per multa avia subinde et illicita vagatur. Sic Job dicitur vir simplex. Itaque simplicitas hæc, non prudentiæ, sed dolo et falsitati opponitur; estque simplicitas hæc veritas, puritas, sinceritas et innocentia animi, falsitatis, simulationis et peccati expers, et impermixta inquit S. Chrysostomus. Sic Cicero, lib. II *De Finibus* : « Vera, inquit, diligimus, id est fidelia, simplicia, constantia; tum vana, falsa, fallentia odimus, ut fraudem, perjurium, malitiam, injuriam. » Hac simplicitate Jacob a Deo obtinuit omnem prosperitatem, ut merito illi tribuatur hoc emblema : « Prudens simplicitas, densa felicitas. »

HABITABAT IN TABERNACULIS, — domi se continebat. Ita Septuaginta. Veterum enim maxime patriarcharum, domus erant tentoria, sive tabernacula, *q. d.* Jacob domi vitæ quietæ, domesticis officiis et culturæ animi sui vacabat. Ita Cajetanus.

Recte Hesiodus dixit : « Melius est esse domi, damnosum vero est foris vagari. » Hebræi, apud Lyranum, per tabernacula intelligunt scholas, quas frequentabat Jacob ad discendum sapientiam et Dei timorem. Una, inquiunt, erat schola Melchisedech sive Sem, secunda Heber, tertia Abrahæ. Unde Chaldæus vertit : *Jacob erat vir integer et minister* (auditor) *domus doctrinæ*, quæ non alia est quam schola. Quæ si vera sint, vide quam antiquæ sint scholæ et gymnasia. Talis fuit et tempore Josue cap. XV, vers. 15, *Cariat sepher*, id est urbs litterarum, quasi dicas, Academia. Vide de antiquitate et origine singularum Academiarum, Middendorpium.

Scholæ priscæ Sem, Heber et Abrahæ.

Tropologice S. Gregorius, lib. V *Moral.* cap. VII : « Pii, inquit, a distractionibus ad mentis secreta se restringunt, et ibi quasi in tranquillitatis sinu requiescunt; » hæc sunt piorum tabernacula.

Vers. 28. 28. REBECCA DILIGEBAT JACOB, — quia Jacob quietior, placidior, suavior erat quam Esau, et quia a Deo Rebecca audierat vers. 23, illum præferendum esse fratri seniori.

Vers. 29. 29. PULMENTUM — lentis, ut patet vers. 34. Fuit hæc lenticula Ægyptia, inquit S. Augustinus in *Psalm.* XLVI, quæ sapida et suavis est, teste Athenæo lib. IV, et Gellio lib. XVII, cap. VIII.

(1) Diceretur *agricola*, איש האדמה.

Quid *pulmentum* ? Vocatur hic cibus « pulmentum, » quod in modum pultis factus esset : sicuti enim fit puls ex oryza, pisis, fabis, ita et ex lente. Adde, quodvis obsonium dici pulmentum : primus enim cibus veterum, etiam Latinorum, fuerunt pultes, teste Plinio lib. XVIII, cap. VIII; unde et prisci Romani pultiphagi sunt dicti : inde quivis cibus dictus est pulmentum.

Vers. 30. 30. DA MIHI DE COCTIONE HAC RUFA, — suaviter rubente, forte quia croco, coriandro similive condimento erat tincta; sic enim Zeno lenticulæ Alexandrinæ coriandri grana, quæ rufa sunt, misceri jubebat. Hebræa indicant nimiam aviditatem et gulam Esau : habent enim : *Obtege me, obrue me, imple me, de rufo, rufo isto.* Doctiores enim Hebræi τὸ הליעטני, *haliteni*, deducunt a radice העט *ata*, quæ obtegere et obruere significat.

EDOM, — id est rufus, rubicundus, sanguineus, ut dixi vers. 25.

Vers. 31. 31. VENDE MIHI PRIMOGENITA TUA, — vende τὸ πρεσβεῖον, id est jus primogenituræ tuæ.

Quadruplex jus primogeniti. Quæritur hic *primo*, quodnam fuerit jus primogeniti in lege naturæ. Respondeo fuisse quadruplex. *Primum* erat, quod primogenitus erat princeps fratrum, eorumque quasi pater et dominus, adeo ut coram eo se fratres inclinarent, ut patet cap. XXVII, vers. 29, et cap. XXXII et XXXIII; succedebat enim primogenitus in patriam dignitatem. Et hoc est quod ait Isidorus Pelusiota in *Catena*, primogenitos successise in regnum, et in patriarchalem dignitatem. Primum

Secundum erat, quod in divisione hæreditatis paternæ, singuli fratres singulas partes, primogenitus vero duplices accipiebat, ut patet *Deut.* XXI, 17. Ita Theodoretus. Secundum.

Tertium erat, quod post diluvium, primogenitus erat sacerdos familiæ; unde et in lege Mosi; Levitæ, loco omnium primogenitorum Israelis, fuerunt electi ad sacerdotium, *Num.* III, vers. 12. Rursum, primogeniti parentibus in pontificatu succedebant, ut patet *Num.* XX, 28. Ita S. Hieronymus, Rupertus, Tostatus et Eucherius cap. XLIV. Quare Hebræi, et ex eis Eucherius, sic explicant : *Vende mihi primogenita*, id est, vende mihi vestem tuam sacerdotalem (ac consequenter ipsum sacerdotium), qua de more induti primogeniti, quasi sacerdotes, victimas solent offerre Deo : addunt-que, hac veste Rebeccam induisse Jacobum, cum ipse fratri suo Esau patris benedictionem suffuratus est, *Genes.* XXVII, 15. Fuit tamen hoc jus sacerdotii aliquibus non primogenitis concessum, uti Abrahamo, idque ex singulari Dei dispositione et electione : quia Abraham fidelis fuit, et pater fidelium, cum cæteri fratres ejus infideles et idololatræ fuisse videantur. Tertium.

Quartum erat, quod pater moriens peculiariter primogenito benedicebat, ut patet cap. XXVII, vers. 4 : quæ benedictio magni tum æstimabatur, magnique sæpe erat valoris et efficaciæ apud Deum. Quar-tum.

Addit Abulensis et Lipomanus quod primogenitus in solemnitatibus et conviviis publicis solebat benedicere fratribus et nepotibus, quasi junioribus. Verum id nusquam diserte expressum est.

An Jacob peccarit emendo, et Esau vendendo primogenita?

Quæritur *secundo*, an peccarit Esau vendendo, Jacob emendo jus primogenituræ.

Nota : Jus primogenituræ primario temporale erat : erat enim jus præeminentiæ inter fratres, et jus ad duplicem portionem hæreditatis. Secundario tamen habebat annexum jus spirituale, scilicet jus sacerdotii, et jus ad benedictionem patris.

Cajetanus putat Esau tantum peccasse gulâ, eumque tantum vendidisse primogenituram, quatenus ea quid temporale erat, sicut modo quis licite vendit calicem consecratum, si calicem tanti quanti in se valet vendat, nec plus exigat ratione consecrationis ?

Dices, quomodo ergo Apostolus, *Hebr.* cap. XII, vers. 16, vocat Esau *profanum ?*

Respondet Cajetanus., quia Esau materialiter profanus erat, vendens tam vili pretio primogenituram, cui res tam sancta annexa erat, quam ipse parvipendebat, sicuti profanus esset et vocaretur, qui calicem consecratum venderet pro offa aliqua delicata.

Esau peccavit gula et simonia.

Verum dico *primo* : Esau peccavit *primo*, gula; *secundo*, sacrorum contemptu, quia primogenituram, cui erat annexum jus sacerdotii, tam vili esca vendidit; *tertio*, videtur peccasse simonia, quia jus primogenituræ totum, ac consequenter jus sacerdotii, quod spirituale erat, vendidit; ideo enim ab Apostolo *Hebr.* XII, vocatur profanus : profanus enim proprie et formaliter nemo est, nisi qui rem sacram vendendo aut polluendo violat et profanat. Peccavit ergo Esau, quia ventrem virtuti, cibum honori, gulam sacerdotio et benedictioni prætulit.

Jacob non peccavit : quia emit tantum jus temporale, et quia id quod suum erat, repetiit.

Dico *secundo* : Jacob emendo jus primogenituræ Esau, non peccavit. *Primo*, quia intendit tantum emere jus primarium primogenituræ, quod temporale erat et vendibile; sicuti vendi et emi potest ager, cui est annexum jus patronatus, ait Lipomanus.

Dices : Saltem Jacob peccavit injustitia, quia rem tantam tam vili pretio emit.

Respondeo, non peccasse, quia Esau, volens et sciens, rem tantam vili vendere voluit, quia illam contempsit, ut patet vers. 34. Volenti autem et scienti, imo rem suam prodigenti et contemnenti non fit injuria.

Secundo, non peccavit Jacob emendo hoc jus; quia doctus a matre sciebat, hoc jus Dei dispositione et dono ad se pertinere, et ab Esau ad se esse translatum. Rebecca enim id ab angelo audierat vers. 23. Rursum, idipsum illa indicavit Jacobo, ut satis colligitur ex eo quod, cum ipsa, cap. XXVII, audacter incitaret Jacobum ad præripiendam fratri benedictionem, Jacobus non se excusavit titulo injustitiæ, quasi non sibi, sed fratri, utpote primogenito, debita esset hæc benedictio; quod utique fecisset, nisi contrarium docente matre scivisset : erat enim vir justus, et timoratæ conscientiæ; sed tantum objecit periculum paternæ indignationis, si pater suam fraudem resciscerat. Hanc autem Dei revelationem, dispositionem et translationem primogenituræ ex Esau in Jacob, nec Jacob, nec Rebecca hucusque revelare ausi sunt, vel ipsi Esau, verentes ejus indignationem, vel ipsi Isaac, ne eum mœrore afficerent : Isaac enim unice amabat Esau. Nunc ergo Jacob occasionem nactus vindicandi confirmandique juris sui, per spontaneam fratris cessionem, ob coctionem rufam, sibi a fratre hac conditione datam, eam non neglexit, sed acceptavit. Non ergo Jacob proprie hic rem fratris emit, sed rem suam astu ab injusto possessore extorsit. Unde quod ait : « Vende, » idem est ac da, trade, imo redde jus mihi debitum. Vide Cajetanum, II II, *Quest.* C, art. 4.

Vers. 32. 32. EN MORIOR. — Necessitatem prætexit Esau suæ aviditati et gulæ : nam gula et contemptu primogenituræ eum peccasse patet vers. 34. Non enim dubium est, in tam divite Isaaci domo, filium Esau panem, carnes aliosque cibos, quibus vesceretur, habere potuisse. Fragrantia ergo, color et cupiditas lentis, quam coxerat Jacobus, tanta fuit in Esau, ut moriturum se diceret, nisi protinus illa daretur. Ita Cajetanus et Pererius. Vide de gulæ speciebus et damnis S. Gregorium XXX *Moral.* cap. XXVII.

Vers. 33. 33. JURA ERGO MIHI, — quod mihi cedas jus primogenituræ, eoque pacifice me frui permittes.

Vers. 34. 34. ABIIT PARVIPENDENS. — Nota obstinationem et impœnitentiam Esau; *secundo*, perfidiam et perjurium ejusdem : ideo enim parvipendit se jus hoc vendidisse, quia non habebat in animo suum contractum, hic juramento firmatum, servare. Unde de facto sine ullo scrupulo, jus hoc sibi reipsa vindicare voluit, perinde ac si illud non alienasset, nec cessisset Jacobo.

Peccatores cum Esau vendunt vili esca jus ad cœlestem gloriam.

Tropologice, magis profani et viles quam Esau, sunt peccatores, qui pro vili esca, aut honoris vanitatisque illecebra Deum offendunt. Itaque diabolo, non tantum animam, sed et Dei gratiam jusque ad hæreditatem cœlestem divendunt : hoc enim est jus primogenituræ Christi et Christianorum, quod Christus unigenitus eis sua morte et sanguine comparavit, atque in baptismo renascentibus, sibi eos inserendo, consignavit. Recte ergo ait Sapiens *Proverb.* VI, 26 : « Pretium scorti vix est unius panis, mulier autem viri pretiosam animam capit. » Rursum, Antonius in *Melissa*, parte I, serm. 16 : « Dæmon, inquit, ait : da mihi præsentia, Deo futura; mihi juventutem, Deo senectam; mihi voluptates, illi corpus inutile. O quantum tibi periculum, quanti casus inexpectati imminent! »

Quocirca S. Chrysostomus, *homil.* 50 : « Hæc,

inquit, audientes discamus nunquam negligere dona a Deo nobis data, neque perdere magna propter parva et vilia. Quare enim, dic mihi, proposito regno cœlorum, bonisque illis ineffabilibus, ita in divitiarum cupiditatem insanimus, et momentanea et quæ sæpe non usque ad vesperam permanent, perpetuis semperque duraturis præferimus? Et quid hac amentia deterius esse possit? Quando et illis privamur ob nimium in ista amorem, et nunquam his pure frui possimus. »

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Isaac hic de novo instituitur hæres promissionum fidei, puta Chananææ, tentationum quoque ac profectuum Abrahæ. Primo ergo Deus apparet, et benedicit Isaaco, eumque ditat; unde secundo, vers. 14, invident ei Geraritæ, puteosque ejus obstruunt. Tertio, vers. 24, rursum in Bersabee Deus Isaaco promissiones patri factas iterat, ibique Isaac fœdus init cum Geraritis. Quarto, vers. 34, Esau uxores Hethæas ducit.

1. Orta autem fame super terram, post eam sterilitatem quæ acciderat in diebus Abraham, abiit Isaac ad Abimelech regem Palæstinorum in Gerara. 2. Apparuitque ei Dominus, et ait : Ne descendas in Ægyptum, sed quiesce in terra, quam dixero tibi. 3. Et peregrinare in ea, eroque tecum, et benedicam tibi : tibi enim et semini tuo dabo universas regiones has, complens juramentum quod spopondi Abraham patri tuo. 4. Et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli : daboque posteris tuis universas regiones has, et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, 5. eo quod obedierit Abraham voci meæ, et custodierit præcepta et mandata mea, et cæremonias legesque servaverit. 6. Mansit itaque Isaac in Geraris. 7. Qui cum interrogaretur a viris loci illius super uxore sua, respondit : Soror mea est; timuerat enim confiteri quod sibi esset sociata conjugio, reputans ne forte interficerent eum propter illius pulchritudinem. 8. Cumque pertransissent dies plurimi, et ibidem moraretur, prospiciens Abimelech rex Palæstinorum per fenestram, vidit eum jocantem cum Rebecca uxore sua. 9. Et accersito eo, ait : Perspicuum est quod uxor tua sit : cur mentitus es eam sororem tuam esse? Respondit : Timui ne morerer propter eam. 10. Dixitque Abimelech : Quare imposuisti nobis? potuit coire quispiam de populo cum uxore tua, et induxeras super nos grande peccatum. Præcepitque omni populo, dicens : 11. Qui tetigerit hominis hujus uxorem, morte morietur. 12. Sevit autem Isaac in terra illa, et invenit in ipso anno centuplum, benedixitque ei Dominus. 13. Et locupletatus est homo, et ibat proficiens atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est : 14. habuit quoque possessiones ovium et armentorum, et familiæ plurimum. Ob hoc invidentes ei Palæstini, 15. omnes puteos, quos foderant servi patris illius Abraham, illo tempore obstruxerunt, implentes humo : 16. in tantum, ut ipse Abimelech diceret ad Isaac : Recede a nobis, quoniam potentior nobis factus es valde. 17. Et ille discedens, ut veniret ad torrentem Geraræ, habitaretque ibi, 18. rursum fodit alios puteos, quos foderant servi patris sui Abraham, et quos, illo mortuo, olim obstruxerant Philistiim : appellavitque eos eisdem nominibus quibus ante pater vocaverat. 19. Foderuntque in Torrente, et repererunt aquam vivam. 20. Sed et ibi jurgium fuit pastorum Geraræ adversus pastores Isaac, dicentium : Nostra est aqua : quam ob rem nomen putei, ex eo quod acciderat, vocavit Calumniam. 21. Foderunt autem et alium : et pro illo quoque rixati sunt, appellavitque eum, Inimicitias. 22. Profectus inde fodit alium puteum, pro quo non contenderunt : itaque vocavit nomen ejus Latitudo, dicens : Nunc dilatavit nos Dominus, et fecit crescere super terram. 23. Ascendit autem ex illo loco in Bersabee, 24. ibi apparuit ei Dominus in ipsa nocte, dicens : Ego sum Deus Abraham patris tui, noli timere, quia ego

tecum sum : benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum propter servum meum Abraham. 25. Itaque ædificavit ibi altare : et invocato nomine Domini, extendit tabernaculum; præcepitque servis suis ut foderent puteum. 26. Ad quem locum cum venissent de Gerari, Abimelech, et Ochozath amicus illius, et Phicol dux militum, 27. locutus est eis Isaac : Quid venistis ad me, hominem quem odistis, et expulistis a vobis? 28. Qui responderunt : Vidimus tecum esse Dominum, et idcirco nos diximus : Sit juramentum inter nos, et ineamus fœdus, 29. ut non facias nobis quidquam mali, sicut et nos nihil tuorum attigimus, nec fecimus quod te læderet; sed cum pace dimisimus auctum benedictione Domini. 30. Fecit ergo eis convivium, et post cibum et potum, 31. surgentes mane, juraverunt sibi mutuo, dimisitque eos Isaac pacifice in locum suum. 32. Ecce autem venerunt in ipso die servi Isaac annuntiantes ei de puteo quem foderant, atque dicentes : Invenimus aquam. 33. Unde appellavit eum Abundantiam : et nomen urbi impositum est Bersabee, usque in præsentem diem. 34. Esau vero quadragenarius duxit uxores, Judith filiam Beeri Hethæi, et Basemath filiam Elon ejusdem loci : 35. quæ ambæ offenderant animum Isaac et Rebeccæ.

Vers. 1. 1. ABIMELECH, — non ille tempore Abrahæ, de quo cap. XXI, ut volunt S. Augustinus, Josephus et S. Chrysostomus; sed alius, forte filius ejus; ille enim centum annis fuit ante hunc : regnavit enim antequam nasceretur Isaac, qui jam erat fere centum annorum, ut colligitur ex vers. 34 : ita Abulensis, Pererius et alii. Videtur ergo Abimelech fuisse nomen commune regum Palæstinæ, uti Pharao, et postea Ptolemæus, commune fuit nomen regum Ægypti, et Cæsar Romanorum Imperatorum. Ita Procopius, Diodorus et Hieronymus, lib. IX *in Ezech.* Unde et teste Procopio et Diodoro, Abimelech hebraice significat patrem regem, quasi dicas, Pater patriæ. Rex enim suis subditis debet esse pater, unde et Romani suos Imperatores vocabant patres patriæ.

Abimelech fuit commune nomen regum Palæstinæ.

Vers. 5. 5. VOCI MEÆ, — præcepto meo de immolando filio. Stimulat Deus Isaacum, mentione obedientiæ patris, ut videns eam ita in se remunerari, eamdem imitari, imo superare contendat, itaque ampliorem mercedem a Deo consequatur. Ita S. Chrysostomus.

CÆREMONIAS, — tum propriam circumcisionis, tum alias omnibus communes, quas Deus in lege naturæ instituit, quibusque coli voluit. Habuit enim lex naturæ, uti et Mosis et Christi suos ritus, sua sacra et sacramenta.

Vers. 7. 7. SOROR (cognata) MEA EST. — Vide dicta cap. XX, vers. 12.

Vers. 8. 8. VIDIT EUM JOCANTEM CUM REBECCA. — Judæi impuri jocum hunc intelligunt copulam conjugalem. Sed apage hos cynicos! quis credat Isaac publice et spectante rege, tam inverecundum, lubricum et cynicum fuisse? Dico ergo, pro *jocantem* hebraice est מצחק *metsachek*, id est, ridentem, vel ludentem cum Rebecca, eo modo quo maritus castus et gravis subinde cum uxore honeste jocari, ridere et ludere solet : quod cum alia facere non auderet, quia non deceret.

Vers 10. 10. INDUXERAS SUPER NOS GRANDE PECCATUM, — occasiones dedisses grandis peccati. Pro *peccatum* hebraice est אשם *ascam*, quod significat, *primo*, peccatum ex ignorantia admissum : unde Septuaginta vertunt ἄγνοιαν, ignorantiam; *secundo*, pœnam et desolationem ob tale peccatum inflictam : utroque modo hic capi potest.

Vers. 11. Prima et prisca lex mortis in adulteros.

11. MORTE MORIETUR. — Nota hic antiquam et primam in adulteros legem et pœnam mortis; quæ non videtur hic primo ferri, sed prius in genere lata esse, hic vero tantum applicari et intentari violatoribus Rebeccæ. Eadem mortis pœna Deus postea, per legem Mosis, adulteros mulctavit. Est enim adulterium grave scelus, quod Deus vindicat non tantum principes, sed et subditos puniendo. Ita ob Paridis cum Helena adulterium Troja et regnum Trojanum interiere. Ita ob Tarquinii adulterium cum Lucretia, reges a Romanis in æternum ejecti sunt. Ita David peccans cum Bethsabee gravissime punitus est, ut patet II *Regum* XII, 10 : qua de re plura cap. XXXVIII, vers. 24.

Vers. 12. 12. SEVIT, — in agro non proprio, sed a Geraritis conducto : nec enim Abraham, nec Isaac, nec Jacob possederunt agros aut domos in Chanaan, sed continuo in ea peregrinati sunt. Videmus hic Isaac et Sanctos non otiari, esto scirent se adeo benedicendos, Deumque id promisisse; sed eo fortius laborant, ne tentent Deum. Sic Isaac seminat, et sementi benedicit Deus.

INVENIT (non cæteri, sed ipse) IN IPSO ANNO (sterilitatis) CENTUPLUM. — Unde patet hanc tantam messem, non per sationem, nec per agrorum fertilitatem, sed per miraculum, Dei beneficio, obtigisse Isaac; ut videlicet ex uno modio a se seminato, meteret centum modios. Sic Plinius, lib. XVIII, cap. XI, fertilissimum triticum vocat « centigranum. » Hebraice ad verbum, *et invenit centum modios.* Ita Pagninus, Vatablus et alii. שערים *scheorim* enim per *scin* significat modios; Septuaginta et Arabici legentes שעירים *seorim*

per *sin* vertunt, *invenit centuplicatum hordeum. Tertio,* alii vertunt, *invenit centum æstimationes,* id est, centies tantum quantum æstimaverat; radix enim שער *scaar* significat cogitare, æstimare. Unde Chaldæus vertit, *invenit centuplum quam æstimaverat.*

Tropologice, uberrima terra est paupertas, in qua si seras, centuplum recipies; hoc est enim quod ait Christus, *Matth.* XIX, 29 : « Omnis qui reliquerit domum vel fratres, etc., aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam æternam possidebit. » Huc alludens S. Hieronymus, epist. 26 *ad Pammachium*, sic ait : « Centuplicato fœnore Christi promissa redduntur : in tali Isaac quondam agro severat. » Merito ergo canit B. Nazianzenus in Carm. :

Felix qui Christum fortunis omnibus emit.

Et S. Augustinus, serm. ult. *De Diversis* : « Quid est gloriosius homini, quam sua vendere, et Christum emere? »

BENEDIXITQUE EI, — id est, benedixerat enim ei Deus, scilicet eum locupletando. Ita Vatablus. *Vau* enim Hebræorum copula, sæpe est causalis; et præteritum perfectum Hebræi sæpe sumunt pro plusquam perfecto, *q. d.* Non cœlum, non terra, non agri, hac bona dabant Isaaco, sed benedictio Domini, quæ sola divites facit.

Adde tamen Deum Isaaco benedixisse, quia strenue laborabat colebatque agrum : agricolarum enim labori se inserit et benedicit Deus. Cum apud Romanos prisci dictatores et senatores agrum colebant quinque jugerum, abunde sufficiebat proventus toti familiæ alendæ; postquam famulis usi, per eos agros coluerunt, maxima latifundia non suffecerunt : illi sponte sua faciebant et diligenter, hi frigide et pene coacti; unde terra indignata non reddebat ita laborantibus gratiam. Illustre est quod de C. Furio Cresino scribunt, qui cum ex parvo agello multo largiores fructus perciperet, quam ex amplissimis vicinitas, in invidia magna erat, ceu fruges alienas pelliceret veneficiis. Quare a Sp. Albino Curule die dicta, metuens damnationem, cum in suffragium tribus oporteret ire, instrumentum rusticum omne in forum attulit, et adduxit filiam validam, graves ligones, vomeres ponderosos, boves saturos; postea dixit : « Veneficia mea, Quirites, hæc sunt, nec possum vobis ostendere, aut in forum adducere lucubrationes, vigilias et sudores. » Ergo omnium sententiis absolutus est. Ita est sane : fructus agri non impensa, sed cultura constat, et ideo fertilissimum in agro oculum domini ac pedem esse dixerunt; oculus enim domini impinguat equum, pes domini impinguat agrum.

Moraliter nota, Isaac, quia Deo jubente mansit in Geraris, hinc ibi a Deo locupletatus est : ita ubicumque quis manserit Dei voluntate et jussu, ibi a Deo benedicetur et prosperabitur. Notent hoc Religiosi, nec stationes sibi assignatas mutare velint.

Moraliter S. Chrysostomus, *homil.* 52 : « Dicit, inquit, rex peregrino : Abi a nobis, quia potentior factus es nobis. Et vere potentior erat, supernum præsidium habens in omnibus, dexteraque Dei munitus. Quo igitur abigis justum? ignoras quod quocumque eum ire coegeris, semper erit in his quæ Domini sui sunt? Non docuit te rerum experientia, quod Dei manus est quæ illustrem facit et conservat justum? Quare igitur abigendo justum erga Dominum ingratitudinem declaras? Et neque magna viri mansuetudo tuam domare potuit invidiam, sed victus invidiam opere comples, et iterum migrare eum cogis, qui in nullo te læsit. Nescis quod licet in ipsissimam solitudinem eum fugaris, habebit tamen potentem Dominum, qui se juvare, et multo clariorem facere novit? Nihil enim fortius, quam frui superno præsidio, sicut nihil infirmius quam eo destitui. »

15. PUTEOS OBSTRUXERUNT. — Ita allegorice hæretici Catholicis invidentes, puteos catholicæ doctrinæ, puta S. Scripturam et traditiones, ipsaque Sacramenta et sacra suis hæresibus et sordibus obstruunt, ait Origenes. Vers. 15. Puteos S. Scripturæ obstruunt hæretici.

16. RECEDE A NOBIS. — Vide hic quam non sit confidendum in favore regum aut populi, quamque invidia sit timida et suspicax : per illam enim expellitur hic Isaac. Deus tamen aliis de causis eum peregrinari voluit : *primo*, ut probaretur ejus fides et virtus; *secundo*, ut etiam in aliis locis Deus ipsius pietate et sancta conversatione glorificaretur; *tertio*, ut doceret Sanctos nulli loco, imo nullis terrenis rebus affixos esse debere, sed semper paratos omnia propter Deum relinquere, si casus id exigat (1). Vers. 16.

18. FODIT ALIOS PUTEOS. — « Fodit, » id est, eruderavit et expurgavit. Erant enim jam ante effossi ab Abraham, sed ab invidis Geraritis injecta humo oppleti. Maluit Isaac veteres patris puteos eruderare, quam novos fodere, *primo*, quia certus erat illic esse venam aquæ; *secundo*, ad minuendam invidiam Geraritarum, cum tantum repeteret et renovaret puteos, quos illi patri suo jampridem concesserant; *tertio*, ut ita gratam patris memoriam, labores et opera recoleret ac veneraretur; unde et priora nomina, a patre puteis imposita, Isaac revocavit et renovavit. Ita Delrio. Vers. 18.

Tropologice, quomodo dæmon puteum animæ per tentationum cogitationes obturet, et quomodo is exhauriendus et eruderandus sit, vide apud S. Gregorium, lib. XXXI *Moral.*, cap. XXII.

19. IN TORRENTE. — Torrens per metonymiam vocatur ipse alveus siccus, qui in hieme aqua pluvia impletur et exundat, fitque torrens, sed Vers. 19.

(1) Vers. 17. *Ad torrentem Geraræ.* נחל et *torrentem* significat, et *convallem*, seu locum per quem torrens manare solitus est, sive fluat, sive fluere desierit.

in æstate siccitate exarescit : in eo ergo fodit Isaac puteum, invenitque aquam vivam, id est, scaturientem, fontanam et perennem; in alveis enim et vallibus, locisque demissis facilius et citius invenitur aqua viva et fontana, quam in montibus et locis excelsis; videmus enim in vallibus ad tertium, vel quartum pedem fodiendo, exsilire aquam, fierique puteos, qui in montibus ad centum, imo ducentos pedes (ita enim profundi sunt) effodi debent.

Vers. 20. 20. NOSTRA EST, — quia eam effodistis in agro et fundo nostro. Sed hoc injuste objectant, quia illorum voluntate, scientia, conniventia et consensu Isaac foderat hunc puteum : ideo vocavit hunc puteum « Calumniam, » quia in fossione hujus putei, calumniam hanc irrogarunt ei Geraritæ. Pro *calumniam* hebraice est עשק *escec*, quod per *schin* significat calumniam; item oppressionem, fraudem et injustitiam, ut vertunt Septuaginta. Per *sin* vero significat contentionem, jurgium, ut vertit Vatablus et Chaldæus. Vide hic mansuetudinem Isaaci calumniam patientis, dissimulantis, abeuntis, suisque æmulis benigne et placide respondentis. Vide et quomodo Deus Isaaco suisque amicis dulcia amaris permisceat, et infundat γλυκύπικρον, dulce amarum. « Nihil, inquit S. Chrysostomus, *homil.* 52, hic contendit justus, neque obluctatur, sed etiam pastoribus cedit. Hæc enim vere mansuetudo est, non quando quis offensus a potentioribus mansuete fert, sed quando quis ab his etiam qui inferiores putantur, offensus cedit. »

Vers. 22. Cur Isaac vocarit puteum Latitudo? 22. LATITUDO. — Hebraice רחובות *rechobot*, id est latitudines, *q. d.* Hic puteus latam, liberam et immunem a Geraritarum invidia, abundantemque nobis nostrisque pecoribus dabit adaquationem, ideoque vocetur « Latitudo. » S. Chrysostomus legit *latifundium*. « Propter hoc, inquit, latifundium voco, quia dilatavit Dominus et auxit nos super terram. Vidisti piam mentem, quomodo non facta mentione tam atrocium difficultatum quæ obstiterunt, bonorum tantum me minit, et pro illis gratiam Deo offert. Nihil enim tam gratum Deo, ut anima grata et gratias agens. Nam cum innumeris beneficiis quotidie omnes nos prosequatur, nihil tamen aliud a nobis exigit, quam gratiarum actionem, ut illa ad ampliora danda provocetur, » uti hic provocatus est ad ostendendum se Isaaco, eique benedicendum. Unde subdit : « Noli timere, quia ego tecum sum; ideo et invictus eris, et infestantibus potentior, et invadentibus fortior, et tantam tui curam habebo, ut invidiosus illis sis futurus. » Hinc et præmisit : « Ego sum Deus Abraham patris tui, ostendens quomodo sibi vindicaverit et proprium fecerit patriarcham, ita ut dignatus sit se vocare Deum Abrahæ. Et Dominus orbis ac conditor, unius hominis Deum se dicens, non concludit et abbreviat suum dominium, sed magnam in illum suam benevolentiam monstrat Ita, inquit; eum mihi feci proprium, ut apud me tanti computetur, quanti alii omnes. Igitur propter patrem tuum multiplicabo semen tuum. » Hæc S. Chrysostomus.

Vers. 24. 24. EGO SUM DEUS ABRAHAM PATRIS TUI,—*q. d.* Omnes quidem creaturæ meæ sunt, sed tamen unus Abraham apud me plus valet, quam omnes alii : vide ergo, o Isaac, ut patrem tuum imiteris.

Moraliter. Disce hic quam bonum sit esse amicum Dei; *secundo*, quod Sancti in perpetua memoria sint apud Deum; *tertio*, Deum prolibus benedicere ob sanctos parentes; *quarto*, quid honoris debeamus Sanctis, quos Deus sic honorat.

Vers. 25. 25. EXTENDIT TABERNACULUM, — ut ibi figeret sedem et domicilium.

UT FODERENT, — ut refoderent et eruderarent puteum, olim ibidem a patre Abrahamo effossum, puta puteum Bersabee, uti sequitur. Nota hic constantiam et magnanimitatem Isaaci, qui fortiter fert invidorum insultus, eisque cedit, sed ita ut segnior non efficiatur, quin alibi se suaque strenue promoveat.

Vers. 26. 26. OCHOZAT AMICUS ILLIUS. — Chaldæus et Vatablus Hebræum *Ochozat* accipiunt quasi appellativum; unde vertunt, *et cœtus amicorum ejus*. Verum melius Septuaginta et Noster accipiunt Ochozat quasi nomen proprium.

AMICUS. — Septuaginta, *paranymphus* regis Abimelech : illi enim maximi sunt amici alicujus, qui in nuptiis ejus sunt pronubi; hi enim ipsi sponso sunt proximi, eumque ad thalamum nuptialem deducunt. Unde S. Joannes Baptista, *Joan.* III, 29, vocatur amicus sponsi, quia erat Christi paranymphus.

Quid regis paranymphus? Hic paranymphus, regisque amicus intimus, apud Persas erat secundus a rege, vocabaturque Surenas, cujus erat coronare regem. Præerat hic cohorti regiæ, quæ ex selectissimis, fidelissimis regique amicissimis, puta nobilibus et dynastis qui cum rege nutriti et educati fuerant, constabat. Unde erat quasi dux et primus inter aulæ nobiles et regis amicos. Talis fuit hic Ochozat apud regem Abimelech.

ET PHICOL DUX MILITUM. — Alius hic est Phicol ab eo, qui fuit tempore Abrahæ, cap. XXI, vers. 22; hic enim illo fuit posterior centum annis. Sicut ergo alius fuit Abimelech hic, qui cum Isaaco, ab illo qui cum Abrahamo fœdus iniit : ita et alius fuit Phicol. Videtur ergo quod, sicut Abimelech commune erat nomen regum Geraris, ita Phicol commune fuerit nomen ducum, non cohortis regiæ (hujus enim dux erat Ochozat), sed militiæ publicæ, uti jam commune eorum nomen est, ut vocentur Magistri, vel Generales exercitus. « Phicol » hebraice significat *omnis facies*, vel potius *omne os*, quasi omnium militum facies, animi, ora et oculi, in hunc militiæ ducem essent conversi; quodque sicut facies totum corpus, ita ipse totum exercitum præire et ducere deberet.

Symbolice, Eucherius, lib. II, cap. LI, per hos tres amicos Abimelech, accipit Philosophos triplices, scilicet Logicos, Ethicos, Physicos : item tres Magos, qui duce stella ad Isaac, id est Christum, venerunt.

Vers. 29. 29. NEC FECIMUS QUOD TÈ LÆDERET. — Falsum dicunt : nam ipsis conniventibus, pastores puteos Isaaco ademerant. Ita violenti et tyranni prædicant suam justitiam : justi vero, cum Isaac acceptam injuriam dissimulant, et maleficia beneficiis obruunt, irasci nesciunt, quia pacifici sunt et paci student. Quocirca merito S. Gregorius, homil. 15 *in Ezech.*, Isaacum speculum pacis et simplicitatis statuit, dum ait : « Morum simplicitas placet? Isaac ad mentem veniat, quem in omnipotentis Dei oculis, vitæ suæ tranquillitas ornavit. Ita David Saulem se persequentem fuga declinavit; et cum posset lædere, noluit : itaque beneficio David victa est Saulis invidia. Ita Salomon pacificus fuit, ideoque templum Domino ædificare meruit. »

Pacificorum exempla.

S. Ivo, Causidicorum patronus, cum multis miraculis, tum pietatis operibus clarus, litigantes conciliare studebat, cumque quemdam gravi odio a matre dissidentem, in gratiam et pacem reducere nequivisset, Missæ sacrificium pro eo Deo obtulit : exinde nemine jam sollicitante, solo divino instinctu ita animis resipuerunt, ut et hic filium se agnosceret, et illa matrem.

Paphnutio Abbati et eremitæ revelatum est, quemdam Heracleæ sibi vitæ meritis esse parem, et quærens, invenit eum quidem et uxorem et filios habere, sed post secundam susceptam prolem, castitatem cum ipsa servare, justitiæ et pietati studere, ac præsertim conniti, ut, si quos inter se odio distractos cognovisset, reconciliaret; pacifici ergo Religiosis æquantur : testis est Palladius, cap. LXIV.

Hinc Agathon Abbas gloriari solebat se nunquam cepisse somnum, nisi prius et suam adversus alios, et aliorum contra se indignationem placando sopiret, dictitans illud : « Inquire pacem et persequere eam; » et : « Iracundi Deo atque hominibus odio sunt. » In Vitis Patrum.

Joannes Abbas, visens Pesium Anachoretam, rogavit eum quid per 40 annos in eremo profecisset? respondit ille : « Quod sol omnia collustrans nunquam me manducantem vidit, nec iratum. » Ibidem.

Præfectus monasterii Scythi rogatus quid esset illud Evangelii : « Qui irascitur fratri suo sine causa, » solam justam iræ causam definivit, separationem a Deo; cæteris quamlibet magnis injuriis acceptis, qui irascitur, eum sine causa irasci. Ibidem.

Edgaro rege Angliæ S. Dunstanus Cantuariæ Archiepiscopus a Deo audivit, pacem Angliæ futuram, quamdiu ille viveret. Igitur annos sedecim quibus regnavit, omnia in summa pace fuerunt. Perpetuo enim fœdere sibi vicinos reges devinxerat, piratas mari, prædones terra submoverat; quin et feras : nam a Guidualo Gualdensium rege tributum exegit, annis singulis lupos triginta, id servatum, donec illud bestiarum genus assidua venatione defecit. Tantus ergo pacifici status amor, ipsum ad pacem æternam provexit, atque ad cœlestem gloriam inter Sanctos sublimavit. Ita habet Vita S. Dunstani.

AUCTUM BENEDICTIONE DOMINI, — quia te vidimus benedictum a Domino. Unde Vatablus vertit, *nam tu es benedictus Domini*. Dant enim causam, cur Isaacum in pace dimiserint : quia videlicet videbant eum a Deo protegi et benedici, ac proinde eum tangere non audebant.

32. QUEM FODERANT. — Hinc et vers. 25 patet Vers. 32. quod Isaac, mox ut venit Bersabee, jusserit refodi et eruderari puteum dictum Bersabee, quem olim, cap. XXI, vers. 30, effoderat Abraham; sed Geraritæ ex invidia eum humo oppleverant. Ita Cajetanus et Abulensis.

INVENIMUS AQUAM. — Ita et Hebræa. Mendosi ergo hic, uti et alibi, sunt Septuaginta qui habent contrarie, *non invenimus aquam*.

33. UNDE APPELLAVIT EUM ABUNDANTIAM. — Pro Vers. 33. *abundantiam* hebraice est שבע, quod pro varietate punctorum tripliciter legi et explicari potest. *Primo*, legi potest *sheba*, per *schin*, et tunc significat septem, *q. d.* Hic est septimus puteus quem effodi. Ita Vatablus. Rursum, hic est puteus septem agnarum, quibus eum emit Abraham, cap. XXI, vers. 30 et 31. Denique hic puteus septem, id est, multas et copiosas dabit aquas. Et ita legisse et intellexisse videri potest noster Interpres, dum vertit, *abundantiam*.

Secundo, legi potest *scebua*, id est, juramentum, quia ad hunc puteum juraverunt fœdusque inierunt Abraham et Isaac cum Abimelecho. Ita Septuaginta.

Tertio, legi potest *seba* per *sin* : ita legit Noster; tumque significat *saturitatem*, *q. d.* Ex hoc puteo saturabimur, hic puteus pacificam, copiosam et abundantem nobis et pecoribus nostris dabit adaquationem. Hic sensus plane est ad mentem Isaaci, ut patet ex vers. 22 et aliis.

Mystice tres putei.

Mystice, ait Hugo Cardinalis : « Tres hi putei sunt tres status Ecclesiæ, incipientium, proficientium et perfectorum. Primum fodit, qui vomere contritionis duritiam cordis sui eruderat. Hoc fit in exitu de Ægypto, et ideo talis adhuc in se retinet multas reliquias Ægypti, propter quas diabolus multas calumnias movet; unde et puteus iste Calumniæ nuncupatur : opera enim neophytorum non sunt usquequaque pura. Secundum puteum fodit, qui manu bonæ operationis a se otii omnis torporem expellit. *Eccle.* IX : Quodcumque potest facere manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erunt apud inferos, quo tu properas; et S. Bernardus : Non est virtus, nisi crescat animus in ipsa difficultate. Tertium fodit, qui a se

temporalia abjicit per contemptum propter Christum. *Philip.* cap. III : Omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam. In *primo* puteo est aqua contritionis; in *secundo* est aqua compunctionis; in *tertio* est aqua devotionis, in quo contentio nulla est, nulla difficultas, sed serenitas conscientiæ; unde vocatur Latitudo. In prima fossione diabolus expellitur et vincitur; in secunda, caro subjicitur et dejicitur; in tertia mundus, et ita omne bellum sopitum est, et jam est pax in carne, pax in mente, pax in mundo. » In omnibus ergo operibus tuis perfectus esto; ora, stude, patere, certa, labora æternitati; despice breve hoc tempus, et temporales brevesque voluptates, opes, honores; suspice æterna.

Triplex etymon Bersabee.

ET NOMEN (puteo, deinde vicinæ) URBI IMPOSITUM EST BERSABEE, — באר *beer* significat puteum; *scabee*, sive *sceba*, vel *scebua*, per *schin*, significat *juramentum*, vel *septem*, uti jam dixi : Bersabee ergo idem est, quod puteus juramenti, vel puteus septem agnarum, quas pro eo dedit Abraham : inde enim hic puteus ante centum annos, ab Abraham vocatus est Bersabee. Verum Isaac leniter *schin* in *sin* inflectens, hebraice pro *Berscabee*, dixit *Bersabee*, itaque hunc puteum vocavit, ac consequenter nomen a patre impositum iteravit et renovavit; sed per exiguum unius litteræ flexum alio sensu, quam pater. *Bersabee* enim per *sin*, significat puteum saturitatis, quia eo saturata est familia Isaaci, uti jam dixi.

Aliter hæc explicat Lipomanus : putat enim ipse, eodem prorsus sono et sensu, hunc puteum ab Isaaco vocatum esse Bersabee, quo a patre Abrahamo Bersabee vocatus fuerat, ut scilicet Bersabee sit idem, quod puteus juramenti : censet enim Lipomanus, Mosen hic respicere ad versum 31, *q. d.* Eodem die quo Isaac juramentum et fœdus iniit cum Abimelech, venit ad eum nuntius de puteo hoc patris refosso; hinc æque ut pater, vocavit eum Bersabee, id est puteum juramenti : quia æque ac pater, ad eumdem puteum juravit fœdus Abimelecho.

Verum prior sensus genuinus est, et ex mente Isaaci, eumque exposcit versio nostra, quæ *sabee* non juramentum, sed saturitatem et abundantiam interpretatur.

Bersabee mystice est Ecclesia, maxime triumphans.

Allegorice, Bersabee est Ecclesia militans, in qua est abundantia gratiarum.

Anagogice, Bersabee est Ecclesia in cœlis triumphans, in qua est saturitas gloriæ omnisque boni; de qua canit Psaltes : « Satiabor cum apparuerit gloria tua; » et : « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te est fons vitæ. » Hunc fontem et puteum magno labore effodere oportet, simulque resistendum est Philistinis, fossionem hujus putei impedientibus, puta hæreticis aliisque impiis; hi enim litigant de puteis, id est Sacramentis et S. Scriptura quos invident et adimere volunt Catholicis piisque viris : ita Rupertus.

34. ESAU VERO QUADRAGENARIUS DUXIT UXORES. — Contigit hoc anno Isaaci centesimo : natus est enim Esau anno Isaac sexagesimo. Addit Josephus has uxores fuisse filias Dynastarum Hethæorum (1). Vers. 34.

35. AMBÆ OFFENDERANT ANIMUM ISAAC, — suis malis moribus et contumacia, et quia manebant idololatræ. Ita Targum Hierosolymitanum. Vide Isaac prius vexatum ab alienis, puta Geraritis, hic contristatum a suis, placide omnia pati et dissimulare. Vers. 35.

Nota : Esau, invitis parentibus, duxit uxores alienigenas, ideoque paterna benedictione privatus et fratri subjectus fuit, ut patebit capite sequenti. Discant hic juvenes, conjuges accipere ex consilio parentum, fideles et bene moratas, uti fecit Isaac, Jacob, Tobias et alii.

(1) Esavi uxores et infra XXVII, 46, uti hic, ortu Hethææ dicuntur. Sed infra XXXVI, 2, 3, ubi *tres* Esavi uxores recensentur, nulla Judithæ mentione facta, Basemath, quæ filia Elonis Hethæi fuisse dicitur, refertur Ismaelis filia fuisse, contra Elonis Hethæi filia illic Ada vocatur. Præterea quum hoc loco utrique Esavi soceri sint Hethæi, altero unus tantum, Elon, talis dicitur, alter, aliud quoque nomen gerens, Hevæus. Hinc Rationalistæ, v. g. Vaterus in suo Commentario ad h. l., Tuch, *Commentar über die Genesis*, pag. 428, 429, etc. pro certo ponunt, haberi utroque loco duas genealogias diversis e fontibus haustas; sed absque idonea causa. Nam hæc utriusque loci repugnantia facile tollitur, si sumamus unam alteramve uxorum Esavi earumque patres binomines fuisse, quod haud raro observatur apud Orientales, præsertim inter feminas, ait Chardin, *Voyage en Perse*, quæ nomina mutare solent, sive cum alicui nubunt, sive ob aliam causam. Quo posito, tres Esavi mulieres erant 1° Ada, Elonis filia, alio nomine Basemath vocata; 2° Basemath, Ismaelis filia, dicta Maheleth infra XXVIII, 9; 3° Oolibama, dicta hic Judith, cujus pater Hethæus, mater autem Hevæa erat. Aliam movent difficultatem ex loco infra XXXVI, 24, 25, de qua recte de Schranck : « Sed observandum est, et Sebeones et Anas diversas esse personas, nempe Sebeon versus 2 est Hevæus, et Sebeon vers. 24 est Horræus; quo constituto circa Anam et Anam nulla difficultas esse potest, Anaque vers. 2 femina, Ana versus 24 vir erit, quum nomina propria sint indifferentia; præsertim quum hoc ipso cap. simillimum exemplum occurrat : versu enim secundo occurit Oolibama Hevæa uxor Esavi, versu 41 quidam Oolibama Idumæus, dux (*Emir*) alicujus tribus Idumææ. »

CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jacob fratri dolo præripit benedictionem patris; ei ergo mortem minatur Esau : quare mater Jacobo suadet fugam in Haran. Hinc disce firmum esse Dei propositum, promissionem, electionem qua dixerat cap. XXV, *vers.* 23 : Major serviet minori, *quodque illam nulla humana consilia possint evertere.*

1. Senuit autem Isaac, et caligaverunt oculi ejus, et videre non poterat : vocavitque Esau filium suum majorem, et dixit ei : Fili mi! Qui respondit : Adsum. 2. Cui pater : Vides, inquit, quod senuerim, et ignorem diem mortis meæ. 3. Sume arma tua, pharetram et arcum, et egredere foras : cumque venatu aliquid apprehenderis, 4. fac mihi inde pulmentum sicut velle me nosti, et affer ut comedam, et benedicat tibi anima mea antequam moriar. 5. Quod cum audisset Rebecca, et ille abiisset in agrum ut jussionem patris impleret, 6. dixit filio suo Jacob : Audivi patrem tuum loquentem cum Esau fratre tuo, et dicentem ei : 7. Affer mihi de venatione tua, et fac cibos ut comedam, et benedicam tibi coram Domino antequam moriar. 8. Nunc ergo, fili mi, acquiesce consiliis meis : 9. et pergens ad gregem, affer mihi duos hædos optimos, ut faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter vescitur : 10. quas cum intuleris, et comederit, benedicat tibi priusquam moriatur. 11. Cui ille respondit : Nosti quod Esau frater meus homo pilosus sit, et ego lenis : 12. si attrectaverit me pater meus, et senserit, timeo ne putet me sibi voluisse illudere, et inducam super me maledictionem pro benedictione. 13. Ad quem mater : In me sit, ait, ista maledictio, fili mi : tantum audi vocem meam, et pergens affer quæ dixi. 14. Abiit, et attulit, deditque matri. Paravit illa cibos, sicut velle noverat patrem illius. 15. Et vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat domi, induit eum : 16. pelliculasque hædorum circumdedit manibus, et colli nuda protexit. 17. Deditque pulmentum, et panes, quos coxerat, tradidit. 18. Quibus illatis, dixit : Pater mi! At ille respondet : Audio. Quis es tu, fili mi? 19. Dixitque Jacob : Ego sum primogenitus tuus Esau : feci sicut præcepisti mihi : Surge, sede, et comede de venatione mea, ut benedicat mihi anima tua. 20. Rursumque Isaac ad filium suum : Quomodo, inquit, tam cito invenire potuisti, fili mi? Qui respondit : Voluntas Dei fuit ut cito occurreret mihi quod volebam. 21. Dixitque Isaac : Accede huc, ut tangam te, fili mi, et probem utrum tu sis filius meus Esau, an non. 22. Accessit ille ad patrem, et palpato eo, dixit Isaac : Vox quidem, vox Jacob est; sed manus, manus sunt Esau. 23. Et non cognovit eum, quia pilosæ manus similitudinem majoris expresserant. Benedicens ergo illi, 24. ait : Tu es filius meus Esau? Respondit : Ego sum. 25. At ille : Affer mihi, inquit, cibos de venatione tua, fili mi, ut benedicat tibi anima mea. Quos cum oblatos comedisset, obtulit ei etiam vinum; quo hausto, 26. dixit ad eum : Accede ad me, et da mihi osculum, fili mi. 27. Accessit, et osculatus est eum. Statimque ut sensit vestimentorum illius fragrantiam, benedicens illi, ait : Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. 28. Det tibi Deus de rore cœli, et de pinguedine terræ abundantiam frumenti et vini; 29 et serviant tibi populi, et adorent te tribus : esto dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuæ. Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus, et qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur. 30. Vix Isaac sermonem impleverat : et egresso Jacob foras, venit Esau. 31. Coctosque de venatione cibos intulit patri, dicens : Surge, pater mi, et comede de venatione filii tui, ut benedicat mihi anima tua. 32. Dixitque illi Isaac : Quis enim es tu? Qui respondit :

Ego sum filius tuus primogenitus Esau. 33. Expavit Isaac stupore vehementi : et ultra quam credi potest, admirans, ait : Quis igitur ille est qui dudum captam venationem attulit mihi, et comedi ex omnibus priusquam tu venires ? benedixique ei, et erit benedictus. 34. Auditis Esau sermonibus patris, irrugiit clamore magno, et consternatus, ait : Benedic etiam et mihi, pater mi. 35. Qui ait : Venit germanus tuus fraudulenter, et accepit benedictionem tuam. 36. At ille subjunxit : Juste vocatum est nomen ejus Jacob : supplantavit enim me in altera vice : primogenita mea ante tulit, et nunc secundo surripuit benedictionem meam. Rursumque ad patrem : Numquid non reservasti, ait, et mihi benedictionem ? 37. Respondit Isaac : Dominum tuum illum constitui, et omnes fratres ejus servituti illius subjugavi : frumento et vino stabilivi eum, et tibi post hæc, fili mi, ultra quid faciam ? 38. Cui Esau : Num unam, inquit, tantum benedictionem habes, pater ? mihi quoque obsecro ut benedicas. Cumque ejulatu magno fleret, 39. motus Isaac, dixit ad eum : In pinguedine terræ, et in rore cœli desuper 40. erit benedictio tua. Vives in gladio, et fratri tuo servies ; tempusque veniet, cum excutias et solvas jugum ejus de cervicibus tuis. 41. Oderat ergo semper Esau Jacob pro benedictione, qua benedixerat ei pater, dixitque in corde suo : Venient dies luctus patris mei, et occidam Jacob fratrem meum. 42. Nuntiata sunt hæc Rebeccæ : quæ mittens et vocans Jacob filium suum, dixit ad eum : Ecce Esau frater tuus minatur ut occidat te. 43. Nunc ergo, fili mi, audi vocem meam, et consurgens fuge ad Laban fratrem meum in Haran ; 44. habitabisque cum eo dies paucos, donec requiescat furor fratris tui, 45. et cesset indignatio ejus, obliviscaturque eorum quæ fecisti in eum : postea mittam, et adducam te inde huc ; cur utroque orbabor filio in uno die ? 46. Dixitque Rebecca ad Isaac : Tædet me vitæ meæ propter filias Heth ; si acceperit Jacob uxorem de stirpe hujus terræ, nolo vivere.

Vers. 1. Jacob erat 77 annorum cum surripuit benedictionem Esau.

1. SENUIT AUTEM ISAAC. — Isaac hoc anno quo Jacob ejus benedictionem fratri surripuit, erat 137 annorum, Esau vero et Jacob 77. Nam hoc anno 77 Jacob mox a surrepta benedictione fratris, timens ejus iram, monitu matris fugit in Mesopotamiam. Id patet ex eo quod Joseph natus sit anno Jacobi 91. Joseph autem natus est annis 14 post fugam patris in Mesopotamiam, puta postquam Jacob ibidem servierat 14 annis Laban, pro Rachele et Lia, uti demonstrabo cap. XXX, vers. 25. Ergo hæc fuga Jacobi contigit anno vitæ Jacobi 77 ; ab hoc enim anno 77 usque ad annum 91, quo natus est Joseph, intercurrunt præcise 14 anni jam dicti. Ita Eusebius, lib. IX *De Præp.* cap. IV. Vide Abulensem hic *Quæst.* I, et Pererium in præfatione capitis. Vixit post hæc Isaac adhuc annis 43 ; mortuus est enim anno ætatis 180.

ET CALIGAVERUNT, — tum senio, tum crebris morbis, inquit S. Augustinus, lib. XVI *De Civit.* cap. XXX.

Isaac fuit cæcus per 44 annos.

Nota hic longam patientiam Isaac ; tulit enim ipse cæcitatem per 44 annos, scilicet ab anno ætatis 137 (ut dixi ante) usque ad annum 180, quo mortuus est. Præclare dixit S. Syncletica in *Vitis Patrum* : « Si infirmitas nobis supervenit, non contristemur, quia ad destruenda desideria corporis nobis proficit. Si amittamus oculos, non feramus graviter, quia extollentiæ instrumentum amisimus. Si surdi facti sumus, non doleamus, quia auditum vanum amisimus. »

Moraliter, de patientia in morbis. Par. 2 de patientia.

Hinc ibidem alius sanctus Anachoreta dixit : « Summa religio est, ut in infirmitate quis Deo gratias agat : sicut enim magno et forti medicamine ægritudo corporis curatur, sic ægritudine corporis cordis vitia retunduntur. Si ferrum es, æruginem per ignem tribulationis amittis ; si aurum, splendidior et purior efficeris : quapropter sancti Patres desiderabant semper esse in infirmitate. » Par. 2. §. 147.

Ibidem Polemon, socius B. Pachomii, cum doloribus splenis graviter affligeretur, et rogaretur a fratribus, ut pateretur aliquid remedii impendi, respondit : « Si martyres Christi alii per frusta lacerati, alii capite plexi, alii ignibus cremati sunt, et tamen usque in finem fortiter pro fide toleraverunt : cur ego patientiæ præmia parvis cedens doloribus impatienter abjiciam, et desiderio vitæ præsentis afflictiones momentaneas inaniter expavescam ? » Par. 1. de B. Polemone.

Ibidem legitur de Didymo (qui cæcus fuit per octoginta annos, et tamen in S. Scriptura versatissimus, unde S. Hieronymus eum vocat suum videntem), quod rogatus a S. Antonio an tristaretur de eo quod oculis careret, et ille non abnueret, audierit ab Antonio : « Miror prudentem virum ejus rei dolere damno, quam formicæ et pulices habent, et non potius lætari illius possessione, quam soli Sancti et Apostoli meruerunt : multo enim melius est spiritu videre quam carne, et illos oculos possidere, in quos festuca Par. 2. §. 205.

peccati non possit incidere, quam illos qui solo visu, per concupiscentiam possunt homines in interitum gehennæ mittere. »

Hinc B. Petrus Abbas Claravallensis, cum ex vi morbi unum oculum amisisset, monoculus dixit : « Unum de inimicis evasi, et plus a residuo quam a perdito formido. » Hinc et nonnulli Philosophi sibi oculos eruerunt, ne mens detraheretur, sed collecta tota contemplationi vacaret; fideles vero, ut S. Audomarum, Aquilinum et alios, cæcitatem a Deo petiisse et impetrasse legimus. S. Pigmenius Romanus presbyter cæcus occurrens Juliano Apostatæ, cum ab eo audiret : « Gratias ago diis, o Pigmeni, quod te video ; » respondit : « Gratias ago Deo meo quod te non video. » Tam igitur forti animo cæcitatem pertulit, quam tyrannum contempsit. Dehinc martyrii corona donatus videre cœpit quæ oculus non vidit; et audire, quæ auris non audivit; et intelligere, quæ in cor hominis non ascenderunt.

Vers. 2. 2. VIDES QUOD SENUERIM, ET IGNOREM DIEM MORTIS MEÆ. — Vide quam mature per 43 annos, Isaac hic præmeditetur suam mortem, eam, utpote incertam, in dies exspectet, ad eamque se suaque omnia comparet. Facto ergo suo docet nos vitam nostram non aliud esse debere, quam meditationem mortis, uti aiebat Plato. Mors enim certa est, certoque nobis obventura; sed dies et hora ejus incerta est. Audi Horatium, *Ode* 3, lib. II :

Vita esse debet jugis meditatio mortis.

> Omnes eodem cogimur : omnium
> Versatur urna, serius, ocius
> Sors exitura, et nos in æternum
> Exilium impositura cymbæ.

Vers. 3 et 4. 3. CUMQUE VENATU ALIQUID APPREHENDERIS, FAC MIHI INDE PULMENTUM. — Hebr. fac mihi מטעמים *matammim*, id est, gustamenta, puta delicatioris cibi fercula, quæ gustum oblectant; erat enim hæc dies benedictionis filii fausta, læta et solemnis, et proinde læto et jucundo epulo celebranda. Ita Lipomanus.

Cur Isaac ferinam petiit ab Esau ? Causa Prima. Quæres : Cur Isaac petiit ab Esau carnem ferinam ex venatione, potius quam pullorum, vel agnorum, cum ea domi ad manum haberet, antequam vellet ei benedicere ? Respondeo *primo*, quia Isaac assueverat esui ferinæ, quam ei ex venatione afferebat Esau, ut patet capite XXV, vers. 28, ac consequenter ea magis pascebatur

Secunda. et delectabatur; *secundo*, quia volebat ut Esau se disponeret ad benedictionem recipiendam, per hanc obedientiam et obsequium venationis :

Tertia. ita Thomas Anglicus; *tertio*, quia Isaac nescius movebatur a Deo, ad emittendum Esau foras venatum, ut interim Jacob posset prævenire Esau, eique benedictionem præriperet : decreverat enim Deus in primogenitura Jacobum præferre Esau.

Tropologice. Tropologice, docuit hic Isaac dantes spiritualia posse exigere temporalia, nimirum sacerdotes et pastores qui docent, orant et benedicunt populo, a populo ali debere (1).

Vers. 7. 7. CORAM DOMINO — vidente, audiente, invocato, annuente et aspirante Domino. Ita Oleaster, Pererius et alii. Vide hic quam mirabilis sit Deus in operibus et promissis suis implendis : nihil minus sperare poterat Jacob, quam se benedicendum, cum pater decrevisset benedicere Esau, et tamen benedictio ipsi Jacob contigit. E contrario nunquam Esau certior fuit de benedictione accipienda, quam dum pater ei sic loqueretur; et tamen tunc maxime perdidit eam. Disce ergo Deo fidere, etiamsi adversa omnia eveniant : disce contra spem in spem credere.

Deus mirabilis in suis consiliis.

Vers. 11. 11. EGO LENIS, — glaber, non pilosus ut Esau.

Vers. 13. 13. IN ME SIT ISTA MALEDICTIO, — non quod Rebecca vere pro filio voluerit excipere patris maledictionem et punitionem, ut vult S. Chrysostomus; sed ita loquitur, quia secura erat de felici eventu : sciebat enim Deum ita promisisse, cap. XXV, vers. 23, *q. d.* Frustra times iram patris, illius nullum est periculum; ego spondeo, imo si hæres et dubitas, ego omnem iram in me excipiam. Ita Theodoretus.

Ubi nota *primo*, in Rebecca fidem inconcussam in verbum Dei dicentis : « Major serviet minori; » *secundo*, ipsa filium instruit ad benedictionem petendam, felicem futurum rata, si benediceretur a patre, eoque sancto : aliæ matres educant filios ad vanitates et peccata; *tertio*, licet sciret maritum errare in eo, quod contra voluntatem Domini majorem filium benedicere volebat, non tamen cum eo jurgatur, non vi obsistit, sed latenter curat ut benedictio ei obtingat, quem Deus destinaverat; *quarto*, omnibus modis curat ne senex pater deceptionem sentiat, itaque turbetur; *quinto*, officiosa est erga maritum senem, cibos ei parando, quibus libenter vescebatur; *sexto*, prudenter Jacobum emendat, ut Esau iram leniat.

Tropologice, quomodo parentes æqualiter filios diligere, nec unum præferre alteri, aut si præferant, id alio modo compensare debeant, docet ex hoc Isaaci erga Esau, et Rebeccæ erga Jacob affectu, S. Ambrosius, lib. II *De Jacob*, cap. II : « Accipe, ait, bonum certamen inter parentes. Mater deferat affectum, pater judicium : mater circa juniorem tenera pietate propendeat, pater circa seniorem naturæ honorificentiam servet; hic magis honoret, illa plus diligat; compenset alter, quod alter imminuit. »

Vers. 14. 14. ATTULIT — duos hædos quos mater postularat : non quod pater tam robustus esset, tantique cibi, ut duos hædos absumeret, ut vult Procopius, sed quia ex duobus hædis delicatiores partes abscindere, easque patri offerre destinabat. Ita Diodorus et Abulensis.

(1) Vers. 5. *Ut jussionem patris impleret.* Legerunt Septuaginta לאביו. Hebræa nunc habent להביא, ut sensus sit, exiisse Esau in campum ad venandam feram, *quam adduceret.*

Moraliter S. Ambrosius, lib. II *De Jacob*, cap. II : « Vicit, inquit, ille qui præferabatur oraculo; vicit impigritia tarditatem, mansuetudo duritiam, dum alter venatu aspero prædam quærit agrestem, hic mitium cibos morum. »

Vers. 15. 15. VALDE BONIS. — Hebraice חמודות *chamudot*, id est, desiderabilibus; Septuaginta, *pulchris* : unde in arca inter odoramenta asservabat eas mater. Odoratas enim fuisse patet vers. 27.

Allegorice, stola Esau, id est prophetia, sacerdotium et scriptura veteris Testamenti a Judæis translata est ad Jacob, id est, ad Christianos. Ita S. Ambrosius.

Vers. 16. 16. PELLICULASQUE HÆDORUM, — ut Jacob videretur esse Esau, qui erat hirsutus.

CIRCUMDEDIT MANIBUS, — in modum chirothecarum : nam alioqui manibus uti debebat Jacob, iisque cibos inferre ad patrem, eique ministrare cogebatur.

Jacob, id est Christus induit pelles hædinas Esau, id est nostra peccata in se assumpsit. Allegorice, Jacob est Christus, qui induit pelles hædinas, id est, nostra peccata in se assumpsit, ut ea lueret. Ita S. Augustinus, lib. *Contra mendacium*, cap. X, et Prosperus, I part. *Prædicat.* cap. XXI.

COLLI NUDA, — mollitiem et glabritiem colli. Ita Hebræa.

Vers. 19. 19. QUIS ES TU? — Vox enim Jacob movebat dubium et scrupulum Isaaco, ut ambigeret, an qui loquebatur esset Jacob, an Esau, ideoque rogat : Quis es tu?

Disce hic quod Deus subinde justos sinit aliqualiter ignorare, falli, cadere, decipi, ut se agnoscant. Sic Isaac sanctus putabat benedictionem Dei in Esau implendam esse, sed fallebatur; *secundo*, quod Deus aliquando parvulis revelat, quæ magnis abscondit : sic Rebeccæ revelatur, quod Isaac ignorabat. Idem confitetur Christus, *Matth.* XI, 25.

Quomodo Jacob dixerit se esse Esau? Prima expositio. EGO SUM PRIMOGÉNITUS TUUS ESAU. — Quæres, an Jacob hic mentitus sit, et an peccarit? *Primo*, Origenes, Cassianus et Chrysostomus, Platonem secuti, censent Jacob mentitum esse, sed licite et sine peccato; licere enim subinde uti mendacio, quasi helleboro, vel sicuti utimur rebus venenatis in pharmacis. Sed hic est error jam ab Ecclesia declaratus et reprobatus, adversus quem scripsit S. Augustinus, lib. *Contra mendacia.*

Secunda. *Secundo*, Gabriel in III, dist. 38, et Aliaco in I, Quæst. XII, in fine, censent non licere quidem mentiri per se, licere tamen mentiri dispensante Deo. Sed communis Doctorum cum S. Augustino sententia est, mendacium natura sua esse malum, ac consequenter in eo a Deo dispensari non posse. Est enim mendacium per se contra naturam et virtutem veritatis. Unde S. Scriptura omne omnino prohibet mendacium, *Ecclesiastici* cap. VII, vers. 14.

Tertia. *Tertio*, melius S. Augustinus, lib. *Contra mend.* cap. X, censet hic esse figuratam locutionem. Sicut enim, *Matth.* XI, 14, Joannes Baptista vocatur Elias, non quoad personam, sed quoad spiritum; et *Tobiæ* V, 18, Raphael se dicit esse Azariam, id est adjutorem Dei, Ananiæ, id est gratiæ Dei, filium : sic Jacob dicit se esse Esau, non quoad nomen et personam, sed quoad jus et primogenituram, sibi a Deo collatam cap. XXV, vers. 23. Unde ait : « Feci sicut præcepisti mihi; » intendisti enim primario, præcipere primogenito tuo adferre cibos, et excipere paternam benedictionem : primogenitus autem sum ego. « Comede *ergo* de venatione mea, » quam non in agro, sed in stabulo venatus sum.

Quarta et genuina. Verum dico, videtur Jacob matris impulsu et veste, et factis, et verbis mentiri, non tantum jus, sed et personam Esau : vult enim patri diligenti personam Esau omnibus modis persuadere se esse ipsummet Esau; unde mentitur dicens : « Feci sicut præcepisti mihi; » et, « Comede de venatione mea, » *q. d.* Sumpsi arma et arcum, venatus sum, en fera quam apprehendi et coxi : comede ex ea; ita S. Chrysostomus, Lyranus, Cajetanus, Lipomanus, Pererius et alii.

Adde, licet hæc verba amphibologica et subtili aliqua subintelligentia excusari et verificari possent, tamen eam non videtur habuisse Jacob, qui non tam subtilis erat, nec talia tantaque versabat animo : sed simplex erat, rectus et candidus; atque in hoc negotio præripiendi fratri benedictionem per dolum et fraudem, matri simpliciter obedivit, fecitque quidquid illa suggessit; unde et a patre vocatur fraudulentus, vers. 35.

Jacob mentitur, sed officiose. Dico *secundo*, mendacium hoc Jacob, non perniciosum, nec injurium alicui, sed officiosum fuit, ac consequenter veniale tantum peccatum. Erant enim ei ex Dei dono debita jura primogenituræ, ac proinde ea præripiendo Esau per dolum, nullam ei faciebat injuriam, sed rem suam sibi vindicabat. Ita Tostatus, Lipomanus, Cajetanus. Adde, forte ex ignorantia invincibili putabat, tam mater, quam Jacob, id quod putavit Origenes, Cassianus et S. Chrysostomus, scilicet, licere sibi tali casu et necessitate mentiri.

Objectio. Dices : Mysterium fuit hic, ergo non mendacium. Antecedens patet, quia Jacob induens vestes et personam Esau, significabat Christum, qui nostra peccata et pœnas in se suscepit. Rursum significabat Gentes surrogandas esse Judæis in filiatione et benedictione Abrahæ, puta in gratia, justitia et salute, uti explicat Apostolus, *Rom.* IX et X.

Responsio. Respondeo : Mysterium hoc fuit ex parte Dei et Spiritus Sancti, qui intendebat allegorice hoc significare; sed mendacium fuit ex parte Jacobi : ipse enim litterali sensu intendebat patri persuadere se esse Esau in persona. Unde mysterium Dei jam dictum eum non excusat, præsertim cum ipse illud tunc ignorasse videatur. Adde, mysterium hoc et hunc mysticum sensum non esse situm in mendacio Jacobi : nec enim veritas falsitate niti potest; sed situm esse in facto Jacob, quo se patri exhibuit, itaque gessit, ac si ipse

Mysterium non potest esse mendacium.

esset Esau : facta enim sæpe a mendacio excusari possunt, ubi verba non possunt. Verba enim definite et determinate rem et mentem loquentis significant : facta autem confuse tantum et indeterminate; unde a mente facientis huc illuc ve flecti, determinari, et ad hoc illudve significandum dirigi possunt. Sic comœdi in comœdiis sine mendacio alias personas regum et principum repræsentant, agendo ea quæ ipsi egerunt, perinde ac si ipsimet essent reges et principes.

SURGE, SEDE ET COMEDE. — Jacebat ergo Isaac præ senio et debilitate in lectulo, ex quo ut surgat ad comedendum rogat eum Jacob.

Mystice S. Ambrosius, lib. *De Isaac*, cap. V : « Lectus, ait, sanctorum Christus est, in quo universorum fessa sæcularibus præliis corda requiescunt. In hoc lecto requievit Isaac, et benedixit filium juniorem. »

Vers. 22. 22. VOX QUIDEM, VOX JACOB EST; SED MANUS, MANUS SUNT ESAU. — Sic allegorice Christi vox, vox fuit Filii Dei, sed manus et species externa, quam viderunt et tetigerunt homines, fuit hominis communis, mortalis et miseri. Unde S. Bernardus, serm. 28 *in Cantica* : « Suum, inquit, est quod auditur in Christo : quod videtur, nostrum : quod loquitur, spiritus et vita est : quod apparet, mortale est et mors : aliud cernitur, et aliud creditur. »

Hinc ibidem docet quod notitia veritatis magis per auditum, quam per visum accipitur. « Caligant, inquit, oculi patriarchæ, palatum seducitur, fallitur manus, non fallitur auris. Quid mirum, si auris percipit veritatem cum fides ex auditu, auditus per verbum Dei, verbum Dei veritas sit? Vox, inquit, vox Jacobi; nihil verius : manus autem, manus sunt Esau; nihil falsius. Falleris, manus similitudo decipit te. Nec in gustu veritas, etsi suavitas : nam quomodo habet veritatem, qui se putat edere venationem, cum domesticis vescatur hædorum carnibus? Multo minus oculus, qui nihil videt. Non est veritas in oculo, non sapientia; solus habet auditus verum, qui percipit verbum. »

In Eucharistia est vox Jacob, id est Christi, sed manus sunt Esau.

Idem clarum est in Eucharistia : in ea enim manus, gustus et tactus falluntur, dum sapiunt, gustant et judicant esse panem; sed sola vox non fallit : hæc enim vox Filii Dei, qui falli aut fallere nequit, dicens : « Hoc est corpus meum. »

Vers. 23. 23. BENEDICENS ERGO. — Destinans et parans se ad benedicendum : τὸ enim *benedicens* significat hic actum, non perfectum, sed inchoatum et destinatum, puta ipsam destinationem et præparationem ab benedicendum : non enim hic, sed in sequentibus benedicit Isaac Jacobo.

Vers. 27. 27. UT SENSIT. — Odoris fragrantia, quam vestibus suis spargebat Jacob, cerebrum boni senis Isaac ita recreavit et exhilaravit, ut lætitia perfusus, et amore filii inardescens, in ejus benedictionem prorumperet.

Ex hoc loco patet antiquissimum esse, ut principum virorum et nobilium vestes pretiosis unguentis, vel odoribus condirentur. Idem patet *Cant.* IV, 11 : « Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. » Et *Psalm.* XLIV, 9 : « Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis. »

ECCE ODOR FILII MEI. — Pro *ecce* hebraice est *vide, q. d.* Video, id est sentio, percipio, odoror miram fragrantiam filii mei; visus enim pro quovis sensu ponitur, uti alias dixi.

SICUT ODOR AGRI PLENI, — floribus et fructibus vernantis : hi enim suavem et odoratum sui halitum expirant, quo mire homines recreantur. Vox *pleni* non est in Hebræo, nec in Chaldæo, sed in Græco.

Tropologice, de odore virtutum vide Rupertum hic, et S. Augustinum, lib. XVI *De Civit.* XXXVII, et S. Gregorium, hom. 6. *in Ezech.*, qui ait : « Aliter namque olet flos uvæ; quia magna est prædicatorum virtus et opinio, qui inebriant mentes audientium. Aliter flos olivæ; quia suave est opus misericordiæ; quia more olei fovet et lucet. Aliter flos rosæ; quia candida vita carnis est de incorruptione virginitatis. Aliter flos violæ ; quia magna est virtus humilium, qui ex desiderio ultima loca tenentes, se per humilitatem a terra in altum non sublevant, et cœlestis regni purpuram in mente servant. Aliter redolet spica, cum ad maturitatem perducitur; quia bonorum operum perfectio ad satietatem eorum qui justitiam esuriunt, præparatur. »

Agri benedictio sita est in tribus.

CUI BENEDIXIT DEUS. — Hæc agri a Deo benedictio sita est in tribus, uti hic explicat Isaac : *primo*, in odore suavi et fragranti, de quo hic dicit : « Sicut odor agri pleni; » *secundo*, « in rore cœli. » Dicit potius in rore, quam in pluvia, quia in Palæstina bis tantum in anno pluit, nimirum in octobri cum seminant, ut semen germinet, qui proinde in Scriptura vocatur imber temporaneus; secundo, in aprili, ut fruges maturescant, qui vocatur imber serotinus. Hinc intermedio tempore agri continuo rore indigent, ut sata et segetes non exarescant, sed vegetentur, alantur et crescant. *Tertio*, in « pinguedine terræ; » ut scilicet terra sit non sabulosa, non aquosa, non senescens, sed pinguis, moderate sicca, et quasi juvenescens, ut uberes fœtus et fructus proferat.

Allegorice, istæ benedictiones impletæ sunt in Christo, ut docet S. Augustinus, lib. XVI *De Civit.* XXXVII. Tropologice, in anima cujusque justi, ut docet S. Gregorius, hom. 6 *in Ezech.* Anagogice, in Beatis, ut docet S. Irenæus, lib. V, cap. XXXIII (1).

Vers. 29. 29. SERVIANT TIBI POPULI, — *q. d.* Posteris tuis, Davidi, Salomoni et Machabæis subjicientur Idumæi, Philistini, Arabes, Ammonitæ et alii populi.

Quadru- Nota quatuor partes hujus benedictionis. *Prima*

(1) In Orientis regionibus sunt rores vespertini et matutini vice pluviarum, quæ raro cadunt, nec fere nisi bis in anno, primo cum seminatur, iterum cum fruges maturescunt. Pendet igitur fertilitas, præter illas tempestivas pluvias, præcipue a copiosis roribus.

Triplex benedictio Jacobi. ad opes pertinet, cum ait : « Det tibi Deus de rore cœli, » etc.; *secunda* hæc ad imperium, cum ait : « Serviant tibi populi; » *tertia*, ad principatum inter fratres, cum ait : « Esto dominus fratrum tuorum; » quibus verbis Jacob accepit jus et dominium in Esau; sed executionem hujus juris et dominii non in se, sed in suis posteris accepit, cum eis posteri Esau, puta Idumæi, sub Davide servierunt; *quarta*, cum ait : « Qui tibi maledixerit, sit ille maledictus; et qui tibi benedixerit, benedictionibus repleatur. » Hæc ad Dei favorem pertinet, *q. d.* Deus tuas tuorumque partes et causam aget; qui tui sunt amici vel inimici, suos censebit : his maledicendo, id est malefaciendo, illis benedicendo, id est benefaciendo.

Nota : Hæ benedictiones partim benedictiones, partim prophetiæ sunt. Isaac enim spiritu prophetico hisce verbis imprecatur, et simul prænuntiat ea, quæ Jacodo et Jacobæis ex Deo Deique favore sunt obventura.

Vers. 33. 33. EXPAVIT ISAAC STUPORE VEHEMENTI. — Septuaginta : *Raptus est Isaac in exstasin magnam vehementer.* In hoc ergo pavore et admiratione Isaac raptus in exstasin, inquit S. Augustinus, *Quæst.* LXXX, vidit et dixit ea quæ sequuntur, ita ut mentem mutaret, et Jacobo, qui fraude benedictionem fratri surripuerat, non irasceretur, sed eam confirmaret : nimirum in hoc raptu Deus indicavit Isaaco factum hoc Jacobi, quoad facti substantiam, puta quoad surreptionem, præventionem et suppositionem sui in primogenitura (licet non quoad modum, puta mendacium), suo nutu et instinctu gestum esse : Jacobum enim a se designatum esse primogenitum et hæredem promissionum suarum Abrahæ et Isaaco factarum, non Esau; velle ergo se, ut Isaac hæc ipsa rata habeat; unde Isaac statim Deo obediens, mentemque ex Esau in Jacob commutans, ait : « Et erit benedictus. » Ita S. Hieronymus, Alcuinus et S. Augustinus, lib. XVI *De Civit.* cap. XXXVII.

Isaaci exstasis.

DUDUM. — Hæc vox non est in Hebræo, nec Chaldæo, nec Græco. *Dudum* ergo idem est, quod *ante*; sic enim vulgo dicimus de homine vigili, sedulo et acri : Jamdudum, jampridem ille te prævenit, uti Jacob hic prævenerat Esau; vix enim egressus erat a patre Jacob, cum supervenit Esau; ut patet vers. 30. Ubi S. Chrysostomus, *hom.* 53, miratur Dei erga suos sibique obedientes providentiam : ea enim fecit ut Esau non rediret, nisi post Jacobi, benedictione accepta, egressum. « Hinc discamus, ait, quando quis juxta voluntatem Domini sua dispensare vult, tanto superno subsidio adjuvatur, ut hoc plane reipsa experiatur. »

Posset *secundo*, τὸ *dudum* non ad egressum Jacobi, sed ad captam venationem, cibosque ab eo ad patrem illatos referri : plusculum enim moræ in comedendo et colloquendo Jacobo impendit pater.

ET ERIT BENEDICTUS. — Dices : Error personæ irritat humanos contractus, maxime matrimonia; ergo et hanc Isaaci benedictionem : ipse enim benedicens Jacobo, non illi, sed Esau se benedicere putabat et intendebat. Rursum, Jacob dolo irrepsit et surrepsit; dolus autem nemini debet patrocinari, ut habet regula Juris.

An Isaac errarit in persona Jacob?

Respondet Pererius, negando consequentiam; quia Isaac non errabat in persona quoad primariam suam intentionem, quæ erat benedicere ei qui erat primogenitus, seu quem Deus vellet esse primogenitum : is autem erat Jacob, non Esau; errabat tamen quoad secundariam intentionem, qua intendebat benedicere Esau, putans eum esse primogenitum; unde Dei instinctu errorem hunc agnoscens, intentionemque suam corrigens ait : « Et erit benedictus, » scilicet Jacob, cui ante benedixi. Dolus autem Jacobi non malus, sed bonus fuit : illo enim sibi vindicavit jus et rem suam, puta primogenituram, quam aliter ab injusto et violento possessore Esau obtinere non potuisset. Adde, hanc non tam esse benedictionem, quam prophetiam, et linguam Isaaci non tam ab Isaaco, quam a Deo motam fuisse ad benedicendum Jacobo (1).

Vers. 34. 34. IRRUGIIT, — quasi leo, suam non tantum tristitiam, sed ferociam et furorem, valido clamore quasi rugitu ostendens.

Philo et Eusebius censent Esau ita irrugiisse, non tam ex dolore amissæ benedictionis (quanquam et hic eum pupugit), quam ex invidentia fraterni incrementi, præsertim quod illum sibi prætulerat, seque illi subjecerat pater.

BENEDIC ETIAM ET MIHI. — Hebræa majus habent pathos, *Benedic mihi etiam; ego, pater mi,* subaudi, filius tuus sum, isque vere primogenitus, tibique hactenus carior, et cui paulo ante benedictionem hanc promisisti, qui nunc dolo fratris præventus sum, quique hanc jacturam feci, eo quod tuæ jussioni obediverim discedens venatum, ut pararem quæ optabas; par ergo est, ut mihi quoque benedicas.

Cur Esau adeo expetiit benedictionem patris?

Quæres, cur Esau tam avide et instanter expetiit benedictionem patris? Respondeo *primo*, quia longo usu didicerant illo tempore homines

(1) « Quare preces repetere aut revocare in Esavi gratiam noluerit Isaacus, duæ potissimum causæ fuisse videntur. Primum, non modo credebant eo ævo, non irritas esse patris morientis preces, sed eas iterari non posse, quasi Deus patri potestatem fecisset, semel tantum liberis precandi quod vellet, si preces ratas esse cuperet; atque iteratas, aut immutatas, se exauditurum negasset. Secundo, hac in re fraudi indignari noluit Isaacus, quod recordatus esset oraculi, Rebeccæ dati, antequam ea pepererit gemellos, quos utero gerebat, fore, ut major minori subesset, et quum ille videret, se quoque, quanquam invitum, id responsum benedictione sua confirmasse, rem istam divinitus contigisse intellexit. Fortasse etiam illud eum movit, quod Esavus Jacobo jura primogenituræ vendiderat, quorum unum erat, ut majorem, quam frater, benedictionem a patre acciperet; noluit igitur id irritum facere, quod non sine divina providentia ita contigisse cernebat. » Ita Clericus.

Benedictionem patris? Respondeo, quia erat efficax. Probatur exemplis.

patris benedictionem, vel maledictionem plurimum valere, sæpeque esse efficacem in filiis, uti etiamnum non raro fit. « Benedictio patris, inquit Sapiens *Eccli.* III, vers. 11, firmat domos filiorum, maledictio autem matris eradicat fundamenta. » Ita Sem et Japhet benedicti a Noe : « Benedictus Dominus Deus Sem, sit Chanaan servus ejus, dilatet Deus Japhet, » etc. *Gen.* IX, 26, idipsum a Deo consecuti sunt. Ita Jacobi benedictio data Ephraim et Manasse *Gen.* XLVIII, 20, et alia data duodecim filiis *Gen.* XLIX; item Mosis data 12 tribubus, *Deut.* XXXIII, fuit efficax, et reipsa completa. Ita benedictio Tobiæ data filio cap. V, 21 : « Bene ambuletis, et sit Deus in itinere vestro, et angelus ejus comitetur vobiscum; » item benedictio Raguelis soceri data Tobiæ, ejusque uxori Saræ, cap. X, vers. 1, fuit efficax. Hinc S. Ambrosius, lib. I *De Bened. Patriarch.* cap. I : « Quantam quoque, inquit, debemus parentibus reverentiam, cum legimus (*Gen.* XXVII) quoniam qui benedicebatur a patre, benedictus erat; ideo parentibus hanc Deus donat gratiam, ut filiorum pietas provocetur : prærogativa ergo parentum, disciplina est filiorum. » Ita Mathathiæ patris benedictione Machabæi fortes et invincti in bellis evaserunt, I *Machab.* cap. II, 69 et seqq.

Sic et efficax erat maledictio parentum.

E contrario Cham a patre Noe maledictus, talis in omni sua Chananæorum posteritate evasit. Sic et Ruben a Jacobo ob incestum maledictus, talis extitit : idem contigit Levi et Simeoni, *Gen.* cap. XLIX, vers. 4 et 5. Unde infert S. Ambrosius supra : « Honoret pius patrem propter gratiam, ingratus propter timorem. »

Exempla.

Exemplum memorabile habet S. Augustinus, lib. XXII *De Civit.* VIII, de decem prolibus a matre maledictis, qui mox horribili membrorum tremore percussi sunt, ideoque toto pene orbe Romano vagabantur : e quibus duo ad reliquias S. Stephani curati sunt.

Secundo, quia per hanc patris morientis benedictionem, declarabantur primogeniti, et hæredes promissionis Abrahæ factæ, uti Jacob hic declaratus est. Ita Rupertus.

BENEDICTIONEM TUAM, — tibi jure naturæ debitam, tibique a me destinatam, sed illam Deus in fratrem tuum transtulit.

Vers. 36.

36. JUSTE (recte, vere, apte : ita Hebræa) VOCATUM EST NOMEN EJUS JACOB : SUPPLANTAVIT ENIM ME IN ALTERA VICE. — Jacob idem est quod plantam tenens et supplantans. Ita dictus est ex eo quod nascens tenuit plantam fratris. Quo significabatur quod supplantaret fratrem, uti de facto fecit; *primo*, astute emendo primogenituram Esau, cap. XXV, vers. 21; *secundo*, hic præripiendo illi benedictionem patris. Arabicus emphatice vertit, *quia jacobavit me in altera vice*. Jacobare est verbum frequens Arabibus significans supplantare, et aliquid usque ad fæcem et extremum extenuare, sumptum ab Hebræo *akab* et *iaacob*, id est supplantare et supplantator.

Vers. 37.

37. OMNES FRATRES. — Omnes cognatos et consanguineos, vel ex te, o Esau, vel ex Ismaele, aliisque fratribus meis, filii Ceturæ, nascituros : horum enim uti caput et princeps sum ego, ita erit et Jacob.

QUID FACIAM? — Esau benedictionem similem Jacobi, et primogenito debitam poscebat : hanc dare non poterat Isaac; unde Apostolus *Hebr.* XII, Esau cum lacrymis eam requisiisse, sed frustra, nec enim eam impetrasse, asserit; aliam ergo talem qualem dedit ei Isaac.

Vers. 39.

39. IN PINGUEDINE TERRÆ, ET IN RORE COELI DESUPER ERIT BENEDICTIO TUA. — Hebraice est, *erit sessio*, vel *habitatio tua*, *q. d.* Habitabis in terra pingui et fertili, quam Deus fœcundabit immissione roris et pluviæ.

Vides hic benedictionem Isaaci esse prophetiam, quæ impleta est cap. XXXIII, vers. 9. Rursum, hæc est minima benedictionum Jacobo datarum, scilicet opulentia vini et tritici; nimirum talis, non alia, homini terreno et carnali debebatur.

Vers. 40.

40. VIVES IN GLADIO. — Uberem terram occupabis; attamen non tam ex agricolatione, quam ex rapina et prædatione vives, non tam tu, quam tua posteritas. Quam rapaces et bellicosi fuerint Idumæi, docet Josephus lib. IV *De Bello Judaico*.

ET FRATRI TUO SERVIES (sub Davide), TEMPUSQUE VENIET, CUM (quo, vel quando) EXCUTIAS ET SOLVAS JUGUM. — Puta tempore Joram, filii Josaphat, Idumæi rebellarunt Judæis, IV *Reg.* VIII, et a Judæorum jugo liberi manserunt per 800 annos, usque ad Hyrcanum, qui eos rursum subegit; ac rursum Herodes, Antipatri Idumæi filius, regnum Judææ fuit adeptus, tenuitque in se et suis posteris usque ad excidium Hierosolymæ, per annos 130. Hinc factum est, ut tempore Titi et Vespasiani, Idumæi cum Romanis Hierosolymam expugnarint et vastarint. Vide Josephum, lib. XIV *Antiq.*, initio, et lib. I *De Bello Judaico*.

Moraliter S. Ambrosius, lib. II *De Jacob*, cap. III : « Bonus pater, ait, cum duos haberet filios, unum intemperantem, sobrium alterum, quo utrique consuleret, intemperanti præfecit sobrium, et insipientem prudenti statuit obedire, ut regentis imperio suum melioraret affectum. »

Vers. 41.

41. ODERAT ERGO SEMPER ESAU JACOB. — Nota hic : Post acceptam patris benedictionem statim tentatur Jacob, persecutionem patitur, denique fugatur e domo patris, ut cogitare posset quis, nihil illi profuisse benedictionem, imo obfuisse : sed eventus docuit illam ipsi profuisse.

Nota *secundo*, impietatem et stultitiam Esau : nam *primo*, irascitur, imo odit fratrem; *secundo*, modum vindicandi quærit; *tertio*, non cogitat Dei providentia sic factum esse, nec se id commeruisse, sed tantum quid frater fecerit considerat; *quarto*, cum jure benedictionem retrahere non posset, ad vim se accingit; *quinto*, fratrem non tantum persequi, sed et occidere destinat;

sexto, patris mortem desiderat; « Venient, inquit, dies luctus patris mei, et occidam fratrem. » Ubi jure S. Chrysostomus, *hom.* 53 : « Nonne, inquit, et irascens insanientibus ipsis non minus insanus est? » *Septimo*, omnia hæc celat, donec occasio ea perficiendi se offerat. Quam stultus fuit, qui benedictionem malis mediis, imo peccata peccatis addendo, recuperare tentavit, cum per hæc magis incurratur maledictio : benefactis enim benedictio Dei accersenda est.

Vers. 42. 42. MINATUR. — Hebraice מתנחם *mitnachem*, id est consolatur se, quod te interficiet.

Vers. 45. 45. CUR UTROQUE ORBABOR FILIO IN UNO DIE? — Si enim hic maneas, pugnandum erit cum fratre, et vel mutuis concidetis vulneribus, vel uno cæso, alter profugus erit, itaque utriusque præsentia et solatio orbabor.

Vers. 46. 46. SI ACCEPERIT JACOB UXOREM DE STIRPE HUJUS TERRÆ (Chananæam, aut Hethæam, quales accepit Esau, quæ sua improbitate et contumacia mihi tibique molestæ et invisæ sunt), NOLO VIVERE. — Hebraice, *ad quid mihi vita? q. d.* Tristis et acerba mihi erit vita, ut mori potius optem quam vivere.

Prudens Rebeccæ consilium. Nota prudentiam Rebeccæ : ut enim fratricidium impediat, fratrem alterum ablegat; neve alterius crimen et machinationem patri prodat, itaque patri tristitiam, filio patris indignationem conciliet, aliam prætexit ablegandi filii causam, eamque veram, scilicet nolle se Jacobum ducere immorigeram et improbam aliquam Hethæam, sed cupere ut ducat cognatam aliquam ex Haran, in qua bene morata erat domus patris sui. Quæ ratio movit Isaacum, eique persuasit, ut mox cap. seq. Jacobum ablegaret in Haran. Unde S. Ambrosius, lib. II *De Jacob*, cap. III : « Discamus, inquit, a Rebecca, quam providendum sit ne invidia iracundiam excitet, iracundia in parricidium proruat. Veniat Rebecca, hoc est patientia, bona custos innocentiæ; suadeat ut iræ locum demus. Concedamus aliquo longius, donec tempore indignatio molliatur, offensionis subrepat oblivio. »

Imitatus est S. Gregorius Nazianzenus. Hoc Rebeccæ et Jacobi prudens et sanctum consilium secutus est S. Gregorius Nazianzenus; cum enim in Concilio Constantinopolitano simultates quorumdam Episcoporum, et dissidia essent exorta, eo quod Nazianzenus, ipsis inconsultis, ab aliis esset consecratus Episcopus, Nazianzenus loco suo et gradu sponte cessit, atque ita eos allocutus est : « Suppliciter vos per Trinitatem ipsam oro, ut inter vos omnia recte pacificeque constituatis : quod si ego dissensionis inter vos causa sum, nequaquam Jona vate venerabilior videri debeo; abjicite me in mare, ac turbarum tempestas hæc inter vos sedabitur. Lubens equidem patiar quidquid volueritis, quanquam innocens, vestræ concordiæ causa; ejicite me solio, ab orbe pellite, tantum veritatem et pacem diligite. Valete, pastores sacri, meorumque laborum perpetuo recordamini. » His dictis, abiit ad Theodosium imperatorem dimissionem petens : « Supplex, inquit, oro, ut laboribus hisce liberer, esto finis invidiæ, pacem colant Antistites, idque tua opera : hoc ego munus a te flagito, hoc mihi postremum beneficium largire. » Admiratus virtutem viri Theodosius, vix tandem acquievit, ac Nectarium ei substitui passus est. Ita Gregorius presbyter in Vita Nazianzeni.

Allegorice, Rebecca mittens Jacob in Mesopotamiam, ubi genuit 12 Patriarchas, significat Deum Patrem mittentem Filium in terram, ubi procreavit duodecim Apostolos. Et sicut Jacob missus est solus cum baculo, ita Christus venit solus, pauper et humilis, ac tales voluit esse Apostolos, itaque evangelizare per totum orbem, ut essent instar angelorum nullius indigentes, quasi dii quidam terrestres. Ita S. Irenæus, lib. IV, cap. XXXVIII, et S. Augustinus, serm. 79 *De Tempore*.

CAPUT VIGESIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jacob fugiens Esau, vadit in Mesopotamiam, ac in via dormiens videt Deum innixum scalæ, per quam angeli ascendebant et descendebant, se consolantem, indeque locum vocavit Bethel; ac tandem vers. 20, *votum vovet Deo.*

Nota : *Hæc omnia contigerunt anno ætatis Jacobi* 77, *uti ostendi cap.* XXVII, *initio.*

1. Vocavit itaque Isaac Jacob, et benedixit eum, præcepitque ei dicens : Noli accipere conjugem de genere Chanaan; 2. sed vade, et proficiscere in Mesopotamiam Syriæ, ad domum Bathuel patris matris tuæ, et accipe tibi inde uxorem de filiabus Laban avunculi tui. 3. Deus autem omnipotens benedicat tibi, et crescere te faciat, atque multiplicet : ut sis in turbas populorum. 4. Et det tibi benedictiones Abrahæ et semini tuo post te : ut pos-

sideas terram peregrinationis tuæ, quam pollicitus est avo tuo. 5. Cumque dimisisset eum Isaac, profectus venit in Mesopotamiam Syriæ ad Laban, filium Bathuel Syri, fratrem Rebeccæ matris suæ. 6. Videns autem Esau quod benedixisset pater suus Jacob, et misisset eum in Mesopotamiam Syriæ, ut inde uxorem duceret, et quod post benedictionem præcepisset dicens : Non accipies uxorem de filiabus Chanaan ; 7. quodque obediens Jacob parentibus suis isset in Syriam : 8. probans quoque quod non libenter aspiceret filias Chanaan pater suus, 9. ivit ad Ismaelem, et duxit uxorem absque iis quas prius habebat, Maheleth, filiam Ismael filii Abraham, sororem Nabaioth. 10. Igitur egressus Jacob de Bersabee, pergebat Haran. 11. Cumque venisset ad quemdam locum, et vellet in eo requiescere post solis occubitum, tulit de lapidibus qui jacebant, et supponens capiti suo dormivit in eodem loco. 12. Viditque in somnis scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens cœlum : angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam, 13. et Dominum innixum scalæ dicentem sibi : Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, et Deus Isaac. Terram, in qua dormis, tibi dabo et semini tuo. 14. Eritque semen tuum quasi pulvis terræ : dilataberis ad Occidentem, et Orientem, et Septentrionem, et Meridiem : benedicentur in te et in semine tuo cunctæ tribus terræ. 15. Et ero custos tuus quocumque perrexeris, et reducam te in terram hanc : nec dimittam nisi complevero universa quæ dixi. 16. Cumque evigilasset Jacob de somno, ait : Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam. 17. Pavensque, Quam terribilis est, inquit, locus iste! non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cœli. 18. Surgens ergo Jacob mane, tulit lapidem quem supposuerat capiti suo, et erexit in titulum, fundens oleum desuper. 19. Appellavitque nomen urbis Bethel, quæ prius Laza vocabatur. 20. Vovit etiam votum, dicens : Si fuerit Deus mecum, et custodierit me in via, per quam ego ambulo, et dederit mihi panem ad vescendum, et vestimentum ad induendum, 21. reversusque fuero prospere ad domum patris mei : erit mihi Dominus in Deum, 22. et lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur Domus Dei : cunctorumque quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.

Vers. 1. 1. BENEDIXIT EUM, — datam paulo ante benedictionem confirmavit. Ita S. Augustinus.

Vers. 2. 2. IN MESOPOTAMIAM, — in Haran, sive Carrhas, urbem Mesopotamiæ, quæ distabat a Bersabee, ubi habitabant Isaac et Jacob, itinere circiter octo dierum.

DOMUM BATHUEL, — quæ fuerat Bathuel, sed eo mortuo, jam erat filii, puta Laban avunculi sui.

Vers. 3. 3. CRESCERE TE FACIAT ATQUE MULTIPLICET, UT SIS IN TURBAS POPULORUM, — crescere te faciat multa prole et familia, ut multæ tribus et turbæ populorum ex te nascantur. Ita reipsa populosæ fuerunt tribus duodecim, descendentes ex Jacob.

Vers. 4. 4. SEMINI TUO POST TE. — Hinc S. Augustinus, lib. XVI *De Civit.* XXXVIII, et Rupertus colligunt promissiones Dei de terra Chanaan possidenda, de numerosa prole et opibus, de Christo ex se nascituro, etc., Abrahæ et Isaaco factas, appropriatas esse Jacobo ejusque posteris : atque hac ratione Esau, quasi ex semine et familia Abrahæ et Isaaci exclusum externumque censeri, et externæ gentis, puta Idumæorum, patrem et conditorem effectum esse ; unde consequenter conditione et onere in pacto et benedictione Abrahæ incluso, puta, lege circumcisionis obligati non fuerunt Esau et Idumæi ; licet sponte et libere eam acceptarint, ut patet *Jeremiæ* IX, 25 et 26.

Esau quasi a familia Abrahæ exclusus.

Idumæi circumcisi non ex lege, sed sponte.

Vers. 5. 5. VENIT IN MESOPOTAMIAM, — eo itinere, quod fusius enarratur vers. 10. Est ergo prolepsis ; voluit enim Moses simul quasi in synopsi hic ob oculos ponere et opponere gesta, tam Esau quam Jacob, ejusque a fratre fugam et fugæ terminum, ut eam deinde in sequentibus resumat et enarret fusius. Intendit enim Moses gesta Jacobi, utpote patris duodecim Patriarcharum, omniumque Israelitarum ad longum recensere ; unde ut totus iis incumbere possit, obiter gesta Esau, quæ sub idem tempus contigerunt, præmittit et perstringit.

Moraliter S. Ambrosius, lib. II *De Jacob et vita beata*, docet Jacobum etiam in fuga et exilio fuisse beatum. « An non beatus Jacob, inquit, etiam cum patriam relinqueret? Imo plane beatus, qui dura exilii suscipit, ut fratris mitigaret iracundiam. Nam si beatus est qui peccatum declinat ; utique negari beatus esse non potest, qui alterius culpam levat, crimen avertit. Paratum itaque parricidium declinavit exilio voluntario, eoque facto sibi salutem quæsivit, fratri innocentiam donavit. Merito itaque eum divina ubique comitata est gratia, ut et cum dormiret, beatæ vitæ

munus acquireret; videbat enim futurorum mysteria, et divina audiebat oracula. »

Vers. 8. 8. SYRI, — Mesopotamii. Vide dicta cap. XXV, vers. 20.

PROBANS QUOQUE, — animadvertens et videns. Ita Hebræa. « Probans » ergo hic, non est idem quod explorans, sed *q. d.* Cum probatione et experientia didicisset et comperisset. Videtur Esau voluisse accipere tertiam hanc uxorem, quæ parentibus placeret, vel certe minus displiceret, quam duæ priores, quæ erant Chananææ. Noluit vero accipere ex domo Nachor, licet sciret id fore gratius parentibus suis : idque ex quadam animositate, quia scilicet eo concesserat Jacob, ne videretur fratrem sequi et imitari, præsertim cum ipse illo esset senior.

Vers. 9. 9. IVIT AD ISMAELEM, — ad Ismaelitas : jam enim quatuordecim annis mortuus erat Ismael; hæc enim, uti dixi initio cap. XXVII, contigerunt anno Jacobi 77; Ismael autem mortuus est anno ætatis 137, qui fuit Isaaci 123, Jacobi vero 63. Ita Tostatus.

Vers. 11. 11. TULIT DE LAPIDIBUS. — Ex hisce verbis R. Nehemias, in Midras Tehillim, ad illud *Psal.* XC : « Angelis suis Deus mandavit de te, » et liber Rabboth hoc loco, putant Jacobum tres lapides accepisse, eosque conversos esse in unum, de quo dicitur vers. 18 : « Tulit lapidem quem supposuerat capiti suo, et erexit in titulum; » ut eo significaretur mysterium S. Trinitatis, in qua tres personæ coeunt in unam essentiam, ideoque Jacobum vers. 17 exclamasse : « Quam mirabilis est locus iste! » Verum hoc videtur Rabbinicum commentum et fabella; nil enim tale habet S. Hieronymus aut ullus veterum, vel novorum Interpretum. Quod ergo dicitur : « Tulit de lapidibus, » subaudi unum grandiorem aptioremque, uti se explicat vers. 18, dicens : « Tulit lapidem quem supposuerat capiti suo. »

SUPPONENS CAPITI SUO. — Moraliter : Nota hic Jacobum durum sibi sternere lectum et pulvinar, scilicet lapidem; quia cœli aulicos durus lectus, durus victus, omnia dura decent. « Vide, ait S. Chrysostomus, pueri robur, qui lapidibus pro pulvinari utitur; vide masculum spiritum : super pavimentum dormit. » Sed hoc lapide (qui typus fuit Christi) refrigeratur et firmatur. Unde S. Hieronymus in *Psal.* CXXXIII, lapidem istum Jacob vocat lapidem adjutorii : Qui talem, inquit, habebat pulvillum, in quo refrigerabat æstum persecutionis, videt scalam, qua si opus foret, in cœlum reciperetur. Christus ergo est pulvinar laborantium, in quo suaviter conquiescunt ac cœli refrigeria capiunt. Ex adverso lecti aurei et molles, sunt quasi sepulcra somni, mollitiei, torporis et acediæ, cum duri et lapidei sint gymnasia et palæstræ roboris et virtutis. Quocirca S. Ambrosius, lib. II *De Jacob* : « Jacob, ait, in somno bonus operarius, quoniam plus negotii cum Deo peregit dormiendo, quam vigilando. » Nam in somnis magnificas Dei consolationes, visiones, benedictiones et promissiones accepit, juxta illud *Cant.* cap. V, 2 : « Ego dormio, et cor meum vigilat. » Unde Clemens Alexandrinus, lib. II *Pædagogi*, cap. IX, ita sobrie dormientes exæquat angelis semper vigilantibus, dum vitæ æternitatem ex meditatione vigiliæ suscipiunt. Ubi significat animam quasi mori, si cesset a meditatione, vivere vero et æternare, si in continua meditatione exerceat.

12. VIDITQUE IN SOMNIS. — Fuit ergo hæc visio imaginaria et symbolica. Vers. 12.

SCALAM STANTEM. — Septuaginta, « Scalam firmatam. » Censet Alcazar in *Apoc.* cap. IV, vers. 1, Deum ad scalam hanc, non in cœlo, sed in terra, ad imos scalæ gradus constitisse, ut eam teneret et firmaret; quia ipse cum Jacobo, in terra, ad scalam dormiente, locutus est; erat ergo ei vicinus. Verum aptius Josephus et Cajetanus censent Deum in cœlo constitisse, summisque scalæ gradibus innixum fuisse. Nam ad Deum per scalam hanc ascendebant angeli, ut ejus jussa in terram perferrent; nec mirum est Deum e cœlo locutum esse Jacobo in terra existenti, quia locutio hæc, uti et visio, non fuit sensibilis, sed imaginaria vel intellectualis, quæ inter remotissimos fieri potest, sæpeque fit, non tantum a Deo, sed etiam ab angelis. An Deus in terra ad scalam steterit?

Quæres *primo*, quid ad litteram hæc scala Jacob significet? Quid scala Jacob ad litteram significat?

Respondet Philo et Origenes apud S. Hieronymum, *epist.* 161, scalam hanc esse μετεμψύχωσιν, sive migrationem animæ hominis, ex corpore in corpus. Censent enim ipsi, animam cujusque hominis ante corpus exstitisse, et quoties tunc peccavit, atque e cœlo quasi in terram descendit, toties illam nunc corpora mutare, ex uno in aliud migrando, donec per illa, quasi per quosdam pœnitentiæ (instar scalæ) gradus in cœlum rursum ascendat. Rursum in descensu hoc animæ hos gradus assignat Origenes. *Primo*, inquit, anima in subtiliora corpora demittitur; deinde, si peccare pergat, in crassiora; ac tandem in terrena corpora detruditur. Porro Philo, lib. *De Plantatione Noe*, scribit, per hanc scalam animarum in corpora, dum nascuntur, descensum significari, vel reipsa fieri. Explicans enim hæc verba, *Vidit Jacob scalam*, ait : « Aer instar populosæ civitatis, cives immortales habet, scilicet animas, quæ stellis numero sunt pares; harum aliæ descendunt illigandæ corporibus mortalibus, » etc. Hinc et Origenes finxit animas hominum fuisse angelos, qui ob peccata in cœlo commissa detrusi, per hanc scalam descenderunt gradatim in alia et alia corpora, magis semper vilia. Audi S. Hieronymum *ad Pammachium* contra errores Joannis Hierosolymitani : « Docet Origenes per scalam Jacob paulatim rationabiles creaturas ad ultimum gradum, id est ad carnem et sanguinem descendere, nec fieri posse ut de cen- Origenis delirium. Origenes censet animas esse angelos.

tenario numero subito quis ad unum numerum præcipitetur, nisi per singulos numeros, quasi per scalæ gradus ad ultimum usque perveniat, et tot mutare corpora, quot de cœlo ad terram mutaverint mansiones. » Dat exemplum : « Finge aliquem tribunitiæ potestatis suo vitio regradatum, per singula militiæ equestris officia ad tironis vocabulum devolutum, numquid ex tribuno statim fit tiro? Non, sed ante primicerius, deinde senator, ducenarius, biarchus, circitor, eques, deinde tiro. » Sed Hæc Pythagoræ et Origenis sunt deliria.

Scala symbolum est divinæ gubernationis.

Dico ergo cum Theodoreto, Aben Ezra, Hebræis et Pererio, scalam hanc, *primo*, symbolum esse providentiæ et gubernationis divinæ; unde Deus illi innititur, quasi prima causa et primum movens omnium,

. . . . . qui tempus ab ævo
Ire jubet, stabilisque manens dat cuncta moveri.

Secundo, angeli ascendunt et descendunt, quasi ministri et executores providentiæ Dei, quibus Deus sigillatim sua munia cuique distribuit.

Tertio, hæc scala a cœlo in terram pertingit, quia Deus inferiora per superiora, homines per angelos gubernat.

Quarto, duo scalæ latera sunt suavitas et fortitudo; Deus enim sua sapientia mundum gubernans, attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.

Quinto, varii scalæ gradus sunt varii modi providentiæ Dei, et variæ rerum species et perfectiones inde manantes.

Sic Homerus *Iliad.* lib. IX, Dei providentiam describit et repræsentat per catenam auream, a Jove e cœlo demissam in terras, qua Jupiter omnia comprehendit, constringit et ad se retrahit.

Angeli descendentes, felicem Jacobi abitum in Haran; ascendentes, felicem ejus reditum in Chanaan significant.

Secundo, magis proprie et particulatim Diodorus Tarsensis, per angelos descendentes felicem abitum Jacobi in Mesopotamiam, per ascendentes vero felicem ejusdem reditum in Palæstinam, significari docet. Voluit enim Deus hac visione consolari et animare Jacobum, qui parentes derelinquens; et fratri exosus, profugus, exul et solitarius, mœstus et sollicitus, dure hic cubabat in saxo, *q. d.* Noli tristari, noli timere, o Jacob. Scio, tria te gravant et angunt : patria, parentes, frater; hisce tria quæ te consolentur, oppono scalam, Deum, angelos. *Primo*, patriam deseruisti, peregrinus in terram alienam tendis: at vide scalam, quæ tibi cœlum reserat, quæ viam tibi in cœlum paratam ostendit; *secundo*, parentes dereliquisti, et profugus ad incognitos pergis in Mesopotamiam : at scito Deum iter hoc tuum dirigere, tibi adesse, te ducere, protegere, qui pariter sua ope te benedicet et locupletabit; *tertio*, fratri es exosus, et solus peregrinaris : at scito angelos tibi esse comites et duces, qui te salvum ducent in Mesopotamiam, et incolumem reducent ad parentes in Chanaan. Hunc esse sensum litteralem patet ex sequentibus, quæ hæc ita ad amussim evenisse Jacobo enarrant.

Tria gravamina Jacobi levat Deus per tres consolationes.

Moraliter : Nota hic Deum suos, præsertim virtute insignes et heroes, qualis erat Jacob, tanta cura per se et per angelos curare, ac si iis totus incumberet, nec quidquam aliud curaret in toto mundo, juxta illud *Cant.* II, 16 : « Dilectus meus mihi, et ego illi. » Ubi S. Bernardus, serm. 68 *in Cant.* : « Itane, ait, huic intenta est illa majestas, cui gubernatio universitatis incumbit, et cura sæculorum ad sola transfertur negotia, imo otia amoris? ita plane. Omnia enim propter electos. Ergo providentiam cæteris creaturis non negamus; curam Dei sola sponsa vindicat sibi. » Talis fuit B. Virgo, quæ in hac scala est summus gradus, cui Deus incumbit, uti mox dicam. Unde S. Thomas, II II, *Quæst.* CIII, art. 4, ad 2, docet eam præ aliis Sanctis hyperdulia coli, quia sua, ait, operatione fines divinitatis propinquius attigit; in incarnatione enim Christi fecit omne id, ad quod extendere se potest vis naturæ, qua deficiente, successit divinitas, ut ipsam substantiam operis deinde sola perficeret.

Quid scala hæc significet allegorice?

Quæres *secundo*, quid allegorice hæc scala Jacob significet?

Respondet Eustachius hanc scalam significare crucem Christi. Sic et S. Augustinus, *serm.* 79 : Dominus, ait, scalæ incumbens est Christus in cruce pendens; inde uxorem accepit, id est Ecclesiam sibi sociavit. Apte; crux enim est scala et via, per quam Christus omnesque Christiani in cœlum conscenderunt et indies conscendunt. Ita legimus in martyrio S. Perpetuæ et Felicitatis, 7 martii, quarum fortitudinem S. Augustinus in *Psal.* XLVII, et alibi sæpe celebrat, illas omen et indicium martyrii a Deo accepisse per scalam. Cum enim in carcere captivæ tenerentur, vidit S. Perpetua per visionem, scalam auream e terra in cœlum se porrigentem, ad cujus gradus affixi erant multi gladii, iique acutissimi, ita ut videretur nemo posse conscendere, sine gravi sui læsione. Inferne erat draco horribilis, volens impedire, ne quis ascenderet. Vidit deinde Satyrum (qui unus erat e quatuor ejus sociis, qui omnes simul anno Domini 205, martyrio cum ea laureati sunt) magno animo scalam conscendentem, hortantemque alios ut intrepide sese sequerentur, nec timerent draconem, eo quod eos impedire nequiret. Evigilavit deinde, et hanc visionem sociis enarravit; qui omnes gratias Deo egerunt. Intellexerunt enim se vocari ad martyrium; hoc enim esse scalam illam tot cultris et gladiis acuminatam, per quam Deus illos in cœlum gloriose deducere volebat, nec posse draconem infernalem hoc eorum iter et ascensum impedire.

Scala est incarnatio Verbi ex Jacobi stirpe.

Verum aptius et germanius Diodorus, Vatablus et Rupertus putant Spiritum Sanctum per scalam hanc repræsentasse incarnationem Verbi, puta generationem Christi, ex Jacob nascituri et des-

censuri per varios gradus, id est generationes et genitores, quorum ultimus est Joseph cum beata Virgine, summus est Adam, qui proxime et immediate a Deo creatus est. *Secundo,* duo scalæ latera sunt misericordia et veritas, sive fidelitas Dei de promisso Messia; hæc enim duo fecerunt Verbum ad nos descendere, nostramque carnem suscipere. *Tertio,* hæc scala tangit terram, quia Verbum est incarnatum in terra, eamque suo incarnationis tactu benedixit; tangit et cœlum, quia Christus, qui incarnatus est, est Filius Dei, sive Deus homo: Christus enim cœlestia terrenis, ima summis, atque adeo Deum homini in se conjunxit. Unde ipse ait: « Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo; » ipse ergo est scala nostra, per quam ad Deum ascendimus: nemo enim venit ad Patrem, nisi per Christum. *Quarto,* descendunt angeli, ut hoc incarnationis mysterium hominibus annuntient; iidem ascendunt, ut ardentia Patriarcharum desideria et orationes sursum ferant ad Deum. Hinc B. Petrus Chrysologus, serm. 3 *De Annunt.,* incarnationem vocat negotium omnium sæculorum, nimirum quia in eo omnibus ætatibus insudatum est, ac per angelos acriter actum cum Deo de communi hoc mundi remedio, donec intra Virginis domum negotium cœleste compleretur. *Quinto,* gradus hujus scalæ sunt variæ Christi virtutes, ac præsertim quatuor, scilicet 1° humilitas in nativitate; 2° paupertas in præsepio; 3° charitas in progressu vitæ; 4° obedientia in passione: hæc est via in cœlum, ambulate in ea.

Denique B. Virgo vocatur scala Jacob in Litaniis suis; itaque eam vocat S. Bernardus (vel quisquis est auctor) serm. *De B. Maria,* pag. 394: « Hæc, inquit, est scala, rubus, arca, sidus, virga, vellus, thalamus, porta, hortus, aurora. Hæc enim est scala Jacob, quæ duodecim gradus habet, inter duo latera. Dextrum latus est contemptus sui, usque ad amorem Dei; sinistrum, contemptus mundi usque ad amorem regni. Ascensiones hujus duodecim humilitatis sunt gradus. Primus est odium peccati; secundus, fuga delicti; tertius, metus odii; quartus, in omnibus his subesse Creatori; quintus, obedire meliori; sextus, obedire compari; septimus, obsequi inferiori; octavus, subesse sibi; nonus, finem suum jugiter meditari; decimus, opera sua semper vereri; undecimus, cogitationes suas humiliter confiteri; duodecimus, per omnia ad manum, ad nutum, ad libitum Domini moveri. Per hos gradus ascendunt angeli, et sublimant homines. Sic disponuntur in corde ascensiones, sensim proficiendo et pedetentim ascendendo. Sic in domo Patris lucidas percipiunt mansiones. Hi sunt duodecim Apostoli, qui sequuntur in eremo vestigia Jesu Christi. »

Symbolice, scala est anima, basis concupiscentia, caput est mens.

Quæres *tertio,* quid hæc scala significet symbolice?

Respondet Philo lib. *De Somniis*: Scala, inquit, est anima; basis, est sensus et appetitus terrenorum; caput, est mens purissima, quæ per gradus contemplationis ad Deum ascendit, sicuti e contrario basis jam dicta, per gradus cupiditatum descendit ad terram et terrena. Videat ergo homo ne basim sequens descendat, sed potius ut caput suum intuens ascendat.

Scala est inconstantia vitæ, et rota fortunæ.

Secundo, idem Philo: Scala, inquit, est hujus vitæ inconstantia, in qua alii ex summo dejiciuntur in imum, alii ex imo evehuntur in summum, idque ad Dei nutum et voluntatem, qui scalæ huic incumbens, eam regit et dirigit. Sic Pittacus apud Ælianum, lib. II, scalam fecit imaginem fortunæ ac vicissitudinis, felicitatis et infelicitatis; felices enim ascendunt in rota fortunæ, infelices descendunt. Verum hæc philosophica sunt, nec ad mentem Spiritus Sancti hoc loco pertinent.

Tropologice, scala sunt virtutes, quibus scandimus in cœlum.

Quæres *quarto,* quid hæc scala Jacob significet tropologice?

Respondet Tertullianus in fine libri tertii *Contra Marcionem*: Scala, inquit, hæc est via qua justi ascensiones in corde suo disponunt in cœlum. Idem insinuat Spiritus Sanctus, *Sap.* x, 10, ubi de Jacobo hoc nostro, et visione scalæ hujus cœlestis loquens, sic ait: « Hæc (sapientia) profugum iræ fratris justum deduxit per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. » Hinc Barlaam ad Josaphat ait: « Virtutes quasi scalæ quædam cœli sunt, » teste Damasceno in *Histor.* cap. xx. Duo latera hujus scalæ, sunt fides et opera; vel verbum Dei et sacramenta; vel « sustine et abstine; » quæ duo verba si quis observet, vitam vivet sine peccato tranquillissimam et sanctissimam, ut dicere solet Epitectus. Gradus sunt variarum legum et virtutum ascensus; rursum hi gradus sunt incipientium, proficientium et perfectorum, quibus Deus in vertice se unit, in iisque deliciatur et inhabitat. Angeli ascendentes ad Deum, ait S. Gregorius, lib. V *Moral.,* et ex eo S. Thomas, II II, *Quæst.* CLXXXI, art. ult., significant vitam contemplativam; descendentes vero ad humana, significant vitam activam.

Angeli sunt prædicatores.

Unde apte Alcazar supra, per hos angelos accipit Apostolos aliosque prædicatores Evangelii, qui sapientiam, quam a Deo in meditatione hauserunt, in homines prædicando effundunt. Ut ergo concionator rite concionetur, prius meditando ad Deum in cœlum conscendat, ut ab eo hauriat, quæ dicat. Vidit itaque Jacob in hisce angelis præsignari suas proles et posteros, puta præcones Evangelii, ex Christo filio suo nascituros, qui homines docturi erant scientiam Sanctorum, quam proinde Deus Jacobo dedisse et revelasse dicitur, *Sapient.* x, 10.

Scala perfectionis, ejusque gradus. Primus. Secundus.

Hinc *secundo,* S. Basilius in *Psalm.* I: Scala, inquit, est ascensus ad perfectionem; culmen, est charitas; gradus, sunt decem gradus abrenuntiationis, quorum *primus* est, abdicare terrena, ut cum Apostolis dicat: « Ecce nos reliquimus omnia; » *secundus,* eadem oblivisci, *Psalm.* XLIV:

« Audi, filia, etc., et obliviscere populum tuum; »
Tertius. *tertius,* eadem ut stercora odisse et aversari;
Quartus. *quartus,* parentum et cognatorum amorem exuere;
Quintus. *quintus,* odisse animam suam propter Christum, « ut ne de vita quidem sua quidquam affectus sit omnino, etiamsi mortis habeat responsum, » ait
Sextus. S. Basilius; *sextus,* abnegare suum judicium et
Septimus. voluntatem; *septimus,* semper mortificare suas cupiditates, ut impleat illud Christi : « Abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie; »
Octavus. *octavus,* sequi Christum, et discere ab eo, quia
Nonus. mitis est et humilis corde; *nonus,* amare constan-
Decimus. ter et efficaciter proximos, etiam inimicos; *decimus,* in quo Dominus visus est, est adhærere Deo, eique in uno spiritu uniri. Ita Pererius.

Huc pertinet et illa Zenonis Episcopi Veronensis explicatio, qua censet scalam hanc significare duo testamenta, quæ per quosdam observantiæ gradus hominem a terris ad Deum perducunt. Angeli descendentes, sunt homines qui a spiritualibus ad sæcularia decidunt, et nutriti olim in croceis, nunc stercora amplectuntur; ascendentes vero, sunt homines justi, qui in corde suo disponunt ascensiones, quærentes quæ in cœlis sunt, et non quæ in terra.

Cur nemo in scala subsistat? Sed cur nemo hic subsistit? Respondet S. Bernardus, *epist.* 253, quia in hac via, inter profectum et defectum, nihil est medium; uti in rota quæ volvitur, is qui insidet, subsistere nequit, sed vel ascendat, vel descendat necesse est. O monache, satis te laborasse putas, proficere non vis : deficias oportet; quod hic negligis, per totam æternitatem recuperare non poteris. Instar formicæ ergo congere merita in hac vita, ut iis vivas et gloriose vivas in æterna, quæ te exspectat; « quodcumque facere potest manus tua, instanter operare; » quam in æternitate gaudebis de modico hoc tempore bene transacto!

Scala est regula Ordinis. Scala S. Benedicti. Denique S. Bernardus, serm. in illud; *Ecce nos reliquimus omnia* : Scala, ait, hæc est disciplina Religiosa, vel regula Ordinis, v. g. qua dilectus Dei Benedictus ascendit ad cœlum; duo latera sunt mentis humilitas et vitæ asperitas; gradus sunt variæ regulæ et virtutum actus. Scala enim arcta arctam disciplinæ viam, quæ ducit ad cœlum, significat. Nam, ut ait S. Augustinus in *Sent.*, Sent. 19 : « Angusta est via quæ ducit ad vitam, et tamen per ipsam, nisi dilatato corde non curritur; quia iter virtutum quo gradiuntur pauperes Christi, amplum est fidelium spei, etsi arctum sit infidelium vanitati. » S. Antoninus in *Summa Theol.*, part. III, tit. 26, cap. x, § 11 : Bonum, inquit, Religionis significatum est nobili illa scala Jacob, cujus gradus nulli sunt alii, quam lectionis, meditationis, mortificationis aliarumque similium exercitationum, quibus Religio constat. In hac ascendunt angeli, ad hæc opera Deo offerenda; ac descendunt, ad deferenda vicissim ad religiosas animas varia sponsi munera ac beneficia. Ei porro incumbit Deus, quia ejus gratia et auxilio omnia nostra studia nituntur, quæ, eo tenente, cadere non possunt; ipseque est ascendentibus firmamentum, et pervenientibus in fine est præmium. Unde de ea vere dicitur : « Non est hic aliud nisi domus Dei et porta cœli. »

Romualdi. Sic S. Romualdus, ut habetur in ejus Vita, visu scalæ, ex ima terra in cœlum vertice pertingentis, per quam ascendentes intuebatur, descendentesque monachos albenti veste, Religionis perfectionem, ejusque habitum designari mirabiliter agnovit. Quocirca eumdem locum a nobili viro, ejus domino, cui nomen erat *Maldulo*, petiit et impetravit, ibique monasterium sui Ordinis primarium ædificavit, anno Domini 1009, quod exinde *Camaldulum,* quasi campus Malduli, est nuncupatum; situm est juxta Florentiam in monte Apennino, jam a sexcentis annis sanctorum Eremitarum, angelorum inquam terrestrium, copia florens.

Dominici. Sic S. Antoninus agens de morte S. Dominici : Prior, ait, Brixiensis eadem hora, qua S. Dominicus obiit, vidit hiatum in cœlo, per quem submittebantur duæ candidissimæ scalæ : unam tenebat B. Virgo, alteram Christus; angeli vero ascendebant et descendebant; et in fine utriusque scalæ sedes posita erat, et unus ei insidens similis fratri Prædicatori (is erat S. Dominicus), habens faciem velatam, quasi vadens versus cœlum; scalas autem Christus et mater ejus sursum, cum sede et sedente trahebant, et tunc hiatus clausus est. Hac visione significata est via, qua S. Dominicus ad superos transivit, nimirum certum prædestinationis signum, certaque in cœlum via est, tum regula et vita Religiosa, quam S. Dominicus aliique fundatores Ordinum Dei instinctu instituerunt; tum hujus vitæ radix et matrix, puta seria imitatio, cultus, et consequenter auxilium et patrocinium B. Virginis. Hinc B. Virgo a Patribus, et in Litaniis Lauretanis vocatur *janua* et *scala cœli.*

B. Virgo scala cœli.

Quæres *quinto,* quid significet hæc scala anagogice?

Anagogice, scala significat varios Beatorum gradus et ordines. Respondeo : Scala hæc, sunt variæ sedes, gradus et chori Sanctorum et angelorum in cœlis. Angeli descendunt, quando ad hominum custodiam mittuntur; ascendunt quando redeunt, et justorum animas collocant in gradibus hujus scalæ, id est in sedilibus angelorum, qui ceciderunt, et facti sunt dæmones. Huc quoque alludit Sapiens, cap. x, vers. 10, ut supra dixi.

Hinc sæpius Sanctis in hac vita certantibus suus in cœlis locus, sua corona ostensa est, uti S. Stephano, quadraginta Martyribus quorum memoria recolitur 9 martii, S. Nicolao Tolentinati, S. Francisco, S. Vitali. Vitalis enim cum a persequentibus cogeretur, ut Christum negaret, audacius eum confitebatur; quare omni tormentorum genere excarnificatus est, ut non esset in ejus corpore sine vulnere locus. Forti autem animo cruciatus perferens Martyr, preces fundens ar-

dentissimas dixit : « Domine Jesu Christe, servator meus et Deus meus, jube suscipi spiritum meum; quia jam desidero accipere coronam, quam angelus tuus sanctus mihi ostendit. » His dictis evolavit in cœlum; testes sunt S. Ambrosius et S. Hieronymus, *Exhort. ad Virgines*. Recte ergo idem Hieronymus, epist. *ad Julian.* tom. I : « Vidit, ait, Jacob scalam, et desuper innitentem Dominum, ut lassis manum porrigeret, ut ascendentes suo ad laborem provocaret aspectu. »

Vers. 13. 13. TERRAM IN QUA DORMIS, — totam Chananæam.

TIBI DABO ET SEMINI TUO. — « Tibi, » id est semini tuo : nam τὸ *et* hic est exegeticum, sive explicationis nota, significatque *id est*.

Vers. 14. 14. BENEDICENTUR IN TE ET IN SEMINE TUO CUNCTÆ TRIBUS TERRÆ. — « In te, » quasi in origine et parente; sed « in semine tuo, » puta per Christum ex te nasciturum, proxime et immediate benedicentur, id est justitia, gratia et salute donabuntur cunctæ tribus terræ, quæ videlicet Christum recipient, illi credent et obedient.

Vers. 15. 15. NISI COMPLEVERO, — donec compleam.

Sex bona Deus hic promittit Jacobo afflicto. Nota hic sex ingentia bona, quæ Deus suo servo Jacob mœsto et afflicto pollicetur. *Primum* est, « Terram in qua dormis, tibi dabo; » *secundum*, « Erit semen tuum innumerabile, quasi pulvis terræ; » *tertium*, « Benedicentur in te cunctæ tribus terræ; » *quartum*, « Ero custos tuus quocumque perrexeris; *quintum*, « Reducam te in terram hanc; » *sextum*, « Nec dimittam, nisi complevero universa quæ dixi. »

Vers. 17. 17. PAVENSQUE — sacro timore, horrore, et reverentia perfusus.

QUAM TERRIBILIS! — quam religiosus, quanta reverentia, tremore, humilitate colendus est locus iste, ob Dei et angelorum per scalam ascendentium et descendentium præsentiam!

NON EST HIC ALIUD NISI DOMUS DEI, — ubi scilicet Deus scalæ incumbens, cum angelis suis ascendentibus et descendentibus inhabitat. Chaldæus vertit, *Quam terribilis est locus iste! non est locus communis, sed locus in quo beneplacitum est coram Deo, et e regione loci hujus est porta cœli.*

Deus certis locis vult coli. Vide hic quam, a tempore Jacobi et Abrahæ, Deus certa loca sui apparitione, beneficiis, miraculis illustrarit, ibique coli et invocari voluerit. Quid ergo Novantes obstrepunt beatæ Virgini Lauretanæ, Hallensi, Aspericollensi?

Tertullianus, lib. *De Fuga*, putat Jacobum in hac visione vidisse Christum, qui est domus Dei et simul porta, per quam intramus in cœlum, idque hisce suis verbis intelligere et significare.

ET PORTA COELI, — quia scilicet illinc vidi angelos egredientes, cum per scalam descendunt; et ingredientes; cum per eam ad Deum ascendunt.

Bethel est Ecclesia. Allegorice, Ecclesia est *Bethel*, id est domus Dei et porta cœli : quia in ea quasi domo sua Deus habitat per præsentiam, tum spiritualem, tum realem et corporalem in Eucharistia; et quia in Ecclesia sunt merita Christi (cujus parens et typus fuit Jacob), quibus porta cœli nobis reserata est. Ita Rupertus. Vide Cajetanum. Si ergo tam augustus et terribilis fuit locus et lapis hic, quid erit Ecclesia Christianorum, in qua non umbra, id est arca testamenti, asservatur, uti fiebat in tabernaculo Mosis, sed omnipotens ipse rerum omnium conditor sub augustissimi Sacramenti candido velamine, ac velut nebula vere habitat? Vere S. Chrysostomus, hom. 36 in I *ad Corinth.* : « Ecclesia, ait, est locus Angelorum, locus Archangelorum, regnum Dei, ipsum cœlum; quod si non credis, aspice ad hanc mensam, » id est altare.

18. EREXIT IN TITULUM, — lapidem illum, sive saxum in quo dormierat, elevavit Jacob, rectumque statuit, ut esset monumentum visionis et apparitionis sibi factæ. Vers. 18.

Titulus res quatuor significat. Primam. Secundam. Tertiam. Quartam. Nota : Titulus dicitur quadrupliciter, quatuorque res significat. *Primo*, titulus est inscriptio rei, ut titulus libri, titulus crucis; *secundo*, titulus est columna aut pyramis in trophæum victoriæ, aut insignis facinoris erecta; *tertio*, titulus est statua, imago vel idolum erectum ad cultum et adorationem, qualis titulus prohibetur *Levit.* XXVI, 1; *quarto*, titulus est lignum, lapis, vel res alia, posita vel erecta in memoriam et indicium rei alicujus, verbi gratia visionis angelicæ Jacobo hic factæ. Erexit enim Jacob hunc lapidem in titulum, ut in reditu ex Haran in patriam, eodem loco hoc Dei beneficium recoleret et veneraretur, uti eum fecisse constat cap. XXXV, vers. 5.

Titulus est altare Jacobi. Hinc etiam eumdem lapidem in altare consecravit, ut patebit vers. ult.; unde titulus hic non tantum monumentum, sed etiam altare significat. Atque hinc primi Christiani ad exemplum Jacobi, ecclesias suas vocarunt titulos, a titulo, id est signo crucis, et a titulo, id est nomine alicujus Sancti, in cujus honorem intitulabantur, id est nominabantur, consecrabantur et distinguebantur ecclesiæ, ut titulus S. Praxedis, est ecclesia S. Praxedis; titulus S. Laurentii, est ecclesia S. Laurentii. Quæ phrasis crebra est in Vitis primorum Pontificum. Ita Jacobus Gretserus, lib. II *De Cruce*, cap. VII. Atque ex hisce titulis Cardinales suos titulos et cognomina sumpserunt, uti docet Hieronymus Platus, lib. *De Cardinalis dignit.* cap. II.

Titulus est Ecclesia. Cur?

Jacob oleo consecravit altare. FUNDENS OLEUM DESUPER, — in signum consecrationis, ait Abulensis, quia res consecratæ oleo unguntur. Non ergo hæc olei fusio fuit libatio aut sacrificium; nusquam enim solum oleum Deo libatum aut sacrificatum legimus. Itaque Jacob ex hac visione divina mane evigilans, ex urbe vicina Luza, quæ postea ab eo Bethel est dicta, oleum attulit, inquit Abulensis, eoque lapidem, in quo sibi dormienti tam mira visio contigerat, inunxit, eumque inungendo Deo quasi consecravit. Unde et postea eodem, quasi altari consecrato usus est, in eoque sacrificavit, ut patet cap. XXXV, 7.

Sic ad Jacobi exemplum, Ecclesia altaria et

templa sacra unctione Deo dicat et consecrat, cujus unctionis moralem significationem vide apud S. Bernardum, serm. *De Dedic. Ecclesiæ*. Rursum simili unctione, ait Theodoretus, solent piæ mulieres ungere thecas Martyrum, ut tum eorum sanctitatem, tum suam erga eos devotionem testentur. Unde et dæmon, quasi Dei et Sanctorum simia, hanc unctionem in suis sacris imitatus est, quando suis persuasit lapides Termino inungere et consecrare. Ita S. Augustinus, lib. XVI *De Civit.* cap. XXXVIII.

Oleum est Chrisma et Christus. Allegorice, S. Augustinus ibidem putat hic significari Christum et Chrisma Christianorum : Christus enim est lapis Ecclesiæ angularis, *Ephes.* II, 20, ungens et unctus oleo exultationis, præ consortibus suis (1).

Octo analogiæ olei. Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta. Septima. Octava. Tropologice, oleum est symbolum gratiarum et virtutum, ob octo quas habet proprietates, analogias et similitudines. Nam *primo*, oleum habet virtutem illuminandi : est enim pabulum et alimentum lucis et lucernarum; *secundo*, oleum habet vim condiendi cibos, et ad sanitatem utiliter, et jucunde ad gustatum; *tertia* olei vis est, supernatandi aliis liquoribus; *quarta* est fovendi vulnera doloresque mitigandi : hinc enim apud *Lucam* cap. X, ei quem latrones gravissimis plagis impositis semivivum reliquerant, Samaritanus ille obligavit vulnera, oleum infundens et vinum; *quinta* est exhilarandi faciem, lassaque et languida membra recreandi : unde illud *Psal.* CIII : « Ut exhilaret faciem in oleo; » *sexta* est levandi labores, minuendique molestias, quo spectat illud *Isaiæ* X : « Computrescet jugum a facie olei; » *septima* est, vegetandi roborandique corpus, et habile reddendi ad luctam et certamen, ut in athletis fieri solebat; *octava* est, molliendi et impinguandi, juxta illud *Psalm.* XXII : « Impinguasti in oleo caput meum; » ex quo propter mollitiem et pinguedinem, oleum solet esse symbolum misericordiæ. Hæc omnia facile est adaptare gratiæ et virtutibus.

Vers. 19. Luza dicta a nucum copia. 19. APPELLAVITQUE NOMEN URBIS BETHEL, QUÆ PRIUS LUZA VOCABATUR. — Urbs quæ prius Luz vel Luza, a nucum vel amygdalorum copia (*luz* enim hebraice nucem significat), dicebatur, inquit S. Hieronymus in *Quæstion. Hebr.*, a Jacobo dicta est Bethel, id est, domus Dei, eo quod juxta illam dormiens, vidisset Deum innitentem scalæ.

Bethel ubi sita? Bethel hæc non est Jerusalem, nec mons Moria, uti volunt Hebræi, Lyranus et Cajetanus; sed, ut recte Abulensis, Adrichomius et alii, est urbs a Jerusalem distans plus octodecim milliaribus, in sorte tribus Ephraim sita, juxta Sichem, in qua, uti et in Dan, quasi in extremis sui regni limitibus, Jeroboam suos vitulos aureos populo adorandos proposuit, abusus ad hoc persuadendum exemplo Jacobi, qui ibidem lapidem hunc in titulum erexit; unde a Prophetis hæc Bethel per antiphrasim vocatur Bethaven, id est Domus idoli, vel iniquitatis, ut vertit Theodotion, *Osee* IV, 5 et 10.

Putant aliqui duas fuisse Bethel, unam hanc in tribu Ephraim, alteram in tribu Benjamin, juxta Hai, de qua *Josue* XVIII, vers. 22. Verum id refutat Andreas Masius, probatque unam et eamdem fuisse Bethel, quæ sita fuerit in agro Luzæ, ita ut ab ipsa Luza dissita fuerit, a qua tamen ipsa Luza subinde dicebatur Bethel. Utrum horum sit verius, discutiemus *Josue* XVIII, et *Judicum* I.

Vers. 21. 21. ERIT MIHI DOMINUS IN DEUM (2). — Jam erat et fuerat ipsi Jacobo ab ortu Dominus in Deum. Sensus ergo est, *q. d.* Si Deus mihi dederit victum, vestitum, ac felicem reditum in patriam : ego ipsi voveo ac promitto quod deinceps eum colam speciali et majori cultu, quam ante eum coluerim, nimirum quod dabo ei decimas, tum ad sacrificia, tum ad alium quemlibet ejus cultum; quodque post meum ex Mesopotamia reditum locum hunc Deo quasi aram et templum aut sacellum dicabo : ita enim hoc votum suum in sequentibus explicat ipse Jacob, ut recte advertit Cajetanus.

Vovit Jacob Deo decimas et sacellum in Bethel.

Moraliter Rupertus urget Jacobi verba, *Si fuerit Deus mecum, et dederit mihi panem*, aitque : « Hoc tanquam pauper, et vere Dei mendicus dixit. Nec mirum, cum rex maximus David dicat : Ego autem mendicus sum et pauper. Bonum ergo ex patribus exemplum nobis filiis provisum est, ut, quantumcumque divites simus, dicamus tamen, mendici omnes ante fores divinæ gratiæ : Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, etc., ut illum ex dono ejus (Dei) fateamur nobis esse, qui solus potuit creare non minus regi in solio fulgenti, quam viduæ ad molam sedenti, necessarium panis alimentum. » Rursus Jacob panem petit, non carnem, non perdices. Nam, ut docet Nyssenus, lib. *De Oratione* : « Quærere jubemur id quod satis est ad naturam corporis conservandam : Panem da, ad Deum dicentes, non luxum, non delicias, non ornamenta aurea, non lapidum fulgores, non agros, non gentium præfecturas, non pannos sericos, non musica acroamata, nec quidquam quo anima a divina ac potiori cura abstrahatur; sed panem. » Et infra : « Exiguum est quod naturæ debes; cur adversus temetipsum multiplicas tributa? Est autem venter perpetuus tributorum exactor, etc. Dic ei qui educit panem de terra, dic corvos pascenti, qui omni carni cibum dat, qui manum aperit et implet omne animal benedictione : A te mihi vita est, a te quoque mihi vitæ subsidium contingat. Tu da panem, id est, ut ex justis laboribus cibum adipiscar. Nam si Deus justitia est, non habet a Deo panem, qui ex re fraudulenter et injuste parta cibum habet. »

(1) Cf. Drach, *De l'Harmonie entre l'Eglise et la Synag.* tom. I pag. 431, 441.

(2) Alii hebr. vertunt, *et si Jehova mihi Deus erit;* sequitur apodosis, *tunc lapis iste*, etc.

Denique ponderat S. Chrysostomus, *homil.* 54, τὸ *et dederit mihi panem.* Prævenit enim reipsa Jacob orationem, quam postea docuit sanxitque Christus, dicens : « Panem nostrum quotidianum da nobis hodie; diei alimentum inquit : ne igitur temporale aliquid ab eo petamus. Indignum enim valde est, a tam liberali et tanta virtute præstanti hujusmodi petere, quæ in præsenti vita dissolvuntur, et magnam habent vicissitudinem. Id genus sunt humana omnia, sive divitias dixeris, sive potentiam, sive humanam gloriam. Sed petamus semper manentia, sufficientia, vicissitudinis nescia. »

Vers. 22. 22. LAPIS ISTE QUEM EREXI, VOCABITUR DOMUS DEI. — Est metonymia : locatum enim ponitur pro loco, *q. d.* Locus in quo est lapis hic, mea applicatione, destinatione, et quasi consecratione, erit et vocabitur sanctus, ac domus sive habitaculum Dei, atque super lapide hoc, quasi super altari Deo sacrificabo. Ita Chaldæus, Cajetanus, Lipomanus et alii. Hunc esse sensum patet ex cap. XXXV, 7; ibi enim votum hoc suum explet Jacob, redux ex Haran, atque super hoc lapide, quasi ara, Deo sacrificium offert.

DECIMAS OFFERAM TIBI. — Hinc patet contra Calvinum, pie et religiose voveri posse opus, etiam quod non est præceptum a Deo; tale enim est dare decimas, quod vovet hic Jacob.

CAPUT VIGESIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jacob pervenit in Haran ad Laban. Secundo, vers. 18, *pro Rachele et Lia servit ei* 14 *annis. Tertio, vers.* 32, *Lia parit Ruben, Simeon, Levi et Judam.*

1. Profectus ergo Jacob venit in terram Orientalem. 2. Et vidit puteum in agro, tres quoque greges ovium accubantes juxta eum : nam ex illo adaquabantur pecora, et os ejus grandi lapide claudebatur. 3. Morisque erat ut cunctis ovibus congregatis devolverent lapidem, et refectis gregibus rursum super os putei ponerent. 4. Dixitque ad pastores : Fratres, unde estis? Qui responderunt : De Haran. 5. Quos interrogans : Numquid, ait, nostis Laban filium Nachor? Dixerunt : Novimus. 6. Sanus est? inquit. Valet, inquiunt : et ecce Rachel filia ejus venit cum grege suo. 7. Dixitque Jacob : Adhuc multum diei superest, nec est tempus ut reducantur ad caulas greges : date ante potum ovibus, et sic eas ad pastum reducite. 8. Qui responderunt : Non possumus, donec omnia pecora congregentur, et amoveamus lapidem de ore putei, ut adaquemus greges. 9. Adhuc loquebantur, et ecce Rachel veniebat cum ovibus patris sui : nam gregem ipsa pascebat. 10. Quam cum vidisset Jacob, et sciret consobrinam suam, ovesque Laban avunculi sui : amovit lapidem quo puteus claudebatur. 11. Et adaquato grege, osculatus est eam : et elevata voce flevit, 12. et indicavit ei quod frater esset patris sui, et filius Rebeccæ; at illa festinans nuntiavit patri suo. 13. Qui cum audisset venisse Jacob, filium sororis suæ, cucurrit obviam ei : complexusque eum, et in oscula ruens duxit in domum suam. Auditis autem causis itineris, 14. respondit : Os meum es, et caro mea. Et postquam impleti sunt dies mensis unius, 15. dixit ei : Num quia frater meus es, gratis servies mihi? dic quid mercedis accipias. 16. Habebat vero duas filias, nomen majoris Lia : minor vero appellabatur Rachel. 17. Sed Lia lippis erat oculis : Rachel decora facie, et venusto aspectu. 18. Quam diligens Jacob, ait : Serviam tibi pro Rachel filia tua minore, septem annis. 19. Respondit Laban : Melius est ut tibi eam dem, quam alteri viro, mane apud me. 20. Servivit ergo Jacob pro Rachel septem annis; et videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine. 21. Dixitque ad Laban : Da mihi uxorem meam, quia jam tempus impletum est, ut ingrediar ad illam. 22. Qui vocatis multis amicorum turbis ad convivium, fecit nuptias. 23. Et vespere Liam filiam suam introduxit ad eum, 24. dans ancillam filiæ, Zelpham nomine. Ad quam cum ex more Jacob fuisset ingressus, facto mane vidit Liam : 25. et dixit ad socerum suum : Quid est quod facere voluisti? nonne pro Rachel servivi tibi? quare imposuisti mihi?

26. Respondit Laban : Non est in loco nostro consuetudinis, ut minores ante tradamus ad nuptias. 27. Imple hebdomadam dierum hujus copulæ : et hanc quoque dabo tibi pro opere quo serviturus es mihi septem annis aliis. 28. Acquievit placito : et hebdomada transacta, Rachel duxit uxorem, 29. cui pater servam Balam tradiderat. 30. Tandemque potitus optatis nuptiis, amorem sequentis priori prætulit, serviens apud eum septem annis aliis. 31. Videns autem Dominus quod despiceret Liam, aperuit vulvam ejus, sorore sterili permanente. 32. Quæ conceptum genuit filium, vocavitque nomen ejus Ruben, dicens : Vidit Dominus humilitatem meam, nunc amabit me vir meus. 33. Rursumque concepit et peperit filium, et ait : Quoniam audivit me Dominus haberi contemptui, dedit etiam istum mihi, vocavitque nomen ejus Simeon. 34. Concepitque tertio, et genuit alium filium; dixitque : Nunc quoque copulabitur mihi maritus meus, eo quod pepererim ei tres filios : et idcirco appellavit nomen ejus Levi. 35. Quarto concepit, et peperit filium, et ait : Modo confitebor Domino, et ob hoc vocavit eum Judam; cessavitque parere.

Vers. 1. 1. PROFECTUS ERGO. — Hebraice, *levavit pedes suos, q. d.* Jacob visione Dei scalæ incumbentis, votoque suo roboratus, excitatus et alacer perrexit in Haran, non dubius Deum juxta promissa sibi viæ, uti ducem, ita et reducem fore.

Josephus hic et alibi subinde, non satis fideliter sacram historiam enarrat; ait enim Jacob multos habuisse viæ comites, cum ipse Jacob asserat se, non sociis, sed uni baculo suo innixum iter hoc confecisse, *Gen.* XXXII, 10.

IN TERRAM ORIENTALEM, — in Mesopotamiam, quæ Palæstinæ est Orientalis.

Vers. 3. 3. MORIS ERAT. — Causa claudendi hujus putei, erat raritas aquæ in illis locis, inquit Abulensis, et ne quis aquam inficeret aut sordidaret; simul ergo pastores cum gregibus ad eum convenientes, amovebant lapidem grandem, quo claudebatur, itaque greges simul adaquabant, et mox rursum lapidem advolventes, eo os putei obturabant (1).

Vers. 4. 4. FRATRES, — socii, amici : ut pastor pastores alloquitur.

Vers. 5. 5. FILIUM NACHOR, — nepotem Nachor; erat enim Laban filius Bathuelis, filii Nachor. Nominatur ergo hic Nachor, quia is familiæ erat caput et patriarcha. Unde et Haran vocatur urbs Nachor, cap. XXIV, vers. 10.

Vers. 9. 9. ECCE RACHEL. — Nota prisci illius ævi pudicitiam et simplicitatem : en Rachel puella speciosa, opulenta et nubilis, sine castitatis periculo et sinistra suspicione inter pastores versatur, pascitque ovis (Rachel enim hebraice ovem significat) oves.

Vers. 10. 10. ET SCIRET, — ex verbis pastorum, vers. 6.

AMOVIT LAPIDEM. — Quod multi pastores simul non poterant, solus efficit Jacob; unde apparet eum ingenti fuisse naturæ robore, quod ipse auxit continua temperantia et castitate. Fecit hoc Jacob amore Rachelis, suæ consobrinæ et futuræ conjugis.

Vers. 11. 11. OSCULATUS EST. — Fuit hoc osculum amicitiæ, quo fratres et cognati abeuntes aut redeuntes invicem solent osculari, osculoque salutare aut valedicere. Ita S. Augustinus, Quæst. LXXXVII.

FLEVIT, — uti solent cognati flere ex lætitia, dum occurrunt cognatis, quos tenere diligunt, quosque multo tempore non viderunt.

Hebræi et Lyranus putant Jacob flevisse, eo quod non haberet aurum et argentum, quod offeret Racheli : illo enim, inquiunt, spoliaverat Jacobum Eliphaz, filius Esau, qui ob præreptam patri primogenituram Jacobo infensus, eum in itinere insecutus comprehendit. Sed hæ sunt fabulæ judaicæ.

Vers. 12. 12. QUOD FRATER ESSET PATRIS. — « Frater, » id est nepos; erat enim Jacob filius Rebeccæ, quæ erat soror Laban, qui erat pater Rachelis. Laban ergo erat avunculus Jacobi, et consequenter Jacob nepos erat Labani ex sorore : Rachel vero et Jacob erant consobrini.

AUDITIS AUTEM CAUSIS ITINERIS. — Hebræa habent, *et narravit Jacob Labano omnia verba hæc*, scilicet, quomodo ipse fugiens Esau fratrem suum, missus sit a parentibus suis ad Laban, ut inde peteret uxorem, et quomodo ad puteum inciderit in Rachelem.

Vers. 14. 14. OS MEUM ES, ET CARO MEA, — mihi nepos es et consanguineus. Vide cap. II, vers. 23. Cum ad me, quasi avunculum, tum tutelæ, tum conjugii causa confugeris, tibi, utpote nepoti, nihil negare possum : pone ergo metum, o nepos! apud me mane, ut securus sis, et ex familia mea uxorem delige, domus mea domus tua esto. Putant aliqui Labanum hac phrasi respexisse ad id, quod plerique veteres philosophi tradiderunt, nimirum ossa ex virili semine in embryone gigni, ex materna vero genitura virili circumfusa carnem ipsam fieri.

POSTQUAM IMPLETI SUNT, — post evolutum mensem, quo Jacob gratis servierat Labano : nolebat

(1) De hujusmodi puteis adhuc in Palæstina existentibus, v. g. in latere dextro montis Merdj-es-Sabal, Nazaretham inter et Tiberiadem, et circa Hebronis regionem, vid. de Saulcy, *Hist. de l'art Judaïque*, pag. 13.

enim Jacob in domo avunculi otiosus degere, et panem gratis comedere; itaque statim ad opera domestica, curamque ovium se accinxit. Unde Laban mox cunctis ovibus eum præfecit, inquit Josephus.

Vers. 15. 15. FRATER, — cognatus.

Vers. 17. 17. LIPPIS ERAT OCULIS.—Hebraice est, oculi Liæ erant רקות *raccot*, id est, teneri, debiles et infirmi, ut vertunt Septuaginta. Male ergo Chaldæus *teneros* interpretatur elegantes, quasi Lia solis oculis fuerit pulchra et elegans, Rachel vero tota facie.

Secundo, alii addunt *aleph*, et pro *raccot*, legunt ארחות *aruchot*, id est *longos*, quasi Lia longos, ideoque deformes habuerit oculos; sed hi textum immutant et vitiant, addendo litteram א.

Qualis fuit lippitudo Liæ? *Tertio*, alii putant Liam lippitudine proprie dicta laborasse : hoc enim videtur velle noster Interpres. *Quarto* et optime, lippitudo Liæ videtur fuisse sola debilitas, mollities et teneritudo oculorum, qua fit ut non possint diu in rem aliquam defigi, sed volubiles sint pronique in lacrymas, ita ut pupillæ suis orbibus quasi innatare videantur; hoc enim significat Hebræum *raccot*.

Tropologice S. Gregorius, I part. *Pastor*. cap. XI : Lippus, inquit, est cujus oculum, id est, ingenii aciem, humor, id est, affectus et opera terrena obscurant.

Pulchritudinem in uxore spectare licet. Nota, licet in uxore quærenda primo spectanda sit virtus et mores, secundario tamen spectari posse pulchritudinem, tum ut in ea sistat conjugalis tam amor quam concupiscentia, ne ad alias deflectat; tum ut ex pulchra vegetiores et pulchriores proles procreentur. Ita Abulensis. Et hoc est quod vult S. Thomas, cum docet non licere ducere uxorem causa pulchritudinis, ut scilicet sola pulchritudo te a cælibatu avocet ad conjugium; sed tamen posito quod velis uxorem ducere, licere pulchram eligere præ turpi, idque ob suaviorem convictum, et constantiorem amorem; quanquam non raro verum sit istud Domitiani : « Decore nihil gratius, nihil brevius. »

Vers. 18. 18. SERVIAM TIBI. — Nota : Jacob hac servitute tam longa et dura, more prisco, emit sibi uxo-

Veterum mos emendi uxores. rem tam Liam quam Rachelem. Moris enim fuit apud Græcos, Romanos et Hebræos, ut viri dato pretio emerent sibi uxorem. Ita David coemit Michol centum præputiis Philistinorum, I *Reg*. XVIII, 25, et II *Reg*. III, 14. De hac uxorum coemptione plura dicam *Exodi* IV, 25 (1).

Vers. 20. 20. VIDEBANTUR ILLI PAUCI DIES PRÆ AMORIS MAGNITUDINE. — Dices : Amor est moræ impatiens, et paucos dies æstimat plurimos.

Respondeo id verum esse effective, non appretiative : quoad affectum enim et desiderium potiundi Rachele videbantur Jacobo dies servitutis esse plurimi; verum appretiative, id est, pro re tam pulchra, pretium servitutis hujus ei videbatur exiguum, diesque laboris tam longi videbantur esse pauci et parvi, id est, labor suus sibi videbatur esse parvus, comparatus cum tanto præmio. Dies ergo hic ponuntur pro dierum illorum labore, per metonymiam. Ita S. Hieronymus et S. Augustinus.

Vers. 22. 22. FECIT NUPTIAS, — nuptiale convivium. Hoc enim est Hebræum משתה *miste*. Ex tunc ergo in nuptiis celebrabantur convivia, sed a piis cum timore Dei, ut patet de Tobia, cap. IX. Causam dat Athenæus, lib. V : « Moribus, ait, et legibus scitum est, ut in nuptiis epulum fiat : tum nuptiales deos ut veneremur, tum ut pro testimonio id sit; » convivis scilicet, quod nuptis placeant suæ nuptiæ; verum hæc convivia sensim in magnum luxum et abusum excreverunt, uti fuse hic ostendit S. Chrysostomus.

Vers. 23. 23. ET VESPERE. — Virgines enim dum nubebant, verecundiæ causa, in tenebris viri thalamum adibant (2), idque apud Spartanos lege lata sanxit Lycurgus, teste Plutarcho.

Vers. 24. Peccavit Lia se pro Rachele substituendo. 24. MANE VIDIT LIAM. — Peccavit Lia obtemperando parenti; consensit enim in stuprum, imo adulterium et incestum : sciebat enim Jacobum non suum, sed Rachelis sororis esse maritum. Gravius tamen peccavit Laban, qui eam sua auctoritate et consilio ad facinus induxit. Jacobum excusat ignorantia, qua bona fide putabat esse Rachelem, non Liam.

Symbolice, Richardus de S. Victore, lib. *De Duodecim Patriarch.*, sic hæc explicat : « Quomodo autem Lia supponitur, dum Rachel speratur, facile cognoscunt, qui hoc quam sæpe contingat, non tam audiendo quam experiendo didicerunt. Quid enim aliud Scripturam sacram, nisi Rachelis cubiculum dicimus : in qua sapientiam divinam sub decenti allegoriarum velamine latitare, non dubitamus? In tali cubiculo Rachel toties quæritur, quoties in lectione sacra spiritualis intelligentia indagatur. Sed quamdiu adhuc ad sublimia penetranda minime sufficimus, diu cupitam, diligenter quæsitam Rachel nondum invenimus; incipimus ergo gemere, suspirare, nostram cæcitatem non solum plangere, sed et erubescere; et tum in cubiculo Rachel, non ipsam, sed Liam nos invenisse non dubitemus. Nam sicut Rachelis est intelligere, meditari, contemplari : sic profecto pertinet ad Liam flere, gemere, suspirare. »

Vers. 27. 27. IMPLE HEBDOMADAM DIERUM HUJUS COPULÆ, — quibus Liæ matrimonio et affectu maritali copularis : nam prima copula adulterina fuit, non maritalis. Voluit ergo Laban ut Jacob, cognito

(1) Mirum tamen est, Jacobum pro dote Labani obtulisse ministerium, quum ex maximis patris opibus tertiam partem, missis πρωτοτοκίοις, jure suo sperare posset. Mittendi duntaxat erant ad Isaacum et Rebeccam nuntii erant, qui ab iis dotem accipere potuissent. Verum ex moribus nostris de ejus ætatis consuetudinibus judicium ferre, nonne esset rationi contrarium?

(2) Vultu velato, quod etiamnum moris in Orientis regionibus.

errore, Liam quam cognoverat, duceret uxorem; idque fecit Jacob, ut pudori et honori Liæ consuleret.

Sensus ergo est, *q. d.* Laban : Transeant, o Jacob, septem dies festi hujus Liæ, quibus de more ejus nuptiæ celebrantur : iis exactis, tradam tibi quoque Rachelem, ea tamen lege, ut pro ea servias mihi alios septem annos : turpe enim esset et probrosum Liæ, si intra dies ejus nuptiales, sororem ejus superinduceres conjugem. Hinc apparet festum et convivium nuptiale illo tempore agitari solitum per septem dies, ut jam agitur per tres. Idem insinuatur *Judic.* XIV, 12.

Vers. 28. 28. HEBDOMADA TRANSACTA, RACHEL DUXIT UXOREM. — Errat ergo Josephus, dum asserit quod Jacob Rachelem duxerit post secundum septennium servitutis, scilicet post quatuordecim annos a Jacobi fuga, et adventu in Haran, quibus servivit Laban; nam ex hoc loco et sequentibus patet, quod Jacob duxerit Rachelem post exactos septem dies a matrimonio Liæ, ac postea pro eadem serviisse alios septem annos. Idem patet ex contentione Rachelis sterilis cum Lia fœcunda et pariente, vers. 31. Ita S. Hieronymus, Augustinus, Alcuinus et alii.

Jacob duxit Rachelem post septennium servitutis.

Rachel typus est vitæ contemplativæ, Lia activæ.

Tropologice, Rachel et Lia sorores significant duplicem vitam, scilicet contemplativam et activam. *Primo*, ducenda est Lia, id est laboriosa (hoc enim hebraice significat Lia) et lippa : quia terrenis intenta et sollicita ac varie distracta, vita activa; deinde Rachel, id est ovis, scilicet quies contemplationis, quam utpote pulchram tanto amore prosequi debemus, quanto Jacob amavit Rachelem. Vide S. Gregorium, lib. VI *Moral.* cap. XXVIII, et S. Augustinum, lib. XXII *Contra Faustum*, cap. LII. Et S. Bernardus, lib. *De Modo bene vivendi ad sororem*, cap. LIII : « Activa, ait, vita in laboribus hujus mundi Deo servit, dum pauperes pascit, recipit, vestit, visitat, consolatur, sepelit, et cætera opera misericordiæ eis impendit. Et tamen Lia est fœcunda in filiis, quia multi sunt activi, et pauci contemplativi. Rachel vero ovis, vel videns principium (ut Rachel dicatur quasi ראה חיל *raa chel*, id est, *vidit principium*) interpretatur, quia contemplativi simplices et innocentes sunt sicut oves, et ab omni tumultu sæculi alieni, ut soli divinæ contemplationi adhærentes, videant illum qui ait : Ego sum principium, qui et loquor vobis. » Et paulo ante : « Ita ut jam nihil agere libeat, sed despectis omnibus curis sæculi, ad videndam faciem sui Creatoris animus inardescat : ita ut jam noverit carnis corruptibilis pondus cum mœrore portare, totisque desideriis optare hymnidicis angelorum choris interesse, appetere admisceri cœlestibus civibus, de æterna incorruptione in conspectu Dei gaudere. » Et inferius : « Sicut activa vita est sepulcrum sæcularis vitæ, ita contemplativa vita est monumentum activæ vitæ. Ad eam enim ascendentes sepeliuntur in quiete contemplationis. Hanc elegit Magdalena, cui proinde dictum est a Christo : Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Ergo tanquam mortua ab amore præsentis vitæ te separa, sicut sepulta in monumento, non habeas curam de sæculo. »

Contemplatio præstat actioni ob octo causas.

Et S. Thomas, II II, *Quæst.* CLXXXII, art. 1, docet Rachelem Liæ, id est contemplationem actioni præcellere, idque probat octo rationibus. *Prima* est, « quia vita contemplativa convenit homini secundum id quod in ipso est optimum, id est, secundum intellectum, et respectu propriorum objectorum intelligibilium. *Secunda*, quia potest esse magis continua, quam activa. *Tertia*, quia plus sanctæ delectationis adfert. Nam, ut ait S. Augustinus, serm. 26 *De Verbis Domini* : Martha turbabatur, Maria epulabatur. *Quarta*, quia in vita contemplativa homo est magis sufficiens, quoniam paucioribus indiget. *Quinta*, quia contemplativa propter se diligitur, activa ad aliud ordinatur. *Sexta*, quia consistit in quiete. *Septima*, quia contemplativa in divinis rebus versatur, activa in humanis. *Octava*, quia est secundum id quod est magis proprium homini, scilicet secundum intellectum, » etc. Satius ergo est contemplantem vitam amplecti, dum per obedientiam licet, et charitatem, quam agentem sectari. Id quod docuit S. Augustinus, lib. XIX *De Civit. Dei*, cap. XIX : « Otium (inquit) sanctum quærit charitas veritatis : negotium justum suscipit necessitas charitatis; quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati, » etc. « Felix domus, ait S. Bernardus, serm. 3 *De Assump.*, et beata semper congregatio, ubi de Maria Martha conqueritur, » etc., hoc est, ubi rerum divinarum contemplatio ita prævalet ac dominatur, ut de illa actio externa veluti conqueratur. Congregatio infelix est, in qua Maria de Martha conqueritur : eo quod nullum tempus Mariæ, id est contemplationi, totum rebus externis impendatur.

Symbolice, Richardus de S. Victore, lib. II *De Duodecim Patriarchis*, qui inscribitur *Benjamin minor* : « Rachel, inquit, est studium sapientiæ, Lia desiderium justitiæ; sed scimus Jacob septem annis pro Rachele servivisse, et videbantur ei dies pauci præ amoris magnitudine. Quid miraris? secundum magnitudinem pulchritudinis erat magnitudo dilectionis. Quid enim sapientia dulcius possidetur, ardentius diligitur? ejus decor omnem superat pulchritudinem, ejus dulcor excedit omnem suavitatem. Est enim speciosior sole, et super omnem dispositionem stellarum luci comparata, invenitur prior. Hinc quærendum est cur omnes conjugia Liæ tantopere exhorreant, qui in amplexu Rachel tantum suspirant. Perfecta justitia jubet inimicos diligere, parentes, propria quæque relinquere, illata mala patienter ferre, oblatam gloriam ubique declinare. Sed ab hujus mundi amatoribus quid stultius, quid laboriosius esse reputatur? Hinc est quod ab

eis Lia et lippa creditur, et laboriosa reputatur. »

Secundo, idem inferius aliter has duas Jacobi uxores symbolice explicat : « Omni, inquit, spiritui rationali, id est Jacob, gemina quædam vis data est : una est ratio, altera est affectio : ratio qua discernamus, affectio qua diligamus. Hæ sunt spiritus rationalis geminæ uxores, ex quibus oritur generosa proles. Ex ratione spirituales sensus; ex ista affectus ordinati. Sciendum itaque est quod affectio veraciter Lia esse incipit, quando satagit seipsam ad normam justitiæ componere; et ratio indubitanter Rachel asseritur, quando veræ sapientiæ luce illustratur. Sed quis ignorat quam illud laboriosum sit, istud jucundum? utique non sine labore magno, animi affectio ab illicitis ad licita restringitur, et recte talis uxor Lia, id est laboriosa, nuncupatur. Quid vero jucundius, quam oculum mentis ad summæ sapientiæ contemplationem erigere? ad quam contemplandam cum ratio dilatatur, merito Rachelis nomine honoratur; Rachel enim, videns principium interpretatur.

Pari modo Pineda noster, lib. I *in Salom.* cap. IV : Jacob et Rachel, inquit, sapientis et sapientiæ symbola sunt; hinc sicut Jacob Rachelem, sic Salomon amavit sapientiam : quod pulchre per novemdecim parallela ostendit et deducit.

Vers. 31. 31. QUOD DESPICERET LIAM. — Hebræa, Chaldæa et Græca habent, *quod odio haberet Liam*, id est, quod minus amaret Liam, quam Rachelem, ita ut Jacob Liam præ Rachele videretur odisse. Odium ergo hoc non fuit positivum, sed negativum, puta defectus amoris, ex eo ortus, quod Lia esset lippa et deformis, quodque per fraudem se pro Rachele Jacobo substituisset. Similes hebraismi et auxeses sunt, *Matth.* X, 37; *Joann.* XII, 25, et alibi.

APERUIT VULVAM EJUS, — fœcundam reddidit dando ei proles : e contrario vulvam claudere, vel concludere, est sterilem efficere.

Deus nulli dat omnia. Nota hic quomodo Deus dona sua distribuat, ut omnibus quidem det aliqua, sed nulli omnia. Sic Racheli dedit pulchritudinem, sed non fœcunditatem : Liæ negavit pulchritudinem, sed dedit quod majus est, scilicet fœcunditatem, et quod ex ipsius stirpe, puta ex Juda, natus sit Christus. Rursum nota hic fœcunditatem esse peculiare Dei donum.

Vers. 32. Quid *Ruben?* 32. RUBEN. — Hebraice ראובן *reuben,* id est, *videte filium,* quem scilicet dedit mihi Deus, oculis suæ misericordiæ aspiciens me, cum a marito despicerer. Hoc est enim quod subdit Lia : « Vidit Dominus humilitatem meam, » hebr. עני *onii*, id est, abjectionem et afflictionem meam. Huc respexit B. Virgo canens : « Respexit humilitatem (ταπείνωσιν, id est, exiguitatem, vilitatem, abjectionem) ancillæ suæ, » quia dedit mihi filium, non Ruben, sed Jesum Christum. Non ergo prædicat virtutem suæ humilitatis : hoc enim fuisset superbiæ; sed agnoscit et confitetur suam vilitatem : quod reipsa erat actus humilitatis, quem adamat, respicit et exaltat Deus. Unde : « Diabolus nil pejus odit, quam humilem et Dei amantem, » ait S. Antonius apud Athanasium. Idem per visum vidit mundum plenum laqueis dæmonum, et rogavit : « Quis eos evadet, Domine? » respondit Dominus : « Humilitas. »

Vers. 33. 33. HABEBI CONTEMPTUI. — Hebræa, Chaldæa et Septuaginta habent, *me odio haberi,* id est minus diligi, ut dixi vers. 31.

Simeon, id est exauditio. SIMEON. — « Simeon » idem est quod auditio, vel exauditio, a radice שמע *scama,* id est audivit, exaudivit, scilicet Deus afflictionem et orationem meam.

Matres piæ pueros, cum nascuntur, offerunt Deo. Notent matres, et imitentur pietatem ac gratitudinem Liæ, quæ perennem memoriam beneficii sibi a Deo dati, puta prolis, in nomine ipsius prolis constituit, ut quoties prolem videret et nominaret, toties recordaretur et gratias ageret divinæ erga se beneficentiæ; idem ageret et proles, compos rationis effecta. Ita Anna suum Samuelem Deo retulit et obtulit, vocavitque Samuelem, id est postulatum et impetratum a Deo, I *Reg.* I, 26. Ita B. Virgo suum filium obtulit, vocavitque Jesum. Ita mater S. Bernardi eum recens natum obtulit, et deposuit in altari templi. Idem facere solebat singulis suis prolibus recens natis S. Elisabeth, filia regis Hungariæ : quæ proinde omnes piæ et sanctæ evaserunt, ut habet ejus Vita. Ita B. Virgo, S. Joannes Baptista, S. Gregorius Nazianzenus, S. Dominicus, S. Bonaventura, S. Bernardinus, S. Nicolaus Tolentinas, S. Elzearius Comes, S. Franciscus de Paula et alii, Deo in ipso ortu a parentibus oblati, sanctitate et miraculis fuerunt illustres.

Exempla.

Vers. 34. *Levi,* id est conjunctio. 34. LEVI. — Hic est parens omnium Levitarum. Nota, « Levi » idem est quod copula, cohæsio, additio, adjunctio, *q. d.* Addidi jam pariendo tres filios marito; igitur deinceps ipse majori amore mihi adjungetur et agglutinabitur.

Vers. 35 *Judas,* id est confessio. 35. JUDAM. — « Juda » hebraice idem est quod confessio, sive laus.

Quo anno hi nati? Nota hic seriem annorum Jacobi : Jacob fugiens Esau venit in Haran ad Laban, anno ætatis suæ 77, ut dixi cap. XXVII; initio post septem annos quibus servivit Laban, ducit Liam et Rachelem, puta anno ætatis suæ 84, inde mox ex Lia fœcunda, anno primo a nuptiis, ut videtur, puta anno Jacobi 85, nascitur ei Ruben, deinde Simeon anno 86, mox Levi anno 87, denique Judas anno 88. Ubi observa insigne exemplum castitatis in Jacob, qui usque ad annum ætatis 84, cælebs vixit, eoque primum uxorem duxit.

Allegorice, De Christo et Christianis. Allegorice, duodecim Patriarchæ figuræ fuerunt duodecim Apostolorum. *Secundo,* Jacob multos habuit filios, sed non ex una uxore; sic et Christus multos filios habuit, sed non ex uno populo aut regione. *Tertio,* Jacob uxores, et liberas et ancillas habet, e quibus filios suscipit : sic et Christus habet veros pastores et mercenarios : utros-

que tolerat, ut filios sibi generent. *Quarto*, uxores Jacob inter se certabant, quæ plures filios Jacobo pareret : sic et pastores certatim filios Christo generare student. *Quinto*, Bala et Zelpha filios Jacobo pariunt, sed ipsæ manent ancillæ : sic mercenarii aliis quidem bona prædicant, sed ipsi manent mercenarii, et sæpe improbi. *Sexto*, Jacob ad hæreditatem suam admisit etiam ex ancillis genitos : et Christus omnes ad se conversos suscipit, qualiscumque vita præcesserit, *Joan.* VI : « Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet : et eum qui venit ad me, non ejiciam foras. » Et *Matth.* VIII : « Multi venient ab Oriente, etc., et recumbent cum Abraham, » etc. *Septimo*, Jacob duas habuit uxores, unam pulchram, alteram deformem : et Christi sponsa interne quidem pulchra est ut Rachel, propter gratiam et dona Spiritus Sancti, sed externe deformis est, propter crucem et adversitates. *Octavo*, Liæ nihil obfuit deformitas, sed eo fuit fœcundior : sic Ecclesiæ prodest adversitas, et tunc vel maxime fructificat, cum maxime premitur.

CAPUT TRIGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Septem aliæ proles nascuntur Jacobo : unde ipse, vers. 25, *patriam cogitat; sed novo pacto et mercede a socero retinetur, in quo dolosum socerum, vers.* 37, *justo dolo per decorticationem virgarum decipit; itaque se ditat.*

1. Cernens autem Rachel quod infœcunda esset, invidit sorori suæ, et ait marito suo : Da mihi liberos, alioquin moriar. 2. Cui iratus respondit Jacob : Num pro Deo ego sum, qui privavit te fructu ventris tui? 3. At illa : Habeo, inquit, famulam Balam : ingredere ad illam, ut pariat super genua mea, et habeam ex illa filios. 4. Deditque illi Balam in conjugium : quæ, 5. ingresso ad se viro, concepit et peperit filium. 6. Dixitque Rachel : Judicavit mihi Dominus, et exaudivit vocem meam, dans mihi filium, et idcirco appellavit nomen ejus, Dan. 7. Rursumque Bala concipiens, peperit alterum, 8. pro quo ait Rachel : Comparavit me Deus cum sorore mea, et invalui : vocavitque eum Nephtali. 9. Sentiens Lia quod parere desiisset, Zelpham ancillam suam marito tradidit. 10. Qua post conceptum edente filium, 11. dixit : Feliciter, et idcirco vocavit nomen ejus, Gad. 12. Peperit quoque Zelpha alterum. 13. Dixitque Lia : Hoc pro beatitudine mea : beatam quippe me dicent mulieres; propterea appellavit eum Aser. 14. Egressus autem Ruben tempore messis triticeæ in agrum, reperit mandragoras, quas matri Liæ detulit. Dixitque Rachel : Da mihi partem de mandragoris filii tui. 15. Illa respondit : Parumne tibi videtur, quod præripueris maritum mihi, nisi etiam mandragoras filii mei tuleris? Ait Rachel : Dormiat tecum hac nocte pro mandragoris filii tui. 16. Redeuntique ad vesperam Jacob de agro, egressa est in occursum ejus Lia. Et ad me, inquit, intrabis : quia mercede conduxi te pro mandragoris filii mei. Dormivitque cum ea nocte illa. 17. Et exaudivit Deus preces ejus : concepitque et peperit filium quintum, 18. et ait : Dedit Deus mercedem mihi, quia dedi ancillam meam viro meo, appellavitque nomen ejus, Issachar. 19. Rursum Lia concipiens, peperit sextum filium, 20. et ait : Dotavit me Deus dote bona : etiam hac vice mecum erit maritus meus, eo quod genuerim ei sex filios : et idcirco appellavit nomen ejus, Zabulon. 21. Post quem peperit filiam, nomine Dinam. 22. Recordatus quoque Dominus Rachelis, exaudivit eam, et aperuit vulvam ejus. 23. Quæ concepit et peperit filium, dicens : Abstulit Deus opprobrium meum. 24. Et vocavit nomen ejus, Joseph, dicens : Addat mihi Dominus filium alterum. 25. Nato autem Joseph, dixit Jacob socero suo : Dimitte me ut revertar in patriam et ad terram meam. 26. Da mihi uxores, et liberos meos, pro quibus servivi tibi, ut abeam : tu nosti servitutem qua servivi tibi. 27. Ait illi Laban : Inveniam gratiam in conspectu tuo : experimento didici, quia

benedixerit mihi Deus propter te : 28. constitue mercedem tuam quam dem tibi. 29. At ille respondit : Tu nosti quomodo servierim tibi, et quanta in manibus meis fuerit possessio tua. 30. Modicum habuisti antequam venirem ad te, et nunc dives effectus es : benedixitque tibi Dominus ad introitum meum. Justum est igitur ut aliquando provideam etiam domui meæ. 31. Dixitque Laban. Quid tibi dabo? At ille ait : Nihil volo ; sed si feceris quod postulo, iterum pascam et custodiam pecora tua. 32. Gyra omnes greges tuos, separa cunctas oves varias et sparso vellere : et quodcumque furvum, et maculosum, variumque fuerit tam in ovibus quam in capris, erit merces mea. 33. Respondebitque mihi cras justitia mea, quando placiti tempus advenerit coram te : et omnia quæ non fuerint varia, et maculosa, et furva, tam in ovibus quam in capris, furti me arguent. 34. Dixitque Laban : Gratum habeo quod petis. 35. Et separavit in die illa, capras et oves, hircos et arietes, varios atque maculosos : cunctum autem gregem unicolorem, id est, albi et nigri velleris, tradidit in manu filiorum suorum. 36. Et posuit spatium itineris trium dierum inter se et generum, qui pascebat reliquos greges ejus. 37. Tollens ergo Jacob virgas populeas virides, et amygdalinas, et ex platanis, ex parte decorticavit eas : detractisque corticibus, in his quæ spoliata fuerant candor apparuit : illa vero quæ integra fuerant, viridia permanserunt : atque in hunc modum color effectus est varius. 38. Posuitque eas in canalibus, ubi effundebatur aqua : ut, cum venissent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, et in aspectu earum conciperent. 39. Factumque est ut in ipso calore coitus, oves intuerentur virgas, et parerent maculosa, et varia, et diverso colore respersa. 40. Divisitque gregem Jacob, et posuit virgas in canalibus ante oculos arietum : erant autem alba et nigra quæque, Laban : cætera vero, Jacob, separatis inter se gregibus. 41. Igitur quando primo tempore ascendebantur oves, ponebat Jacob virgas in canalibus aquarum ante oculos arietum et ovium, ut in earum contemplatione conciperent. 42. Quando vero serotina admissura erat, et conceptus extremus, non ponebat eas. Factaque sunt ea quæ erant serotina, Laban, et quæ primi temporis, Jacob. 43. Ditatusque est homo ultra modum, et habuit greges multos, ancillas et servos, camelos et asinos.

Vers. 1. 1. INVIDIT SORORI SUÆ. — Inter fratres et sorores, si unus præferatur vel excellat alium, facile oritur invidia. Adde, Rachel necdum erat sancta, imo necdum fidelis ; colebat enim adhuc idola, ut dicam cap. XXXI, vers. 19.

DA MIHI LIBEROS. — Putant Hebræi Rachel alludere ad Rebeccam et Isaac *Genes.* cap. XXV, vers. 21, *q. d.* Effice, o Jacob, et impetra precibus tuis ut fœcunda fiam, sicut pater tuus Rebeccæ matri tuæ orando impetravit proles, scilicet te et Esau.

Vers. 2. 2. NUM PRO DEO EGO SUM? — Numquid Deus ego sum, aut vice et parte Dei fungor? *q. d.* Non a me, sed a Deo pete proles. Ita Chaldæa. Pulchre Hebræi dicunt Deum sibi soli quatuor claves naturæ reservasse. *Primo,* clavem pluviarum, ut eas ad libitum emittat et effundat ex suis thesauris, *Deut.* XXVIII, 12. *Secundo,* clavem vitæ, id est generationis, ut patet hoc loco. *Tertio,* clavem alimoniæ ad famem depellendam, *Psalm.* CXLIV, 16. *Quarto,* clavem sepulcrorum, id est resurrectionis, *Ezech.* XXXVII, 12.

Quatuor claves sibi reservat Deus.

Vers. 3. 3. UT PARIAT SUPER GENUA MEA, — ut ego filium ex ea, utpote ancilla mea, natum excipiam pro meo, ut solent matres in genibus filios suos statuere, *Isaiæ* LXVI, 12.

Hinc patet, nec Jacob accipiendo ancillas in conjuges, nec uxores ejus illas ipsi offerendo et tradendo, peccasse libidine ; sed id fecisse desiderio copiosæ prolis, quæ illius temporis erat benedictio, Abrahæ et posteris ejus promissa. Unam ergo uxorem, puta Rachelem, poposcit et accepit Jacob : sed cum pro ea supposita esset Lia, hanc quoque ducere coactus est : tertiam, puta ancillam suam, ei hic addit Rachel, utpote sterilis, ut ex ea saltem filios sibi adoptet ; pari modo quartam ei addit Lia, jam parere cessans, vers. 9. Ita S. Augustinus.

Symbolice Richardus de S. Victore, lib. qui dicitur *Benjamin minor,* has ancillas sic explicat : « Accepit, ait, utraque ancillam suam, Lia Zelpham, Rachel Balam, id est affectio sensualitatem, ratio imaginationem. Obsequitur sensualitas affectioni, imaginatio famulatur rationi. Et in tantum unaquæque illarum dominæ suæ necessaria esse cognoscitur, ut sine illis totus mundus

nil eis posse conferre videatur. Nam sine imaginatione ratio nil sciret, sine sensualitate affectio nil saperet. Discurrit ergo imaginatio (utpote ancilla) inter dominam et servum, inter rationem et sensum : et quidquid exterius hausit per sensum carnis, intus repræsentat ad obsequium rationis. Sed et sensualitas satagit, et sollicita est circa frequens ministerium, et ipsa utique semper et ubique ad dominæ suæ Liæ parata obsequium. Hæc est quæ illi solet carnalium delectationum cibos condire et apponere, et ad earum usum ante horam invitare, et ultra mensuram provocare, » etc.

Vers. 6. 6. JUDICAVIT MIHI DOMINUS, — *q. d.* Ego cum sorore, quasi in lite et contentione versabar : contendi enim cum ea de prole et fœcunditate, atque hactenus, quia sterilis, ea fui inferior, nunc vero superior evasi, causamque mihi adjudicavit Deus, ut scilicet non amplius sterilis, sed fœcunda ac prolifica, æque ac soror mea habear et celebrer. Unde filium vocavit Dan, id est judicium, sive lis, scilicet, mihi adjudicata est a Deo.

Dan, id est judicium.

Vers. 8. 8. COMPARAVIT ME DEUS CUM SORORE MEA. — Hebraice est נפתולי אלהים נפתלתי *naphtule Elohim niphtalti*, quod Chaldæus vertit, *comparavit me Deus, et comparata sum*; Septuaginta, *suscepit me Deus, et comparata sum*. Sed plane ad verbum vertas, *colluctationibus Dei* (id est magnis et difficilibus : quæ enim magna sunt, dicuntur esse Dei) *callide colluctata sum, et prævalui*. Est metaphora sumpta a luctatoribus, qui membrorum complicatione, nunc in hanc, nunc in illam partem alius alium distorquet, quo eum subvertat et dejiciat; quod est calliditatis et versutiæ magis, quam roboris et virtutis. Radix enim פתל *patal*, significat distorquere, idque callide, uti luctantes astute et dolose facere solent : inde enim פתיל *petil* vocatur filum retortum, et נפתל *niphtal* vocatur fraudulentus ac dolosus. Dicit ergo Rachel : Ego cum Lia pro fœcunditate et prolis gloria quasi contendi, et colluctata sum, jamque callide eam amplius non parientem vici, dum pro me sterili ingeniose et astute ancillam meam fœcundam marito meo surrogavi : inde filium vocavit Nephtali, quasi dicas, colluctantem, concertantem, idque astute et callide. Unde Josephus Nephtali interpretatur *artificiosum*, id est vafrum et callidum; Oleaster vero vertit, *involutum*, quod eodem redit : solent enim callidi suas artes involvere et tegere.

Nephtali, id est colluctans.

Vers. 11. 11. FELICITER. — Hebraice est, בגד *bagad*, quod dupliciter legi et verti potest : *Primo*, divisim בא גד *ba gad*, id est, venit turma vel exercitus, *q. d.* Tot jam genui filios, ut ex eis aciem possim instruere : ita Chaldæus et Aquila (1). *Secundo*, conjunctim, uti passim legunt Hebræi codices : בגד *begad*, id est fortuna, fortunate, feliciter. Ita Septuaginta et Noster. Unde et R. Salomon vertit, *venit sidus bonum*, seu planeta bonus, *q. d.* Affulsit mihi benignius astrum, et, ut Seneca loquitur, Fortunæ influentis donum.

(1) Onkelos divisim בא גד vertit, *venit fortuna*.

Nota : Hebræum *Gad* proprie significat accinctum, sive procinctum, scilicet militem vel exercitum : inde significat Martem, militiæ deum et præsidem; hinc rursum significat fortunam. Nam Gentes credebant Martem præbere bonam fortunam, victoriam et spolia militibus : et ita pro *Gad*, quod est in Hebræo, noster Interpres, Pagninus et Hebræi, fortunam vertunt, *Isaiæ* LXV, 11. Unde et Arabes, teste Aben Ezra, *Gad* vocant Deum : perinde ut Cimbri et Germani Deum vocarunt *God*, ab Hebræo *Gad*, ut videtur (licet Goropius *God*, quasi *goet*, id est *bonum*, dictum putet) : erant enim ipsi bellicosi; ac proinde Deum colebant *Gad*, id est Martem ac fortunam. Sic ergo Lia vocavit hunc filium *Gad*, id est bonam fortunam, inquit Theodoretus et S. Augustinus, forte ex eo, quod in domo Laban patris sui gentilis et idololatræ, sæpe *Gad*, id est fortunam, nominari, et forte coli vidisset. Multi enim Gentiles fortunam pro Deo coluerunt. Sic OEdipus Sophocleus in sua felicitate dixit : « Equidem me fortunæ filium puto. »

Gad, id est accinctus.

Gad et *God* est Deus Mars et fortuna.

Vers. 13. 13. HOC PRO BEATITUDINE MEA. — Jam enim beor sexto filio, jam non tantum ex me, sed et ex ancilla mea Zelpha, æque ac Rachel soror mea ex Bala, proles do marito; ac proinde ab omnibus multa prole beata prædicabor : inde filium vocavit Aser, id est beatum. Huc allusit B. Virgo Deipara, cum cecinit : « Beatam me dicent omnes generationes. » Quod enim cecinit Poeta de Livia, uxore Cæsaris Augusti, quæ fuit mater Drusi et Tiberii Cæsaris :

Aser, id est beatus.

> Nec genitrice tua felicior ulla parentum est,
> Tot bona per partus quæ dedit una duos;

hoc longe verius uni partui B. Virginis competit.

Vers. 14. 14. EGRESSUS AUTEM RUBEN. — Quinquennis erat tunc Ruben : omnes enim hæ proles duodecim, excepto Benjamin, ex quatuor uxoribus natæ sunt Jacobo, secundo septennio servitutis, puta septem annis a conjugio Rachelis et Liæ. Ultimus enim Joseph natus est finito hoc septennio, vers. 25. Quare, cum Lia primis quatuor annis hujus septennii peperierit quatuor filios Jacobo, puta primum Ruben, secundum Simeon, tertium Levi, quartum Judam, post quem parere desiit : necesse est Ruben jam fuisse quinquennem. Nam post hæc Lia rursum sexto anno peperit Issachar, et septimo ultimoque anno partus peperit Zabulon.

MANDRAGORAS. — Hebraice est דודים *dodim*, id est ubera, per quæ recentiores intelligunt lilia. Verum longe melius et verius Noster vertit mandragoras; habent enim mandragoræ speciem uberum. *Secundo*, sunt odoratæ et pulchræ. *Tertio*, conciliant somnum; unde dantur iis, qui a

Quinque virtutes mandragoræ.

chirurgis secandi sunt, ne dolorem sectionis sentiant. *Quarto*, a multis dicuntur vim philtri habere, inquit Dioscorides et Theophrastus. *Quinto*, juvant fœcunditatem : cient enim menstrua, itaque matricem purgant et præparant ad conceptum, ait Aristoteles, lib. II *De Gener. animalium*, et Epiphanius in *Philologo*, cap. IV.

Dices : Mandragora est frigidissima; ergo obest conceptui. Ita S. Augustinus, lib. XXII *Contra Faust.* cap. LVI, ubi putat mandragoras a Rachele expetitas, non ad conceptum, sed ob pomi raritatem et odoris jucunditatem. Respondet Lævinus Lemnius, lib. *De Herbis S. Script.* cap. II, mandragoram, quia frigidissima est, in frigidis regionibus et uteris, sterilitatem causare; sed in calidis et torridis, qualis est Judæa et Mesopotamia, in qua habitabat Jacob et Rachel, efficere fœcunditatem, quia æstum et siccitatem uteri temperat et humectat. Plura vide apud Dioscoridem, lib. VI, cap. VI, et Mathiolum ibidem.

Hisce ergo de causis expetit mandragoram hanc Rachel, eamque a Lia coemit, sed frustra et casso eventu : nam, ut ex seq. patet, mansit adhuc tres annos sterilis, post quos non mandragoræ, sed Dei virtute, sive naturali, sive supernaturali, fœcundata est, peperitque Joseph.

Mystice quid mandragoræ?

Tropologice S. Cyrillus, lib. XI : Mandragora, inquit, id est sopore, et morte crucis, Christus recreavit, sanavit et fœcundavit Ecclesiam. Rursum, mandragora odorata symbolum est bonæ famæ, ait S. Augustinus supra; hæc enim cuilibet expetenda et procuranda est.

Philo ait mandragoram radices agere sub terra, humano similes cadaveri : unde a Pythagora anthropomorphon, a Columella semi-homo vocatur hæc radix. Forte etiam tempore Rachelis erant impostores similes nostris, qui ex radice mandragoræ (quanquam Mathiolus non ex mandragora, sed ex brionia id eos facere putet), quæ speciem femorum et pedum hominis habet, iunculas exscindunt, in quibus per milii semen in tenuissimas secturas insertum, faciunt radiculas instar pilorum hominis excrescere, easque mox divendunt, quasi ipsæ sub terris animatum quid fuerint, quod ipsi cum vitæ periculo sub patibulo extraxerint, quodque raras et occultas habeat virtutes, v. g. fœcundandi sterilem; ut ex hac persuasione eas tantopere expetierit Rachel.

Vers. 16. 16. AD ME INTRABIS. — Solebat Jacob pacis et æquitatis causa, noctes distribuere singulis uxoribus, et cum ista nox esset Rachelis, ipsa jus suum cedit Liæ pretio mandragorarum : hoc enim pretio Lia a sorore, more prisco, de quo dixi cap. XXIX, vers. 18, videtur sibi coemere maritum pro ista nocte. Ita S. Augustinus. Indeque prolem vocavit *Issachar*, quasi יש שכר *ies sachar*, id est, *est merces*, scilicet mandragorarum mearum, quas vendidi Racheli, vel potius merces meæ charitatis et liberalitatis, qua ancillam meam tradidi viro meo, uti ait ipsamet Lia. Adde, proprie et simpliciter Issachar idem est, quod *sachar*, id est merces. Jod enim additum et præfixum nominibus propriis, solet esse heemanticum, sive formativum nominis, ut patet in Ismael, Isaac, Jacob, Jehova, etc. Ita Septuaginta, S. Hieronymus, Josephus (1).

Issachar, id est merces.

20. ZABULON. — Zabulon idem est quod habitaculum, vel cohabitans, *q. d.* Ob tot proles meas amabit me, et hilariter firmiterque cohabitabit mihi maritus meus. Vers. 20. *Zabulon*, id est habitaculum.

23. OPPROBRIUM MEUM, — sterilitatem meam, quæ tunc erat probrum et dedecus. Vers. 23.

24. ADDAT MIHI DOMINUS. — Optat Rachel sibi addi secundum filium; inde ex hoc suo voto et desiderio vocat filium Joseph; Joseph ergo idem est quod addens, vel accrescens, ut patet cap. XLIX, vers. 22. Vers. 24. *Joseph*, id est addens.

Allegoriam horum undecim nominum Patriarcharum habet S. Cyrillus, lib. XI. Totius vero capitis hujus allegoriam vide apud S. Augustinum, lib. XXII *Contra Faustum*, cap. XLVI et seq.

Symbolice Richardus de S. Victore, lib. *De Duodecim Patriarchis*, per eos duodecim pios animi affectus et virtutes accipit. Audi eum : « Timor, qui est initium sapientiæ, prima virtutum est proles. Qui talem filium habere desiderat, mala quæ fecit, non solum diligenter, sed et frequenter attendat. Ex tali consideratione timor nascitur, scilicet filius ille, qui jure Ruben, id est filius visionis, vocatur. Quare eo nato recte mater ejus exclamat : Vidit Deus humilitatem meam; eo quod tunc veraciter incipiat videre et videri : videre Deum per intuitum formidinis, videri a Deo per conspectum pietatis. Symbolice, duodecim filii Jacob, sunt 12 virtutes. Primus, Ruben est timor Dei.

» Primo filio nato secundus subsequitur, quia magnum timorem necesse est ut dolor subsequatur. Verum cor contritum et humiliatum Deus non despiciet, sed pro benignitate sua exaudiet; ideoque talis filius Simeon, id est exauditio, vocatur. Secundus, Simeon est dolor peccatorum.

» Sed quæ, quæso, consolatio potest esse pœnitentibus et vere lugentibus, nisi una spes veniæ? Hic est ille tertius filiorum Jacob, qui idcirco Levi, id est additus, vocatur. Non datum, sed additum, sermo divinus hunc filium nominat, ne ante timorem et condignum pœnitentia dolorem, quis de spe veniæ præsumat. Tertius, Levi est spes veniæ.

» At quemadmodum post crescentem quotidie timorem, necessario subortus est dolor, sic utique post spem natam, oritur amor. Hic itaque est ille filius, qui quarto loco nascitur, et Judas, id est confitens, in S. Scriptura nominatur. Quia quod amamus, et ore laudamus, et corde confitemur. Quartus, Judas est amor Dei.

» Hos subsequuntur Dan et Nephtali, filii ex ancilla Rachel; et quia per officium Dan, illece- Quintus, Dan est

(1) Nomen ישששכר contractum videtur pro יִשָּׂא שָׂכָר, *affert mercedem*, scil. Deus. Cæterum in hoc nomine ש posterius abundat, nullo puncto ideo affectum.

consideratio futurorum malorum.

brosas cogitationes arguimus, damnamus, castigamus, recte eum Dan, id est judicium, vocamus. Unde scriptum est : Dan judicabit populum suum. Si ergo populum hunc suum directe custodiat, si judicium suum diligenter exerceat, fiet ut in cæteris tribubus raro inveniatur quod damnari debeat.

Sextus, Nephtali est speculatio futurorum bonorum.

» Nephtali autem æternorum bonorum imaginem ante oculos mentis adducit; et quia cognitam quamlibet rerum visibilium naturam, convertere ad spiritalem solet intelligentiam, recte Nephtali, id est conversio, nominatur.

Septimus, Gad est rigor abstinentiæ.

» Videns itaque Lia sororem suam Rachel de adoptiva prole gaudere, provocatur et ipsa ancillam suam viro tradere; ex qua Gad et Aser prognati, rigor videlicet abstinentiæ et vigor disciplinæ. Gad itaque nascitur prior, quia prius est ut temperantes simus ad bona propria, postea etiam fortes ad toleranda mala aliena. Per Gad reprimuntur mala intus exurgentia, per Aser repelluntur mala exterius insurgentia, unde dicitur : Gad accinctus præliabitur ante eum.

Octavus, Aser est vigor disciplinæ.

Nonus, Issachar est mentis gaudium.

» Isti sunt Gad et Aser, qui excludunt gaudium falsum et introducunt gaudium verum, ideoque istis natis succedit Issachar, qui merces interpretatur. Quam enim aliam tot tantisque laboribus mercedem quærimus, quam verum gaudium? Recte autem post nativitatem Gad et Aser, Lia talem filium genuit; quia nisi per abstinentiam et pœnitentiam, mens humana ad verum gaudium non pertingit.

Decimus, Zabulon est odium peccatorum.

» Post Issachar Zabulon gignitur, qui habitaculum fortitudinis interpretatur; quia per gaudii interni degustationem, odium vitiorum generatur, et veræ fortitudinis robur acquiritur. Iste est Zabulon, qui irascendo Dei iram placare consuevit, qui pie in hominum vitia sæviendo, eis quasi non parcendo, melius parcit. » Probat deinde hoc exemplo Mosis, Phinees et Eliæ.

Undecimus, Joseph est discretio.

At quam difficile est has omnes Jacob proles, virtutes, inquam, animæ, sine discretione conservare! id ex eo conjectari licet, « quod sine ea nec bona animi acquirere, nec acquisita conservare possumus. Hic est igitur ille Joseph, qui sero quidem nascitur, sed a patre plus cæteris diligitur : qui novit non solum cum crescentibus virtutibus crescere, cum proficientibus proficere; verum etiam ex fratrum defectu ad profectum tendere, et ex aliorum detrimentis prudentiæ lucra acquirere. Quare merito Joseph, id est augmentum, et filius accrescens, a patre vocatur; hunc adorant sol, luna, stellæ, id est pater, mater, fratres, quia omnes virtutes discretionem, quasi dominam et rectricem colunt. »

Duodecimus Benjamin est mentis excessus.

Agmen fratrum claudit Benjamin, matri verus Benoni, id est, filius doloris : quia eo nascente ipsa denascitur, « ob quotidiani partus anxietatem, et doloris in pariendo immensitatem. Quid vero est Rachelis interitus? nisi mentis in contemplatione defectus. Nonne Rachel mortua tunc erat, et omnis humanæ rationis sensus in Apostolo defecerat, cum dicebat : Sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit. Nemo igitur existimet se ad illius divini luminis claritatem argumentando posse penetrare, nemo se credat humana ratiocinatione posse comprehendere. Necesse est Rachel moriatur, ut exstaticus Benjamin oriatur. »

25. NATO AUTEM JOSEPH, DIXIT JACOB SOCERO SUO : DIMITTE ME, — jam enim explevi quatuordecim annos servitutis, quibus tibi me obligavi pro Rachele et Lia, cap. XXIX, vers. 18 et 27. Vers. 25.

Natus est Joseph anno 14 servitutis Jacobi expleto.

Hinc patet Joseph natum esse in fine secundi septennii, puta finito anno decimo quarto adventus et servitutis Jacob in Mesopotamia, puta in domo Laban. Nam cum se Labano ad 14 annos servitutis obligasset, non poterat petere libertatem et demissionem, nisi iis expletis; cum ergo hic nato Joseph, mox petat dimissionem; sequitur nato Joseph annos 14 jam fuisse expletos; mansit tamen Jacob adhuc sex annos apud Laban. Nam, ut sequitur, novum mox pactum init cum Laban, ut scilicet sicut hactenus 14 annos servierat pro Rachele et Lia, ita deinceps pro certa gregis parte eidem serviret : itaque nato Joseph servivit Labano adhuc sex annos, hoc est universim 20 annos, ut patet cap. XXXI, vers. 41.

Natus est Joseph anno 91 Jacobi.

Rursum, Joseph natus est anno 91 Jacobi patris sui. Id patet ex eo quod, cum Jacob descendit in Ægyptum, stetitque coram Pharaone annum agens 130, *Genes.* XLVII, 9, tunc Joseph erat 39 annorum; nam Joseph, cum a Pharaone factus est princeps Ægypti, erat 30 annorum, *Genes.* cap. XLI, vers. 46; a quo tempore mox secuti sunt septem anni ubertatis, prædicti a Joseph; et deinde septem anni sterilitatis, cujus secundo anno Jacob descendit in Ægyptum, cap. XLV, vers. 6 et sequent. Jacob ergo descendit in Ægyptum, anno 9 a principatu Joseph, puta cum Joseph esset 39 annorum, eratque Jacob tunc 130 annorum. Jam subduc et subtrahe 39 annos vitæ Joseph a 130 annis vitæ Jacobi, habebis 91 annum Jacobi, quo natus est Joseph. Ex utroque jam dicto et probato manifeste sequitur Jacob præripuisse benedictionem Esau, ideoque fugisse in Mesopotamiam, anno ætatis 77 (uti dixi cap. XXVII, initio), nam post 14 annos adventus et servitutis in domo Laban, puta anno 91, natus est ei Joseph.

27. EXPERIMENTO DIDICI, QUIA (quod) BENEDIXERIT MIHI DEUS PROPTER TE, — *q. d.* Tu es fortunatus, et ego propter te; tu bonam fortunam tuam tecum in meam domum induxisti (1). Vers. 27.

Alii fortunati sunt, alii infortunati.

Nota : Experientia docet alios homines esse fortunatos, ita ut quæcumque agunt prospere eveniant, imo domos subinde ac domesticos fortunatos efficiant : unde « boni pedis, » et a Pœnis

(1) *Inveniam*, etc. Hebr. est, si, quæso, inveni, etc. Oratio manca, et subaudiendum, *audi me.*

« Namphaniones » appellantur, ait S. Augustinus, *Epist.* 44; alios esse infortunatos, ita ut omnia fere eis infeliciter cedant, etiamsi prudentissime ab eis fuerint præcogitata, et disposita. Hinc in bello et duce belli deligendo maxime examinatur an deligendus felix sit, an infelix. Ita in bellis felix fuit Alexander, qui duodecim annis orbem subegit. Ita felix fuit Polycrates Samiorum tyrannus, de quo Cicero, libro V *De Finibus* : « Polycratem, ait, Samium felicem appellant; nihil acciderat ei quod nollet, nisi quod annulum quo delectabatur, in mare abjecit (ut temperaret nimiam suam felicitatem); ergo infelix una molestia; felix rursus, cum is ipse annulus in præcordiis piscis inventus est. » Verum in morte fuit infelix; nam a Persarum satrapa Oronte dolo captus ac suspensus est, teste Strabone, lib. XIV. Ita felix fuit Julius Cæsar, etiam cum summa temeritate res maximas aggrederetur, adeoque ipse huic suæ fortunæ confidens, omnia pericula superabat; hinc e Macedonia Brundusium navigans periculosissimo anni tempore, timenti navarcho : « Noli, ait, timere, Cæsarem fortunatum vehis. » Scitum est illud ejusdem : « Veni, vidi, vici. Quid? filius hujus, ait Plutarchus, lib. *De Fortuna Rom.*, is qui primus Augusti cognomentum tulit, et annos 54 imperavit (quasi monarcha), nonne cum nepotem ad gerendum bellum emittens, fortitudinem ei Scipionis, gratiam Pompeii, suam fortunam optaret, sui tanquam insignis operis opificem Fortunam professus est? Hæc scilicet eum Ciceroni, Lepido, Pansæ, Hirtio, M. Antonio imposuit, eorumque victoriis, manibus, rebus præclare gestis, classibus, bellis, exercitibus in sublime extulit, istisque dejectis, unum iis superstitem fecit eum, qui eorum opera ad hoc fastigium conscenderat. Augusto enim et Cicero rempublicam consiliis gubernavit, et Lepidus militavit, et Pansa vicit, et Hirtius cecidit, et Antonius libidines exercuit : ipsamque ego Cleopatram Cæsaris fortunæ imputo, ad quam velut ad crepidinem tantus imperator naufragium fecit atque elisus est, ut solus esset Cæsar. » Subdit hujus rei mirum omen. « Cum inter se familiarissime viverent Antonius et Cæsar, qui deinde Augustus fuit, et per otium sæpe certamen pilæ, tesserarum, animalium, ut coturnicum vel gallorum instituerent, ferunt semper victum Antonium discessisse, et quemdam amicorum, qui vaticinandi arte gloriaretur, libere dixisse Antonio, et monuisse : Quid tibi, mi homo, rei est cum illo adolescente? quin tu eum fugis? gloria ei anteis, major es natu, pluribus imperas, certamina bellica obivisti, præstas experientia; sed tuus genius genium istius metuit, et tua fortuna seorsim magnæ ejus fortunæ adulatur, ad eumque, nisi procul te subducis, transibit. » Ita hoc sæculo felix fuit Carolus V Imperator, et hoc nomine Turcis formidabilis, adeoque milites sub Carolo invicti, postea a Francisco rege Galliæ conducti, cum principe fortunam mutarunt, ait Paulus Jovius. Ita felix fuit Henricus IV, Galliæ rex, in regno adipiscendo et gubernando, usque ad mortem. Denique Plutarchus, lib. *De Fortuna Rom.*, docet fortunam æque ac virtutem Romanos ad tantum imperii fastigium provexisse.

Fortunatos fuit Alexander.

Julius Cæsar.

Carolus V.

Quæres, quæ hujus disparitatis sit causa? Gentiles cæci causam censuerunt esse fortunam deam cæcam, quæ non pro merito, sed fortuito, etiam impiis et indignis felicitatem, piis vero et dignis sæpe infelicitatem afflaret; Genethliaci hominis cujusque fato id tribuerunt. Astrologi stellis et horoscopo id assignant : unde ex eo divinant de cujusque sorte et felicitate, vel infelicitate futura. Vulgus casu hæc evenire putat. Seponimus enim hic industriam et prudentiam humanam, quæ sæpe felicis eventus est causa.

Cur hi fortunati, alii non?

Verum dico Deum esse causam, cur hi sint fortunati, illi infortunati. Deus enim omnium est dominus, qui singulis sua prout vult dispensat. Itaque sicut huic ingenium, opes, sanitatem, formam, robur aliaque dona naturæ impertit; alterum vero facit stupidum, pauperem, morbidum, deformem, infirmum : ita pariter speciali sua providentia hunc facit fortunatum, illum infortunatum; ad illudque causas secundas flectit et contemperat. Hoc est quod ait Psaltes, *Ps.* XXX, 26 : « In manibus tuis sortes meæ. » Et Sapiens, *Proverb.* XVI, 33 : « Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur. » Et *Eccli.* XXXIII, 11 : Dominus « separavit eos (homines) et immutavit vias eorum; ex ipsis benedixit, et exaltavit : et ex ipsis sanctificavit, et ad se applicavit : et ex ipsis maledixit, et humiliavit, quasi lutum figuli in manu ipsius, plasmare illud et disponere : omnes viæ ejus secundum dispositionem ejus. » Licet ergo hi effectus sæpe casuales sint et fortuiti respectu causarum secundarum, a quibus non sunt provisi, sed præter earum mentem et causalitatem, quasi per accidens et fortuito eveniunt : tamen respectu Dei non sunt fortuiti, sed prævisi, provisi et ordinati in se. Unde S. Augustinus, lib. I *Retract.* cap. 1, a Christiano ore rejiciendum censuit nomen fortunæ, scilicet juxta sensum Gentilium : nam alioqui Deus, sicut est natura naturans (ut ita cum aliquibus philosophis loquar), ita est et fortuna fortunans, puta ipse auctor est omnis fortunæ, æque ac naturæ; unde ex hisce eventibus colligimus et cognoscimus esse mentem omnibus præsidentem, omnia hæc regentem, esse providentiam, esse Deum. Quomodo enim alii constanter in omnibus suis essent fortunati, alii infortunati, nisi quia Deus constanter illis felicitatem, his infelicitatem afflat? uti recte demonstrat Albertus Hero, lib. IV. *De Providentia*, cap. VII.

Respondeo, id a speciali Dei providentia provenire.

Deus est fortuna fortunans.

Causa, cur Deus ita dispares hac in re homines efficiat, *prima* est, ut se absolutum esse omnium dominum ostendat. *Secunda*, ut in universo dispares sint hominum gradus et eventus : hoc enim ad universi varietatem et decorem pertinet. *Tertia*, ut homines ex hisce Deum agnoscant, eaque non

Cur?

Causa Prima.

Secunda.

Tertia.

ab alio, quam a Deo postulent. Unde Deus Judæis, si legem servarent, hanc felicitatem in bonis terrenis promisit, ut populus rudis hac spe ad Dei legem et cultum induceretur : rursum Patriarchas fecit felices, ut Gentiles spe hujus felicitatis allecti eumdem Deum agnoscerent et colerent. *Quarta,* ut qui felices sunt, sua felicitate ad Dei gloriam, et aliorum auxilium utantur : infelices in sua infelicitate habeant materiam virtutis, modestiæ et patientiæ. Atque hac de causa Deus majorem hominum partem facit non plane fortunatam, nec plane infortunatam, sed in aliquibus fortunatam, in aliis infortunatam; atque eorum vitam ex felicitate et infelicitate, mirabili varietate contexit et contemperat. *Quinta,* ut fideles videntes pios subinde esse infelices, impios felices, sciant omnia terrena esse adiaphora, discantque hanc terrenam felicitatem contemnere, atque aspirare ad veram, cœlestem et æternam, ad quam Christus nos deducit verbo et exemplo. Nam, ut ait S. Augustinus, *De Vera religione*, cap. x : « Tota vita Christi morum disciplina fuit. » Christus enim omnia bona mundi, quæ contempsit, contemnenda docuit; omnia mala, quæ sustinuit, sustinenda demonstravit: ut nec in illis quæreretur felicitas, nec in his timeretur infelicitas. »

Quarta.

Quinta.

Pii semper sunt felices, saltem supernaturaliter.

Ubi nota, licet apud Christianos multi viri boni et pii sint infelices naturaliter, omnes tamen felices sunt, et erunt supernaturaliter, quia Deus per hanc infelicitatem eos dirigit ad contemptum mundi, ad veram sapientiam, ad decus patientiæ et fortitudinis, ac denique ad felicitatem æternam. Sic ergo « diligentibus Deum omnia, » etiam adversa, « cooperantur in bonum; » et : « Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, etc. Omnia quæcumque faciet prosperabuntur. » Ideoque in rebus piis et supernaturalibus experimur viros sanctos, præsertim eos qui se totos Deo committunt, et identidem ab eo dirigi postulant, in suis operibus, præter meritum virtutis et laboris, plerumque felices habere successus.

Prudens consilium.

Quare prudens consilium est, ut docturi, concionaturi, confessiones audituri, animas conversuri, etc., nos Deo in omnibus jungamus, oremusque ut ipse dirigat mentem, manum, pedes, omnesque vias et actus nostros, dicamusque : « Respice in servos tuos, Domine, et sit splendor Domini Dei nostri super nos, et opera manuum nostrarum dirige super nos. » Sic Deus direxit et prosperavit Abrahamum, Isaacum et Jacobum hic.

Vers. 30.

30. AD INTROITUM MEUM, — ad præsentiam meam, puta propter me, ut vertit Chaldæus. Vide quantam viri justi et sancti prosperitatem domibus herorum, etiam impiorum inferant.

Vers. 32.

32. GYRA. — Coge in gyrum oves et capras tuas, ut simul omnes lustremus et separemus unicolores a diversicoloribus : unde hebr. est עִבְרָה *eebor,* id est transibo, et lustrabo tecum omnes greges (1).

SEPARA CUNCTAS OVES. — Nota, ab hoc loco usque ad finem capitis Hebræa sunt intricata et prolixa, quæ proinde Noster clare et breviter, quasi compendio perstrinxit, non tam verbum verbo quam sensum reddens.

Unde nota *secundo,* non duo, ut aliqui volunt, sed unum tantum pactum Jacobi cum Labano hic usque ad finem capitis recenseri; hoc enim exigit connexio pacti et eventus, ipsaque historica series totius capitis. Pactum itaque hoc fuit, ut omnes fœtus ovium et caprarum Labani, quas Jacob pascebat, deinceps nasciturі, si essent unicolores, puta toti albi, vel toti nigri, cederent Labano : sin vero nascerentur sparsi et varii coloris, vel furvi, id est subnigri, puta partim albi, partim nigri, cederent Jacobo. Ita S. Hieronymus, Lipomanus, Pererius. Atque hac de causa Laban solas oves et capras unicolores, tradidit pascendas Jacobo, putans ex eis simile fœtus unicolores nascituros, itaque omnes sibi cessuros, Jacobo autem nihil vel parum, idque nonnisi casu et per accidens. Reliquas vero oves et capras diversicolores a Jacobo abstulit ac separavit, sibique tam illas, quam omnes earum fœtus, sive unicolores sive diversicolores nascerentur, reservavit.

Quodnam pactum fuerit Labani cum Jacob?

FURVUM, MACULOSUM ET VARIUM — « Furvum » est fuscum sive subnigrum, in quo albedo nigrori mixta est, ut partim album, partim nigrum videatur; « maculosum, » hebraice טָלוא *talu,* est quod magnas habet maculas albas vel nigras; « varium, » sive sparso vellere, hebraice נָקוּד *nakud,* id est punctatum, est quod parvis maculis albis vel nigris, quasi punctis distinctum et punctatum est.

TAM IN OVIBUS QUAM IN CAPRIS. — Putant aliqui ex Hebræo, Laban inter oves et capras distinxisse hoc modo, ut in ovibus sola pure alba Labano cederent, furva vero et varia Jacobo; in capris vero varia et maculosa essent Jacobi, furva vero et alba Labani.

Sed contrarium exigit noster Interpres, scilicet tam in ovibus, quam in capris unicolores cessisse Labano, diversicolores Jacobo; eadem enim caprarum et ovium erat ratio : itaque in Hebræo

(1) Vulgatus vertit *gyra,* ut melius fluat oratio, quum mox imperativus subjiciatur. Sed loquitur Jacobus de se, quod ipsius esset, curam gregis habentis, pecus ducere et disponere. Mox vero ad Labanum sermonem convertit, *separa, q. d.* Me hodie per totum tuum pecus transeunte aufer, peto ut auferas, et segreges inde. Cæterum totus hic locus ita est impeditus, ut jam Hieronymus in *Quæst. Hebr.* fassus sit, se usque præsentem diem neminem potuisse invenire, qui ad liquidum, quid in hoc loco diceretur, exponeret. Tres omnino colores hoc versu poni vides, *punctatum, albo nigroque variegatum,* et *fuscum,* duos priores in universum, tam in ovibus, tam in capris, fuscum speciatim in ovibus, et rursum duos priores speciatim in capris. Petit igitur Jacobus, ut fuscas tantum oves separet Laban, non item punctatas et varias, et rursum capras tantum punctatas et varias, non item fuscas. *Et erit merces mea,* videlicet omne fuscum, maculosum aut varium, quod ex unicoloribus, id est, albis aut pure nigris mihi relictis, nascetur.

furvum, quod in ovibus solis exprimitur, in capris a pari de more subaudiendum et repetendum est.

Vers. 33. * 33. RESPONDEBITQUE MIHI CRAS JUSTITIA MEA, — *q. d.* Tecum facit natura pecorum, ut alba ex albis, nigra ex nigris nascantur; mecum vero erit justitia mea, mihi respondens, id est me remunerans; cum Deus, uti certo confido, humilitatem meam respiciet, laboremque meum justa mercede, quam tu iniqua pactione a me avertere conaris, remunerabit et compensabit, efficiendo videlicet ut ex unicoloribus tuis mihi diversicolores nascantur. Ita S. Hieronymus.

Sic dicitur *Isaiæ* LIX, 12 : « Peccata nostra responderunt nobis, » *q. d.* Peccata nostra interrogata quasi a Deo judice, veritatem professa sunt, scilicet nos ea fecisse, ea proinde testificata sunt nos esse reos supplicii, nosque ad id condemnarunt; ideoque illud nobis irrogatum est, ac clamat nos esse peccatores; et *Osee* V, 5 : « Respondebit (testificabitur, clamabit, accusabit) arrogantia Israel in facie ejus, » id est publice, palam, nihil reverita suum auctorem. Hinc patet tam bonas quam malas actiones hominum, esse testes sanctitatis vel improbitatis eorum, et aperte dicere testimonium suum coram Deo judice, imo si enormia sint, in cœlum clamare. Hæc est ergo consolatio justi, hæc Martyris, ut cum S. Laurentio dicat : « Igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas; » atque hinc nascitur incredibilis animi lætitia et magnitudo, ut omnia gravia et tormenta despiciat et rideat. Audi animos nostri Martyris Ogilbei, qui hoc anno 1615 in Scotia primus pro fide orthodoxa mortem subiit. Cum octo integros dies stylis, aciculis et acubus cum assidue pungendo, jugiter vigilare carnifices coegissent, ac ocreas crurifragiales et acerbissima quæque minarentur, athleta Christi respondit : « Egregii carnifices, ego vos omnes in hac causa nihili facio; agite pro hæretica vestra malitia : vos non curo; rogavi neminem, rogabo nunquam, sprevi semper; possum et volo pro hac causa plura libenter pati, quam vos una cum omnibus inferre potestis. Desinite mihi talia objicere, hæc lymphatis feminis obtrudite. Me ista accendunt, non consternant : ista non aliter rideo, quam crepitus tot anserum. » Dixit et fecit, imo ursit; exegitque ab eis promissum, ut scilicet tormenta quæ minabantur inferrent. Mirantibus dixit : « Ego glorior causa, et triumpho pœna tali; omnia possumus in eo qui nos confortat. »

CRAS, — tempore futuro.

QUANDO PLACITI TEMPUS ADVENERIT, — quando juxta tuum placitum et condictum in fine anni fœtus dividendi erunt, ut mihi cedant diversicolores, tibi unicolores.

FURTI ME ARGUENT, — si videlicet unicolores fœtus, aliosque quam diversicolores apud me, in grege mihi proprio, contra pactum tecum initum, repereris, *q. d.* Fideliter tibi unicolores tradam, diversicolores mihi servabo, nihil ex unicoloribus occulte suffurabor vel abscondam.

35. ET SEPARAVIT (1). — Putant aliqui ex verbis proxime sequentibus, hoc aliud et secundum esse pactum Labani cum Jacob : cum enim vidisset primum pactum feliciter cessisse Jacobo, fœtusque omnes natos esse diversicolores, hac de causa putant eum jam mutasse pactum, voluisseque contrarium, ut scilicet sibi cederent diversicolores, Jacobo vero unicolores. Verum hoc non est verisimile : ipse enim contextus historiæ significat hic tantum enarrari executionem pacti primi. Vers. 35.

CUNCTUM AUTEM GREGEM UNICOLOREM TRADIDIT IN MANU FILIORUM SUORUM. — Abulensis, Lyranus, Lipomanus et Cajetanus putant hic nostrum textum esse mendosum, emendandumque esse addita negatione, *non*; quasi Laban non unicolores, id est diversicolores, tradiderit filiis suis pascendos, unicolores vero Jacobo, ut ex iis pariter unicolores, qui non Jacobo, sed sibi cedere debebant, nascerentur : hoc enim significare videntur Hebræa. Verum illa implexa sunt, et contrarie verti possunt, adeoque ea cum Nostro recte sic vertas, « omne in quo fuit albedo, et omne nigrum in agnis (id est, omnes agnos unicolores) tradidit in manus filiorum suorum. »

Secundo, Pererius nostrum Interpretem excusat, dicens esse hic hysterologiam, *q. d.* Tradidit Laban suis filiis unicolores, non jam, sed post partum ovium, qui narratur in fine capitis. Sed et hoc videtur esse durum et distortum.

Dico ergo, Laban tradidisse oves unicolores pascendas filiis suis, quibus scilicet aderat et præerat Jacob. Jacobo enim vers. præced. totum gregem suum crediderat, cui addidit et filios suos de more pastores et custodes, ne Jacob dolo contra pactum oves unicolores clanculum subduceret : sic cap. sequenti, vers. 43, idem Laban familiam Jacob suam vocat. Laban ergo Jacobo cum reliquis suis filiis tradidit oves et capras unicolores, sperans inde sibi nascituras pariter unicolores : oves vero diversicolores separavit, sibique cum famulis pascendas reservavit, ne Jacob eas pascens, inde sibi omnes fœtus diversicolores, ut videbatur, nascituros ex pacto deposceret.

NIGRI VELLERIS. — Hebræum חום *chum* hic significat nigrum; opponitur enim לבן *laban*, id est albo. Sed vers. 32, *chum* significat fuscum, sive

(1) Pro *varios* hebr. est עקודים ab עקד *vincire*. Quia vero tale pecus pedibus vincire moris erat, inde Hebræi explicant *varios in loco ligationis*, id est, in malleolis anteriorum et posteriorum pedum. Nisi potius, quum עקודים τοὺς נקדים vers. 32 respondeant, pecudes punctis nigris aut albis variegatas, quasi *nodatas* (ab arabico) dici putemus, ut puncta *nodis* propter similitudinem conferantur. Commatis partem reliquam male, ut videtur, vertit Hieronymus. Sensus est, *omne in quo est albi quid*, in quo sunt maculæ albæ in vellere nigro, *et omne fuscum in agnis*, seu ovibus. Pars igitur Jacobi erant oves albæ et capræ nigræ.

subnigrum, quia jungitur cum maculoso et variegato.

Vers. 36. 36. SPATIUM ITINERIS TRIUM DIERUM, — ne oves suæ diversicolores misceri possent vel aspectu, vel coitu cum unicoloribus, quas pascebat Jacob, itaque gignerentur fœtus diversicolores, qui non sibi, sed Jacobo cedere debebant. Ita Lipomanus.

Vers. 37. 37. TOLLENS ERGO JACOB VIRGAS POPULEAS VIRIDES.—Nota industriam et stropham Jacobi, quam ipse ab angelis in somnis edoctus, ut colligitur cap. sequenti, vers. 11, Labani violentiæ et prudentiæ humanæ opposuit (1).

Dices : Jacob hac arte, quasi fraude, contractum cum Labano initum vitiavit; itaque dolose et injuste rem alienam Labani acquisivit. Contractus enim, ut unicolores nascituri cederent Labano, diversicolores Jacobo, ex communi mente contrahentium, intelligebatur de iis quæ talia naturaliter et casu, non autem per artem et fraudem nascerentur.

Respondeo : Verum est contractum hunc communiter ita intelligi solere et debere, itaque a Jacobo et Labano intellectum esse. Jacob ergo alio titulo hac stropha usus est, nimirum *primo*, titulo compensationis : ipse enim a Labano, homine avaro et iniquo, violenter opprimebatur, et justam laborum suorum mercedem aliter extorquere nequibat, nisi hac arte; imprimis enim Laban gravem injuriam fecerat Jacobo, pro Rachele ei promissa surrogando Liam deformem, et invisam Jacobo, atque cogendo Jacobum ut septem alios annos sibi pro ea serviret. Deinde injuste post pactum cum Jacobo pro gregibus initum, separavit, vers. 35, oves unicolores a diversicoloribus, solas unicolores tradens Jacobo, ex quibus naturaliter fœtus unicolores omnes sibi et nulli diversicolores Jacobo nascerentur. Jacob ergo cum non haberet judicem ad quem recurreret, ipse sibi ex necessitate jus dixit, suumque hac arte repetiit, ut mercedem sibi debitam hac arte consequeretur.

Injustitia Labani.

Secundo, fecit hoc Jacob Dei (per angelum) monitu, ut dixi; ergo Deus dedit illi has pecudes Labani hac arte nascituras : sicuti Deus jubens Hebræis spoliare Ægyptum, hoc ipso dedit eis bona Ægyptiorum, *Exodi* XII.

Quæres, an hæc ars et stropha naturalis fuerit, an vero effectum suum habuerit ex supernaturali Dei cooperatione? Respondeo, naturalem fuisse; in coitu enim phantasiæ vis solet esse maxima, quia tunc anima omnem suam vim exerit, adeo ut aliquæ matres albæ ex imagine et imaginatione æthiopis, æthiopem genuerint. Audi Plinium lib. VII, cap. XII : « Similitudinum, inquit, in mente reputatio est, in qua creduntur multa fortuita pollere, visus, auditus, memoria, haustæque imagines sub ipso conceptu. Cogitatio etiam utriuslibet animum subito transvolans, effingere similitudinem, aut miscere existimatur; ideoque plures in homine, quam in cæteris animantibus differentiæ, quoniam velocitas cogitationum, animique celeritas, et ingenii varietas multiformes notas imprimit : cum cæteris animalibus immobiles sint animi, et similes omnibus, singulisque in suo cuique genere. » Galenus, in libro quem scripsit *De Theriaca* ad Pisonem, narrat mulierem quamdam intuitu picturæ pulcherrimæ, pulchrum infantem ex deformi marito concepisse, « visu, inquit, opinor, naturæ imaginem transmittente. S. Hieronymus hic in *Tradit. Hebr.*: « Quintilianus, inquit, in ea controversia, in qua accusabatur matrona, quod æthiopem peperisset, pro defensione illius argumentatur, hanc conceptus esse naturam, quam diximus. Et scriptum reperitur in libris Hippocratis, fuisse feminam quamdam suspicione adulterii puniendam, quod pulcherrimum infantem peperisset, utrique parenti generique dissimilem : nisi memoratus medicus solvisset quæstionem, admonens ut quærerent, si forte talis pictura fuisset in ejus mulieris cubiculo : qua inventa, mulier a supplicio et suspicione liberata est. »

Exempla.

Idem refert S. Augustinus hic Quæst. XCIII, qui et lib. XVIII *De Civitate*, cap. V, scribit simile fecisse dæmonem in Api bove, quem Ægyptii adorabant, efformando; debebat enim is priori mortuo esse similis, albisque maculis insigniri. Isidorus quoque lib. XII *Etymolog.* cap. I, sub finem : « Hoc ipsum, ait, in equarum grege fieri dicitur, ut generosos objiciant equos visibus concipientium, quo similes eorum concipere et creare possint. Nam et columbarum dilectores ponunt pulcherrimas columbas iisdem locis, quibus illæ versantur, quo videlicet rapiente visu, similes generent. Inde est, quod quidam gravidas mulieres vetant intueri turpissimos animalium vultus, ut cynocephalos et simias, ne visibus occurrentes, similes fœtus parere faciant. Etenim anima in usu venereo formas intrinsecas intus transmittit, earumque satiata typis, rapit species earum in propriam qualitatem. »

Imaginatio fortis quantum in conceptu fœtus valeat.

Dum ergo biberent hæ oves Jacobi, simulque mares in femellas salirent, species directa virgarum decorticatarum et diversicolorum in aquis jacentium, reflexæ speciei, sive umbræ marium ineuntium in aquis mixta, unam quasi speciem variegatam femellis ingerebat, quasi cernerent suos mares pulchre viridibus maculis et albis variegatos : unde vi phantasiæ eosdem colores suo fœtui, quem tunc concipiebant, imprimebant. Idem faciebant mares, nimirum similem vim et formam diversicolorem suo semini imprimebant,

(1) Ad verbum hebræa habent, *decorticavit in iis decorticationes albas, nudatione alboris*, id est, per intervalla corticem ita detraxit, ut niger cortex exciperetur alburno ligni nudato, atque ita virgæ variæ fierent.

Vers. 38. *In canalibus, in potoriis aquæ*; speciale generali subjungitur. Pro *conciperent*, est in hebr. *incaluerunt*, scil. desiderio coitus, quæ vox masculini generis est, licet נאנ feminini sit.

ex simili virgarum cum umbra femellarum permixta specie, visione et imaginatione. Ita S. Hieronymus, Augustinus, Quæst. XCIII, Abulensis, et optime Franciscus Valesius *Sacræ Philosophiæ* cap. XI.

Posset *secundo*, quis suspicari, virgis populi, amygdali et platani, si in aquis ponantur, vim aliquam inesse ad nigrorem, et nigras maculas gignendum; talem enim vim multis aquis tribuunt Aristoteles, lib. III *Histor. animal.* cap. XII, Ovidius, lib. ult. *Metamorph.*, Solinus et alii.

Preces Jacobi hunc conceptum juverunt.

Denique sanctitas et preces Jacobi plurimum hanc rem adjuverunt; angeli enim faventes Jacobo, phantasiam ovium vehementissime applicabant, et incitabant ad hanc diversicolorem virgarum imaginationem, uti colligitur capite sequenti, vers. 12. Deus etiam volens benedicere et ditare Jacobum, per hanc imaginationem, peculiaria suo concursu, diversos colores valide et multipliciter fœtibus in ipso eorum conceptu imprimebat; unde S. Cyrillus, Chrysostomus et Theodoretus putant hæc non tam naturaliter, quam Dei dono et providentia obvenisse Jacobo, idque fatetur ipse Jacob cap. seq., vers. 7, 8, 9.

Nullum quadrupes viride.

Dices : Cur ex virgis viridibus nulli fœtus facti et nati sunt virides? Respondeo, quia in nullo quadrupede est ea humorum proportio et temperies quæ ad viriditatem est necessaria : loco ergo viridis coloris pingebatur in fœtibus subniger, sive furvus, ait Tostatus, ad quod non parum juvabat umbra et nigredo aquarum, quæ viriditatem inumbrabat et fuscabat, ut non virides, sed fuscæ et subnigræ esse viderentur.

Virgæ Jacob variegatæ significant exempla Sanctorum varia.

Tropologice, hæ virgæ variegatæ sunt S. Scripturæ et Sanctorum variorum varia exempla, quæ dum intuemur, iis similes virtutum et heroicorum operum proles edimus et efficimus. Ita S. Ambrosius, lib. II *De Jacob*, cap. IV et VI; Gregorius, lib. XXI *Moral.* cap. I.

EX PARTE. — Pars enim virgæ, suo cortice vestita, viridis, pars vero decorticata et nudata alba apparuit.

Vers. 39. In calore viget imaginatio.

39. UT IN IPSO CALORE, — quia calore maxime excitatur, viget et operatur imaginatio. Hinc Physici docent, quod cerebrum requirat, *primo*, siccitatem, ob ingenium : anima enim sicca est sapientissima; *secundo*, humiditatem, ob memoriam : humor enim facile recipit speciem impressam; unde juvenes, quia humido sunt cerebro, facile quidlibet ediscunt, mandantque memoriæ; *tertio*, calorem ob imaginationem, unde experimur in studiis, capite et corpore calente conceptus phantasiæ vigere et fluere; capite vero frigente, eosdem retundi, torpere et hebetari. E contrario prudentia, sincerumque judicium consistit in frigore, uti docet Aristoteles, sect. 14, prob. 8, eaque de causa senes valent prudentia et judicio (1).

In frigore prudentia.

Vers. 41.

41. PRIMO TEMPORE. — Sicut in Lombardia, ita et in Mesopotamia ac Syria, oves bis quotannis pariunt : aut certe quædam in vere, quædam in autumno concipiebant. Primum ergo tempus est vernum, serotinum est autumnale. Jacob ergo in vere, cum et aura et animalia vigent, ponebat virgas diversicolores, ut diversicolores fœtus sibi nascerentur, iique, quia verni, erant meliores, uberiores et robustiores; in autumno vero non ponebat : unde tunc unicolores, iique debiliores, nascebantur Labano; partem enim hanc illi concessit Jacob, tum ne Laban suspicaretur fraudem et artem deprehenderet; tum ex æquitate et humanitate sua. Valesius ambas has admissuras, tam primas quam serotinas, in eumdem diem conjicit. Verum longe melius et verius S. Hieronymus, aliique Latini, æque ac Hebræi, eas in ver et autumnum dividunt et distribuunt (2).

(1) Vers. 40. *Tum oves*, seu agnos varios et fuscos sibi natos isto virgarum artificio *separavit* a reliquo Labanis grege, quem servabat, ne cum illo commiscerentur, et Laban occasionem haberet de ipso querendi, quod de industria varia pecora suis unicoloribus permiscuisset, ut unicoloria parerent varia. כשבים hic non ovium tantum, verum et caprarum catulos comprehendit. *Posuitque*, id est convertit, *faciem gregis ad nodosum* (maculatum) *et ad omne fuscum in grege Labanis.* Aliud affertur Jacobi artificium, quo effecerit, ut unicoloria parerent varia, nempe conversa facie pecorum Labanis unicolorium, ad nodosa, fusca et varia, quæ sibi nata erant e pecore illius. Ita enim disposuit gregem utrumque, unicolorium Labanis, et suorum recens natorum, ut sua præcederent, Labanis sequerentur. *Ac posuit sibi gregem, soli*, inquam, *sibi*, id est seorsim; *nec posuit illos*, oves, *juxta gregem Labanis.* Videtur hoc non differre ab eo, quod initio versus dixerat. Sed ibi tantum de recens natis variis e contemplatione virgarum locutus est; at nunc etiam de aliis variis, natis per secundum artificium, agit, cum faciem gregis Labanis convertisset ad sua varia : horum quoque gregem seorsim ponit.

(2) « Sequitur, vers. 41, tertium artificium, quo Jacobus est usus, quod verno tantum tempore illud virgarum adhiberet, cum prima est ovium admissura, et ad coitum sunt ardentiores, non item intervalli tempore, cum est secunda admissura : tum ne, si bis in anno id faceret, dolum subolfaceret Laban; tum quia admissura illa prima verni temporis est melior, et inde geniti fœtus robustiores. המקשרות a קשר *vincire, ligare*, proprie *ligatas* denotat, metaphorice vero *robustiores* et *vegetiores.* Arabibus quoque, ut ait Schultens, *ligandi* verba fere et *firmandi* notionem habent sibi junctam. Vegetioribus ovibus vero intelliguntur hic eæ, quæ coibant in prima admissura, id est, in mense martio. » Ita Rosenmullerus.

CAPUT TRIGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Fugit clam Jacob cum tota familia ex Haran in Chanaan, insequitur eum Laban : hinc, vers. 26, jurgantur utrimque; ac tandem, vers. 44, cum Jacobo fœdus init in Galaad.

1. Postquam autem audivit verba filiorum Laban dicentium : Tulit Jacob omnia quæ fuerunt patris nostri, et de illius facultate ditatus, factus est inclytus : 2. animadvertit quoque faciem Laban, quod non esset erga se sicut heri et nudiustertius, 3. maxime dicente sibi Domino : Revertere in terram patrum tuorum, et ad generationem tuam, eroque tecum. 4. Misit, et vocavit Rachel et Liam in agrum, ubi pascebat greges, 5. dixitque eis : Video faciem patris vestri, quod non sit erga me sicut heri et nudiustertius : Deus autem patris mei fuit mecum. 6. Et ipsæ nostis, quod totis viribus meis servierim patri vestro. 7. Sed et pater vester circumvenit me, et mutavit mercedem meam decem vicibus : et tamen non dimisit eum Deus ut noceret mihi. 8. Si quando dixit : Variæ erunt mercedes tuæ : pariebant omnes oves varios fœtus. Quando vero e contrario ait : Alba quæque accipies pro mercede; omnes greges alba peperunt. 9. Tulitque Deus substantiam patris vestri, et dedit mihi. 10. Postquam enim conceptus ovium tempus advenerat, levavi oculos meos, et vidi in somnis ascendentes mares super feminas, varios et maculosos, et diversorum colorum. 11. Dixitque angelus Dei ad me in somnis : Jacob! Et ego respondi : Adsum. 12. Qui ait : Leva oculos tuos, et vide universos masculos ascendentes super feminas, varios, maculosos atque respersos. Vidi enim omnia quæ fecit tibi Laban. 13. Ego sum Deus Bethel, ubi unxisti lapidem, et votum vovisti mihi. Nunc ergo surge, et egredere de terra hac, revertens in terram nativitatis tuæ. 14. Responderuntque Rachel et Lia : Numquid habemus residui quidquam in facultatibus et hæreditate domus patris nostri? 15. Nonne quasi alienas reputavit nos, et vendidit, comeditque pretium nostrum? 16. Sed Deus tulit opes patris nostri, et eas tradidit nobis, ac filiis nostris : unde omnia quæ præcepit tibi Deus, fac. 17. Surrexit itaque Jacob, et impositis liberis ac conjugibus suis super camelos, abiit. 18. Tulitque omnem substantiam suam, et greges, et quidquid in Mesopotamia acquisierat, pergens ad Isaac patrem suum in terram Chanaan. 19. Eo tempore ierat Laban ad tondendas oves, et Rachel furata est idola patris sui. 20. Noluitque Jacob confiteri socero suo quod fugeret. 21. Cumque abiisset tam ipse, quam omnia quæ juris sui erant, et amne transmisso pergeret contra montem Galaad, 22. nuntiatum est Laban die tertio quod fugeret Jacob. 23. Qui, assumptis fratribus suis, persecutus est eum diebus septem, et comprehendit eum in monte Galaad. 24. Viditque in somnis dicentem sibi Deum : Cave ne quidquam aspere loquaris contra Jacob. 25. Jamque Jacob extenderat in monte tabernaculum : cumque ille consecutus fuisset eum cum fratribus suis, in eodem monte Galaad fixit tentorium, 26. et dixit ad Jacob : Quare ita egisti, ut clam me abigeres filias meas quasi captivas gladio? 27. Cur ignorante me fugere voluisti, nec indicare mihi ut prosequerer te cum gaudio et canticis et tympanis et citharis? 28. Non es passus ut osculari filios meos et filias : stulte operatus es; et nunc quidem 29. valet manus mea reddere tibi malum; sed Deus patris vestri heri dixit mihi : Cave ne loquaris contra Jacob quidquam durius. 30. Esto, ad tuos ire cupiebas, et desiderio erat tibi domus patris tui : cur furatus es deos meos? 31. Respondit Jacob : Quod inscio te profectus sum, timui ne violenter auferas filias tuas. 32. Quod autem furti me arguis, apud quemcumque inveneris deos tuos,

necetur coram fratribus nostris. Scrutare quidquid tuorum apud me inveneris, et aufer. Hæc dicens, ignorabat quod Rachel furata esset idola. 33. Ingressus itaque Laban tabernaculum Jacob et Liæ, et utriusque famulæ, non invenit. Cumque intrasset tentorium Rachelis, 34. illa festinans abscondit idola subter stramenta cameli, et sedit desuper : scrutantique omne tentorium et nihil invenienti 35. ait : Ne irascatur dominus meus, quod coram te assurgere nequeo, quia juxta consuetudinem feminarum nunc accidit mihi. Sic delusa sollicitudo quærentis est. 36. Tumensque Jacob, cum jurgio ait : Quam ob culpam meam, et ob quod peccatum meum sic exarsisti post me, 37. et scrutatus es omnem supellectilem meam? Quid invenisti de cuncta substantia domus tuæ? pone hic coram fratribus meis et fratribus tuis, et judicent inter me et te. 38. Idcirco viginti annis fui tecum? oves tuæ et capræ steriles non fuerunt : arietes gregis tui non comedi : 39. nec captum a bestia ostendi tibi, ego damnum omne reddebam : quidquid furto peribat, a me exigebas : 40. die noctuque æstu urebar et gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis. 41. Sicque per viginti annos in domo tua servivi tibi, quatuordecim pro filiabus, et sex pro gregibus tuis; immutasti quoque mercedem meam decem vicibus. 42. Nisi Deus patris mei Abraham, et timor Isaac, affuisset mihi, forsitan modo nudum me dimisisses : afflictionem meam et laborem manuum mearum respexit Deus, et arguit te heri. 43. Respondit ei Laban : Filiæ meæ et filii, et greges tui, et omnia quæ cernis, mea sunt : quid possum facere filiis et nepotibus meis? 44. Veni ergo, et ineamus fœdus ut sit in testimonium inter me et te. 45. Tulit itaque Jacob lapidem, et erexit illum in titulum. 46. Dixitque fratribus suis : Afferte lapides. Qui congregantes fecerunt tumulum, comederuntque super eum : 47. quem vocavit Laban, Tumulum testis; et Jacob, Acervum testimonii, uterque juxta proprietatem linguæ suæ. 48. Dixitque Laban : Tumulus iste erit testis inter me et te hodie, et idcirco appellatum est nomen ejus Galaad, id est, Tumulus testis. 49. Intueatur et judicet Dominus inter nos quando recesserimus a nobis, 50. Si afflixeris filias meas, et si introduxeris alias uxores super eas; nullus sermonis nostri testis est absque Deo, qui præsens respicit. 51. Dixitque rursus ad Jacob : En tumulus hic, et lapis quem erexi inter me et te, 52. testis erit : tumulus, inquam, iste, et lapis sint in testimonium, si aut ego transiero illam pergens ad te, aut tu præterieris, malum mihi cogitans. 53. Deus Abraham, et Deus Nachor, judicet inter nos, Deus patris eorum. Juravit ergo Jacob per timorem patris sui Isaac. 54. Immolatisque victimis in monte, vocavit fratres suos ut ederent panem. Qui cum comedissent, manserunt ibi. 55. Laban vero, de nocte consurgens, osculatus est filios et filias suas, et benedixit illis, reversusque est in locum suum.

Vers. 1. 1. TULIT. — Hebraice לקח *lacach*, id est accepit, furatus est. Est calumnia : per invidiam enim Jacob furti arguit, furtumque vocat justam mercedem opesque ipsi a Deo datas.

Vers. 3. 3. EROQUE TECUM. — « Quid illi deesse queat, inquit S. Ambrosius, cui adest rerum omnium plenitudo, » imo oceanus, puta Deus?

Vers. 7. 7. MUTAVIT MERCEDEM MEAM DECEM VICIBUS. — « Decem, » id est multis, ut ponatur numerus certus pro incerto; denarius enim significat multitudinem et perfectionem. Ita Origenes, Eusebius, Diodorus et Procopius. Sic sæpe divites agunt cum pauperibus, ut neque pacta, neque promissa servent, nisi quantum in rem ipsorum sit; hinc Terentius : « Novi, inquit, ego vestra illa verba : Volo nolo, nolo volo : quod modo ratum erat irritum sit. »

Secundo, proprie et præcise, mutavit Laban pactum et mercedem Jacobi decem vicibus; idem enim improperat Jacob Labano vers. 41. Nam, ut patet vers. 41, Jacob 20 annis servivit Labano, puta 14 annis pro uxore utraque, et 6 annis pro gregibus et ovibus; bis autem in anno pariebant oves, et qualibet vice ex pacto, per singularem Dei providentiam, ditabatur Jacob. Hoc videns Laban, qualibet vice rescindebat et mutabat pactum, quinque ergo annis decies mutavit pactum; unde anno sexto hujus mutationis pertæsus Jacob aufugit. Septuaginta, pro *decem vicibus*, vertunt, δεκὰ ἀμνῶν, *decem agnis*, id est, decem temporibus quibus agnæ nascebantur, inquiunt nonnulli; sic enim ait Virgilius :

Post aliquot mea regna videns mirabor aristas;

per aristas messes, per messes annos significans. Ita S. Augustinus, Quæst. XCV.

Verum verius est corruptos esse hic Septuaginta et pro δεκὰ ἀμνῶν, restituendum esse δεκὰ μνῶν, id est, decem mnas vel minas; videntur enim Septuaginta Hebræum מונים *monim* voluisse retinere, et explicare per minas. Ita Eugubinus, *q. d. Decem*, id est multis, *minis* auri, multo pretio fraudavit me pater vester, immutando et invertendo mercedem meam.

Tropologice, Laban est mundus; hic Jacob, id est fideles, affligit, quos ante spe sui commodi adamaverat et provexerat; quia ea spe se postea frustrari videt.

Vers. 8. 8. OMNES, — pleræque, nam pars serotina, scilicet exigua et infirma, cessit Labano, cap. præcedenti, vers. 42 (1).

Vers. 12. 12. VIDE UNIVERSOS MASCULOS VARIOS. — Hac visione et symbolo significabat angelus diversicolores nascituros Jacobo, simulque, ut videtur, modum id faciendi per virgas decorticatas eum docuit, licet id non exprimat hic Scriptura, contenta narratione totius rei, quam dedit cap. præcedenti.

VIDI ENIM OMNIA QUÆ FECIT TIBI LABAN. — « Hic discimus, ait S. Chrysostomus, *homil.* 57, quod quando injuria nobis fit, nosque mansueti, mites et tolerantes fuerimus, majori et largiori auxilio divino fruimur. Ne ergo obluctemur his qui nos premunt, et calumniari volunt; sed feramus generose, scientes quod nos omnium Dominus non despiciet, tantum nos ejus benevolentiam agnoscamus. Mihi enim, inquit, vindicta, et ego retribuam. »

Vers. 13. 13. DEUS BETHEL, — qui tibi apparui innixus scalæ in Bethel, cap. XXVIII.

ET VOTUM VOVISTI. — Meminit Deus voti Jacobi, ut illud sibi gratum fuisse, seque propter illud Jacobo benedixisse, eumque ditasse significet; utque eum voti sui prosequendi et perficiendi memorem reddat.

Vers. 14. 14. NUMQUID HABEMUS? — Nonne pater nos quasi exhæredes fecit? *Primo*, dum nos indotatas tibi uxores tradidit. *Secundo*, dum pretium nostrum, quo nos scilicet tibi coemisti uxores, puta laborem 14 annorum servitutis tuæ, totum sibi usurpavit, ut non tam quasi pater nos in matrimonio, consignata dote collocasse, quam quasi mango vendidisse videatur.

Vers. 17. 17. IMPOSITIS LIBERIS. — Erant enim teneri : nam maximus Ruben erat 13 annorum, minimus Joseph erat sexennis.

Tropologice hinc disce, oborta invidia, justo illam esse declinandam : melius est enim ei sine lite abire, quam cum jurgio residere, inquit Ambrosius, lib. II *De Jacob*, cap. v. Rursum, Deus hic suos adversis, calumniis, exiliis agitari permittit, ut ad patriam cœlestem anhelent, inquit Rupertus : nam mala quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt.

18. PERGENS AD ISAAC PATREM SUUM. — Eo tendebat Jacob, sed in itinere ferme decennium posuit, habitando in Sichem, et in Bethel. Ita Abulensis. Vers. 18.

19. FURATA EST IDOLA. — Quæres, cur id fecerit Rachel? Respondet *primo* Aben Esra, eam furatam esse idola patris, ne pater illa consulendo, vel eorum inspectione augurando, cognoscere posset per quod iter Jacob cum suis abiisset et fugisset, ut scilicet eos insequi non posset. Vers. 19. Cur Rachel furata sit idola? Resp. Primo.

Secundo, S. Basilius, initio *in Proverb.*; Nazianzenus, orat. 2 *De Pasch.*; Theodoretus et Pererius, putant eam id fecisse, ut occasionem idololatriæ patri tolleret. Secundo.

Tertio, verisimilius S. Chrysostomus, *hom.* 57, Gennadius, Rupertus, Cajetanus et Oleaster putant eam idola non tam patris quam sua quasi deos penates secum abstulisse, eo quod iis dedita esset, ab iisque felix iter omneque bonum speraret; nam pater Laban, ejusque domus, ac consequenter et Rachel, cum Deo vero etiam idola, more gentis suæ, colebat, ut patet cap. XXXV, vers. 2, ubi demum hæc idola abolevit Jacob. Tertio.

Quarto, furata est Rachel hæc idola, quia erant pretiosa, puta ex auro : itaque aurum furata est, id est, clanculum accepit; sed juste, quasi dotem suam, et quasi mercedem marito suo debitam. Ita Pererius. Quarto.

IDOLA. — Hebraice est תרפים *theraphim*, quod significat statuas humanas, sive humanam formam habentes, ut patet I *Reg.* XIX, 13; hinc Aquila vertit, μορφώματα, id est figurationes; Chaldæus vertit, *imagines*. Quid *theraphim*?

Secundo, nomen *theraphim* usu appropriatum est iis statuis, quæ opera dæmonum responsa dabant, ut patet *Judic.* XVIII, 18; unde interpretes passim *idola* vertunt. Ita Septuaginta, Noster et alii, quin et ipse Calvinus. Inepte ergo idem Calvinus : *Theraphim*, inquit, sunt imagines, quales habent Papistæ : nec enim Papistæ imagines habent et colunt quasi idola, aut quasi deos, uti theraphim hæc habuit et coluit Laban, ut patet vers. 30. De Theraphim plura dicam *Judic.* XVIII.

20. NOLUITQUE CONFITERI. — Hebraice est, *furatus est Jacob cor Labani : cor*, id est opes quæ erant quasi cor Labani, quasque ut cor suum amabat, inquit Lipomanus. Vers. 20.

Verum dico esse hebraismum : « Furatus est cor Laban, » id est, inscio et ignorante Laban, furtim et clanculum aufugit, quasi cor, id est scientiam et conscientiam Laban secum abstulisset. Unde Chaldæus vertit, *celavit*; Septuaginta, *abscondit*. Sic Seneca in *Agamemn.* ait : Hebraice *furari cor* est celare.

Germane, vultus veste furabor tuos,

furabor, id est abscondam.

(1) In Hebr. נקדים, oves quibus punctatum totum *corpus*, opponi videntur τοῖς עקדים, ovibus scil. quarum *crura*, imo *malleolæ* pedum tantum pungebantur.

Addit Cajetanus, Labanum in corde suo statuisse, non pati Jacobum ex Haran auferre opes, quas ibi pepererat. Unde vers. 42 ait ei Jacob : « Forsitan nudum me dimisisses; » et quia Jacob inde clam discedens irritum fecit hoc Labani consilium, hinc dici furatum ejus cor, in quo consilium illud latebat, illudque clanculum secum tulisse : est metonymia (1).

Vers. 21. 21. AMNE TRANSMISSO, — Euphrate, qui Haran et Mesopotamiam circumdat : fecit id Jacob non per miraculum, uti fingunt Judæi, sed per navim ordinariam.

Vers. 23. 23. IN MONTE GALAAD, — qui postea vers. 18 dictus est Galaad : est prolepsis, de Galaad vide Adrichomium in *Terra sancta*.

Vers. 25. 25. FRATRIBUS, — valida manu cognatorum, famulorum et civium.

Vers. 26. 26. DIXIT (Laban) AD JACOB : QUARE ITA EGISTI? — Vide hic rursum in verbis Laban ingenium mundi. Nam *primo*, licet sciret se perfidia sua causam dedisse justo fugiendi, id tamen dissimulat, et omnem culpam in justum rejicit, et cum deberet deprecari culpam, ac justum reconciliare, ultro eum arguit. Sic mundus sua peccata dissimulat, et omnem culpam in pios rejicit. Sic Achab Eliam criminatur quod turbaret Israel, cum ipse impius rex suis peccatis causa esset malorum. *Secundo*, Laban fingit se amicum, cum esset adversarius : « Ut prosequerer te, inquit, cum gaudio et canticis, » etc. Sic mundus aliter loquitur, aliter sentit : væ duplicibus corde! *Tertio*, prodit suam impietatem et stultitiam, cum ait : « Cur furatus es deos meos? » impietatis est, quod idola colit : stultitiæ, quod deos dicit, qui se a furibus custodire nequeunt. *Quarto*, ait : « Stulte egisti; » sic mundo stultum videtur quidquid pii faciunt; non stulte egit justus oppressus patriam repetendo, sed stulte agit mundus cœlestem patriam contemnendo. *Quinto*, arrogantiæ est quod dicit : « Valet manus mea reddere tibi malum; » sic mundus semper præsumit de potentia, cum sciat se nihil contra Deum posse. « Arrogantia ejus, inquit Isaias, cap. XVI, plusquam fortitudo ejus. » Demum tamen, velit nolit, confiteri cogitur veritatem, se videlicet a Domino prohiberi et cohiberi. Unde S. Chrysostomus, *hom.* 57, multis exemplis ostendit, quam Deus Jacobi et aliorum justorum habeat curam, adeo ut non tantum homines efferatos, sed feras ipsas domet et cicuret, ne eis noceant : « Dei enim manus, inquit, potentior est omnibus, ipsa nos undequaque munit et invictos facit. Id quod et in justo hoc declaratum est. Nam qui tanto impetu comprehendere Jacob, et pœnam fugæ de eo sumere volebat non solum nihil asperum contra eum loquitur, sed sicut pater filium blande compellat, dicens : Quid fecisti? quare clandestine abscessisti? Vide quanta mutatio, vide quomodo is qui ut bestia insaniebat, ovium imitetur mansuetudinem. »

Ingenium mundi.

UT CLAM ME. — Hebraice rursum est, « furatus es cor meum, » de quo dixi vers. 20.

QUASI CAPTIVAS GLADIO, — quasi bello captas ideoque servas, sive mancipia (2).

28. FILIOS MEOS, — nepotes ex filiabus. Vers. 28.

32. SCRUTARE QUIDQUID TUORUM (de tuis rebus) APUD ME INVENERIS, ET AUFER. — Mystice S. Ambrosius, lib. II *De Jacob*, cap. V : « Venit ad eum Laban, inquit, id est dealbatus, puta Satanas (quia et Satanas transfigurat se in angelum lucis), et cœpit ab eo sua requirere. Respondit Jacob : Nihil tuorum habeo. Quære si quid agnoscis tuorum vitiorum et criminum, nihil mecum abstuli fraudum tuarum, dolique consortia ulla non habeo : omnia tua tanquam contagium refugi. Et quæsivit Laban, et nihil suum reperit. Quam beatus vir, in quo inimicus nihil invenit, quod suum posset dicere, in quo diabolus nihil offendit, quod suum agnosceret! Impossibile videbatur istud in homine, sed typum gerebat ejus qui dixit in Evangelio : Venit hujus mundi princeps, et in me inveniet nihil. Nihil est enim quidquid est diaboli, quod nullam potest habere perpetuitatem atque substantiam (3). » Vers. 32.

34. SUBTER STRAMENTA, — sub clitellis (4). Vers. 34.

35. JUXTA CONSUETUDINEM FEMINARUM. — *q. d.* Laboro fluxu menstruorum, ideo præ infirmitate assurgere non possum. Vers. 35.

36. TUMENSQUE, — præ ira et indignatione justa Jacob, alias mitissimus : læsa enim patientia fit furor. Vers. 36.

39. NEC CAPTUM A BESTIA OSTENDI TIBI. — Lex pastoritia est, ut, si sine pastoris culpa pecus a feris necetur, ostensa domino parte aliqua residua, noxæ pastor eximatur; res enim quæque domino suo perit, nisi culpa custodis interveniat. Verum hanc legem non servavit durus et injustus Laban, qui Jacobum volebat non cul- Vers. 39.

(1) *Cor Labanis Syri.* Labanem hic vocari *Syrum* multi putant, non ut patria ejus signetur, sed ut viri mores notentur, quia Syri ab antiquissimis temporibus habebantur cæteris hominibus callidiores, *q. d.* scriptor, Labanem, quamvis callidum, ut vulgo Syri esse solent, delusum tamen a Jacobo prudentiore fuisse.

(2) Vers. 27. Nomen תֹּף onomatopoieticom, sonitum tympani manu pulsi exprimit. Ea tympana, hodienum in illis oris usitata, minora sunt, atque ex altera tantum parte, aut etiam utraque clausa, qualia sunt quæ *tambours de basque* a Gallis vocantur. Iis saltando utebantur feminæ.

(3) Accentus *Segolta*, voci יְהוָה appositus vetat verba *coram fratribus* nostris jungere cum iis quæ præcedunt. Quare hoc potius modo locus est exponendus : Coram fratribus nostris agnosce tibi quid sit apud me, scil. de rebus tuis. Cf. vers. 37.

(4) Sellæ camelinæ, qua vehi solebat, quæque per noctem in tentorium ejus reposita fuerat, Rachela insedit, tanquam in sedile aliquod, aut lectulum commodiorem. Pulvinaribus enim aliisque utensilibus instrui solent hæ sellæ. Cæterum Penatium statuæ parvæ erant (conf. Virgilium, *Æneid.* II, 716), unde facile in istiusmodi sella camelina abscondi potuere.

pam tantum, sed et casum præstare. Hoc est enim quod ei objicit Jacob, dicens : « Quidquid furto peribat, a me exigebas. » Alioqui pastor jure pastoritio tenetur ovem a lupo; urso, etc., raptam excutere, ovemque tueri, si potest : quod si negligat, tenetur ad ovis raptæ restitutionem. Ita David pascens oves, leonem et ursum eas invadentes occidit, I *Reg.* XVII, 34. Multo magis Deus a pastoribus qui curam gerunt animarum, illas requiret, si sua negligentia sinant eas a dæmone rapi, agique in præceps, uti docet Ezechiel cap. III, vers. 17, et toto cap. XXXIV. Idem judicium est de principibus et magistratibus, qui subditorum salutem, corpora et fortunas tueri debent. Horum ergo est jugiter excubare, pro suorum tutela et custodia. « Excubat (inquit Seneca) principis cura pro salute singulorum. » Talis fuit Cæsar, de quo idem Seneca, lib. *De Brevit. vitæ* : « Omnium, inquit, domos illius diligentia defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius industria, omnium vacationem illius occupatio. » Tales quoque vult esse principes Plato, lib. VII *De Legibus* (1).

Vers. 40. Frigus urit. 40. ÆSTU UREBAR ET GELU. — Male legunt quidam *urgebar* : nam sicut calor, sic et frigus adurit, id est pungit, cruciat, exsiccat, et, ut Hebræa habent, אחלני *achalani*, id est, comedit me et consumpsit, lædit (2). Causam physicam assignat Hieronymus Magius, lib. I *Miscellan.* cap. XVII. Sic Poeta : « Urebant montana nives. » Et Tacitus, lib. XV *Annal.* : « Ambusti multorum artus vi frigoris. » S. Basilius, hom. *De 40 Martyr.* : « Frigore, inquit, toti exusti. » Et Ecclesiasticus de Aquilone loquens, cap. XLIII, 23 : « Exuret, inquit; desertum, et extinguet viride » ὡς πῦρ, id est, *sicut ignis*. Hinc et pruina a perurendo dicta, quod herbas et fruges perurat, ait Festus : nimirum munditia mulieribus, labor viris convenit. Quocirca merito Jacob a S. Gregorio homil. 15 *in Ezech.* statuitur laboris exemplar, eoque illum meruisse ait victoriam in lucta cum angelo, cap. XXXII. « Laboriosa, inquit, fortitudo ut obtineri debeat quæritur? Jacob ad memoriam deducatur, qui postquam scivit fortiter servire homini, ad eam quoque virtutem deductus est, ut non potuisset a luctante angelo superari. »

Moral. quam paterfamilias, et Prælatus, ac princeps debeat esse vigilans. FUGIEBATQUE SOMNUS. — Pastoris boni est vigilare, noctuque invigilare gregi. Quam ergo vigil sit Episcopus et pastor oportet, qui pascit oves Dei! inquit S. Damasus *epist.* 4. Jacob ergo archetypus est boni œconomi, quem sic depingit Aristoteles in *Œconom.* : « Expergisci decet prius dominum quam servum, et cubitum ire posterius; nec unquam incustoditam esse domum, sicut nec urbem, quando opus est, neque die, neque noctu; et ante lucem surgere, quod ad sanitatem et ad curam rei familiaris, et ad studium philosophiæ prodest plurimum. » Sic et Cato *De Re rustica* cap. V, et Cicero, lib. II *De Divinat.*, hoc præceptum dant villico : « Primus cubitu surgat, postremus cubitum eat. » Refert Xenophon in *Œconom.* barbarum quemdam rogatum, quid equum habilem et vegetum redderet, respondisse : « Domini oculus. » Agesilaus, rex Lacedæmoniorum, somno moderari noverat, et, ut ait Xenophon, somno non ut domino, sed ut subdito in negotiis utebatur. Ita pastores vigilabant, quibus primo ab angelo nuntiata est nativitas Christi. Ita Paulus ait Timotheo : « Tu vero vigila, in omnibus labora. » Ita Gentiles bonum pastorem comparant Argo, qui pastor erat totus oculatus, imo oculis circumcirca plenus. Homerus, Iliade β, canit Jovem deorum Deum, diis hominibusque dormientibus, insomnem fuisse, ac de Achille exaltando cogitasse. Sic de Deo vero canit David *Psal.* CXXI : « Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel. » Persarum rex habebat cubicularium, qui mane regem excitans diceret : « Surge, rex, atque ea cura, quæ te curare voluit Mesoromasdes, » tuus Deus; testis est Plutarchus lib. *De Doctr. princip.* Recte ergo Homerus loco citato :

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα,
ᾧ λαοί τ' ἐπιτετράφαται, καὶ τόσσα μέμηλε.
Non decet tota nocte dormire virum consiliarium,
Cui populi commissi sunt, et tanta curanda sunt.

Si ergo « vita mortalium est vigilia, » multo magis vita Principum et Prælatorum, vigilia sit oportet. Ita S. Dominicus noctu vigil orabat, suorumque Fratrum cellas locaque omnia obibat.

Vers. 41. 41. DECEM VICIBUS.—Josephus vult Laban pacta violasse, fœtusque meliores jam natos, Jacobo ex pacto debitos, abstulisse; sed errat : nam hac ratione adeo ditari non potuisset Jacob. Melius ergo Origenes, Eusebius et S. Hieronymus censent Laban pactum in futurum decies commutasse, sibi deposcendo talia, qualia Jacobo jam nata, et obvenisse videbat.

Vers. 42. Quid sit timor Isaaci? Resp. Prima. 42. NISI DEUS PATRIS MEI ABRAHAM; ET TIMOR ISAAC AFFUISSET MIHI. — Quæres, quis sit timor Isaac? Respondent *primo* Aben Ezra et Cajetanus, esse timorem et reverentiam quo Isaac timuit, coluit et reveritus est Deum, *q. d.* Merito timoris, id est, pietatis, reverentiæ et devotionis Isaac, qua scilicet ille supplicabat Deo pro filio suo Jacobo, liberatus a Laban, et prosperatus est Jacob. Hic ergo timor Sanctorum est actus religionis et reverentiæ, oriturque ex amore Dei; imo est actus charitatis, subinde imperatus, subinde elicitus; quia enim Sancti summe amant Deum, hinc summe timent eum offendere, summeque eum colunt et reverentur.

(1) Pro *quidquid furto peribat*, hebr. est *furtum diei et noctis*. In גנבתי est ' paragogicum.

(2) Quam ardens in Oriente interdiu est æstus, tam vehemens et periculosum est frigus nocturnum, quod ante auroram rore cadente oriri solet : id quod omnes testantur, qui in illas regiones itinera instituerunt.

Secunda. *Secundo*, alii putant hunc timorem fuisse reverentiam, qua Jacob prosequebatur patrem suum Isaac, eumque timuit et reveritus est : per hanc enim reverentiam et pietatem erga patrem suum Isaac, meruit Jacob apud Deum ut ab eo liberaretur et protegeretur.

Tertia et genuina, Deus est timor Isaaci et Sanctorum. *Tertio* et genuine, Deus, qui fuit Deus Abrahæ, vocatur timor Isaac, *q. d.* Deus quem coluit Abraham, et quem timuit ac reveritus est Isaac, quasi summum Numen, summamque Majestatem. Sic Isaias, cap. VIII, vers. 13, Deum vocat terrorem et pavorem Israel, quem scilicet Israelitæ cum metu et pavore coluerunt et reveriti sunt.

Timor ergo hic metonymice capitur pro objecto timoris, puta pro Deo. Sic Jovem Gentiles vocabant timorem hominum, quem scilicet homines testem, judicem et vindicem metuunt, « cujus jurare timent, et fallere numen. » Sic enim Jacob, vers. 43, juravit per timorem patris sui Isaac, æque ac Laban per Deum Abrahæ et Deum Nachor. Sic Deus in Psalmis dicitur spes mea, patientia mea, id est, in quem spero, propter quem patior. Ita Theodoretus, Chaldæus et S. Augustinus.

ARGUIT TE HERI, — cum tibi apparuit, monens ne quid gravius mihi diceres aut faceres, vers. 29.

Vers. 43. 43. QUID POSSUM, — *q. d.* Patria, pietas et amor non permittunt ut meis filiabus et nepotibus noceam : sic enim habent Hebræa; noster tamen Interpres vertit, *filiis et nepotibus*, ubi τὸ *et* significat *id est* : Laban enim suos nepotes vocat filios, ex eo quod paulo ante dixit Jacobo : « Filii et greges tui, et omnia quæ cernis, mea sunt, » quia scilicet a me, quasi avo et primo possessore descendunt.

Vers. 44. 44. UT SIT IN TESTIMONIUM, — in monumentum fœderis inter nos initi.

Vers. 45. 45. IN TITULUM, — in signum et monumentum : de titulo vide dicta cap. XXVIII, 18.

Vers. 46. 46. TUMULUM, — aggerem longum latumque et planum : nam in eo quasi in mensa pransi sunt.

Vers. 47. 47. QUEM VOCAVIT LABAN, TUMULUM TESTIS : ET JACOB, ACERVUM TESTIMONII, UTERQUE JUXTA PROPRIETATEM LINGUÆ SUÆ. — Idem nomen quoad significationem et rem, huic tumulo imposuerunt Jacob et Laban, sed diversum quoad vocem et linguam : nam Laban Syrus syriace vocavit eum יגר שהדותא *iegar sahaduta*, id est acervum, vel tumulum testimonii : Jacob vero Hebræus hebraice vocavit eum גלעד *galed*, id est tumulum testis; *gal* enim tumulum, *ed* testem significat. Jam in re tumulus testimonii idem est quod tumulus vel acervus testis : lapis enim non potest aliter esse testis, quam si erigatur et ponatur in testimonium rei alicujus; forte etiam incuria librariorum hic transposita sunt nomina, ut loco *testimonii* positum sit *testis*, et contra; nam proprie et præcise Laban vocavit hunc tumulum, *iegar sahaduta*, id est tumulum testimonii : Jacob vero vocavit eum *galed*, id est acervum, vel tumulum testis. Quia ergo hic tumulus erectus fuit in testimonium fœderis inter Jacob et Laban initi, hinc vocatus est *galed*, id est tumulus testis, indeque ipse mons, urbs et regio tota dicta est Galaad, vel Galaaditis.

Galaad unde dicta?

Vers. 48. 48. APPELLATUM EST NOMEN EJUS GALAAD, ID EST TUMULUS TESTIS. — In Hebræo tantum est *Galaad*, sed noster Interpres Hebræum nomen Galaad explicat, addens, « id est, tumulus testis. » Hebræa addunt, *vemitspha*, id est, *et specula*, quia dixit (Laban) : *Speculetur*, « intueatur, et judicet Dominus inter nos. » Duo ergo nomina huic tumulo imposita sunt, primum, *galed*, id est tumulus testis; secundum, *mitspha*, id est specula, vel, ut Septuaginta vertunt, ὅρασις, id est visio, *q. d.* Laban : Ego deinceps te tuaque, o Jacob, speculari et intueri non potero : recedam enim et dividar a te; Deum ergo time, qui speculator est hujus nostri fœderis et juramenti, ut judicet et vindicet, si alteruter nostrum illud violet, nimirum

Deus est speculator omnium.

> Speculator astat desuper,
> Qui nos diebus omnibus,
> Actusque nostros prospicit,
> A luce prima in vespcram.

Hic est noster *mitsphe*.

Vers. 51. 51. LAPIS QUEM EREXI, — in tumuli jam dicti parte una, quæ Mesopotamiam respiciebat, lapidem suum erexit Laban; in altera parte, quæ Chananæam respiciebat, lapidem alterum, suumque erexit Jacob : ut hi duo lapides essent quasi columnæ et termini, quos neutri ad nocendum alteri transire liceret.

Vers. 53. 53. DEUS ABRAHAM, ET DEUS NACHOR JUDICET INTER NOS, ET DEUS PATRIS EORUM, — puta Deus Thare, qui fuit pater Abrahæ et Nachor.

Nota : Laban cum Deo vero Abrahæ coluit idola patris sui Nachor : hinc etiam addit communis abavi, puta Thare, deos, quasi utrique patrios et hæreditarios. Thare enim in Chaldæa cum Abraham coluit Deum verum, in Haran vero cum Nachor coluit idola, ut dixi cap. XI, in fine : Jacob vero hos rejicit, et tantum jurat per timorem Isaac, id est, per Deum quem timuit et coluit Isaac et Abraham. Vide dicta vers. 42.

Nota : Sicut licuit Jacobo a Laban, ita cuivis fideli licet ab infideli excipere, imo exigere in necessitate juramentum, etiamsi sciat infidelem juraturum per falsos deos : sicut in necessitate licet petere mutuum ab eo, quem scis id non daturum nisi cum pacto usuræ. Sicut enim hic solum exigit mutuum, usuram vero tantum permittit et tolerat : ita et ille juramentum solum exigit, idipsum vero fieri per falsos deos tantum permittit et tolerat, idque ob justam causam, puta necessitatem.

Vers. 54. 54. IMMOLATISQUE VICTIMIS, — hostiis pacificis oblatis pro pace, reconciliatione et fœdere inito

cum Laban socero suo, unde eidem ex iisdem convivium instruxit. Hisce ergo victimis gratias egit Jacob Deo pro pace inita, simulque petiit ut Deus eam conservaret, firmaret et perpetuaret.

55. DE NOCTE, — summo mane. IN LOCUM SUUM, — in Haran. Vers. 55.

CAPUT TRIGESIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jacob vidit binas angelorum acies, sibi in tutelam a Deo submissas. Secundo, vers. 3, metuens fratrem, ad eum munera mittit. Tertio, vers. 24, cum angelo luctando prævalet, et vocatur Israel.

1. Jacob quoque abiit itinere quo cœperat: fueruntque ei obviam angeli Dei. 2. Quos cum vidisset, ait: Castra Dei sunt hæc, et appellavit nomen loci illius Mahanaim, id est Castra. 3. Misit autem et nuntios ante se ad Esau fratrem suum in terram Seir, in regionem Edom: 4. præcepitque eis, dicens: Sic loquimini domino meo Esau: Hæc dicit frater tuus Jacob. Apud Laban peregrinatus sum, et fui usque in præsentem diem. 5. Habeo boves, et asinos, et oves, et servos, et ancillas: mittoque nunc legationem ad dominum meum, ut inveniam gratiam in conspectu tuo. 6. Reversique sunt nuntii ad Jacob, dicentes: Venimus ad Esau fratrem tuum, et ecce properat tibi in occursum cum quadringentis viris. 7. Timuit Jacob valde, et perterritus divisit populum qui secum erat, greges quoque et oves, et boves, et camelos in duas turmas, 8. dicens: Si venerit Esau ad unam turmam, et percusserit eam, alia turma, quæ reliqua est, salvabitur. 9. Dixitque Jacob: Deus patris mei Abraham, et Deus patris mei Isaac: Domine, qui dixisti mihi: Revertere in terram tuam, et in locum nativitatis tuæ, et benefaciam tibi: 10. minor sum cunctis miserationibus tuis, et veritate tua quam explevisti servo tuo. In baculo meo transivi Jordanem istum, et nunc cum duabus turmis regredior. 11. Erue me de manu fratris mei Esau, quia valde eum timeo: ne forte veniens percutiat matrem cum filiis. 12. Tu locutus es quod benefaceres mihi et dilatares semen meum sicut arenam maris, quæ præ multitudine numerari non potest. 13. Cumque dormisset ibi nocte illa, separavit de his quæ habebat, munera Esau fratri suo: 14. capras ducentas, hircos viginti, oves ducentas, et arietes viginti, 15. camelos fœtas cum pullis suis triginta, vaccas quadraginta, et tauros viginti, asinas viginti, et pullos earum decem. 16. Et misit per manus servorum suorum singulos seorsum greges, dixitque pueris suis: Antecedite me, et sit spatium inter gregem et gregem. 17. Et præcepit priori, dicens: Si obvium habueris fratrem meum Esau, et interrogaverit te: Cujus es? aut, Quo vadis? aut, Cujus sunt ista quæ sequeris? 18. respondebis: Servi tui Jacob, munera misit domino meo Esau: ipse quoque post nos venit. 19. Similiter dedit mandata secundo, et tertio, et cunctis qui sequebantur greges, dicens: Iisdem verbis loquimini ad Esau, cum inveneritis eum. 20. Et addetis: Ipse quoque servus tuus Jacob iter nostrum insequitur; dixit enim: Placabo illum muneribus quæ præcedunt, et postea videbo illum, forsitan propitiabitur mihi. 21. Præcesserunt itaque munera ante eum, ipse vero mansit nocte illa in castris. 22. Cumque mature surrexisset, tulit duas uxores suas, et totidem famulas, cum undecim filiis, et transivit vadum Jacob. 23. Traductisque omnibus quæ ad se pertinebant, 24. mansit solus: et ecce vir luctabatur cum eo usque mane. 25. Qui cum videret quod eum superare non posset, tetigit nervum femoris ejus, et statim emarcuit. 26. Dixitque ad eum: Dimitte me, jam enim ascendit aurora. Respondit: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. 27. Ait ergo: Quod nomen est tibi? respondit: Jacob. 28. At ille: Nequaquam, inquit, Jacob appellabitur nomen tuum, sed

Israel, quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis? 29. Interrogavit eum Jacob : Dic mihi, quo appellaris nomine? Respondit : Cur quæris nomen meum? Et benedixit ei in eodem loco. 30. Vocavitque Jacob nomen loci illius Phanuel, dicens : Vidi Deum facie ad faciem, et salva facta est anima mea. 31. Ortusque est ei statim sol, postquam transgressus est Phanuel : ipse vero claudicabat pede. 32. Quam ob causam non comedunt nervum filii Israel, qui emarcuit in femore Jacob, usque in præsentem diem : eo quod tetigerit nervum femoris ejus, et obstupuerit.

Vers. 1. *Machanaim* sunt duæ angelorum acies.

1. ANGELI DEI. — Duas angelorum acies vidit hic Jacob : inde enim hic locus hebraice vocatus est מחנים *machanaim*, quod nomen est duale, et significat bina castra vel binas acies. Unde et urbs ibidem postea ædificata, dicta est *Machanaim;* nimirum una acies erat angeli, qui erat custos et præses Mesopotamiæ : hic cum angelis sibi subditis et subordinatis, quasi instructa acie, comitatus fuerat, et secure deduxerat Jacobum a Mesopotamia hucusque, scilicet ad confinia Chananææ; ibi occurrit ei, eumque excepit angelus præses Chananææ, cum sua acie angelorum sibi subditorum, ut eum per Chananæam secure ad patrem perduceret, et ab Esau aliisque ei infensis tueretur et protegeret. Sicut enim principes externum principem, per suas terras, datis militibus præsidiariis, secure deducunt, et vicino principi, ejusque præsidiariis ulterius deducendum, consignant : ita pariter cum Jacobo faciunt hic angeli. Vide Dei et angelorum erga suos providentiam et curam. Vide et quantus, quamque similis, familiaris et charus Deo et angelis fuerit Jacob. Vide *tertio*, quomodo post tentationem et terrorem incussum Jacobo a Laban, sequatur consolatio angelorum; sic de Christo dicitur *Matth.* IV : « Tunc reliquit eum diabolus; et ecce angeli accesserunt, et ministrabant ei. » Vide *quarto*, quomodo tentationi minori Labani major succedat, scilicet timor Esau infensi, utque contra eum Jacobum hic præmuniant angeli.

Angelorum præsidium circa Jacob et Elisæum.

Sicut ergo Elisæus, IV *Regum* VI, vers. 17, vallatus ab hostibus, vidit angelorum acies sibi in auxilium et tutelam occurrere : ita et Jacob hic contra Esau aliosque hostes angelorum præsidio cingitur, ut discat nec Esau, nec quemquam hominum timere. Ita Abulensis. Hic impletum fuit illud *Psalm.* XXXIII, 8 : « Immittet (hebraice חנה *chone*, id est, castrametabitur) angelus Domini in circuitu timentium eum. »

Sic in Vitis Patrum legimus de Abbate Mose, quod, cum valde a fornicationis spiritu impugnaretur, iverit ad Abbatem Isidorum, qui eum ad superiora domus deduxit, ubi ad Occidentem vidit ingentem dæmonum turbam inter se concertantem, ad Orientem vidit splendentem angelorum exercitum; tum Isidorus : « Quos, inquit, in Occidente vidisti; ipsi sunt qui etiam justos impugnant : quos vero in Oriente, hi sunt, quos in adjutorium mittit servis suis Dominus exercituum. Cognosce igitur, quod plures sint nobiscum, quam cum illis, ut dixit Elisæus propheta. » Ex dictis patet hanc angelorum extraordinariam fuisse custodiam : non enim solus angelus Jacobi custos, sed binæ angelorum acies, cum duobus ducibus, apparuerunt Jacobo.

Putat Diodorus Tarsensis angelum præfectum secundæ aciei, et præsidem Chananææ, fuisse S. Michaelem : hic enim constitutus est a Deo princeps posterorum Jacob, puta populi Dei, omnium scilicet Israelitarum, ut patet *Danielis* X, vers. ult. et *Danielis* XII, vers. 1.

3. AD ESAU FRATREM SUUM IN TERRAM SEIR, — quæ et Edom, sive Idumæa dicitur. Nota, dum Jacob moratur in Haran, Deus injicit cogitationem et mentem fratri ejus Esau, indignanti ob parentum voluntatem in Jacob propensiorem, in se vero et uxores suas frigidiorem, ut Chananæam relinqueret, et montes Edom sibi sedes deligeret : ut nimirum hac ratione Chananæa cederet Jacobo ejusque posteris. Jacob in Haran nuntio a matre, uti videtur (hoc enim ipsa promiserat cap. XXVII, vers. 45), accepto, intellexerat Esau in Edom commigrasse; unde securus ex Haran ad parentes in Chananæam redit. Vers. 3.

Nota *secundo*, prolepsim; hæc enim terra non ante, sed post habitationem Esau, ab ipso Esau dicta est Seir, et Edom sive Idumæa, uti dixi cap. XXV, vers. 25 et 30.

5. HABEO BOVES, — *q. d.* Tibi ob egestatem non ero oneri, nec parentum opes imminuam : affatim enim opum mihi Deus largitus est. Vers. 5.

6. CUM QUADRINGENTIS VIRIS. — Ut sic et fratri potentiam suam ostentaret, utque eum hac pompa amplius honoraret, eique securum comitatum per iter præstaret. Videtur ergo Esau per nuntios a Jacobo missos, tam humiliter et humaniter eum salutantes, fuisse placatus, pristinaque odia in amorem convertisse, Deo cor ejus immutante et inclinante in favorem Jacobi. Vers. 6.

7. DUAS TURMAS. — Prior turma erat gregum cum pastoribus, in suos ordines apte distributa; posterior erat uxorum cum liberis, cujus tres erant ordines : primus Zelphæ et Balæ cum suis prolibus, secundus Liæ cum suis; tertius Rachelis et Joseph, ut patet cap. seq. vers. 2. Rachel ergo et Joseph non tertiam faciebant turmam, sed secundæ agmen claudebant, utpote charissimi Jacobo. Vers. 7.

Deo ita fidendum ut humana præsi-

Tropologice, notat S. Augustinus nos exemplo Jacobi ita debere Deo fidere, ut tamen humana præsidia et consilia non negligamus : hoc enim

dia non negligamus.

facere, esset tentare Deum. Hinc S. P. N. Ignatius nos docuit, ita omnem spem rerum gerendarum in Deo ponere, ut nobis nostrisque viribus plane diffisi, totos nos in Deum Deique providentiam ingenti fiducia conjiciamus; et tamen in ipsa executione, sedulo adhibere omnia naturalia media et humana præsidia, perinde ac si illis solis niteremur, illisque res omnis conficienda esset : utrumque enim docet et exigit prudentia pietasque Christiana.

Vers. 8. 8. SALVABITUR, — fugiendo salvare se poterit.

Vers. 10. 10. MINOR SUM, — exilior, vilior, indignior sum, quam qui ullam tuam gratiam, vel misericordiam, etiam minimam, mihi præstitam meruerim, aut etiamnum merear. Veræ enim virtutis fundamentum est humilitas; nec tanta est claritas, quam non obscuret elatio.

Nota : Jacob hic ita gratias agit Deo de præteritis beneficiis sibi collatis, ut futuris se dignum reddat, ad eaque Deum sua humilitate et gratitudine provocet. Docet ergo nos hic modum efficaciter orandi, nam orditur a Dei reverentia et laude, allegatque patrum merita, dicens : « Deus patris mei Abraham, » etc. *Secundo,* admonet Deum promissionum : « Domine, qui dixisti mihi : Revertere. » *Tertio,* humiliat se, et suam infirmitatem confitetur : « Minor sum cunctis miserationibus tuis. » *Quarto,* beneficia accepta recolit, et gratias agit : « In baculo meo transivi Jordanem istum, et nunc cum duabus turmis regredior. » *Quinto,* orat : « Erue me de manu fratris mei Esau. » *Sexto,* non tantum pro se, sed et pro aliis obsecrat : « Ne percutiat matrem cum filiis; » timebat vel maxime ne, occiso semine benedicto, Christus non veniret.

VERITATE, — fidelitate, *q. d.* Ego, licet indignus, hactenus semper expertus sum, te fidelem in promissis mihi præstitis : quare confido et oro ut in futurum idem experiar, utque nunc ab Esau me protegas.

IN BACULO MEO, — cum baculo meo, *q. d.* Solus baculo, seu pedo pastorali innixus, egenus, ut pastor sine grege, imo gregem pascendum quærens, ex patria ivi in Haran : nunc Dei dono cum duabus prolium, famulorum et pecudum turmis regredior. Ita Josephus.

Vers. 15. 15. CAMELOS FOETAS, — quæ recens pepererant, et pullos lactabant.

Vers. 16. 16. SIT SPATIUM INTER GREGEM ET GREGEM. — Ut sic diutius munerum a me ei missorum numero, varietate et pompa se pascat et mitescat Esau : sic enim plura ei et splendidiora esse videbuntur.

Vers. 20. 20. FORSITAN. — id est utique; est enim τὸ *forsitan,* non dubitantis, sed affirmantis, et continuantis, uti ταχὰ apud Homerum. Sic et Christus ait, *Joannis* cap. VIII, 19 : « Si me sciretis, forsitan (utique) et Patrem meum sciretis (1). »

(1) Pro *et postea videbo illum,* hebr. est, cessare faciam, abolebo iram ejus. *Forsan feret vultum meum,* id est, mei rationem habebit, me amice excipiet.

Vers. 21 21. IPSE VERO MANSIT NOCTE ILLA IN CASTRIS, — tum ut despiceret num quid per oblivionem relictum esset; tum ut consilium caperet, et cogitaret qua ratione fratrem placare posset; tum maxime, ut ea nocte solus quiete et ardenter supplicaret Deo, ut omne hoc suum cum fratre negotium, iterque dirigeret : unde post orationem occurrit illi angelus luctator; tum denique ut post curas et labores, aliquid daret somno et necessariæ quieti. Unde Septuaginta vertunt, *ipse vero dormivit in castris.* Hebr. est לָן *lan,* id est, pernoctavit, id est, noctem transegit sive dormiendo, sive vigilando et operando.

Moraliter S. Ambrosius, lib. II *De Jacob.* cap. VI : « Perfecta virtus, inquit, habet quietis tranquillitatem et stabilitatem. Ideo Dominus donum ejus perfectioribus reservavit, dicens : Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis. Perfectorum enim est non facile mundanis moveri, non turbari metu, non exagitari suspicione, non terrore concuti, non dolore vexari; sed quasi in littore latissimo adversus insurgentes fluctus sæcularium procellarum, mentem immobilem fida statione placidare. Ex adverso, amplius suis suspicionibus affligitur impius, quam alienis plerique verberibus, majoresque vibices vulnerum in ejus animo sunt, quam in eorum corpore qui ab aliis verberantur. »

Vers. 22. 22. CUMQUE MATURE SURREXISSET, — ante auroram, durante adhuc nocte, ut habent Hebræa et Græca : noctu enim postquam sua et suos per vadum Jacob traduxisset, Jacob luctatus est cum angelo usque mane.

Vers. 24. Vir cum Jacob luctans quis fuerit ? 24. VIR LUCTABATUR CUM EO. — Quæres, quis fuerit iste vir? Theodoretus, Justinus, Tertullianus, Hilarius, Ambrosius, Cyrillus, et alii apud Pererium, videntur dicere fuisse Filium Dei, puta Verbum, quod futurum erat caro, et probatur, quia ipse Jacob, vers. 30, eum vocat Deum.

Verum dico *primo* : Hic vir fuit angelus; id patet ex *Osee* XII, 3, ubi expresse hic vir vocatur angelus. *Secundo,* quia S. Dionysius, *Cœlestis Hierarchiæ* cap. IV; S. Hieronymus, Josephus, Eusebius, Rupertus, et S. Augustinus lib. XVI *De Civit.* XXXIX, docent fuisse angelum, adduntque Deum in veteri Testamento nunquam per se, sed semper per angelos apparuisse : nam celeberrima illa apparitio Dei dantis legem in Sina, facta est per angelos, ut patet *Galat.* III, 19.

Dices : Hic vir, vers. 30, vocatur Deus.

Respondeo : Erat angelus personaliter, sed vocatur Deus repræsentative, et auctoritative, uti vicerex vocatur rex; quia scilicet Deum, puta Dei Filium incarnandum, repræsentabat, ejusque vice et auctoritate fungebatur; et hoc tantum volunt Theodoretus, Justinus et alii Patres citati, qui hunc virum vocant Filium Dei.

Dices *secundo* : Concilium Sirmiense, can. 14, definit hunc virum fuisse Filium Dei; sic enim habet : « Si quis contra Jacob, non Filium tan-

quam hominem luctatum esse, sed ingenitum Deum aut Patrem ejus dixerit, anathema sit. » Respondeo : Hoc concilium tantum vult dicere angelum hunc repræsentare Deum, non Patrem, sed Filium. Adde hoc concilium fuisse Arianorum, ac proinde parvæ, imo suspectæ esse auctoritatis et fidei.

Dico *secundo* : Angelus hic non fuit malus, in specie Esau apparens et volens vincere Jacobum, uti fingunt Judæi apud Lyranum, sed bonus. Patet, quia ab eo benedictionem petit Jacob. Rursum, ab eo locus est vocatus Phanuel, id est, apparitio vel facies Dei, ipseque Jacob dictus est Israel, id est, prævalens Deo. Fuit ergo hic angelus bonus, typus Christi ex Jacob nascituri. Ita Patres et Interpretes. Quare quod S. Hieronymus in Comment. epistolæ ad *Ephes.* cap. VI, vers. 12, hunc angelum ait fuisse dæmonem, cum quo, ut ait Apostolus, nobis est colluctatio assidua, id more suo, non ex sua, sed ex Origenis sententia affert. Origenes enim, lib. III *Periarchon,* censuit hunc angelum fuisse diabolum.

Angelus cum Jacob luctans bonus fuit, typusque Christi.

Dico *tertio* : Angelus hic non fuit custos Esau, qui nomine Esau voluerit impedire Jacobum ab ingressu terræ sanctæ, ut hac ratione eum cogeret ad restituendum Esau sua primogenita, uti commentus est Franciscus Georgius, tom. I, sect. 3, problemate 234. Sed fuit hic angelus custos ipsius Jacobi. Patet, quia Jacobi, non Esau, causam egit, ipsique Jacobo, in præjudicium Esau, benedixit. Rursum, quis credat angelum bonum contra Dei voluntatem, iniquam Esau causam suscipere et agere voluisse? Denique id patet ex eo quod ait Jacob, vers. 29 : « Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea. » Hic ergo angelus, non Esau, sed Jacobi fuit tutelaris et salutifer.

Cur luctatur angelus cum Jacobo?

LUCTABATUR. — Hic quæritur *secundo,* cur angelus luctatus sit cum Jacobo? Respondeo, ut hac lucta sinens se vinci a Jacobo, illi spem faceret, quod pari modo, imo multo magis fratrem suum Esau, quem metuebat, mitigaret, vinceret et superaret; hoc enim est quod ait angelus, vers. 28 : « Quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis? » Ita Patres Græci et Latini. Unde licet D. Thomas et Rupertus hanc luctam dicant imaginariam, verius tamen est eam realem et corpoream fuisse in corpore ab angelo assumpto, uti communiter docent Patres : cum enim angelus apparens Jacobo, eumque confortans ab eo discedere vellet, Jacob timens solus manere adveniente Esau, sancta quadam audacia rogat et retentat angelum, sinitque angelus longa mora et lucta totius noctis se ab eo teneri, ut hac ratione animum ei adderet, et metum Esau depelleret.

Symbolice, hæc lucta figurabat statum Israelitarum usque ad adventum Christi, qui talis fuit, quod ob eorum peccata, Deus sæpe ab eis recedere voluit, et dudum recessisset, ni Jacob ejusque similes, ut Moses, David, Elias, Isaias et alii eum retinuissent. *Secundo,* hæc lucta adumbravit vitam Christianam, quæ nihil aliud est quam lucta, et, ut S. Job ait, militia super terram, in qua aliquando vincimur, sed armati et generose luctantes ut Jacob, tandem vincimus. Nam Philosophi (et militis Christiani) animus, ex eo quod passus est generosior redditur, atque ut candens ferrum frigidæ aquæ aspersione, sic ipse periculis obdurescit, uti ait S. Gregorius Nazianzenus, orat. 23 *in laudem Heronis.*

Nota : Pro *luctabatur* hebraice est יאבק *ieabec,* quod Septuaginta vertunt ἐπάλαιεν, id est, luctabatur quasi palæstrita in palæstra.

Quid יאבק id est luctabatur?

Secundo, Aquila et Symmachus vertunt, ἐκυλίετο, id est versabat et jactabat se cum illo, uti luctantes sese invicem jactare et contorquere solent, dum unus alium detinet, et alius se ab eo expedire et aufugere contendit; unde patet hanc luctam veram fuisse, et proprie dictam. Pari modo Græcum πάλη, id est lucta, ἀπὸ τοῦ πηλοῦ, id est a luto, quo se contorquendo conspergunt luctantes, deductum putant; licet Plutarchus a πάλιν, id est iterum, alii a παλεύειν, id est dolo et insidiis dejicere, alii a πλησιάζειν, id est appropinquare, alii ἀπὸ τοῦ παλαιῶ, id est a conjunctis simul quatuor digitis, deductum velint.

Primo. Secundo.

Tertio, proprie Hebræum *ieabec* significat *pulverizabatur,* hoc est, in pulverem et arenam descendebat, uti vertit Vatablus. Radix enim אבק *abac* significat pulverem; quia luctantes crebro pedum pulsu, et agitatione celeri ac vehementi pulverem excitant, sicut apud Virgilium taurus ille, « pedibus qui spargit arenam.

Tertio.

Addit Martinus Roa, lib. VI *Singul.* cap. ult.; in verbo « pulverizandi, » alludi ad morem palæstræ Græcorum et Romanorum, in qua luctantes se invicem pulvere aspergebant, ut facilius et firmius invicem prehensos tenerent.

Quarto, alii *ieabec* vertunt, luctabatur intorquendo se, conandoque adversarium vi dejicere et evertere, ut sit metaphora a vento; sicut enim ventus validus pulverem, imo et homines intorquet et evertit, ita et facere nituntur colluctatores; nam radix אבק *abac* significat pulverem, qui vento excitatus vehementer intorquetur, agitatur et dissipatur. Sed hæc metaphora remotior est, et longius petita; *abac* enim quemvis pulverem absolute et simpliciter significat. Huc alludit Sapiens, cap. X, vers. 10, ubi agens de Jacobo sic ait : « Certamen forte dedit illi, ut vinceret; » græce est ἐβράβευσεν, *q. d.* Deus proposuit Jacobo durum certamen, et simul certaminis præmia et bravia, dum eum objecit avaritiæ Laban, iræ Esau aliisque hostibus; et maxime dum objecit ei angelum, quocum luctans et vincens, vocatus est Israel, id est dominans Deo.

Quarto.

Nota τὸ *usque mane.* Docet enim hic suo exemplo Jacob, noctem non totam somno dare, sed partem orationi; merito enim queritur Clemens

Alexandrinus, lib. II *Pædag.* cap. IX, somnum velut publicanum dimidium vitæ nobiscum dividere. Quocirca Jeremias, *Thren.* II, 19 : « Consurge, ait, nocte, et effunde sicut aquam cor tuum in conspectu Domini. » Noctu enim, ait S. Chrysostomus : « Purior anima leviorque sublimia videt, astrorum choreas, profundum silentium, » etc. Silentium autem, et « solitudo, ait Nazianzenus, *orat.* 2, mater est divinæ ascensionis, » id est orationis, Deum ex homine faciens; quam paulo post vocat suam arcem, ad quam persecutionibus vel tentationibus vexatus, se recipere solebat.

Mystice S. Ambrosius, lib. II *De Jacob.* cap. VI : « Quid est, ait, luctari cum Deo, nisi virtutis suscipere certamen et cum superiore congredi, potioremque cæteris Dei imitatorem fieri? Et quia insuperabilis erat fides ejus atque devotio, secreta ei mysteria Dominus revelabat. »

Vers. 25. 25. QUI (vir, puta angelus) CUM VIDERET QUOD EUM (Jacobum) SUPERARE NON POSSET. — Hinc videtur quod, cum Jacob persisteret in lucta, Deus concursum suum, ac consequenter vires resistendi subtraxerit angelo, ut a Jacobo teneretur et vinceretur.

TETIGIT. — Hebraice יגע *iigga*, id est percussit, læsit, luxavit.

NERVUM FEMORIS. — Hebraice est כף *caph*, quod significat vertebram, sive cotylen, id est, ossis cavitatem, in qua absconditur summa pars femoris, quod græce ἰσχίον dicitur. Rursum *caph* significat caput illud femoris rotundum et incurvum, quod in ischium inseritur; et ita hic sumitur. Ipsum enim os femoris quod in cotylen, sive in ischium inseritur, hic loco suo motum est, non autem ipsa cotyle, vel ischium, *q. d.* Ipsum femur, ipsa coxendix Jacobi luxata est, quia scilicet angelus nervum, id est tendinem, qui femur sive coxendicem suæ cotylæ, sive vertebræ, puta ossi superiori connectit, dissolvit atque luxavit, uti optime quoad sensum vertit noster Interpres.

Nota : Hunc tendinem, quasi primo obvium, interius vehementi percussione et collisione læsit et luxavit angelus, eo modo quo luctantes solent, evadendi causa, ubicumque et quocumque modo possunt, adversarium tangere, collidere, eique plagam inferre, idque ut sciret Jacob, hanc suam luctam cum angelo veram fuisse, seque angelum non suis, sed Dei viribus vicisse; angelus enim, qui femur Jacobi luxare poterat, potuisset sane et reliqua ejus membra luxare, totumque Jacobum proterere, nisi Deus impedivisset. Ita Theodoretus.

EMARCUIT. — Hebraice תקע *teka*, id est dissolutus, luxatus, et plus æquo extensus est, ita ut claudicaret Jacob. Septuaginta et Noster vertunt, *emarcuit*, quia nervus suo loco motus et luxatus, quasi flaccidus, stupidus et inutilis effectus est, unde vers. ult. dicitur obstupuisse.

Vers. 26. 26. DIMITTE ME : JAM ENIM ASCENDIT AURORA. — Petit angelus missionem, quia illucescente die, nolebat se in corpore assumpto clare ostendere Jacobo, inquit Oleaster, et multo minus famulis Jacobi, jamjam ad eum venturis, ait S. Thomas; quæ enim divina sunt et spiritualia, uti est angelus, hæc arcana sunt, et supra hominum captum, ideoque oculos hominum fugiunt.

NON DIMITTAM TE, NISI BENEDIXERIS MIHI. — Ingenti affectu et desiderio hoc dixit Jacob; unde *Osee* cap. XII, vers. 3, ait Jacobum cum lacrymis hanc benedictionem expetiisse, ideoque eam impetravit, cum novo nomine Israel, quod ei angelus indidit.

Jacobi fatum ex Josepho. NON DIMITTAM TE, NISI BENEDIXERIS MIHI. — Josephus ait Jacobum precatum fuisse ab angelo, ut ex eo fatum suum cognoscere liceret, votique ac deprecationis compotem factum esse; quod sic intellige, non quasi Jacob simpliciter scire optaret quid sibi foret deinceps eventurum; sed ut ei angelus felicia precaretur, utque præsentia mala, quæ ab Esau imminente metuebat, dispelleret.

NEQUAQUAM JACOB APPELLABITUR NOMEN TUUM, SED ISRAEL. — *q. d.* Non tantum Jacob, sed et Israel appellaberis; nam deinceps Jacob quoque appellatus est. Vide *Can.* 17.

Etymon nominis Israel. Primo. ISRAEL. — Quæres quid significet Israel? *Primo*, S. Hieronymus Israel exponit quasi dicas, ישר אל *iescar el*, est rectus Dei; sed obstat quod *iescar* scribitur per *scin* asperum, Israel vero per *sin* lene.

Secundo. *Secundo*, S. Augustinus, lib. XVI *De Civit. Dei*, capite XXXIX, Philo, Nazianzenus, Hilarius, Eusebius et Prosper putant Israel dici, quasi איש ראה אל *is roe el*, id est vir videns Deum; sed pari modo *is* scribitur per *schin*, Israel vero per *sin*.

Tertio, et genuine. *Tertio* ergo et genuine, Israel dicitur a שרה אל *sara el*, id est, dominatus est Deo : inde enim *sar* vocatur Dominus et princeps, et *sara* idem est quod domina. Israel ergo idem est, quod dominans, vel qui dominabitur Deo. Potest enim ישרה *iisra*, in Israel, accipi ut futurum; licet alias in nominibus propriis *iod* addi soleat, non ut futurum, sed ut heemanticum. Hoc esse etymon Israel, patet ex verbis angeli; ait enim : « Vocaberis Israel, » quia שרית *sarita*, id est prævaluisti, et dominatus es Deo. Ita Septuaginta, Theodotion, Symmachus, S. Hieronymus et Aquila, qui vertit, *regnasti cum Deo*, id est contra Deum, quia ipsi Deo dominatus es. Deum vocat angelum Deum repræsentantem, Deique legatum. « Israel idem quod princeps cum Deo, *q. d.* Quomodo princeps ego sum, sic et tu, qui mecum luctari potuisti, princeps vocaberis. Si autem mecum, qui Deus sum, pugnare potuisti, quanto magis cum hominibus, hoc est, cum Esau? quem propterea formidare non debes, » ait S. Hieronymus in *Tradit. Hebr.*

Hæc ergo est benedictio quam Jacobo petenti

Quænam fuerit benedictio Jacob ab angelo data?

dat angelus, quod scilicet deinceps vocandus, et reipsa futurus sit Israel, ut sciat se, qui Deum, id est angelum Dei vicarium et nuntium tam generose in lucta superarit, multo magis superaturum Esau, omnesque hostes, *q. d.* Ne timeas fratrem tuum Esau, o Jacob; nam tuis violentis precibus apud Deum, licet quasi renitentem et colluctantem, obtinuisti, ut contra Esau omnesque hostes tuos sis infracto animo, insuperabilis et victor; hæc enim est benedictio hic data Jacobo, inquit S. Thomas et Cajetanus.

Nota : Putant aliqui hic nomen Israel tantum promitti Jacobo, reipsa vero ei imponi cap. XXXV, vers. 10. Sed verius est illud hic ipsi, ob tam memorabilem luctam et victoriam, reipsa imponi, renovari vero et confirmari capite XXXV, vers. 10.

Nota *secundo* : Hæc lucta, et hoc nomen Israel, obvenit Jacobo anno ætatis suæ 97 : nam anno ejus 91 natus est Joseph; et postea Jacob adhuc mansit in Haran, serviens pro gregibus, per sex annos, uti ostendi cap. XXX, vers. 25. Septimo vero anno, puta anno ætatis 97, fugiens et veniens in Chananæam hanc luctam peregit, et in ea nomen Israelis accepit.

Lucta Synagogæ et Ecclesiæ.

Allegorice, Alcazar in *Apocal.* XI, notat. 1, putat hic significari luctam Esau cum Jacob, id est Synagogæ cum Ecclesia, puta persecutionem Judæorum in primos Christianos ; hi enim cum Jacobo parente suo, in tentatione hac fortes steterunt, ideoque victoriam reportarunt, et a Deo benedicti sunt. Ubi recte notat Alcazar Deum tentatis et tribulatis se propitium et familiarem exhibere, *primo*, in temperandis viribus, quibus Jacobum et fideles, per Judæos aliosque hostes exercet et oppugnat. *Secundo*, in tribuenda eidem Jacobo et fidelibus fortitudine, qua in hac lucta constantes perstent.

Lucta Jacobi orationem ejusque efficaciam significat.

Tropologice, hæc lucta est oratio, in qua cum Jacobo videmus Deum facie ad faciem, et salva fit anima nostra. Rursum, per orationem, quasi Israel dominamur Deo, et consequenter omnibus timoribus, affectibus, perturbationibus et hostibus; exinde femur, id est amor proprius, fiducia suarum virium, et concupiscentia, quæ viget in femore, Dei virtute tacta decrescit, luxatur et languescit; tuncque uno claudicamus pede, alius sanus remanet : quia necesse est ut debilitato amore sæculi, homo convalescat ad amorem Dei, inquit S. Gregorius, hom. 14 *in Ezech.* et in *Psal.* VI *Pœnit.*, initio.

Disce ergo, o miles Christi, ex hoc loco a Jacobo, in quavis tentatione, tribulatione et persecutione, per orationem confugere ad Deum; si enim oratione persuadeas et prævaleas Deo, prævalebis et tuis hostibus, Deusque eos tibi vel amicos vel subditos reddet; ita enim fecit Israeli, puta Jacobo. Hoc arcanum vincendi, et quidvis obtinendi consilium norunt et usurparunt, usurpantque etiamnum viri sancti, Deoque conjuncti, qui in Deo faciunt virtutem. « Omnia, inquit Paulus, possum in eo qui me confortat. » Deus enim omnium hominum et regum, etiam ferocissimorum, corda in sua habet manu, et ad nutum quocumque libet, ea inflectit et immutat.

Arcanum vincendi et obtinendi quidvis?

29. DIC MIHI QUO APPELLARIS NOMINE. — Quærit Jacob nomen angeli, ut per hoc eum quasi benedictorem et benefactorem suum prædicare, celebrare, et in quavis adversitate invocare possit. Vers. 29.

CUR QUÆRIS NOMEN MEUM? — Addunt aliqui, « quod est mirabile. » Unde Alcazar in *Apoc.* XI, 1, putat angeli hujus nomen fuisse Mirabilis, tum ut hoc nomine innueret, in hac lucta admirabile Dei consilium, circa Ecclesiæ persecutiones et victorias figurari; tum ut typus esset Christi, qui vocatur Admirabilis, *Isaiæ* cap. IX, vers. 6. Idem docent Rabbini nonnulli. Audi Fernelium Medicum, lib. 1 *De Abditis rerum causis*, cap. XI : « Litteris proditum, inquit, accepimus, quod primi parentis custos angelus dictus sit Raziel, Abrahæ Zachiel, Isaac Raphael, Jacob Peliel (id est mirabilis Dei), Mosis Metratton; per hos internuntios plurima illi divinitus acceperunt. » Verum hæc Cabalistarum sunt vel conjecturæ, vel commenta; nam hæc verba, « quod est mirabile, » hoc loco delenda sunt, uti ea delent Hebræa, Græca et Latina Romana; habentur tamen illa *Judicum* XIII, 18, unde in hunc locum a sciolo quopiam traducta videntur.

Angelus Jacob an vocatus sit Peliel?

Noluit angelus indicare nomen suum Jacobo, tum ne posteri ejus illud adorarent, aut superstitiose colerent : fuerunt enim Judæi in idololatriam et superstitionem valde proclives; tum quia angeli puri sunt spiritus et mentes, qui vocalia nulla habent nomina; tum quia hic angelus repræsentabat Verbum incarnandum, cujus nomen ante incarnationem fuit tacitum et absconditum.

Angelus tacet nomen suum, cur?

30. ET BENEDIXIT EI. — Implicite et reipsa, vocando eum Israel, benedixit angelus Jacobo, vers. 28, uti dixi; hic vero explicite ei benedixit formans super eum crucem, simileve signum, dicensque : Benedicat tibi Deus, detque tibi benedictionem Abrahæ et semini ejus promissam. Vers. 30.

VOCAVITQUE NOMEN ILLIUS PHANUEL. — « Phanuel, » vel, ut hebraice est, *Phaniel*, idem est quod facies Dei; *pane* enim facies, *el* Deum significat. Hic postea ædificata urbs, pariter dicta est Phaniel, quam Strabo gentilis, lib. XVI, faciem Dei appellat. S. Chrysostomus, *hom.* 58, ex Septuaginta legit, « vocavit Jacob nomen loci hujus, speciem Dei. » Tunc enim Deus speciem hominis, postea ipsam hominis veritatem et naturam assumpsit : « Præsignans, ait, nobis quod humanam naturam suscepturus esset. Verum tunc quidem, quoniam initium et principia erant, in figura unicuique illorum apparebat, sicut per *Osee* cap. XII, dicit : Ego visiones multiplicavi, et in manibus prophetarum assimilatus sum. Quando autem dignatus est Dominus humanam formam suscipere, non apparentem tantum carnem, sed veram induit. »

DICENS : VIDI DOMINUM FACIE AD FACIEM, — *q. d.* Vidi Deum in specie corporea, mihi ab angelo repræsentatum; certum enim est Jacobum, hac nocturna et obscura specie, non vidisse divinam essentiam, imo nec Deum proprie, sed angelum Deum repræsentantem in corpore assumpto.

Secundo et melius : « Vidi Dominum facie ad faciem, » id est, cominus cum angelo Deum repræsentante colluctatus sum et depugnavi, manum manui, pedem pedi, latus lateri contuli et conserui. Sic enim ait Amasias rex ad Joas : « Videamus nos, » id est, bello cominus decertemus, IV *Reg.* XIV, 8. Sic Josias vidit Pharaonem, cum in bello a Pharaone occisus est, IV *Reg.* cap. XXII, vers. 30.

ET SALVA FACTA EST ANIMA MEA. — Nam, ut ait S. Cyrillus et Cajetanus, vetus erat persuasio eum, qui vidisset angelum, moriturum. Unde Manue viso angelo : « Moriemur, inquit, quia vidimus Dominum, » *Judic.* XIII, 22. Hinc Jacob gratulatur sibi se Deum vidisse, et tamen salvum esse.

Secundo et planius, S. Chrysostomus et Lipomanus, *q. d.* Hac familiari Dei visione, benevolentia et amicitia per ejus angelum, quem vidi, et cum quo luctatus sum, liberatus sum metu fratris, omnique alio scrupulo et angore. Unde *Osee* cap. XII, vertit, *confortatus sum;* deinceps enim Jacob non timuit fratrem, sed animose et fidenter ad illum perrexit.

Discretio spiritus boni et mali.

Hinc Cassianus aliique rerum spiritualium periti docent esse indicium boni angeli, si is qui apparet primo hominem percellat, sed mox hominem consoletur, mœstitiam omnesque mentis nebulas abstergat, corroboret, serenum hilaremque relinquat : contrarium prorsus facit diabolus. Ita angelus apparuit Josue terribili specie, scilicet evaginatum tenens gladium, sed mox eum consolatus est et animavit, dicens : « Sum princeps exercitus Domini, et nunc venio, » *Josue* V, 13. Sic Gedeon, viso angelo, perculsus fuit putavitque sibi moriendum esse, sed mox audivit : « Pax tecum, ne timeas, non morieris, » *Judic.* VI, 22. Sic Daniel, viso angelo augustæ formæ, perculsus corruit et emarcuit; sed mox ab eodem erectus et confortatus est, *Daniel.* X, 8 et seq. Sic mulieres venientes ad Christi sepulcrum, videntes angelum aspectu fulguris, obstupuerunt; sed mox ab eo audierunt : « Nolite expavescere, Jesum quæritis Nazarenum crucifixum; surrexit, non est hic, » *Marci* cap. ult., vers. 5.

31. CLAUDICABAT — ex nervi ictu, dolore et luxatione. Gennadius in *Catena* putat Jacob deinceps claudum permansisse, et Hebræi tradunt eum a claudicatione tandem curatum esse, cum pervenit in Sichem, sive Sichar, quæ inde Salem sit dicta, id est perfecta, *Gen.* XXXIII, 18, eo quod ibi perfecte incedere cœperit Jacob. Vers. 31.

Verum melius censet Abulensis, Jacobum ab angelo tangente et percutiente illico curatum esse, antequam postridie perveniret ad Esau : cur enim maneret claudus et impotens, præsertim coram fratre, cui prævaliturus erat, juxta promissionem angeli?

32. NON COMEDUNT NERVUM FILII ISRAEL. — Sub nervo intellige musculum, a quo femur movetur et contrahitur; nervus enim a multis, etiam Gentilibus, comedi non solet. Ita Vatablus. Vers. 32.

Nervus et caro Jacob in lucta læsi quid allegorice significent?

Allegorice, nervus et caro Jacob significat carnalem sensum legis veteris, qui per luctam angeli, id est Christi, cum Jacobo, id est Judæis, erat resolvendus et luxandus. Hinc claudicare cœpit judaismus; quia una ejus pars, scilicet verus Israel, ivit sursum ad Christum, per baculum (de quo vers. 10), id est crucem, ait S. Augustinus : hæcque est benedicta a Christo; altera, quæ Christo credere noluit, ivit deorsum, gratiæ et gloriæ expers; hinc veri filii Israel non comedunt nervum litteræ et intelligentiæ carnalis legis, quæ occidit. Ita S. Thomas, et S. Augustinus, serm. 80 *De Tempore.*

CAPUT TRIGESIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jacob sua submissione et muneribus placat et devincit sibi fratrem Esau. Secundo, vers. 17, *habitat in Socoth et in Salem, Deoque liberatori suo altare erigit.*

1. Elevans autem Jacob oculos suos, vidit venientem Esau, et cum eo quadringentos viros : divisitque filios Liæ et Rachel, ambarumque famularum; 2. et posuit utramque ancillam, et liberos earum in principio : Liam vero et filios ejus, in secundo loco : Rachel autem et Joseph novissimos. 3. Et ipse progrediens adoravit pronus in terram septies, donec appropinquaret frater ejus. 4. Currens itaque Esau obviam fratri suo, amplexatus est eum : stringensque collum ejus, et osculans flevit. 5. Levatisque oculis, vidit mulieres et parvulos earum, et ait : Quid sibi volunt isti? et si ad te pertinent? Respondit : Parvuli

sunt, quos donavit mihi Deus servo tuo. 6. Et appropinquantes ancillæ et filii earum, incurvati sunt. 7. Accessit quoque Lia cum pueris suis : et cum similiter adorassent, extremi Joseph et Rachel adoraverunt. 8. Dixitque Esau : Quænam sunt istæ turmæ quas obviam habui? Respondit : Ut invenirem gratiam coram domino meo. 9. At ille ait : Habeo plurima, frater mi, sint tua tibi. 10. Dixitque Jacob : Noli ita, obsecro, sed si inveni gratiam in oculis tuis, accipe munusculum de manibus meis : sic enim vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei : esto mihi propitius, 11. et suscipe benedictionem quam attuli tibi, et quam donavit mihi Deus tribuens omnia. Vix fratre compellente suscipiens, 12. ait : Gradiamur simul, eroque socius itineris tui. 13. Dixitque Jacob : Nosti, domine mi, quod parvulos habeam teneros, et oves et boves fœtas mecum ; quas si plus in ambulando fecero laborare, morientur una die cuncti greges. 14. Præcedat dominus meus ante servum suum : et ego sequar paulatim vestigia ejus sicut videro parvulos meos posse, donec veniam ad dominum meum in Seir. 15. Respondit Esau : Oro te, ut de populo qui mecum est, saltem socii remaneant viæ tuæ. Non est, inquit, necesse : hoc uno tantum indigeo, ut inveniam gratiam in conspectu tuo, domine mi. 16. Reversus est itaque illo die Esau itinere quo venerat in Seir. 17. Et Jacob venit in Socoth, ubi ædificata domo et fixis tentoriis, appellavit nomen loci illius Socoth, id est tabernacula. 18. Transivitque in Salem urbem Sichimorum, quæ est in terra Chanaan, postquam reversus est de Mesopotamia Syriæ : et habitavit juxta oppidum. 19. Emitque partem agri in qua fixerat tabernacula, a filiis Hemor patris Sichem, centum agnis. 20. Et erecto ibi altari, invocavit super illud fortissimum Deum Israel.

Vers. 3. 3. IPSE PROGREDIENS. — Hebraice est והוא עבר לפניהם *vehu abar lipnehem*, et ipse transivit vel processit ante illos; unde patet Jacobum post primam turmam pecudum et famulorum processisse, quasi patrem et ducem ante secundam turmam uxorum et liberorum, pro iis se periculo et morti offerendo.

ADORAVIT PRONUS IN TERRAM, — non Deum, uti volunt aliqui, sed fratrem suum Esau. Jacob ergo adoravit, id est reverentiam, non sacram, nec divinam, sed humanam et civilem fratri suo exhibuit, inclinando se illi in terram usque septies, per modica intervalla, donec ad fratrem perveniret. Disce hic superbiam et iram potentium et ferocium, non alia re magis frangi quam supplici submissione, scilicet,

Ira ferocium humilitate frangitur.

Ovidius.

Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni.
Pugna suum finem, cum jacet hostis, habet.

Vide S. Chrysostomum, *hom.* 58.

Ita sanctus ille Episcopus, inquit Sophronius in *Prato spir.*, cap. CCX, alterum Episcopum graviter sibi suisque offensum vicit, dum « ad pedes ejus cum toto suo clero procidit dicens : Ignosce, Domine, nobis, servi tui sumus; stupefactus enim ille, et compunctus in tanta Episcopi humilitate, pedes illius tenuit, dicens : Tu meus et dominus et pater es. Dicebat autem clero suo humilis ille : Numquid non per Christi gratiam vicimus? et vos ergo cum habetis inimicum, ita facite, et victores eritis. » Simile exemplum habet cap. ultim. et aliud cap. penult. Responsio ergo mollis, blanda et humilis frangit iram, ut inquit Sapiens.

Allegorice S. Cyrillus in *Glaphyris*, lib. V : Jacob est Christus : hic primo reconciliatur cum Laban, id est cum Gentibus, deinde cum Esau, id est Judæis; cum enim plenitudo Gentium intraverit, tunc omnis Israel convertetur ad Christum, et salvabitur.

SEPTIES. — Cur septies? Respondet allegorice S. Ambrosius, lib. II *De Jacob*, cap. VI, quia respiciebat in Christum, « qui non solum usque septies, sed etiam septuagies septies veniam fratri laxari juberet, *Matth.* XVIII. Ut ejus contemplatione conventus Esau, injuriam quam se accepisse putabat, remitteret fratri, et quamvis læsus in gratiam rediret, quia propterea suscepturus erat carnem Dominus Jesus, et venturus in terras, ut multiplicatam nobis donaret veniam delictorum. »

28. UT INVENIREM GRATIAM, — *q. d.* Hæc tibi quasi fratri amantissimo et colendissimo loco muneris præmisi, ut tuam gratiam demererer, quo mihi sis benevolus, omniumque præteritorum obliviscaris. Vers. 8.

NOLI ITA — abnuere ea quæ offero.

10. MUNUSCULUM. — Hebraice est מנחה *mincha*, id est, munus quod Deo aut principi, in testimonium subjectionis ad testandam illius excellentiam, defertur. Vers. 10.

SIC ENIM VIDI FACIEM TUAM, QUASI VIDERIM VULTUM DEI, — *q. d.* Mihi timido et anxio, insperata tui vultus clementia et suavitas, cum tanta dignitate et excellentia conjuncta, tam jucunda et re-

verenda est, quam esset vultus Dei, vel angeli, signo aliquo suam opem et præsentiam ostendentis; quod vulgo dicitur : « Deus ex machina apparens. » Ita Abulensis; et S. Chrysostomus, *hom.* 58 : « Cum tanta, ait, jucunditate vidi faciem tuam, cum quanta quis videret faciem Dei. » Sic enim vertunt Septuaginta (1). Quia Hebraice *Elohim,* tam Deum, quam angelum significat.

Hac arte Taxiles, rex Indiæ sapiens, Alexandrum Magnum demulsit, et ex hoste amicum effecit; salutans enim Alexandrum dixit : « Quid bellis inter nos opus est, cum neque aquam nobis ademptum, neque victum necessarium veneris? pro quibus solis necesse habent sani decertare. Reliquis opibus si ego abundantior sum, impertiar tibi libens; sin inferior, non recuso abs te grato animo accipere beneficium. Delectatus ea oratione Alexander, illumque complexus : Anne tu, ait, hac comitate certamen evadere putas? erras; quippe contendam tecum beneficiis, ne me superes beneficentia. Ac muneribus acceptis multis, datisque pluribus, denique mille talenta argenti signati ei propinavit, » inquit Plutarchus in *Alexandro.*

Idem Alexander clemens et beneficus fuit in uxorem et filias Darii, quas bello ceperat; unde Darius victus, a diis petebat sibi imperium restitui, ut Alexandro beneficentiam hanc rependeret; aut, si iis visum esset Persarum imperium finire, ut illud non in alium, quam in Alexandrum transferrent : testis est idem Plutarchus.

Ecce, ait S. Chrysostomus, quam blandis augustisque verbis Jacob ferocem fratris animum demulcet : « Nil enim, inquit, mansuetudine violentius. Nam sicut rogum, cum valde accenditur, aqua injecta restinguit : ita et animum camino magis exardescentem, verbum cum mansuetudine prolatum extinguit. Et duplex inde nobis lucrum accrescit, tum quod mansuetudinem declaramus, tum quod fratris indignationem cessare facimus, et mentem ejus a turbatione liberamus. Non potest ignis igne extingui, sic nec furor furore demulceri; verum quod igni est aqua, hoc iræ est mansuetudo et mititas. » Ita Esther ad Assuerum, cap. XV, vers. 16 : « Vidi, ait, te, Domine, quasi angelum Dei; » et Miphiboseth ad David : « Tu autem, Domine, mi rex, sicut angelus Dei es. »

ESTO MIHI PROPITIUS. — Inde colligam te mihi benevolum et propitium esse, si meam benedictionem et honorarium, quod tibi offero, non asperneris.

Nota : Hebræi munus vel donum vocant « benedictionem, » quam scilicet acceperunt a Deo, quaque aliis benedicunt, id est, donatione sua benefaciunt. Vide dicta II *Cor.* IX, 5 et 6.

12. GRADIAMUR SIMUL, — saltem usque ad meam Idumææ regionem. Vers. 12.

13. FOETAS, — lactantes (2). Vers. 13.

CUNCTI, — multi, plerique. Est hyperbole.

14. AD DOMINUM MEUM IN SEIR. — Ita nunc proponebat Jacob facere, sed postea mentem mutavit, veritus ne Esau ejus præsentia excitatus, rursum pristina revolvens, pristinas renovaret querelas, irasque resumeret; præsertim si ipse, fratrem adventantem hospitio et prandio excipiens, mero incaluisset. Ita S. Augustinus, Quæst. CVI (3). Vers. 14.

17. SOCOTH. — Locus hic non jam, sed postea dictus est Socoth, a tabernaculis (4) quæ ibi fixit Jacob, ibique postea ædificata est urbs dicta pariter Socoth, quæ sita est in tribu Gad, juxta Jaboc et Scythopolim. Ita S. Hieronymus in *Locis Hebraicis.* Vers. 17.

DOMO, — tentorio vel tugurio.

18. TRANSIVITQUE IN SALEM URBEM SICHIMORUM.— Chaldæus, Cajetanus et Oleaster τὸ *Salem* accipiunt, non ut proprium, sed ut appellativum, vertuntque, *salvus et integer* (hoc enim significat Salem) *pervenit in Sichem* (5). Verum tam Septuaginta quam Noster « Salem » accipiunt ut nomen proprium loci. Salem enim est urbs, quæ prius Sichem, et corrupte Sichar est dicta *Joan.* IV, 5. Hebræi dictam volunt Salem, eo quod ibi a claudicatione curatus sit Jacob, uti dixi cap. XXXII, vers. 25. Vers. 18.

HABITAVIT JUXTA OPPIDUM. — Videtur hic Jacob facile novennio habitasse : nam Simeon et Levi cum huc ex Mesopotamia venerunt, erant circiter 11 annorum, qui postea ob stuprum Dinæ Sichem everterunt, cap. seq. Erant ergo ipsi tunc facile 20 annorum.

19. A FILIIS HEMOR. — Hemor erat princeps Sichimorum, unde Sichimitæ vocantur ejus filii; id est, subditi; verus enim princeps suorum est pater. Sic servi Naaman dominum suum vocant patrem, IV *Reg.* V, 13. Verum cum hic Hemor vocetur pater Sichem, fueritque proprie ejus pater, ut patet cap. seq., vers. 2, hinc melius proprie Vers. 19.

(1) Aliter Patritius : « Quid dicere voluerit Jacob his verbis Esaum fratrem alloquens : *Vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei*, perspicuum fit, si cum iis compares locos alios, ex quibus discimus, eos, qui Deum vidisse narrantur, *mortem sibi timuisse ab hujusmodi visu.* » Op. cit. tom. II, pag. 115.

(2) Verbum דפק duobus reliquis locis, quibus in veteri Testamento occurrit, *Jud.* XIX, 22; *Cant.* V, 2, *ostium pulsare* denotat. Sed proprie in universum *pulsare* quoquo modo videtur significare, *et si pulsarint*, impulerint *eos* pastores, etc.

(3) Pro *paulatim sequar vestigia ejus*, Hebr. est, *ego vero ducam me*, incedam, *ad quietem meam*, pro commoditate mea, *à mon aise*, ut dicunt Galli, *ad pedem operis* (a rad. לאך), *quod est ante me*, id est, quantum ferre potestgressus gregum, qui me anteunt.

(4) Quænam essent tabernacula hæc pecori destinata, quærunt interpretes. Tuguria vix intelligi possunt, nempe in tam calido climate, maxime quum lana sub dio semper degentium multo sit melior. Satis verisimile est, significari hic per סכות *mandras* spinis circumseptas, quas inter noctu tuti greges fiant.

(5) Ita et Rosenmullerus.

dictos hic accipies filios Hemor, puta fratres Sichem.

PATRIS SICHEM. — Dices : *Actor.* VII, 16, dicitur « filii Sichem. » Respondeo, forte ibi pro *filii* reponendum est « patris Sichem, » ut hic habetur; et sic videtur legisse S. Hieronymus *ad Pammachium.* Vel certe, ut vult Beda, duo erant Sichem: unus pater Hemoris, alter filius Hemoris. Unde Græca indifferenter habent τοῦ Συχέμ. : quod tamen fere de filio Sichem accipi et exponi solet. Adde S. Stephanum *Actor.* VII, nominare Abraham, ac proinde videri eum loqui de emptione, non Jacobi hic, sed Abrahæ facta *Genes.* XXIII, 36. Qua de re plura dicam *Actor.* VII.

CENTUM AGNIS. — Pro *agnis* hebraice est קשיטה *kescita,* quod recentiores *nummos* vertunt. Verum S. Hieronymus, Chaldæus, Lyranus, Pagninus, Vatablus, Oleaster, Aben Esra vertunt *agnos.* Unde et Septuaginta vertunt, ἀμνῶν : pro quo perperam Eugubinus legit μνῶν, id est minas, vel nummos.

Objectio prima solvitur. Dices, *kescita* arabice nummum significat, ergo idem significat hebraice.

Respondeo, nego consequentiam; errant enim Rabbini, cum a lingua Arabica significationes verborum Hebraicorum indagant et mutuantur, ut recte annotavit Oleaster.

Secunda. Dices *secundo* : S. Stephanus, *Actor.* VII, 16, ait hunc agrum emptum esse, non centum agnis, sed pretio argenti.

Respondeo, « pretio argenti, » id est, pretio justo; nomine enim argenti vel pecuniæ, significamus omnes opes, quæ olim sitæ erant in ovibus et pecoribus. Unde et pecunia a pecore, sive pecu dicta est; hinc etiam primum æs nota pecudis, puta ovis, suis et bovis, signatum fuit, uti testatur Plutarchus in *Poplicola,* et Plinius, lib. XXXIII, cap. III. Pecuniæ ergo nomine (ait Hermogenianus, leg. *pecuniæ,* ff. de verb. signif.) non modo nummi, hoc est numerata pecunia, sed omnes res tam solidæ quam mobiles, et tam corpora quam jura continentur.

Respondeo *secundo,* posse cum Pineda per agnos vel oves centum, accipi 100 nummos, qui dicantur agni vel oves, eo quod ovis effigiem insculptam haberent, uti jam dixi, si tamen tam antiqua sit signatura pecuniæ (1) : nam constat priscos ea non signata usos esse. Adde S. Stephanum non de hac Jacobi, sed alia emptione Abrahæ loqui, ut dixi.

Tertia. Dices *tertio* : *Genes.* XLVIII, in fine, dicit Jacob se hunc agrum tulisse in gladio et arcu suo.

Respondet S. Hieronymus arma viri pacifici fuisse mercedem hanc, et pretium centum agnorum; et pulchre in Hebræo alludit קשת *kescet,* id est arcus, ad קשיטה *kescita,* id est agnus. Verum de hoc loco dicam *Gen.* XLVIII.

20. ET INVOCAVIT SUPER ILLUD FORTISSIMUM DEUM ISRAEL. — Hebraice est ויקרא לו אל אלהי ישראל *vaiicra lo el elohe Iisrael,* quod dupliciter verti potest, duoque significat, quorum utrumque fecit Jacob. *Primo,* « et invocavit (Chaldæus vertit, *sacrificavit*) super illud fortissimum Deum Israel : » ita enim vertunt Septuaginta, Chaldæus, Noster; altaria enim proprie ad sacrificium et invocationem eriguntur. *Secundo,* « et vocavit illud (altare) fortem Deum Israel, » hoc enim proprie significat Hebræum לו *lo.* Unde patet Jacobum non tantum adorasse et sacrificasse in hoc altari, sed et illud ipsum dicasse, consecrasse et inscripsisse Deo. Hunc ergo titulum inscripsit Jacob altari *el elohe Iisrael,* id est Deus fortissimus Israelis, vel Deo fortissimo Israelis, non quod ipsum altare esset Deus, inquit Cajetanus, sed quod dedicatum et inscriptum esset forti Deo Israelis: vocat enim Jacob Deum *el,* propter fortitudinem; et *elohim,* propter providentiam, gubernationem et justam protectionem sibi a Deo contra Esau, Laban aliosque hostes exhibitam. Similem titulum altari Bethel indidit et inscripsit Jacob *Genes.* XXXV, 7. Sic Rubenitæ suum altare vocarunt, « testimonium nostrum quod Dominus ipse sit Deus, » *Josue* cap. XXII, vers. ult. Sic Gedeon suum altare vocavit, « Domini pax, » *Judic.* cap. VI, vers. 24. Sic etiam Gentiles aras dicabant et inscribebant Jovi victori, Minervæ sospitæ, Esculapio servatori, etc. Pari modo Jacob in gratiarum actionem hic Deo liberatori, duci et ductori aram erigit et inscribit (2). Vers. 20. Titulus altaris Jacobi.

DEUM ISRAEL, — Deum Jacobi, qui dictus est Israel. *Secundo,* Deum posterorum Jacobi, puta Israelitarum, in quibus ipse quasi *el,* id est fortissimus, et quasi *elohim,* id est judex et vindex dominabitur, protegens et vindicans eos a Chananæis, Philistinis, aliisque hostibus, uti Jacobum protexit et vindicavit. Hic Deus est Deus Pater, Filius, et Spiritus Sanctus; sed maxime, Deus Filius, qui ex Jacob nasciturus erat, et futurus homo, itaque regnaturus in domo Jacob in æternum, *Lucæ* I, 33; hujus nomen enim inter alia est *el,* id est fortis, *Isaiæ* IX, 6.

Moraliter, ex hoc capite, adeoque ex tota vita Jacobi, Josephi, Abrahæ et Isaaci liquet, quod Deus suos servos et amicos variis tribulationibus et persecutionibus exerceat, ut eos ad decus virtutis et gloriæ provehat; quod enim est ignis auro, lima ferro, ventilabrum tritico, lixivium panno, sal carni : hoc viris justis est tribulatio. Videtur cauterium esse vulnus, sed revera est remedium vulneris : ita vexatio malum esse videtur, sed revera malorum est remedium, atque Cur Sancti tribulentur ?

(1) Id affirmat Wiseman, *Confér. sur les rapports entre la science et la relig. révélée,* 5 conf. initio, idque probat descriptione vetustissimi numismatis nuper in insula Cypro inventi, Phœnicios characteres ex una parte, altera autem *ovis* figuram referentis.

(2) Allioli : *vocavit illud* (ויקרא לו nunquam significat, *invocavit super eo*) altare (nam locutio est elliptica) *Dei Israelis.*

per eam docemur amare meliora, « ne viator tendens ad patriam, stabulum pro domo diligat, » ait S. Augustinus in *Sentent.*, sent. 186.

Morale, Primum, cruces esse signa amoris Dei.

Hinc discant fideles, *primo*, tribulationes esse signa, non odii, sed amoris Dei. Sunt enim symbola electionis et filiationis divinæ. Hoc est enim quod ipse ait Zacharias, XIII, 9 : « Uram eos sicut uritur argentum, et probabo eos sicut probatur aurum; » et *Apocal.* cap. III, 19 : « Quos amo, arguo et castigo; » et Apostolus, *ad Hebr.* XII, 6 : « Quem diligit Deus castigat; flagellat autem omnem filium quem recipit; » et *Sap.* III, 6 : « Tanquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit eos. »

Secundum, non lædere, sed perficere.

Discant *secundo*, tribulationes non lædere, sed purgare et perficere tribulatos. Hinc *Job* XXIII, 10 : « Probavit, inquit, me quasi aurum, quod per ignem transit. » Et David *Psal.* XVI, 3 : « Probasti cor meum, et visitasti nocte; igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas. » Et *Eccli.* XXVI, 6 : « Vasa, inquit, figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis. » Vere ergo B. Antiochus, *homil.* 78 : « Sicut cera, ait, nisi recalescat aut præmolliatur, non facile in se recipit sigilli impressionem : ita et homo, nisi laborum et multifariæ infirmitatis probetur exercitio, neutiquam sinet insigniri se signaculo divinæ gratiæ. Ob hoc Paulo respondit Dominus : Sufficit tibi gratia mea; virtus enim in infirmitate perficitur. »

Tertium, esse portam cœli.

Discant *tertio*, calamitates eos perdere, qui rejiciunt tolerantiam; eos tueri, qui illam amplectuntur. Tribulatio enim patienter tolerata, est porta cœli. Hinc de Christo dicitur *Lucæ* XXIV, 26 : « Oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam. » Paulus et Barnabas, *Actor.* XIV, 21 : « Per multas, inquiunt, tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. » E contrario prosperitas et felicitas hujus vitæ, est porta gehennæ. Hac de causa impiis eam dat Deus; pios vero et in virtute robustos per varias cruces exercet, et per acerbas calamitatum angustias ducit ad vitam immortalem; hoc est enim quod ipsi aiunt *Psal.* LXV, 10 : « Probasti nos, Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum. » Et Christus *Matth.* V, 5 : « Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur; » et : « Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. » Ita Patriarchæ, ita Machabæi, ita martyres aliique heroes fidei persecutionibus, carceribus, plagis, equuleis, martyriis, ignibus exerciti, puriores, fortiores et illustriores evaserunt, nomenque suum cœlo et immortalitati consecrarunt.

CAPUT TRIGESIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Dina rapitur et violatur a Sichem. Hinc, vers. 13, *filii Jacob cum eo dolosum ineunt fœdus, exigentes ut ipse cum suis circumcidatur, itaque Dinam ducat. Unde, vers.* 25, *Simeon et Levi Sichimitas ex circumcisione laborantes invadunt et trucidant. Est hæc quarta Jacobi tentatio et crux.*

1. Egressa est autem Dina, filia Liæ, ut videret mulieres regionis illius. 2. Quam cum vidisset Sichem, filius Hemor Hevæi, princeps terræ illius, adamavit eam : et rapuit, et dormivit cum illa, vi opprimens virginem. 3. Et conglutinata est anima ejus cum ea, tristemque delinivit blanditiis. 4. Et pergens ad Hemor patrem suum : Accipe, inquit, mihi puellam hanc conjugem. 5. Quod cum audisset Jacob, absentibus filiis, et in pastu pecorum occupatis, siluit donec redirent. 6. Egresso autem Hemor, patre Sichem, ut loqueretur ad Jacob, 7. ecce filii ejus veniebant de agro : auditoque quod acciderat, irati sunt valde eo quod fœdam rem operatus esset in Israel, et violata filia Jacob, rem illicitam perpetrasset. 8. Locutus est itaque Hemor ad eos : Sichem filii mei adhæsit anima filiæ vestræ : date eam illi uxorem : 9. et jungamus vicissim connubia : filias vestras tradite nobis, et filias nostras accipite. 10. Et habitate nobiscum; terra in potestate vestra est, exercete, negotiamini, et possidete eam. 11. Sed et Sichem ad patrem et ad fratres ejus ait : Inveniam gratiam coram vobis, et quæcumque statueritis, dabo : 12. augete dotem, et munera postulate, et libenter tribuam quod petieritis : tantum date mihi puellam hanc uxorem. 13. Responderunt filii Jacob Sichem et patri ejus in dolo, sævientes ob stuprum sororis : 14. Non possumus facere quod petitis, nec dare sororem nostram homini incircumciso :

quod illicitum et nefarium est apud nos. 15. Sed in hoc valebimus fœderari, si volueritis esse similes nostri, et circumcidatur in vobis omne masculini sexus; 16. tunc dabimus et accipiemus mutuo filias vestras, ac nostras; et habitabimus vobiscum, erimusque unus populus; 17. si autem circumcidi nolueritis, tollemus filiam nostram, et recedemus. 18. Placuit oblatio eorum Hemor, et Sichem filio ejus : 19. nec distulit adolescens quin statim quod petebatur expleret : amabat enim puellam valde, et ipse erat inclytus in omni domo patris sui. 20. Ingressique portam urbis, locuti sunt ad populum : 21. Viri isti pacifici sunt, et volunt habitare nobiscum : negotientur in terra, et exerceant eam, quæ spatiosa et lata cultoribus indiget, filias eorum accipiemus uxores, et nostras illis dabimus. 22. Unum est, quo differtur tantum bonum : si circumcidamus masculos nostros, ritum gentis imitantes. 23. Et substantia eorum, et pecora, et cuncta quæ possident, nostra erunt : tantum in hoc acquiescamus, et habitantes simul, unum efficiemus populum. 24. Assensique sunt omnes, circumcisis cunctis maribus. 25. Et ecce, die tertio, quando gravissimus vulnerum dolor est, arreptis, duo filii Jacob, Simeon et Levi fratres Dinæ, gladiis, ingressi sunt urbem confidenter : interfectisque omnibus masculis, 26. Hemor et Sichem pariter necaverunt, tollentes Dinam de domo Sichem sororem suam. 27. Quibus egressis, irruerunt super occisos cæteri filii Jacob, et depopulati sunt urbem in ultionem stupri. 28. Oves eorum, et armenta, et asinos, cunctaque vastantes quæ in domibus et in agris erant; 29. parvulos quoque eorum et uxores duxerunt captivas. 30. Quibus patratis audacter, Jacob dixit ad Simeon et Levi : Turbastis me, et odiosum fecistis me Chananæis et Pherezæis, habitatoribus terræ hujus. Nos pauci sumus : illi congregati percutient me, et delebor ego, et domus mea. 31. Responderunt : Numquid ut scorto abuti debuere sorore nostra?

Vers. 1. Femina domi maneat.

1. EGRESSA EST AUTEM. — Dinæ lapsus occasio fuit hic egressus. Feminarum enim est domi se continere, ibique nendo, texendo, acu pingendo se occupare. Id veteres fecerunt, eaque de causa in nuptiis, cum sponsa ex domo patris ad domum sponsi ritu solemni deducebatur, mox eam colus compta cum fuso et stamine comitabatur apud Romanos, uti ex Plutarcho et Plinio docet Brissonius *De Ritu nuptiarum*. Porro Plinius, lib. VIII, cap. XLVIII, hujus ritus causam et originem assignat, dum ait : « Lanam cum fuso et stamine Tanaquilis, quæ eadem Cæcilia vocata est, in templo Sangli durasse, auctor est M. Varro, factamque ab ea togam regiam undulatam in æde Fortunæ, qua Servius Tullius usus fuerat, indeque factum est ut nubentes virgines comitaretur colus compta cum fuso et stamine. » Dina, quia otiosa colum seposuit, egressa se et Sichimitas perdidit. De mulierum οἰκουρίᾳ dixi *ad Titum* II, 5. Recte de Lævina casta et tetrica, sed vaga cecinit Martialis :

> Dum modo Lucrino, modo se committit Averno, etc.
> Incidit in flammas, juvenemque secuta relicto
> Conjuge, Penelope venit, abit Helene.

Idem, proh dolor! quotidie videmus virgines quæ cum juvenibus ambulatum egrediuntur, egredi Penelopes, regredi Helenes; egredi virgines, regredi mulieres, imo meretrices. Prudenter ergo S. Martinus : « Mulier, ait, intra murorum munimenta se contineat, cujus hæc prima virtus et consummatio victoriæ est, non videri, uti refert Sulpitius, *Dialog.* 2.

DINA. — Erat Dina, cum rapta est, circiter quindecim annorum. Id patet ex eo quod Dina pene eodem tempore nata sit quo Joseph, ut patet *Genes.* XXX, 21 et 24. Joseph autem paulo post hæc venditus, erat sedecim annorum, ut patet cap. XXXVII, vers. 2. Dina erat 15 annorum.

Rursum id patet ex eo quod Simeon et Levi erant tum circiter viginti annorum, uti mox dicam : hi autem quinquennio seniores erant Dina et Joseph. Ergo raptus hic Dinæ, et excidium Sichem contigit circiter novem annis post discessum Jacob ex Haran, et adventum in Chanaan, cum Jacob ageret annum ætatis 106, puta uno anno ante mortem Rachelis et natalem Benjamin, de qua cap. seq. vers. 18.

UT VIDERET MULIERES. — Hebraice בנות *banot*, id est filias, puta virgines sibi coævas regionis illius, quæ tunc magno numero et ornatæ ad festum solemne convenerant, si credimus Josepho; fuit hæc curiositas Dinæ, quam luit suo raptu, et tam infami stupro. Nam, ut ait Tertullianus : « Publicatio virginis bonæ, stupri passio est. »

Moraliter hic discant virgines, quam oculos hominum fugere debeant, ut nec videri, nec videre appetant. Refert Sophronius in *Prato spir.* cap. CLXXIX, de virgine quadam, quæ fugiens Exempla Morale de fuga virginum.

et gnomæ. amasium, ne eum scandalizaret, secessit in eremum, ibique vixit ad 17 annos; quæ pro hac fuga duplex a Deo privilegium accepit : *primum,* ut, cum ipsa omnes videret, ipsa tamen a nemine videretur; *secundum,* quod cum pauca infusa secum tulisset in desertum, et ex iis jugiter comederet, illa tamen non sint imminuta.

Idem cap. LX, mirabile refert exemplum de sanctimoniali, quæ fugiens amasium, cum ab eo per internuntios quæsisset cur eam ita persequeretur, quid in ea maxime adamaret, illeque respondisset oculis ejus se capi : illa mox effossos sibi oculos ei misit, ut iis se exsatiaret. Qua re attonitus adolescens, concupiscentiam, in pœnitentiam et compunctionem vertit, abdicatisque illecebris monasticam vitam amplexus est. Vis recentiora? audi.

S. Egidius, unus e primis S. Francisci sociis, in consessu fratrum rogavit eos : Quid vos facitis contra tentationes carnis? Respondit Ruffinus : Commendo me Deo et B. Virgini, et supplex me in terram projicio. Juniperus vero ait : Cum sentio tales cogitationes, statim dico : A longe, a longe, quia captum est hospitium. Cui Ægidius : Tecum, inquit, sentio; nam optimum est fugere : castitas enim est speculum clarum, quod solo intuitu et halitu offuscatur.

Ex eadem familia F. Rogerius vir sanctus, nullam feminam, ne matrem quidem, eamque vetulam, aspiciebat in facie. Rogatus cur? respondit : « Quia quando homo facit quod in se est, Deus vicissim facit quod suum est, hominemque a lapsu præservat; sin homo se periculo exponat, maxime in materia tam lubrica, Deus eum relinquit suis viribus, quibus diu resistere non potest. » Sicut enim ferrum trahit magnes, ita virum sua trahit Agnes.

S. Xaverius dicere solebat feminas majori periculo vel castitatis, vel famæ adiri, quam fructu. Hinc illa provida Societatis nostræ strictaque ordinatio ut feminas etiam pietatis causa, nobis visere non liceat, nisi ægras et moribundas, idque non nisi cum socio, qui omnium quæ geruntur testis esse possit.

Denique audi quid meretrix docuerit S. Ephrem : Ex eremo ille in urbem pergebat, ut ex occursu aliquid piæ instructionis hauriret : occurrit ei meretrix, quæ fixe eum intuita est; causam roganti Ephremo respondit meretrix : Quid mirum si ego te intuear, cum mulier ex viro facta sit? tu vero in matrem tuam, id est terram ex qua plasmatus es, oculos defige. Plura vide *Num.* XXV, in fine.

Vers. 2. 2. PRINCEPS TERRÆ, — filius principis Hemor.

Vers. 5. 5. CONGLUTINATA EST ANIMA EJUS, — vehementer et perdite eam amavit : amantis enim anima magis est ubi amat, quam ubi animat.

Vers. 7. 7. IN ISRAEL, — contra Israel, patrem Dinæ (1).

11. AD PATREM (Dinæ, puta ad Jacobum) ET AD FRATRES EJUS, — puta ad Ruben, Simeon, Levi aliosque Dinæ fratres. Vers. 11.

12. AUGETE DOTEM, — *q. d.* Non exigo ut Dina quasi sponsa dotem afferat, sed ipse eam dotabo quantum voletis, idque in compensationem injuriæ illi et vobis a me per raptum illatæ. Vers. 12.

13. IN DOLO, — quia pacem simulant, cum ultionem et cædem Sichimitarum machinantur (2). Vers. 13.

21. VIRI ISTI PACIFICI. — Hinc patet Hemor et Sichimitas se circumcidisse, non amore pietatis et religionis Judaicæ, sed spe lucri et connubio rum cum Israelitis. Vers. 21.

23. NOSTRA ERUNT, — per mutua connubia et commercia. Vers. 23.

25. DIE TERTIO, QUANDO GRAVISSIMUS VULNERUM DOLOR EST. — Infide Josephus dicit Sichimitas dolo oppressos esse a Simeone et Levi, cum conviviis et vino indulgerent. Vers. 25.

Secundo, perperam Calvinus negat, die tertio gravissimum esse dolorem vulnerum : contrarium enim docet, non Simeon et Levi, ex quorum mente et sensu hæc dici putat Calvinus, sed ipse Moses, ipsaque S. Scriptura hic : ejus enim hæc sunt verba. Gravissimus vulnerum dolor die a læsione tertio, et unde id fiat?

Idem docet Hippocrates, lib. *De Fracturis,* et ratio est, quia primo die, tantum in ipso vulnere divisio sentitur, quæ vix durat; secundo die ad locum vulneris fluit pituita, qui est humor lenis et placidus; tertio die defluit eodem bilis, quæ acris et calida dolorem ciet : inde sanguine accurrente sequitur inflammatio, febris, etc., quæ spatio 24 horarum vix mitescunt. Ita Franciscus Valesius *Sacræ Philosophiæ* cap. XIII.

SIMEON ET LEVI, — quasi duces cum famulorum turba; cæteri enim fratres huic stragi non interfuerunt, sed post eam factam in spolia irruerunt, ut patet vers. 27. Erat tunc Simeon circiter 21 annorum, Levi 20; ita S. Chrysostomus, Abulensis, Cajetanus et Pererius, et colligitur ex dictis vers. 1.

Quæres an hi filii Jacob, edendo hanc stragem Sichimitarum, peccarint? Aliqui eos excusant, eo quod justo bello et stratagemate injuriam sorori sibique illatam vindicarint. Cum enim essent exteri, habentes quasi rempublicam separatam, nec Hemor et Sichem, utpote principes populi, ad aliquod superius tribunal protrahere possent, videntur in eos habuisse jus belli, cum nulla alia ratione, quam bello et armis injuriam sibi illatam sarcire possent; in bello autem hoc, cum pauci essent, dolo quasi stratagemate usi sunt, dictitantes : Dolus an virtus, quis in hoste requirat? Sed respondeo eos peccasse, quia contra pacta cum Sichimitis inita, vers. 15, eos invaserunt et trucidarunt. Filii Jacob Sichimitas occidendo peccarunt varie.

(1) Vers. 10. Pro *negotiamini* hebr. est *circumite* eam, scil. cum gregibus vestris, Nomadum more.

(2) Vers. 15. Pro *valebimus fœderari,* est in hebr. *acquiescemus vobis.* נאות ad rad. אות referendum. Cf. infra vers. 22, 23; II *Reg.* XII, 9.

Primo. Peccarunt ergo *primo*, mendacio doloso et pernicioso, ut patet vers. 13. Secundo. *Secundo*, perfidia : jam enim injuriam condonarant, accepta justa satisfactione, fidemque dederant fœderis, imo connubii. Tertio. *Tertio*, imprudentia et inobedientia, quod juvenes ira fervidi, rem tam arduam et periculosam aggressi sint, sine consilio et auctoritate patris, cui sciebant machinationem hanc omnino displicituram. Hinc peccarunt quoque injustitia belli : bellum enim hoc intulerunt Sichimitis privata auctoritate, non publica ; hæc enim erat in Jacob, quasi in capite et principe familiæ, non Quarto. autem in hisce duobus ejus filiis. *Quarto*, sacrilegio : circumcisione enim ad dolum suum et Quinto. injustam cædem abusi sunt. *Quinto*, crudelitate, quod die tertio doloribus afflictos et quasi moribundos Sexto. invaserint. *Sexto*, excessu vindictæ : nam non solum Sichem, sed et omnes urbis masculos, in quibus multi erant insontes, necaverunt; pueros et feminas captivarunt; agros omnes et greges prædati sunt, imo et mœnia urbis diruerunt, Septimo. uti satis insinuatur *Genes.* XLIX, 6. *Septimo*, temeritate et impietate, quod patrem suum Jacob totamque ejus familiam, odio, neci et prædæ Chananæorum exposuerint. Ita S. Thomas, Cajetanus, Pererius, imo Jacob ipse *Genes.* cap. XLIX, vers. 5, ubi sic ait : « Simeon et Levi vasa iniquitatis bellantia, in consilium eorum non veniat anima mea, quia in furore occiderunt virum, et in voluntate sua suffoderunt murum : maledictus furor eorum, quia pertinax; et indignatio eorum, quia dura. »

Dices : Judith cap. IV, 2, laudare videtur hoc factum et zelum Simeon et Levi; ait enim : « Deus patris mei Simeon, qui dedisti illi gladium in defensionem (græce ἐκδίκησιν, id est *ultionem*) alienigenarum, qui violatores extiterunt in coinquinatione sua, et denudaverunt femur virginis in confusionem, et dedisti mulieres eorum in prædam, et filias illorum in captivitatem, et prædam in divisionem servis tuis, qui zelaverunt zelum tuum. »

Respondeo : Judith hic laudat non Simeonis, sed Dei justitiam, qua permisit trucidari impuros Sichimitas, usus ad hoc audacia et robore æque Deus impiis ut justorum flagellis utitur. ac scelere et perfidia Simeonis et Levi. Sic enim Deus dicitur dare gladium Chananæis, Turcis et Paganis, cum eorum viribus et armis utitur ad puniendum peccata fidelium. Sic *Isaiæ* cap. X, Attila flagellum Dei se dicebat. dicitur : « Virga furoris mei Assur. » Sic Attila dicebat se esse flagellum Dei. Pari ergo modo dedit Deus gladium, id est fortitudinem, Simeoni et Levi ad ultionem raptus Dinæ, sed non tali modo et perfidia peragendam : sic enim ipsi ea abusi sunt : licet enim ipsi id ex zelo fecerint, ut ait Judith, tamen zelus iste fuit contra justitiam, quia contra pacta inita; hæc tamen omnia permisit Deus, et ordinavit ad pœnam stupri principis Explicantur verba Judith. IX. eorum. Dicitur ergo dedisse Simeoni gladium ultionis propter duo : *primo*, quia dedit illi animos, vires et arma, quibus tamen ipse perfide abusus est; *secundo*, quia hanc perfidiam permisit, et ex proposito ordinavit ad vindictam stupri. Primo.

Rursum, hisce verbis insinuat Judith, populum suo principi in hoc scelere favisse, eumque in raptu et detentione Dinæ juvisse, fovisse, laudasse; ac proinde justo Dei judicio, omnes hac clade involutos fuisse. Secundo

Tertio, nota hic divinam vindictam libidinis et stupri, quam recte sibi suoque facinori, quo Holophernem obtruncavit, adaptat Judith. Tertio. Gravissima libidinis et stupri vindicta.

Quarto, ait Judith Deum dedisse omnem prædam Sichimorum servis suis, puta Simeoni et Levi, eo quod pudicitiæ zelum habuissent, quatenus scilicet hic zelus erat zelus pudicitiæ, non autem quatenus indiscretus fuit, injustus, mixtusque cum perfidia aliisque sceleribus. Sic Deus obstetricibus Ægyptiorum, per mendacium servantibus parvulos Hebræorum, ædificavit domos, non propter mendacium, sed ob pium affectum et beneficium parvulis impensum : in uno enim eodemque opere, aliquid subinde est boni, quod præmiat Deus; et aliquid mali, quod odit et detestatur. Quarto.

OMNIBUS MASCULIS. — Plerique enim applauserant suo principi raptori, eumque in raptu juverant.

Nota quod stuprum et raptus fere nunquam sine ingenti parricidio aut bello paracta sunt. Testatur hoc excidium Trojæ, ob raptam Helenam. Testatur hoc strages Amnon perpetrata a fratre Absalone, ob vitiatam Thamar. Testatur hoc strages totius tribus Benjamin, ob corruptam uxorem Levitæ, *Judic.* cap. XX. Testantur denique idipsum nostri hi Sichimitæ. Quocirca sapienter monet parentes et præceptores, eisque dat prudens consilium S. Chrysostomus, *hom.* 59 : « Refrænemus, ait, puerorum nostrorum impetus, et curemus eorum castitatem, etc.; scientes fornacis incendium, priusquam in luxuria implicentur, studeamus eos juxta legem Dei nuptiis copulare. » Et sub finem : « Ideo oro ut præbeatur manus pueris nostris, ut ne etiam pro his quæ illi peccarunt, pœnas sustineamus instar Heli, » I *Reg.* IV. Stupri vindicta.

26. TOLLENTES DINAM. — Rupertus ex Philone tradit Dinam postea nupsisse, fuisseque uxorem Job, de qua *Job* I. Job enim natus est paulo post Dinam, ut patebit cap. sequenti, vers. 36. Verum hoc parumest probabile; nec tale quid in Philone aliisque antiquis reperitur. Vers. 26.

Tropologice Philo *De Migratione Abrahæ* : Dina est anima curiosa, quæ a bruta natura rapitur ad sensualia, quæ periculosa sunt; unde violatur, et mentis puritatem amittit, fitque carnalis et asinina : Sichem enim stuprator filius est Hemor, id est asini; sed eum trucidant Levi et Simeon, id est prudentia et fortitudo spiritus, atque ita animæ suam integritatem restituunt. Dina tropologice est anima curiosa.

29. UXORES DUXERUNT CAPTIVAS. — Cum Jacob cædem hanc, utpote perfidam et temerariam improbet, vers. 30, non dubium est quin ipse illico Vers. 29.

jusserit captivos omnes remitti, et bona direpta quæ supererant, restitui.

Vers. 30. 30. TURBASTIS ME. — Turbastis meam mentem metu et angore, quia anxium et pavidum me fecistis : valde enim metuo ne Chananæi pro vindicta suorum Sichimitarum in me et vos insurgant. *Secundo*, turbastis meam famam, quia eam tam infami cæde maculastis, et quia me odiosum (hebraice fœtentem) fecistis Chananæis. *Tertio*, turbastis quietem familiæ meæ, quia eam periculo necis et spoliationis reciprocæ exposuistis, apud vicinos circumquaque Palæstinos (1).

Perfidia a Deo vindicatur. Exempla. Nota : Perfidia uti et perjurium, maxime turbat convictum et societatem hominum, ideoque tam Deus, quam homines eam solent persequi et ulcisci. Ita Sedecias violans fœdus cum Nabuchodonosore initum, ab eo captus, regno spoliatus et excæcatus est. Ita Saul affligens Gabaonitas contra fidem eis datam, famis communis et suorum excidii causa extitit, II *Regum*. XXI.

Agathocles, tyrannus Syracusanus, datum hostibus jusjurandum transgressus est, occisisque captivis, ridens ad amicos dixit : « Cœnati juramenti religionem evomamus; » sed dire hanc perfidiam luit.

Tissaphernes, Persarum dux, fœdus cum Agesilao metu initum violavit, eique bellum denuntiavit; quod libenter arripuit Agesilaus, legatisque dixit, se magnam habere gratiam Tissapherni, quod perjurio suo et deos et homines sibi infensos reddidisset, adversæ vero parti propitios, teste Plutarcho in *Lacon.*

Alexander Magnus Indos quosdam sibi infestos, contra fidem datam in itinere oppressit : hinc labes ei adhæsit, brevisque et tristis exitus, uti omnes sciunt : testis est Plutarchus in *Alexandro*.

Carthaginensis senatus Saguntum contra fœdus, quod Hasdrubal cum Romanis icerat, excisum ab Annibale non tantum probavit, sed et in Romana curia defendit. Verum hoc cavillum et hæc perfidia, Carthaginis excidio vindicata fuit.

(1) Ducta ab aquis metaphora. Quum essem jam hac in regione tranquillus, meas omnes res atque animum turbastis.

Theodatus, Gothorum rex, bello undique pressus, ad Justinianum Imperatorem misit legatos, pacem petens, eique totum Gallorum et Italorum imperium obtulit : postea vero ex interitu Mundi ducis Justiniani animatus, fidem fefellit, arma movit; sed in iis occubuit, atque a suis interfectus est anno regni tertio. Ita Procopius et Blondus.

Aistulphus, Longobardorum rex, quia contra datam fidem Gregorio III Pontifici arma inferebat, Pontifex pacis formulam de vexillo crucis suspensam, exercitui præferri curavit, cunctis Deum contra perfidum hominem invocantibus : unde a Pipino subactus Aistulphus, misere tandem periit.

Carolus Burgundus, audax et invictus, in Lotharingia 250 Helvetios fide circumventos suspendio necavit, mox alios 300 Granseii occidit anno Domini 1476; sed tertio post die Helvetii Carolum aggressi in fugam verterunt, ac tandem sequenti anno eum prorsus ceciderunt et trucidarunt.

Quocirca recte Valerius Maximus, lib. IX, cap. VI : « Perfidia, ait, tantum incommodi humano generi affert, quantum salutis bona fides præstat. Habeat igitur non minus reprehensionis, quam illa laudis consequitur. » Subdit exemplum de Tatio Sabino : « Romulo, ait, regnante, Sp. Tarpeius arci præerat : cujus filiam virginem aquam sacris petitum extra mœnia egressam, Tatius, ut Sabinos in arcem secum reciperet, corrupit, mercedis nomine pactus, quæ in sinistris manibus gerebant. Erant autem his armillæ et annuli magno ex pondere auri. Loco potitum agmen puellam præmium flagitantem armis obrutam necavit, perinde quasi promissum, quod ea quæ lævis gestaverant, solvit. Absit reprehensio; quia impia proditio celeri pœna vindicata est. » Et Tacitus, lib. I *Annal.* : « Proditores, ait, etiam iis quos anteponunt, invisi sunt : » amant enim ipsi rem, non reum. Præclare Augustus apud Plutarchum in *Apophtheg.* : « Ego, ait, proditionem amo, proditores non approbo. » Acutius vero Philippus Macedo apud Stobæum, *serm.* 52, dixit, « amare se prodituros, non proditores. »

CAPUT TRIGESIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jacob familiam suam idolis expurgat, aram Deo ædificat, rursum a Deo vocatur Israel. Secundo, vers. 16, *Rachel in partu Benoni, quem pater vocat Benjamin, moritur. Tertio, vers.* 27, *moritur Isaac.*

1. Interea locutus est Deus ad Jacob : Surge, et ascende Bethel, et habita ibi, facque altare Deo, qui apparuit tibi quando fugiebas Esau fratrem tuum. 2. Jacob vero convocata omni domo sua, ait : Abjicite deos alienos qui in medio vestri sunt, et mundamini, ac

mutate vestimenta vestra. 3. Surgite, et ascendamus in Bethel, ut faciamus ibi altare Deo, qui exaudivit me in die tribulationis meæ, et socius fuit itineris mei. 4. Dederunt ergo ei omnes deos alienos quos habebant, et inaures quæ erant in auribus eorum : at ille infodit ea subter terebinthum, quæ est post urbem Sichem. 5. Cumque profecti essent, terror Dei invasit omnes per circuitum civitates, et non sunt ausi persequi recedentes. 6. Venit igitur Jacob Luzam, quæ est in terra Chanaan, cognomento Bethel : ipse et omnis populus cum eo. 7. Ædificavitque ibi altare, et appellavit nomen loci illius, Domus Dei : ibi enim apparuit ei Deus cum fugeret fratrem suum. 8. Eodem tempore mortua est Debora, nutrix Rebeccæ, et sepulta est ad radices Bethel subter quercum : vocatumque est nomen loci illius, Quercus fletus. 9. Apparuit autem iterum Deus Jacob postquam reversus est de Mesopotamia Syriæ, benedixitque ei, 10. dicens : Non vocaberis ultra Jacob, sed Israel erit nomen tuum. Et appellavit eum Israel, 11. dixitque ei : Ego Deus omnipotens, cresce, et multiplicare : gentes et populi nationum ex te erunt, reges de lumbis tuis egredientur. 12. Terramque quam dedi Abraham et Isaac, dabo tibi et semini tuo post te. 13. Et recessit ab eo. 14. Ille vero erexit titulum lapideum in loco quo locutus fuerat ei Deus : libans super eum libamina, et effundens oleum : 15. vocansque nomen loci illius, Bethel. 16. Egressus autem inde, venit verno tempore ad terram quæ ducit Ephratam : in qua cum parturiret Rachel, 17. ob difficultatem partus periclitari cœpit. Dixitque ei obstetrix : Noli timere, quia et hunc habebis filium. 18. Egrediente autem anima præ dolore, et imminente jam morte, vocavit nomen filii sui Benoni, id est, filius doloris mei; pater vero appellavit eum Benjamin, id est, filius dextræ. 19. Mortua est ergo Rachel, et sepulta est in via quæ ducit Ephratam, hæc est Bethlehem. 20. Erexitque Jacob titulum super sepulcrum ejus : Hic est titulus monumenti Rachel, usque in præsentem diem. 21. Egressus inde, fixit tabernaculum trans Turrem gregis. 22. Cumque habitaret in illa regione, abiit Ruben, et dormivit cum Bala, concubina patris sui : quod illum minime latuit. Erant autem filii Jacob duodecim. 23. Filii Liæ : primogenitus Ruben, et Simeon, et Levi, et Judas, et Issachar, et Zabulon. 24. Filii Rachel : Joseph et Benjamin. 25. Filii Balæ, ancillæ Rachelis : Dan et Nephtali. 26. Filii Zelphæ, ancillæ Liæ : Gad et Aser. Hi sunt filii Jacob, qui nati sunt ei in Mesopotamia Syriæ. 27. Venit etiam ad Isaac patrem suum in Mambre, civitatem Arbee : hæc est Hebron, in qua peregrinatus est Abraham et Isaac. 28. Et completi sunt dies Isaac centum octoginta annorum. 29. Consumptusque ætate mortuus est, et appositus est populo suo senex et plenus dierum : et sepelierunt eum Esau et Jacob filii sui.

Vers. 1. 1. INTEREA. — Cum mœstus Jacob et anxius timet et exspectat Chananæorum incursum, ob cædem Sichimitarum, mox Deus hunc illi metum adimit, eumque solatur et corroborat. Ita S. Chrysostomus.

FACQUE ALTARE, — ex lapide quem unxisti, et erexisti in titulum, cap. XXVIII, vers. 18.

Vers. 2. 2. ABJICITE DEOS ALIENOS. — Nulli proprie sunt dii alieni : solus enim Deus fidelium, est vere Deus; dicuntur tamen dii alieni, alii scilicet a Deo vero; vel potius, ut Hebræa habent, אלוהי נכר *elohe nechar*, id est dii alienorum, quos scilicet colunt alienigenæ, puta Gentes idololatræ et paganæ.

Hinc patet in familia Jacob fuisse idola et idololatras. Et quid mirum? habitarat enim in domo Laban idololatræ per 20 annos, inde uxores et famulos abduxerat, unde et Rachel fugiens furata est idola patris sui, cap. XXXI, vers. 19; forte etiam ex recenti præda Sichimorum, idola eorum famuli Jacob abstulerant, ut vult Procopius. Jam per novennium a discessu ex Haran, Jacob habitarat, vel potius peregrinatus erat in Chanaan, nec otium et commoditatem habuerat familiam suam ab idolis et idololatria expurgandi : hanc nunc captat ex metu Chananæorum, quo omnes perculsi erant, ob stragem editam in Sichimis : metus enim docet homines Deum agnoscere et ad eum confugere. Discant hic a Jacob præsides et concionatores in publica clade, calamitate et metu captare occasionem per pias leges et exhortationes Rempublicam et populum a vitiis suis expurgandi, ut ita metu hoc et calamitate a Deo liberentur. Metus ad Deum adducit.

MUNDAMINI, AC MUTATE VESTIMENTA, — pro vestibus induite saccum, sive cilicium in signum pœnitentiæ. *Secundo* et melius, *q. d.* Pro vestibus communibus et sordidis, mundas et festivas induite, ut iis animi munditiem et novitatem profiteamini, vosque comparetis et excitetis ad instans sacrificium et festum, ut ad illud mundo et decenti habitu accedatis : uti jam faciunt fideles in Dominicis et festis. Hoc enim significat τὸ *mundamini*. Fuit ergo hæc munda et nova vestis symbolum pœnitentiæ, resipiscentiæ et religionis, quo protestabantur se abjectis idolis, unum Deum velle colere, et novam piamque in unius Dei cultu inchoare vitam. Sic *Exodi* XIX, 10, jubet Deus, ut Hebræi in pentecoste accepturi legem in Sina vestem communem in mundam et festivam commutent.

Mutatio vestium symbolum renovationis animi.

Tropologiam vide apud Rupertum et S. Chrysostomum, *homil.* 59, ubi docet exemplo Jacob, parentes potius laborare debere ut filios pie educent, quam ut eis opes congregent. Quare « enim, ait, et tibi ipsi hæc onera spinarum congregas, et filiis tuis materiam malitiæ te relinquere non sentis? nescis quod Dominus majorem curam pueri tui gerat? an nescis quod juventus per se ad ruinam proclivis est, quando autem et opum affluentiam acceperit, multo magis ad malum proruit? Sicut ignis cum fomitem invenit, validioribus flammis exurgit, ita et quando in juvenem materia pecuniarum inciderit, tantam accendit fornacem, ut animam juvenis totam flagrare faciat incontinentia et intemperantia. »

Vers. 3. 3. SOCIUS FUIT ITINERIS MEI, — duxque comesque viæ: dux in itu in Haran, redux in reditu in Chanaan.

Vers. 4. 4. INAURES, — quibus idola, instar hominum, in auribus ornabantur. Unde *secundo*, Augustinus vocat eas phylacteria deorum. Idem docet S. Chrysostomus, hom. 35 *in Gen.*, Lyranus et utraque Glossa. Paulo aliter Gaspar Sanchez in *Isaiæ* cap. XLIV, num. 20; censet enim has inaures fuisse non idolorum, sed famulorum auribus appensas, sed habuisse insculptas effigies vel signa idolorum, quæ ante coluerant, adeoque a Jacob cum idolis fuisse defossas. Sic enim Gentiles in annulis, armillis, gemmis aut laminis e collo pendentibus deorum suorum imagines gestabant, unde hoc postea vetuit Pythagoras, uti et Clemens Alexandrinus, lib. III *Pædag.* cap. XI. Sic *Osee* cap. II, ait : « Auferat adulteria sua de medio uberum suorum, » quia inter ubera, et supra cor laminam gestabat, aut bullam, in qua adulteria, id est idola, cælata erant. E contrario sponsæ jubet sponsus, *Cant.* VIII : « Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, » scilicet ut sponsa cor et brachium sponsi sui imagine consignet, cælata nimirum in tabula cordis, aut in brachiorum armillis. Hinc Judæi pii Dei legem et professionis suæ insignia in annulis, bullis et torquibus circumferebant, juxta illud *Proverb.* VII : « Liga ea in digitis tuis, scribe ea in tabulis cordis tui (1). »

INFODIT. — Prius confracta, vel liquefacta, prout fecit Moses, *Exodi* XXXII, 20, et Ezechias IV *Reg.* XVIII, 4. Potuisset Jacob materiam, puta aurum, argentum, æs in usum alium, etiam sacrum (licet id neget Abulensis) convertere; sed noluit, ne quod superesset vestigium idololatriæ, utque suis ejus execrationem ingeneraret, discerentque omnes idola abominari, quasi anathemata.

SUBTER TEREBINTHUM. — Hebræum אלה *ela*, et quercum et terebinthum significat. Andreas Masius in *Josue* cap. ult., vers. 26, putat hanc esse *ela*, id est quercum, vel terebinthum *More*, id est illustrem, in qua Abraham primo aram Deo erexit, *Genes.* XII, 6, et juxta quam Abimelech consecratus est rex, *Judic.* cap. IX, 6; ideoque sub ea, quasi sacra a tempore patrum et avorum, Jacobum idola suorum defodisse. Fuit ergo hæc *ela* Sichem,

Religione patrum multos servata per annos,

quin et sacrata. Nam et Josue juxta eam fœdus inter Deum et populum sanxit, *Josue* cap. ult., vers. 26.

5. TERROR DEI INVASIT OMNES. — Immisit Deus hunc sacrum, et quasi panicum terrorem in Chananæos, ne ex Sichem abeuntem, et quasi fugientem Jacobum auderent invadere, et ulcisci stragem Sichimorum. Vide, ait S. Chrysostomus, quid mereatur timor Isaac et Jacob, quo ipse timuit Deum, scilicet ut vicissim Deus faciat eum omnibus terribilem. « Nam quando Deus nobis bene voluerit, e medio tolluntur terribilia omnia. Sicut enim justo fiduciam dedit, ita illis dedit metum, » ut licet multi et conglobati, paucos tamen et invalidos aggredi non sint ausi. Idem Dei præsidium sæpe experiuntur viri pii in itineribus, dum in latrones vel prædones incidunt. Vers. 5.

6. OMNIS POPULUS, — ampla et populosa ejus familia. Vers. 6.

7. APPELLAVIT NOMEN LOCI ILLIUS, DOMUS DEI. — Locus hic prius a Jacobo vocatus est Bethel, cap. XXVIII, vers. 29; hic ergo loco nomen a se inditum iterat et confirmat, simulque illud altari ibidem recens a se ædificato communicat. Altare ergo vocavit, eique Hebræum nomen, quasi titulum inscripsit, *el bethel*, id est Deus fortis Bethel, hoc est altare dicatum Deo Bethel, sive Deo, qui in Bethel, quasi in domo sua, habitat, quique Vers. 7.

Altari inscriptum Deo forti Bethel.

(1) « Duplex, inquit Clericus, fuit inaurium genus, quorum alterum ornamenti causa a mulieribus potissimum gestabatur, de quo hic sermo non est; alterum quod sacrum habebatur, et amuleti instar, ad malum quodpiam averruncandum, etiam a viris solebat geri. Fortasse *Talismanorum* ritu sub certo sidere figuris quibusdam erant sculptæ, quibus eam vim inesse idololatræ existimabant. Eam superstitionem Augustini adhuc ævo inter Christianos quosdam Afros viguisse, ex ejus *Epist.* CCXLV patet. »

mihi ibi quasi fortissimus apparuit, suaque fortitudine me contra Esau, Sichimitas, omnesque hostes et terrores corroboravit. Vide dicta cap. XXVIII, vers. 19.

Vers. 8. 8. DEBORA. — Fuit hæc nutrix Rebeccæ, matris Jacobi, quæ cum ea ex Haran venit in Chanaan ad Isaacum. Tradunt Hebræi hanc Deboram a Rebecca remissam esse in Haran, ut inde revocaret Jacobum, ac in itinere, dum cum Jacobo redit, mortuam esse, ut hic dicitur.

AD RADICES BETHEL. — Bethel ergo in monte erat sita (1).

QUERCUS FLETUS, — quia Jacob cum suis ibi planxit mortem Deboræ.

Vers. 9. 9. APPARUIT AUTEM ITERUM DEUS JACOB. — Paulo ante apparuerat ei, jubens eum pergere in Bethel, nunc cum in Bethel pervenit, ibi eidem rursus apparet. Ita Septuaginta. « Hæc est tertia apparitio, inquit Hugo Cardinalis, qua Dominus apparuit Jacob. *Primo* enim apparuit fugienti Esau, innixus scalæ. *Secundo*, redeunti de Mesopotamia in lucta. *Tertio*, hic in Bethel. In quo significatur triplex apparitio Christi. Apparet enim dormientibus in contemplatione : apparet et luctantibus in tribulatione : apparet tandem viventibus in æterna benedictione. De *prima* dicit S. Bernardus : Christus videri vult, non videre; quasi strenuus dux, devoti militis vult vultum sustolli in sua vulnera : sua non sentiet, dum illius intuebitur vulnera Christi miles. Hoc est videre Christum innixum scalæ, unde dicit Apostolus, *Hebr.* cap. XII : Aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta. De *secunda* dicit idem S. Bernardus : Sustinuit te dilectus; sustine tu dilectum. Non illum vicere peccata tua, te quoque illius flagella non superent, et obtinebis benedictionem. De *tertia* dicitur I *Cor.* XIII : Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem; et *Psal.* XVI : Satiabor cum apparuerit gloria tua. »

Triplex apparitio Dei et Christi.

BENEDIXITQUE EI, — vocando eum Israel, nova promissa, novos animos, novum robur, nova gratiæ dona ei indendo.

Vers. 10. 10. NON VOCABERIS ULTRA JACOB, SED ISRAEL. — Quæres, cur hic nomen Israel iterato inditur Jacobo? Respondet Cajetanus nomen Israel hic iterari alio sensu, ob novum beneficium Jacobo hic promissum, scilicet quod posteri sui futuri essent Israel, id est principes cum Deo, uti vertit Aquila, Symmachus et Theodotion, puta haberent et retinerent suum regnum et imperium quamdiu ipsi manerent Israel, id est, quamdiu ipsorum dominaretur Deus, *q. d.* Vocaberis « Israel, » id est, dominabitur Deus : promitto enim tibi tuisque posteris, quod, quamdiu in eorum cordibus per veram fidem, religionem et pietatem me dominari sinent, tamdiu erunt Israel, id est, principes cum Deo, quia a Deo obtinebunt suum dominatum, principatum et regnum; quando autem abjicient a se dominium Dei, nolentque Deo subesse, tunc pariter perdent quoque suum principatum et regnum terrenum.

Cur hic Jacob secundo inditur nomen Israel ? Resp. Cajetani.

Verum ex ipsis verbis liquet nomen Israel non alio, sed eodem sensu hic indi Jacobo, quo ei inditum est cap. XXXII, vers. 28, et ita passim docent Interpretes; et licet aliqui putent ibi hoc nomen tantum promitti, hic vero reipsa indi Jacobo : tamen verius est illud ibi indi, hic vero repeti et confirmari ob novam rationem et causam.

Rejicitur.

Dico ergo, sicuti cap. XXXII, Jacob anxius propter Esau, ita hic anxius propter Sichimitas et Chananæos, ne stragem suorum ulciscerentur, seque invaderent, confortatur a Deo, ne timeat, fitque et dicitur Israel, id est Deo, et per Deum Esau, Sichimitis omnibusque suis hostibus dominans. Rursum dicitur Israel, quasi futurus totius terræ, scilicet Chananææ, dominus, gentium et regum pater, ut patet vers. 11 et 12; et juxta hoc admitti potest prior expositio Cajetani. « Unde quod ait : « Non ultra vocaberis Jacob, » sensus est, *q. d.* Deinceps non eris tantum Jacob, id est supplantans Esau, sed Israel, id est Deo, et per Deum omnibus dominans et prævalens, ut potius vocandus sis Israel, quam Jacob.

Resp. vera. Prima Causa. Secunda.

Pari modo ob novam hanc secundam visionem et apparitionem Dei, secundo idem nomen loco imponit Jacob, eumque vocat Bethel, id est domus Dei. Unde « credit Abulensis eum ex fortitudine et victoriis duo illa nomina sortitum, Jacob et Israel, luctator scilicet, ac videns Deum : nam velut alter Hercules luctatus est cum plurimis laboribus, cum fratris minis, cum ingratitudine Laban : rursum cum timore fratris, cum angelo tota nocte, cum seditionibus liberorum apud Sichimitas, cum nece Joseph illata, ut putavit, a fera pessima, cum famis acerbitate, cum dolore ob Benjamin ductum pro alimonia, ut omittam alia. Verus plane Jacob, verus luctator; sed nihilominus Israel verus, verus Deum videns : nam septies Deum, sive angelum vidit. *Primo*, cum apparuit ei in scala, *Genes.* XXVIII. *Secundo*, in Mesopotamia, cum demonstravit fœturam pecorum, *Genes.* XXX. *Tertio*, cum jussit eum Deus abire e Mesopotamia, *Genes.* cap. XXXI. *Quarto*, cum castra angelorum vidit ad sui defensionem parata, *Gen.* XXXII. *Quinto*, cum sub specie viri luctantem ex-

(1) Pro *subter quercum*, hebr. est, sub *terebintho illa*, scil. nota aut celebri, quod præpositum ה demonstrativum indicat. Quod justorum nutrici persolutus honos hic commemoratur, ne cui historiæ gravitate minus dignum videatur, cogitandum est, nutricis in vetere vita ut educandis pueris præcipuam operam, ita magnam fuisse reverentiam, ut parentali pietate coleretur. Res imprimis in Græcorum tragicis obvia. Hinc in ipso lib. VII *Æneidos* initio hæc legimus :

> Tu quoque littoribus nostris, Æneia nutrix,
> Æternam moriens famam, Cajeta, dedisti;
> Et nunc servat honos sedem tuus, ossaque nomen
> Hesperia in magna, si qua est ea gloria, signat.

pertus est. *Sexto,* cum post cædem Sichimitarum jussit eum Deus abire Bethel, et ibi sacrificare, *Genes.* XXXV. *Septimo,* cum iterum imposuit illi nomen Israel, *Genes.* XXXV. Fuerunt autem hujusmodi visiones cum specialibus gratiæ favoribus conjunctæ, quibus Deus laborum intermixtas amaritudines egregie temperabat : adeoque factum est, ut idem homo Jacob simul, et Israel, quasi quædam luctarum visionumque Dei statera fuerit, » ait Fernand., *Visione* 2.

Tertio. Tropologice. *Tertio,* S. Thomas, Lyranus et Abulensis : Jacob, inquiunt, hic vocatur Israel : quia Deus hic evexit Jacobum, ut qui hucusque Jacob, id est supplantator, vitam activam et luctantem egerat, contra hostes et vitia dimicando, nunc contemplativam agat, sitque Israel, id est videns Deum, vel regnans cum Deo, vel fortis cum Deo, ita ut eum a Deo, Deique contemplatione nulla res abstrahere possit, fiatque ex ea insuperabilis, et omnium hostium visibilium et invisibilium victor. Hic sensus verus est et pius, sed tropologicus.

Quarto. Anagogice. *Quarto,* S. Augustinus, Quæst. CXIV : Jacob, inquit, id est supplantator, significat certamina et labores præsentis vitæ : Israel vero, id est videns Deum, significat præmium futuræ beatitudinis et visionis Dei. Sed et hoc pariter symbolicum et anagogicum est.

Vers. 11. 11. EGO DEUS OMNIPOTENS, — qui quod promitto, præstare possum, et præsto : hebraice est *Saddai,* de quo dixi cap. XVII, vers. 1, *q. d.* Tibi, o Jacob, me exhibeo ut Saddai, id est ferens mammam, ut ex ea sugas incrementum et multiplicationem : cresce ergo, et multiplicare. Repetit hic Deus promissiones, quas cap. XXVIII, XXXI et XXXII audivimus, ne propter stragem Sichimorum a filiis perpetratam, Jacob putet eas revocasse Deum, maxime tres, de quibus dubitari poterat. Nam *primo,* gravabat Jacob, quod ipse cum suis pauci essent, et tamen tam multos haberet adversarios; contra hoc audit : « Cresce et multiplicare : gentes et populi nationum ex te erunt. » *Secundo,* gravabat eum, quod eum finitimis odiosum fecerant filii; contra hoc ei dicitur : « Reges e lumbis tuis egredientur : » non ergo eris odiosus, nec despectus. *Tertio,* timebat ne finitimi congregati ipsum e terra pellerent; contra hoc audit : « Terram (hanc) dabo tibi. » Vere ergo dicere potuit Jacob : « Secundum multitudinem dolorum meorum, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. » Vide ergo quod justis omnia subjiciuntur, ut et ipsi subjiciantur Deo.

GENTES ET POPULI NATIONUM EX TE ERUNT. — Duodecim enim tribus ex te proseminandæ ita crescent, ut multis gentibus et populis æquentur.

Vers. 12. 12. TIBI ET SEMINI TUO. — *Et* est exegeticum, significatque *id est;* non enim Jacobo, sed semini, id est posteris ejus, tradidit Deus Chananæam sub Josue.

Vers. 14. 14. EREXIT TITULUM, — qui simul esset titulus, itulus id est, monumentum hujus apparitionis et promissionis divinæ, et simul esset altare; unde super eum Jacob sacrificat et libat, id est effundit in honorem Dei libamina, puta vini aliquot mensuras (1). erat altare.

EFFUNDENS OLEUM, — ad consecrationem altaris. Vide dicta cap. XXVIII, vers. 18.

Vers. 16. Quid hebr. *kibrat?* 16. VERNO TEMPORE. — Hebr. est כברת *kibrat,* quod R. Menachem accipit per metathesin, ut sit idem quod *ke rab,* id est quasi multum, *q. d.* Cum multum magnumque superesset iter Ephratam usque.

Secundo, R. Salomon vult *kibrat* esse nomen mensuræ, significareque milliare, vel leucam, *q. d.* Cum leuca superesset Ephratam usque.

Tertio, optime Noster *kibrat* deducit a ברר *bara,* id est cibare, vel frumentum proferre (inde enim בר *bar* vocatur far, sive frumentum), et *caph* servili, quod *secundum,* vel *juxta* significat, *q. d.* Juxta tempus quo terra cibum et segetes effert et profert, quod S. Hieronymus aliquando tempus viridationis, aliquando vernum, aliquando electum vocat, derivando *kibrat,* non a *bara,* sed a בור *bur,* quod eligere significat.

Notat Moses, in morte Rachelis fuisse vernum tempus, ut innuat propter auram veris tepidiorem, non licuisse Jacobo cadaver Rachelis, ne putresceret, Hebronem perferre, ut ibidem in sepulcro Abrahæ et Saræ sepeliretur.

Tradunt Hebræi Rachelem mortuam esse anno ætatis 36; sed quia Rachel nubilis erat, cum primo Jacob ad eam venit ad puteum in Haran, Jacob autem in Haran mansit 20 annis, et post reditum ex Haran, decennio cum ea huc usque habitavit in Chanaan : hinc patet Rachelem in morte fere quinquagenariam fuisse.

Vers. 18. 18. BENJAMIN. — Rachel moriens filium vocavit *Benoni,* id est filium doloris; sed pater Jacob vocavit eum *Benjamin,* idque post mortem matris, ut ostenderet se æquo animo illam ferre, utque hunc filium et fratres ad idem excitaret, hac spe et nomine, quod futurus esset Benjamin, id est filius dexteræ, hoc est felix ac validus, licet in senectute patris esset genitus : dextera enim symbolum est roboris et felicitatis. Sic Hebræi mulierem vel virum dexteræ aut virtutis, vocant eum, qui strenuus est, acer et fortis. Benjamin filius dexteræ, id est felix et fortis.

Veterum opinio fuit, felices fore proles; quæ matre enecta in lucem prodiissent, et talis fuit Scipio Africanus, et Julius Cæsar, Cæsarum primus, quem a cæso matris utero (licet alii a cæsarie, alii aliunde) Cæsarem nuncupatum volunt : talis fuit et Benjamin.

Quam validi fuerint posteri Benjamin, patet ex bello, quod ipsi soli contra cæteras omnes tribus gesserunt, *Judic.* XX, 16.

(1) Jacobus idem hoc loco fecit, quod ante viginti annos, cum e terra Chanaan discederet. Nam statua, quam tunc a fratre fugiens erexerat, nunc potuit aut injuria temporum, aut etiam incolarum, magna ex parte disjecta esse, aut tota, ut nulla ejus vestigia remanserint, ideoque renovanda fuerit. Ita multi.

Secundo, Benjamin id est patri charissimus.

Secundo, vocatus est Benjamin, id est filius dexteræ, quia fuit patri charissimus : parentes enim maxime diligunt minimos, quos ultimo loco et in senectute sua genuerunt, eosque inter genua, vel ad dexteram suam collocant.

Benjamin sedecim annis junior Josepho.

Natus est Benjamin anno Jacobi 107; fuit ergo Josepho junior sedecim annis : hic enim natus est anno Jacobi 91, ac consequenter eodem anno quo natus est Benjamin, venditus est Joseph, puta anno ætatis suæ 16, de quo rursum vers. 28.

S. Paulus est Benjamin.

Allegorice, Rachel est Synagoga, Benjamin est Christus et Apostoli, ac præsertim S. Paulus ex Benjamin prognatus, inquit Cyrillus : huic enim Christiano et Apostolo effecto invidit et indoluit mater Synagoga; sed Pater cœlestis fecit eum Benjamin, ut scilicet omnes hostes fortissime sibi subigeret, utque moriens sederet a dextris ejus in cœlis. Ita Rupertus.

Vers. 19.

19. VIA QUÆ DUCIT (a Jerusalem metropoli) EPHRATAM, HÆC EST BETHLEHEM. — Hæc urbs primo dicta est Ephrata, ab Ephrata uxore Caleb, I *Paral.* II, 24, quam Hebræi putant fuisse Mariam sororem Mosis, sed falso. Hæc urbs postea dicta est Bethlehem, id est domus panis, a fertilitate quæ ibi fuit, post famem quæ acciderat tempore Elimelech, ut habetur in libro Ruth, inquit Lyranus. Similiter Ephrata hebraice significat fertilem, fructiferam, a radice פרה *para*, id est fructificavit; est enim hic locus fertilis.

Bethlehem vocata est a fertilitate.

Benjamin est Christus.

Sicut Rachel Benjaminum, ita B. Virgo peperit Christum in Bethlehem, quia Christus panis est et deliciæ hominum et angelorum. Christum, inquam, quasi suum Benoni, id est virum dolorum, peperit in summa vilitate et paupertate; quem proinde Pater cœlestis suum fecit Benjamin. Ita S. Hieronymus, qui ea de causa cum S. Paula in Bethlehem commigravit. Audi eum in *Epitaphio S. Paulæ* : « Jurabat, ait, Paula se in Bethlehem oculis fidei cernere infantem pannis involutum, vagientem in præsepio Dominum, Magos adorantes, stellam fulgentem desuper matrem virginem, nutricium sedulum, pastores nocte venientes, mixtisque gaudio lacrymis loquebatur : Salve, Bethlehem domus panis, in qua natus est ille panis qui de cœlo descendit. Salve, Ephrata, regio uberrima, cujus fertilitas Deus est. Ecce audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis silvæ, hæc requies mea, quia Domini patria est : hic habitabo, quoniam Salvator elegit eam. »

S. Paula vidit Christum in Bethlehem.

Vers. 20.

20. EREXITQUE JACOB TITULUM. — Brochardus tradit titulum hunc, sive monumentum Rachelis, fuisse pyramidem perelegantem, in cujus basi dispositi erant duodecim lapides prægrandes, juxta numerum duodecim filiorum Israel.

Vide hic pervetustum ritum erigendi titulos et epitaphia, in memoriam defuncti, juxta sepulcra, inter quæ primum quod in Scriptura invenimus, est hoc Rachelis. Ita Simon Machabæus magnificum monumentum erexit super sepulcrum patris et fratrum, I *Machab.* XIII, 30. S. Hieronymus scribit se ad mausolæum Davidis regis precari solitum, epist. *ad Marcellam*; de quo et ait S. Petrus : « Et sepulcrum ejus apud nos est, » *Actor.* II, 29. Audi Prudentium in passione Hippolyti :

> Plurima litterulis signata sepulcra loquuntur
> Martyris aut nomen, aut epigramma aliquod.

Vers. 21.

21. TRANS TURREM GREGIS. — Putant Hebræi hunc locum esse Jerusalem et Sion, sive locum templi, ex eo quod Jerusalem a Michea, cap. IV, vers. 8, vocetur turris gregis. Verum Michæas eam ita vocat per tropum, ænigmatice et parabolice : nam turris *Eder*, id est gregis, mille tantum passibus distat a Bethlehem; Jerusalem vero a Bethlehem distat sex millibus passuum. Turris ergo gregis est locus pascuis uberrimus, ubi proinde copia erat gregum, situs inter Hebron et Bethlehem, ubi et Jacob gregem suum pavit. Ita S. Hieronymus in *Epitaphio S. Paulæ*, Eucherius, Rupertus. Unde S. Hieronymus, Tostatus, Adrichomius et alii putant, juxta hanc turrim apparuisse angelum pastoribus, vigilantibus super gregem suum, eisque nuntiasse ortum Christi. Hinc et S. Helena, mater Constantini Magni, apud hanc turrim insigne extruxit templum, sub nomine SS. Angelorum.

Ubi turris Eder, id est gregis ?

Hic angeli nuntiarunt pastoribus Christi ortum.

Vers. 22.

22. RUBEN DORMIVIT CUM BALA. — Hinc pater Jacob spoliavit Ruben sua primogenitura, eique moriens maledixit, *Genes.* XLIX, 4. Balam autem deinceps Jacob deseruit, nec eam amplius attigit, utpote hoc incestu pollutam : sicuti David abstinuit concubinis, quas Absalon incestarat, II *Reg.* XVI, 22. Sexta hæc fuit crux et afflictio Jacobi : quinta enim fuit mors Rachelis, vers. 19.

Vers. 26.

26. QUI NATI SUNT EI IN MESOPOTAMIA. — Scilicet undecim nati sunt in Haran, sed unus Benjamin excipitur : hic enim natus est in Chanaan, juxta Bethlehem. Ita S. Augustinus, Quæst. CXVII. Minus ergo recte S. Cyrillus, Chrysostomus, Procopius ex hoc loco censent Benjamin conceptum esse in Haran, sed natum in Chanaan : nam natus est Benjamin decennio post exitum Jacobi ex Haran et habitationem in Chanaan. Recenset hic Moses posteros Israelis, quasi semen electum, ut eos opponat posteris Esau, quasi rejectitiis, quos recenset cap. sequenti.

Vers. 27.

27. CIVITATEM ARBEE, — in Cariatharbe, sive Hebron, uti habitabat, ita pariter mortuus et sepultus est Isaac. Tropologice S. Ambrosius ad Irenæum, *De Immolatione Ægypt.* : « Sequamur, ait, S. Jacobi vias, ut perveniamus ad eas passiones, ad eas congressiones, perveniamus ad patientiam (alludit ad matrem Jacob Rebeccam, quod nomen ipse interpretatur *patientiam*) matrem fidelium, et ad patrem Isaac, id est jucunditatis capacem, lætitia redundantem; ubi enim patientia, ibi lætitia, » *q. d.* Sicut conjugantur Rebecca et Isaac, sic copulantur patientia

et lætitia, ut lætitia quasi fidus maritus patientiam, quasi uxorem, nunquam deserat.

Vers. 28. Chronologia vitæ Jacobi et Isaaci.

28. COMPLETI SUNT DIES ISAAC CENTUM OCTOGINTA ANNORUM. — Nota seriem chronologiæ Jacobi et Isaaci : Jacob fugiens Esau ivit in Mesopotamiam, anno ætatis suæ 77. Hæsit ibi 20 annis ; inde rediit in Chanaan anno ætatis 97. Ibi peregrinatus est per decem annos : idque seorsum a patre Isaaco, quia uterque erat dives, habebatque copiam gregum, quibus unius ejusdemque loci pascua non suffecissent; intervisit tamen Jacob subinde patrem, tum per se, tum per famulos, nuntios et litteras. Post 10 annos, puta anno ætatis Jacobi 107, quo anno mortua est Rachel, et natus Benjamin, venit Jacob in Hebron, ad Isaac patrem suum jam senio deficientem, stabiliter cum eo mansurus : mansit cum patre 13 annos, post quos moritur Isaac annum agens 180, qui fuit Jacobi 120, Josephi 26.

Eodem anno quo mortua est Rachel, venditus est Joseph.

Rursum eodem anno quo mortua est Rachel, et natus Benjamin, qui fuit Jacobi 107, Joseph annum agens 16 a fratribus venditus, abductus est in Ægyptum. Moriente ergo Isaaco, anno ætatis suæ 180, Joseph in Ægypto agebat annum servitutis 13, ætatis 29, qui fuit annus a diluvio 527, a creatione mundi 2228. Est ergo hic hysterologia : nam præponitur hic mors Isaaci, quæ ordine temporis ponenda fuisset post venditionem Josephi, sub finem cap. XL *Genes.* Ita Abulensis, Pererius et alii.

Jacob supervixit Isaaco 27 annis.

Tertio, supervixit Jacob Isaaco patri 27 annis : mortuus est enim Isaac, cum Jacob ageret annum vitæ 120. Jacob autem mortuus est anno vitæ 147.

Anni climacterici Jacob.

Obiter observa hic annos climactericos vitæ Jacobi, scilicet 77 exilii in Haran, 84 nuptiarum cum Rachele et Lia, 91 nati Josephi, et 147 mortis. Omnes enim hi anni sunt septenarii, sive septimi, quos medici perhibent magnam homini mutationem afferre, uti Jacobo hic attulerunt.

Vers. 29.

29. CONSUMPTUSQUE ÆTATE, — deficiente calore naturali, et exarescente humido radicali, quod calorem naturalem pascit et conservat, sicut flamma lucernæ pascitur oleo.

APPOSITUS EST POPULO SUO, — patribus in limbo. Vide dicta cap. XXV, vers. 8. Vixit Isaac 180 annis, nos vivimus 60 aut 70. Vitam brevem esse queruntur homines, quia omnes aliis, pauci sibi vivunt : causa est, quia tanquam semper victuri vivunt. Cogitent saltem illud Senecæ : Tempus vitæ vel est, vel fuit, vel erit ; quod agimus, breve est ; quod acturi sumus, dubium ; quod egimus, certum. Quidni ergo ab hoc exiguo et caduco temporis transitu, in illa nos toto damus animo, quæ immensa, quæ æterna sunt; quis animum tuum post vitam locus, quæ sors exspectet, ubi post mortem te natura, imo Deus componat ?

CAPUT TRIGESIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describuntur hoc capite posteri, et vers. 15, *duces, et vers.* 31, *reges prognati ex Esau : tum quia ipse fuit filius Isaaci, et nepos Abrahæ; tum ut ostendatur benedictio Isaaci, illa data cap.* XXVII, *vers.* 39, *reipsa esse adimpleta; tum quia Idumæos cum Judæis in unam gentem coalituros, Deus ab illis pro fratribus haberi voluit*, Deut. XXIII, 7.

1. Hæ sunt autem generationes Esau, ipse est Edom. 2. Esau accepit uxores de filiabus Chanaan : Ada, filiam Elon Hethæi, et Oolibama, filiam Anæ filiæ Sebeon Hevæi; 3. Basemath quoque filiam Ismael, sororem Nabaioth. 4. Peperit autem Ada Eliphaz : Basemath genuit Rahuel ; 5. Oolibama genuit Jehus et Ihelon et Core : hi filii Esau, qui nati sunt ei in terra Chanaan. 6. Tulit autem Esau uxores suas et filios et filias, et omnem animam domus suæ, et substantiam, et pecora, et cuncta quæ habere poterat in terra Chanaan : et abiit in alteram regionem, recessitque a fratre suo Jacob. 7. Divites enim erant valde, et simul habitare non poterant : nec sustinebat eos terra peregrinationis eorum præ multitudine gregum. 8. Habitavitque Esau in monte Seir, ipse est Edom. 9. Hæ autem sunt generationes Esau, patris Edom in monte Seir, 10. et hæc nomina filiorum ejus : Eliphaz filius Ada uxoris Esau : Rahuel quoque filius Basemath uxoris ejus. 11. Fueruntque Eliphaz filii : Theman, Omar, Sepho, et Gatham et Cenez. 12. Erat autem Thamna, concubina Eliphaz filii Esau : quæ peperit ei Amalech : hi sunt filii Ada uxoris Esau. 13. Filii autem Rahuel : Nahath et Zara, Samma et Meza : hi filii Basemath uxoris Esau. 14. Isti quoque erant filii Oolibama, filiæ Anæ filiæ Sebeon, uxoris Esau, quos genuit ei : Jehus et Ihelon

et Core. 15. Hi duces filiorum Esau : Filii Eliphaz primogeniti Esau : dux Theman, dux Omar, dux Sepho, dux Cenez, 16. dux Core, dux Gatham, dux Amalech. Hi filii Eliphaz in terra Edom, et hi filii Ada. 17. Hi quoque filii Rahuel, filii Esau : dux Nahath, dux Zara, dux Samma, dux Meza : hi autem duces Rahuel in terra Edom : isti filii Basemath uxoris Esau. 18. Hi autem filii Oolibama uxoris Esau : dux Jehus, dux Ihelon, dux Core. Hi duces Oolibama, filiæ Anæ uxoris Esau. 19. Isti sunt filii Esau, et hi duces eorum : ipse est Edom. 20. Isti sunt filii Seir Horræi, habitatores terræ : Lotan, et Sobal, et Sebeon, et Ana, 21. et Dison, et Eser, et Disan : hi duces Horræi, filii Seir, in terra Edom. 22. Facti sunt autem filii Lotan : Hori et Heman ; erat autem soror Lotan, Thamna. 23. Et isti filii Sobal : Aluan et Manahat et Ebal, et Sepho et Onan. 24. Et hi filii Sebeon : Aia et Ana ; iste est Ana qui invenit aquas calidas in solitudine, cum pasceret asinos Sebeon patris sui, 25. habuitque filium Dison, et filiam Oolibama. 26. Et isti filii Dison : Hamdan, et Eseban, et Jethram, et Charan. 27. Hi quoque filii Eser : Balaan, et Zavan, et Acan. 28. Habuit autem filios Disan : Hus et Aram. 29. Hi duces Horræorum : dux Lotan, dux Sobal, dux Sebeon, dux Ana, 30. dux Dison, dux Eser, dux Disan : isti duces Horræorum qui imperaverunt in terra Seir. 31. Reges autem qui regnaverunt in terra Edom, antequam haberent regem filii Israel, fuerunt hi : 32. Bela filius Beor, nomenque urbis ejus Denaba. 33. Mortuus est autem Bela, et regnavit pro eo Jobab filius Zaræ de Bosra. 34. Cumque mortuus esset Jobab, regnavit pro eo Husam de terra Themanorum. 35. Hoc quoque mortuo, regnavit pro eo Adad filius Badad, qui percussit Madian in regione Moab : et nomen urbis ejus Avith. 36. Cumque mortuus esset Adad, regnavit pro eo Semla de Masreca. 37. Hoc quoque mortuo, regnavit pro eo Saul de fluvio Rohoboth. 38. Cumque et hic obiisset, successit in regnum Balanan filius Achobor. 39. Isto quoque mortuo, regnavit pro eo Adar, nomenque urbis ejus Phau : et appellabatur uxor ejus Meetabel, filia Matred filiæ Mezaab. 40. Hæc ergo nomina ducum Esau in cognationibus, et locis, et vocabulis suis : dux Thamna, dux Alva, dux Jetheth, 41. dux Oolibama, dux Ela, dux Phinon, 42. dux Cenez, dux Theman, dux Mabsar, 43. dux Magdiel, dux Hiram : hi duces Edom habitantes in terra imperii sui, ipse est Esau pater Idumæorum.

Vers. 2. 2. ADA, FILIAM ELON HETHÆI. —Nota viros et feminas olim fuisse polyonymos, ut dixi cap. XIX. Sic ergo quæ hic vocatur Ada, filia Elon Hethæi, *Genes.* XXVI, 34; vocatur Judith, filia Beeri; et quæ hic vocatur Oolibama, filia Anæ, ibi vocatur Basemath, filia Elon; rursum, quæ hic vocatur Basemath, capite XXVIII, vers. 9, vocatur Maheleth.

Vers. 6. 6. ET CUNCTA QUÆ HABERE POTERAT, — cunctam possessionem, quam acquisierat in terra Chanaan : ita Hebræa.

Esau cessit Chananæam Jacobo. ABIIT IN ALTERAM REGIONEM, — in Idumæam ; eo jam ante abierat Esau ob offensam parentum, ut patet cap. XXXII, vers. 3 ; sed mortuo patre, cum tota familia rediit ad patris funus in Hebron, quasi ibidem mansurus. Verum, cum gregibus abundaret, nec pascua utrique, puta sibi et fratri, sufficerent, ultro cessit fratri Chananæam, ipseque rediit in suam Idumæam. Ita S. Augustinus, Quæst. CXIX. Factum est hoc nutu Dei, qui Chananæam promiserat Jacobo.

Vers. 9. 9. HÆ AUTEM SUNT GENERATIONES ESAU, PATRIS EDOM, — patris Idumæorum, patet vers. 43. Insulse et imperitissime Aben Esra, et Rabbini, Edom putant esse Romam, et Pontificem Romanum vocant monachum Idumæum ; longe probabilius dicerent Idumæos esse Judæos, utpote sibi invicem tam moribus, quam situ et nomine vicinissimos : unde Plinius Idumæos vocat Judæos.

IN MONTE SEIR, — in Idumæa habitantis, vel potius quasi dicat : Hi sunt filii, id est nepotes, Esau, quos ejus filii nati in Chanaan, generarunt in Seir, id est in Idumæa. Deinceps enim Moses narrat nepotes Esau, illi natos ex suis filiis, jam habitantibus in Idumæa.

12. AMALECH. — Fuit ergo Amalech nepos Esau, ex Eliphaz : ab hoc orti sunt et dicti Amalecitæ. Vers. 12.

15. HI DUCES FILIORUM ESAU. — Hucusque recensuit Moses simpliciter filios et posteros Esau ; nunc recenset duces ex Esau prognatos : unde non mirum, si iidem iterato nominentur ; prius enim nominati fuerunt simpliciter ut filii, hic vero nominantur ut duces. Vers. 15.

Nota : Hic recensentur duces, vers. vero 31 reges, rursum vers. 40 duces prognati ex Esau ; quia Idumæi primo amplexi sunt aristocratiam, in Aristocratia et monar-

chia Idumæorum. qua duces singuli suæ tribui et dynastiæ præsidebant, et regebant, non ex sua, sed ex optimatum sententia, uti facit Dux Venetorum; deinde amplexi sunt monarchiam, in qua regali jure toti Idumææ præerant reges; tertio iterum amplexi sunt aristocratiam, redieruntque ad suos duces. Porro tam duces, quam reges habuerunt electivos; unde regni successores ponuntur, non defunctorum filii, sed alii, ut annotavit Abulensis.

Vers. 20. 20. ISTI SUNT FILII (id est incolæ) SEIR HORRÆI, — *q. d.* Isti sunt incolæ montis, qui postea ab Esau dictus est Seir; incolæ, inquam, genere et gente Horræi, qui montem hunc incoluerunt ante Esau, quosque Esavitæ expulerunt, *Deuteron.* II, 12. Qui ergo in sequentibus nominantur, puta Lotan, Sobal, Sebeon, etc., Horræi fuerunt, non Esavitæ. Meminit Moses Horræorum, tum quia illi primi incolæ fuerunt Idumææ, tum quia ex eis uxores duxerunt Esavitæ. Nam Thamna, concubina Eliphaz, filii Esau, fuit soror Lotan Horræi, ut dicitur vers. 22. Ita S. Hieronymus.

Vers. 24. 24. ISTE EST ANA, QUI INVENIT AQUAS CALIDAS, DUM PASCERET ASINAS. — Pro *aquas calidas*, he-

Quid hebraice, *iemim?* braice est ימים *iemim*, quod Chaldæus vertit, *gigantes*. *Secundo*, Aquila, Symmachus et Septuaginta retinent Hebræum nomen, vertuntque *eamim*; *tertio*, « nonnulli, inquit S. Hieronymus in *Quæstion.*, arbitrantur, onagros ab Ana admissos esse ad asinas; et ipsum ejusmodi reperisse concubitum, ut velocissimi ex his asini nascerentur, qui vocantur jamim. Plerique putant, quod equarum greges ab asinis ipse fecerit primus ascendi, ut mulorum inde nova contra naturam animalia nascerentur. » Et hoc passim sequuntur Rabbini, Vatablus et alii, qui *jemim* mulos vertunt, illudque avide arripit Calvinus et Novantes, ut Vulgatam editionem criminentur et carpant.

Hebræi vertunt *mulos.* Unde acute, sed infideliter Robertus Stephanus in Vulgata editione, pro *aquas calidas* impressit *equas calidas*, et ad marginem addit, *id est mulos*, quos scilicet genuerint equæ calidæ cum asinis commixtæ. Addunt aliqui, quod, sicut תאומים *teomim*, id est gemelli, seu gemini, ita et *jemim* derivetur a verbo תמם *tamam*, id est consummare, perficere, quasi *jemim* dicantur muli, quia consummati et perfecti ex gemina, sive duplici animalium specie, puta ex equa et asino prognati.

Noster optime vertit *aquas calidas.* Resp. Prima. Secunda. Verum noster Interpres optime *jamim* vertit, « aquas calidas, » *primo*, quia in lingua Punica (quæ affinis est linguæ Hebrææ), teste S. Hieronymo, *jamim* significat aquas calidas; *secundo*, quia Noster non *jemim*, sed aliis punctis *jammim* legit, unde et S. Hieronymus legit *jamim* : *jammim* autem hebraice significat aquarum copiam, indeque mare, itaque vertunt hic et legunt Eusebius, Diodorus, Theodoretus, Procopius.

Tertia. *Tertio*, in Hebræo est חימים *haiammim*, pro quo legendum videtur חימים *chaiammim* : ח enim in vicinum ה detortum et depravatum videtur; nam Septuaginta retinentes nomen Hebræum, vertunt, *eamim*; solent autem ipsi Hebræum *chet* reddere per *epsilon*, unde pro *pesach* vertunt *phase*, pro *Corach Core*, pro *Therach Thare*. Jam *chaiammim*, compositum videtur ex חם *cham*, id est calidus, ימים et *jammim*, id est aquæ; proprie ergo *chaiammim* significat aquas calidas, quod nota : nam a nullo, quod sciam, hoc animadversum est.

Ana invenit thermas. Invenit ergo Ana in deserto thermas, quales sunt thermæ Aquenses, quæ calidæ sunt et medicinales, quia per sulphur venasque sulphureas labuntur et transeunt, itaque multis morbis, præsertim ortis ex pituita, medentur. Quare balneorum inventor fuit Ana. Ita Torniellus.

Tropologice B. Petrus Damianus lib. II, ep. 12 *ad Desiderium Abbatem Cardinalem* : « Quid est, inquit, per figuram, Ana in solitudine patris sui asinos pascere, nisi spiritalem quempiam virum cui Deus pater est, simplices fratres sub disciplinæ remotioris studio custodire? Et quid est aquas calidas invenire, nisi in compunctionis lacrymas, quæ de fervore Sancti Spiritus eliciuntur, erumpere? Onam siquidem dolor, vel tristitia eorum, sive etiam mussitatio, vel murmuratio interpretatur. Quisquis enim veræ compunctionis dolore tristatur, quasi sub quadam querula mussitatione adversum pravitatem vitæ suæ murmurare compellitur. Sebeon autem interpretatur stans in æquitate, quod Deo congruere nemo prorsus ignorat. Ipse quippe in æquitate principaliter stat, quia justitiæ rectitudine, nulla necessitate coactus exorbitat. Onam igitur, dum patris sui Sebeon asinos in solitudine pascit, aquas calidas reperit; quia quisquis se per vitæ rectitudinem Deo filium exhibet, ac de peccatis suis medullitus dolet, dum se reddit in pervigili fratrum cura sollicitum, divino munere percipit gratiam lacrymarum. »

Vers. 31. 31. ANTEQUAM HABERENT REGEM FILII ISRAEL. — Hæc verba videntur addita post Mosen ab eo qui Mosis diaria digessit; tempore enim Mosis nulla erat mentio regis in Israel. Vide dicta in proœmio Geneseos (1).

(1) « Gemina hic oritur difficultas. Una est, quomodo, si Moses hujus pericopæ auctor sit, scribere is potuerit : *Antequam imperaret rex Israelitis.* Quippe quæ verba ævi posterioris auctori magis, quam Mosi, convenire videntur. Altera, quomodo Moses sua ætate in texenda historia Idumaica primo integram 14 *phylarchorum Idumæorum* consecutionem, deinde 8 *regum* sibi invicem succedentium ordinem, tum vero rursus (vers. 40-3) 11 *phylarchorum*, qui rebus Idumæorum post reges præfuerunt, concatenatam scribere potuerit seriem? Vix enim fieri potuisse credibile est, ut ab Esavi excessu usque ad id tempus, quo Moses scripsit, quod inter et illum non multo plusquam duorum sæculorum intervallum fuerit, Idumæa tot duces, post duces vero reges, iterumque post reges duces habuerit. Respondet Michaelis in *Dissert. de Antiquiss. Idumæor. historia*, primum, verba illa *antequam imperaret* rex Israelitis, nihil obstare, quominus a Mose sint scripta, quum non ipse solum, verum etiam Israelitæ omnes, qui promissa divina Abra-

Vers. 33. Jobab est S. Job pronepos Esau.

33. JOBAB. — Hic est S. Job speculum patientiæ; licet enim Hebræi et S. Hieronymus velint S. Job natum esse ex Hus, filio Nachor, fratris Abrahæ: tamen verius est S. Job prognatum esse ex Esau, ejusque fuisse pronepotem. Esau enim genuit Rahuel, Rahuel genuit Zaram, Zara genuit Jobab, sive Job; unde ejus amicus fuit Eliphaz Themanites, primogenitus Esau. Est hæc sententia Septuaginta Interpretum in fine libri Job; est et Origenis, Philonis, S. Athanasii, Chrysostomi, Augustini, Theodoreti, Gregorii, Hippolyti, Irenæi, Eusebii, Tostati, Pererii et Pinedæ in cap. I *Job* vers. 1, numer. 31. Hinc patet S. Job regem fuisse in Idumæa, eumque ordine secundum.

S. Job fuit rex secundus in Idumæa. Natus est S. Job cum Jacob descendit in Ægyptum.

Patet *secundo*, S. Job natum esse sub id tempus, quo Jacob descendit ad Joseph in Ægyptum. Fuit enim Job tertius ab Esau; Esau autem duxit uxorem, et cœpit generare anno 40. Jacob autem descendit in Ægyptum anno 130, quando tertia erat generatio, qua natus est Job.

Vixit Job 210 annos.

Hinc *tertio*, sequitur S. Job vixisse usque ad tempora Mosis: vixit enim S. Job, ut minimum ducentos annos et decem, uti ostendit Pineda in *Job* XLV, vers. 16, num 3. Vixit ergo cum Mose ut minimum annos 75; nam a descensu Jacobi in Ægyptum, qui contigit anno Jacobi 130, sub quod tempus natus est S. Job, usque ad exitum Mosis et Hebræorum ex Ægypto, fluxerunt anni 215. Moses autem tunc erat 80 annorum: ergo, si demus natum esse Job anno Jacobi 130 atque vixisse 210 annos, consequenter dicere debemus eum cum Mose vixisse annis 75, et 5 annis ante egressum Mosis et Hebræorum ex Ægypto esse defunctum. S. Job vixit cum Mose 75 annos.

Vers. 37. 37. SAUL DE FLUVIO ROHOBOTH. — Hoc est, ut I *Paralip.* cap. I, vers. 48, dicitur: « Saul de Rohoboth, quæ juxta amnem sita est. » Unde patet Rohoboth esse urbem (1), sitam juxta amnem. Per amnem hunc nonnulli Euphratem fluvium in Scriptura celebrem, per antonomasiam intelligunt. Unde Chaldæus vertit, *Saul de Rohoboth, quæ est supra Euphratem* (2).

Vers. 40. 40. HÆC ERGO SUNT NOMINA DUCUM ESAU IN COGNATIONIBUS, ET LOCIS, ET VOCABULIS SUIS, — *q. d.* Hæc sunt nomina filiorum Esau, qui fuerunt duces et capita cognationum et tribuum habitantium in Idumæa, per loca et regiones sibi attributas, quas singuli a suo nomine vocarunt et indigitarunt. Ita Vatablus (3).

hamo, Isaaco atque Jacobo facta, fando acceperunt, persuasissimum habuisse credibile sit, fore ut Israelitis aliquando reges sint imperaturi, vid. cap. XVII, 5; XXVI, 3; XXXV, 11. Qua persuasione motum et legem regiam, *Deut.* cap. XVII, 14-20, Mosen Israelitis dedisse, et *Deut.* cap. XXVIII, 36, deportationem regis futuri prænuntiasse. Præterea quum verba לִפְנֵי מֶלֶךְ, etc., et de futuro et de præsenti tempore recte capi possint hoc sensu: *Priusquam regnaturus est*, seu *antequam regnat rex Israelitis* (conf. *Luc.* XXII, 15; *Joan.* XIII, 19; *Act.* XXIII, 15) nihil habere hæc verba, quod Mosen ab eorum scriptione excludat. Alterum quod attinet, quo minus hanc περιοχήν a Mose consignatam posse judicant, quod series ducum regumque Idumæorum hic descripta, multo sit amplior, quam quod intra angustum 238 annorum spatium tot duces et reges, atque post eos iterum duces, sibi invicem succedere potuerint, Michaelis respondet primum, sine ratione idonea sumi, apud gentem Idumæorum tres mutati regiminis formas sese invicem excepisse, atque duces illos, tam qui reges Idumæos antecesserunt, quam qui sequuti sunt illos, eo ordine, quo enumerantur a Mose, alios aliis successisse. Nam אלופים non tam *principes*, quam tribuum capita, sive *phylarchos* fuisse, non solos sumendos, sed cum suis tribubus, quibus præfuerant, nec vero successivos, sed simultaneos. Eos vero una cum regibus Idumæorum eodem tempore Mosis ætate exstitisse, patet e locis *Num.* XX, 14, et *Exod.* XV, 15, invicem collatis. Priori enim dicitur, misisse Mosen e Cadesch nuntios ad *regem* Idumæorum, hoc vero, consternatum iri *duces* Idumæorum, nempe cum suis tribubus, quibus illi phylarchi præerant. Præterea ad recte formandum de hoc regum Idumæorum catalogo judicium, haud parum juvabit observare, illos non sibi successisse per ordinem successionis filiorum in patrum locum, ut fere apud Judæos et Israelitas, sed vel electione, vel vi, ut quisque occupare et invadere regnum potuit. Nullus enim inter octo, qui hic recensentur, reges deprehenditur, qui filium habuerit in regno successorem, sed omnes ac singuli, ut natali solo, sic familia erant diversi. Neque peregrinos a consequendo in gentem suam imperio Idumæos exclusisse, colligitur ex urbibus ac regionibus in tabula illorum regum commemoratis; etenim non regias eas, sed natales ac patrias fuisse, eo est certius, quo incredibilius est, octo reges sibi invicem continuo succedentes omnes ac singulos voluisse novas regni sedes eligere... Inde autem, quod regnum Idumæorum hic descriptum et alienigenas (reges) admisit, et tale fuit, in quo reges electione creabantur, non hæreditario jure sibi invicem succedebant: porro sequitur, oportere id fuisse priscum illud et ad Mosis usque tempora deductum, non vero recentius illud Davidi et Salomoni coævum, utpote quod hæreditarium certæque Idumæorum familiæ adstrictum fuit. Cf. I *Reg.* XI, 14; II *Reg.* XIII, 27. Simul facilior hinc evadit conciliatio tot regum Idumæorum cum illo temporis spatio, quod ab Esavi excessu ad mortem usque Mosis effluxit: nam intra duorum sæculorum spatium potuisse octo reges imperium tenere, nemini incredibile videbitur. Ad probandum γνησιότητα hujus de Idumæorum regibus pericopæ, Michaelis denique et illud facere ait, quod, uti antea est observatum, tum cum Moses scripsit, Edomitis fuerunt et *reges* et *duces*. Hinc vero ita colligimus: si illæ hujus cap. partes, quæ de Idumæorum *ducibus* agunt, Mosen ipsum auctorem agnoscunt, ergo et hæc ejusdem cap. περιοχή, quæ de Idumæorum agit *regibus*; atqui partes illæ de Idumæorum *ducibus* Mosen ipsum auctorem habent, nemine id impugnante, saltem cum effectu: ergo et hæc de regibus illorum. Contraria assertio involveret absurdum aliquod, sanctissimo Scriptori impingendum, quasi Idumæorum *duces* quidem atque *polyarchos* describere operæ pretium duxisset, *reges* vero, qui majoris momenti erant, quique jam tum existebant, omisisset. » Hæc apposite Rosenmull. ad h. l.

(1) Vicus erat tempore Abulfedæ, sed turres antiquas aliaque monumenta servans, nocturnumque hospitium præbens ex Syria in Iracam euntibus. Arabes hanc urbem *Rahabah* vocant.

(2) Vers. 39. Alii cum Aben Esra vertunt, *Mectabet, filia Matredi* patris, et *filia Mezaabæ* matris.

(3) Quod hoc versu, et duobus proxime sequentibus, iterum *phylarchi* Idumæorum recensentur, alii alias afferunt rationes. Vid. Rosenmull. ad h. l.

CAPUT TRIGESIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Joseph narrat sua somnia; invident ei fratres, eique necem machinantur, sed liberat eum Ruben. Unde vers. 26, suadente Juda Josephum Madianitis, et hi eum Putiphari in Ægypto divendunt.

1. Habitavit autem Jacob in terra Chanaan, in qua pater suus peregrinatus est. 2. Et hæ sunt generationes ejus : Joseph cum sedecim esset annorum, pascebat gregem cum fratribus suis adhuc puer : et erat cum filiis Balæ et Zelphæ uxorum patris sui : accusavitque fratres suos apud patrem crimine pessimo. 3. Israel autem diligebat Joseph super omnes filios suos, eo quod in senectute genuisset eum : fecitque ei tunicam polymitam. 4. Videntes autem fratres ejus quod a patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui. 5. Accidit quoque ut visum somnium referret fratribus suis : quæ causa majoris odii seminarium fuit. 6. Dixitque ad eos : Audite somnium meum quod vidi : 7. Putabam nos ligare manipulos in agro, et quasi consurgere manipulum meum, et stare, vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum. 8. Responderunt fratres ejus : Numquid rex noster eris? aut subjiciemur ditioni tuæ? Hæc ergo causa somniorum atque sermonum, invidiæ et odii fomitem ministravit. 9. Aliud quoque vidit somnium, quod narrans fratribus, ait : Vidi per somnium, quasi solem, et lunam, et stellas undecim adorare me. 10. Quod cum patri suo et fratribus retulisset, increpavit eum pater suus, et dixit : Quid sibi vult hoc somnium quod vidisti; num ego et mater tua et fratres tui adorabimus te super terram? 11. Invidebant ei igitur fratres sui : pater vero rem tacitus considerabat. 12. Cumque fratres illius in pascendis gregibus patris morarentur in Sichem, 13. dixit ad eum Israel : Fratres tui pascunt oves in Sichimis : veni, mittam te ad eos. Quo respondente : 14. Præsto sum, ait ei : Vade, et vide si cuncta prospera sint erga fratres tuos, et pecora : et renuntia mihi quid agatur. Missus de valle Hebron, venit in Sichem : 15. invenitque eum vir errantem in agro, et interrogavit quid quæreret. 16. At ille respondit : Fratres meos quæro, indica mihi ubi pascant greges. 17. Dixitque ei vir : Recesserunt de loco isto : audivi autem eos dicentes : Eamus in Dothain. Perrexit ergo Joseph post fratres suos, et invenit eos in Dothain. 18. Qui cum vidissent eum procul, antequam accederet ad eos, cogitaverunt illum occidere; 19. et mutuo loquebantur : Ecce somniator venit : 20. venite, occidamus eum, et mittamus in cisternam veterem; dicemusque : Fera pessima devoravit eum; et tunc apparebit quid illi prosint somnia sua. 21. Audiens autem hoc Ruben, nitebatur liberare eum de manibus eorum, et dicebat : 22. Non interficiatis animam ejus, nec effundatis sanguinem; sed projicite eum in cisternam hanc, quæ est in solitudine, manusque vestras servate innoxias : hoc autem dicebat, volens eripere eum de manibus eorum, et reddere patri suo. 23. Confestim igitur ut pervenit ad fratres suos, nudaverunt eum tunica talari et polymita : 24. miseruntque eum in cisternam veterem, quæ non habebat aquam. 25. Et sedentes ut comederent panem, viderunt Ismaelitas viatores venire de Galaad, et camelos eorum portantes aromata, et resinam, et stactem, in Ægyptum. 26. Dixit ergo Judas fratribus suis : Quid nobis prodest si occiderimus fratrem nostrum, et celaverimus sanguinem ipsius? 27. Melius est ut venundetur Ismaelitis, et manus nostræ non polluantur : frater enim et caro nostra est. Acquieverunt fratres sermonibus illius. 28. Et prætereuntibus Madianitis negotiatoribus, extrahentes eum de cisterna, vendiderunt eum Ismaelitis, viginti argenteis : qui duxerunt eum in Ægyptum. 29. Re-

versusque Ruben ad cisternam, non invenit puerum : 30. et scissis vestibus pergens ad fratres suos, ait : Puer non comparet, et ego quo ibo? 31. Tulerunt autem tunicam ejus, et in sanguine hædi, quem occiderant, tinxerunt : 32. mittentes qui ferrent ad patrem, et dicerent : Hanc invenimus : vide utrum tunica filii tui sit, an non. 33. Quam cum agnovisset pater, ait : Tunica filii mei est, fera pessima comedit eum, bestia devoravit Joseph. 34. Scissisque vestibus, indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore. 35. Congregatis autem cunctis liberis ejus ut lenirent dolorem patris, noluit consolationem accipere, sed ait : Descendam ad filium meum lugens in infernum. Et illo perseverante in fletu, 36. Madianitæ vendiderunt Joseph in Ægypto Putiphari eunucho Pharaonis, magistro militum.

Vers. 2. 2. HÆ SUNT GENERATIONES EJUS (1), — Jacobi, *q. d.* Deinceps enarrabo posteros Jacobi, eorum casus, eventa et gesta, maxime Josephi, ut feci Esau cap. præcedenti. Hic enim incipit historia Josephi innocentissimi, castissimi et patientissimi. Vide S. Ambrosium; lib. *De Joseph* (2).

JOSEPH CUM SEDECIM ESSET ANNORUM. — Hebræi, Chaldæi, Septuaginta et Josephus habent *septemdecim*, scilicet expleverat Joseph annum 16, et inchoarat 17. Unde Philo : Erat, inquit, circiter 17 annorum. Unde hebr. est : « Joseph erat filius 17 annorum. » Hebr. enim בן *ben*, id est filius, significat inchoationem et quasi ædificationem illius rei, a radice בנה *bana*, id est ædificavit; ut patet *Exodi* II, 5, *q. d.* Joseph adhuc ædificabatur a decimo septimo anno, vel agebat decimum septimum annum.

Hæc ergo contigerunt Josepho, paulo post mortem matris Rachelis et nativitatem Benjamin, scilicet eodem, vel sequenti anno, cum Jacob esset annorum 107, puta anno mundi 2216.

Nota : Joseph ab anno hoc 16 ad 30 per integros 13 annos duram et miseram toleravit servitutem; anno vero 30 evectus est ad principatum, in eoque vixit felix et gloriosus, utpote princeps Ægypti, per annos 80, usque ad obitum; obiit enim anno ætatis 110 : itaque Joseph expressus fuit typus Christi patientis et resurgentis. Vide S. Chrysostomum, *homil.* 61 et seq., et S. Ambrosium, lib. *De Joseph* : « Discite, inquit Ambrosius, in Abram impigram fidei devotionem; in Isaac sinceræ mentis puritatem; in Jacob laborum tolerantiam; in Joseph speculum castitatis : » adde, et patientiæ et constantiæ in tolerandis odiis, persecutionibus, calumniis, servitute, carcere, etc.

Joseph tredecim annos serviens et 80 dominans, typus fuit Christi patientis et resurgentis.

ADHUC PUER — tum ætate, tum moribus et innocentia.

ERAT CUM FILIIS BALÆ ET ZELPHÆ. — Videtur Jacob divisisse gregem suum in duos, unum dedisse pascendum sex filiis Liæ, alterum commisisse filiis Balæ et Zelphæ ancillarum, cum quibus junxit Josephum; quia hi facile patiebantur Josephum sibi præferri, quod filii Liæ non patiebantur. Sicut enim inter Rachel et Liam fuit æmulatio, ita et inter earum filios; putabant enim filii Liæ, mortua præsertim Rachele, sibi quasi senioribus, seniore matre, eaque adhuc superstite, natis primas deberi.

ACCUSAVITQUE. — Ita habent Hebræa, Chaldæa Aquila, Symmachus et Theodotion. Verum Septuaginta in editione Romana habent κατήνεγκαν, id est accusaverunt, scilicet fratres ipsum Josephum; et ita legunt Theodoretus, S. Chrysostomus, Diodorus et Cyrillus. Verum corrigendum est κατήνεγκεν, id est accusavit; sic enim habent Septuaginta in editione Regia, et hoc exigunt Hebræa, ipsaque historiæ series.

Nota : Joseph, utpote innocens et sanctus, servavit ordinem correptionis fraternæ, quem ipsa ratio naturalis dictat, ut scilicet moneatur secreto proximus de suo peccato, antequam ad superiorem deferatur. Monuit ergo Joseph prius suos fratres; sed, cum monitionem suam ab eis negligi cerneret, detulit eos ad patrem. Ita Abulensis.

FRATRES, — maxime filios Balæ et Zelphæ, inquit S. Cyrillus, utpote cum quibus versabatur et pascebat oves.

CRIMINE PESSIMO, — contra naturam, puta de peccato, vel Sodomitico, ut vult Rupertus; vel bestialitatis cum ovibus, quas pascebant, ut vult S. Thomas, Abulensis et Hugo de S. Victore, quod proinde quia pudendum, horrendum et infame, noluit hic Moses nominare; est enim hoc peccatum mutum, ob sui enormitatem silentio premendum. Hebræa habent דבה רעה *dibba raa*, id est infamiam malam; unde videtur hoc fratrum Joseph peccatum infandum fuisse, infame et publicum.

Quid crimen pessimum?

Alii, ut Pererius, per crimen pessimum intelligunt rixas et odia mutua : alii intelligunt murmurationem contra patrem, quod Josephum juniorem sibi præferret. Verum hæc non sunt « dibba, » id est infamia, resque infamis, fœda,

(1) Versus 1 resumit filum supra XXXV, 27, per capitis XXXVI παρένθεσιν abruptum.

(2) Mirum videri potest, hanc epigraphen *Jacobi historiam* promittere, quum tamen postrema hæc libri pars in *Josephi* potissimum fatis enarrandis versetur. Sed observamus hunc nostri Scriptoris morem fuisse, ut nonnisi commemorata patris morte, narrationi continuandæ novam epigraphen præmittat, quæ filii, familiæ jam capitis, nomen gerat, etiamsi de eo antea jam plura retulisset.

et infanda. Judæi nonnulli putant quod Joseph solum Ruben accusaverit de suo incestu cum Bala. Verum repugnat id, quod hic dicitur, eum scilicet accusasse, non fratrem, sed fratres, quasi plures eorum accusaverit. Ita Abulensis.

Vers. 3. 3. ET QUOD IN SENECTUTE GENUISSET EUM. — Hebraice est, *eo quod esset filius senectutis*, id est, præditus senili modestia, prudentia et moribus, inquit Theodoretus, Josephus et Burgensis; unde Chaldæus vertit, *quia filius sapiens erat ei*. Verum melius magisque genuine vertit Noster, « eo quod in senectute genuisset eum. » Licet enim Jacob, intra secundum septennium servitutis suæ genuerit omnes filios, etiam Josephum, uno excepto Benjamin; tamen Josephus omnium erat ultimus et minimus, præter Benjamin, qui hoc anno decimo sexto Josephi, tantum infans erat unius anni. Joseph ergo vocatur filius senectutis, non absolute, sed respectu cæterorum filiorum Jacob, qui omnes ante Josephum sunt geniti, ita ut illorum respectu Joseph esset filius senectutis, id est, ultima patris generantis ætate, ultimo genitus.

Notat Philo, lib. *De Abraham*, parentes solere diligere filios in senectute genitos, præ aliis filiis, quia tales sunt ultimi parentum fructus, post quos non sperant alios. *Secundo*, quia tales sunt indices bonæ et fortis senectutis parentum. Audi Philonem : « Sero natos, ait, impotentius parentes amant, vel quia diu desideratos, vel quia natura effœta nullam postea sperant prolem, vel quia maxime gaudent se in senectute robustos esse ad generandum. » Adde, quia Joseph similis erat patri, et avo; sicut enim Jacob natus est ex Rebecca sterili, et Isaac ex Sara sterili: sic Joseph prodiit ex Rachel sterili, et Jacob sene, inquit Rupertus. Addit Cajetanus, quia per tales, utpote diutius victuros, potest parentum nomen et memoria conservari.

Præter hanc amoris causam, fuit et alia, eaque præcipua, scilicet vitæ morumque innocentia in Josepho. Ita S. Chrysostomus, *homil.* 61. Porro ad hanc physice non parum adjuvit senilis tum ætas, tum amor patris. Senes enim quia frigidi sunt, maturi, sapientes, casti, compositi, hinc tales generant, æque ac educant filios. Exemplum clarum est in illustri familia Anitia (quæ deinde *Frangipani* est dicta), quæ ab anu originem et nomen accepit. Anitius enim ejus parens et conditor ita nuncupatus est, quod a matre anu, id est vetula, genitus esset. Hæc enim familia in lucem edidit S. Paulinum Nolæ Episcopum, S. Benedictum, S. Scholasticam, S. Placidum, Severinum Boetium, S. Sylviam, S. Gregorium Magnum, S. Thomam Aquinatem, aliosque plurimos castitate, sapientia omnique virtute conspicuos, uti ex Panvino docet Franciscus Zazzera tract. *De Familia Anitia* : qui tamen addit nonnullos censere, Anitios origine et nomine esse Græcos, dicique quasi ἀνικίους, id est invictos. Longe clarius exemplum est in B. Virgine : Deus enim congrue disposuit, ut ipsa a parentibus senibus et sanctis Anna et Joachim nasceretur et educaretur, quia ipsam destinabat humilitatis primiceriam, virginitatis jubar, sapientiæ et sanctitatis solem efficere, ac supra Angelos, Cherubim et Seraphim evehere.

FECITQUE EI TUNICAM POLYMITAM. — Hebraice פַּסִּים *passim*, id est, ex frustis et liciis diversi coloris variegatam. Ita Septuaginta. Sicut enim τρίμιτος est trilix, sive trium liciorum vestis, ita πολύμιτος est multilix, sive multorum liciorum vestis. Aquila vertit, *talarem*; Symmachus, *manicatam* (1).

Polymita est variegatura prudentiæ et virtutum.

Symbolice, hæc tunica polymita est variegatura virtutum, inquit Rupertus. « Merito ergo variam tunicam fecit ei, quo significaret eum diversarum virtutum amictu fratribus præferendum, » ait S. Ambrosius; et, ut ait Philo, lib. *De Joseph*, seu de viro civili et politico, hæc toga polymita est multiformis prudentia principis. Princeps enim, qualis evasit Joseph, debet esse polymitus, quia alius debet esse in pace, alius in bello, alius cum hostibus, alius cum amicis, etc., adeoque debet esse πολύτροπος, qualem fuisse Ulyssem canit Homerus, qui scilicet pro ratione rerum et personarum, in omnes formas et figuras se vertere et versare possit.

S. Gregorius vero, lib. I *Moral.* cap. ultimo, qui cum Aquila tunicam hanc talarem accipit : Talaris, inquit, tunica est perseverantia, quæ ad talos, id est ad terminum vitæ, protenditur.

Quatuor causæ invidiæ fratrum in Josephum.

Nota hic : Causa odii et invidiæ fratrum contra Joseph, fuit *primo*, quod Joseph plus diligeretur a patre; *secundo*, quod eos apud patrem accusasset de crimine; *tertio*, somnia Josephi; *quarto*, tunica ejus polymita assidue oculos fratrum feriens. Fuit enim hæc tunica dolor oculorum fratribus, quæ Josepho et patri caro stetit. Nam hac eum expoliarunt fratres, mortem ei machinati sunt, tandemque eum vendiderunt Ismaelitis.

Filii æqualiter educandi.

Discant hoc exemplo parentes, filios æqualiter amare, vestire, educare, suaque dona et bona æqualiter, quoad fieri potest, partiri, ne, si unum alteri præferant, hic fiat pusillanimis, ille superbiat, itaque perpetuam inter eos invidiam et rixas, ac consequenter sibi perpetuum dolorem et tristitiam concilient. Solent enim fratrum et amicorum odia esse acerbissima, cujus rei causam dat Aristoteles, lib. VII *Politic.* cap. VII, tum quod omnis mutatio fiat ex contrario in contrarium, ideoque summus amor in summum odium convertatur; tum quod injuria a fratre, vel amico illata, videatur esse acerbior : a quibus enim beneficium sibi deberi existimant, ab eisdem non

(1) Schroederus, in *Commentar. de vestitu mulier. Hebræor.*, p. 245, putat, Josephi tunicam vocari פַּסִּים ideo, quod *limbos*, vel *segmenta* quædam, inferiori oræ, forte et aperturæ circa collum, et extremitati manicarum, haberet adsecta.

solum eo privari, sed insuper se lædi sentiunt, idque acerbum ducunt homines. Audi S. Ambrosium, lib. *De Joseph*, cap. II : « Plus acquiritur filio, cui fratrum amor acquiritur. Hæc præclarior munificentia patrum, hæc ditior hæreditas filiorum. Jungat liberos æqualis gratia, quos junxit æqualis natura. Lucrum pietas nescit pecuniæ, in quo pietatis dispendium est. Quid miraris si propter fundum aut domum oriuntur inter fratres jurgia, quando propter tunicam inter Jacob sancti filios exarsit invidia? » Excusat tamen Jacobum, « quod illum plus amabat, in quo majora virtutum insignia prævidebat, ut non tam filium pater prætulisse videatur, quam propheta mysterium; meritoque variam tunicam fecit ei, quo significaret eum diversarum virtutum amictu fratribus præferendum. »

Vers. 4. Octo proprietates invidiæ. Prima.

4. ODERANT EUM. — Est hic locus moralis illustris de invidia. Unde nota hic invidiæ conditiones et remedia. *Primo*, invidia similis est ophthalmiæ, quæ rebus valde splendidis et lucentibus offenditur et læditur; sic enim invidia aliorum bonis, virtute et gloria acerbatur et tabescit. Unde Aristoteles rogatus, « quid esset invidia, » respondit : « Est antagonista fortunatorum. » *Secundo*, quanto magis crescit virtus et gloria, tanto crescit et invidia. Unde Themistocles, cum esset adolescens, dicebat et dolebat se nullum adhuc præclarum facinus fecisse : Quia, inquit, nemo adhuc mihi invidet. *Tertio*, invidia neminem lædit nisi seipsam. Sicut enim rubigo ferrum, sic invidia invidum conficit et consumit; et sicut vipera dicitur matris ventrem rodere et rumpere, ut nascatur, ita invidia invidi mentem rodit et rumpit. Unde Horatius :

Secunda.

Tertia.

Invidia est vipera et serra animæ.

> Invidia Siculi non invenere tyranni
> Tormentum majus.

Vis ideam et formam invidiæ? Apte Ovidius, lib. II *Metamorph.*, invidiam ita depingit :

> Pallor in ore sedet, maciesque in corpore toto,
> Nusquam recta acies; livent rubigine dentes,
> Pectora felle virent; lingua est suffusa veneno.
> Risus abest, nisi quem visi fecere dolores :
> Nec fruitur somno, vigilantibus excita curis :
> Sed videt ingratos, intabescitque videndo
> Successus hominum, carpitque et carpitur una;
> Suppliciumque suum est.

Hinc Anacharsis dixit invidiam esse serram animæ; et Socrates, esse ulcus animæ. Hinc et Evagoras censuit invidos esse infeliciores aliis hominibus, eisque duplo magis miseros esse : eo quod alii tantum propriis malis cruciantur, invidi vero insuper alienis bonis torquentur. *Quarto*, invidia plerumque clariorem et feliciorem facit eum, cui invidet : ita fratres Josephi per invidiam eum vendendo, fuerunt causa cur in Ægypto exaltaretur. *Quinto*, S. Gregorius, lib. V *Moral.*, in illud Jacobi cap. V, *Parvulum occidit invidia*, docet invidum pusilli esse animi, angusti cordis, ingenii vilis atque abjecti; invidendo namque aliis ostendit se illis minorem et inferiorem esse, suamque parvitatem et paupertatem prodit : quod enim invidet, hoc ipse non habet et vehementer concupiscit. *Sexto*, invidia etiam corpus exedit et consumit. Hinc ait Sapiens *Proverb.* XIV : « Vita carnium sanitas cordis, putredo ossium invidia. » *Septimo*, S. Basilius, serm. *De invidia*, docet efficacissimum remedium contra invidiam esse contemptum gloriæ, et omnium bonorum temporalium, utpote fluxorum et caducorum, atque amorem et desiderium bonorum æternorum. Qua de re vide S. Gregorium, lib. V *Moral.*, in fine. Sic et Crates Thebanus dicebat se pro patria habere gloriæ contemptum et paupertatem, in quæ nullum jus exerceret fortuna. Aiebat item se Diogenis Cynici civem esse et discipulum, qui nullis invidiæ patebat insidiis. Opes enim et honores plerumque conciliant hominum invidiam. Ita de eo refert Laertius, lib. VI. Vere quoque ait Nazianzenus in *Distich. iambicis* : Christo annuente, nihil potest livor : Christo abnuente, nihil potest labor. » *Octavo*, Cato senior dicebat eos qui fortuna moderate sobrieque uterentur, minime peti invidia. Non enim, inquit, nobis, sed bonis quæ nos circumstant, invident homines; rursum, ii qui bonis insolenter utuntur, sibi conflant invidiam. Testis est Plutarchus in *Roman. Apophtheg.* S. Gregorius Nazianzenus, cum per sui æmulos et invidos turbaretur Ecclesia, cessit dixitque : « Absit ut mei causa aliqua simultas inter Dei sacerdotes oriatur. Si propter me est illa tempestas, tollite et mittite me in mare. » Sic Cleobulus rogatus a quodam, quænam præcipuo cavenda sint, respondit : Amicorum quidem invidiam, inimicorum autem insidias.

Quarta.

Quinta.

Sexta.

Septima. Remedia invidiæ.

Octava.

Vide et quatuordecim invidiæ proprietates apud Pererium hic, num 30 et sequent.

Octo invidiæ remedia assignat noster Vincentius Regius, lib. IV *Disquisit Evangel.* cap. XVI.

6. AUDITE SOMNIUM. — Somnium hoc, uti eventus declaravit, non naturale fuit, sed a Deo immissum, quo Deus portendebat et significabat futura, tam Josepho, quam fratribus. Vers. 6.

7. PUTABAM NOS LIGARE MANIPULOS, — segetum et frumenti. Apte hoc symbolo portendebatur fratrum in Ægyptum profectio, ad faciendam frumentationem tempore famis. Rursum, quod manipuli fratrum adorent manipulum Josephi, clare significabat quod fratres adoraturi essent Josephum in Ægypto. Ita Theodoretus, Quæst. XCIII. Vers. 7.

Tropologice, hic manipulus Josephi est Christus, quem omnes legis et Prophetarum lectiones, omnes Sancti et Angeli circumstant et adorant, inquit Rupertus. Et S. Ambrosius, lib. *De Joseph*, cap. II : « In quo, ait, utique futura resurrectio Domini Jesu revelata est, quem et in Galilæa cum vidissent, undecim adoravere discipuli; et omnes Sancti cum resurrexerint, adorabunt, fructus bonorum operum proferentes, sicut scriptum est :

Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. »

Vers. 9. 9. SOLEM, ET LUNAM, ET STELLAS UNDECIM ADORARE ME. — Hic alio symbolo et somnio prior visio a Deo confirmatur. Sol significat patrem, luna matrem, scilicet Balam, quæ ancilla Rachelis, ea jam mortua, Joseph fuit instar matris, inquit Lyranus et Abulensis; undecim stellæ significant undecim fratres, Josephum in Ægypto adoraturos. Porro manipuli visi sunt adorare Josephum inclinando se illi, suasque aristas illi incurvando et prosternendo. Sic sol, luna et stellæ ex alto demittentes se ad pedes ejus, visæ sunt illum venerari : forte etiam facie humana vestitæ apparuere (uti eas pingunt pictores); eamque Joseph submiscre et prostravere in terram.

Hic disce patres et principes (uti erat Jacob) debere esse in familia et republica id quod sol est in universo. Simile fuit quod de Æsopo, magno illo mythologo, legimus in ejus Vita, scilicet eum instar legatorum regiorum magnifice exceptum fuisse a Nectenabo, rege Ægypti. Rex enim regali paludamento amictus, in capite gestans gemmatam cidarim, procerum corona circumseptus, sublimi sedebat solio. Rogavit deinde eum rex : Cui me, eosque qui circa me sunt, assimilas? Respondit mythologus : Te soli verno, hos autem spicis pretiosis assimilo. Quo dicto, rex adeo fuit delectatus, ut hominem admiratione donisque prosecutus sit. Vide ea quæ dicturus sum *Isaiæ* cap. XLV, vers. 1. Insigne ergo speculum familiæ est, in qua pater est velut sol, mater quasi luna, filii sicut stellæ ob morum splendorem. Quocirca S. Ambrosius, lib. *De Joseph*, capite II, probat puerum Jesum adoratum esse a Joseph et Maria, ex illo *Psal.* CXLVIII, 3 : « Laudate eum, sol et luna. » Solis, inquit, instar est Joseph, lunæ vicem gerit Maria. Sicut enim sol terram, ita pater calefacit fovetque familiam. Sicut luna lumen mutuatur a sole, sic uxor a marito dignitatem et potestatem suam accipit. Rursum, sicut luna nunc plena est, nunc vacua : ita mater nunc pleno est utero, nunc vacuo; *tertio*, luna præest humidis et pueris, sic et mater tota est in educatione et regimine puerorum; *quarto*, luna regit noctem, sol diem : sic et vir lucem foris administrat, uxor domi. Majora hæc lumina in familia, sequuntur minora illa stellarum scintillantium in multitudine filiorum, de quibus Deus Abrahæ : « Suspice cœlum, et numera stellas si potes; sic erit semen tuum. » Ita Fernand., *visione* 3 in fine. Allegorice, Joseph hic gerit typum Christi. Audi S. Ambrosium, loco jam citato : « Quis, ait, est ille, quem parentes et fratres adoraverunt super terram, nisi Christus Jesus, quando eum Maria et Joseph cum discipulis adoraverunt; Deum verum esse in illo corpore confitentes, de quo solo dictum est : Laudate eum, sol et luna; laudate eum, omnes stellæ et lumen. »

Vers. 10. 10. INCREPAVIT EUM PATER, — non quod ille offenderetur, aut somnium hoc contemneret (ipse enim suspicans somnium hoc esse a Deo, et futura portendere, rem tacitus considerabat), sed ut hac increpatione Josephum liberaret invidia fratrum, eumque in modestia contineret (1).

11. PATER VERO REM TACITUS CONSIDERABAT. — Vers. 11. Jacob addictus fuit considerationi, æque ac pater ejus Isaac, qui egrediebatur ad meditandum in agro, *Genes.* XXIV; ideoque in omnibus operibus suis erat circumspectus, compositus et sanctus. Audi S. Bernardum, lib. I *De Considerat.* cap. VII : « Mentem, ait, purificat consideratio; deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat et ordinat; postremo divinarum pariter et humanarum rerum scientiam confert. Hæc est quæ confusa disterminat, hiantia cogit, sparsa colligit, secreta rimatur, vera vestigat, verisimilia examinat, ficta et fucata explorat. Hæc est quæ agenda præordinat, acta recogitat, ut nihil in mente resideat aut incorrectum, aut correctione egens. Hæc est tandem quæ in prosperis adversa præsentit, in adversis quasi non sentit : quorum alterum fortitudinis est, alterum prudentiæ. »

Allegorice S. Ambrosius, lib. *De Joseph*, cap. II : Joseph, inquit, a patre missus ad fratres pascentes oves, est Christus a Patre missus in carnem, ut nos, ac præsertim Judæos, quasi fratres suos salvaret. Unde ipse ait : « Non veni nisi ad oves perditas domus Israel. »

13. VENI, MITTAM TE. — Hinc patet Jacobum revocasse Josephum a fratribus et gregibus, ut hac ejus absentia invidiam fratrum sopiret. Post aliquod tempus putans esse sopitam, remittit ad eos Josephum, ut inter eos et inter se sit internuntius, itaque rursus fratrum benevolentiam sibi conciliet. Deinde noluit pater eum domi desidere otiosum. Virtus enim negotiis alitur, segnitie marcescit. Vers.

14. MISSUS DE VALLE HEBRON. — Hinc patet Jacobum, æque ac Isaac et Abrahamum, habitasse in Hebron, indeque misisse Josephum ad fratres. Vers. 14.

SOMNIATOR. — Hebraice בעל החלמות *baal hachalomot*, id est dominus somniorum, id est habens et possidens somnia; *secundo*, peritus fingendi somnia; *tertio*, dominus et princeps, sed in somnio, *q. d.* Erit Joseph noster dominus et princeps, non reipsa, sed in somnio : somniat se nostrum fore principem; sit ergo princeps, sed per sua somnia : vocemus et creemus eum principem et regem somniorum. *Somniator* quid? Primo. Secundo. Tertio.

Allegorice S. Ambrosius, lib. *De Joseph*, cap. III : « Hoc, ait, scriptum est de Joseph, completum in Christo, quando Judæi in ejus passione dicebant : Si rex Israel est, descendat nunc de

(1) Quum Josephi mater, Rachela, tum mortua fuerit, quæritur, quam Jacobus *matris* nomine intellexerit. Verisimile est Bilham intelligi, quæ Rachelæ loco Josephum nutrivit et eduxit.

cruce, et credimus ei. Confidit in Deum, liberet nunc eum, si vult. »

Vers. 22. 22. NON INTERFICIATIS ANIMAM, — id est vitam, cujus causa est anima. Est metonymia. Perperam ergo ex hac phrasi contendebant Sadducæi animam esse mortalem, eamque posse interfici et mori. Alii per animam accipiunt carnem, sive corpus, afferuntque simile *Levit.* XXI, vers. 1 et 11. Verum ibi, non caro viva, sed cadaver vocatur anima, per antiphrasin.

PROJICITE EUM IN CISTERNAM. — Dixit hoc Ruben, ut Josephum a morte liberaret; cogitabat enim illum secreto ex cisterna extrahere et ad patrem reducere, ut amissam incestu patris gratiam, hac in fratrem tam patri charum pietate, recuperaret.

Allegorice Joseph mittitur in cisternam, id est, Christus descendit ad inferos : inde eductus venditur Ismaelitis, quia Christus resurgens a Gentilibus omnibus fidei commercio comparatur, inquit Eucherius, lib. III, cap. XXXVII.

Vers. 24. 24. MISERUNTQUE. — Addit Josephus, Joseph a Ruben fuisse fune demissum. Quid hic Joseph? erat quasi ovis inter lupos, flebat, gemebat, precabatur. Audi ipsosmet fratres, cap. XLII : « Merito, inquiunt, hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustias animæ illius, dum deprecaretur nos, et non audivimus. » Pathetice hanc Josephi ad fratres deprecationem describit S. Ephrem, tract. *De Laudibus Joseph.*

Vers. 25. Quid resina? 25. RESINAM. — Resina dicitur humor tenax ex arbore defluens, eique adhærens; laudatissima est quæ fluit ex terebintho, et terebinthina dicitur.

Stacte. STACTEN. — Stacte est lacryma myrrhæ, quæ a myrrha fluit et distillat; unde dicitur stacte, id est stillatitia, ἀπὸ τοῦ ςάζειν, id est, a stillando.

Vers. 26. 26. DIXIT ERGO JUDAS. — Metuens Judas ne Joseph in cisterna tandem a fratribus necaretur, hac de causa suadet eum vendi. Notat Severianus, apte auctorem venditionis Josephi fuisse Judam, quia per Judam vendendus erat Christus, cujus typus erat Joseph; verum Judas hic Josephum bona mente et fine : Judas ille Christum mala et sacrilega vendidit.

Vers. 28. Invidi suos æmulos magis illustrant. 28. VENDIDERUNT EUM. — Notat S. Basilius, serm. *De invidia*, invidos illis modis, quibus aliorum gloriam conantur obscurare, iisdem magis illustrare. « Ideo, inquit S. Gregorius lib. VI *Moral.* cap. XII, venditus est a fratribus Joseph, ne ab eis adoraretur; sed ideo est adoratus, quia est venditus. Sic divinum consilium, dum devitatur, impletur; sic humana sapientia, dum reluctatur, comprehenditur. » Nonne vere dixit Sanctus ille? « Persecutores aurifabri sunt, qui nobis et præsentis et æterni regni coronas fabricant. »

Fratribus ergo et mundo miser et infelix videbatur hic esse Joseph; revera tamen non erat. Nam hoc ipso facto incipit Deus erigere manipulum ejus, fratrumque manipulos dejicere. Tunc enim Deus exaltare incipit, cum humiliat; et quo quemque plus exaltare intendit, eo profundius eum humiliat. Ita fecit in Joseph, et maxime in Christo. Thalamus ergo virtutis et gloriæ est adversitas et dejectio.

ISMAELITIS. — Paulo ante Moses vocavit mercatores hos Madianitas, vel quia habitabant in Madian, cum essent ex posteris Ismaelis; vel potius, quia partim erant Ismaelitæ, partim Madianitæ. Sic enim mercatores Flandri et Galli simul ad nundinas proficisci solent. Ita Cajetanus et Pererius (1).

VIGINTI ARGENTEIS. — Intellige siclis. Ita Chaldæus, id est 20 florenis Brabanticis. Ita Pererius, Maldonatus et alii; licet aliqui, ut Ribera et Suarez, argenteum putent esse dimidium sicli, ut Joseph venditus sit 10 florenis Brabanticis. Origenes, S. Augustinus et Beda legunt *triginta argenteis*, quia totidem venditus est Christus. Verum Hebræa, Chaldæa, Græca et Josephus constanter legunt *viginti argenteis*. Scilicet, non decebat, ait S. Hieronymus, famulum tanti vendi quanti dominum, puta tanti Josephum quanti Christum; vel potius, Christus, quia vir, minoris est venditus quam Joseph, utpote puer; vilius enim vir emitur 30 florenis, quam puer 20. Adde, Christus emptus est ad crucem, Joseph vero tantum ad servitutem; vilior ergo et ignominiosior fuit venditio Christi, quam Josephi.

Pluris venditus est Joseph quam Christus.

30. PUER NON COMPARET, ET EGO QUO IBO? — *q. d.* Cum Joseph patri charissimus perierit, vel occisus sit, sive a vobis, sive a bestiis, quid agam? quo me vertam? quo ibo? non enim audeo comparere coram patre nostro. Pater enim a me, quasi seniore filio, suum Joseph exposcet, et cum eum illi exhibere nequeam, ingentem illi tristitiam et mihi offensam conciliabo; cum ergo patrem graviter incestu meo offenderim, sciamque hac Joseph perditione mihi magis offendendum, non ausim in conspectum ejus prodire : quo ergo ibo? Vers. 30.

31. TULERUNT AUTEM TUNICAM EJUS, ET IN SANGUINE HÆDI QUEM OCCIDERANT, TINXERUNT. — Allegorice S. Ambrosius, lib. *De Joseph*, cap. III : « Illud quoque, ait, quod hædi sanguine resperserant tunicam ejus, videtur significare, quoniam falsis testimoniis appetentes, in invidiam deduxere peccati, omnium peccata donantem. Nobis agnus est, illis hædus. Nobis agnus Dei occisus est, quibus abstulit peccatum mundi : illis hædus, quorum acerbavit errores, delicta cumulavit. » Vers. 31.

34. SCISSISQUE VESTIBUS. — Vetus hic fuit mos, ut in luctu scinderent vestes; eratque hoc symbolum planctus : scissio enim vestium significabat scissum dolore cor. Septima fuit hæc tribulatio Jacobi. Vers. 34.

INDUTUS EST CILICIO. — Primus qui in luctu saccum, sive cilicium induisse legitur, fuit Jacob hoc loco; unde postea idipsum ejus posteri, puta Primus cilicipho-rus fuit Jacob.

(1) Distinguuntur hic Ismaelitæ et Madianitæ ut genus et species ejusdem nationis, veluti si Gallos et Lugdunenses diceres, uti Aben-Esra non male.

Israelitæ, in luctu imitati sunt; hinc etiam vestis Christianorum pœnitentium, jam olim erat cilicium, teste Tertulliano, lib. *De Pœnitent.* Jacobo ergo patriarcha, quasi antesignano, glorientur ciliciphori, eumque opponant mollibus novantibus, qui aspera omnia asperantur, ciliciumque nunquam induerunt, et forte nunquam viderunt.

Ita S. Hilarion, teste S. Hieronymo, aspero cilicio e palmis confecto corpus edomuit. Ita S. Simeon Stylites, qui 80 annos jugiter in columna stetit, cilicio induebatur, teste Theodoreto. Ita Eremitæ, Monachi, Ascetæ, pœnitentes ciliciis se armabant, teste Palladio, Theodoreto, Climacho et aliis.

Sed audi feminas, imo Ducissas et Reginas. S. Margareta, Hungarorum regis filia, cilicio corpus maceravit. Idem fecit S. Hedwigis, Ducissa Poloniæ, S. Clara nobilis virgo, per 28 annos hirsutum ex corio porcino cilicium, pilis et setis aculeatis ad carnem obversis, eamque pungentibus, gestavit. S. Radegundis, Francorum regina, purpuram cum cilicio commutavit. Atque ut alias omittam, quas refert noster Gretserus lib. I *De Disciplin.* cap. ultimo, audi memorabile exemplum, quod vetus auctor refert de S. Cunegunde, in ejus Vita. Erat Cunegundis uxor Henrici Imperatoris, quæ in conjugio virgo permansit; utque suam virginitatem marito probaret, nudis pedibus super candens ferrum illæsa ambulavit. Hæc, mortuo marito Imperatore, ex Imperatrice facta religiosa, cilicium induit, illique jugiter indormire, imo immori voluit; cumque agonizans videret sibi parari regales exequias et aurea feretro obtendi velamina, tum illa pallentes vultus, quos ante ut sponso venienti lætos videres, ad hos retorquere, manu abnuere. « Amictus iste, ait, non est meus, auferte hinc; hic alienus est; his terreno sponso, istis cœlesti copulata sum. Nuda de utero matris meæ egressa, nuda regrediar illuc; his vilem miseræ carnis materiam involvite, et corpusculum meum juxta tumulum fratris mei ac D. Henrici Imperatoris, quem me jam vocantem video, in proprio locello reponite. » Atque his dictis virgineum spiritum Christo sponso reddidit. Sic de Cæcilia legimus : « Cilicio Cæcilia membra domabat, Deum gemitibus exorabat, » dicens illud Davidicum : « Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis, ut non confundar; » itaque et angeli conspectum ac tutelam, et mariti conversionem, et illustrem martyrii lauream, et corporis integritatem ac incorruptionem in hodiernum usque diem, promeruit. Denique S. Martinus moriens in cinere et cilicio recumbebat, dicebatque : « Non decet Christianum nisi in cinere mori, » testis est Sulpitius. Quod imitatus S. Carolus Borromæus sanxit, uti sui Clerici in morte cilicio et cinere se operirent, eisque suo præivit exemplo; moriens enim cilicio, quo sanus crebro utebatur, et cineri prius benedicto incubuit, ut habet ejus Vita, lib. VII, cap. XII.

LUGENS FILIUM SUUM MULTO TEMPORE, — scilicet 23 annis, puta ab anno 16 Josephi, quo ipse venditus est, usque ad 39 ejusdem, quo fratres tempore famis in Ægypto eum adierunt, et cum patre eumdem adorarunt; sed sensim luctus hujus sensus in Jacobo imminutus fuit. Nam « plaga animi quantalibet tempore mitigatur. » Artem ergo oblivionis (quam præ arte memoriæ discere avebat Themistocles) docet tempus.

35. DESCENDAM AD FILIUM MEUM LUGENS IN INFERNUM. — Pro *infernum* aliqui vertunt, *sepulcrum*. Ita Calvinus, Eugubinus, Vatablus, Pagninus, quin et Lipomanus. Verum Hebræum שאול *scheol* proprie infernum significat, non sepulcrum, et ita verterunt Septuaginta æque ac noster Interpres; itaque vertendum esse ratio ipsa convincit. Nam Jacob putabat Josephum a bestiis devoratum, ideoque insepultum esse; ergo non putabat, nec optabat ad eum descendere in sepulcrum, sed in infernum; puta in limbum patrum. Adde animam non sepulcro, sed limbo teneri : Jacob autem Josephi mortui animam superstitem videre cupiebat. Sensus ergo est, *q. d.* Ego, o filii, nullam consolationem admittam, donec Josephum videam, quem, utpote jam mortuum, visurus non sum, donec post mortem anima mea animæ illius in limbo conjungatur. Plane enim confido, Josephi innocentis animam ad majorum animas accessisse in sinum Abrahæ, quem etiam mihi reservari spero. Hinc patet Jacobum ex majorum instructione et traditione credidisse animæ immortalitatem : rursum, animas justorum defunctorum ante Christum descendisse ad limbum patrum, ubi erat sinus Abrahæ (1). Vers. 35.

Idipsum senserunt, et per umbram viderunt Philosophi Ethnici. Ælianus, lib. XIII, narrat Cercidam Megalopolitanum, qui morbo laborabat, interrogatum num libenter migraret e vita, respondisse : « Quidni? Delector separatione animæ a corpore, quoniam ad eas oras ascendam, ubi videbo ex philosophis Pythagoram, ex poetis Homerum, ex musicis Olympum, et alios viros in omni scientia præstantissimos. » Ethnici speraruntvitam immortalem. Cercidas.

Socrates, priusquam venenum hauriret, dixit : « Quanti æstimatis colloqui in altera vita cum Orphæo, Musæo, Homero, Hesiodo? quanta voluptate perfundar, cum Palamedem, cum Ajacem, cum alios judicio iniquorum damnatos conveniam? Equidem sæpe excedere e vita, si fieri posset, vellem, ut quæ dico possem invenire. » Socrates.

Cato, legens librum Platonis *De Immortalitate animæ*, seipsum occidit, ut immortalem hanc vitam assequeretur. Cato. Plato.

Cyrus apud Xenophontem moriens; ait ad fi-

(1) שאול ἅδης, *Orcum*, seu limbum patrum, ubi mortui, umbrarum instar, degunt, nunquam vero sepulcrum, designare omnino constat. Cf. Breecheri libellum, cui titulus in vers. gall. *L'Immortalité de l'âme chez les Juifs*, p. 41 seqq.; Pareau, *Commentat. de immortal. ac vitæ fut. notit. Daventr.* 1807.

lios : « Nolite putare, filii, me, cum ab hac vita migravero, nusquam, aut nullum fore. Nam nec dum vobiscum communicabam, animum meum intuebamini, sed corpus hoc ejus esse domicilium intelligebatis. Eumdem eum esse creditote, etiamsi modo separetur a corpore. »

Cicero. Scipio. Cicero, lib. VI *De Republica,* Scipionem Africanum jam vita functum, ita loquentem inducit : « Sic habeto, omnibus qui patriam conservaverint, adjuverint, auxerint, certum esse in cœlo ac definitum locum, ubi ævo sempiterno fruantur. » Et interrogatus viveretne ipse et alii, qui putabantur extincti : « Imo vero, ait, hi vivunt, qui ex corporum vinculis, tanquam e carcere evolarunt. Vestra vero quæ dicitur vita, mors est. » Rationes eorum erant :

Rationes. Prima. Animus hominis concipit, contemplatur, concupiscit cœlestia et immortalia : ergo est cœlestis et immortalis.

Secunda. Animus in hac vita non habet satiem, nec centrum in quo quiescat; ergo illud habebit in altera vita : alioqui esset infelicior aliis creaturis.

Tertia. Omne quod est corruptibile, aut est corpus, aut accidens. Hæc enim, quia habent contraria, possunt corrumpi. Atqui anima hominis non est corporea, nec accidens : ergo est incorruptibilis. Secus est de animabus brutorum : hæ enim a corpore per omnia pendent, ideoque corporeæ et corruptibiles censendæ sunt.

Dicat nunc Christianus cum Tobia : « Filii sanctorum sumus, et vitam illam exspectamus, quam Deus daturus est iis, qui fidem suam nunquam mutant ab eo. »

Vers. 36. 36. EUNUCHO, — id est regii cubiculi custodi. Nota : Eunuchis, utpote ad actum venereum impotentibus, olim committebatur custodia reginæ, ejusque puellarum, cubilisque regii. Hinc eunuchi erant intimi et proximi regi et reginæ. Hac de causa eunuchi vocati sunt principes aulæ, etiamsi non essent eunuchi, id est exsecti. Unde Chaldæus pro eunucho hic vertit, רבא *rabba,* id est princeps, satrapa. Nam Putiphar hic proprie eunuchus non erat; habebat enim uxorem. Ita Procopius, Gennadius, Abulensis et Lyranus. Sic cap. XL, vers. 1, pincerna et pistor Pharaonis vocantur eunuchi, id est ministri regis. Olim enim aulæ regum plenæ erant eunuchis, iisque reges ad omne ministerium utebantur, uti de aula Constantii imperatoris clarissimum est; illam enim implebant et regebant eunuchi.

Eunuchus idem est quod regius minister, princeps aulæ.

MAGISTRO MILITUM, — præfecto custodiæ regiæ. Hebraice est שר הטבחים *sar hattabbachim,* id est, principi occidentium, vel jugulantium, puta militum. Septuaginta vertunt, ἀρχιμαγείρῳ : quod licet S. Ambrosius vertat, *principi coquorum,* tamen aptius hic vertas, *principi occidentium,* vel mactantium; μαγειρεύειν enim, teste S. Hieronymo, significat occidere. Unde coci dicti sunt μαγείροι, quod coquendas pecudes et aves prius occidant, a voce μαγίς, quæ Phavorino idem est quod machæra. Talis *sar hattabbachim,* et *archimagirus* fuit Nabuzardan : fuit enim ipse princeps militiæ, quem Nabuchodonosor præfecit bello et excidio Hierosolymitano, IV *Reg.* cap. ult., vers. 11.

Moral. patientia est mater castitatis. Moraliter hoc capite disce, quot persecutionibus et adversis Deus Josephum virosque probos exerceat, ut eos in patientia, lenitate, indeque in animi puritate perficiat. Joseph enim per hanc patientiam adeptus est miram illam castimoniam. Verissimum est illud Cassiani, lib. XII *Collat.* cap. VII : « Quantum quis in lenitate ac patientia cordis, tantum in corporis puritate proficiet. Scriptum est enim : Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram (sui corporis); non enim æstus corporis declinabit, nisi qui animi motus ante compresserit. » Hinc et quidam Sanctorum ait : « Benigni et corpus, et anima, et mens perpetua fruitur sanitate : gaudet in contumelia, Deum laudat in calamitate, iratos mitigat, sub humilitatis jugo triumphat, affectibus omnibus dominatur, » maximeque choleræ et libidini.

Denique S. Chrysostomus, *hom.* 61 : « Magnum, ait, virtutis est robur, et malitiæ infirmitas. » Id in fine declarat per patientiam quam continuo ostendit Joseph : « Ut sic, ait, quasi athleta fortiter certans redimiatur corona regni, et eventus somniorum impleatur, quo doceantur qui eum vendiderant, quod nihil commodi ex sua malitia deportent. Tantam enim fortitudinem habet virtus, ut clarior fiat cum infestatur. Nihil enim ea fortius, nihil validius, sed is qui eam possidet, et supernam gratiam habet, et inde præsidium consequitur, omnibus est fortior, et invictus, et capi nequit, non solum hominum insidiis, sed et dæmonum machinationibus. Id scientes, ne fugiamus male affligi, sed male agere : hoc enim est vere male affligi. Nam qui proximum affligere tentat, illi quidem nihil nocet, sibi autem immortalia tormenta thesaurizat. » Quia et fratres persequendo Joseph, ipsum gloria, seipsos ignominia affecerunt, ut idem docet *homilia* 62 et seq.

CAPUT TRIGESIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Judas generat Her et Onan, quos Deus ob mollitiem et retractum in actu conjugii, occidit. Secundo, vers. 16, Thamar dolose ex Juda concipit, gignitque Phares et Zaram.

1. Eodem tempore descendens Judas a fratribus suis, divertit ad virum Odollamitem, nomine Hiram. 2. Viditque ibi filiam hominis Chananæi, vocabulo Sue : et accepta uxore, ingressus est ad eam. 3. Quæ concepit, et peperit filium, et vocavit nomen ejus Her. 4. Rursumque concepto fœtu, natum filium vocavit Onan. 5. Tertium quoque peperit, quem appellavit Sela. Quo nato, parere ultra cessavit. 6. Dedit autem Judas uxorem primogenito suo Her, nomine Thamar. 7. Fuit quoque Her primogenitus Judæ, nequam in conspectu Domini : et ab eo occisus est. 8. Dixit ergo Judas ad Onan filium suum : Ingredere ad uxorem fratris tui, et sociare illi, ut suscites semen fratri tuo. 9. Ille sciens non sibi nasci filios, introiens ad uxorem fratris sui, semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur. 10. Et idcirco percussit eum Dominus, quod rem detestabilem faceret. 11. Quamobrem dixit Judas Thamar nurui suæ : Esto vidua in domo patris tui, donec crescat Sela filius meus : timebat enim ne et ipse moreretur, sicut fratres ejus. Quæ abiit, et habitavit in domo patris sui. 12. Evolutis autem multis diebus, mortua est filia Sue, uxor Judæ : qui post luctum consolatione suscepta, ascendebat ad tonsores ovium suarum, ipse et Hiras opilio gregis Odollamites, in Thamnas. 13. Nuntiatumque est Thamar, quod socer illius ascenderet in Thamnas ad tondendas oves. 14. Quæ, depositis viduitatis vestibus, assumpsit theristrum : et mutato habitu, sedit in bivio itineris, quod ducit Thamnam : eo quod crevisset Sela, et non eum accepisset maritum. 15. Quam cum vidisset Judas, suspicatus est esse meretricem : operuerat enim vultum suum, ne agnosceretur. 16. Ingrediensque ad eam ait : Dimitte me ut coeam tecum : nesciebat enim quod nurus sua esset. Qua respondente : Quid dabis mihi ut fruaris concubitu meo? 17. Dixit : Mittam tibi hædum de gregibus. Rursumque illa dicente : Patiar quod vis, si dederis mihi arrhabonem, donec mittas quod polliceris. 18. Ait Judas : Quid tibi vis pro arrhabone dari? Respondit : Annulum tuum, et armillam, et baculum quem manu tenes. Ad unum igitur coitum mulier concepit, 19. et surgens abiit : depositoque habitu, quem sumpserat, induta est viduitatis vestibus. 20. Misit autem Judas hædum per pastorem suum Odollamitem, ut reciperet pignus quod dederat mulieri : qui cum non invenisset eam, 21. interrogavit homines loci illius : Ubi est mulier quæ sedebat in bivio? Respondentibus cunctis : Non fuit in loco isto meretrix; 22. reversus est ad Judam, et dixit ei : Non inveni eam; sed et homines loci illius dixerunt mihi, nunquam sedisse ibi scortum. 23. Ait Judas : Habeat sibi, certe mendacii arguere nos non potest; ego misi hædum quem promiseram; et tu non invenisti eam. 24. Ecce autem post tres menses nuntiaverunt Judæ, dicentes : Fornicata est Thamar nurus tua, et videtur uterus illius intumescere. Dixitque Judas : Producite eam ut comburatur. 25. Quæ cum duceretur ad pœnam, misit ad socerum suum, dicens : De viro, cujus hæc sunt, concepi : cognosce cujus sit annulus, et armilla, et baculus. 26. Qui, agnitis muneribus, ait : Justior me est; quia non tradidi eam Sela filio meo. Attamen ultra non cognovit eam. 27. Instante autem partu, apparuerunt gemini in utero; atque in ipsa effusione infantium unus protulit manum, in qua obstetrix ligavit coccinum, dicens : 28. Iste egredietur prior. 29. Illo vero retrahente manum, egres-

sus est alter, dixitque mulier : Quare divisa est propter te maceria? et ob hanc causam vocavit nomen ejus Phares. 30. Postea egressus est frater ejus, in cujus manu erat coccinum : quem appellavit Zara.

Describit hic Moses genealogiam Judæ, potius quam aliorum fratrum, quia ex Juda de Thamar nasciturus erat Christus. *Secundo*, ne Judæi Gentiles despicerent, cum tribus Juda, quæ erat nobilissima, ex Chananæis, per matrem Thamar, descenderet. Ita Gennadius.

Vers. 1. 1. EODEM TEMPORE. — Puta anno 16 Josephi, paulo post ejus venditionem, Judas duxit uxorem. Erat ergo tunc Judas 19 annorum; erat enim ipse tribus annis senior Josepho : nam natus est anno 88, Joseph vero 91 Jacobi patris sui, ut dixi cap. XXX. Hinc sequitur Hesron et Hamul nepotes Judæ, ex Thamar et Phares, non potuisse nasci in Chanaan, ante descensum Jacobi in Ægyptum, qui contigit 23 annis a vendito Joseph, puta anno Joseph 39; sed eos natos esse post descensum Jacobi, habitante et vivente eo in Ægypto. Ita Abulensis, licet S. Augustinus, Quæst. CXXVIII, contrarium sentiat, ex eo quod putet Judam, non eodem anno quo venditus est Joseph, sed duobus aut tribus annis ante duxisse uxorem. Sed prius est verius. Esto enim demus S. Augustino, Her natum esse Judæ tribus annis ante venditum Joseph, tamen non potuit Her ducere Thamar ante annum ætatis suæ decimum sextum, post quem Thamar nupsit Onan; deinde exspectavit aliquot annis pubertatem Sela; ac tandem prostituens se Judæ genuit Phares : Phares autem ut minimum sedecim erat annorum, cum genuit Hesron et Hamul; quæ omnia non 23 aut 26, sed 34 ut minimum annos exposcunt, ante quos exactos Jacob jampridem, puta a novem annis, ex Chanaan descenderat in Ægyptum. Quod enim Judæi asserunt Phares anno ætatis nono genuisse Esron, incredibile et impossibile est (1).

Phares ubi et quando natus?

2. VIDITQUE, — concupivit. Vers. 2.

SUÆ. — Non est nomen filiæ, sed patris ejus, soceri Judæi, ut patet ex Hebræo.

3. VOCAVIT NOMEN EJUS HER. — In Hebræo est masculinum ויקרא *vaiicra*, id est, *et vocavit*, scilicet pater Judas; in reliquis vero duobus est femininum ותקרא *vatticra*, id est, et vocavit, scilicet mater, puta uxor Judæ. Unde patet patrem primogenito suo Her nomen dedisse, matrem vero aliis duobus postea natis. Sic Rachel filium suum juniorem vocavit Benoni, quod tamen nomen mutavit pater, vocans eum Benjamin. Vers. 3.

5. PARERE ULTRA CESSAVIT. — Hebraice est והיה בכזיב *vehaia biczib*, quod Septuaginta, Chaldæus et Vatablus vertunt, *erat in Kesib, quando peperit eum*, quasi כזיב *Kesib* sit nomen proprium urbis Palæstinæ (2). Verum melius, teste S. Hieronymo in *Quæst. in Genes.*, noster Interpres *Kesib* accepit non ut proprium, sed ut appellativum, quo modo significat *mendacium* sive *defectum*, *q. d.* Erat in defectu pariendi, defecit eam conceptus et partus, destitit parere. Unde et Aquila vertit, *stetit partus ejus*. Hunc sensum exposcunt sequentia, quæ plane significant hunc ultimum ejus fuisse filium. Vers. 5.

7. FUIT QUOQUE HER NEQUAM. — Consentiunt Hebræi et Christiani, tam Her, quam Onan, peccasse peccato mollitiei et retractus, quod est contra naturam generationis et matrimonii : perdit enim fœtum et conceptum in suo semine. Unde ab Hebræis hoc peccatum comparatur homicidio, et a Scriptura, vers. 10, vocatur detestabile. Her ergo non peccavit crudelitate, ut vult S. Augustinus, lib. XXII *Contra Faustum*, cap. XLVIII, sed libidine, scilicet retrahendo se in actu matrimonii, ut semen extra naturale vas uxoris profunderet, idque fecit ex libidinis intemperantia; ne scilicet puerperia, et liberorum educatio aliquid de pulchritudine suæ uxoris, ac consequenter de sua delectatione venerea decerperet. Onan, frater Her, eodem peccato peccavit, sed ex alio motivo, Vers. 7.

Her et Onan peccarunt mollitie et retractu.

(1) Quæ initio hujus capitis narrantur, multi putant, non potuisse gesta esse *post*, sed *ante* Josephi venditionem oportere accidisse. Nam ex quo venditus fuit Josephus, usque ad Jacobi cum familia descensum in Ægyptum, non plures quam viginti duo anni intercesserunt. Quod temporis intervallum brevius est, quam ut Juda tres filios gignere, eos in matrimonium dare, atque e nuru sua iterum duos filios tollere potuisset, quorum alter, Pherezus, cum Ægyptum ingrederentur, etiam duos filios habebat. Igitur initia hujus historiæ referenda videntur ad primos annos reditus Jacobi ex Mesopotamia, de quo cap. XXXIII, 17. Quoad verba *eodem tempore*, dici potest, tum iis designari finem eorum, quæ hoc cap. narrantur; tum voces *tunc, in illis diebus*, etc. non infrequenter ad tempus aliquo ante intervallo præterlapsum, aut post futurum designandum adhiberi. Cæterum, quam temerarie et absque ulla ratione de Wette, *Einleitung in's A. Test.* 4ª edit. pag. 192, eo quod hoc caput sensu sejungatur tum a superioribus, tum a sequentibus, illud in argumentum afferat, Genesim non esse opus uno contextu et ab uno homine scriptum, sed ex pluribus variorum temporum et auctorum monumentis compositum, animadverterunt jam Ranke, *Untersuchungen über Pentateuch*, I, pag. 260 seqq.; Hævernick, *Einleitung in's A. Test.* II, 225. Commodiore enim loco, ait Rosenmullerus, non potuit Moses totam hanc historiam conjugii et prolis Judæ exponere, quia, quum incestum Judæ cum Thamare narrare instituisset, quod post venditionem Josephi contigit, oportuit altius repeti, quomodo Thamar in hoc incestum inciderit, et qua occasione ad hoc adacta fuerit. Quamobrem et totum Judæ conjugium, et proles ex eo suscepta, fuit exponenda.

(2) Ita et Rosenmullerus. Quum cæteros filios pareret uxor, præsens aderat Judas; cum vero selam pareret, absens erat, scil. in loco כזיב dicto (cujus fit mentio *Jos.* XV, 44; *Mich.* I, 14), in finibus tribus Judæ sito.

eoque graviori et scelestiori, puta ex invidia, ne scilicet si consummaret actum matrimonii, filios non sibi, sed fratri procrearet. Pulchre *Her* hebraice per metathesin est רע *ra*, id est malus, perversus : qui enim a patre vocatus erat ער *Her*, id est vigil, per peccatum conversus est in רע *ra*, id est perversum. Onan hebraice idem est quod iniquitas et dolor; hic enim illam quasi filius matrem individue comitatur et insequitur.

Her et Onan occisi ab Asmodæo.

ET AB EO OCCISUS EST. — Tam Her quam Onan ob peccatum mollitiei occisi sunt a Deo, per angelum malum, ut videtur, puta per Asmodæum. Hic enim occidit libidinosos maritos Saræ, *Tobiæ* III, 7. Rursum Deus, inquit Abulensis, occidit eos, immittendo eis terribilem plagam, ita ut liqueret eos non naturaliter, sed a Deo fuisse sublatos, in pœnam iniquitatum suarum (1).

Notent Confessarii hanc Dei vindictam in molles, inque conjuges se in actu conjugii retrahentes, eamque suis pœnitentibus inculcent. Si enim hoc sæculo tam rudi, inculto et projecto, Deus ita punivit Her et Onan, quomodo puniet in luce hac et lege Evangelii Christianos qui se polluunt?

S. Christina vidit orbem mollitie perditum.

Vidit S. Christina Mirabilis in spiritu, mundum hoc peccato pollutionis plenum et obrutum, ideoque Deum toti mundo gravissimas intentare plagas, quas ut averteret ipsa, miris et horrendis modis et pœnis sese excruciabat. Joannes Benedictus in *Summa casuum*, ad sextum decalogi præceptum, ex Conrardo Clingio mirum quid de hoc peccato tradit (penes eos sit fides), sive revelatione, sive experientia acceptum : quod scilicet ii, qui tot annis, quot vixit Christus, puta triginta tribus, in hoc pollutionis peccato perseverant, sint incurabiles, et quasi desperatæ salutis, ni mira, rara et extraordinaria Dei gratia eis succurrat, eosque convertat. Videat ergo qui in hoc peccatum lapsus est, ut statim ab eo per pœnitentiam resurgat, ne habitum contrahat ad quem natura per se propensissima est, quem proinde postea exuere non possit, itaque sibi nectat et plectat funes libidinis inextricabilis, qui eum in abyssum pertrahant, ignique gehennæ insolubiliter astringant.

Mollities diutina incurabilis.

Vers. 9. 9. NON NASCI SIBI FILIOS. — Nota, ante legem *Deuteron.* XXV, 5, fuisse in more apud patres, ut frater fratris sine liberis defuncti uxorem duceret, eique semen, id est prolem, suscitaret, ne ejus nomen et familia interiret; ita scilicet, ut primogenitus quem ex fratris uxore procreasset, nomine, non suo, sed fratris censeretur : reliqui vero deinceps nati, sui censerentur, suoque nomine vocarentur. Primogenitus ergo, generandus ab Onan, vocandus erat filius Her : reliqui vero vocandi erant filii Onan. Sed invidus et impius Onan, ne fratri luceret, sibi ipsi lucernam extinxit, dum semen suum in terram profudit et perdidit.

Nota *secundo*, enallagem : « filios, » id est filium, scilicet primogenitum, uti dixi, et, si is moreretur, secundo genitum, qui in locum primogeniti succederet.

Nota *tertio*, quædam legalia in usu fuisse ante Mosen : talis enim est hæc adoptio et arrogatio filiorum ; talia quoque fuerunt observatio sabbati, discretio animalium mundorum ab immundis, circumcisio, et alia quædam, quæ Dei instinctu aut præcepto servarunt patres ante Mosen et legem.

Vers. 11. 11. ESTO VIDUA. — Hinc et ex vers. 8 colligitur, illa ætate mulierem, quæ nupserat in aliqua familia, illi deinceps quasi addictam fuisse, ut, si maritus ejus moreretur, alium ejusdem familiæ duceret, qui semen fratri defuncto suscitaret; quod si talis nullus esset, aut sese non offerret, tum poterat ex alia familia maritum capessere. Ex hac ergo consuetudine, Thamar adhæsit familiæ Judæ, nec de ea in aliam transiit.

TIMEBAT ENIM. — Hebraice est, *dicebat enim* (subaudi, non dabo tertium filium Sela ipsi Thamar, in maritum), *ne ipse moriatur*, sicut duo priores fratres ejus, qui fuerunt mariti Thamar, in conjugio cum ea mortui sunt. Hinc patet Judam hoc prætextu et dolo voluisse ablegare a se et sua familia Thamaram, cui jam ipsa per duplex matrimonium incorporata fuerat, dicendo filium suum Sela adhuc juniorem esse, itaque moras nectendo eludebat Thamaram; timebat enim ne Thamar, vel ob peccata sua, vel ob infelicitatem suam, esset causa, aut certe occasio mortis maritorum suorum : hoc enim Saræ uxori Tobiæ, ex simili suspicione improperatum est, *Tobiæ* III, 9.

Sensit hunc Judæ dolum Thamar, quæ prolem non aliunde, quam ex stirpe Judæ et Abrahæ, a Deo benedicta, quærebat; cumque Sela maritum sibi promissum, jam puberem et maturum, sibi negari cerneret, mirabili stropha dolum Judæ elusit, eumque in Judæ caput retorsit (2).

Vers. 14. Quid theristrum?

14. ASSUMPSIT THERISTRUM, — peplo se obvolvit, ne agnosceretur. Erat theristrum velum æstivum, inquit Suidas, ita dictum ἀπὸ τοῦ θέρους, id est ab æstate et æstu quem arcebat. Hebrææ mulieres olim (uti jam Italicæ faciunt) peplo vel velo serico operiebant caput et totum corpus, uti dixi *Ezech.* XVI, 10; idque partim honestatis, partim ornatus (theristrum enim hic opponitur vestibus viduitatis et luctus), partim æstus arcendi gratia.

SEDIT IN BIVIO ITINERIS. — Hebraice est, sedit בפתח עינים *bepetach enahim*, quod Septuaginta

(1) Locutione *ab eo* (Domino) *occisus est*, significatur, Herem non matura morte periisse, sed florente adhuc ætate, id permittente Deo, licet quocumque tandem mortis genere exstinctum esse. Uti longævitas præmium pietatis Hebræis erat, ita mors immatura acerba pœna a Deo immissa.

(2) Vers. 12. Pro *opilio gregis* Hebræa nunc habent, *amicus ejus*. Ex capitis hujus initio liquet Odollamitam hunc non servum, sed hospitem Judæ fuisse.

vertunt, *sedit ad portas Enan.* Verum nota : Hebræi bivium vocant *petach enahim,* id est apertionem, et, ut Chaldæus vertit, divisionem duorum oculorum, quia in bivio solemus oculos divertere in duas partes, puta in duas semitas. Ita in biviis sedent meretrices, ut utrimque transeuntes venentur et captent : hinc in bivio sedit Thamar captans Judam (1).

Vers. 16. Judas peccavit fornicatione, Thamar etiam adulterio et incestu.

16. INGREDIENSQUE AD EAM. — Judas hic peccavit simplici fornicatione, non enim agnoscebat suam nurum : et uxor Judæ jam erat mortua, ut patet vers. 12, ac proinde Judas jam erat viduus et solutus ; Thamar vero peccavit et fornicatione, et quasi adulterio (erat enim desponsa Selæ filio Judæ, ut patet vers. 11), et incestu, quia noscebat Judam suum socerum. Errat ergo Franciscus Georgius, sectione IV, problemate 265, ubi asserit Thamar non peccasse, quia ad mysterium hoc egit. Gravius errat problemate 267, uti et R. Moses, lib. III *More,* cap. L, dum excusant fornicationem Judæ cum Thamar hoc nomine, quod ante legem Mosis meretricium non fuerit prohibitum, ideoque licitum. Certum enim est fornicationem simplicem esse peccatum contra legem naturæ, ideoque eam omni tempore etiam ante legem Mosis, fuisse vetitam et illicitam, uti docent S. Hieronymus, S. Augustinus, lib. XXII *Contra Faustum,* S. Thomas, Lyranus, Abulensis et alii passim.

Error Georgii Veneti et R. Mosis.

Dices : S. Chrysostomus et Theodoretus hic excusant Thamar et Judam. Respondeo : Non excusant factum, sed facti intentionem in Thamar, quia Thamar non libidinem, ut Judas, sed prolem intendebat. *Secundo,* hoc factum quodammodo excusant, dum illud referunt ad Dei dispositionem, id est, permissionem et ordinationem. Deus enim permisit hoc peccatum, et hanc fornicationem Judæ, ut ex ea nasceretur Phares, et ex Phares nasceretur Christus : eam ergo ordinavit ad Christum.

Sic S. Ambrosius elevat venditionem Josephi quasi factam in typum venditionis Christi, cum tamen constet eam in se fuisse grave peccatum : Deus enim omnia peccata et mala hominum novit ordinare et dirigere ad bonum finem : unde semper ex malis bonum aliquod elicit.

Error R. Simeon.

Frivolum ergo est, quod ait R. Simeon Jochai, Thamar fornicatam esse Dei instinctu, ut ex Juda Messiam conciperet : perinde ac Osee Dei instinctu et jussu duxit fornicariam, et ex ea procreavit filios, qui idcirco vocantur filii fornicationum.

Verum hoc de Osee exprimit Scriptura, nil autem tale exprimit de Thamar. Rursum, hæc fornicaria Dei jussu facta est uxor Osee : constat autem Thamar non esse effectam uxorem Judæ, imo Judam deinceps ab ea abstinuisse, ut patet vers. 26.

18. ET BACULUM; — scipionem viatorium, quali in via usus est Jacob, cap. XXXII, vers. 10 (2). Vers. 18.

23. HABEAT SIBI, CERTE MENDACII ARGUERE NOS NON POTEST. — Hebraice est, *servet sibi* (meum annulum, armillam et baculum), *ne forte simus in confusionem* : si enim eam quæramus, et nostra hæc ab ea repetamus, illa, id indigne ferens, publicabit meam fornicationem; itaque magna me confusione et ignominia afficiet; præsertim si ipsa meum annulum ostentet. Ridebunt enim homines meam levitatem, petulantiam et turpitudinem, quod annulum meum signatorium meretrici dederim, quodque illa hunc annulum poscendo, sibique servando, me ita deluserit, ut litteras quas voluerit meo nomine fingere, meoque sigillo obsignare possit. Vers. 23.

Rursum, si annulum repetam, illa, ut eum servet, jactabit me mercedem pactam ipsi non solvisse. Itaque fraudis et mendacii me publice arguet, meque confundet, licet falso : ego enim misi ei hædum, quem promisi. Hæc enim omnia in concisa hac oratione Judæ, more hebræo, subaudiuntur, et supplenda sunt. Unde Noster magis Judæ mentem et sensum quam verba respiciens, clare vertit : « Certe mendacii arguere nos non potest : ego misi hædum, quem promiseram. »

24. PRODUCITE EAM, UT COMBURATUR. — Dicit hoc Judas, ait S. Thomas, quasi accusaturus Thamar in publico judicio, ursurusque, ut judex eam igni adjudicet. *Secundo* et verisimilius, profert hic Judas sententiam combustionis in Thamar, quasi judex : unde ea mox executioni mandata est; sequitur enim : « Quæ cum duceretur ad pœnam. » Erat enim Judas pater familias, qui more prisci illius sæculi erat judex suæ familiæ : aut potius Judas tanquam fratrum animosissimus, a Jacobo patre constitutus erat quasi prætor totius familiæ, quæ numerosa erat, puta omnium Hebræorum : hi enim a tempore Abrahæ propriam habuerunt rempublicam a republica Chananæorum distinctam, in qua patriarcha et princeps erat Jacob. Erant enim ipsi peregrini a Deo selecti et segregati ab aliis populis, erantque quasi respublica ambulans, donec sub Josue in Chanaan sedes fixerunt. Judas ergo quasi prætor nurum suam Thamar ad rogum depoposcit, ob certum et publicum adulterii crimen : erat enim ipsa desponsata Selæ filio Judæ, ac sponsalia hæc violavit per concubitum cum Juda; ideoque fuit adultera. Vers. 24.

Adulterii pœna olim erat combustio.

Hinc patet adulterii pœnam prisco illo sæculo fuisse mortem, eamque ignis : sicuti paulo post Deus per Mosen adulteros jussit occidi per lapidationem, *Levit.* XX, 10. Item mulieribus adulteris decrevit aquas maledictionis, quæ uterum earum

(1) Nec eorum contemnenda sententia, quibus פתח עינים sit *apertio* duorum fontium, id est, locus ubi gemini prorumpebant fontes.

(2) *Annulus* hic est signatorius, de armilla pendens, ut etiamnum apud illarum regionum incolas moris est. Vid. de Saulcy, *Hist. de l'Art Judaïque,* pag. 16.

Adulterii pœna apud Ægyptios. disrumperent, *Num.* v, 27. Ægyptii adulteros virgis cædebant ad mille plagas; adulteras naso truncabant, ad perenne dedecus. Testis est Diodorus, lib. I, cap. VI.

Arabes. Parthos. Apud Arabes, Parthos aliasque nationes, adulteris semper pœna capitis fuit : quod plerique Philosophi prodidere, qui adulterium perjurio gravius crimen censuerunt. Testis est Alexander ab Alexandro, lib. IV, cap. I.

Cumanos. Cumani adulteram in foro omnibus ridendam exponebant : deinde asino per totam urbem circumvehebant, ut tota vita esset infamis, indeque ὀνόβατις dicebatur, quod asinum equitasset, testis Plutarchus in *Probl.* Tenedius rex legem tulit in adulteros, ut utriusque corpus securi concideretur, ejusque legis exemplum in filium edidit. Plato, lib. IX *De Legibus*, fornicantem mortis supplicio condemnat; adulterium impune a viro occidi posse asserit. Solon adulterum deprehendenti permisit occidere, teste Plutarcho in *Solone*.

Romanos. In adulteros graves pœnas sanxit Julius Cæsar, Augustus, Tiberius, Domitianus, Severus et Aurelianus, qui in adulterum id excogitavit, ut duarum arborum inflexis capitibus, ac ad pedes religatis, moxque dimissis, intervulsus utrimque propenderet. Testis est Cœlius, lib. X, cap. VI. Opilius Macrinus adulteros igne cremabat, teste Alexandro ab Alexandro supra.

Saxones. Saxones, adhuc Pagani, adulteram cogebant se suspendio necare, et super bustum illius incensæ et concrematæ, adulterum suspendebant; testis S. Bonifacius apud Guillielmum Malmesbur. lib. I, cap. LXIV *De Anglis*.

Turcas. Quin et Mahomet, adulterum publice fustigari ad centum ictus sanxit.

Brasilios. Brasilienses adulteras vel occidunt, vel tanquam servas vendunt : testis Osorius, lib. II *De Gestis Emmanuelis*.

Nota : Judas ex ira hic præcipitat sententiam : damnat enim Thamar inauditam; rursum damnat non tantum Thamar, sed et fœtum ejus innocentem. Jussit enim Thamar gravidam, cum fœtu trimestri jam animato, comburi; itaque fœtum tam corpore, quam anima interfici, quod est contra omne jus naturæ et Gentium. Ita Cajetanus. Quod enim aliqui sic exponunt : « Producite eam, » scilicet, inquiunt, non proxime ad rogum, sed carcerem, ut illic asservetur, donec pepererit, et postea comburatur, non satis cohæret cum textu, qui sic habet : « Producite eam, » non ut incarceretur, sed « ut comburatur. » Unde et mox ad ignem protracta fuit Thamar. Subdit enim statim Moses, dicens : « Quæ cum duceretur ad pœnam. » Nam post hæc Thamar demum vers. 27 parit.

Vers. 26. 26. JUSTIOR ME EST. — Non ait, sanctior me est, vel castior, sed justior; quia gravius peccavit Thamar quam Judas : hic enim sola fornicatione, illa fornicatione, adulterio et incestu peccavit. Justior tamen fuit, id est magis æque ac juste egit Thamar cum Juda, quam Judas cum Thamar : Judas enim promissa et pacta sua illi non servavit, negando ei matrimonium Sela promissum; itaque provocavit et adegit eam ut hanc stropham strueret Judæ, qua prolem, quam ex Sela sperabat, cum eam injuste impediret Judas, ab ipso Juda repeteret. Cum enim Thamar familiæ Judæ et Abrahæ jam addicta, omnino ex ea prolem cuperet, et negaretur ei suus Sela, alium modum, ut sui justi voti compos fieret, non habuit quam si astute, licet per scelus, ex ipso Juda prolem quæreret : Thamar ergo coram Deo iniquior, sed coram Juda justior extitit. Cur Thamar justior quam Judas?

QUIA NON TRADIDI EAM SELA. — Subaudi, idcirco hoc fecit, ut hanc in me fabam cuderet.

ATTAMEN ULTRA NON COGNOVIT EAM. — Mansit ergo Thamar deinceps cælebs, contenta prole suscepta ex Juda, inquit Theodoretus; nam Sela eam, hoc incestu paterno pollutam, non potuit, nec voluit habere conjugem, sed aliam duxit, ut patet *Num.* XXVI, 19; ex qua varios genuit filios, et inter eos unum, qui stare fecit solem, ut dicitur I *Paral.* IV, 22, de quo ibi.

27. APPARUERUNT. — Obstetrix manu ad uterum admota, cognovit duos intus motitari, et quasi luctari, uter prior exiret. Vers. 27.

28. ISTE EGREDIETUR PRIOR. — Hebraice, *iste egressus est prior, q. d.* Iste est primogenitus, quia prior manum extulit; unde coccineo filo, vel funiculo eum ligabo et signabo, ut, si oriatur dubium, vel incertitudo aliqua, sciatur ex filo quod hic prior manum extulerit, sitque primogenitus. Vers. 28.

29. RETRAHENTE MANUM. — Hæc omnia Deo dirigente et disponente facta esse docet S. Chrysostomus; nimirum volebat Deus non Zaram, sed Phares primo nasci, esseque primogenitum, quia ex Phares volebat nasci Christum Dominum. Vers. 29.

DIXITQUE MULIER, — obstetrix ægre ferens se deceptam; metuens etiam ne hæc violenta colluctatio et eruptio matri aut gemellis noceret, dixit :

QUARE DIVISA EST PROPTER TE MACERIA? — Hebr. est, « quare rupisti super te rupturam, » vel « maceriam, » id est, cur membranam qua operiebaris rupisti, ut prodires ante fratrem tuum? hoc est, cur ruptis secundinis prior egressus es, et antevertisti fratrem tuum (1)?

Gemelli enim easdem secundinas habent. Audi Fernelium, lib. VII *Physiologiæ*, cap. XII : « Qui gemelli unius sunt sexus, iisdem secundinis involuti, simplici duntaxat membrana (quam ἄμνιον, id est agninam vocant) sejunguntur; suum quisque tamen umbilicum, propriasque tum venas, tum Gemelli ejusdem sexus eadem habent secundinas.

(1) Alii, ob accentum, divisim legunt et vertunt ita : *Quid rupisti! Super te est ruptura*, tibi est imputanda, *q. d.* obstetrix : Ejus eruptionis causa ego non habear, sed tu, qui sponte egredieris. Quanti momenti essent apud illius ævi homines πρωτοτόκια, exemplo Jacobi et Esavi aliorumque satis notum est.

arterias obtinet; qui vero diversi sunt sexus, diversas quoque secundinas acceperunt, easque prorsus diremptas. » Idem docet Rodericus a Castro, lib. III *De Natura mulierum*, cap. XIII, idemque per experientiam se comperisse nostri Medici profitentur.

Nota : Hæc sunt verba obstetricis ægre ferentis, uti dixi, præreptum esse Zaræ a Phares exitum ex utero et primogenituram. Nota : Pro *maceria*, hebraice est *Phares*, id est, ruptura, item murus, sive sepes (ut vertunt Septuaginta) quæ rumpitur; murus hic est membrana, qua quasi muro infans in utero matris cingitur et involvitur, quaque perrupta egreditur. Hæc membrana vocatur secundinæ, eo quod infantem nascentem sequantur, et ex utero emittantur. Hinc infans vocatus est Phares, id est, divisio vel divisor, aut ruptor, quia prior rupit et divisit secundinas, quasi murum sibi obstantem, ut prior nasceretur. « Phares, inquit S. Hieronymus, ab eo quod diviserit membranulam secundinarum, divisionis nomen accepit : unde et Pharisæi, qui se quasi justos a populo separaverant, Pharisæi, id est divisi, appellabantur. » Hinc et illud, quod Baltasari inscriptum fuit, *Daniel.* V, 28 : « Mane, Tekel, Phares, » id est, « numeratum, appensum et divisum est regnum tuum, » ac datum Persis et Medis. Ita S. Hieronymus.

Phares est divisor.

Nota *secundo*, Phares habitus fuit primogenitus Judæ, habuitque jura primogenituræ; unde stirps Judæ texitur per Phares : ac David omnesque reges, et Christus ipse Judæ promissus, *Gen.* XLIX, 10, de eo per Phares prognati sunt.

Dices : Sela, filius Judæ legitimus, senior fuit Phares, proxime enim post Her et Onan genitus est; ergo iis mortuis, ad eum devolutum est jus primogenituræ, præsertim cum Sela filios reliquerit, qui nominantur I *Paral.* IV, 21. Respondeo Her fuisse primogenitum Judæ; eoque mortuo, debuisse Onan, et deinde Selam ducere ejus uxorem relictam Thamar, ac ex ea suscitare semen Her fratri suo, ejusque nomine censere primogenitum, scilicet vocando eum filium Her, ut dixi vers. 9. Quia vero hoc non fecit Sela, sed Judas gignendo ex Thamar Phares, hinc Phares censetur primogenitus, utpote filius Thamar, uxoris Her primogeniti, ac consequenter succedens in locum Her primogeniti, ex usu et lege illius sæculi. Hac de causa operose hic narratur generatio et nativitas Phares, ante Zaram, quia si Zara fuisset natus ante Phares, fuisset primogenitus Judæ : hinc in utero contendit cum Phares, ut prior nasceretur. Hic rursum videmus causam, cur Thamar tam ardenter quæsierit prolem ex Sela, et eo negato, ex Juda; quia scilicet cupiebat ex se nasci primogenitum hæredem et principem nobilissimæ familiæ Judæ. Licet enim lex de suscitando semine fratri demortuo, tantum nominaret et obligaret fratres, non patres, eo quod copula nurus cum patre, puta cum socero, esset vetita : tamen si pater filium suum negaret nurui illiberi et viduæ, illi ex lege debitum, illaque proinde jus suum, licet per scelus, reposceret a patre, puta a socero, uti fecit hic Thamar, tunc proles ex ea primo nascens, censebatur primogenita, quia juris fictione et interpretatione, censebatur pater fecisse, jusque nurui, æque ac primogenito suo mortuo debitum reddidisse per se, quod debuisset facere et reddere per filium superstitem. Cum enim regula Juris habeat : « Quod quis facit per alium, hoc per se facere videtur; » multo magis, quod per alium facere tenetur, si per se faciat, reipsa fecisse censendus est. Addunt aliqui videri stirpem Selæ in posteris defecisse, nulla enim ejus alibi fit mentio : Phares vero stirps duravit usque ad Christum. Emortua ergo stirpe Selæ, omni jure primogenitura devoluta est ad stirpem Phares, utpote proximam. Verum hoc incertum est, nec satisfacit. Nam jam inde ab initio, cum adhuc staret stirps Selæ, Aminadab, qui fuit secundus a Phares (Phares enim genuit Esron, hic genuit Aran, hic Aminadab, ejusque filius Naasson, fuerunt principes in tribu Judæ, quasi ejus primogeniti, ut patet *Num.* I, 7.

30. ZARA. — « Zara » hebraice idem est quod *oriens*, quia hic filius cum prior extendisset manum, prior quoque oriri et nasci debebat naturaliter. Vocatus est, inquit S. Hieronymus, « Zara, » id est oriens, sive quia primus apparuit, sive quod plurimi justi ex eo nati sunt, ut patet I *Paral.* cap. II et seq. Vers. 30. Zara est oriens.

Allegorice, Zara qui prior manum protulit, est Judæus, qui prior legem accepit, sed manum coccineo filo ligatam retraxit, quia conscientiam Christi sanguine pollutam, a Deo et salute avertit : unde ei prælatus est Phares, id est, Gentilis populus, qui prior ad lucem fidei venit, et Deo natus est, rupitque maceriam inimicitiarum inter Deum et homines, per Christi sanguinem. Ita Rupertus et Cyrillus. E contrario tamen S. Chrysostomus, Irenæus et Theodoretus per Zaram Christianos Gentiles, per Phares Judæos accipiunt.

Moraliter, vide hic qualis sit origo familiarum nobilissimarum, quidque sit nobilitas. Ecce enim ex hoc incestu Judæ cum Thamar prognati sunt David, Salomon omnesque reges Judæ, ipseque Christus Dominus : hic enim a Juda per Phares et Thamar descendit. Nam omnes legitimi filii Judæ, vel nullos, ut Her et Onan, vel paucos et plebeios, ut Sela, posteros habuerunt, ut liquet I *Paral.* IV, 21. Pari modo nullus est rex, aut princeps, qui si suos majores a bis mille annis repetat, inter eos non inventurus sit multos spurios, multos rusticos aut cerdones, aut his viliores, quinimo permulti ex vilissima prosapia mox ad regnum evecti sunt. Ita Saul ab asinis, David ab ovibus ad regnum evasit. Jephte ex latrone factus est princeps, Arsaces ex latrone factus est rex Parthorum, Gyges ex pastore factus est rex Lydorum. Darius Hystaspis Cyri pharetrophorus fuit. Valentinia- Moraliter, omnis nobilitas ignobile habuit principium. Exempla.

nus I Imperator patrem habuit funes torquentem. Tamberlanes ex bubulco factus est rex Tartarorum. Agathocles Syracusanorum tyrannus patrem habuit figulum. Tullus Hostilius ex pastore factus est rex Romanorum. Aurelianus et Diocletianus humili genere nati sunt. Maximinus fuit opilio. Maximus Puppienus patrem habuit fabrum ferrarium. Justinus I Imperator *primo*, fuit subulcus; *secundo*, bubulcus; *tertio*, faber lignarius; *quarto*, miles, inde Imperator. Mahometes, auctor mahometismi et Alcorani, camelarius fuit. Othomanus, primus Turcarum princeps, agrariis parentibus ortus est, cujus posteri etiamnum Turcarum sunt Imperatores. Sultanos Ægyptios ex gentis et regni instituto prius oportebat servos esse, quam ad eum honorem conscenderent. Denique omnis nobilitas ignobile habuit principium : et qui in avorum nobilitate gloriantur, non in sua, sed in aliena virtute gloriantur. Et hoc ergo vanitas est. Recte Poeta :

> Tota licet veteres exornent undique ceræ
> Atria, nobilitas sola est atque unica virtus.
> Nam genus, et proavos, et quæ non fecimus ipsi,
> Vix ea nostra voco.

Et merito Iphicrates cuidam exprobranti ignobilitatem : « Meum, inquit, genus a me incipit, tuum in te desinit. » Ita Plutarchus in *Apophthegm.* Idem suis æmulis respondit Cicero : « Ego, ait, meis majoribus virtute præluxi. »

CAPUT TRIGESIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Josephi castitas tentatur ab hera : ille relicta ei chlamyde fugit, ideoque per calumniam heræ incarceratur.

1. Igitur Joseph ductus est in Ægyptum, emitque eum Putiphar eunuchus Pharaonis, princeps exercitus, vir Ægyptius, de manu Ismaelitarum, a quibus perductus erat. 2. Fuitque Dominus cum eo, et erat vir in cunctis prospere agens : habitavitque in domo domini sui, 3. qui optime noverat Dominum esse cum eo; et omnia quæ gereret, ab eo dirigi in manu illius. 4. Invenitque Joseph gratiam coram domino suo, et ministrabat ei, a quo præpositus omnibus, gubernabat creditam sibi domum, et universa quæ ei tradita fuerant : 5. benedixitque Dominus domui Ægyptii propter Joseph, et multiplicavit tam in ædibus quam in agris cunctam ejus substantiam. 6. Nec quidquam aliud noverat, nisi panem quo vescebatur. Erat autem Joseph pulchra facie, et decorus aspectu. 7. Post multos itaque dies injecit domina sua oculos suos in Joseph, et ait : Dormi mecum. 8. Qui nequaquam acquiescens operi nefario, dixit ad eam : Ecce dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua : 9. nec quidquam est quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi præter te, quæ uxor ejus es : quomodo ergo possum hoc malum facere, et peccare in Deum meum? 10. Hujuscemodi verbis per singulos dies, et mulier molesta erat adolescenti, et ille recusabat stuprum. 11. Accedit autem quadam die, ut intraret Joseph domum, et operis quippiam absque arbitris faceret : 12. et illa apprehensa lacinia vestimenti ejus, diceret : Dormi mecum. Qui relicto in manu ejus pallio, fugit, et egressus est foras. 13. Cumque vidisset mulier vestem in manibus suis, et se esse contemptam, 14. vocavit ad se homines domus suæ, et ait ad eos : En introduxit virum Hebræum, ut illuderet nobis : ingressus est ad me, ut coiret mecum, cumque ego succlamassem, 15. et audivisset vocem meam, reliquit pallium quod tenebam, et fugit foras. 16. In argumentum ergo fidei retentum pallium ostendit marito revertenti domum, 17. et ait : Ingressus est ad me servus Hebræus quem adduxisti, ut illuderet mihi : 18. cumque audisset me clamare, reliquit pallium quod tenebam, et fugit foras. 19. His auditis dominus, et nimium credulus verbis conjugis, iratus est valde : 20. tradiditque Joseph in carcerem, ubi vincti regis custodiebantur, et erat ibi clausus. 21. Fuit autem Dominus cum Joseph, et misertus illius dedit ei gratiam in conspectu principis carceris. 22. Qui tradidit

in manu illius universos vinctos qui in custodia tenebantur : et quidquid fiebat, sub ipso erat. 23. Nec noverat aliquid, cunctis ei creditis : Dominus enim erat cum illo, et omnia opera ejus dirigebat.

Vers. 1. 1. IGITUR JOSEPH. — Redit hic Moses ad historiam Josephi, intercisam cap. præcedenti per historiam genealogiæ Judæ; gesta enim Josephi et Judæ præ aliis fratribus prosequitur hic Moses, quia Judas et Joseph diviserunt primogenituram Rubeni, a qua ipse propter incestum excidit, ut patebit cap. XLIX, vers 3 et 4.

EMITQUE EUM PUTIPHAR. — Tradunt Hebræi, inquit S. Hieronymus, Putiphar emisse Josephum ob nimiam ejus pulchritudinem, in turpe ministerium, ideoque Deo vindice virilia ei exaruisse, ut fieret eunuchus, eaque de causa electum esse sacerdotem Heliopoleos : et hujus filiam esse Aseneth, quam postea uxorem Joseph accepit. Hanc traditionem probare videtur S. Hieronymus, eamque sequitur Rupertus. Sed alii passim non immerito eam habent pro fabula, a Judæis more suo conficta.

Vers. 2. 2. FUITQUE DOMINUS CUM EO, — eum ejusque actiones per omnia dirigendo et prosperando, eumque omnibus amabilem et gratiosum efficiendo. Ita S. Chrysostomus. Unde sequitur : « Et erat vir (non ætate, erat enim juvenis 17 annorum, sed prudentia et gravitate) in cunctis prospere agens.» Quam felix et fortunatus est, cujus actiones omnes dirigit Deus!

Nota quod Deum etiam in Ægypto invenit Joseph : pius enim et sanctus ubicumque fuerit, invenit Deum, juxta illud *Psal.* CXXXVIII : « Si ascendero in cœlum, tu illic es. » Vide fidelitatem Dei, qui nusquam in adversis suos derelinquit, uti facit mundus.

Vide rursum, ut omne solum forti patria est. Stilpo, a Demetrio captus Megaris, et rogatus num quid amisisset, respondit : « Bellum nulla ex virtute spolia ducit. » Et Bias, capta patria, profugus : « Omnia mea, inquit, mecum porto. » Idem sensit et fecit hic Joseph. Addit S. Chrysostomus, *hom.* 62, Joseph in tot tantisque suis calamitatibus, non cecidisse animo, nec diffisum esse suo somnio, et Dei de sua exaltatione promisso, multo minus putasse se a Deo esse derelictum; sed « omnia, inquit, tulit fortiter et mansuete, sperans a Deo meliorem sortem, nec dubitans se hac via exaltatum iri. « Hic enim mos est Deo, inquit, ut non liberet a tentationibus et periculis viros virtute claros, sed in ipsis suam declaret virtutem, ut tentationes ipsæ eis fiant occasio lætitiæ magnæ. Propter hoc et B. David : « In tribulatione dilatasti mihi; » non ait, « Liberasti, » sed « dilatasti mihi, » id est me. Audi S. Ambrosium, lib. *De Joseph*, cap. IV : « Servile, ait, est omne peccatum, libera innocentia. Quomodo autem non est ille servus, qui subditus est libidini? suscipit omnes metus, insidiatur somnis singulorum : ut unius cupiditate potiatur, fit servus omnium. » Et mox : « Nonne videtur tibi iste in servitute dominari, ille autem in libertate servire? Serviebat Joseph, regnabat Pharao : beatior hujus servitus, quam regnum illius. Denique tota Ægyptus collapsa esset fame, nisi regnum suum servili consilio subdidisset. Habent igitur unde glorientur originales servuli : servivit et Joseph; habent quod imitentur, ut discant conditionem se mutare posse, non mores; esse et in vernaculis libertatem et in servitute constantiam (1). »

Vers. 6. 6. NEC QUIDQUAM ALIUD NOVERAT, NISI PANEM QUO VESCEBATUR, — non Putiphar, sed Joseph, inquit Hieronymus Prado in *Ezech.*, cap. XIX, vers. 39, *q. d.* Joseph nil omnino ex tam locupleti substantia, sibi a domino suo credita, usurpabat aut vindicabat, præter necessariam vitæ annonam : ut cognoscere hic idem sit quod sibi vindicare, pro suo agnoscere, sibi adscribere, quasi Joseph hic laudetur a rara quadam continentia, sive abstinentia.

Verum, quia vers. 13 idem dicitur, non de Joseph, sed de custode carceris, quod scilicet nihil de suis nosset, sed omnia credidisset Josepho : hinc melius hic quoque eadem phrasin eodem modo accipiemus, *q. d.* Putiphar ita omnia sua credebat Josepho, ut de iis nihil inquireret, nihil cognosceret, nullius rei curam gereret, nisi tantum ut accumberet mensæ, et frueretur eis quæ Joseph curabat et procurabat. Ita Philo et S. Ambrosius.

Vers. 7. 7. POST MULTOS DIES, — anno circiter undecimo captivitatis et servitutis suæ in Ægypto, cum jam esset 27 annorum. Nam anno ætatis suæ 17, Joseph ductus est in Ægyptum, et anno 30 liberatus est e carcere, in quo triennium fuerat propter hanc calumniam heræ suæ, uti ostendam cap. XL, vers. 4; conjectus est ergo in carcerem anno ætatis suæ 27.

Oculi sunt in amore duces.

INJECIT DOMINA SUA OCULOS SUOS IN JOSEPH. — Nimirum, oculi sunt in amore duces. Qui vult ergo castus esse, imitetur Job dicentem, cap. XXXI : « Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. » Rursum discant hic, ait S. Ambrosius, juvenes cavere oculos feminarum : adamantur enim etiam ii qui nolunt amari.

Vers. 9. 9. QUOMODO ERGO POSSUM HOC MALUM FACERE? — ut hero meo in me ita propenso, tam ingratus, infidus et injustus sim?

ET PECCARE IN DEUM MEUM, — quem, ut ubique

(1) Vers. 2. Hebr. est, *in domo dominorum suorum*, plurali honoris causa adhibito. Vers. 4. *Gubernabat creditam sibi domum.* Talis servus Romanis dicebatur *atriensis*. Cf. Plauti *Asinar.* Act. II, scen. 4.

præsentem, intueor et revereor, quem ut patrem amo, et vindicem timeo.

Tribus vinculis pii constringuntur, ne peccent. Primum est, reverentia Dei.

Pie notat hic Pererius tria esse vincula, quibus viri sancti fortissime se constrictos sentiunt, ne possint Deum offendere. *Primum* est reverentia divinæ majestatis, ubique præsentis et cuncta cernentis. Sancti enim viri, semper in conspectu Dei ambulantes, videntur sibi non posse non omnia caste sancteque facere, ideoque ne præsens numen ulla re offendant, ab iis omnibus quæ ei displicent, religiosissime cavent. Contra faciunt impii, de quibus dicitur *Psalm.* IX : « Non est Deus in conspectu ejus, inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore, auferuntur judicia tua a facie ejus. » Tales fuerunt senes illi Susannæ insidiantes, de quibus dicitur *Daniel.* XIII, 9 : « Everterunt sensum suum, et declinaverunt oculos suos, ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum justorum. »

Secundum est, memoria beneficiorum Dei.

Secundum est recordatio benevolentiæ ac beneficentiæ Dei erga se. Et hoc est quod ait Dominus, *Osee* XI : « In funiculis Adam (id est, iis quibus trahi solent homines, puta amore et beneficiis) traham eos in vinculis charitatis. » Quis non reputet impossibile sibi esse in Deum peccare, si serio consideret Dei in se tot et tanta beneficia, præterita, præsentia et futura, quæ suis promisit? et Deum esse eum, in quo vivimus, movemur et sumus, cujus beneficium est, quidquid boni in corpore animoque habemus? Denique si consideret Deum in se esse optimum, pulcherrimum, suavissimum, summe amabilem, talemque se nobis exhibere nunc et magis exhibiturum in cœlo, si constanter ei adhereamus. Vide S. Augustinum, serm. 83 *De Tempore,* ubi de Josepho hoc nostro loquens, ex S. Ambrosio auream hanc affert sententiam : « Amator Dei dilectissimi, amore mulieris non vincitur; castum animum incitans adolescentia non permovet, nec diligentis auctoritas : magnus plane vir, qui venditus servire tunc nescivit, adamatus non redamavit, rogatus non acquievit; apprehensus aufugit. »

Tertium, timor judicii divini.

Tertium vinculum est timor Dei, conceptus ex consideratione severissimi judicii et vindictæ, quam Deus tum in hac vita sæpe, tum certissime et rigidissime exercebit in die judicii, ubi nullum peccatum, etiam minimum relinquet impunitum. Unde David, *Psalm.* CXVIII : « Confige, inquit, timore tuo carnes meas : a judiciis enim tuis timui »

S Basilii exhortatio ad fugam peccati.

Hinc S. Basilius in illud *Psalm.* XXXIII : « Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos : Cum te, inquit, appetitus invaserit peccandi, velim cogites horribile illud Christi tribunal, in quo præsidebit judex in excelso throno; astabit autem omnis ejus creatura, ad gloriosum ejus conspectum contremiscens : adducendi etiam nos sumus singuli; eorum quæ in vita gessimus rationem reddituri : mox illis qui mala perpetrarunt, terribiles quidam et deformes assistent angeli, igneos vultus præ se ferentes, atque ignem spirantes in homines, scilicet impios. Ad hæc cogita profundum barathrum, et inextricabiles tenebras, et ignem carentem splendore, urendique vim habentem, sed privatum lumine; deinde vermium genus, venenum immittens, et carnem vorans, inexplebiliter esuriens, neque unquam saturitatem sentiens, atque intolerabiles dolores corrosione ipsa infigens. Denique quod omnium gravissimum est, opprobrium illud, et confusionem sempiternam. Hæc time, et hoc timore quasi freno, animum a peccatorum concupiscentia reprime. » Ita S. Basilius.

Exempla malentium mori, quam peccare : Susannæ.

Josephum castum imitata est casta Susanna; dum ad scelus sollicitata dixit : « Angustiæ mihi sunt undique; sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini. » Ita Sancti omnes usque ad mortem restiterunt peccato. Paulus, *Rom.* VIII : « Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio, an angustia, etc. Certus sum, quia neque mors, neque vita, » etc. Ruffinus dixit Theodosio Imperatori se curaturum ut Ambrosius vincula ei injecta laxaret. Cui Theodosius : « Novi ego constantiam Ambrosii, et quod nullo regiæ majestatis terrore Dei legem transgredietur. » Eudoxiæ Imperatrici minitanti S. Chrysostomo dixerunt sui : « Frustra illum hominem terres; nihil ille nisi peccatum timet. » S. Ludovicus Franciæ rex, puer a Blancha matre didicit « potius mortem oppetere, quam in peccatum lethale consentire. » Tobias filio suo : « Cave ne aliquando peccato consentias; multa bona habebis, si timueris Deum. » S. Edmundus Cantuariensis archiepiscopus : « Malo, inquit, insilire in rogum ardentissimum, quam peccatum ullum sciens admittere in Deum. » Sapiens : « Tanquam a facie colubri fuge peccatum. » S. Anselmus : « Si hinc peccati horrorem, inde inferni dolorem corporaliter cernerem, et necessario uni eorum immergi deberem, prius infernum quam peccatum appeterem. » Ita Machabæi, ita Martyres tormenta prætulerunt peccato.

Pauli. Ambrosii. Chrysostomi. S. Ludovici. Tobiæ. Edmundi. Anselmi.

Audi et Gentiles : Aristoteles, III *Ethic.* : « Melius est mori, quam facere aliquid contra bonum virtutis. » Seneca : « Et si scirem homines ignoraturos, et Deum ignosciturum, tamen peccare nollem, ob peccati turpitudinem. » Quid enim est peccatum? est cadaver, est lepra, est cloaca fœdissima : est monstrum naturæ rationalis : est offensa et læsio divinæ Majestatis : est reatus ignis æterni : est deicidium, est christicidium. Papinianus Jurisconsultus, licet Gentilis, mori maluit, quam parricidium Caracallæ Imperatoris, qui occiderat fratrem Getam, defendere : testis est Spartianus in *Caracalla.* Democles puer in balneo, ut stuprum Demetrii regis evaderet, in aquam ferventem insiliit : ne se pollueret, maluit ille mori : testis Plutarchus in Vita Demetrii.

Gentilium. Aristotelis. Senecæ. Papiniani. Democlis.

10. HUJUSMODI VERBIS PER SINGULOS DIES LOQUE- Vers. 10.

Constantia invicta Josephi.

BATUR. — Nota hic invictam Josephi constantiam. Nam etiam ingentes arbores magnis crebrisque percussæ ictibus concidunt; etiam durissima saxa guttis minutissimis assidue cadentibus excavantur : quanto magis homo magnitudine et assiduitate tentationum superabilis est, cujus caro non est ænea, ut inquit Job, nec fortitudo ejus, est fortitudo lapidum; Joseph tamen non cessit, nec humanæ naturæ infirmitati, nec juvenilis ætatis in libidinem proclivitati, non assiduæ sollicitationi heræ suæ, non opibus et promissis, quæ illa offerebat, non minis et periculis gravissimis, quibus se, si facinus recusaret, exponebat. Disce hic nullam tentationem, quantacumque ea sit, esse insuperabilem, teque inexcusabilem fore si ab ea te superari sinas, cum omnem, æque ac Joseph, per Dei gratiam superare possis et debeas, præsertim si jugiter memor sis æternitatis et æternæ gloriæ vel gehennæ : certa pro æternitate.

STUPRUM, — adulterium.

Vers. 12.

12. LACINIA, — ora vel extremitate pallii. Addit Josephus illam finxisse morbum, et sollicitasse Josephum in die festo solemni, quo familia domo aberat. Sed videtur Josephus hæc, uti et alia, de suo addere præter veritatem; si enim ita est, quomodo ergo mulier, vers. 13, elapso Joseph exclamavit, et evocavit domesticos?

Cur fugit Joseph? Prima Causa. Secunda.

FUGIT. — Potuisset Joseph, utpote juvenis in florenti ætate robustus, feminæ hoc pallium suum per vim extorquere, sed noluit : idque *primo*, ex reverentia, ne quam vim heræ suæ inferret. *Secundo*, quia præsentissimum remedium contra tentationes libidinis est, non colluctatio, sed fuga. Unde Apostolus ait : « Fugite fornicationem. » Vide de fuga hac, deque cavenda familiaritate mulierum, S. Augustinum, serm. 250 *De Temp.*, ubi inter cætera sic ait : « Joseph, ut impudicam dominam posset evadere, fugit; ergo contra libidinis impetum apprehende fugam; si vis obtinere victoriam : nec tibi verecundum sit fugere, si castitatis palmam desideras obtinere. Inter omnia certamina Christianorum, sola duriora sunt prælia castitatis, ubi quotidiana est pugna, et rara victoria : hic ergo Christianis quotidiana martyria deesse non possunt. Si enim castitas, et veritas, et justitia est Christus; si et ille qui eis insidiatur persecutor est, ille qui et in aliis defendere, et in se custodire voluerit, Martyr erit. » Recte ergo S. Bernardus in *Sent. brevior.* : « Parcitas, ait, in ubertate, largitas in paupertate, castitas in juventute, martyrium est sine sanguine. »

Tertia. Mulieris tactus contagiosus est.

Tertio, fugit Joseph, ne vel mulierem tangeret, vel ab ea tangeretur : quia vel ipse mulieris tactus, quasi contagiosus et venenatus, est viro fugiendus, non minus quam rabidissimi canis morsus, inquit S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinianum*.

Nota hic : Imitare et apprehende cum Josepho duplex scutum castitatis. *Primum* est præsentis Dei memoria, amor et timor, si nimirum cogites tum Dei præsentiam, Dei judicium, Dei vindictam et infernum; tum Dei bonitatem, pulchritudinem et delicias, quæ omnem corporum pulchritudinem et voluptatem in immensum superat, de quo dixi vers. 9. *Secundum* est fuga occasionum et tentationum, ac præsertim mulierum. Sic enim fugit Joseph, relicta chlamyde.

Duplex scutum castitatis. Primum. Secundum.

Sed quid si fugere non liceat? Audi quid fecerit S. Euphrasia Martyr, quæ ad prostibulum damnata, quod idolis sacrificare nollet, cum ab improbo juvene invaderetur, hac arte eum eludens, et pudori suo consuluit, et martyrium assecuta est. Si, inquit, mihi parcas, docebo te pharmacum, quo perunctus, in præliis nullo telo vel ferro lædi poteris. Ille promisit, si ejus rei fidem faceret; tum illa : In me, inquit, cape experimentum; atque cera cum oleo commixta inungens collum : Feri, inquit, illud quam potes validissime. Fecit juvenis, et uno ictu ei caput resecuit. In hoc stratagemate æque calliditatem virginis, atque constantiam admiraberis : testis est Nicephorus, lib. VII *Hist.* cap. XIII. Non enim erat ei tunc aliud remedium servandæ castitatis, nisi hæc pia fraus, ad quam eam coegit juvenis inhians ejus pudori, quem ut servaret, mori maluit; unde juste juvenem decepit, qui proinde necis ejus auctor censeri debet, tum physice, tum moraliter. Ipsa ergo martyr est, non sui homicida.

Quinque heroicæ virtutes Josephi. Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta.

Nota *secundo*, cum Ruperto, virtutes heroicas Josephi : *primo*, temperantiam et continentiam; quia juvenis 27 annorum existens, isque formosus, et a domina sua pollicente ampla secreto amatus et rogatus, non redamavit, sed constans in sua castitate stetit. *Secundo*, justitiam et fidelitatem; quia heri sui torum exhorruit. *Tertio*, prudentiam; quia apprehensus aufugit. *Quarto*, fortitudinem; quia furias insanæ amasiæ, carceres mortemque ipsam non timuit, et præ sua castitate contempsit. *Quinto*, constantiam; quia quotidie ab hera interpellatus, quasi adamas restitit et constitit.

Joseph in igne illæsus.

Hinc S. Chrysostomus ait magis se mirari factum Josephi, quam tres pueros Hebræos in fornace Babylonia illæsos permansisse. Sicut enim illi, sic et Josephus in mediis ignibus illæsus, non adustus, sed purior, integrior, robustior et clarior effulsit : ut merito Josepho acclamari possit, quod S. Dominico (non fundatori Ordinis, sed alteri ex eodem Ordine) in simili tentatione victori acclamarunt dæmones : « Vicisti, vicisti; quia in igne fuisti, et non arsisti. » Hinc et S. Ambrosius miratur Josephum ita dominantem concupiscentiæ, rebusque omnibus. Audi eum, lib. *De Joseph*, cap. V : « Magnus, ait, vir Joseph, qui venditus servile tamen nescivit ingenium, adamatus non redamavit, rogatus non acquievit, apprehensus aufugit. Qui cum ab uxore do-

mini sui conveniretur, teneri veste potuit, animo capi non potuit : ac ne ipsa quidem verba diu passus est; contagium enim judicavit, si diutius moraretur, ne per manus adulteræ libidinis incentiva transirent. Itaque vestem exuit, crimen excussit. Ille dominus fuit, qui amantis non excepit faces, qui lenocinantis vincula non sensit, quem nulla mortis formido perterruit, qui maluit liber criminis mori, quam criminosæ potentiæ eligere consortium. » Et S. Gregorius, homil. 15 *in Ezech.* : « Conamur, ait, carnis illecebram vincere. Joseph ad memoriam redeat, qui, tentante se domina, studuit carnis continentiam etiam cum vitæ periculo custodire. Unde factum est ut, quia membra sua bene noverat regere, regendæ quoque omni Ægypto præesset. »

Joseph fuit typus Christi.

Allegorice : Joseph, inquit Rupertus, est Christus, mulier Ægyptia est Synagoga, quæ carnaliter Messiam adamat, exspectans ejus regnum terrenum et carnale; sed Christus, relicto ei pallio, id est cæremoniis legis, fugit ad Gentes, a quibus in spiritu et veritate adoratur.

Symbolice Joseph est princeps.

Symbolice, Philo : Joseph, inquit, est princeps, sive rex; Putiphar herus, est populus, penes quem est ipsum jus regni; uxor est concupiscentia et libido, qua populus sæpe ducitur : huic constanter resistit Joseph, id est, verus princeps, si sincere publicum bonum amet et tueatur.

Sic tropologice, herus est ratio, uxor est concupiscentia : huic resistit Joseph, id est, spiritus continens et constans.

Vers. 13. 13. CUMQUE VIDISSET MULIER. — Nota hic ingenium versatile, impudentiam et improbitatem mulieris, nimirum : « Aut amat, aut odit mulier, » nihil est tertium. *Secundo*, ejusdem nequitiam, audaciam et dolos, quibus in Josephum suum crimen intorquet. *Tertio*, ejusdem furias, quibus illi antea adamato necem parat, nimirum :

Mulier sævissima tunc est,
Cum stimulos odio pudor admovet.

Vers. 19. 19. NIMIUM CREDULUS. — Non enim Josepho locum dedit se purgandi, nec de facto inquisivit; sed statim damnavit innocentem. *Secundo*, non advertit homo zelotypus, hanc ipsam vestem indicium esse violentiæ a muliere profectæ, et innocentiæ ac reverentiæ Josephi. Nam si ipse (ut sapienter ait Philo) vim dominæ voluisset inferre, facile vestem suam utpote femina robustior, servasset, imo et feminæ extorsisset.

Vers. 20. 20. TRADIDITQUE JOSEPH IN CARCEREM. — « Humiliaverunt, inquit David, *Psalm.* CIV, in compedibus pedes ejus, ferrum pertransivit animam ejus; » sed paulo post, Deo dirigente, factus est Joseph licet inter vinctos liber, imo princeps. Consolatur, inquit Josephus, se in carcere Joseph, cogitans potentiorem esse Deum iis qui se vincirent. Deo enim se, suamque innocentiam curæ esse sciebat; nec dubitabat quin Deus eum ex his vinculis cum gloria, vel præsenti, vel futura eriperet. Unde « libens, inquit S. Ambrosius, pro castitate subibat hoc carceris mortisque martyrium. » Erat enim Joseph, utpote ob adulterii calumniam incarceratus, in certo martyrii mortisque periculo.

Joseph Martyr.

Joseph fuit typus Christi, et Josephi sponsi B. Virginis.

Allegorice, Joseph est Christus, qui innocens a Juda et Judæis traditus, compactusque est in carcerem mortis, sed inter mortuos quasi liber a Deo Patre effectus, omnium victorum, adeoque inferni potestatem et imperium accepit. Ita Prosper et Rupertus. Audi S. Ambrosium, lib. *De Joseph*, cap. VI : « Considera nunc, ait, illum verum Hebræum (Christum), illum non somnii, sed veritatis et præclaræ visionis interpretem, qui de divinitatis illa plenitudine, de ubertate cœlestis gratiæ in hunc corporeum carcerem venerat; quem non potuit sæculi hujus illecebra mutare, etc.; postremo adulterina quadam Synagogæ manu, veste corporis apprehensus carnem exuit, liber mortis ascendit. Calumniata est meretrix, ubi eum cernere non potuit : quem carcer non terruit, non inferna tenuerunt; quin etiam quo veluti puniendus descenderat, inde alios liberavit; ubi ipsi stringebantur mortis vinculis, ibi laxavit ipse vincula mortuorum. »

Rursum Joseph hic noster patriarcha sua castimonia, innocentia, patientia, gratia adumbravit Josephum sponsum B. Virginis, cujus dignitas et sanctitas præ aliis plerisque Sanctis, vel ex eo colligi potest, quod Christi et Virginis nutritius fuerit, quodque Christi pater dictus sit et creditus. Nam, ut ait S. Bernardus, hom. 2 *super Missus est* : « Ille Joseph fraterna ex invidia venditus et ductus in Ægyptum, Christi venditionem præfiguravit : iste Joseph Herodianam invidiam fugiens Christum in Ægyptum portavit. Ille domino suo fidem servans, dominæ noluit commisceri : iste dominam suam, Domini sui matrem, virginem agnoscens, et ipse continens, fideliter custodivit. Illi data intelligentia in mysteriis somniorum : isti datum est conscium fieri atque participem cœlestium sacramentorum. Ille frumenta servavit, non sibi, sed omni populo : iste panem vivum e cœlo servandum accepit, tam sibi, quam toti mundo. »

Vers. 23. 23. NEC NOVERAT ALIQUID, — non Joseph, sed custos carceris, qui vinctos, omniaque in carcere Josepho crediderat. Vide dicta vers. 6. Eleganter S. Chrysostomus (vel quisquis est auctor : stylus enim Latinum redolet auctorem), hom. *De Josepho vendito*, tom. I : « Intrat, ait, Joseph sanctissimus custodiam, visitator magis quam reus; provisor, non socius; medicus, non ægrotus. Adeo fit cunctorum præpositus, fit in reorum solatium procurator. Gaude, innocentia, et exulta; gaude, inquam, quia ubique illæsa es, ubique secura. Si tentaris, proficis; si humiliaris, erigeris; si pugnas, vincis; si occideris, coronaris. Tu in servitute

libera es, in periculo tuta, in custodia læta. Te potentes honorant, suspiciunt principes, magnates exquirunt. Tibi boni parent, mali invident, zelant æmuli, inimici succumbunt. Nec unquam poteris victrix non esse, etiamsi inter homines tibi justus judex defuerit. »

CAPUT QUADRAGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Joseph pincernæ et pistori somnia explicat : explicationem probat eventus.

1. His ita gestis, accidit ut peccarent duo eunuchi, pincerna regis Ægypti, et pistor, domino suo. 2. Iratusque contra eos Pharao (nam alter pincernis præerat, alter pistoribus) 3. misit eos in carcerem principis militum, in quo erat vinctus et Joseph. 4. At custos carceris tradidit eos Joseph, qui et ministrabat eis. Aliquantulum temporis fluxerat, et illi in custodia tenebantur. 5. Videruntque ambo somnium nocte una juxta interpretationem congruam sibi : 6. ad quos cum introisset Joseph mane, et vidisset eos tristes, 7. sciscitatus est eos dicens : Cur tristior est hodie solito facies vestra ? 8. Qui responderunt : Somnium vidimus, et non est qui interpretetur nobis. Dixitque ad eos Joseph : Numquid non Dei est interpretatio ? referte mihi quid videritis. 9. Narravit prior, præpositus pincernarum, somnium suum : Videbam coram me vitem, 10. in qua erant tres propagines, crescere paulatim in gemmas, et post flores uvas maturescere : 11. calicemque Pharaonis in manu mea : tuli ergo uvas, et expressi in calicem quem tenebam, et tradidi poculum Pharaoni. 12. Respondit Joseph : Hæc est interpretatio somnii : Tres propagines, tres adhuc dies sunt, 13. post quos recordabitur Pharao ministerii tui, et restituet te in gradum pristinum : dabisque ei calicem juxta officium tuum sicut ante facere consueveras. 14. Tantum memento mei, cum bene tibi fuerit, et facias mecum misericordiam, ut suggeras Pharaoni ut educat me de isto carcere : 15. quia furto sublatus sum de terra Hebræorum, et hic innocens in lacum missus sum. 16. Videns pistorum magister quod prudenter somnium dissolvisset, ait : Et ego vidi somnium, quod tria canistra farinæ haberem super caput meum : 17. et in uno canistro quod erat excelsius, portare me omnes cibos qui fiunt arte pistoria, avesque comedere ex eo. 18. Respondit Joseph : Hæc est interpretatio somnii : Tria canistra, tres adhuc dies sunt; 19. post quos, auferet Pharao caput tuum, ac suspendet te in cruce, et lacerabunt volucres carnes tuas. 20. Exinde dies tertius natalitius Pharaonis erat : qui faciens grande convivium pueris suis, recordatus est inter epulas magistri pincernarum, et pistorum principis. 21. Restituitque alterum in locum suum, ut porrigeret ei poculum : 22. alterum suspendit in patibulo, ut conjectoris veritas probaretur. 23. Et tamen succedentibus prosperis, præpositus pincernarum oblitus est interpretis sui.

Vers. 1. 1. DUO EUNUCHI, — duo regii ministri et præfecti, etiamsi reipsa non essent eunuchi. Vide dicta cap. XXXIX, vers. 1.

Vers. 2. 2. NAM ALTER, — *q. d.* Iratus est eis Pharao : quia eorum, utpote præfectorum, peccatum subditis poterat esse scandalo et pravo exemplo. Hebræa non habent τὸ *nam*.

Vers. 3. 3. PRINCIPIS MILITUM, — Putipharis, qui fuerat herus Josephi, cap. XXXIX, vers. 20.

VINCTUS, — captivus : jam enim vinculis erat liber, ut patet cap. præced. vers. 22.

4. ALIQUANTULUM TEMPORIS, — puta annus unus, hoc enim significat hebraice יָמִים *jamim*, id est dies in plurali, ut bene probat Franciscus Ribera in *Amos* IV, num. 8. Post hunc annum somniorum Joseph adhuc biennio, ut patet cap. seq. vers. 1, fuit in carcere; triennalem ergo passus est carcerem. In hoc quoque fuit Joseph typus Christi; sicut enim Joseph, post triennium carceris, evectus est ad principatum : ita Christus, post tres dies passionis et mortis, gloriosus resurrexit. Idem triduum Christi resurgentis significatur per

Vers. 4. Triennalis carcer Josephi significat triduum passionis Christi.

tres dies restitutionis pincernæ Pharaonis, vers. 13. Ita ex Isidoro Lipomanus (1).

Vers. 8. 8. NUMQUID NON DEI EST INTERPRETATIO? — *q. d.* Deus per me vobis interpretabitur vestrum somnium; mihi ergo illud enarrate : cumque illud ita, ut interpretatus fuero, reipsa evenire videritis, tunc scitote me non vanum conjectorem, sed verum, ex Dei munere, somniorum esse interpretem, ac consequenter me verum esse veri Dei cultorem et amicum : nec enim Deus aliis hæc sua arcana revelat.

An liceat divinare ex somniis? Somnia triplicia sunt.

Quæres, an ex somniis liceat divinare de futuris? Nota : Triplicia sunt somnia : quædam enim proveniunt a Deo; quædam a dæmone; quædam a natura. Rursum tertia hæc quæ a natura oriuntur, bipartita sunt : quædam enim oriuntur ex diurna cogitatione, vel ardenti erga rem aliquam affectu. Hinc sicuti

Navita de ventis, de bobus narrat arator :

ita et de iisdem somniat. Sunt enim somnia ex diurna cogitatione; quasi in fidibus cessantis impulsus extremæ quædam motiones, quæ ex impulsu resultant, eoque cessante adhuc aliquandiu perdurant, uti ait Gregorius Nyssenus tract. *De opificio hominis*, cap. XXXI. Quædam vero somnia naturalia oriuntur ex temperamento et humore prædominante. Sic enim biliosi somniant cædes, verbera et ignes : phlegmatici somniant aquas, voragines, suffocationes, et a rebus noxiis tardam fugam; hæc enim parit lentum phlegma : sanguinei somniant de musica, de conviviis, de pratis, de avibus, de volatu : melancholici somniant de rebus atris et tristibus, de morte, de sepulcris, de æthiopibus et dæmonibus.

Licet ex somniis divinare de hominis temperamento:

Dico *primo*, ex somniis naturalibus licet divinare naturaliter, id est, conjectare de hominis temperamento, sanitate, affectu et morbis imminentibus. Ita Hippocrates et Galenus libros scripserunt de præsagiis sumendis ab insomniis. Et ratio est, quia effectus naturaliter indicant suam causam : somnia autem hæc sunt effectus certi temperamenti et certi humoris in corpore prædominantis.

Et ex somniis a Deo immissis, si cui ea Deus revelet.

Dico *secundo*, ex somniis a Deo, vel angelo immissis divinare licet; sed ei tantum, qui eorum significationem a Deo vel angelo accepit. Ita Joseph hic et Daniel cap. IV et V, ex somniis divinant.

Dico *tertio*, reliqua somnia, et ex iis divinationes, vel diabolica sunt, vel superstitiosa, vel vana, fallacia et futilia : unde divinatio ex hisce somniis prohibita est, *Deuter.* XVIII, 10.

Nota : Quia somnia divina rara sunt, et vix a dæmoniacis aut vanis dignosci possunt : hinc tutissimum est somnia quælibet contemnere, nisi Deus aliud revelet; hoc autem revelare solet partim illuminando ipsos somniantes, ut sciant somnium sibi esse a Deo immissum, eosque exstimulando ut somnii interpretationem indagent et inquirant, uti fecit his eunuchis, item Nabuchodonosori, *Daniel.* V, et Pharaoni hic cap. XLI; partim interpretationem somniorum suis amicis, virisque sanctis suggerendo, uti eam hic suggessit Josepho, et Danieli cap. IV et V. Vide Conimbricenses in lib. Aristotelis *De Divinat. per somn.* (2). Quomodo Deus revelet somnia sua?

12. RESPONDIT JOSEPH : HÆC EST INTERPRETATIO SOMNII. — Vidit hic pincerna per somnium symbolice sibi suum statum, puta pincernatum, restitui, ut hoc ipso Deus significaret status, dignitates, quin et vitam, omnesque res humanas tantum esse somnium, omnesque hominum spes tantum esse somnia vigilantium, uti aiebat Plato; hoc docet interpres Joseph, id est, vir sapiens et prudens, inquit Philo : ideoque actiones suas, resque omnes ex præscripto virtutis dirigit. Vers. 12. Spes mortalium sunt somnia vigilantium.

TRES PROPAGINES, — tres palmites vitis.

TRES ADHUC DIES SUNT. — « Sunt, » id est, significant. Sicut enim imaginis esse est repræsentare, ita somnii, symboli sive visionis propheticæ esse, est adumbrare et significare res absentes, aut futuras. Ita S. Augustinus (3).

15. DE TERRA HEBRÆORUM, — de terra Chanaan, in qua Jacob ejusque filii Hebræi habitabant (4). Vers. 15.

16. QUOD PRUDENTER (quod apposite, congrue, verisimiliter (5) SOMNIUM EXPOSUISSET; — necdum enim constabat de expositionis veritate, quæ postea ipso eventu comprobata est vers. 21 (6). Vers. 16.

17. OMNES CIBOS QUI FIUNT ARTE PISTORIA, — ac consequenter placentas, artocreas, pastasque carnium, ad quas aves carnivoræ advolabant, easque laniabant et devorabant. Ita Josephus. Portendebant enim hæ carnes et aves, carnes somniantis pari modo ab avibus in cruce laniandas et devorandas esse. Vers. 17.

19. POST QUOS — inchoatos : nam ipso tertio die suspensus est pistor, et hoc portendebant aves ex Vers. 19.

(1) Vers. 5. *Quisque juxta interpretationem sui somnii*, id est, juxta id, quod per illud indicabatur, ut postea utrique evenit, quod in somnio significabatur.

(2) Vers. 11. Videtur tum moris fuisse, ait Rosenmullerus, ut uvæ recentes in calicem regum exprimerentur. Ægyptii enim, ante Psammetichi regis ætatem neque ipsi biberunt vinum, neque diis libarunt, edocti neque a Deo, sed a genio malo (Typhone), diis et hominibus inimico, illud inventum esse, teste Plutarcho, *De Iside et Osiride*, § 6. Divites tamen succum ex uvis recentibus expressum, uti hodie Mohammedani, bibere solebant. Contrarium autem asserit riteque probat Wiseman, op. cit. *Confér.* 5. Cf. Costazii *Description de l'Egypte ancienne*, *Mém.* tom. V. Paris, 1809, pag. 62, et Champollionis *Lettres à M. le duc de Blacas*, lettr. I, pag. 37.

(3) Bene Hieronymus hebr. *tollet caput tuum* interpretatur *recordabitur*. *Ferre* enim, vel *tollere caput*, ex usu loquendi Hebræorum est censum agere, numerum inire, ut sensus sit : Censebit et numerabit te inter servos ac ministros suos.

(4) Ita loquitur Josephus, quia noluit se e terra Cananæa sublatum dicere, ne Cananæum se videretur profiteri, a qua gente abhorrebat.

(5) Rectius, *feliciter*, et ex sententia pocillatoris, *jucunda* videl. et *læta*.

(6) Pro *canistra farinæ*, alii hebr. vertunt *canistra perforata*, vocem חרי a חור, foramen, deducentes.

tertio canistro carnes lacerantes et comedentes. Ita Josephus.

AUFERET CAPUT TUUM, — non per gladium te decollando, ut vult Philo; sed per laqueum te suspendendo, itaque te caputque tuum necando. Unde sequitur : « Ac suspendet te; » qui enim vitam homini aufert, hic aufert et caput : quia in capite maxime vivit et viget homo, quæ vita et vigor tam capiti, quam homini, per laqueum et mortem, æque ac per gladium aufertur.

ET LACERABUNT VOLUCRES CARNES TUAS. — Hinc patet corpora suspensorum etiam tunc, uti et nunc, in patibulo fuisse relicta, ut ibi vel computrescerent, vel a sole et ventis siccarentur et tabescerent, vel ab avibus lacerarentur. Unde illud :

Non feci furtum; non pasces in cruce corvos.

Judæis vero jussum est *Deuter.* XXI, vers. 23, suspensos eadem die deponere et sepelire.

Tropologice. Tropologice, Prosper et Rupertus : hi duo eunuchi, inquiunt, quorum alter suo statui restitutus, alter suspensus est, significant duos ordines hominum, puta electorum ex gratia, et reproborum sive damnandorum ex justitia. Rursum Joseph inter duos eunuchos, est Christus inter duos latrones crucifixus, uni promittens cœlum, alteri infernum relinquens. Christus enim aperuit somnia et visiones : tum quia prophetias implevit; tum quia arcana Dei consilia, judicia et promissa hominibus reseravit; tum quia sensum dedit Apostolis ut intelligerent prophetias totamque sacram Scripturam.

22. UT CONJECTORIS VERITAS PROBARETUR. — Vocula *ut*, hic non finem a Pharaone intentum, ut patet, sed eventum, sive consecutionem significat, *q. d.* Itaque evenit ut Josephi divinatio somniorumque interpretatio vera sit inventa, ipsoque eventu comprobata. Vers. 22.

Similis fuit divinatio S. Athanasii, qui Alexandriam ingressus, cum cornix in aere volitans crocitaret, rogatus a Gentilibus per scomma, quid cornix diceret, respondit : « Cras insonat; significat autem, cras, quo festum celebratis, vobis luctuosum fore. » Ita evenit, testis est Nicephorus, lib. IX, cap. XXXV. Sic et Christianus ille rogatus a Juliano Apostata per sarcasmum : « Quid facit Galilæus faber vester? » respondit : « Loculum tibi parat, » puta feretrum, et vere : nam paulo post telo non hominis, sed Christi occisus est Julianus. Pari modo Isaacius eremita Valenti Imperatori Ariano contra Gothos pergenti, cladem atque mortem prædixit, teste Nicephoro lib. XI, cap. L.

CAPUT QUADRAGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Joseph somnium septem vaccarum et spicarum Pharaoni explicat de septennio fertilitatis et sterilitatis futuræ. Hinc, vers. 40, a rege præficitur Ægypto : et vers. 46, sua providentia ab Ægypto depellit septennem famem.

1. Post duos annos vidit Pharao somnium. Putabat se stare super fluvium, 2. de quo ascendebant septem boves, pulchræ et crassæ nimis; et pascebantur in locis palustribus. 3. Aliæ quoque septem emergebant de flumine, fœdæ confectæque macie; et pascebantur in ipsa amnis ripa in locis virentibus : 4. devoraveruntque eas, quarum mira species, et habitudo corporum erat. Expergefactus Pharao, 5. rursum dormivit, et vidit alterum somnium : Septem spicæ pullulabant in culmo uno plenæ atque formosæ : 6. aliæ quoque totidem spicæ tenues et percussæ uredine oriebantur, 7. devorantes omnem priorum pulchritudinem. Evigilans Pharao post quietem, 8. et facto mane, pavore perterritus, misit ad omnes conjectores Ægypti, cunctosque sapientes; et accersitis narravit somnium, nec erat qui interpretaretur. 9. Tunc demum reminiscens pincernarum magister, ait : Confiteor peccatum meum. 10. Iratus rex servis suis, me et magistrum pistorum retrudi jussit in carcerem principis militum : 11. ubi una nocte uterque vidimus somnium præsagum futurorum. 12. Erat ibi puer Hebræus, ejusdem ducis militum famulus : cui narrantes somnia, 13. audivimus quidquid postea rei probavit eventus. Ego enim redditus sum officio meo, et ille suspensus est in cruce. 14. Protinus ad regis imperium eductum de carcere Joseph totonderunt, ac veste mutata, obtulerunt ei. 15. Cui ille ait : Vidi somnia, nec

est qui edisserat : quæ audivi te sapientissime conjicere. 16. Respondit Joseph : Absque me Deus respondebit prospera Pharaoni. 17. Narravit ergo Pharao quod viderat : Putabam me stare super ripam fluminis, 18. et septem boves de amne conscendere, pulchras nimis, et obesis carnibus : quæ in pastu paludis virecta carpebant, 19. et ecce, has sequebantur aliæ septem boves in tantum deformes et macilentæ, ut nunquam tales in terra Ægypti viderim : 20. quæ, devoratis et consumptis prioribus, 21. nullum saturitatis dedere vestigium ; sed simili macie et squalore torpebant. Evigilans, rursus sopore depressus, 22. vidi somnium : septem spicæ pullulabant in culmo uno plenæ atque pulcherrimæ. 23. Aliæ quoque septem tenues et percussæ uredine, oriebantur e stipula : 24. quæ priorum pulchritudinem devoraverunt. Narravi conjectoribus somnium, et nemo est qui edisserat. 25. Respondit Joseph : Somnium regis unum est : quæ facturus est Deus, ostendit Pharaoni. 26. Septem boves pulchræ et septem spicæ plenæ, septem ubertatis anni sunt, eamdemque vim somnii comprehendunt. 27. Septem quoque boves tenues atque macilentæ, quæ ascenderunt post eas, et septem spicæ tenues et vento urente percussæ, septem anni venturæ sunt famis. 28. Qui hoc ordine complebuntur : 29. Ecce septem anni venient fertilitatis magnæ in universa terra Ægypti : 30. quos sequentur septem anni alii tantæ sterilitatis, ut oblivioni tradatur cuncta retro abundantia : consumptura est enim fames omnem terram, 31. et ubertatis magnitudinem perditura est inopiæ magnitudo. 32. Quod autem vidisti secundo ad eamdem rem pertinens somnium, firmitatis indicium est, eo quod fiat sermo Dei, et velocius impleatur. 33. Nunc ergo provideat rex virum sapientem et industrium, et præficiat eum terræ Ægypti, 34. qui constituat præpositos per cunctas regiones, et quintam partem fructuum per septem annos fertilitatis, 35. qui jam nunc futuri sunt, congreget in horrea : et omne frumentum sub Pharaonis potestate condatur, serveturque in urbibus. 36. Et præparetur futuræ septem annorum fami, quæ oppressura est Ægyptum, et non consumetur terra inopia. 37. Placuit Pharaoni consilium et cunctis ministris ejus : 38. locutusque est ad eos : Num invenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit? 39. Dixit ergo ad Joseph : Quia ostendit tibi Deus omnia quæ locutus es, numquid sapientiorem et consimilem tui invenire potero? 40. Tu eris super domum meam, et ad tui oris imperium cunctus populus obediet : uno tantum regni solio te præcedam. 41. Dixitque rursus Pharao ad Joseph : Ecce, constitui te super universam terram Ægypti. 42. Tulitque annulum de manu sua, et dedit eum in manu ejus : vestivitque eum stola byssina, et collo torquem auream circumposuit. 43. Fecitque eum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone ut omnes coram eo genu flecterent, et præpositum esse scirent universæ terræ Ægypti. 44. Dixit quoque rex ad Joseph : Ego sum Pharao ; absque tuo imperio non movebit quisquam manum aut pedem in omni terra Ægypti. 45. Vertitque nomen ejus, et vocavit eum lingua Ægyptiaca Salvatorem mundi. Deditque illi uxorem Aseneth, filiam Putiphare sacerdotis Heliopoleos. Egressus est itaque Joseph ad terram Ægypti 46. (triginta autem annorum erat, quando stetit in conspectu regis Pharaonis), et circuivit omnes regiones Ægypti. 47. Venitque fertilitas septem annorum, et in manipulos redactæ segetes congregatæ sunt in horrea Ægypti. 48. Omnis etiam frugum abundantia in singulis urbibus condita est. 49. Tantaque fuit abundantia tritici, ut arenæ maris coæquaretur, et copia mensuram excederet. 50. Nati sunt autem Joseph filii duo, antequam veniret fames : quos peperit ei Aseneth, filia Putiphare sacerdotis Heliopoleos. 51. Vocavitque nomen primogeniti, Manasses, dicens : Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum, et domus patris mei. 52. Nomen quoque secundi appellavit, Ephraim, dicens : Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ. 53. Igitur transactis septem ubertatis annis, qui fuerant in Ægypto, 54. cœperunt venire septem anni inopiæ,

quos prædixerat Joseph : et in universo orbe fames prævaluit, in cuncta autem terra Ægypti panis erat. 55. Qua esuriente, clamavit populus ad Pharaonem, alimenta petens. Quibus ille respondit : Ite ad Joseph : et quidquid ipse vobis dixerit, facite. 56. Crescebat autem quotidie fames in omni terra : aperuitque Joseph universa horrea, et vendebat Ægyptiis; nam et alios oppresserat fames. 57. Omnesque provinciæ veniebant in Ægyptum, ut emerent escas, et malum inopiæ temperarent.

Vers. 1. 1. POST DUOS ANNOS, — a liberatione principis pincernarum, cum is ante cum Josepho per annum fuisset in carcere, uti ostendi cap. XL, 4. Hinc patet Josephum per triennium fuisse in carcere, idque Dei nutu, tum ut leves quasdam ejus culpas, quibus nec viri sancti carent, expiaret : ita S. Augustinus, serm. 82 *De Tempore*; tum ut ejus patientiam et virtutem exerceret et acueret; tum ut typus esset Christi, qui triduo fuit in passione et morte.

Addit ibidem S. Augustinus rem miram, sed notandam, scilicet Josephum punitum fuisse biennali carcere, eo quod plus confisus fuerit homini quam Deo, dum in pincernarum magistro posuit spem suæ liberationis, ideoque Deum fecisse, ut is per biennium ejus obliviscetur, *q. d.* « Ego tibi ostendo, ut magis a me quam ab homine debeas auxilium postulare. » Subtilis hic est oculus S. Augustini, subtilior est Dei.

Nili inundatio fœcundat Ægyptum. VIDIT PHARAO SOMNIUM : PUTABAT SE STARE SUPER FLUVIUM, — super ripam Nili. Nota : In Ægypto fertilitas oritur ex inundatione Nili (vix enim pluit in Ægypto), qui turbidus et pinguis agros oblimando, itaque eos quasi stercorando, impinguat et fœcundat. Unde quo magis, altius et longius exundat Nilus, eo major est fertilitas in Ægypto. Hinc ex altitudine inundationis Nili, præsciunt certo Ægyptii, quanta illo anno futura sit fertilitas. Audi Plinium lib. V, cap. IX : « Ægyptus, inquit, duodecim cubitis (in altum exundantis Nili) famen sentit : in tredecim etiamnum esurit : quatuordecim cubiti hilaritatem afferunt, quindecim securitatem, sedecim delicias. » Hac de causa vidit hic Pharao macras boves pasci in ripa Nili : hæ enim portendebant exiguam Nili inundationem, ac consequenter exigua fore pascua, eaque tantum fere in vicinia Nili; e contrario vidit Pharao pingues boves pasci in remotis a Nilo paludibus, quia hæ portendebant fertilitatem per totam Ægyptum.

Hinc boves visæ pasci in ripa Nili.

Vers. 4. 4. DEVORAVERUNTQUE EAS. — Boves macræ comederunt boves pingues et saginatas.

QUARUM MIRA SPECIES, ET CORPORUM HABITUDO ERAT, — quæ erant eleganti forma, crassitie et pinguedine, ita Hebræa. Portentum hoc significabat septem annos sterilitatis absumpturos omnem annonam præcedentium septem annorum fertilitatis, ut patet vers. 30. Solerter S. Ambrosius ex septem bobus crassis septem macras secuturas, id est, ex abundantia et lascivia famem nascituram conjectat, lib. *De Josepho*, cap. VIII : « Etsi, inquit, non ego Joseph, clamabam tamen vaccas illas pingues non solum lasciviam, sed etiam incuriam divinæ significare reverentiæ. De perfidis enim dictum est : Tauri pingues obsederunt me. Et de Judæorum populo scriptum est : Impinguatus, et incrassatus, et dilatatus est, et dereliquit Deum factorem suum. Et ideo somnium illud redundantiæ sæcularis perpetuum esse non posse; sed fore tempus quo his fames dura succederet. »

Vers. 5. Symbolum vaccarum explicatur. 5. SEPTEM SPICÆ. — Nota fertilitatem et sterilitatem hic duobus somniis portendi et præsignificari : uno spicarum, altero vaccarum; idque apposite, quia fertilitas maxime consistit in his duobus, scilicet in frumento et animalibus. Bona enim agricolatio et terræ cultura (quam denotant crassæ boves, inquit Josephus), et boni seminis sementis (quam denotant spicæ pulchræ et plenæ) duæ sunt causæ plenæ et adæquatæ fertilitatis. Ita Abulensis.

Vers. 6. 6. UREDINE, — vento urente, Euro desiccante.

Vers. 9. 9. CONFITEOR PECCATUM MEUM, — ingratitudinis et oblivionis, quo meum vatem Josephum, qui mihi hæc fausta prædixit, in carcere reliqui et oblivioni tradidi.

Alii accipiunt peccatum ejus priscum, ante biennium in regem admissum, ob quod ab eodem in carcerem conjectus fuerat, ut hac confessione peccati sui pincerna quasi aduletur regi, ejusque clementiam in se male meritam commendet et deprædicet.

Vers. 12. 12. PUER, — juvenis 28 annorum : tot enim erat tunc Joseph.

Vers. 14. 14. EDUCTUM DE CARCERE JOSEPH TOTONDERUNT, AC VESTE MUTATA, OBTULERUNT EI. — Nota hic tonsum fuisse Joseph, et mutasse vestes, quia veteres rei in carcere comam et barbam crescere sinebant, quasi lugentes et squalentes, uti de Milone ait Plutarchus. Absoluti vero et liberati comam et barbam deponebant, vestesque mutabant in signum lætitiæ et felicis sortis ac fortunæ.

Vers. 16. 16. ABSQUE ME DEUS RESPONDEBIT PROSPERA PHARAONI. — Putabat Pharao (quod et putavit Justinus historicus lib. XXXVI) Joseph naturali sagacitate interpretari somnia, de quali ait Cicero : « Qui bene conjicit, tu vatem optimum perhibeto. » Amolitur a se hanc opinionem Joseph, omnemque suam divinationem et præscientiam, non sibi, nec suæ solertiæ, sed Deo Deique revelationi attribuit, ut eum agnoscat et colat Pharao. Unde Chaldæus vertit : *Non ex sapientia mea, sed a facie*

Domini respondebitur pax Pharaoni; et Symmachus : *Non ego, sed Deus respondebit prospera Pharaoni*; et Vatablus : *Alius est præter me, qui interpretabitur somnium, nempe Deus, qui prospera Pharaoni interpretabitur.*

Vers. 25. 25. UNUM EST — significatione, quia unam eamdemque rem utrumque somnium et symbolum, tam spicarum, quam vaccarum, significat: nam, ut dixi vers. 5, duplex est causa fertilitatis, scilicet agricolatio, quæ fit per vaccas et boves; et seminatio, quæ fit per semen spicarum. E contrario defectus culturæ et seminis, duplex est et adæquata causa sterilitatis : priorem vaccæ macræ, posteriorem spicæ tenues et graciles significant.

Vers. 26. 26. EAMDEMQUE VIM SOMNII COMPREHENDUNT. — « Vim, » id est, sensum et significationem, *q. d.* Idem significant septem vaccæ pingues, et septem spicæ plenæ.

Vers. 29. 29. SEPTEM ANNI VENIENT FERTILITATIS. — Continua hæc, invicemque succedens septennis fertilitas et sterilitas, non astrorum aut naturæ vi, sed Dei, Nilum septennio priori laxantis, posteriori retinentis, opera effecta est. Unde nec ab astrologis, sed a solo Deo præcognosci et prædici potuit, ut patet vers. 16.

Vers. 30. 30. CONSUMPTURA EST ENIM FAMES OMNEM TERRAM — Ægypti et vicinarum regionum.

Vers. 32. 32. FIRMITATIS INDICIUM EST, — *q. d.* Posterius somnium confirmat prius, quod erat de eadem re. Simul hæc iteratio somnii significat rem somnio significatam mox reipsa adimplendam esse, uti sequitur.

Vers. 34 et 35. 34 et 35. QUINTAM PARTEM FRUCTUUM, etc. CONGREGET IN HORREA, — scilicet, publica regis, per singulas urbes divisa et distributa. Nam alii privati divites, pro se quisque proprium frumentum recondere potuerunt : unde non omnes primis saltem annis sterilitatis, senserunt famem; in fame etiam parcius vivitur. Suffecit ergo quinta pars fructuum septennii fertilitatis, recondita in horrea regis, ad publicam pauperum et plebeiorum famem quæ secuta est, levandam. Fuit enim tanta fertilitate copia frumenti maxima, et quasi innumera, ut patet vers. 49. Denique in fame aliquæ etiam segetes, præsertim juxta Nilum, natæ sunt, sed paucæ, quæ proinde fere pro nihilo reputantur; adeo ut idcirco dicatur cap. XLV, vers. 6 : « nec arari, nec seri potuisse. » Omnes ergo Ægyptii hoc septennio fertilitatis, jussu regis compulsi sunt, quintam partem frugum suarum vendere regi, servandam in septennium sterilitatis; aut certe; ut vult Tostatus, durante isto septennio fertilitatis, vetuit rex frumentum Ægypto efferri et exteris vendi : cumque ingens esset frumenti copia, alii quartam, alii quintam partem frugum suarum vendebant, eamque Josephus regi coemebat.

Vers. 35. 35. ET OMNE FRUMENTUM SUB PHARAONIS POTESTATE CONDATUR. — Frumentum intellige, non triturátum, nec excussum, sed suis spicis inhærens, ut patet vers. 47. Idque *primo*, ut hac ratione simul jumentis recondatur suum pabulum, puta stramina et paleæ. *Secundo*, ut ipsum frumentum hac ratione melius conservetur in suo tegmine et culmis : debet enim asservari in septem annos, ita nimirum, ut quod primo anno fertilitatis reconditum fuit, dispensetur et comedatur post septennium, primo anno sterilitatis; quod secundo anno fertilitatis reconditum fuit, comedatur secundo anno sterilitatis; quod tertio, tertio, et ita deinceps. Sic enim frumenta facile incorrupta per septennium servari potuerunt. Ita Philo.

OMNE FRUMENTUM — quintæ illius partis jam dictæ, quæ sola asservanda erat.

Vers. 40. Osculari est revereri et obedire. 40. AD TUI ORIS IMPERIUM CUNCTUS POPULUS OBEDIET (1). — Hebraice est, *omnis populus ad os tuum osculabitur*, id est, oris tui præceptum exosculabitur, et venerabitur, eique statim se subdet, et libenter obediet. Sic *Psal.* II, vers. 12, pro *apprehendite disciplinam*, hebraice est, *osculamini filium*, id est, Messiam Dei Filium veneramini, eumque reverenter, amanter et obedienter excipite, ac si illum exoscularemini.

Secundo, Vatablus vertit, *ad tuum imperium cunctus populus cibum capiet*, vel *armabitur*, *q. d.* Constituo te secundum a me principem Ægypti tempore pacis et belli, ut sis dux militiæ. Verum Hebræum נשק *iissac* proprie significat osculari : prior ergo sensus genuinus est (2). Unde Chaldæus vertit, *ad verbum tuum gubernabitur omnis populus meus*. Septuaginta habent ut Noster, « obediet. » Addit Psaltes *Psal.* CIV, vers. 22, quod Pharao « constituit eum (Josephum) dominum domus suæ, etc., ut erudiret principes ejus sicut semetipsum, et senes ejus prudentiam doceret. » Ex quo loco patet quod Ægyptii, qualis fuit Trismegistus, suam sapientiam et prudentiam hauserint a Josepho et Hebræis. Id magis patebit *Exodi* II, 1, in fine.

Vide hic ut sapientia et virtus evehant ac nobilitent Josephum. Vere dixit Urbanus Pontifex cuidam exprobranti generis humilitatem; « Magni viri non nascuntur, sed virtute fiunt; » et Maximilianus Imperator cuidam diviti offerenti multa aureorum millia, ut nobilis designaretur : « Ditare ait, te possum, sed nobilitare non nisi te propria virtus potest. » Nobilitat non genus, sed virtus.

Vers. 42. 42. TULITQUE ANNULUM DE MANU SUA. — Annulus ergo hic signatorius erat, quem Rex tradidit Josepho, ut nomine suo quæ vellet decerneret et obsignaret. Annulum gestat rex, tum ad signaturam, tum ad desponsationem; eo enim sibi Rex annulo despondet

(1) Maxima hæc Josephi videtur, post regiam, in Ægypto dignitas fuisse, qualis fuit apud imperatores Romanos *Præfecti prætorio*, et apud Gallorum reges *Majores domus.*

(2) נשק melius multi vertunt, *disponat*, scilicet sua omnia.

rempublicam. quasi despondet rempublicam, inquit Philo (1).

TORQUEM AUREAM. — Torquis, inquit Philo, symbolice datur regi a populo, quasi ei dicat populus : Dono tibi torquem quasi ornamentum in probitate et prosperitate, sed potius quasi vinculum et catenam, qua vincieris in improbitate et adversitate.

Quatuor olim regis insignia. Rursum notant Philo et Rupertus quatuor hic regis insignia et ornamenta prisco illo sæculo, quæ rex Josepho communicavit. Joseph enim *primo*, pro compedibus carceris, a rege auream catenam accepit. *Secundo*, pro servili vinculo annuloque ferreo, regium accepit annulum. *Tertio*, pro habitu sordido, indutus est stola byssina. *Quarto*, pro antri squalore, adeptus est amplum imperii currum. Hæc quatuor allegorice Christo resurgenti applicat Rupertus.

Mystice S. Ambrosius, lib. *De Joseph* : « Quid sibi vult, ait, annulus digito insertus, nisi ut intelligamus pontificatum ejus fidei esse delatum, ut alios ipse signaret? Quid stola, quæ est amictus sapientiæ, nisi tributum ei ab illo rege cœlestis prudentiæ principatum? Torques aureus intellectum bonum videtur exprimere. Currus significat fastigium sublime meritorum. » Vide hic in Josepho, quomodo gloriam præcedat humilitas, et quam verum sit illud axioma Christi :

Gloriam præcedit humilitas. « Qui se humiliat exaltabitur, » nimirum, post nubila Phœbus, et post tenebras lux. Audi *Sap.* cap. X, vers. 13 : « Hæc (sapientia) venditum ipsum (Josephum) non dereliquit, sed a peccatoribus liberavit eum, descenditque cum illo in foveam (in cisternam, in quam projectus est a fratribus), et in vinculis non dereliquit eum, donec afferret illi sceptrum regni et potentiam, adversus eos qui eum deprimebant, et mendaces ostendit qui maculaverunt illum, et dedit illi claritatem æternam. » Merito ergo Josepho hoc detur emblema : « Patiens innocentia ingens gloria. » Præclare dixit S. Ægidius comes S. Francisci : « Licet lapides et saxa de cœlo pluerit Dominus, non nocebunt nobis, si tales fuerimus, quales nos ille requirit. » Et S. Chrysostomus, *hom.* 63 : « Vide, ait, quomodo captivus (Joseph) repente constituitur rex totius Ægypti : vidisti quantum sit ferre cum gratiarum actione tentationes? propterea et Paulus dicebat, *Rom.* V : « Afflictio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem : spes non pudefacit. Vide igitur : Afflictiones patienter tulit, patientia probatum eum fecit, probatus factus in magna spe agebat, spes non pudefecit. » Et inferius : « Sicut negotiatores qui pecunias colligere volunt, non aliter possunt augere suas opes, nisi multa pericula terra marique sustinuerint. Necesse est enim ut ferant latronum et piratarum insidias; attamen omnia magna alacritate suscipiunt, et ob exspectationem lucri vix sentiunt amara quæ ferunt. Sic et nos cogitantes divitias et spirituales merces, quas nobis hic colligere licet, oportet gaudere et exultare, et non contemplari quæ videntur, sed quæ non videntur. »

Vers. 43. 43. CURRUM SUUM SECUNDUM, — quo secundus a rege vehi solebat. Ita Lipomanus, Pererius et alii. Unde Vatablus vertit *currum secundi*, scilicet viri, id est currum, quo is qui secundus erat a rege, vehi solebat. Hoc ergo curru Joseph declaratus et effectus est alter a Pharaone, ut scilicet honore et dignitate illi esset proximus. Vide hic, ut Joseph prosperis non insolescat, sicut adversis fractus non fuit. Vere enim S. Augustinus in *Sent.*, Sent. 246 : « Eum nulla infelicitas frangit, quem nulla felicitas corrumpit, » et e converso.

CLAMANTE PRÆCONE, UT OMNES CORAM EO GENU FLECTERENT. — Hebraice est, clamante præcone, אברך *abrech*, quod Aquila, Elias in Tisbi, et Noster hic vertunt, *flecte genu*, ut *abrech* sit imperativus *hiphil* a radice ברך *berech*, id est genu, quasi *aleph* ponatur pro *he* : *aleph* enim et *he* sunt gutturales vicinæ et commutabiles; aut potius *abrech* est Ægyptium, non Hebræum : præco enim Ægyptius Ægyptiis, utique Ægyptiace, inclamabat *abrech*, id est, flecte genu, uti dixi. S. Hieronymus in *Traditionibus in Genes.* explicat *abrech*, quasi sit idem, quod tener pater; *ab* enim hebraice patrem, *rac* tenerum significat. Aliter quoque Chaldæus : *Clamabant*, inquit, *Abrech, id est, hic est pater regis; rec* enim Ægyptiis idem est quod rex, ait Lipomanus (2). Hinc et Targumæus ita vertit, *clamabant : Vivat pater regis, qui est princeps in sapientia, et tener in annis.* Philo, lib. *De Josepho*, miratur subitam metamorphosin, qua una die ab imo in summum est evectus. « Quis, ait, exspectasset intra unum diem e servo dominum, e vincto præstantissimum omnium, e carceris vicario proregem fieri, et regiam inhabitare pro carcere, et ex ignominia extrema in supremum honoris culmen ascendere. »

Abrech quid? Prima sententia et vera.

Secunda.

Vers. 44. 44. EGO SUM PHARAO : ABSQUE TUO IMPERIO NON MOVEBIT QUISQUAM MANUM, — *q. d.* Ego quasi rex tibi promitto et juro, quod omnes meos ita tibi subditos efficiam, ut nemo tuis jussis audeat obsistere, imo tuo injussu vix pedem aut manum audeat movere. Est hyperbole.

Unde Pharaones dicti? Reges Ægypti vocati sunt Pharaones, a primo Pharaone; sicut iidem post Alexandrum Magnum

(1) Annulus regius omnibus temporibus apud Orientales signum regiæ potestatis fuit. Ita Alexander moriens « detractum annulum digito Perdiccæ tradidit, » teste Curtio, lib. X, cap. V. Item novæ vestis donatio apud Orentis principes et olim fuit et etiamnum est singularis benevolentiæ signum, quo etiam haud raro ii ornantur, quibus princeps novum idemque grave munus demandat.

(2) Jablonski a la Crozio edoctus hanc vocem interpretatur OYBE-PEX, id est *inclinate contra.* Ita fere Origenes, qui in Ægypto vixit. Aliter Forsterus, qui putat verba proclamata esse A-ΠΡΕ-ΧΕΚ, *a rege cinctus*, vel *vestitus*, id est, en hominem regiis vestibus cinctum, *q. d.* Is summo honore, summaque auctoritate a rege afficitur.

vocati sunt Ptolemæi, a Ptolemæo Lagi, qui post Alexandrum primus fuit rex Ægypti.

Vers. 45. 45. VOCAVIT EUM LINGUA ÆGYPTIACA, SALVATOREM MUNDI, — eo quod orbem ab imminentis famis exitio liberasset. Vides hic Joseph esse typum Christi, Salvatoris mundi. Nota : Pro *salvatorem mundi*, hebraice est צפנת פענח *tsophnat paneach*, quod corrupte in Septuaginta legitur ψονθομφανήχ. Putant aliqui Hebræam esse vocem, et significare « revelatorem arcanorum, » puta somniorum. Ita Josephus, Philo, Chaldæus, Theodoretus, S. Chrysostomus et Rabbini. Verum magis credendum S. Hieronymo, qui diu habitavit in Judæa, dicenti hanc vocem non esse Hebræam, sed Ægyptiam; ut quid enim Pharao Ægyptius; in Ægypto Josepho, non Ægyptium, sed Hebræum nomen imponeret? Ergo *tsophnat paneach* ægyptiace significat salvatorem mundi. Unde licet τὸ *lingua Ægyptiaca* non sit in Hebræo, prudenter tamen recteque ab Interprete nostro explicationis causa additum est (1).

Joseph salvator mundi typus Christi.

Jam confer omnes hos honores cum his quæ prius passus fuit Joseph, et videbis nihil eum passum esse, quod non (ut notat Rupertus) insigniter ipsi remuneratum sit. Nam *primo*, pro odio fratrum, acquisivit gratiam regis et principum ejus. *Secundo*, pro exilio adeptus est exaltationem. *Tertio*, pro laborem manuum in servitio, accepit annulum aureum. *Quarto*, pro pallio quod illi adultera detraxerat, amictus est stola byssina. *Quinto*, pro compedibus, cinctus fuit torque aurea. *Sexto*, pro eo quod vinctis ministraverat, nunc princeps constituitur. *Septimo*, pro carceris humilitate, sedet super currum regium. *Octavo*, pro eo quod contemptus fuit, nunc ab omnibus honoratur genuflexione. *Nono*, pro nomine servi, accipit nomen regium, vocaturque Salvator mundi. *Decimo*, pro contempta adultera et turpi voluptate, accipit uxorem prænobilem. Si ita Deus suorum labores et ærumnas remuneratur in hac vita, quid faciet in futura? nimirum : « Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum. »

Allegorice, Joseph, id est Christum, exaltavit Pater dicens : « Hic est Filius meus dilectus. » Stola byssina est gloria corporis, qua vestitur ejus innocentia. Annulum dedit, quia ipsum signavit Pater. Torquis aurea significat dotes gloriosas corporis. Posuit eum super currum, quia omnia dedit ei in manus. Antecessit præco Joannes Baptista. Præposuit eum toti Ægypto, id est mundo. Dedit ei judicium, et nomen, Salvator mundi, ac sponsam Ecclesiam.

DEDITQUE ILLI UXOREM ASENETH; FILIAM PUTIPHARE. — Putant Hebræi, Hieronymus, Rupertus, Abulensis, hunc Putipharem eumdem esse cum primo hero Josephi, qui pariter Putiphar est dictus, uti dixi cap. XXXIX, vers. 1. Sed verius est hunc ab illo diversum esse : hic enim sacerdos erat, ille princeps militiæ; hic Heliopoli, ille Memphi in regia degebat. Ita S. Augustinus, Chrysostomus, Lyranus, Lipomanus, Oleaster, Pererius.

Duplex Putiphar.

HELIOPOLEOS. — Dicta est Heliopolis, id est urbs solis, a cultu solis. Græce a Septuaginta vocatur *On*, et a Ptolomæo, *Onion*.

Heliopolis est urbs solis.

Vers. 46. 46. TRIGINTA AUTEM ANNORUM ERAT, QUANDO STETIT IN CONSPECTU REGIS. — Nota, hunc numerum consignat Scriptura, *primo*, ob chronologiam. *Secundo*, ut sciamus Josephum 14 annos servisse, scilicet ab anno 16 usque ad 30. *Tertio*, ut videamus Deum abunde labores et ærumnas Josephi compensasse : nam calamitas ejus duravit tantum 14 annis; principatus vero et prosperitas ejusdem duravit annos 80, scilicet ab anno 30 usque ad 110, quo mortuus est. *Quarto*, ut sciamus Josephum virtute superasse annos : nam juvenis tanta passus est, tanta gessit. Ita S. Chrysostomus. *Quinto*, ut sciamus hanc ætatem maturam esse, aptamque ad regendum et docendum. Sic David factus est rex anno 30. Ezechiel prophetare cœpit anno 30. Joannes Baptista et Christus prædicare cœperunt anno 30.

Anno 30 Joseph factus est princeps: cur annus 30 consignetur? Causa Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta.

Nota pro chronologia, Joseph 30 erat annorum, cum factus est princeps Ægypti; mox secuta est fertilitas septem annorum : inde biennium sterilitatis et famis, cum ad eum venerunt fratres et pater; venerunt ergo anno nono ab ejus principatu : pater autem tunc erat 130 annorum, ut patet cap. XLVII, vers. 9. Joseph vero erat tunc 39 annorum, ut patet ex dictis.

Chronologia vitæ Josephi aptata annis Jacobi.

Hinc sequitur *primo*, Joseph natum esse anno Jacobi 91. Deme enim 39 annos vitæ Josephi a 130 Jacobi, habebis 91.

Joseph natus anno Jacobi 91.

Sequitur *secundo*, Jacob fugientem Esau, ex Chanaan venisse in Mesopotamiam, anno ætatis suæ 77, et inde regressum esse in Chanaan, anno 97. Nam Joseph natus est anno Jacobi 91, et natus est anno 14, postquam venerat Jacob in Mesopotamiam, ut ostendi *Genes.* XXX. Post genitum autem Joseph, mansit Jacob in Mesopotamia sex alios annos, serviens pro gregibus Laban, ita ut anno 20 ab adventu suo inde regressus sit in Chanaan, *Genes.* XXXI. Venit ergo Jacob in Mesopotamiam anno ætatis suæ 77; inde vero post 20 annos regressus est in Chanaan, puta anno ætatis suæ 97.

Jacob ivit in Haran agens annum 77.

Vers. 49. 49. UT ARENÆ MARIS. — Est hyperbole.

Vers. 51. 51. MANASSES — id est, oblivisci faciens, vel oblivio : radix enim נשה *nasa*, significat oblivisci.

Manasses idem quod oblivio.

Nota hic pietatem et gratitudinem Josephi erga Deum : ne obliviscatur unquam misericordiæ a Deo sibi impensæ, ejus perenne monumentum, quod perpetuo oculis suis obversetur, statuit fi-

(1) CΩT enim, σώζειν, ait Jablonski, vox est Coptis frequentissima. ΠCΩT notat et σωτηρίαν et σωτῆρα. ΦENE*h* vox pariter oppido trita αἰῶνα designat. Est igitur ΠCΩT-ΦENE*h* *salus sæculi*, sive *salvator mundi*.

lios. Sic fecit et Moses in exilio felix, cum filios suos vocavit Gersam et Eliezer, *Exodi* II, 22.

Vers. 52. *Ephraim* idem quod incrementum.

52. EPHRAIM, — id est, fructificans, crescens; vel fructus et incrementum, a radice פרה *para*, id est fructificavit. Ita S. Hieronymus.

Vers. 54.

54. IN UNIVERSO ORBE, — id est, in magna parte terrarum et regionum adjacentium Ægypto; quia, si fuisset fames absolute in universo orbe, ad eam levandam neutiquam suffecissent horrea, et quinta pars frugum Ægypti. Ita Abulensis.

Vers. 56.

56. APERUITQUE JOSEPH UNIVERSA HORREA. — Ex hoc beneficio et alimentatione Josephi, putant multi Joseph vocatum fuisse Serapin, eumque nomine Serapidis cultum fuisse ab Ægyptiis, nec alium fuisse Serapidem quam Joseph. Nam Serapis vixit eodem tempore, quo Joseph et Jacob descenderunt in Ægyptum. Tradit enim Clemens Alexandrinus, et S. Augustinus, lib. XVIII *De Civit.* cap. IV et V, quod hoc tempore adventus Jacobi et Josephi in Ægyptum, Apis rex Argivorum navigarit in Ægyptum, ibique mortuus, et in arca sepultus, dictus sit Serapis, quasi σόρος ἄπις, id est arca in qua sepultus est Apis: quodque hic Apis, sive Serapis, effectus sit maximus Ægyptiorum deus, eo quod eos fame levasset, eosque varias artes docuisset: uti Isis, uxor Serapidis, eosdem docuit litteras. Hinc Serapidem coluerunt specie bovis, qui symbolum et prognosticum est fertilitatis, uti vidimus vers. 2 et 27. Hunc bovem, quamdiu vivebat, delicatissime alebant Ægyptii, qui proinde ægyptiace Apis, id est bos; post mortem vero arcæ inclusus, Serapis dicebatur. Mortuo hoc bove, alium ei similem, albis insignitum maculis quærebant et alebant Ægyptii. Bos ergo hic Apis et Serapis dictus, erat Deus Ægyptiorum: quem imitati sunt Hebræi recenter venientes ex Ægypto, cum in Sina vitulum aureum formarunt et adorarunt, *Exodi* XXXII. Tolle ex hac historia Apis et Serapis, quod ipse fuerit rex Argivorum, pro quo forte substituendum est, Hebræorum, reliqua omnia conveniunt Josepho. Gentiles enim mire historiam Josephi aliorumque Hebræorum corruperunt, suisque fabulis et figmentis miscuerunt et depravarunt.

Origo Serapidis videtur fuisse Joseph. Probatur Primo. Secundo. Tertio. Quid Apis et Serapis?

Quarto.

Quare Julius Firmicus, vetus auctor, qui floruit anno Christi 337, lib. *De Errore profan. relig.* (quem Constantio et Constanti imperatoribus dedicavit, quique exstat in Biblioth. SS. Patrum, tom. IV, cap. XIV), Ruffinus, et ex iis Baronius, tom. IV, pag. 520, et Pierius, lib. III *Hieroglyphicorum*, fol. 25, lit. F (qui addit hanc esse traditionem Ægyptiorum), et multi alii opinantur Josephum, ob tantum beneficium quo Ægyptiis in fame providit de annona, ab eis post mortem Serapin dictum, et divinis honoribus cultum fuisse: sicuti eadem de causa, Joseph a Pharaone dictus est Salvator mundi, quod amplius est, quam Serapis. Unde S. Chrysostomus, *homil.* 67, docet Josephum id præsagisse, ideoque jussisse Hebræis, ut exeuntes ex Ægypto ossa sua secum efferrent, scilicet ne Ægyptii in superstitionem proni ea, utpote Salvatoris sui, colerent ut Numen, aut Numinis reliquias.

Favet huic sententiæ, quod Serapis pingitur quasi juvenis imberbis, cophinum, scilicet frumenti et panum capite gestans. Inde et bos illi sacer dictus est Apis et Serapis: tum quia septem boves pingues, quos vidit Pharao, Joseph interpretatus est, esse signum fertilitatis; tum quia bos arando, stercorando, triturando, causa est fertilitatis: qua de causa Moses Josephum comparat bovi, vel tauro, *Deuter.* XXXIII, 17. Hinc et illud Serapidis oraculum, Josepho dignissimum decantatur:

Quinto.

Sexto.

> Principio Deus est, tum Verbum, his Spiritus unus:
> Congenita hæc tria sunt, cuncta hæc tendentia in unum.

Hinc denique varii varias dant Serapis etymologias, quæ omnes Josepho nostro conveniunt. Nam *primo*, aliqui valde probabiliter derivant Serapis, a *Sar*, id est princeps, et *Apis*, id est bos, quasi dicas, Princeps bovis, vel boum, qui scilicet Pharaoni et Josepho portenderunt fertilitatem, ut Serapis sit vox conflata ex Hebræo *Sar*, et Ægyptio *Apis*: Ægyptii enim videntur Josepho indidisse nomen Ægyptium, aut certe Hebræo-Ægyptium. Hebræum enim *Sar*, unde *Ser*, et *sir*, in multas gentes et linguas transiit. Nam et Syri, et Chaldæi, et Arabes, et Mosci, et Tartari, et Galli, et ut videtur Ægyptii, dominum vel principem vocant *Sar* vel *Sir*. Joseph ergo ab Ægyptiis dictus est Apis, deinde Serapis, quasi dicas, Princeps Apis. *Secundo*, alii deducunt Serapis, a σόρος et ἄπις, id est, arca, scilicet frumentaria, Apis. *Tertio*, Julius Firmicus: Serapis, inquit, est Saræ Apis, sive Apis princeps prognatus ex Sara, uxore Abrahæ. *Quarto*, alii: Ægyptii, inquiunt, Joseph corrupte vocabant *Aseph*, et per metathesin *Apes*, vel *Apis*; sicuti Hollandi pro *Jacob* dicunt *Japic*. *Quinto*, alii: Inverte *abrec*, habebis *Cerap*, puta Cerapis vel Serapis. Præco enim Josepho prælamabat ad populum, *Abrec*, id est, flecte genu, vers. 43. *Sexto*, alii: Serapis dicitur quasi שור אפים *schor appaim*, id est bovis facies; hic enim bos qui hieroglyphicum erat Serapidis, sola bovis facie pingebatur et sculpebatur; non erat enim aliud, quam bovis aut vituli caput. Hinc et Serapis dictus est Osiris, quasi *schor*, id est bos; licet Eusebius, lib. I *De Præpar. Evang.*, cap. VI, velit Osiridem esse solem, Isidem esse lunam, dicitque Osirim quasi multioculum; sol enim multos radios, quasi oculos a se diffundit, estque symbolum providentiæ Dei, quæ undique oculata est, unde et Hebræa radix שור *scor* significat fixis et intentis oculis aliquid intueri: et quia ita fixis oculis intuetur bos, hinc et *schor* vocatur. Verum hæc ita posteriores Ægyptii ad solem, quasi mundi oculum novo hieroglyphico accommodarunt; cum enim nil certi de Deo haberent, alii suum Serapidem in cœlo, alii in terra quæsi-

Septimo.

Sextuplex etymon Serapis, conveniens Josepho. Primum.

Secundum. Tertium.

Quartum.

Quintum.

Sextum.

verunt, alii hominis, alii bovis forma eum pinxerunt; itaque aliud et aliud Serapidis et Osiridis hieroglyphicum commenti sunt. Plane enim verisimile est primum Serapidem, uti et Jovem, Mercurium, Herculem aliosque Gentilium deos, homines fuisse principes et illustres, qualis fuit hic noster Joseph, quos ob virtutem, potentiam, aut merita in rempublicam, homines retulerunt inter deos, eosque divinis honoribus coluerunt. Unde Osiris fertur Ægyptios docuisse artem arandi et agros colendi, quod per boves hic fecisse Josephum testatur Scriptura. Et Plutarchus, lib. *De Iside et Osiride*, asserit proprium nomen Osiridis fuisse *Arsaphen*, quod plane alludit ad nomen *Joseph*. Rursum Osiris, inquit, idem est quod πολυόφθαλμος, id est *multioculus* : *os* enim Ægyptiis significat multum, *Siris* oculum. Annon « multioculus, » id est multiscius Joseph per sapientiam sibi cœlitus inditam, qua Ægyptios prudentissime gubernavit, eosque docuit non tantum astrologiam et mathesin, sed et fidem ac Dei cultum, juxta illud *Psalm.* x, vers. 4 : « Constituit eum dominum domus suæ, et principem omnis possessionis suæ, ut erudiret principes ejus sicut semetipsum, et senes ejus prudentiam doceret. » Hinc et templo Serapidis, imo et pectori Serapidis insculpta erat crux, ait Rhodiginus, lib. X, cap. VIII. Et crux Ægyptiis erat symbolum salutis et vitæ beatæ; quia scilicet Joseph docuit, et sua passione præfiguravit crucem Christi, a qua nobis et salus et vita beata.

Osiris multioculus quis?

Ita procuratio annonæ apud Romanos non nisi magnis et sapientibus viris credita fuit. Hinc Plinius in Panegyrico : « Procuratio annonæ Pompeio Magno credita, non minus addidit gloriæ, quam pulsus campo ambitus, exactus mari hostis, Oriens triumphis Occidensque lustratus. » Hæc de Serapide paulo fusius discussi, quia ad Josephum spectant, et quia rara sunt, nec a quopiam pertractata. Hanc sententiam confirmat Auctor *De Mirabilibus S. Scripturæ*, lib. I, cap. XV : « Joseph, inquit, ut vir propheticus prævidit, quod Ægyptiorum gens idololatriæ dedita, ipsum, quod terrenæ magnificentiæ illis auctor fuisset, et ipsos de famis periculo liberasset, aliquando adorare vellet, quod et fecerunt : nam bovis simulacrum juxta Joseph sepulcrum statuerunt, eo quod bos viro in agricultura comparetur. Qua etiam causa filii Israel cum in deserto idolum fabricare vellent, non aliam aliquam statuam quam vitulum, id est bovem fecerunt, hac vel maxime causa, quod ipse in Ægypto juxta sepulcrum Joseph adoraretur; ne ergo Joseph Ægyptiorum succumberet idololatriæ, jussit ossa sua efferri ex Ægypto. »

CAPUT QUADRAGESIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Joseph fratres suos in Ægyptum frumenti causa venientes agnoscit, et dure tractat, tandemque vers. 25, *retento Simeone, cæteros dimittit ea lege, ut ad se adducant Benjamin.*

1. Audiens autem Jacob quod alimenta venderentur in Ægypto, dixit filiis suis : Quare negligitis? 2. Audivi quod triticum venumdetur in Ægypto : descendite, et emite nobis necessaria, ut possimus vivere, et non consumamur inopia. 3. Descendentes igitur fratres Joseph decem, ut emerent frumenta in Ægypto, 4. Benjamin domi retento a Jacob, qui dixerat fratribus ejus : Ne forte in itinere quidquam patiatur mali : 5. ingressi sunt terram Ægypti cum aliis qui pergebant ad emendum. Erat autem fames in terra Chanaan. 6. Et Joseph erat princeps in terra Ægypti, atque ad ejus nutum frumenta populis vendebantur. Cumque adorassent eum fratres sui, 7. et agnovisset eos, quasi ad alienos durius loquebatur, interrogans eos : Unde venitis? Qui responderunt : De terra Chanaan, ut emamus victui necessaria. 8. Et tamen fratres ipse cognoscens, non est cognitus ab eis. 9. Recordatusque somniorum quæ aliquando viderat, ait ad eos : Exploratores estis : ut videatis infirmiora terræ venistis. 10. Qui dixerunt : Non est ita, domine, sed servi tui venerunt ut emerent cibos. 11. Omnes filii unius viri sumus : pacifici venimus, nec quidquam famuli tui machinantur mali. 12. Quibus ille respondit : Aliter est : immunita terræ hujus considerare venistis. 13. At illi : Duodecim, inquiunt, servi tui, fratres sumus, filii viri unius in terra Chanaan : minimus cum patre nostro est, alius non est super. 14. Hoc est, ait, quod locutus sum : Exploratores estis. 15. Jam nunc experimentum vestri capiam :

per salutem Pharaonis non egrediemini hinc, donec veniat frater vester minimus. 16. Mittite ex vobis unum, et adducat eum : vos autem eritis in vinculis donec probentur quæ dixistis utrum vera an falsa sint : alioquin per salutem Pharaonis exploratores estis. 17. Tradidit ergo illos custodiæ tribus diebus. 18. Die autem tertio eductis de carcere, ait : Facite quæ dixi, et vivetis : Deum enim timeo. 19. Si pacifici estis, frater vester unus ligetur in carcere : vos autem abite, et ferte frumenta quæ emistis, in domos vestras, 20. et fratrem vestrum minimum ad me adducite, ut possim vestros probare sermones, et non moriamini. Fecerunt ut dixerat, 21. et locuti sunt ad invicem : Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, et non audivimus : idcirco venit super nos ista tribulatio. 22. E quibus unus Ruben ait : Numquid non dixi vobis : Nolite peccare in puerum, et non audistis me? en sanguis ejus exquiritur. 23. Nesciebant autem quod intelligeret Joseph : eo quod per interpretem loqueretur ad eos. 24. Avertitque se parumper, et flevit : et reversus locutus est ad eos. 25. Tollensque Simeon, et ligans illis præsentibus, jussit ministris ut implerent eorum saccos tritico, et reponerent pecunias singulorum in sacculis suis, datis supra cibariis in viam : qui fecerunt ita. 26. At illi portantes frumenta in asinis suis, profecti sunt. 27. Apertoque unus sacco, ut daret jumento pabulum in diversorio, contemplatus pecuniam in ore sacculi, 28. dixit fratribus suis : Reddita est mihi pecunia, en habetur in sacco. Et obstupefacti turbatique mutuo dixerunt : Quidnam est hoc quod fecit nobis Deus? 29. Veneruntque ad Jacob patrem suum in terram Chanaan, et narraverunt ei omnia quæ accidissent sibi, dicentes : 30. Locutus est nobis dominus terræ dure, et putavit nos exploratores esse provinciæ. 31. Cui respondimus : Pacifici sumus, nec ullas molimur insidias. 32. Duodecim fratres uno patre geniti sumus : unus non est super, minimus cum patre nostro est in terra Chanaan. 33. Qui ait nobis : Sic probabo quod pacifici sitis : fratrem vestrum unum dimittite apud me, et cibaria domibus vestris necessaria sumite, et abite, 34. fratremque vestrum minimum adducite ad me, ut sciam quod non sitis exploratores : et istum, qui tenetur in vinculis, recipere possitis : ac deinceps quæ vultis, emendi habeatis licentiam. 35. His dictis, cum frumenta effunderent, singuli repererunt in ore saccorum ligatas pecunias : exterritisque simul omnibus, 36. dixit pater Jacob : Absque liberis me esse fecistis, Joseph non est super, Simeon tenetur in vinculis, et Benjamin auferetis : in me hæc omnia mala reciderunt. 37. Cui respondit Ruben : Duos filios meos interfice, si non reduxero illum tibi; trade illum in manu mea, et ego eum tibi restituam. 38. At ille : Non descendet, inquit, filius meus vobiscum : frater ejus mortuus est, et ipse solus remansit : si quid ei adversi acciderit in terra ad quam pergitis, deducetis canos meos cum dolore ad inferos.

Vers. 1. Frumentum vocatur hebraice, *sceber*, id est frangenda.

1. ALIMENTA. — Hebraice est שבר *sceber*, id est frangenda, id est frumentum, vel panis qui frangitur et distribuitur. Unde Joseph, vendens et distribuens frumentum, passim hic vocatur משביר *masbir*, id est frangens sive fragmentans, id est, distribuens et dispertiens frangendam, puta annonam sive frumentum; hinc manavit illa phrasis Christi et Pauli : « Panis quem frangimus, » uti dixi I *Cor.* X, 16; nam frangere panem Hebræis idem est quod dividere et distribuere panem.

Quid frangere panem?

QUARE NEGLIGITIS. — Hebraice, *ut quid vos ipsi aspicitis?* id est, quid desides cunctamini? Solent enim otiosi et pigri invicem aspicere et quisque exspectare ut alter manum operi admoveat, remque expediat. « Torpor enim animi ex imperfecta voluntate oritur; mox ut bonum velle cœperis, ardor erit atque impetus. » Elapso septennio fertilitatis, agebatur jam secundus annus sterilitatis, ut patet cap. XLV, vers. 6.

Joseph per 23 annos se in Ægypto supersesse parentem celavit, et cur?

Quæres, qua ratione Joseph tam diu incognitus mansit in Ægypto, puta 23 annis (tot enim sunt ab anno ejus 16 usque ad 39, quem jam agebat), ita ut de se nihil unquam toto illo tempore nuntiarit patri, adeo propter se mœrenti, maxime ultimis novem annis, quibus ipse princeps fuit in Ægypto?

Respondet S. Thomas et Pererius, Deum noluisse ut Jacobo idipsum nuntiaretur ante tempus et occasionem a se ordinatam, puta ante

hanc famem, qua coacti sunt fratres venire ad Joseph in Ægyptum. Hanc autem esse Dei voluntatem intellexit Joseph, tum ex somnio suo, de quo cap. XXXVII, vers. 7, tum ex rerum eventu, tum ex Dei instinctu et revelatione, ut indicat ipse Joseph, cap. XLV, vers. 8.

Deus nimios Sanctorum erga quidpiam affectus per adversa temperare solet.

Dices : Cur hoc ita fieri et celari voluit Deus? Respondeo *primo*, quia Deus hoc quasi purgatorium mœroris voluit dari Jacobo, licet justo, ob levia quædam ejus peccata, tum alia, tum quia nimis et cum invidia fratrum amaverat Josephum. Solet enim Deus nimios Sanctorum circa rem vel personam aliquam amores hoc modo per adversa, quasi vinum injecta aqua, temperare, imo recidere et mortificare. Ita S. Augustinus, serm. 82 *De Tempore*.

Varie Sanctos tentat et probat Deus.

Secundo, voluit Deus celare Jacobum vitam et statum Josephi, ut probaret tam ejus quam Josephi virtutem, resignationem, patientiam, amorem erga Deum, uti probavit obedientiam et virtutem Isaaci et Abrahæ, cum Abrahæ jussit ut immolaret suum Isaac, *Genes.* XXII, 2.

Tertio, quia si scivisset Jacob filium suum Joseph esse captum, quantolibet pretio eum redemisset, itaque Joseph nunquam evectus fuisset in Ægypto ad principatum, quo tamen ejus humiliationem remunerari statuerat Deus, *Sapient.* cap. X, vers. 13. Ita Theodoretus.

Quarto, id voluit Deus, ut hac ratione verificaret somnium Josepho a se immissum, *Genes.* cap. XXXVII, vers. 7, ut scilicet fratres fame pressi cogerentur ad Josephum venire, eumque adorare.

Quinto, id voluit Deus, ut hac occasione Jacob cum tota familia sua descenderet in Ægyptum), ibique multiplicaretur, utque ei magna et mira illa obvenirent in Ægypto, quæ cap. XIII, vers. 13, avo ejus Abrahæ promiserat Deus, quæque enarrat Exodus.

Vers. 6. 6. ADORASSENT. — Ecce hic fratres nescientes implent somnium Josephi, eumque adorare coguntur. Ita Procopius (1).

Vers. 9. 9. RECORDATUSQUE SOMNIORUM. — Videns in hac sui adoratione impleri sua somnia, non ex ultione, sed ut ea eorumque veritatem confirmaret, efficiendo fratres tam male de se meritos sibi supplices; hac de causa durius eos alloquitur, ut ipsi suam impietatem et somniorum Josephi veritatem agnoscant; ait ergo :

Qua ratione Joseph explora-

EXPLORATORES ESTIS — Dices : Mentitur hic Joseph; sciebat enim fratres suos non esse exploratores. Respondet *primo*, Rupertus: « Exploratores, » id est fures, « estis, » quia me patri suffurati estis et vendidistis. Sed aliud est explorator, aliud fur : intelligit enim Joseph per exploratorem eum, qui loca minus munita in provincia scrutatur, ut ea hosti prodat.

tores vocet fratres ?

Secundo, Pererius respondet, Joseph hic non mentiri, sed jocari, loquique per jocum et simulationem.

Tertio et optime, S. Thomas respondet, Joseph non assertive sed tentative et probative loqui, uti judices asserunt crimen, dum reum rogant pertentando, ut veritatem eliciant. Pari modo hic fratres pertentat Joseph, ut ita adigat eos, sibi de patre et fratre Benjamin percunctaturo, vera narrare.

Porro nullam injuriam fecit Joseph fratribus, eis hanc calumniam objiciendo, metumque incutiendo, quia illi longe graviora meriti erant, poteratque Joseph quasi princeps Ægypti, eos ob parricidium et plagium in se admissum plectere morte. Ruben etiamsi a venditione Joseph esset innocens, quia tamen commixtus erat cum fratribus nocentibus, hinc et affligitur cum eis. Si enim eum excepisset Joseph, agnitus fuisset a fratribus. Ita Abulensis. Sic Deus, quin et princeps, communi belli clade insontes cum sontibus involvit et plectit.

Quis modus corrigendi ?

Notent hic prælati, quem in correctione modum servare debeant, eumque discant a Josepho. Pie et prudenter S. Gregorius, hom. 21 *in Ezech.* : « Vincebat, inquit, mentem (Josephi) pietas, cum frater innocens videretur, sed permanebat in ostensione asperitas, ut fratres noxii purgarentur. Scyphus in sacco junioris absconditur, furti post eos quæstio movetur : in sacco junioris invenitur; Benjamin reducitur; afflicti omnes fratres sequuntur. O tormenta misericordiæ! Cruciat, et amat. Sic vir sanctus facinus fratrum et dimisit et vindicavit: sic in rigore clementiam tenuit, ut delinquentibus fratribus, nec sine ultione pius existeret, nec sine pietate districtus. Ecce hoc est magisterium disciplinæ, ut culpis et discrete noverit parcere, et eas pie resecare. » Hucusque S. Gregorius.

Vers. 14. 14. HOC EST, AIT, QUOD LOCUTUS SUM : EXPLORATORES ESTIS. — *q. d.* Fingitis vos esse duodecim fratres, aliumque domi habere fratrem : hinc colligo vos cætera quoque fingere, esseque exploratores; ut ergo contrarium ostendatis, adducite fratrem vestrum minimum ad me, ut ego eum videam, indeque sciam vos vera dixisse. Rursum hæc non assertive, sed tentative dicit Joseph; idque ut exploret quid factum sit de Benjamin : timebat enim ne fratres simile quid in Benjaminum (utpote fratrem suum uterinum, et Rachelis, quam Jacob præ Lia dilexerat, filium) designassent, quale in se perpetraverant. Ita S. Chrysostomus.

Vers. 16. An per

16. ALIOQUIN PER SALUTEM PHARAONIS EXPLORATORES ESTIS. — Quæres *primo*, an τὸ *per salutem*

(1) Vix monitu opus, Josephum ipsum, Ægypti proregem, non singula frumenta singulis vendidisse; sed quum Canaanæa συνοδία (Gall. *caravane*) magnam annonæ copiam emptura adveniret, id ante ad Josephum deferri debebat, cujus erat definire pretium, et inquirere an tanta frumenti copia peregrinis vendi possit, ut utrum advenæ suspecti essent, necne? Ægyptii enim præ aliis gentibus diffidere solebant peregrinis.

salutem Pharaonis juramentum sit? *Pharaonis* sit juramentum, et an licitum? Calvinus negat esse juramentum, additque hanc tantum esse phrasim gentilitiam, quæ sapiat idololâtriam Ægyptiacam. Sic enim Romani jurabant per genium Cæsaris, ut hac ratione Cæsari adularentur, eumque diis quasi æquarent. *Secundo*, Hamerus respondet, hoc non esse juramentum, quia non fit expresse per Dei contestationem.

An licitum sit? Dico *primo*, τὸ *per salutem Pharaonis* est juramentum. Patet, quia hebraice est, « vivit Pharao, » quæ apud Hebræos est formula jurandi, perinde ac cum dicunt, « Vivit Deus, » hoc etiam significat Noster, cum vertit, « per salutem Pharaonis; » simili enim modo juramus « per animam. »

Dico *secundo*, juramentum hoc est licitum. Ratio est, quia qui per creaturas jurat, censetur usu communi gentium, et tacita jurantis intentione jurare per earum creatorem, uti explicat Christus *Matth.* XXIII, 21. Joseph ergo non joco, ut vult Hamerus, sed serio jurat per salutem Pharaonis, quasi regis sui benefici, venerandi et redamandi; et quasi in Pharaone venerans Deum, simulque regiam potestatem ipsi a Deo datam. Ergo, « per salutem Pharaonis, » idem est ac si dicat : Per Deum, qui auctor et conservator est vitæ et salutis Pharaonis. Ita S. Thomas et alii.

Dices : Joseph videtur hic pejerare; nam licet fratres Benjaminum non adducerent, exploratores tamen idcirco non erant.

Respondeo : Non jurat Joseph fratres suos esse exploratores, sed ait : « Alioqui exploratores estis, » id est eritis apud me, habebimini, præsumemini esse exploratores, *q. d.* Ni Benjamin adducatis, itaque vestra dicta veracia esse ostendatis, ego vos quasi exploratores habebo, tractabo et puniam. Ita S. Augustinus.

Quale juramentum sit *Per salutem Pharaonis?* Quæres *secundo*, quale sit hoc juramentum : « Per salutem, » vel vitam Pharaonis? Respondeo *primo* : Potest esse assertorium, si nimirum sic intelligas : « Per salutem Pharaonis, » id est, juro per Deum, qui vitæ et salutis Pharaonis, regis mei amantissimi, auctor est et custos.

Quid hac formula, *Vivit Dominus*, toties in sacra Scriptura significetur? Sic enim cum dicunt Hebræi : Vivit Dominus, sensus est : Testor Deum vivum : ita verum est quod dico, ac verum est vivere Deum, quem in testem voco, et per quem juro.

Secundo et potius, hæc phrasis ex communi usu loquendi significat execrationem, qua quis se aut suos devovet; potius ergo videtur hoc juramentum esse execratorium, ut sensus sit, « per salutem Pharaonis, » id est juro, testor et rogo Deum, ut Pharaoni regi meo charissimo salutem et vitam adimat, nisi vos quasi exploratores habuero et punivero, si ad me non adducatis Benjamin. Simili enim modo et sensu juramus per animam. Ita S. Thomas II II, *Quæst.* LXXX, art. 6. Sicut enim nostram personam, ita et aliam nobis conjunctam possumus obligare Deo, ut in ea nos puniat si fallimus, dicendo et jurando : « Per vitam patris; per vitam uxoris; per salutem regis. »

Juramentum execratorium quando sit contra charitatem? Dices : Hoc est imprecari malum patri, uxori et regi : hoc autem est contra charitatem. Respondeo. Est contra charitatem, si juramus falsum; sin verum est quod dicimus, non est contra, sed potius secundum charitatem : ostendimus enim quanti regem, vel patrem faciamus, eumque sic honoramus, neque solum imprecamur malum, si fallimus, sed etiam bonum, si non fallimus. Itaque, « per salutem Pharaonis, » idem est ac si dicas : Ita Deus salvet, vel non salvet Pharaonem. Salvet, si verum dico, vel si præsto quod dico; non salvet, si fallo : utrumque enim includitur, uti solerter et docte advertit noster Lessius, tract. *De Juramento*, dub. 2.

Vers. 17. Cur præcise tribus diebus custodiæ traditi fratres Josephi. 17. TRADIDIT ERGO ILLOS CUSTODIÆ TRIBUS DIEBUS. — Ut ita luerent triplex crimen suum, *primo*, mortis intentatæ; *secundo*, projectionis in cisternam; *tertio*, venditionis Josephi; et ut sicut ipse triennio fuerat in carcere, sic illi essent triduo, inquit Delrio, et alii.

Vers. 18. 18. FACITE QUÆ DIXI, ET VIVETIS : DEUM ENIM TIMEO, — *q. d.* Nolite timere, quia nil injuste, nil infideliter, nil inhumane vobiscum agam, sed fideliter quæ dixi præstabo : etsi enim sim princeps, Deum tamen principum Principem timeo et revereor, sciens me ab eo judicandum, omniumque factorum meorum illi redditurum rationem.

Vers. 21. 21. MERITO HÆC PATIMUR. — Ex Hebræo vertas, *vere nos desolati sumus*, puta soli omnique auxilio destituti, *propter fratrem nostrum*, quem desolavimus, solumque exteris vendidimus. Nota hic cum S. Chrysostomo quanta sit vis conscientiæ, cujus obtutibus peccata omnia illico se sistunt et confluunt, cum Dei manum vindicem videmus et sentimus : nulla enim Josephi hic facta est mentio, et tamen ejus memoria et injuria ei ante viginti tres annos facta, statim omnium fratrum mentibus se sistit, cum ob eam se castigari augurantur. « Sicut ebrius, inquit, quando multum vini ingurgitat, nullum sentit a vino damnum, postea autem sentit quantum sit damnum : sic peccatum donec consummetur, obtenebrat mentem, et quasi densa nubes ita mentem corrumpit; deinde conscientia insurgit, et quovis accusatore mentem gravius arrodit, monstrans absurditatem facti; » nimirum, « oculos, quos culpa claudit, pœna aperit, » inquit S. Gregorius; nimirum, « conscientia mille testes; » et, ut ait S. Gregorius Nazianzenus, in plagam grandinis : « Conscientia domesticum et verum tribunal est. » Nam, ut ait *Sap.* XVII, 10 : « Semper præsumit sæva, perturbata conscientia. » E contrario *Eccli.* XIII, 10 : « Bona, inquit, est substantia, cui non est peccatum in conscientia; » et cap. XXX, vers. 17 : « Non est oblectamentum super cordis gaudium; » et Apostolus II *Corinth.* I, 12 : « Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis et sinceritate Dei conversati sumus in hoc mundo; » et S. Hieronymus : « Bona conscientia nullius oculos fugit, » interrita est et impavida ad omnia.

Vis conscientiæ.

Utilitas tribulationis.

Rursum, fratres hi in plaga ad se redeunt, et crimen agnoscunt. Ita Manasses rex impiissimus in carcere culpam agnovit, II *Paral.* XXXIII. Ita Nabuchodonosor superbissimus, postquam in bestiam est transformatus, agnovit suam imbecillitatem Deique potentiam, « qui gradientes in superbia potest humiliare, » *Danielis* cap. IV. Ita Antiochus, rex scelestissimus, lethali morbo percussus : « Nunc, inquit, reminiscor malorum quæ feci in Jerusalem. Cognovi ego, quia propter ea invenerunt me mala ista, et ecce pereo tristitia magna in terra aliena, » I *Machab.* VI, 13. Ita fames docuit filium prodigum dicere : « Pater, peccavi in cœlum et coram te. » Proinde recte impiis imprecatur Psaltes dicens *Psal.* XXVIII : « Imple facies eorum ignominia, et quærent nomen tuum, Domine. »

Tertio, adverte hic miram et justam Dei providentiam et vindictam, qua fratres Joseph insontes punit eadem pœna, scilicet carcere et captivitate, qua ipsi antea Josephum insontem afflixerant. Justum enim est, ait Rhadamantus, ut quod quis injuste fecit, hoc ipse juste patiatur.

Simile exemplum memorabile, imo plura exempla clarissima refert S. Ephrem, quæ ipsimet juveni petulanti et lascivo contigerunt, quibus ipse ad frugem, imo ad vitam monasticam conversus est. Audi eum partim in confessione sua, partim in narratione suæ conversionis. Ego, inquit, dubitabam de Dei providentia, et an non potius omnia casu et fortuito acciderent. Hoc dubium mihi Deus, non verbis, sed factis exemit. Quodam enim die a parentibus in suburbana missus, juvencam gravidam lapidibus insectans et agitans, causa fui, ut ipsa a fera laniaretur; obvium deinde habens pauperem, cujus illa erat, me de eadem interrogantem contumeliis etiam oneravi. Post mensem rursum in Mesopotamia ad suburbana missus, nocte ad pastores diverto, qua nocte in caulam irruentes feræ gregem dispergunt. Hinc a dominis gregis comprehensus ego, quasi raptores induxissem, Prætori trador et carceri; ubi cum fuissem diebus quadraginta, dormienti adstans adolescens aspectu terribilis : Quid, inquit, in isto agis carcere? cui cum casus meos insontis enarrassem : Ego, ait ille, hoc novi, te culpa vacare; sed præterita cogita, scis enim te pauperculi hominis jumentum agitando necasse. Ut igitur providentiam et justitiam Dei discas, interroga duos illos viros, quorum alter homicidii, alter adulterii falso insimulatur, quique in eumdem hunc carcerem compacti sunt, et intelliges, non sine causa eos in vinculis esse; sed neque ipsi scelerum istorum auctores impune evadent. Quibus dictis evanuit. Mane autem facto, ad viros illos conversus : Cur, inquam, hic estis? et alter quidem ait : In crimine de quo accusor, innocens sum; sed nuper virum quemdam, in pugna ab inimico ex ponte deturbatum, undis et morti, cum possem, non eripui. Alter vero : Ego, inquit, insons sum; sed nuper a duobus militibus accepi quinquaginta nummos ut sororem eorum adulteratam fuisse jurarem, atque ita puellæ hæreditatem in fratres trajicerem. Pejeravi itaque et misellam adulterio conficto bonis omnibus everti. Nunc te vicissim, adolescens, nobis indica. Parui petitioni, et juvencæ mortem, causamque captivitatis meæ declaravi. Tunc cœpi compungi atque resipiscere, et nos merito pœnas luere intellexi, etsi criminis, ob quod capti eramus, essemus omnes tres ignari et innoxii. Postridie ad judicem rapimur. Torquentur illi; et cum innocentes reperti essent, dimittuntur. Ego in carcerem retrudor : ubi cum solus alios quadraginta peregissem dies, adducuntur vincti tres alii viri, quibuscum triginta rursum dies extraxi. Hinc mihi secundum quietem adstitit idem, qui antea apparuerat dicens : Quid est, Ephrem? cernis justum judicium Dei? ut autem cognoscas, qui tres illi sint hodie tibi adjuncti, scito duos ex illis falso sororem fornicationis accusasse, ac patrimonio orbasse; alius vero est, qui hominem in flumen præcipitavit, et his dictis recessit. Tum ego mane facto, eos rogavi ut mihi causam dicerent, ob quam in carcerem conjecti essent : et fratres quidem sororem per nefas a se circumventam fatebantur, alter vero hominem in aquas deturbatum. Quibus auditis, et ipse quæ mihi acciderant enarrabam, et duorum virorum quorum alter perjurium admiserat, alter pereunti manum negasset (hi enim in iis ipsis criminibus, hisce eorum auctoribus consenserant aut cooperati fuerant), casus exponebam. Inde omnibus nobis divini judicii metus, uberes lacrymas excussit. Postridie in quæstionem adducimur, et fratres quidem duo, præter crimina jam dicta etiam se adulterii et homicidii (quæ falso duobus, paulo ante dictis, imputata fuerant) auctores esse confessi, morte mulctati sunt : et mox alter eadem pœna, ob duas cædes ab eo patratras, afficitur. Post judex et me adduci jubet, amare flentem, Deumque his verbis invocantem : Salva me, Domine, ex necessitate, ut digne fieri queam monachus et tibi inserviam. Prætor autem mandavit tortoribus, ut me distentum nervis boum cæderent. At Prætoris assessor : Reservetur, inquit, iste in aliud judicium, nunc enim tempus est prandii. In carcerem itaque ferro constrictus reducor, ubi solus egi alios 25 dies. Exhibuit autem se tertio adolescens antea visus, et ait : Certusne jam es, quod justo judicio Deus mundum gubernet? Imo, inquam, Domine; at tu, oro rogoque, educ me de carcere isto, ut merear fieri monachus, et inservire Domino Christo. Ipseque subridens : Adhuc semel, inquit, examini subjicieris, tum demum liberandus ab alio judice; sed scito unum esse oculum omnia perlustrantem. Post hæc anxius octo dies extraxi, donec novus judex me in quæstionem productum agnovit, et falso accusatum dimisit. Ego vero sine mora in montem ascendi, et me ad venerandi senis pedes

Mirum exemplum providentiæ Dei, quo conversus est S. Ephrem.

projiciens, enarratis cunctis quæ acciderant, in monachum ab eo sum assumptus. Hæc de se aliquanto prolixius S. Ephrem fratribus suis enarravit. Unde liquet Deum nullum crimen relinquere impunitum; *secundo*, Deum practicare illud Christi: « In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, » *Matth.* VII, 2.

Moralia pulchra de utilitate tribulationis, quodque ipsa doceat nos cognoscere *primo*, Deum; *secundo*, nosipsos, nostramque fragilitatem; *tertio*, vanitatem mundi, omniumque ejus operum et bonorum: habet hic Pererius num. 22 et sequentibus.

Vers. 22. Sanguis pro violenta morte in Scriptura frequens ponitur.

22. EN SANGUIS EJUS EXQUIRITUR. — Putabant enim fratres Josephum in tam dira servitute præ afflictione et mœrore jam pridem esse mortuum: nec enim per viginti tres annos quidquam de eo inaudierant. « Sanguis » ergo hic metonymice ponitur pro effusione sanguinis, puta pro nece et morte: quævis enim occisio et mors violenta, etiamsi fiat suffocatione, submersione, contusione, aliove modo, vocatur apud Hebræos effusio sanguinis, per synecdochen et per catachresin, eo quod violenta mors creberrime inferri soleat per effusionem sanguinis.

Vers. 25.

25. SIMEON. — Unum Simeonem præ aliis ligat Josephus, quia in Simeone potissimum venditi Josephi culpa resedit, inquiunt Philo, Theodoretus et Gennadius. Si enim Simeon secundo genitus cum Rubeno primogenito et Juda, qui inter fratres gratia et dignitate præstabat, se conjunxisset, facile hi tres sua auctoritate alios fratres compescuissent, et Josephum liberassent; forte etiam Simeon inter fratres insolentior et iniquior fuerat in Josephum: audax enim et insolens ejus indoles satis se prodidit in strage Sichimorum, *Genes.* XXXIV, vers. 25.

DATIS SUPRA CIBARIIS IN VIAM, — dato præter frumentum viatico, puta panibus aliisque escis tam hominum quam asinorum, ut frumentum integrum et intactum domum perferrent, ad patrem in Chanaan.

Vers. 29.

29. NARRAVERUNT EI OMNIA, — ultro et sponte, ne pater animi penderet, ubi mansisset Simeon; nam, ut prudenter ait Philo, « in casibus inopinatis levior est cognitio, quam dubitatio: nam re cognita potest inveniri ad salutem aditus; hæsitatio nihil expedit. » Vere Poeta:

Pejor est bello timor ipse belli.

Vers. 35.

35. EXTERRITISQUE SIMUL OMNIBUS. — Filii apcruerant saccos in via, sciebantque eis pecuniam inesse; pater vero nesciebat, sed filii coram patre simulant se quoque idipsum nescire, ne a patre increpentur. Exterriti ergo hic sunt filii jam ante concepto, vel certe simulato et ficto timore: Jacob autem novo et vero metu perculsus fuit, timens scilicet ne quid mali propter hanc pecuniam Simeoni, si non redirent; sin redirent, ipsismet infligeretur a Josepho.

Vers. 36.

36. ABSQUE LIBERIS ME ESSE FECISTIS. — Dolentis vox ista est, inquit Abulensis, quia dolentes pro re modica faciunt propositiones universales, ut si pauca mala habeant, dicant se omnia habere; et si pauca bona eis desint, dicant sibi omnia deesse: ita Jacob tres tantum filios abfore sentiens, ex vehementia doloris dicit sibi omnes defuturos, cum tamen adhuc alii novem ei superessent. Dolor hic oriebatur ex ingenti amore, quo super omnes diligebat Josephum perditum, et Benjamin abducendum.

Vers. 37

37. DUOS FILIOS MEOS INTERFICE. — Irrationalis, turbida et plena passione est hæc oblatio Rubeni: occidere enim avo nepotes non licet, et si licuisset, non hoc ejus dolorem mitigasset, sed potius auxisset. Verum voluit Ruben hac incomposita et irrationali propositione significare, se certo certius reducturum Benjaminum.

Vers. 38.

38. DEDUCETIS CANOS MEOS CUM DOLORE AD INFEROS, — id est, efficietis, ut ego senex mœrore et mœstitia moriar; quinimo senio meo accelerabitis mortem. Ita Abulensis et Vatablus. Octava fuit hæc crux Jacobi.

CAPUT QUADRAGESIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Fratres secundo cum Benjamin eunt in Ægyptum, ut emant frumentum; Joseph, vers. 27, *benigne eos et lauto convivio excipit.*

1. Interim fames omnem terram vehementer premebat. 2. Consumptisque cibis quos ex Ægypto detulerant, dixit Jacob ad filios suos: Revertimini, et emite nobis pauxillum escarum. 3. Respondit Judas: Denuntiavit nobis vir ille sub attestatione jurisjurandi dicens: Non videbitis faciem meam, nisi fratrem vestrum minimum adduxeritis vobiscum. 4. Si ergo vis eum mittere nobiscum, pergemus pariter, et ememus tibi necessaria: 5. sin

autem non vis, non ibimus : vir enim, ut sæpe diximus, denuntiavit nobis dicens : Non videbitis faciem meam absque fratre vestro minimo. 6. Dixit eis Israel : In meam hoc fecistis miseriam, ut indicaretis ei et alium habere vos fratrem. 7. At illi responderunt : Interrogavit nos homo per ordinem nostram progeniem, si pater viveret, si haberemus fratrem ; et nos respondimus ei consequenter juxta id quod fuerat sciscitatus : numquid scire poteramus quod dicturus esset : Adducite fratrem vestrum vobiscum? 8. Judas quoque dixit patri suo : Mitte puerum mecum, ut proficiscamur, et possimus vivere : ne moriamur nos et parvuli nostri. 9. Ego suscipio puerum, de manu mea require illum : nisi reduxero, et reddidero eum tibi, ero peccati reus in te omni tempore. 10. Si non intercessisset dilatio, jam vice altera venissemus. 11. Igitur Israel pater eorum dixit ad eos : Si sic necesse est, facite quod vultis, sumite de optimis terræ fructibus in vasis vestris, et deferte viro munera, modicum resinæ, et mellis, et storacis, stactes, et terebinthi, et amygdalarum. 12. Pecuniam quoque duplicem ferte vobiscum : et illam, quam invenistis in sacculis, reportate, ne forte errore factum sit : 13. sed et fratrem vestrum tollite, et ite ad virum. 14. Deus autem meus omnipotens faciat vobis eum placabilem : et remittat vobiscum fratrem vestrum quem tenet, et hunc Benjamin : ego autem quasi orbatus absque liberis ero. 15. Tulerunt ergo viri munera, et pecuniam duplicem et Benjamin : descenderuntque in Ægyptum, et steterunt coram Joseph. 16. Quos cum ille vidisset, et Benjamin simul, præcepit dispensatori domus suæ, dicens : Introduc viros domum, et occide victimas, et instrue convivium ; quoniam mecum sunt comesturi meridie. 17. Fecit ille quod sibi fuerat imperatum, et introduxit viros domum. 18. Ibique exterriti, dixerunt mutuo : Propter pecuniam, quam retulimus prius in saccis nostris, introducti sumus ; ut devolvat in nos calumniam, et violenter subjiciat servituti et nos, et asinos nostros. 19. Quamobrem in ipsis foribus accedentes ad dispensatorem domus 20. locuti sunt : Oramus, domine, ut audias nos. Jam ante descendimus ut emeremus escas : 21. quibus emptis, cum venissemus ad diversorium, aperuimus saccos nostros, et invenimus pecuniam in ore saccorum ; quam nunc eodem pondere reportavimus. 22. Sed et aliud attulimus argentum, ut emamus quæ nobis necessaria sunt : non est in nostra conscientia quis posuerit eam in marsupiis nostris. 23. At ille respondit : Pax vobiscum, nolite timere : Deus vester, et Deus patris vestri dedit vobis thesauros in saccis vestris ; nam pecuniam, quam dedistis mihi, probatam ego habeo. Eduxitque ad eos Simeon. 24. Et introductis domum, attulit aquam, et laverunt pedes suos, deditque pabulum asinis eorum. 25. Illi vero parabant munera, donec ingrederetur Joseph meridie : audierant enim quod ibi comesturi essent panem. 26. Igitur ingressus est Joseph domum suam, obtuleruntque ei munera, tenentes in manibus suis : et adoraverunt proni in terram. 27. At ille, clementer resalutatis eis, interrogavit eos, dicens : Salvusne est pater vester senex, de quo dixeratis mihi? Adhuc vivit? 28. Qui responderunt : Sospes est servus tuus pater noster, adhuc vivit. Et incurvati, adoraverunt eum. 29. Attollens autem Joseph oculos, vidit Benjamin fratrem suum uterinum, et ait : Iste est frater vester parvulus, de quo dixeratis mihi? Et rursum : Deus, inquit, misereatur tui, fili mi. 30. Festinavitque, quia commota fuerant viscera ejus super fratre suo, et erumpebant lacrymæ : et introiens cubiculum flevit. 31. Rursumque lota facie egressus, continuit se, et ait : Ponite panes. 32. Quibus appositis, seorsum Joseph, et seorsum fratribus, Ægyptiis quoque qui vescebantur simul, seorsum (illicitum est enim Ægyptiis comedere cum Hebræis, et profanum putant hujuscemodi convivium) 33. sederunt coram eo, primogenitus juxta primogenita sua, et minimus juxta ætatem suam. Et mirabantur nimis, 34. sumptis partibus quas ab eo acceperant : majorque pars venit Benjamin, ita ut quinque partibus excederet. Biberuntque et inebriati sunt cum eo.

Vers. 2. 2. PAUXILLUM ESCARUM — quod huic anno levandæ fami nostræ sufficiat. Nesciebat Jacob adhuc quinquennium sterilitatis et famis superesse; hæc enim dixit et fecit Jacob anno secundo sterilitatis, ut patet cap. XLVII, vers. 9.

Vers. 3. 3. JUDAS, — qui inter fratres animo, prudentia, eloquentia et auctoritate excellebat, inquit Philo.

SUB ATTESTATIONE JURISJURANDI. — Hebraice est, *contestando contestatus est nos*, id est denuntiavit nobis adhibito juramento, dicens: « Per salutem Pharaonis. »

NON VIDEBITIS FACIEM MEAM, — non permittam vos mecum agere, aut quidquam emere in tota Ægypto; tanquam exploratores vos puniam. Ita Abulensis.

Vers. 6. 6. IN MEAM HOC FECISTIS MISERIAM, — non intendendo, sed occasionem dando vestris sermonibus huic meæ miseriæ, qua meo Benjamino privor. Vide *Can.* 20.

Vers. 7. 7. INTERROGAVIT NOS HOMO, etc., SI HABEREMUS FRATREM. — Vera refert Judas, ut patet cap. seq. vers. 19, licet hæc ipsa taceantur cap. XLII, vers. 13: ibi enim summatim tantum res narratur, hic vero et cap. seq. exactius et prolixius rem totam, reique gestæ ordinem enarrant fratres.

Vers. 8. Ætas Benjamini cum in Ægyptum duceretur. 8. PUERUM, — fratrem natu minimum; alioqui Benjamin jam erat 24 annorum, filiosque genuerat, ut patet cap. XLVI, vers. 21. Natus est enim Benjamin, anno decimo sexto Josephi, quo ipse venditus est in Ægyptum; hæc autem contigerunt anno secundo sterilitatis, quo Joseph erat 39 annorum, et patet ex dictis, et ex cap. XLVII, vers. 9; jam computa ab anno 16 Josephi ad 39 ejusdem, habebis 24 annos Benjamini.

Ætas Isaaci cum immolandus esset. Totidem fere annorum, puta 25, erat Isaac, cum jussus est Abraham eum immolare; ita et Jacob hic suum Benjaminum eadem ætate cogitur abdicare et resignare in manus Dei.

NE MORIAMUR. — *q. d.* « Compassio quam exhibemus puero, nobis omnibus erit causa interitus; fame enim peribimus, nisi eum nobiscum mittas, » ait S. Chrysostomus, *hom.* 64.

Vers. 9. 9. ERO PECCATI REUS IN TE OMNI TEMPORE, — *q. d.* Quamdiu vivam, hoc mihi peccatum impropera, et quamcumque voles, pœnam mihi inflige.

Vers. 10. 10. SI NON INTERCESSISSET DILATIO, — nisi fuisset injecta ista mora, qua remoratus es nos, negando nobis comitatum Benjamin.

Vers. 11. 11. SUMITE DE OPTIMIS TERRÆ FRUCTIBUS. — Hebraice est, *sumite de cantatione terræ*. Cantatio hebraice vocatur res præstans, nobilis, laudabilis et decantanda (1).

Resina quid? RESINÆ, — id est theriacæ, inquiunt Judæi; sed perperam : resina enim est succus fluens ab arbore. Jam variæ sunt arbores quæ resinam dant. In Judæa et Syria resinam dat arbor, quæ vocatur ferula, cujus succus sive resina vocatur galbanum, inquit Dioscorides, lib. III, cap. LXXXI, et ex eo Abulensis. Vide et Plinium lib. XII, cap. XXVI, in fine; favet et Josephus; nam in eo pro βαλάνου legendum videtur γαλβάνου.

Storax quid? STORACIS. — Storax lacryma est arboris, quæ styrax dicitur, de qua Dioscorides, lib. I, cap. LXXVIII, et Plinius, lib. XII, cap. XXV; ex ea fit unguentum styracinum, quod capillos, non tantum bono odore, sed et colore flavo imbuit.

Stacte quid? STACTES. — Stacte lacryma est myrrhæ, puta liquor myrrhæ purissimus et subtilissimus.

TEREBINTHI. — Terebinthus hic est resina, vel succus, qui ex arbore terebintho distillat: vulgo termentina vocatur.

Vers. 14. 14. EGO AUTEM QUASI ORBATUS ABSQUE LIBERIS ERO; — interea dum vos omnes absentes eritis, videbor mihi esse orbus; et forte reipsa nonnullis, aut etiam omnibus vobis in hoc itinere orbabor.

Discant hic parentes suas spes et gaudia non collocare in filiis. Ecce Jacob in senio, cum liberis frui putabat, iis orbatur. Adde, dum filii adolescunt, sæpe cum ætate crescunt simul et eorum vitia, et parentum curæ. Discant, *secundo*, fideles nulli rei mundanæ inniti, sed toti a Deo pendere. Ecce Jacobo subtrahitur quidquid dilexerat, scilicet Rachel, Joseph, Benjamin, ut ab iis amorem avocet, et in Deum transferat. Discant *tertio*, adversis non frangi, quia tunc felicitas est proxima, cum miserrimi videntur. Sic enim Jacob hic afflictus, mox omnibus malis eripitur. Cum ergo derelictus et perditus videris, animos sume, scito prosperam fortunam stare ante januam, tibique imminere. Ecce enim Dominus ex alto nos aspicit, certantes intuetur et corroborat, atque præmia disponit et præparat, ut ipse dixit S. Antonio a dæmonibus mire vexato (2).

Vers. 19. 19. OCCIDE VICTIMAS, ET INSTRUE CONVIVIUM. — « Victimæ » vocantur hic et alibi animalia, puta oves, vituli, capones, pisces jugulati non ad sacrificium, sed ad convivium; hebraice enim est טבוח טבח *teboach tebach*, id est, macta mactationem, hoc est, macta animalia mactanda ad epulum. Adde hæc animalia vocari quoque victimas, respectu ipsius sacrificii; veteres enim inter epulas sacrificabant. Id de Judæis patet *Exodi* cap. XII, ubi in ultima sua cœna, quam peregerunt in Ægypto, immolarunt et comederunt agnum paschalem. Ita fecit et Christus in ultima sua cœna, cujus epulum sacrum, pariter et sacrificium fuit Eucharistia.

Inter epulas sacrificari solitum apud veteres.

De Gentilibus idem patet ex Athenæo, Macrobio, Virgilio, Homero. Erant enim sacrificia quasi sacræ epulæ, in quibus Deus cum hominibus epulabatur; ideoque vocantur victimæ.

(1) Hæc munera, juxta Rosenmullerum, erant *aliquantum balsami*, et *aliquantum mellis*, seu succi ex uvis passis ad mellis propemodum spissitatem decocti, arabibus *dibs* vocati, *aromata*, *ladanum*, *pistacea et amygdala*.

(2) Vers. 18. Hebr. est, *propter negotium argenti reduntis*, *ad devolvendum se* (ut Josephus sese devolvat) *super nos*; *et ad irruendum super nos*.

Vers. 23. 23. PAX VOBISCUM, — ne timeatis, ego securos vos esse jubeo.

DEUS DEDIT VOBIS, — per me; cui id, Deo inspirante, jussit Joseph.

Moraliter, ne honores mutent mores. Discant hic rectores et principes, quomodo in Josepho honores non mutent mores, sed in summo fastigio pristinam retineant comitatem cum maturitate conjunctam. Discant singuli, ubique et in omnibus Josephum virtutum semina spargere: fuit enim ipse innocens in domo patris, patiens in adversis, fidelis in servitio, castus in tentatione, sapiens in occultorum reseratione, prudens in futurorum provisione, justus in fratrum castigatione, et nunc pius in ipsorum susceptione.

Exempla. Ita Villegisus, teste Nauclero, Zieglero et aliis, patre rhedario natus, ab Othone III subito primus inter Electores adoptatus, ne se efferret, sibi crebro suggerebat : « Vide quis sis, memento quis fueris. » Unde et rotas suo musæo appingi curavit, iisque subscribi : « Villegise, prioris fortunæ memor, quis nunc sis considera. » Hæc rota postmodum insigne archiepiscopatui Moguntino fuit, atque ab Henrico II Imperatore confirmatum.

Benedictus XI, ex paupere creatus Pontifex, cum matrem a matronis Romanis splendidiori cultu ornatam, ad se venientem videret, dissimulavit se eam agnoscere, ac monitus adesse matrem : « Egone, ait, matrem tam specioso amictu esse credam? non agnosco; matrem enim et pauperem scio et ignobilem. » Exuit ergo ipsa vestes sericas, ac suas pannosas induit; tum Pontifex eam amplexatus : « Hoc habitu, inquit, matrem reliqui, et talem libenter agnosco recipioque. »

Franciscus rex, captus a Carolo V, scripsit in pariete : « Hodie mihi, cras tibi. » Subscripsit Carolus : « Homo sum, nihil humani a me alienum puto. »

Gilimer, Wandalorum rex, captus et ductus a Justiniano in triumphum, risit, dixitque : « Rideo fortunæ vicissitudines, ut qui modo rex fuerim, jam serviam. »

THESAUROS, — pecuniam in saccis vestris occulte a me reconditam; hæc enim hebraice vocatur מטמון *matmon*, Chaldaice *mammon* et *mammona*, a radice טמן *taman*, id est, abscondit, recondidit.

PECUNIAM QUAM DEDISTIS MIHI — in pretium frumenti quod a me emistis.

PROBATAM EGO HABEO. — Hebraice est : *Pecunia vestra venit ad me*, *q. d.* Ego illam accepisse me fateor, et licet eamdem occulte vobis reddiderim, acceptam tamen æstimo et computo, et perinde ac si eam haberem reputo.

Vers. 24. 24. LAVARUNT PEDES SUOS. — Hinc rursum patet hospitibus olim ante mensam pedes lavari solitos : idque tam in prandio, quam in cœna; fuit enim hoc Josephi convivium prandium, non cœna, ut patet vers. seq. Sic servo Abrahæ hospiti apud Bathuelem loti sunt pedes, supra cap. XXIV, vers. 32 (1).

Hospitibus pedes lavari soliti.

29. VIDIT BENJAMIN. — Viderat prius, sed obiter et dissimulanter, nunc ex professo eum intuetur et alloquitur. Unde hic aspectus lacrymas teneri amoris et pietatis illi excussit. Vers. 29.

30. FESTINAVITQUE, — quasi ad aliud negotium evocatus (2). Vers. 30.

32. ILLICITUM EST ENIM ÆGYPTIIS COMEDERE CUM HEBRÆIS. — *Primo*, quia Ægyptii partim ex superbia, partim ex superstitione aversabantur pastores et pecuarios, quales erant Hebræi. *Secundo*, quia oves, vituli boves, quibus vescebantur Hebræi, erant dii Ægyptiorum, quæ proinde occidere aut comedere eis non licebat, *Exodi* VIII, vers. 26; non quod in hoc convivio talia essent apposita, sed quod scirent Hebræos talibus vesci solere. Vers. 32. Illicitum Ægyptiis comedere cum Hebræis, et cur?

33. SEDERUNT. — Hinc patet morem sedendi in mensa esse antiquissimum; mos enim accumbendi, vel discumbendi, longe posterius cœpit. Vers. 33. Sedere ad mensam antiquius quam accumbere.

PRIMOGENITUS JUXTA PRIMOGENITA SUA, — *q. d.* Primogenitus, puta Ruben, primo loco sedit. Secundogenitus, puta Simeon, sedit secundo loco; tertius tertio; ultimogenitus, puta Benjamin, sedit ultimo. Videtur Joseph ipse hunc fratribus singulis dedisse ordinem, eosque per suum œconomum hoc ordine evocasse et collocasse in mensa; ideoque ipsi mirati sunt undenam ipse sciret ætatem et ordinem singulorum.

ET MIRABANTUR NIMIS, — tum ob ordinem singulis in mensa apposite, juxta ætatem assignatum; tum ob humanitatem Josephi, qua e sua paropside singulis mittebat suam partem suumque munus, ita tamen ut Benjamin minimus cæteris amplius acciperet, uti sequitur.

34. SUMPTIS PARTIBUS QUAS AB EO ACCEPERANT. — Hebræa clarius significant quod Joseph e sua mensa partem suorum ferculorum, honoris causa, miserit ad singulos fratres in alia mensa considentes. Vers. 34.

UT QUINQUE PARTIBUS EXCEDERET. — Videtur ergo Joseph quinque fercula amplius Benjamino quam cæteris misisse; licet Josephus et Abulensis putent Josephum singulis fratribus misisse quinque fercula, sed ita ut Benjamin in singulis acciperet duplam portionem. Alii putant quod una eademque portio data sit singulis, sed Benjamino quintuplo major et grandior.

Verum prius quod dixi, magis significant Hebræa. Voluit Joseph hac ratione præ aliis honorare Benjaminum, utpote fratrem suum uterinum : cujus rei symbolicam dat causam Alexan-

(1) Vers. 27. Pro *clementer* hebr. est de *pace*, id est, juxta multos, interrogabat eos *quomodo valerent*.

(2) Vers. 31. Cf. Plinium, lib. III, *epist.* 16, de dissimulatione Arriæ loquentem: « Cum diu cohibitæ lacrymæ vincerent, prorumperentque, egrediebatur; tum se dolori dabat. Satiata siccis oculis, composito vultu redibat. »

der Polyhistor, apud Eusebium, lib. IX, cap. ult.: Quia, inquit, Lia septem pepererat proles, Rachel duas tantum; ne itaque Rachel minor videatur esse Lia, hinc Joseph in filio ejus Benjamin, quinque ei partes addit, ut sic eam Liæ adæquet. Sicut enim Lia quinque prolibus Rachelem, ita Benjamin, et consequenter Rachel suos fratres ipsamque Liam eorum matrem, quinque partibus, sive missibus superabat in hac mensa Josephi.

S. Pauli cum Benjamino comparatio.

Allegorice, Benjamin est S. Paulus ex tribu Benjamin oriundus, qui præ aliis Apostolis, sapientia, gratia, facundia, efficacia et zelo a Deo dotatus est. Ita S. Ambrosius et Prosper. « Deducitur Benjamin, ait S. Ambrosius, lib. *De Joseph*, cap. IX, et bonis odoribus comitatus advenit portans secum resinam, etc. Talis enim Pauli prædicatio, ut putrem aboleret affectum, corruptumque evacuaret humorem disputationis suæ aculeo, urere magis ægra mentis viscera cupiens, quam secare. Incensum orationis, et casiam et guttam sepulturæ insignia esse, David nos docuit dicens : Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis. Venit enim Paulus crucem Domini prædicare. » Et cap. X : « Ideo in convivio pars ejus quintupliciter major effecta est, quod haberet superioribus anteferri non solum mentis prudentia, sed etiam militia corporis et gratia castitatis. »

Ebrietatis incommoda.

ET INEBRIATI SUNT, — satiati sunt; exhilarati sunt, mero incaluerunt, citra tamen crapulam aut temulentiam; hanc enim continens et S. Joseph in sua mensa non permisisset; nec hac recreantur homines, sed, ut ait S. Augustinus, se mergunt diluvio. Audi Plinium lib. XIV, cap. XXII: Ex vino, inquit, et ebrietate oritur « pallor et genæ pendulæ, oculorum ulcera, tremulæ manus, labantesque pedes, et furiales somni, et inquies nocturna, præmiumque summum ebrietatis portentosa libido, ac jucundum nefas. Postera die ex ore halitus fœtidi, ac fere omnium oblivio morsque memoriæ, prudentiæ et mentis. » Adde damna temporis, pecuniæ et conscientiæ, de quibus dixi cap. XIX, in fine.

Præclare Alfonsus, Aragoniæ rex, rogatus cur adeo ebrietatem detestaretur, respondit : « Quia scio furorem et libidinem ejus filias esse. Scio quantum gloriæ Alexandri Magni obfuerit ebrietas. »

Ebrietas ergo hæc fuit læta et largior vini potatio, qua mens non obruebatur, sed exhilarabatur: ita S. Hieronymus, Augustinus et Philo. Unde Græcum μεθύειν, id est inebriari, dicitur, quasi μετὰ τὸ θύειν, quia post sacra veteres læti indulgebant poculis; vel potius ἀπὸ τῆς μεθέσεως, id est, a remissione et relaxatione animi, etiam sapientis, quæ fit per suavitatem et hilaritatem vini paulo copiosius hausti. Ita Eustathius ex Athenæo.

Apophtegma Anacharsis de vite.

Apposite dixit Anacharsis in vite esse tres botros, et tres calices. *Primus*, inquit, calix bibitur sanitatis; *secundus*, voluptatis; *tertius*, ebrietatis, injuriæ et insaniæ. Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas; æternas delicias exspecta, rumina illud : « Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi : in domum Domini ibimus. »

CAPUT QUADRAGESIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Scyphum suum occulte in sacco Benjamini poni jubet Joseph. Hinc Benjaminum quasi furem sibi in servum deposcit; pro eo se Judas, vers. 18, in servitutem offert.

1. Præcepit autem Joseph dispensatori domus suæ, dicens : Imple saccos eorum frumento, quantum possunt capere, et pone pecuniam singulorum in summitate sacci. 2. Scyphum autem meum argenteum, et pretium quod dedit tritici, pone in ore sacci junioris. Factumque est ita. 3. Et orto mane, dimissi sunt cum asinis suis. 4. Jamque urbem exierant, et processerant paululum : tunc Joseph accersito dispensatore domus : Surge, inquit, et persequere viros; et apprehensis dicito : Quare reddidistis malum pro bono? 5. Scyphus, quem furati estis, ipse est in quo bibit dominus meus, et in quo augurari solet : pessimam rem fecistis. 6. Fecit ille ut jusserat. Et apprehensis per ordinem locutus est. 7. Qui responderunt : Quare sic loquitur dominus noster, ut servi tui tantum flagitii commiserint? 8. Pecuniam, quam invenimus in summitate saccorum, reportavimus ad te de terra Chanaan : et quomodo consequens est ut furati simus de domo domini tui aurum vel argentum? 9. Apud quemcumque fuerit inventum servorum tuorum quod quæris, moriatur, et nos erimus servi domini nostri. 10. Qui dixit eis : Fiat juxta vestram senten-

tiam : apud quemcumque fuerit inventum, ipse sit servus meus, vos autem eritis innoxii. 11. Itaque festinato deponentes in terram saccos, aperuerunt singuli. 12. Quos scrutatus, incipiens a majore usque ad minimum, invenit scyphum in sacco Benjamin. 13. At illi, scissis vestibus, oneratisque rursum asinis, reversi sunt in oppidum. 14. Primusque Judas cum fratribus ingressus est ad Joseph (necdum enim de loco abierat), omnesque ante eum pariter in terram corruerunt. 15. Quibus ille ait : Cur sic agere voluistis? an ignoratis quod non sit similis mei in augurandi scientia? 16. Cui Judas : Quid respondebimus, inquit, domino meo? vel quid loquemur, aut juste poterimus obtendere? Deus invenit iniquitatem servorum tuorum : en omnes servi sumus domini mei, et nos, et apud quem inventus est scyphus. 17. Respondit Joseph : Absit a me ut sic agam; qui furatus est scyphum, ipse sit servus meus : vos autem abite liberi ad patrem vestrum. 18. Accedens autem propius Judas, confidenter ait : Oro, domine mi, loquatur servus tuus verbum in auribus tuis, et ne irascaris famulo tuo : tu es enim post Pharaonem 19. dominus meus. Interrogasti prius servos tuos : Habetis patrem, aut fratrem? 20. et nos respondimus tibi domino meo : Est nobis pater senex, et puer parvulus, qui in senectute illius natus est; cujus uterinus frater mortuus est : et ipsum solum habet mater sua, pater vero tenere diligit eum. 21. Dixistique servis tuis : Adducite eum ad me, et ponam oculos meos super illum. 22. Suggessimus domino meo : Non potest puer relinquere patrem suum; si enim illum dimiserit, morietur. 23. Et dixisti servis tuis : Nisi venerit frater vester minimus vobiscum, non videbitis amplius faciem meam. 24. Cum ergo ascendissemus ad famulum tuum patrem nostrum, narravimus ei omnia quæ locutus est dominus meus. 25. Et dixit pater noster : Revertimini, et emite nobis parum tritici. 26. Cui diximus : Ire non possumus; si frater noster minimus descenderit nobiscum, proficiscemur simul : alioquin, illo absente, non audemus videre faciem viri. 27. Ad quæ ille respondit : Vos scitis quod duos genuerit mihi uxor mea. 28. Egressus est unus, et dixistis : Bestia devoravit eum; et hucusque non comparet. 29. Si tuleritis et istum, et aliquid ei in via contigerit, deducetis canos meos cum mœrore ad inferos. 30. Igitur si intravero ad servum tuum patrem nostrum, et puer defuerit (cum anima illius ex hujus anima pendeat), 31. videritque eum non esse nobiscum, morietur, et deducent famuli tui canos ejus cum dolore ad inferos. 32. Ego proprie servus tuus sim, qui in meam hunc recepi fidem, et spopondi dicens : Nisi reduxero eum, peccati reus ero in patrem meum omni tempore. 33. Manebo itaque servus tuus pro puero in ministerio domini mei, et puer ascendat cum fratribus suis. 34. Non enim possum redire ad patrem meum, absente puero : ne calamitatis, quæ oppressura est patrem meum, testis assistam.

Vers. 2. 2. SCYPHUM, etc., PONE IN ORE SACCI JUNIORIS, — Benjamini. Fecit hoc Joseph, ut hac ratione pertentaret animos fratrum, num inviderent Benjamino, tanquam Rachelis filio, et tanquam ei, qui quintuplo majores partes in convivio acceperat, ut videlicet, si invidiam hanc persentisceret per fratrum silentium et neglectum Benjamini, eum apud se retineret, ne quid in via fratres contra eum, uti olim contra se fecerant, molirentur. Sin vero amorem fraternum, per anxietatem et curam eum liberandi, ostenderent, eumdem cum eis dimitteret. Ita Philo, Josephus, S. Chrysostomus, Theodoretus.

Vers. 5. 5. SCYPHUS QUEM FURATI ESTIS. — Nota : Joseph juste potuit suos fratres punire, hunc metum et terrorem eis incutiendo, ob scelus in se commissum, ut hac afflictione in se reversi, peccatum suum agnoscerent, uti reipsa fecerunt, inquit S. Augustinus. Benjaminum tamen ita affligere non potuit. Unde levis hic, et venialis in eum fuit calumnia, qua ei furtum scyphi impegit; verum ea in bonum Benjamini fuit concinnata, ut dixi vers. 2, fuitque ea modici temporis, quam mox se patefaciendo maxima lætitia, maximisque beneficiis compensavit. Fuit quoque hic mendacium; nam Joseph hæc non dixit tentando et interrogando, uti dixit illa cap. XLII, vers. 9, sed omnino asserendo. Fuit tamen hoc mendacium jocosum, non perniciosum.

Quod ergo S. Augustinus, Quæst. CXXV, conatur Josephum excusare a mendacio, intellige, de serio et noxio.

Symbolice, sicut Joseph lusit cum Benjamin, quem initio quasi furem premere ac vincire velle se simulavit; postea vero totum id joco factum ostendit, eumque amplexans cæteris fratribus prætulit : ita Deus agit cum humilibus; contemni illos patitur, affligi, vexari; sed si humiliter et patienter ea ferant, blandietur eis, eosque evehet, ut tanto fiant gloriosiores, quanto fuere abjectiores. Ludus ergo Dei est humilitas.

Ludus Dei est humilitas.

IN QUO AUGURARI SOLET. — Septuaginta, *in quo augurio auguratur*. Perperam ergo vertit R. Kimchi, *pro quo augures consuluit*.

Ritus divinandi Ægyptiorum et Assyriorum.

Tradit Julius Sirenius, lib. IX *De Fato*, cap. XVIII, Ægyptios et Assyrios pelves (sic et scyphos, ut videtur) aqua replere, deinde certis verbis dæmonem advocare solitos, ac tum dæmonem instar sibili ex aquis edidisse responsa ad ea, de quibus consulebatur. Rursum, dæmon subinde in aqua exprimebat speciem, vel imaginem rei, vel auctoris qui quærebatur, uti et jam divini nostri auctorem furti, suis incantationibus in aqua repræsentant et exoculant (1).

An et qualiter Josephus hoc scypho soleret divinare et augurari?

Dices, ergone Joseph talem hic se profitetur magum et divinum? Affirmat Calvinus, ideoque eum gravi simulatione contra religionem peccasse asseverat. Sed quis hoc credat de Josepho, qui propheta fuit piissimus ac sanctissimus? Respondet itaque S. Augustinus, Josephum hic loqui non serio, sed joculariter; sic enim videtur loqui vers. 15. *Secundo*, Theodoretus vult Josephum loqui interrogative, non assertive. *Tertio*, D. Thomas vult Josephum loqui, non ex sua, sed Ægyptiorum opinione, qui Josephum vere putabant esse augurem (2). Sed hæc non satisfaciunt huic versui et contextui.

Dico ergo, pro *augurari*, hebraice est נחש *nachas*, quod significat præsagire et divinare, sive augurio, sive naturali sagacitate, puta conjectare, rimari et indagare. Unde Chaldæus et Aben-Ezra vertunt, *probare*. Joseph ergo hoc scypho, eum vino plenum hospitibus suis propinando, naturaliter divinabat et explorabat hospitum suorum temperantiam, prudentiam, et arcana cordis (in vino enim est veritas), et hic explorabat quis fratrum in Benjaminum esset animus, ut dixi vers. 2. Sinebat tamen ipse fratres suos falli, ut putarent se vere et proprie esse augurem, ideoque verbo ambiguo usus est.

Augurium varie accipi potest.

Sic *augurium* pro conjectatione capit Plinius, lib. VII, epist. *ad Cornelium Tacitum*, cum ait : « Auguror, nec me fallit augurium, historias tuas immortales fore. » Sic Aristoteles, *problem.* 9, sect. 33, sternutamentum vocat sacrum augurium sanitatis capitis, quia scilicet signum est, caput bene valere, posse concoquere, et excernere superfluos et noxios humores; cum enim capitis calor humorem, spiritumque extraneum crudum et ventosum pervincit et expellit, tunc moveri solet sternutamentum (3).

Unde sternutatio?

15. QUOD NON SIT SIMILIS MEI IN AUGURANDI SCIENTIA. — « Auguraudi, » id est, divinandi et conjectandi; hoc enim est Hebræum נחש *nachas*, ut dixi vers. 5, *q. d.* Cum Pharao, totaque Ægyptus me ut augurem, id est, prophetam et divinum, agnoscat et colat, quomodo vos soli in hoc furto putastis vos me meamque divinationem posse latere. Vers. 15.

16. DEUS INVENIT PECCATUM NOSTRUM. — Aliqui cum S. Augustino intelligunt peccatum venditionis Josephi, *q. d.* Quia nos Josephum in servitutem vendidimus, hinc justæ nunc subdimur servituti. Hoc in corde suo sentire potuit Judas, verum exterius ipsi Josepho de hoc peccato non loquitur, sed de peccato furti scyphi : de eo enim accusabat eos Joseph; unde de eodem Judas respondit, illud agnoscendo. Videtur ergo Judas putasse, et suspicatus esse, quod Benjamin vere furatus esset scyphum, præsertim cum Benjamin deprehensus taceret, nec se defenderet. Aut certe in re ancipiti et dubia maluit Judas peccatum fratri ascribere, et humiliter veniam precari, itaque iram Josephi lenire, quam eamdem magis concitare Benjaminum excusando, et vel expresse vel tacite culpam in Josephum ejusque famulos retorquendo, eisque fraudem, dolum et calumniam impingendo. Ex eo enim quod scyphus inventus erat in sacco Benjamini, præsumptio furti erat de Benjamino. Ita Abulensis. Vere S. Augustinus, *Sent.* 118 : « Melior est, inquit, in malis confessio, quam in bonis superba gloriatio (4). » Vers. 16.

Quare rogatus Anachoreta quam potissimum ad cœlum viam invenisset, respondit : « Si se homo semper accuset, » testis est B. Dorotheus, *doctrin.* 7. Ita S. Catharina Senensis aliique humiles et illustres Sancti, ad omnia mala, quæ sibi, proximis, aut reipublicæ eveniunt, dicere solent : « Mea culpa hoc malum accidit (5). »

20. IPSUM SOLUM HABET MATER SUA, — ipse solus ex matre superest; hebraice, *remansit solus matris suæ*, quod etiam de mortua dici potest : mortua enim jam erat Rachel, mater Benjamini. Vers. 20.

21. PONAM OCULOS MEOS SUPER ILLUM, — benigne eum aspiciam, benevolus illi ero, favebo, et fovebo illum; unde Septuaginta vertunt, *curam illius habebo*. Vers. 21.

(1) De variis modis divinandi per cyathos, vide Rosenmulleri *das alt. und. neu. Morgenland.* P. I, num. 153, pag. 211; Wiseman, op. cit. *Confér.* 6.

(2) Rosenmullerus : « Præfectus domini Josephi, jussu heri, cujus videtur ludi conscius fuisse, sermonem accommodat ad rem institutam. »

(3) Vers. 7. Pro *ut* hebr. est *profanum*, id est *absit*.

(4) Rectius, ut videtur, *invenire iniquitatem* perinde est, ac iniquitatis diu occultæ ac impunitæ pœnas exigere.

(5) Consilium Josephi videtur fuisse, non ut illuderet fratribus, sed ut videret, quomodo erga patrem, et præcipue erga Benjaminum affecti essent, et an Benjamino similiter ut sibi olim in domo paterna infesti essent. Hoc scire volebat : poterantque fratres per hanc occasionem tuto animum suum aperire. Nisi enim patrem sincere amant, si Benjamino invident, non recusabunt eum in Ægypto relinquere propter culpam ab ipso contractam.

Vers. 30. 30. ANIMA, — vita patris pendet ex vita filii; si enim moriatur vel auferatur filius, morietur pater præ tristitia.

Vers. 32. 32. EGO PROPRIE, — ego peculiaris tibi servus sim, qui et robore et usu rerum tibi utilior ero, quam puer Benjamin.

CAPUT QUADRAGESIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Joseph se fratribus aperit, eosque, vers. 17, cum muneribus ad patrem remittit, ut eum ad se adducant: ille, vers. 26, præ gaudio vix se capit.

1. Non se poterat ultra cohibere Joseph multis coram astantibus: unde præcepit ut egrederentur cuncti foras, et nullus interesset alienus agnitioni mutuæ. 2. Elevavitque vocem cum fletu, quam audierunt Ægyptii, omnisque domus Pharaonis. 3. Et dixit fratribus suis: Ego sum Joseph; adhuc pater meus vivit? Non poterant respondere fratres nimio terrore perterriti. 4. Ad quos ille clementer: Accedite, inquit, ad me. Et cum accessissent prope: Ego sum, ait, Joseph, frater vester, quem vendidistis in Ægyptum. 5. Nolite pavere, neque vobis durum esse videatur quod vendidistis me in his regionibus: pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum. 6. Biennium est enim quod cœpit fames esse in terra: et adhuc quinque anni restant, quibus nec arari poterit nec meti. 7. Præmisitque me Deus ut reservemini super terram, et escas ad vivendum habere possitis. 8. Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum: qui fecit me quasi patrem Pharaonis, et dominum universæ domus ejus, ac principem in omni terra Ægypti. 9. Festinate, et ascendite ad patrem meum, et dicetis ei: Hæc mandat filius tuus Joseph: Deus fecit me dominum universæ terræ Ægypti: descende ad me, ne moreris, 10. et habitabis in terra Gessen: erisque juxta me tu, et filii tui, et filii filiorum tuorum, oves tuæ, et armenta tua, et universa quæ possides. 11. Ibique te pascam (adhuc enim quinque anni residui sunt famis), ne et tu pereas, et domus tua, et omnia quæ possides. 12. En oculi vestri, et oculi fratris mei Benjamin vident quod os meum loquatur ad vos. 13. Nuntiate patri meo universam gloriam meam, et cuncta quæ vidistis in Ægypto: festinate, et adducite eum ad me. 14. Cumque amplexatus recidisset in collum Benjamin fratris sui, flevit: illo quoque similiter flente super collum ejus. 15. Osculatusque est Joseph omnes fratres suos, et ploravit super singulos: post quæ ausi sunt loqui ad eum. 16. Auditumque est, et celebri sermone vulgatum in aula regis: Venerunt fratres Joseph, et gavisus est Pharao, atque omnis familia ejus. 17. Dixitque ad Joseph ut imperaret fratribus suis, dicens: Onerantes jumenta, ite in terram Chanaan, 18. et tollite inde patrem vestrum et cognationem, et venite ad me: et ego dabo vobis omnia bona Ægypti, ut comedatis medullam terræ. 19. Præcipe etiam ut tollant plaustra de terra Ægypti, ad subvectionem parvulorum suorum ac conjugum; et dicito: Tollite patrem vestrum, et properate quantocius venientes. 20. Nec dimittatis quidquam de supellectili vestra, quia omnes opes Ægypti vestræ erunt. 21. Feceruntque filii Israel ut eis mandatum fuerat. Quibus dedit Joseph plaustra, secundum Pharaonis imperium, et cibaria in itinere. 22. Singulis quoque proferri jussit binas stolas: Benjamin vero dedit trecentos argenteos cum quinque stolis optimis: 23. tantumdem pecuniæ et vestium mittens patri suo, addens et asinos decem, qui subveherent ex omnibus divitiis Ægypti, et totidem asinas, triticum in itinere, panesque portantes. 24. Dimisit ergo fratres suos, et proficiscentibus ait: Ne irascamini in via. 25. Qui ascendentes ex Ægypto, venerunt in terram Chanaan ad patrem suum Jacob,

26. et nuntiaverunt ei, dicentes : Joseph filius tuus vivit, et ipse dominatur in omni terra Ægypti. Quo audito Jacob, quasi de gravi somno evigilans, tamen non credebat eis. 27. Illi e contra referebant omnem ordinem rei. Cumque vidisset plaustra, et universa quæ miserat, revixit spiritus ejus, 28. et ait : Sufficit mihi si adhuc Joseph filius meus vivit : vadam, et videbo illum antequam moriar.

Vers. 3. 3. EGO SUM JOSEPH. — Hæc vox inopina, quasi fulmen, ait Rupertus, perculit fratres, eosque attonitos, elingues et quasi amentes reddidit; a formidabili enim potentia Josephi, sceleri suo non nisi mortem meritam exspectabant.

Joseph figura Christi. Allegorice S. Ambrosius, lib. *De Joseph*, cap. XII : « Quid, inquit, aliud tunc clamavit, nisi, Ego sum Jesus, cum Pilato diceret : Tu dicis, quia rex sum. Accedite ad me; quia ego ad vos appropinquavi, ut per carnis susceptionem facerem me vestræ consortem naturæ. » Et multo magis cum post resurrectionem se discipulis ostendit, dicens : « Nolite timere, ego sum. Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. » Hæc S. Ambrosius. Vide et Hugonem Cardinalem.

Summa Josephi charitas in fratres. Nota hic charitatem Josephi, qui usque ad mortem læsus, ultus est suam injuriam, tum oblivione et silentio; tum blanditiis, amplexibus, osculis, lacrymis et suspiriis; tum benefica fratrum perpetuaque alimonia. « Osculabatur ergo singulos, et per singulos flebat, et irriguis lacrymis paventium colla perfundebat, itaque odium fratrum charitatis lacrymis abluebat, » inquit S. Augustinus, serm. 83 *De Tempore*. Disce a Josepho efficacissimum philtrum esse, « ut ameris, ama. » Vere S. Chrysostomus, hom. 13 *ad Populum* : « Vis laudari? lauda alium. Vis amari? ama. Vis partibus primis potiri? cede illas prius alteri. »

Philtrum amoris est amor.

Exemplum et concio S. Gregorii Nazianzeni. Hoc philtrum suis Constantinopolitis Catholicis inculcavit S. Gregorius Nazianzenus; dum enim ipsi ab Arianis, sub Valente Ariano Imperatore, vexati et oppressi, eo mortuo, sub Theodosio orthodoxo Imperatore par pari eis reddere, eosque paribus molestiis afficere cogitarent, hæc ad eos dixit Nazianzenus : « Non hæc, mi grex, a nobis poscit Christus, neque sic Evangelium nos docet. Opportunitas modo nobis offertur convertendi eos, qui per errorem seducti sunt. Agnoscant edocti delicta sua, procidant coram Domino, impietatem confiteantur, gregi nostro se immisceant. Hæc mea sit ultio, ut qui nos affecerunt injuriis, salutem consequantur, ac profiteantur esse præclara, quæ pridem persequebantur. Mites animis estote, filii. Cujus animus lenis ac tolerans est, is prudentia valet. Præstate illis beneficia qui vos odio persequuntur, ac prorsus eis delicta remittite. Quod si animus vehementer exæstuat, neque coerceri se ira patitur, quod ab hoc alterum est præstate, ut hæc Christo permittatis, ac futuro tribunali reservetis. Mea enim est ultio, ego rependam, ait Dominus. His dictis populum placavit, et in suam sententiam pertraxit, » uti narrat Gregorius presbyter in Vita Gregorii Nazianzeni. Ita S. Martinus Brictionem presbyterum, suum calumniatorem, noluit officio privare, dicens : « Si Christus passus est Judam, cur ego non patiar Brictionem? » testis est Severus Sulpicius, *Dialogo* 3.

Hoc philtro Martyres sæpe suos carnifices converterunt, dum eos a Deo punitos suis precibus sanitati restituerunt, ut patet ex Vita S. Agnetis resuscitantis Præfecti filium se invadentem; ex Vita S. Joannis et Pauli, qui Terentiani Præfecti filium a dæmone liberarunt; ex Vita S. Laurentii et Pergentini, qui carnifices suos obrigescentes, orando vigori restituerunt; ex Vita S. Sabini, qui Venustianum Præsidem oculorum dolore percussum sanavit; ex Vita S. Potamienæ, S. Christinæ, S. Anatoliæ, S. Eugeniæ, Dariæ et aliorum plurimorum.

Nota *secundo* cum S. Chrysostomo : Joseph hic peccatum fratrum elevat, non per fatum aut Homericam Aten, id est, deam, quæ mala et noxia inferre credita est a Gentilibus, sed per providentiam Dei, qui scelus eorum ordinavit in gloriam Josephi, et ipsorum publicumque bonum. Unde Joseph consolatur et hortatur eos ne doleant, aut se invicem propter hoc affligant, se non dolente, sed gaudente; unde ait :

5. MISIT ME DEUS, — *q. d.* Deus per vestrum scelus, quo me vendidistis, misit et direxit me huc, ut vestræ aliorumque fami prospicerem; quare non tam damnanda est vestra in me iniquitas, quam divinæ sapientiæ providentia et misericordia prædicanda. Ita S. Chrysostomus. Vers. 5.

6. NEC ARARI POTERIT, — nisi tantum in paucis agris Nilo adjacentibus; cæteri enim steriles erunt, quia Nilus, qui Ægypto est instar pluviæ, more suo non exundabit nec fœcundabit agros. Vers. 6.

BIENNIUM EST ENIM. — Hinc patet res hæc gesta esse, fratresque et patrem Jacobum in Ægyptum descendisse anno 2 sterilitatis, cum Jacob esset 130 annorum, Joseph vero 39; nam anno ætatis 30 Joseph evectus est ad principatum : successerunt deinde 7 anni fertilitatis, et duo sterilitatis; erat ergo ipse hoc secundo anno sterilitatis 39 annorum, ac consequenter natus est ipse anno Jacobi 91; tolle enim 39 a 130, habebis 91, ut dixi superius. Hæc est basis et nodus chronologiæ hujus ætatis : unde sæpe repetenda.

8. NON VESTRO CONSILIO, SED DEI VOLUNTATE HUC MISSUS SUM. — « Voluntate » scilicet præfiniente exaltationem meam, meique venditionem tantum Vers. 8.

permittente, ut per eam exaltarer : ita Suarez et alii passim. Unde non dicit : « Vos misistis me, » quia vos mittendo peccastis; sed, « Missus sum, » quia Deus est auctor passionis, æque ac patientiæ meæ, qua vestrum scelus subii et toleravi; non autem est auctor actionis vestræ : hæc enim fuit peccatum. Sic de Christo ait Petrus, *Actor.* cap. II, 23 : « Hunc definito consilio, et præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affligentes interemistis. » Decreverat enim Deus passionem Christi, non autem crucifixionem Judæorum. Nam, ut aiunt Theologi, « actio (Judæorum) displicuit, passio (Christi) grata fuit » Deo.

QUI FECIT ME QUASI PATREM PHARAONIS. — « Patrem, » id est, rectorem, consiliarium, moderatorem. Joseph enim ita res omnes Pharaonis suo consilio ac prudentia regebat, ac si ejus fuisset pater. Ita Vatablus. Rursum, curabat frumentum et annonam toti aulæ, imo toti regno Pharaonis, ac si totius regni fuisset paterfamilias. Sic rex Tyri suum consiliarium intimum, puta Hiram, vocat patrem suum, II *Paralip.* II, 13. Et Aman vocatur pater Artaxerxis, *Esther* XIII, 6. Fuit ergo τὸ *pater regis,* titulus honoris et dignitatis primæ, in aulis regum Tyri, Ægypti et Persidis, sicut apud Hispanos, Italos et Gallos est *œconomus,* quem *Mayordomo* vocant, qui aulæ annonam aliaque necessaria curat, sicut paterfamilias curat domum suam. Ita Pineda, lib. V *De Salom.,* pag. 197. Pulchre S. Chrysostomus, *hom.* 64 in persona Joseph : « Illa, inquit, servitus hunc principatum mihi conciliavit, illa venditio in hanc me gloriam evexit; illa afflictio hujus mihi occasio honoris fuit; illa invidia hanc mihi claritudinem peperit. Hæc nos non solum audiamus, sed et imitemur, et ita solemur eos qui nos afflixere, non imputantes eis quæ in nos admiserunt, et omnia magna ferentes benevolentia, sicut ille admirandus. »

Vers. 9. 9. MANDAT, — significat, nuntiat, optat : nec enim Joseph potuit, aut voluit proprie imperare patri suo (1).

Vers. 11. 11. NE ET TU PEREAS. — Hebraice est פֶּן תִּוָּרֵשׁ *pen tiffares, ne depaupereris,* id est, ne inopia et inedia labores, itaque pereas. Ita Chaldæus et Vatablus.

18. MEDULLAM TERRÆ. — Hebraice est, *adipem terræ,* id est fruges, et fructus terræ optimos et pinguissimos (2). Vers. 18.

22. BINAS STOLAS. — Hebraice est, *vestes mutatorias* : ergo ut minimum binas, ut scilicet unam subinde cum altera commutare possent. Pluralis enim numerus apud Hebræos complectitur dualem. Vers. 22.

Nota : Vestes mutatoriæ ab Hebræis vocantur pulchræ et præstantes, quales in festis induimus, quando quotidianas viliores cum honestioribus commutamus : unde Noster « stolas » vertit. Vestes mutatoriæ sunt festivæ.

TRECENTOS ARGENTEOS. — Trecentos florenos Brabanticos; argenteus enim siclus, sive stater, valebat et appendebat quatuor regales Hispanicos. De quo plura *Exodi* XXX, 13 (3).

24. NE IRASCAMINI IN VIA. — Hebraice est, *ne ræmini,* scilicet alter in alterum crimen in me admissum intorquentes et improperantes. Sicut paulo ante facere cœperat Ruben, dicens : « Numquid non dixi vobis : Nolite peccare in puerum, et non audistis me? En sanguis ejus exquiritur, » cap. XLII, 22. Ita S. Chrysostomus (4). Vers. 24.

Moraliter S. Ambrosius, lib. *De Josepho,* cap. XIII : « Docet, ait, maxime in via fugiendam esse discordiam, ubi ipse viandi comitatus debet esse inviolabilis, et gratiæ habere consortium. »

26. QUASI DE GRAVI SOMNO EVIGILANS. — Attonitus et stupens, ut nec loqui, nec rem tantam intelligere, aut concipere posset : tales enim sunt qui subito evigilant; hebraice est, *cor ejus elanguit,* id est, tantam consolationem accepit, ut præ lætitia et admiratione cor pene deficeret, vitalis spiritus cessaret, itaque quasi in deliquium animi incideret (5). Vers. 26.

17. REVIXIT SPIRITUS EJUS. — Instar ignis lucernæ, qui oleo deficiente emoriens infuso oleo reviviscit, ait S. Chrysostomus. Unde ipse ex Septuaginta legit, « reaccensus est senex (id est, inquit, « juvenis ex sene est factus ») decrepitus terram spectans. » Pari modo Jacob, cujus cor prius tam inopinatæ et incredibilis rei, nuntiique lætissimi admiratione elanguerat, vers. 26, nunc videns plaustra, omnemque apparatum sibi a Jo- Vers. 27.

(1) De terra *Gessen* situ dissentiunt eruditi. Juxta Michaelis, Gessenitidis latus septentrionale a Philistæa usque ad ostium Tauiticum, ubi nunc est Damiata, ex porrigebatur. Ad occidentem vero hæc terra desertum Gofar complexa esse videtur, arenosum quidem et sterile, paucos tamen fontes habens, ac loca, in quibus oves pasci possent; nec minus illa, quæ Heliodorus in *Æthiopicis* descripsit circa Nili ostia, bucolia, armentorum gregibus pascendis imprimis apta. Limes fuisse videtur ad occidentem non Nilus ipse, sed agri ad Nilum siti, qui arabantur. Porro a mari Mediterraneo, in confiniis Palæstinæ et Ægypti, id est, Raphia, linea ducenda est ad Hieropolim. Præterea dubium vix est, quin et magna pars Arabiæ, Ægyptiæ, Heroopoli et Heliopoli ad austrum sita, Gessenitidi accensa fuerit. Metropolis Ægypti eo tempore erat vel Memphis, vel Tanis; utraque autem urbs est in vicinia ejus, quam descripsimus, Gessenitidis sita erat. Cf. De Laborde, *Commentaire géogr.,* etc.

(2) *Omnia bona Ægypti,* litter. *bonitatem Ægypti,* id est, optimum tractum Ægypti.

Vers. 20. Alii hebr. *oculus vester non parcat vasis vestris* interpretantur : Nolite ita pretiosa et chara vestra supellectilia ducere, ut ea relinquenda vobis non censeatis, præsertim si quid commode exportari non potest.

(3) Vers. 23. Alii. hebr. vertunt, *patri autem suo misit sicut hoc,* id est tale munus quod sequitur, non ad præcedentia referentes.

(4) Alii : *Nihil timeatis,* ne iter facientes tale quid vereamini, quod vobis in priori itinere acciderit.

(5) Alii פּוּג ex significatione verbi Syriaci et Arabici *frigere,* vertunt, *Verum ille hoc parum commovebatur.* Michaelis : *Sein Herz blieb aber kalt.*

sepho submissum; ad se rediit, credidit tam lætum de Josepho superstite nuntium, itaque quasi revixit; Chaldæus vertit, *quievit Spiritus Sanctus super Jacob patrem ipsorum*; quia, ut explicant Hebræi, Spiritus Sanctus non manet in hominibus tristibus, dolentibus, melancholicis, ideoque torpidis et ignavis, sed in alacribus, lætis, strenuis, expeditis, qualis hic factus est Jacob : ac proinde recepit spiritum propheticum, ut patet cap. seq., vers. 4, quo hactenus mœrens caruerat. Ita ipsi, penes quos sit fides.

Spiritus Sanctus non est in tristibus et torpidis. Vers. 28.

28. SUFFICIT MIHI. — Hebraice, *multum est mihi*, *q. d.* Abunde gaudeo, nuntius hic tam lætus superat vota et spes meas, non est quid amplius quod desiderem, vel optem. « Nunc juvenis ille erexit mentem meam, et fugavit senectutis infirmitatem, et roboravit rationem, » ait S. Chrysostomus, *hom.* 63.

CAPUT QUADRAGESIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jacob cum tota sua prosapia, quæ hic recensetur, proficiscitur in Ægyptum. Secundo, vers. 29, *occurrit et excipit eum Joseph.*

1. Profectusque Israel cum omnibus quæ habebat, venit ad Puteum juramenti, et mactatis ibi victimis Deo patris sui Isaac, 2. audivit eum per visionem noctis vocantem se, et dicentem sibi : Jacob, Jacob; cui respondit : Ecce adsum. 3. Ait illi Deus : Ego sum fortissimus Deus patris tui; noli timere, descende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi. 4. Ego descendam tecum illuc, et ego inde adducam te revertentem : Joseph quoque ponet manus suas super oculos tuos. 5. Surrexit autem Jacob a Puteo juramenti : tuleruntque eum filii cum parvulis et uxoribus suis in plaustris quæ miserat Pharao ad portandum senem, 6. et omnia quæ possederat in terra Chanaan : venitque in Ægyptum cum omni semine suo, 7. filii ejus, et nepotes, filiæ et cuncta simul progenies. 8. Hæc sunt autem nomina filiorum Israel, qui egressi sunt in Ægyptum, ipse cum liberis suis. Primogenitus Ruben. 9. Filii Ruben : Henoch et Phallu et Hesron et Charmi. 10. Filii Simeon : Jamuel et Jamin et Ahod, et Jachin et Sohar, et Saul filius Chanaanitidis. 11. Filii Levi : Gerson et Caath et Merari. 12. Filii Juda : Her et Onan et Sela et Phares et Zara. Mortui sunt autem Her et Onan in terra Chanaan : natique sunt filii Phares, Hesron et Hamul. 13. Filii Issachar : Thola et Phua et Job et Semron. 14. Filii Zabulon : Sared et Helon et Jahelel. 15. Hi filii Lia, quos genuit in Mesopotamia Syriæ cum Dina filia sua. Omnes animæ filiorum ejus et filiarum, triginta tres. 16. Filii Gad : Sephion et Haggi et Suni et Esebon et Heri et Arodi et Areli. 17. Filii Aser : Jamne et Jesua et Jessui et Beria, Sara quoque soror eorum. Filii Beria, Heber et Melchiel. 18. Hi filii Zelphæ, quam dedit Laban Liæ filiæ suæ, et hos genuit Jacob, sedecim animas. 19. Filii Rachel uxoris Jacob : Joseph et Benjamin. 20. Natique sunt Joseph filii in terra Ægypti, quos genuit ei Aseneth, filia Putiphare sacerdotis Heliopoleos : Manasses et Ephraim. 21. Filii Benjamin : Bela et Bechor et Asbel et Gera et Naaman et Echi et Ros et Mophim et Ophim et Ared. 22. Hi filii Rachel quos genuit Jacob : omnes animæ, quatuordecim. 23. Filii Dan : Husim. 24. Filii Nephtali : Jasiel et Guni et Jeser et Sallem. 25. Hi filii Balæ, quam dedit Laban Racheli filiæ suæ, et hos genuit Jacob : omnes animæ, septem. 26. Cunctæ animæ, quæ ingressæ sunt cum Jacob in Ægyptum, et egressæ sunt de femore illius, absque uxoribus filiorum ejus, sexaginta sex. 27. Filii autem Joseph, qui nati sunt ei in terra Ægypti, animæ duæ. Omnes animæ domus Jacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum, fuere septuaginta. 28. Misit autem Judam ante se ad Joseph, ut nuntiaret ei, et occurreret in Gessen. 29. Quo cum pervenisset, juncto Joseph curru suo, ascendit obviam patri suo ad eumdem locum : vidensque eum, irruit super collum ejus, et inter amplexus flevit. 30. Dixitque pater ad

Joseph : Jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, et superstitem te relinquo. 31. At ille locutus est ad fratres suos et ad omnem domum patris sui : Ascendam, et nuntiabo Pharaoni, dicamque ei : Fratres mei, et domus patris mei, qui erant in terra Chanaan, venerunt ad me : 32. et sunt viri pastores ovium, curamque habent alendorum gregum : pecora sua, et armenta, et omnia quæ habuere potuerunt, adduxerunt secum. 33. Cumque vocaverit vos, et dixerit : Quod est opus vestrum ? 34. Respondebitis : Viri pastores sumus servi tui, ab infantia nostra usque in præsens, et nos et patres nostri. Hæc autem dicetis, ut habitare possitis in terra Gessen : quia detestantur Ægyptii omnes pastores ovium.

Vers. 1. 1. AD PUTEUM JURAMENTI, — in Bersabee, ut habent Hebræa; Bersabee enim hebraice significat puteum juramenti, ut dixi cap. XXI, vers. 31.

Vers. 3. 3. NOLI TIMERE. — Poterat Jacob timere iter in Ægyptum : *Primo,* ob incommoda tam longi itineris, neve, ipse utpote senex, in via moreretur antequam Josephum cerneret. *Secundo,* ne sui Ægyptiorum vitia imbiberent. *Tertio,* ne in Ægypto sedes figerent sui posteri, quibus a Deo promissa erat Chananæa, itaque Dei promissa irritarent, Deumque offenderent. Unde hunc metum eximit ei Deus, vers. 4. Nona ergo fuit hæc tribulatio Jacobi, sed quam Deus de more, mox sua apparitione et consolatione dispulit.

Vers. 4. 4. EGO DESCENDAM TECUM, — ego tibi viæ comes, imo dux ero, ducam te tuosque in Ægyptum; indeque suo tempore reducam, te mortuum, tuos vero posteros vivos. Pie S. Ambrosius, lib. II *De Jacob*, cap. IX : « Quid igitur, inquit, ei deerat, cui Deus aderat? Quis tam potens in suo domicilio, quam iste in alieno? quis tam abundans in ubertate, quam iste in fame? Quis tam fortis in juventute, quam iste in senectute (in eo enim, ut idem ait cap. VIII, certabant impigra vivacitas juventutis et tranquillitas senectutis)? Quis tam æstuosus in negotio, quam iste in otio? Quis tam velox in curriculo, quam iste in lectulo? Quis tam lætus in flore adolescentiæ, quam iste in mortis confinio? Quis tam dives in regno, quam iste in peregrino loco? Denique reges benedicebat. Et quis pauperem dicat, cujus conversatione dignus orbis terrarum non fuit? et ideo conversatio ejus erat in cœlo. » Et : « Quid beatius quam Deum ipsum habere comitem itineris? » ait S. Chrysostomus, *hom.* 65.

JOSEPH QUOQUE PONET MANUS SUAS SUPER OCULOS TUOS, — *q. d.* Joseph tibi morienti oculos claudet, ac consequenter relinques illic Joseph superstitem. Hinc patet priscus Hebræorum mos, quo charissimi charissimis suis morientibus oculos claudebant. Idipsum postea imitati sunt Græci et Romani. Unde quæritur Euryali mater apud Virgilium, *Æneidos* XI :

Morientibus charissimis oculos claudere antiquissimum.

Nec te, tua funera, mater
Produxi, pressive oculos, aut vulnera lavi.

Illud quoque rogat deos Penelope scribens ad Ulyssem, ut Telemachus filius utriusque parentis oculos clauderet; sic enim ait apud Ovidium:

Di, precor, hoc jubeant, ut euntibus ordine fatis,
Ille meos oculos comprimat, ille tuos.

7. FILIÆ. — Jacob unicam habebat filiam, Dinam; filias ergo hic vocat, tum Dinam, tum nurus suas, puta uxores filiorum suorum. Vers. 7.

8. QUI INGRESSI SUNT IN ÆGYPTUM. — Vel pedibus suis, vel pedibus parentum, in quibus adhuc latebant. Nomine enim *ingressus* hic continetur omne tempus, quod ab ingressu Jacobi usque ad mortem Josephi decurrit, uti jam patebit. Vers. 8.

IPSE (scilicet Jacob) CUM LIBERIS SUIS. — Supple descendit in Ægyptum. Ita Hebræa.

12. HESRON ET HAMUL. — Hi nati sunt postea in Ægypto, ut patet ex dictis, cap. XXXVIII. Dicuntur tamen cum Jacob in Ægyptum descendisse, non in sua persona, sed in lumbis Phares patris sui, in quibus adhuc latebant. Nam, ut recte annotavit S. Augustinus, descensus hic et ingressus Jacobi in Ægyptum, complectitur quoque annos 17 vitæ ejus in Ægypto; imo et annos reliquos vitæ Josephi, puta 71, quia vocante et procurante Josepho descendit Jacob in Ægyptum. Vers. 12.

Nota : Præ filiis Zaræ numerantur hic filii Phares, quia ex Phares et Hesron descenderunt reges Juda, et Christus Dominus (1).

OMNES ANIMÆ FILIORUM EJUS. — « Animæ, » id est nati, geniti, puta filii et nepotes : nam Hesron et Hamul erant nepotes, non filii Jacobi; est synecdoche.

15. TRIGINTA TRES, — computata et ipsa Lia; Vers. 15.

(1) In hac genealogia exhibenda, Moses non hoc solum videtur spectasse, ut nonnisi eos Jacobi posteros, qui cum eo in Ægyptum migrarunt, recenseret; verum consilium ejus simul et hoc fuit, ut tum integram posterorum Jacobi genealogiam hoc uno loco, tum præterea numerum eorum omnium, qui e Jacobi prosapia in Ægyptum venerunt, exhiberet, sive una cum Jacobo, sive ante eum, ut Josephus, illuc venerint, sive denique post Jacobi demum adventum illic nati fuerint. Quæ quum ita sint, nihil jam difficultatis habebit, quod in hoc catalogo, vers. 20, Josephi filii in Ægypto nati, et hoc nostro versu 12 Pherezi filii, Chezron et Chamul, recensentur, qui Jacobo in Ægyptum sese conferente vix jam nati esse potuerunt.

aut potius ipso Jacobo cum suis filiis et filia Dina. Lia enim non videtur ingressa in Ægyptum, sed ante fuisse mortua : sepulta est enim in Hebron, ut patet cap. XLIX, vers. 31. Ab hoc numero rejiciuntur Her et Onan, utpote mortui.

Vers. 21. 21. FILII BENJAMIN. — Numerantur hic decem filii Benjamin, ex quibus aliquos ipse postea genuit in Ægypto. Nam hoc tempore quo descendit in Ægyptum, Benjamin erat tantum 24 annorum ; unde non poterat tot genuisse filios. Rursum, non omnes hi fuere filii, sed aliqui nepotes Benjamin : nam expresse Septuaginta habent : *Gera autem genuit Arad.* Arad ergo non fuit filius, sed nepos Benjamin, ex filio Gera.

Ros. — Theodoretus et Procopius putant a Ros Romanos descendere et nominari ; sed errant : nam Romani a Romulo nomen et originem acceperunt.

ARAD. — Ab hoc descendunt Aradii, inquit Procopius. Verum verius est Aradios descendere ab Aradio, filio Chanaan, uti dixi cap. X, vers. 18; Aradii enim fuerunt Chananæi, non Judæi, æque ac Sidonii, Tyrii, Biblii, aliique Aradiis vicini.

Vers. 26. 26. CUNCTÆ ANIMÆ, — cuncti homines, omnes proles; est synecdoche. Sic homines viles vocamus viles animas : e contrario Lucanus fortes animas, vocat viros strenuos in bello cæsos, cum ait :

Vos quoque qui fortes animas, belloque peremptas.

Animæ rationales non ex traduce, puta semine et anima parentum, nascuntur.

Hoc nota, ne quis ex hoc loco colligat animas hominum, æque ac brutorum, nasci ex traduce, puta ex semine et anima parentum, cum fides doceat animam hominis a solo Deo creari et infundi homini ; ideoque immortalis est, uti dixi cap. XXXVII, vers. 35.

Femur significat genitalia, et cur?

EGRESSÆ SUNT DE FEMORE, — puta de genitalibus, quæ sunt inter femora ; est metonymia. *Secundo*, proprie « de femore, » quia, ut ait Franciscus Valesius, *Sacræ Philosoph.* cap. III, vere in femore sunt tres venæ seminales, quæ ortæ ex lumborum venis, antequam in crura descendant, viris per femora in scrotum, mulieribus in uterum recurrunt, et fecundiorem seminis partem subministrant ; atque inde *Num.* V, 21, in maledictione adulteræ dicitur : « Utero tumescente, putrescat femur tuum, » *q. d.* Femore quo abusa es, puniaris, ut femur quo luxuriata es, putrescat, utque sterilitate et putredine plectaris, quæ filios quæsivisti ex adulterio.

SEXAGINTA SEX, — in hoc numero non continetur Jacob, utpote parens omnium, nec Joseph et filii ejus, utpote qui jam erant in Ægypto.

Vers. 27. 27. SEPTUAGINTA. — Hic annumeres oportet ipsum Jacobum et Josephum cum duobus ejus filiis : sic enim reperies septuaginta.

Dices : Quomodo ergo Septuaginta et ex eis S. Lucas, *Actor.* VII, 14, numerant 75?

An 70, an 75

Respondeo, ipsi addunt et annumerant Josepho Manassis filium Machir, et nepotem Galaad. Rursum, Ephraimi filios, Sutalaam et Jaam, ac nepotem Edem, qui fuit filius Sutalaam ; his enim additi sunt 75. Hi autem adduntur, quia hi nati sunt vivente adhuc Josepho avo, ut patet *Genes.* cap. L, vers. 22. Nam descensus hic et ingressus Jacobi in Ægyptum, extendit se usque ad mortem Jacobi et Josephi, ut dixi vers. 8. Ita S. Augustinus ; lib. XVI *De Civit.* cap. XL.

Israelitæ ingressi sunt Ægyptum?

Quæres, cur hi potius nepotes Josephi, quam aliorum fratrum in hoc catalogo numerentur?

Respondet *primo*, S. Augustinus, quia Joseph fuit causa descensus Jacobi et fratrum in Ægyptum.

Secundo, sicut Moses computat nepotes Judæ, sic Septuaginta computant nepotes Josephi, quia hi duo successerunt in primogenituram Rubeni ; unde horum posteri obtinuerunt regnum Juda et regnum Israel. Ex Joseph enim, puta ex Ephraim, orti sunt reges Israel, ex Juda reges Juda.

Tertio, quia Joseph fuit princeps fratrum, imo princeps Ægypti.

Quarto, quia Jacob filios Josephi in suos filios adoptavit, uti videbimus cap. XLVIII. Porro, numerat hic stirpem Jacob, ut ostendat quam illa in Ægypto creverit, quamque impleta sit Dei promissio : « In gentem magnam faciam te ibi, » vers. 3. Nam in Ægyptum ingressi sunt tantum 70 cum Jacob, egressi vero cum Mose sexcenta fere millia peditum, absque parvulis et mulieribus, *Exodi* XII, 37. Ita S. Chrysostomus (1).

Vers. 34. 34. PASTORES SUMUS.—Nota Josephi modestiam, prudentiam, simplicitatem. Modestiam, quia, in aula Pharaonis, sciri cupit se esse fratrem pastorum. Prudentiam, quia fratres in aula habere non satagit, ne aulicorum moribus corrumpantur. Simplicitatem, quia fratres ad status non evehit, sed in arte pastoritia, quam callebant, conservat. Longe aliter faciunt hodie, qui cum humillimi generis sint, tamen nobiles videri volunt, quique ad status evecti, suos pariter, licet ineptos, evehunt, cum suo, familiæ et reipublicæ damno, dedecore, periculo.

Solos ergo in Gessen fratres suos habitare voluit Joseph : tum ut ab Ægyptiorum commercio et vitiis essent sejuncti ; tum ut inde facilius ex Ægypto egredi, et duce Mose in Chanaan regredi possent.

Similis Josepho hac in parte fuit Phocion, qui cum a rege Philippo munera magnæ pecuniæ repudiaret, legatique hortarentur accipere, saltem ut liberis suis prospiceret, quibus difficile esset in summa paupertate paternam tueri gloriam, respondit : « Si mei similes erunt, idem hic agellus illos alet, qui me ad hanc dignitatem perduxit : sin dissimiles sunt futuri, nolo meis impensis illorum ali augerique luxuriam, » uti narrat Probus in ejus Vita. Idem, munus offerente Menyllo Antipatri præfecto, respondit : « Alexandri

(1) Vers. 30. Hebr. *moriar hac vice*, id est, *lætus moriar.*

Magni munera recusavi; Antipater non est præstantior Alexandro. » Instanti Menyllo, ut saltem pro Phoco filio ea caperet, respondit : « Phoco, si mutata vita ad frugem redeat, sufficiet patrimonium; nam, ut nunc se gerit, nihil ei satis est. »

Similior et illustrior fuit Theodosius Imperator, qui cum ad scholam venisset, Arcadiumque et Honorium filios, magnifice sedentes, Arsenium vero præceptorem stantem vidisset, illos insignibus principum nudavit, addiditque, si tales se præberent, ut mores ad disciplinam Deique leges componerent, propensum se fore, ut eis imperium traderet ad reipublicæ commodum : sin minus, conducibilius esse dixit, ut sic privati vitam exigerent, quam doctrina nulla, cum periculo imperarent; testis est Nicephorus, lib. XI *Hist.* cap. XXIII.

Ægyptii cur pastores ovium detestentur?

DETESTANTUR ÆGYPTII OMNES PASTORES OVIUM, — quia pastores solent occidere et comedere carnes suarum ovium et pecudum, quas Ægyptii pro diis colebant, ut patet *Exod.* VIII, 26. Alebant tamen Ægyptii oves et boves, ut patet cap. seq., vers. 17, non ad esum, sed *primo*, ad lanam et lac; *secundo*, ad suam oblectationem; *tertio*, ad stercorationem agrorum; *quarto*, ut aliis gentibus eas divenderent.

CAPUT QUADRAGESIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Joseph patrem et fratres Pharaoni sistit, qui eis dat terram Gessen. Secundo, vers. 15, Ægyptii in fame, pro frumento pecora agrosque Josepho et Pharaoni divendunt. Tertio, vers. 27, Jacob moriens adjurat Josephum, ut se sepeliat in Chanaan.

1. Ingressus ergo Joseph nuntiavit Pharaoni, dicens : Pater meus et fratres, oves eorum et armenta, et cuncta quæ possident, venerunt de terra Chanaan : et ecce consistunt in terra Gessen. 2. Extremos quoque fratrum suorum quinque viros constituit coram rege : 3. quos ille interrogavit : Quid habetis operis? responderunt : Pastores ovium sumus servi tui, et nos, et patres nostri. 4. Ad peregrinandum in terra tua venimus : quoniam non est herba gregibus servorum tuorum, ingravescente fame in terra Chanaan, petimusque ut esse nos jubeas servos tuos in terra Gessen. 5. Dixit itaque rex ad Joseph : Pater tuus et fratres tui venerunt ad te. 6. Terra Ægypti in conspectu tuo est : in optimo loco fac eos habitare, et trade eis terram Gessen. Quod si nosti in eis esse viros industrios, constitue illos magistros pecorum meorum. 7. Post hæc introduxit Joseph patrem suum ad regem, et statuit eum coram eo, qui benedicens illi, 8. et interrogatus ab eo : Quot sunt dies annorum vitæ tuæ? 9. Respondit : Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt, parvi et mali, et non pervenerunt usque ad dies patrum meorum quibus peregrinati sunt. 10. Et benedicto rege, egressus est foras. 11. Joseph vero patri et fratribus suis dedit possessionem in Ægypto in optimo terræ loco, Ramesses, ut præceperat Pharao. 12. Et alebat eos, omnemque domum patris sui, præbens cibaria singulis. 13. In toto enim orbe panis deerat, et oppresserat fames terram, maxime Ægypti et Chanaan. 14. E quibus omnem pecuniam congregavit pro venditione frumenti, et intulit eam in ærarium regis. 15. Cumque defecisset emptoribus pretium, venit cuncta Ægyptus ad Joseph, dicens : Da nobis panes; quare morimur coram tè, deficiente pecunia? 16. Quibus ille respondit : Adducite pecora vestra, et dabo vobis pro eis cibos, si pretium non habetis. 17. Quæ cum adduxissent, dedit eis alimenta pro equis et ovibus, et bobus, et asinis : sustentavitque eos illo anno pro commutatione pecorum. 18. Venerunt quoque anno secundo, et dixerunt ei : Non celabimus dominum nostrum, quod deficiente pecunia, pecora simul defecerunt : nec clam te est, quod absque corporibus et terra nihil habeamus. 19. Cur ergo moriemur te videnté? et nos et terra nostra tui erimus : eme nos in servitutem regiam, et præbe semina, ne pereunte cultore redigatur terra in solitudinem. 20. Emit igitur Joseph omnem

terram Ægypti, vendentibus singulis possessiones suas præ magnitudine famis. Subjecitque eam Pharaoni, 21. et cunctos populos ejus a novissimis terminis Ægypti usque ad extremos fines ejus, 22. præter terram sacerdotum, quæ a rege tradita fuerat eis : quibus et statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur, et idcirco non sunt compulsi vendere possessiones suas. 23. Dixit ergo Joseph ad populos : En ut cernitis, et vos et terram vestram Pharao possidet : accipite semina, et serite agros, 24. ut fruges habere possitis. Quintam partem regi dabitis : quatuor reliquas permitto vobis in sementem, et in cibum familiis et liberis vestris. 25. Qui responderunt : Salus nostra in manu tua est, respiciat nos tantum dominus noster, et læti serviemus regi. 26. Ex eo tempore usque in præsentem diem in universa terra Ægypti, regibus quinta pars solvitur, et factum est quasi in legem, absque terra sacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit. 27. Habitavit ergo Israel in Ægypto, id est, in terra Gessen, et possedit eam, auctusque est et multiplicatus nimis. 28. Et vixit in ea decem et septem annis, factique sunt omnes dies vitæ illius centum quadraginta septem annorum. 29. Cumque appropinquare cerneret diem mortis suæ, vocavit filium suum Joseph, et dixit ad eum : Si inveni gratiam in conspectu tuo, pone manum tuam sub femore meo ; et facies mihi misericordiam et veritatem, ut non sepelias me in Ægypto ; 30. sed dormiam cum patribus meis, et auferas me de terra hac, condasque in sepulcro majorum meorum. Cui respondit Joseph : Ego faciam quod jussisti. 31. Et ille : Jura ergo, inquit, mihi. Quo jurante, adoravit Israel Deum, conversus ad lectuli caput.

Vers. 2. 2. EXTREMOS QUOQUE FRATRUM QUINQUE VIROS. — Hebraice est, *de extremitate fratrûm suorum accepit quinque viros, q. d.* Joseph non studiose selegit inter fratres, hunc illumve e medio fratrum designando, sed quinque extremos, et maxime obvios accepit. Ita Vatablus.

Secundo, Lyranus, Abulensis et Thomas Anglicus, « extremos » interpretantur, præstantissimos.

Tertio, Hebræi, Oleaster, Hamerus et Pererius per *extremos* intelligunt viliores et abjectiores quoad speciem : hos enim ostendit Joseph Pharaoni, non autem speciosiores et elegantiores, ne eos Pharao in aulam aut militiam suam allegeret, quod nolebat Joseph, ne scilicet fratres sui fide et moribus Ægyptiorum imbuerentur. Primus sensus est simplicissimus, maximeque respondet phrasi Hebrææ (1).

Vers. 4. 4. NON EST HERBA GREGIBUS. — Si ita erat in Chanaan, cur non et in Ægypto ? Erat enim hæc communis et publica siccitas et sterilitas. Respondet Abulensis disparem esse rationem Chananææ et Ægypti, quia Ægyptus fossis multis ex Nilo ductis irrigua est : hisce autem caret Chananæa. Addit S. Augustinus, *Quæst.* CLX, paludes Ægypti per se satis humidas esse : ita ut quo Nilus minus exundat, eo illæ magis gramine abundent : quo vero Nilus magis exundat, eo illæ minus graminis proferant.

Vers. 6. 6. IN CONSPECTU TUO EST, — *q. d.* Offero tibi totam Ægyptum, elige partem quam voles pro patre tuo.

CONSTITUE ILLOS MAGISTROS PECORUM. — Ita reipsa factum esse asseverant Philo et Josephus.

Vers. 7. 7. BENEDICENS ILLI, — salutans et fausta precatus Pharaoni, dicendo, verbi gratia : Rex in æternum vive, Deus te sospitet, tibi benedicat. Simile est vers. 10. Vide de hac phrasi Martinum de Roa, lib. I *Singularium*, cap. IX.

Vers. 9. 9. DIES PEREGRINATIONIS VITÆ MEÆ, — quia sæpe Jacob mutavit solum. Nam ex Chanaan ivit in Mesopotamiam, inde rediens rursum per Chanaan peregrinatus est, ita ut tota vita ejus videatur fuisse continua peregrinatio. Notat S. Augustinus, et S. Hieronymus, justos in hac vita esse peregrinos, quia patriam habent cœlum ; e contrario peccatores vocari et esse habitatores terræ. Vide dicta *ad Hebræos*, cap. XI, vers. 13, et hic cap. XII, vers. 1, in fine.

Justi peregrini in hac vita. Peccatores habitatores terræ.

CENTUM TRIGINTA ANNORUM. — Hoc anno 130 Jacobi, Joseph erat 39 annorum, Ruben vero 46, Simeon 45, Levi 44, Judas 43, ut patet ex dictis cap. XXIX et XXX. Hinc rursum patet descensum hunc Jacobi in Ægyptum, contigisse 215 annis post vocationem Abrahæ ex Chaldæa in Chanaan : cum enim eo vocatus est Abraham, erat 75 annorum ; centesimo vero Abrahæ anno natus est Isaac ; Isaac anno sexagesimo genuit Jacobum ; Jacob descendens in Ægyptum erat 130 annorum. Si ergo ad hos 130 annos Jacobi, addas illos 25 Abrahæ usque ad natum Isaac, et illos 60 Isaaci usque ad natum Jacob, habebis annos 215 jam dictos.

Quot annorum tunc erant Ruben, Simeon, Levi, Judas et Joseph ? Erat tunc 215 annus a vocatione Abrahæ.

(1) Rosenmullerus : *Et de extremitate fratrum suorum*, id est, e summa et numero eorum. Cf. supra XIX, 4.

PARVI. — Hebraice, pauci sunt, scilicet si comparentur cum longe pluribus annis Isaaci, Abrahæ, Thare et aliorum parentum meorum.

Brevitas vitæ. Moraliter disce hic, quam brevis sit omnis hujus vitæ longævitas. In vitam enim ea lege omnes nascimur, ut parum in ea commorati, protinus exeamus, illudque Davidis ad Ethai hic usurpare liceat : Heri venisti, et hodie compelleris nobiscum egredi. « Quid aliud, ait S. Augustinus, est vita, quam cursus ad mortem? » et S. Nazianzenus :

Ipsum quod vivo, est veluti rapidissimus amnis,
Qui sursum exoriens semper ad ima fluit.

Idem rursum : « A tumulo, ait, tumulum peto, » scilicet ab utero matris ad sepulcrum tendo; quin et Seneca, *epistola* 59 : « Quotidie, inquit, demitur aliqua pars vitæ, et tum quoque cum crescimus, vita decrescit : hunc quem agimus diem, cum morte dividimus : mox ut in vitam ingredimur, statim alia porta exire incipimus. » Ite nunc mortales, opes, honores, prædia accumulate, cras morituri.

Novem præcipuæ ærumnæ et afflictiones Jacobi. MALI, — id est miseri, laboriosi, ærumnosi. Sic Christus ait : « Sufficit diei malitia, » id est miseria, « sua. » Ut enim alia taceam, Jacob *primo*, ob iram fratris Esau sibi necem machinantis, coactus fuit, relicta patria, solus, ut pauper, fugere in Haran. *Secundo*, in Haran per 20 annos durissime servivit Labano, *Genes.* XXXI. *Tertio*, ingenti metu perculsus fuit, valdeque laboravit, ut placaret Esau occurrentem sibi cum 400 viris, *Genes.* XXXII. *Quarto*, afflictus fuit stupro Dinæ, et strage Sichimis a filiis suis illata, timuitque ne a Chananæis irruentibus opprimeretur, *Gen.* XXXIV. *Quinto*, perculit eum mors Rachelis. *Sexto*, contristavit eum incestus Ruben cum Bala uxore sua, *Genes.* XXXV. *Septimo*, Joseph venditus, et perditus per 23 annos, eum mire afflixit. *Octavo*, Simeon in carcere detentus, et Benjamin abductus in Ægyptum, animum ejus sauciarunt. *Nono*, cum, ob famis necessitatem, jam decrepitus, ex Chanaan sibi suisque promissa, debuit proficisci in Ægyptum, sibi et patribus invisam, indoluit.

Vers. 10. *Benedicere* pro *salutare* in Scriptura frequens. 10. BENEDICTO REGE, — salutato rege, et vale ei dicto : benedicere enim hic est salutare et valedicere, uti dixi vers. 7. Sic Joab benedixit, id est valedixit David, II *Reg.* cap. XIV, vers. 21. Sic IV *Reg.* cap. IV, vers. 29, Elisæus jubet Giezi, ut neminem per viam salutet, ubi Hebræa habent, ut neminem benedicat : cum enim abeuntes dicimus vale, hoc ipso valetudinem bonam apprecantes, alteri quasi benedicimus : benedicere enim est bene precari, sive bona et fausta apprecari.

Vers. 11. 11. RAMESSES. — In illa regione Gessen, in qua postea Israelitæ exstruxerunt urbem, quam Ramessem vocaverunt. Ita S. Hieronymus (1).

(1) Vers. 12. In hebr. est, *ad os infantis*, id est, vel *usque ad parvulos;* vel, *secundum modum parvulorum*, seu singulis ut parvulis demensum suum dedit.

Vers. 13. 13. TOTO ORBE. — Magna orbis parte, puta toto Oriente, qui est quasi orbis Chananææ et Ægypti, eam cingens et ambiens. Est hyperbole. Hebraice est, « tota terra, » quod non bene Vatablus ad solam Ægypti terram restringit.

Vers. 14. 14. INTULIT EAM IN ÆRARIUM, — nihil inde sibi reservans, ait Philo. Vide quam Joseph alienus fuerit a nostri ævi peculatu, quamque non suis, sed publicis commodis studuerit.

Vers. 15. 15. PANES, — frumentum, ex quo pinsamus panes.

Vers. 18. 18. ANNO SECUNDO, — ab adductis et venditis pecoribus, qui fuit quartus vel quintus ab inchoata fame.

Vers. 19. 19. EME NOS IN SERVITUTEM. — Famis enim causa licet, non tantum seipsum, sed et proles vendere in servitutem (2).

Vers. 22. 22. PRÆBE SEMINA. — Ergo aliquid tum seri adhuc poterat, puta in agris Nilo adjacentibus.

PRÆTER TERRAM SACERDOTUM. — Nota : Hanc immunitatem a tributo suis idolorum sacerdotibus concessit Pharao, uti exprimunt Hebræa, Chaldæa et Septuaginta, non Joseph unius veri Dei cultor, ut vult Theodoretus; nisi dicas, Joseph eam illis concessisse, non quatenus sacerdotes erant idolorum, sed quatenus Philosophi erant, et magistri sapientiæ et astrologiæ; ideoque carne, vino, ovis, lacte, conjugio omnibusque mundi negotiis tota vita abstinebant, ut ait S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinianum*. Forte etiam Joseph eos docuit verum unius Dei cultum, uti innuit Psaltes; *Psalm.* CIV, vers. 22. Nota hunc locum pro verorum sacerdotum Christi immunitate a vectigalibus : si enim hanc Gentilibus suis concessit Pharao, quomodo eam non concedet Christianus rex et princeps sacerdotibus Christi? Eorum enim honos vel contemptus ad Deum ipsum pertinet, et quod in eos confertur, Deo confertur, qui ubertim vices rependet, principesque remunerabitur, ait S. Chrysostomus, *hom.* 65.

Immunitas sacerdotum Christi a vectigalibus justa et æqua.

Tropologice Origenes : Sacerdotes Dei, inquit, amant partem in cœlis accipere, terrenam repudiant : Pharaonis vero sacerdotes suam partem habent in terra.

Vers. 23. 23. DIXIT ERGO JOSEPH, — anno sterilitatis septimo et ultimo, ut sererent in sequentem annum fertilitatis redituræ : ita Philo, qui et addit Josephum speculatores posuisse, qui viderent, ut sationi ea pars impenderetur, ne quis eam in cibos absumeret.

Vers. 25. 25. SALUS NOSTRA IN MANU TUA EST. — Hebraice

(2) Vers. 21. *Populum etiam transire fecit*, transtulit, *in urbes* alias, *ab extremis Ægypti finibus ad extremos fines*. Quod nobis durissimum videtur, non item Ægyptiis, ut patet ex vers. 25. Neque totus regni Ægyptiaci illis temporibus status nobis ita est cognitus, ut de iis, quæ a Josepho instituta esse hic et versu præced. legimus, judicium omni ex parte æquum facere possimus. Cf. Anquetil-Duperron, *Voyage aux Grandes Indes*, Paris 1808, tom. III, pag. XLI, *Dissertation sur la propriété individuelle et foncière dans l'Inde et en Egypte.*

est, *tu vivificasti nos* (tu nobis tua alimonia vitam servasti), *inveniamus gratiam in oculis domini mei* (in oculis tuis, o Joseph), *ut simus servi Pharaonis*. Quasi dicant : Tu es auctor et servator vitæ nostræ, tu nos restituisti in vitam; vicissim nos ergo pro hac alimonia et salute, tibi et Pharaoni nos in servos offerimus; imo et pro magno beneficio reputabimus, si nos in servitutem, ac consequenter in curam et providentiam tuam recipias, tam tu, quam Pharao, qui nobis per te tam provide et benigne in hac fame providit, ut satius sit illi servire, ab illo regi et pendere, quam nostra libertate frui, nos regere, nos et nostra curare et providere; ne rursum in famem simileve malum incurramus.

Vers. 26. 26. FACTUM EST QUASI IN LEGEM. — Hæc pensio regia constituta a Josepho vim perpetuæ legis accepit. Ita Hebræa, Chaldæa et Græca, *q. d.* Joseph induxit consuetudinem, quæ etiam hodie instar legis perdurat, ut regibus Ægyptiorum quinta pars frugum solvatur. Vide quam æque et leniter cum subditis agat Joseph; hodie non desunt tyranni, qui sine titulo plusquam dimidiam partem exigunt et extorquent. Rursum, hæc ita disposuit Deus, ut Pharaonis remuneraretur beneficentiam quam in justum senem Jacobum, ejusque filios contulerat.

Moraliter, Consiliarii non se, sed Rempublicam locupletent. Joseph noluit fratres evehere.

Moraliter, discant a Josepho principum consiliarii et præfecti, se non suis, sed reipublicæ et principum commodis studere debere. Joseph enim, cum esset princeps Ægypti, noluit ditare se, nec evehere patrem et fratres ad ampla officia, cum id facile et sine invidia facere potuisset, imo Pharao id cuperet : idque ut ostenderet quam fideliter rempublicam administraret, quamque alienus esset a cupiditate, ac privato sui et suorum amore. Voluit ergo ut in eodem officio et gradu, quo consueverant, permanerent, essentque pastores ovium, ac suo labore et cura victum sibi pararent. Intueantur hoc exemplum Prælati nostri ævi, illi, qui cum ex humili in altum tolluntur, secum eodem attollere volunt suos nepotes et cognatos, ut rem propriam magis quam publicam agere videantur, ac opes Ecclesiæ non quasi Ecclesiæ, sed ut privatas administrent, easque in suum et suorum usum, imo luxum convertant. Qualem hi Christo Domino rationem reddent villicationis suæ in ultimo et magno mundi die!

Talis fuit apud Romanos M. Attilius Regulus, qui cum summis rebus præfuisset, adeo tamen pauper mansit, ut se, conjugem liberosque toleraret agello, qui colebatur per unum villicum, cujus audita morte scripsit Regulus senatui de successore : destitutis enim rebus morte servi, necessariam esse præsentiam suam. P. Scipionem Africanum juniorem memorant annis 54 quibus vixit, nil emisse, nil vendidisse, nil ædificasse : libras autem argenti 33 tantum in magna substantia, et auri duas reliquisse, cum tamen in ejus potestate victa fuisset Carthago, ab unoque imperatorum omnium milites locupletati sint. Ita Ælianus, lib. XI. Aristides filius Lysimachi, qui multa domi militiæque præclare gessit, et Græcis tributum imperavit, non tantum post obitum reliquit, ut exequiis celebrandis sumptus esset. Ita Ælianus ibidem. Talis prorsus fuit et B. Thomas Morus, ut patet ex ejus Vita apud Stapleton. Epaminondæ Artaxerxes magnum auri pondus misit, ut eum in suam traheret sententiam; sed ille legatis dixit : « Nil opus est pecunia; si enim rex ea vult, quæ Thebanis meis sint utilia, gratis facere sum paratus : sin autem contraria, non habet auri satis; nam totius orbis opes accipere nolo pro patriæ charitate. Vos qui me incognitum tentastis, vestrique similem existimastis, non miror, vobisque ignosco. Sed egredimini propere, ne alios corrumpatis, cum me non potueritis : alioqui tradam vos magistratui. » Testis est Probus in ejus Vita. Idem, cum legati ferrent munera, ut eum corrumperent, ad prandium eos vocavit : apposita est mensa vilis, vinumque acidum; tum Epaminondas : « Abite, ait, et domino vestro mea prandia narrate, quibus me contentum, non facile suis muneribus ad proditionem alliciet. »

27. ISRAEL, — Jacob. Vers. 27.

Vers. 28. Periodus vitæ Jacobi.

28. CENTUM QUADRAGINTA SEPTEM. — Nota : Hæc est periodus vitæ Jacobi. *Primo*, natus est Jacob anno mundi 2109, a diluvio 452. *Secundo*, Jacob mansit in domo patris usque ad annum ætatis 77, quo præripuit primogenituram Esau; ideoque timens ejus insidias fugit in Haran. *Tertio*, in Haran, post septennium quo servivit Laban, accepit uxores, Liam et Rachelem. Ex Lia genuit Ruben anno ætatis 84, Simeonem anno 85, Levi 86, Judam 87, Joseph 91. *Quarto*, post genitum Joseph, omnesque proles præter Benjamin, servivit Jacob Labano alios sex annos pro gregibus, ita ut universim in Haram fuerit et servierit 20 annis : quibus expletis anno ætatis 97, reversus est in Chanaan. *Quinto*, Jacob anno ætatis 107 genuit Benjamin, in cujus partu mortua est Rachel. *Sexto*, sub annum Jacobi 88, contigit celebre illud diluvium Ogygis, quo terra Attica adeo vastata est, ut per annos 199 usque ad Cecropem sine rege et pene deserta fuerit, de quo Eusebius, lib. X *Præparat.* cap. ult., et S. Augustinus, lib. XVIII *De Civit.* cap. XVIII, ubi et aliud ejusdem temporis portentum addit S. Augustinus, nimirum, quod stella Veneris visa sit mutare colorem, magnitudinem, figuram et cursum suum. *Septimo*, Joseph venditus fuit anno ætatis suæ 16, Jacobi 107. Luxit enim pater quasi mortuum per 23 annos, scilicet ad annum ætatis 130, quo cum filiis a Joseph evocatus, ex Chanaan descendit in Ægyptum. *Octavo*, Isaac mortuus est cum Jacob ageret annum ætatis 120. *Nono*, mortuus est Jacob anno ætatis 146, quo Joseph erat 56 annorum, puta anno mundi 2256. *Decimo*, mors Jacobi præcessit 197 annis egressum Hebræorum

Diluvium Ogygis quando contigerit?

Stella Veneris portentose variari visa, quando?

ex Ægypto, ortum vero Mosis annis 118. Denique Jacobo degente in Ægypto, natus fuit S. Job patientiæ speculum.

Vers. 29. 29. PONE MANUM TUAM SUB FEMORE. — De hoc ritu jurandi dixi cap. XXIV, vers. 2.

FACIES MIHI MISERICORDIAM ET VERITATEM. — « Misericordia » significat gratiam et gratuitum beneficium ; « veritas » significat fidelitatem, fidelemque beneficii collationem et executionem, *q. d.* Præstabis mihi hanc gratiam, ut me non hic, sed in Chanaan sepelias, illudque fideliter et veraciter exequeris.

Vers. 29 et 30. Cur Jacob in Chanaan sepeliri voluit? Causa prima. 29 et 30. UT NON SEPELIAS ME IN ÆGYPTO, SED DORMIAM CUM PATRIBUS MEIS. — Idem optavit, et mandavit sibi post mortem fieri Joseph, cap. L, vers. 21. Hujus voti causa fuit *primo*, quia optabat S. Jacob in terra sancta, in qua sola futurus erat Dei cultus, inter sanctos parentes, puta cum Isaaco et Abrahamo, sepeliri in Hebron. Vide quanta priscis fuerit cura sepulcri, quamque optandum sit sepeliri inter sanctos. Secunda. *Secundo*, voluit Jacob sepeliri in Chanaan, ut suorum posterorum animos ab Ægypti opibus et vitiis avelleret, eisque firmam reditus et liberationis ex Ægypto, atque adipiscendæ terræ promissæ, puta Chananææ, spem faceret. Ita Theodoretus, S. Chrysostomus, Rupertus. Tertia. *Tertio*, id voluit, ut apud posteros suos in Chananæa habitaturos, hæc sua, et patrum sepulcra essent viva fidei, pietatis et virtutis eorum monumenta pariter et incitamenta. Quarta. *Quarto*, sciebat Jacob Christum in Chanaan nasciturum, moriturum et resurrecturum : hinc in ea sepeliri optat, ut cum Christo resurgere possit. Ita Lyranus, Abulensis et alii. Quare ab omnibus Catholicis, inquit Abulensis, creditur inter alios qui cum Christo in die Paschæ resurrexerunt, etiam Jacob resurrexisse.

Quinta. Addit tropologice S. Augustinus, quod Jacob desiderabat remissionem peccatorum, tam suorum, quam totius generis humani, per Christi mortem in Chanaan obeundam : hinc in ea sepeliri voluit. Simili de causa in Chanaan, puta in Bethlehem, vivere et mori voluit S. Hieronymus, S. Paula, multique alii Sancti. Denique in Chanaan sepeliri voluerunt Patriarchæ, ut essent participes precum et sacrificiorum, quæ ibi offerebantur : credebant enim ipsi esse Purgatorium.

Sexta. Chanaan typus cœli. Anagogice Rupertus : Jacob, inquit, exemplum vivis mortuus dedit, ut in spe patriæ cœlestis pignus amarent æternæ hæreditatis, *q. d.* Jacob sepeliri voluit in Chanaan, ut posteri anhelarent ad cœlum, cujus typus erat Chanaan.

IN SEPULCRO MAJORUM, — in spelunca duplici Hebronis, de qua cap. XXIII, vers. 17. Hinc fideles ab olim sepeliri solent inter fideles et sanctos, in locis sacris. Audi S. Dionysium, *Eccles. Hierarch.* cap. VII : « His peractis, inquit, Pontifex condidit in loco dignissimo corpus, cum aliis sui ordinis corporibus sacris. » Et Clemens Romanus, lib. VI *Constit. Apost.* cap. XXX : « Convenite, ait, in cœmeteria, sacros libros in iis legentes, et psallentes pro his qui dormierunt. » Ea autem consecrari solere a sacerdotibus docet Gregorius Turonensis, *De Gloria Confess.* cap. CVI. Vocantur κοιμητήρια, quasi dormitoria, eo quod fideles in Scriptura post mortem dicantur in iis dormire, extremo die judicii resuscitandi, teste S. Augustino, *epist.* 122. S. Cyprianus, lib. I, *epist.* 4, arguit Martialem quemdam, quod filios suos, exterarum gentium more, « apud profana sepulcra deposuerit. » Quo ipso indicat jam tum sacra sepulcra fuisse pro Christianis. In templis autem sæpe sepultos fuisse fideles, testatur S. Ambrosius, lib. I *De Abraham*, cap. III ; Hieronymus, in *Vita Paulæ et Fabiolæ* ; Augustinus, lib. *De Cura pro mortuis*, cap. I.

Vers. 31. 31. JURA ERGO. — Non diffidit Jacob verbo Josephi, sed juramentum exigit, ut Joseph hoc apud Pharaonem possit prætexere, si Jacobi corpus in Ægypto retinere vellet. Ita Rupertus. Addit Abulensis : Sciebat, inquit, Jacob, quod Joseph, nisi eum tam arcte obligasset, intendebat facere ei sepulcrum pretiosum et memorabile in Ægypto. Juramentum ergo ab eo exigit, ut eo se obligatum sentiens, omnino proposito absistat, et in avito patrum sepulcro modeste eum sepeliat in Chanaan. Ubi vide et imitare modestiam Jacob et amorem simplicitatis.

CONVERSUS AD LECTULI CAPUT. — Ita vertunt quoque Aquila et Symmachus. Porro vertit se Jacob ad lecti caput versus Joseph, quia illud erat ad Orientem, quo se vertere solent adorantes, et cujus rei causa altaria versus Orientem extruuntur ; aut, ut vult Lyranus, quia caput hoc lecti erat versus terram promissam, ad quem se adorantes convertebant, cum extra illam erant, ut patet *Daniel.* VI, 10 ; III *Reg.* VIII, 44. Ita et Ribera in cap. XI *ad Hebræos*, Abulensis et alii hic (1). Adorantes et altaria Orientem spectant.

Dices : Quomodo ergo Septuaginta et ex iis S. Paulus vertunt : *Adoravit Jacob fastigium virgæ ejus*, puta sceptri Josephi ?

Varia lectio *mitta* et *matte* varium dat sensum. Respondeo : Ex eo factum est quod Hebræa vox מטה, si legas *mitta*, significat lectulum ; sin vero aliis punctis legas *matte*, tunc significat virgam : utroque modo hic legi potest, et utraque hæc lectio et versio est canonica. Utrumque ergo fecit Jacob, nimirum ipse voti compos factus, lætusque ob datam sibi a Josepho promissionem, quod se sepeliret in Chanaan apud patres suos, illi gratias egit, et « adoravit, » id est, curvando se reverentiam exhibuit, ac veneratus est sceptrum, id est regiam potestatem, Josephi, illi a Pharaone, vel potius a Deo datam.

Secundo et magis genuine, Jacob gratias agens Deo eum adoravit et laudavit, quod hanc potestatem, et hanc etiam mentem sepeliendi se in Cha-

(1) Sensus est, Jacobum, quum jusjurandum et promissionem a filio accepisset, præ senectutis imbecillitate super lectum cubantem, cervicali suo se incubuisse, ut Deo de ea re gratias ageret.

naan, dedisset Josepho; unde convertit se ad lectuli caput, vel quia hoc caput erat ad Orientem, vel quia spectabat terram Chanaan, uti dixi. Pluribus hac de re egi *ad Hebræos* XI, 21.

Vide hic impletum somnium Joseph, caput XXXVII, vers. 9, quod pater et mater adoraturi essent eum. Dices: Rachel mater ejus jampridem erat mortua, scilicet antequam Joseph a fratribus venderetur, ut patet capite XXXV, vers. 19. Ergo illa non potuit eum adorare. Respondet S. Chrysostomus; uxorem censeri cum marito unam personam civiliter, juxta illud *Genes.* II: « Erunt duo in carne una. » Marito ergo adorante, censeri quoque uxorem adorare filium. « Si enim pater hoc fecit, inquit, multo magis illa, nisi ex hac vita prærepta fuisset, hoc fecisset. » Adde, Rachelem substituisse sibi Balam, quæ adoravit Joseph, uti dixi cap. XXXVII, vers. 9.

CAPUT QUADRAGESIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jacob Ephraim et Manassem sibi in filios adoptat, eisque, vers. 14, benedicens, præponit Ephraim Manassi seniori, ac vers. 22, partem unam Josepho segregat.

1. His ita transactis, nuntiatum est Joseph quod ægrotaret pater suus: qui, assumptis duobus filiis Manasse et Ephraim, ire perrexit. 2. Dictumque est seni: Ecce filius tuus Joseph venit ad te. Qui confortatus sedit in lectulo. 3. Et ingresso ad se ait: Deus omnipotens apparuit mihi in Luza, quæ est in terra Chanaan: benedixitque mihi, 4. et ait: Ego te augebo et multiplicabo, et faciam te in turbas populorum: daboque tibi terram hanc, et semini tuo post te in possessionem sempiternam. 5. Duo ergo filii tui, qui nati sunt tibi in terra Ægypti antequam huc venirem ad te, mei erunt: Ephraim et Manasses, sicut Ruben et Simeon reputabuntur mihi. 6. Reliquos autem quos genueris post eos, tui erunt, et nomine fratrum suorum vocabuntur in possessionibus suis. 7. Mihi enim, quando veniebam de Mesopotamia, mortua est Rachel in terra Chanaan in ipso itinere, eratque vernum tempus: et ingrediebar Ephratam, et sepelivi eam juxta viam Ephratæ, quæ alio nomine appellatur Bethlehem. 8. Videns autem filios ejus, dixit ad eum: Qui sunt isti? 9. Respondit: Filii mei sunt, quos donavit mihi Deus in hoc loco. Adduc, inquit, eos ad me, ut benedicam illis. 10. Oculi enim Israel caligabant præ nimia senectute, et clare videre non poterat. Applicitosque ad se, deosculatus et complexus eos, 11. dixit ad filium suum: Non sum fraudatus aspectu tuo: insuper ostendit mihi Deus semen tuum. 12. Cumque tulisset eos Joseph de gremio patris, adoravit pronus in terram. 13. Et posuit Ephraim ad dexteram suam, id est, ad sinistram Israel: Manassen vero in sinistra sua, ad dexteram scilicet patris, applicuitque ambos ad eum. 14. Qui extendens manum dexteram, posuit super caput Ephraim minoris fratris: sinistram autem super caput Manasse qui major natu erat, commutans manus. 15. Benedixitque Jacob filiis Joseph, et ait: Deus, in cujus conspectu ambulaverunt patres mei, Abraham et Isaac: Deus qui pascit me ab adolescentia mea usque in præsentem diem: 16. Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis: et invocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum, Abraham et Isaac, et crescant in multitudinem super terram. 17. Videns autem Joseph quod posuisset pater suus ad dexteram manum super caput Ephraim, graviter accepit, et apprehensam manum patris levare conatus est de capite Ephraim, et transferre super Manasse. 18. Dixitque ad patrem: Non ita convenit, pater, quia hic est primogenitus: pone dexteram tuam super caput ejus. 19. Qui renuens, ait: Scio, fili mi, scio; et iste quidem erit in populos, et multiplicabitur: sed frater ejus minor, major erit illo; et semen illius crescet in gentes. 20. Benedixitque eis in tempore illo, dicens: In te benedicetur Israel, atque

dicetur : Faciat tibi Deus sicut Ephraim, et sicut Manasse. Constituitque Ephraim ante Manassen. 21. Et ad Joseph filium suum : En ego morior, et erit Deus vobiscum, reducetque vos ad terram patrum vestrorum. 22. Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio et arcu meo.

Vers. 2. 2. CONFORTATUS, — tum ex gaudio concepto ex adventu filii charissimi Josephi, tum ex speciali dono et confortatione Dei, qui uti corpori spiritum fortitudinis, ita animo Jacobi morituri, suisque valedicturi spiritum prophetiæ indidit, ut patet ex sequentibus.

Vers. 4. 4. DABO TIBI TERRAM HANC, — Chananæam. Jacob hic certus ex Dei promissione Chananæam sibi, id est posteris suis, tradendam; hic et cap. seq. eam inter duodecim filios suos partitur et distribuit.

IN POSSESSIONEM SEMPITERNAM, — non absolute, sed respectu tuæ stirpis et gentis, *q. d.* Quamdiu durabit tua gens, tuus populus, tuorum filiorum respublica et regnum, tamdiu possidebunt ipsi Chananæam, ac consequenter, semper, id est, toto tempore suæ reipublicæ et regni possidebunt eam : si enim gens evertatur vel intereat, quid mirum si amplius terram suam non possideat? Vide *Can.* 4.

Vers. 5. Jacob Ephraim et Manassem adoptat. 5. MEI ERUNT, — censeo eos meos filios, æque ac Rubenum et Simeonem. Nota : Jacob hic duos Josephi filios, suos nepotes, puta Ephraim et Manassen; sibi adoptat in filios; ut quisque eorum separatam tribum constituat, et propriam hæreditatem in Chananæa adeat, æque ac Ruben, Simeon aliique sui filii : nam alioqui Ephraim et Manasses, patri Josepho succedentes, unam tantum tribum Joseph constituissent, unamque tantum patris portionem in Chananæa adiissent; nunc vero a Jacobo tribus Joseph in duas dividitur, puta in Ephraim et Manasse, ut illi pari jure censeantur et succedant cum Ruben, Juda aliisque immediatis suis filiis.

Vers. 6. 6. RELIQUOS AUTEM QUOS GENUERIS POST EOS, TUI ERUNT, — tui censebuntur. Nam Ephraim et Manasse a me adoptati, mei censentur. Non legimus Josephum alios genuisse.

ET NOMINE FRATRUM SUORUM VOCABUNTUR IN POSSESSIONIBUS SUIS. — « Fratrum, » puta Ephraim et Manasse, *q. d.* Si aliquos post hos genueris filios, illi non constituent tribum separatam, sed ad tribum Ephraim vel Manasse aggregabuntur, et in divisione Chananææ, eamdem cum illis portionem hæreditatis accipient.

Vers. 7. 7. MIHI ENIM QUANDO VENIEBAM DE MESOPOTAMIA, MORTUA EST RACHEL. — Pro *enim*, ex Hebræo verti potest, *autem*. Ita Vatablus. Injicit hic Jacob Josepho mentionem Rachelis, *primo*, quia Rachel erat mater Josephi, uxorque Jacobi dilectissima; solent enim parentes apud filios sæpe matrum refricare memoriam, *q. d.* Dixi de filiis tuis, eos me adoptare in meos; nam quod ad Rachelem matrem tuam attinet, illa mihi præmature erepta, et mortua est, cum adhuc plures mihi parere potuisset filios, ideoque eorum loco filios tuos, in meos mihi illique adopto. *Secundo*, videtur Jacob ex præcedentis capitis colloquio cum Josepho, in eo deprehendisse signa aliqua admirationis, cur tantopere pater cum tantis sumptibus cuperet sepeliri in Chanaan, puta in Hebron apud suos majores, cum tamen ibidem non sepelivisset Rachelem suam dilectissimam, sed in Bethlehem. Huic ergo admirationi obviat hic Jacob, seque excusat, quod Rachelem non ad vitandos sumptus vel itineris difficultates, sed ob tempus vernum quo facile tabescunt et putrescunt corpora mortua, statim in loco quo consistebat, puta juxta Bethlehem, sepelire debuerit, nec uti optabat, eam in Hebron deportare potuerit. Ita Lyranus, Abulensis et alii.

Cur Rachel sepulta sit in Bethlehem, non in Hebron?

Addit *tertio* Glossa, forte prophetice Jacobum hic commemorare, Rachelem esse sepultam in Bethlehem, quia ibidem nasciturus erat Christus, quasi idipsum hic in spiritu præviderit Jacob.

Vers. 11. 11. NON SUM FRAUDATUS ASPECTU TUO. — Hebraice est significantius : « Quod faciem tuam viderem, nunquam apud me cogitassem, et ecce Deus ostendit mihi etiam semen tuum. » Ita Vatablus.

Vers. 12. 12. DE GREMIO PATRIS. — Ephraim et Manasse accedentes ad avum Jacobum, præ senio sedentem in lecto, genuflexerant, caputque in gremium ejus dimiserant; ne ergo avum gravarent, et ut illis commodius benediceret, Joseph inde amotos, utrimque collocant ad latus patris.

Nota : Ephraim et Manasse hoc anno 147 Jacobi, qui fuit Josephi 56, facile erant 22 annorum; nati enim sunt ante septennium sterilitatis, paulo post principatum patris, qui contigit anno ejus 30, ut patet cap. XLI, vers. 50 et seq.

ADORAVIT — Joseph tum patrem, illi se reverenter incurvando; tum proprie Deum, gratias agens pro hoc beneficio et benedictione patris.

Nota hic humilitatem, obedientiam, pietatem et charitatem Josephi principis erga parentem plebeium et infirmum. Ita B. Thomas Morus Angliæ cancellarius existens, flexis genibus a patre suo benedictionem petebat, idemque sacerdoti celebranti officiose ministrabat. Alfonsus, Aragonum rex, patri Ferdinando obviam progressus, equo desiliit, ac pedibus comitabatur; monenti autem patri, aliorum procerum more equo conscenso adequitaret, respondit : « Aliis liberum sit agere quod voluerint, ego nunquam adducar quin patrem, quin regem et eum ægrotum, pedibus sequar. » Testis est Panormitanus. Salomon rex assurgens processit obviam matri suæ Bersabee, eique incurvando se honorem detulit, ac

jussit ei poni solium ad dexteram suam, addens : « Pete, mater mea ; neque enim fas est ut avertam faciem tuam, » III *Reg.* II, 20.

Vers. 14. 14. MANUM DEXTERAM POSUIT SUPER CAPUT EPHRAIM. — Jacob hic prophetice præfert juniorem Ephraim seniori Manasse. *Primo*, quia ex Ephraim nasciturі erant reges Israel, puta decem tribuum. Ita Eusebius. *Secundo*, quia hæc tribus et gloria et numero superabit tribum Manasse, uti prædicit Jacob vers. 19. *Tertio*, quia ex Ephraim nasciturus erat Josue, qui fuit dux Israelis, eumque induxit in Chanaan, unde et typus fuit Christi, qui nos in cœlum inducit. Ita S. Hieronymus.

Ephraim junior Manasse præfertur in benedictione Jacobi. Cur?

Josue typus Christi.

Nota : Jacob hanc prælationem et præeminentiam Ephraim præ Manasse, significat per manum dexteram, quam ei imposuit; manus enim dextera nobilior, potior et robustior est quam sinistra.

Dextera symbolum variarum rerum in Scriptura.

Ubi adverte dexteram in Scripturis symbolum esse *primo*, roboris et fortitudinis, ut *Psalm.* X : « Dextera tua inveniat omnes qui oderunt te ; » et *Psalm.* XLIII : « Brachium eorum non salvavit eos, sed dextera tua. » *Secundo*, auxilii et adjutorii, ut *Job* XIV : « Operi manuum tuarum porriges dexteram. » *Tertio*, honoris et gloriæ, ut *Psalm.* CIX : « Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis. » Et *Matth.* XXV, dicuntur electi in die judicii collocandi ad dexteram Christi ; et Salomon, III *Reg.* II, matrem suam honorare volens, collocavit eam in throno ad dexteram suam. *Quarto*, eximii amoris, ut *Cant.* II : « Dextera illius amplexabitur me. » *Quinto*, mirificæ voluptatis ac dulcedinis, ut *Psal.* XV : « Delectationes in dextera tua. » *Sexto*, dextera in Scripturis significat id quod bonum, rectum et sanctum est, sicuti sinistra significat id quod malum, parvum et perversum est, ut *Prov.* XIV : « Vias quæ a dextris sunt, novit Dominus ; perversa vero sunt, quæ a sinistris sunt. » Et *Eccle.* X : « Cor sapientis, in dextera ejus : et cor stulti, in sinistra illius. » Sic vulgo dicimus, sinistra suspicio, sinister oculus, sinistrum judicium, id est malum. *Septimo*, dextera significat bona maxima, qualia sunt æterna : sinistra vero significat parva et exilia, qualia sunt temporalia, *Prov.* III, 16 : « Longitudo dierum in dextera ejus, et in sinistra illius divitiæ et gloriæ. » Ubi per longitudinem dierum significatur beatæ vitæ æternitas, quam affert sapientia : per divitias vero et gloriam, significantur humana et temporalia bona præsentis vitæ. Ita Pererius.

Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Quinto. Sexto. Septimo.

COMMUTANS MANUS. — Hebraice est שֹׂכֶל את ידיו *sickel et iadaf, fecit intelligere manus suas*, id est, sponte, sciens et prudens manus suas transposuit, scilicet decussatim, in modum crucis.

Ephraim typus Gentium, Manasse Judæorum.

Hinc allegorice, Rupertus : Ephraim, inquit, sunt Gentes, quæ per manuum transpositionem, id est, per crucem Christi, cui crediderunt, prælatæ sunt Manassæ, id est Judæis. Sic et Tertullianus, lib. *De Baptismo*, et Damascenus, lib. IV, cap. XII, docent cancellatas manus Jacobi præsignasse crucem Christi.

Tropologice Theodoretus : Disce, inquit, hic Deum non prima et nobiliora, uti homines, sed ultima et viliora præeligere et præponere. Sic Deus hominem angelo, Abelum Caino, Isaacum Ismaeli, Jacobum Esau, Josephum Rubeno, Mosen Aaroni, Davidemque septem fratribus prætulit et præposuit.

Vers. 15. 15. IN CUJUS CONSPECTU AMBULAVERUNT, — quem quasi præsentem, seque intuentem semper reveriti sunt, cui quasi famuli astiterunt et servierunt, coram quo sancte et reverenter, jugiter conversati sunt patres mei. Vide dicta cap. V, vers. 22.

DEUS QUI PASCIT ME AB ADOLESCENTIA. — « Hæc, inquit S. Chrysostomus, gratæ animæ ac piæ, et bene memoris beneficiorum Dei sunt verba (1). »

Vers. 16. 16. ANGELUS, — custos meus, subaudi hic vocem *quoque*, *q. d.* Deus benedicat pueris istis, angelus quoque meus benedicat iisdem. Ita Vatablus et Abulensis (2).

INVOCETUR SUPER EOS NOMEN MEUM, — id est, vocentur filii mei, ac consequenter filii Isaaci et Abrahæ. Ita Theodoretus. Hoc enim in Scriptura significat, « invocari nomen alicujus super aliquem, » ut cum dicitur : « Nomen tuum invocatum est super nos, » sensus est, nos vocamur tuo nomine, puta vocamur tui filii, tuus populus.

Moraliter S. Chrysostomus, *homil.* 66, docet parentes, ut instar Jacob, non tam opes, quam Dei benedictionem filiis relinquant. « Ne igitur, inquit, operam nostram in colligendas opes collocemus, quas relinquamus filiis. Sed doceamus eos virtutem, et benedictionem Dei illis imprecemur. Istæ sunt ineffabiles divitiæ quæ non absumuntur, quæ quotidie substantiam nostram augent. Nihil enim virtuti par, nihil virtute potentius : nisi hanc habeat qui diadema gerit, quovis panniculoso paupere miserior erit. Hoc igitur nostros filios doceamus, ut virtutem rebus omnibus præferant, nihilque faciant divitiarum abundantiam. » Hæc enim juvenibus sæpe est id quod culter pueris, quem matres iis adimunt, ne eo se lædant. « Nascuntur enim inde luxus, deliciæ, absurdæ voluptates, et infinita mala. »

Vers. 19. 19. CRESCET IN GENTES. — Hebraice, *erit plenitudo* vel *multitudo gentium*, id est plenæ, multæ et numerosæ gentes, familiæ et populi ex eo nascentur, adeoque reges, qui decem tribubus, quasi multis gentibus imperabunt.

Vers. 20. 20. IN TE BENEDICETUR ISRAEL. — « In te, » id est, instar tui : *beth* enim præpositionis ponitur pro affini *caph* similitudinis, *q. d.* Dum parentes volent filiis suis Israelitis bene precari, dicent : Multiplicet te Deus, sicut multiplicavit Ephraim et Manassem.

(1) Imago e vita pastoritia, quam Jacobus egit, desumpta est.

(2) Quum Angelo huic tribuatur quod Dei solius proprium sit, *angelum* increatum, sive Messiam, ac populi Israelitici ductorem, Angelum testamenti, hic indicari multi putant, qui passim patribus specie angeli apparuit.

Vers. 22. 22. DO TIBI PARTEM UNAM EXTRA FRATRES TUOS, QUAM TULI DE MANU AMORRHÆI, IN GLADIO ET ARCU MEO. — Pars hæc singularis, quam ex divisione Chananææ exemit Jacob, deditque speciali donatione Josepho, fuit ager urbis Sichem vel Sichar, ut patet *Joan.* IV, 5, et ex Septuaginta qui vertunt : *Do tibi Sichimam, præcipuam super omnes fratres tuos*, etc. Acceperunt enim ipsi Hebræum שכם *sechem,* ut nomen proprium, significans Sichem, vel Sichimam, quod S. Hieronymus, Chaldæus et alii acceperunt ut appellativum, significans *humerum,* id est *partem.*

Quo gladio Jacob obtinuit agrum Sichem? Resp. Prima. Dices : Hunc agrum emit Jacob, cap. XXXIII, vers. 19, et Josue cap. ult. vers. 32; quomodo ergo dicitur hic quod eum acquisierit gladio? Respondent *primo* Eusebius et S. Chrysostomus, quod Simeon et Levi urbem et agrum Sichem, ob stuprum Dinæ a Sichimitis illatum, jure belli sibi patrique subegerint. Verum hanc vim et hoc bellum damnavit ipse pater Jacob non tantum vivens, sed et moriens, ut patet cap. seq., vers. 6.

Secunda. *Secundo,* Chaldæus, et ex eo Abulensis et Aben-Esra vertunt, *quam tuli gladio,* id est, *oratione et precibus* : hæc enim sunt arma et gladii piorum et sanctorum, qualis erat Jacob.

Tertia. *Tertio,* S. Hieronymus : *In gladio,* inquit, *et arcu,* id est, fortitudine, puta in pecunia, quam multo et labore et sudore acquisivi. Unde Hebræum קשרת *kescet,* quod Noster arcum vertit, si scribatur per *thet,* קשט, significat *nummum.* Ita Latinis *sagittarius* vox est ambigua : nam et hominem significat, et numisma Persicum, a notæ genere ita nuncupatum. Quod genus nummi iidem erant qui Darici quoque dicuntur, teste Plutarcho in *Apophtheg.* Ex quo celebre manavit Agesilai dictum, « se ex Asia pulsum triginta millibus sagittariorum, » cum Persarum rex ea nummorum summa corruptis per Timocratem Atheniensibus, effecisset ut is de provincia decederet.

Quarta. *Quarto,* Hebræi aliqui putant esse prolepsim et enallagen temporis : « quam tuli, » id est, quam auferam et accipiam, puta per nepotes et posteros meos, qui sub Josue Sichimam totamque Chananæam expugnabunt, sibique subjicient.

Quinta et genuina. *Quinto* et optime, Jacob agrum situm in Sichem prius emit pecunia ab Hemor, cap. XXXIII, 39. Sed cum post stragem Sichimis a suis illatam, metuens ne Chananæi in se vicissim irruerent, inde abiisset, tunc agrum hunc Sichemensem occuparunt vicini Amorrhæi, quos rediens Jacob vi et armis expulit, suumque agrum in gladio et arcu recepit. Hoc enim hic clare dicitur, licet alibi res gesta non narretur. Ita ex Andrea Masio Pererius (1).

(1) Quum Sichemus supra cap. XXXIV, 2, *Chivæus* dicatur, verisimile est Amorrhæos hic pro Chananæis generatim dici, ut *Amos* II, 9, quod illi Chananæorum, quibus et Chivæi accensebantur, potentissimi essent.

CAPUT QUADRAGESIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jacob moriturus convocatis filiis benedicit, et prophetizat quæ posteris bona malaque sint eventura. Secundo, vers. 29, *jubens se sepeliri in Chanaan moritur. Aliqui caput hoc inscribunt* : Benedictiones duodecim Patriarcharum; *alii* : Prophetia de duodecim Patriarchis. *Utrique vere et recte : utrumque enim hic agit Jacob.*

1. Vocavit autem Jacob filios suos, et ait eis : Congregamini, ut annuntiem quæ ventura sunt vobis in diebus novissimis. 2. Congregamini, et audite, filii Jacob, audite Israel patrem vestrum. 3. Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, et principium doloris mei : prior in donis, major in imperio. 4. Effusus es sicut aqua, non crescas; quia ascendisti cubile patris tui, et maculasti stratum ejus. 5. Simeon et Levi fratres, vasa iniquitatis bellantia. 6. In consilium eorum non veniat anima mea, et in cœtu illorum non sit gloria mea; quia in furore suo occiderunt virum, et in voluntate sua suffoderunt murum. 7. Maledictus furor eorum, quia pertinax : et indignatio eorum, quia dura : dividam eos in Jacob, et dispergam eos in Israel. 8. Juda, te laudabunt fratres tui : manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui. 9. Catulus leonis Juda : ad prædam, fili mi, ascendisti : requiescens accubuisti ut leo, et quasi leæna, quis suscitabit eum? 10. Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium. 11. Ligans ad vineam pullum suum, et ad vitem, ô fili mi, asinam suam. Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium

suum. 12. Pulchriores sunt oculi ejus vino, et dentes ejus lacte candidiores. 13. Zabulon in littore maris habitabit, et in statione navium pertingens usque ad Sidonem. 14. Issachar asinus fortis accubans inter terminos. 15. Vidit requiem quod esset bona, et terram quod optima : et supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tributis serviens. 16. Dan judicabit populum suum sicut et alia tribus in Israel. 17. Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro. 18. Salutare tuum exspectabo, Domine. 19. Gad accinctus præliabitur ante eum, et ipse accingetur retrorsum. 20. Aser, pinguis panis ejus, et præbebit delicias regibus. 21. Nephtali, cervus emissus, et dans eloquia pulchritudinis. 22. Filius accrescens Joseph, filius accrescens et decorus aspectu : filiæ discurrerunt super murum. 23. Sed exasperaverunt eum et jurgati sunt, invideruntque illi habentes jacula. 24. Sedit in forti arcus ejus, et dissoluta sunt vincula brachiorum et manuum illis per manus potentis Jacob : inde pastor egressus est lapis Israel. 25. Deus patris tui erit adjutor tuus, et Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyssi jacentis deorsum, benedictionibus uberum et vulvæ. 26. Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus, donec veniret desiderium collium æternorum : fiant in capite Joseph, et in vertice Nazaræi inter fratres suos. 27. Benjamin, lupus rapax, mane comedet prædam, et vespere dividet spolia. 28. Omnes hi in tribubus Israel duodecim; hæc locutus est eis pater suus, benedixitque singulis, benedictionibus propriis. 29. Et præcepit eis, dicens : Ego congregor ad populum meum : sepelite me cum patribus meis in spelunca duplici quæ est in agro Ephron Hethæi, 30. contra Mambre in terra Chanaan, quam emit Abraham cum agro ab Ephron Hethæo in possessionem sepulcri. 31. Ibi sepelierunt eum, et Saram uxorem ejus : ibi sepultus est Isaac cum Rebecca conjuge sua : ibi et Lia condita jacet. 32. Finitisque mandatis quibus filios instruebat, collegit pedes suos super lectulum, et obiit, appositusque est ad populum suum.

Nota hic in Jacobo priscum morem, quo parentes morituri, suis filiis vel subditis extrema dabant, vel oracula, vel monita salutis, ac deinde eis benedicebant. Sic fecit et Moses, *Deuter.* cap. XXXI, XXXII et XXXIII; et Josue, cap. ult.; et Samuel, I *Reg.* cap. XII; et Tobias, cap. III; et Mathathias, I *Machab.* II; et Christus Dominus, *Joan.* cap. XIV et XV.

Exstat tomo III *Biblioth. SS. Patrum*, testamentum duodecim Patriarcharum, puta horum duodecim filiorum Jacobi, in quo multa quæ hujus sunt capitis, explicantur. Narrantur in eo plurima tum prohetica oracula, tum adhortantia ad virtutem ac Dei cultum : multa quoque inseruntur vaticinia ex libro Enoch. Vetustum est; nam meminit ejus Origenes, hom. 15 *in Josue*, et Procopius Gazæus in cap. XXXIII *Gen.* Transtulit illud ex Græco in Latinum Robertus, Lincolniensis Episcopus. Verum hoc testamentum incerti et suspecti est autoris; multa enim mira habet et nova, similia Judaicis fabulis.

Vers. 1. 1. IN NOVISSIMIS DIEBUS. — In futuris temporibus. Hebræum enim אחרית *acharit*, quod Noster vertit *novissimum*, significat sequens, posterius, postea futurum : Jacob enim hic prædicit quædam quæ mox secuta sunt, quædam quæ sub Josue, quædam quæ sub Judicibus, quædam quæ sub Christo evenerunt, et quædam quæ sub Antichristo evenient (1).

PROPHETIA ET BENEDICTIO RUBEN.

3. RUBEN PRIMOGENITUS MEUS, — quoad generationem et nativitatem; nam alioqui Jacob eum Vers. 3.

(1) Haud pauci e Rationalistarum schola fidenter pronuntiarunt, quod hoc capite continetur carmen et vaticinium, neque a Jacobo, neque ad ejus ætatem satis apposite referri posse. Quos si interroges qua ætate sit confectum, singuli in suam abeunt sententiam. Davidis temporibus illud pertinere, verisimile est Heinrichsio cum ob memoratam vers. 20 regiam dignitatem, tum ob equorum vers. 17 factam mentionem : quod argumentum quid valeat, ait ipse Rosenmullerus ad h. l., nos quidem non satis perspicere fatemur, quum quid obstet quominus Jacobus utriusque illius rei mentionem injicere potuerit, haud facile appareat. Cf. supra XXXV, 11. Alii aliter. Clericum offendit stylus, poeticus magis ac grandior, quam sit exspectandus a sene decrepito, mortique vicino. At, omisso etiam divino afflatu, priscorum, minusque excultorum, nec subtili dicendi generi assuetorum hominum sermonem sponte sua ad poesin proxime accedere, quis nescit? Præterea venerandi senis, filios ultimum congregatos coram conspicientis, animum ita concitatum fuisse, ut ipsius sermo sese altius solito efferret, et animi commoti affectum ultimis suis verbis pondus et gravitatem addidisse, ipsa fert animi humani natura. Nec desunt inter Arabum carmina, *aurea* dicta,

spoliat hic jure primogenituræ, ob incestum cum Bala. Erat Ruben hoc anno, qui fuit Jacobi 147 et ultimus, annorum 62, Simeon 61, Levi 60, Judas 59, Joseph 56, ut patet ex dictis cap. XXX.

TU FORTITUDO MEA, — quem scilicet primo genui in robore ætatis.

ET PRINCIPIUM DOLORIS MEI. — Quia nati liberi novas curas, dolores et anxietates parentibus afferunt; vel potius, *q. d.* Tu mihi fuisti præcipua causa doloris et tristitiæ, ob tuum incestum. Hebraice est, רשית אוני *rescit oni*, quod *secundo*, cum Chaldæo, Vatablo et aliis verti potest, *principium roboris mei* (1), id est, virtutis meæ generativæ, *q. d.* In te generando primo meum robur virile vimque generandi ostendi. Unde Septuaginta vertunt, *principium filiorum meorum*. Sic vertit etiam noster Interpres, *Deut.* XXI, 17. Unde patet Jacobum, ante matrimonium cum Lia, caste vixisse, nec ullam feminam cognovisse.

PRIOR IN DONIS, MAJOR IN IMPERIO (2), — scilicet esse debebas, tanquam primogenitus; quod Chaldæus clare explicat sic vertens : *Tu accepturus eras tres partes, scilicet primogenituram, sacerdotium et regnum; sed non accipies,* quia peccasti cum Bala. Sacerdotium enim a Ruben translatum est in Levi; regnum duarum tribuum datum est Judæ, decem vero tribuum datum est Ephraim; primogenitura, puta duplex portio hæreditatis in Chanaan, ac consequenter duplex tribus, consignata est Josepho, scilicet ejus filiis Ephraim et Manasse. Unde I *Paral.* V, 1, dicitur primogenitura a Ruben translata esse in Joseph. Noster hoc jus primogenituræ, item jus sacerdotii intellexit, cum vertit, *prior in donis;* sicut jus regni intellexit, cum vertit, *major in imperio.* Hebræa habent, יתר שת ויתר עז *ieter seet veieter oz,* quod clare Pagninus vertit, *excellens dignitate* (aut donis et muneribus), *excellens fortitudine*, supple, esse debebas. Potest *secundo*, sic verti, *residuum dignitatis, residuum potentiæ, q. d.* In te reliqua, superstes et hæreditaria manere debebat tum dignitas, tum potentia mea; tu fratribus et dignitate et robore ac imperio præcellere debebas.

Primogenitura Ruben translata est in Levi, Judam et Joseph.

Nota : Rubeno primogenitura spoliato, in eam succedere debuisset Simeon secundo genitus; sed quia hic impius in Joseph, et quia ejus tribus cum suo duce adoravit Beelphegor, *Numer.* XXV, 14, hinc in tertiogenitum, scilicet Levi, nobilior primogenituræ dignitas, scilicet sacerdotium, et in quartogenitum, scilicet Judam, alterum primogenituræ jus, puta regnum, translatum est.

MAJOR IN IMPERIO. — Habebat enim primogenitus quasi regalem quemdam principatum atque dominatum in omnes fratres, ut patet *Gen.* XXVII, 29. Octo, inquit Pererius, memorantur fuisse primogenitorum prærogativæ in populo Dei, etiam ante legem Mosis. *Prima*, erant sacerdotes. *Secunda*, primogenitus sedebat primus in mensa, majorque portio ei dabatur, *Gen.* XLIII, 33. *Tertia*, benedicebat ille alios fratres, ipsi submittebant se illi, et adorabant eum, *Genes.* XXVII, 29. *Quarta*, habebat imperium et dominatum in fratres, ibidem. *Quinta*, accipiebat duplicem partem hæreditatis paternæ, *Deuter.* XXI, 17. *Sexta*, primogeniti redimebantur quinque siclis, alii vero filii minime, tanquam illi specialiter essent Deo consecrati et addicti. *Septima*, utebantur, inquit, singulari quodam vestium genere, id est, præ cæteris fratribus delicato et pretioso; quamobrem Jacobo ambiens primogenituram Esau, ejus « vestes induit, » quanquam hoc non satis concludat. *Octava*, primogenitus singulariter benedicebatur a patre jam moribundo. Atque has fere omnes prærogativas perdidit Ruben.

Octo prærogativæ primogeniti. Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta. Septima. Octava.

4. EFFUSUS ES SICUT AQUA. — Libidine et incestu diffluxisti, profusa fuit libido tua. Minus significanter vertunt Lyranus et Abulensis : Depressus es, dejectus es sicut aqua. Longe enim significantius vertit Noster, « effusus es sicut aqua, » quia sicut, cum aqua effunditur, nihil ejus in poculo aut situla manet residuum, non color, non odor, non sapor : ita luxuria hominis vires, judicium, rationem, sapientiam, famam, opes, conscientiam bonaque omnia cum semine et sanguine sæpe effundit et profundit (3).

Vers. 4. Libidinis profusio quanta sit?

aureisque litteris in templo Meccæ inscripta, quæ, licet a senioribus ex improviso fusa, Jacobi vaticinio tum sententiarum sublimitate, tum splendore imaginum, fere possent æquiparari. Ewaldus negat Jacobum, præstanti licet ingenio ac judicio singulari præditum, aperte potuisse præsignare tum situm eorum tractuum, qui aliquot sæcula post ipsum filiorum suorum posteris sorte obtigere in terra Cananæa, tum ea quæ a singulis gesta et facta sunt in terræ Cananææ, Josue duce, expugnatione, tum multa alia futura. Et nos negantes habet : quid inde? Ille quidem vaticinium hoc denuo confictum esse Samsonis temporibus gratis omnino concludit; nos, Jacobum id prænosse spiritu divino afflatum multo securius concludimus. Insuper seriorem Mose scriptorem parum est verisimile consignasse tum quæ de Rubene leguntur vers. 4, quia tribus ex illo orta, si ab alio quopiam ea verba conficta essent, certe nunquam æquo animo tulisset; tum quæ dicuntur de *dispersione* Levi vers. 7 : hanc enim dispersionem tanquam *pœnam* Jacobus intentat et quasi *indicit*, quod post Mosis tempora, filiis Levi cultui divino addictis, nemini in mentem quidem venisset. Totum igitur hoc carmen remotissimam redolet antiquitatem, quam et arguunt quorumdam e filiis cum animalibus factæ comparationes, quales et apud vetustissimum Græcorum vatem, Homerum, deprehendimus. Neque quomodo Moses Jacobi effata accipere potuerit, intellectu est difficile. Illa enim morituri progenitoris ultima vota a filiis summa fide et religione conservata, et a singulis ad posteros propagata et tanquam oracula habita fuisse, vix est quod dubitemus. Cf. Meignan, op. cit. p. 362 seqq.

(1) Ita vertendum suadet series orationis, quæ declarat in quo sita sit Rubenis dignitas. Igitur τὸ *principium roboris mei* pertinet etiam ad primogenituræ descriptionem.

(2) Hebr. est, *præcellentia dignitatis, et præcellentia potentiæ*, subaudi, *erat tibi*, vel *eras tu*, abstractis positis pro concretis.

(3) Hebr. est, *lascivia*, seu libidinis tuæ impetus, *instar aquarum*.

NON CRESCAS, — non cresces : magis enim est prophetia quam imprecatio, *q. d.* Quia peccasti incestu, hinc Deus puniet te sterilitate, ut non crescas numero prolium et nepotum, nec etiam excellentia, opibus et gloria. Hinc tribus Ruben fuit una ex minimis. Idem prædixit Moses, *Deut.* cap. XXXIII, vers. 6.

ASCENDISTI CUBILE PATRIS TUI, — incestasti Balam uxorem patris tui. Hac de re, deque Rubeni pœnitentia mira, utinam vera, habet apocryphum testamentum duodecim Patriarcharum, cujus memini initio capitis.

Allegorice. Allegorice : Ruben, inquit S. Ambrosius, est Judæus, qui humanitatem Christi, quæ est quasi lectus divinitatis, violavit et occidit, ideoque a Deo est maledictus.

Tropologice. Pari modo tropologice : Ruben sunt Eutychiani, Nestoriani aliique hæretici, inquit Rupertus; rursum, mali Prælati et principes, qui effusi in voluptates carnis, Ecclesiam scandalizant, violant et profanant.

Moraliter, de vindicta scelerum. Denique disce hic *primo*, seram esse Dei vindictam, sed nunquam irritam. Ecce sceleris Ruben post 30 annos quam fuerat ab eo patratum, et a Jacob dissimulatum, vindicta et pœna pronuntiata est. *Secundo*, quam vili de causa homines maxima bona perdant. Nonne Ruben omnia primogenituræ bona amisit, brevissimæ voluptatis turpissima mercede? nonne eadem amisit Esau per lentis edulium? *Tertio*, quantum sit scelus, contumacem et contumeliosum esse in parentes; cujus rei tria sunt illustria exempla in Scriptura : *unum* Cham, filii Noe; *secundum* Ruben, filii Jacob; *tertium* Absalonis, filii Davidis (1).

PROPHETIA ET BENEDICTIO SIMEON ET LEVI.

Vers. 5. 5. SIMEON ET LEVI FRATRES — non tantum germani natura, sed simillimi et conjunctissimi scelere, puta feritate, audacia, dolo, crudelitate in Sichimitas.

VASA INIQUITATIS, — id est instrumenta iniquitatis, et iniquæ cædis ac stragis Sichimorum. Hebræi enim כלי *keli*, id est vas, vocant quodvis instrumentum. Infideliter et perperam vertit Chaldæus : *Simeon et Levi viri fortissimi, in terra peregrinationis suæ fecerunt fortitudinem*; quasi eos a fortitudine laudet hic Jacob, cum eorum furorem et crudelitatem incuset, ut patet ex sequentibus.

BELLANTIA.— Non otiosa fuerunt hæc vasa, sive instrumenta, sed injustum bellum et cladem intulerunt Sichimis. Hebraice est, מכרותיהם *mecherotehem*, quod Arias, Oleaster et Vatablus vertunt, *machæræ eorum, q. d.* Machæræ eorum fuerunt vasa, puta, arma iniquitatis. Hoc valde appositum est, videturque nomen machæra, uti et alia multa Latina et Græca, ab Hebræis descendere, licet id neget Eugubinus.

6. IN CONSILIUM EORUM NON VENIAT ANIMA MEA. — Vers. 6. « In consilium, » quo scilicet machinati sunt proditorie cladem Sichimorum, *q. d.* Ego hoc eorum consilium et scelus olim aversatus sum, et etiamnum aversor. *Secundo*, allegorice prævidit hic Jacob consilium, quod contra Christum inierunt Scribæ et Pharisæi, qui a Simeone prognati sunt; et Pontifices ac sacerdotes, qui ex Levi descenderunt. Horum ergo consilium, quo Christo necem sunt machinati, itaque parentum suorum Simeonis et Levi scelus sunt imitati, detestatur et execratur hic Jacob; est enim hic prophetia : ita S. Ambrosius, Isidorus, Rupertus et alii. Ex Simeon prognati Scribæ et Pharisæi.

ET IN COETU ILLORUM NON SIT GLORIA MEA, — *q. d.* Illi in hac strage, quasi indice fortitudinis suæ, gloriati sunt : absit a me tale decus et gloria. Septuaginta vertunt, *in cœtu illorum non contendant jecora mea, q. d.* In cœtu illorum non sit amor meus, non cor, non jecur meum : jecur enim est sedes amoris et desiderii; et Hebræum כבד *cabod*, si aliis punctis legas *cabed*, significat jecur (2).

OCCIDERUNT VIRUM, — viros, puta Sichimitas, cum suo principe, et mali causa, Sichem. Est synecdoche.

ET IN VOLUNTATE SUA. — In sua libidine sæviendi. Unde Septuaginta vertunt, *in sua concupiscentia.*

SUFFODERUNT MURUM, — id est muros, *q. d.* Ipsi everterunt et vastarunt urbem muratam Sichem, ejusque muros diruerunt.

Ex hoc ergo loco, apparet quod Simeon et Levi cum suis, quando furibundi invaserunt urbem Sichem, non tantum cives ejus occiderint, sed et mœnia everterint.

Sic allegorice, Scribæ et sacerdotes, ex Simeon et Levi oriundi, per Titum everterunt Jerusalem, quia occidendo Christum, causam ejus excidio dederunt, et quasi in illud evocarunt Titum.

Alii, ut Procopius, per muros intelligunt Hemor et Sichem, principes urbis, qui eam instar muri sua potentia tuebantur. Hinc et Septuaginta pro שור *schur*, id est muro, legentes *scor*, id est taurum, vertunt, *subnervarunt taurum*, puta ipsum Sichem succiderunt et interemerunt. Vocatur Sichem taurus, tum quia instar tauri in feminas

(1) Verba versus postrema יצועי עלה plures sic vertunt, *ascendit*, id est, abiit in auras, *stratum meum*, evanuit, abiit ejus dignitas, utpote a te violati et inquinati. Alii, quibus adstipulamur, vertunt, *stratum*, seu *thalamum meum ascendit !* Nam qui ira commoti sunt, sæpe ita solent breviter quæ ante dixerant repetere, atque ille ipse a persona secunda ad tertiam transitus animo concitato apprime convenit. Septuaginta et Vulgatus voluerunt orationem membro priori convenientem reddere.

(2) כבודי ex parallelismo membrorum idem est quod נפשי, *anima mea*, quæ in aliis etiam locis veteris Testamenti *gloria* vocatur, tanquam præstantior et nobilior pars hominis. Septuaginta legerunt כלו.

ruebat, tum quia potens et validus erat princeps; tales enim vocantur « tauri » *Psal.* LXVII, 31 (1).

Denique Targum Hierosolymitanum vertit, *vendiderunt Joseph, qui assimilatus est bovi :* quod si verum est, ergo Simeon et Levi fuere choragi in venditione Josephi, ut merito solum Simeonem carceri incluserit Joseph, cap. XLII, vers. 25.

Vers. 7. A Levi ablata est maledictio per zelum Mosis et Phinees.

7. MALEDICTUS FUROR EORUM. — Hæc maledictio a Levi et Levitis sublata est per zelum, tum Mosis et Aaronis, aliorumque Levitarum in cæde adorantium vitulum aureum; tum Phinees Levitæ, qui Hebræum incestantem Madianitidem occidit, et Beelphegor evertit, *Num.* XXV, vers. 5 et 6 : ideoque tribus Levi et sacerdotium et benedictionem a Mose accepit, *Deut.* XXXIII, 10. In Simeone vero remansit hæc maledictio, propter fornicationem et idololatriam Zambri, qui fuit dux tribus Simeonis, quem occidit Phinees, *Numer.* XXV. Unde solus Simeon a Mose non fuit benedictus, *Deut.* XXXIII : ita Procopius.

DIVIDAM EOS IN JACOB, ET DISPERGAM EOS IN ISRAEL, — ne scilicet rursum capita conferant, et suo consilio aliis perniciem machinentur. Id impletum est in Levi, quia Levitis nulla sors obtigit in Chananæa, sed fuere per omnes tribus dispersi; in Simeone quoque, quia ei data fuit sors et sedes in medio tribus Juda, *Josue* XIX, vers. 2 et 9. Rursum cum tribus Simeon excrevisset, novas sedes quæsivit, et pars in Gador, pars in montem Seir abiit, I *Paral.* IV, vers. 27, 39 et 42. Denique Scribæ et legisperiti, ex Simeone oriundi, æque ut sacerdotes, sparsi fuerunt per omnes tribus, ut populum in lege instruerent, Deo pœnam hanc in eorum laudem, et populi bonum vertente. Et hac parte hæc prophetia simul est benedictio Simeonis et Levi; quanquam et prior increpatio, utpote paterna, benedictio censeri possit et debeat, uti dicam vers. 28.

Scribæ oriundi ex Simeon sparsi per omnes tribus.

PROPHETIA ET BENEDICTIO JUDA.

Septem benedictiones et dotes tribus Juda.

Jacob commendat tribum Juda, *primo,* a nomine : Judas idem est quod confessio et laus; *secundo,* a fortitudine bellica; *tertio,* a dignitate et reverentia, quod scilicet Judam adorabunt fratres; *quarto,* a victoriis; *quinto,* a regno et sceptro; *sexto,* ab opibus et frugum copia; *septimo,* a Christo ex ea nascituro. Hæcque omnia prædicit et vaticinatur ab hoc versu usque ad 12.

Vers. 8.

8. JUDA, TE LAUDABUNT. — In Hebræo est elegans paronomasia nominis Juda : יהודה יודוך *jehuda, jehoducha, q. d.* Recte vocaris Juda, id est *laus,* quia te laudabunt (2) fratres tui. Vocaverat eum mater Lia Judam cap. XXIX, vers. ult., quasi gratias agens et laudans Deum ob datam hanc prolem; nunc pater Jacob eum quoque vocat Judam, alia ratione et allusione, scilicet quod a fratribus suis laudandus sit. Tribus enim Juda prima post Mosen ausa est ingredi mare Rubrum. Hæc, mortuo Josue, dux fuit cæterarum tribuum in præliis, *Judic.* I. Ex hac ortus est rex David potentissimus et gloriosissimus, Salomon aliique reges, usque ad captivitatem Babylonicam. Hæc contra Ismaelitas, Idumæos, Moabitas, Arabes, omnesque vicinos maxima bella gessit. Ex hac natus est Zorobabel, dux populi Babylone redeuntis. Denique ex hac ortus est Christus.

Elogia fortitudinis tribus Judæ.

MANUS TUÆ IN CERVICIBUS INIMICORUM, — ut eos in fugam agant, insequantur, capiant, trucident; unde Chaldæus vertit, *manus tuæ prævalebunt contra inimicos tuos.*

ADORABUNT TE FILII PATRIS TUI. — En transfertur hic a Ruben jus primogenituræ, illudque consignatur Judæ. Primogenitus enim, quasi fratrum princeps, ab eis colebatur et adorabatur, id est, coram eo curvabant se fratres, illique civilem reverentiam exhibebant, qualis exhibetur patri, vel principi.

Rursum significatur hic regia potestas donanda Judæ; reges enim a subditis adorantur, dum eis se humiliant et prosternunt, honoris et reverentiæ causa.

Allegorice, Judas est Christus, qui assidue Deum laudavit, adeoque fuit quasi continua laus Dei, quem confessi sunt usque ad mortem omnes martyres, quem omnes fratres, id est, angeli et homines sancti laudant et adorant, qui fortissime nos e faucibus dæmonis eripuit. Unde « manus ejus in cervicibus » dæmonis, mundi, carnis et peccati, quæ ipse debellavit.

Judas est Christus qui totus fuit Dei laus et confessio.

FILII PATRIS. — Non dicit *matris,* sed *patris,* quia fratres Judæ diversas habuerunt matres, sed eumdem patrem; Jacob autem hic prædicit omnes fratres, ex quacumque matre natos, Judam adoraturos.

Vers. 9. Judas fuit leo.

9. CATULUS LEONIS JUDA. — Sicut Judas inter fratres est, ita tribus Juda inter alias tribus erat instar leonis, *primo,* fortissima; *secundo,* impavida; *tertio,* bellicosissima; *quarto,* victoriosissima; *quinto,* generosissimi animi. Huc festive allusit S. Hilarius, qui, dum quidam per calumniam eum Gallum nuncuparet : « Non sum, inquit, natus Gallus, sed ex Gallia; tu vero Leo es (erat enim hoc nomine), sed non de tribu Juda. » Refert Joannes Selethus, cap. XXII.

Exempla fortitudinis ducum.

Hos leoninos Judæ animos habeant duces, habeant fideles. Dux fortis adamanti est similis, qui nec ferro infringi, nec igne absumi potest. Fredericus II Imperator audiens principum minas : « Minarum, inquit, strepitus, est asinorum crepitus. »

(1) שׁוֹר, *taurus,* hic per synecdochen *tauros* designat; succiderunt poplites, aut suffragines taurorum, quo maleficio operi rustico prorsus inutiles fiebant. Alii שׁוֹר, *bos,* sive boves, per metaphoram indicari putant potentiores vel fortiores urbis Sichem.

(2) Gesenius et Maurer notant, vocem ידה in bibliis de solis Dei laudibus adhiberi. Ea igitur vox exprimit hic aliquid religiosum, quod in Christo tantum, a Juda figurato, adimpletum est.

Ita Leonidas Persæ cuidam minitanti, quod Spartani die postero ex telorum imbre solem non essent visuri : « In umbra igitur, respondit, commode pugnabimus. »

Alfonsus Aragoniæ rex vidit naufragos auxilium implorantes; aliis timentibus, ipse navim solvit dicens : « Satius est una cum sociis viris fortissimis occumbere, quam illos videre (in tempestate) extrema pati. » Testis est Panormitanus.

Carolus V stans in acie intra vallum et stationes, cum hostis glandium imbres ejacularetur, monitus ut se reciperet, respondit : « Canes qui latrant non sunt extimescendi : neque est quod timeatis, cum præsidio Dei satis vallati sumus. »

Rursum Carolus V juxta Ingolstadium ab hoste crebra jaculatione impetitus : « Confidite, ait, nullus unquam imperator tormenti ictu periit. » Idem in Hispaniam profecturus, cum audiret in via pestem grassari : « Eundum, inquit, nec prætermittenda tam bona tempestas : pestis Augustum, pestis Cæsarem, pestis Carolum ullum nunquam attigit. »

Ludovicus XII pergens Mediolanum, intelligensque oppidulum, ubi hospitari cogitabat, ab hoste esse interceptum, perrexit, dixitque : « Ego super corpora eorum hospitium accipiam, vel illi in meo. »

Ludovicum Bavarum ceperat Albertus marchio Brandenburgensis, multa ab eo petens et minitans; cui Ludovicus : « Quæ poteris ex me libero impetrare, eodem modo ex capto petito. Si amplius quid voles, corpus meum in tua potestate est; animum vero mihi, non tibi obnoxium invenies. »

Otho IV Imperator equitem, qui falso fuerat accusatus, quod pudicitiam Imperatricis tentasset, occidi jussit : uxor mariti caput gremio gestans, Imperatorem adit, et qua pœna injustus judex mulctandus sit, rogat : Morte, ait Imperator; tum illa : « Tu ergo Imperator, morere, qui maritum meum innocentem occidisti. Innocentem fuisse, ferro ignito quod innoxie manibus meis contrecto, probo. » Ita Bernardus Corius in *Vita Othonis*.

Leonis nomina quæ ejus ætatem distinguunt.

Nota : Hebræi leoni plura dant nomina, quibus ejus ætatem secernunt et distinguunt; nam *primo*, גור *gur* vocatur leo, cum est catulus et quasi infans. *Secundo*, vocatur כפיר *kephir*, cum jam grandescit, fitque adultus, ut ferocire et prædari incipiat. *Tertio*, vocatur אריה *arie*, vel *ari* cum stato est robore, leoque perfectus. *Quarto*, cum est confirmato plenoque robore et ætate, vocatur לאבי *labi*, quasi cordatus, a לב *leb*, id est *cor*. Dicitur ergo leo *labi*, ab animositate, generositate et fortitudine animi. *Quinto*, vocatur ליש *lais*, cum jam senescit, et quasi miles veteranus in prædis exercitatus, viret tamen adhuc, et viget. Dicitur ergo *lais*, eo quod subigat prædam, a rad. לוש *lus*, id est *subegit*.

Ex hisce nominibus, tria hic dantur Judæ, scilicet *primo*, *gur*, sub quo complectitur et *kephir*, significat infantiam et adolescentiam tribus Juda in bellis tempore Josue. *Secundo*, *arie* significat ejusdem robur virile, quod habuit sub Davide. *Tertio*, *labi* significat ejusdem confirmatum robur et imperium sub Salomone, qui fuit *labi*, id est, cordatus in sapientia, fortitudine, liberalitate, magnificentia. Unde Chaldæus vertit : *Dominium erit ei in principio, sed in fine magnificabitur regnum Juda; quia a judicio occisionis, fili mi, animam tuam abstinuisti*, ne scilicet occideres Thamar nurum tuam adulteram, et ne consentires neci, quam fratres tui machinabantur Josepho; imo ut eam impedires.

Judas triplici ætate fuit leo.

AD PRÆDAM, FILI MI, ASCENDISTI. — Pro *ad prædam*, Hebræa, Symmachus et Aquila habent מטרף *mittereph*, id est *a præda*, quo significant assiduam prædarum et victoriarum continuationem, *q. d.* A præda in prædam ascendisti, assidue prædaris, jugiter a præda et cum præda redis, quod Noster significantius expressit vertens, *ad prædam, fili mi, ascendisti* (1). Hoc maxime verum exstitit in Davide, qui tota vita in bellis versatus, assiduas ex hostibus prædas egit, et gradatim a minore præda in majorem ascendit : puta ab ursi et leonis discerptione, progressus est ad duellum cum Goliath, ejusque spolia; inde ad præfecturam militiæ, et prædam centum præputiorum, I *Reg.* XVIII, vers. 13; mox e Philistinis juges abegit prædas, I *Reg.* XXVII; postea tribum Juda quasi divulsit a Saulis regno, II *Reg.* II, 7. Denique factus rex omnium tribuum, maximas de Ammonitis, Moabitis, Syris aliisque gentibus prædas abduxit. Ita Delrio.

Ex hac prophetia factum est ut tribus Juda, David, Salomon, etc., pro insigni habuerint effigiem leonis : unde et Preto (vel, ut alii vocant, presbyter) Joannes rex Abyssinorum, qui ex regina Saba et Salomone, ac consequenter ex Juda, se descendere jactat (ut patet ex ejus titulo, quem describit Ortelius in Theatro, *Tabula* 68), pro insigni, sive stemmate, gestat leonem, qui manu tenet erectam crucem. Leo enim prosapiæ ex Juda; crux Christianitatis est insigne.

Mirum est cur Septuaginta verterint, *ex germine, fili, ascendisti*; forte prophetice per germen intellexerunt beatam Virginem, ex qua ascendit et ortus est Christus.

(1) Rectius : *Ex præda, mi fili, ascendisti*, id est ascendes. Præteritum pro futuro positum, ut solet in prædictionibus. Comparatio inde desumpta, quod leones post prædam e locis montibus subjectis raptam in montes, ubi lustra habent, ascendunt : ita, o Juda, redibis invictus a præda, et te in regiam tuam relata de hostibus præda recipies. Gesenius verbum עלה hic *crescendi* significatu capit : *ex bellis feliciter gestis invalesces*. Cæterum in hac Judæ cum leone comparatione est gradatio quædam. Confertur enim primum leonis catulo, deinde adulto leoni, denique leænæ, quæ utroque terribilius furit : qua imagine res fortiter gerendæ a tribu Judæ ejusque incrementa describuntur.

REQUIESCENS ACCUBUISTI. — Aquila, *incurvans recubuisti*; Symmachus, *claudicans consedisti, q. d.* Sicut leo, præda potitus, cernuat se in terram, et quasi piger ac claudus recumbit, ut eam devoret, comedentem vero nemo audet lacessere, vel interpellare : ita tu, o Juda, postquam per Davidem tuo sceptro subegisti tribus omnes, regnumque tuum stabilivisti, securus te paci et quieti tradidisti, et quasi leæna catulos suos lactans, dormienti similis, in strato tuo te collocasti, tanquam bonus pastor populum tuum pascens et fovens, ita ut nemo te bello lacessere audeat. Ita Delrio.

Nota : Hæc omnia præterita per futurum exponenda sunt : est enim prophetia.

QUASI LEÆNA — quæ catulos lactans sævior et fortior est leone. Hebræum לאבי *labi* tam leænam, quam leonem significat : unde et Vatablus vertit *leænam*; nomina enim animalium apud Hebræos sunt communis generis.

QUIS SUSCITABIT EUM? — quis eum suscitare et bello lacessere audeat? quisquis id faxit, non feret impune, cladem accipiet.

Allegorice, Christus ex Juda prognatus, « ascendit ad prædam, » quia ejus nomen est : « Accelera spolia detrahere, festina prædari, » *Isaiæ* VIII, 3. Hinc requievit, id est mortuus est, ut leo : quia in morte sua totum mundum commovit, et diabolum ac mortem moriendo destruxit. Ita S. Ambrosius, lib. *De Benedict. Patriarch.*, in benedict. Judæ : « Quis, ait, suscitabit eum, hoc est, quem Dominus suscipiet? Quis est alius qui resuscitet, nisi ipse se sua Patrisque resuscitet potestate? Video natum auctoritate propria, video mortuum propria voluntate, video dormientem potestate propria; qui omnia suo fecit arbitrio, cujus alterius, ut resurgat, egebit auxiliis? Ipse igitur suæ resurrectionis auctor est, qui mortis est arbiter. »

Catulus leonis triduum dormit.

Tradit ex Physicis Eucherius hic, catulum leonis, cum natus est, triduum dormire; tertio die fremitu patris tremefacto cubili excitari : ita Christus tertio die per suam et Patris potentiam, qua simul terræ motum induxit, resurrexit. Hoc perperam Epiphanius et Eucherius referunt ad mortuos catulos leonis, quos leo pater suo rugitu suscitet et vivificet; hoc enim falsum et fabulosum est.

Fabula est eum mortuum a patre suscitari

Addit S. Epiphanius, *hæres.* 78, quæ est Antidicomarianitarum, leænam tantum unum tota vita parere catulum : simili modo B. Virginem unum tantum peperisse filium, scilicet Christum : « Aiunt, inquit, leænam non parere præterquam semel, et unum. » Causam subdit, quod per 26 menses fœtum utero gestet, itaque fœtum suis unguibus « divellere et incidere matricem, » ac proinde « una cum partu, etiam uterum ac matricem excerni. » Leo ergo est Christus, leæna Virgo mater. « Leænæ autem non contingit secundus partus; ergo non amplius partum novit Maria, non amplius conjunctionem corporum S. Virgo. » Verum hoc fabulosum est. Nam, ut alia omittam, si leæna unum tantum in vita pareret catulum, species leonina multiplicari non posset, sed in uno semper capite et catulo consisteret; quod si is sit mas, aut mox occidatur, intereat species necesse est. Quare cum sæpius tenelli leonum catuli, antequam generare possent, occisi sint, sequeretur jam pridem speciem leonum interiisse. Adde leænam plures habere catulos, docet Ezechiel cap. XIX, vers. 2.

10. NON AUFERETUR SCEPTRUM DE JUDA. — Septuaginta, *non deficiet princeps de Juda, q. d.* Cum tribus Juda acceperit regnum in Davide, servabit hunc principatum et ducatum suum, donec veniat Messias sive Christus. Vers. 10. Quomodo sceptrum Juda manserit usque ad Christum?

Dices : David ejusque posteri tantum regnarunt usque ad captivitatem Babylonicam : nam post reditum ex hac captivitate, duces Judæorum fuerunt Machabæi, qui prognati sunt non ex Juda, sed ex Levi : erant enim sacerdotes et pontifices.

Respondent *primo*, S. Justinus, Eusebius, Athanasius, Augustinus, Chrysostomus, Theodoretus, Rupertus, quos citat et sequitur Pererius, per Judam hic intelligi, non solam tribum Juda, sed omnes Judæos, puta omnes duodecim tribus. Verum huic expositioni obstat, quod Jacob hanc benedictionem non omnibus tribubus, sed uni tribui Juda appropriat et consignat. Prima sententia.

Secundo, Lyranus, Abulensis et Dionysius Carthusianus respondent Machabæos fuisse prognatos ex Juda, quia licet paterno genere descenderent ex Levi, materno tamen descendebant ex Juda : Levitæ enim uxores ducebant ex tribu Juda. Sed hoc de Machabæis incertum est, et, si certum esset, non tamen satisfaceret : hoc enim modo tam de Levi, quam de Juda dixisset : Non auferetur sceptrum (ducale) de Levi, donec veniat qui mittendus est. Quod enim Genebrardus respondet, Machabæos non tantum materno, sed etiam paterno genere oriundos fuisse ex Juda, repugnat S. Scripturæ, I *Machab.* II, 1, Josepho, aliisque historicis, et omnibus pene Interpretibus. Secunda.

Tertio, Burgensis, Galatinus, Joannes Annius et Joannes Lucidus respondent, regnantibus Machabæis, fuisse summum concilium Sanhedrim, septuaginta virorum ex tribu Juda, quod præerat et regebat, uti regit jam parlamentum, vel concilium regis in regno. Sed et hoc falsum est, nimirum concilium Sanhedrim fuisse collectum ex sola tribu Juda : colligebatur enim ex omnibus tribubus. Tertia.

Idipsum quoque non satisfacit : singuli enim qui erant in hoc concilio, non erant reges aut principes, sed tantum consiliarii regis aut principis. Adde parlamentum non esse ducem, nec habere sceptrum regni.

Quarto, Melchior Canus, lib. XI *De Locis*, respondet Machabæos habuisse ducatum, non proprium, sed depositivium, ut nimirum eum per Quarta.

modum depositi fideliter conservarent, donec surgeret Propheta fidelis, qui Judæos de Dei voluntate circa regem et regimen instrueret, aut verus et proprius dux, quem de tribu Juda exspectabant. Verum ex hac sententia sequitur ante Messiam sive Christum, vere defecisse sceptrum Juda per annos 165; tot enim regnaverunt Machabæi. Rursum, depositum tot annis poni non solet, nec potest. *Tertio*, Judæi Machabæos habuerunt ut veros et proprios principes, non autem ut depositarios. Denique, si hæc sententia vera est, ergo ex hoc loco contra Judæos probari non potest, Messiam jam venisse: pari enim modo respondebunt Judæi, Herodem et quemvis alium, non proprium Judæorum fuisse regem, sed depositarium, donec veniat proprius eorum rex Messias.

Quinta et vera.

Dico ergo tribui Juda hic consignari regnum et principatum, eamque de facto illum obtinuisse usque ad Messiam, puta Christum, duplici ratione ac titulo. *Primo*, quia sola tribus Juda obtinuit regnum a Davide usque ad Sedeciam, per annos 470, idque in magna gloria, opibus et fortitudine usque ad captivitatem Babylonicam. Rursum, quia sola tribus Juda rediit ex hac captivitate, cum paucis aliis oriundis ex tribu Benjamin, Levi et aliis tribubus. Hinc tota deinceps gens Judæorum, nomen a Juda accepit; omnesque licet ex aliis tribubus descendentes, censebantur esse tribus Juda; quia cum Juda erant commixti, atque in tribum et rempublicam Juda erant insiti et cooptati. Hoc ergo modo, et hac ratione Machabæi, licet essent Levitæ, censentur tamen tribus Juda, quia in tribum Juda cooptati, et a tribu Juda electi, in eadem regnarunt; atque hoc sensu verum est tribum Juda hic includere quoslibet de aliis tribubus tribui Juda insitos et commixtos, solosque excludere alienigenas, puta Gentiles, uti dixerunt auctores primæ sententiæ. Sic accipitur Judas pro omnibus Judæis, in tota Judæa habitantibus, *Malach.* cap. III, 4, et I *Machab.* I, 5. Pari modo Romani dicuntur imperasse; et Romani Imperatores vocantur, quicumque Romæ Romanum Imperium obtinuerunt, etiamsi ex Thracia, Hispania, vel aliunde essent oriundi, quia hi omnes cum Romanis in unam rempublicam, unumque imperium coaluerant. Atque hoc, non aliud, videntur voluisse Patres citati in prima sententia; hi ergo omnes pro nobis sunt. Ita Franciscus Suarez, III *part.*, disp. 1, sect. 1.

Machabæi quia in Juda regnarunt, Judæque insiti sunt, hinc censentur esse ex Juda.

Ratio fundamentalis.

Secundo et potius, præcise non defecit sceptrum de Juda usque ad Christum, quia corona, sive jus et potestas regni proprie pertinuit semper ad tribum Juda: tum quia hoc jus regni, Davidi, ejusque familiæ oriundæ ex Juda, fuit a Deo attributum, ut scilicet Davidis posteri in illud semper continua serie, jure hæreditario succederent; tum quia sedes, ditio et metropolis regni, puta Jerusalem, pertinebat ad tribum Juda; tum quia post schisma decem tribuum. tribus Juda adhærens domui Davidis, ejusque nepoti Roboam, eum sibi proprium regem, suumque regnum Juda constituit: licet enim tribui Juda se junxerit tribus Benjamin, tamen hæc, quia minor erat, tribui Juda se subdidit, eique avitum regnum et sceptrum concessit: adeoque deinceps semper, etiam post reditum e captivitate Babylonica, corona, sive jus regni, regumque et principum electio pertinuit ad tribum Juda. Licet ergo apud Judæos regnarint Levitæ, puta Machabæi, tamen corona regni semper mansit penes Juda: tribus enim Juda Machabæos, ob zelum et fortitudinem, in duces elegit, eosque sibi præfecit: perinde ac regnum Poloniæ semper manet, quamdiu corona et jus eligendi regem ac gubernandi apud Polonos manet, etiamsi externus regnet, uti nuper rex Poloniæ fuit Henricus Valesius Francus, et post eum Stephanus Bottoreus, princeps Transylvaniæ: hos enim Poloni sibi in reges elegerunt; deficeret vero corona et sceptrum Poloniæ, si eam sibi Turca subigeret, seque regem Poloniæ per vim et tyrannidem constitueret: uti defecit sceptrum Juda, cum in illud se Herodes per vim intrusit. Ita Pererius.

Ex hoc secundo titulo patet, hanc benedictionem proprie et præcise spectare tribum Juda, ita ut Juda hic solos ex Juda prognatos, non vero Levitas, aliosque cum Juda commixtos complectatur. Idque confirmatur *primo*, ex eo quod Jacob singulis filiis et tribubus hic propriam benedictionem assignet: sicut ergo sub Levi non comprehendit Judæos, sic sub Juda non comprehendit Levitas, ac consequenter nec Machabæos. *Secundo*, ex eo quod S. Paulus *ad Hebr.* cap. VII, 14, diserte asserat Christum ortum esse ex Juda, non ex Levi, indeque probet Christum non potuisse esse sacerdotem Aaronicum et Leviticum, sed fuisse sacerdotem novum secundum ordinem Melchisedech. Hoc enim ejus argumentum non concluderet, si sub Juda comprehenderentur Levitæ: responderet enim ei quis Christum, licet ex Juda oriundum, potuisse tamen ex Levi quoque esse prognatum, ideoque sacerdotem Aaronicum creari, ex eo quod Levitæ cum Juda et Judæis permixti censerentur et vocarentur Juda, sive Judæi. Sub Juda ergo hic soli posteri Judæ ab eo naturaliter prognati intelliguntur. Itaque sensus hujus loci est, *q. d.* Regnum Judæorum, ex quo semel ex tribu Juda reges habere cœperit, nunquam decidet in potestatem regum, qui non sunt Judæi; sed tribus Juda semper retinebit suum jus et coronam regni, ad creandum sibi reges vel duces, quousque promissus Messias adveniat. Id ita reipsa evenisse constat; defecit enim sceptrum de Juda tempore Augusti Cæsaris: tunc enim senatus Romanus, ipseque Cæsar regnum Judæorum ademit Hyrcano et Antigono Aristobuli filio, qui ejus legitimi erant hæredes, utpote prognati ex Machabæis, sive Assamonæis; illudque contra populi voluntatem, per vim transtulit in alieni-

genam, puta in Herodem Ascalonitam, quem creavit regem Judæorum, atque tunc natus est
A Jacob ad Christum sunt anni 2695. Christus, puta anno Herodis 35, qui fuit ab hac prophetia 2695; nam Jacob hæc dixit anno ætatis 147, quo et mortuus est, qui fuit annus mundi 1255. Christus autem natus est anno mundi 3950; ergo a morte Jacob usque ad ortum Christi fluxerunt anni 2695.

Ex hoc ergo loco convincimus Judæos, eisque demonstramus Messiam jam venisse, eumque natum esse tempore Herodis : tunc enim defecit sceptrum de Juda, ac consequenter nostrum Christum esse Messiam, a Jacobo hic prædictum et promissum.

Objectio 1. Dices : Christus natus est anno 35 regni Herodis; ergo per 35 annos ante Christum jam defecerat sceptrum de Juda; ergo falsum fuit dicere : Non deficiet sceptrum de Juda, donec veniat Christus.

Responsio. Respondeo tam parvum intervallum 35 annorum, in tanta serie temporum, hic pro nihilo reputari; sufficit enim ad veritatem hujus prophetiæ, sub eodem rege Herode, in quo defecit sceptrum de Juda, natum esse Christum. Nam τὸ *donec* non significat præcise annum, mensem, vel diem determinatum adventus Christi; sed tantum confuse significat quod sub illud idem tempus, puta sub eodem rege in quo deficiet sceptrum de Juda, nasciturus sit Christus.

Objectio II. Dices *secundo* : Tempore captivitatis Babylonicæ, ac consequenter longe ante Christum, defecit sceptrum de Juda (1).

Responsio. Respondeo hoc esse falsum; nam tunc rex Judæorum erat Joachin, qui, licet captus, mansit tamen rex legitimus suorum : imo Evilmerodach eumdem in captivitate ad solium regni excitavit, ut patet IV *Reg.* capite ultim. A captivitate vero, mox Zorobabel, nepos Joachin, aliique duces ex Juda populo præfuerunt, usque ad Machabæos.

Objectio III. Dices *tertio* : Ante Herodem Pompeius subegit Judæos; ergo tunc defecit sceptrum de Juda.

Responsio. Respondeo : Pompeius tantum Judæam fecit vectigalem Romanis, idque non ex se, sed advocatus ab Hyrcano, quem regno ejecerat Aristobulus frater. Aristobulum ergo ac Hierosolymam cepit Pompeius : verum non exterum, sed legitimum Judæis principem, puta Hyrcanum, restituit; unde patet tunc non defecisse sceptrum de Juda.

Anagogice; sceptrum Christi ab ejus Pontifice non auferetur, donec veniat ipse in secundo suo adventu, ad nos beandum et glorificandum. Ita ex S. Ambrosio et Origene Pererius.

ET DUX. — Hebraice est מחוקק *mechokec*, id est legislator, puta dux sive princeps, cujus est leges sancire, iisque populum regere. Imperite et fraudulenter Judæi *mechokec* vertunt, *scribam*. Vocat hic Jacob, post sceptrum, puta post reges, ducem, id est duces, quia post reges Juda, qui defecerunt in captivitate Babylonica, successerunt duces et principes in Juda, puta Zorobabel et Machabæi.

DE FEMORE EJUS. — Femur metonymice significat partes genitales, quæ sunt inter femora et inter pedes, ut habent Hebræa.

Dices : Machabæi, qui fuerunt duces Judæorum, non egressi sunt de femore Juda, sed Levi. Jam respondi, per Judam hic accipi totam tribum Juda cum Levitis, aliisque illi insitis, et in eam cooptatis. Judas enim hic significat totum populum Judaicum, qui omnes ex Juda, et paucos ex Benjamin et Levi cum Juda ex captivitate redeuntes, illique adunatos complectitur : Machabæi autem prognati sunt ex populo Judaico; ergo et ex Juda : post captivitatem enim omnes cujuscumque essent tribus, censebantur, et vocabantur filii Juda, sive Judæi.

Secundo, magis apte et genuine, juxta secundum titulum paulo ante assignatum respondet Pererius, τὸ *donec veniat* præcise non referri ad *dux de femore*, sed tantum ad *non auferetur sceptrum de Juda*, cujus quasi appendix et exaggeratio sit τὸ *de femore*, *q. d.* Donec veniat Messias, non deficiet sceptrum de Juda, et interim multi erunt duces prodeuntes ex ipsissimo femore Judæ. Similem enim phrasin vidimus cap. XV, vers. 13. Videtur enim hæc verba addere Jacob, ut notet Christum ducem ex ipso femore Juda nasciturum, de quo in § sequenti (2).

(1) Jure animadvertit Hengstenberg, per *sceptrum* hic designari dominationem et auctoritatem, non temporalem solum, sed etiam spiritualem et religiosam. Utraque autem dominatio atque auctoritas demum nato in terris Christo cessavit.

(2) Non contemnenda est horum verborum interpretatio a Patritio allata, *non deficiet tribus*, quæ erit *e Juda; nec decernens*, qui erit *ab inter pedes ejus*, id est, ab ejus sanguine cretus. Per *tribus* autem designatur, non Judæ posteritas, sed ipsius tribus forma et conditio πολιτική. Item voce *decernens* indicatur jus αὐτόνομον, quo futurum erat, ut tribus ex Juda exoritura propriis totius gentis legibus sese regere pergeret, sive, quod idem est, lex Mosaica apud illam obtineret, etiam post cæteras tribus dispersas ac dissolutas. « Neque enim, ait Patritius, is, de quo Jacob loquebatur, aliquis esse poterat ex tribu Judæ, qui peculiares leges huic conderet, quum unus Deus omnium legum lator fuerit, quotquot in universo Israelitarum populo obtinuere, quibus, ut aliquid demere, ita et quidquam addere, vitium erat. Sed neque aliquis, qui suprema esset potestate; neminem quippe talem ex ea tribu extitisse comperimus post Zorobabelem, contra vero plures post hunc ex tribu Levi. Nec denique, qui secundum leges Mosaicas statueret, atque decerneret, quid honestum, quid decens foret, quid secus, quæ agenda, quæ omittenda; nam et leges interpretari sacerdotum solummodo erat, et quid frigidum ac jejunum sapuisset prædicere Judæ, veluti rem valde ipsi gloriosam, non defecturos ex ejus posteris, qui legem docerent, atque interpretarentur. Ex altera vero parte scimus leges Mosaicas obtinuisse in tribu Judæ, jusque illud αὐτόνομον, licet subinde impeditum, huic stetisse usque ad ætatem Christi, Judæosque legibus illis sese rexisse, donec eversis a Tito Hierosolymis ipsa tribus dissoluta est; hujus enim rei testes habemus locupletissimos Joannem, VIII, 5, 33; XVIII, 31; XIX, 6, 7; Lucam,

DONEC VENIAT QUI MITTENDUS EST (1). — Chaldæus clare vertit : *Donec veniat Messias, cujus est regnum;* hujus enim nomen tunc erat *Qui mittendus*, aut *venturus est.* Hebraice est, *donec veniat* שילה *Silo,* quod varie deducunt et explicant, omnes tamen apte de Christo. *Primo,* Septuaginta pro *Silo* legentes שלה *Schelo* (quasi ה positum sit pro ו affixi : hæ enim litteræ quiescentes subinde commutantur) vertunt, *donec veniat* (scilicet Christus) *cui repositum est,* nimirum sceptrum et regnum Juda, uti legunt et intelligunt S. Ignatius, Irenæus, Hieronymus et Ambrosius, vel *donec veniant reposita ei,* puta ampla regna, trophæa et dona Messiæ, quæ Judæ reposita et reservata sunt, usque ad tempus Messiæ, uti legunt et intelligunt S. Cyprianus, S. Augustinus et Chrysostomus. Soli enim Christo, et consequenter Judæ, repositum est *primo,* regnum Juda et Jacob; *secundo,* jus salvandi Israelem; *tertio,* omnes promissiones Abrahæ et Davidi factæ; *quarto,* thesauri omnes gratiæ et gloriæ; *quinto,* fides et obedientia omnium gentium; *sexto,* judicium vivorum et mortuorum.

Quid *Silo*? Prima sententia.

Secunda. *Secundo,* Leo Castrius, lib. III *Apolog.*, pro *Silo* aliis punctis legit *Sailach*, id est *donum,* seu *promissum ei,* et sic putat legisse Septuaginta, *q. d.* Donec veniat promissum munus illi sceptro Judæ : hoc est, donec veniat Messias promissus Judæ, qui ex eo orietur, sceptrumque Judæ dilatabit per omnes gentes.

Tertia. *Tertio,* R. David Kimchi putat *Silo* significare *filium ejus*, puta Judæ, et potius Dei : *scil* enim significare filium; quasi *Silo* sit ille cui dicit Deus Pater : « Filius meus es tu, ego hodie genui te, » *Psal.* II.

Quarta. *Quarto,* Galatinus et Hamerus pro *Silo* legunt שלה *Schela*, id est, *qui ejus,* puta mulieris et virginis est filius, carens patre : ut *Silo*, vel potius *Schela,* sit ille, de quo dicit S. Paulus *Galat.* IV : « Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere. »

Quinto, Vatablus et Oleaster putant *Scilo* per metathesin dici quasi, שלידה *scalia*, id est pacificus, auctor pacis, a radice שלה *scala,* id est quietus, pacificus fuit. Christus enim natus est ad hoc, ut pacem faceret inter Deum et homines, utque pacem relinqueret, et pacem suam nobis daret. Quinta.

Unde a *scala* deducitur שלוה *scalua,* id est pax, quies, abundantia, faustitas, et forte etiam Latinorum *salve* ac *salus,* quam apud S. Augustinum in Expos. *Epist. ad Rom.*, ducebat Valerius Episcopus a Punico Hebræoque שלש *scalos,* quod tria significat, quasi occulte insinuatum esset, a SS. Trinitate veram exspectandam salutem.

Sexto, vero simillimum est pro *Silo* per *he* legendum esse שילוח *Shiloach* per *chet*, id est legatus; missus vel mittendus, a radice שלח *scalach,* id est misit : ita enim vertit noster Interpres, hocque jam olim fuit commune nomen Messiæ, ut patet *Exodi* cap. IV, 13. Unde ad hoc suum nomen *Siloach* allusit Christus, cum cæcum illuminaturus misit eum ad piscinam *Siloe,* quæ hebraice dicitur *Siloach*, « quod interpretatur *Missus*, » ut ait S. Joannes, cap. IX, 7. Hac etiam de causa Christus apud S. Joannem, contra Pharisæos disputans de sua persona, nomine, officio et dignitate, passim vocat se « eum quem misit Pater, » vel, « missum a Patre. » Proprium enim officium Christi fuit, agere legatum Dei apud homines : ergo proprium ejus nomen fuit *Siloach,* id est *legatus,* vel *missus.* Quare impie et insulse per hunc *Silo*, sive legatum Dei, R. Salomon intelligit Jeroboam, qui fuit primus rex Israel, sive decem tribuum (2). Sexta et vera. Error R. Salomon.

Æque impie Julianus Apostata per *Silo* intellexit Nabuchodonosorem, eo quod in ipso defecisset regnum et reges Juda. Nabuchodonosor enim Et Juliani Apostatæ.

Act. VIII, 3; IX, 1, 2; XXIV, 6, 7; et Flavium Josephum, qui refert hæc Titi verba, quibus ipso audiente Judæos obsidione pressos paulo ante urbis vastationem alloquebatur : *Leges vobis servavimus patrias, et vivere vos, non solum discretos, sed cum aliis etiam, vestra voluntate concessimus.* » Animadvertit denique Patritius, oraculi sensum nequaquam esse, neutrum duorum ante tempus, quod indicatur, esse defecturum, nec *tribum,* inquam, nec *decernentem*, sed non esse defecturum utrumque, id est nunquam fore, ut posteri Judæ utroque simul careant, quin prius venerit *scilo.* Ita ipse, op. cit. tom. II, pag. 84.

(1) עד כי semper significat *donec*, *usque dum;* de qua tamen significatione juvat transcribere quæ monuit Noldius : « *Usque ad* et *donec* post affirmationem non semper negant consequens... *Usque ad* et *donec* post negationem non semper affirmant consequens. » Hinc, si Jacobus ita locutus est : « Non auferetur sceptrum de Juda et dux de femore ejus, donec veniat *schilo*, » ex sola vi verborum colligi nequit illa post hujus adventum auferenda fuisse. Verum, etsi non ex particula *donec,* ex tota tamen Jacobi sententia satis comperimus illa post adventum Christi defectura ab eo prædici; et consentiunt omnes interpretes. Singulare itaque est, et absque idonea ratione positum, quod asserit Meignan, op. cit. p. 402, voce *donec* hic cessationem Judæ dominationis non indicari.

(2) Juxta Hengstenberg, genuina hujus loci lectio est שילה (arad. שלה, *tranquillus fuit*) *homo pacis,* nomen non sensu diversum a שר שלום, *princeps pacis,* quod est inter Messiæ nomina, *Is.* XI, 6. Cf. Meignan, op. cit. pag. 401, 408. Rosenmullerus : « Ad Messiam, quem orbi conciliaturum tranquillitatem omnemque felicitatem semper sperarunt Hebræi, nomen שילה retulerunt veteres interpretes raro consensu, quamvis de propria illius significatione inter se dissenserunt. » Varias Rationalistarum interpretationes vid. apud Meignan, *ibid.*, quarum unam saltem hic proferemus. Quibusdam שילה est urbs *Silo* in regionibus Ephraimitarum sita, quæ videtur fuisse veluti terminus itinerum populi, *Jos.* XVIII, 1; hinc vaticinii sensus foret, ut illis placet, Judæ tribum in castrametando inque itinere ipso veluti cæterarum antesignanum præituram. De qua interpretatione recte hæc scripsit Rosenmullerus : « Habebit tamen tale votum, quo Judæ principatum et ducis dignitatem ad illud tantum temporis spatium restringitur, quod Palæstinæ occupationem præcedit, languidi quid et pene frigidi. » — Hieronymicæ lectioni merito objicitur, neque ullum codicum, neque ullam aliam ex bibliorum interpretationibus, cum ea consentire. Cf. Patritium, *ibid.*, p. 93 seq.

non fuit exspectatio, sed flagellum omnium gentium, maxime Judæorum. Omnes ergo Hebræi, Chaldæus, Græci et Latini per *Silo*, sive legatum hunc, intelligunt Messiam, sive Christum.

Nota : Hisce verbis : « Non deficiet, etc., donec veniat qui mittendus est, » implicite prædicit Jacob, quod ex Juda nascetur Christus. Jacob enim hic, uti singulis filiis propriam benedictionem, ita Judæ Christum Christique generationem, quasi eximiam benedictionem assignat. Ita hanc prophetiam intellexerunt omnes Hebræi; unde Paulus *ad Hebræos*, VII, 14 : « Manifestum, inquit, quod ex Juda ortus sit Dominus noster. »

Objectio. Dices : Apostolus ibidem probat Christum esse sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, non autem Levi, ex eo quod natus sit ex Juda, non ex Levi : ergo opponit Judam et Levi. Jacob vero hic non opponit, sed comprehendit Levi, puta Machabæos, sub Juda, uti dixi superius in titulo primo.

Responsio. Respondeo *primo*, id, juxta ibi dicta, probabiliter verum esse ex ea parte, qua Jacob asserit expresse non defecturum sceptrum de Juda, donec veniat Christus : tunc enim sub Juda comprehendi possunt Levitæ. Idipsum vero falsum est ex ea parte, qua implicite Jacob hisce verbis significat, ex Juda nasciturum esse Christum. Hoc ipso enim quo Jacob inter filios soli Judæ assignat Christum, satis significat ex solo Juda, non ex Levi aliisve nasciturum esse Christum. Hac etiam de causa addit τὸ *et dux de femore ejus*, ut scilicet notet Christum ducem ex femore Judæ nasciturum. Ita prophetiæ hujus et Jacobi mentem intellexerunt et explicarunt omnes Hebræi. In prophetiis enim multa sunt obscura, indistincta et convoluta, quæ per partes evolvi, distingui, secerni et explicari debent. Ex Juda enim præcise, non ex Levi natum esse Christum, patet ex eo quod Christus natus sit ex Davide : David enim fuit ex genere et tribu Juda. Davidi autem promissum esse Christum nemo ignorat. Id enim patet II *Reg.* VII, vers. 12 et 13.

Sensus ergo hujus loci est, quasi dicat Jacob : Tibi, o Juda, tuisque posteris consigno regnum et principatum inter fratres, illumque ex Ruben in te transfero; hac nimirum ratione, ut, cum in Davide cœperis obtinere regnum, illud in tua stirpe obtineas per 470 annos, usque ad Sedeciam : inde vero duces obtineas partim ex tua stirpe, partim ex Machabæis qui tuæ stirpi inserentur et incorporabuntur, donec veniat Christus, qui regnum Davidis tuumque collapsum restituet, illudque augustius et divinius efficiet, ita ut in Christo primum quasi monarcha regnare incipias : ac proinde ratione Christi ex te nascituri, quem quasi finem et scopum specto, intendo et promitto, maxime hoc regnum tibi, o Juda, promitto et assigno. Et hoc est quod Prophetæ passim promittunt, scilicet Christum restituturum regnum Davidis et Juda. Ex hoc sensu apparet hanc benedictionem proprie solum Judam spectare, quoad regni initium, propagationem et finem. Cœpit enim regnum Juda in Davide, propagatum est per Davidis posteros, et finitur in Christo : quorum uterque proprie natus est ex Juda; inter hæc duo extrema aliqui aliunde, puta ex Levi, Machabæi scilicet, immiscentur, qui cum Juda erant permixti, sicut tritico nonnulla grana hordei permiscentur; sed horum non habetur ratio : hæc enim utpote pauca, in tanto cumulo non computantur.

Respondeo *secundo*, verius esse per Judam hic, æque ut *Hebr.* VII, 14, proprie solum Judam et Judæos, non autem Levitas comprehendi, sive regni initium, sive medium, sive finem, sive quid aliud spectes, eo modo et sensu quem superius posteriore loco, puta titulo secundo, assignavi. Falsa est ergo altera pars antecedentis in argumento sive objectione proposita; adeoque hoc argumentum maxime persuadet, Judam hic proprie accipi debere pro solis Judæis, exclusis Levitis et Machabæis, uti superius dixi. Hæc ergo secunda responsio solida est et genuina.

ET IPSE. — *Silo*, puta Messias.

ERIT EXSPECTATIO GENTIUM. — Imperite, falso et fraudulenter Judæi vertunt, *ipse* (scilicet David, cum hic non de Davide, in quo non defecit, sed incepit sceptrum Juda, verum de Messia sive Christo agatur) *vastabit, confringet*, vel *obtundet Gentes*.

Quid hebraice *iickehat*? Expositio Prima. Unde nota : Hebraice pro *exspectatio* est יקהת *iickehat*, quod *primo*, aliqui deducunt a radice נקה *naka*, quod in Piel habet ניקה *nicka*, significatque innocentem, mundum et purum efficere; unde vertunt ipsi sic, *ipse purgabit Gentes*, scilicet a peccatis eorum; ut huc alludat Gabriel, cum de Christo nascituro dicit : « Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum, » *Matth.* I.

Secunda. *Secundo*, alii *iickehat* deducunt a radice יקה *iacka*, quam Arabes magis quam Hebræi usurpant, significatque *obedire*. Unde Kimchi, Pagninus et Chaldæus vertunt, *ipsi obedient populi*; et Jonathan, *ipsi servient universa regna terræ* (1).

Tertia. *Tertio*, alii *iickehat* per metathesin deducunt a radice קהלת *kehilla*, id est ecclesia, congregatio, aggregatio : a *kehilla* enim per anastrophen, si videlicet retrogrado ordine legis, fit לקהת *lahaka*, quod aggregationem significat, I *Reg.* XIX, vers. 20. Simili metathesi videtur hic *iickehat* (absorpta littera *lamed* per punctum *dages*, infixum in littera *kuph*) positum pro ילקהת *iilkehat*, et *iilkehat* pro *lakahat*, vel *kahalat*, id est ecclesia, aggregatio. Unde vertunt ipsi, *et erit ipsi congregatio*, vel *ecclesia gentium*. Ita Vatablus, Iarrius, Forsterus.

Addit Forsterus, *iickehat* pro *iilkehat* et *kahalat* positum, posse accipi pro concione, sive prædicatione : a *kahalat* enim fit *cohelet*, id est eccle-

(1) Ita hodierni fere omnes, Schultens, Winer, Rosenmullerus, Gesenius, P. Patritius, etc.

siastes, concionatōr, ut patet *Eccli.* I, 1 : « Verba Ecclesiastæ (hebraice *cohelet*) : Vanitas vanitatum, et omnia vanitas, » ut sensus hujus loci sit, *q. d.* Messias erit concionator et doctor gentium, Messias gentibus prædicabit suum Evangelium.

Quarta et vera. *Quarto*, et optime, *iickehat* vertas *exspectatio* : ita enim vertit Noster, Septuaginta, Aquila, Symmachus et Theodotion, a radice כודה *kava*, id est speravit, exspectavit. Unde ad verbum ex Hebræo ita vertes, *ipsi* (*Silo*, puta Messiæ) erit *exspectatio Gentium, q. d.* Messias exspectabit fidem, obedientiam, dominium et regnum omnium Gentium, quia hanc quasi hæreditatem ei promisit Deus, uti dicitur *Psalm.* II : « Postula a me, et dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. » Hæc ergo fuit exspectativa, et exspectatio *Silo*, puta Christi.

Itaque in nostra versione pro *ipse*, forte legendum est *ipsi* : sic enim habent Hebræa, quanquam si legas *ipse*, eodem redit sensus : Christus enim exspectavit fidem et obedientiam Gentium, quia vicissim Gentes exspectaturæ erant Christum ducem, magistrum et salvatorem. Sensus enim est : « Ipse erit exspectatio Gentium, » *q. d.* Non tantum Judæi, sed et Gentes Messiam, quasi exspectatissimum, avidissime recipient, illi credent et obedient; in eo salutis suæ spem, cor et amorem deponent et defigent. Est catachresis. Dicitur ergo Christus « exspectatio Gentium, » actu, postquam natus fuit, cognitus et creditus a Gentibus : ante nativitatem vero Christus fuit « exspectatio Gentium, » virtute tantum, aut potius interpretative, *q. d.* Gentes postquam Christum audierint et cognoverint, ita avide eum amplectentur, ac si semper eum exspectassent. Simili prosopopœia dicitur terra promissionis « pluvias exspectare de cœlo, » *Deut.* XI, 14, quia si foret animata, inde pluvias exspectaret. Illud enim dicimur naturaliter desiderare, quo maxime indigemus, quodque nobis optimum et utilissimum est. Jam sicut terra indiget pluvia, ita Gentes eguerunt Christo, Christusque eis summa attulit bona. Merito ergo hic, et *Aggæi* cap. II, 8, Christus vocatur « desideratus cunctis Gentibus; « et hoc cap. vers. 26, vocatur « desiderium collium æternorum. » Itaque Christus fuit *exspectatio*, id est exspectabilis et *desiderium*, id est desiderabilis cunctis gentibus.

Quomodo Christus fuit exspectatio Gentium?

Vers. 11 et 12. 11 et 12. LIGANS AD VINEAM PULLUM SUUM, ET AD VITEM, O FILI MI, ASINAM SUAM. LAVABIT IN VINO STOLAM SUAM, ET IN SANGUINE UVÆ PALLIUM SUUM. PULCHRIORES SUNT OCULI EJUS VINO, ET DENTES EJUS LACTE CANDIDIORES (1), *q. d.* Terra Juda, sive sors quæ illi in Chanaan obveniet, erit tam ferax vini, ut vir aliquis possit ligare asinum suum ad palmitem unum, et ex ejus fructu onerare asi-

Ligans ad vineam pullum.

(1) Vers. 11 et 12. *Verborum explanatio.* אסרי (e verbo אסר, *ligavit*, et ubi sermo est de jumentis vectariis, *stravit, junxit*) recte a Vulgato construitur cum *Scilo*, et talis omnino videtur esse constructio hebraici exemplaris. Nam nullum aliud verbum est, quocum jungatur participium illud, præter בא *veniet;* is vero qui venturus dicitur, est *Scilo :* quare אסרי esse appositum huic שילה jure affirmatur. Litteram י, qua vox hæc finitur, autumat Schultens esse pronomen suffixum casu dandi pleonasticum, ut est in illo Horatio : « Quid *mihi* Celsus agit? » Verum, etsi talis pronominum casu dandi usus sit in lingua hebraica, ubi tamen ei locus est, separata pronomina usurpantur, non autem suffixa. Quare illud י per paragogen additum verius dixeris, ut sæpissime (*Ps.* CXIV, 8), in dictione præsertim poetica, addi solet participiis et adjectivis statu constructo. Pro *ad vineam*, quam Vulgatus habet, omnes fere Patres latini legerunt *ad vitem*. In voce עירה, *pullus* asininus, ה est pronomen suffixum pro י, ideoque masculinum, non autem femininum, ut putavit *Bible de Vence* in h. l. Sorek quædam generosæ vitis species est, in cujus uvis nulla grana reperiuntur, aiunt Rabbini. De talibus uvis, quæ vinaceis carent, vid. Niebuhrii *Beschreib. von Arab.*, p. 147. Litteram י vocis בני unus Hieronymus est inter veteres, qui pronomen suffixum esse putaverit, vertens *fili mi*. Cæteri omnes Patres, cum reliquis omnibus interpretibus, *filium* seu *pullum* legerunt, qui proinde nullum suffixum in illa littera vidisse dicendi sunt. Quorum sententiæ adstipulantur plurimi recentiores, qui per paragogen illud י additum esse existimant, puta Rosenmullerus, Schroeder, Jahn, Winer. Sed verius fortasse autumat Gesenius, *Lehrgeb* § 143, בני esse nomen forma constructa, prorsus ut אבי *pater* alicujus, אחי *frater* alicujus, inque illo sicut in his tertiam litteram radicalem ה resumi, conversam tamen in י, ut alias sæpissime converti ea solet. Si tamen vocem בני vertas cum Hieronymo *fili mi*, ipse Judas his compellari dicendus erit, ac manifestius patebit reliqua, quæ in hisce versiculis habentur, dicta esse de *Scilo*. Sin autem *filius meus* eam vertere malis, is erit ipse *scilo;* nam participium *ligans*, quod apponitur ipsi *scilo*, erit simul appositum nomini בני; porro Jacobus jure potuit ipsum *Scilo* filium suum appellare, quo simul Messiæ originem ex Juda plenius ediceret. Pro סותה textus Samaritanus exhibet בסותו. ה pronomen est pro ך, littera autem *caph* per aphæresin adempta, utpote in voce vulgari et trita : quanquam alia aphæreseos litteræ *caph* exempla desiderantur. Qui הכלילו legunt, ut sit ea vox hiphil a rad. כלל, *perfecit*, vertunt *perfectiores*, seu *pulchriores*. At probabilius est legendum חכלילי, quo *rubrum colorem* significari multi credunt. Alia tamen hujus nominis notio, a Winero et Gesenio, *Thesaur. philolog. crit.*, allata, anteponenda videtur. Nititur primo, radice Arab. *chalal*, cujus notio est *obscuritas* et *confusio*. Deinde ait Salomo, *Prov.* XXIII, 29, eos, « qui commorantur in vino, » pati oculorum חכללות, quod nomen ex eadem radice prognatum atque חכלילי, ut orationis contextus flagitat, vertendum est *caligatio*, sive, ut vertit Hieronymus, *suffusio*. Denique huic nominis illius notioni antiquitatis suffragium minime desideratur : nam in latina interpretatione, quæ superest, disputationis habitæ cum Manete ab Archelao Cascharorum episcopo, ita referuntur hæc Jacobi verba : « *Suffusi* oculi ejus a vino. » Superest quæstio, an a Jacobo comparatio instituatur oculorum cum vino et dentium cum lacte, aut potius ille, de quo is loquitur, dicatur חכלילי oculis *ob* vinum, et albus dentibus *ob* lac. Discrepant tum interpretes, tum Patres. Nos iis assentiendum putamus qui מן *præ* causam significare censerunt. Si enim comparativa foret particula hæc, nil versiculus iste præferret nisi descriptam pulchritudinem ejus, de quo loquitur Jacob, in qua descriptione duo oppido frigida offenderemus, tum quod oculi pulchritudine cum vino conferrentur, tum quod tota descriptio in oculis et dentibus sisteret.

Prima expositio Vatabli.

num (*ligans* enim idem est quod onerans : jumenta enim dum ligantur, onerantur; est metalepsis); tanta, inquam, vini copia erit, ut in eo possint lavare vestimenta sua. Rubescent etiam oculi virorum Juda ab ipso vino, tam largiter vinum proferet terra illa; quin et lactis in ea tribu tanta erit copia, ut dentes ipsius, ex frequenti ejus esu sint albicaturi. Ita Vatablus, Lipomanus et Oleaster.

Verum hæc expositio frigida est, terrena, Judaica; atque illi obstat, quod hæc omnia dicuntur, non de Juda, sed de *Silo*, sive Messia. Unde Judam Jacob alloquens in secunda persona, ab eo in tertiam, puta Messiæ, transit, dicens : « Ligans ad vineam pullum suum, et ad vitem, o fili mi (o Juda), asinam suam. » Si enim de Juda hæc diceret, dixisset : « Ligans pullum tuum, et asinam tuam. » Rursum non fuit tantus excessus fertilitatis tribus Juda præ aliis tribubus, quantus hic dicitur.

Secunda. Chaldæi.

Secundo, uterque Chaldæus, puta Onkelos et Jonathan, hæc partim ad Judam, partim ad Messiam referunt. Unde et hæc partim spiritualiter accipiunt, partim carnaliter; fuerunt enim et ipsi Judæi, unde subinde judaizant, atque hoc nomine versio chaldaica nonnullis catholicis displicuit, ut eam a Bibliis Regiis arcendam et amovendam censerent. Onkelos enim per *vineam* intelligit Jerusalem, per *vitem* templum, per *pullum* factores legis, per *asinam* justos, per *vinum album* et *rubrum* serica vestimenta alba et rubra, per *oculos* montes uvis et vino rubeos, per *dentes* agros frumento et ovibus albicantes. Jonathan vero sublimius per has vites et vina accipit sanguinem hostium, quem tam abunde fusurus erat Christus, ut eo vestem suam lavare et purpurare posset. Rursum tempore Messiæ rubescent, inquit, montes vineis et torcularibus vini : colles vero candescent copia tritici et ovium. Verum et hæc imperfecta, nec satis connexa, atque ex parte Judaica sunt.

Tertia et vera Patrum.

Dico ergo : Omnes pene Patres, præter unum Diodorum, hunc locum explicant ad litteram de Christo, puta Tertullianus, S. Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Chrysostomus, Clemens, Cyprianus, Theodoretus et alii, quos citat Pererius : quibus sane magis credendum est, quam Calvino eos subsannanti. Non Judas ergo, sed Christus est *ligans* funiculo fidei, spei et charitatis, *ad vineam*, id est, ad Ecclesiam primævam ex Judæis collectam, *pullum suum*, id est, populum Gentium, qui jugum legis nondum tulerat, cum eum Judæis in una Ecclesia conjunxit, et adunavit; *et ad vitem*, id est, ad seipsum (Christus enim est vitis vera et fructifera, *Joan.* cap. XV, 1, a qua tota vinea pendet et enascitur), *o fili mi*, o Juda, ligabit idem Christus *asinam suam*, id est, populum Judæorum jugo legis assuetum et attritum.

Recte, inquit S. Chrysostomus, Ambrosius et Hieronymus, dicitur Christus *asinam ligasse ad se*, quia per seipsum prædicavit Judæis; *pullum* vero alligasse *vineæ*, quia Gentibus per Judæos, puta Apostolos, prædicavit, per eosque Gentes sibi aggregavit.

Nota : Pro *vitem* hebraice est שורקה *soreca*, quod est genus vitis optimæ et electæ, ut vertit Symmachus, uvas proferens pulcherrimas et nobilissimas, teste S. Chrysostomo et Cyrillo. Septuaginta vertunt, τῇ ἕλικι, quod S. Cyprianus, epist. 63 *ad Cæcilium*, vertit, *ad elicen*; S. Augustinus, lib. XII *Contra Faustum*, cap. XLII, vertit, *ad cilicium*, refertque ad pœnitentiæ prædicationem.

Verum dico : ἕλιξ proprie est tenuis ille surculus, sive clavicula vitis, qua vitis suo stipiti, vel palo se astringit, et circumvolvit quasi cincinnus, ut sese erectam teneat et confirmet.

Stola est caro Christi.

LAVABIT (Christus) IN VINO (sanguinis sui, summa charitate pro hominibus effusi) STOLAM (id est carnem) SUAM, — candidissimam et innocentissimam, ut eo non tantum rubricata, sed et dealbata, id est, purior effecta, ablutis omnibus mortalitatis vitæque hujus miseriis gloriosa resurgat. Ita ex Tertulliano S. Ambrosius, lib. *De Benedictione Patriarch.* cap. IV. Vide *Isaiæ* LXIV, 1 et seq.

Pallium Christi est Ecclesia.

ET IN SANGUINE UVÆ PALLIUM SUUM. — « Sanguis uvæ » est vinum sanguinis Christi jam dictum. « Pallium » Christi est Ecclesia, quia Christus Ecclesia quasi pallio amicitur. Unde S. Joannes, *Apocal.* I, vidit Christum vestitum podere. Christus enim Ecclesiam sanguine suo lavit in cruce, et in dies lavat eam nascentem in baptismo, « mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ. » S. Ambrosius loco jam citato : « Bona stola, inquit, est caro Christi, quæ omnium peccata operuit, omnium delicta suscepit, omnium errores texit. Bona stola, quæ universos induit veste jucunditatis. Lavit hanc stolam in vino, quando, cum baptizaretur in Jordane, descendit Spiritus Sanctus sicut columba, et mansit super eum. Lavit ergo Jesus stolam suam, non ut suam, quæ non erat; sed ut nostram, quæ erat, sordem abluëret. Et in sanguine uvæ ambaladium, id est pallium suum, hoc est, in passione corporis sui diluit gentes suo sanguine. Et bene uvam dixit, quia sicut uva pependit in ligno. Ipse est vitis, ipse est uva : vitis ligno adhærens; uva, quia lancea militis apertum latus emisit aquam et sanguinem. Aqua ad lavacrum, sanguis ad pretium. Aqua nos abluit, sanguis nos redemit. »

Vers. 12.

12. PULCHRIORES. — Hebraice חכלילי *chachlile*, id est rubicundiores, ardentiores, magis radiantes et fulgentes sunt « oculi » tui (o Christe), quam vinum; quia loti per passionem, perque splendidissimam resurrectionis tuæ gloriam, quæ maxime in facie, ore, dentibus et oculis effulget, emicant et radiant, mireque omnium Sanctorum intuentium oculos lætificant, magis quam vinum cor hominis recreet et lætificet. Ita Diodorus, Cyrillus, Theodoretus.

ET DENTES EJUS LACTE CANDIDIORES. — Significatur tota hac phrasi pulchritudo Christi, maxime resurgentis. Hæc enim potissimum in genis, oculis et dentibus spectatur.

Oculi symbolum providentiæ: dentes, prædicationis.

Symbolice tamen, per oculos acutissima et efficacissima Christi scientia et providentia, qua Ecclesiam regit et tuetur; per dentes vero candidos præ lacte, ejusdem doctrinæ et prædicationis Evangelii suavitas, integritas, puritas et splendor significatur.

Unde allegorice, oculi Christi sunt Apostoli et Prophetæ : hi *pulchriores* sunt per claritatem suæ sapientiæ, prædicationis, vitæ, zeli et miraculorum, quibus totum mundum illuminarunt, *vino*, hoc est, acrimonia et asperitate legis veteris. Ita S. Ambrosius, Augustinus, Eucherius, Rupertus. *Dentes* vero sunt doctores et concionatores, qui quasi dentes escam doctrinæ et exhortationis fidelibus præmandunt et dividunt, eorumque vitia præmordent, resecant et abjiciunt. Hi candidiores sunt lacte, id est, doctrina veteris legis, quæ fuit quasi lac et cibus parvulorum. Ita Patres citati.

Nota : Ex Hebræo verti potest cum Vatablo : *Rubicundi sunt oculi ejus a vino, et dentes candidi a lacte.* Recte enim Christi et Apostolorum zelus comparatur vino, ob ardorem et fervorem spiritus, quo quasi musto ebrii, ad prædicandum, ad labores, ad cruces et martyria ferebantur. *Secundo*, eorumdem in dicendo suavitas, candor et innocentia recte comparatur lacti.

Verum melius, significantius et efficacius Noster et Septuaginta vertunt : *Rubicundiores sunt oculi ejus vino* (quam vinum), *et dentes ejus lacte candidiores.* מִן *min* enim Hebræis comparationem et præeminentiam significat (1).

(1) *Versuum* 11 *et* 12 *interpretatio.* Hanc quoque vaticinii partem, æque ac priorem, dictam esse de Christo docuerunt SS. Patres. Iis adnumeranda est vulgata bibliorum versio, in qua verborum syntaxis aliam non patitur sententiam; nec interpretes cæteri adversantur, demptis Alexandrinis, qui tamen si vocem *Scilo*, non τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ, sed ᾧ ἀπόκειται verterunt, etiam ipsorum interpretatio, non secus ac cæterorum, cum nostra sententia consonare potest. Sed hanc confirmat etiam syntaxis exemplaris hebraici. Quæcumque enim duobus versiculis continentur, manifestum est de eo dicta esse, ad quem pertinet τὸ *ligans;* nihil vero aliud exhibet orationis series, quocum commodius participium istud construatur, quam ipsum nomen *Scilo :* totum autem id certum omnino fiet, si vox בְּנִי vertatur *fili mi*, sicut eam vertit Hieronymus. Sane si hæc verba de Juda dicta essent, nihil aliud significarent, nisi fertilitatem regionis, quæ tribui Judæ erat obventura. Verum regio ista cæterarum tribuum regionibus nullo fertilitatis nomine antecellebat ; cujus rei, præter testimonium sacrorum Scriptorum, qui Palæstinæ universæ æquo modo laudem hanc sæpe tribuunt, testem quoque habemus Fl. Josephum, *De bello Jud.* lib. III, cap. III, x; lib. IV, cap. VIII. Quare non erat, cur Jacobus, qui filios postremo alloquens *benedixit... singulis benedictionibus propriis*, nec quidquam sermone attigerat de fertilitate regionum quas cæteræ tribus possessuræ erant, id tamen faceret, ubi de terris Judæ

PROPHETIA ET BENEDICTIO ZABULON.

Præponit Jacob Zabulon, licet juniorem (erat enim decimus Jacobi filius), aliis senioribus, quia Christus, de quo proxime in Juda egit, in sorte et terra Zabulon conceptus et conversatus est : in sorte enim Zabulon est *primo*, Nazareth, ubi Christus conceptus est; *secundo*, mons Tabor, in quo transfiguratus est; *tertio*, Capharnaum, ubi maximo tempore prædicavit et conversatus est Christus. In Zabulon ergo cœpit prædicatio Evangelii, *Isaiæ* cap. IX : « Primo tempore alleviata est terra Zabulon, » etc. Et ex Zabulon plerique Apostoli prognati sunt. Unde Zabulon et Issachar benedicens Moyses, ait de eis, id est eorum posteris, puta Apostolis : « Populos vocabunt ad montem (templi et Sion), ibi immolabunt victimas justitiæ. »

In Zabulon prædicavit Christus.

Ex Zabulon Apostoli.

13. ZABULON IN LITTORE MARIS HABITABIT,— puta juxta mare Mediterraneum et mare Galilææ, sive Vers. 13.

loqueretur, veluti si fertilitas illa quid earum proprium ac peculiare foret.

Hoc itaque posito, etiam in his versibus sermonem esse de Christo, ideoque quæ his continentur esse translata, quærendum superest, quænam sit harum translationum significatio. Equidem autumo prima illa verba, *Ligans ad vineam pullum suum, et ad vitem, o fili mi, asinam suam*, contexta esse in una eademque sententia cum verbo *veniet*, iisque adventum ipsum Christi describi (conf. Patritium, op. cit. p. 118); illa vero, *Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium suum*, Christum sanguine suo humanum genus redimentem sonare (*vinum* et *sanguis uvæ* quid sonet nisi sanguinem ipsius Christi, qui *botrus* appellatur *Cant.* I, 13, et *vitis* a Jacobo in priore hemistichio vocatus est, et se *vitem* esse ipse pronuntiavit *Joan*, XV, 1, 5? *Stola* autem et *pallium* quid potius significent, quam vel humanam naturam, qua Verbum divinum indutum veluti est, vel Ecclesiam gentesque in eam conventuras, prout hæc interpretantur SS. Patres. Cf. *Isai.* XLIX, 8; LXIII, 1, 2; *Apoc.* XIX, 13); denique postremis illis, *Pulchriores sunt oculi ejus vino, et dentes ejus lacte candidiores*, Christi decora gloriamque ipsi ex *passione* sua suaque *doctrina* obventuram perstringi. Nam si, ut jam dictum est, particula מִן, non comparativa, sed causalis utroque membro sit atque hebraica sic vertas, *suffusus oculos a vino, albus dentibus a lacte*, satis aptam harum metaphorarum interpretationem non reperirem, nisi eam quam subdo. Illa *suffusus oculos a vino*, translata sunt ex effectu vini largius epoti, quod loco hoc in bonam partem accipiendum esse recte Gesenius monet. Vinum autem vinique potionem in Scripturis tranferri ad Christi sanguinem passionemque designandam comperimus, tum ex hoc ipso Jacobi vaticinio, tum ex aliquot Christi sermonibus, *Matth.* XX, 22, XXVI, 39; *Joan*, XVIII, 11. Sicut itaque vinum lætiorem hominem facit ac veluti beatiorem, idque oculis potissimum proditur, ita metaphora illa significare videtur lætitiam et gloriam, quam Christus ex passione sua percepturus erat; ipse nempe ita loquebatur : « Nonne hæc oportuit *pati* Christum, et *ita* intrare in *gloriam* suam? » Neque audaciorem metaphoram pavebit, qui recolat illud Psaltæ : « Et excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus a vino, » *Ps.* LXXVII, 65. In altero autem hemistichio de Christi doctrina agi pariter Patres omnes consentiunt, etsi dissentiant circa rei totius adjuncta.

stagnum Genezareth : huic enim adjacet Capharnaum, celebre emporium; Bethsaida, Tiberias, aliæque urbes quæ erant in sorte Zabulon.

IN STATIONE NAVIUM. — Ex Hebræo vertas, *in portu navium habitabit*. Ita Vatablus, *q. d.* Zabulon optimos habebit portus, per quos omnes merces inferantur, itaque ditescet (1).

PERTINGENS USQUE AD SIDONEM,—non immediate, sed mediante tribu Aser, quæ interjacet. Unde hebraice est : *Latus ejus ad Sidonem*, vel *versus Sidonem*, supple spectat et prospicit, *q. d.* Zabulon obversus est et contiguus Sidoni; Zabulon in Chanaan erit vicinus Sidoniis, qui maritimi fuerunt mercatores; ac proinde per eos ex Sidone quasvis merces et rerum omnium copiam accipiet. Ita Andreas Masius in *Josue*, capite XIX, vers. 10 (2).

Allegorice, Zabulon, id est habitaculum, est Ecclesia dives, quieta et mercaturæ animarum dedita. Ex Zabulon enim Christus et Apostoli prædicando usque ad Sidonem, Tyrum aliasque gentes progressi sunt. Ita S. Ambrosius, lib. *De Benedict. Patriarch.* cap. V.

PROPHETIA ET BENEDICTIO ISSACHAR.

Vers. 14. 14. ISSACHAR ASINUS FORTIS.— Hebraice est, *Issachar asinus osseus*, id est robustus et fortis instar ossis, ad labores agriculturæ, et ad suas fruges fructusque deportandum ad mare, ubi illos carius divendat et distrahat per alias urbes et gentes. Erat enim sors Issachar amœna et fertilis olei, vini et frumenti. Ita S. Hieronymus. Unde Chaldæus vertit : *Issachar dives in substantia*; Septuaginta vero vertunt : *Issachar pulchrum concupivit*. Forte Septuaginta pro חמר *chamor*, id est asinus, legerunt חמד *chamad*, id est concupivit : valde enim vicinæ sunt litteræ ר et ד. Rursum, tribus Issachar fuit ossea et fortis in bello : uti patuit in bello contra Sisaram, *Judic.* V, 14, et in bellis quæ pro Davide gesserunt Zabulonitæ, I *Paralip.* XII, 33 (3).

ACCUBANS INTER TERMINOS, — *q. d.* Issachar non vacabit navigationi, ut Zabulon; sed sorte et rure suo se pascens, domi versabitur, ibique quiete habitabit inter limites et confinia aliarum tribuum. Unde Moses, *Deuteron.* XXXIII : « Lætare, ait, Issachar, in tabernaculis tuis, » *q. d.* Issachar suis sedibus se continebit; suis copiis contentus, vicina nec metuens, nec concupiscens.

Vers. 15. 15. VIDIT REQUIEM QUOD ESSET BONA, — *q. d.* Issachar cognovit, ideoque prætulit et amplexus est commoda vitæ quietæ et rusticanæ. In vitâ enim quieta vigent sapientia, virtus, pax, agricultura, indeque agrorum fruges et opes : quæ omnia fugat vel impedit, non tantum bellum, sed et mercatura, puta curæ mercatoriæ ac navales.

Hinc Issachariani, utpote quieti, studiis sapientiæ fuere dediti, ut patet I *Paralip.* cap. XII, vers. 32. Pulchre et vere Horatius : Agricolarum felicitas.

> Beatus ille qui procul negotiis,
> Ut prisca gens mortalium,
> Paterna rura bobus exercet suis,
> Solutus omni fœnore.

Audi Ciceronem in *Catone Majore* de agricolatione : « Mea quidem sententia, haud scio an ulla beatior vita esse possit : neque solum officio, quod hominum generi universo cultura agrorum est salutaris, sed oblectatione etiam, quam dixi, et saturitate copiaque rerum omnium, quæ ad victum hominum, et cultum etiam deorum pertinent. Agro bene culto nihil potest esse, nec usu uberius, nec specie ornatius, » etc. Paulo ante : « Venio nunc ad voluptates agricolarum, quibus ego incredibiliter delector. » Vide dicta capite II, vers. 14, et cap. IX, vers. 20.

ET TERRAM QUOD OPTIMA. — Septuaginta, *quod pinguis*; Chaldæus, *quod fructifera*, puta fertilissima frumenti, vini et olei, quæ Moses, *Deuter.* XXXIII, 19, vocat thesauros absconditos arenarum.

SUPPOSUIT (quasi asinus osseus) HUMERUM AD PORTANDUM, — onera rustica jam dicta.

FACTUSQUE EST TRIBUTIS SERVIENS, — *q. d.* Maluit Issachar agere vitam quietam cum tributo, quam ab eo immunis bellis agitari, vel allegi in militiam Salomonis, aliorumque regum; fere enim rustici præ aliis gravantur vectigalibus, a quibus milites sunt immunes.

Allegorice, per Issachar S. Ambrosius intelligit Christum, S. Hippolytus Apostolos. « Issachar, inquit S. Ambrosius, merces dicitur, et ideo refertur ad Christum, qui est merces nostra, quod eum nobis ad spem salutis æternæ non auro, non argento, sed fide et devotione meremur. » Et mox : « Itaque ut ad resurrectionis suæ gratiam vocaret gentes (ipsa est enim pinguis et fertilis terra, quæ fructus generat æternos, fructus centesimos et sexagesimos), subjecit humerum suum ad laborandum, subjiciens se cruci, ut nostra peccata portaret. »

Tropologice, Issachar est Christianus quietus ac pacificus, et maxime is qui agit vitam religiosam. Hic enim *primo*, jugum et labores religionis, puta austeritatis, disciplinæ, humilitatis, abstinentiæ et obedientiæ religiosæ alacer subit, dicereque potest Deo cum Davide : « Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum. » *Secundo*, hic mitis est, jugique animi pace ac quiete fruitur. *Tertio*, hic vacat agriculturæ spirituali animæ suæ, ex eaque ingentes virtutum

Issachar est Religiosus ob quinque analogias. Prima. Secunda. Tertia.

(1) *Ad littus navium*, id est, ad littus semper navibus frequens.

(2) *Latera* regionum dicuntur earum *fines*.

(3) Hæc hominis cum asino comparatio minus habet offensionis in Orientis regionibus, in quibus cum pulchriores et præstantiores asini nascantur, non tam vilia animalia habentur quam apud nos. Hinc Ajacem Homerus asino comparat, *Iliad.* A, 557.

Quarta. fruges colligit. *Quarto,* inde roborescit, fitque fortissimus ad omnia vel dura toleranda, vel ardua
Quinta. capessenda. *Quinto*, hic triplex solvit tributum. *Primo,* religiosi cultus, obedientiæ et amoris Deo; *secundo*, dilectionis, justitiæ, compassionis et misericordiæ proximo; *tertio*, continentiæ et mortificationis sibi ipsi. Ita Pererius. Unde Petrus Chrysologus, serm. 29 *in Matth.* : « Sicut Issachar, inquit, ita et vir bonus æterna præmia cœlestemque quietem contemplatus, alacriter humerum suum labori subjicit, fitque tributis serviens, dum operum bonorum tributa persolvit Deo. »

Pie et apposite Abbas Nestero in Vitis Patrum, lib. V, cap. XV, rogatus quomodo tam pacifice in cœnobio vixisset, atque in quavis tribulatione didicisset servare silentium et patientiam, respondit : « Quando initio intravi in congregationem, dixi animo meo : Tu et asinus unum estote. Sicut enim asinus vapulat, et non loquitur; injuriam patitur, et non respondet : sic et tu; sicut et in psalmo legitur : Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum. »

Audi sententias Patrum Ægyptiorum ibidem, de mediis quibus paratur quies, et sanctitas animæ religiosæ.

Prima. « Prima virtus est oris custodia.

Secunda. « Beatus qui sustinet laborem cum gratiarum actione.

Tertia. «Non est fortior virtus quam nullum spernere.» Unde et Pimenius Abbas ibidem, lib. VII, cap. XXXIX, petenti modum quiete et pie vivendi, hunc dedit : « Neminem, inquit, despicias, nullum dijudices, de nullo male loquaris : et Deus dabit tibi requiem, et statuet sessionem tuam sine conturbatione.

Quarta. » Humiliare seipsum et despicere, murus est monacho.

Quinta. » Constitue tecum nulli unquam homini male facere, sed purum habere cor ad omnem hominem.

Sexta. » In omnibus sibi vim facere; hæc est via Dei et opus monachi. »

Septima. Abbas Pastor ibidem, lib. V, ait : « Ubi vides adversum te aliquorum zelum, ibi non subsistas, quia non proficies. »

PROPHETIA ET BENEDICTIO DAN.

Vers. 16. 16. DAN JUDICABIT. — Hebraice est דָּן יָדִין *Dan jadin*, *q. d.* « Judex judicabit. » Vocatus est enim a Rachele *Dan*, quod Deus sibi cum Lia de fœcunditate contendenti, per nativitatem Dan causam quasi adjudicasset, *Genes.* XXX, 6.

Hic Jacob filio suo nomen Dan confirmat; sed aliam ob causam, nimirum quod Dan per Samsonem ex se nasciturum, sit judicaturus, id est vindicaturus et liberaturus Israelem a servitute Philistinorum. Fuit enim Samson judex, id est vindex, sui populi : sic enim omnes qui in libro Judicum vocantur Judices, fuerunt vindices Israelis. Ita S. Hieronymus, Procopius, Gennadius, Rupertus et Chaldæus (1).

SICUT ET ALIA TRIBUS, — quæ suum Israeli dedit judicem; non enim omnes tribus dederunt judices : nam verius est Ruben, Gad, Simeon et Aser nullum judicem dedisse. Nam quos quidam adducunt, Jephte et Barac, hic ex Nephtalim, ille ex Manasse fuit. Ita Pererius.

17. FIAT DAN COLUBER IN VIA, CERASTES IN SEMITA. — Gennadius τὸ *Dan* putat esse dativi casus, sensumque esse, *q. d.* Fiat Dalila ipsi Dan, puta Samsoni ex Dan nascituro, instar colubri, quia eum decipiet astu serpentino. Vers. 17.

Verum in Hebræo et Græco *Dan* caret articulo dativi, poniturque absolute; est ergo nominativi casus, itaque sensus est quasi dicat : Fiat, id est fiet, vel erit, Dan, id est Samson Danita, quasi coluber et cerastes. Nam *primo,* sicut serpentes in viis et semitis sub frondibus, vel arenis latitantes, ex latebris et inopinato hominem aggrediuntur et mordent : ita Samson occulte per artes et dolos Philisthæos aggressus vastavit et occidit, ut patet in trecentis vulpibus, quarum caudis tiliones ardentes alligans Samson, segetes Philisthiim succendit : rursum in collisione columnarum domus, qua secum duces eorum obruit, itaque plures occidit moriens quam vivens. Sic et Danitæ astu ceperunt Lais, quæ postea ab eis Dan est vocata, *Judic.* XVIII, 27. *Secundo,* serpens nisi aurem obturet, incantatur : ita Samson, quia contra Sirenis, puta Dalilæ suæ, blanditias, cum Ulysse, qui occlusa aure pertransiit, ipse quoque aurem non obturavit, hinc ab ea captus, et in pistrinum mortemque detrusus est. Samson fuit coluber et cerastes.

CERASTES IN SEMITA MORDENS UNGULAS (calcaneum ungulatum) EQUI, UT CADAT ASCENSOR EJUS RETRO. — Cerastes, inquit Plinius, lib. VIII, cap. XXIX, serpens est, quadrigemina habens cornua, simillima arietum (unde et cerastes dicitur, id est cornutus, a κέρας, id est cornu), qui cum equitem nequit attingere, equi calcaneum mordet, ut equum, et consequenter equitem dejiciat, itaque dejectum invadat et occidat. Pari modo Samson non tantum sua fortitudine, sed et dolis ac insidiis, Philisthæos invasit, supplantavit et occidit, uti dixi (2).

Nota : Jacob ad litteram hæc prædixit de Samsone, allegorice de Antichristo Samsonis antitypo; aut potius Jacob hæc tam de Antichristo, quam de Samsone ad litteram dixit et intellexit, ut sit hic duplex sensus litteralis, unus de Samsone, alter, ad quem occasione Samsonis assurgit Jacob, de Antichristo (nec enim Samson ty-

(1) Rectius alii : *Dan reget populum suum, sicut una tribuum Israel*, id est æque ac cæteræ tribus, nec erit iis inferior; rerum suarum moderatores non aliunde arcesset, sed suis tribulibus ipsa dabit.

(2) Hæc tamen ad totam quoque tribum pertinere dici potest, ut ejus astutia in bello et hostibus superandis notetur.

Antichristus nascetur ex Dan erit-que coluber.

pus fuit Antichristi, sed potius Christi); nam ex Dan nascetur Antichristus, uti communiter tradunt Patres. Quare temere Oleaster et Abulensis hanc traditionem, quasi fabulam rident. Adhuc enim Judæi, licet dispersi, servant suas divisiones et origines tribuum, ut hic dicat se esse ex tribu Juda, ille ex Levi, iste ex Dan, etc., sive vere hoc dicat, sive fallatur : vide dicta *Apocal.* cap. VII.

Ipse tamen Antichristus, licet privatim inter suos Danitas, dicet se esse ex Dan, publice tamen forte profitebitur et mentietur se non ex Dan, sed ex Juda descendere, ut suis persuadeat se esse Messiam Jacobo et Judæ hic promissum, vers. 10. Antichristus ergo habebit cornua et mores colubri ac cerastæ, quia suis dolis, artibus, blanditiis, hypocrisi, scientia, eloquentia, fictis miraculis, potentia et tormentis plurimos hominum quasi coluber et cerastes decipiet, dejiciet, mordebit et occidet. Ita S. Augustinus, S. Irenæus, S. Ambrosius, Prosper, Hippolytus, Rupertus, Aretas, Haymo, Richardus et Anselmus, quos citat et sequitur Pererius. Vide S. Gregorium, lib. XXXI *Moral.* cap. XVIII. Imo Theodoretus vult hæc ad litteram non de Samsone, sed de solo Antichristo dici. Certe hæc de colubro et ceraste, potius Antichristo conveniunt, quam Samsoni, qui leoni similior fuit quam colubro.

Vers. 18. 18. SALUTARE TUUM EXSPECTABO, DOMINE. — Pro *salutare tuum*, hebraice est ישועתך *iescuatecha*, id est salutem tuam, quam scilicet afferet Salvator noster Silo, puta Christus; unde Septuaginta et noster Interpres passim per σωτήριον, id est *salutare*, intelligunt Christum Salvatorem.

Nota : Jacob prævidens exiguam et parvi temporis fore liberationem Israelis per Samson futuram, post quam rursum a Philisthæis subigendi essent Israelitæ : rursum per hunc colubrum et cerastem prævidens, vel maxime significari Antichristum, stragemque quam Danitis omnibus, totique mundo ipse inferet; medullitus indolescens et exhorrescens, exclamat : « Salutare, » id est salvatorem, « tuum exspectabo, Domine, » *q. d.* Non Samson, sed Christus, verus, constans et perpetuus erit Israelis mundique salvator, cujus Samson tantum typus et umbra fuit. Hunc ergo exspectabo, tum nascentem in mundo, tum secundo redeuntem ad pugnam cum Antichristo, ut eum occidat, ab eoque reducat et salvet reliquias Israelis. Unde Chaldæus vertit : « Non exspecto salutare Gedeon, filii Joas, cujus salus est temporalis; neque salutare Samson, filii Manue, quæ salus est transitoria; sed exspecto redemptionem Christi filii David, qui venturus est ad accersendum sibi filios Israel, cujus redemptionem desiderat anima mea. » Ita quoque hæc explicat Procopius, S. Gregorius, hom. 21 *in Ezech.*; Origenes, tract. ult. *in Matth.*; Ambrosius in prologo lib. II *De Spiritu Sancto*, et Augustinus, serm. 107 *De Tempore*: apud quos vide quam Samson, vindex et salvator Israelis, pulcher fuerit typus Christi vindicis et salvatoris mundi (1).

Samson typus Christi.

PROPHETIA ET BENEDICTIO GAD.

Vers. 19. 19. GAD, ACCINCTUS PRÆLIABITUR ANTE EUM, ET IPSE ACCINGETUR RETRORSUM. — « Ante eum, » puta ante *Israelem*, de quo præcessit in præcedenti benedictione, vers. 16. In Hebræo est continua paronomasia et allusio ad etymon nominis *Gad*, גד גדוד יגדנו יגוד *gad gedud jegudennu jagud*. Gad enim dicitur a גדוד *gedud*, id est *accinctus*, uti dixi cap. XXX, vers. 11, *q. d.* Tribus Gad juxta suum nomen accincta erit, armata et bellicosa, idque patebit, tum alias (ut liquet I *Paralip.* V, 18 et 19), tum quando ipsa armata Israelem, puta reliquas tribus, quasi dux præibit, easque per Jordanem ducet in Chananæam. Ipsa deinde « accingetur retrorsum, » quando fratribus, puta aliis tribubus, in sua sorte rite collocatis, eaque quiete fruentibus, ipsa post decimum quartum annum sui ducatus, et bellorum pro fratribus gestorum, accincta rursum, et spoliis onusta gloriose domum in suam sortem trans Jordanem redibit. Vide historiam in lib. *Josue*, cap. XXII. Ita Chaldæus, S. Hieronymus et Procopius (2).

Gad dicitur quasi *gedud*, id est accinctus.

Secundo, Cajetanus putat hic describi prælia Jephte : Qui, inquit, fuit oriundus ex Gad. Verum melius Pererius et alii sentiunt Jephte non ex Gad, sed Manasse prognatum.

Allegorice, Gad accinctus est Christus, et Ecclesia quasi castrorum acies ordinata, atque quivis fidelis, maxime Martyr, ait Rupertus, qui contra mundum, carnem et dæmonem generose decertat, ideoque in cœlo gloriosus et felicissimus erit. Gad enim hebraice et accinctum, et felicem significat. Talis fuit S. Laurentius, qui assatus ad Decium : « Versa, inquit, et manduca. »

Allegorice Gad est Martyr.

Joannes Fischerus, Episcopus Roffensis, ab Henrico VIII, quod ejus primatum Ecclesiasticum confiteri nollet, capitis damnatus, cum ad locum supplicii accederet, abjecto cui senex innitebatur baculo : « Eia, inquit, pedes, officium facite, parum itineris jam restat. » Testis est Sanderus.

Exempla fortitudinis Martyrum.

S. Agatha ad Quintianum : « Non te pudet, inquit, dire tyranne, in me mamillas amputare, quas in matre suxisti? at nihil proficis; habeo quas avellere non potes, interiores fidei speique mamillas, quarum alimento in me reparatur sustinendi virtus. »

S. Agnes ad carnificem : « Quid moraris? pe-

(1) Conf. Drach, op. cit. tom. II, pag. 397 seqq.

(2) Vers. 19. *Gadum* quod attinet, *turma adorietur eum, sed ipse adorietur in calce*, id est in fine, tandem eos impetet et vincet. גדוד videtur agmen militum, non justum, aut exercitum non plenum et ordine incedentem significare, sed tantum incursionibus utentem. Septuaginta vertunt πειρατήριον πειρατεύσει, de quo recte Flamin. Nobilius monuit, πειρατήριον esse hic *cœtum*, et *cohortem piratarum*, et πειρατεύειν *piraticam exercere*.

reat corpus quod amari potest oculis, quibus nolo. » Stetit, oravit, cervicem inflexit, et ita una hostia duplex martyrium subiit, pudoris et religionis. Ita S. Ambrosius.

Macedonius et Theodosius assati ad Amachium præfectum : « Amachi, assum desideras? convertito nos in alia latera, ne semiassati palato tuo minus sapidi videamur. »

Ita accincti fuere Martyres Africani, cum, jubente Hunerico, in exilium et eremum ducerentur. Pædore enim carceris et sordibus oppleti, alacres canebant : « Hæc est gloria omnibus Sanctis ejus. » Accurrit ad eos anus manu ducens parvulum, quem ita adhortabatur : « Age, propera, puer, vides quanto studio festinet universus Sanctorum exercitus ad percipiendas gloriæ coronas : acceleremus et nos ut illis conjungamur. » Testis est Victor Uticensis, lib. II *Wandal.*

Ita accincta fuit S. Eulalia virgo Lusitana, sub Maximiano Imperatore primum ungulis laniata, deinde flammis cremata; nam cum audiret Christianos torqueri, sponte longa via procurrens ad tribunal Daciani, hisce verbis, teste Prudentio, hymno 3, lib. *De Coronis,* eum lacessivit :

Ergo age, tortor, adure, seca,
Divide membra coacta luto.
Solvere rem fragilem facile est:
Non penetrabitur interior
Exagitante dolore animus.

Mox duo carnifices pectus ei dilacerant, et latus usque ad ossa secant ungulis. Illa autem numerans notas dicebat :

Scriberis ecce mihi, Domine.
Quam juvat hos apices legere,
Qui tua, Christe, trophæa notant?
Nomen et ipsa sacrum loquitur
Purpura sanguinis eliciti.

Tandem igni tradita jussu Daciani, ibi

Virgo citum cupiens obitum,
Appetit et bibit ore rogum.

Talis quoque Gad, id est accincta et felix, fuit S. Felicitas, quæ sub Antonino Pio cum septem filiis martyrium obiit. Cum enim Publius præfectus vellet ut deos coleret, et minas precibus adderet, respondit : « Nec blandimentis his moveor, nec terroribus et minis frangor. Spiritum Sanctum habeo, qui mihi suggerit vires, ut pro fide quidvis perpeti velim. » Et ad filios conversa : « Filii, inquit, charissimi, in fidei confessione persistite, vos jam exspectat Christus cum Sanctis suis; pugnate pro animabus vestris, et fideles vos exhibete Christo. » Ita filii coram matre, et tandem mater necata est, de qua S. Gregorius : « Felix quæ octuplici patientia octies Martyr, octo donanda coronis ad cœlum ascendit. »

PROPHETIA ET BENEDICTIO ASER.

Vers. 20. 20. ASER PINGUIS PANIS EJUS, ET PRÆBEBIT DELICIAS REGIBUS. — Tò *ejus* more Hebræo redundat, aut certe ponitur pro *erit*. Sic enim pronomen הוּא, id est *ipse*, sæpe ponitur pro *est*. Significat hic Jacob, et prædicit opes et fertilitatem, fructusque tribus Aser adeo sapidos et delicatos, ut regibus Juda; Israel, Tyri, aliisque sint futuri in deliciis; idque partim ex soli bonitate, partim quia sita erat juxta mare, partim quia vicina erat Tyriis et Sidoniis, et consequenter omni mercium genere abundabat. Idem de Aser prædicit Moses, *Deuter.* XXXIII, cum ait : « Tingat in oleo pedem suum, ferrum et æs calceamentum ejus. » Fuit enim sors Aser, alibi frumenti, vini et olei; alibi, puta in Sarepta, æris et ferri ferax (1).

Allegorice, Aser est Christus nos lætificans, impinguans et beatificans deliciis Eucharistiæ. « Quid enim bonum, ait Zacharias, cap. IX, vers. 17, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines? » Ita Procopius, Eucherius, Rupertus. Pulchre S. Ambrosius : « Paupertas Christi, inquit, nos ditat, infirmitas sanat, fames satiat, mors vivificat, sepultura resuscitat. » Allegorice Aser est Christus in Eucharistia.

PROPHETIA ET BENEDICTIO NEPHTALI.

Vers. 21. 21. NEPHTALI CERVUS EMISSUS, ET DANS ELOQUIA PULCHRITUDINIS. — Pro *cervus* hebraice est אַיָּלָה *aiala*, quod et cervum et cervam significat. Unde Vatablus vertit, *Nephtali cerva missa,* vel *cerva celeris,* sicque explicat, *q. d.* Tribus Nephtali erit formosissima, elegantissima et agillima, qualis esse solet cerva quæ ad aliquem principem mittitur. *Secundo,* « dabit eloquia pulchritudinis, » id est, erit facundissima. Cur Nephtali vocetur cervus? Prima expositio.

Secundo et melius, Andreas Masius in *Josue* cap. XIX, num. 32, sic explicat, *q. d.* Sicut cervus emissus et liber, in herbosa et fertili terra exultim ludit, ita et in sua fertili sorte ludet et exultabit Nephtali. *Secundo,* « dabit eloquia pulchritudinis, » id est comis erit, blandus et humanus, suaque urbanitate omnes sibi conciliabit. Hoc enim est quod de Nephtali prædixit Moses, *Deut.* XXXIII : « Nephtali abundantia perfruetur, et erit in benedictione Domini. » Secunda.

Tertio, proprie et directe respicit et prædicit hic Jacob victoriam Barac et Deboræ contra Sisaram, *Judic.* IV. Fuit enim Barac dux exercitus Israel, oriundus ex Nephtali, qui recte comparatur cervo, qui per se timidus est, sed ubi venatoribus hostibusque se circumsessum, et de vita sua agi videt, animos et cornua attollit, atque furenti similis per medias hostium acies, ingenti impetu et cursu perrumpit et evadit: sic enim Barac initio instar cervi timuit, nec nisi cum Debora bellum aggredi ausus fuit; at ea comite animatus, quasi leo cum paucis in innumeras instructissi- Tertia et genuina. Barac Judex fuit cervus.

(1) Hebr. est, *ex Asere panis*, etc. Alludit Jacobus ad nomen אָשֵׁר, beatitudo, *felicitas.*

masque hostium copias irrupit, perrupit, easque perrumpendo stravit et cecidit, idque celerrime, instar cervi et instar fulguris (*Barac* hebraice significat fulmen), ut cum Cæsare dicere posset : « Veni, vidi, vici. » Licet enim Zabulon et Issachar in hoc bello tribui Nephtali se adjunxerint, victoria tamen ascribitur Nephtali : quia dux exercitus et belli, puta Barac, erat ex Nephtali ; et quia Jahel, quæ Sisaram clavo occidit, habitabat in Nephtali.

Alludit Jacob ad etymon Nephtali : Nephtali enim significat colluctantem, et in lucta cum antagonista convolutum, *q. d.* Nephtali quasi cerva timida, et laqueis Sisaræ circumsessa, per oracula et promissa Deboræ, resumptis animis duce Barac, perrumpet cuneos Sisaræ, itaque cum eo colluctabitur, commiscebitur et convolvetur ; sed victor evadet, hostiumque castra penetrabit et dissipabit. Ita Cajetanus et Lipomanus.

Hinc « dabit eloquia pulchritudinis, » id est, edet pulcherrimum, gratulatorium et eucharisticum carmen Deo victoriæ auctori, puta insigne illud canticum Barac et Deboræ, quod habetur *Judic.* v (1).

Nephtali est Christus, et cur?

Allegorice, Nephtali est Christus, qui quasi cervus exsiliens in virtute spiritus, *Lucæ* IV, 14, juxta Genezareth, qui lacus est in Nephtali, alacriter et celeriter perrupit castra diaboli, puta Pharisæorum et Judæorum, infidelium et impiorum, deditque eloquia pulchritudinis, dicens in suo Evangelio : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, » etc., ibique collegit Apostolos, qui hæc eloquia Evangelii pulcherrima toto orbe prædicarunt, tuncque impletum est illud sponsæ de Christo : « Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles ; similis est dilectus meus capreæ hinnuloque cervorum. » Ita S. Hieronymus, Procopius, Ambrosius.

PROPHETIA ET BENEDICTIO JOSEPH.

Vers. 22. 22. FILIUS ACCRESCENS JOSEPH. — Hebraice est, בן פרת יסף *ben porat Joseph*, hoc est, *filius fructificationis*, id est *fructificans*, *Joseph*. Alludit Jacob ad nomen Ephraim, qui fuit filius Joseph. Ephraim enim dictus est quasi fructificans, ab eadem radice פרה *para*, id est fructificavit, *Genes.* XLI, 52 ; fuit enim tribus Ephraim fœcundissima ; numerosissima, fortissima et regia. Rursum alludit ad etymon Josephi : Rachel enim mater vocavit eum Josephum, quia optavit et dixit : « Addat mihi Dominus filium alterum, » *Genes.* XXX, 24. Joseph ergo idem est quod augescens, accrescens. Jam Joseph fuit accrescens, sive fructificans, ob duos quos genuit filios, puta Manassem et Ephraim, qui duas constituerunt tribus in Israel : unde bis repetitur hic τὸ *accrescens*. Successit enim Joseph cum Juda in primogenituram Rubeni ; unde sicut Judas regnum Juda, sic Joseph duplicem tribum duplicemque hæreditatem in Chanaan, ac regnum in Israel obtinuit. Ex Ephraim enim orti sunt Jeroboam aliique reges Israel. Rursum tribus Ephraim accrevit, uti numero, ita robore, victoriis et gloria, ut merito propter eam Joseph vocetur « filius accrescens. »

DECORUS ASPECTU. — Hebraice est עלי עין *ale ain*, quod dupliciter verti potest : *Primo, super fontem, q. d.* Joseph est eritque filius fructificationis, id est fœcundus instar arboris sitæ et fructificantis juxta fontem. Ita Chaldæus, Vatablus et alii.

Secundo, verti potest, *super oculum, q. d.* Joseph ita pulcher erat, ut dominaretur oculis intuentium, eosque in sui amorem raperet, uti rapuit oculos heræ suæ Ægyptiæ. Hoc secutus est noster Interpres, dum vertit, « decorus aspectu, » et Septuaginta, dum vertunt ζηλωτός, id est *desiderabilis*. Unde sequitur :

FILIÆ (scilicet Ægyptiæ) DISCURRERUNT SUPER MURUM, — super muros domorum et urbium, ut viderent te, o Joseph, tam formosum juvenem cultu regio insignem, quasi patriæ mundique salvatorem, et ut vicissim a te viderentur. Ita Cajetanus et Lipomanus. Rupertus tamen hoc restringit ad heram amasiam Josephi ; sed nimis arcte : nam non dubium est quin multæ aliæ Josephi pulchritudinem videre desiderarint, eamque admiratæ sint (2).

Allegorice, Joseph est Christus speciosus forma præ filiis hominum, quem proinde videre gestierunt Abraham et Patriarchæ.

Vers. 23. 23. SED EXASPERAVERUNT EUM, — amaritudine affecerunt fratres Josephum, licet ita speciosum et amabilem.

ET JURGATI SUNT, — dicentes : « Numquid rex noster eris ? » et : « Ecce somniator venit ; venite, occidamus eum. »

HABENTES JACULA, — tum verborum, puta mordacium irrisionum, mendaciorum et calumniarum, de quibus dicitur *Psalm.* LIV, 22 : « Molliti sunt sermones ejus super oleum, et ipsi sunt jacula ; » tum verberum : cum enim eum spoliarunt, protruserunt, in cisternam projecerunt, ac denique in Ægyptum vendiderunt, quo, jaculis verborum et verberum eum confixerunt !

Allegorice, Joseph est Christus, in quem Judæi

(1) Alii ad totam tribum hunc versum pertinere statuunt, notarique putant incredibilem ejus celeritatem simulque gratiam in rebus agendis et negotiis conficiendis. Capreis seu cervis comparantur heroes II *Sam.* II, 18 ; I *Parat.* XII, 8. Punctis vocalibus hic illic immutatis, et ה in finen ominis אילה in ת converso, habebis : נפתלי אילת שלחה הכתן אמרי שפר, id est, *Naphtali est ut arbor surculosa, edens ramos pulchritudinis.* Cf. Septuaginta.

(2) Multi hunc versum sic vertunt : *Filius*, id est ramus, *fructifer Joseph, filius fructifer ad fontem ; filiæ*, id est propagines, *ascendunt super murum.* בן cum tsere in regimine non ponitur. פרת pro פריה. Vid. Gesenii *Ausfuhrl. Lehrgeb.* p. 467.

omnes suas sagittas linguarum, clavorum et flagellorum intorserunt, clamantes : « Tolle, tolle, crucifige eum. » Vide S. Augustinum in *Ps.* LXIII.

Vers. 24. 24. SEDIT IN FORTI ARCUS EJUS. — « Arcus, » id est robur et præsidium, *q. d.* In tantis fratrum odiis et persecutionibus, in servitute, in carcere Ægyptio, Joseph non cecidit animo, non elanguit, sed stetit, imo sedit constans et fortis, in fortissimo Deo spe tota defixus, *q. d.* Arcum suum quo se ab hostibus defendebat, commisit Joseph Deo fortissimo, sagittandi peritissimo, ut ab ejus manu dirigeretur; non aliter quam Elisæus, lib. IV *Reg.* cap. XIII, vers. 16, dixit ad regem Israel : « Pone manum tuam super arcum ; et cum posuisset ille manum suam, superposuit Elisæus manus suas manibus regis. » Unde sagittæ emissæ erant sagittæ « salutis. » Sic fecit et Job, qui proinde dicebat, cap. XXIX, vers. 20 : « Gloria mea semper innovabitur, et arcus meus in manu mea instaurabitur.

Etan, id est fortis, est Deus. Nota : Deus hebraice vocatur אל *el*, vel איתן *etan*, id est fortis, robustus per excellentiam, imo per essentiam; Joseph ergo per spem in Deo, quasi in arce fortissima et inexpugnabili, sedit et conquievit. Nam, ut ait Sapiens, *Prov.* XVIII, 10 : « Turris fortissima nomen Domini : ad illam currit justus, et exaltabitur. »

Hebræum *iaphozu* quadrupliciter exponitur. DISSOLUTA SUNT VINCULA BRACHIORUM ET MANUUM ILLIUS. — Hebræum יפזו *japhozu* deducitur a radice פזז *pazas*, cujus propria et genuina significatio incerta et incognita est. Unde varie hic vertunt Interpretes. *Primo*, Kimchi, Pagninus, Vatablus et alii vertunt, *roborata*, vel *consolidata sunt* Primo. *brachia manuum ejus.* Secundo. *Secundo*, Chaldæus vertit, *tunc positum est aurum optimum super brachia ejus*, quasi *pazas* significet deaurare, vel auro ornare, a פז *pas*, vel *ophas*, quod significat aurum optimum et præstantissimum. Unde et Arabes aurum vocant *fes*. Hinc urbs *Fessa* dicta est ex eo, quod, cum urbis jacerentur fundamenta, *fes*, id est auri, cumulus ibi inventus sit : indeque urbs et regnum Fessæ, ita potens in Mauritania, nomen accepit, si credimus Joanni Leoni in *Descriptione* Tertio. *Africæ*, lib. III. *Tertio*, Oleaster vertit, *extenderunt se brachia manuum ejus*, *q. d.* Sicut qui arcu tenso telum parant ejaculari, brachia sua distendunt : ita Joseph vinculis solutis, manum misit ad regni gubernacula pariter et ornamenta.

Quarto. *Quarto*, Noster et Septuaginta vertunt, *dissoluta sunt brachia*, id est vincula (erant enim brachia Josephi vinculis astricta) brachiorum et manuum ejus. Hæ omnes versiones ad eumdem sensum et scopum tendunt : hæc tamen ultima videtur maxime genuina; Hebræum enim *pazas* proprie significat, non *roborare*, ut volunt Rabbini; sed *mollescere*, *lentescere*, *et dissolvi instar auri optimi*, uti docte ostendit Pineda noster in *Salom.* lib. IV, cap. XVIII. En quam spes in Deum fortem, Josephum non fefellit. Audi *Sapient.* cap. X : « Hæc (Sapientia æterna et increata, quæ est Deus ipse) venditum justum non dereliquit in vinculis, donec afferret illi sceptrum, » etc (1).

PER MANUS POTENTIS JACOB. — Pro *potentis* hebraice est אביר *abbir*, quod unum est ex Dei nominibus, licet participative illud, uti et alia Dei nomina, hominibus communicetur.

Deus vocatur hebraice *Abbir*, cur? Tradunt Hebræi hoc nomen plenum esse mysteriis; nam prima littera *aleph* significat אב *ab*, id est Patrem. Secunda *bet* significat בן *ben*, id est Filium. Tertia *res* significat רוח *ruach*, id est, Spiritum Sanctum : sicut enim hæ tres litteræ in uno sunt nomine *abbir*, ita hæ tres personæ sunt in una essentia divina.

Rursum *bet* est medium inter *aleph* et *res*, quia Filius est medius inter Patrem et Spiritum Sanctum : procedit enim a Patre Filius, et a Filio Patreque procedit Spiritus Sanctus. Denique ipsi *bet* conjungitur *jod*, quæ est littera nominis Jesu, quia solus Filius factus est homo, et vocatus Jesus, id est salvator hominum. Hæc illi.

INDE PASTOR EGRESSUS EST, LAPIS ISRAEL. — Vox *inde* non locum, sed causam significat, idemque valet quod *ideo*, vel *idcirco*, *q. d.* Quia Joseph vallatus fuit ope *abbir*, id est Dei potentis, quem coluit Jacob, et in quem omnem suam spem defixerat Joseph venditus et captus : idcirco *egressus* est *pastor*, id est, effectus est rector et princeps Ægyptiorum, et *lapis*, id est firmamentum, sui populi *Israel*; ita explicat Ecclesiasticus, cap. XLIX, vers. 17. Joseph enim tam patrem suum Israel, quam fratres eorumque familias, æque ac Ægyptios in septennio famis pavit et aluit, itaque firmavit et stabilivit ne inedia interirent (2).

Moraliter, de Dei præsidio. Ecce quam valida est fiducia et auxilium potentis Dei. S. Martinus in Alpibus inciderat in latrones, e quibus unus vibrata in caput ejus securi, mortem minabatur, sed socius ictum avertit. Rogatus postea S. Martinus, num timuisset : « Minime, inquit, nunquam eram securior : sciebam enim Dei misericordiam maxime in tribulatione affuturam. » Sic et S. Franciscus a latronibus rogatus quis esset, intrepide respondit : « Præco sum magni Dei. » Marinus Martyr vocandus ad judicem, a Theotecno Episcopo audiens : « Tene et adhæresce Deo : sic enim ab eo roboratus, quod in optatis est certo assequeris; » id ipsum præstitit, itaque constanter tribunal adiit, Christumque confessus martyrio laureatus est, teste Eusebio, lib. VII *Histor.* cap. XIV. Legimus principem quemdam prudentem et pium, cum rogaretur cur munitas arces in suo regno non construeret, respondisse : « Unica mihi arx est, eaque munitissima, ea videlicet de qua Sa-

(1) Hæc ex hebr. recte vertes, *sed sedit*, permansit, *in forti*, in robore, fortis, *arcus ejus*, *et levia*, agilia, expedita (gall. *dispos*), *brachia manuum ejus*, pro simplici *brachia ejus*.

(2) Alii : *Inde*, a Deo, inquam, qui est pastor et rupes Israelis.

lomon ait : Turris fortissima nomen Domini, ad quam confugiens justus liberatur. »

Princeps debet esse pastor et lapis, id est firmamentum populi.

Nota : Bonus princeps populi debet esse pastor et lapis, populum firmans, roborans et sustentans.

Secundo, alii sic ulterius explicant : « inde, » id est ex Joseph, prodibunt lapides et pastores, id est duces, judices et reges Israel, puta Josue, Debora, Gedeon, Jephte, Jair, Abimelech, Jeroboam, et reges decem tribuum; hi enim omnes prognati sunt ex Joseph.

Tertio, aliqui pro אבן *eben,* id est lapis, legentes divisim אב בן *ab ben,* id est, pater et filius, vertunt : « Joseph egressus est pastor patris et filii Israel, » id est, Joseph in fame pavit et cibavit tam patrem suum Israel, quam ejus filios. Unde Chaldæus hæc non ad Joseph, sed ad *abbir,* id est, Deum potentem Jacobi referens, ita vertit, « cujus (Dei) verbo gubernantur patres et filii tribuum Israel. » Verum primus sensus maxime est litteralis et genuinus.

Allegorice, Joseph pastor, inquit Rupertus, est Christus, qui est pastor et petra lapisque angularis Ecclesiæ. Rursum, pastor et petra Ecclesiæ est S. Petrus aliique Pontifices vicarii Christi. Petro enim dixit Christus : « Pasce oves meas; » et : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. »

Vers. 25. 25. DEUS PATRIS TUI. — Deus qui per omnia direxit patrem tuum Jacobum, hic et ob Jacobi merita ac sanctimoniam, quam tu imitaris, juvabit quoque et diriget te utpote Jacobi filium, ejusque fidei et pietatis hæredem (1).

BENEDICET TIBI BENEDICTIONIBUS COELI, — dando tibi e cœlo opportunam tum pluviam, tum rorem, tum nivem, tum aeris serenitatem, benignumque solis cœlique influxum, quibus terra tua fœcundetur, ut optimas et copiosas tibi, puta tuis posteris, in Chanaan proferat fruges et fructus.

Quænam abyssus jacens deorsum?

BENEDICTIONIBUS ABYSSI JACENTIS DEORSUM. — Vatablus per abyssum, mare accipit, *q. d.* Dabit tibi Deus tempestivam pluviam, quæ oritur e nubibus et vaporibus ex abysso, id est mari, ascendentibus : verum hæc non est benedictio abyssi, sed cœli, ut præcessit.

Alii per abyssum accipiunt globum conflatum ex terra et mari.

Verum dico, abyssus proprie est illa vorago aquarum, quæ sub terra latet, quæque cum mari conjungitur, atque per suas venas et rivos terram irrigat et fœcundat, de qua dixi cap. I, vers. 9, et cap. VII, vers. 11; unde Chaldæus vertit, *benedictionibus quæ ascendunt de profundis terræ.* Optat ergo hic Jacob Josepho terram irriguam et fertilem, ex aquis inferne ex abysso prodeuntibus.

(1) Hebr. est, *a Deo patris tui, qui tibi auxilio erit, et ab Omnipotente, et qui benedicet tibi,* etc.

BENEDICTIONIBUS UBERUM ET VULVÆ, — ut scilicet habeas copiosum lac, fœturam, ac proles, tum animalium, tum hominum. Hæc benedictio propria quasi Ephraim, ab eo ob peccata et ingratitudinem fuit revocata et ablata, *Osee* IX, 11, ubi dicitur : « Ephraim, quasi avis avolavit gloria eorum et a partu, et ab utero, et a conceptu : da eis vulvam sine liberis, et ubera arentia. »

Allegorice, Joseph est Christus, quem omnia superna et inferna, omnes angeli et Sancti in cœlo, ac patres in limbo benedicunt et adorant, quemque in terris laudant omnes fideles dicentes cum Elisabeth : « Benedictus fructus ventris tui; » et cum altera, quæ in turba exclamavit : « Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti. » Rursum in « cœlo, » id est in anima et mente, benedictus fuit Christus; quia a primo instanti conceptionis suæ plenus fuit gratia et gloria, fruens Deo, ipsaque visione Dei beatus : benedictus quoque fuit « in abysso deorsum, » id est, in carne mortali quam assumpsit, qua se profundissime humiliavit et exinanivit; quia carnem habuit peccato concupiscentiaque liberam, et post resurrectionem gloriosam, vivificam, et dantem immortalitatem in Eucharistia.

Allegorice, benedictio Josephi competit Christo.

Benedictiones Christi undequaque?

Secundo, habuit Christus benedictionem « vulvæ, » id est, Ecclesiæ parientis : hæc enim Christo pulcherrimos et plurimos generat filios, *Isaiæ* cap. XLIX et LX; atque « uberum, » quia verbo Dei et Sacramentis, quasi duplici ubere suos fideles et filios nutrit. Ita Rupertus et ex eo Pererius.

Vers. 26. 26. BENEDICTIONES PATRIS TUI CONFORTATÆ SUNT BENEDICTIONIBUS PATRUM EJUS. — *Primo,* « benedictionibus, » id est *præ benedictionibus*; vel, ut Hebraice est, *super benedictiones patrum meorum, q. d.* Ego Jacob præ patribus meis Abraham et Isaac, fui tum a patre meo Isaac, tum a Deo benedictus; itaque ego vicissim tibi, o Joseph, benedico, ac consequenter tu et patribus meis, et meipso magis eris benedictus, quia non tantum patrum, uti ego, sed et meam benedictionem nancisceris. Ita Lyranus, Abulensis, Pererius.

Quadruplex hujus loci expositio. Prima.

Secundo, Rupertus sic explicat, *q. d.* Mea benedictio robur habet a benedictione, quam ego a patribus accepi; super illam enim quasi fundatur, illique innititur. Hunc sensum facile patiuntur Hebræa.

Secunda.

Tertio, Burgensis et Vatablus valde accommode sic vertunt et explicant, *q. d.* Major est mea benedictio, qua ego te, o Joseph, benedico, quam ea qua ego a patribus meis fui benedictus, *q. d.* Eris me felicior, magisque benedictus; eris enim princeps Ægypti tota reliqua vita tua, posterique tui erunt judices et reges Israel.

Tertia.

Quarto, aliqui sic explicant : « Confortatæ, » id est, firmatæ, adjunctæ et adauctæ sunt benedictionibus patrum; unde Chaldæus vertit : *Benedictiones patris tui addentur super benedictiones, quibus benedixerunt me patres mei, q. d.* Ego tibi,

Quarta.

o Joseph, non tantum meam, sed et omnium patrum meorum benedictionem impertior et addo, precorque quod illi mihi precati sunt, scilicet, ut ego cum posteris meis essem felicissimus. Hic sensus amplior est, sed tertius, uti et primus, simplicior, utpote magis respondens Hebræo : nam verbum גבר *gabar*, præsertim quando cum על *al* construitur, significat prævalere, superare, dominari.

DONEC VENIRET, — id est, donec veniat, ut habent quidam codices manuscripti. Est enallage modi.

Christus est desiderium collium, omniumque creaturarum.

DESIDERIUM COLLIUM ÆTERNORUM, — puta Christus, qui omnium benedictionum et promissionum ultima est et maxima, omniumque clausula, quem proinde omnes homines, imo omnes creaturæ irrationales, puta terra, mare, colles et montes, a sui initio, quasi hominum redemptorem, et totius universi reparatorem et reformatorem avidissime exspectant, et affectu, non rationali, nec sensitivo, sed naturali intime desiderant. Est prosopopœia, similis illi, qua Apostolus, *Rom.* cap. VIII, vers. 22, ait omnem creaturam ingemiscere et parturire, donec per Christum liberetur a servitute corruptionis, et transferatur in libertatem gloriæ filiorum Dei. Sensus ergo est, *q. d.* Jacob : Mea hæc benedictio, o Joseph, major est benedictione patrum, durabitque usque ad Christum, qui maximam tibi totique mundo benedictionem afferet.

Secundo, symbolice Christus est desiderium collium æternorum, id est Patriarcharum, Prophetarum et illustrium Sanctorum, qui cæteris hominibus sapientia, virtute et sanctitate eminent, et in æternum in cœlo eminebunt, perinde ac colles vallibus eminent. Ita Rupertus, Cajetanus et Lipomanus.

Exempla desiderantium Christum.

Ita Christum desideravit Jacob, dicens : « Salutare tuum exspectabo, Domine. » Et David : « Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis. » Et Moses : « Mitte, Domine, quem missurus es. » Et Isaias : « Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant Justum ; aperiatur terra, et germinet Salvatorem. » Et Habacuc : « Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Jesu meo. » Et Daniel, qui inde « vir desideriorum » est dictus; et Sponsa in *Canticis* : « Circuivi vicos et plateas, quæsivi quem diligit anima mea. » Multo magis Christum jam natum desiderarunt Christiani. S. Paulus : « Cupio dissolvi, et esse cum Christo. » S. Petrus ubertim flebat : rogatus cur? respondit, « desiderio Domini. » S. Diaconus Martyr de genere, domo, patria percunctanti tyranno, in mediis tormentis nihil aliud respondit, quam : « Christianus sum, hoc mihi nomen genus, patria, doctrina; aliud nihil sum. » *q. d.* Omnia arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam ; mihi vivere Christus est, et mori lucrum : testis est Eusebius, lib. V, cap. I. S. Ignatius vinctus : « Nunc, ait, incipio discipulus esse Christi, nihil de iis quæ videntur desiderans, ut Jesum Christum inveniam. » Lege totam ejus epistol. *ad Romanos.* S. Bernardus : « Nil canitur suavius, auditur nil jucundius, nil cogitatur dulcius, quam Jesus Dei Filius. Jesus mel in ore, melos in aure, jubilus in corde. » Dionysius Martyr, dum Romæ a Diocletiano comprehensus lætus ad supplicium duceretur, nil aliud toto itinere ingeminabat, quam : « Et si millies occidi possem, tamen Dominum meum Jesum Christum confiteri non cessarem. » Ecquis non dicat : « Jesu amor meus, cor meum, et omnia? » Dixit S. Cyprianus in tribunali, damnandus ad mortem : « Salus mea et virtus mea Christus Dominus est, cui sine fine servire desidero. » Cumque Proconsul subderet : Vicem tuam doleo, et vellem consulere tibi ; respondit Cyprianus : « Consultum mihi melius non esse quæro, quam ut Deum meum adorans, ad ipsum tota mentis aviditate festinem; quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam. » Ita Pontius in Vita S. Cypriani.

Nota : Hebraice est תאוה *taaua*, quod proprie *desiderium* significat, a radice אוה *aua*, id est, concupivit, desideravit : Jarrius tamen, Kimchi et R. Salomon vertunt *terminum*, a radice תאה *taa*, id est terminavit, vertuntque, *usque ad terminum collium sæculi, q. d.* Hæ benedictiones meæ durabunt, quamdiu durabunt colles sæculi, puta usque ad finem sæculi ; vel, ut explicat R. Salomon, *q. d.* Hæ meæ benedictiones ad omnes terminos collium, montium et terrarum diffundentur. Denique per *terminum* accipias Christum, qui terminus est sive vertex in vertice montium. Verum Hebræum *taaua* proprie non terminum, sed desiderium significat, uti dixi, itaque vertit Noster, Chaldæus et alii (1).

FIANT, — omnes hæ benedictiones confluant in caput Joseph, in eoque firmiter quiescant. Pendet enim τὸ *fiant* a voce *benedictiones*, quæ præcessit, ibique inserendum est pronomen *quæ*, tunc enim clara erit connexio, et sensus hoc modo : « Benedictiones patris tui, quæ confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus, fiant in capite Josephi. »

ET IN VERTICE NAZARÆI INTER FRATRES SUOS. — Nazaræus tria significat.

Nota : Joseph vocatur hic *Nazaræus*, id est *sepa-*

(1) Gesenius : *Benedictiones* (active) *patris tui præstantiores sunt benedictionibus*, fertilitate, *montium æternorum* (pro הוֹרֵי legit הָרֵי, vel potius הוֹרֵי, ab הור obsoleto pro הר *mons*, sine accentu distinctivo Sakeph-Katon, cum Septuaginta), et *jucunditate collium antiquissimorum.* Rosenmullerus : *Benedictiones patris tui*, quibus tibi benedicit pater tuus, *super benedictiones genitorum meorum*, passive, quibus videlicet sunt benedicti a suis patribus, *q. d.* longe eas superant : in te enim recumbunt omnes patrum benedictiones ; *usque ad terminum collium sæculi*, id est, collium antiquissimorum, hoc sensu : prævalebunt in te et tribu tua hæ omnes benedictiones, quamdiu duraturi sunt colles ab orbis initio conditi, id est, in perpetuum.

1° separatum; 2° consecratum; 3° coronatum: talis fuit Joseph et Christus.

ratus, ut vertit Chaldæus, *coronatus* et *consecratus*. נזר *nezer* enim et separationem, et coronam, et consecrationem significat. Fuit enim Joseph a fratribus separatus, *primo*, moribus et innocentia; *secundo*, loco et conversatione : fratres enim oderant et fugiebant Josephum. Rursum, Joseph venditus in Ægypto, per 23 annos separatus fuit a patre et fratribus in Chanaan habitantibus. *Tertio*, carcere, ubi Joseph intonsis fuit crinibus, solique Deo relictus, addictus et consecratus, instar Nazaræorum, qui se suamque abstinentiam, æque ac comam, Deo devovebant, *Numer.* VI. *Quarto*, corona regni, sive principatus in Ægypto. Rursum, corona regni Israel, quam posteri ejus adepti sunt; hac enim coronatus, et a fratribus separatus fuit Joseph : ideoque Nazaræus dicitur. Unde Septuaginta pro *Nazaræus* vertunt præfectum, sive ducem et principem fratrum. Atque ex hoc loco aliqui putant Christum, utpote Josephi antitypum, vocari Nazarenum, *Matth.* II, vers. 23. Ita S. Ambrosius, *De Benedictionibus Patriarch.* cap. XI, et Rupertus. Ut ut sit, certe Joseph Nazaræus expressus fuit typus Christi Nazaræi, id est, a Judæis, et communi hominum vita separati, Deoque consecrati, ac coronati in summum orbis regem et pontificem (1).

PROPHETIA ET BENEDICTIO BENJAMIN.

Vers. 27. 27. BENJAMIN LUPUS RAPAX, MANE COMEDET PRÆDAM, ET VESPERE DIVIDET SPOLIA. — R. Chaldæus sic hæc vertit et explicat : *In terra Benjamin habitabit templi majestas, et in possessione ejus ædificabitur sanctuarium* (Jerusalem enim, in qua fuit templum, proprie pertinebat ad sortem tribus Benjamin). *Mane et vespere offerent sacerdotes oblationes, et in tempore vespertino dividet residuum*; quasi altare hic vocetur lupus rapax, eo quod hostias, quasi prædas raperet, easque igne consumeret. Sic quoque explicant Hebræi et Lipomanus. Verum hæc expositio impropria, dura et indecora est : quis enim altare Dei audeat vocare lupum rapacem?

Lupus rapax non significat templum.

Sed rapacitatem et bellicositatem tribus Benjamin.

Secundo ergo et genuine, ad litteram Jacob hic prædicit tribum Benjamin fore instar lupi rapacem et bellicosam, quæ suum jus in viribus et armis collocet. Sic enim Romani jactabant suum Romulum rapacem, pugnacem et fortem in bellis evasisse, eo quod lacte lupæ esset nutritus. Hæc expositio patet, et reipsa confirmata est in bello Gabaa, quod soli Benjaminitæ, ob stuprum a se uxori Levitæ illatum, cum reliquis tribubus omnibus gesserunt, et usque ad internecionem, sustinuerunt; ac tandem rapuerunt filias Silo, *Judic.* XX. Ita Procopius, Eusebius, Theodoretus, Abulensis et alii.

Rursum, alludit et prædicit hic Jacob prædas et victorias Saulis primi Judæorum regis; item Estheris et Mardochæi : hi enim omnes prognati fuerunt ex Benjamin. Ita S. Lupus Trecensis Episcopus cum clero occurrens Attilæ a pugna Catalaunica, reliquas Galliæ urbes eversuro, rogavit eum, quisnam esset, qui tot regibus devictis cuncta vi sibi subderet; cui Attila : « Ego, inquit, sum rex Hunnorum, flagellum Dei. » Tum Lupus ingemiscens : « Et ego, inquit, sum lupus vastator gregis, dignus flagello ejus, cui quis resistet, quo minus in quos volet sæviat? Veni igitur, Dei mei flagellum, quolibet proficiscere. Omnia tibi, ut Dei ministro, me non repugnante patebunt. » Jubet inde portas urbis reserari, ac Attilam (frenum equi honoris causa tenens) summa veneratione introduxit. Qui sive humanitate Episcopi victus, sive Dei voluntate, sine ullius cæde et detrimento, per urbem mediam cum omnibus suis copiis progressus, altera urbis parte egressus est. Ita habet Vita S. Lupi, et Olaus in *Attila*, cap. IX.

Nota : Idem est « comedere prædam, » et « dividere spolia, » nimirum prædari, prædas dividere et comedere. Est metalepsis : ex comestione enim prædæ, præviam prædationem intelligit, *q. d.* Benjamin ut lupus rapiet, id est, superabit inimicos, eisque prædas abripiet, lacerabit, dividet, comedet, omniaque faciet, quæ victores victis solent facere. Ita Vatablus (2).

Paulus oriundus ex Benjamin fuit lupus rapax.

Allegorice, quidquid hic ogganniat Calvinus, omnes fere Patres Latini, puta S. Hieronymus, Ambrosius, Rupertus, Eucherius, Beda et S. Augustinus, serm. 1 *De Conversione S. Pauli*, inter novos hic Lovanii editos, per lupum hunc accipiunt S. Paulum, qui ex Benjamin oriundus, dictusque Saul vel Saulus, primo mane, id est in juventute sua, quasi lupus sæviit in Christum et Christianos, viros et feminas raptando ad carceres, Stephanum manibus aliorum lapidando, spirando in omnes minas et cædes : verum a Christo conversus, et mutatus e Saulo in Paulum, ex lupo diaboli in lupum Dei, « vespere, » id est, jam senior effectus, spolia Gentium diabolo detracta, Christo et Ecclesiæ divisit, *q. d.* Sicut Benjamini, ita et Pauli indoles lupina, semper sui similis, fuit rapax, bellicosa, spoliis prædisque assueta : unde mane et vespere, puta ante conversionem et post conversionem, non aliud egit, quam prædari, sed ante conversionem iniquus et impius, post conversionem vero justus et sanctus fuit prædo; qui non tantum spolia antea a se diabolo allata, rursum eidem eripuit, sed et omnes pene gentes ex ore et unguibus ejus extorsit, illisque eum exspoliavit, easque Christo et Ecclesiæ restituit. Sicut ergo leo nunc in bonum, nunc in malum capitur, et tam Christus vocatur

(1) Pro *Nazaræi* alii hebr. vertunt *eximii*; alii *principis*, seu dignitate præstantis.

(2) Alii : Tantam prædæ copiam coacervatam habebit, ut sibi non tantum mane, sed et per totum diem, et ad vesperam usque, aliis quoque, quibus lubens impertiet, sufficiat.

leo de tribu Juda, quam diabolus, qui circuit ut leo quærens quem devoret: ita pariter et lupus tam in bonam quam in malam partem accipi potest. « Paulus, inquit S. Ambrosius, lupus erat, cum devoraret oves Ecclesiæ; sed qui lupus venerat, pastor est factus. Ideo Rachel, cum pareret Benjamin, vocavit nomen ejus, Filius doloris mei, futurum prophetans ex ea tribu Paulum, qui affligeret filios Ecclesiæ, et gravi matrem dolore vexaret : sed tamen idem postea escam divisit, evangelizans Gentibus, et plurimos ad fidem provocans. Dilectus a Domino, quia vas electionis est factus : habitabit confidenter, et Deus obumbrabit super eum omnibus diebus, et inter humeros requiescet, » *Deuter.* XXXIII.

Vers. 28. 28. OMNES HI IN TRIBUBUS ISRAEL DUODECIM.— Hebraice est, *Omnes istæ tribus Israel sunt duodecim, q. d.* Ab his duodecim filiis Jacob descenderunt et denominatæ sunt duodecim tribus Israel. Numerantur enim hic singuli Jacobi filii (qui numero fuerunt duodecim,) ac consequenter numerantur et Levi et Joseph : ita ut quisque Jacobi filius unam tribum constituat. In divisione vero terræ sanctæ non numeratur Levi, quia nullam ejus partem habuit: pars enim Levi erat Dominus, id est, victimæ et primitiæ Domino oblatæ; nec numeratur Joseph, sed duo ejus filii, puta Ephraim et Manasse : hi enim in locum Levi et Joseph surrogati, duplicem tribum, et consequenter duplicem sortem in Chanaan acceperunt (1).

BENEDIXITQUE SINGULIS BENEDICTIONIBUS PROPRIIS. — Hinc videtur quod hactenus non tam benedictiones, quam prophetiæ fuerint Jacobi, quibus expletis ipse hic ultimam cuique addidit et impertiit benedictionem, licet quænam ea fuerit, Scriptura non exprimat.

Verum contrarium est verius : itaque sensus est, « benedixit singulis, » etc., id est, benedictiones hactenus enarratas, cuique proprias edixit et assignavit. Licet enim Simeon et Levi proprie non benedixerit, sed corripuerit, hæc tamen ejus paterna correptio, revera fuit benedictio. Ita S. Chrysostomus, Cajetanus, Lipomanus. Si enim aliæ a jam dictis et enarratis fuissent hæ benedictiones a Jacobo filiis datæ, eæque singulis propriæ, sane eas enarrasset Moses.

Vers. 31. 31. IBI ET LIA CONDITA JACET. — Hebraice est, *et ibi sepelivi Liam* : unde patet Liam mortuam esse in Chanaan, ibique a Jacobo sepultam, non autem mortuam esse in Ægypto, indeque cum mariti corpore translatam esse in Chanaan, ut volunt aliqui. Hebræi tradunt Liam mortuam esse anno ætatis 44; sed ex dictis cap. XXXV, vers. 19, videtur senior fuisse.

(1) Hoc subjungit Moses, ut ostendat, benedictiones illas non tam in ipsas personas, quam tribus singulis oriundas competere. *Unicuique, quod secundum benedictionem suam benedixit illis,* id est cuique propria et privata ac conveniente benedictione benedixit, juxta id quod cuique eventurum esset.

32. FINITISQUE MANDATIS. — Tradunt Hebræi Jacob morientem mandasse suis mutuam pacem et concordiam, atque unius veri Dei timorem, obedientiam et cultum, fugamque idololatriæ Ægyptiorum. Vers. 32.

COLLEGIT PEDES SUOS SUPER LECTULUM. — Jacob prophetans et benedicens filiis erexerat se, sedebatque in lecto pedibus dependentibus; nunc finito sermone suis valedicens, pedes in lectum colligit, sensimque expirat.

Vide hic quam placida sit mors justorum. Ita S. Lucius Martyr morti adjudicatus ab Urbicio præfecto gratias egit dicens : « A malis dominis liberor, et ad Deum patrem optimum transeo, » testis est Eusebius, lib. IV, cap. XVI. Babylas Martyr, cum cervicem feriendam præberet, dixit : « Revertere, anima mea, in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Eripuit animam meam a morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu. Ambulabo coram Domino in terra viventium. » Nam mors, ait S. Chrysostomus, est portus tranquillus, vera requies, somnus, ad meliora migratio, a malis liberatio, migratio a terra ad cœlum, ab hominibus ad angelos, et ad ipsum angelorum Dominum. Hinc Sapore rege Persarum Christianos trucidante, cum Pusices præfectus omnium regis artificum videret Ananiam, cui cædes jam parabatur, contremiscentem : « Paulisper, inquit, o senex, oculos occludito, et bono animo esto; nam statim lumen Dei videbis; » qua de causa lingua ei extracta est, direque excarnificatus gloriosum obiit martyrium : testis est Sozomenes, lib. II *Hist.* cap. IX et X. E contrario quam anxia, perturbata et tumultuosa sit mors impiorum, patet ex morte Antiochi, Herodis, Herodiadis, Chrysaorii, et aliorum. Mors justorum placida.

APPOSITUS EST AD POPULUM SUUM, — mortuus est, et quoad animam descendit ad patres et justos in limbo sinuque Abrahæ degentes. Ita loquitur Scriptura, ut significet animas Sanctorum post mortem non solitariam et tristem, sed socialem lætamque vitam agere : malorum vero animas, licet in igne conjungantur, perpetuis tamen odiis et rixis dissidere, atque maledictis et blasphemiis sese invicem, more canum lacerare.

Nota periodum vitæ Jacobi : Jacob natus est post diluvium anno 452. Fugiens Esau ivit in Haran ad Laban, anno ætatis suæ 77; inde post 20 annos, puta anno 97, rediit in Chanaan. Post 10 annos, puta anno 107, mortua est Rachel, et natus est Benjamin, atque Joseph venditus est in Ægyptum. Inde mansit adhuc Jacob in Chanaan per 23 annos. Nam anno ætatis centesimo trigesimo evocatus a Josepho, cum tota familia profectus est in Ægyptum, ibique vixit annis 17, ac mortuus est anno ætatis 147, qui fuit annus mundi 2256. Plura de his dixi cap. XLVII, vers. 28. Denique epitaphium et elogia Jacobi vide apud Sapientem, cap. X, vers. 10, et *Eccli.* cap. XLIV, vers. 25. Periodus vitæ Jacobi.

CAPUT QUINQUAGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Joseph cum fratribus et Ægyptiis plangit patrem defunctum, eumque sepelit in Hebron. Secundo, vers. 15, fratres ob scelus pavidos consolatur. Tertio, vers. 22, moritur, cupitque sepeliri in Chanaan.

1. Quod cernens Joseph, ruit super faciem patris, flens et deosculans eum. 2. Præcepitque servis suis medicis ut aromatibus condirent patrem. 3. Quibus jussa explentibus, transierunt quadraginta dies : iste quippe mos erat cadaverum conditorum, flevitque eum Ægyptus septuaginta diebus. 4. Et expleto planctus tempore, locutus est Joseph ad familiam Pharaonis : Si inveni gratiam in conspectu vestro, loquimini in auribus Pharaonis, 5. eo quod pater meus adjuraverit me, dicens : En morior : in sepulcro meo quod fodi mihi in terra Chanaan, sepelies me. Ascendam igitur, et sepeliam patrem meum, ac revertar. 6. Dixitque ei Pharao : Ascende et sepeli patrem tuum sicut adjuratus es. 7. Quo ascendente, ierunt cum eo omnes senes domus Pharaonis, cunctique majores natu terræ Ægypti : 8. domus Joseph cum fratribus suis, absque parvulis et gregibus, atque armentis, quæ dereliquerant in terra Gessen. 9. Habuit quoque in comitatu currus et equites, et facta est turba non modica. 10. Veneruntque ad aream Atad, quæ sita est trans Jordanem, ubi celebrantes exequias planctu magno atque vehementi, impleverunt septem dies. 11. Quod cum vidissent habitatores terræ Chanaan, dixerunt : Planctus magnus est Ægyptiis. Et idcirco vocatum est nomen loci illius, Planctus Ægypti. 12. Fecerunt ergo filii Jacob sicut præceperat eis, 13. et portantes eum in terram Chanaan, sepelierunt eum in spelunca duplici, quam emerat Abraham cum agro in possessionem sepulcri ab Ephron Hethæo contra faciem Mambre. 14. Reversusque est Joseph in Ægyptum cum fratribus suis, et omni comitatu, sepulto patre. 15. Quo mortuo, timentes fratres ejus, et mutuo colloquentes : Ne forte memor sit injuriæ quam passus est, et reddat nobis omne malum quod fecimus, 16. mandaverunt ei dicentes : Pater tuus præcepit nobis, antequam moreretur, 17. ut hæc tibi verbis illius diceremus : Obsecro ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum, et peccati atque malitiæ quam exercuerunt in te; nos quoque oramus ut servis Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc. Quibus auditis flevit Joseph. 18. Veneruntque ad eum fratres sui, et proni adorantes in terram dixerunt : Servi tui sumus. 19. Quibus ille respondit : Nolite timere; num Dei possumus resistere voluntati? 20. Vos cogitastis de me malum; sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me, sicut in præsentiarum cernitis, et salvos faceret multos populos. 21. Nolite timere, ego pascam vos et parvulos vestros; consolatusque est eos, et blande ac leniter est locutus. 22. Et habitavit in Ægypto cum omni domo patris sui, vixitque centum decem annis. Et vidit Ephraim filios usque ad tertiam generationem. Filii quoque Machir filii Manasse nati sunt in genibus Joseph. 23. Quibus transactis, locutus est fratribus suis : Post mortem meam Deus visitabit vos, et ascendere vos faciet de terra ista ad terram quam juravit Abraham, Isaac et Jacob. 24. Cumque adjurasset eos atque dixisset : Deus visitabit vos, asportate ossa mea vobiscum de loco isto : 25. mortuus est, expletis centum decem vitæ suæ annis. Et conditus aromatibus, repositus est in loculo in Ægypto.

Vers. 2. 2. MEDICIS, UT AROMATIBUS CONDIRENT PATREM, — puta balsamo, myrrha, casia aliisque aromatibus, quæ et cadaver a putrefactione servant, illique gratum odorem conciliant. Singulares in hac

arte condiendi corpora fuerunt Ægyptii; testantur id etiamnum hodie *caromomia*, id est cadavera ante multos centenos annos sepulta, quæ jam eruuntur et venduntur, atque pharmacopœis ad pharmaca serviunt : hæc enim ex Ægypto advehuntur. Morem condituræ Ægyptiæ tradit Herodotus, lib. III, et Diodorus lib. I.

Caromomia.

Anagogice, Rabanus : « Felix, inquit, illa anima, quæ virtutum aromatibus condita, in loculo corporis degentes, perenni vitæ reservatur » (1).

Vers. 5. 5. QUOD FODI. — « Fodi, » id est emi. Sic Osee fodit, id est emit sibi uxorem, *Osee* III, 3. Unde hæc phrasis manarit, ibi dixi.

Fodere subinde significat emere.

Dices : Versu 13 dicitur non Jacob, sed Abraham emisse hanc speluncam sepulcralem. Respondeo : Abraham eam emit; sed cum postea Jacobo de eadem ab Hethæis lis moveretur, coactus fuit Jacob secundo eam emere. Alii sic explicant : « quod fodi, » sive emi, id est quod emit Abraham, avus meus, cujus ego sum filius et hæres.

Verum dico simpliciter hic accipi τὸ *fodi*; nam in spelunca hac duplici et ampla, varia effodi poterant sepulcra; suum ergo sibi effodit Jacob. Ita Vatablus, Pererius et alii.

Vers. 10. 10. AREAM ATAD. — Dicta est hæc area Hebraice *Atad*, a spinarum multitudine. Situs est locus hic, ait Procopius, juxta Hierichuntem, nunc ei nomen est « Betagla, » id est domus circuli. Nam cum ibi lugerent Jacob defunctum, in modum circuli et coronæ circumsteterunt cadaver. Ita S. Hieronymus, nisi quod dicat eos circuisse cadaver, qui mos veterum fuit Gentilium, ut patet ex Homero et Virgilio, tuncque defunctis Salve et Vale inclamabant, eisque terram levem, pacem et quietem imprecabantur, uti docet Kirchmannus, lib. III *De Funer.* cap. III et IX.

TRANS JORDANEM. — Venientibus ex Chananæa; nam venientibus ex Ægypto Atad est cis Jordanem.

Nota : Joseph cum suis planctum hunc fecit in Atad, non in Hebron ubi sepeliendus erat pater, ne, si in Hebron, puta in intimis Chananææ, tamdiu consisterent, Chananæis suspicionem aliquam proditionis moverent, aut cum eis rixas aliquas bellumve contraherent. In Atad ergo Joseph cum toto suo comitatu, planxit patrem septem diebus, inde perrexit in Hebron, ibique sepulto patre illico domum reversus est. Ita S. Augustinus (2).

Vers. 16. 16. MANDAVERUNT. — Submiserunt nuntium, vel legatum, forte Benjamin insontem, et Josephi fratrem uterinum, qui nomine non tam suo, quam patris defuncti, hæc a Josepho postularet. Videntur mentiri hic fratres, et nomine patris abuti, ut male sibi conscii eo se protegant. Pater enim de Josephi virtute, mansuetudine et charitate fratribus ostensa per experientiam certus, nil mali fratribus, ab eo metuebat; et si metuisset, vivens id Josepho dixisset, plenamque eis veniam et præteritorum oblivionem impetrasset.

17. UT SERVIS — (ita legendum cum Hebræis, Græcis et Romanis, non *servo*) DEI PATRIS TUI. — Ut nobis scilicet, qui sumus servi Dei, Dei inquam veri et aviti, quem coluit pater tuus, dimittas iniquitatem, quam in te exercuimus. Vers. 17.

19. FLEVIT JOSEPH — dolens fratres anxiari, et reconciliationi suæ diffidere. Infide hæc narrat Josephus : ulcisci se noluit Joseph; sciebat enim, quod ultionis momentanea est delectatio, misericordiæ sempiterna. Vers. 19.

19. NOLITE TIMERE : NUM DEI POSSUMUS RESISTERE VOLUNTATI. — Ergo, inquit Melanchthon, tam est opus Dei proditio Judæ, et venditio Joseph, quam vocatio Petri. Ita et Calvinus.

Respondeo : imprimis Septuaginta vertunt, *nolite timere, Dei ego sum*, scilicet servus; et Chaldæus, *nolite timere, a facie Dei timeo, q. d.* Absit a me qui sum servus et imitator Dei, ultionis appetitus, et vindictæ cupido. Ita S. Chrysostomus et Bellarminus, lib. II *De amissione gratiæ*, cap. XI. Sic et Suarez nostram versionem explicat : « Num Dei possumus resistere voluntati, » ei scilicet, qua vult ut vobis parcam?

Verum pro intelligentia nostræ versionis nota : Deus absoluta voluntate ante omnia decreverat Josephum in Ægyptum mittere, sive per se, sive per suos fratres, eumque ibi exaltare, et per eum fami communi consulere. Deinde prævidit aptum ad id fore medium fratrum malitiam, si eam permitteret exequi odium suum, quod in Josephum conceperant. Eam ergo Deus sapienter permittere, et ad finem jam dictum ordinare decrevit.

Nota *secundo*, Deus circa peccata duplicem habet voluntatem et providentiam : *primo*, permissivam, non autem immissivam peccati, ut vult Calvinus; *secundo*, ordinativam; qua peccatum ordinat ad justam pœnam, vel aliud commune, aut privatum bonum; neutri voluntati Dei homo proprie potest resistere. Utraque enim est in solo Deo, et Dei libertate sita.

Duplex Dei voluntas et providentia circa peccata.

Perperam ergo Cicero, ut libertatem humani arbitrii tueretur, illud Deo subjici, et ab eo regi negavit; hinc merito de eo dixit S. Augustinus, lib. V *De Civit.* cap. IX : « Cicero, ut nos faceret liberos, fecit sacrilegos. »

Dices : Ergo etiam peccato homo resistere nequit; hoc enim necessario sequitur ex permissiva voluntate Dei. Respondeo : Ex hac Dei voluntate peccatum non sequitur necessario, sed infallibiliter, perinde ac sequitur ex præscientia Dei; peccatum enim voluntatem Dei non sequitur, sed antecedit : est enim ejus objectum. Itaque antequam Deus vult permittere peccatum, prævidet illud, videtque illud futurum, si ipse id velit permittere. Nam causa per se, et positiva peccati est

Peccatum voluntatem Dei antecedit.

(1) Vers. 4. Josephus Ægyptiis utitur intercessoribus, quod ipse cum suis in luctu versabatur; non enim solebant pullati apparere coram rege. Cf. *Esth.* IV, 2.

(2) Vers. 11. Alii Hebr. vertunt, *planities Ægyptiorum.* Vers. 15, Hebr. est, *forsan adeo nos habuerit Josephus*

voluntas hominis; Dei autem voluntas tantum est causa peccati permissiva, quæ tantum est causa *sine qua non*.

Nota *tertio*, Joseph hic, ut injuriæ fratrum se oblitum ostendat, utque eam elevet, et fratres consoletur, more piorum et sanctorum, ad utramque Dei voluntatem hoc fratrum peccatum refert; unde hebraice est, *num pro Deo ego?* id est, an Deus sum ego? qui scilicet hæc omnia dixerim et ordinarim tam commode et congrue, *q. d.* Cum Deus omnia suo nutu gubernans et coordinans (hoc enim hebraice est *Elohim*) decrevit me mittere in Ægyptum, eique me præficere, tam ad meum, quam ad vestrum, imo commune omnium bonum, scilicet ad publicam famem levandam; atque ad hoc permiserit vestrum scelus, quo me vendidistis in Ægyptum, eoque quasi medio usus sit ad hanc meam præfecturam : absit ut pœna afficiam eos, quorum scelus mihi in summum bonum cessit, quosque Deus vult esse salvos : quin potius de tam felici eventu, qui Dei voluntate et providentia ex vestro scelere mihi et vobis accidit, gaudendum est, Deique voluntati hæc omnia tam permittenti, quam ordinanti ascribenda et submittenda sunt. Hunc esse sensum patet ex seq. et ex cap. XLV, vers. 5 et 8. Ita Interpretes et doctores, ac præsertim S. Chrysostomus, *hom.* 64, et Ambrosius, lib. *De Joseph*, cap. XII, et ex iis Ludovicus Molina, I *part.* Quæst. 19, art. 9, disp. 2. Sic Apostolus ad *Romanos*, XI, ut Gentes moveat ad compassionem, qua non indignentur, sed condoleant incredulitati Judæorum, dicit eorum incredulitatem et delictum esse salutem Gentium : quia scilicet prædicatio Evangelica, ipsique præcones Evangelii, puta Apostoli, repulsi a Judæis, deflexerunt ad Gentes, easque ad fidem, salutem et gratiam adduxerunt. Additque Apostolus, Deum conclusisse, id est concludi permisisse, omnia sub peccato, ut omnium misereretur, *q. d.* Ergo et vos, o Gentes, Deum imitamini, et ut Deus vestri misertus est, ita et vos Judæorum miseremini (1).

Sensus Josephi.

Ita Sancti in voluntatem Dei omnia resignantes excusaverunt vitia et afflictiones sibi ab aliis illatas, easque animo quieto et sereno exceperunt : ut David, qui maledictionem Semei retulit ad voluntatem Dei, volentis punire sua peccata, ideoque noluit eum puniri. Et Machabæi, qui suos cruciatus acceptos tulerunt Deo, et divinæ castigationi. Sophronius memorat Abbatem, cui discipulus per imprudentiam in mensa olera peramara apposuit; dissimulavit rem Abbas : gustans ex eisdem postea discipulus, errorem agnovit, et veniam precatus est. Cui Abbas : « Voluntas, inquit, Dei fuit, ut talia mihi apponeres. Si enim Deus aliud voluisset, effecisset ut alia proponeres. » Est enim hic actus magnæ humilitatis, resignationis et conformitatis cum voluntate divina, in qua consistit perfectio humana et angelica. Vidit hoc per umbram Gentilis Pythagoras, qui inter aurea suæ ethices carmina et præcepta, hæc inter prima ponit :

Resignare se Deo etiam in ferendis peccatis aliorum, magna est perfectio.

> Mortales quæcumque diis mittentibus angunt,
> Ut tua sors tulerit, patiens ne ferre recuses :
> Non spernenda medela tamen.

20. VOS COGITASTIS DE ME MALUM. « Cogitastis » tantum, quia vestras utpote hominum contra me machinationes, Deo me protegente, non potuistis perficere. Vers. 20.

21. BLANDE ET LENITER. — Hebraice est, *locutus est ad cor eorum*. Videant hic fideles, videant et imitentur principes clementiam et mansuetudinem Josephi, imo Christi, qui ait : « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde. » Clemens erat Alexander Severus Imperator; objiciebant hoc illi mater et uxor, dicebantque : « Molliorem tibi, magisque contemptibilem imperii dignitatem fecisti; » ille : « Sed securiorem, respondit, et diuturniorem. » Vers. 21. Exempla clementiæ principum.

Constantius Imperator raptores cujusdam virginis in exilium relegarat; parentes indignabantur eos non esse morte mulctatos. Tum ille : « Hactenus, inquit, incusent jura clementiæ; sed Imperatorem, mitissimi animi legibus, cæteris præstare decet. »

Sic Carolus Magnus filiam, quod cum Eginharto secretario fornicata esset, utrumque mortis reum, non morte punivit, sed conjugio copulavit. Rem fuse narrat Lipsius, lib. II *Monit. Polit.* cap. XII, num. 12.

Rudolphus Imperator Austriacus, ex severiore mitior factus : « Severum, inquit, et immitem fuisse me aliquando pœnituit; lenem et placabilem, nunquam. »

A Ludovico XII quidam postulavit bona civis cujusdam Aurelianensis, qui acerrimus Ludovici fuerat hostis, eo tempore, quo Ludovicus dux

(1) Hic locus verti potest : *Ne timeatis; nam numquid pro Deo sum ego?* Varie autem accipitur. Quidam eo referunt, quod versu superiore dicitur fratres Josepho submisisse, et coram eo prodisse in faciem, quasi Josephus non sibi sed Deo hoc præstandum dicat, quum tamen istam reverentiam passim antea admiserit, supra XLII, 6; XLIII, 26, 28. Nec se pro Deo ab illis adorare agnoscebat, ut amoliri a se deberet. Alii ad vindictam referunt, Dei esse, non suum, culpam ab illis in se commissam ulcisci. Sed Josephum fratribus culpam omnino remisisse, dubio caret. Verius videtur phrasis illa adagialis fuisse, nec aliter hic capienda ac supra XXX, 2, ubi Jacobus ad Rachelem postulantem prolem dixisse narratur : « Num pro Deo sum ego, ut tibi dem prolem? » Sic hoc loco Josephus hoc volet : quum ita Deus statuerit, et malum hoc, uti sequitur, sua providentia admiranda in bonum converterit, sumne Dei loco, ut impediam ejus providentiam, et in perniciem vestram convertam, quod ille aperte convertit in bonum vestrum et multorum? Deus vos servatos hac ratione voluit, sicut et me : num ego nitar adversus ejus providentiam et vos perdam? absit! Cf. supra XLV, 8. Eumdem sensum videtur spectasse Hieronymus, qui hunc locum sic est interpretatus : « Num Dei possumus resistere voluntati? »

tantum erat Aurelianensis, et a Carolo VIII rege Franciæ dissidebat; cui Ludovicus animo plane regio : « Tu, inquit, aliud a me pete, et meritis tuis gratia erit. De isto omitte : nam rex Galliæ non ulciscitur injurias Ducis Aurelianensis, » *q. d.* Rex factus nolo ulcisci injurias mihi in Ducatu illatas.

Alfonsus, Aragonum rex, teste Panormitano, rogatus cur erga omnes, etiam malos, ita mitis esset, respondit : « Quia bonos justitia conciliat, malos clementia. » Cumque sui de nimia ejus lenitate quererentur : « Quid ergo, inquit, vultis ursos et leones regnare? hominum clementia, belluarum feritas propria est. Malo multos mea clementia servare, quam paucos mea severitate perdere. » Quidam ei objecit : Cave ne tua hæc clementia in perniciem cedat; cui ille : « Imo vero, inquit, multa mihi perferenda sunt, ne in invidiam cadam. » Idem, rogatus quid maxime adversarios flecteret, respondit : « Placabilitatis et mansuetudinis nomen. »

Idem contra Venetos, instructa acie, procedens, cum illi occurrerent, humiliterque pacem peterent, atque sui quidvis ab eis extorquere cuperent, Alfonsus respondit : « Nullum aliud datæ pacis pretium existimo, quam hostibus, genibus ad me advolutis, pacem dare. » Recte Ovidius :

Conveniens hominum est hominem servare voluptas :
Et melior nulla quæritur arte favor.

Videmus id nunc in Belgio.

Vers. 22. Periodus vitæ Josephi.

22. VIXITQUE CENTUM DECEM ANNIS. — Hæc est periodus vitæ Josephi : Joseph a fratribus venditus est anno ætatis suæ 16, Jacobi 107, mundi 2216. Servitutem et carcerem toleravit 13 annis. E carcere eductus, factus est princeps Ægypti anno ætatis suæ 30, patris 121, mundi 2230. Patrem Jacobum in Ægyptum vocavit, eumque ibi excepit anno ætatis suæ 39, patris 130, mundi 2239, qui fuit ab exaltatione et principatu suo nonus, post obitum Isaac decimus. Obiit Joseph anno ætatis suæ 110, ab exaltatione sua 80, ab obitu patris 54, mundi 2310, ante exitum Mosis et Hebræorum ex Ægypto 144.

Moraliter S. Chrysostomus, *hom.* 67 et ultima : « Vidisti, ait, quomodo majora sint præmia quam labores, retributionesque multipliciores. Tredecim annis servitutem et carcerem sustinuit, octoginta annis regnum administravit. »

FILII QUOQUE MACHIR. — « Filii, » id est filius : unum enim tantum genuit Machir; est enallage numeri. Ita S. Augustinus.

NATI SUNT IN GENIBUS, — *q. d.* Joseph filium Machir, mox ut natus est, sibi in filium adoptavit, ideoque in genibus suis eum statuit et excepit, uti fecit Rachel, cap. XXX, vers. 3 (1).

(1) Apud antiquissimos Græcos deponebantur nepotes in avi genibus, si adesset, ut liquet ex *Odyss.* T. 401, ubi cum Autolycus Laertem invisisset paulo postquam natus esset Ulysses, *eum et Euryclea genibus imposuit, finienti cœnam.*

Vers. 24

24. ASPORTATE OSSA MEA VOBISCUM, — ut cum patre, avo et abavo sepeliar in Chanaan, terra nobis a Deo promissa. Vide dicta cap. XLVII, vers. 29 et 30. Hoc est quod ait Paulus, *Hebr.* XI, vers. 22 : « Fide Joseph, moriens, de profectione filiorum Israel memoratus est, et de ossibus suis mandavit. » « Hoc autem, ait S. Chrysostomus, non temere faciebat; duo enim agebat : unum, ne Ægyptii memores beneficiorum ejus, cum pro more suo facile ex hominibus deos appellent, corpus justi haberent in impietatis occasionem; alterum, ut securi et certi omnino sint se redituros. Et videre licebat rem novam et admirabilem, eum qui omnem Israel in Ægypto pascebat, illum et ducem reditus, et in terram Israel inducentem. » Promissis Josepho factis steterunt Israelitæ, cum exeuntes ex Ægypto secum extulerunt ossa Joseph, eaque intulerunt in Chanaan, sepelieruntque in Sichem, ut habetur *Josue* XXIV, 32 (2).

Anagogice. Anagogice Rabanus : « Joseph, inquit, incolatum terræ Ægypti detestans, terram repromissionis desiderabat, ut quamdiu sumus in hac peregrinatione, veram patriam, terram viventium, justis promissam desideremus, et in eam transferri post mortem velimus; » ideoque cum Psalte crebro suspiremus : « Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! habitavi cum habitantibus Cedar. Concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini. »

Pia Sanctorum morientium verba ultima.

Similia Josephi et Jacobi, puta pia et cœlestia, fuerunt aliorum Patriarcharum, et Sanctorum morientium monita et vota; ut Mosis, *Deut.* XXXI et XXXII; Josue, cap. XXIV; Davidis; II *Reg.* XXII et XXIII; Elisæi, IV *Reg.* XIII; Mathathiæ, I *Machab.* II. Ita S. Basilius moriens suos ad se confluentes doctrina sacra instruxit, dicensque : « In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum, » animam lætus exhalavit. Testis est Nazianzenus, *orat.* 20.

S. Ambrosius moriens ait : « Non sic vixi, ut pudeat me inter vos vivere. Sed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus. »

S. Augustinus moriens : « Non est mirum, inquit, quod cadunt ligna et lapides, et mortales moriuntur. »

S. Chrysostomus exul in magna afflictione paulo ante mortem scribens ad Innocentium Pontificem : « Nos, inquit, tertium jam annum in exilio versamur, expositi pestilentiæ, fami, bello, continuis incursionibus, solitudini inenarrabili, quotidianæ morti, et Isauricis gladiis. » Hisce confectus tandem, et moriens dixit : « Gloria tibi, Domine, de rebus omnibus, » uti refert Nicephorus, lib. XIII, cap. XXXVII.

S. Martinus moriens, oculis ac manibus in cœ-

(2) Vers. 25. *In loculo*, de quibus loculis Herodotus, lib. II, cap. LXXXVI : « Faciunt (Ægyptii) ligneam hominis effigiem, et postquam fecerunt, includunt mortuum; inclusumque in conclavi thecarum rectum statuunt ad parietem. » Ejusmodi arcæ, gall. *Momies*, etiamnum in subterraneis Ægypti cryptis inveniuntur. Cf. De Saulcy, *Hist. de l'art. Judaïque*, pag. 16.

lum semper intuens, invictum ab oratione spiritum non relaxabat; et cum a presbyteris rogaretur ut corpusculum lateris mutatione relevaret : « Sinite, inquit, me cœlum potius respicere quam terram, ut suo jam itinere iturus ad Dominum spiritus dirigatur. » Hæc locutus diabolum vidit assistere; cui ille : « Quid hic astas, cruenta bestia? nihil in me funeste reperies. Abrahæ me sinus recipiet, » inquit Sulpitius.

S. Fulgentius acerrimo morbo correptus : « Domine, inquit, da mihi modo patientiam, et postea indulgentiam, » petensque a suis erratorum veniam, ac quod reliquum erat pecuniæ pauperibus distribuens, emigravit.

S. Gregorius sub mortem scribens ad Rusticanam patriciam : « Me, inquit, amaritudo animi, et assidua exacerbatio, atque podagræ molestia afficit, ut corpus meum tanquam in sepulcro siccatum sit : unde peto ut pro me oretis, quatenus de hoc carcere citius educar. »

S. Hilarion, teste S. Hieronymo, moriens dicebat : « Egredere, quid times, anima mea? quid dubitas? septuaginta prope annis servisti Christo, et mortem times? »

S. Bernardus moriens : « Hæc tria, ait, in vita servavi quæ vobis commendo : *primo,* minus sensui meo quam alterius credidi; *secundo,* læsus de lædente vindictam non expetivi; *tertio,* nemini scandalum facere volui; et si quando incidit, sedavi ut potui. »

Gerardus, S. Bernardi frater, moriens ait : « Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis. »

Fernandus, Castellæ rex, moriens : « Domine, inquit, regnum quod a te accepi, tibi restituo; colloca me, quæso, in æterna luce. »

Carolus, Siciliæ rex, moriens : « O vanas, inquit, hominum cogitationes! quid mihi jam regnum prodest? quam præstaret jam pauperem fuisse, non regem! »

SYNOPSIS

HISTORIÆ ET CHRONOLOGIÆ

TOTIUS GENESEOS.

1. Adam creatur. Primo anno mundi, die sexto, qui fuit dies veneris, creavit Deus Adam et Evam. *Gen.* I, 26.

2. Seth nascitur. Anno 130 Adæ et mundi natus est Seth. *Genes.* cap. V, vers. 3.

3. Adam moritur. Anno suo et mundi 930 mortuus est Adam. *Gen.* cap. V, vers. 5.

4. Henoch rapitur. Henoch raptus est in paradisum anno mundi 987; ætatis vero suæ 365. *Gen.* cap. V, vers. 23.

5. Mathusalem nascitur. Natus est Mathusalem anno mundi 687, vixitque annos 969; ac consequenter mortuus est anno mundi 1656, qui fuit annus diluvii. *Genes.* cap. V, vers. 27.

6. Noe nascitur. Noe natus est anno mundi 1056, puta 126 annis post mortem Adæ; cumque esset 500 annorum, genuit Sem, Cham et Japhet. *Gen.* V, 30.

7. Diluvium. Anno sexcentesimo Noe, qui fuit annus mundi 1656, factum est diluvium, quod duravit annum integrum. *Gen.* VII, 11, et cap. VIII, vers. 14.

8. Turris Babel. Anno 170 a diluvio, Nemrod cum suis ædificat turrim Babel, ibique Deus confundit linguas, et dispergit homines in varias terras et gentes. *Gen.* cap. XI, vers. 9, ut ibi ostendi.

9. Abraham nascitur. Anno 292 a diluvio nascitur Abraham, qui fuit annus mundi 1949. *Gen.* cap. XI, vers. 26.

10. Noe moritur. Anno 350 a diluvio, cum Abraham ageret annum ætatis 58, moritur Noe. *Gen.* cap. IX, vers. 29.

11. Abraham vocatur a Deo. Anno ætatis suæ 75, Abraham a Deo ex Chaldæa evocatur in Chanaan. *Gen.* cap. XII, vers. 4.

12. Victori Abrahæ occurrit Melchisedech. Inter vocationem Abrahæ et nativitatem Ismael, quasi medio tempore, puta sub annum Abrahæ 80, videtur contigisse victoria Abrahæ contra Chodorlahomor; et occursus, benedictio ac sacrificium Melchisedech, de quo *Gen.* XIV.

13. Ismael nascitur. Inde post quinque annos, puta post decem annos a vocatione sua, Abraham ducit Agar ancillam suam, ex qua sequenti anno, qui fuit octogesimus sextus vitæ Abrahæ, gignit Ismaelem. *Gen.* cap. XVI, vers. 16.

14. Circumcisio instituitur. Inde a nato Ismael anno decimo tertio, cum Abraham esset 99 annorum, a Deo accipit Sacramentum circumcisionis, seque et Ismaelem circumcidit. *Gen.* cap. XVII, vers. 24.

15. Isaac concipitur. Hoc eodem anno 99 Abrahæ, qui fuit mundi 2048, promittitur ei, et reipsa concipitur Isaac. *Gen.* cap. XVIII, vers. 10.

Hoc eodem anno 99 Abrahæ, imo et eodem die, quo Angeli Abrahæ promiserunt filium Isaac, contigit incendium Sodomæ, conversio uxoris Lot in statuam salis, Lot ebrietas et incestus cum filiabus. *Gen.* cap. XXI, vers. 1 et seq. 16. Sodoma conflagrat.

Anno sequenti, qui fuit centesimus Abrahæ, mundi vero 2049, nascitur Isaac. *Gen.* XXI, 4. 17. Isaac nascitur.

Abraham immolat Isaac agentem annum vigesimum quintum, anno ætatis suæ 125, si credimus Josepho. *Gen.* cap. XXII. 18. Isaac immolatur.

Sara uxor Abrahæ moritur anno ætatis 127, qui fuit Abrahæ 137. *Gen.* cap. XXIII, vers. 7. 19. Sara moritur.

Isaac ducit Rebeccam anno ætatis suæ 40, qui fuit Abrahæ 140. *Gen.* cap. XXV, vers. 20. 20. Rebecca nubit.

Abraham moritur anno ætatis 175, qui fuit annus mundi 2124. *Gen.* cap. XXV, vers. 7. 21. Abraham moritur.

Ismael moritur anno 48 post mortem Abrahæ, cum esset 137 annorum. *Gen.* cap. XXV, vers. 17. 22. Ismael moritur.

Isaac gignit Jacob et Esau anno ætatis 60, qui fuit a diluvio annus 452, mundi 2109. *Gen.* cap. cap. XXV, vers. vers. 26. 23. Jacob nascitur.

Anno 502 a diluvio, cum Jacob ageret annum ætatis quinquagesimum, moritur Sem, filius Noe: vidit ergo Jacob suum avum undecimum Sem; a Sem enim undecima generatione descendit Jacob: vixit enim Sem annis 602. *Gen.* cap. XI, 11. 24. Moritur Sem.

Jacob fratri Esau prærripit benedictionem patris, ideoque fugit in Haran, anno ætatis 77, ibique servit Laban per viginti annos, quibus expletis redit in Chanaan anno ætatis 97. *Genes.* cap. XXXI, vers. 41. 25. Jacob fugit.

Jacob cum esset 91 annorum, gignit Joseph, puta anno mundi 2200. *Gen.* cap. XXX, vers. 24 et 25 juncto cum *Gen.* cap. XXXI, vers. 41. 26. Joseph nascitur.

Moritur Isaac anno ætatis 180, qui fuit Jacobi 120. *Gen.* cap. XXXV, vers. 28. 27. Isaac moritur.

Joseph venditur in Ægyptum anno ætatis decimo sexto, cum jam paulo ante mortua esset ejus mater Rachel, et natus Benjamin. Paulo ante mortem Rachelis contigit stuprum Dinæ, et excidium Sichimorum. *Gen.* cap. XXXVII, vers. 2. 28. Joseph venditur.

Joseph servit in Ægypto tredecim annos, puta usque ad annum ætatis trigesimum, ex quibus tres ultimos annos egit in carcere. *Gen.* cap. XL, vers. 4 juncto cum *Gen.* cap. XLI, vers. 1. 29. Joseph servit.

30. Joseph fit princeps. Joseph anno ætatis trigesimo educitur e carcere, fitque princeps Ægypti. *Gen.* XLI, 46.

31. Jacob it in Ægyptum. Post annum 30 Josephi ejusque principatum, mox secuti sunt septem anni fertilitatis, et duo sterilitatis, cujus anno secundo, qui fuit nonus a principatu Josephi, Jacob descendit in Ægyptum agens annum 130, Josepho tunc agente annum ætatis 39. *Gen.* cap. XLV, vers. 6 juncto cum *Gen.* cap. XLVII, vers. 9.

32. Jacob moritur. Jacob septemdecim annos vixit in Ægypto, moriturque anno ætatis 147, mundi 2256. *Genes.* cap. XLVII, vers. 28.

33. Joseph moritur. Joseph ab anno ætatis trigesimo dominatur in Ægypto usque ad mortem, per 80 annos, moriturque anno ætatis 110. *Gen.* LVIII, 25. Atque si horum omnium breve compendium cupias, accipe : Diluvium contigit anno mundi 1656; a diluvio anno 292 nascitur Abraham, anno Abrahæ 100 nascitur Isaac, anno Isaaci 60 nascitur Jacob, anno Jacobi 91 nascitur Joseph, qui vixit 110 annis; mortuus est ergo Joseph anno a diluvio 653, a creatione mundi 2310, quo anno finitur historia et chronologia Geneseos.

Ubi jam Adam? ubi Cain? ubi Seth? ubi Mathusalem? ubi Noe? ubi Sem? ubi Heber? ubi Abraham? ubi Jacob? ubi Joseph? vixerunt : fuimus Troes. Sic transit vita, sic transit gloria mundi. O ros! o vanitas! quid ambis? quid longa speras? breve est, quidquid hic vides. In ictu oculi clauduntur omnia. « Omnis consummationis vidi finem : latum mandatum tuum nimis. Cogitavi dies antiquos, et annos æternos in mente habui. »

ÆTERNITATEM COGITA,
ÆTERNANTES POENAS,
ÆTERNANTIA GAUDIA.

DOXOLOGIA

DEI CREATORIS

EX FACTIS IN GENESI.

Confitebor tibi; Domine, in toto corde meo : consideravi enim opera sapientiæ et potentiæ tuæ, et expavi.

Non est similis tui in diis, Domine : et non est secundum opera tua.

Cœlum et terra. In principio cœlum, terram et abyssum ex nihilo creasti : non tibi, nec angelis, qui loco corporeo non egent; sed filiis hominum.

Æternitas Dei. O Rex sæculorum habitans æternitatem, ante mundum per æterna sæcula, omnibus bonis in teipso fruebaris, jucundissimeque vivebas cum Unigenito tuo, et Sancto Spiritu, beatus et gloriosus.

Initio temporis te tuaque bona voluisti communicare angelo et homini : ideoque creasti omnem hanc mundi machinam.

Angeli. Tunc creasti angelos spiritus, et ministros tuos ignem urentem.

Tunc te laudarunt astra matutina, et jubilarunt omnes filii Dei.

Omnia enim in numero, pondere et mensura disposuisti, singula singulis sapienter et apte associasti : divisisti lucem a tenebris, et angelos a dæmonibus.

Quis enarrabit cœlorum rationem, et concentum cœli dormire quis faciet?

Quis posuit fundamenta terræ? quis tetendit super eam lineam? super quo bases illius solidatæ sunt? quasi pila pendet in aere, quæ centrum et basis est mundi.

Tu es, Domine, qui tribus digitis appendis et firmas pensilem globum terræ : tu super maria fundas et fulcis eum.

Tui sunt cœli, tua est terra, tua sunt quæ cœli et terræ ambitu continentur. Dominus universorum tu es.

Cœli clamor. Cœli et terra clamant, ut colamus et amemus te : inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.

Cœli et terra clamant : Ipse fecit nos, et non ipsi nos : Creatorem universorum agnoscite, et adorate omnes filii Dei.

Terram quasi palæstram dedit filiis Adæ : cœlum, quasi regnum gloriæ adornavit timentibus se.

O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus!

Filii hominum, usquequo gravi corde? ut quid servitis creaturæ, non Creatori? ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?

Ut quid creaturæ Dei vobis fiunt in tentationem, et in muscipulam pedibus insipientium?

Benedic, anima mea, Domino : et omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus.

Qui de tenebris fecit lucem splendescere : qui ortum præcipit diluculo, et ostendit auroræ locum suum. *Lux.*

Qui separavit aquas a terra, et dixit : Germinet terra herbas et arbores, ut habitent et vivant in ea homines, et pecora campi. *Aqua.*

Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulva procedens?

Cum poneret nubem vestimentum ejus : et caligine illud, quasi pannis infantiæ, involveret?

Circumdedit illud terminis suis, et posuit vectem et ostia, et dixit : Usque huc venies, et non procedes amplius; et hic confringes tumentes fluctus tuos.

Qui ingressus est profunda maris : et in novissimis abyssi deambulat.

Fecit ut in eo luderent cete grandia : pisces, et reptilia, quorum non est numerus. *Pisces.*

Domine, Dominus noster : quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Posuisti in vertice mundi duos oculos, solem et lunam : ut vicissim illuminent diem et noctem. *Sol et Luna.*

Dum totum orbem obeunt, ab Oriente ad Occidentem : indeque per antipodes gyrant ad Orientem.

In omnem terram exiit fulgor et sonus eorum : et in fines orbis terræ verba eorum.

In sole posuisti tabernaculum tuum : et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.

Exultavit ut gigas ad currendam viam : a summo cœlo egressio ejus.

Et occursus ejus usque ad summum ejus : nec est qui se abscondat a calore ejus.

Confiteantur cœli mirabilia tua, Domine : celebrent magnalia tua in ecclesia sanctorum.

Deus noster est, qui emittit lumen, et vadit : et vocat illud, et obediet ei in tremore.

Stellæ. Stellæ dederunt lumen in custodiis suis, et lætatæ sunt, et vocatæ dixerunt : Adsumus; et luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas.

Decora valde in acie, et fulgore suo incedunt astra : quam pulcher ergo et decorus est Creator eorum; quam speciosus est præ filiis et filiabus hominum!

Invisibilia tua, Domine, per visibilia tua opera clare conspiciuntur : sempiterna quoque tua virtus, et divinitas; ut qui ea non vident, sint inexcusabiles.

Deus noster est, qui firmavit æthera sursum : et inferne libravit fontes aquarum.

Nix, tonitru, grando. Aperuit thesauros suos sursum : et evolaverunt nebulæ, et nives, sicut aves.

Vox tonitrui ejus verberabit terram : ut concutiantur cardines orbis.

Gelu sicut salem effundit : e nubibus confringit lapides grandinis.

Fulgur, pluvia, ros. Mittet fulgura, et subito ibunt ad extrema terræ : et revertentia dicent ei : Adsumus.

Ipse est pluviæ pater : ipse generat stillas roris.

Multa abscondita sunt majora his : pauca enim vidimus operum ejus.

Benedicite, omnia opera Domini, Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula.

Qui sedet in throno regni sui super Cherubim : qui ambulat super pennas ventorum.

Benedicite, angeli Domini, Domino : benedicite, aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, Domino.

Pisces, aves, pecora, homo. Benedicite, imber et ros, Domino : benedicite, fulgura et nubes, Domino.

Benedicite, maria et flumina, Domino : benedicite, cete et omnia quæ moventur in aquis, Domino.

Benedicite, omnes volucres cœli, Domino : benedicite, omnes bestiæ et pecora, Domino.

Et vos, o filii hominum, benedicite Domino : vos enim creavit ad imaginem et similitudinem suam.

Quid est homo; quod memor es ejus, Domine? aut filius hominis, quoniam visitas eum?

Minuisti eum paulo minus ab angelis : gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Omnia subjecisti sub pedibus ejus : oves et boves universas, insuper et pecora campi.

Benedicite, Adam, Noe, Abraham, Domino : omnes Patriarchæ, omnes Sancti, benedicite Domino.

Henoch. Henoch placuit Deo, et translatus est in Paradisum : ut det gentibus pœnitentiam.

Noe. Noe inventus est justus et perfectus : hinc in tempore iracundiæ, factus est reconciliatio.

Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine : qui terribilis es super peccantes filios Adæ.

Diluvio perdidisti peccatores : Noe justus per arcam enatavit, et factus est novi mundi parens. *Diluvium.*

Testamenta sæculi posita sunt apud illum : ne deleri possit diluvio omnis caro.

Vide iridem, et benedic eum qui fecit illam : valde enim speciosa est in splendore suo. *Iris.*

Nemrod et Meropes Babel superbam turrim moliti sunt : in cœlum voluerunt conscendere. *Babel.*

Irrisit eos Deus, et divisit linguas oorum : ut subsannantes invicem; dispergerentur in omnes regiones terræ.

Abraham ex Ur vocatus a Deo obedivit, exiens in locum quem accepturus erat, et nesciebat quo iret. *Abraham.*

In terra Chanaan moratus est, tanquam in aliena : in casulis habitando cum Isaac et Jacob.

Exspectabat enim fundamenta habentem civitatem : cujus artifex et conditor est Deus.

Hinc factus est pater multarum gentium; et non est inventus similis illi in gloria.

Qui conservavit legem Excelsi : et fuit in testamento cum illo.

Percussit quatuor reges : decimas dedit Melchisedech.

Hic obtulit panem et vinum, in typum Christi : qui est sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.

In carne Abrahæ stare fecit Deus pactum circumcisionis : et in tentatione inventus est fidelis. *Circumcisio.*

Obtulit Isaac unigenitum suum : arbitrans quia et a mortuis suscitare potens est Deus.

Judica, Domine, nocentes et scelestos : perde execrabiles Sodomitas. *Sodomæ conflagratio.*

Pluit Deus ignem et sulphur in Pentapolim : consumpsit impios usque ad pecus; solus Lot justus fugiens servatus est.

Dilectus Deo et hominibus Isaac : factus obediens usque ad mortem. *Isaac.*

Patri jugulum fortiter obtulit : hinc benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus.

Jacob justus fugit iras Esau : deduxit illum Dominus per vias rectas. *Jacob.*

Ostendit illi regnum Dei in Bethel : dedit illi scientiam sanctorum.

In fraude Laban circumvenientis affuit illi : et honestum divitemque fecit eum.

Quam bonus Israel Deus : his qui recto sunt corde!

Certamen forte dedit illi, ut vinceret : ideo dedit et divisit illi hæreditatem in tribubus duodecim.

Hi sunt viri misericordiæ quorum pietates non defuerunt : facti sunt exempla sæculorum omnium.

Cum semine eorum permanent bona : semen eorum et gloria eorum non derelinquetur.

Joseph justus, a fratribus venditus est : sed astitit ei Deus, et a peccatoribus liberavit eum. *Joseph.*

Descendit cum illo in foveam : et in vinculis non dereliquit eum.

Donec afferret illi sceptrum regni : et potentiam adversus eos, qui eum deprimebant.

Mendaces ostendit, qui maculaverunt eum : dedit illi claritatem æternam.

Quia præ hera herum et Deum dilexit : benedictiones collium æternorum factæ sunt in capite Joseph Nazaræi.

Benedictio 12 Jacob moriens singulis filiorum benedixit : prænuntiavit eis ventura in diebus novissimis.

Confitemini Domino, quoniam bonus : quoniam in sæculum misericordia ejus. *Patriarcharum.*

Timete Dominum omnes sancti ejus : quoniam nihil deest timentibus eum.

Fecit eis magna qui potens est : et sanctum nomen ejus.

Et misericordia ejus a progenie in progenies : diligentibus eum.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto : sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

COMMENTARIA

IN EXODUM.

ARGUMENTUM.

Libri titulus. Liber hic, ex præcipuo operis argumento, a Græcis primum, deinde a Latinis vocatus est Exodus, id est *egressus* (enarrat enim egressum Mosis et Hebræorum ex Ægypto, versus terram promissam Chanaan), perinde ac vocata est a Græcis et Latinis Genesis, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, ex argumento quod singuli hi libri pertractant. Apud Hebræos enim nulla his titulis nomenclatura respondet; sed ipsi quemque librum a sui exordio indigitant, uti Exodum vocant ואלה שמות *veelle scemot*, id est, *et ista sunt nomina*, quia ita incipit Exodus.

Auctor. Auctor est Moses; qui uti in Genesi, descripta creatione ac propagatione mundi, mox relicta historia aliarum gentium, sui tantum populi Hebræi, puta populi fidelis ex Abraham, Isaac et Jacob prognati historiam, originem et propagationem descripsit: ita hic in Exodo eamdem prosequitur.

Historia. Historiam ergo Patriarcharum et Hebræorum, a morte Josephi, in qua Genesim finierat, resumens hic Moses, eamdem pertexit usque ad annum alterum ab egressu Hebræorum ex Egypto, ut patet *Exod.* cap. ult., vers. 1 et 15.

Gesta 145 annorum enarrat Exodus. Complectitur ergo Exodus gesta annorum 145. Id ita esse patet; nam a morte Josephi usque ad nativitatem Mosis fluxerunt anni 64. Moses vero anno ætatis suæ 80, eduxit populum ex Ægypto, et anno sequenti erexit tabernaculum, in cujus erectione finitur Exodus; junge enim 64 cum 80, his adde unum annum insequentem, habebis annos 145 jam dictos.

Chronologia Exodi. Pro qua re, adeoque pro tota chronologia Exodi, nota Hebræos habitasse in Ægypto, non 430, uti aliqui volunt, sed tantum ducentis et quindecim annis : ita ut a descensu Jacobi in Ægyptum, qui contigit anno Jacobi 130, Josephi 39, usque ad exitum Mosis et Hebræorum ex Ægypto, fluxerint tantum 215 anni. Id ita esse ostendam cap. XII, vers. 40. Ab hoc descensu, usque ad mortem Josephi, fluxerunt 71 anni : contigit enim hic descensus anno Josephi 39, Joseph autem vixit usque ad annum ætatis 110.

Joseph 64 annis Rursum, a nativitate Mosis usque ad exitum Hebræorum ex Ægypto, fluxerunt anni 80. Unde sequitur medium tempus, quod fluxit a morte Josephi ad nativitatem Mosis, fuisse 64 annorum. Si enim 64 annos addas annis 80 Mosis, et 71 Josephi, qui fluxerunt a descensu Jacobi in Ægyptum usque ad mortem Josephi, habebis et explebis dictos annos 215, qui fluxerunt ab hoc descensu usque ad exitum.

mortuus est ante nativitatem Mosis.

Errat ergo Trogus Pompeius, sive Justinus, lib. XXXVI, qui tradit Mosen fuisse filium Joseph. Errat et Josephus, qui lib. I *Contra Apionem*, asserit Joseph esse defunctum ante Mosen quatuor ætatibus, sive 170 annis; corrigendum enim est 64 annis, uti dixi.

Error Justini et Josephi.

Ex dictis sequitur Exodum complecti historiam ab anno mundi 2310, quo mortuus est Joseph; usque ad annum mundi 2454, quo contigit egressus Mosis et Hebræorum ex Ægypto : imo ad annum sequentem 2455; quo erectum est tabernaculum.

Argumentum. Moses igitur in Exodo enarrat *primo*, Patriarcharum, puta filiorum Jacobi, mortem, secutamque duram Hebræorum ab Ægyptiis oppressionem et servitutem. *Secundo*, Mosis nativitatem, gesta, et plagas Ægypti. *Tertio*, transitum Hebræorum per mare Rubrum, mersis in eo Ægyptiis. *Quarto*, pluisse Hebræis manna in deserto, in eoque aquarum copiam invenisse, atque Amalec cecidisse. *Quinto*, Deum eis dedisse legem in Sina, fœdusque cum eis iniisse. *Sexto*, Hebræos fœdus rupisse et vitulum adorasse, ideoque Mosen tabulas legis confregisse, et fœdifragos trucidasse. *Septimo*, describitur fabrica tabernaculi, ejusque varia supellex. Quare periocha Exodi est : *primo*, decem plagæ Ægypti; *secundo*, decalogus cum præceptis judicialibus et cæremonialibus; *tertio*, fabrica tabernaculi.

Finis Exodi quadruplex. Porro hæc omnia eo fine facta sunt et scripta : *Primo*, ut Deus præstaret id quod promiserat Abrahæ, *Genes.* XVII, 7 et 8 : « Statuam pactum meum inter me et te, ut sim Deus tuus, et seminis tui post te, daboque tibi et semini tuo terram Chanaan. » *Secundo*, ut populo suo ex Ægypto et idololatris educto, ex eo sibi Ecclesiam formaret in Sina. *Tertio*, ut ostenderet quantam Ecclesiæ et suorum habeat curam, quamque sit omnipo-

tens et terribilis in puniendis eorum hostibus. *Quarto*, ut typum daret Ecclesiæ novæ et Christianorum, qui ex gentilitate per baptismum, et per multas tentationes et luctas, perque multa miracula, duce Christo tendunt in terram promissam in cœlis. Sicut ergo in Genesi mundi creationis, ita in Exodo ejusdem redemptionis historia et typus consignatur : ut jure Rabanus scripserit, omnia pene Sacramenta præsentis Ecclesiæ in Exodo adumbrata et expressa esse.

* Mosis enarrationes institutionesque in universum apprime callere volenti, præcipua indigitabimus opera, e quibus, quasi fontibus, totam hanc rem ediscere poterit. SS. Patres auctoresque Ecclesiasticos, in quibus assiduus est Cornelius noster, consulto omittimus.

a) ARCHÆOLOGIA.

PHILONIS *Opera*, edit. Mangey. Londini 1742.

JOSEPHI *Opera*, cum Jo. Hudsonii versione latina, et Sig. Havercampi apparatu critico-exegetico, etc. Lugd. Bat. 1726. Horum quidem Scriptorum prior, hebraicæ linguæ imperitus, Alexandrinaque et versione usus, et philosophia imbutus, græcum Platonem magis, quam hebræum Mosen redolet. Alter item versione LXX sequitur, et mere Philonem aliquando exscribit, quanquam multa habet pretiosa et fideliter descripta.

MISCHNA, seu textus *Thalmudis*, ex traditionibus fere ann. 190-220 compilatus, et demum Gemaris duabus explanatus. De quo opere vid. Drach, *De l'Harmonie entre l'Eglise et la Synagogue*, tom. I, pag. 121 et seqq.

JAC. BONFRERII, *Pentateuchus Mosis Commentario illustratus*, Antuerp. 1625.

Jo. BUXTORFII patris, *Lexicon Chaldaicum, Talmudicum*, etc. Basil. 1640.

UGOLINI, *Thesaurus Antiquitatum sacrarum*. Venet. 1744-69. Vere thesaurus.

CARPZOVII, *Apparatus historico-criticus Antiquitatum sacri codicis et gentis Hebrææ, uberrimis annotationibus in Godwini Mosem et Aaron*. Lips. 1648.

GOGUET, *De l'Origine des lois, des arts et des sciences*. Paris 1759.

JAHNII, *Biblische Archæologie*. Vienn. 1796-1805. Cujus breviorem expositionem latine dedit ipse Jahnius, hoc titulo, *Archæologia biblica*, 1814, denuo ab Ackerman cum notis edita Vienn. 1826.

PAREAU, *Antiquitas Hebraica. Traj. ad Rhen.* 1817.

DE WETTE, *Lehrbuch der hebraische-jüdischen Archæologie*, Leipsig 1830. Breve quidem opus, et audacioris criticæ, sed multa eruditione repletum. Ditior tamen est et accuratior

WINERI, *Biblisches Realwörterbuch*. Leipz. 1848.

J. B. GLAIRE, *Introduction aux livres de l'Anc. et du Nouv. Test.* Paris, 2e edit. 1843. Tomus II est de biblica Archæologia.

b) CULTUS.

Multa de cultu reperire est in operibus præcitatis, præsertim apud Josephum, Ugolini, Carpzovium et Glaire. Quibus adde :

LUNDII, *Die alten Judischen Heiligthumer, Gottesdienste, and Gewohnheiten*. Hamburg. 1722. Opus copiosum, erudite pieque scriptum.

Jo. SPENCERI, *De Legibus Hebræorum ritualibus et earum ratione*, lib. III Hagæ-Comitum 1686. Editio tubingiana, 1732, optima est. Religioso sensu caret auctor.

Jo. BRAUNII, בגדי כהנים, *id est*, *Vestitus Sacerdotum Hebræorum*. Amstel. 1698.

BERN. LAMY, *De Tabernaculo, de Sancta Civitate et Templo*. Paris 1720.

HOTTINGERI, *De Tegminibus tabernaculi Mosaici*. Marburg. 1704.

GÖRRES, *Mythengeschichte der Asiatischen Welte*. Heidelb. 1810.

CREUTZER, *Symbolik und Mythologie der alten Volker*. Darmstadt 1820. Hoc opus gallice vertit, auxit, imo novum effecit Guignault.

G. BAHR, *Symbolik de Mosaichen Cultus*. Heidelb. 1837.

c) GEOGRAPHIA.

SAM. BOCHARTI, *Geographia Sacra*, Phaleg *inscripta*. Cadomi 1646.

ADR. RELANDI, *Palæstina ex monumentis veteribus illustrata*. Traject. Batav. 1714.

D'ARVIEUX, *Mémoires contenant ses voyages à Constantinople, dans l'Asie*, etc., *recueillis par Labat*. Paris 1735.

CHARDIN, *Voyages en Perse et autres lieux de l'Orient*, edit. Langles. Paris 1811.

VOLNEY, *Voyage en Syrie et en Egypte pendant les années* 1783, etc. Paris 1787.

CHATEAUBRIAND, *Itinéraire de Paris à Jérusalem*.

G. ROBINSON, *Voyage en Palestine et en Syrie, avec vues, cartes*, etc. Paris 1838.

DE LABORDE, *Commentaire géographique sur l'Exode*. Paris 1841. Ejusdem, *Voyage dans l'Arabie Pétrée*.

BURCKHARD'TS, *Travels in Syria and the holy Land*. London 1822.

MUNK, *Palestine, in Univers Pittoresque*. Paris 1845.

MISLIN, *Les Lieux Saints*. Paris 1854.

FORSTER, *Géographie historique de l'Arabie*. Anglice 1843.

DE SAULCY, *Voyage autour de la mer Morte et dans les terres bibliques*. Paris 1853.

Plura reperies in egregio opere cui titulus, *Description de l'Egypte*, publico sumptu Parisiis exarato.

d) NATURALIS HISTORIA.

BOCHARTI, *Hierozoicon, sive de animalibus S. Scripturæ*, iterum a Rosenmullero, edit. Lips. 1793.

CELSII, *Hierobotanicon, seu de plantis S. Script.* Upsal. 1745-7.

ŒDMAN, *Variæ Commentationes* (Suece scriptæ) *de historia naturali et physica S. Script.* Rostock 1786-95.

ROSENMULLERI, *Biblische Naturgeschichte.* Lips. 1830-1.

e) ΠΟΛΙΤΕΙΑ.

P. CUNÆUS, *De Republica Hebræorum*, lib. III. Gallica versio extat ann. 1705, 3 vol. in-8°.

MENOCHIUS, *De Republica Hebræorum*, in-fol.

GUÉNÉE, *Lettres de quelques Juifs... à M. de Voltaire.* Paris 1776. Tomus III, seu IV pars, optimam tractationem de Hebræorum legibus continet.

J. D. MICHAELIS, *Mosaisches Recht.* Francof. ad M. 1775-80. Copiosum atque eruditum opus, Protestantem tamen, imo Rationalistam redolens.

DE PASTORET, *Histoire de la législation.* Duobus quidem tomis de Mosaicis institutionibus agit, sed leviter, et in rerum cortice hærens.

V. HENNEQUIN, *Histoire de la législation Mosaïque.* Paris. Acatholicum se fatetur auctor, ideoque erroribus scatet, quanquam plura de Ægyptiis habet haud contemnenda.

C. TRIPARD, *Moïse ou les lois fondamentales des sociétés.* Paris 1858, 3 vol. in-8°. Opus tum dicendi arte tum sententiis egregium.

f) EGYPTUS.

JABLONSKY, *Pantheon Ægyptiorum*, etc. Francof. ad Viadr. 1750-1752. Tum ejusdem *Opuscula.* Lugd. Bat. 1804, edit. Water.

DE BUNSEN, *Ægypten's Stelle in der Weltgeschichte.* 1841. Vid. de hoc opere de Rougé in *Annales de Philosophie Chrétienne*, ann. 1846-1847, tom. XXXII-XXXV.

HENGSTENBERG, *Moses und Ægypten.*

HEATH'S, *The Exodi papyrus.* Lond. 1856. Auctor ex Ægyptiacis codicibus *hieraticis*, ut vocant, in musæo Britannico asservatis, multa excerpsit et in Anglicam linguam vertit, quorum testimonio Mosaicæ narrationes confirmantur.

ALF. MAURY, *Découvertes nouvelles sur l'Egypte ancienne*, in *Revue des Deux-Mondes.* 1° septemb. 1855.

ROSELLINI, *Monumenti dell' Egypto e della Nubia illustrati.*

FORSTER, *Monuments de l'Egypte et les vestiges qu'ils conservent de la tradition patriarchale.* Anglice 1852.

Cf. *Annales de Philosophie Chrétienne*, passim, tum *Le Correspondant*, januar. et febr. 1858.

A. C.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Novus Pharao ignorans Joseph, timensque Hebræos ita crescentes, eos conatur opprimere. Primo, onerum impositione; sed ex ea illi magis crescunt. Secundo, vers. 15, jubens obstetricibus, ut necent masculos Hebræorum; sed illæ facinus detrectant. Tertio, vers. 22, jubens eosdem submergi.

1. Hæc sunt nomina filiorum Israel qui ingressi sunt in Ægyptum cum Jacob : singuli cum domibus suis introierunt : 2. Ruben, Simeon, Levi, Judas, 3. Issachar, Zabulon et Benjamin, 4. Dan, et Nephthali, Gad, et Aser. 5. Erant igitur omnes animæ eorum qui egressi sunt de femore Jacob, septuaginta ; Joseph autem in Ægypto erat. 6. Quo mortuo, et universis fratribus ejus, omnique cognatione illa, 7. filii Israel creverunt, et quasi germinantes multiplicati sunt : ac roborati nimis, impleverunt terram. 8. Surrexit interea rex novus super Ægyptum, qui ignorabat Joseph ; 9. et ait ad populum suum : Ecce, populus filiorum Israel multus, et fortior nobis est. 10. Venite, sapienter opprimamus eum, ne forte multiplicetur, et si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris, expugnatisque nobis egrediatur de terra. 11. Præposuit itaque eis magistros operum, ut affligerent eos oneribus : ædificaveruntque urbes tabernaculorum Pharaoni, Phithom et Rameses. 12. Quantoque opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur, et crescebant : 13. oderantque filios Israel Ægyptii, et affligebant illudentes eis : 14. atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti et lateris, omnique famulatu, quo in terræ operibus premebantur. 15. Dixit autem rex Ægypti obstetricibus Hebræorum, quarum una vocabatur Sephora, altera Phua, 16. præcipiens eis : Quando obstetricabitis Hebræas, et partus tempus advenerit : si masculus fuerit, interficite eum ; si femina, reservate. 17. Timuerunt autem obstetrices Deum, et non fecerunt juxta præceptum regis Ægypti, sed conservabant mares. 18. Quibus ad se accersitis, rex ait : Quidnam est hoc quod facere voluistis, ut pueros servaretis ? 19. Quæ responderunt : Non sunt Hebrææ sicut Ægyptiæ mulieres : ipsæ enim obstetricandi habent scientiam, et priusquam veniamus ad eas, pariunt. 20. Bene ergo fecit Deus obstetricibus, et crevit populus, confortatusque est nimis. 21. Et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit eis domos. 22. Præcepit ergo Pharao omni populo suo dicens : Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen projicite ; quidquid feminini, servate.

Vers. 1. 1. HÆC SUNT NOMINA, — ואלה שמות *veelle scemot, et ista sunt nomina*; ubi τὸ *et* videtur copulare hanc Exodi historiam cum fine Geneseos, eamque continuare. Olim enim Pentateuchus, unus continuus fuit liber ; quem posteri deinde in quinque sectiones sive libros diviserunt. Adde ו *vau* Hebr. sæpe per pleonasmum redundare, et tantum ornatui servire, præsertim initio orationis vel sententiæ. Unde et Ezechiel ita incipit : « Et factum est in anno tricesimo ; » ergo τὸ *et*, apud Hebræos, sæpe tantum est nota initii sermonis, inchoatque orationem.

SINGULI CUM DOMIBUS SUIS INTROIERUNT. — « Domibus, » id est filiis et nepotibus : *domus* enim Hebræis sæpe significat sobolem, quod ea sit quasi fabrica patris : sic Dominus promisit Davidi se ei domum, id est sobolem regiam daturum, II *Reg.* VII, 11. Achab vero domum, id est stirpem regiam, eversurum, III *Reg.* XXI, 29. Sic Rachel et Lia ædificarunt domum, id est prosapiam Israel, *Ruth.* IV, vers. 11. Sic domum sumunt quoque Græci, Latini, Galli, Flandri, Hispani, Itali. Hinc Poeta : Domus est soboles.

Cum domus Assaraci victis dominabitur Argis.

Secundo, recte domus per metonymiam accipi-

Domus est familia.

tur pro familia, et re tota familiari quæ domo continetur, quomodo fere accipit domum Aristoteles, lib. I *Politic.* cap. 1, cum ait : « Domus est œconomica communicatio, ex viro, uxore, filiis, servis, bove aliisque animalibus constans. » Unde Chaldæus vertit, *singuli introierunt cum viris domus suæ*, puta cum filiis et servis, eorumque supellectile et re domestica; hoc enim reipsa ita factum esse liquet *Gen.* XLVI, 8. Ita Procopius, Beda et S. Augustinus hic, locutione 1.

Vers. 2 et 3.

2, 3. RUBEN, SIMEON, etc. BENJAMIN. — Non est iste ordo nativitatis : sic enim Benjamin, utpote natu minimus, deberet esse ultimus; sed est ordo conjugalis thori. Primi enim sex primæ uxoris Jacobi, puta Liæ, sunt filii; septimus, puta Benjamin, est filius secundæ uxoris Jacobi, puta Rachelis; duo sequentes filii, sunt tertiæ uxoris, puta ancillæ Balæ; duo ultimi, sunt filii quartæ, puta Zelphæ.

Vers. 5.

5. ERANT IGITUR OMNES ANIMÆ EORUM, QUI EGRESSI SUNT DE FEMORE JACOB, SEPTUAGINTA. — « Animæ, » id est homines; est synecdoche. Septuaginta vertunt, *erant omnes animæ egressæ ex femore Jacob, septuaginta.* Ubi clarum est animas pro hominibus accipi. Certum est enim hominis animam non egredi ex femore, nec oriri ex traduce parentum : quod ut innueret noster Interpres, clare vertit, *animæ eorum qui egressi sunt*, etc. Hebræa utrovis modo, sed melius hoc posteriore, cum Nostro et Chaldæo vertas.

Initur hic numerus Hebræorum ingredientium Ægyptum, quod scilicet fuerint 70, ut mirabilis illa fœcunditas multiplicandi seminis, Abrahæ avo promissa, *Genes.* cap. XIII, 16, et *Gen.* XV, 5, a Deo verissime adimpleta cernatur, quando 215 annis, quibus in Ægypto vixerunt, ita numero aucti sunt, ut præter parvulos et uxores, sexies centena millia peditum in egressu numerata sint, cap. XII, vers. 37.

SEPTUAGINTA, — si Joseph cum duobus filiis annumeres, ut patet *Genes.* XLVI. Quare quod statim hic subdit Moses : « Joseph autem in Ægypto erat, » exceptionem continet, non ab eo quod immediate præcessit, sed ab eo quod paulo ante dixerat vers. 1 : « Hæc sunt nomina filiorum Israel, qui ingressi sunt in Ægyptum. » Hebræi enim non semper proxime præcedentia, sed superiora sæpe et remotiora respiciunt. Sensus autem est, *q. d.* Moses : Versu 1 inter filios Jacobi ingredientes in Ægyptum, non numeravi Joseph; quia Joseph jam ante fuerat et erat in Ægypto.

Vers. 6.

6. QUO MORTUO OMNIQUE COGNATIONE SUA. — « Cognatione, » scilicet filiorum, tam suorum quam fratrum, puta nepotum suorum ex fratribus; quæ proxima et maxima est cognatio, *q. d.* Mortuo Josepho et fratribus, eorumque filiis, puta in secunda eorum generatione, sive in nepotibus eorum. Unde Hebræus pro cognatio est דור *dor*, id est generatio, vel sæculum, *q. d.* Mortua illa generatione, sive sæculo, puta mortuis illis Septuaginta qui cum Jacob ingressi erant in Ægyptum, tunc statim mire creverunt, et multiplicati sunt filii Israel, qui erant filii et posteri illorum primorum Septuaginta.

Vers. 7. Pisces sunt fœcundi : cur?

7. QUASI GERMINANTES. — Hebraice est ישרצו *iisretsu*, id est ebullierunt instar ranarum et piscium, quorum mira est fœtura et multiplicatio, præ avibus et animalibus terrestribus : idque tum ob humoris luxuriem, ut vult Plinius, lib. IX, cap. II; tum quia cunctis anni temporibus generant, ut docet Aristoteles, lib. VI *De Animal.* cap. XVII. Nota hic Interpretem nostrum subinde adhibere alias similitudines et metaphoras quam sint in Hebræo, quando res est eadem, idemque sensus : præsertim si familiarior nobis aut clarior sit sua, quam ea quæ est in Hebræo, uti est hæc germinis præ illa ranarum et piscium. Hoc enim permittitur, imo decet fidum Interpretem. Porro τὸ *germinantes* significat eos instar germinis multiplicatos esse, et quasi terræ filios e terra turmatim prodiisse, et, ut Aquila vertit, *erepsisse.* Unde Septuaginta vertunt, *filii autem Israel creverunt, et multiplicati sunt, et effusi facti sunt :* ita creverunt, ut per universam illam terram diffunderentur, ait Theodotion, græce ϰυδαῖοι ἐγένοντο, quod interpres Origenis vertit, *in multitudine magna effusi sunt, et invalescebant valde valde, multiplicabat autem illos terra.* Apposite : nam sicut ex uno seminis grano succrescunt multi culmi, ex uno culmo multæ aristæ, ex una arista multa grana, ita ut ex uno grano sæpe nascantur trecenta, et plura : ita ex uno patriarcha, puta ex Juda, nascebantur plures filii, ex uno filio plures nepotes, ex uno nepote, plures abnepotes, etc., ita ut ex uno patriarcha, intra centum annos, aliquot non centenæ, sed millenæ proles progignerentur, possitque patriarcha ex solis filiis et nepotibus exercitum instruere, eumque in aciem contra hostes educere.

ROBORATI NIMIS, — aucti multitudine, quæ exercitus aut populi ingens est robur. Utitur hic Moses anadiplosi, ut significet innumeram gentis suæ propagationem.

Hebræorum multiplicatio partim naturalis fuit.

IMPLEVERUNT TERRAM, — intellige accommode, suam vel sibi attributam, puta terram Gessen. Quæres, unde tanta Hebræorum multiplicatio, an ex natura, an ex miraculo? Respondeo *primo*, eam non esse proprie ascribendam miraculo : naturaliter enim 70 homines si continue generent, et hi alios, et illi alios semper per 215 annos, immensum producent filiorum numerum. Unde Diodorus Siculus docet lib. III, cap. II, Ninum, qui regnare cœpit sub annum 250 a diluvio, contra Bactrianos eduxisse peditum decies septies centena millia. Vide quantum 250 annis, ex tribus tantum Noe filiis propagati sint homines. Pari ergo modo idem hic fieri potuit; idque *primo*, quia naturaliter fieri potuit, ut omnes mulieres Hebrææ essent fœcundæ et singulis annis parerent. *Secundo*, fieri potuit, ut præmature in-

ciperent parere, et sero admodum desinerent. *Tertio*, tradunt Hebræi, nec repugnat Abulensis, eas binas, ternas, quin et quaternas proles, simul peperisse; imo Aristoteles, lib. VII *Histor. animal.* cap. IV, asserit id in Ægypto esse vulgare, sic enim ait : « Cum animalia quædam singulos pariunt, alia plures, genus humanum in ancipiti est; nam ut plurimum, mulieres singulæ singulos pariunt. Verum sæpe, et locis plerisque geminos etiam edunt, ut in Ægypto fieri certum; pariunt enim in Ægypto et tres et quatuor; idque locis nonnullis sæpe fit; sed cum plurimum quinque nascuntur, et quædam quatuor partubus viginti edidit, quinos singulis partubus enixa, majorque eorum pars enutriri et adolescere potuit. » Ita Aristoteles.

In Ægypto matres pariunt tres vel quatuor proles simul.

Respondeo *secundo*, hanc Hebræorum fœcunditatem et propagationem non esse ascribendam soli naturæ, sed singulari Dei providentiæ, auxilio et concursui, qua naturam adjuvit, fovit, vegetiorem et fœcundiorem effecit. Probatur, quia Hebræi ita creverunt, cum essent in summis et continuis laboribus et afflictionibus tam corporis quam animi, imo quo magis opprimebantur, tanto magis crescebant; hæc autem oppressio et afflictio contraria est fœcunditati, et sterilitatem affert, et hoc est quod ait S. Augustinus, lib. XVIII *De Civit.* cap. VII : « Creverunt Hebræi divinitus fœcundata eorum multiplicatione. »

Partim miraculosa fuit fœcunditas Hebræorum.

Allegorice, Jacob cum duodecim filiis ingrediens Ægyptum, significat Christum cum duodecim Apostolis ingredientem orbem, eoque toto prædicantem Evangelium, ex quo post mortem Joseph, id est Christi, propagata est innumerabilis credentium multitudo. Ita S. Augustinus, serm. 48 *De Tempore*.

Allegorice.

8. SURREXIT IN TERRA REX NOVUS. — Quis hic? Cajetanus putat fuisse origine non Ægyptium, sed Assyrium. Probat ex eo, quod ait *Isaias* LII, 4 : « In Ægyptum descendit populus meus, et Assur calumniatus est eum. » Verum alius illius loci est sensus; ut ibi dixi. *Secundo*, alii cum Eusebio putant fuisse Mephrem, quem Eusebius quartum regem facit ex dynastia 18, quæ est Politanorum : additque in anno primo ejus regni, mortuum esse Joseph, et cœpisse afflictionem Hebræorum. Verum hoc repugnat Scripturæ hic, quæ asserit hanc afflictionem cœpisse post mortem Joseph, et omnium fratrum ac nepotum ejus. Jam diu post Joseph vixit Levi, aliique fratres et nepotes : ergo diu post mortem Joseph cœpit hæc Hebræorum afflictio. *Tertio*, alii putant fuisse Ramessem; ex eo quod ab eo, ut videtur, vocata sit urbs Ramesse, quam in hac afflictione ejus jussu ædificarunt Hebræi. Verum Eusebius, Cyrillus et alii tradunt Ramessem diu post Mosen regnasse. *Quarto*, Gerardus Mercator regem hunc vocat Armesesmianum, quem ait regnasse annos 66, et cœpisse regnare quinque annis ante ortum Mosis. *Quinto*, Abulensis, Pererius, Torniellus, aliique probabilius putant fuisse Amenophim, qui in 18 dynastia Politanorum fuit septimus, quem quidam Memnonem putant lapidem loquentem, quippe cujus statua usque ad Christum vocem dedit : cum enim radius Solis circa ejus exortum statuam hanc attigisset, et ad os ejus pervenisset, tunc illa more modoque hominum loquebatur : hujus enim anno 18 natum esse Mosen tradit Eusebius; hæc autem Hebræorum afflictio cœpit paulo ante ortum Mosis. Hic dicitur Rex novus, non quod esset ex alia dynastia, sed quod esset ex alia familia, quam superiores reges qui Joseph coluerant, ait Josephus; vel dicitur rex novus, ratione diversi et novi ingenii, consuetudinis, morum et gubernationis : diversi, inquam, a regibus præcedentibus, qui Joseph et Hebræos benigne tractaverant (1).

Vers. 8. Quis novus Pharao affligens Hebræos? Sentent. Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta

et vera fuisse Amenophim.

Statua Memnonis loquens.

Allegorice, rex vetus est Deus, rex novus est diabolus, qui fideles afflixit tripliciter : *primo*, violenter per decem Imperatorum Romanorum persecutiones; *secundo*, sapienter per philoso-

Rex novus est diabolus, qui fideles tripliciter afflixit

(1) « Auctor est Manetho, apud Josephum *Contra Apion.* lib. I, § 14, potitos esse circa illa tempora homines genere ignobiles *ex regionibus ad Orientem sitis*, quos nonnulli dicerent fuisse Arabes, Ægypto, principibus ejus in potestatem redactis; vocatam fuisse gentem illam Ægyptiis Ὑκσώς, id est, Βασιλεῖς ποιμένες, *pastores regios*. Postquam autem per totam Ægyptum crudeliter desæviissent, regem sibi e suis elegisse, cui nomen esse *Salatis* (forsan ab arab. *salitha*, dominatus est). Hunc Salatim fuisse *regem novum* de quo hic Moses, non sine veri specie conjecit Marshamus, in *Canon Chronol.* Is enim cum esset alienus, utpote Arabs, de Josepho nihil antea audierat, neque grato animo ejus in Ægyptum beneficia recolebat. Propterea, uti suspicatur Marshamus, dicitur *Act.* VII, 18, *rex* ἕτερος, id est *alienus*, ut *Jud.* V, 8, dii *novi* sunt *alieni*. Idem forsan voluit Josephus, qui in *Antiq.* lib. II, cap. IX, § 1, dicit oppressos fuisse post Josephi mortem Israelitas ab Ægyptiis, *regno in aliam familiam translato*. Quod autem in lib. I *Contra Apion.* Josephus Hycsos istos, sive reges pastores, fuisse Israelitas contendit, aperte falsum est, ut ostendit Marshamus *ibid.* op. cit. p. 102. » Hæc Rosenmullerus. Recentiores e contra sentiunt, Hebræos Ægyptum ingressos esse *Pastoribus* jam regnantibus, quæ gens, ut videtur, Semitica fuit, Ægyptoque potita a decima tertia δυναστείᾳ ad decimam octavam. Amosis I, primus rex 18 δυναστείας, Pastores expellit, sæculo XVII vel XVIII ante Christum, Hebræosque affligere incipit. Amosin excipiunt Toutmes I, Toutmes III, Amenophis II, Amenophis III, Toutmes IV et Achenaten; tum Seti I (Sethos) decimam nonam exorditur δυναστείαν, circa ann. 1500; cui succedit Ramses II Maiamoun (Sesostris), Moyse jam nato; denique regnante Amenophi seu Menephtah Hebræi Ægypto egrediuntur. Cf. Bunsen, *Ægypten's Stelle in der Weltgeschichte;* Emm. de Rougé, *Examen de l'ouvrage de M. le chevalier de Bunsen*, in *Annales de philosophie chrétienne*, ann. 1846-7; Alf. Maury, *Découvertes nouvelles sur l'Egypte Ancienne*, in *Revue des deux Mondes*, 1 sept. 1855. Pyramides insignes illas quod attinet, has ab Hebræis esse exstructas dici non potest, ut quidam excogitarunt. Nam multis antea sæculis, scil. sub tertia et quarta δυναστείᾳ fuisse erectas, nunc certo constat. Cf. De Rougé, *ibid.* ann. 1847, tom. XXXIV, p. 59; Ch. Berton, *Dictionnaire du parallèle entre div. doctr. philosophiq. et relig. et la foi cath.*, edit. Migne, in Prolegom. p. 89.

phos et hæreticos; *tertio*, astute et blande per illecebras et voluptates, uti jam facit, parta Ecclesiæ pace. Vide Rupertum et S. Augustinum, serm. 84 *De Temp.* Ita Abbas ille apud Joannem Moscum in *Prato spir.* cap. CXLIV, dicebat : « Non appetamus Ægyptiis servire voluptatibus, quæ Pharaoni pernicioso tyranno obnoxios faciunt. » Qui ergo voluptati servit, Pharaoni, id est dæmoni, se subdit.

QUI NON NOVERAT JOSEPH. — Chaldæus vertit, *qui non servabat decreta Joseph*, sed novas leges et mores inducebat, juxta illud : Novus rex, nova lex.

Vers. 10. 10. VENITE, SAPIENTER OPPRIMAMUS EUM. — Hebræa habent, *agite, sapiamus in eum*, vel contra eum; Septuaginta, κατασοφισώμεθα αὐτούς, *callide agamus contra eos* : sapientia enim et prudentia alia de sursum Dei est, alia mundi terrena et diabolica (qualis hæc fuit), *Jacobi* III, 15. Utique non hac lege, fine et mente, Pharao Hebræos in regnum suum admiserat.

Quando cœperit, et quamdiu durarit hæc Hebræorum afflictio? Sentent. Prima. Secunda. Quæres, quando cœperit hæc oppressio Hebræorum? *Primo*, Eusebius in *Chronico* putat eam cœpisse statim a morte Joseph, ac consequenter durasse 144 annis; tot enim sunt a morte Joseph usque ad exitum ex Ægypto, sed hic est error : ait enim hic Moses, eam cœpisse post mortem Levi, omniumque fratrum et totius cognationis, e qua multi diu vixerunt post Joseph. *Secundo*, Hebræi in *Seder olam* putant eam cœpisse in morte Levi, ac durasse 116 annis; sed et hi tam in primo, quam in secundo errant : a morte enim Levi, usque ad exitum ex Ægypto, fluxerunt anni non 116, sed 121. Tertia. *Tertio*, Torniellus putat eam cœpisse initio regni Amenophis, ac durasse 106 annis. Quarta. *Quarto*, Pererius putat eam durasse 87 annis.

Quinta auctoris, cœpisse sub ortum Mosis, et durasse 90 annis. Respondeo et dico eam cœpisse paulo ante nativitatem Mosis, ac durasse 90 plus minus annis, scilicet 18 annis ante Mosen, et 88 annis vivente Mose; nam 80 anno vitæ suæ, Moses ex ea, et ex Ægypto Hebræos eduxit. Id patet *primo*, ex eo quod illa cœperit post mortem Joseph, fratrum omnisque illius primæ generationis; constat autem de Levi, qui 4 tantum annis senior erat Josepho, vixisse eum annis 137, ut patet cap. VI, vers. 16. Vixit ergo Levi 23 annis post mortem Joseph; a morte autem Joseph ad ortum Mosis fluxerunt anni 64 : a morte ergo Levi ad Mosen fluxerunt anni 41. Rursum Caath, filius Levi, vixit 133 annis, ut patet cap. VI, vers. 18. Qui si ponatur natus anno 20 Levi, sequitur eum Levi patri suo supervixisse annis 16, ita ut a morte Caath ad Mosen tantum fluxerint anni 25. Rursum, post Caath vixisse et defuncti videntur Phares et alii, qui pueri erant cum ingressi sunt Ægyptum; hæc autem afflictio cœpit post mortem Levi, Caath et cæterorum 70, qui ex Chanaan descenderant cum Jacobo in Ægyptum; imo post horum mortem cœpit primum illa Hebræorum multiplicatio de qua vers. 7, quæ hanc invidiam et odium novi regis concitavit, ut eos affligeret. Post Caath ergo 15 anni circiter fluxisse videntur, quibus partim defuncti sunt reliqui e primis 70, partim multa prole aucti sunt Hebræi : ita ut invidia et persecutio Ægyptiorum contra Hebræos cœperit decennio circiter ante ortum Mosis. Id, *secundo*, probatur ex eo quod hæc persecutio cœperit sub ortum Mariæ, sororis Mosis, quæ inde dicta est Maria, id est amaritudo, uti tradunt Hebræi; Maria autem decennio circiter fuit senior Mose. Nam illa Mosen infantem expositum custodivit, et curavit ali et educari, ut patebit cap. II. Erat ergo tum ipsa facile decennis.

Cœpit Hebræorum afflictio in ortu Mariæ, quæ inde *Maria*, id est, amaritudo, est dicta. Moral. quam fragilis et infidus sit principum favor.

Vide hic quam cito mortalibus surrepat oblivio et ingratitudo. Josepho servatam in fame Ægyptum debebat rex et Ægyptii : rursum Joseph quintam partem proventuum totius Ægypti, regi jure perpetuo in fame populum alendo, coemerat; sed « celeriter non visum, et (ut Pindarus ait) vetus beneficium oblivioni, et quasi somno traditur : » homines enim beneficia pulveri, maleficia marmori inscribunt, imo insculpunt, ut dicere solebat B. Thomas Morus. Quam et hodie in urbibus, regnis, congregationibus sæpe experimur illud : « Surrexit rex novus qui ignorabat Joseph! » Disce ergo quod aiebat idem Morus : « Bene ac laudabiliter facta pro merito compensare mundus hic nec ingratus solet, nec gratus potest. » Qui ergo gratiam principum captatis, audite illud Volsæi, qui Henrico VIII Angliæ regi divortii cum Catharina fuit causa, et postea summam regis indignationem incurrit : « Ego, ait, quia non Dei, sed regis favorem quæsivi, hinc Dei gratiam amisi, et regis non acquisivi. »

Novimus nuper in Belgio aulicum primarium, qui principi cuidam vicino per multos annos intimus, et in summis fuerat deliciis : postea vero levi de causa omni ejus gratia excidit. Is ex aula secedens altius philosophari, Deoque et animæ suæ vacare cœpit, tumque dictitare solebat : Experientia didici quantum intersit inter obsequia delata principi, et delata Deo; rursum, quantum intersit inter gratiam principum et gratiam Dei. Didici enim et vidi obsequia magna et multa principi delata, cito oblivioni tradi, et parum remunerari; sin principem vel leviter offendas, vidi, quod manet alta mente repostum, quodque severe vindicatur : obsequia vero, etiam parva, Deo delata, didici in æterna ejus memoria servari, magnisque et æternis præmiis ab eo remunerari; offensas autem in eum, etiam graves, levi pœnitentia ita deleri, ut ipse protinus omnis injuriæ obliviscatur, pœnamque ultro condonet. Hoc est quod ait Comicus :

> Si quid bene facias, levior pluma est gratia :
> Si quid peccatum sit, plumbeas iras gerunt.

Jure ergo exclamat S. Bernardus, *epist.* 107 : « O sæculum nequam, quod solos tuos sic soles beare amicos, ut Dei facias inimicos! Invenit Aman gra-

tiam apud regem Assuerum; hæc illi gratia crucem peperit : invenit gratiam apud Absalonem Achitophel; hæc illi suspendium attulit. »

Cur Deus permisit ita dure et diu affligi Hebræos? Causa Prima. Quæres *secundo*, cur tam dura et diutina servitute permisit Deus Hebræos opprimi in Ægypto? Respondet Rupertus juste eos in illud ergastulum compactos esse, in quod fratrem Josephum præmiserant; sed illud patrum, non autem filiorum eorum fuit peccatum. Respondeo ergo *primo*, quia nonnulli eorum imbiberant impios mores et idololatriam Ægyptiorum; Hebræos enim coluisse Apin et idola in Ægypto, docet Ezechiel, cap. XXIII, vers. 7; illudque ibidem expresse docent S. Hieronymus et Theodoretus. Hinc et paulo post vitulum, quasi Apin Ægyptium, in Sina conflarunt : hinc et toties Moses in Pentateucho idololatriam vetat et damnat. Ita Aben Ezra. Fuit Secunda. ergo hæc servitus, pœna peccati. *Secundo*, hac servitute quasi stimulo, voluit eos excitare Deus, ut aversarentur Ægyptum et Ægyptios, atque in Tertia. Chanaan, eis a se destinatam, contenderent. *Tertio*, ut hac servitute daretur Hebræis occasio et justus titulus spoliandi Ægyptum, itaque se di- Quarta. tandi. *Quarto*, ut per eamdem daretur occasio plurima et maxima edendi portenta, puta 10 plagas Ægypti, quibus Deus toto orbi volebat patefacere suam potentiam et vindictam in impios Ægyptios, ac clementiam curamque paternam Quinta. erga suos Hebræos. *Quinto*, ut per eam Hebræos purgaret, perficeret et illustraret; quo enim ma- Sexta. gis opprimebantur, eo magis crescebant. *Sexto*, ut hoc quasi felle mel et delicias Ægypti, Hebræis ad illas anhelantibus, insipidas redderet, ut egressi nunquam in Ægyptum regredi cuperent; quam enim Hebræi ollas Ægypti adamarint, et repetere optarint, patet *Num.* XI, vers. 5, et cap. XIV, vers. 3.

NE FORTE MULTIPLICETUR, ET, SI INGRUERIT CONTRA NOS BELLUM, ADDATUR INIMICIS NOSTRIS, EXPUGNA- Tres causæ quæ moverunt Ægyptios, ut affligerent Hebræos. Prima. TISQUE NOBIS EGREDIATUR DE TERRA. — Nota hic tres causas moventes Ægyptios ad oppressionem Hebræorum, scilicet metum, invidiam et odium. *Primo*, metum, ne ingruente bello se jungerent hostibus Ægyptiorum, iisque victis et spoliatis exirent in terram sibi a Deo promissam, puta Chanaan. Hoc enim quasi Abrahæ et sibi a Deo promissum jactabant Hebræi, ideoque eos time- Secunda. bant Ægyptii. *Secundo*, invidiam, quia videbant se ab exteris Hebræis sobole numerosa, pulchra, robusta, solerti, aliisque animi et corporis doti- Tertia. bus instructa et præstanti superari. *Tertio*, odium conceptum ex diversitate religionis, indolis et morum : Ægyptii enim suum Apin sive bovem, aliaque animalia, Hebræi unum Deum verum colebant : hinc boves et oves sacrificabant et comedebant Hebræi, quod abominabantur Ægyptii. Quarta. Ita Josephus, qui quartam odii causam addit, hanc scilicet, quod vates quidam Ægyptiis prædixerat, brevi nasciturum quemdam ex Hebræis, qui, si adolesceret, imperium Ægyptiorum everteret, res autem Hebræorum mire augeret et prosperaret : hic fuit Moses.

11. PRÆPOSUIT EIS ITAQUE MAGISTROS OPERUM. — Vers. 11. Hebraice, magistros מסים *missim*, id est tributorum, non pecuniæ, sed laterum, ut scilicet quisque suum in dies pensum operis persolveret. Recte ergo noster Interpres vertit *magistros operum* : unde et Septuaginta ἐπιςάτας τῶν ἔργων, id est *præfectos operum*, verterunt. Erant enim hi, non ut architecti fabricam dirigentes, sed ut imperiosi exactores, ait Philo, opus urgentes, idque ad enervandas vires Hebræorum, atque exterminandam exhauriendamque labore nimio eorum generandi, seque propagandi facultatem : scilicet ut pressos angustiis, vivere dum tædet, voluptatis conjugalis non libeat (1). En quam ipse fidelium hostis Pharao et dæmon scit verum esse illud :

Otia si tollas, periere Cupidinis arcus.

Quam vere juvenis ille apud S. Hieronymum, epistola *ad Rusticum*, libidine tentatus, falso commissi criminis et fornicationis in dies (procurante id secreto Abbate ad tentationis victoriam) accusatus, dixit : « Vivere non licet, fornicari libeat? » Audi Philonem, lib. I *De Vita Mosis*, acerbam hanc Hebræorum servitutem describentem : « Rex, ait, cogebat ad opera servilia homines, non solum ingenuos, sed hospites. *Secundo*, imperabat eis graviora quam ferre possent, alios super alios labores cumulans. *Tertio*, si quis labori ob infirmitatem se subtraheret, capitalis noxa judicabatur. *Quarto*, operibus præerat immitissimus et crudelissimus quisque, quos proinde exactores vocabant. » *Quinto*, ex nimio labore et æstu, plurimi corripiebantur et moriebantur peste : quos insepultos projiciebant Ægyptii, ait Philo. *Sexto*, addit Eupolemus apud Eusebium, lib. IX *De Præparat. Evang.*, regem jussisse Hebræos diversa quam Ægyptios veste indui, ut ita risui et vexationi omnium eos exponeret, ideoque regem illum a Deo punitum esse, et elephantiaco morbo cruciatum interiisse.

Labore et vexatione vincitur tentatio libidinis.

Sex afflictiones Hebræorum in Ægypto.

OPERUM. — Quænam hæc opera Hebræis imposita ab Ægyptiis? Respondeo : *Primum* opus fuit formare lutum in lateres, patet vers. 14. *Secundum*, ædificare urbes Phithom et Ramesses, ut hic dicitur. *Tertium*, Nilum in multas fossas deducere, ad irrigandum singulorum agros et prata, fossasque aggeribus cingere. Ita Josephus, qui *quarto*, pyramidum insanas substructiones tribuit Hebræis. Denique vers. 14, ait Scriptura eos serviisse in omni famulatu in operibus terræ.

Quatuor opera et onera Hebræorum.

Moraliter, S. Bernardus in *Sent.* : « Magistri, ait, operum Pharaonis tres sunt : fœtidus ardor æs-

(1) Existimabant quoque Ægyptii, apposite monente Grotio, se hac arte populum otiantem a rerum novarum consiliis aversuros. Cf. Aristotelem, *Polit.* v, 11. Pari de causa Tarquinius plebem Romanam in fossas cloacasque exhauriendas demersit.

tuantis luxuriæ, anxius furor sævientis avaritiæ, noxius appetitus inanis gloriæ. »

ÆDIFICAVERUNTQUE URBES TABERNACULORUM. — Sic et Aquilam vertisse auctor est Procopius; Chaldæus vertit, *urbes thesaurorum*, ut Hebræum סכן *sachan*, unde מסכנות *miskenot*, idem sit quod Latinum *censere*, et census, per metathesin. Septuaginta vertunt πόλεις ὀχυρὰς, id est, *urbes munitas*; Oleaster, *urbes conclusas*, vel *urbes ad includendum*, scilicet *arma*, vel quid aliud. Hebræum *miskenot* proprie significat granaria, apothecas, repositoria, uti vertit Vatablus et alii. Erant ergo hæ urbes quasi granaria (unde Noster vertit tabernacula) regni, in quibus recondebantur publica frumenta, oleum, vinum, etc.: hæc enim erant opes et thesauri Ægyptiorum; ideoque hæ urbes erant munitæ et conclusæ, uti vertunt Septuaginta et alii.

Urbes tabernaculorum erant granaria regni.

PHARAONI.— Nota : Omnes reges Ægypti vocantur Pharaones, sicut omnes Romani Imperatores vocantur Cæsares. Quæres, unde? *Primo*, aliqui putant Pharaones dici a Pharo, insula Ægypti; *secundo*, alii : Pharao, inquiunt, hebr. idem est quod liber, nudatus, expeditus (a rad. פרע *para*, id est nudavit, expedivit), indeque videtur dictum Latinum *Baro*; reges ergo dicti sunt Pharaones quasi Barones, id est, liberi principes et dominantes. Verum Pharao Ægyptium est nomen, non Hebræum. *Tertio*, alii reges Ægypti dictos putant Pharaones, a primo eorum rege Pharaone, sicuti postea iidem dicti sunt Ptolemæi a primo Ptolemæo, filio Lagi, cui Alexander Magnus Ægyptum attribuit. Verum quia de primo rege, qui proprio nomine Pharao sit dictus, nusquam legimus; hinc, *quarto*, verius videtur Pharao nomen esse dignitatis, uti apud nos est nomen Augustus. Ita Eusebius in *Chronico*, et Josephus, qui diserte docet lib. VIII *Antiq.* cap. VI, quod Pharao Ægyptiace regem significet : « Pharao ergo, inquit Josephus, honoris et principatus est nomen, quo vocati sunt omnes reges Ægypti, a Minæo illo qui Memphim condidit, quique multis annis Abrahamum præcessit, usque ad Salomonis tempora, per mille trecentos annos : nam post Salomonis socerum Pharaonem, nemo Ægyptiorum regum amplius hoc nomine est vocatus. » Hactenus Josephus, qui in hoc ultimo suo dicto hallucinatur; constat enim ex libris Regum, Ezechiele et Jeremia, post Salomonis tempora Pharaonem Nechao extitisse, qui occidit Josiam, et Pharaonem Ephree, aliosque reges Ægypti passim vocari Pharaones usque ad captivitatem Babylonicam.

Pharaones unde dicti? Prima sententia. Secunda. Tertia. Quarta et verior, Pharao Ægyptium est nomen, significans regem et principem.

PHITHOM ET RAMESSES.— Erant hæ urbes in regni limitibus. Nam de Ramesse egressi narrantur Hebræi in Socoth cap. XII, 37. Ramesses forte dicta est a Ramesse terra in Gessen, quam Hebræis incolendam dedit Pharao *Gen.* XLVII, 11. Ita S. Hieronymus (vel quisquis est auctor : nam in *Smyrna* citatur ipse S. Hieronymus) in *Locis Hebraicis*; vel certe, ut vult Abulensis, ab hac urbe Ramesse tota regio dicta est Ramesses : ut *Gen.* XLVII, 11, vocetur Ramesse per prolepsin terra, quæ postea ab hac urbe dicta est Ramesses : hanc Abulensis et alii postmodum urbem Heroum dictam volunt. Unde *Genes.* XLVI, vers. 28 et 29, ubi Joseph dicitur occurrisse patri Jacobo in Gessen, sive Ramesse, Septuaginta habent, ad Heroum civitatem. Eamdem deinde dictam esse pagum Arsenoitarum, ac denique Thebas et Thebaida, tot Monachorum incolatu et monasteriis celebrem, iidem censent : quanquam Adrichomius hæc omnia distinguat, tresque ponat civitates diversas, scilicet Ramesses, Thebas et Heroum civitatem. Perperam Targum Hierosolymitanum pro *Phithom et Ramesses*, vertit *Tanis et Pelusium*. Tradunt Hebræi, Judæos in hisce urbibus ita segniter laborasse, ut ipsæ in proverbium abierint; dicunt enim de pigro : « Iste est Phithom et Ramesses. »

Ramesse esse Thebaida aliqui censent.

Addunt Septuaginta Hebræos ædificasse Heliopolim. Suspectum id est S. Hieronymo in *Locis Hebraicis*, eo quod Heliopolis jam ante fuerit exstructa, ut patet *Gen.* XLI, 45. Sed responderi potest aliam hanc fuisse Heliopolin : aut, si eadem fuit, casu aliquo fuisse eversam, et ab Hebræis reædificatam, aut ita adauctam, ut nova videretur esse civitas (1).

Tropologice, *Phithom* hebr. idem est quod os deficiens, vel os abyssi. Ramesse est commotio vel conculcatio tineæ. Hæc ædificare jubet Pharao, id est dæmon, ut peccator in morte audiat cum Lucifero illud *Isaiæ* XIV, 11 : « Subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes. » Vide Origenem et Rupertum. Unde et S. Bernardus in *Sentent.* : « Triforme, ait, est impiorum refugium : deceptricis documentum fallaciæ, quæ est Phithom; sæcularis munimentum potentiæ, quæ est Ramesse; simulatricis figura justitiæ, quæ est civitas Solis. Has ædificari jubet Pharao. »

Tropologice.

12. QUANTOQUE OPPRIMEBANT EOS, TANTO MAGIS MULTIPLICABANTUR.—Notat S. Augustinus, lib. XVIII *De Civit. Dei*, VI, hoc non naturaliter, sed divina virtute accidisse; natura enim nimio labore et angore desiccata, arctata et suppressa, tot proli bus generandis, humidum, spiritumque vitalem suggerere nequibat : itaque quo majori opere et molestia tam corpus, quam anima opprimebatur, eo ad generandum erat ineptior. Fidem suam Abrahæ datam liberat hic Deus, etiamsi immutandus sit, quem fixit semel, rerum ordo, ut in altissimam ejus providentiam, firmissimam spem Israelitæ omnes collocare discant. Rursum vide

Vers. 12.

(1) *Phithom* non esse diversam ab ea quam Herodotus, lib. II, cap. CLVIII, πάτουμον, *Arabiæ urbem*, id est Ægyptiacæ Arabiæ, vocat, haud procul ab Arabico tum sitam, juxta quam ducta postea fuit fossa e Nilo in id mare, nuper pluribus comprobavit Champollion, *l'Egypte sous les Pharaons*, tom. II, p. 59. Vicus, nomine *Ramsis*, in cujus vicinia urbis antiquæ rudera visuntur, hodienum exstat Cahiram inter et Alexandriam. Cf. Champollion *ibid.* p. 248.

Crescit adversis agitata virtus.

hic quam crescat adversis agitata virtus, quæ in prosperis languet et marcescit. Id clarius significant Hebræa, quæ pro *multiplicabantur* habent יפרץ *iiphrots*, id est *erumpebant*. Perinde enim ac aqua, sive fluvius, quo magis arctatur et concluditur, eo majori vi et copia eluctatur, aggeres obicesque perfringit et erumpit : ita et hic filii Israel, pressi ab Ægyptiis, majore vi et copia eluctabantur et erumpebant.

Servus bonus est liber.

Moraliter disce hic, servitutem piis et fidelibus non nocere, sed prodesse; adeoque eos qui Deo serviunt, eique curæ sunt, esto sint servi, liberos tamen esse. Ita Bion dicebat, « Bonos servos esse liberos, improbos autem libertinos multis cupiditatibus servire; » et Sophocles : « Etsi, ait, corpus servum sit, mens tamen libera est. » Diogenes in servum venditus, rogatus quid sciret? respondit : « Novi hominibus liberis imperare. » At ille eum manumisit, filiosque ei tradens : « Accipe, ait, liberos meos quibus imperes. » Testis est A. Gellius, lib. II; unde Seneca *epist.* 28 : « Qui servitutem, ait, contempserit, in qualibet turba dominantium liber est. » Terentius servus fuit, et didicit haud servili ingenio, et comœdias scripsit haud servili stylo, quo et libertatem, et inter poetarum duces meruit locum. Plato in servitutem delatus, quia philosophus, major emente se fuit. Fortuna qualibet major est animus, et in servo corpore libera mens habitat. Curia servum respuit, at non virtus, non industria, non fides. Tiro Ciceronis servus fuit, sed his artibus libertatem adeptus, elegantem de patroni jocis librum posteris reliquit. Inter fideles, nobilis fuit Serapion eremita, qui parvo pretio se vendidit, ut servus factus sua virtute et sapientia dominum suum converteret, atque a peccati servitute absolutum ad veram traduceret libertatem. Nobilior fuit. S. Paulinus, Nolanus Episcopus, qui pro filio viduæ in servum se tradidit Wandalis, suaque virtute et prophetia a rege civibus suis omnibus libertatem impetravit. Malchus ille, cujus vitam scripsit S. Hieronymus, servus fuit, cujus in conjugio castitas a leone vindicata, et in libertatem asserta fuit : leo enim herum Malchum in fuga insequentem occidit, itaque Malchus liber effugit. Denique Catonis fuit ea vox, quem celebrat Cicero : « Solus sapiens liber est. »

Vers. 13. 13. ODERANTQUE FILIOS ISRAEL ÆGYPTII. — Quasi diceret : Hinc, vel idcirco oderant, quia videlicet eos cernebant adeo crescere; hebr. est יקוצו *jakutsu*, id est compungebantur (inde enim *kots* significat spinam, eo quod pungat), scilicet dolore, invidia, angore, tristitia, fastidio et odio; et, ut Chaldæus, tribulabantur et angebantur propter filios Israel. Hinc patet Ægyptios invidisse Hebræorum incremento et prosperitati; odiumque eorum non tantum ex metu, sed et ex invidia ortum habuisse. Id diserte docet Josephus, et David *Psalm.* CIV, vers. 24, 25.

ET AFFLIGEBANT ILLUDENTES EIS. — Hebr. est, *et servire fecerunt filios Israel in duritia*, vel, *sævitia*, hoc est, tyrannice eos quasi mancipia tractarunt et exercuerunt : nam summa tyrannis et sævitia est, ei quem, opprimis illudere; recte ergo vertit Noster, *illudentes eis*.

Vers. 14. 14. OMNIQUE FAMULATU, QUO IN TERRÆ OPERIBUS PREMEBANTUR. — Hebr. est, *in omni opere agri*, id est in omni opere rustico, *erat servitus eorum dura et sæva, inclemens et tyrannica*. Hinc videtur quod Pharao Hebræos per totam Ægyptum distribuerit, ut in agris et villis passim quasi rustici et servi facerent omnia opera rustica, eaque gravissima eis imponeret, ac cogeret eos quasi asinos laborare.

Vers. 15. 15. DIXIT AUTEM REX OBSTETRICIBUS HEBRÆORUM. — Hæc est secunda tyrannis et tyrannica calliditas, priore servitute, labore et oppressione major, qua Pharao conatur sobolem gentis Hebrææ extinguere, idque obstetricum opera, quarum arte solet prolis vita servari, ait Origenes hic, *hom.* 2. Has obstetrices Hebræas fuisse opinantur Hebræi, et S. Augustinus lib. *Contra Mendac.*, cap. XV (1). Sed verius videtur eas fuisse Ægyptias. Ita Josephus, Hugo Victorinus, Abulensis, Oleaster et alii. Neque enim Hebræis in suam sævire gentem tam facile persuaderi posse, credidisset tyrannus. Rursum ipsæmet sat indicant se Ægyptiorum servisse puerperis, fuisseque Ægyptias, cum aiunt : « Non sunt Hebrææ sicut Ægyptiæ mulieres : priusquam veniamus ad eas (Hebræas scilicet), pariunt; » hinc laudabilior fuit earum pietas.

Obstetrices Hebræorum erant Ægyptiæ.

UNA VOCABATUR SEPHORA, ALTERA PHUA. — Hæ duæ celebriores erant, et quasi principes aliarum, per quas Pharao reliquis hoc suum mandatum significari curavit. Tradunt Judæi, et ex iis Lyranus, has duas fuisse Jochabed, ejusque filiam Mariam, scilicet sororem Mosis; ideoque Deum ædificasse eis duas domos, scilicet sacerdotalem et regiam : de Jochabed enim nati sunt sacerdotes, puta Moses et Aaron; de Maria vero nati sunt reges, quia Maria nupsit Caleb principi domus Juda, in qua fuit sceptrum et familia regia. Verum hæ sunt fabulæ et commenta Judæorum : nam, ut alia taceam, Maria tum erat tantum puellula sex vel septem annorum ad summum : qui ergo poterat esse obstetrix?

Fabulantur Judæi has obstetrices fuisse Jochabed et Mariam.

Vers. 16. 16. ET PARTUS TEMPUS ADVENERIT. — Hebr. est, *cum videritis super* אבנים *obnaim*. *Obnaim* vel est sella parturientis, uti communiter explicant Hebræi; vel potius, quia est duale, et a rad. בנה *bana*, id est *ædificare*, descendit, significat duos ventris cardines, in quibus primo formatur embryo, sicut formatur vas testaceum in rota figuli, quæ inde voce affini vocatur אפנים *ophnaim*. *Secundo*, quibus quasi ostiis, in lucem egreditur et prodit infans : venter enim est quasi ædificium, vel domus embryonis. Sensus autem est : cum in-

(1) Nomina enim earum sunt hebraica, et vers. 17 dicuntur Deum timuisse. Accedit, quod nec viri, nec mulieres gentis Ægyptiæ ita familiariter cum alienis versabantur, ut se eorum causa polluerint.

fantem videritis super *obnaim*, id est super ostia uteri, hoc est, cum infantem matris utero prodeuntem masculum videritis. Unde Septuaginta vertunt, ὅταν μαιεῦσθε τὰς Ἑβραίας, καὶ ὦσι πρὸς τὸ τίκτειν, *quando obstetricabitis Hebræas, et fuerint ad pariendum*; et clare Vatablus, *cum videritis eas in partu filium parturire.* Hinc patet has obstetrices jussas esse occidere masculos Hebræorum non post partum, sed in ipso partu : occulte eos suffocando, comprimendo, strangulando, ut ita rem matres celarent, quasi ipsæ mortuos vel morientes enixæ fuissent, callido sane consilio, ne matres insidias persentiscerent, et cavere possent. Ita Abulensis et Lipomanus.

Porro certum est, antequam perfecte prodierit infans, sexum in eo discerni posse, cum et multo ante signis quibusdam id conjici posse doceant medici, v. g. si in utero multæ et fortes sint motiones fœtus, signum est esse marem, rursum, si mater sit bene colorata; si ad dexterum latus sit infans, quia ea pars calidior est et fortior ob vicinitatem hepatis, etc. Ita Galenus et Hippocrates, lib. V, *aphorism.* 42 et 48.

Sexus in utero discerni potest: quibus signis?

En quibus gradibus crescat regis impietas : voluit *primo*, conceptum labore et oppressione parentum impedire; *secundo*, partum elidere conatur; *tertio*, vers. 22, prolem jam natam submergere molitur.

Ita tropologice dæmon, *primo*, heroicum opus, ne fiat, divertere solet; *secundo*, si hoc non possit, illud cum fit vitiare conatur; *tertio*, si nec hoc valeat, ipsum postquam factum est intervertere satagit.

Tropologice.

SI MASCULUS FUERIT, INTERFICITE EUM. — Facile et secreto id facere potest obstetrix. Nam, ut ait Aristoteles lib. VII *Histor. animal.* cap. X : « Obstetrices peritæ reprimunt intro in uterum pueri sanguinem : quo facto statim infans, qui jam deficiebat, recreatur, et vitæ restituitur. Earum officium est deligare et secare umbilicum infantis, et contra ea quæ accidunt protinus ingeniose agere, » malisque occurrere : si quæ hæc negligat, aut sinistre faciat, occidet infantem.

Quæres : Cur Pharao jussit occidi mares Hebræorum, feminas vero reservari? Respondeo *primo*, quia a maribus sibi timebat, ne suis quandoque se jungerent hostibus, vers 10. *Secundo*, quia feminæ Hebræorum, uti imbelles, ita pulchræ erant: iis ergo abuti volebat ad libidinem. *Tertio*, volebat eas servari in famulatum suarum uxorum, esseque famulas Ægyptiorum. *Quarto*, Hebrææ præstabant in lanificio, textura, tinctura aliisque artibus, ideoque perutiles erant Ægyptiis, qui indole sua in lucrum intenti sunt, quod Plato tribuit climati loci. Audi eum apud Cælium Rhodiginum, lib. XVIII, cap. XVIII : « Inter Platonis placita illud observatur, ex variis cœli locis aspectibusve diversas ingenerari morum κράσεις, sive contemperationes. Quo argumento, in Græciæ tractu in adipiscendis disciplinis videri aptiores multo, quam alicubi homines. At qui in Phœnicem vergant Ægyptumve, cumulandæ pecuniæ mire credi sagaces, ingenio ad id præcipue facto. In furorem vero iramque proclives, quotquot barbarorum innutriti bellis comperiuntur. Et qui exustas a sole mundi partes incolunt, ad timiditatem degenerare, et effeminatiorem naturam. Dilabitur enim intimus calor meatibus corporis laxatis, et quodammodo hiantibus sideris propinqui intemperantia. Argumento est cutis nigricans, educti forinsecus insiti caloris copia. At qui frigida et rigentia mundi loca incolunt, nimio plus audacia præcellunt, candentibus corporum extimis. Cæterum meridianæ regiones hinc calore, hinc frigore contemperatæ, tum prudentiora promunt ingenia sapientioraque, tum imperiis præcipue adnata factaque, cujusmodi fere Italiæ situm videri Vitruvius opinatur. » *Quinto*, quia, ut ait Euripides, στύλαι οἴκων οἱ παῖδές εἰσιν ἄρσενες, *columnæ domorum sunt filii masculi* : masculus enim familiam et gentem suam multiplicat, propagat et roborat.

Quinta.

Tropologice, feminæ sunt opera carnis, mares sunt opera mentis et spiritus. Rursum, feminæ sunt animæ molles, infirmæ et imperfectæ; mares sunt fortes, generosi et perfecti. « Per feminam, inquit S. Hieronymus in cap. II *Eccles.*, fragilior sexus et materia significatur : nullus Sanctorum, nisi perraro feminas genuisse narratur; solusque Salphaad qui in peccatis mortuus est, omnes filias genuit. Jacob inter 12 filios, unius filiæ, puta Dinæ, pater, ob ipsam periclitatur. » Vide et S. Ambrosium *De Cain et Abele*, cap. X. « Virtus, ait Cicero, *Tuscul.* II, ex viro appellata est. Viri autem propria maxime est fortitudo, cujus munera duo maxima sunt, mortis dolorisque contemptus. » Et Lactantius, *De Opific. Dei*, cap. XII : « Vir, ait, dicitur ex eo quod major vis est in eo, quam in femina, et hinc virtus nomen accepit. » Et S. Augustinus, epist. *ad Macedonium* : « Virtus, ait, est diligere quod diligendum est. Id diligere, prudentia est : nullis inde averti molestiis, fortitudo est; nullis illecebris, temperantia est; nulla superbia, justitia est. » Hinc Ovidius :

Tropologice mares sunt præditi virtute mascula.

Virtus a viro dicitur.

Tendit in ardua virtus.

Et Virgilius, VI *Æneid.*

Facilis descensus Averni,
Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est : pauci quos æquus amavit
Jupiter, aut ardens evexit ad æthera virtus,
Diis geniti potuere.

Aristoteles, hymn. *in Laud. virt.* : « O virtus, ait, ardua laboriosaque generi humano, pulcherrima vitæ inventio! tuam, o virgo, ob venustatem etiam mori, optabilis in Græcia habetur mors, ac labores vehementes et indefessos perpeti. Talem pectori fructum immortalem inseris, auro potiorem. Tua gratia Hercules Jove satus, Ledæque filii

Cur Pharao jussit mares occidi, feminas reservari? Prima causa. Secunda. Tertia. Quarta.

multa perpessi sunt, suis factis quid possent declarantes. » Et Socrates : « Statua, ait, in sua basi, virtutum autem studiosus in bono proposito immotus esse debet. » Et Plinius, lib. XXXVI, cap. IX : « Ut ingentes, ait, obelisci magno negotio statuuntur ob pondus, sed collocati semel infinitis durant sæculis, ita et virtus. » Pharao ergo, id est diabolus, inquit Origenes, Cyrillus, Augustinus, Rupertus, maxime mares, id est heroes et perfectos, conatur evertere per duas obstetrices, id est, per carnem et mundum, puta per voluptates carnis et per mundanas opes et honores, quas ut superemus, debemus timere Deum, et timore Dei configere carnem nostram. Ægyptiæ indigent obstetricum auxilio, quia imperfecti, vel spe honoris et lucri, vel metu damni et dedecoris, moventur ad opera virtutum : his non indigent Hebrææ, id est perfecti, quia robore Spiritus Sancti aguntur ad omnia bona et sancta, quantumvis ardua, ex puro amore Dei studioque illi soli placendi.

Vers. 17. 17. TIMUERUNT DEUM. — Hebraice est, *timuerunt Elohim*, id est Deum judicem, omnia gubernantem, punientem, præmiantem; hic enim est *Elohim*, ideoque summe timendus et colendus.

Vers. 19. 19. IPSÆ ENIM OBSTETRICANDI HABENT SCIENTIAM. — Hebraice est חיות *chaiot*, quod vivaces vel vivificantes significat, idque triplici sensu : *Primo*, quasi dicerent : Quia ipsæ vivaci et sagaci sunt ingenio, et, ut Chaldæus vertit, *quia ipsæ sapientes sunt*, ideoque ex se suaque solertia obstetricandi habent scientiam, uti vertit Noster. *Secundo*, quia ipsæ vivaces et vegetæ sunt, ideoque priusquam ad eas veniat obstetrix, pariunt fœtum, eumque vividum et validum. Ita Vatablus. Unde Targum Hierosolymitanum vertit, *quoniam vivificant ipsæ antequam veniat ad eas obstetrix; orant coram Patre suo cœlesti, et exaudit eas, atque ita pariunt. Tertio*, quia ipsæ sunt vivificatrices, id est obstetrices : harum enim est juvare parturientes, ut infans vitam accipiat, itaque ipsæ Hebræa phrasi infantem vivificare dicuntur. Rabbini aliqui crasse vertunt : *Ipsæ similes sunt bestiis* (has enim significat quoque Hebræus *chaiot*), quæ dum pariunt, non egent obstetricibus. Nimirum crassæ obstetrices crassis Ægyptiis crassum hoc quasi eis connaturale potuere dare responsum. Sic enim crassum vulgus Judæis infensum naturaliter diceret : « Judææ pariunt ut animalia et equæ. »

PRIUSQUAM VENIAMUS AD EAS, PARIUNT. — Mentiuntur; nam ipsæ conservarunt mares Hebræorum, ut dicitur vers. 17. Censet Rupertus hoc earum mendacium fuisse licitum, tum quia ex charitate processit, tum quia Deus illud remuneratus est, ædificando eis domos. Sic Cassianus, *Coll.* XVII, a cap. XVII ad XXV, docet licere mentiri vel mali vitandi, vel lucri acquirendi causa, v. g. ad acquirendam humilitatem. Idem docet Beda, in I *Reg.* XXI, et Clemens, lib. VII *Strom.*, et Origenes, lib. IV *Contr. Celsum*, qui hunc errorem hausisse videntur ex schola Platonis, cujus hæc est sententia, lib. III *De Republ.* : « Mendacio, licet re mala, utendum tamen est quandoque, tanquam elleboro et medicamine; ergo et principes urbium, et si quibus aliis hoc conceditur, oportet aliquando mentiri vel contra hostes, vel pro patria et civibus; ab aliis vero qui mendacio uti nesciunt, auferendum est omne mendacium. » Idem videtur sentire S. Chrysostomus, homil. 53 *in Genes.*, et S. Hieronymus, in cap. II *ad Galat.*; sed hi duo pie excusandi sunt, quod per mendacium intelligant simulationem, vel dissimulationem. Certum enim jam, adeoque de fide est omne mendacium esse peccatum et illicitum; patet id *Prov.* XII, 22 : « Abominatio est Domino labia mendacia. » Imo S. Scriptura sæpe per mendacium significat omnem impietatem et prævaricationem, ut *Jer.* VIII, 6 et 10; *Osee* VII, 1. Sicuti e contrario per veritatem significat omne officium et debitum virtutis, ut patet *Joan.* VIII, 44; *Ephes.* IV, 15; *Ps.* CXVIII, vers. 30, 86, 160. *Secundo*, quia hæc sententia definita est ab Innocentio III, tit. *De usuris*, cap. *Super eo*. Ratio est, quia mendacium est intrinsece malum, tum quia repugnat veritati, aut potius veracitati; tum quia in se turpe est homini fallere, et contra mentem suam loqui. Vide S. Augustinum, lib. *De Mendacio*, et lib. *Contra Mendacium*, quem constanter omnes Theologi sequuntur.

Origenes, Plato et alii.

Omne mendacium esse illicitum probatur.

Dices : Mendacium hoc processit ex charitate. Respondeo : Charitas nunquam dictat esse male faciendum, ac consequenter necesse mentiendum, ut prosis proximo; charitas enim et veritas sorores sunt : mendacium ergo hoc non ex vera charitate, sed ex inordinato obstetricum amore, vel timore processit.

Dices *secundo* : Deus præmiavit hoc earum mendacium, ædificando eis domos. Respondet S. Augustinus, lib. *Contra Mend.* cap. XIX et seq., hoc præmium eis datum esse, « non quia mentitæ sunt, sed quia in homines Dei misericordes fuerunt; non est itaque in eis remunerata fallacia, sed benevolentia, benignitas mentis, non iniquitas mentientis; et propter illud bonum Deus etiam huic malo ignovit. » Idem dico de Raab, *Josue* II, vers. 5. Idem docet S. Gregorius, lib. XVIII *Moral.* cap. II, ubi addit ob hoc mendacium, præmium earum æternum conversum esse in temporale. Verum hoc parum est probabile : peccatum enim veniale, quale erat hoc mendacium officiosum, non potest invertere charitatis actum, et meritum vitæ æternæ.

Obstetrices remuneratus est Deus, non quia mentitæ, sed quia misericordes fuerunt.

Errat ergo, imo blasphemat Calvinus, dum hinc docet Deum virtutes, licet aliqua sordium mixtura inquinatas, in pretio habere, et mercede ornare, ac si puræ essent; quod ex altero suo principio, non minus impio deducit, nullum ita sanctum et absolutum esse opus, cui non adhæreat aliquid maculæ : neque enim hic actum mendacii vitiosum probavit, aut remuneratus est Deus, quod blasphemum est cogitare; imo et

Blasphemia Calvini.

Licere aliquando mentiri censuit Cassianus,

impossibile, et contra naturam rerum, ut scilicet virtus vitio inquinata, sit, aut a lucidissimo illo Dei oculo judicetur habeaturque virtus. Præmiavit ergo Deus non mendacium, sed alios pietatis, misericordiæ timorisque Dei actus, ut expresse ait Moses vers. 20, qui a priore actu mendacii plane distincti erant; multos enim hæ obstetrices in hac infantium tutela elicuere actus, alios bonos, alios malos.

Instabis : Quid ergo faciendum erat his obstetricibus; quid Pharaoni urgenti respondendum? Respondeo : Aut a facie ejus fugiendum erat et latendum; aut artificio aliquo tegenda erat veritas, non neganda; aut certe quod ait S. Augustinus, cap. XVII, lib. *Contra Mend.*, « liberrime recusandum, et moriendum erat potius pro innocentissima veritate. »

Vers. 21. 21. ÆDIFICAVIT EIS DOMOS. — Ita Hebræa, Chaldæus et Latina, quin et Septuaginta : habent enim ἐποίησεν αὐταῖς (sic enim legendum videtur, non ἑαυταῖς) οἰκίας. Perperam ergo olim legebatur ἐποίησαν, id est fecerunt, quomodo legit Augustinus vertens, *fecerunt sibi ipsis domos*, munitas scilicet, in quibus ab incursu Ægyptiorum, quorum mandata contempserant, se tuerentur : hoc enim eas fecisse non est probabile. « Ædificavit » ergo, non Pharao, sed Deus quem timuerunt, « eis, » non Hebræis, ut vult Calvinus, sed obstetricibus, quæ timuerunt Deum : hoc enim exigit series orationis, quæ in obstetricum mercede describenda occupatur, ac Septuaginta qui vertunt ἑαυταῖς, et Chaldæus, qui vertit לחן *lehen*, feminine; licet enim in Hebræo sit pronomen masculinum להם *lahem*, tamen illud per enallagen Hebræis familiarem, ponitur pro feminino לחן *lahen*, uti fit et cap. XV, 20, et alibi : sic vice versa, femininum ponitur pro masculino, *Ruth* I, vers. 13, et II *Reg.* IV, 6. Utitur autem Moses hic masculino pro feminino, quia feminæ et familiæ a viris nomen accipiunt, inquit Vatablus.

Quas domos dedit Deus obstetricibus? Quænam hæ domus? Hebræi, ut dixi vers. 15, putant Mariam nupsisse Caleb, et accepisse domum regiam, Jochabed vero accepisse domum sacerdotalem, sed insulse. Josephus enim ait Mariam nupsisse non Caleb, sed Hur, et domus regia fuit in familia Davidis, quæ non ex Caleb, sed aliunde descendit. *Secundo*, R. Kimchi : « Fecit eis domos, » id est, inquit, abscondit eas a Pharaone, et in tuto collocavit. *Tertio*, Lyranus : « Fecit eis domos, » id est junxit eas matrimonio primariis Hebræis, et inter eos, illustres dedit eis proles et familias. Verum hoc gratis et conjectando dicitur : non enim ait Scriptura Deum fecisse eis domos Hebræorum, vel inter Hebræos, sed absolute domos. *Quarto*, Rupertus et S. Hieronymus in LXV *Isaiæ*, per domos mansiones in cœlis accipiunt, de quibus ait Christus, *Joan.* cap. XIV : « In domo Patris mei mansiones multæ sunt. » Censent ergo hi Patres, has obstetrices meruisse præmium vitæ æternæ : idem sentit D. Thomas, II II, *Quæst.* CX, art. ult. Habuerunt enim verum actum timoris Dei, quo Deum sunt reveritæ, et pro Deo se mortis periculo exposuerunt; hic autem actus timoris est supernaturalis et meritorius vitæ æternæ. Hoc verum est, sed huic loco impertinens; nec enim « ædificare domos » significat in Scriptura dare præmium vitæ æternæ. *Quinto*, probabilius S. Augustinus et Theodoretus sic explicant : « Ædificavit eis domos, » id est, auxit eis rem familiarem, dedit eis opes et rerum temporalium abundantiam; sic enim Jacob ait ad Laban, *Genes.* XXX : « Justum est ut aliquando provideam domui meæ, » pro quo Hebræa habent : *Quando faciam et ego mihi domum?*

Sententia prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta.

Sexto et optime : « Ædificavit eis domos, » id est, dedit eis prolem et progeniem numerosam, divitem, honoratam, insignem, longævam et diuturnam. Hæc enim quinque maxime nobilitant proles; hebraice enim filius vocatur בן *ben*, a radice בנה *bana*, id est ædificavit, quod filius sit quasi fabrica et domus patris, quodque filii per se, perque suos filios quos generant, patris familiam, instar domus ædificent. Vide dicta vers. 1. Nota : Congrua fuit hæc merces, ut quæ proles Hebræorum servaverant, prolibus bearentur (1).

Sexta et genuina, domus sunt proles et familia insignis.

Rursum meruerunt hæ obstetrices etiam vitam æternam, uti dixi; sed in veteri Testamento Deus illud cœleste præmium non solet exprimere, quia Judæis rudibus et carnalibus fere tantum proponit præmia temporalia, eaque quinque. *Primo*, longitudinem vitæ; *secundo*, amplam et claram posteritatem; *tertio*, opulentiam; *quarto*, potentiam et dominium; *quinto*, victoriam inimicorum. Expressa enim regni cœlestis et vitæ æternæ promissio, propria est novi Testamenti et Evangelii Christi, ait S. Hieronymus *ad Dardanum*.

Quinque bona Judæis promisit Deus.

Vers. 22. 22. PRÆCEPIT ERGO OMNI POPULO. — Præceptum hoc infanticidii tantum latum est in masculos Hebræorum, ut patet ex præcedentibus; unde mirum est Cajetani illud ad Ægyptios quoque extendere. Tertius hic tyrannidis, publice jam in Hebræos grassantis, fuit gradus. Verisimile est hoc edictum tam inhumanum exhorruisse Ægyptios, ac proinde vix usu receptum, ac paulo post neglectum abolitumque fuisse. Torniellus censet illud revocatum fuisse statim post Amenophis, qui illud statuerat, mortem; quam cum Eusebio consignat anno Mosis quarto.

Tropologice Origenes, *hom.* 1, et ex eo S. Augustinus, serm. 84 *De Temp.* : « Anima, inquit, nostra aut a legitimo rege regitur, aut a tyranno vastatur. » Regem designat Pharao, qui Josephum et Israelitas fovit; tyrannum designat Pharao, qui non noverat Joseph, quique Hebræos in operibus lateris et luti afflixit. « Si enim Deo adjuvante, pie

Tropologice.

(1) Mendelssohn versum 21 cum seq. jungit, hoc sensu : Quum igitur pietate obstetricum fieret, ut Deus illis, Hebræis, familias augerent, *ideo* jussit Pharao, etc.

vivimus; si de charitate, de misericordia, de patientia, pœnitentia, etc., cogitamus : licet adhuc in Ægypto, id est in carne, simus, tamen a Christo rege gubernamur; et ipse regit nos in luto et latere, sed non consumit, nec nos curis terrenis, vel nimiis sollicitudinibus atterit et affligit. Si vero anima nostra cœperit declinare a Deo, inhonesta sectari, tunc subdit colla tyranno (dæmoni), qui alloquitur gentem suam, id est corporis voluptates, ut mares Hebræorum occidant, feminas reservent. Vult enim diabolus in nobis sensum rationabilem, ac Deum videntem extinguere, et quæ ad concupiscentiam carnis pertinent, reservari. Hic ergo Pharao cogit te ad opera sua, non justitiæ, sed iniquitati servire : ipse faciet laterem sibi operari et lutum; ipse te sub præpositis magistris et compulsoribus, ad opera terrena et luxuriosa a plagis et verberibus aget; ipse est qui te facit discurrere per sæculum, maris ac terræ elementis pro cupiditate turbari; ipse est rex Ægypti, qui te forum pulsare litibus facit, et pro exiguo terræ cespite propinquos jurgiis fatigare; ipse est qui tibi persuadet luxuria castitati insidiari, decipere innocentiam; in domum tuam quæ sunt fœda, foris quæ sunt crudelia, intra conscientiam quæ sunt flagitiosa, committere. Si ergo tales videris esse actus tuos, scito te regi Ægypti militare, id est, non Christi, sed diaboli spiritu agi.

Allegorice de SS. Innocentibus ab Herode cæsis, quæ quasi pretiosa grana dum sata sunt et mortua; seges multa surrexit Ecclesiæ, habet Prosper, *De Promissione et prædic. Dei*, part. I, cap. XXXII. Allegorice.

Denique anagogice Rupertus : Crucis, ait, vexillo et tribulatione, fortiores simus dæmone, addimur angelis, egredimur de terra, quia cœlum nos exspectat. Anagogice.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Moses nascitur, exponitur, assumitur et adoptatur a filia Pharaonis. Secundo, vers. 11, occidit Ægyptium, fugitque in Madian, ubi ducit Sephoram, et ex ea gignit Gersam et Eliezer.

1. Egressus est post hæc vir de domo Levi, et accepit uxorem stirpis suæ. 2. Quæ concepit, et peperit filium; et videns eum elegantem, abscondit tribus mensibus. 3. Cumque jam celare non posset, sumpsit fiscellam scirpeam, et linivit eam bitumine ac pice : posuitque intus infantulum, et exposuit eum in carecto ripæ fluminis, 4. stante procul sorore ejus, et considerante eventum rei. 5. Ecce autem descendebat filia Pharaonis ut lavaretur in flumine, et puellæ ejus gradiebantur per crepidinem alvei. Quæ cum vidisset fiscellam in papyrione, misit unam e famulabus suis, et allatam 6. aperiens, cernensque in ea parvulum vagientem, miserta ejus, ait : De infantibus Hebræorum est hic. 7. Cui soror pueri : Vis, inquit, ut vadam, et vocem tibi mulierem Hebræam, quæ nutrire possit infantulum ? 8. Respondit : Vade. Perrexit puella, et vocavit matrem suam. 9. Ad quam locuta filia Pharaonis : Accipe, ait, puerum istum, et nutri mihi; ego dabo tibi mercedem tuam. Suscepit mulier, et nutrivit puerum : adultumque tradidit filiæ Pharaonis. 10. Quem illa adoptavit in locum filii, vocavitque nomen ejus Moyses, dicens : Quia de aqua tuli eum. 11. In diebus illis postquam creverat Moyses, egressus est ad fratres suos : viditque afflictionem eorum, et virum Ægyptium percutientem quemdam de Hebræis fratribus suis. 12. Cumque circumspexisset huc atque illuc, et nullum adesse vidisset, percussum Ægyptium abscondit sabulo. 13. Et egressus die altero conspexit duos Hebræos rixantes, dixitque ei qui faciebat injuriam : Quare percutis proximum tuum? 14. Qui respondit : Quis te constituit principem et judicem super nos? num occidere me tu vis, sicut heri occidisti Ægyptium? Timuit Moyses, et ait : Quomodo palam factum est verbum istud? 15. Audivitque Pharao sermonem hunc, et quærebat occidere Moysen, qui fugiens de conspectu ejus, moratus est in terra Madian, et sedit juxta puteum. 16. Erant autem sacerdoti Madian septem filiæ, quæ venerunt ad hauriendam aquam; et impletis canalibus adaquare cupiebant greges patris sui. 17. Supervenere pastores, et ejecerunt eas : surrexitque Moyses, et

defensis puellis adaquavit oves earum. 18. Quæ cum revertissent ad Raguel patrem suum, dixit ad eas : Cur velocius venistis solito? 19. Responderunt : Vir Ægyptius liberavit nos de manu pastorum ; insuper et hausit aquam nobiscum, potumque dedit ovibus. 20. At ille : Ubi est? inquit. Quare dimisistis hominem? vocate eum ut comedat panem. 21. Juravit ergo Moyses quod habitaret cum eo. Accepitque Sephoram filiam ejus uxorem, 22. quæ peperit ei filium, quem vocavit Gersam, dicens : Advena fui in terra aliena. Alterum vero peperit, quem vocavit Eliezer, dicens : Deus enim patris mei adjutor meus eripuit me de manu Pharaonis. 23. Post multum vero temporis mortuus est rex Ægypti ; et ingemiscentes filii Israel, propter opera vociferati sunt, ascenditque clamor eorum ad Deum ab operibus. 24. Et audivit gemitum eorum, ac recordatus est fœderis quod pepigit cum Abraham, Isaac, et Jacob. 25. Et respexit Dominus filios Israel, et cognovit eos.

Vers. 1. Amram fuit pater Mosis.

1. EGRESSUS EST POST HÆC VIR DE DOMO LEVI, — vir Levita, vir de posteris Levi : fuit hic Amram filius Caath, nepos Levi, pronepos Jacob, pater Mosis. Alexander Polyhistor apud Eusebium, lib. IX *De Præparat. Evang.*, cap. ult., tradit Amram natum esse 14 annis ante mortem Joseph, id est 57 post ingressum Jacob in Ægyptum, ac consequenter anno ætatis 77 genuisse Mosen, obiisseque annis 20 ante egressum Hebræorum ex Ægypto ; vixit enim ipse 137 annis, ut patet cap. VI. Eusebius tamen in *Chronico* ait Mosen natum anno Amram 70, non 77 (1).

Jochabed mater Mosis an fuerit filia, an neptis Levi?

ET ACCEPIT UXOREM STIRPIS SUÆ. — Hebraice est, *accepit filiam Levi*. Fuit hæc Jochabed mater Mosis, quæ pariter, *Numer.* XXVI, 59, vocatur filia Levi. Unde Abulensis putat Jochabed vere et proprie fuisse filiam Levi, et amitam Amram mariti sui : ita ut Levi agens 110 annum, genuerit in Ægypto Jochabed ; hæc autem, cum esset annorum 68, genuerit Mosen, qui 80 vitæ suæ anno eduxit populum. Lege enim naturæ matrimonium amitæ cum nepote non est absolute vetitum, sed tantum lege positiva, quæ tum necdum erat lata, sed postea, *Levit.* XVIII. Sic ergo Moses per matrem fuit nepos, per patrem pronepos Levi.

Verum verius est Jochabed non fuisse filiam, sed nepotem Levi ; nec amitam, sed consobrinam Amram : id enim expresse docet noster Interpres, cap. VI, vers. 20, ubi eam vocat patruelem Amram ; et Septuaginta ibidem, qui eam vocant patrui Amram filiam ; et Chaldæus, qui eam vocat amitæ Amram filiam. Quod ergo hic et *Num.* XXVI, vocatur filia Levi, intellige fuisse Levitidem, sive oriundam e stirpe Levi, ut vertit noster Interpres : sic enim vocantur filiæ Juda, quæ ex Juda sunt oriundæ. Ita Vatablus, Pererius et alii. Addit enim hoc Moses, tum ut constet Mosen et Aaron tam materno, quam paterno genere fuisse Levitas, tum ut significet Hebræos jam tum cœpisse contribules suas ducere, itaque Deum suaviter tribuum distinctionem jam tum inchoasse.

(1) To *post hæc* deest in hebr. Videtur autem Amram Jochabedam uxorem duxisse, antequam Pharao edictum de necandis Hebræorum pueris edidisset.

Facessat ergo Calvini convicium, Mosen incestuoso matrimonio prognatum esse.

2. QUÆ CONCEPIT ET PEPERIT FILIUM, — Mosen. Addit Josephus Amram, patrem Mosis, de Mose jam concepto et brevi nascituro anxium fuisse, ob Pharaonis infanticidæ edictum, et cum Deum instanter pro puero oraret, adstitisse illi Deum, dixisseque : « Scito mihi esse cordi et publicam vestram incolumitatem, et privatam tuam gloriam : puer enim iste, cujus nativitatis metu Ægyptii vestros fœtus ad necem damnaverunt, tibi nascetur, qui gentem suam ex Ægyptia servitute liberabit. Mox fidem oraculo fecit mulieris partus, quæ præter morem puerperarum tam facile est enixa, ut observatores fefellerit. » Favent huic oraculo verba S. Stephani, *Actor.* VII, 25. Vers. 2. Vaticinium de Mose nascituro.

Natus est Moses anno mundi 2374; a diluvio anno non 714, ut habet codex Pererii, sed 717; ab ortu Abrahæ 425 (erravit ergo Porphyrius, qui Mosen vixisse fingit tempore Semiramidis, quæ successit Nino, cujus anno 43 natus est Abraham), post ingressum Jacob in Ægyptum anno 135. Id patet : nam diluvium contigit anno mundi 1656, duravitque unum annum; inde a diluvio anno 292, natus est Abraham; Abraham autem anno ætatis 75 accepit repromissionem a Deo, a qua usque ad exitum Hebræorum ex Ægypto, et datam legem in Sina, fluxerunt anni 430, qui ita dividuntur, ut 215 fluxerint a repromissione facta Abrahæ usque ad descensum Jacobi in Ægyptum ; rursum, alii 215 fluxerint a descensu Jacobi in Ægyptum usque ad exitum Hebræorum ex Ægypto ; Moses autem natus est 80 annis ante exitum. Natus est Moses anno mundi 2374.

Secundo, Moses natus est annis 516 ante regnum Davidis, ante fabricam templi Salomonis annis 560 : nam ab egressu Hebræorum ex Ægypto usque ad fabricam templi fluxerunt anni 480, ut patet III *Reg.* cap. VI, vers. 1. His adde annos 80 vitæ Mosis usque ad egressum, habebis annos 560.

Tertio, natus est Moses ante captivitatem Babylonicam annis 985 ; ante Christum, annis 1576; ante initium Olympiadum, sive ludorum Olympiorum, annis 802; ante Romam conditam, annis Natus est Moses ante Christum an-

nis 1576. 825. Vide tabulam chronologicam quam initio *Gen.* proposui.

Ætas Homeri aliorumque sapientum Græciæ.

Quarto, natus est Moses non 900, ut vult Lactantius, lib. IV, cap. v, sed 430 annis ante bellum Trojanum, ac proinde longe antecessit Homerum, qui minimum centum annis fuit bello Trojano posterior : hinc consequenter Moses longius antecessit septem Græciæ sapientes; hi enim longe Homero fuerunt posteriores, vixeruntque sub tempora Cyri; quos diu post secuti sunt Socrates, Plato, Aristoteles, sub tempora Alexandri Magni.

Quinto, tempore Mosis, sub annum Mosis 35, ait Torniellus, primus in Attica fuit rex Cecrops, qui condidit Athenas, post quem fere omnia contigerunt quæcumque Græci narrant de suis heroibus, diis, bellis aliisque suis memorabilibus. Ita Eusebius in *Chron.*, et Cyrillus, lib. I *Contra Julianum*. Denique natus est Moses eo tempore quo claruit Atlas celeberrimus astrologus, quem ideo finxerunt cœlum suis humeris sustentare, qui fuit frater Promethei physici, quem fingunt lapides in homines transformasse; fuitque hic Atlas avus maternus Mercurii senioris, cujus Mercurii nepos fuit Mercurius junior, cognomento Trismegistus. Ita Eusebius in *Chron.*, et S. Augustinus, lib. XVIII *De Civit.* cap. VIII. Longe ergo Trismegisto senior fuit Moses : quare et Trismegistus et Plato cæteriique Gentilium sapientes, suam sapientiam hauserunt a Mose et Hebræis, uti Eusebius et alii docent. Vide *Geneseos*, cap. XLI, vers. 40.

Atlas astrologus vixit tempore Mosis.

Vers. 2. 2. VIDENS EUM ELEGANTEM, ABSCONDIT MENSIBUS TRIBUS. — Erat, inquit Josephus, infans hic tam speciosus, ut aspicientium oculos in se raperet, defixosque teneret. S. Stephanus, *Actor.* cap. VII, 20, pro *elegans*, vertit, *fuit gratus Deo*. Unde patet hanc elegantiam fuisse plusquam naturalem, Mosique a Deo inditam, significasse eum Deo placere, illi cordi et curæ esse; itaque per hanc elegantiam Mosis, non tam humanam quam divinam, in oraculo quod de Mose acceperant, ejusque fide confirmati sunt parentes, et animati ad eum occultandum; nec dubitarunt hac ratione eum ab aquis, Deo tutore, incolumem evasurum, et hoc est quod ait Apostolus, *Hebr.* XI, 23 : « Fide Moses natus, occultatus est mensibus tribus a parentibus suis, eo quod vidissent elegantem infantem, et non timuerunt regis edictum. » Vide ibi dicta. S. Ephrem, in oratione *De Transfiguratione Christi*, censet Mosen sanctificatum fuisse in utero matris : hoc enim hæc corporis ejus elegantia, ex animæ elegantia promanans, indicare videtur. Verum hæc conjectura est tenuior, quam ut hoc privilegium, et a communi lege peccati originalis, in quo omnes nascimur, exemptionem stabilire possit, præsertim cum nemo alius hoc asseruerit.

Mosis elegantia plusquam naturalis.

Scite Marsilius Ficinus, in Platonis *Symposium*, pulchritudinem vocavit bonitatis florem, et Pacatus in *Panegyr. Theodosii* : « Augustissima, ait, quæque species plurimum creditur trahere de cœlo. Virtus tua meruit imperium, sed virtuti addidit forma suffragium : illa præstitit ut oporteret te principem fieri, hæc ut deceret. » Addit Theophylactus in *Hebr.* XI, 23, parentes voluisse Mosen exponere cum natus est, sed puerum blande arrisisse, et ob id servatum. Adeo, inquit, in ipso omnia divina erant.

3. CUMQUE JAM CELARE NON POSSET, — fervente rursum inquisitione et infanticidio. Nam plures infantes evasisse, remittente se tyrannide, ex Aarone ejusque coævis liquet. Vers. 3.

SUMPSIT FISCELLAM SCIRPEAM. — id est, arculam junceam, sive ex juncis quasi viminibus contextam, et exterius ad aquam arcendam pice et bitumine oblitam; cui impositum infantem mater in junceto seu carecto, ubi incertus eventus certiorem vitæ dabat spem quam domi, ubi certa erat mors inferenda ab assiduis inquisitoribus, exposuit, dura quidem, sed necessaria, et in Dei providentiam fidente misericordia. Perperam ergo Calvinus hos Mosis parentes ignaviæ et ferinæ immanitatis, ob hanc prolis expositionem arguit : nam non poterant aliter vitam Mosis conservare, nisi eum exponendo. Exposuerunt autem eum quam tutissime potuerunt, nimirum in arca bene munita et in loco tuto, dederunt et ei custodem sororem, quæ eum utcumque posset, adjuvaret. Unde Apostolus fidem et animositatem horum parentum dilaudat. Videntur ergo parentes oraculum, quod narrat Josephus de Mosis ortu et salute, accepisse, ideoque non ex timore, sed ex certa in Deum fiducia eum exposuisse.

Allegorice, Moses in cunis delineavit Christum : uterque ergo expositus, ille fortunæ arbitrio, hic saluti hominum; ille in fiscella scirpea, hic in vimineis cunis et præsepio; ille in carecto fluminis, hic in specu viæ publicæ; ille ab Ægyptia exceptus nutritusque pro filio, hic a gentilitate per Magos adoratus et muneribus divinis regiisque pro Deo ac rege universorum declaratus.

EXPOSUIT EUM IN CARECTO. — Pagninus, *in junceto*. Carectum est locus in quo nascuntur carices; carix est herba alta, in speciem gladii, et sub finem acuminata. Hinc patet Mosen expositum fuisse in loco palustri, et stagnante ex Nili aquis, densis tamen juncis et caricibus septo, ita ut arca, et infans in ea expositus, aquarum impetu abripi non posset. Errat ergo Josephus, dum narrat arcam hanc Mosis projectam esse in medium flumen, et deportatam esse ab aquis; filiam vero regis missis natatoribus jussisse arcam ex aquis extrahi et ad se adferri.

Porro, voluit Deus Mosen hæc pati, ut disceret suorum contribulium eadem patientium misereri, eosque ex hac miseria liberaret et educeret. Disce hic morale : Ideo nos Deus fecit miseros, ut ex nostra miseria discamus qualiter misereamur proximo. Nam, ut ait S. Bernardus, *De Gradibus humilit.* : « Æger ægro, et jejunus jejuno quanto

propinquius, tanto familiarius compatiuntur; sicut enim pura veritas non nisi puro corde videtur, sic miseria fratris verius misero corde sentitur; sed ut ob alienam miseriam miserum cor habeas, oportet tuam prius agnoscas, et proximi mentem in tua invenies, ut ex te noveris qualiter illi subvenias. Exemplo scilicet Salvatoris nostri, qui pati voluit, ut compati sciret, et disceret ex his quæ passus est misericordiam. »

Allegorice, Moses hic domo exulans et expositus in fiscella et in carecto, fuit typus Christi pueri : *primo,* reclinati a matre in præsepio, quia non erat ei locus in diversorio; *secundo,* expositi furori Herodis, eumque fugientis in Ægyptum. Unde S. Paulinus docet Christum in Mose et Sanctis omnibus fuisse passum; scribens enim ad Aprum, qui mundum contemnens, ab eo pariter contemnebatur, ita ait, *epist.* 1 : « Merito gloriaris et in exultatione dicis, hinc teipsum tibi credere quod Christianus sis, quia te odisse cœperunt qui diligebant, et despicere qui timebant. Ab initio sæculorum Christus in omnibus suis patitur et triumphat. In Abel occisus a fratre, in Noe irrisus a filio, in Abraham peregrinatus, in Isaac oblatus, in Jacob famulatus, in Joseph venditus, in Mose expositus, in Prophetis lapidatus et sectus, in Apostolis terra marique jactatus, et multis beatorum Martyrum crucibus frequenter occisus. Ipse in te patitur opprobria, et ipsum in te odit mundus. »

Idem docet S. Cyprianus, lib. *De Laude martyrii* : « Prædurantibus, ait, licet costis resultans ungula recurrat in vulnus, et euntibus flagris cum avulsa corporis parte, rediens habena ducatur, stat immobilis tamen pœnis suis fortior, hoc solum secum ipse convolvens, quod in illa crudelitate carnificum, plus, pro quo patitur, Christus, quam ipse patiatur, » et, ut inferius loquitur, « velut socio Christi cruore decoratus. »

Vers. 4. 4. STANTE PROCUL SORORE. — Maria puella grandiuscula, 10 aut 11 annorum, submissa a matre, ait Josephus. Mater eam instruxerat quid agere, quid dicere deberet, nimirum ut si quem Ægyptium transeuntem pueri expositi misericordia tangi, uti sperabat, contingeret, qui pueri servandi modum quæreret, illi nutricem matrem propriam offerret, uti eam fecisse patet ex sequentibus.

Vers. 5. 5. FILIA PHARAONIS, — Thermut nomine, ait Josephus, et ex eo alii passim : addit Philo eam unicam fuisse Pharaonis hæredem, et sine prolibus, licet diu nupta fuisset.

UT LAVARETUR IN FLUMINE, — juxta palatium, loco et septo et secreto, vel, ut ait Philo, inter opaca condensaque juncorum et arundinum sito; neque enim feminam regiam in propatulo lavari voluisse credibile est.

PER CREPIDINEM ALVEI, — per ripam fluminis; hebraice est, *ad manum,* id est ad latus *fluminis.*

QUÆ CUM VIDISSET FISCELLAM IN PAPYRIONE, — id est, in carecto caricibus, juncis et papyris referto : in Ægypto enim nascitur papyrus, uti apud nos junci, in locis palustribus vel marginalibus fluminum. Est autem papyrus arbuscula vel frutex, juxta Nilum nascens, obliqua radice, triangulis lateribus, decem cubitis longa, et in gracilitatem fastigiata : ex foliis papyri tenui phyllura, acu diducta, faciunt chartam ad scribendum, quæ hinc papyrus dicitur; indeque chartæ nostræ, licet ex contritis linteis factæ, quia tamen eumdem scribendi usum præbent, papyrus vocantur : ex ligno vero papyri fabricant naves, unde illud Lucani, lib. IV : Papyrus, arbor ex qua fit charta.

> Cum tenet omnia Nilus,
> Conseritur bibula Memphitis cymba papyro.

Et Ovidius, lib. XV *Metamorph.* :

> Perque papyriferi septemflua flumina Nili.

Quin et Herodotus, lib. II, scribit Ægyptios suas naves ex junco fabricare. Vide Plinium, lib. XIII, cap. XI.

6. DE INFANTIBUS HEBRÆORUM (1). — Suggessit hoc filiæ crudele patris edictum; de perdendis Hebræorum infantibus; ut vero puerum circumcisum intuita est, dubitare non potuit quin esset Hebræus : tunc enim necdum circumcisionem amplexi erant Ægyptii, quam postea acceptarunt, uti docet *Jerem.* cap. IX, vers. 25, et Theodoretus hic, ac Diodorus Siculus, lib. I *Antiquit.* cap. II, atque Herodotus, lib. II. Vers. 6.

8. MATREM SUAM. — Hebraice, matrem pueri; sed eadem erat mater sua, quæ pueri fratris, scilicet Jochabed. Hæc nutrivit, hebraice *lactavit,* Mosen. Vers. 8.

10. QUEM ILLA ADOPTAVIT IN LOCUM FILII. — Quomodo hic permisit pater Pharao, infestus Hebræorum hostis? Respondeo, cor regis esse in manu Dei, et ab eo inflexum fuisse in amorem pueri tam elegantis, inquit Josephus. Addit Philo Thermutem, cum illiberis esset, finxisse se esse gravidam, et genuisse Mosen, quasi Moses non ascititius, sed naturalis ejus esset filius. Idem videtur innuere Apostolus, *Hebr.* XI, 24, cum ait Mosen, grandiorem factum, negasse se esse filium filiæ Pharaonis; ergo ante habebatur genuinus ejus filius. Cur ergo Pharaoni mortuo, non Moses, sed alius (ut dicam vers. 11) in regno successit? forte quia matris fraus, et Mosis adoptio detecta fuit. Vers. 10.

Hinc et regio more educatus est Moses in omni sapientia Ægyptiorum, ait S. Stephanus, *Actor.* VII, 22. Nam, ut ait Plato : « Potentatui perutilis ac necessaria est sapientia, ut in illo quidem corpus, in hac vero animus principis constet et decoretur. » Rursum, idem Plato : « Qualis, ait, in arbusculis plantandis et formandis, talis et in li- Educatur Moses in omni sapientia. Platonis placita de educatione.

(1) Hebr. est, *aperuitque* arcam, *conspexitque eum* (suffixo per pleonasmum verbo addito) *infantem* (quæ vox utrique sexui communis), *et en! erat puer, qui flebat,* etc.

beris gignendis instituendisque cura esse debet; sed hic labor est, illic voluptas. Cavendum autem ne in hac sopiti, in illa vero plusquam vigiles esse videamur. » Idem roganti : « Quænam hæreditas filiis sit relinquenda? » respondit : « Ea quæ non grandinem, non vim, non ipsum denique Jovem extimescit. » Hinc ipse ad juvenes, quos ad beate vivendum animare nunquam desinebat, crebro dicebat : « Otio laborem anteponite, ni rubiginem splendori præstare putatis. » Rursum : « Advertite contrariam virtutis ac voluptatis naturam; hujus enim momentaneæ dulcedini perpetua pœnitentia, dolor et cruciatus affigitur; illi contra post breves dolores, æternæ etiam post mortem delectationes adjunguntur. » Quare discipulo cuidam lautius cutem curanti : « Quousque, ait, o miser, tibi carcerem ædificare pergis? » Alias : « Sapientes, ait, primo loco collocant animum, secundo corpus, tertio pecuniam. Ita in Republica primus locus detur virtuti, secundus viribus corporis, tertius pecuniæ, quæ virtutis et corporis est administra. » Hac de causa suadebat vigilias, quasi sapientiæ et castitatis amicas. Somnum vero diuturniorem detestabatur, ut malarum illecebrarum delictorumque parentem, et morti perquam similem; vetabat quoque bis in die comedere, fierique saturum.

Porro, sapientia Ægyptiorum erat duplex, ait Philo et Justinus, Quæst. XXV *ad Orthodoxos*. *Prima*, aperta ac omnibus exposita, nimirum Geometria, Arithmetica, Astrologia et Musica. *Secunda*, Hieroglyphica, quæ per symbola, gravissima Physices, Theologiæ et Politicæ facultatis mysteria edocet; hæc ergo omnia, quin et medicinam, inquit Clemens, didicit Moses. Hinc et idem Clemens, lib. VI *Stromatum*, ait Mosen in suis ritibus et legibus uti subinde hieroglyphica Ægyptiorum ratione, ut scilicet tradat eas per symbola et ænigmata; idque patet maxime in vestibus sacerdotum, Cherubim, arca et fabrica tabernaculi. Vide dicta *Can.* 27. Marcus Varro apud S. Augustinum, lib. XVIII *De Civitate* IV, docet Ægyptios primum didicisse litteras, magistra Iside, paulo plus duobus annorum millibus ante suam ætatem. Non dubium quin Jacob, Joseph et Hebræi habitantes in Ægypto per 215 annos plurima eos docuerint; hinc de Joseph principe Ægypti dicitur *Psalm.* CIV : « Ut erudiret principes ejus, et senes ejus prudentiam doceret, » ut mirum non sit, in doctrinis et legibus Ægyptiorum multa Hebræorum doctrinæ et legi simillima inveniri apud Herodotum et Diodorum Siculum.

Isis docuit Ægyptios litteras.

Addit rursum Philo, magnis præmiis Mosi accitos fuisse præceptores ex Græcia, qui liberales artes; Chaldæos, qui sideralem scientiam, præsertim quæ futurorum prædictiones continet; Assyrios, qui suas litteras eum docerent, utpote spe omnium destinatum successorem aviti solii, et regem juniorem appellatum : Mosen vero edomandis animi affectibus plurimum studuisse, secutumque non Ægyptiorum, sed majorum suorum instituta patria. Ubi nota Philonem uti hic amplificatione quadam; nam Moses prior fuit et antiquior non tantum omnibus Græciæ sapientibus, sed etiam omnibus qui apud Græcos aliquid scripserunt. Quippe Cadmus, a quo Græci litteras acceperunt, multo posterior Mose fuit, uti docet Eusebius, lib. X *De Præpar. Evang.* cap. III. Quomodo ergo ait Philo, Mosi accitos esse præceptores ex Græcia?

Aliud insuper de Mose narrat Josephus, penes quem sit fides, quod scilicet Pharao Mosi infanti diadema in caput imposuerit, Moses vero illud detraxerit in terram et pedibus conculcarit; quod cum quasi malum omen acciperent Ægyptii, quasi infans hic Ægypto futurus esset exitialis, atque divinus ille qui talem puerum nasciturum prædixerat, asseveraret Mosen hunc esse illum ipsum puerum, velletque eum interficere, Thermutis Mosen eripuerit et servarit.

Voluit Deus Mosen ducem populi futurum in aula Pharaonis educari, ut regiam urbanitatem, morum elegantiam, animi magnitudinem, liberalitatem, aliasque regis virtutes, quasi rector populi futurus, addisceret et imbiberet. *Secundo*, ut postea legatus Dei pro populo apud Pharaonem futurus, majoris esset apud eum auctoritatis, præsertim accedentibus tot ejus signis, portentis et plagis.

VOCAVITQUE NOMEN EJUS MOYSES, DICENS : QUIA DE AQUA TULI EUM. — Putant Philo, Josephus, Clemens Alexandrinus, lib. I *Strom.*, Procopius et Rabanus, quod Moyses sit nomen Ægyptium : *mos* enim ægyptiace significare aquam, vel, ut ait Josephus, aquam Ægyptii vocant *mo*; *ises* vero servatos : ut Moses idem sit quod servatus ex aqua. Verum dico *Moses* esse nomen Hebræum, et significare tractum vel extractum, puta ex aquis; radix enim ejus est Hebræa, scilicet משך *masa*, quæ significat trahere, vel extrahere. Hebræum ergo Hebræo infanti nomen indit adoptans eum mater Ægyptia : id clarum est ex hebraico textu, qui sic habet : ותקרא שמו משה ותמר : כי מן המים משיתיהו *vatticra scemo Mose vattomer : ki min hammaim mescitihu*, id est, *et vocavit nomen ejus Moses, et dixit : Quia ex aquis extraxi eum* : ubi clare patet vocatum esse Mosen, ab Hebræo *mescitihu*, quod significat *extraxi eum*, scilicet ex aquis (1).

Moses est nomen Hebræum, *q. d.* extractus ex aqua.

(1) Attamen quum filia Pharaonis puerum sibi filium adoptasset, et adoptantis fuisset adoptato imponere nomen, vix dubium est Mosis nomen fuisse Ægyptium, quum virgo Ægyptia nomen profecto non ex Hebræorum, sed suo patrio sermone desumptura fuisse videatur. Quod et asserit Josephus, *Antiq.* II, IX, 6 : « Deinde ei, utpote qui dejectus esset in fluvium, appellationem hanc ex eo, quod contigerat, imposuit. Nam aquam Ægyptii vocant *Mo*, *Yses* vero qui ex aqua eripiuntur. » Similiter Philo, *De Vita Mosis*, Clemens Alexand. *Stromat.* lib. I, et Eusebius in *Præparat. Evang.* lib. IX, cap. XXVIII. Vo-

Nota *primo*, genuine dicendum esse Moses, corrupte vero dici Moyses : sic et alia nomina propria Hebræorum apud Græcos et Latinos corrupta sunt; *secundo*, tradunt Hebræi משה, id est Moses, revolutum per anastrophem, idem esse quod השם *hasschem*, id est *ipsum nomen*, scilicet celebre, magnum, potens et terribile Pharaoni et Ægyptiis. Rursum, *nomen*, id est virtus, efficacia, et potentia admiranda quæ data est Mosi; *tertio*, Clemens Alexandrinus supra tradit Mosen, antequam exponeretur a parentibus, vocatum esse Joachim, postea vero a filia Pharaonis vocatum esse Mosen : tertium etiam habere nomen, postquam in cœlum assumptus est, et vocari Melchi. Rursum Aben Ezra et R. Abraham aiunt Mosen ab Ægyptiis vocatum esse Monion. Pererius quoque censet Mosi a filia Pharaonis Ægyptium inditum esse nomen, idem significans quod hebræum *Moses*, ac Mosis nomen postea ab Hebræis ipsi impositum esse. Verum hæc omnia incerta sunt : nec enim S. Scriptura, nec Josephus, nec Philo aliud nomen pandunt quam Mosis, cujus et etymon reddunt, quasi eo appellatus sit tam ab Hebræis, quam ab Ægyptiis; in sequentibus enim capit. Pharao et Ægyptii non aliter eum compellant quam Mosen; sed et Gentium historici, Tacitus, Trogus, Justinus et alii, Mosen eum semper nominant. Ab eventu ergo felici extractionis ex aquis, Moses nomen est sortitus, idque, fausto omine et significatione, quod scilicet ipse pariter aquis afflictionum extracturus et liberaturus esset filios Israel, eosque per mare Rubrum sicco pede duceret. « Competens, ait S. Augustinus, serm. 89 *De Temp.*, fuit divina vindicta, ut suis affectibus puniatur parricida (Pharao per Mosen), et filiæ provisione pereat, qui genitrices interdixerat parturire. »

Allegorice. Allegorice Cyrillus : Mater, ait, quæ filium (Mosen) in fiscella conclusit, est Synagoga, quæ Christum ex se natum segregavit, ut alienum; sed Pharaonis filia, id est Ecclesia Gentium, illum suscepit, idque apud aquas baptismi. Et Prosper : « Dum descendit, ait, filia Pharaonis ad Mosen, id est doctrina hujus mundi ad Christum, abluta spiritali unda, deposuit superbiam, suscipiensque quasi grandis parvum, per humilem gratiam Ecclesiæ sociata, quæ filia fuerat, Christi mater efficitur. » Addit Theodoretus : Mater rursum a Gentili Ægyptia filium educandum suscepit, quia Israel ab Ecclesia Gentium fidem Christi novissimis temporibus accipiet. Moses ergo natus in persecutione Pharaonis, id est, Christus natus in persecutione Herodis et diaboli, qui totum mundum suo jugo premebat. Moses occultatus mensibus tribus significat Christum in lege vetere occultatum triplici tempore, scilicet Judicum, Regum et Pontificum. Moses projectus in flumen a parentibus significat Christum in aquas passionis et mortis a Judæis immersum, quem Ægyptia, id est Gentilitas, suscepit, et magnifice ac splendide tractavit, videns ejus elegantiam in cœlesti sapientia, vita et moribus.

Tropologice. Tropologice, Hugo de Sancto Victore in allegoria in *Exodi* I : Moses, ait, est quisquis in fluvio præsentis sæculi; filia regis est gratia Dei, quæ nos fluxu sæculi erutos in filios Dei adoptat; et Hebrææ, id est, transeunti in cœlum matri Ecclesiæ tradit nutriendos.

Vers. 11. 11. IN DIEBUS ILLIS (cum Moses ageret annum ætatis 40, ut ait S. Stephanus, *Act.* VII, 23), POSTQUAM CREVERAT MOSES. — Josephus et plurimi ejus sequaces narrant Mosen, a Pharaone bello Æthiopico præfectum, Æthiopes profligasse; regiam Sabam, quæ postea a Cambyse nomine sororis Meroe est appellata, cepisse traditione Tharbis, filiæ regis Æthiopum : quam Moses deinde, juxta pacta, in uxorem acceperit. Hoc Mosis bellum Torniellus consignat anno Mosis 40, cum jam pridem Amenophis, sub quo natus est Moses, obiisset, ac regnaret Orus, si credimus Eusebio. Sane quidquid de hoc bello sit, quod Theodoretus et alii fabulosum vocant, non dubium est Mosen multa de se humilitatis studio præterisse, nec enim his quadraginta annis, quibus in aula vixit quasi princeps, deses vel otiosus fuit. Addit auctor *Histor. Scholast.* et alii Tharbis hanc, esse Æthiopissam illam, ob quam contra Mosen murmurarunt Maria et Aaron, *Numer.* XII. Rursum Mosen, parta victoria, cum redire vellet in Ægyptum, nec dimitteret eum Tharbis, ipsum, ut qui peritissimus esset astrorum, duas imagines sculpsisse in gemnis, ejus virtutis ac potestatis, ut altera memoriam afferret, altera oblivionem; cumque paribus annulis eas inseruisset, alterum, scilicet memoriæ, sibi reservasse, alterum, scilicet oblivionis, dedisse Tharbis : quem illa induens, mox Mosis oblita fuit, sicque ille in Ægyptum redire potuit. Sed hæ sunt fabulæ et næniæ.

Moses conficit bellum Æthiopicum, si credimus Josepho.

Fabula de annulis memoriæ et oblivionis.

EGRESSUS AD FRATRES SUOS. — Hebræi fratres vocant omnes eos, qui sunt ejusdem familiæ vel gentis.

VIDITQUE AFFLICTIONEM EORUM. — Addit Philo, Mosen sæpius visisse suos Israelitas laborantes et afflictos, eosque consolatum esse, ac præfectos operum lenitatis admonuisse, itaque purpuratos sensim eum suspectum habere cœpisse, ac tandem ad regem, tanquam ab eo dissidentem, resque novas molientem, detulisse, ejusque aures calumniis implesse. En fortitudinem Mosis profitentis se Israelitam, magisque eligentis affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, *Hebr.* XI, 25. Moses ergo contempsit regnum Ægypti, fassus se Hebræum, eoque negans se filium filiæ Pharaonis. Ob hoc, ait Ambrosius, in *Psal.* CXVIII, factus est a Deo

cabula autem Ægyptiaca, vel Coptica, e quibus hoc nomen conflatur, esse ΜΩ *aqua*, et ΟΥΑΣΧΕ *servatus*, recte ostendit Jablonski in *Opusc.* tom. I, p. 157.

Pharaonis Deus, id est eo superior, eique terribilis. Ob hoc quoque Philo Mosen vocat miraculum naturæ : nam ambire, non dico regiam dignitatem, sed amicitiam, ordinarium in natura opus est; at hæc ipsa spernere, imo detestari, plane extraordinarium est, ideoque miraculum, eoque magis, quo ea non sui commodi, sed publici boni, et suæ gentis causa despexit. Ita Philo. Hæc vera est animi celsitudo, regnum pietati posthabere : hæc summa dignitas, quæ eum regi dignitate digniorem effecit. Major est enim qui dignitatem despicit, quam qui suspicit et suscipit. Nam ille honore superior, hic inferior est : ille pompæ herus, hic servus : hic gloriam esurit ut mendicus, ille contemnit ut dominus.

VIRUM ÆGYPTIUM PERCUTIENTEM QUEMDAM DE HEBRÆIS. — Philo ait hunc Ægyptium fuisse unum ex præfectis, qui injusto onere oppressos Hebræos tam inique pulsare consuevisset. S. Stephanus, *Act.* VII, percussionis vice, injuria eum affecisse dicit. Tradunt Hebræi hunc Ægyptium adulterium commisisse cum uxore hujus Hebræi, ideoque orta rixa eum percussisse; sed hoc eorum de more est figmentum. Certum est hanc percussionem fuisse gravem et enormem, vel in se, vel ob circumstantias, vel ob ea quæ præcesserant, ut ait Philo, ita ut percussor mereretur plecti morte : alias enim Moses non habuisset potestatem et jus, nec voluntatem eum occidendi.

Vers. 12. 12. PERCUSSUM ÆGYPTIUM ABSCONDIT SABULO. — « Percussum, » id est occisum; sepelivit enim et abscondit eum in sabulo.

An juste Moses occiderit Ægyptium ? Quæres, an juste et recte cædem hanc fecerit Moses? videtur enim Moses, utpote agens vitam privatam, nullam ad hoc auctoritatem vel a Deo, vel ab homine accepisse.

Prima sententia. *Primo*, Hebræi, etiam prisci, teste Clemente Alexandrino, lib. I *Stromat.*, excusant Mosen, eo quod Ægyptium occiderit non gladio, sed pronuntiando in eum nomen tetragrammaton Jehova, quomodo S. Petrus solo verbo occidit Ananiam et Sapphiram : sed hoc est commentum : percutere enim est, non verbo, sed gladio aliisve armis ferire. Rursum, tunc nomen Jehova necdum erat Mosi revelatum. Deus enim illud sibi primo indit, illudque Mosi revelat *Exodi* VI, 3.

Secunda. *Secundo*, S. Augustinus, lib. XXII *Contra Faustum*, cap. LXX, hoc factum Mosis culpat, quasi factum præter potestatis et justitiæ ordinem; illudque tribuit ejus zelo, sed nimio et inculto, qui vitiosa quidem, inquit, sed magnæ fertilitatis signa fundebat; significabat enim hic zelus nimius, Mosen, ubi excultus foret, zelumque hunc ratione regere et temperare didicisset, fore insignem et animosum populi ducem. Hinc et Œcumenius *in Epist. Judæ*, tradit diabolum in altercatione cum Michaele de corpore Mosis, dixisse Mosen non esse dignum sepultura, eo quod injuste occidisset Ægyptium, eumque non in sepulcro, sed in sabulo sepelivisset.

Tertia. *Tertio*, S. Ambrosius, lib. I *Officior.* cap. XXXVI, S. Thomas et Burgensis hoc Mosis factum tribuunt justæ defensioni, qua Hebræum injuste invasum defendere tenebatur ex charitate. « Qui enim socium non defendit ab injuria, cum potest, tam est in vitio quam ille qui facit, » ait S. Ambrosius. Nam, ut ait Toletus in *Lucæ* XII, annot. 27, tunc non erat judex, qui posset injuriam avertere, et injuria erat præsens, nec moram temporis patiebatur : unde Mosis erat tunc subvenire.

Addit Cajetanus hosce præfectos operum fuisse publicos hostes et oppressores Hebræorum : ideoque licuisse Hebræis eos occidere, si possent, perinde ac in bello justo licet hostem et invasorem ubivis occidere.

Quarta et vera. *Quarto*, planissime et solidissime, fecit id Moses, ex inspiratione divina auctoritatem adeptus : movebat enim Deus Mosen ad hanc cædem, ut vindicem sui populi agere inciperet, et publicum hostem occideret; hoc enim est quod ait S. Stephanus, *Actor.* VII, 25 : « Fecit ultionem percusso Ægyptio : existimabat autem fratres intelligere, quoniam *Deus* per manum ipsius daret salutem illis. » Sciebat ergo Moses, adeoque alios passim scire putabat, se jam a Deo designatum esse ducem et vindicem Hebræorum, Deumque velle ut ad hunc ducatum per hanc cædem et vindictam justam se compararet; adeoque S. Stephanus hic videtur confirmare historiam Josephi, qui narrat oraculum patri Amram factum, de filio suo Mose vindice et liberatore Hebræorum futuro. Ita S. Augustinus hic, Rupertus, S. Thomas et alii.

Symbolice notat S. Ambrosius, lib. *De Cain et Abel*, Mosen aptum fuisse interfectorem Ægyptii, quia in seipso prius interfecerat ambitum honoris et regni. « Ille, ait, velut quasdam in se manus injicit, qui interficit voluptates corporis sui. Interfecit ergo Moses Ægyptium hominem; sed non interfecisset, nisi prius in se Ægyptium spiritalis nequitiæ interemisset, honorem regalium voluptatum. »

Allegorice. Allegorice, Moses percusso Ægyptio liberavit Hebræum, id est, Christus fracta diaboli potentia liberavit genus humanum. Ægyptius absconsus est sabulo, quia diabolus, ejusque tentamenta absconduntur in bonis temporalibus, quæ instar sabuli vilia, imbecilla et instabilia sunt. Ita Pererius.

Vers. 14. 13. AIT, — intra se, id est cogitavit; sicut enim est verbum linguæ, ita est et verbum mentis.

QUOMODO PALAM FACTUM EST VERBUM ISTUD? — Hebraice, *vere notum factum est verbum*; noster Interpres profundius Mosis pathos intellexit, illudque per notam admirationis expressit, quasi diceret : Itane, vel verene notum factum est verbum istud? sed eodem res redit. Nota : *Verbum* metonymice usurpant Hebræi pro facto, aut re cujus verbum est index et signum; sic dicitur ;

« Non erit impossibile apud Deum omne verbum, » id est omnis res; et pastores dicunt *Luc.* capit. II : « Videamus hoc verbum quod factum est, » Christum jam natum.

Vide hic quam aulæ honores sint inconstantes, quam mundi felicitas sit instabilis et varia. En Moses adoptatus in filium regis, pellitur in exilium. Vere dixit Philo, libro *Quod Deus sit immutabilis* : « Sicut affluxum maris sequitur paulo post refluxus, sic rerum caducarum affluentiam sequitur mox refluentia. » Audi et Senecam : « Notissima, ait, vox est ejus, qui in cultu regum consenuerat, cum eum quidam rogaret quomodo rarissimam rem in aula consecutus esset senectutem : Injurias accipiendo, et gratias sæpe agendo. »

Vers. 15. 15. QUI FUGIENS. — Opportuno tempore, quando Deo visum, rediturus, suisque consulturus. Hinc Apostolus *ad Hebr.* cap. XI, vers. 27, ait de Mose : « Fide reliquit Ægyptum, non veritus animositatem regis, » quasi diceret : Etsi Moses fugerit, non tamen concidit animo, nec spem liberandi Israelis abjecit; sed certo sibi persuasit se suo tempore rediturum et liberaturum Israelem : quanquam et alius magis genuinus illius loci est sensus, ut dixi *Hebr.* XI.

Ita S. Athanasius, cum Juliani Apostatæ jussu Alexandria in exilium pelleretur, et circa se Christianos illacrymantes videret, dixit : « Bono animo estote; nebula enim est, quæ brevi evanescet. » Ita Sozomenes, lib. V, cap. XIV. Ita factum est; nam paulo post Julianus monachus in spiritu prævidens Juliani interitum, suis dixit : « Aper silvestris, hostis vineæ Domini, debitas scelerum in Christum dedit pœnas, et mortuus jacet, ne amplius Christianis insidias struat. » Mox compertum est id vere accidisse eodem momento, quo monachus loquebatur, teste Theodoreto, lib. III, cap. IX.

Sanctis nusquam est exilium, quia Deum ubique inveniunt.

Ubi nota : Fidelis et sanctus in exilium pelli nequit; nam ubique excipitur a Deo, qui illius et pater, et patria, et omne bonum est. Ita S. Cyprianus, Epist. 66 *ad Thibaritanos* : « Solus, ait, non est cui Christus in fuga comes est; solus non est, qui templum Dei servans, ubicumque fuerit, sine Deo non est. »

Ita S. Augustinus, serm. *De S. Cypriano* : Arbitraris, ait, tyranne, de patria sua in alienam te excludere hominem Dei? falleris; ille in Christo nusquam est exul, in carne ubique est peregrinus. Ita S. Nazianzenus : « Mihi, ait, *Oratione* 28, omnis terra, et nulla terra patria est : » quia scilicet mihi patria cœlum est, et quia totam terram pro patria duco, sumque cosmopolita, id est, civis mundi.

Ita S. Basilius : « Exilium, ait, non cognosco, qui nullo loco circumscriptus sum; ac nec terram hanc, quam nunc incolo, meam habeo, et eam omnem, in quam projectus fuero, pro mea duco : imo ut rectius loquar, universam terram Dei esse scio, cujus advena sum et peregrinus; » testis est Nazianzenus, *Orat.* 20, quæ est de laudibus S. Basilii.

Hugo Victorinus, lib. III *Didasc.* cap. ult. : « Delicatus, ait, ille est adhuc, cui patria dulcis est; fortis jam, cui omne solum patria est; perfectus, cui mundus totus exilium est. Ille mundo amorem infixit, iste sparsit, hic extinxit. »

Tentationes Mosen Deum sequentem invadunt.

MADIAN. — Madian urbs fuit condita a Madian filio Abrahæ ex Cetura, unde et tota regio dicta est Madian. Quam verum illud *Eccli.* II : « Fili, accedens ad servitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem! » Ecce quot hic tentamenta Mosen vocationem Dei sequentem, aulamque egressum glomeratim invadunt, paupertas, ignominia, contemptus, non ab Ægyptiis tantum, sed et ab ingratis, quorum causa hac omnia subibat, Israelitis, insidiæ regis, pericula mortis, fuga, exilium; sed nullis, ne ingratorum quidem, malis vincitur Mosis destinata pietas, quæ non homines, sed Deum intuita, invisibilem tanquam videns sustinuit, *ad Hebr.* XI, 27. Vide hic quam verum sit illud S. Marci Anachoretæ : « Deus conscius infirmitatis nostræ, non solet alicui quid magni conferre, nisi prævia calamitate. »

Allegorice.

Allegorice notat Rupertus S. Stephanum asserere *Act.* VII, patres Judæorum negasse Mosen, Samuelem, Davidem, in exemplum et typum Judæorum Christum negantium : qui idcirco fugiens uxorem alienigenam duxit, scilicet Ecclesiam Gentium.

Mose agente in Madian contigit diluvium Deucalionis.

Nota : Mose agente in Madian (anno Mosis 67, inquit Torniellus, qui fuit Cecropis Atheniensium regis primi 31) contigit celebre illud apud Gentiles diluvium Deucalionis in Thessalia. Dicitur « Deucalionis, » quia Deucalion tunc ibidem regnavit, ipseque cum paucis aliis hoc diluvium, in parva rate appellens ad Parnassum montem, evasit; unde fertur ipse genus humanum reparasse. Ita S. Augustinus, lib. XVIII *De Civit.* X.

Item Phaethontis incendium.

Tunc etiam contigit Phaetontis incendium, perinde ac si ignis et aqua in perniciem hominum tunc conjurassent : tantus enim fuit æstus solis, ut universum orbem torruisse videretur : ex quo orta est fabula Phaetontis, quod scilicet Phaeton, Solis filius, male regens solis currum, terram exusserit. Ita Eusebius, Cyrillus, Orosius, lib. I, cap. X, et ex his Torniellus.

Vers. 16. 16. SACERDOTI MADIAN. — Chald. *principi Madian*; quin et Artapanus apud Eusebium, lib. IX *De Præp. Evang.* cap. ult., hunc Raguel vocat regem Arabiæ : ejus enim pars est Madian, Hebræum כֹּהֵן *cohen* proprie sacerdotem significat; sed quia sacerdotium, quasi nobilissima et divina functio, tum fere principibus aut primariis familiarum, uti Melchisedech, Noe, Abraham, competebat; et quia princeps ac magistratus in primis cultum Dei, et quæ ad gloriam illius faciunt, promovere debet : hinc *cohen* principem quoque significat, ut patet II *Reg.* VIII, 18, ubi filii David dicuntur fuisse sacerdotes, hoc est, ut Septuaginta

Cohen vocatur sacerdos et princeps.

Jethro fuit sacerdos idolorum.

vertunt, αὐλάρχαι, id est principes aulæ (1). Potuit ergo Raguel sacerdos esse et princeps : sacerdos, inquam, tum quidem idolorum, quia Madianitæ erant idololatræ; postea autem videns mira quæ faciebat Deus per Mosen, Deum verum agnovit et coluit, ut patet *Exodi* XVIII, licet S. Cyrillus, lib. III *De Adorat. in spiritu*, fol. 54, et Abulensis putent eum ex tunc coluisse unum Deum altissimum, sed cum eo multos etiam alios deos suæ gentis.

Demetrius historicus, ait Eusebius supra, tradit quod Abraham ex Cetura genuit Jecsan, ex quo natus est Adam (aut potius Dadan, ut patet *Gen.* cap. XXV, vers. 3), a quo Raguel pater Jethro,

Mosis statura et forma.

cujus filiam Moses accepit uxorem; additque Mosen fuisse statura longum et flavum, prolixiore capillo et barba, ac denique statura et facie permagnæ dignitatis.

ADAQUARE CUPIEBANT GREGES. — Nobilis tum erat ars pastoritia, quidquid occlamet Calvinus, quam etiam tum nobiles exercebant virgines mirabili temporum illorum castimonia, uti in Genesi vidimus fecisse Rachel et Liam.

Vers. 17. 17. EJECERUNT EAS, — ad haustum a puellis, paratumque potum agentes sua pecora; fruituri inertes alienis laboribus, ait Philo (2).

DEFENSIS PUELLIS. — Hugo Victorinus putat Mosen comites duxisse secum, quibus adjutus pastoribus restitit. Ubique charitatis semina sparsit Moses, innocentium, oppressorum et justitiæ vindex; ita sibi Raguelis gratiam et Sephoram conjugem conciliavit. Hoc prudentis, hoc Christiani est, beneficentia sibi omnes devincire. Sic «Christus transiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo,» *Act.* cap. X, 38. Vidit et hoc per umbram gentilis Scipio, qui servabat Polybii præceptum, ne e foro discederet, quin aliquem sibi amicum aut benevolum magis efficeret, ait Plutarchus.

Vers. 18. Jethro tria habuit nomina.

18. AD RAGUEL. — Tradunt Hebræi, Lyranus et Abulensis, Raguel fuisse quadrinomium : *primo* enim vocatur hic *Raguel; secundo*, cap. sequenti, vocatur *Jethro*, id est addens, quia ipse addidit unum caput legi, de ordinatione populi per tribunos, centuriones, quinquagenos et decanos, *Exodi* XVIII; *tertio*, vocatur *Cineus, Judic.* IV, 11; *quarto*, vocatur *Hobab*, id est amans, quia dilexit legem Dei, et ad judaismum est conversus, ut patebit *Exodi* XVIII. Verum alii probabilius putant Hobab non esse Raguel, sed Raguelis filium, de quo *Num.* X, 29 (3).

19. VIR ÆGYPTIUS. — Talis Moses ex veste et habitu videbatur; forte etiam se venire ex Ægypto sciscitantibus puellis responderat. Vers. 19.

20. UT COMEDAT PANEM, — cibum sumat, convivetur nobiscum. *Panis* enim Hebræis, per synecdochen, quemlibet cibum significat. Vers. 20.

21. JURAVIT ERGO MOYSES QUOD HABITARET CUM EO. — Scriptura hic, brevitati studens, multa intelligenda relinquit, scilicet filias ad fontem reversas esse, indeque Moysen, patris verbis persuasum, domum deduxisse, amanter ab eo salutatum esse, explorataque statim ejus indole, post multa ultro citroque verba, tandem ad pactum habitandi cum eo descendisse, illudque juramento firmasse, ac denique ejus filiam Sephoram uxorem duxisse. Nota : Pro *juravit* hebraice est יאל *joel*, quod licet proprie significet, *voluit, consensit, acquievit*, et ita hic vertant Septuaginta, Chaldæus, Vatablus et alii, tamen subinde per metathesin, et per commutationem litterarum *ehevi*, idem est quod אלה, id est juravit, ut patet I *Samuel.* XIV, 25 : «Et adjuravit Saul populum;» hebraice est יאל *joel* (4). Vers. 21.

22. QUEM VOCAVIT GERSAM, DICENS. — Hebraice, *quia dixit* : dat enim rationem cur eum vocet «Gersam,» quod scilicet ipse Moses, advena et peregrinus fuerit in Madian. גר *ger* enim *peregrinum*, שם *scam illic* significat. Vers. 22.

Nota : Hi filii Mosi nati sunt, non statim ut venit in Madian, anno ejus 40, sed diu post, scilicet paulo ante reditum ex Madian in Ægyptum, qui contigit anno ejus 80. Id patet ex eo quod in hoc reditu uxorem cum filiis hisce imposuerit asino, ut dicitur cap. IV, vers. 20. Erant ergo tunc adhuc parvuli.

ALTERUM VERO PEPERIT. — Noster Interpres cum Septuaginta secundi filii Mosis nomen hic interserit, ut filios Mosis simul enumeret, licet illud non habeatur in Hebræo hoc loco, sed *Exodi* cap. XVIII, vers. 4 : unde illud transcripserunt Septuaginta et Noster; vel potius illud ex Hebræo hic excidit. Hebræa enim subinde mutila sunt, uti ostendit

(1) Huic tamen argumento jure opponitur, quemadmodum Davidi, ut regi, concessum erat sacrificia offerre, et populo benedicere, II *Sam.* VI, 17, 18; XXIV, 25, ita nil impedire quo minus credamus, Davidem et filios ad sacrorum ministerium constituisse. Veteres omnes vertunt hic, *sacerdoti Madian.*

Vulgo vocem *cohen* derivant vel a rad. כון, *parare, aptare, ministrare* : ita Hitzig *in Is.* LXI, 10; vel ab arab. *cahan, ministravit* : ita Gesenius : ut sensus genuinus sit *administrator*, scil. rerum divinarum. Melius, ut opinor, Schultens in *Orig. Hebr.*, p. 228, hanc vocem deducit ab antiqua radice arab. *gahan, appropinquavit, propius accessit*, usitata τοῦ *g* in *c* commutatione : ut *cohen* sit, non administrator qualiscumque, sed præstans et quasi primarius minister, qui videlicet regem (Deum) propius ac familiarius adit, ejusque consiliis est intimus.

(2) Hebr. est, *ejecerunt eos*, minus accurate dictum pro *eas.*

(3) Verisimilius observat Michaelis Raguelem hic vocari *patrem* earum, quum *avus* esset; Jethronem enim, cui et Hobab nomen, fuisse Mosis socerum, et vocari *Num.* X, 29, Raguelis filium. Quod vero hic avi potius, quam patris puellarum fit mentio, ratio hæc reddi potest, quod Raguel, quum primum Moses Madianem advenisset, adhuc in vivis et caput familiæ fuerit, quo demum mortuo id factus fuerit Jethro : quare et hic inde a cap. proximo nominatur.

(4) Nota tamen, I *Sam.* XIV, 25, legi וַיֹּאֶל, futurum sane apocopatum formæ hiphil, hic vero legi וַיּוֹאֶל, quod difficilius ad rad. יאל reducitur.

Moses vocavit filium Eliezer. Cur? Prima causa. Secunda. Tertia. Quarta.

Bellarminus lib. II *De Verbo Dei*, cap. II. Nomen ergo secundo filio Moses imposuit Eliezer, id est, Deus meus adjutor, idque ut doceret fideles *primo*, exilia et adversa quæque, Deo nixos, fortiter ferre; *secundo*, liberos suos intueri, non ut irritamenta avaritiæ, sed ut monumenta divinæ largitatis, quibus ad gratiarum actionem et Dei obedientiam incitentur; *tertio*, Dei semper esse memores, prolesque Sancto vel Sancti alicujus nomine nuncupare; *quarto*, nomine suo proles admonere voluit, ut cogitent unde et quomodo sint nati, quidve Deo debeant, denique quos imitari teneantur.

Vers. 23. 23. POST MULTUM VERO TEMPORIS MORTUUS EST REX ÆGYPTI. — Is videlicet sub quo natus Moses, adoptatus et ad necem quæsitus fuit: hoc enim series historiæ videtur exposcere. Quæ ratio coegit Gerardum Mercatorem, ut non Eusebium, sed Manethonem secutus, hæc omnia quæ hucusque narravit Moses, contigisse censeat sub Armesesmiano, sive Ramesses rege, quem diutissime, scilicet 66 annos, regnasse tradit.

Verum quia certiorem hic chronologum Eusebio non habemus, quem passim Catholici sequuntur, hinc cum iis solidius dicemus, hoc tempore non tantum mortuum fuisse Pharaonem illum, sub quo natus est Moses, sed et duos alios, eum in regno sequentes, qui ejusdem cum eo erant genii et odii in Judæos. Hæc enim facta videntur paulo ante, et, si Torniello credimus, uno anno ante ducatum Mosis et liberationem Hebræorum ex Ægypto, cum Moses ageret annum ætatis 79, ad quem nec Ramesses, nec quis alius rex Ægypti regnavit. Dicit ergo Moses hic, instante jam Hebræorum liberatione, quod rex eos affligens, cum suis asseclis sit mortuus, ut indicet iis, utpote tyrannis, mortuis, Hebræos ingemuisse et inclamasse Deum, ut eis mitiorem Pharaonem crearet, aut potius liberatorem mitteret qui eos ex Ægyptia servitute exciperet. Sensus ergo est, *q. d.* Mortuo rege, aliisque tyrannis, Hebræi serio invocarunt Deum pro sua liberatione; Deusque eos exaudivit, ac sequenti anno, qui fuit 80 Mosis, misit Mosen qui eos liberavit.

VOCIFERATI SUNT. — Hebræi hic, flagello hoc servitutis exciti, redeuntes ad cor, acrius post mortem tyrannorum, quasi major jam libertatis sperandæ detur occasio, vociferantur ad Deum, utpote qui solus eos liberare poterat: ita tribulatio docet Deum invocare; vulgo dicitur: Qui nescit orare, eat ad mare; ibi enim fluctus et pericula docebunt eum precari, Deumque et cœlites inclamare.

ASCENDIT CLAMOR EORUM AD DEUM AB OPERIBUS. — Chaldæus, *propter opera*. Hinc Theologi docent oppressionem pauperum esse peccatum clamans in cœlum, quod sui enormitate Deum provocet ad celerem opprimentium vindictam, et oppressorum liberationem.

Vers. 24. 24. AC RECORDATUS EST FOEDERIS. — Anthropopathos hic et alibi, Deo memoria et recordatio tribuitur: quia si Deus esset homo, qui hactenus permisisset Hebræos affligi, recte eorum oblitus diceretur; jam vero eos liberare destinans, diceretur recordare fœderis initi cum Patriarchis, quo promisit se Deum fore eorum, seminisque eorum, peculiari utique et eximia circa eos providentia.

Vers. 25. 25. ET RESPEXIT DOMINUS FILIOS ISRAEL, — ita Romana et Hebr. Respexit autem, et cognovit (uti addunt Hebræa) Deus populum suum, cogitando eum cito liberare, eique clementem se exhibere.

Nota τὸ *audivit, recordatus est, respexit, cognovit:* hæc enim omnia repetunt et inculcant miram Dei in suos curam, amorem, providentiam, magnamque et celerem brevi affore ejus opem et misericordiam. Septuaginta vertunt, *et cognitus est eis*, scilicet liberans eos, quasi diceret: Cognita eis fuit Dei erga se cura et providentia, cum per Mosen cœpit et aggressus est eos liberare; unde Noster vertit, *et liberavit eos*: τὸ enim *liberavit* hic actum inchoatum, non consummatum significat.

Est hoc capite et præced. illustris locus moralis de fructibus adversitatis et patientiæ, ejusque exemplum in Mose et Hebræis, qui per adversa creverunt, factique sunt populus, Ecclesia et regnum Dei. Scripsit Tertullianus (quem S. Cyprianus et alii secuti sunt) insignem librum *De Patientia*, in quo cap. V, ostendit diaboli et omnium hominum peccata, impatientiæ esse ascribenda; sequentibus demonstrat, quam eximium sit vitæ antidoton patientia, idque contra quævis adversa; ac *primo*, adversus opum et facultatum jacturam, cap. VIII, hæc dat patientiæ pharmaca. Aurea patientiæ documenta ex Tertulliano.

Primum: « Omni, ait, pene in loco de contemnendo sæculo Scripturis dominicis commonemur. Unde et Dominus ipse in nullis divitiis invenitur. »

Secundum, « Dominus semper pauperes justificat, divites prædamnat; radix enim omnium malorum est cupiditas. »

Tertium, « nihil est nostrum, quoniam Dei sunt omnia, cujus ipsi quoque nos sumus. »

Quartum, « qui damni impatientia concitatur, terrena cœlestibus anteponendo, de proximo in Deum peccat. Libenter ergo terrena amittamus, cœlestia tueamur: totum licet sæculum pereat, dum patientiam lucrifaciam. »

Quintum, « patientia in detrimentis exercitatio est largiendi; facit enim nos faciles ad communicandum, et dandum eleemosynam: non piget donare eum, qui non timet perdere. »

Sextum, « gentilium est omnibus detrimentis patientiam adhibere, qui rem pecuniariam fortassis animæ anteponunt; nos vero non animam pro pecunia, sed pecuniam pro anima deponere convenit, seu sponte in largiendo, seu patienter in amittendo. »

Septimum, « ipsam animam et corpus, in sæculo isto expositum omnibus ad injuriam gerimus, ejusque injuriæ patientiam subimus: absit a

servo Christi, ut patientia majoribus tentationibus præparata, in frivolis excidat. »

Secundo, adversus acria verba et verbera, eodem cap. hæc dat patientiæ remedia.

Primum : « Dominus monet : Verberanti te in faciem, etiam alteram genam obverte. Fatigetur aliena improbitas patientia tua. »

Secundum, « plus improbum illum cædis sustinendo ; ab eo enim vapulabit, cujus gratia sustines. »

Tertium, « respice dictum Domini : Cum vos maledixerint, gaudete. »

Quartum, « Dominus ipse maledictus in lege, et tamen solus est benedictus; igitur Dominum servi consequamur, et maledicamur patienter, ut benedicti esse possimus. »

Quintum, « alioqui cruciabor, saltem impatientia muta. »

Sextum, « idcirco qui te lædit, ut doleas, quia fructus lædentis in dolore læsi est; ergo cum fructum ejus everteris non dolendo, ipse doleat necesse est, amissione fructus sui : tunc tu non modo illæsus ibis, sed insuper et adversarii tui frustratione oblectatus, et dolore defensus. »

Tertio, adversus dolorem in morte charorum, cap. IX, hæc dat patientiæ dulciaria.

Primum : « Lege Apostolum I *Thess.* IV : De dormientibus non contristemini, » etc.

Secundum, « credimus resurrectionem mortuorum; vacat ergo dolor mortis, vacat et impatientia doloris. »

Tertium, « cur doleas, si periisse non credis? cur impatienter feras subductum, quem credis reversurum? »

Quartum, « profectio est quam putas mortem, idque ad beatam vitam. »

Quintum, « non est lugendus qui antecedit, sed plane desiderandus; cur immoderate feras abiisse, quem mox subsequeris? »

Sextum, « impatientia in hujusmodi et spei nostræ male ominatur, et fidem prævaricatur. »

Septimum, « Christum lædimus, cum evocatos quosque ab illo, quasi miserandos, non æquanimiter accipimus. »

Octavum, « Apostolo resistimus dicenti : Cupio dissolvi et esse cum Christo; optimum ergo illud est votum Christianorum, pariter et nostrum. »

Quarto, adversus ultionis appetitum, cap. IX et X, hæc dat patientiæ placamenta.

Primum : « Hæc ulciscendi libido negotium curat, aut gloriæ, aut malitiæ; sed gloria ubique vana est, et malitia Domino odiosa, hoc quidem loco maxime : quia malum duplicat, quod semel factum est. Quid enim refert inter provocantem et provocatum, nisi quod ille prior in maleficio deprehenditur, iste posterior? »

Secundum, « uterque læsi Domini reus est, qui omnem nequam prohibet et damnat, quique præcipit malum malo non rependendum. »

Tertium, « quem honorem litabimus Domino, si nobis arbitrium defensionis (id est ultionis) arrogaverimus? »

Quartum, « quid credimus judicem illum, si non et ultorem? hoc se nobis repromittit dicens : Vindictam mihi, et ego vindicabo; id est patientiam mihi, et ego patientiam remunerabor. »

Quintum, « qui vindicat se, honorem unici judicis, id est Dei, abstulit. »

Sextum, « post vindictam sequitur pœnitentia, fuga et reatus, ut pari modo plectamur. »

Septimum, « nihil impatientia susceptum, sine impetu transigi novit : quidquid impetu actum est, aut offendit, aut corruit, aut præceps abiit. »

Octavum, « si levius defendaris, insanies : si uberius, oneraberis. »

Nonum, « quid mihi cum ultione, cujus modum regere non possum, per impatientiam doloris? »

Decimum, « si patientiæ incubabo, non dolebo : si non dolebo, ulcisci non desiderabo. »

Quinto, contra Satanæ insultus, cap. XI, hæc dat patientiæ roboramenta.

Primum : « Parvula Satanæ jacula de sua mediocritate contemnas; maximis pro sua exuberantia cedas. »

Secundum, « ubi minor injuria, ibi nulla necessitas impatientiæ : at ubi major injuria, ibi necessarior est injuriæ medela, patientia. »

Tertium, « certemus igitur, quæ a malo infliguntur sustinere, ut hostis studium æmulatio nostræ æquanimitatis eludat. »

Quartum, « si vero quædam ipsi in nos aut imprudentia, aut sponte etiam superducimus, æque patienter obeamus, quæ nobis imputemus. »

Sexto, ad cruces a Deo immissas, hæc dat patientiæ sustentamina.

Primum : « Si a Domino nonnulla credimus incuti, cui magis quam Domino patientiam præbeamus? »

Secundum, « gaudere et gratulari nos decet dignatione divinæ castigationis : Ego, inquit, quos diligo, castigo. »

Tertium, « Dominus patientes felices prædicat, dicens : Beati pauperes spiritu, beati flentes, beati mites, beati pacifici; gaudete cum vos maledicent, et persequentur : merces enim vestra plurima est in cœlo. »

Septimo, cap. XII, hos patientiæ fructus assignat : Primus est pax et reconciliatio cum proximis. Patientiæ fructus.

Primo, « Patiens implet legem Christi, jubentis ignosci fratri, non septies, sed septuagesies septies; item, ut remittamus fratri offensam, si a Deo veniam et remissionem cupimus. » Primus.

Secundo, « et Apostoli dicentis : Sol non occidat super iracundiam vestram; non licet ergo nobis una die sine patientia manere. »

Tertio, « conjugatos dissidentes patientia conciliat : alterum adulterum non facit, alterum emendat. »

Quarto, « prodigum filium patientia patris re-

cipit, vestit, pascit, et apud impatientiam irati fratris excusat.»

Secundus. Secundus patientiæ fructus, est dilectio, sive charitas.

«Dilectio summum fidei Sacramentum, Christiani nominis thesaurus, quam Apostolus totis viribus Spiritus Sanctus commendat, cujus nisi patientiæ disciplinis eruditur?»

Primo, «Dilectio, ait, magnanimis est: ita patientiam sumit.»

Secundo, «benefica est: malum patientia non facit.»

Tertio, «non æmulatur: id quidem patientiæ proprium est.»

Quarto, «nec superbum sapit: modestiam de patientia traxit.»

Quinto, «non inflatur, non protervit: et hoc ad patientiam pertinet.

Sexto, «non irritatur, omnia sustinet, omnia tolerat: utique, quia patiens est.»

Septimo, «merito ergo nunquam excidet; exhauriuntur linguæ, scientiæ, prophetiæ, permanent fides, spes, dilectio: fides, quam Christi patientia induxit; spes, quam hominis patientia exspectat; dilectio, quam Deo magistro patientia comitatur.»

Tertius. Tertius, est, quod patientia suggerat pietatis exercitia, cap. XIII.

«Quæ est negotiatio patientiæ in corpore?»

Primo, «afflictatio carnis, hostia Domino placatoria.»

Secundo, «jejunia cum cinere et sacco conjuncta.»

Tertio, «precationes et deprecationes.»

Quarto, «continentia carnis.»

Quinto, «constantia sub cruce.»

Exempla sunt. «Secatur Isaias, patientiæ viribus armatus, et de Domino non tacet; lapidatur Stephanus, et veniam hostibus suis postulat: Job omnem patientiæ speciem, adversus omnem diaboli vim expungit, quem non abacti greges, non filii uno ruinæ impetu adempti, non corporis cruciatus a patientia exclusit: quale in illo viro feretrum Deus de diabolo extruxit? quale vexillum gloriæ, cum ille homo ad omnem acerbum nuntium, nihil ex ore promeret, nisi Deo gratias? quid? ridebat Deus; quid? dissecabatur Satan. Hinc omnia duplicia recuperavit.»

Quartus. Quartus est, quod patientia cæteras virtutes parit, cap. XIV.

Primo, «humilitatem instruit.»

Secundo, «pœnitentiam exspectat.»

Tertio, «exomologesin assignat.»

Quarto, «carnem regit.»

Quinto, «spiritum servat.»

Sexto, «linguam frænat.»

Septimo, «manum continet.»

Octavo, «tentationes conculcat.»

Nono, «scandala pellit.»

Decimo, «martyrium consummat.»

Undecimo, «pauperem consolatur, divitem temperat.»

Duodecimo, «servum domino, dominum Deo commendat.»

Decimo tertio, «feminam exornat, virum approbat; amatur in puero, laudatur in juvene, suscipitur in sene; in omni sexu, in omni ætate formosa est.»

Patientiæ effigies. *Octavo,* patientiæ effigiem ita ad vivum depingit, cap. XV.

Primo: «Vultus illi tranquillus et placidus.»

Secundo, «frons pura; nulla mœroris aut iræ rugositate contracta.»

Tertio, «supercilia in lætum modum remissa.»

Quarto, «oculi humilitate, non infelicitate dejecti.»

Quinto, «os taciturnitatis rubore signatum.»

Sexto, «color qualis securis et innoxiis.»

Septimo, «motus frequens capitis in diabolum, et minax risus.»

Octavo, «amictus circum pectora candidus, et corpori impressus, ut qui nec inflatur, nec inquietatur.»

Nono, sedet in throno spiritus ejus mitissimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo livet, sed est teneræ serenitatis, apertus et simplex, quem tertio vidit Elias; nam ubi Deus, ibi et alumna ejus, patientia scilicet: cum ergo spiritus Dei descendit, individua patientia comitatur eum.»

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Moses pascens oves Jethro, vocatur a Domino in rubo ardente et incombusto; ab eoque mittitur ad Pharaonem, ut liberet Hebræos. Secundo, vers. 13, *rogat nomen Dei, qui ait :* Ego sum qui sum.

1. Moyses autem pascebat oves Jethro soceri sui, sacerdotis Madian: cumque minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb. 2. Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, et videbat quod rubus arderet, et non combureretur. 3. Dixit

ergo Moyses : Vadam, et videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. 4. Cernens autem Dominus quod pergeret ad videndum, vocavit eum de medio rubi, et ait : Moyses, Moyses. Qui respondit : Adsum. 5. At ille : Ne appropies, inquit, huc; solve calceamentum de pedibus tuis : locus enim, in quo stas, terra sancta est. 6. Et ait : Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob. Abscondit Moyses faciem suam : non enim audebat aspicere contra Deum. 7. Cui ait Dominus : Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, et clamorem ejus audivi propter duritiam eorum qui præsunt operibus : 8. et sciens dolorem ejus, descendi ut liberem eum de manibus Ægyptiorum, et educam de terra illa in terram bonam, et spatiosam, in terram quæ fluit lacte et melle, ad loca Chananæi, et Hethæi, et Amorrhæi, et Pherezæi, et Hevæi, et Jebusæi. 9. Clamor ergo filiorum Israel venit ad me : vidique afflictionem eorum, qua ab Ægyptiis opprimuntur. 10. Sed veni, et mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum, filios Israel, de Ægypto. 11. Dixitque Moyses ad Deum : Quis sum ego ut vadam ad Pharaonem, et educam filios Israel de Ægypto? 12. Quis dixit ei : Ego ero tecum, et hoc habebis signum, quod miserim te : Cum eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo super montem istum. 13. Ait Moyses ad Deum : Ecce ego vadam ad filios Israel, et dicam eis : Deus patrum vestrorum misit me ad vos. Si dixerint mihi : Quod est nomen ejus? quid dicam eis? 14. Dixit Deus ad Moysen : Ego sum qui sum. Ait : Sic dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos. 15. Dixitque iterum Deus ad Moysen : Hæc dices filiis Israel : Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, misit me ad vos; hoc nomen mihi est in æternum, et hoc memoriale meum in generationem et generationem. 16. Vade, et congrega seniores Israel, et dices ad eos : Dominus Deus patrum vestrorum apparuit mihi, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, dicens : Visitans visitavi vos, et vidi omnia quæ acciderunt vobis in Ægypto : 17. et dixi ut educam vos de afflictione Ægypti, in terram Chananæi, et Hethæi, et Amorrhæi, et Pherezæi, et Hevæi, et Jebusæi, ad terram fluentem lacte et melle. 18. Et audient vocem tuam; ingredierisque tu, et seniores Israel, ad regem Ægypti, et dices ad eum : Dominus Deus Hebræorum vocavit nos; ibimus viam trium dierum in solitudinem, ut immolemus Domino Deo nostro. 19. Sed ego scio quod non dimittet vos rex Ægypti ut eatis, nisi per manum validam. 20. Extendam enim manum meam, et percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis, quæ facturus sum in medio eorum; post hæc dimittet vos. 21. Daboque gratiam populo huic coram Ægyptiis; et cum egrediemini, non exibitis vacui : 22. sed postulabit mulier a vicina sua, et ab hospita sua, vasa argentea et aurea, ac vestes; ponetisque eas super filios et filias vestras, et spoliabitis Ægyptum.

Vers. 1. 1. MOYSES AUTEM PASCEBAT OVES JETHRO. — Per 40 annos quibus in Madian vixit, Moses fuit pastor ovium; totidem deinde annis fuit pastor et dux populi. « Est enim pastoralis ars (ait Philo) præludium ad regnum, hoc est ad regimen hominum, gregis mansuetissimi. Solus potest esse rex usquequaque perfectus, qui bene callet artem pastoritiam, et curando minora animalia, didicit quomodo præesse debeat præstantioribus. » Sic Saul pascens asinas, a Samuele unctus est in regem; sic et David ab ovibus ad regnum est vocatus : hinc et Homerus Agamemnonem vocat ποιμένα λαῶν, pastorem populorum.

Ars pastoritia est præludium regni.

Triplici hoc quadragenario quasi consecrata est vita Mosis : vixit enim in aula Pharaonis 40 annis; inde fuga elapsus, pavit oves Jethro in Madian 40 rursum annis, ut patet *Actor.* VII, 30. *Tertio* ex Madian rediens in Ægyptum, dux fuit populi in deserto per 40 ultimos vitæ suæ annos : ita Eusebius. Mortuus est enim Moses anno ætatis 120, *Deut.* cap. ult.

In Madian 40 annis quid egerit Moses?

Quæres, quid his 40 annis egerit Moses? Respondet Philo, *primo*, eum pascendo oves didicisse pascere et regere populum; *secundo*, eum se exercuisse in philosophia et sapientia; *tertio*, studuisse virtutibus, et edomandis animi affectibus. « Vana est *enim* philosophia, nisi in actionem emanet, uti vana est medicina, ni morbos curet : ita et Philosophia, ni vitia animæ, » ait Plutarchus. *Quarto*, Moses hisce annis vacavit orationi et contemplationi, qua præparabatur a Deo ad tanti populi regimen, uti mox patebit.

Addit *quinto* Pererius : Creditur, ait, Moses tunc scripsisse librum Job, et librum Geneseos, ut Hebræos in Ægypto oppressos solaretur et confirmaret, tum exemplo patientiæ Job, et consecutæ consolationis et felicitatis ejus ; tum exemplis patrum Abrahæ, Isaac, Jacob ; tum promissis iisdem factis de liberatione ex Ægypto, et possidenda terra Chanaan ; sed de hac re alibi dixi.

JETHRO SOCERI SUI. — Hæc vera est lectio : sic enim habent Hebræus, Chaldæus, Septuaginta et Romanus, tam hic quam cap. IV, vers. 18, et S. Hieronymus *Contra Helvid.* Male ergo alii legunt : « Jethro cognati sui. » Hinc ergo apparet, quod Sephora, uxor Mosis, fuerit filia Jethro ; cumque eadem cap. II, vers. 21, dicta sit filia Raguel, sequitur eumdem esse Raguel et Jethro.

CUMQUE MINASSET GREGEM. — Minare est verbum Latinum, et proprium pastorum baculo oves dirigentium ; hinc grammaticus :

Pastor oves baculo minat, lupus ore minatur.

AD INTERIORA DESERTI. — Hebraice, *post desertum*, id est, sequens desertum in posteriora, id est, interiora ejus : ita Chaldæus, Septuaginta, Vatablus et alii. Secessit Moses in intimam eremum, orationis et contemplationis silentioris studio, utque vota pro suis Hebræis liberius et ardentius nuncuparet, utque se exerceret in virtutis stadio sub ratione magistra : quo se ad utrumque vitæ genus, activum scilicet et contemplativum, compararet, ait Philo.

Tres greges cuique pascendi.

Moraliter, hic disce solitudinem aptissimam esse orationi, culturæ mentis, quieti et perfectioni ; unde David, *Psal.* LIV, ait : « Elongavi fugiens, et mansi in solitudine ; » et *Osee* II, Dominus ait : « Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus. » Hic discimus pascere et regere tres greges, puta *primo*, corpus et corporis membra et motus ; *secundo*, animam, puta omnes sensus et affectiones animæ ; *tertio*, spiritum, puta intellectum, voluntatem, memoriam, omnesque cogitationes et affectiones animi, depurare ab omni errorum et vitiorum fæce, easque ad normam veritatis et legis divinæ componere et conformare. Atque hæc est beatitudo hujus vitæ.

Felix et celsa anima, omnia sub se despiciens, in cœlo fixa.

« Summum *enim* bonum est animus fortuita despiciens, virtute lætus, extra metum et cupiditatem sana mens, et in perpetua possessione sanitatis suæ. » Atque, ut ait S. Cyprianus *ad Donatum* : « Una placida et fida tranquillitas, una solida et perpetua securitas est, si quis ab inquietantis sæculi turbinibus extractus, Deo suo mente proximus, quidquid apud cæteros in rebus humanis sublime ac magnum videtur, infra suam jacere conscientiam glorietur : nihil appetere jam, nihil desiderare de sæculo potest qui sæculo major est. » Quin et Seneca, *epist.* 84 : « Relinque, ait, divitias, aut periculum possidentium, aut onus ; relinque corporis voluptates : molliunt et enervant ; relinque ambitum : tumida res est, vana, ventosa, nullum habet terminum ; tam sollicita est, ne quem ante se videat, quam ne se post alium ; laborat invidia, et quidem duplici. Ad sapientiam te dirige, tranquillissimas res, et simul amplissimas pete. Si conscendere hunc verticem libet, cui se fortuna submisit, omnia quidem sub te, quæ pro excelsissimis habentur, aspicies. »

Solitudinis bona.

Hac de causa olim tot millia Sanctorum in eremum concesserunt. Ita Paulus primus Eremita in eremo 79 annis, Onufrius 70, incogniti vixerunt, sed in morte cogniti sunt, cum a solitudine terrena ad celebritatem cœlestem transferrentur. Dicebat Arsenius : « Non posse se cum Deo simul et hominibus habitare. » S. Antonius a Constantino Imperatore vocatus, ire noluit, dicens : « Si ad Imperatorem venero, Antonius ero : sin minus, Abbas Antonius. » Idem suis dicebat : « Non expedit Christi servis sæcularium domos frequentare : sicut enim pisces de aqua educti, languescere et emori solent ; ita monachus extra cœnobium confabulationi vacans, ad cordis tepiditatem redigitur, et circa spiritalia exercitia efficitur tardior. »

Suatocopius, rex Bohemiæ, victus ab Arnulpho Imperatore, fugit in eremum, cumque eremitis incognitus vixit. Moriens eos vocavit, dixitque : « Ego sum rex Bohemorum, qui prælio victus ad vos confugi ; et regiam vitam et privatam expertus morior : nulla regni fortuna est tranquillitati eremi præferenda. Hic securus somnus dulces herbarum radices efficit : ibi curæ et pericula nullum cibum, nullum potum non amarum reddunt. Quod vitæ mihi Deus dedit apud vos, felix peregi : in regno quidquid ejus transactum est, mors verius quam vita fuit. » Ita Æneas Silvius, *Hist. Bohem.* cap. XIII.

Ita et Carolus V Imperator dicere solebat, « se resignato imperio plus voluptatis in sua monastica solitudine percepisse uno die, quam ex omnibus suis victoriis et triumphis, » quibus præ cæteris felix fuit.

Audi S. Hieronymum in eremo : « Sicubi, ait, concava vallium, aspera montium, prærupta rupium cernebam, ibi meæ orationis locus : et, ut ipse mihi testis est Dominus, post multas lacrymas, post cœlo inhærentes oculos, nonnunquam videbar mihi interesse agminibus angelorum, et lætus gaudensque cantabam : Post te in odorem unguentorum tuorum curremus. » Ita ipse ad Eustochium *De Virgin.*

Qui ergo Deo et angelis frui cupit, dicat in cella sua : « Elongavi fugiens, et mansi in solitudine ; » ibi audiet Deum sibi loquentem : « Ducam eum in solitudinem, et loquar illi ad cor. » Recte ergo S. Hieronymus *ad Rusticum* monachum : « Quamdiu, ait, in patria tua es, habeto cellulam pro paradiso, varia Scripturæ poma decerpe, his utere deliciis. » Et S. Bernardus : « Cella, ait, est cœlum terrestre. » Denique S. Hie-

ronymus *ad Heliodorum* : « O desertum, ait, floribus Christi vernans ! o solitudo in qua nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi civitas Regis magni extruitur ! o eremus familiarius Deo gaudens ! »

VENIT AD MONTEM DEI HOREB.—Dicitur hic « mons Dei » per prolepsin : nam non tunc, sed postea hic mons a Dei gloria ibi revelata (ut vertit Chaldæus), dataque ibidem lege *Exodi* XIX, dictus est « mons Dei. »

Sinai dicitur a ruborum copia.

HOREB. — Hic est Sina mons : qui dicitur *Horeb* a siccitate vel solitudine. Idem dicitur *Sina* a ruborum copia ; סנה *sene* enim hebraice rubum significat. Notat tamen Adrichomius et alii, *Horeb* proprie esse partem, vel jugum eminens montis Sina. Nota : in Sina facta sunt octo mirabilia.

Octo mirabilia in Sina facta sunt.

Primo, Deus hic apparuit Mosi in rubo. *Secundo*, Moses ibidem percutiens petram, aquas ex ea dedit populo, ut patet cap. XVII, vers. 6. *Tertio*, Moses ibidem orans et levans manus obtinuit ut Josue vinceret Amalech, cap. XVII, vers. 10. *Quarto*, ibidem data est lex a Deo, *Exodi* XIX. *Quinto*, ibidem Moses quadraginta diebus sine cibo vixit colloquens cum Deo, tabulasque legis accepit. *Sexto*, ibidem Hebræi adorarunt vitulum aureum ; ideoque Moses tabulas legis confregit, et multos e populo trucidavit. *Septimo*, ibidem Elias vidit Deum in sibilo auræ tenuis, III *Reg.* cap. XIX. *Octavo*, in hoc monte corpus B. Catharinæ per angelos sepultum est. Denique in Sina erectum est nobile illud asceterium, sive monasterium, in quo viri religiosi mire se exercebant ad omnes labores pœnitentiæ, orationis et virtutum omnium, cui præfuit B. Joannes Climacus, qui ibidem quasi alter Moses tabulas legis divinæ, puta institutiones vitæ monasticæ et religiosæ perfectionis, orando et meditando a Deo accepit, quas et posteris scripto reliquit in insigni illo libro, qui vocatur *Climax*, sive *Scala paradisi*.

Vers. 2.

2. APPARUITQUE EI DOMINUS. — Facta est hæc apparitio Mosi, cum 40 annis habitasset in Madian, anno vitæ ejus octogesimo, ut patet *Act.* cap. VII, vers. 30. Nam mox ab hac visione missus est a Deo in Ægyptum ad Pharaonem pro liberatione Hebræorum : hoc autem contigit anno Mosis 80, ut patet *Exodi* VII, 7.

Causam hujus rei mysticam insignem dat S. Gregorius, lib. XXIII *Moral.* cap. XX, vel juxta aliam editionem, XII, quod scilicet voluerit Deus per 40 annos Mosen abstrahere ab inquietis terrenorum desideriorum tumultibus, et quasi obdormire ; ut sic internam Dei vocem mereretur percipere. « Unde et viri sancti (ait), qui exterioribus ministeriis deservire officii necessitate coguntur, studiose semper ad cordis secreta refugiunt. »

DOMINUS. — Hebraice, *angelus Domini* ; sic et Septuaginta et Chaldæus. Quæres, quisnam hic fuerit ? Theodoretus putat fuisse Filium Dei : hic enim angelus, vers. 14, vocat se Deum ; erat ergo et angelus et Deus ; erat ergo Filius Dei : hic enim solus est angelus, id est nuntius et legatus missus a Patre ; unde *Isaiæ* IX, vocatur « magni consilii angelus. »

Non Deus, sed angelus apparuit Mosi.

Verum dico fuisse hunc verum angelum : probatur, *primo*, quia simpliciter hic vocatur angelus ; *secundo*, quia *Actor.* VII, 30, S. Stephanus diserte asserit eum fuisse angelum ; *tertio*, quia communis est Theologorum cum S. Dionysio, capit. IV *Cœlestis Hierarch.*, sententia, omnes Dei apparitiones in veteri Testamento factas esse per angelos ; unde et celeberrima illa apparitio *Exodi* cap. XIX, qua data est lex, facta est per angelos, ut patet *Galat.* III, 19.

Dices : Quomodo ergo hic angelus se vocat Deum ? Respondeo : Quia licet obsequio esset angelus, inspiratione tamen, repræsentatione et auctoritate erat Deus ; sustinebat enim et repræsentabat personam Dei a quo missus erat, quique ei inspirabat ea quæ diceret, et per eum loquebatur.

Porro angelus hic gerebat personam et vicem secundæ personæ SS. Trinitatis : nam quod dicit vers. 8, « descendi ut liberem eum, » populum scilicet Hebræorum, allegorice significabat Filium Dei quandoque descensurum ad nos, nostramque carnem, ut nos peccatis liberaret : sicut et angelus ille, qui viam in deserto Hebræis præivit in Chanaan, obibat personam Christi, qui nos e terris ducit in cœlum. Hinc et multi Patres censent, in omnibus apparitionibus veteris Testamenti repræsentatum fuisse Filium, non Patrem, non Spiritum Sanctum. Ita S. Justinus, *Contra Tryphonem* ; Tertullianus, lib. II *Contra Marcionem* ; Hilarius, lib. IV *De Trinit.* ; Ambrosius, lib. I *De Fide* ; Chrysostomus, in cap. VII *Actorum*.

S. Michael hic apparuit Mosi.

Angelum hunc fuisse S. Michaelem, probabile est : Michael enim olim erat custos Synagogæ, uti jam Ecclesiæ ; hic autem Angelus apparuit Mosi, non ut privato, sed ut futuro duci populi, et principi Synagogæ, eumque ut talem instruxit, et misit ad Pharaonem : unde idem apparuit Josue inducenti populum in terram promissam ; rogatus enim quis esset, *Josue* V, 14, respondit : « Sum princeps exercitus Domini, » qui non est alius quam Michael.

Nullam angeli formam vidit Moses.

Michael ergo e medio rubi lucidiore flamma oculis, voce, auribus Mosis se prodebat : nam nullam hic certam angeli formam, verbi gratia humanam, vidisse Mosen satis indicant sequentia. Rationem dat Moses *Deut.* IV, ne Hebræi in idola proclives, ejus sibi idolum effingere possent. Apparuit ergo in igne et rubo tantum, eo quod nec illorum, nec ex illis statua, vel idolum formari possit, ait Anastasius in *Quæst. S. Scripturæ*, quæst. XX. Quare non videtur verum phantasma, quod Philo hic comminiscitur, dum ait : « E medio rubi promicabat forma quædam pulcherrima, nulli visibili similis, divinum plane simulacrum, luce fulgens clarissima, ut Moses suspicari posset Dei esse imaginem ; vocemus eam

angelum. » Deus itaque hic Mosi nullam aliam sui speciem exhibuit, nisi ignis; in eoque solo, sive quasi solio suo, sive potius quasi symbolo et hieroglyphico, quo repræsentaretur et adumbraretur, apparuit.

IN FLAMMA IGNIS DE MEDIO RUBI. — Erat hæc non species vel similitudo ignis, sed verus ignis; alioqui enim deceptus fuisset Moses, putans verum esse ignem. Et quod quæso fuisset miraculum, si simulatus vel larvatus ignis non combussisset rubum? potius miraculum fuisset, si combussisset.

Ignis rubo non inhæsit, sed adhæsit.

Nota : Hic ignis fuit productus a Deo, vel potius ab angelo ex aere, aliave materia vicina rubo; illique materiæ subjective inhæsit, non autem rubo : si enim ignis subjective fuisset in rubo, rubus fuisset in ignem conversus, ac proinde corruptus et consumptus. Angelus ergo, qui de more fuit hic administer Dei, ignem hunc naturaliter applicando activa passivis produxit, vel aliunde attulit; eumque apposito sulphure, aliave materia et fomite aluit et fovit; simulque impedivit ne ageret in rubum, inducendo rubo liquorem, aut succum aliquem viscosum et frigidissimum, qui igni vel potius flammæ tenui resisteret: qua ratione aliqui circumforanei putantur naturaliter manus suas immittere in plumbum liquefactum, eo quod manus ante liquore tali qui calori plumbi liquati resistat, imbuerint; aut id fecit angelus alio modo et causa naturali. Facilius tamen dici potest Deum hic actionem ignis suspendisse, uti mox explicabo.

ET VIDEBAT QUOD RUBUS ARDERET, ET NON COMBURERETUR. — Proprie non ardebat rubus, sed quisquis eum vidisset, ardere dixisset : ardere enim est flammam ex se spargere; rubus vero flammam non spargebat, cum hoc ignis sit solius, qui rubum non pervaserat, ut esset ignitus : sed rubo tantum contiguus, ita proxime ramos et folia ejus ambiebat, ut ignitus flammas vomere videretur. S. Scriptura enim sæpe, præsertim in phænomenis rebusque apparentibus, loquitur de iis non ut in se a parte rei sunt, sed prout apparent, sive prout homines vulgo de iis censent et loquuntur. Ita ergo hic rubus ardere dicitur, quia hominibus rem causamque rei secretam ignorantibus, ardere videbatur, omnesque videntes, eum ardere dixissent. Adde posse esse synecdochen; rubus enim arsisse dicitur, quia pars rubi, puta folia sicca rubi, aerque rubo mixtus ardebant. Rubus enim, æque ac silva, vocatur totum complexum; puta totum aggregatum veprium, fruticum et arborum, cum aere omnique alia materia, quæ illi inserta et immixta est. Jam autem in hoc aggregato, esto pars una, scilicet rami et folia viridia, non arderent, altera tamen, puta aeris hinc inde immixti, stipularum, stirpium et foliorum siccorum, ardebat.

Deus suum concursum subduxit igni, ne rubum adureret.

Illustre hoc fuisse videtur Dei miraculum : Deus enim hic conservabat ignis substantiam; sed actionem et ustionem ejus impediebat (subducendo concursum et influxum suum), ne ageret in rubum, vel virentia ejus folia minimum afflaret, aut desiccaret. Deo enim cum igne nolente concurrere ut urat, ne infernus totus vel stupam adusserit; nam certum est illud Theologorum axioma : nullam rem creatam posse operari absque actuali Dei concursu cum alia re. Simili modo Deus tres pueros in fornace Babylonica illæsos servavit, et hoc est, ait S. Basilius in *Psal.* XXVIII, quod ait Psaltes : « Vox Domini intercidentis flammam ignis, » cum apud pios, puta tres pueros jam dictos, illi lucendi vim tribuit, non urendi; apud impios vero et damnatos, illi urendi vim tribuit, non lucendi : ignis enim inferni damnatos non illuminat, sed urit, ait S. Basilius. Hinc recte ait Philo : Rubus hic in se cremabilis, non a flamma uri, sed potius ipsam flammam urere et consumere videbatur; flamma vero quæ solet urere rubum, hic non urere, sed potius a rubo uri et consumi videbatur.

Quæres, quid ad litteram significet hic ignis, et rubus ardens et incombustus?

Rubus in igne sunt Judæi in afflictione illæsi.

Respondeo : Hic ignis significabat Deum per Ægyptios rubum, id est Judæos, incendentem et affligentem, sed non consumentem : quin potius eos splendidiores et fortiores afficientem : rubus enim frutex debilis est et senticosus, et vel solo contactu vulnerans; hic autem illæsus ab igne mansit, eoque fuit superior : quæ res significat præsentem infirmitatem Hebræorum convertendam in magnum robur, quodque ipsi per graves et multas plagas, quasi per spinas rubi, puncturi et valde vulneraturi essent Ægyptios, a quibus tunc vexabantur (ait Philo et Theodoretus). Rubus ergo hic tacite, ait Philo, tam Hebræis afflictis, quam Ægyptiis affligentibus, inclamabat : « Nolite succumbere, o Hebræi! hæc vestra infirmitas, est potentia quæ punget et verberabit Ægyptios : qui delere cupiunt vos, inviti servabunt; tot mala illæsi evadetis, et cum maxime vastari videbimini, tunc maxime enitescet gloria vestra. Vos quoque crudeles, et igni voraci similes, innocentium oppressores (Ægyptii), ne nimium confidite viribus vestris; cogitate invictissimas, quas putatis, opes vestras aliquando deletum iri; ecce flamma suapte natura urens, ut lignum uritur; lignum vero cremabile, urit in modum ignis. »

Quæres *secundo*, quid hic rubus ardens et incombustus significet allegorice?

Allegorice, ignis in rubo est Deus in carne.

Respondeo : Ignis in rubo, est Deus in carne, sive Verbum caro factum. Rubus enim spinosus, asper, humilis et vilis significat Christi humanitatem, quam ipse sponte multis ærumnis et laboribus subjectam, pauperem, humilem et despicabilem salutis nostræ causa suscepit; jam sicut ignis rubum, ita deitas humanitatem, ejusque mortalitatem et infirmitatem non consumpsit. « Per succensum rubum, ait S. Gregorius,

lib. XXVIII *Moral.*, cap. II, Mosen alloquens Deus, quid aliud ostendit, nisi quod ex illo populo exiret, qui in igne deitatis, carnis nostræ dolores, quasi rubi spinas, susciperet; et inconsumptam humanitatis nostræ substantiam etiam in ipsa divinitatis flamma servaret? » Hinc et Cyrillus contra Eutychetem probat duas naturas in Christo mansisse integras, illæsas et inconfusas, sicut in rubo hoc integer mansit tam rubus, quam ignis.

Ignis in rubo est Deus in B. Virgine conceptus.

Rursum ignis in rubo, quidquid obganniat Calvinus, est Deus in B. Virgine conceptus, et natus illæsa ejus virginitate. Ita Theodoretus, Rupertus, S. Bernardus, serm. *De B. Maria*, in illud *Apocal.* XII : « Signum magnum apparuit, » et Gregorius Nyssenus, orat. *De Christi Nativit.* : « Ut frutex, ait, incendit ignem, et non crematur : itidem etiam Virgo et lumen parit, et non corrumpitur. » Hinc tota Ecclesia canit : « Rubum quem viderat Moses incombustum, conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem, sancta Dei genitrix. » Ubi nota apte virginitatem comparari rubo, quia per humilitatem et asperitatem vitæ conservari debet : in deliciis enim, æque ac in superbia, castitas est in periculo.

Virginitas est rubus, cur?

Porro S. Hieronymus, serm. *De Assumptione* : « B. Virgo, ait, est lana candidissima, ad quam cum accessisset Spiritus Sanctus, ut lana infecta conchylio vertitur in purpuram, versa est et ipsa in matrem Dei, ut non sit quod jam erat. » Ardebat igitur divino quasi accensa murice, ac radiis vallata candentibus, rubus factus est ardens incombustus. Et S. Leo, serm. 1 *De Nativit.* : « Merito, ait, virgineæ integritati nihil corruptionis intulit partus salutis; quia custodia fuit pudoris, editio veritatis. »

Quapropter Abbas ille qui Porphyriam meretricem convertit, suspicionemque sceleris cum ea commissi incurrit, ab ea moriens se purgavit veste illæsa ignem ferens, ac dicens : « Credite, fratres, quia sicut Deus rubum custodivit incombustum ab igne, sicut nec tunicam hanc meam incenderunt prunæ istæ, ita nec ego agnovi peccatum mulieris, ex quo natus sum. » Ita habetur in Vita S. Joannis Eleemosynarii. Sic et S. Cunegundis castitatem suam probavit coram marito Henrico Imperatore, ambulando illæse nudis pedibus super candens ferrum. Insuper Verbum Dei in rubo est Verbum Dei in cruce, quia utrobique inter spinas. Audi Clementem Alexandrinum, lib. II *Pædag.* cap. VIII : « Ut quod primum per rubum visum fuerat Verbum, per spinam rursus assumptam ostenderet, omnia esse unius potentiæ, cum sit unus Patris Filius principium et finis sæculi. »

Deus est ignis ob quinque analogias. Prima. Secunda.

Nota *secundo*, ignem apte significare divinitatem, ideoque Deum in veteri Testamento passim apparuisse specie ignis : idque *primo*, quia ignis est elementum subtilissimum; Deus autem est purissimus spiritus. *Secundo*, quia ignis est lucidissimus; Deus autem est lux immensa, Beatos illuminans, affectum delectans, actusque omnes Sanctorum dirigens. *Tertio*, quia ignis est calidissimus; Deus autem suo calore omnia vivificat, purgat, animat, imo et cum vult, irascitur, punit, adurit et devastat zelo iræ suæ. *Quarto*, quia ignis est levissimus; Deus autem in altissimis habitat. *Quinto*, quia ignis est immixtus, et simplicissimus; talis est et Deus. Vide S. Dionysium, *Cœlestis Hierarch.* cap. XV, et S. Thomam in *Isaiæ* cap. X. Hinc Persæ ignem coluerunt quasi Deum, et Chaldæi *Ur*, id est ignem, adorarunt : Romani quoque ignem sacrum, quasi Vestam coluerunt. De hoc ignis symbolo plura dicam *Levit.* IX, in fine.

Tertia. Quarta. Quinta.

Quæres *tertio*, quid tropologice significet hic ignis in rubo?

Tropologice ignis in rubo est tribulatio in homine sancto, cur?

Respondeo : Ignis in rubo est tribulatio in homine sancto, humili et mortificato; talem enim tribulatio non urit, non lædit, sed illustrat et roborat. Ubi nota : Rubus, quia frutex est vilis et asper, apte significat virum humilem et mortificatum, in quo ignis, id est Deus, habitat, et se suaque arcana manifestat; sicut rubus sepit vineam, sic humilitas et mortificatio sepiunt virtutes; et sicut nemo audet contrectare rubum, ita dæmon vere humilem et mortificatum formidat et refugit, inquit Pererius.

Huc facit quod scribit Philo in Vita Mosis, nimirum, per Dei potentiam rubum incorruptibilem factum in medio ignis, imo perinde ac si flamma fonte desuper manante rigaretur, viridiorem visum. Hæc est enim, inquit S. Chrysostomus, omnipotentiæ Dei vis, ut per contraria operetur contraria, scilicet calorem per aquam, frigus per ignem. Itaque Deo, quando ipse vult, torrens flamma torrentis est instar, et aqua refrigerans vicem habet incendii. Sic et Nyssenus : Cum medio, ait, die alia præstantior quam solaris lux circa oculos effulsisset, vidit arbustum ardens, cujus tamen rami continua quasi irrigatione virescebant. Ita viret, viget et splendet adversis agitata virtus.

Rursum hic rubus significat hominem perfectum, in quo jungitur ignis, id est charitas, et rubus, id est humilitas et austeritas vitæ. Perfectus enim, instar ignis, austera et dura non tantum amplectitur et suscipit, sed etiam ambit et invadit. Scribit Seneca de seipso, *epist.* 65 : « In quacumque positione mentis sim, cum lego Sextium, libet omnes casus provocare, libet exclamare : Quid cessas, fortuna? congredere, paratus sum : illius animum induo, qui quærit ubi se experiatur, ubi virtutem suam ostendat :

> Spumantemque dari pecora inter inertia, votis
> Optat aprum, aut fulvum descendere monte leonem.

» Libet aliquid habere quod vincam, cujus patientia exercear. » Quid hic dicat Christianus? quid Religiosus? dicat sane : Cum Christum in cruce intueor, et lego : « Cernis ut in toto corpore

sculptus amor? » libet exclamare cum Paulo : « Quis nos separabit a charitate Christi? » Veniat tribulatio, veniat angustia, veniat fames, nuditas, contemptus, certus sum quia neque mors, neque vita, etc., poterit me separare, etc. Dicat cum S. Ignatio : « Ignis, crux, bestiæ, ossium confractiones, omnia tormenta diaboli in me veniant, tantum ut Christo fruar. »

Anagogice, ignis in rubo est lumen gloriæ in homine beato.

Anagogice, ignis in rubo est lumen gloriæ ipsaque beatitudo et gloria in anima et carne humana. Ita S. Ambrosius in *Psal.* XLIII : « Ideo, ait, rubus urebatur, et non exurebatur, quia terram istam quæ nobis spinas peccatorum germinat, disponebat urere per continentiæ disciplinam. Revelavit ergo in hoc futurum quoddam corporei splendoris indicium, quo per resurrectionem caro nostra fulgeret. Quid enim significat ignis innoxius, nisi lumina resurgentium? »

Symbolice, est concupiscentia in justo.

Quæres, *quarto,* quid symbolice significet ignis in rubo?

Respondeo *primo* : Ignis in rubo est concupiscentia remanens in justo; hoc enim igne, quasi magna tentatione et tribulatione (hanc enim significat hic ignis), circumdatus est justus; verum ab eo non uritur, quia manet in eo fomes peccati, sed non regnat in eo peccatum.

Secundo, rector debet esse ignis per charitatem, et rubus per severitatem.

Secundo, ignis in rubo significat qualis debeat esse Moses, id est rector populi : scilicet quod debeat esse ignis, per sapientiam, qua sciat populum docere et regere; et per charitatem et compassionem, qua norit populi necessitatibus subvenire, vitia tolerare, infirmitatibus condolere. Rursum rector debet esse rubus, id est, sapientiæ et charitati conjunctas habere spinas justitiæ et severitatis ad puniendum et castigandum errantes, maxime inobedientes et rebelles.

Tertio, ignis in rubo est cognitio Dei in cognitione sui.

Tertio, ignis in rubo symbolum est consummatæ sapientiæ, quæ consistit in cognitione Dei (hic enim est ignis) et nostri (homines enim sunt rubus); unde orabat S. Franciscus : « Quis tu, Domine, quis ego? noverim te, noverim me; » tu es abyssus sapientiæ, bonitatis, potentiæ, virtutis, omnis boni, et totius entis; ego sum abyssus ignorantiæ, malitiæ, infirmitatis, vitiorum et nihili : « abyssus » ergo miseriæ meæ « invocat abyssum » misericordiæ tuæ, « in voce cataractarum tuarum. »

Vers. 4.

4. ET AIT. — Angelus hanc vocem in aere formavit, cum certa ratione et modulo ita collidendo, ut plane referret veram locutionem vitalem et humanam.

MOYSES, MOYSES. — Ostendit hic Deus se suos ita curare, ut eos ex nomine norit, vocet et dirigat : repetitione autem hac nominis, acrius Mosis aures animumque pulsat, eumque ad attentionem excitat.

ADSUM, — præsto sum ut obsequar, da quod jubes, et jube quod vis.

Vers. 5. Cur Moses jubetur exuere calceos? Prima sententia.

5. SOLVE CALCEAMENTUM DE PEDIBUS TUIS. — Quæres, cur hoc Mosi jusserit Deus? Respondet *primo* Diodorus, ut Moses terram hanc nudis pedibus calcando, eam sua sanctitate sanctificaret; sed obstat id quod sequitur : « Locus enim in quo stas, terra sancta est; » non ergo erat terra hæc sanctificanda a Mose; sed jam sancta, potius sanctificatura erat Mosen.

Secunda.

Secundo, alii sic explicant : solve calceos, ut hoc symbolo cedas ovibus et pecudibus tuis, easque tecum in Deum transferas, ut totus deinceps in Dei jus et obsequium transeas; olim enim cum quis jure suo cederet, illudque in propinquum, fratrem, vel cognatum transferret, exuebat calceos, ut patet *Ruth* IV, 7. Ita Lipomanus. Sed hic ritus et cæremonia, post hæc tempora, et post datam legem incœpit.

Tertia et verior.

Dico ergo ad litteram : Moses hic, cum per modum naturæ audacter, curiose ac parum religiose ad scrutandum hoc mysterium ignis in rubo, vellet accedere, prohibitus est ab angelo, jussusque calceos exuere, ut reverentiam exhiberet divinæ majestati, quæ in loco hoc præsentiam suam exhibebat, utque magna animi submissione ac veneratione, ad percipiendum indidem Dei oraculum accederet. Ita Eusebius, Hugo Victorinus, Rupertus, Cajetanus. Hac enim eadem de causa Josue quoque cap. V, vers. 15, jussus fuit exuere calceos. Hic ritus descendit a mancipiis; hæc enim nudis pedibus incedebant, quasi quæ subjecta essent dominis, illosque revererentur et timerent; hinc nudare pedes signum erat servitutis et reverentiæ. Oppositum hujus, scilicet herilem potestatem et dominatum, significabat calceus. Hinc dicitur *Ps.* LIX, 10 : « In Idumæam extendam calceamentum meum, mihi alienigenæ subditi sunt. » Hinc etiam Joannes Baptista, ut Christi excellentiam et majestatem declararet, illum inducit calceatum, se vero quasi servum, qui nudis pedibus incedens, vix audet corrigiam calceamentorum ejus solvere. Vide hic quanta reverentia templis locisque Deo dicatis debeamur, vide et quam cæremonias externas probet, imo exigat Deus. Hinc et sacerdotes Aaronici in tabernaculo, nudis pedibus sua munia obibant, ut dicam cap. XXX, vers. 19. Idem factitasse Gentiles Græcos idolorum sacerdotes, testatur hic Procopius. Similiter ex reverentia, sacerdotes Dagon non calcabant limen templi Dagon, ut dicitur I *Reg.* cap. V, vers. 5.

Sacerdotes Aaronici et Gentiles nudis pedibus ministrabant in templo.

Quin et Pythagoræ fuit dogma : « Nudis pedibus sacrifica, » quod tum alii, tum Lacedæmonii susceperunt. Scribit et Josephus lib. II *Belli,* cap. XV, Berenicen regis Agrippæ sororem, cum Hierosolymam profecta esset voti causa, rem sacram facturam idem fecisse, atque nudipedem ante Flori præsidis tribunal stetisse. Hinc illa quoque divi Leonis, sermone *De jejunio,* vox : « Habeant illi (Judæi) nudipedalia sua, et in tristitia vultuum ostendant otiosa jejunia. » Nunc quoque Mauri et Saraceni templa in quibus sacra facturi sunt, non ingrediuntur nisi calceis depositis. Ergo Pythagoram hac sententia monuisse puto, ut inter

sacrificandum mundanis relictis curis et a scelerum inquinamentis expiati, rei divinæ operam darent. Nam et lavare pedes mystice expurgare mentem dicimus, qua de re et nostri Theologi mandatum Domini de pedum lotione exponunt; et simul illud, excutiendos pulveres de pedibus. Euthymius quoque pedes pro cogitationibus in *Psalmo* LXXII exponit. Per pedes (ait) cogitationes intelligit, veluti quæ animæ nostræ religionem, pedum instar regunt ac sustinent.

Corpus pro Deo, tam facile quam calceum exuere debemus.

Symbolice, calceamenta fiunt ex pellibus animalium mortuorum : depositione ergo calceamentorum significavit Deus Mosi, ut deposito mortis metu, aggrederetur fidenter munus liberandi populi Hebræi, quod ei tunc Deus volebat injungere; utque corpus et vitam tam facile quam calceum exuere disceret, pro Dei amore et reverentia, proque spe æternæ vitæ: corpore enim ad obsequium Dei tantum, non autem ad propriam voluntatem aut voluptatem utendum est. Ita S. Ambrosius, lib. VII *in Lucam*, cap. X.

Addunt aliqui jussum Mosen excalceare se, ut similis esset Hebræis, qui quasi servi nudipedes in Ægypto incedebant, calcantes lutum et paleas, *q. d.* Habitu assimila te tuis, quorum te ducem destino, porta eorum probrum, imo improperium Christi, *Hebr.* XI, 26.

Tropologice, calcei, id est affectiones terrenæ exuendæ sunt duci, eique qui ad Deum accedit.

Tropologice, depositio calceorum significabat *primo*, futuro duci et doctori populi Dei omnes curas, cogitationes, affectiones et sollicitudines terrenas, et mortali vitæ adhærentes prorsus abjiciendas esse : nil enim in eis mortale vult esse Deus, ait S. Ambrosius. Hac enim de causa angeli pinguntur nudis pedibus, et discalceati : « Hoc enim significat, quod liberi, absoluti et expediti, atque ab exterioris omnis abjectionis labe sint puri, et ad divinæ simplicitatis similitudinem pro viribus tendant, » ait S. Dionysius, *Cœlestis Hierarch.* cap. XV. Quocirca Nyssenus tradit Mosen postquam hic calceos exuit, nunquam amplius eos induisse. « Postquam, ait, ex divino mandato semel cadaveroso pellium tegumento pedes exsolvit, quo tempore in solo sacro incedebat, nunquam deinceps calceamentis pedes cinxisse traditur. »

Secundo, ei qui accedit ad divina mysteria Deique contemplationem, deponenda esse calceamenta, id est, passiones et affectiones, simul et rationes humanas et terrenas; hinc et Christus ante Eucharistiam lavit pedes discipulorum, ut hac re significaret communicaturis purificandos esse affectus animi, et sæculares cupiditates curasque abjiciendas esse. Denique Nyssenus : « Moses, inquit, accedens ad Deum, in rubo calceos solvit, ut disceret, nil earum rerum quæ aut sensu comprehenduntur, aut mente præter supremam essentiam, quæ omnium causa est, et e qua omnia pendent, vere subsistere. »

Vers. 6.

6. EGO SUM DEUS ABRAHAM, DEUS ISAAC, ET DEUS JACOB, — *q. d.* Ego sum Deus quem olim coluerunt, et nunc quoque colunt Abraham, Isaac et Jacob; quibus proinde suorum posterorum salutem desiderantibus, et pro ea assidue in limbo orantibus, fidem, quam olim dedi de vestra liberatione, jam præstabo (1).

Ex hoc loco Christus *Matth.* XXII, 33, contra Sadducæos probat animæ immortalitatem, et consequenter resurrectionem mortuorum; hæc enim tam ex sententia Sadducæorum, quos impugnat ibi Christus, quam naturaliter a parte rei connexa sunt. Sadducæi enim, uti et alii plerique, negarunt resurrectionem ex hoc capite, quod negarent animæ immortalitatem, ut patet ex Josepho, lib. II *De Bello*, VII, et *Actor.* XXIII, 8. Hinc Christus eis ait : « Non est Deus mortuorum, » quem scilicet mortui colant, aut qui de mortuis glorietur; « sed viventium; » vivunt ergo etiamnum tres hi patriarchæ apud Deum, qui animas eorum vivas conservat, brevique eas redivivo corpore vestiet.

Cur vocetur Deus Abraham, Isaac et Jacob? Prima causa. Secunda.

Quæres, cur Deus hic, et deinceps sæpe, se vocet Deum Abraham, Isaac et Jacob, potius quam Abel, Noe et aliorum? Respondeo *primo*, quia hi tres fuerunt proximi parentes et conditores populi Hebræi, cujus dux futurus erat Moses, et ad quem refertur totum vetus Testamentum.

Secundo, quia Abraham fuit pater credentium, populique fidelis, cum quo Deus fœdus iniit, in quo Abrahæ successit Isaac et Jacob.

Tertia.

Tertio, quia Abrahæ, Isaac et Jacob promissa fuit Chanaan, in quam per Mosen Hebræos inducere volebat Deus.

Quarta.

Quarto, quia hisce tribus familiaris et mire beneficus fuerat Deus, eorumque posteris se benefacturum promiserat.

Quinta.

Quinto, quia in his tribus eximiæ eluxerunt virtutes : in Abraham fides et obedientia, in Isaac puritas animi et innocentia, in Jacob laborum et ærumnarum patientia et constantia; unde horum trium acta fere sola enarrat Moses in Genesi. Hinc et Hebræi in afflictione soliti sunt Deum invocare, sibique veniam et gratiam petere per merita Abrahæ, Isaac et Jacob, ut patet *Daniel.* III, 25. Horum ergo trium nomina, æque ac virtutes; tanquam sibi gratissimas et jucundissimas, posteris eorum objicit Deus, ut ipsi eas imitentur : domesticum enim virtutis exemplum miram habet vim ad aliorum animos eodem incitandos : Narrat Plutarchus de Themistocle, quod ipse adolescens existens symposiis et scortis vacaret; sed mox ut audivit Miltiadis victoriam apud Marathonem, ista relinquens, alia prorsus cogitare cœpit. Mirantibus mutationem dixit : « Non sinit dormire me, aut socordem esse trophæum Miltiadis. » Hinc Christus Judæis jactantibus : « Filii Abrahæ sumus : Si, inquit, estis filii Abrahæ, opera Abrahæ facite. »

Quæres *secundo*, cur hic ter, puta ad singulos,

(1) Τὸ *Deus patris tui* collective dictum videtur, pro *patrum tuorum*, vel *uniuscujusque patrum tuorum*.

Cur nomen *Deus* ter repetitur ? Causa prima.

repetatur nomen Dei dicendo : « Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob?» Respondeo *primo*, ut ostendat Deus quantam singulorum habeat curam, quod scilicet singulorum sit Deus, id est provisor et benefactor.

Secunda.

Secundo, ut ostendat intimam suam amicitiam et beneficentiam in hos tres patriarchas, quantique singulos eorum faciat : scilicet, quod singulorum sit Deus, id est singulorum sit totus; sicut enim cum dico, hic ager est Petri, significo totum agrum esse Petri : ita et hic, cum dicit Deus se esse Deum Abrahæ, Deum Isaac, Deum Jacob, significat se singulorum esse totum, ait Origenes, hom. 22 *in Matth.* : non sic aliorum est Deus; unde vers. 18, se vocat Deum Hebræorum in genere, non autem Deum Aaron, Deum Caleb, Deum Josue in particulari.

Tertia.

Tertio, significatur hic mysterium SS. Trinitatis, sive trias in monade, ait S. Basilius et Severianus in *Catena*. Nomen enim « Deus » ter repetitum significat unitatem essentiæ in tribus personis. Rursum Abraham repræsentat Deum Patrem, Isaac Filium, Jacob Spiritum Sanctum, qui ex Abraham per Isaac, id est ex Patre per Filium, procedit.

ABSCONDIT MOYSES FACIEM SUAM; NON ENIM AUDEBAT CONTRA DEUM RESPICERE. — Hinc patet Mosen ex reverentia divinæ majestatis præsentis et loquentis ad se ex rubo, faciem suam abscondisse.

Vers. 7.

7. VIDI. — Hebraice, *videndo vidi*, id est omnino et certissime vidi, licet hactenus siluerim.

Vers. 8.

8. DESCENDI UT LIBEREM EUM. — Loquitur Deus anthropopathωs, sive humano more. Si enim hominis res ageretur in cœlo positi, si cui is in terris succurrere vellet, descenderet utique. « Descendi » ergo, non loci mutatione, qui ubique sum, sed operatione, et celeris liberationis Hebræorum apparatu.

Judææ longitudo est 160 milliarium, latitudo 46. Judæa dicitur spatiosa respectu tam Judæorum quam fertilitatis terræ.

EDUCAM DE TERRA ILLA IN TERRAM BONAM ET SPATIOSAM. — S. Hieronymus *ad Dardanum* asserit Judæam parvam esse, et tantum continere 160 milliaria in longitudine a Dan ad Bersabee, in latitudine tantum 46 milliaria a Joppe ad Bethlehem; est ergo Judæa minor Belgio nostro; dicitur tamen spatiosa non absolute, sed respectu terræ angustæ Gessen, ex qua Hebræos eduxit Deus, uti hic ipse ait. *Secundo*, spatiosa erat respectu gentis Hebrææ, quæ hoc tempore minor erat illa terra. *Tertio*, spatiosa erat respectu ubertatis soli; nam, ut ait Hecatæus Abderita apud Josephum, lib. I *Contra Apionem* : « Judæi pene decies trecenta millia jugera terrarum optimarum uberrimæ provinciæ possidere noscuntur. Judæa namque hujus est amplitudinis. » Jugerum enim spatium terræ est quantum par boum uno die arare potest; unde jugeri longitudo est 240 pedum, latitudo 120; Judæa ergo licet esset parva, tamen ob ubertatem, innumerabilem hominum multitudinem commode alebat.

QUÆ FLUIT LACTE ET MELLE. — Est hyperbole Hebraica, significans terram fertilem lactis et mellis, optimisque quibusque frugibus, fructibus et deliciis abundantem. Sic Virgilius, *ecloga* 3 :

> Mella fluant illis, ferat et rubus asper amomum.

Et *ecloga* 4 :

> At duræ quercus sudabunt roscida mella.

Et Ovidius, I *Metamorph.* :

> Flumina jam lactis, jam flumina nectaris ibant,
> Flavaque de viridi stillabant ilice mella.

Hæc ubertas terræ promissæ fuit partim ex dono Dei, ejusque beneficentia in Hebræos, ut patet *Deut.* XI, 13; *Levit.* XXV, 20 et 21; *Levit.* XXVI, 3; partim fuit illi naturalis, uti patet *Deut.* VIII, 7, idque fuse ex Hecatæo, Josepho et Borchardo ostendit hic Pererius, *disp.* 11 (1).

Ubertas Judææ partim fuit naturalis, partim ex dono Dei.

9. CLAMOR ERGO FILIORUM ISRAEL VENIT AD ME. — Vers. 9. Vox « ergo » non dat causam, nec est rationalis, sed expletiva et continuativa sermonis. Hinc Theologi docent pupillorum et pauperum oppressionem, esse peccatum clamans in cœlum.

Pauperum oppressio est peccatum clamans in cœlum.

Vide hic quid faciat extrema afflictio et calamitas, scilicet compellit invocare Deum, qui invocatus adest et succurrit. Plutarchus refert Themistoclem dixisse : « Perieramus, nisi periissemus; » nimirum perire multis est saluti : multi enim male perierant, nisi bene a Deo perditi, bene periissent. Sic bene perierunt Martyres in hoc sæculo, ne perirent in futuro. Bene ergo et

(1) De Palæstinæ fertilitate vid. A. Guenée, *Recherches sur la Judée, considérée principalement par rapport à la fertilité de son terroir*, etc. quæ leguntur in *Mémoires de littérature tirés des registres de l'Académie royale des Inscriptions et Belles-Lettres*, tom. L, Paris, 1808. « Ex hodierna Palæstinæ conditione minime antiqua illa et primæva recte dijudicatur. Quid mirum enim, si illius terræ tot pridem bellis devastatæ, per Romanos, per Arabes inde ab Omaro, Chalifa, ab anno 636, per Christianos ipsos inde ab anno 1099, dein per sultanos Ægyptii, tandem per Turcas, si, inquam, talis terræ facies passim alia nunc appareat, quam fuerat olim? Quid mirum, regionem illam ruinis ac arenis locorumque asperitate nunc horridiorem esse, si cogitemus, eam tamdiu in potestate Barbarorum fuisse, perpetuisque Arabum incursionibus expositam? Pleræque Turcarum sub dominatu regiones, omnium quondam amœnissimæ, passim incultæ jacent. Sed nequaquam Palæstinæ facies ita est mutata, ut nulla amplius vestigia veteris fertilitatis appareant. Abulfeda, qui, Hamathæ rex, haud procul ab Hierosolyma, Palæstinam non vidit dum prospero et optimo esset in statu, sed multo post, bellis sacris jam in illa gestis, nihilominus illam ait *esse fertilissimam totius Syriæ regionem, et habere prærogativas salubritatis, pluviali quod irrigetur aqua, excepto tractu Sichemitico. Hierosolymam*, pergit, *habere pinguissimum totius Palæstinæ solum*. Descript. Syr. Plures eorum, qui recentiori ætate eam terram inviserunt, in petris hodie incultis vestigia adhuc exstare confirmant, e quibus, eas petras olim fuisse fructuosas, luculenter colligi possit; nam rudera in illis adsunt murorum in eum finem exstructorum terra, de petris ne ablueretur, unde petras vitibus consitas fuisse elucet. » Hæc apposite Rosenmullerus ad h. l.

nos pro Deo hic pereamus, ne pereamus in orco : afflictio hic perdat nos, ne perdat nos gehenna.

Vers. 10. 10. SED VENI, ET MITTAM TE AD PHARAONEM. — Deus hic Mosen, numinis in rubo apparentis reverentia et timore perculsum, familiariori vicinioriique congressu ad se invitans erigit. Ita sane illius, coram Deo faciem suam velantis, efferri humilitas meruit, ut deinceps ore ad os, et palam cum Deo confabularetur.

Vers. 11. 11. DIXITQUE MOYSES AD DEUM : QUIS SUM EGO? — *q. d.* Ego nullus sum, et plane ineptus ad hanc legationem : est confessio infirmitatis propriæ modesta et humilis. Sciebat Moses se jam olim ad hoc munus a Deo delectum esse, uti ostendi cap. II, vers. 12. Non ergo hic vocationem Dei detrectat, sed suam infirmitatem ; aut potius ineptitudinem illi obsequendi et satisfaciendi humiliter Deo confitetur, ut ille vel alium deligat, vel vires et aptitudinem donet.

Moraliter hinc disce, cunctanter et cum tremore, et nonnisi vocante Deo, suscipiendum esse munus regendi pascendique alios : minime vero ambiendum; de quo vide S. Gregorium, I parte *Pastoralis*.

Vers. 12. 12. ET HOC HABEBIS SIGNUM QUOD MISERIM TE : CUM EDUXERIS POPULUM MEUM DE ÆGYPTO, IMMOLABIS DEO SUPER MONTEM ISTUM, — super Sina. Hugo Victorinus sic explicat, quasi diceret : Illius quod dixi, videlicet quod sim futurus tecum in liberatione Israelis, hoc habeto signum, scilicet quod te ad hoc destinavi, misi, et etiamnum mitto. *Secundo,* aliter quoque hæc interpungit Abulensis, signumque intelligit rubum ardentem, de quo vers. 2 (1). Verum noster textus exigit ut hoc signum referatur non ad præcedentia, sed sequentia. Sensus ergo est, quasi diceret : Accipe, o Moses, signum missionis tuæ, promissionem et assecurationem meam, quod tu, cum populo quem ex Ægypto me duce educes, sacrificabis mihi in monte hoc Sina in gratiarum actionem tam felicis exitus et liberationis ex Ægypto ; atque in monte hoc ego tum vobis rursum apparebo : τὸ enim *in monte*, tam ad Deum existentem in monte, ibique se ostensurum, quam ad immolationem referri potest : Deus ergo hic, promissione nova et expressiore, Mosis missionem stabilit, et tanquam certiore signaculo consignat, Mosemque confirmat et animat: plus enim est promittere quam mittere ; rursum plus est promittere et mittere, quam tantum mittere. Signum ergo hoc quoad promissionem præsens erat, quoad executionem vero pendebat a futuro eventu, quem Deus certissime futurum prædicit et promittit. Simile signum datur Ezechiæ IV *Reg.* XIX, 29, et Davidi I *Reg.* XXI, 13.

IMMOLABIS, — tu videlicet tanquam dux vice totius populi ; unde aliqui legunt, *immolabitis*. Hebraice est, *servietis*, cultu videlicet latriæ, cujus unicus actus exterior est immolare, sive sacrificare : hoc autem ita reipsa evenisse patet cap. XXIV, vers. 3.

Vers. 13. 13. SI DIXERINT MIHI : QUOD EST NOMEN EJUS? QUID DICAM EIS? — Satisfactum jam a Deo erat Mosi, per signum immolationis paulo ante datum ; nunc Moses laborat quomodo satisfaciat populo, rogatque nomen se legantis, quod dictis suis præferat, quoque maxime appellari velit Deus apud Israelitas, ut illi credant.

Nota : Deus non eget nomine proprio, tum quia unus est, tum quia ineffabilis est. Unde Attalus Martyr per contemptum rogatus a tyranno, quod nomen haberet Deus? respondit : « Qui plures sunt, nominibus decernuntur ; qui autem unus est, non indiget nomine. » Ita Eusebius, lib. VI *Histor.* cap. III. Evagrius vero Episcopus cum de divinitate quæstio incideret : « Ego quidem, ait, divinitatem definiendam non esse assero, ideoque silentii tantum oratione adorandam, quia ineffabilis est. » Ita Socrates. Vide ergo hic dignationem Dei, qui ad nomen nostrum, uti et colloquium, se dimittit.

Vers. 14. 14. EGO SUM QUI SUM. — Hugo Victorinus sensit Deum hic non declarare, sed potius cum quadam majestate silere suum nomen, ut si gravis aliqua persona rogata de nomine, responderet : Sum qui sum, quasi dicat : Vocor ut vocor. Verum hoc est improbabile. Nam paulo post jubet Mosi, ut hoc nomen, « Qui est, » quasi Dei legantis se proprium nomen et titulum missioni suæ præferat : lege vers. 15. Hebraice est, אהיה אשר אהיה *eie ascer eie, ero qui ero,* quod R. Salomon et Burgensis sic exponunt, « ego ero, » supple vobiscum in hac tribulatione, vos ea liberans, « qui ero, » supple deinceps semper vobiscum in omni vestra afflictione; sed hoc arctius est et frigidius.

Dico ergo, « ero qui ero, » id est, sum qui sum ; unde et Septuaginta vertunt, ἐγώ εἰμι ὁ ὤν, *ego sum ille ens;* quod S. Justinus in *Exhortatione ad Gentes* putat dici ad differentiam idolorum, *q. d.* Idololatræ colunt idola, id est deos qui non sunt; ego vero sum ille ens, id est vere existens Deus, quem vos, o Hebræi, colitis. Sed et hoc arctius est. Unde dico *secundo,* sensus est : « Ego sum qui sum, » *q. d.* Ego Deus nomen proprium me ab aliis discriminans non habeo, sed quod generalissimum est *ens*, mihi est proprium.

Primo, quia ego sum involucrum totius entis, quodque in aliis certis distinctum est gradibus, a me ceu universali fonte dimanat. Τὸ ergo *ego sum qui sum,* significat essentiæ pelagus immensum et interminum, ait Nyssenus et S. Bernardus, lib. V *De Considerat. ad Eugenium* : « Deus, inquit, est quod est, id est, est suum ipsius et omnium aliarum rerum esse ; ipse sibi, ipse omnibus est, ac per hoc quodammodo solus est. » Et nonnullis

Dei nomen est, *sum qui sum*, id est, ens, ob novem rationes Prima.

(1) Ita Aben-Esra et Rosenmullerus. Accentus enim *athnach*, aiunt, post vocem *signum* non admittit ut hoc ad finem versus referatur. Quæ sequuntur, sunt altera promissio Mosi a Deo facta.

interjectis docet τὸ *esse*, omnia Dei rerumque attributa complecti. « Si bonum, inquit, si magnum, si sapientem dixeris, in hoc verbo instauratur, Qui est : nempe hoc est ei esse, quod hæc omnia esse. Si plura dixeris, nihil addidisti; si non dixeris, non minuisti. » Hoc est quod ait Pindarus in *Pythiis*, hymno 2 : « Deus est, qui principium, medium et finem rerum omnium continet. » Et Plato : « Deus est, qui universitatem rerum omnium complectitur. »

Secunda. *Secundo*, « sum qui sum, » id est, sum immutabilis, constans et stabilis. Nam id quod mutatur, proprie non tam est, quam desinit esse quod fuit, et incipit esse quod non fuit. Ita S. Gregorius, hom. 2 *in Ezech.*

Tertia. *Tertio*, « sum qui sum, » id est sum æternus, sum qui sum in præsenti, carens præterito et futuro; hinc hebraice est, *ero qui ero*: nam futurum Hebræi usurpant pro præsenti, ubi consuetudo, continuatio, aut perduratio et constantia rei significatur. Itaque « ero qui ero, » Hebræis idem est quod Latinis « sum qui sum; » nam, ut ait Nazianzenus, τὸ *erat* et *erit*, nostri temporis fluxæque naturæ segmenta sunt; Deus autem semper est. Unde « sum qui sum, » significat æternitatem Dei, opponiturque volubilitati temporis, quæ per futurum, præsens et præteritum extensa est et distincta; æternitatis enim proprium est, semper immutabiliter esse. Hinc S. Justinus supra : τὸ ὤν, inquit, tria tempora complectitur. Unde et Plato ait : « Deus, qui, ut vetus est verbum, principium, finem, mediaque omnium habet. » Hanc nominis hujus vim expressit S. Joannes, *Apocal.* I, 8, cum ait : Ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, quod Noster vertit : « Ab eo qui est, et qui erat, et qui venturus est. » Ita Thales Milesius rogatus, « quid esset antiquissimum? » respondit : « Deus, ortu enim caret; quid maximum? locus; quid pulcherrimum? mundus; quid sapientissimum? tempus : id enim alia invenit, reliqua inveniet; quid communissimum? spes : quibus enim cætera desunt, spes adest; quid utilissimum? virtus; quid damnosissimum? animi vitium; quid validissimum? necessitas : ea enim sola est insuperabilis; quid facillimum? quod est naturæ consentaneum. » Ita refert Plutarchus in *Convivio septem sapientum*. Idem Thales, teste Laertio in ejus Vita, rogatus quid esset Deus? respondit : « Quod principio et fine caret. » Hac de causa apud Ægyptios hieroglyphicum Dei erat circulus, quia hic non habet principium nec finem, inquit Pierius, *hieroglyph.* 39. « Deus, inquit S. Dionysius, cap. V *De Divin. nomin.*, est ævum ævorum, et rex sæculorum; quia ipse est esse existentibus, et ipsum esse existentium, et existens ante sæcula. » De nobis dicitur : « Dies mei sicut umbra declinaverunt, omnes tanquam aquæ dilabimur. » De Deo vero : « Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient : tu autem, Domine, in æternum permanes, et memoriale tuum in generationem et generationem, » *Psal.* CI. In quem locum S. Augustinus, *conc.* 2 : « Æternitas, inquit, est Dei substantia, quæ nihil habet mutabile; ibi nihil est præteritum, quasi jam non sit; nihil est futurum, quasi nondum sit : quia non est ibi, nisi est. » Deus est de quo dicitur : « Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis. » Hic est ille antiquus dierum, cujus capilli, ait Daniel, ob canitiem candidi erant quasi lana munda. « Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei. » S. Thomas, I *p. Quæst.* X, ibique Theologi distinguunt hæc tria : æternitatem, ævum et tempus, hoc modo. *Primo*, quod tempus sit mensura durationis hominum, et rerum corruptibilium; ævum sit mensura durationis angelorum; æternitas autem sit duratio propria Deo. *Secundo*, quod tempus habeat principium et finem; ævum habeat principium, sed non finem; et æternitas nec principium, nec finem habeat. *Tertio*, quod tempus sit mensura rerum earum quæ actu corrumpuntur et intereunt; ævum sit mensura rerum incorruptibilum, quæ tamen absolute desinere et interire possunt; æternitas autem sit Dei, qui desinere, variari aut mutari nequit. *Quarto*, quod tempus habeat successionem; æternitas permanentiam; ævum partim successionem, partim permanentiam. Licet enim angelus naturaliter in suo ævo semper sit stabilis suique similis, tamen continuo a Deo pendet, et influxu jugiter continuato a Deo sustentatur, quem Deus singulis momentis subtrahere potest : et si eum subtraheret, angelus æque ac creatura quævis alia statim evanesceret, et in nihilum, ex quo venit, relaberetur. Deus ergo est ascensor et Dominus æternitatis, temporum et ævorum omnium; atque hujus beatæ æternitatis suæ tam angelos, quam homines sanctos participes efficit. Hic proinde nobis colendus est, amandus et metuendus. Ita S. Fructuosus Martyr a Galieno Imperatore compulsus idola venerari, alias morte mulctandus, respondit : « Nolo sacrificare diis Galieni, sed æternum Deum, ac ipsius Cæsaris creatorem colo venerorque. » Ad quod alludens Prudentius ita canit :

Jussum est Cæsaris ore Galieni,
Quod princeps colit, ut colamus omnes.
Æternum colo principem, dierum
Factorem, Dominumque Galieni.

Deus est ævum ævorum.

Comparantur ævum, tempus et æternitas.

Quarto, S. Hieronymus in cap. III *ad Ephes.* : « Ego sum qui sum, » id est, ego solus sum, quia solus a me ipso habeo esse; solus sum, qui non sum productus vel genitus ab aliquo; cætera vero ex se et natura sua non sunt, sed ex voluntate mea habent esse, quantum, quemadmodum, et quousque ego volo. Quarta.

Quinto, « ego sum qui sum, » quia quidquid in me est, non est accidens, sed est meum esse, sive idem cum mea essentia; bonitas enim, sapientia, potentia mea, sunt idem cum essentia Quinta.

mea. Unde S. Bernardus lib. V *ad Eugenium*: «Deus, inquit, amat ut charitas, novit ut veritas, sedet ut æquitas, dominatur ut majestas, regit ut principium, tuetur ut salus, operatur ut virtus, revelat ut lux, assistit ut pietas : quæ omnia faciunt et angeli, facimus et nos; sed longe inferiori modo, non utique bono quod sumus, sed quod participamus; Deus autem hoc ipso quod est, ait enim: Ego sum qui sum.»

Sexta. *Sexto*, «sum qui sum,» id est sum actus purissimus et simplicissimus; si enim essem compositus, essem posterior partibus me componentibus, et ab illis haberem esse, jam autem a me solo habeo meum esse.

Septima. *Septimo*, «sum qui sum,» id est habeo esse universalissimum, illimitatum et infinitum; nam cum habeam esse a me, non potuit mihi determinari ipsum esse : hinc sum ipsum esse subsistens, incomprehensibile, innominabile et infinitum.

Octava. *Octavo*, «sum qui sum,» id est sum causa omnis esse quod res creatæ participant; nam quod ex se, et per se est tale, hoc est causa eorum quæ sunt talia per participationem; ex illo ergo esse Dei increato et immenso, sequitur posse omnia. Hoc est quod canit Boetius, lib. III *De Consolat.* metr. 6 :

> O qui perpetua mundum ratione gubernas,
> Terrarum cœlique sator, qui tempus ab ævo
> Ire jubes, stabilisque manens das cuncta moveri;
> Quem non externæ pepulerunt fingere causæ
> Materiæ fluitantis opus, verum insita summi
> Forma boni, livore carens.

et Horatius lib. I *Carm.*:

> Qui res hominum et deorum,
> Qui mare et terras, variisque mundum
> Temperat horis.

Nona. *Nono*, «sum qui sum,» id est unus sum, qui habeo esse ex me. Recte ergo dixit Job cap. XXIII : «Ipse solus est;» si enim esset quis alius, habens simile esse independens et infinitum, is esset Deus alius, habens aliam naturam, aliud esse independens et immensum, et consequenter noster Deus verus et unus non haberet naturam, nec esse alterius illius Dei; ideoque non haberet omne esse, ac consequenter non esset Deus. Hinc S. Dionysius cap. V *De Divin. nomin.* docet Deum vocari ens, vel esse potius quam quidlibet aliud. *Primo*, quia esse, *primo* advenit cuilibet rei, et ultimum ab ea recedit; *secundo*, quia esse est maxime intimum cuivis rei; *tertio*, est maxime independens; *quarto*, est maxime necessarium; *quinto*, est universalissimum; *sexto*, est simplicissimum; *septimo*, est quodammodo infinitum; *octavo*, cætera sunt participatio entis et esse, ens vero nullius est participatio; *nono*, est perfectissimum, quia eminenter et virtute continet alias perfectiones. Ex quibus recte colligas proprium nomen Dei esse : «Ego sum qui sum.» Significat enim ipsam

Esse proprium esse Deo novem rationibus ostendit S. Dionysius.

Dei essentiam, puta essendi pelagus immensum, ex quo nostro modo concipiendi (nam in se, puta in ipsa Dei essentia, omnia sunt una res simplicissima) omnia Dei attributa ordine suo manant et profluunt, sicut ex essentia angeli, hominis, equi, omnes ejus dotes et proprietates ordine suo emanant. Igitur quia Deus est ipsum esse, sive plenitudo entis, hinc necessario sequitur eum esse unum, perfectissimum, simplicissimum, infinitum, independentem, universalissimum, immutabilem, æternum, omniscium, omnipotentem, sanctum, optimum, providentissimum, causam rerum omnium non tantum existentium et futurorum, sed et possibilium. Ideo enim res possibilis est, quia Deus eam facere, eique suum esse communicare potest, sive quia Dei esse ab ea participari potest. Radix enim possibilitatis creaturæ est in Deo, non in ipsa creatura. Radix enim hæc est divinæ essentiæ imitatio, commendatio et participatio, quod scilicet divina essentia creaturæ se tali modo communicare, et ab ea tali modo participari possit, utpote quæ illam eminenter in se contineat. Si enim Dei essentia tali modo participari nequeat, res est plane impossibilis. Quod enim Deus facere nequit, sive cui se communicare non potest, hoc prorsus est impossibile : sic homo est possibilis, quia Dei essentia ab homine participabilis est. Deusque hominis habet ideam practicam in sua essentia, juxta quam eum formare, eique suum esse communicare potest; chimæra vero est impossibilis, quia Dei essentiam participare nequit, nec Deus ejus habet ideam, juxta quam eam formet eique suum esse communicet; quia scilicet Dei essentia chimæram in se non continet, nec formaliter, nec eminenter. Quare nonnulli Theologi τὸ *ego sum qui sum*, omnis Theologiæ principium, imo summam et compendium statuunt.

Deus est causa cur creatura sit possibilis.

Qua ratione?

Nota : Sicuti nomen Dei est *esse*, ita e contrario creaturarum nomen est *non esse*; ut si rogetur homo, lapis, angelus : Quis es? qui vocaris? respondere possit et debeat : Meum nomen est non esse; ego vocor, non sum, idque *primo*, quia omnis res creata priusquam crearetur, habuit æternum non esse. *Secundo*, si corruptibilis est, habebit rursum æternum non esse; sin incorruptibilis est, uti est angelus, potest semper habere non esse, quia ipsius esse est in potestate Dei libere ipsum conservantis, et potentis omni momento illud annihilare. *Tertio*, quia dum est, variabilis et mutabilis est, ac proinde admixtum habet non esse; in omni enim mutatione, ratio quædam ipsius non esse includitur. *Quarto*, quia quælibet res creata, ait Plato in *Theæteto*, plus habet non entis quam entis, v. g. homo tantum habet esse hominis, sed habet non esse cœli, terræ, lapidis, angeli, aliarumque rerum omnium. Itaque homo habet tantum unum esse, et innumera non esse. Quam sapiens est qui se, et suum non esse cognoscit! Ita S. Joannes Baptista rogatus : Es tu Christus? es tu Propheta? respondit : Non sum.

Proprium creaturarum nomen est *non sum*, idque ob quatuor causas.

Prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Homo habet unum esse, sed innumera non esse.

Jactant se homines, et volunt esse quod non sunt, dicuntque : Ego sum dives, ego sum nobilis, ego sum sapiens; qui vero humiles sunt et sapientes, qui se et Deum cognoscunt, dicunt : Deus est bonus, est dives, est sapiens, est sanctus, ego non sum; et per hoc merentur divinæ sapientiæ, bonitatis, sanctitatis, omnisque boni et esse participes fieri. Quocirca Christus Dominus apparens B. Catharinæ Senensi, eidem dixit : « Nostin, filia, quis sim ego, quæ tu? beata eris, si id scias. Ego sum is qui sum; tu es illa, quæ non es. » Et rursum : « Filia, cogita de me, et ego cogitabo de te, semperque curam tui geram; » fecit id ipsa humilians se, et annihilans habitansque in suo nihilo : itaque elevabatur ad pelagus immensum esse divini, omniumque ejus perfectionum, totaque accendebatur in ejus amorem et laudem continuam.

Pulchre et fuse idipsum « non sum, » pertractat D. Henricus Suso, *serm.* 2. « Deus, inquit S. Basilius, fecit mundum : ut bonus, utilem; ut sapiens, pulcherrimum; ut potens, maximum. Si hæc didicerimus, nos ipsos agnoscemus, Deum cognoscemus, conditorem adorabimus, Domino serviemus, patrem glorificabimus, nutritium diligemus, benefactorem reverebimur, auctorem præsentis et futuræ vitæ colere nunquam desinemus. »

Gentiles docuerunt solum Deum esse.

Hanc Dei notionem et Theologiam ab Hebræis, ut videtur, hauserunt et cognoverunt Gentiles. Refert Eugubinus in templis Ægyptiorum illud Dei emblema inscriptum fuisse : « Ego sum quod fuit, quod est, quodque futurum est, velum meum nemo unquam revelavit. » Sic et Plutarchus, lib. *De Iside*, refert in Ægypto signum, quod Sai est Minervæ, quam eamdem putat Isin esse, inscriptionem habere hujusmodi : « Ego sum universum quod fuit, quod est, et quod est futurum; flammeumque meum nullus mortalium aperuit unquam. » Vide Goropium in *Hermathena*, lib. V, fol. 106, ubi contendit ex Plutarcho per Isidem divinam Sapientiam intelligi, Isidisque nomen idem sonare, quod, « est, est. » Thales quoque, rogatus quid esset Deus, respondit : « Quod semper est, neque principium habens neque finem. » Hoc et spectasse videtur Parmenides, cum ait « omnia esse unum ens immobile. » Hinc etiam in Apollinis Delphici templi foribus inscriptum erat *primo*, Γνῶθι σεαυτόν, *Cognosce teipsum*, quo Deus templum intrantes quasi salutans admonebat, ut seipsos noscerent. *Secundo*, εἶ, id est, *tu es*, qua voce ingredientes templum, quasi Deum ipsum resalutantes, solum ipsum vere esse confitebantur. De qua re vide ex Plutarcho Eusebium, lib. XI *De præpar. Evang.* cap. VII, ubi inter cætera docet solum Deum esse; cætera enim cum in fluxu sint, continue mutari, magisque corrumpi quam esse : « Corrumpitur enim, ait, juvenis in virum, vir in senem, puer in juvenem, infans in puerum; et qui heri fuit, in eum qui est hodie, quique hodie est, in crastinum; manet autem nullus idem. Nullus enim est idem, sed omni momento circa phantasmata commutatur. Quomodò enim, si simus iidem, aliis nunc quam antea gaudemus? Alio modo amamus atque odimus, aliis passionibus movemur, non eamdem figuram, non eamdem de rebus sententiam habentes. Denique Plato in *Timæo* docet solum Deum proprie esse; cætera vero quæ oriuntur et commutantur, verius non esse quam esse. »

QUI EST, MISIT ME AD VOS. — Hebraice rursum est אהיה *eie*, id est *ero*, sive sum, « misit me ad vos. » Noster et Septuaginta personam primam in tertiam commutando, clarius vertunt, *qui est*. Huic nomini Deus mox aliud addit, quod ceu notam Hebræis tesseram Moses afferat, dum subdit :

15. DOMINUS DEUS PATRUM VESTRORUM. — Pro *Dominus* hebraice est nomen tetragrammaton יהוה *iehova*; pro *Deus* hebraice est אלהים *elohim*; prius nomen est naturæ, posterius gratiæ, curæ et providentiæ, *q. d.* Ego Deus, qui ita sum ipsum esse (quod est *Jehova*), ut nolim hominibus deesse, sed velim iis adesse, præesse et prodesse (quod est *Elohim*). Ita S. Augustinus tract. *de hoc Dei nomine* : « Ego sum qui sum. » Hinc probabiliter colligit Eugubinus, Cajetanus, Genebrardus, Bellarminus et alii, nomen tetragrammaton esse idem cum eo : « Ego sum qui sum. » *Primo*, quia Deus, qui ante filiis Israel per Mosen dici jusserat : « Qui est, misit me; » jam iisdem dici jubet : « Jehova misit me. » Certum autem videtur, uno et eodem nomine jussisse se vocari; ergo nomenclaturam suam, quam prius per verbum expresserat Deus, dicens : Sic dices filiis Israel : « Qui est, misit me; » hic per nomen exprimit dicens : « Jehova misit me. » *Secundo*, quia hoc cap. Moses studio semper Deum vocavit « Elohim, » donec Deus ipse nomen : « Ego sum qui sum, » sibi indat; deinceps vero usurpat tetragrammaton Jehova, quasi Deo jam inditum, idemque cum « Ego sum qui sum. » Idem magis patebit cap. VI, vers. 3.

Vers. 15. *Ego sum qui sum* idem est quod *Jehova*. Prob. Primo. Secundo.

HOC NOMEN MIHI EST IN ÆTERNUM; ET HOC MEMORIALE MEUM, — quo scilicet memorabuntur mei, invocabunt et laudabunt me filii patriarcharum secundum carnem, et post eos Christiani, qui sunt veri Israelitæ, et filii Abrahæ secundum fidem et spiritum, quibus per Christum veritas fœderis icti cum Abraham est exhibita; ita ut per Christum non deleta, sed renovata potius et illustrata videatur Abrahæ, Isaac et Jacob memoria.

IN GENERATIONEM ET GENERATIONEM. — Hebraice, *in sæculum sæculi*, id est, per omnia sæcula, quovis sæculo.

16. VISITANS VISITAVI VOS, — respexi et vidi vos. Ita vertit Noster cum Septuaginta melius quam Chaldæus, qui vertit, *recordatus sum vestri*; nam præsentium malorum non tam est memoria quam visio; hic Deus visitat in bonum, alias in malum, ut *Psal.* LXXXVIII : « Visitabo (id est castigabo) in virga iniquitates eorum. »

Vers. 16.

Vers. 17. 17. ET DIXI, — mecum statui et decrevi.

Vers. 18. 18. ET AUDIENT VOCEM TUAM, — tam læta et optata de eorum liberatione nuntiantem, memores compleri jam hoc liberationis tempus Abrahæ prædictum, *Genes.* XV, vers. 16; ibi enim dicitur: « Generatione autem quarta revertentur huc, » jam autem exinde est generatio quarta.

VOCAVIT NOS. — Hebraice est, *occurrit nobis,* id est, sponte se obtulit et apparuit nobis vocans nos, videlicet ad sacrificium. Alienius vertit Chaldæus, *invocatus est super nos* (1). Hanc speciem sacrificii voluit Deus Hebræos apud Pharaonem prætexere celandæ fugæ, ne Pharao abitum populi palam factum, et aperte postulatum statim abnueret. Ut ergo Moses populum educat, ad idque veniam a Pharaone impetret, jubetur ei dicere, Deum velle ab Hebræis coli extra Ægyptum in deserto; quod verum erat; dixerat enim Deus, vers. 12 : « Immolabitis Deo super montem istum (Sina). »

IBIMUS. — Hebraice, *et nunc eamus quæso,* id est, liceat ire nobis.

VIAM TRIUM DIERUM, — moderata petitio; nam si longius iter et tempus peteret, excusari merito videretur rex negans abitum, tanquam qui jure de fuga Israelitarum suspicaretur et metueret. Nec mendacium hic, sed silentium integræ veritatis, intervenit : ituri enim erant itinere trium dierum, et hoc dixerunt; sed longius deinde ituri erant in Chanaan, et hoc tacuerunt.

Mystice, via trium dierum est via fidei, spei et charitatis. Rursum via contritionis, confessionis et satisfactionis, quibus præparamus nos, et tendimus ad sacrificium Eucharistiæ.

Anagogice. Anagogice, via trium dierum in cœlum est via Christi, cujus *prima* dies est dies passionis et mortis ejus; *secunda* dies, est descensus ad inferos; *tertia,* est dies resurrectionis ejusdem. Ita S. Augustinus, serm. 90 *De Temp.*

Vers. 19. 19. SED EGO SCIO QUOD NON DIMITTET VOS.— Præmunit Mosen et Hebræos Deus, ne repulsam apud Pharaonem passi animis concidant, cœptisque desistant.

NISI PER MANUM VALIDAM, — per decem plagas, et maxime per cædem primogenitorum, quam ego iis inferam. Chaldæus vertit, *nisi per timorem fortem,* quem ego iis hisce plagis incutiam (2).

Vers. 22. 22. A VICINA SUA ET AB HOSPITA SUA.— Hinc patet Ægyptios fuisse permixtos Hebræis in terra Gessen.

SPOLIABITIS ÆGYPTUM. — Chaldæus ותרוקנון *et evacuabitis Ægyptum;* radix enim ריק *ric* hebraice et chaldaice significat esse vacuum.

Nota : Hebræi, abeuntes Ægypto, eam spoliarunt non rapina, sed justo donationis Dei (qui omnium est dominus) titulo. Donavit eis hæc spolia Deus, *primo,* ut castigaret luxum et injustitiam Ægyptiorum. *Secundo,* ut Hebræis, qui gratis servierant Ægyptiis, hæc spolia loco pretii redderet. *Tertio,* ut eis daret materiam, quam postea in tabernaculi fabricam offerrent. Hinc *Sapientiæ* VII, vers. 7, de Hebræis dicitur : « Reddite justis mercedem laborum suorum. » Unde et Tertullianus, lib. IV *Contra Marcionem,* cap. XXIV : « Instincti sunt, inquit, Hebræi non ad fraudem, sed ad mercedis compensationem, quam alias a dominatoribus exigere non poterant. » Licet enim regis unius imperantis, et Hebræos opprimentis hæc fuerit tyrannis, multorum tamen ei obsequentium, et abblandientis ei plebis injuriam sensere Hebræi; et vero, etiamsi solus rex vim fecisset; juste tamen, justoque bello ejus subditi fuissent appetiti.

Deus jussit Hebræis spoliare Ægyptum tribus de causis.

Tropologice, spolianda est Ægyptus, id est, ea quæ in Ethnicis Philosophis et Oratoribus elegantia sunt, tanquam ab injustis possessoribus, in nostrum usum sunt vindicanda. Ita S. Augustinus, lib. II *Doctrin. Christ.* cap. XL; Rupertus, Nyssenus et Prosper, lib. I *De Promiss. et Prædic.* cap. XXXVII. « Nonne aspicimus quanto auro, argento et veste suffarcinatus de Ægypto exierit Cyprianus doctor suavissimus, et Martyr beatissimus? quanto Lactantius? quanto Victorinus, Optatus, Hilarius? » inquit S. Augustinus.

Tropologice.

(1) Quæ tamen versio multis probatur. נקרה enim esse hic pro נקרא, vix dubium. Sensus igitur est : Nos vocamur Jehovæ populus, ipse est Deus noster; ibimus igitur, tua venia, etc.

(2) Pro *nisi* alii hebr. vertunt *nec,* qui sensus frequentior est voci ולא. Vers. 21. *Gratiam dabo,* id est, faciam ut quod petitis, tandem obtineatis.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Moses accipit a Deo suæ missionis tria signa triplicis conversionis : primum, virgæ in colubrum; secundum, manus in lepram; tertium, aquæ in sanguinem. Secundo, Moses ab hac missione varie se excusat; tandem irascente Deo acquiescit, reditque in Ægyptum cum uxore et filiis. Tertio, vers. 24, Angelus minatur Mosi mortem : hinc uxor circumcidit filium; mox Angelus Mosen dimittit. Denique, vers. 27, Aaron Dei monitu fratri Mosi occurrit.

1. Respondens Moyses ait : Non credent mihi, neque audient vocem meam ; sed dicent : Non apparuit tibi Dominus. 2. Dixit ergo ad eum : Quid est quod tenes in manu tua? Respondit : Virga. 3. Dixit Dominus : Projice eam in terram. Projecit, et versa est in colubrum, ita ut fugeret Moyses. 4. Dixitque Dominus : Extende manum tuam, et apprehende caudam ejus. Extendit, et tenuit, versaque est in virgam. 5. Ut credant, inquit, quod apparuerit tibi Dominus Deus patrum suorum, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob. 6. Dixitque Dominus rursum : Mitte manum tuam in sinum tuum. Quam cum misisset in sinum, protulit leprosam instar nivis. 7. Retrahe, ait, manum tuam in sinum tuum. Retraxit, et protulit iterum, et erat similis carni reliquæ. 8. Si non crediderint, inquit, tibi, neque audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis. 9. Quod si nec duobus quidem his signis crediderint, neque audierint vocem tuam : sume aquam fluminis, et effunde eam super aridam, et quidquid hauseris de fluvio, vertetur in sanguinem. 10. Ait Moyses : Obsecro, Domine, non sum eloquens ab heri et nudiustertius; et ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris et tardioris linguæ sum. 11. Dixit Dominus ad eum : Quis fecit os hominis? aut quis fabricatus est mutum et surdum, videntem et cæcum? nonne ego? 12. Perge igitur, et ego ero in ore tuo, doceboque te quid loquaris. 13. At ille : Obsecro, inquit, Domine, mitte quem missurus es. 14. Iratus Dominus in Moysen, ait : Aaron frater tuus Levites, scio quod eloquens sit : ecce ipse egreditur in occursum tuum, videnque te lætabitur corde. 15. Loquere ad eum, et pone verba mea in ore ejus ; et ego ero in ore tuo, et in ore illius, et ostendam vobis quid agere debeatis. 16. Ipse loquetur pro te ad populum, et erit os tuum; tu autem eris ei in his quæ ad Deum pertinent. 17. Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa. 18. Abiit Moyses, et reversus est ad Jethro socerum suum, dixitque ei : Vadam et revertar ad fratres meos in Ægyptum, ut videam si adhuc vivant. Cui ait Jethro : Vade in pace. 19. Dixit ergo Dominus ad Moysen in Madian : Vade, et revertere in Ægyptum : mortui sunt enim omnes qui quærebant animam tuam. 20. Tulit ergo Moyses uxorem suam, et filios suos, et imposuit eos super asinum, reversusque est in Ægyptum, portans virgam Dei in manu sua. 21. Dixitque ei Dominus revertenti in Ægyptum : Vide ut omnia ostenta quæ posui in manu tua, facias coram Pharaone : ego indurabo cor ejus, et non dimittet populum. 22. Dicesque ad eum : Hæc dicit Dominus : Filius meus primogenitus Israel. 23. Dixi tibi : Dimitte filium meum ut serviat mihi ; et noluisti dimittere eum : ecce ego interficiam filium tuum primogenitum. 24. Cumque esset in itinere, in diversorio occurrit ei Dominus, et volebat occidere eum. 25. Tulit illico Sephora acutissimam petram, et circumcidit præputium filii sui, tetigitque pedes ejus, et ait : Sponsus sanguinum tu mihi es. 26. Et dimisit eum postquam dixerat : Sponsus sanguinum, ob circumcisionem. 27. Dixit autem Dominus ad Aaron : Vade in occursum Moysi in desertum. Qui perrexit

obviam ei in montem Dei, et osculatus est eum. 28. Narravitque Moyses Aaron omnia verba Domini quibus miserat eum, et signa quæ mandaverat. 29. Veneruntque simul, et congregaverunt cunctos seniores filiorum Israel. 30. Locutusque est Aaron omnia verba quæ dixerat Dominus ad Moysen, et fecit signa coram populo, 31. et credidit populus. Audieruntque quod visitasset Dominus filios Israel, et quod respexisset afflictionem illorum : et proni adoraverunt.

Vers. 1. 1. NON CREDENT, — populus et plebs Hebræorum : quia inter eos multi sunt duræ cervicis. Nam de senioribus prædixerat Deus cap. II, vers. 18, eos credituros, cui sine dubio Moses fidem habebat. Tertia est hæc Mosis excusatio ob populi incredulitatem : hinc Deus ad signa descendit.

Vers. 2. 2. QUID EST QUOD TENES IN MANU TUA? — Deus rogat Mosen non quasi ignorans, sed ut ei det occasionem respondendi ejus, quod volebat ab eo audire.

RESPONDIT : VIRGA — pastoralis, qua oves regebat. In Hebræo pulchra est paronomasia : quæsierat Deus מזה *mazze*, « quid hoc? » respondet Moses : מטה *matte*, « est virga. »

Quæres, quid ad litteram significet hæc virga? Respondet R. Abraham : Virga est Pharao, qui tempore Josephi erga Hebræos fuit instar virgæ mollis, et ad nutum Josephi flexilis; sed mortuo Josepho, versus est in colubrum insidiando Hebræis, eisque exitium machinando; verum in fine rursum factus est quasi virga, dum per plagas Mosis domitus, Hebræos Ægypto exire permisit, imo compulit.

Virga conversa in colubrum significabat tres Hebræorum status.

Verum dico : Hac virga ejusque metamorphosi significabantur vices et vicissitudo Hebræorum, sive tres eorum status in Ægypto. Hebræi enim virgam, id est sceptrum et principatum tenebant, vivente et regente Josepho; eo vita functo virga hæc in terram projecta est et versa in colubrum, quia Hebræi prius cari, post mortem Joseph exosi fuere Ægyptiis, ac si essent colubri, qui insidias et necem machinarentur Ægyptiis; rursum hic coluber in virgam reversus est in manu Mosis, ut habent Hebræa, quia Moses populo suo rursum sceptrum, libertatem et dominationem attulit. Ita Lyranus, Abulensis, Pererius.

Symbolice, virga significabat ducatum Mosis, qui Ægyptios momordit ut coluber.

Symbolice, hac virga significabatur ducatus et summa potestas, quam Mosi mox daturus erat Deus, qua Ægyptios percussit et punivit, Hebræos vero texit, duxit et gubernavit; virga enim hæc fuit Mosi instar sceptri, quod Ægyptiis formidabile fuit et exosum instar serpentis, Hebræis vero amabile instar virgæ et baculi pastoralis. Mittitur ergo a Deo Moses armatus, non lancea, sed baculo, verum thaumaturgo, eoque debellat Ægyptum. Hic est typus Christi mittentis Apostolos cum baculo, eosque armantis potestate patrandi miracula, quibus orbem sibi subigant, *Marc.* cap. ult. vers. 17. Unde S. Bernardus : « Insonat, ait, tuba salutaris, coruscant miracula, et mundus credit : cito persuadetur quod dicitur, dum quod stupetur ostenditur. » Hujus virgæ Mosaicæ partem inventam esse anno Christi 1008, ad eamque ex Gallia, Italia aliisque provinciis confluxisse plurimos narrat ex Glabro Baronius anno jam dicto.

Allegorice, virga est crux Christi.

Allegorice, virga est crux Christi lignea, quæ in serpentem est versa Judæis et impiis : hi enim crucem quasi supplicium malefactorum exhorrescunt; sed per caudam, id est in fine mundi, eam apprehendent, scientque non colubrum esse, sed virgam, id est Dei virtutem et sapientiam. Ita S. Cyrillus, Origenes, *homil.* 4; S. Augustinus, serm. 86 *De Temp.*

Secundo, virga est humana natura, quæ per peccatum quasi versa est in colubrum.

Rursum Cyrillus in *Collectan. in Exodum* : Virga, inquit, est humana natura, quæ recta a Deo condita est, et posita in paradiso, ubi erat in manu Mosis, id est in cura et protectione Dei; per peccatum hæc virga projecta est in terram, cum ei dictum est : « Terra es, et in terram reverteris; » hic versa est in colubrum, quia serpenti tentanti credidit, consensit et cohæsit; et, sicut serpens innatum habet venenum, ita nos peccatum originale ab Adamo per naturalem propaginem contrahimus, per quod quasi serpentes humi serpimus, et non nisi terrena sapimus : Christus hunc serpentem apprehendit non in capite ubi habet venenum, sed in cauda, quia humanam naturam sine peccato assumpsit. Rursum, in cauda, id est in ultima ætate mundi, humanam naturam assumpsit, itaque eam sibi et Deo univit, imo pulchriorem et augustiorem effecit. Ita Pererius.

Anagogice, virga in colubrum versa et reversa est Christus moriens et resurgens.

Anagogice, idem Cyrillus, lib. *De Incarnatione*, cap. XIV : Virga, inquit, est Christus, qui est potentia Patris, quique tenet virgam sive sceptrum regni et æquitatis. Hæc in serpentem versa est in incarnatione; humana enim natura per peccatum Adæ facta est maligna ut serpens : peccatoris autem naturam et similitudinem induit Christus; hinc serpens in deserto exaltatus, significabat Christum in cruce exaltatum, ut dicitur *Joan.* III, 14. Serpens hic per resurrectionem rursum factus est virga, id est dominus, rex, judex, triumphator, et princeps cœli et terræ.

Pari modo Cyrillus ibidem, cap. XV, sequens signum lepræ Mosis, de Christo nato, passo et resurgente interpretatur.

Tropologice virga est disciplina quæ primo

Tropologice, virga est disciplina; correctio et castigatio, quæ initio pueris, imperfectis et immortificatis horrida videtur ut serpens; sed in fine, cum ejus fructum experiuntur, agnoscunt esse virgam paternam et pastoralem : nam, ut ait

horrida est ut serpens, sed tandem apparet esse virga paterna. Vers. 3.

Apostolus *Hebr.* XII, 11 : « Omnis disciplina in præsenti quidem videtur, non esse gaudii, sed mœroris; postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ. »

3. ITA UT FUGERET MOYSES.—Erat enim hic coluber ex magna virga productus magnus horridusque : unde Philo eum vocat draconem serpentum principem.

Vers. 5.

5. UT CREDANT.—Subaudi, hoc signum virgæ facies coram eis, ut scilicet eam mutes in colubrum, ac rursum in virgam : hoc fine, ut credant te a me esse missum.

Vers. 6.

6. QUAM CUM MISISSET IN SINUM, PROTULIT LEPROSAM. — Secundum est hoc signum manus leprosæ et sanatæ.

Symbolice ad litteram, Moses manum mittens in sinum, significabat se habere curam populi, eumque quasi sinu suo gestare, *Num.* XI, 12. Manus enim significabat populum Hebræum : unde in sinu Mosis manus facta est leprosa, quia cum viderent Ægyptii populum habere ducem Mosen, ab eoque foveri, erigi et defendi, cœperunt eum durius tractare et affligere; sed Moses eam secundo mittens in sinum, id est plenam et perfectam populi curam suscipiens; eum per plagas Pharaoni immissas vindicando, manum reduxit sanam et integram, quia populum ex Ægypto salvum eduxit.

Manus leprosa significabat populum sub Mose afflictum.

Symbolice et tropologice, hoc signo significabatur causa afflictionis Hebræorum : manus enim in sinu, sunt Hebræi in cultu, ac religione, et consequenter in cura et sinu quasi Dei; hic manus facta est leprosa, quia Hebræi prolapsi sunt ad idola et vitia Ægyptiorum ; sed hæc eluit Deus, manumque a lepra expurgavit, cum rursum Hebræos per Mosen in sinu suo condidit, acceptans eos in suum populum, suamque Ecclesiam. Ita S. Cyrillus et Theodoretus.

Symbolice manus leprosa significabat vitia Hebræorum.

Addit Theodoretus Deum voluisse hoc signo Mosen admonere perpetuæ humilitatis, quando manum ejus futuram thaumaturgam, et ipsa etiam elementa commutaturam, prius lepra infecit.

Allegorice manus leprosa est Synagoga incredula Judæorum.

Allegorice S. Augustinus, serm. 86 *De Temp.*: Manus, inquit, leprosa est Synagoga Judæorum, quæ lepra, id est, infidelitate in Christum, infecta, rejecta fuit a Deo; huic successit manus nitida, id est, Ecclesia fidelis Gentium, a Deo electa.

Secundo, manus leprosa est Christus moriens et resurgens.

Secundo Pererius : Manus Mosis, inquit, est Christus Filius Dei, qui est quasi manus Patris; per ipsum enim Pater fecit omnia. Hic erat ab æterno in sinu Patris, sed cum foras prolatus est per incarnationem, visus est leprosus, id est, laboribus doloribusque obrutus. Unde Isaias, LIII, ait : « Non est species ei, neque decor, et nos putavimus eum quasi leprosum. » Sed retractus rursus per resurrectionem et ascensionem in sinum Patris, sedensque ad dexteram Dei, gloriosus apparuit.

8. NEQUE AUDIERINT VOCEM SIGNI PRIORIS,— id est vocem signo priore confirmatam : signum enim muta voce loquebatur, sermonem Mosis esse sermonem Dei, hujusque rei signum hoc sigillum erat. Vers. 8.

9. SUME AQUAM FLUMINIS, — Nili. Vers. 9.

ET VERTETUR IN SANGUINEM. — Tertium hoc signum, quo Moses vertit aquam in sanguinem, appositum fuit : eo enim Ægyptiis infanticidium Hebræorum quasi exprobravit, eorumque sanguinem hoc sanguine vindicavit, portenditque illorum in aquis et mari Rubro suffocationem, qui parvulos Hebræorum aquis merserant. « Dignum enim fuit ut is fluvius, cui parvulos Hebræorum crudeli nece mergendos tradiderant, auctoribus sceleris poculum sanguinis redderet, et cruorem polluti gurgitis, quem parricidali cæde macularant, potando sentirent, » inquit Origenes, *homil.* 4, et ex eo S. Augustinus, serm. 87 *De Temp.* Putat Josephus Mosen hoc tertium signum, æque ut duo priora, expertum esse, et fecisse hic coram Domino. Verum melius Philo censet Mosen tantum duo priora signa hic coram Domino expertum esse, tertium vero hoc signum distulisse, et reservasse ut illud faceret coram Pharaone : hoc enim significat hic Scriptura.

Aqua versa in sanguinem significat litteraliter infanticidium, et suffocationem Ægyptiorum in mari Rubro.

Tertullianus, lib. *De Resurr. carnis*, cap. XXVIII, per tria hæc signa mystice accipit trinam virtutem Dei : hæc enim *primo*, colubrum, id est diabolum, subegit; *secundo*, carnem leprosam, imo corruptam, de sinu mortis in resurrectione extrahet; *tertio*, omnem sanguinem, inquit, exsequetur judicio, id est, justo judicio a morte vindicabit, et suscitabit omnem sanguinem in martyrio aut morte effusum, per communem omnium resurrectionem.

Tria signa Mosis, sunt trina virtus Dei.

10. OBSECRO, DOMINE. — Subaudi, parce mihi, noli me mittere. Hoc enim intelligitur per aposiopesin. Vers. 10.

NON SUM ELOQUENS. — Symmachus, *non sum εὔλαλος*, id est disertus; hebraice, *non sum vir verborum*, qui scilicet multa facunde loquar, ut Pharao oratorem tam jejunum non sit auditurus.

AB HERI ET NUDIUSTERTIUS, — a superiori tempore : est hebraismus.

ET EX QUO.—Hebraice, *etiam ex quo mecum locutus es, q. d.* Nec alloquio tuo evasi facundior, ut ex verbis meis nosse potes; quare minus est consona expositio Philonis, quæ talis est : Cum meam eloquentiam tuæ, o Domine, comparo, me mutum et elinguem agnosco : alia enim est mens Mosis, uti mox demonstrabo.

IMPEDITIORIS ET TARDIORIS LINGUÆ SUM. — Nota : Hæc verba pendent a præcedentibus, *q. d.* Etiam ex quo mecum locutus es, Domine, impeditioris linguæ remansi, nec evasi eloquentior, cum tamen tu linguas infantium facias sæpe disertas. Male ergo Biblia Regia hæc dirimunt per hypocolon, positum post *servum tuum*, ut nova deinde sententia incipiat, hæc scilicet, *impeditioris et*

tardioris linguæ sum. Ex priori lectione, quæ germana est, putant aliqui defectum hunc linguæ in Mose fuisse auctum ex visione et colloquio Dei, propter summam divinæ majestatis admirationem, et reverentiam Mosis. Verum contrarium innuunt Hebræa; sic enim habent : « Mi Domine, ego non sum eloquens, etiam ab heri, etiam a nudiustertius, etiam ex eo tempore quo locutus es ad servum tuum; quia gravis oris, et gravis linguæ sum ego, » *q. d.* Nunquam fui eloquens, ne quidem ab eo tempore quo tu mecum locutus es, quia natura impeditam et tardam habeo linguam. Chaldæus vertit : *Quia gravis loquelæ et profundæ linguæ ego sum, q. d.* Difficulter et tarde loquor, ita ut videar ex profundo et imo pectore verba trahere. Impedimentum aliud gracilitatis exprimunt Septuaginta dum vertunt, ἰσχνόφωνος, καὶ βραδύγλωσσος ἐγώ εἰμι, gracili voce et tarda lingua ego sum : idque de gracili voce secuti sunt Origenes, *homil.* 3; S. Hieronymus, *Jerem.* cap. I; Philo, Theodoretus, Augustinus, *Quæst.* X et XVI, ubi ait : « Forte fastus regius non permittebat accedentes de proximo loqui, » ut merito timeat Moses se, ob gracilitatem vocis, a Pharaone non audiendum.

Est hæc quarta Mosis excusatio, qua missionem ad Pharaonem detrectat, petita ab impedimento linguæ. Ubi nota quintuplex illud in Mose fuisse : *primum,* quod, ut indicant Hebræa, esset homo paucorum verborum, id est, dicendi jejunus et inops; *secundum,* quod in dicendo non esset eloquens, sed rudis, inconditus et inelegans; *tertium,* quod in sermone non esset promptus, sed tardiloquus; *quartum,* quod voce esset gracili et exili; *quintum,* quod lingua esset impedita, ut aliquas litteras et voces bene pronuntiare non posset; forte etiam quod esset balbus vel blæsus. Ob hosce defectus Moses, cap. VI, vocat se incircumcisum labiis.

Quintuplex linguæ vitium in Mose.

Nota hic humilitatem Mosis, qua sua vitia confitetur, legationem tam honorificam detrectat; hinc meruit ut, per vocem ejus infirmam, Deus confunderet eloquentes et sapientes Ægyptiorum, ait Theodoretus.

An vitium linguæ in Mose fuerit a natura? Prima sententia.

Quæres, an hoc vitium linguæ Mosis fuerit naturale, an ex accidente ei obvenerit? Aliqui apud Hugonem Victorinum putant hoc tantum linguæ vitium in Mose fuisse, quod scilicet per 40 annos quibus vixerat in Madian, oblitus esset linguam Ægyptiacam. Verum non hoc idiomatis, sed aliud linguæ vitium, imo vitia in Mose ponit hic Scriptura. *Secundo,* Hebræi tradunt quod Moses, cum esset triennis, prunas candentes ori admoverit, et extremam linguam adusserit, indeque linguæ hoc vitium contraxerit; sed hæc Judæorum est fabella. *Tertio,* Origenes, *homil.* 3; S. Gregorius, homil. 8 *in Ezech.*, et Rupertus, lib. I *in Exod.* cap. XVIII, putant Mosen per se fuisse disertum, sed postquam cœpit colloqui cum Deo, comparatione divinæ sapientiæ et eloquentiæ, visum sibi se esse infantem et mutum; idque « ab heri, et nudiustertius, » id est ab hoc triduo quo tecum, Domine, locutus sum : hinc enim patet, hæc inter Deum et Mosen non uno, sed tribus diebus esse acta et dicta.

Secunda.

Tertia.

Verum hæc expositio refellitur, ex eo quod Moses post hoc colloquium cum Deo manserit infacundus et tardiloquus, et, ut ipse ait cap. VI, vers. 12, incircumcisus labiis : unde ibidem ei Deus socium et interpretem addit Aaronem, qui pro Mose loquatur ad populum.

Quarta et vera, fuisse a natura.

Dico ergo hoc vitium linguæ naturale fuisse Mosi, et a natura ei insitum, non autem ex accidenti ei obvenisse. Mosen ergo ita indisertum elegit Deus ad hanc legationem, tum ut Mosen in humilitate per hunc defectum contineret, tum ut Hebræorum liberatio non eloquentiæ Mosis, sed Dei potentiæ tribueretur; infirma enim mundi elegit Deus, ut confundat fortia. Pari modo elegit Deus rudes et indisertos Apostolos, per quos orbem convertit. Ita Theodoretus.

Nota : Moses infacundus fuit exterius apud homines, sed interius facundus fuit apud Deum, quia efficacia suæ orationis et sanctitatis impetravit a Deo quidquid voluit, ut patet *Exodi* XXXII, vers. 11 et 14.

Vers. 11. 11. QUIS FECIT OS HOMINIS? AUT QUIS FABRICATUS EST MUTUM ET SURDUM? NONNE EGO? — *q. d.* Ego sum qui sensus, sensuumque usum do et adimo, cum mihi libuerit, ut et balbis linguam expediam, et lingua agiles cum placet constringam : cum ergo te nunc mittam, et legatum meum designem, os quoque et facundiam tibi dabo.

Disce hic facundiam et gratiam sermonis esse donum Dei, vel naturale, vel supernaturale. Hinc Platoni, cum adhuc infans dormiret in cunis, apes mellis copiam in os instillare sunt visæ; quod præsagium erat, ex Platonis ore, Dei dono, fluxuram orationem melle suaviorem. Hinc et Xenophon ab elegantia sermonis vocatus est Musa Attica. Sic et in S. Ambrosio cum adhuc infans esset, ore examen apum consedit, quod divinam viri eloquentiam præmonstrabat, inquit Paulinus in ejus Vita. S. Dominici mater gravida, sibi visa est in quiete continere in alvo catulum ore præferentem facem, qua, editus in lucem, orbem terrarum incenderet : quo somnio significabatur fore, ut S. Dominicus sua concione facunda et fervida, piaque cunctos ad Dei amorem inflammaret. Simile quippiam contigit matri S. Bernardi, qui vere fuit mellifluus. Mirum vero est quod subinde videmus homines tetricos alias et inficetos, facundia a Deo donari, multaque gratiose et eleganter proloqui. Ita cum Xenocrates, natura durus et tetricus, gratiose et festive loqueretur, ac mirarentur audientes, dixit Plato : « Quid miramini? nonne inter carduos et urticas lilia plerumque et rosas enasci cernitis? »

Vers. 13. 13. OBSECRO, DOMINE, MITTE QUEM MISSURUS ES, — *q. d.* Alium mitte, quem te missurum præsci-

visti. Hebr. est, *mitte, quæso, per manum* (scilicet alterius), *quem mittes, q. d.* Ad legationem hanc tantam alio, meque aptiore utere instrumento; hoc enim Hebræis est manus.

Quintuplex excusatio Mosis.

Notat Cajetanus quintam hanc esse excusationem Mosis. *Prima* enim fuit cap. II, vers. 11, ex sua inhabilitate, quod ad tantum munus esset ineptus et impar. *Secunda*, cap. II, vers. 13, ex ignoto Dei nomine. *Tertia*, cap. III, vers. 1, ex incredulitate Hebræorum. *Quarta*, cap. III, vers. 10, ex suo linguæ vitio. Cumque videret has excusationes non acceptari a Deo, quintam hanc addit interpellationem et supplicationem, qua omnino conatus est a se excutere, et in alium rejicere hanc missionem, obsecrans : « Mitte quem missurus es, » *q. d.* Mitte quemcumque volueris, modo ne me mittas inidoneum ad tantum munus. Ita Vatablus.

Moses non petiit mitti Aaronem, nec Josue.

Quare non recte Lyranus putat, his verbis Mosen orasse Deum, ut definite Aaronem fratrem suum mitteret, utpote qui se esset eloquentior, quique, ut addunt et fingunt aliqui Rabbini, hactenus prophetam egerat in Israel. Non recte etiam R. Salomon putat Mosen petiisse mitti Josue, de quo sibi revelatum erat, quod post mortem suam induceret Hebræos in Chanaan. Verba enim

An Christum ?

Mosis generalia et indefinita sunt. *Secundo*, multi Patres, ut S. Justinus, Tertullianus, Cyprianus, Eusebius, scribentes contra Judæos, et Rupertus, putant Mosen hic petiisse adventum Messiæ; hujus enim nomen erat « missus » vel « mittendus, » ut patet *Genes.* XLIX, 10, *q. d.* Quandoquidem, o Domine, statuisti mittere Messiam, eumque ut nos peccato liberet, aliquando missurus es, eum nunc potius mitte, ut populum tuum eadem opera ex Ægypto liberet. Hic sensus valde probabilis et accommodatus est, quidquid objiciat Abulensis, et audacter nimis tantis Patribus obstrepat Eugubinus. Ita enim olim alii Patriarchæ in gravibus causis, semper ad Christum promissum respiciebant, et ad eum suspirabant, ut patet de Jacob *Genes.* XLIX, vers. 10 et 18.

An Moses peccarit toties renitendo vocationi Dei? Prima sententia.

Quæres, an Moses peccarit toties renitendo vocationi et missioni Dei? Aliqui Hebræi censent Mosen peccasse mortali incredulitate, diffidentia et inobedientia; ideoque punitum esse in eo quod Hebræos non induxerit in terram promissam. Sed

Secunda.

hæc nimis dura et fundamento carens est censura : nec ob hanc, sed ob aliam diffidentiam ad aquas contradictionis, Moses exclusus est terra sancta, ut patet *Numer.* XX. Magis insulsum est quod ait R. Salomon, Mosen ob hoc peccatum privatum esse sacerdotio, illudque translatum esse ad Aaron. *Secundo*, S. Basilius, Gregorius, Hieronymus, eosque citans Pererius omnino excusant Mosen, ejusque excusationem quasi ab humilitate profectam laudant, tum quia Moses sciebat cor pervicax et inexorabile Pharaonis, atque duram cervicem Hebræorum, ait Basilius, quam se putabat frangere non posse; tum quia veri obedientis est, honorifica (qualis erat hæc missio) refugere et detrectare; ad dura vero et aspera se ultro et alacriter offerre, uti docet S. Gregorius, lib. XXXV *Moral.* XIII. Pari modo Saul se quasi indignum excusavit a regno, I *Reg.* cap. IX, et *Jer.* cap. I, a prophetia et prædicatione. « Moyses, inquit S. Gregorius, quia apud se mente humilis extitit, oblatam protinus tanti regiminis gloriam expavit. Paulus vero cum ab Agabo, quanta se adversitas in Hierosolymis maneret, audivit, protinus respondit : Ego non solum alligari, sed et mori in Jerusalem paratus sum pro nomine Jesu. Præeunte ergo utrorumque ducum infracta virtute instituimur, ut si obedientiæ palmam apprehendere veraciter nitimur, prosperis hujus sæculi ex sola jussione, adversis autem etiam ex devotione militemus. »

Tertia et vera, peccasse veniali-ter.

Verum dico cum Cajetano et Abulensi, Mosen peccasse veniali pusillanimitate et inobedientia; cum enim suam infirmitatem perpenderet, illi nimis inhæsit, arbitrans se infirmiorem esse quam qui tantum onus a Deo impositum sustinere posset, non cogitans Deum, qui se vocabat, sibi quoque vires et animos suppeditaturum. Licet ergo Moses directe non repelleret, nec detrectaret voluntatem Dei, cupiebat tamen Deum aliud velle, aliumque mittere, et ad hoc nimis, adeoque quinto Deum ursit; quare merito ei, quasi nimis tergiversanti iratus est Deus : vel, ut hebraice est, חָר *iichar*, id est subito excanduit, salva tamen amicitia cum Mose : unde mox hanc iram clementia temperavit, Mosenque jam acquiescentem ad Pharaonem misit, addens ei socium Aaronem.

Dices : Moses sciebat jam ante se electum a Deo ad hoc munus; ideoque tam animose, quam periculose Ægyptium illum occidit, uti ex S. Stephano ostendi cap. II, 12 : quomodo ergo hic factus est pusillanimis, ut hoc munus jam detrectet.

Periculum præsens magis percellit quam futurum.

Respondeo : Id ex eo accidit, quod res ardua eminus ostensa, et diu post futura, quasi absens, mentem non feriat, nec percellat; eadem tamen cum præsens est, et executioni mandanda, tunc hominem percellit, ut trepidet et sudet : tunc enim longe vivacius apprehenditur rei moles, difficultates omnes et pericula, quam ante. Id in nobis nostrisque militibus belli inexpertis experimur : qui cum extra teli jactum sunt, leones videntur, quidquid ausuri; sed ubi cominus cum hoste pugnandum est, clangentibus tubis, et aciebus utrimque conclamantibus, tunc pallent, pavent et palpitant, et, ut ille ait, in pace leones, in prælio sunt cervi. Ita ergo Moses, cum oraculum de futuro suo ducatu acciperet, non timuit; cum vero illum sibi imponi vidit, ejusque onera et difficultates cominus perspexit, tunc trepidare, omniaque effugia quærere cœpit, salva tamen amicitia et obedientia Dei : unde cum vidit Deum absolute id velle, nec excusationes ullas admittere, sed irasci, statim paruit, onusque acceptavit.

Vers. 14. 14. AARON FRATER TUUS LEVITES. — Τὸ *Levites* additur nomini Aaron, quasi cognomen ex tribu petitum, more Judæorum : illi enim a sua tribu cognominabantur, uti Hollandi a parente, et alii passim a familia cognominantur. Porro *Levites* erat cognomen honorabile, ob sacerdotium addictum tribui Levi, in quo primus et princeps futurus erat Aaron (1).

Vers 15. 15. EGO ERO IN ORE TUO. — Ex Hebræo verti potest, *ego ero cum ore tuo, q. d.* Ego ero moderator oris tui, suggeram, moderabor et dirigam linguam et sermones tuos : « Domini enim est gubernare linguam, » ut ait Sapiens *Prov.* XVI, 1, idque cum Sanctis, assidue a Deo efflagitandum est, præsertim ei qui aliis præest; sic Esther capite XIV, 13, orat ad Deum : « Tribue, inquit, sermonem compositum in ore meo; » et Apostolus *Ephes.* VI, 29, cupit orari pro se, « ut detur, inquit, mihi sermo in apertione oris mei. »

Philo putat balbutiem Mosi naturalem, hic a Deo fuisse curatam et sublatam, *q. d.* ei Deus : « Meo nutu articulate omnia edisseres, facundia mutata in melius, nec aliter cogitationes promente, quam manant fontes limpidissimi. » Sed hoc non videtur verum; nam ob Mosis infacundiam, et facundiam Aaronis, hunc Mosi socium addit, ut sequitur. Rursum cap. VI, 12, Moses diserte ait se adhuc esse incircumcisum labiis.

Vers. 16. Moses fuit quasi intellectus concipiens, Aaron quasi os eloquens. Societatis commoda duo.

16. ERIT OS TUUM. — Aaron erit interpres tuus, *q. d.* Tu mandabis et ordinabis ea quæ agenda sunt, tanquam intellectus concipiens; Aaron vero eadem loquetur, tanquam os exequens, et eloquens.

Moraliter, disce hic quantum sit bonum socius et societas : cum enim omnis homo defectus habeat, alter alterius defectus supplet; quia in adjutorium mutuum homo generatus est : hinc tantopere celebratur a sapientibus Græcis factum illud cæci pedibus integris, qui sublatum in collum ferebat truncum pedibus, bene oculatum; ex quo uterque utriusque auxilio fruebatur, alter pedum, alter oculorum socii commodum percipiens, quo carebat. Unde illud Ausonii *epigram.* 123 :

Quo caret alteruter, sumit ab alterutro.

Sic Moses ab Aarone eloquentiam, Aaron a Mose sapientiam accepit. Prudenter ergo Sapiens : « Frater, ait, qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma, » *Prov.* XVIII, 19; *Eccle.* IV, 10 : « Melius est duos esse simul, quam unum; habent enim emolumentum societatis suæ. Si unus ceciderit, ab altero fulcietur : væ soli! quia non habet sublevantem se. Et si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistent ei. Funiculus triplex difficile rumpitur. » Hac de causa religiosi vadunt bini, et Christus binos misit discipulos evangelizare, tum ut socium laborum, tum ut vitæ testem habeant. Hinc S. Thomas Aquinas dicere solebat : « Monachum solum esse dæmonem solitarium. » Nam, ut ait Seneca, *epist.* 25 : « Omnia nobis mala solitudo persuadet. » Et *epist.* 11 : « Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat. » Justinianus imperator, *Novel. const.* 133, monachos clam testibus vivere, scelus ducit; vult ergo eos « invicem testes esse mutuæ honestatis » et castitatis; nam, ut ait Theodorus Studita in suo testamento, § 15 : « Unius facilis est calumnia. » Ita Joseph ab hera passus est calumniam stupri, quia solus erat; ita et Susanna calumniam senum subiit, quia sola. Merito ergo S. Augustinus, in *Regul.* cap. XII, ita sancit : « Quando simul estis in ecclesia, et ubicumque feminæ sunt, invicem pudicitiam vestram custodite. Deus enim, qui habitat in vobis, etiam isto modo custodiet vos ex vobis. » Audiant Religiosi soli sententiam D. Thomæ Cantiprat., lib. II, cap. XI, § 1, audiant et timeant : « Quam vera, inquit, sit hæc sententia : Væ soli! ego novi, qui triginta annis vices Episcopi in diversis provinciis habui, qui in hoc articulo, quo Religiosi soli vadunt in viis, vel soli manent in curiis, horrenda mala, horrenda scandala, horrendaque pericula frequenter audivi, quæ nunquam sustinuissent adjuncto socio, vel fecissent. »

TU AUTEM ERIS EI IN HIS QUÆ AD DEUM PERTINENT, — tu eris ei internuntius Dei : hebraice est, *tu eris ei* לאלהים *lelohim, in Deum*, pro Deo, vice Dei, ut scilicet ex te Dei, puta meam, voluntatem intelligat, ex te quasi me consulat et audiat; nam, ut ait Christus Apostolis : « Qui vos audit, me audit; » et Psaltes principibus et judicibus : « Ego dixi, dii estis. » Chaldæus vertit, *tu eris ei in principem*, sed hoc frigidum est et improprium. *Elohim* enim proprie Deum significat.

Vers. 18. 18. VADAM ET REVERTAR AD FRATRES MEOS IN ÆGYPTUM, UT VIDEAM SI ADHUC VIVANT. — Visionem Dei celat socerum suum Moses, modestiæ studio, aliamque veram et justam abeundi causam ei objicit, ut urbane ab eo discedendi veniam impetret.

Vers. 20. Asinus Rab. Salomon longævissimus.

20. IMPOSUIT EOS SUPER ASINUM. — R. Salomon dicit hunc eumdem esse asinum, cum eo qui ligna Abrahæ tulit ad immolandum Isaac, *Genes.* XXII, 3. Eodem quoque asino vehendum esse Messiam, juxta prophetiam *Zachar.* cap. IX, vers. 9 : Quia hebraice, inquit, hic asinus habet *he* demonstrativum, quasi illustris sit et celebris; et quia, nisi mirus et inusitatus fuisset, non potuisset ferre matrem cum filiis jam grandioribus. quis non videat et rideat hanc fabellam? et tamen huic R. Salomoni, quasi suo Pythagoræ, credunt per omnia Judæi, hasque fabellas pro certis habent traditionibus. Vide hic justum Dei judicium in Judæos. « Eo quod charitatem veritatis non receperunt, ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, » inquit

(1) Hebr. est, *Nonne Aaron Levita est frater tuus? Novi*, etc.

S. Paulus, II *Thessal.* II, 10. Tales enim sunt hæ nugæ et fabellæ, quibus scatet R. Salomon, ut mirum sit Lyranum tantum illi et illis subinde tribuere. Ad argumentum ejus superius, respondi filios hos natos esse sub hoc tempus, ac proinde parvulos fuisse, non autem grandiores (1).

Virga Mosis thaumaturga fuit baculus pastoralis ejusdem.

PORTANS VIRGAM DEI IN MANU SUA. — Virga hæc fuit baculus Mosis pastoralis, quo pascebat et minabat oves Jethro, quæ versa fuit, et rursum coram Pharaone vertenda erat in colubrum; per quam Moses fecit omnia portenta et plagas Ægypti : hinc vocatur « virga Dei. » Addunt, vel fingunt Hebræi, hanc virgam fuisse quadrilateram, atque in ea fuisse inscriptum nomen Dei tetragrammaton, sive quadrilaterum, ita ut singulis virgæ lateribus una nominis littera esset incisa.

Baculus Isidis quis?

Artapanus apud Eusebium, lib. IX *De Præpar.* cap. ult., ait hanc Mosis virgam postmodum ab Ægyptiis in veneratione habitam esse, atque in ejus memoriam in templo Isidis baculum poni et coli. Isidem enim putant illi terram esse, quæ baculo Mosis percussa tot prodigia produxit.

Vers. 21. 21. VIDE UT OMNIA OSTENTA QUÆ POSUI IN MANU TUA (id est, in potestate tua; scilicet illa tria portenta, quæ hoc capite tibi assignavi, et alia quæ deinceps tibi assignabo, vide et cura, ut ea omnia), FACIAS CORAM PHARAONE.

EGO INDURABO, — quomodo induret Deus, dicam cap. VII, vers. 3 (2).

Vers. 22. 22. FILIUS MEUS PRIMOGENITUS ISRAEL,—filius per adoptionem, non per naturalem generationem, *q. d.* Ego Deus Israelitas quasi Abrahæ, Isaaci et Jacobi posteros, mihi in filios adoptavi, illos mihi in populum elegi, ut mihi serviant, me colant, ego vicissim eis sim pater, protector et provisor.

Nota τὸ *primogenitus*, id est, dilectus præ cæteris gentibus et electus, habitusque ut primogenitus; ad hæc, primus inter populos Dei fide et cultu adunatus, in eaque fide genitus et nutritus : talis enim fuit populus Israel.

Vers. 22. 23. ECCE EGO INTERFICIAM FILIUM TUUM. — Ultimam tantum ponit comminationem et plagam : quia eousque obduratum mansit cor Pharaonis; per illam autem emollitum fuit, ut dimitteret Hebræos.

Vers. 24. 24. OCCURRIT EI DOMINUS, — angelus, humana forma gerens Dei personam. Unde Septuaginta vertunt, *occurrit illi angelus* : vide dicta cap. III, vers. 2.

ET VOLEBAT OCCIDERE EUM, — vel præfocatione, ut vult Tertullianus; vel potius, ut Theodoretus et Diodorus, gladio evaginato mortem intentans, non puero, sive filio Mosis incircumciso (ut vult Tertullianus, lib. *Contra Judæos,* cap. III, et S. Augustinus) : hic enim infans non peccarat, nec mortem erat meritus : culpa enim omissæ circumcisionis non in ipso, sed in parentibus residebat. Mosi ergo mortem hanc intentat angelus; pronomen enim *eum* designat Mosem, de quo hactenus continuus fuit sermo.

Fabella R. Salomon.

Nugatur R. Salomon angelum hunc apparuisse specie draconis, et hianti ori Mosen absorbuisse usque ad membrum quod circumcidendum erat : id videns Sephora intellexit id Mosi accidisse, eo quod filium non circumcidisset; quocirca illa mox eum circumcidit, statimque draco Mosen revomuit.

Cur angelus voluit Mosen occidere? Prima sententia.

Quæres, cur angelus voluerit Mosen occidere? Respondet *primo,* S. Augustinus, sermone 86 *De Tempore*, et Eusebius uterque, scilicet Emissenus et Cæsariensis, eo quod secum duceret uxorem, quæ Mosi, ejusque missioni impedimento erat futura : quæque, ait Eusebius, Hebræis suspectam ejus missionem fecisset; dixissent enim Mosi : Si venis ut nos educas ex Ægypto in Chanaan, cur non reliquisti uxorem et proles, utpote tot remoras, in Madian? Per Madian enim (puta per Sina montem, cui adjacet Madian), nobis eundum est in Chanaan. Sed recte Mosen hic excusat Theodoretus, quod non potuerit relinquere uxorem in Madian, sine gravi soceri sui offensione, et suspicione quod eam vellet repudiare. Verum aliam causam mortis intentatæ Mosi suggerit Scriptura.

Secunda.

Secundo, Theodoretus et Diodorus putant Angelum comminatum esse mortem Mosi, ut hoc timore ex animo ejus metum Pharaonis, quasi clavum clavo pelleret, *q. d.* Tu, o Moses, nimis formidas Pharaonem; etenim me timere magis deberes, quippe qui, ut vides, possum te subito nullo negotio occidere.

Tertia et vera, eo quod filium non circumcidisset.

Verum dico Angelum voluisse occidere Mosen, eo quod non circumcidisset filium, ut jusserat Deus, *Genes.* XVII, 12. Ipse enim futurus erat legislator populi; debebat ergo ipse primus legem servare : hanc enim causam intelligens uxor Mo-

(1) Vers. 19. *Dixerat* præterea *Dominus Mosi*, etc., alia vice quam tum cum ei in deserto ad Sinai montem apparuit.

(2) Clericus ad h. l. : « Cum apud omnes gentes, tum etiam apud Hebræos, qui occasionem præbent cuipiam rei, ejus causa esse dicuntur, quamvis id quod egerunt per se eam rem efficere non potuerit. Vulgus, ex cujus arbitrio pendet linguarum usus, sæpe occasionis majorem rationem habet, quam causæ ipsius efficientis. Sæpe quod alius consecutus est effectus ejus quod antecessit, ita hunc habet, itaque de eo loquitur, ut non aliter de vero ac proprie dicto loqueretur. Quo factum est, ut qui loquentes in Scriptura inducuntur, eodem modo animi sensa efferant. Vid. *Matth.* X, 36; *Luc.* XII, 49, 51. Similiter Deus hic id se facturum dicit, cujus rei occasio erat. Misit Mosen ad Pharaonem, Mosesque coram eo miracula fecit, quibus quivis alius permotus fuisset, ut illud, quod Deus fieri voluerat, faceret. Sed ille inde occasionem cepit pertinaciæ augendæ, quod inter mala, quæ passus est, intervalla quædam fuerunt, et similia nonnulla miracula a magis Ægyptiis facta vidit. Sic Deus pertinaciæ Pharaonis occasio fuit, non causa. » Origenes similiter in *Philocaliæ* cap. XXVII : « Tot signis et prodigiis factis non obtemperat Pharao, sed et post hæc resistit, ut durities et incredulitas ex prodigiis oriri potuisse videatur. »

sis, statim filium circumcidit, moxque angelus, quasi sibi jam satisfactum esset, Mosen dimisit. Ità Isidorus Pelusiota, Rupertus, Lyranus, Abulensis, Cajetanus.

Cur Moses filium non circumcidit? Prima sententia.

Quæres *secundo*, cur Moses vir sanctus secundum legem filium suum non circumcidit? Respondent Rupertus et Chaldæus, eo quod Jethro socer et Sephora uxor, utpote Gentiles et Madianitæ, non permitterent puerum eo dolore et vulnere affici. Verum obstat quod seniorem filium jam circumciderant : unum enim, puta minorem, tantum circumcidit Sephora, quia nimirum senior jam erat circumcisus; alioqui enim et hunc circumcidi coegisset angelus. Rursum obstat quod Sephora statim ex se, et per se circumcidens infantem, satis indicavit se istius ritus esse peritam, illumque peregisse in seniore filio circumcidendo.

Secunda et vera, quia junior erat et tenellus ad iter.

Hinc verius censent Hebræi, Lyranus, Abulensis et Pererius, quod minor hic filius, Eliezer scilicet, recens jam esset natus, cui proinde vel Moses, vel potius mater gravia damna itineris metueret, si eum circumcideret : distulit ergo rem Moses, donec veniret in Ægyptum; hac enim eadem de causa Hebræi peregrinantes in deserto, per 40 annos non sunt circumcisi, ut patet *Josue* cap. v. Verum angelus mortem minitans Mosi, hunc nimium timorem illi excussit, idque ne Moses legislator futurus, remissior in lege servanda fuisse videretur. Moses enim quasi dux, cæteris perfecto in lege implenda exemplo præire debebat. Vidit ergo Sephora angelum minitantem mortem Mosi marito, propter puerum incircumcisum, eumque forte digito ostendentem.

Unde Sephora hanc causam intellexit?

Intellexit ergo Sephora Mosen esse in vitæ periculo, ob neglectam filii circumcisionem, partim ex eo quod angelus phantasiam ejus regens hanc speciem et causam ei objiceret et suggereret; partim ex eo quod angelus vel vultu, vel digito puerum incircumcisum notaret; partim ex eo quod Moses eam docuerat præceptum circumcisionis a Deo latum sub interminatione mortis. Addit *quarto*, Cajetanus, intercessisse sermonem angeli de incircumciso filio, licet eum hic non exprimat Scriptura.

Vers. 25. Cur petrinoculiro circumcidit Sephora filium?

25. TULIT ILLICO SEPHORA ACUTISSIMAM PETRAM. — Non quod cultro petrino necessario fieri deberet circumcisio, uti sensit S. Augustinus, sed quia consternatæ et festinanti matri talis culter primus occurrit; præsertim quia hæc circa Arabiam Petræam, ubi est Sina et Madian, contigerunt, in qua major petrarum quam ferri est copia et usus : unde petras ibi exacuunt instar ferri, ex eisque cultros efficiunt acutissimos : nam alioqui, *Genes.* XVII, ubi lex de circumcisione fertur, nulla petræ fit mentio : qua de re plura dicam *Josue* v. Interim vide D. Thomam, III *part.*, *Quæst.* LXX, art. 3, ad 2.

ET CIRCUMCIDIT PRÆPUTIUM FILII SUI, — id est filiorum suorum, ait Cajetanus; putat enim utrumque Mosis filium hic a Sephora circumcisum esse. *Secundo*, Hugo de S. Victore putat unum filium hic tantum esse circumcisum : quia mater, inquit, utpote Gentilis, unum sibi filium, quasi proprium et incircumcisum retinuerat, alterum vero Mosi circumcidendum reliquerat; vel unum tantum filium ducebat secum Moses, alterum vero apud socerum, quasi obsidem amoris et benevolentiæ suæ, reliquerat. Sed hisce obstat S. Scriptura, quæ expresse, vers. 20, ait Mosen revertentem duxisse secum filios suos; hic vero, vers. 25, ait filium, puta alterum tantum e duobus, esse circumcisum.

Solus Eliezer hic fuit circumcisus.

Hinc ergo apparet solum Eliezer, utpote recens natum, esse circumcisum; seniorem vero Gersam jam ante fuisse circumcisum, uti dixi.

TETIGITQUE (Sephora, ut patet ex Hebræo, quasi deprecabunda pro vita mariti Mosis) PEDES EJUS. — Septuaginta vertunt, *procidit ad pedes ejus*, scilicet angeli invadentis Mosen, inquit Cajetanus, ut supplici prece eum placaret. *Secundo*, Chaldæus vertit, *projecit præputium filii ad pedes angeli*, *q. d.* Si propter incircumcisum puerum irasceris Mosi, en tibi pueri præputium circumcisum; quare placatus desine persequi virum meum. *Tertio*, alii, « pedes ejus, » id est pueri, inquiunt, *q. d.* Pueri pedes mater, vel sanguine fuso, vel ipso præputio projecto, tetigit vel tinxit.

Verum dico : Sephora « tetigit pedes ejus, » scilicet Mosis; huic enim dixit id quod sequitur : « Sponsus sanguinum tu mihi es. » Tetigit ergo ipsa mariti pedes, eosque aspersit sanguine et præputio filii coram angelo, ut hoc quasi pretio eum a morte servaret et redimeret, dicens : « Sponsus sanguinum tu mihi es ob circumcisionem, » quasi dicat : Ego te, o marite, certæ morti destinatum ab angelo, rursum sanguine filii mei, quem circumcidendo eum effudi, mihi sponsum coemo.

Male ergo Rupertus sic explicat : tetigit pedes ejus, id est importune supplicavit Mosi, ut se domum ad patrem redire permitteret; exterrita enim erat visione angeli. Unde sequitur : « Et dimisit eum. » Verum sic dicendum fuisset : Et dimisit eam, puta Moses Sephoram.

Tangere genua priscis fuit symbolum adoraticnis.

Nota : Tangere pedes inter Judæos tum amoris, tum reverentiæ et adorationis erat signum, præsertim mulierum erga viros. Sic Sunamitis orans Elisæum pro filio jam mortuo, pedes ejus tangit, IV *Reg.* IV, 27. Sic Magdalena, aliæque piæ mulieres post resurrectionem tenuerunt Christi pedes, *Matth.* cap. ult., vers. 9. Sic (ut ex antiquis Conciliis liquet) moris fuit in Ecclesia vetere, ut qui Episcopos salutarent, eorum genua manu tangerent. Hic etiam fuit Gentilium mos; unde illud apud Homerum, *Iliad.* α, vers. 499 :

Καί ῥα πάροιθ' αὐτοῖο καθέζετο, καὶ λάβε γούνων.

Sic Sidonius Apollinaris, lib. I, *epist.* 5 : « Apostolorum, ait, liminibus affusus; » et carmine 7 :

« Genibus primum est affusa Tonantis. » Sic a Plinio, lib. IX, *epist.* 21, « advolutus genibus » dicitur. Qui vero delicti veniam precabantur, supplices pedibus advolvebantur. Unde Petrus Chrysologus, *serm.* 93 : « Ad pedes, ait, tendat, citam veniam qui requirit. » Salvianus Massiliensis, epist. *ad Hypatium et Quietam* : « Advolvor vestris, o parentes charissimi, genibus : illa ego vestra Palladia. » Filiique supplices parentum pedibus affusi pedes osculabantur, ait idem Salvianus. Causam hujus ritus naturalem dat Plinius,

Genibus inest vitalitas.

lib. XI, cap. XLV : « Hominis, inquit, genibus quædam religio inest, observatione gentium : hæc supplices attingunt, ad hæc manus tendunt, hæc ut aras adorant; forte quia eis inest vitalitas. Antiquis Græcis in supplicando mentum attingere mos erat. »

Secundo, sunt symbolum misericordiæ.

Secunda causa est, quia genua misericordiæ dicata sunt. Servius in illud *Æneid.* III :

Dixerat et genua amplexus, genibusque volutans,
Hærebat;

« Physici, ait, dicunt esse consecratas numinibus singulas corporis partes, ut aurem Memoriæ, frontem Genio, dexteram Fidei, genua Misericordiæ. » Et Pierius, *hierogl.* 35 : « Genu, ait, misericordiæ sedem esse, antiqua omnis superstitio confitetur, uti memoriæ auris, irrisionis nasus habetur. » Facientes ergo vota tenebant genua, ut de illorum misericordia, cujus illa sunt sedes, sibi quæ poscerent, polliceri significarent. De diis Gentium ait Arnobius, lib. VI : « Ita enim non ridetis hæc signa, quorum plantas et genua con-

Genua in cerre.

tingitis, et contrectatis orantes? » Inde mox signandi vota, et incerandi deorum genua. Votum enim quisque suum ceratis inscriptum tabulis, deorum genibus affigebat. Juvenalis, *satyr.* 10 :

Propter quæ fas est genua incerare deorum.

Tertio, potentiæ.

Tertia causa est, quod in genibus posita sit motus et progressionis virtus, quodque ipsa, roboris et vigoris integri symbolum sint. Nam uti flectere genua, professio est imbecillitatis et indigentiæ, ita non flectere, dignitatis et potentiæ : unde elephas Ægyptiis symbolum erat regiæ potentiæ quod genua non flectat, id est alterius ope non egeat, nec habeat necesse alteri supplicare; tangere ergo genua, nihil est aliud quam agnoscere alterius robur atque potentiam, qua ferre opem possit, si velit, et confirmare labantem.

Quarto, vitæ.

Quartam causam dat Goropius, lib. V *Origin. Antuerp.* : Olim, inquit, supplices ad genua provolvebantur, ut femur osculatentur, quasi vitam sibi inde quærere significarent, unde accepissent : semen enim, et consequenter proles et posteritas, e lumbis et femore ortum habent. Sic ergo Sephora tangendo pedes mariti, amorem et reverentiam illi, ac consequenter angelo, quem hac ratione placare, et marito conciliare volebat, exhibuit, ejusque misericordiam et potentiam imploravit, ut vitam marito impetraret; pro angeli enim pedibus (quos tangere non audebat) mariti pedes amplexa est.

SPONSUS SANGUINUM TU MIHI ES. — Mirum cur Septuaginta verterint, *stetit sanguis filii mei.* Clare Chaldæus vertit, *obtulit,* Sephora, *præputium coram eo,* angelo, et ait : « Propter sanguinem circumcisionis hujus (scilicet neglectum et non effusum) condemnatus erat ad mortem sponsus meus. »

Sponsus sanguinum, quadrupliciter a variis accipitur.

R. Abraham hæc verba refert ad puerum circumcisum, quasi etiam circumciso applaudens mater dixerit : Tu es mihi sponsus sanguinum; tradunt enim Hebræi, moris fuisse Hebræis matribus, ut filios, cum erant circumcisi, vocarent sponsos suos.

Secundo, Rabanus putat Sephoram hæc dixisse ex ira, *q. d.* Tu, o marite, causa es cur fundere debuerim sanguinem filii mei; unde merito indignor, et te voco sponsum sanguinum.

Tertio, alii sic explicant, quasi dicat : Video te mihi fore sponsum laboriosum et sanguinarium, multoque majora mihi tecum perpetienda esse in Ægypto : dimitte ergo me, ut redeam domum ad parentes; unde putant Sephoram hoc loco cum filiis domum rediisse.

Quarto et optime, quasi diceret : Nisi ego sanguinem filii mei in circumcisione effudissem, tu ab angelo interfectore periisses; te igitur ego mihi denuo sponsum acquisivi et coemi, non dote pecuniaria, sed profusione sanguinis filii mei, ut versu seq. plenius explicabo.

Sponsi olim sponsas dato pretio coemebant.

Nota : Nuptiæ tam apud Hebræos quam Romanos, fiebant coemptione : maritus enim pecunia data tum uxori, tum parentibus ejus, ab eis illam sibi uxorem coemebat; vicissim subinde uxor maritum sibi dato pretio coemebat. Sic David centum præputiis Philistinorum emit a Saule filiam ejus Michol sibi in uxorem, II *Regum* III, 14. Sic Osee fornicariam sibi in uxorem emit quindecim argenteis, *Osee* III, 2. Sic olim Saxones et Burgundiones trecentis solidis sibi uxores a parentibus coemebant. Hinc et illud Poetæ :

Teque sibi generum Thetis emat omnibus undis.
Rex tibi conjugium, et quæsitas sanguine dotes
Abnegat.

Vide Riberam in *Osee* III, vers. 2.

Vers. 26.

26. ET DIMISIT EUM. — Puta Sephora Mosen reliquit rediitque in patriam, ait Lyranus. Verum obstat Hebræum ירף *iireph,* quod non significat remittere in alium locum, sed quiescere, cessare, dimittere in pace, non vexare alium.

Tertio, alii, « dimisit eum, » scilicet Mosen morbus, quo eum percusserat angelus.

Quarto et genuine, « dimisit eum, » scilicet angelus Mosen, nec amplius ei mortem intentavit, cum vidit filium ejus jam esse circumcisum; unde Septuaginta vertunt, *et abiit angelus ab eo.* Ita S. Augustinus.

SPONSUS SANGUINUM TU MIHI ES, OB CIRCUMCISIO-

NEM. — Aliqui sic explicant : Tu, o marite, vel sponse, reus eras sanguinis et mortis, erasque occidendus ob omissam filii circumcisionem. Verum dico : sensus est, ob circumcisionem, id est, ob sanguinem filii mei, quem in ejus circumcisione effudi; tu, o Moses, es mihi sponsus sanguinum : quia hoc sanguine, te morti addictum a morte redemi, *q. d.* Ante circumcisum filium, tu eras mihi sponsus sanguinum, cædis et interfectionis, inquit R. David Kimchi, quia eras occidendus, sanguisque tuus effundendus erat ab angelo : jam vero circumciso filio es mihi sponsus sanguinis circumcisionis, quia, sanguine circumcisionis filii mei, tuam vitam teque mihi sponsum coemi.

Moses erat Sephoræ Sponsus sanguinum dupliciter.

Symbolica circumcisio quæ?

Symbolice, Moses junctus alienigenæ, est Doctor Christianus deditus humanæ philosophiæ. Hæc gignit proles, id est dogmata vera, sed vanis et falsis commixta; quæ nisi circumcidantur, mortem afferunt homini Christiano, v. g. dogmata Philosophorum sunt, Deum esse primum motorem, sed non esse omnipotentem; non posse aliquid facere ex nihilo, sed tantum ex materia sibi coæterna; non agere libere, sed fato et ex necessitate naturæ. Hæc omnia circumcidenda sunt per cultrum petrinum, id est per fidem Christi.

Mira S. Elzearii institutio familiæ.

Rursum disce hic, non esse satis patrifamilias si ipse sit religiosus et sanctus, sed debere curare, ut et filii et familia tota talis sit. Audi quam recte et pie familiam suam instituerit S. Elzearius, comes Ariani, ex Vita ejus, cap. XVIII : « *Primo* enim constituit, ut omnes e domo sua quotidie Missam integre audirent. *Secundo*, ut viverent caste et pure : qui secus facerent, eos domo sua expellebat. Nolebat enim, ut quisquam pane suo vesceretur, quem sciret peccato mortifero implicatum, ne alios inficeret, et ne ejus peccatum fovere videretur. *Tertio*, ut nobiles et milites, itemque virgines et matronæ semel in hebdomade confiterentur, et semel in mense communicarent. *Quarto*, ut eædem virgines et matronæ mane usque ad prandium precibus et piis exercitiis vacarent : a prandio manuariis operibus sese occuparent. *Quinto*, ut nemo auderet blasphemare Deum, B. Virginem, aut aliquem Sanctorum, vel jurare temere, vel inhonesta proferre; corrumpunt enim bonos mores colloquia prava : eum qui secus fecisset, in pane et aqua jejunare cogebat. *Sexto*, ut nemo luderet tesseris aut alio lusu turpi et inhonesto. *Septimo*, ut omnes pacem, amicitiam et concordiam colerent : si quis alium offendisset, mox cum offenso rediret in gratiam. *Octavo*, ut quotidie a prandio aut vespere inter illos, ipso præsente, fieret collatio et collocutio de rebus piis et salutiferis. » Lege et Tobiam, cap. IV, ubi ipse filium instruit ad omnem virtutem. Hoc quoque sæculo B. Thomas Morus, Angliæ Cancellarius et martyr, ita proles et familiam suam tam in litteris, quam in virtute et pietate Christiana instituit, ut de ea scribat Erasmus : « Domus Mori schola est et gymnasium Christianæ religionis. » Testis est D. Stapletonius in *Vita Mori*.

Allegorice, sponsus sanguinum nobis est Christus, cur?

Allegorice, hoc dicat Christo verus Christianus, præsertim Religiosus : « Sponsus sanguinum tu mihi es, o Christe, » tum quia tuo sanguine animam meam tibi coemisti et desponsasti. Unde S. Agnes dicebat tyranno : « Sanguis Christi sponsi mei tinxit genas meas; » tum quia a me vicissim, ut sim sponsa te digna, exigis sanguinem meum, imo carnem et vitam meam, dum doces iis qui te sequi, tibique placere volunt, circumcidendas et mortificandas esse concupiscentias carnis et sanguinis, dum ais : Nemo potest meus esse discipulus, nisi qui abnegat semetipsum, et tollit crucem suam, nisi qui odit et perdit animam suam in hoc mundo, nisi qui carnem suam crucifigit cum vitiis et concupiscentiis; nisi qui diabolo, carni et mundo resistit usque ad sanguinem, usque ad mortem et martyrium : atque hæc est « circumcisio cordis in spiritu, non littera, » non Judaica, sed Christiana, non exterior, sed interior, « cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est, » *Rom.* II, 29. Martyri ergo Christus est sponsus sanguinum. Unde S. Cyprianus *De Laude martyrii* : « Sanguini, inquit, nostro patet cœlum, ingreditur miles vulneribus suis gaudens. » Idem lib. II, *epist.* 4 : « Vos, ait, de vinea Domini racemi pingues, et jam maturis fructibus botri, pressuræ sæcularis infestatione calcati, torcular nostrum sentitis : vini vice sanguinem funditis; ad passionis tolerantiam fortes, martyrii poculum libenter hauritis. »

Denique non suffecit Mosi unum circumcidere filium seniorem, nisi et secundum circumcideret : ita Prælato, et cuivis Christiano non sufficit circumcidere intellectum ab errore, nisi et affectum circumcidat a cupiditate. Ita Pererius.

Vers. 27. 27. IN MONTEM DEI, — in montem Sina. Videtur Moses, cum comitatus jam fratre suo Aarone, plane se accingeret ad suam legationem tam arduam obeundam, remisisse in Madian uxorem cum filiis, ut liberior esset et expeditior : nam Sephoram a Mose recessisse ad suos, patet ex eo, quod illa postmodum ad Mosen ex Ægypto cum Hebræis egressum, in Sina redierit, ut dicitur cap. XVIII, 2.

Moses liberaturus suos remittit uxorem in Madian.

Vers. 30. 30. LOCUTUSQUE EST AARON. — Ecce Aaron hic est os et interpres Mosis, uti prædixerat Deus vers. 16.

ET FECIT SIGNA CORAM POPULO. — « Fecit, » non Aaron, sed Moses qui immediate præcessit : ita enim partita erant a Deo munia Mosis et Aaronis, ut Moses suo imperio mandaret et faceret signa, Aaron mandata Mosis et Dei eloqueretur, tanquam dux verbi.

SIGNA, — tria illa, de quibus initio capitis.

Vers. 31. 31. VISITASSET, — respexisset ad eos liberandum et educendum ex Ægypto; hoc enim posterius verbum explicatio est prioris (1).

(1) *Adoraverunt*, Mosem scil. venerati sunt, quasi Dei prophetam.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Moses cum fratre legationem Dei apud Pharaonem obit : contemnit ille, graviusque Hebræos premit : qui hac de causa cum Mose expostulant; Moses denique ad Deum recurrit.

1. Post hæc ingressi sunt Moyses et Aaron, et dixerunt Pharaoni : Hæc dicit Dominus Deus Israel : Dimitte populum meum ut sacrificet mihi in deserto. 2. At ille respondit : Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus, et dimittam Israel ? Nescio Dominum, et Israel non dimittam. 3. Dixeruntque : Deus Hebræorum vocavit nos, ut eamus viam trium dierum in solitudinem, et sacrificemus Domino Deo nostro : ne forte accidat nobis pestis aut gladius. 4. Ait ad eos rex Ægypti : Quare Moses et Aaron sollicitatis populum ab operibus suis ? ite ad onera vestra. 5. Dixitque Pharao : Multus est populus terræ : videtis quod turba succreverit : quanto magis si dederitis eis requiem ab operibus? 6. Præcepit ergo in die illo præfectis operum et exactoribus populi, dicens : 7. Nequaquam ultra dabitis paleas populo ad conficiendos lateres, sicut prius, sed ipsi vadant, et colligant stipulas. 8. Et mensuram laterum, quam prius faciebant, imponetis super eos, nec minuetis quidquam : vacant enim, et idcirco vociferantur, dicentes : Eamus et sacrificemus Deo nostro. 9. Opprimantur operibus, et expleant ea : ut non acquiescant verbis mendacibus. 10. Igitur egressi præfecti operum et exactores, ad populum dixerunt : Sic dicit Pharao : Non do vobis paleas : 11. ite, et colligite sic ubi invenire poteritis, nec minuetur quidquam de opere vestro. 12. Dispersusque est populus per omnem terram Ægypti ad colligendas paleas. 13. Præfecti quoque operum instabant, dicentes : Complete opus vestrum quotidie, ut prius facere solebatis quando dabantur vobis paleæ. 14. Flagellatique sunt qui præerant operibus filiorum Israel, ab exactoribus Pharaonis, dicentibus : Quare non impletis mensuram laterum sicut prius, nec heri, nec hodie? 15. Veneruntque præpositi filiorum Israel, et vociferati sunt ad Pharaonem, dicentes : Cur ita agis contra servos tuos? 16. Paleæ non dantur nobis, et lateres similiter imperantur : en famuli tui flagellis cædimur, et injuste agitur contra populum tuum. 17. Qui ait : Vacatis otio, et idcirco dicitis : Eamus, et sacrificemus Domino. 18. Ite ergo, et operamini, paleæ non dabuntur vobis, et reddetis consuetum numerum laterum. 19. Videbantque se præpositi filiorum Israel in malo, eo quod diceretur eis : Non minuetur quidquam de lateribus per singulos dies. 20. Occurreruntque Moysi et Aaron, qui stabant ex adverso, egredientibus a Pharaone : 21. et dixerunt ad eos : Videat Dominus et judicet, quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone et servis ejus, et præbuistis ei gladium, ut occideret nos. 22. Reversusque est Moyses ad Dominum, et ait : Domine, cur afflixisti populum istum ? quare misisti me? 23. Ex eo enim quo ingressus sum ad Pharaonem ut loquerer in nomine tuo, afflixit populum tuum, et non liberasti eos.

Vers. 1. 1. POST HÆC INGRESSI SUNT MOSES ET AARON, — cum senioribus populi, inquit Lyranus : ita enim præceperat Dominus cap. III, vers. 18. Melius censet Tostatus et Pererius, solum Mosen cum Aarone hanc legationem obiisse : illi enim soli nominantur hic et vers. 4. Pro senioribus enim, quos initio Mosi timido addidit Deus, substituit postea Aaronem, qui Mosi comes esset, et dux verbi, ut patet cap. IV, vers. 14.

Nota hic alium genium et spiritum fuisse Mosis quam sit Calvini, qui obtentu religionis reformatæ populum ad arma et rebellionem contra suos principes concitando, suum evangelium propagat : Moses enim nil tale facit, sed jussu Dei

regem ipsum adit, monet et obsecrat, ut Deo jubenti pareat, populumque dimittat.

Ubi nota *secundo*, insignem fortemque Mosis, tum obedientiam erga Deum, tum charitatem erga populum : juste enim metuere poterat, ne a tyranno exploderetur, et tamen eum adit, Dei jussa pandit, populique missionem petit.

UT SACRIFICET. — Hebraice וְיָחֹגּוּ *vejachoggu*, id est ut festum celebret, puta solemniter sacrificando : sacrificiis enim solemnibus vel maxime festa celebramus.

Vers. 2. 2. QUIS EST DOMINUS? — Superbam diaboli contumaciam exprimit Pharao, inquit Rabanus; cæca enim superbia ita mentem ejus excæcarat, ut diceret insipiens : Non est Deus, non est me potentius, præsertim alienæ precario huc admissæ, et abjectæ Hebrææ gentis numen, quod me cogat Hebræos dimittere, ut illi obsequi debeam.

NESCIO DOMINUM, — nescio Deum vestrum, o Moses et Hebræi. Rursum nescio Deum quemlibet, qui mihi tanta auctoritate imperet, ut Hebræos dimittam. Fuit ergo Pharao hic superbissimus, ideoque atheus. Ita Pererius. Licet enim Deum esse per se notum sit, si rem in se spectemus, non tamen nobis id per se notum est, sed ex effectis id nobis demonstrari debet : alioquin enim non tam multi essent pagani et athei. Ita D. Thomas, I *part.*, *Quæst.* II, art. 9.

Vers. 3. 3. DEUS HEBRÆORUM VOCAVIT NOS (1).—Addit Artapanus apud Eusebium, lib. IX *De Præpar.* cap. ult., quatuor miracula Mosi adeunti Pharaonem contigisse. *Primo*, ignem e terra erupisse cum voce quæ diceret, brevi ab ipso liberandos esse Hebræos, et in patriam antiquam reducendos. *Secundo*, Mosen a Pharaone carceri inclusum fuisse, sed inde nocte, custodibus mortuis, januisque confractis exivisse ad ipsum regem. *Tertio*, ipsum regem, pronuntiato in aurem ejus nomine tetragrammato a Mose, mutum factum esse, sed mox a Mose sanatum esse. *Quarto*, sacerdotes Pharaonis omnes ad idem nomen spasmo expirasse. Sed hæc Judæorum commenta esse videntur.

Quatuor miracula Mosis ex Artapano.

NE FORTE ACCIDAT NOBIS PESTIS AUT GLADIUS. — Hebr. *ne forte incurrat in nos* (Deus) *peste aut gladio*, si videlicet ei non pareamus, ut exeamus Ægypto, et in deserto ei sacrificemus. Unde patet explicationem B. Cyrilli lib. I *De Adorat. in spir. et ver.* fol. 21, non esse genuinam; sic enim explicat, *q. d.* Moses : Sacrificandum est nobis in deserto, non autem in urbibus aut agris, ne forte ibi occurrat nobis cadaver peste gladiove occisum, quod apud vos aliosque idololatras, in sacrificando tanquam impurum caveri solet. Hebraice enim non est, ne forte occurrat nobis pestis, sed, incurrat in nos peste, id est, ne peste nos feriat Deus.

Vers. 4. 4. SOLLICITATIS. — Hebraice, *cessare facitis*.

Vers. 5. 5. DIXITQUE PHARAO,—ad suos præfectos operum.

(1) Vid. not. supra. ad III, 18.

VIDETIS QUOD TURBA SUCCREVERIT. — Hinc patet infanticidii legem, uti infamem et execrabilem, jampridem fuisse abrogatam. Ita Cajetanus.

7. NEQUAQUAM ULTRA DABITIS PALEAS POPULO AD CONFICIENDOS LATERES. — Paleæ adhibentur ad lateres, non ut ignem accendant quo lateres coquantur, uti explicat S. Bernardus mox citandus : sed concisæ luto immiscentur, ut lutum contineant, sibique astringant et uniant, itaque lateres tenaciores et firmiores sint, ait Lyranus; ideo enim miscentur paleæ argillæ, qua incrustantur parietes argillacei, et forte Ægyptia terra minus cohæret, minusque coagula est quam sit nostra, ut proinde paleis jungi et consolidari debeat in lateres. Vers. 7.

Symbolice S. Bernardus, *sermone* 34, inter parvos : « Sub jugo, inquit, Pharaonis fiunt opera lutea, id est dissoluta et sordida; ab ipso dantur paleæ, id est leves cogitationes. Palearum est leviter accendi, et in momento consumi : sic et malæ cogitationes a diabolo immissæ, citò in mentibus nostris accenduntur, carnis mollitie consentiente; sed si viriliter studeamus resistere, Deo juvante protinus extinguuntur. Paleis accensis coquebatur lutum, et solidabatur in lateres : similiter pravæ cogitationes, quæ sunt quasi lutum (ut docet S. Gregorius, lib. XXXIV *Moral.* IX), paleis delectationis accenduntur : quæ cum transeunt in actum, tunc decoquuntur; cum vero ducuntur in consuetudinem, tunc tanquam in lateres solidantur. » Symbolice lutum, lateres et paleæ quid?

8. ET MENSURAM LATERUM, QUAM PRIUS FACIEBANT, IMPONETIS SUPER EOS. — *q. d.* Cogetis eos persolvere quotidie solitum demensum laterum et pensum, sive quoad numerum, sive quoad struem et molem; unde Septuaginta vertunt, σύνταξιν τῆς πλινθείας, ut constructionem, sive struem laterificii solitam reddatis. Vers. 8.

VACANT ENIM, — pigri sunt et remissi, otio torpent. Ita Hebræa.

9. UT NON ACQUIESCANT VERBIS MENDACIBUS. — Ecce non audit Pharao Mosen, nec credit eum a Deo esse missum, sed vel hoc mentiri, vel hoc somniasse, uti prædixerat Dominus cap. III, 19 (2). Vers. 9.

10. NON DO, — non dabo vobis paleas : est enallage temporis. En subtilem hic Pharaonis tyrannidem, qua Hebræos gravat, et pene ad restim ac desperationem adigit, ut de exitu, deque Deo eos evocante cogitare non libeat. Sed vehementissima ingruente tentatione, proxima erat salus; ita facere solet Deus. Unde mystice notat Procopius, Pharaonem, id est diabolum, peccatoribus, qui se Deo dare student, negando paleas commoditatum, difficilem præbere malitiam, ne ejus satietas fastidium pariat suo cultori : nam nitimur in vetitum semper, cupimusque negata. Vers. 10.

(2) Pro *acquiescant* hebr. est שָׁעָה, quæ vox, cum בְּ rei construitur, videtur notare *oculos in rem intendere*, ad eam attendere.

Vers. 12. 12. DISPERSUSQUE EST POPULUS. — Pars enim miscebat terram formabatque lateres, pars eos disponebat, pars coquebat, pars colligebat paleas; pensum enim laterum non a singulis viritim (hoc enim longissimæ fuisset operæ, et ad hoc opus fuisset magna præfectorum turba), sed in communi et generatim a præfectis Hebræis exigebatur; quorum erat suos urgere ad opus et pensum præstandum, quique, si quid penso deerat, luebant apud præfectos Ægyptios (1).

Vers. 16. 16. INJUSTE AGITUR.—Ne regem offendant, ejus injuriam aliorum, puta præfectorum, culpæ et crudelitati tribuunt: unde non aiunt: Injuste agis, sed, *agitur*; hebraice est, *peccatur in populum tuum* (2).

Vers. 17. Moraliter de otio vitando. 17. VACATIS OTIO. — Hebraice, *otiosi vos otiosi*, vel pigri pigri, id est pigerrimi estis. « Otium, inquit ille, corpus, mentem necat socordia : exercitatio utrumque pulcherrimum facit. » S. Chrysostomus, hom. 15 *in Genesim* : « Grave, inquit, malum est otium, facitque ut facilia omnia videantur difficilia; sicut studio et vigilantia etiam ardua et difficilia, facilia nobis sunt. » Et hom. 54 *in Acta* : « Curæ, inquit, ac sollicitudines gymnasium et schola sunt philosophiæ, etc. Ferrum si jaceat, corrumpitur; si exerceatur, splendet : similiter se habet anima quæ movetur et laborat. » S. Bernardus, *De Consid.* lib. II : « Cavendum est, inquit, otium in otio; fugienda otiositas mater nugarum, noverca virtutum. » S. Ambrosius, serm. 11 *in Psal.* CXVIII : « Tentant, inquit, otia, quos bella non fregerant; periculosa igitur et pacis otia. » Idem de seipso dicebat epist. 41 *ad Sabinam* : « Nunquam minus solus sum quam cum solus esse videor; nec minus otiosus quam cum otiosus. » Vide S. Augustinum, lib. *De Opere monachorum*. Solitudinis tædio affectus S. Antonius exclamabat : Servari cupio, Domine, et cogitationes meæ mihi adversantur. Mox ubi de cella prodiit, conspexit hominem (erat is angelus), monachali habitu succinctum, nunc calathos texentem, nunc ad orandum procumbentem, qui ad eum dixit : Sic et tu age, Antoni, et tentationes vinces. Quare otium aversabatur S. Antonius, et qui præclare vitam esset acturus, tum ad laborandum hortatus est, tum ad secum considerandum sedulo, quid noctu, quid interdiu egerit, inquit Sozomenes, lib. I *Histor.* cap. XIII. Idem censuit Theodosius monachus apud Theodoretum in *Histor. SS. Patrum*, cap. X. Quin et Alexander Magnus dixit: « Regium est laborare, servile est otio et luxui vacare. » Denique priscorum monachorum hæc erat sententia : « Operans uno dæmone, otiosi multis pulsantur. » Testis est Cassianus, cap. XXIII, lib. X *Instit.*

(1) *Ad colligendas* stipulas (minutas) *pro palea.*

(2) Id est, injuste agitur in Hebræos, populum tuum. Alii censent, populo Pharaonis *Ægyptios* esse intelligendos, hoc sensu : Peccati se reum facit populus tuus; vel : Hæc crudelitas male cedet populo tuo, qui dabit pœnas hujus tyrannidis.

Vers. 19. 19. VIDEBANT SE IN MALO, — in malis, in angustiis. Hic expressus est typus vocationum et illustrationum Dei, quas statim comitatur tentatio, sed fortiter persistentibus liberatio est proxima. *Primo* ergo, a Deo ex Ægypto per Mosen evocantur Hebræi; *secundo*, vocationi credunt, et statim crudelissime flagellantur; *tertio*, paulo post admirandis portentis liberat et educit eos Deus. Refert Æneas Silvius in *Histor Bohem.* Capnionis hoc fuisse dictum : « Quando duplicabantur lateres, tunc venit liberator Moses, » quo significabat, Dei auxilium præsto esse, cum res adversæ ingruunt. Eadem Ecclesiæ totius Christianæ fuit ratio et progressio; eadem est et vocationis cujusque, ut qui in secundo versatur gradu, de vocatione sua non dubitet, sed sciat potius se recto ordine a Deo statuto progredi, tertiumque certissimo exspectet. Ita S. Gregorius, XXIX *Moral.* cap. XIV. « Cum lux, inquit, divina cor humanum illustrat, mox a diabolo consurgunt tentamenta, ut plus tentationibus se urgeri sentiant, quam dum lucis internæ radios non videbant. » Et Origines hic *homil.* 3 : « Nisi buccinet, inquit, tuba verbi Dei, non committitur bellum; ubi vero signum belli tuba prædicationis insonuit, ibi omnis tribulationum pugna consurgit. Hinc quotidianis discimus experimentis, ait S. Bernardus, eos qui converti deliberant, tentari acrius a concupiscentia carnis; et urgeri gravius in operibus luti, qui Pharaonis imperium effugere moliuntur. » Ita ipse *De Conversione ad cleric.* cap. XVIII.

Typus et ordo vocationum Dei.

Qui converti cupiunt, gravius tentantur. Unde?

Cassianus quoque, *Collat.* XXI, cap. XXVIII, tradit seniores Patres in eremo explorate observasse, in diebus quadragesimæ, quibus solent homines ad meliora, et monachi ad perfectiora converti, tunc solito acrius et molestius infestari a dæmonibus monachos, et incitari ad egrediendum e monasteriis, deserendamque solitudinem.

In Quadragesima monachi gravius tentantur. Cur?

Nota *secundo* : Vult Deus in beneficiis ab ipso promissis, paratos nos esse ad tentationes : ideoque cum magnam cuipiam spem dat, mox eum tentat per illa quæ videntur afferre desperationem, et videtur spem quam dedit demoliri velle, aut dubiam et incertam facere. Ita Deus Abrahæ per Isaac promisit prolem numerosissimam, et mox jussit ipsum Isaac sibi immolari. Ita jussit Hebræos pugnare cum Benjaminitis, et mox permisit eos ab illis secundo cædi, *Judic.* cap. XX. Sic Mosi hic et Hebræis promisit liberationem a Pharaone, et mox permisit eos ab eodem gravius affligi.

Deus cum dat spem, mox tentat per desperationem.

Vers. 20. 20. OCCURRERUNTQUE MOYSI ET AARON, QUI STABANT EX ADVERSO, EGREDIENTES A PHARAONE. — Tò *egredientes*, non ad Mosen et Aaronem, sed ad *occurrerunt* referendum est, et ad præfectos Hebræorum, quos Pharaonem adeuntes et ab eo revertentes, certo loco exspectabat Moses, avidus scire quid responsi tulissent. Hoc et noster Interpres satis insinuat, cum ait Mosen et Aaronem stetisse; egredientes enim stare in rigore est im-

possibile. Sensus ergo est, præfecti Hebræorum post suam querelam egredientes a Pharaone, occurrerunt Mosi et Aaron, qui stabant ex adverso, ut totam rem spectarent et cognoscerent.

Vers. 21. 21. VIDEAT DOMINUS ET JUDICET. — Hebraice additur : *Super vos*, id est, vindictam sumat de vobis. Ita Chaldæus. Hebræi enim sæpe per metonymiam, judicium sumunt pro termino et fine judicii, ut judicare idem sit quod vindicare, et judicium idem sit quod vindicta. En infirmam ingratamque populi fidem : Mosen et Aaronem, quos paulo ante liberatores crediderat, jam homicidas calumniatur.

FOETERE FECISTIS ODOREM NOSTRUM CORAM PHARAONE, — invisos et abominabiles nos fecistis Pharaoni : est metaphora. Eadem phrasis est *Genesis* XXXIV, 30, in Hebræo ; II *Cor.* II, 15 : « Christi, inquit, bonus odor sumus, » quia videlicet bonam Christi et christianismi famam spargimus, ut homines bene de nobis deque Christo sentiant et loquantur. « Habent enim mores suos colores, habent et odores ; colorem in conscientia, odorem in fama, » inquit S. Bernardus, serm. 71 *in Cantica*.

Mores habent odorem in fama, colorem in conscientia.

ET PRÆBUISTIS EI. GLADIUM UT OCCIDERET NOS. — Occasionem ei dedistis, ut nos oneribus opprimeret, cum eum furentem in nos concitastis. Ubi nota : Gladius in Scriptura vocatur omne quod pungit, percutit, torquet aut cruciat, inquit S. Hieronymus in *Isaiæ* LXVI. Hinc *Amos* IX, 10, dicitur : « In gladio morientur omnes peccatores populi mei. » Et *Psalm.* VII, vers. 13 : « Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit. »

Gladius in Scriptura est omne quod cruciat.

Disce hoc capite quam dura fuerit servitus Hebræorum in Ægypto, ac consequenter quantum beneficium eis fecerit Deus, cum eos inde eduxit ; quod proinde passim eis inculcat, ut grati sint Deo, eumque ament et colant : « Ego, inquit, Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægyptiorum, ne serviretis eis, et qui confregi catenas cervicum vestrarum, ut incederetis erecti, » *Levit.* XXVI, 13. Est enim servitus mors quædam, puta amissio vitæ civilis, scilicet libertatis : hinc pro ea pugnant gentes, maluntque mori quam servire. Philippus rex irrumpens in agrum Spartanum, dixit cuidam Spartano : Quid nunc facietis, Lacones ? respondit eis : « Quid aliud, quam moriemur fortiter ? soli enim Græcorum nos liberi esse, et non obedire aliis didicimus. »

Post cladem duce Agide acceptam, cum Antipater obsidum loco posceret 50 pueros : Eteocles tum Ephorus se eos daturum negavit, ne male educarentur, et ab institutis patriæ desciscentes civitati incommodi fierent : senum autem aut mulierum duplum, si vellet, numerum obtulit. Cumque Antipater atrocia minaretur, nisi darentur, publico nomine respondit : « Si difficiliora morte imperas, facilius nobis erit mori. » Hinc Laco interrogatus quid sciret, ait : « Scio liber esse : » ita Plutarchus in *Lacon.*

22. REVERSUSQUE EST MOYSES AD DOMINUM. — Septuaginta vertunt, *conversus est ad Dominum* ; quia enim Moses præfectos Hebræorum dure a Pharaone exceptos, afflictos et passione nimia agitatos, ideoque correptionis incapaces vidit, hinc tacuit, et in secretum suum sese recepit, atque ad Deum unicum in arctis præsidium, suo more se orando convertit. Hinc prudenter S. Basilius, serm. *De Gratiis Deo agendis*, modum consolandi afflictos præscribit, dicens : « Eum quem consolari cupis, prius parumper queri sinas. Deinde dolore paululum per lacrymas ejulatumque sedato, tunc leniter et humaniter castigabis, itaque ad patientiam et animi tranquillitatem sensim revocabis. Nam et equorum domitores equos fræno minime audientes, non statim habenis compescunt, aut calcaribus impellunt : sic enim sessores exagitare et excutere discunt ; sed eis obtemperando ab initio, ac minime resistendo, postquam iram et impetum paulatim consumptum deficere viderint, tunc arte quadam obtemperantes et ad omnia dociles reddunt. »

Vers. 22.

Modus consolandi afflictos.

Rursum vide hic quam Mosis patientia et constantia invicta vicerit Hebræorum murmura, eosque sibi obsequentes reddiderit. Audiant fideles monitum S. Augustini, sermone 18 *De Verbis Domini* : « Cum quisque, inquit, Christianus cœperit bene vivere, fervere bonis operibus, mundumque contemnere ; in ipsa novitate operum suorum patitur reprehensores et contradictores frigidos Christianos. Si autem perseveraverit, et eos superaverit perdurando, et non defecerit a bonis operibus, iidem ipsi nobis obsequentur, qui ante prohibebant. »

DOMINE, CUR AFFLIXISTI POPULUM ISTUM. — Cur ei occasionem afflictionis dedisti, mittendo me ad Pharaonem, nec tamen ab eo liberando populum, sed potius permittendo eum gravius onerari ?

QUARE MISISTI ME ? — Calvinus Mosen hic graviter culpat, quasi ab officio desciverit, et amarulento tædio missionem et absolutionem ab officio petierit. Durus utique criticus : mitior censor est S. Augustinus, *Quæst.* XIV, dum ait : « Hæc non contumaciæ verba sunt vel indignationis, sed inquisitionis et orationis. » Idque ita esse patet ex responso Domini, qui non arguit infidelitatem Mosis, sed eum quid facere oporteat, instruit. Sciebat Moses jam ante a Deo doctus, Pharaonem obduraturum cor, neque dimissurum populum ; tamen de hac afflictione populi nihil a Deo cognoverat, sperabatque Pharaonem monitum, licet non dimitteret populum, mitius tamen cum eo acturum ; contra vero jam accidisse videt, unde pie cum Deo expostulat.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Deus animat Mosen, eique revelat nomen suum Jehova. *Secundo, vers.* 14, *recensetur genealogia Ruben, Simeon, et Levi usque ad Mosen et Aaron.*

1. Dixitque Dominus ad Moysen : Nunc videbis quæ facturus sim Pharaoni; per manum enim fortem dimittet eos, et in manu robusta ejiciet illos de terra sua. 2. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Ego Dominus 3. qui apparui Abraham, Isaac et Jacob, in Deo omnipotente; et nomen meum Adonai non indicavi eis. 4. Pepigique fœdus cum eis, ut darem eis terram Chanaan, terram peregrinationis eorum, in qua fuerunt advenæ. 5. Ego audivi gemitum filiorum Israel, quo Ægyptii oppresserunt eos; et recordatus sum pacti mei. 6. Ideo dic filiis Israel : Ego Dominus, qui educam vos de ergastulo Ægyptiorum et eruam de servitute : ac redimam in brachio excelso, et judiciis magnis. 7. Et assumam vos mihi in populum, et ero vester Deus; et scietis quod ego sum Dominus Deus vester, qui eduxerim vos de ergastulo Ægyptiorum, 8. et induxerim in terram super quam levavi manum meam ut darem eam Abraham, Isaac, et Jacob : daboque illam vobis possidendam, ego Dominus. 9. Narravit ergo Moyses omnia filiis Israel, qui non acquieverunt ei propter angustiam spiritus, et opus durissimum. 10. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : 11. Ingredere, et loquere ad Pharaonem regem Ægypti, ut dimittat filios Israel de terra sua. 12. Respondit Moyses coram Domino : Ecce filii Israel non audiunt me : et quomodo audiet Pharao, præsertim cum incircumcisus sim labiis? 13. Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, et dedit mandatum ad filios Israel, et ad Pharaonem regem Ægypti, ut educerent filios Israel de terra Ægypti. 14. Isti sunt principes domorum per familias suas. Filii Ruben primogeniti Israelis : Henoch et Phallu, Hesron et Charmi : 15. hæ cognationes Ruben. Filii Simeon : Jamuel, et Jamin, et Ahod, et Jachin, et Soar, et Saul filius Chananitidis : hæ progenies Simeon. 16. Et hæc nomina filiorum Levi per cognationes suas : Gerson et Caath et Merari; anni autem vitæ Levi fuerunt centum triginta septem. 17. Filii Gerson : Lobni, et Semei per cognationes suas. 18. Filii Caath : Amram, et Isaar, et Hebron, et Oziel; anni quoque vitæ Caath, centum triginta tres. 19. Filii Merari : Moholi et Musi. Hæ cognationes Levi per familias suas. 20. Accepit autem Amram uxorem Jochabed patruelem suam, quæ peperit ei Aaron et Moysen. Fueruntque anni vitæ Amram, centum triginta septem. 21. Filii quoque Isaar : Core, et Nepheg, et Zechri. 22. Filii quoque Oziel : Misael, et Elisaphan, et Sethri. 23. Accepit autem Aaron uxorem Elisabeth, filiam Aminadab, sororem Nahason, quæ peperit ei Nadab, et Abiu, et Eleazar, et Ithamar. 24. Filii quoque Core : Aser, et Elcana, et Abiasaph. Hæ sunt cognationes Coritarum. 25. At vero Eleazar filius Aaron accepit uxorem de filiabus Phutiel : quæ peperit ei Phinees. Hi sunt principes familiarum leviticarum per cognationes suas. 26. Iste est Aaron et Moyses, quibus præcepit Dominus ut educeret filios Israel de terra Ægypti per turmas suas. 27. Hi sunt, qui loquuntur ad Pharaonem regem Ægypti, ut educant filios Israel de Ægypto : iste est Moyses et Aaron, 28. in die qua locutus est Dominus ad Moysen, in terra Ægypti. 29. Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Ego Dominus; loquere ad Pharaonem regem Ægypti, omnia quæ ego loquor tibi. 30. Et ait Moyses coram Domino : En incircumcisus labiis sum, quomodo audiet me Pharao?

Vers. 1. Deus locutus est Mosi hic vel per angelum, vel potius per internam inspirationem.

1. DIXITQUE DOMINUS AD MOYSEN, — orantem et invocantem Deum, ut patet cap. præced., vers. 22: dixit, inquam, vel per angelum visibili specie apparentem, et sonora voce loquentem : familiariter enim agebat Deus cum Mose, ut patet *Num.* XII; vel per occultam et internam inspirationem, uti prophetis loqui et respondere solet. Idque verius videtur, tum quia nulla species, forma, aut symbolum Dei hic exprimitur, uti fit capite III, vers. 2, et cap. IV, vers. 24; tum quia non est credibile Deum hic toties, puta in singulis plagis, visibiliter apparuisse Mosi; tum quia Deus hic respondit Mosi, eo modo quod Moses dicitur adiisse et consuluisse Dominum, cap. præced., vers. 22. Moses autem non adiit Dominum visibiliter apparentem, sed vel in cubiculo et oratorio suo Deum spiritaliter adiit et consuluit.

NUNC VIDEBIS. — *q. d.* Non morabor, en accingo me ad opus, ut liberem vos a Pharaone.

QUÆ FACTURUS SUM PHARAONI, — quæ mala, quas plagas ei illaturus; hinc ipse « in manu robusta, » id est, per manum robustam Dei coactus, « ejiciet, » non tantum dimittet, sed exire compellet Hebræos, idque festinato, ut a se manum Dei vindicem amoliatur.

Vers. 2 et 3.

2 et 3. EGO DOMINUS QUI APPARUI ABRAHAM, ISAAC ET JACOB IN DEO OMNIPOTENTE. — Hebraice est באל שדי *beel saddai*, id est *in Deo robusto et largo*, sive *liberali*, jam « in Deo, » est instar Dei, vel tanquam Deus liberalis; *bet* enim Hebræi sæpe sumunt pro affini *caph*, quod est nota similitudinis.

Deus dicitur *Saddai*, id est primo, abundans; secundo, vastans.

Nota: *Saddai* significat Deum quasi mammeum, qui omnem sufficientiam et abundantiam quasi omnipotens tribuat, uti fuse dixi *Gen.* XVII 1. Quibus adde *Saddai, secundo*, posse derivari a שדד *scadad*, id est prædari, ut Deus dicatur *Saddai*, id est prædans et vastans quodcumque ei libuerit, quo alludit Isaias, cap. XIII, vers. 6, cum ait : « Quasi vastitas ab omnipotente (hebraice quasi שוד *scod a Saddai*, id est, quasi vastitas a Deo vastante) veniet; » et *Job* cap. XXIII, vers. 16, cum ait in Hebræo, *Saddai conturbavit me*. Jam sensus hujus loci est, *q. d.* Ego Deus cum patribus vestris, puta Abraham, Isaac et Jacob, egi, et conversatus sum tanquam Deus *saddai*, id est, omnipotentem et munificum me eis exhibui, ostendi eis mihi abunde esse divitiarum ut illos ditarem : abstuli enim opes Chananæis, Geraritis, Sodomitis, Labano, Esau et aliis, easque dedi Abrahæ, Isaac et Jacobo, uti patet ex *Genes.*

Decem nomina Dei.

Notat S. Hieronymus, epist. 136 *ad Marcellam*, apud Hebræos decem esse nomina Dei. *Primum* est אל *el*, id est fortis, ut vertit Aquila. *Secundum* est אלוהּ *Eloha*, quod Deum qua providentem, gubernantem, judicantem et vindicantem significat, ut dixi *Gen.* I, 1. *Tertium* est אלוהים *Elohim*, quod est plurale nominis *Eloha*. *Quartum* est צבאות *Sabaoth*, id est exercituum vel copiarum, ut vertit Aquila : hoc non est nomen, sed cognomen Dei; unde semper cum alio Dei nomine conjungitur : dicitur enim אדוני צבאות *Adonai sabaoth*, id est, Dominus virtutum vel exercituum. *Quintum* est עליון *Elion*, id est excelsus, *Gen.* XIV, 22. Triplicem porro celsitudinem ac sublimitatem veneramur in Deo : *primam* entis, quia Deus est primum et summum ens; *secundam* causalitatis, quia Deus est prima causa, a qua omnes cæteræ causæ dependent; *tertiam* perfectionis, quia Deus est summa et infinita perfectio. *Sextum* nomen est אהיה אשר אהיה *eie azer eie*, id est sum qui sum, vel qui est. Unde *Exodi* III, dicitur : « Qui est, misit me. » *Septimum* est, אדוני *Adonai*, id est Dominus. *Octavum* est יה *ja*, quod est abbreviatum *Jehova*, sonatque in Halleluia. *Halleluia* enim est compositum ex *hallelu*, id est laudate, et *ia*, id est Deum. *Nonum* est שדי *Saddai*, id est munificus, liberalis, omnipotens. *Decimum* est tetragrammaton et ineffabile, quod vulgo *Jehova* pronuntiant.

Celsitudo triplex in Deo, prima entis, secunda causalitatis, tertia perfectionis.

Mystice, Deus *Saddai* apparet Sanctis, quos facit sua sorte, etiam misera esse contentos, quosque sua gratia et donis spiritualibus cumulat, ac præsertim quos facit esse liberales in alios. S. Ægidius, socius S. Francisci, rogatus quis esset beatus, respondit : « Qui amat et non desiderat amari : qui servit, et serviri sibi non cupit : qui se bene erga alios gerit, non tamen eo fine, ut se erga illum vicissim bene gerant. » Hic enim imitatur Deum *Saddai*, de quo ait Psaltes, *Psalm.* XV, 2 : « Dixi Domino : Deus meus est tu, quoniam bonorum meorum non eges. » Deus enim omnibus se suaque communicat, et a nemine quidquam recipit, vel exspectat.

ET NOMEN MEUM ADONAI NON INDICAVI EIS. — In Hebræo non est *Adonai*, sed nomen tetragrammaton יהוה, constans quatuor litteris, scilicet, *jod, he, vau* et *he*. Quod quia est ineffabile, hinc Interpres more veterum pro eo substituit nomen *Adonai*; nam alioqui Deus in Genesi patriarchis revelavit nomen *Adonai*, et se vocat *Adonai*. Obiter hic nota, *Adonai* esse trisyllabum, non quadrisyllabum; ultima enim est dipthongus *ai*, ac proinde hoc nomen sic pronuntiandum est *A, do, nai*, non autem *A, do, na, i*.

Quæstio I. Cur nomen tetragrammaton.

Quæritur hic *primo* (1), cur nomen tetragrammaton a veteribus et S. Hieronymo vocetur ἀνεκφώνητον, id est *ineffabile*, a Theodoreto ἄφραστον, id est *indicibile*, et a Damasceno ἄῤῥητον, id est *inelo-*

(1) De tetragrammato Dei nomine יהוה, ejusque vocalibus et pronunciatione, vid. Relandi *Decas Exercitationum philologicarum de vera pronunciatione nominis Jehovah*, etc. Traj. ad Rhen. 1707; Steph. Soucieti. *Recueil de dissertations critiques sur des endroits difficiles de l'Ecriture Sainte*, Paris, 1715, pag. 232 (cujus non contemnenda sententia, יהוה esse futurum nominascens veteris verbi הוה, non diversi ab היה, simile formæ יהוא *erit*, ab eodem illo verbo, *Eccle.* VI, 3; sub ultima vero syllaba adscivisse *cametz*, ut nominis terminationem); Drach, *De l'Harmonie entre l'Eglise et la Synagogue*, tom. I, pag. 298 seqq.

Ton vocetur ineffabile ? *quibile.* Putant aliqui, hoc nomen vere fuisse ineffabile, eo quod solis quatuor consonantibus constet, careatque vocalibus, sine quibus litteras consonantes pronuntiare et effari non possumus. Verum hoc est improbabile; nam Deus hic nomen hoc suum pronuntiavit, cum illud revelavit, et effatus est coram Mose. Rursum Moses illud ipsum effatus est coram Israelitis, et coram Pharaone, ipseque Pharao sæpius hoc nomen a Mose prolatum, respondendo repetiit. Denique frustra hoc nomen quatuor litteris distingueretur, nisi illæ sua tacita haberent puncta, sive vocales, ut iis legi, efferri, pronuntiari posset, perinde ut fit in aliis nominibus Dei, hominum et angelorum.

Nomen tetragrammaton fuit ineffabile non reipsa, sed sui majestate et reverentia. Dico ergo hoc nomen dici ineffabile, eo quod ab Hebræis haberetur sacratissimum et summe venerabile, tanquam nomen Dei primarium, proprium et essentiale, quod esset fundamentum et radix aliorum omnium nominum Dei, eo quod hoc nomen significat ipsam immensam essentiam et majestatem Dei incomprehensibilem et ineffabilem, a qua cætera omnia promanant. Qua de causa et Plato, teste Eusebio, lib. XI *De Præparat.* cap. VIII, dixit nomen Dei non esse effabile. Deus enim, ait Plato, est ἀσώματος, καὶ ἄῤῥητος, καὶ ἀνωνύματος, id est *incorporeus, indicibilis et innominabilis.* Rursum Plato in *Parmenide* : « Deo, ait, nullum inditum est nomen, Deus non potest definiri, non scientia capi, non in sensus nostros incurrere, nulla de eo haberi opinio; quocirca neque nominari, neque dici, neque cognitione comprehendi, neque cognosci, neque ab ullo ente sentiri potest. » Et S. Dionysius : « Deus, ait, est omni sermone ineffabile, super omne verbum, bonum. »

Philosophorum variæ de Deo sententiæ. Hinc tot fuerunt Philosophorum de Deo sententiæ et errores. Anaximander stellas et astra deos esse putavit. Anaximenes Deum putavit esse infinitum aerem. Democritus : Deus, ait, est mens ignea et mundi anima. Prodicus quatuor elementa deos statuit. Diogenes Apolloniates : Deus, ait, est aer compos divinæ rationis. Chrysippus censuit Deum esse fatum sive necessitatem divinam. Parmenides putavit Deum esse coronam, sive orbem qui cingit cœlum. Xenophanes : Omne, inquit, infinitum mente præditum, Deus est. Straton naturam dixit esse Deum. Epicurus ex atomis deos suos constituit, eosque corporeos et humanæ figuræ. Heraclides terram et cœlum deos esse dixit. M. Varro mundum censuit esse Deum. Plinius vel solem, vel nullum putavit esse Deum. Heraclitus deos ex igne esse credidit : unde Anaxagoram, quod solem dixisset esse lapidem ignitum, morte mulctarunt Athenienses. Cleanthes æthera posuit esse summum Deum. Denique hac de causa, inquit Pierius, *hierogl.* 17, ciconia Dei est hieroglyphicum; ciconia enim lingua carens significat Deum omnia tacito perficere silentio, nec debere nos super eo loqui, quem nulla humani ingenii vis sat queat admirari. Eadem est ratio, cur Deus per crocodilum fuerit adumbratus, inquit idem *hierogl.* 29. Vere ergo meritoque Chrysostomus, hom. 28 *in Matthæum* : « Sicut, inquit, qui innavigabilem Oceanum navigare usurpat, dum non potest eum transire, necesse est per eamdem viam redeat, ubi ingressus est : sic antiqui Philosophi de Dei natura quærere contendentes, victi sunt ingenio, defecerunt sermone, in ultimo nihil se amplius invenire potuisse confessi sunt, nisi quod Deus sit incognoscibilis. »

Hinc ergò factum est ut Hebræi religionis et reverentiæ causa nomen Dei effari et pronuntiare non auderent; excipe sacerdotes sive pontifices, qui in sacris, puta in sacrificiis, et in solemni benedictione populi, et maxime in ingressu in Sancta sanctorum, illud pronuntiabant, ait Philo, lib. *De Vita Mosis.* Unde et Josephus ait sibi hoc nomen eloqui, nec jus, nec fas esse. Cum ergo in Scriptura legentibus hoc nomen occurreret, Hebræi pro illo legebant *Adonai,* vel, si cum *Adonai* concurreret, pro eo legebant *Elohim.* Hinc factum est ut Massoretæ, qui Bibliis Hebraicis puncta, sive vocales subjecerunt, nomini tetragrammato יהוה subjecerunt puncta aliena nominis Adonai (uti quatuor rationibus demonstrat Bellarminus in exercitatione grammatica, *Psalm.* XXXIII, ad vers. 1), scilicet *sceva* (quod in nomine *Adonai* est compositum cum *patach,* ob gutturalem aleph), *cholem* et *camets,* ut indicarent ex reverentia non tetragrammaton, sed *Adonai* legendum et pronuntiandum esse, quem morem suorum temporum secuti sunt, non tantun Septuaginta vertentes κύριος, et noster Interpres, æque ac Origenes in suis tetraplis et hexaplis, pro tetragrammato substituens hic nomen *Adonai*; sed et Christus et Apostoli, qui quoties citant Scripturam Hebræam, in qua habetur nomen tetragrammaton, pro eo nomen « Dominus » substituunt. Unde factum est ut Judæi ignorent quomodo illud nomen pronuntiandum sit, sive quomodo illud pronuntiarint Deus, Moses et sacerdotes, traduntque ultimum sacerdotem, qui hoc nomen Dei pronuntiavit, fuisse Simeonem justum, qui Christum in templo in ulnas accepit, postea a nemine hoc nomen pronuntiatum esse, seque ignorare quomodo pronuntiari debeat; sed cum venerit Messias, ab eo edocendos esse veram illius pronuntiationem. Ita ipsi. Ob hanc ejus nominis reverentiam et religionem summus pontifex illud in tiara sua, in lamina aurea insculptum gestabat, quod Alexander Magnus occurrens Jaddo pontifici, procumbens humi reverenter adoravit, teste Josepho. Hinc etiam Lucanus agens de Deo Hebræorum, ait : « Incerti Judæa Dei, » quod scilicet Deum incognitum coleret, cujus nomen nesciret.

Pro tetragrammato legebant Adonai vel Elohim.

Puncta nominis tetragrammati sunt puncta nominis *Adonai.*

Nomen tetragrammaton gestabat pontifex in tiara.

Vide hic quanta Hebræis olim fuerit reverentia nominis divini, quod multi Christiani per juramenta temeraria passim nominando profanant; quin et moderni Judæi nunquam audent expresse

jurare per nomen tetragrammaton, sed hac formula per illud jurant, idque raro et nonnisi adacti : *Juro per jod, he, vau, et jod* (quæ sunt 4 litteræ nominis tetragrammati), quod juramentum apud eos summum et sacratissimum habetur : sic Gentilibus non licebat nomen falsi sui Dei, Demogorgonis, nominare ; quod si quis fecisset, numen, vel potius dæmon, se offensum, per terræ tremorem ostendebat, uti testatur Lucanus, lib. VI, et Bocacius, lib. I *De Genealogia Deorum*, cap. II.

Formula jurandi Judæorum moderno-rum.

Quæstio II. Quomodo pronuntiandum sit nomen tetragrammaton?

Quæritur *secundo*, quomodo hoc nomen pronuntiari debeat, sive quæ illi vocales substituendæ sint?

Prima sentent.

Secunda.

Tertia.

Græci quidam, inquit S. Hieronymus *ad Marcellam*, in Græcis libris hoc nomen Hebræum legentes, juxta Græcas litteras, quibus hæ quatuor hebrææ litteræ similes sunt, *pipi* legerunt. *Secundo*, S. Justinus, *Contra Triphonem*, fol. 58, pro nomine tetragrammato nomen Jesus legit et intelligit. *Tertio*, Isidorus hoc nomen pronuntiat *Jodiod*. Ait enim hoc nomen confici ex duplici littera *jod*. Verum hi omnes a litteris Hebraicis nominis tetragrammati vel abeunt, vel aberrant.

Quarta.

Quarto, Irenæus illud effert *Jaoth*, quod, inquit ipse, significat præfinitam mensuram; vel, si per omicron scribatur, eum qui dat fugam malorum. Sic et gentiles hoc nomen pronuntiasse videntur. Unde Diodorus Siculus, lib. III, ait Mosen legem accepisse a Deo *Jao*; et Apollo Clarius rogatus quis esset Deus *Jao* ? respondit :

Summum cunctorum divum tu dicito JAO.

Quinta.

Testis est Macrobius, lib. I *Saturnalium*, cap. XVIII. *Quinto*, Theodoretus hic, *Quæst.* XV : Nomen tetragrammaton, inquit, a Samaritis vocatur *Jave*,

Sexta.

ab Hebræis *Ja*. *Sexto*, recentiores aliqui a centum annis, hoc nomen juxta puncta ei a Massoretis subjecta, pronuntiant *Jehova*. Verum hæc puncta, ut superius dixi, non sunt puncta nominis tetragrammati, sed nominis Adonai : unde et ipsi Massoretæ, omnesque Hebræi pro nomine tetragrammato legunt *Adonai*. Errant ergo qui a *Jehova* sive *Jova* (per crasin) Jovem summum Gentilium Deum deducunt : hic enim Latinum habet nomen non Hebræum, et a juvando dicitur. Erravit et Varro, qui teste S. Augustino, lib. I *De Consensu Evang.*, cap. XXII, putavit Judæos coluisse Jovem Deum Romanorum; putavit autem id Varro, non quod ab Hebræis audisset Deum appellari Jehova, vel Jovem; sed quia censuit a Judæis coli summum Deum, quem ipse non alium esse putabat, quam Jovem.

Jehova alius est a Jove.

Septima et vera, pronuntiandum esse *Jeheve*.

Dico ergo, verisimillimum est hoc nomen pronuntiandum esse *iive* vel *ieheve*, id est *est* vel *erit*. Probatur, quia hoc nomen est idem cum eo quod Deus sibi imposuit, cap. III, vers. 14, dicens : « Sic dices filiis Israel : Qui est misit me ad vos; » atqui, « qui est » hebraice dicitur *iie* sive *iive*, vel *ieheve* : ergo illud idem est nomen tetragrammaton; non enim est credibile, Deum sibi duo hic dedisse nomina, sed unum tantum, ac proinde illud, « qui est, » sibi inditum cap. III, hic repetere, ut Mosen animet, utque eum doceat illud præferre legationi suæ ad Pharaonem, et ad Hebræos. Ita censent Bellarminus supra, Genebrardus Præfatione *in psalmos*, et Pererius hic, idque magis patebit ex quæstione sequenti. Noster tamen Alcazar in *Apocal.* cap. I, vers. 4, multis contendit *Jehova* esse conflatum ex quatuor litteris, quarum singulæ integram dictionem significant. *Jehova* ergo idem est, ait, quod יהיה הויה *iihie, hoie, vehaia*, id est, « qui erit, qui est, qui fuit. » Unde *Jehova* idem est cum eo quod dicit Joannes, *Apoc.* I, 4 : « Qui est, et qui erat, et qui venturus est, » ideoque vocatur hoc nomen tetragrammaton et ineffabile : quia singulæ ejus litteræ non possunt effari integram dictionem, quam repræsentant. Verum hoc etymon non litterale est, uti ipse contendit, sed symbolicum, aut potius cabalisticum, de quo plura *Apoc.* I, 4.

A nomine *Jehova* detractum esse nomen Jovis, censent Marinus in *Dictionario*, Masius in epistola *ad Ariam Montanum*, ipsius Ariæ Psalmis præfixa, et Marianus Victorius in scholiis ad S. Hieronymum, *epist.* 136. Verum ab hac conjectura abhorret S. Augustinus, lib. VI *De Civit.* cap. VI, et lib. VII, cap. V, et Galatinus lib. II, cap. X.

Notandum tamen, nomen *Jeheva* non tam esse verbum, quam nomen a verbo deductum : est enim *Jehova* nomen proprium Dei; sicut ergo passim in aliis nominibus a verbo, puta a tertia futuri, formatur nomen significans qualis sit, sive qualis sit futurus ille, cui hoc nomen inditur, ut Jacob significat supplantatorem, eumque qui supplantabit Esau; Israel significat dominantem, eumque qui dominabitur Deo, Isaac significat ridentem, eumque qui ridere faciet parentes : ita et *Jeheva* est nomen, habens eamdem terminationem cum futuro cal, verbi היה *haia*, significatque *ens*, *eumque qui est et erit*. Est enim littera *jod*, prima in nomine *Jeheva*, heemantica, sive formativa nominis, uti est in nominibus jam dictis aliisque pluribus : licet enim idem *jod* sit littera *etan*, sive characteristica verbi in futuro, tamen in nominibus est heemantica, id est formativa nominis, adeoque futurum verbi transfert in nomen.

Potius dicendum *Jeheva* quam *Jeheve*, cur?

Idipsum confirmatur ex eo quod nomen vel verbum *Jeheva*, præcise non cap. III, vers. 14, sed hoc capite reperiatur in Hebræo. Nam cap. III, vers. 14, ubi nos habemus, *qui est misit me*, hebraice non est *Jeheva*, sed אהיה *eie*, id est *sum*, *q. d.* Cujus nomen est « Sum qui sum, » hic misit me. Hinc rursum sequitur potius dicendum esse *Jeheva*, quam *Jeheve* : sic enim nomen distingui solet a futuro verbi punctum *camets*, ut patet in nomine *Israel*, quod distinguitur a futuro ישרה *iisre*, id est dominabitur, per *camets* : nomina enim non in *segol*, sed in *camets* terminari solent.

Quæstio III. Quid significet *Jeheva?*

Quæritur *tertio*, quid significet nomen tetragrammaton?

Oleaster illud deducit a radice הוה *hava*, id est conterere, unde הוות *hova* est contritio, quasi *Jehova*, idem sit quod contritor, scilicet Pharaonis et Ægyptiorum. Hæc allusio nominis est, sed non origo : ad hoc enim etymon alludit Moses cap. XV, vers. 3, cum ait : « Dominus (hebraice est nomen tetragrammaton *Jeheva*) quasi vir pugnator; omnipotens nomen ejus. »

Jeheva significat *qui est*, idque varie.

Alii vero passim recte et genuine hoc nomen deducunt a radice היה *haia*, id est *est*, vel *fuit*, ut *Jeheva* sit idem quod *qui est*, sed vario sensu.

Primo.

Primo, R. Salomon, Lipomanus et Vatablus sic exponunt, *qui est*, scilicet constans, servans fidei verax in promissis, *q. d.* Ego jam sum *Jeheva*, id est, jam faciam esse quod promisi, ut nimirum vos educam ex Ægypto in Chanaan, unde sequitur : « Pepigique fœdus cum eis, ut

Secundo.

darem eis terram Chanaan. » *Secundo*, Rupertus et Burgensis sic explicant, *qui est*, scilicet terri-

Tertio.

bilis, gloriosus et miracula patrans. *Tertio*, Hieronymus Prado *in Ezech.* cap. I, pag. 47, censet nomen *Jeheva*, id est *qui est*, non significare essentiam Dei : hanc enim cognovit Abraham aliique Patriarchæ; sed operationem Dei ad extra, scilicet liberationem Hebræorum ex Ægypto, *q. d.* Ego sum qui sum, id est, qui futurus sum, scilicet redemptor Israelis, ego sum quem jam experiemini vestræ libertatis vindicem; hoc enim est quod sequitur vers. 6 : « Ego Dominus qui educam vos de ergastulo Ægyptiorum. » Similia sunt *Isaiæ* LII, 3, et *Psal.* LXVII, 5.

Quarto et genuine, *Jeheva* significat ipsam essentiam Dei immensam.

Verum dico hoc nomen tetragrammaton *Jeheva* significare essentiam Dei, ipsamque essentiæ divinæ abyssum, et pelagus immensum; hoc enim significat nomen, *qui est*, uti dixi cap. III, quod idem est cum nomine tetragrammato. *Jehova* ergo, ait Masius, idem est quod, *qui ab æterno existit, ipseque sibi essentia est, et a quo pendet rerum omnium essentia.* Sic Aristoteles lib. I *De Cœlo*, Deum vocat αἰῶνα quasi ἀεὶ ὄντα, id est semper entem et existentem; quia Deus est pelagus essentiæ, et principium omnis essentiæ, quod omnibus dat esse. Et Trismegistus : « Deus, inquit, unus nomine non eget, est enim ὁ ὢν ἀνώνυμος, » id est, ens sine nomine.

Notat Vilalpando in cap. XXVIII *Ezech.*, nomen *Jehova* vel *Jeheva* significare essentiam Dei in se, sive ad intra, sicut *Adonai* significat eamdem ratione operum ad extra : hac de causa utrumque hoc nomen conjungere solent Prophetæ, dicentes : « Hæc dicit Dominus Deus; » hebraice *Adonai Jeheva*. *Jeheva*, id est Deus, scilicet Dei in se majestas; *Adonai*, id est Dominus ac sustentator omnium quæ creavit.

An *Jeheva* significet essentiam Dei sicuti est in se? Affirmat Scotus. Negat melius D. Thomas.

Rogabis an nomen tetragrammaton significet essentiam Dei, sicuti est in se? Scotus et Gabriel in I *Sent.*, dist. 22, censent quod homines, præsertim docti et acuti, possint cognoscere Deum in se sicuti est, ac consequenter possint eidem imponere nomen significans eum sicuti est, ac tale esse nomen tetragrammaton, quod proinde proprium, essentiale et adæquatum sit Deo. Verum melius D. Thomas, I *part.*, *Quæst.* XIII, censet homini in hac vita impossibile, Deum in se cognoscere et nominare. Ratio est : *Primo*, quia in hac vita nemo potest Deum cognoscere intuitive; ergo nemo potest eum cognoscere in se sicuti est, plene et perfecte. *Secundo*, etiamsi quis cognosceret Deum in se sicuti est; hoc ipsum tamen tantum cognosceret in ipso Deo, videndo et intuendo eum : nomen autem quod eidem inderet esset extra Deum Deique essentiam, qui nullo creato signo cerni, nominari, significari et cognosci potest sicuti est in se. Verum tamen est, quod inter omnia nomina Dei quæ habemus, nullum tam proprium, tamque substantiale ei sit quam *Ens*, sive *Jeheva*, id est, *qui est*, uti docet Damascenus, lib. I *De Fide*, cap. XII, et D. Thomas I *part.*, *Quæst.* XIII, ac S. Dionysius lib. *De Divin. nom.* cap. I.

Prob. Primo. Secundo. Deo nullum nomen tam proprium quam *Jeheva*.

Quæritur *quarto*, quis sit sensus hujus loci : « Ego Dominus qui apparui Abraham, Isaac et Jacob in Deo omnipotente, et nomen meum Adonai non indicavi eis? »

Quæstio IV. Quomodo nomen *Jeheva* primo Mosi indicarit Deus. Prima sententia.

Primo, Beda legit interrogative, *non indicavi eis? q. d.* Omnino indicavi eis hoc meum nomen; sed hoc dissentit a communi lectione omnium codicum Hebræorum, Græcorum et Latinorum, qui carent nota interrogationis, et assertive hæc legunt, quod scilicet asserat Deus, se non indicasse eis hoc suum nomen.

Secunda.

Secundo, alii sic explicant, « non indicavi eis nomen meum Adonai, » id est Dominus, *q. d.* Non ostendi eis plenum et altissimum meum in res omnes dominium, quo possum res omnes ad libitum vertere et convertere per miracula et prodigia, in res alias quascumque voluero; hoc autem jam per te, o Moses, ostendam in plagis quas inferam Ægypto. Verum hi errant : *Primo*, in nomine Adonai, id est Dominus; hebraice enim non est Adonai, sed nomen tetragrammaton Jeheva. *Secundo*, quia hoc suum dominium Deus ante Mosen, patribus satis ostendit in diluvio, in eversione Sodomæ; in dispersione Babel.

Tertia.

Tertio, R. Salomon, Vatablus et Lipomanus hunc dant sensum : Patribus non indicavi nomen meum tetragrammaton, *Jeheva*, id est, Sum qui sum, puta sum constans et verax in promissis : quia patribus non exhibui mea promissa, de Chananæa eis tradenda; sed ea jam tibi, o Moses, tuisque præstabo : unde tibi ostendam reipsa me esse *Jeheva*, id est, me esse fidelem in promissis. Verum nomen tetragrammaton non significat fidelitatem, sed ipsum « esse » Dei.

Quarta.

Quarto, Rupertus et Burgensis sic explicant : « Non indicavi patribus nomen Adonai, » quantæ scilicet illud sit potentiæ et virtutis, quam terribile, quam gloriosum, quam miraculosum, et

plagarum sit operativum, uti jam indicabo et ostendam per te; o Moses, multiplicando prodigia et plagas.

Quinta. *Quinto,* Oleaster : Nomen tetragrammaton, inquit, *Jeheva,* idem est quod contritor, *q. d.* Patribus non ostendi me esse *Jeheva,* id est, contritorem Pharaonis et Ægyptiorum, hoc autem jam tibi, o Moses, ostendam.

Sexta. *Sexto,* Lyranus secutus S. Augustinum censet Mosen in raptu, *Exodi* XXXIII, vidisse Dei essentiam, tuncque revelatum et declaratum ei esse nomen tetragrammaton : hoc enim significat Dei essentiam ; sed verius est Mosen non vidisse Dei essentiam, ut dicam cap. XXXIII. Adde : illa visio posterior fuit revelatione nominis tetragrammati ; hoc enim hic, et cap. III, revelatum fuit Mosi. Moses autem, si vidit Dei essentiam, non vidit eam nisi cap. XXXIII.

Septima et genuina. Moses primo cognovit nomen *Jeheva*, simulque clarius quam Abraham divinitatem perspexit.

Dico ergo, planus et genuinus hujus loci sensus est hic : Ego Deus cognitus et cultus fui a patribus, tanquam *El saddai,* id est, Deus fortis et liberalis ; nomen vero proprium meum *Jeheva* non indicavi eis, sed illud primum tibi, o Moses, revelo, simulque cum nomine clariorem rei significatæ, puta essentiæ meæ et divinitatis, tibi cognitionem communico ; idque facio hoc fine, ut te et populum a Pharaone afflictum, in spem erigam auxilii mei jamjam affuturi ; utpote qui jam me tibi et Hebræis tam familiarem, et ex nomine proprio compellandum noscendumque exhibeam, ut sciatis vos mihi jam magis curæ et cordi esse quam ante.

Hinc patet nomen tetragrammaton, *primo,* revelatum esse Mosi. Patet *secundo,* Mosen clariorem divinitatis cognitionem hic accepisse, quam acceperint Abraham, Isaac et Jacob. Sensus ergo est, quasi diceret : Ego Deus patribus cognitus vocatusque fui *Adonai, Elohim, El Saddai,* id est Dominus, Gubernator, fortis, liberalis, omnipotens (quæ nomina significant certam aliquam formam et perfectionem instar qualitatis in Deo) ; tibi vero, o Moses, nomen meum essentiale revelo, quod significat ipsam meam substantiam in se, et essentiæ meæ quæ omnium rerum fons est et causa, et pelagus immensum. Hunc esse sensum probatur *primo,* quia hoc nomen tetragrammaton est idem cum illo, cap. III : *Ego sum qui sum,* uti jam ostendi. Loquitur enim hic Deus de hoc nomine, non quasi hoc loco primum indito ; sed de eo quasi jam Mosi cognito ex prima apparitione, cap. III, vers. 14 et 15. Ergo hoc nomen non significat Deum ut veracem, vindicem aut contritorem, sed ut continentem omnem entis plenitudinem, sive ut ipsum esse subsistens, immensum, immutabile, æternum et infinitum.

Prob. Primo.

Secundo. Probatur *secundo,* quia falsum est Deum non apparuisse patribus ut contritorem in diluvio et Sodoma ; aut ut veracem : verax enim apparuit Deus Noe, cum impedivit deinceps diluvium, uti Noe promiserat, *Genes.* cap. IX, vers. 15. Verax item apparuit in tutela Abrahæ, *Genes.* cap. XVII, vers. 7 et 10 ; in partu Saræ, ibidem, vers. 16 et 21 ; in benedicendo Isaac, *Genes.* XXVIII, vers. 15.

Tertio. Probatur *tertio,* quia alias idem videbitur dici, ideoque posterior pars sententiæ pugnabit cum priori, si sic exponas : Apparui patribus ut fortis, sed non ut conterens ; apparui patribus ut liberalis, sed non ut fidelis et verax : si enim Deus est liberalis, multo magis est fidelis, et promissi tenax.

Quarto. Probatur *quarto,* quia ex hac revelatione Moses ita evasit cupidus deitatis cognoscendæ, aut etiam videndæ, ut videbimus cap. XXXIII, vers. 18. Hinc etiam ex hac peculiari nominis hujus revelatione Mosi facta, nomen hoc augustissimum et sanctissimum semper est habitum, quod in Scriptura nulli nisi Deo vero, vel tali æstimato tribuitur. Unde hoc nomen passim in Scriptura soli Deo tribuitur, cum cætera Dei nomina etiam angelis et hominibus principibus tribuantur.

Quinto. Probatur *quinto,* quia hæc est simplicissima et planissima interpretatio ; unde et Patres hunc locum de clariore divinitatis et essentiæ divinæ revelatione, sive aperta, sive ænigmatica, Mosi facta explicant. Ita S. Gregorius, hom. 16 *in Ezech.,* Procopius, Theodoretus, Cyrillus, Philo, Abulensis, Cajetanus, Pererius et alii hic.

Objectio. Dices : Multo ante Mosen hoc nomen patribus fuit revelatum ; nam in Genesi sæpissime iteratur, et patres hoc nomine Deum invocarunt, uti fecit Henoch, *Genes.* IV, 26, et Abraham, *Genes.* cap. XV, vers. 8.

Respon-sio. Respondent aliqui, ut Cajetanus, Lyranus et Pererius, hoc nomen quidem quoad vocem et litteras patribus fuisse revelatum, sed quoad claram et plenam significationem, primo illud fuisse revelatum Mosi. Verum Scriptura hic plane significat hoc nomen non tantum quoad significationem, sed etiam quoad ipsam vocem et nomen, primo revelatum fuisse Mosi, idque clarius significant Hebræa, quæ sic habent : *Et nomine meo Jeheva non fui cognitus eis.*

Respondeo ergo patres ante Mosen non scivisse, nec usos fuisse nomine *Jeheva,* sed Deum nominasse *Adonai, Elohim, Saddai,* quemadmodum etiamnum Judæi pro *Jeheva* ubique legunt *Adonai* vel *Elohim* : Mosen vero, qui Genesim conscripsit, post acceptum hoc nomen, eo usum esse in Genesi, quia eumdem Deum significat, estque Deo quasi proprium ; non enim verba, sed sensum precum Henoch et Abrahæ reddidit Moses. Sic urbs Bala vocatur Segor, quæ non tunc, sed postea dicta est Segor ; et Dan vocatur urbs, quæ postea vocata est Dan, tunc autem vocabatur Lais. Vide *Can.* 3 (1).

(1) Ex multorum tamen, et communiori, ut videtur, sententia, nomen יהוה patribus ignotum erat, non simpliciter, neque secundum litteram, sed ratione complementi, promissionum præsertim illustris liberationis Ægyptiacæ, qua præstanda Deus se demonstrat ut Jeho-

Quæstio V. Quid symbolice significet *Jeheva* ? Resp. Mysterium SS. Trinitatis et incarnationis Verbi.

Quæritur *quinto*, quid symbolice hoc nomen *Jeheva* significet, adeoque cur sit tetragrammaton ?

Respondent Hebræi, hoc nomine significari SS. Trinitatem, simulque Verbi incarnationem. Prima enim littera *jod*, quæ est index et principium numeri denarii, significat primam personam, scilicet Patrem. Secunda *he* significat secundam, scilicet Filium; *he* enim significat essentiam et substantiam (a radice היה *haia*, quæ *esse* significat), quam Filius habet communem cum Patre; est enim Patri consubstantialis. Rursum, per Filium omnes res creatæ sunt, suamque essentiam acceperunt. Tertia *vau* significat tertiam, scilicet Spiritum Sanctum; est enim *vau* apud Hebræos copula significans, *et, atque* : sicuti Spiritus Sanctus est copula, unio et amor notionalis Patris et Filii. Unde Græcus Scholiastes pro eo quod habemus : « Et nomen meum Adonai non indicavi eis, » vertit, *non indicavi eis nomen Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*. Hinc etiam Hebræi nomen tetragrammaton scribunt per triplex *iod*, cui subjiciunt *camets* intra circulum, hoc modo (יְיְי) : cum enim *iod* significet principium, et tota Trinitas sit unum principium rerum extra se, in una essentia et natura, hinc trinitas personarum repræsentatur triplici iod; unitas vero essentiæ repræsentatur tum uno eodemque iod, tum unica vocali camets. Rursum secunda littera *he*, geminata in hoc nomine, significat duas naturas in Filio, divinam et humanam; unde et hæc littera *he*, quæ Filii est index in nomine tetragrammato, addita fuit Abrahæ et Saræ, cum ille pro Abram dictus est Abraham; hæc pro Sarai dicta est Sarah : quia ex Abraham et Sara prognatus et incarnatus est Christus.

Cur *Jeheva* est quadrilitterum?

Sed cur hoc nomen est quadrilitterum? Respondeo, grammaticalis et propria causa est, quod Hebræa nomina perfecta sint quadrilittera; habent enim tres litteras thematis, cui addunt quartam heemanticam, sive formativam nominis.

Symbola quaternarii.

Symbolica causa est, quod quaternarius sit primus numerus perfectus par, qui constat principio, medio et fine. *Secundo*, hic numerus constituit quadrum et quadratum geometricum, quæ est figura solidissima : unde de civitate cœlesti ait S. Joannes, *Apocal.* XX, vers. 16, quod in quadro sit posita. *Tertio*, hic numerus virtute est omnia, puta omnis numerus, omnis musica, omnis quantitas, omnia elementa, omnis virtus; hinc sacer est in Scriptura, ut patet in quatuor Cherubim, *Ezech.* I, et quatuor animalibus, *Apocal.* IV. Hæc et plura habet Philo *De plantatione Noe*, lib. II, post medium, et lib. III *De Vita Mosis*, post initium, atque Macrobius, lib. I *in Somnium Scipionis*, cap. VI, ubi inter cætera ait : Pythagoræi adeo ad perfectionem animæ quaternarium inter arcana venerantur, ut ex eo et jurisjurandi religionem sibi fecerint, scilicet hanc :

Οὐ μα τὸν ἁμετέρᾳ ψύχᾳ παραδόντα τετρακτύν,

Non equidem per eum, qui animæ nostræ tradidit quaternarium.

Pleræque gentes Deo nomen quadrilitterum tribuunt.

Instar hujus nominis tetragrammati, pleræque aliæ gentes quadrilitterum nomen Deo indiderunt; sic enim Ægyptii Deum vocant Θωύθ, Persæ Συρή, Hetrusci Ἐσάρ, Arabes Ἀλλά, Assyrii Ἀδάδ, Turcæ Ἀγδί, Græci Θεός, Latini *Deus*, Germani *Godt*, Galli *Dieu*, Hispani *Dios*, etc. Ita Gyraldus, *De Diis Gentium*, syntagm. 1. Plura de hoc nomine vide apud Angelum Caninium, et Galatinum, lib. II, cap. X, et lib. III fuse.

Denique omnes hæ quatuor litteræ nominis tetragrammati, sunt Hebræis litteræ quiescentes, ad innuendum, quod in Deo solo vera et solida quies, ipsaque æterna felicitas et beatitudo consistit ac conquiescit. Ipse enim est alpha et omega, principium et finis; ipse est centrum cordis nostri; ipse est saties et gaudium omnium angelorum et Beatorum.

Jeheva fuit typus Jesu.

Allegorice, *Jeheva* redemptor Israelis ex Ægypto, fuit typus Jesu, qui fuit redemptor mundi a captivitate et tyrannide diaboli; hinc nomen Jesu in *Jeheva* continebatur et repræsentabatur, et hoc illius erat quasi ænigma, ipsumque nomen Jesu est quasi declaratio nominis *Jeheva* : hinc rursum nomen Jesu sanctius et venerabilius est nomine *Jeheva*, uti ex Abulensi demonstravi *Philip.* II, 10. Imo noster Prado in *Ezech.* contendit nomen *Jehova* potissimum referri ad incarnationis et redemptionis humanæ mysterium, illudque a futuro Verbi facinore derivari asserit. *Jehova* enim, ait, idem est cum *ero qui ero*, scilicet homo et redemptor mundi, hoc est Jesus, id est Salvator hominum. Hoc verum est, sed allegoricum, non litterale, ut patet ex dictis.

Vers. 6.

6. EGO DOMINUS QUI EDUCAM VOS DE ERGASTULO ÆGYPTIORUM. — Hebraice, *de suboneribus Ægyptiorum* : bene ergo et clare Noster vertit, *de ergastulo*; ergastulum enim locus est, in quo capti aut servi laborare coguntur; dicitur enim ergastulum ἀπὸ τοῦ ἐργάζεσθαι, id est, ab operando et laborando.

AC REDIMAM IN BRACHIO EXCELSO. — Hebraice, *in brachio extento*, ad feriendum videlicet, subigendumque hostes vestros Ægyptios. Anthropopathōs tribuitur Deo brachium, significatque Dei potentiam et robur; hoc enim homo solet ostendere in brachio.

Mystice, brachium quod a corpore promanat, est Filius a Patre procedens, sicut digitus a corpore et brachio procedens, est Spiritus Sanctus a Patre et Filio procedens. Ita S. Hieronymus in cap. LII *Isaiæ*.

Mystice, brachium est Filius, digitus est Spiritus Sanctus.

ET JUDICIIS MAGNIS,—magnis plagis, magna vin-

vam. Nec multum ab hac interpretatione recedit Souciet in *Recueil de dissertations critiques*, ubi longa et operosa dissertatione, quæ per plus quam 130 paginas decurrit, hunc sensum confirmare et commendare studuit : *Verum non illustris factus sum nomine meo Jehova illorum causa.*

dicta. Judicium enim metonymice sumitur pro effectu judicii, scilicet pro justa pœna et plaga, per judicium et judicem inflicta.

Vers. 7. 7. ET ERO VESTER DEUS. — Hebr. *ero vester Elohim*, id est vester provisor, gubernator, protector, conductor.

Vers. 8. 8. SUPER QUAM LEVAVI MANUM MEAM, — quam me vobis daturum juravi; jurantes enim solent jurare sublata in altum manu; eadem phrasis est *Genes.* XIV, vers. 22, II *Esdræ*, IX, 15. Alibi « levare manum » gestus est orantis, alibi percutientis, alibi operantis.

UT DAREM EAM ABRAHAM, ISAAC ET JACOB, — ut darem eam posteris Abrahæ, qui per Isaac et Jacob, non autem iis qui per Ismael et Esau descendunt.

Vers. 9. 9. QUI NON ACQUIEVERUNT EI PROPTER ANGUSTIAM SPIRITUS. — Septuaginta vertunt, ἀπὸ τῆς ὀλιγοψυχίας, *præ pusillanimitate*. Ita enim opprimebantur oneribus, ut vix liceret respirare, ut spiritus eis intercludi videretur; ac proinde non licebat, nec libebat eis aliud aliquid cogitare, sperare aut machinari.

Vers. 12. 12. QUOMODO AUDIET PHARAO, PRÆSERTIM CUM INCIRCUMCISUS SIM LABIIS? — Cum laborem vitio linguæ, cum tardioris et impeditioris sim linguæ. Hebræi incircumcisum vocant corde, mente, vel lingua eum, qui vitio aliquo cordis, mentis aut linguæ laborat. Sicut enim Hebræis circumcisio primum et summum erat Sacramentum, ita esse incircumcisum, summum erat vitium et dedecus; unde per incircumcisionem, sive per præputium, quodvis vitium significant (1). Huic querelæ Mosis respondebit Dominus initio cap. VII. Nam quæ hoc capite deinceps sequuntur, alio spectant, et intertexuntur ad hoc, ut viam sternant ad genealogiam Mosis.

Hinc patet hoc vitium linguæ mansisse in Mose post ejus colloquium cum Deo, in ipsa legatione sua ad Pharaonem; idque ad exercitium humilitatis, et ut Deus ostenderet se infirmis et ineptis instrumentis uti, ne gloria instrumentis, sed soli Deo detur.

Allegorice, Moses, quasi mutus, usus fuit interprete Aarone, ut significaret legem veterem quasi tacitam et mutam, esse umbram ac figuram legis novæ, quæ clare prædicat Deum et Christum.

Vers. 13. 13. LOCUTUSQUE EST DOMINUS AD MOYSEN ET AARON, ET DEDIT MANDATUM AD FILIOS ISRAEL. — Est hic generalis epilogus, sive omnium ante dictorum collectio, quam hic subnectit Moses, ut per eam transeat ad suam et Aaronis genealogiam; idque ad hoc, ut certior historiæ Exodi, et impletæ a Deo promissionis, de liberandis ex Ægypto Hebræis, fides constet, cum non ab extero quopiam, sed ab eo qui ex posteris Abrahæ, Isaac et Jacob, quibus facta est promissio, puta a Mose, rem gestam et confectam esse, certissimo liqueat.

Vers. 14. 14. ISTI SUNT PRINCIPES DOMORUM PER FAMILIAS SUAS, *q. d.* Isti sunt principes familiarum Israeliticarum; domus enim vocantur familiæ, quæ alibi vocantur cognationes. Hebraice est, *isti sunt principes domus patrum suorum*, id est, isti sunt principes, qui præerant familiis majorum, sive patrum suorum; quisque enim duodecim patriarcharum filius habebat et constituebat peculiarem familiam, in qua ipse erat princeps, et post eum filius ejus primogenitus, v. g. filii Ruben erant quatuor, scilicet Henoch et Phallu, Hesron et Charmi; hi singuli suas habebant familias, in quibus ipsi erant principes (2).

Vers. 16. 16. ET HÆC NOMINA FILIORUM LEVI. — Sistit Moses in genealogia Levi, quia ex Levi prognati sunt Moses et Aaron, quorum prosapiam præcipue hic pertexere intendit Spiritus Sanctus, eo quod hi

(1) Sentiunt alii phrasin inde esse repetendam, quod Mosi nascenti, cum Ægyptii infantes Hebræos masculi sexus occidendos investigarent, linguam fuisse inferiori parte conjunctam, nec satis præ chirurgi inopia separatam a parentibus, aut forte etiam id vitii non fuisse animadversum. עֲרַל itaque hic metaphorice is diceretur, cui non est incisa illa pellicula, qua lingua ori adhæret.

(2) « Quæ jam sequitur Mosis et Aaronis genealogia, quum incœptæ narrationis seriem interrumpat, alieno hic loco insertam esse haud dubitant Vater, Jahn et de Wette. Sed vere monet Kanne in *den bibl. Untersuchungen*, P. II, p. 88, primum quidem merito quæri posse, cur hunc potissimum locum elegerit quis, cui genealogiam hic intextam adsuerit? Deinde, dempta illa, versum 13 statim excipere quæ nunc vers. 26-29 legimus; ea vero ab eodem, qui versus 10-13 scripsit, his uno tenore subjuncta fuisse, vix sibi quisquam persuaserit. Nam quæ vers. 29 leguntur manifeste interruptæ vers. 12, 13, narrationis filum resumunt, adeoque arguunt, versus 14-25 ab eodem, qui quæ præcedunt et sequuntur scripsit, insertos esse. Veteres scriptores tam sacros quam exteros in suis operibus alium plane haud raro ordinem, aliam architectandi rationem sequutos esse deprehendimus, quam quæ nobis eligenda visa fuerit. Sed hoc potissimum loco, non alio, cur Moses suam et fratris genealogiam inseruerit, ratio haud adeo obscura est. Dum enim in eo est Moses, ut gravissimi sibi et fratri impositi muneris exsecutionem exponat, suam utriusque genealogiam præmittere ipsi visum est, quam quidem nosse lectorum suorum interesse oportuit, præsertim cum quantum genealogiis tribuant Orientales, satis constet. Atque nunc demum, cum remotis dubitationibus, quæ ipsum adhuc suspensum tenuissent, Pharaonem adit, memorabilior vitæ suæ pars incipit, cujus enarrationem suæ familiæ genealogia exponenda orditur, illiusque initium quasi insignit. Præterea moris Mosaici esse, intermissa narratione quæ inchoata fuit, quædam inserere, vidimus *Gen.* XXXVIII, quo capite finito, ut interruptam narrationem continuaret, repetit quæ sub finem capitis XXXVII dixerat, eodem plane modo quo infra vers. 26. Similiter *Gen.* XXXVI. Quod autem ad eam quæ hic habetur, Mosis et Aaronis genealogiam attinet, recte notat Jarchi, ut ad Levin, ex quo orti sunt Moses et Aaron, perveniretur, idoneum visum esse, genealogiam Rubenis et Simonis prius persequi, quod natu majores essent quam Levi, ut simul indicaret quemnam ordinem inter Jacobi filios teneret Levi. » Hæc Rosenmull. ad h. l.

fuerint liberatores et duces Israelis. Ita S. Augustinus, Quæst. XV. Ubi Nota : Primus filius Jacobi fuit Ruben, secundus Simeon, tertius Levi; horum trium tantum genealogiam, pertexit hic Moses; tum ob causam jam dictam, tum quia his maledixisse videbatur Jacob, *Genes.* cap. XLIX, vers. 3 et 5. Unde ne putarentur tres istæ tribus a Deo rejectæ, voluit Moses illorum trium filiorum Jacob multas atque illustres familias commemorare.

PER COGNATIONES SUAS. — Hebraice, *per generationes*, id est familias, *suas*. Hæc ergo tria idem sunt : generatio, familia, cognatio; ideoque una generatio est una familia, quia ab uno generante descendit.

ANNI AUTEM VITÆ LEVI FUERUNT CENTUM TRIGINTA SEPTEM. — Ex dictis *Genes.* XXX, constat Levi quatuor annis fuisse seniorem Josepho. Hinc sequitur *primo*, quod Levi erat 43 annorum, quando cum Jacob descendit in Ægyptum, quia tunc Joseph erat 39 annorum, ut ostendi *Genes.* XLI. Sequitur *secundo*, Levi obiisse 23 annis post mortem Josephi; hic enim mortuus est anno ætatis 110, Levi autem 137. Sequitur *tertio*, Levi post ingressum Jacobi in Ægyptum, vixisse in Ægypto annos 94. Sequitur *quarto*, Levi obiisse 121 annis ante egressum Hebræorum ex Ægypto : nam ab ingressu Jacobi in Ægyptum usque ad exitum Hebræorum, fluxerunt anni 215; sed Levi, post ingressum Jacobi in Ægyptum, vixit inibi annis 94 : ergo post mortem Levi usque ad exitum Hebræorum ex Ægypto, reliqui fuerunt anni 121. Sequitur *quinto*, Levi obiisse annis 41 ante ortum Mosis; hic enim 80 annorum erat in egressu Hebræorum ex Ægypto.

Levi Josepho supervixit 24 annis.

Levi obiit 41 annis ante ortum Mosis.

20. JOCHABED PATRUELEM SUAM, — cognatam, non amitam, ut dixi cap. II, 2. Vers. 20.

FUERUNTQUE ANNI VITÆ AMRAM CENTUM TRIGINTA SEPTEM. — Eusebius in *Chronico* tradit Amram, qui fuit pater Mosis, genuisse Mosen anno ætatis suæ 70; unde sequitur eum obiisse, cum Moses esset sexaginta septem annorum, puta 13 annis ante egressum Hebræorum ex Ægypto; licet Alexander Polyhistor, apud Eusebium velit, Amram obiisse 20 annis ante exitum Hebræorum ex Ægypto.

Tradunt Hebræi septem homines metiri omnia sæcula, sed errant in Amram.

Tradunt Hebræi, ut refert Genebrardus lib. I *Chronol.*, septem viros metiri omnem sæculorum cursum a principio mundi usque ad finem. Adamum enim vidit Mathusalem, hunc vidit Sem, Sem vidit Jacob, Jacob vidit Amram, Amram vidit Ahiam Silonitem, Ahias vidit Eliam, qui vivit et vivet usque ad finem mundi. Sed errant in Amram; hic enim, ut dixi, obiit 13 annis ante exitum Hebræorum ex Ægypto : ergo non potuit videre Ahiam Silonitem, qui post mortem Salomonis propheta inducitur III *Reg.* XI. Nam ab egressu Hebræorum ex Ægypto usque ad annum 4 Salomonis, quo ædificatum est templum, fluxerunt anni 480, ut patet III *Reg.* VI, 1. Brevius et verius duobus hominibus metirentur omne sæculum : nam Adam vidit Henoch, Henoch raptus redibit, et videbit finem mundi.

Adam et Henoch metiuntur omnia sæcula.

Vide hic quam exile sit omne hoc tempus nostrum, quam fugax totum hoc sæculum. Audiat Christianus vere philosophantem Lælium apud Senecam, lib. VI *Natural. quæst.* Cum enim quidam ei diceret : Sexaginta annos habeo; eleganter respondit : Hosne dicis sexaginta annos, quos nondum habes? præteritos annos, horas et ætates non habemus : neque etiam habemus futuros; per momenta, punctaque temporis fugientis vivimus : ex die vitæ et horis puncta habemus quædam. Ac rursum : « Neque illud quod futurum est, meum est, nec quod fuit : in puncto fugientis temporis pendeo. » Recte enim dixit philosophus ille, nos proprie non habere tempus, sed punctum temporis, puta ipsum nunc : nam præteritum non est, sed fuit; futurum non est, sed erit : ergo solum habemus ipsum præsens, puta momentum nunc. Vide quam exile sit tempus nostrum, quam exilis voluptas, et vita hæc præsens.

Exilitas et fugacitas temporis.

23. ACCEPIT AUTEM AARON UXOREM ELIZABETH, FILIAM AMINADAB, SOROREM NAHASON. — Hic Nahason in egressu ex Ægypto fuit princeps tribus Juda, ut patet *Num.* I, 7. Vers. 23.

Nota : Moses vir humilis hic studiose genealogiam Aaronis pertexit, suam pene negligit, nisi quatenus ad Dei vocationem, et missionem certæ personæ cognoscendam erat necessaria.

25. HI SUNT PRINCIPES FAMILIARUM. — Hebr., *hi sunt principes patrum*, qui scilicet inter patres fuerunt principes et capita familiarum. Vers. 25.

26. ISTE EST AARON ET MOYSES, — qui scilicet missi sunt ad Pharaonem. Vers. 26.

28. IN DIE QUA LOCUTUS EST DOMINUS AD MOYSEN IN TERRA ÆGYPTI. — In Hebræo et Chaldæo hic incipit nova sententia, hoc modo : *Et factum est in die qua locutus est Dominus ad Moysen in hunc modum : Ego Dominus, loquere ad Pharaonem.* Unde et Latini codices hinc incipiunt vers. 28. Vers. 28.

« Iste est *ergo* Aaron et Moyses, » qui duces fuerunt tanti facinoris, qui quasi duo fulmina belli Pharaonem omnesque hostes prostraverunt, qui quasi sol et luna Israelem illustrarunt. Ecce quantum potest unus alterve homo, unus insignis populi dux. Ita unus Epaminondas Thebanos ad imperium evexit, ut eum videns Agesilaus, licet hostis, merito exclamarit : « O virum magnificum? » Ita unus Scipio longum Romanorum et Carthaginensium de imperio duellum diremit, illudque Romanis asseruit, ut merito de eo adhuc milite dixerit Cato : « Iste sapit solus, reliqui velut umbra vagantur; » et Metellus gratias egerit diis Romæ causa, quod alibi non exstiterit Scipio. Quin et Numantini hostes Romanorum rogati cur jam Romanos duce Scipione fugerent, quos antea fugarant, responderunt : « Oves quidem eædem sunt, sed alium jam habent pastorem. » Testis est Plutarchus in *Apophtheg. Roman.*

Unus homo instar mille.

Inter fideles quid non effecit unus Moyses, unus Josue, unus David, unus Josias, unus Elias, unus Eliseus, unus Daniel, unus Paulus, unus Gregorius, unus Athanasius, unus Chrysostomus, unus Hieronymus, unus Benedictus, unus Franciscus, unus Dominicus, unus Bernardus, unus Xaverius? et nos quid facimus? numerus sumus. Multiplicasti, Domine, gentem, non magnificasti lætitiam. Flebat Julius Cæsar legens gesta Alexandri, dicebatque : « Ea ætate qua Alexander Darium devicit, ego adhuc nihil præclarum gessi. » Quot annos nos viximus? quid præclare gessimus?

29. LOQUERE AD PHARAONEM. — Hic Moses narrationem vers. 14 cœptam, et per genealogiæ suæ descriptionem interruptam, resumit et prosequitur. Vers. 29.

30. ET AIT MOYSES CORAM DOMINO, — ait Domino, qui erat coram, sive coram quo stabat et agebat Moses. Vers. 30.

INCIRCUMCISUS SUM LABIIS, — impeditæ sum linguæ, rudis in loquendo et ineptus, ut dixi cap. IV, vers. 10.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Mittit Dominus Mosen ad Pharaonem, eique dat signa quæ edat : virgam ergo suam Moses coram Pharaone in colubrum vertit; deinde, vers. 17, aquas omnes Ægypti convertit in sanguinem; similia faciunt malefici Pharaonis, vers. 22 : hinc obdurat se Pharao ne Hebræos dimittat.

1. Dixitque Dominus ad Moysen : Ecce constitui te Deum Pharaonis, et Aaron frater tuus erit propheta tuus. 2. Tu loqueris ei omnia quæ mando tibi, et ille loquetur ad Pharaonem, ut dimittat filios Israel de terra sua. 3. Sed ego indurabo cor ejus, et multiplicabo signa et ostenta mea in terra Ægypti, 4. et non audiet vos : immittamque manum meam super Ægyptum, et educam exercitum et populum meum filios Israel de terra Ægypti per judicia maxima. 5. Et scient Ægyptii, quia ego sum Dominus qui extenderim manum meam super Ægyptum, et eduxerim filios Israel de medio eorum. 6. Fecit itaque Moyses et Aaron sicut præceperat Dominus : ita egerunt. 7. Erat autem Moyses octoginta annorum, et Aaron octoginta trium, quando locuti sunt ad Pharaonem. 8. Dixitque Dominus ad Moysen et Aaron : 9. Cum dixerit vobis Pharao : Ostendite signa; dices ad Aaron : Tolle virgam tuam, et projice eam coram Pharaone, ac vertetur in colubrum. 10. Ingressi itaque Moyses et Aaron ad Pharaonem, fecerunt sicut præceperat Dominus, tulitque Aaron virgam coram Pharaone et servis ejus, quæ versa est in colubrum. 11. Vocavit autem Pharao sapientes et maleficos, et fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptiacas et arcana quædam similiter. 12. Projeceruntque singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones; sed devoravit virga Aaron virgas eorum. 13. Induratumque est cor Pharaonis, et non audivit eos, sicut præceperat Dominus. 14. Dixit autem Dominus ad Moysen : Ingravatum est cor Pharaonis, non vult dimittere populum. 15. Vade ad eum mane, ecce egredietur ad aquas; et stabis in occursum ejus super ripam fluminis, et virgam, quæ conversa est in draconem, tolles in manu tua. 16. Dicesque ad eum : Dominus Deus Hebræorum misit me ad te, dicens : Dimitte populum meum ut sacrificet mihi in deserto, et usque ad præsens audire noluisti. 17. Hæc igitur dicit Dominus : In hoc scies quod sim Dominus : ecce percutiam virga, quæ in manu mea est, aquam fluminis, et vertetur in sanguinem. 18. Pisces quoque, qui sunt in fluvio, morientur, et computrescent aquæ, et affligentur Ægyptii bibentes aquam fluminis. 19. Dixit quoque Dominus ad Moysen : Dic ad Aaron : Tolle virgam tuam, et extende manum tuam super aquas Ægypti, et super fluvios eorum, et rivos ac paludes, et omnes lacus aquarum, ut vertantur in sanguinem; et sit cruor in omni terra Ægypti, tam in ligneis vasis quam in saxeis. 20. Feceruntque Moyses et Aaron sicut præceperat Dominus, et elevans virgam, percussit aquam fluminis

coram Pharaone et servis ejus; quæ versa est in sanguinem. 21. Et pisces, qui erant in flumine, mortui sunt : computruitque fluvius, et non poterant Ægyptii bibere aquam fluminis, et fuit sanguis in tota terra Ægypti. 22. Feceruntque similiter malefici Ægyptiorum incantationibus suis; et induratum est cor Pharaonis, nec audivit eos, sicut præceperat Dominus. 23. Avertitque se, et ingressus est domum suam, nec apposuit cor etiam hac vice. 24. Foderunt autem omnes Ægyptii per circuitum fluminis aquam ut biberent; non enim poterant bibere de aqua fluminis. 25. Impletique sunt septem dies, postquam percussit Dominus fluvium.

Vers. 1. 1. DIXITQUE DOMINUS AD MOYSEN. — Respondet hic Deus timiditati et querelæ Mosis, quam ipse proposuit cap. præced., vers. 12.

ECCE CONSTITUI TE DEUM PHARAONIS. — « Deum, » non natura, neque unione hypostatica : talis enim non constituitur, præsertim is qui jam ante subsistit, uti subsistebat hic Moses; sed participatione eminentiæ et potestatis divinæ contra Pharaonem, *q. d.* Noli, o Moses, timere sævitiam et fastum Pharaonis, quia ego te feci quasi Deum Pharaonis, non quem ille fideliter adoret, sed serviliter timeat punientem, atque medentem obsecret; et, ut ait Rupertus : « Quoniam tu mitissimus virorum cum Pharaone dimicare indignum te ducis, teque deprimis, ecce ego sustollam te; faciamque te Deum Pharaonis, ut imperes aquis pro potestate Dei, ut ranas crees; ut imperes terræ ac cineri, faciasque in rege et exercitu ejus ciniphes et vesicas; ut imperes aeri, et pestem generet; ut imperes igni, et cum grandine mixtus feratur super peccatores; imperando elementis Deus eris Pharaonis : ecce quam gloriosa virtutum regina est humilitas, quæ in cœlum volare consuevit. » Hactenus Rupertus. Unde Chaldæus vertit, *dedi te* רב *rab*, id est *principem, Pharaonis.*

Humilitas Mosen fecit in Deum Pharaonis.

Simili modo S. Basilius factus est Deus Valentis imperatoris; S. Ambrosius, Justinæ imperatricis; S. Athanasius, Hilarius, Hosius et Lucifer, Constantii imperatoris, dum eos liberrime coarguerunt, imo Neroni, Decio, Diocletiano et Antichristo compararunt, uti patet ex eorum verbis, quæ citavi II *Timoth.* I, 7. Sic S. Bernardus *ad Eugenium Pontificem* : « Considera, ait, oportere te esse formam justitiæ, sanctimoniæ speculum, fidei defensorem, etc., virgam potentium, malleum tyrannorum, regum patrem, sal terræ, urbis lumen, sacerdotem Altissimi, vicarium Christi, Christum Domini, postremo Deum Pharaonis. » Sic Elias fuit Deus Achabo regi per suas minas et plagas : unde III *Reg.* XVIII, 17, cum ei diceret rex : « Tune es ille qui conturbas Israel? » respondit intrepide : « Non ego turbavi Israel, sed tu, et domus patris tui, qui dereliquisti Dominum. » Vide hic quid mereatur humilitas, quamque ipsa Mosen exaltarit, faciens eum Deum Pharaonis. Sicut Moses vicit Pharaonem, ita humilis vincit diabolum.

Sola humilitas exaltat, vincitque diabolum.

Legimus in *Vitis Patrum*, lib. VII, cap. XXIII, diabolum occurrisse S. Macario, ac voluisse eum percutere falce acuta, sed non valuisse, ideoque exclamasse, ac dixisse : « Magnam vim a te patior, Macari, qui cum cupio tibi nocere, non valeo : dum quæcumque tu facis, ego magis exsuperem. Tu enim interdum jejunas, ego nunquam ullo cibo reficior. Tu sæpe vigilas, me vero nunquam sopor oppressit. Sed una re me vincis, ipse fateor. » Cumque ab eo rem ipsam requisisset Macarius, ait : « Humilitas tua sola me vincit, » quo dicto, orante Macario, inter auras evanuit.

Ibidem alius Abbas ait : « Quantumcumque se deposuerit homo in humilitate, tantum proficit in altum; sicut enim superbia, si ascenderit in cœlum, usque ad infernum deducitur : ita et humilitas, si descenderit ad infernum, tunc exaltabitur usque ad cœlum. »

Ibidem alius comparat humilitatem S. Joanni Baptistæ, charitatem Christo. « Omnis labor, inquit, sine humilitate vanus est. Humilitas enim est præcursor charitatis. Sicut Joannes præcursor erat Jesu, omnes trahens ad eum : ita et humilitas attrahit ad charitatem, id est ad ipsum Deum, quia Deus charitas est. »

Ibidem, cap. XV, S. Antonio in meritis præfertur coriarius quidam mire humilis, qui jugiter dicebat : « Omnis hæc civitas ingreditur in regnum Dei propter justitias suas; ego autem solus propter peccata mea pœnam sempiternam ingrediar. »

Christus vocatur Deus quintupliciter.

Hinc S. Hilarius, lib. VII *De Trinit.*, docet aliter Christum in Scriptura dici Deum, scilicet non constitutione, sed *primo*, nomine, quia simpliciter et præcise vocatur Deus, ut *Joan.* cap. I : « Deus erat Verbum; » *secundo*, nativitate, quia vocatur Deus non per adoptionem, sed per generationem : vocatur enim Filius Dei a Patre genitus; *tertio*, natura, quia ipse dixit : « Ego et Pater unum sumus; » *quarto*, potestate : ipse enim dixit : « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra; » *quinto*, professione, quia profitebatur coram Judæis se persequentibus, se consubstantialem et æqualem esse Patri, ut *Joan.* V : « Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo; » hancque suam professionem miraculis comprobavit, atque morte et martyrio suo obsignavit. Ita S. Hilarius.

Elohim vocatur Deus, item an-

Nota : Pro *Deum*, hebraice est *Elohim*, quod aliis a Deo, puta angelis et hominibus, iis præsertim quibus Deum suam potestatem judicia-

geli et princi-pes.

riam, aut principatum communicavit, tribuitur. Sic *Exodi* XXII, 28, dicitur : « Diis (judicibus) non detrahes, et principi populi tui non maledices. » *Psal.* VIII, 6 : « Minuisti eum paulo minus ab angelis, » hebraice ab *Elohim*. *Psalm.* CXXXVIII : « In conspectu angelorum (hebr. *Elohim*) psallam tibi. »

Ubi nota : Hoc nomen *Elohim* ex adjunctis tunc solet limitari, ne Deus verus intelligatur : nam quando absolute ponitur, soli Deo vero tribuitur; sic *Psal.* LXXXI, 1, dicitur : « Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos dijudicat : » *Deos*, id est judices; nam Deus verus, qui est summus omnium judex, a nemine judicatur; et vers. 6 : « Ego dixi, dii estis, » *q. d.* Non re vera, sed communicatione et nuncupatione mea dii estis. Hinc Christus hunc locum citans, *Joan.* X, 35, ait : « Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, » *q. d.* Si illi vocantur dii, qui sola participatione et nuncupatione sunt dii, quanto magis ego sum Deus, qui per naturam sum Deus? Vide hic quantum amicos suos extollat Deus. Vere Philo, lib. I *De Vita Mosis* : « Cum amicorum, inquit, omnia sint communia, Deus potestatem et opes suas cum Sanctis communicat. » Hinc Moses ob virtutes suas, et ob ostenta sua ab Ægyptiis vocatus est Deus, uti tradit S. Cyrillus, lib. I *Contra Julianum*, e tS. Justinus, *Oratione parænetica ad Gentes*, post initium, et Eusebius, lib. IV *De Præparat. Evang.*, ante finem, additque eum fuisse appellatum Mercurium, ob sacrarum litterarum intelligentiam et interpretationem. Idem tradit eum etiam vocatum fuisse Musæum. Vide hic in Mose quam verum sit vetus dictum : « Princeps probus est animata Dei in terris imago. »

Moses ab Ægyptiis vocatus est Deus et Mercurius.

DEUM PHARAONIS (1). — Perperam in Theodoreto legitur *Deum Aaronis* : sic enim jam apud eum legimus, *Quæst.* XVIII : « Quomodo Moses fuit Deus ipsius Aaron? » ac respondet : « Sicut Deus imperabat Mosi, ita Moses ipsi Aaroni; unde et Aaron appellatus est Propheta Mosis. » Verum manuscriptus codex Theodoreti pro Aarone legit Pharaonem, et ita omnino scripsisse videtur Theodoretus. Sciolus vero aliquis ex eo quod Aaron propheta Mosis subjungitur, in præcedentibus quoque pro Pharaone Aaronem substituit, sed perperam.

Nota : Moses fuit Deus, non tantum Pharaonis, sed etiam Israelis; verum diversimode : Pharaonis enim Deus fuit, eum castigando; Israelis, eum protegendo, deducendo, regendo, sustinendo; quod enim de Elia dicit Elisæus, IV *Reg.* II, 12 : « Pater mi, currus Israel, et auriga ejus : » hoc ipsum verius de Mose dicas. Sicut ergo Deus insidens currui Cherubico, *Ezech.* I, auriga est mundi, ita Moses fuit auriga Israelis, *Num.* XI, 11. Ita legimus in *Vitis Patrum*, in *Sent.* 107, S. Macarium vocatum fuisse Deum monachorum. « Dicebant, inquit, de Abbate Macario Majore, quia, sicut Deus protegit totum mundum, et portat peccata hominum : ita et ille quasi quidam Deus terrenus fuit in fratribus, operiens delicta illorum, et ea quæ videbat vel audiebat, quasi non videns et non audiens. » Pari modo esto et tu angelus, imo Deus inter fratres et socios tuos.

Disce hic vanam esse gloriam quæ ab hominibus, veram quæ a Deo quæritur et accipitur. Unde S. Chrysostomus, hom. 2 *in epist. ad Titum* : « Non prohibeo, inquit, appeti gloriam, sed illa volo ambiatur, quæ vera est, quæ ex Deo est, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est. Unum intueamur solum, ad id tota nostra dirigatur intentio, quo scilicet pacto Dei mereamur ore laudari. Si hoc intente inspiciamus, humana semper omnia nihili æstimabimus. Non laudat te ille aut ille, nihil inde amittis; et si vituperet quispiam, nihil omnino te læsit. Sive enim laus, sive vituperatio, ex Deo tantum, aut emolumentum habet, aut detrimentum. » Deinde docet contemptum humanæ laudis nos Deo similes reddere. Sicut enim ab æterno fuit gloriosus, et in immensum semper glorificatus a Patre, Filio, et Spiritu Sancto, ac proinde non indiget laude hominum, quæ per æternitatem antequam mundum conderet, nulla fuit : sic etiam gloriæ contemptor; unde concludit : « Quoties, inquit, difficile existimas contemnere gloriam, ista tecum animo versa : si hanc despexero, Deo æqualis, id est similis, efficiar, protinusque subibit gloriæ contemptus ex animo. »

ET AARON FRATER TUUS ERIT PROPHETA TUUS. — Sicut tu jam a me contitutus es Deus, non natura, sed participatione : ita similem habebis prophetam Aaronem, non qui proprie propheta sit, id est, cui immediate futura revelet Deus; sed cui tu ea, quæ a me intelligis, reveles, ut eo ceu interprete illa coram Pharaone proloquaris, uti modo explicatur; ut Hebræum נביא *nabi*, id est propheta, alludat ad rad. נוב *nub*, quæ *loqui* significat. Sic Apostolus, I *Cor.* XIV, vers. 4, 5, 12, 22, 29, 30, 39; prophetas vocat præcones verbi Dei, et prophetiam vocat prædicationem, uti ibi dixi; ubi et varias nominis *propheta* significationes adduxi. Ex hoc ergo loco colligi non potest Aaronem proprie fuisse prophetam, licet idipsum ex aliis locis colligatur, scilicet ex cap. IV, 27, ubi Deus ei revelavit Mosis reditum dicens : « Vade in occursum Mosi; » et I *Reg.* II, 27, dicit Dominus Heli pontifici, prognato ex Aarone : « Numquid non aperte revelatus sum domui patris tui? »

Aaron fuit propheta, id est interpres et orator Mosis.

Aaron vere quoque fuit propheta.

Pulchre Rupertus : « Quoniam, inquit, non est dignus Pharao tecum, o Moses, qui Deus ejus es constitutus, loqui, Aaron erit tuus propheta, plagas quas tu facies pronuntiaturus, sive tanquam minister tuus illaturus : exemplo videlicet mei,

(1) In hoc tibi a me imposito munere obeundo ipse Pharaonem non alloqueris, frater tuus verba faciet. Eris instar Dei, cujus effata ad Pharaonem per Aaronem, quasi per prophetam, deferentur.

qui hominibus non loquor per me, sed per prophetas meos mando ea, quæ illis vel denuntianda, vel a me facienda sunt; et isti duo homines ita profecto egerunt, alter potestatem in sermone habens, alter potestatem in faciendis coram Pharaone signis exercens. »

Ubi nota Aaronem non tantum fuisse prophetam Mosis, quia fuit ejus interpres apud Pharaonem, sed etiam quia ejus jussu faciebat signa, et plagas inferebat Ægypto, ut patet de virga versa in colubrum hoc capite, vers. 10; unde capit. XIX, ait Dominus Mosi : « Dic ad Aaron : Tolle virgam tuam, et extende manum tuam super aquas Ægypti, etc., ut vertantur in sanguinem. » Et cap. VIII, 5 : « Dic ad Aaron : Extende manum tuam super fluvios, etc., et educ ranas. » Et vers. 16 : « Loquere ad Aaron : Extende virgam tuam, et percute pulverem terræ, et sint sciniphes. » Ergo colubros, sanguinem, ranas et sciniphes Ægypto induxit Aaron, sed præcepto Mosis, quasi Dei sui mandantis. Unde et Moses, non Aaron, plagas hasce orans Deum revocavit et stitit, ut iisdem locis subditur. Porro plagas sequentes, utpote graviores, puta ulcerum cap. VIII, 9, pestis cap. VIII, vers. 15, grandinis, tonitruorum et fulgurum cap. VIII, vers. 23, locustarum cap. X, 12, tenebrarum cap. X, 22, non Aaron, sed solus Moyses extendendo manus Ægypto inflixit.

S. Basilius et Nyssenus fratres comparantur Mosi et Aaroni a Nazianzeno.

Tropologice, hæc apposite duobus fratribus, scilicet S. Basilio et Gregorio Nysseno adaptat Nazianzenus, *orat.* 22, et ejus Scholiastes Nicetas : « Moses, inquit, fuit legislator Hebræorum; sic Basilius legislator fuit monachorum, Nyssenus vero sanctissimus fuit instar Aaronis. Basilius princeps fuit sacerdotum, Nyssenus fuit illi proximus, et quasi illius lingua alios initians; ambo decem plagis peccatum affecerunt, mare vitiorum sciderunt; Ægyptios, id est hæreticos et dæmones depresserunt; Amalec, id est Julianum, typica crucis manuum extensione fugarunt; Israelitas vero pane cœlesti, et aqua cœlestis doctrinæ paverunt, atque ad regnum cœleste perduxerunt. »

Vers. 3.

3. EGO INDURABO COR EJUS. — Calvinus hoc loco quasi ariete, suam, de Deo active et proprie obdurante, hæresim ita propugnat, ut eo se omnes sophistas prosternere glorietur : itaque vertit ipse, *ego constringam cor ejus*. Calvini ergo hæc est mens et sententia, licet, ut tam infame virus occulat, vel potius honestet, implexa, Deum obdurasse Pharaonem, non ei immittendo duritiem, sed tum satanæ eum addicendo et mancipando, ut cor ejus durum obduraret magis; tum quod arcano quodam motu, qui captum nostrum superet, cor ejus gubernarit, et ad pervicaciam obdurarit : neque tamen peccati auctorem fuisse Deum, eo quod justo judicio idipsum fecerit; duritiem enim Pharaonis peccatum fuisse, obdurationem vero fuisse Dei judicium. Ita ipse.

Calvinus docet, Deum proprie et active obdurasse Pharaonem.

Refellitur hæc

Verum hæc sæculis omnibus inaudita est hæresis, et execranda blasphemia, quam tum alibi passim, tum hic redarguit ipsa S. Scriptura; quod enim Pharao non a Deo, sed a seipso, suaque malitia proprie et directe sit obduratus, demonstratur : *Primo*, ex eo quod Deus misso Mose Pharaoni decies præcepit dimissionem populi Judaici; ergo voluit ut missum faceret populum, non ergo eum obdurare voluit, ut eum retineret : hoc enim proprie velle, est velle efficaciter, ut Pharao nolit populum dimittere; velle autem ut dimittat, idque præcipere, ac rursum efficaciter id nolle, ideoque obdurare, manifeste inter se pugnant. Rursum, si Dei voluntas erat obdurare Pharaonem, ergo Pharao ei se conformans non peccabat : Dei enim voluntas omnis bonæ voluntatis mensura est.

blasphemia.

Primo.

Secundo, Deus reluctantem Pharaonem gravissime punivit; atqui Deus non est auctor eorum quorum est ultor, inquit S. Fulgentius, lib. I *ad Monimum*, cap. III.

Secundo.

Tertio, Pharao ipse paulatim Deo, Mosi et Hebræis cessit, dum *primo*, eos sine prolibus et armentis; *secundo*, cum prolibus, sed sine armentis; *tertio*, omnino cum suis abire permisit : ergo ipse se flectebat et obdurabat; quin vero Pharao ipse non tam impius fuit, ut duritiei suæ causam in Deum evomeret; sed sibi eam tribuit *Exodi* X, 16 : « Peccavi, inquit, in Dominum. »

Tertio.

Evasio Calvini insulsa, duritiem esse peccatum, non obdurationem, utpote quæ sit judicium Dei.

Quod enim Calvinus Deum culpa liberare contendat, peccatum Pharaoni, obdurationem Deo tribuendo, tam impie quam imperite id facit. Si enim durities Pharaonis peccatum est, cur pariter peccatum non sit obduratio, quæ duritiei est causa? Causa enim ad peccatum impellens, utique peccat, *Joan.* VIII, 34; *Rom.* I, 32; et vel maxime tunc, cum efficaciter impellit, ut ei alter resistere nequeat.

At instat Calvinus, obdurare in Deo non esse culpam, quia justum hoc Dei judicium est; sed frivola est et inanis hæc larva : si enim durities culpa est, quocumque fine, quocumque judicio ad eam impellas, culpam admittis : quod enim in se malum est et culpa, nullo fine licet : ideoque non justum est hoc; sed impium Calvini judicium, tantumque est dicere ac si aperte pronunties : Deus peccati auctor est, sed hoc fine ut judicium suum, et præcedentium peccatorum vindictam exerceat.

Quarto.

Quarto, non Pharao tantum sibi, sed et Scriptura culpam et obdurationem eidem tribuit, cum jam immunem et liberum a pœna, ad ingenium sponte rediisse narrat, *Exod.* VIII, vers. 15 : « Videns, inquit, Pharao quod data esset requies, ingravavit cor suum; » et cap. IX, 34 : « Videns Pharao quod cessasset pluvia, auxit peccatum, et ingravatum est cor ejus, » id est, ut habetur in Hebræo; יכבד לבו *jachbed libbo*, id est, *aggravavit ipse cor suum*. Idem patet cap. VIII, vers. ult. in Hebræo : unde quoties noster Interpres in Exodo vertit, *ingravatum est*, accipe *ingravavit se cor*, id est voluntas, *Pharaonis* : sic enim Hebræa ubique vertas. Ipse ergo Pharao proprie et positive se indura-

vit; Deus vero permissive et indirecte, uti dicam *Quæst.* II. Ita censent et explicant passim Patres omnes et interpretes Catholici.

Objicit Calvinus, obdurare est agere, non tantum permittere.

Objicit Calvinus, *primo* : Multum interest inter agere et pati, inter agere et permittere; obdurare autem est agere, ergo non tantum est permittere obdurari, sed est efficere ipsam duritiem.

Respondeo, permissio hebraice vocatur actio.

Respondeo, phrasi Hebræa et Latina permissio, imo et occasio, sæpe vocatur actio; unde illud tritum :

Blanda patrum segnes facit indulgentia natos.

Sicque vulgo loquimur. Rursum, agere apud Hebræos latissimum est, et amplissime sumitur, ut de Josepho, *Gen.* XLI, 13, in Hebræo, dicit pincerna : Joseph me reddidit (scilicet per suum vaticinium, id est, reddendum me prædixit) officio; et illum, pistorem scilicet, suspendit, id est suspendendum prædixit. Sic hic cap. V, vers. 22, Moses dicit Domino : « Cur afflixisti populum tuum? » id est, cur ei afflictionis occasio fuisti mittendo me ad Pharaonem, eumque hac ratione magis exacerbando contra Hebræos? Potiori ergo ratione Deus providentia sua claudens omnia, modum, tempus, gradumque et limitem ultra quem non progrediantur, omnibus omnino hominum actibus definiens, dum sinit malos male agere, seque obdurare, eisque concursu suo assistit, ut agere possint quod lubet, agere dicitur.

Instantia Calvini : obduratio est pœna, ergo positive infligitur.

Instat Calvinus : Permissio, uti et aliæ negationes et privationes, non est judicium, non est vindicta, non est pœna; hæc enim positive a judice infligitur. Atqui obduratio est judicium, vindicta et pœna præcedentium peccatorum : ergo non tantum permissive, sed et positive a Deo infligitur.

Resp.

Respondeo majorem esse falsam : licet enim sententia judicis debeat esse positiva, pœna tamen per eam irrogata sæpe est privativa, ut cum judex punit aliquem privatione bonorum, inhabilitate ad officia et dignitates, etc. Sic lex Julia plectit adulteras, dum eas a parentibus impune occidi permittit. Pari modo decretum permittendi hunc illumve obdurari, in Deo est positivum, et actio positiva; ipsa tamen permissio obdurationis non est positiva actio, est nihilominus ingens pœna; quis enim non videt magnam esse peccatorum pœnam, cum Deus eis permittit impune quid libet agere, et in profundum malorum ac gehennæ ruere? Adde in hac obduratione non tantum esse permissionem, sed et alias actiones positivas Dei, ut dicam *Quæst.* III.

Objectio secunda Calvini.

Objicit *secundo* : Non semel, sed crebro hic dicitur quod Deus obdurarit Pharaonem, non autem quod Pharao obdurarit seipsum : atqui non videtur probabile Scripturam toties improprio sermone uti.

Resp.

Respondeo : Pluries hic dicitur quod Pharao obdurarit seipsum, ut patet ex dictis, rarius quod Deus eum obdurarit, videlicet tantum in 6, 8 et 9 plagis, et cum Hebræos Ægypto egressos insecutus est, idque hic prædixit Mosi, ut videlicet illi animum adderet, utpote experturo tantam regis contumaciam, itaque non percelleretur Moses, cogitans non sine Dei providentia et prædictione indurari Pharaonem, sciretque cor regis esse in manu Dei, et ab eo tandem emolliendum esse, ut dimitteret Hebræos, uti et fecit post ultimam plagam primogenitorum.

Objectio tertia.

Objicit *tertio* : Deus, cap. X, vers. 1, dicit se indurasse Pharaonem, ut signa, plagas et potentiam suam in eo ostenderet : ergo signis et flagellis suis non obduravit Pharaonem, sed potius obduravit eum hoc fine, ut occasionem haberet eum flagellandi, et justitiam potentiamque suam in eo ostendendi.

Resp.

Respondeo : Potentiam suam ostendit Deus in Pharaone, non eum obdurando, sed obduratum flagellando et puniendo, de quo plura suis locis : alioqui enim si libere Pharao se non obduravit, sed Deus eum obduravit, quæ pugna fuit inter Pharaonem et Deum? sic enim Deus omnia, Pharao nihil effecit. Quamnam, quæso, in lapide obdurato Deus ostendit potentiam; aut quæ potest esse cum lapide pugna?

Quæstio II. Quibus modis Deus obduravit Pharaonem? Resp. primo, permittendo.

Quæres *secundo*, si non directe et positive, quibus ergo modis Deus dicitur indurasse Pharaonem?

Respondeo *primo*, permissive, ubi nota : Aliter et longe potentius permittit peccata Deus quam homo, v. g. princeps, eadem permittat : Deus enim omnium hominum voluntates in sua habet manu, ut eas quaquaversum flectere possit; voluntas vero hominis sine Dei nutu in nullum omnino opus, sive bonum sive malum exire potest, nisi Deus illi permissionis suæ laxet habenas, imo cum illa positive concurrat et cooperetur, ad actum et opus hoc producendum. Sicut ergo is qui leonem fune constrictum tenet, si eum laxet et dimittat, leoque solutus aliquem occidat, dicitur tenens leonem hominem illum occidisse, non per se, sed per leonem quem dimisit : ita et Deus sinens voluntatem peccare et in peccatis se obdurare, dicitur ipse eamdem obdurare, præsertim quia suo concursu ad hunc actum obdurationis concurrit.

Secundo, dando illi constantiam et duritiem quamdam naturalem.

Secundo, Pineda in *Job* cap. VIII, vers. 20, num. 3, sic explicat : indurabo, et, ut hebraice est, aggravabo, aut confortabo cor Pharaonis, id est cor Pharaonis, durum, forte, potens resistere, minimeque timidum aut molle efficiam : hæc enim naturalis constantia et animositas, qua fiebat ut Pharao propositi sui esset tenax, nec facile illud mutaret, erat a Deo auctore naturæ, sed ipse Pharao illa quasi armis, ut suo conditori resisteret, abutebatur. Hæc expositio vera est, sed non plena; nam hæc durities Pharaonis, non tantum erat constantia quædam naturalis, sed insuper pertinacia, protervia et pervicacia superbi animi; quorum vitiorum Deus non erat auctor, sed vel

ipse Pharao, vel innata illi concupiscentia, et corruptæ naturæ indoles.

Tertio, subtrahendo gratiam. *Tertio,* induravit Deus Pharaonem, subtrahendo illi gratiam suam, quæ cor ejus molliret, sicut sol indurat lutum, non positive efficiendo duritiem, sed exsugendo humorem, qui temperabat et molliebat lutum; sic et Deus, inquit S. Augustinus, « indurat cor non apponendo gratiam, non autem impellendo ad malitiam, » intellige « gratiam, » non omnem, sed copiosam, potentem et efficacem; relinquit enim Deus obduratis aliquam gratiam, qua subinde eos movet et pulsat : alioqui essent ipsi omnino desperatæ salutis, et quasi damnati; sed gratia hæc rara est, tenuis et modica.

Quarto, dando opes et imperium. *Quarto,* dando ei opes, animos, imperium, gloriam, quibus ille se in sua tyrannide obfirmavit.

Quinto, per flagella et miracula. *Quinto* et aptissime, Deus dicitur obdurasse Pharaonem, quia cum videret eum durum et obstinatum, quædam circa illum egit, ex quibus ille sumpsit occasionem magis obdurandi se. Pro quo nota : Pharao dominandi cupidus plane obfirmarat animum retinere Hebræos, ut eis dominari posset, utque gentem tam insignem et industriam operibus publicis regni applicaret; ingens enim ab eis percipiebat emolumentum. Hinc factum est ut, cum Deus illos ab eo abstrahere et educere vellet, ille eo magis eos detinere cuperet, magisque animum suum in hac voluntate, ambitione et tyrannide obfirmaret.

Deus ergo obduravit Pharaonem, *primo,* suis plagis et flagellis, idque ea immittendo non simul et excessive, sed paulatim, moderate et per intervalla; ita ut requiem ei daret subtracto flagello ad tempus, quo fiebat ut hæc flagella minora essent ejus tyrannide et duritie, nec mollire aut frangere possent ejus animum, ita libidine dominandi Hebræis accensum et obfirmatum, sed potius magis eum in illa accenderent et obfirmarent : cor enim ejus erat durum instar adamantis, qui quo magis tunditur, eo magis indurescit; durus enim et depravatus affectus omnia in suam duritiem et pravitatem convertit; et licet durante flagello videretur subinde molliri (prout alternantibus animi affectibus, subinde ad tempus molliuntur homines duri), tamen eo cessante, mox ad ingenium et duritiem suam redibat. Unde *Exodi* VIII, 15, dicitur : « Videns Pharao quod data esset requies, ingravavit cor suum. » Ita S. Augustinus hic, *Quæst.* XXXVI, et Anastasius Nicenus, *Quæst.* XXIX. Itaque sicut pueri nequam et pervicaces verberibus fiunt duriores, sic et Pharao verberibus Dei. Unde sicut præceptor flagellando puerum pervicacem, dicitur eum flagellis suis obdurare, magisque pervicacem efficere : ita Deus suis plagis dicitur indurasse, et durius reddidisse cor Pharaonis, non immittendo illi duritiem, sed objiciendo illi flagella, quibus ipse magis seipsum obduravit, fortiusque Deo restitit.

Adamas tundendo indurescit : ita et Pharao.

Secundo, obduravit Deus Pharaonem per miracula, *primo,* magorum : cum enim Pharao vidit magos suos eadem portenta facere quæ faciebat Moses, contempsit portenta Mosis et Dei; unde tunc non tam Deus, quam magi dicuntur obdurasse Pharaonem. Postquam vero magi a Mose victi sunt, ab eoque ulceribus percussi, amplius coram Pharaone consistere, eumque obdurare non potuerunt, tunc demum dicitur Deus eum obdurasse, cap. IX, vers. 12 : ibi enim primo dicitur, quod Deus indurarit Pharaonem, quia scilicet hæc Dei miracula simul erant plagæ et verbera, quæ animum Pharaonis durum tundentia, non molliebant, sed duriorem efficiebant. Adde *tertio,* Deus post plagas objiciebat Pharaoni hasce aut similes cogitationes : Vult Deus ut illi cedas et te humilies; vult ut animum superbum et durum deponas; vult ut populum Hebræum, quem tyrannice opprimis, dimittas, esto ille tibi magno sit honori, utilitati et gloriæ. Quibus cogitationibus irritatus superbus Pharaonis animus, magis intumescebat, indurescebat, excandescebat et reluctabatur Deo, dicebatque : Quis mihi imperabit? ego sum Pharao rex magnus. Quis est Deus Hebræorum qui hanc prædam mihi eripiat? non cedam, non dimittam populum. Et hoc proprie videntur significare verba Scripturæ, quibus post plagas plerasque statim subditur : « Induravitque Dominus cor Pharaonis, et non audivit eos. » Et hoc sensu ait Augustinus, lib. V *Contra Julianum,* cap. III, Deum non tantum sua patientia, sed et potentia (id est potenti imperio, plagis et flagellis) Pharaonem obdurasse. Obduravit ergo Deus Pharaonem, id est, illo providentiæ modo in miraculis et flagellis tum immittendis, tum revocandis, in magorum artibus permittendis, in rigore rigidaque petitione Mosis, et aliis circa illum usus est Deus, quibus Pharao obduruit magis, quibusque Deus eum se ex propria malitia, proprioque voluntatis arbitrio magis obduraturum præsciebat, non autem quibus ipse eum obdurare intendebat.

Cogitationes Pharaonis quæ eum obdurarunt.

Quæstio III. Quid sit durities cordis, et qui ejus effectus?

Quæres *tertio,* quid sit durities cordis, et quæ illius sint proprietates et effectus?

Respondet S. Bernardus, lib. I *De Consider. ad Eugenium* : « Cor durum, inquit, est quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, nec cedit minis, quin etiam flagellis duratur magis. Cor durum est ingratum ad beneficia, ad consilia infidum, ad judicia sævum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina : præteritorum obliviscens, præsentium negligens, futurorum improvidum : ipsum enim est, cui præteritorum, præter solas injurias, nihil omnino non præterit, præsentium nihil non perit, futurorum nulla est, nisi forte ad ulciscendum prospectio; et, ut brevi cuncta horribilis mali mala complectar, cor durum est, quod nec Deum timet, nec homines reveretur. »

Proprietates duri cordis. Prima.

Jam proprietates duri cordis sunt, *primo*, indurati corde nolunt intelligere ut bene agant, oculos et aures claudunt salutaribus monitis, nolunt audire ea quæ sunt virtutis et salutis. « Qui, ut ait Job, cap. XXI, vers. 14, dixerunt Deo, recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. » Sic Pharao, *Exodi* V, 2 : « Quis est, inquit, Dominus ut audiam vocem ejus? nescio Dominum; » hinc Job, cap. XXIV, ait tales esse rebelles lumini.

Secunda.

Hinc *secundo*, tales vicissim relinquit, projicit et despicit Deus, *Prov.* I : « Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis : ego quoque in interitu vestro ridebo et subsannabo. »

Tertia.

Tertio, « tales, ut ait Sapiens, *Proverb.* II, lætantur cum malefecerint, et exultant in rebus pessimis; quorum viæ sunt perversæ, et infames gressus eorum; » et cap. XII : « Quasi per risum stultus operatur scelus. »

Quarta.

Quarto, indurati venerunt in profundum malorum, Deumque et homines contemnunt. *Prov.* XVIII : « Impius, inquit, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit, sed sequitur eum ignominia et opprobrium. »

Quinta.

Quinto, peccatum eorum dicitur indelebile, et vulnus insanabile, quia ægre et vix remittitur; hinc *Jerem.* XVII : « Peccatum Juda, inquit, scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino; » et cap. XXX : « Insanabilis fractura tua. »

Sexta.

Sexto, non pudet illos scelerum etiam turpissimorum, sed, ut ait Jeremias, cap. III : « Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. »

Septima.

Septimo, tales sunt pene incorrigibiles : unde de iis ait Sapiens, *Eccle.* VII : « Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit; » et *Sap.* XII : « Nequam est natio eorum, et naturalis malitia ipsorum, et non poterat mutari cogitatio eorum in perpetuum. »

Octava.

Octavo, tales percussi a Deo non sentiunt. *Jerem.* V : « Domine, percussisti eos, et non doluerunt; » tales etiam non sentiunt stimulos et remorsus conscientiæ, quia eam quasi exstinxerunt.

Nona.

Nono, ob inveteratam et roboratam peccandi consuetudinem, fit istis quasi impossibile bene agere, et non peccare. *Jerem.* XIII : « Si mutare potest æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas; et vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum. » Et S. Augustinus, lib. VI *Confess.* : « Suspirabam, ait, ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, et inde funes mihi fecerat. Ex perversa enim voluntate facta est consuetudo, et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas; quibusdam annulis sibimet annexis tenebat me stricte dura servitus. »

Decima.

Decimo, S. Paulus *ad Romanos*, I et II, ait tales thesaurizare sibi iram, et traditos esse in reprobum sensum, et alibi vocat eos filios perditionis et diffidentiæ, et vasa apta in interitum, qui desperantes se tradiderunt in omnem operationem immunditiæ.

Undecima.

Undecimo, isti peccata peccatis cumulant, et in dies in pejus proficiunt, et, ut dicitur *Apoc.* XXII, qui in sordibus sunt, sordescunt adhuc. « Tunc est consummata infelicitas, ait Seneca in *Prov.*, ubi turpia non solum dilectant; sed etiam placent; et desinit esse remedio locus, ubi quæ fuerant vitia, mores fiunt. » Talis fuit Cain, *Genes.* IV, 18; filii Heli, I *Reg.* II, 22; Saul, I *Reg.* XVII, 18; Sedecias, II *Paralip.* XXXVI, 13; Judæi, *Jerem.* II, 20; principes sacerdotum, *Matth.* XXVII, 4.

Quæstio IV. Quomodo Deus tractet obduratos? Resp. primo.

Quæres *quarto*, quomodo Deus tractet obduratos, et quomodo se erga eos gerat?

Respondeo : In pœnam peccatorum quæ admiserunt, *primo*, permittit eos sequi suas cupiditates et libidines, nec ab illis removet earum illecebras, occasiones et tentationes, *Psal.* LXXX : « Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis. » Et Paulus *ad Rom.* I, ait Deum eos tradidisse in desideria cordis eorum; hinc et *Psal.* LXXII, dicitur : « Transierunt in affectum cordis, » id est, quidquid corde affectarunt et concupierunt, hoc assecuti sunt, omniaque eis ex voto successerunt.

Secundo.

Secundo, dat eis Deus affluentiam rerum temporalium, et prosperos successus, quibus illi excæcati ruunt in omnia scelera suumque exitium, *Ps.* LXXII : « Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, » id est, ex corde adipato et pingui, ob abundantiam rerum temporalium, iniquitas eorum processit.

Tertio.

Tertio, aufert ab eis Deus tribulationes, quibus castigati peccatores redeunt ad sanam mentem, *Psal.* LXXII : « In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur; » aut si eos flagellat, minora eis immittit, quam ut eorum durities flecti aut frangi possit, quo fit ut ipsi flagellis Dei magis se obdurent.

Quarto.

Quarto, Deus vetat Sanctos orare pro talibus, *Jerem.* VII : « Tu noli orare pro populo hoc, et non obsistas mihi, quia non exaudiam te; » et cap. XV : « Si steterit Moses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum. »

Quinto.

Quinto, amovet Deus ab eis bonos monitores, confessarios, doctores et angelos sanctos, *Jerem.* LI : « Curavimus Babylonem, et non est sanata : derelinquamus ergo eam, quoniam pervenit usque ad cœlum judicium ejus; » et Paulus *Act.* XIII, ad Judæos : « Quoniam repellitis illud (verbum et regnum Dei), ecce convertimur ad Gentes; sic enim præcepit nobis Dominus. »

Sexto.

Sexto, aufert ab eis prædicationem verbi sui, qua animus illuminatur, pascitur, flectitur, excitatur ad pœnitentiam. *Amos* VIII : « Emittam famem in terram : non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini. »

Septimo.

Septimo, Dei permissu tales incidunt in adula-

tores, et malos consiliarios, qui eos in mala, suamque ruinam impellant. Sic Roboam stultorum juvenum consilium sequens, magnam regni partem perdidit. Sic Absalon neglexit utile consilium Achitophel, prætulitque consilium Chusai, quod sibi fuit exitio.

Octavo. *Octavo*, permittit Deus enasci falsos doctores et prophetas, qui suis signis, hypocrisi, blandiloquentia, induratos seducant, uti fecerunt magi apud Pharaonem, itaque faciet Antichristus, II *Thessal.* II, 12.

Nono. *Nono*, laxat Deus habenas diabolo; ampliorem dans ei facultatem insidiandi et nocendi talibus hominibus, qua ille accepta, eos mire exagitat et tentat, tum seducendo eorum mentes vanis et falsis opinionibus, tum objiciendo varia objecta voluptatum, variasque illecebras vitiorum, tum etiam turbando phantasmata, et inflammando affectus, tum pseudoprophetas mittendo qui eos seducant, de qua re mira extat visio Michææ prophetæ III *Reg.* XXII, 19.

Decimo. *Decimo*, aufert ab eis bona exempla, bonos præsides et principes, bonos socios, omniaque pene salutis subsidia, et contraria eis objici permittit, quæ eos incitent ad omne malum, quo fit ut nusquam non offendant et cadant, quod pulchra similitudine vineæ declarat Isaias cap. V. Ita Pererius.

Denique obstinatæ voluntatis merces est obstinatum et perpetuum gehennæ incendium. Audi S. Bernardum *Epist.* 253 : « Ob hoc inflexibilis et obstinatæ mentis malum punitur æternaliter, licet temporaliter perpetratum; quia quod breve fuit tempore, vel opere, longum esse constat in pertinaci voluntate : ita ut si nunquam moreretur, nunquam velle peccare desineret, imo semper vivere vellet, ut semper peccare posset. »

Vers. 4. 4. IMMITTAMQUE MANUM, — percutiam, affligam, puniam.

PER JUDICIA MAXIMA, — per maximas plagas. Unde Septuaginta vertunt σὺν ἐκδικήσει μεγάλῃ, *cum ultione magna*, quæ omnibus justissimum Dei judicium in Ægyptios ostendat.

Vers. 6. 6. ITA EGERUNT. — Est pleonasmus Hebraicus. Jam enim dixit eos ita fecisse.

Vers. 7. 7. ERAT AUTEM MOSES OCTOGINTA ANNORUM. — Ergo cum Moses 40 annis præfuerit populo in deserto, *Deuter.* VIII, 2, mortuusque sit anno ætatis 120, *Deuter.* XXXIV, 7, hinc sequitur eum statim hæc signa et has plagas coram Pharaone inchoasse, easque omnes brevi tempore complesse, cum inchoaret annum ætatis 81, eodemque anno sub initium veris, populum ex Ægypto eduxisse. Ita Rupertus et Abulensis.

Vers. 8. 8. DIXITQUE DOMINUS AD MOSEN ET AARON, — ad Aaron mediate; nam immediate soli Mosi loquebatur Deus. Unde subdit : « Dices ad Aaron. »

Vers. 9. 9. OSTENDITE SIGNA.— Hebraice est, *date pro vobis signum*, id est, signo probate ea quæ dicitis, scilicet Deum velle, ut ego Hebræos ex Ægypto dimittam.

TOLLE VIRGAM TUAM. — Eadem virga nunc Mosis, nunc Aaronis, nunc Dei dicitur, quia horum omnium fuit instrumentum ad patranda miracula et plagas Ægypti.

10. FECERUNT SICUT PRÆCEPERAT DOMINUS. — Ergo prius Moses et Aaron rogarunt Pharaonem ex parte Dei, ut dimitteret Hebræos ad tres diætas sacrificii causa; sed cum hoc abnueret Pharao, et peteret signum, mox Aaron protulit virgam, quæ versa est in colubrum : Deus enim non volebat hæc signa ultro obtrudi Pharaoni, sed tantum ea fieri illo petente, ut patet vers. 9. Vers. 10.

TULIT. — Hebraice, chald. et græce est *projecit*.

11. VOCAVIT AUTEM PHARAO SAPIENTES ET MALEFICOS. — « Sapientes » hic vocantur rerum arcanarum, vel artis admirabilis periti, qui et malefici et incantatores erant. Pro *maleficos* hebraice est מְכַשְּׁפִים *meccassephim*, quod proprie præstigiatores significat, sed extenditur ad quoslibet magos. Septuaginta vertunt, *sophistas* et *pharmacos*, id est veneficos; Onkelos vertit, *magos*; Aquila κρυφιαστάς, id est occultorum cognitores et patratores. Vers. 11.

Principes horum fuerunt Jannes et Mambres, ut patet II *Timoth.* III, vers. 8, de quorum sepulcro mira narrat Palladius in Vita beati Macarii ab eo visa et comperta : scilicet sepultos eos esse in hortis, in quibus ipsi dum viverent, omnis generis arbores plantaverant, sperantes fore ut, post mortem in illo quasi paradiso, deliciis fruerentur; hic autem locus tenebatur a dæmonibus, qui proinde beatum Macarium eum ingredientem invaserunt, sed ab eo signo crucis fugati sunt. Macarius autem singula lustrans, invenit fructum malorum punicorum, quæ nihil intus habebant : erant enim arefacta a sole; plurima item aurea donaria. Magi Pharaonis fuerunt Jannes et Mambres : eorum sepulcrum.

Nota : Plinius, Justinus, S. Augustinus et alii passim tradunt inventorem magiæ fuisse Zoroastrem, qui eodem die quo natus est risit, vixitque tempore Nini et Abrahæ, fere 600 annis ante Mosen : hunc Zoroastrem nonnulli volunt esse Cham filium Noe. Inventor magiæ Zoroastres.

Apud Cassianum vero Serenus Abbas, *Coll.* VIII, cap. XXI, originem magiæ priorem diluvio facit : ait enim illam cœpisse eo tempore, quo filii Dei permixti sunt filiabus hominum, *Genes.* VI, nec periisse magiam diluvio, eo quod Cham illam didicerit ante diluvium, et promulgarit post diluvium. Et Cham.

FECERUNT SIMILITER.— Quæres, quot modis possint magi et dæmones mira sua efficere (1)? Quot modis mira efficere possint magi et dæmones?

Suppono, nec dæmones, nec magos posse vera miracula efficere. Miraculum enim est id quod omnem naturæ vim, omnemque causarum naturalium ac hominum et angelorum facultatem superat : possunt tamen facere nonnulla, quæ ho-

(1) Cf. Meignan, *Les Prophéties Messianiques de l'Anc. Test.*, pag. 162.

minum aliarumque rerum naturalium vim superant, quæ proinde hominibus mira sunt, non miracula.

Resp. primo, perstringendo oculos vel phantasiam.

Dico *primo*, mira pleraque quæ facit dæmon, non sunt res veræ et reales, sed tantum præstigiæ. Potest enim dæmon phantasiam, vel oculos ita perstringere et ludificare, ut videre se putent quod revera non existit, idque *primo*, phantasiam hominum ita valide commovendo, ut imaginentur se videre id quod non existit, quomodo somniantes putamus nos mira videre, quæ revera non sunt. Mira hujus rei exempla affert Galenus et alii, ut de illo qui per vitiatam imaginationem putabat, se nasum habere ingentem instar ulnæ; et altero, qui nolebat tangi, eo quod se diceret habere corpus vitreum; et tertio, qui edere nolebat, eo quod diceret se esse mortuum. *Secundo*, organum visus turbando, quomodo ophthalmici mira se videre putant quæ revera non sunt, nec videntur. *Tertio*, exterius medium immutando, quomodo in aquis baculus rectus videtur fractus vel reflexus. Hoc modo, per præstigias scilicet, Apollonius Tyanæus mortuum resuscitavit; nam ope dæmonis illusit oculis hominum, ut *Odys. κ'.* vivum putarent qui erat mortuus. Hoc modo et Circe maga Ulyssis socios in varias bestias transformavit. Sic et veneficæ illæ Italæ, quarum meminit Augustinus, lib. XVIII *De Civit.* XVIII, viatores transformabant in jumenta quæ sua onera bajularent. Sic et hodie lycanthropi per præstigias se in lupos transformant, ovesque, quin et homines invadunt et laniant. Sic etiam dæmon sagis dat aurum, argentum, et cibos subinde, non veros, sed phantasticos; unde cum ad se redeunt, esuriunt, ac si nihil comedissent.

Secundo, per motum localem.

Dico *secundo*, dæmones mira possunt facere per motum localem : sunt enim celerrimi et fortissimi. Sic *primo*, Satan igne e cœlo demisso oves et pueros Job consumpsit, *Job* I. Sic hisce annis per ventos validissimos domos et turres subvertit. Sic *secundo*, sustulit Simonem Magum in aera, ut volaret; sic et hodie volant sagæ nostræ. Sic ait Albertus Magnus aliquando boves pluisse, quos videlicet aliunde dæmones, vel angeli prius in aera sustulerant. *Tertio*, potest dæmon subito hominem, vel rem aliam e conspectu hominum subtrahere, atque ita reddere invisibilem. Sic Apollonius ex oculis Domitiani evanuit. Sic Gyges per annulum faciebat se præsentibus invisibilem. Non potest autem dæmon facere, ut unum corpus sit in duobus locis, aut duo corpora in uno loco, ut corpus de extremo in extremum transeat, non pertranseundo spatium medium. Rursum : « Cum dæmon, inquit S. Thomas, I *p.*, *Quæst.* CXIV, art. 4, ad 2, possit formare corpus ex aere, cujuscumque formæ et figuræ, ut illud assumens in eo visibiliter appareat : eadem ratione cuicumque rei corporeæ potest circumponere quamque formam corpoream, ut in ejus specie videatur. » *Quarto*, potest facere dæmon ut statuæ moveantur, ambulent et loquantur, quia ipse eas movet, et juxta eas sermonem humano similem in aere efformat. Simili modo effecit ut Claudia, Vestalis Romana, in testimonium pudicitiæ, navem in Tiberi hærentem zona sua extraheret, et duceret quo vellet; Tuccia vero eamdem ob causam, aquam Tiberi haustam in cribro, ad Capitolium perferret. *Quinto*, potest dæmon cadavera aut larvas hominum, leonum et animalium induere, per eaque, quasi viva essent, ludificare et terrere homines, uti conatus est facere S. Antonio. *Sexto*, miros affectus amoris, odii, iræ, tristitiæ, mira etiam phantasmata in homine excitat, commovendo humores in corpore, præsertim bilem atram et flavam.

Tertio, applicando activa passivis.

Dico *tertio*, potest dæmon mira efficere applicando activa passivis, eaque commiscendo per causas naturales; rerum enim naturalium miras virtutes ipse penitissime cognoscit. Si enim theriacam et pharmaca faciunt Medici, quorum miras virtutes experimur : multo majora facere potest dæmon, qui longe melius vires herbarum, gemmarum, animalium aliarumque rerum cognoscit, quique eas ex India, aliove orbe celerrime afferre, et cum aliis permiscere potest; nullam vero formam substantialem, vel accidentalem immediate producere potest dæmon; imo non potest animal perfectum producere sine semine, aut ex semine subito perfectum et justæ magnitudinis efformare; denique non potest quidvis in quodvis transformare, nec suspendere actionem causarum naturalium.

Hoc tertio modo mira posse efficere dæmones patet, tum ex eo quod hoc modo res nonnullas mira agere videamus, uti de remora pisciculo narrat Plinius, lib. XXXI, cap. I, quod ingentes naves si eis adhæreat, etiamsi ventis validissimis agitentur, remoretur et sistat; tum quod homines hoc modo mira agant, uti de Archimede narrat Plutarchus in *Marcello*, quod ipse solus per machinas mathematicas ingentem navem onerariam ad se adduxerit, et ingentem stragem in classe Romanorum ediderit. Hoc modo et Severinus Boetius in epistola quadam sive a Cassiodoro, sive a Theodorico ad eum scripta, dicitur quasi miracula quædam fecisse, scilicet ut metalla mugirent, æneus anguis sibilaret, aves simulatæ canerent dulcissime, homines aerii in aere buccinarentur. Plura vide apud Delrium *De Magia*.

Vers. 12. An dracones magorum veri?

12. PROJECERUNTQUE SINGULI VIRGAS SUAS, QUÆ VERSÆ SUNT IN DRACONES. — Aliqui putant magos hos non veros exhibuisse dracones, sed per præstigias suas illusisse oculis spectantium, vel eis objecisse tantum larvas et simulacra quædam draconum, quomodo nostri ludiones et agyrtæ præstigiatores, per cortinam mira populo exhibent simulacra rerum quæ non sunt. Ita Nyssenus, Prosperus, I p. *De Promiss.* cap. XV; Justinus in *Quæst. orthodox.*, Quæst. 26; Rupertus, et Tertullianus, lib. *De Anima*, ubi ait : « Solent dæmones

Negat Nyssenus.

phantasmata præstare, et corpora fingere, quibus exteriores oculos circumveniunt; sed Mosis veritas mendacium eorum devoravit. »

Affirmat S. Augustinus, idque verius est.

Verum verius est, quod censent S. Augustinus, Theodoretus, Lyranus, Abulensis, Burgensis, Cajetanus et alii, veros hos magorum fuisse dracones.

Probatur *primo,* nam S. Scriptura æque hos magorum, atque illos Aaronis et Mosis, dracones vocat. *Secundo,* quia draco Aaronis devoravit dracones magorum : quæ sane devoratio vera fuit. Neque enim in divinis his Mosis portentis ulla fuit illusio : sic enim vanis spectris lusisset Ægyptios Moses; fuerunt ergo veri dracones, qui a magis producti a dracone Aaronis sunt devorati. *Tertio,* quia in tertio signo ciniphum defecerunt magi, quia non potuerunt eos producere; ergo priora duo signa vere fecerunt, alioqui etiam in ipsis defecissent. *Quarto,* si non fuissent veri serpentes, Moses detexisset hanc fallaciam, itaque eos confudisset. Denique dæmon hic omnem suam vim et industriam exseruit; ergo veros hic exhibuit dracones; verebatur enim ne, si fictos exhiberet, Moses fraudem detegeret, magna sua et magorum ignominia et ludibrio.

Quomodo magi produxerint dracones? Resp. primo Cajetanus per agentia naturalia.

Quæres, quomodo hos dracones produxerint magi?

Cajetanus putat dæmones has virgas magorum per res aliquas naturales nobis ignotas, sed efficacissimas, sensim jam ante disposuisse ad formam draconum; ita ut, cum magi virgas in terram projicerent, illæ jam ultimam haberent dispositionem ad formam draconum, quæ proinde tunc statim sit inducta productique sint veri dracones.

Refellitur.

Verum hoc parum est probabile, tum quia dracones cum sint animalia perfecta, non possunt nisi ex semine parentis (quod hic non fuit) generari; tum quia nulla causa naturalis potest virgam immediate in draconem convertere : longissime enim distant virga et draco; sed prius virgæ corrumpi, et in alias aliasque res, ac tandem in dracones converti debent. Hic autem virgæ cum magi eas projicerent, erant veræ virgæ; ac statim pro virgis apparuerunt dracones : ergo non potuerunt illi tam cito et immediate ex conversione virgarum effici : inter formas enim est ordo quidam naturalis, qui nec a dæmone, nec ab angelo, sed a solo Deo immutari potest. *Tertio,* quia dracones hi non erant teneri et parvi, sed magni, perfecti et longi instar virgarum : erant enim æquales virgis; alioqui non fuissent visæ virgæ mutari in dracones.

Resp. secundo Calvinus, Deum dracones magorum produxisse.

Secundo, Calvinus censet Deum virgas magorum mutasse in serpentes, eos scilicet creando, quos magi pro virgis supponerent : Deum autem id fecisse justa vindicta, ut scilicet Pharaonem et Ægyptios, impios et incredulos mendacio irretiret et obduraret. Sed apage blasphemiæ monstrum! Scriptura enim vers. 11, diserte ait hæc non per Deum, sed per incantationes magorum, quibus utique invocatus dæmon aderat, effecta esse : et si Deus hic utrobique, scilicet tam apud Mosen, quam apud magos, fuit opifex draconum; ergo secum ipse pugnavit, et tam mendacii magorum, quam veritatis apud Mosen testis fuit : tam enim hoc, quam istud per opus supernaturale, perque sigillum sibi proprium, puta per miraculum, obsignavit et confirmavit. Refellitur.

Resp. tertio, et vere, dæmones aliunde hos dracones adduxisse.

Dico ergo dæmones aliunde hos dracones adduxisse, eosque virgis subito et imperceptibiliter subductis, earum loco substituisse : ita ut quicumque hæc videret, magiæ et fraudis ignarus, putaret magos æque ac Aaronem, virgas suas in serpentes convertisse : et hac ratione Scriptura, quæ more vulgi loquitur, dicit magos fecisse similiter ac fecerat Aaron; simili enim modo dicit cap. III, vers. 2, rubum arsisse, quia intuentibus videbatur ardere, cum revera non arderet; sic angelos ait comedisse, quia videbantur comedere, cum revera non comederent.

Idem dico de secundo et tertio signo, nimirum de aqua in sanguinem versa, et de ranis a magis productis : videlicet tam sanguinem, quam ranas non fuisse a dæmone producta, sed aliunde adducta. Naturaliter enim verus sanguis nec alibi generari potest, quam in animali, nec aliter, quam virtute animæ, et per calorem naturalem qui est in animali. Moses vero supernaturaliter Dei virtute aquam in sanguinem vertit, et ranas subito ex aquis produxit. Hinc Hebræi hi magi vocantur *mecassephim,* id est præstigiatores, non quoad rem productam, vel potius adductam, sed quoad modum operandi. Videbantur enim virgam in draconem convertere, cum reipsa non converterent, sed draconem aliunde adducerent, et latenter pro virga substituerent.

Sex causæ ob quas Deus permisit magos mira hæc efficere.

Quæres, cur permisit Deus magos hæc mira efficere?

Respondeo *primo,* ut ostenderet quantum ars magica possit, quamque sensibus hominum imponat. *Secundo,* ut in hisce miris magi superarentur a Mose, nec magus putaretur esse Moses, sed potius appareret magorum antagonista, victor et domitor, ac consequenter verus magnusque magni Dei servus et Propheta : ita S. Chrysostomus, hom. 46 *in Acta Apostolorum. Tertio,* ut ostenderet impios piis, pseudoprophetas prophetis semper adversari et obluctari : ita Michaeli restitit Lucifer, Abelo Cain, Isaaco Ismael, Jacobo Esau, Josepho fratres, Mosi Dathan et Abiron, S. Petro Simon Magus, Paulo Judæi, Apostolis philosophi, magi et hæretici. *Quarto,* ut ostenderet dæmonem esse veluti simiam Dei; sicut enim Deus, sic et dæmon Dei æmulus vult habere suos prophetas, sua templa, sua sacrificia, sua miracula, suos Religiosos. *Quinto,* ad probandam fidem et constantiam Mosis et Hebræorum, num per hæc magorum signa in veri Dei cultu, ejusque promissis sibi factis titubarent et dubitarent.

Sexto, ad majorem excæcationem et punitionem Pharaonis.

Diabolus est serpens, cur? Denique permissus est dæmon efficere serpentem, quia ipse est serpens antiquus, qui Evam decepit, et etiamnum multos decipit. Audi S. Cyprianum tract. *de Simplic. Clericor.*: « Diabolus est serpens, quia cum latenter obrepit, cum per pacis imaginem fallens, occultis accessibus serpit (unde nomen serpentis accepit), ea est ejus astutia, ea est circumveniendi hominis cæca et latebrosa fallacia; ut asserere videatur noctem pro die, venenum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub prætextu fidei, Antichristum sub vocabulo Christi : ut, dum veri similia mentitur, veritatem subtilitate frustretur. Nam transfigurat se in angelum lucis. » Hucusque Cyprianus vel potius Origenes. Origenis enim hunc tractatum esse, et a Cypriano, vel ab alio ea ætate ex Græco in Latinum esse conversum, tum ex phrasi et græcismis, tum plurium Doctorum auctoritate docet Pamelius in præfatione illius libri. Et S. Gregorius, lib. XXXII *Moral.* cap. XX : « Diabolus, ait, dicitur jumentum, draco et avis; homines enim tentat tribus vitiis : luxuria, malitia et superbia. In eis igitur quos ad luxuriam excitat, jumentum est; ad nocendi malitiam, draco est; ad superbiam, avis est. » Et S. Leo, serm. 8 *De Nativit.* : Diabolus est vafer serpens : quia « novit cui adhibeat æstus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus invidiæ. Novit quem mœrore conturbet, quem fallat gaudio, quem metu opprimat, quem admiratione seducat; omnium discutit consuetudinem, ventilat curas, scrutatur affectus : et ibi causas quærit nocendi, ubi quemque viderit studiosius occupari. »

Virga, id est serpens, cur? SED DEVORAVIT VIRGA AARON VIRGAS EORUM. — « Virga, » id est serpens in quem virga erat conversa, « devoravit virgas, » id est serpentes sive dracones, in quos virgæ eorum erant conversæ. Jam enim non virga erat, sed serpens; nec virgæ, sed serpentes habent os, quo alia devorare possint; est metonymia : res enim sæpe appellantur ex eo quod fuerunt, sive nomine rei ex qua sunt conversæ. Ita Philo, S. Augustinus, Prosper supra, Ambrosius, lib. III *Offic.* cap. XIV, Cajetanus et alii. Simili, sed potiori ratione (quidquid hic Calvinus obstrepat), caro Christi in Venerabili Sacramento dicitur panis I *Cor.* cap. XI, vers. 26, et *Joan.* cap. VI, vers. 31. Nam Hebræi quemlibet cibum, etiam carnem, vocant panem; præsertim cum in Eucharistia accidentia panis remaneant et videantur, ita ut homines ex oculis et sensu judicantes, recte panem nominent, quia panis species vident et tangunt. Hinc patet quod Deus permiserit magos tam mira operari eo fine, ut illustrior foret victoria sua, id est Dei veri contra deos, vel dæmones potius, Ægyptiorum; ipse enim vero miraculo falsa eorum oppressit.

Nota hic : Solet Deus detegere, aut dare indicia sufficientia fraudis et imposturæ, cum magi, hæretici vel infideles faciunt mira, quæ pro miraculis venditant. Hoc enim pertinet ad Dei providentiam curamque quam circa homines, præsertim fideles et bonos, gerit, ne illi inviti et inscii in errorem inducantur. Fuit ergo hic Pharao inexcusabilis.

Octo modis vera miracula a falsis secernuntur. Quæres, quibus modis soleat Deus vera miracula a falsis discernere.

Tria signa et discrimina in magis his assignat Theodoretus.

Primo. *Primo* : « Mutabant, inquit, illi quidem virgas in serpentes, sed virga Mosis virgas illorum devoravit : mutabant aquam in sanguinem, sed sanguinem in priorem naturam reducere non poterant : produxerunt illi ranas, sed molestiam et incommoda ranarum Ægyptiis auferre non poterant, sicut fecit Moses. Concessit itaque Deus magis talia facere, ut etiam per ipsos castigaret Ægyptios : non tamen concessit eis, ut illatam plagam auferre possent. Non ergo fuit contentus Deus plagis a Mose illatis, sed eas per magos adauxit, *q. d.* regi : Quia puniri te delectat, tuorum etiam servorum opera te castigabo, et gravius plectam. »

Secundo. *Secundo* : « Cum videt regem ob id magis indurari, magorum facultatem cohibuit, ut qui majora animalia, puta ranas, produxerant, parvos ciniphes producere non possent, coegitque eos confiteri suam imbecillitatem, ac dicere : Digitus Dei est hic, » cap. VIII, vers. 19.

Tertio. *Tertio* : « Magorum corpora pustulis afflixit, cap. IX, vers. 11, ut tum illi, tum fatuus eorum rex evidenter cognoscerent, quod non solum plagas a Deo immissas auferre non possent, sed etiam ipsi cum reliquis plecterentur. » Hucusque Theodoretus.

Quarto. *Quarto,* his addit S. Augustinus, *Quæst.* LXXIX inter 83, vera miracula a falsis discerni jure, id est, auctoritate et potestate qua fiunt : « Magi, inquit, mira faciunt per privata commercia cum dæmone, Sancti vero ea faciunt publica administratione, et jussu ejus cui omnis creatura subjecta est. Magi ergo per privatos contractus, Sancti vero per publicam justitiam hæc operantur. »

Quinto. Adde *quinto,* qui faciunt vera miracula, sunt fideles, probi et sancti ut plurimum; qui vero falsa faciunt, sunt improbi, flagitiosi et sæpe malefici.

Sexto. *Sexto,* quæ faciunt magi, sæpe sunt tantum phantastica et simulata, ideoque non sunt diuturna, sed mox detegitur eorum falsitas et vanitas; vel sunt plane inutilia, imo etiam perniciosa : vera autem miracula sunt opera vera et solida, et utilia hominibus, nec nisi magna quapiam utilitate aut necessitate facta.

Septimo. *Septimo,* magi in suis utuntur multis præstigiis, mendaciis, ludificationibus hominum, variisque signis et figuris, v. g. litteris et verbis, vel nihil vel absurda significantibus, aliisque su-

perstitiosis cæremoniis, miscentque sacra profanis, itaque ea profanant et contaminant : nihil tale faciunt Sancti, sed per preces, signum crucis, aliasque res sacras miracula operantur.

Octavo. *Octavo*, magi et dæmones mira faciunt malo fine, puta ob lucrum, vanam ostentationem, gloriam, vel honorem, ut divinum nomen et cultum sibi concilient; vel ut pervertant veram fidem, falsamque hominibus persuadeant; vel ad patranda maleficia et scelera, uti sunt furta, adulteria, neces hominum et animalium : Sancti vero ea faciunt, ut Deum honorent et glorificent, utque sanctam Ecclesiam ædificent et illustrent, atque homines tum in corpore, tum magis in animo et spiritu adjuvent. « Magi, inquit S. Augustinus supra, faciunt quæ videntur miracula, quærentes gloriam suam : Sancti vero faciunt miracula, quærentes gloriam Dei. » Magi ergo hi vanæ ostentationis causa sua signa promebant; Aaron vero causa justæ vindictæ et increpationis. Sciebat enim Pharao injuste se premere Hebræos, justeque ideo vindicem Dei manum sentire. Ergo magi arcano carmine ac ritu, qui satis principem tenebrarum invocari monstraret, sua signa edebant : Aaron vero Dei jussu et publica manuum elatione, quasi Dei nomine, aquis aliisque rebus imperans; quem verum esse Deum facile agnosci poterat, tum quia natura docet primum ens, sive ens entium a quo manat omne ens, quod significat nomen Jeheva a Mose semper signis prælatum, esse ipsummet Deum; tum quia ex præcedentium sæculorum historia facile scire poterant, Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, etc., Deum verum coluisse, ab eoque mire semper adjutos esse; eumdem autem invocabat hic Moses quasi Deum patrum suorum.

Allegorice, Origenes : « Virga Mosis, inquit, est crux Christi; hæc postquam in terram projecta est, id est postquam ad credulitatem et fidem hominum venit, conversa est in sapientiam, et tantam sapientiam, quæ omnem Ægyptiorum, id est hujus mundi sapientiam devoraret. » Et S. Ambrosius, lib. III *Offic.* cap. XIV : « Projecit Moses, inquit, virgam, et serpens facta devoravit serpentes Ægyptiorum; significans quod Verbum caro fieret, quæ serpentis dira venena vacuaret per remissionem et indulgentiam peccatorum. Virga enim est verbum directum, regale, plenum potestatis, insigne imperii. Virga serpens facta est, quoniam qui erat Filius Dei, ex Deo Patre natus, filius hominis factus est, natus ex Virgine, qui quasi serpens exaltatus in cruce, medicinam vulneribus infudit humanis. Unde et ipse Dominus ait : Sicut Moses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis. » Similia habet Rupertus et Prosper in *Catena Lipomani*. Ibidem S. Hieronymus : « Sicut virga Mosis, inquit, devoravit virgas magorum, ita mendacium Antichristi Christi veritas devorabit. » Isidorus vero : « Virga Mosis, inquit, in draconem conversa, magorum absorbuit virgas : et Christus postposita gloriæ suæ dignitate, factus est obediens usque ad mortem, et per ipsam mortem carnis consumpsit aculeum mortis, attestante Propheta : Ero mors tua, o mors, ero morsus tuus, inferne. »

13. INDURATUMQUE EST COR PHARAONIS. — Quia vidit magos suos similia signa fecisse ac fecerat Moses, parum cogitans de devoratione, quod scilicet serpens Mosis devorasset dracones magorum. Vers. 13.

15. STABIS IN OCCURSUM. — Prævenies ejus adventum ad ripam fluminis Nili, ut veniens in te incurrat (1). Vers. 15.

17. PERCUTIAM VIRGA. — Jam ergo serpentem ex virga factum, rursum in virgam converterat Deus, ut per eam alia deinceps miracula patraret. Vers. 17.

QUÆ IN MANU MEA EST. — Verba sunt Dei, et tamen Moses virgam manu sua tenebat, non Deus; videlicet, quia Deus Mosen fecerat Deum Pharaonis, suamque ei potestatem dederat, ut juberet Aaroni percutere Nilum, itaque eum in sanguinem convertere. Hi ergo tres, scilicet Deus, Moses et Aaron, quasi unus censentur, sicuti causa principalis et instrumentaria vocantur una causa efficiens. Deus enim hic fuit causa prima, Moses fuit mandans, Aaron exequens.

18. PISCES MORIENTUR. — Pisces enim extra aquam vivere nequeunt, maxime in sanguinem, qui crassus et calidus repugnat complexioni piscium. Vers. 18.

COMPUTRESCENT AQUÆ, — morticinis piscium inficientur et corrumpentur. Aquas vocat, quæ fuerant aquæ; jam autem erant sanguis. Septuaginta vertunt, ἀποζέσει ὁ ποταμός, fervebit vel effervescet fluvius : quia pro בָּאַשׁ *baas*, id est putrescet, aliis punctis legerunt *bees*, id est in igne, scilicet erit, hoc est fervebit fluvius, ita ut videatur in igne vel igni impositus esse.

19. AFFLIGENTUR ÆGYPTII. — Hebraice נִלְאוּ *nilu*, id est laborabunt, ut bibant, *q. d.* Abhorrebunt a potu sanguinis, sitique cruciabuntur. Vers. 19.

ET OMNES LACUS AQUARUM. — Hebraice, *omnem congregationem aquarum*; sic et Septuaginta. Unde patet omnem omnino aquam, etiam puteorum, fontium et cisternarum in sanguinem esse versam, idque sequentia indicant : nam alioqui non fodissent terram ad aquam eliciendam; quod tamen fecisse dicuntur vers. 24.

ET SIT CRUOR IN OMNI TERRA ÆGYPTI. — Ergo et in terra Gessen aquæ in sanguinem sunt versæ, inquit Abulensis, sed Ægyptiis tantum. Nam Hebræis aquæ erant dulces et potabiles, inquit Josephus. Ægyptii enim in terra Gessen hac plaga erant dignissimi, utpote qui Hebræos maxime oppresserant.

(1) Notat Aben-Esra hunc morem hodieque in Ægypto obtinere, ut rex mensibus Thammuz et Ab (Junio et Julio) exeat mane ad fluvium (Nilum), visum quot gradibus aqua creverit. Nam ex eo conjecturam capiebant de illius anni futura ubertate aut sterilitate. Alii conjiciunt, Pharaonem se quovis mane ad flumen contulisse lavandi causa. Cf. supra II, 5.

Aquæ Ægyptiorum versæ sunt in sanguinem quia ipsi iis merserunt infantes Hebræorum.

Quæres, cur hac prima Ægypti plaga omnes ejus aquæ sint versæ in sanguinem? Respondeo, quia ipsi aquas suas sanguine infantium Hebræorum infecerant, submergendo eos, cap. I, vers. 22: juste ergo puniuntur in aquis, in quibus peccarant. *Secundo,* quia in Ægypto vix pluit; unde ibi vix alias habent aquas quam Nili, qui exundando fœcundat totam Ægyptum. De Nilo ergo plurimum gloriabantur Ægyptii, seque beatos jactabant. Hinc et Nilo multas superstitiones, et pene divinos honores adhibebant, uti testatur Solinus cap. XXXV, et Plinius lib. VIII, cap. XLVI. Utramque hanc causam affert Theodoretus: « Fluvius, inquit, ille mutatus in sanguinem, velut conquerebatur de cæde puerorum per Ægyptios commissa; » et, ut dicitur *Apocal.* XVI, 6: « Justus es, Domine: quia sanguinem Sanctorum et Prophetarum effuderunt, et sanguinem eis dedisti bibere: digni enim sunt. »

In conversione aquarum in sanguinem multa fuerunt miracula.

Quæres *secundo,* quanta et quam acerba fuerit hæc plaga. Respondeo *primo,* omnis omnino aqua Ægyptiorum versa est in sanguinem, totusque Nilus, quam longus est ab Æthiopia usque ad mare. Ubi nota, non unum hic fuisse miraculum, sed multa, vel potius unum continuatum, per continuam aquarum Nili affluentium in sanguinem conversionem, idque per septem dies. Nam Nilus in Æthiopia puras ferebat aquas; ubi vero attingebat fines Ægypti, mox vertebatur in sanguinem, idque assidue et continuo per septem dies. *Secundo,* aquis sublatis homines et jumenta siti cruciabantur. *Tertio;* pisces emortui sunt. Hinc *quarto,* computrescente fluvio et piscibus, pestilentia exorta est, ex qua, et ex siti adeo multi enecti jacebant in triviis, ut domestici non sufficerent ad eos sepeliendos, ait Philo. *Quinto,* aquæ non tantum colorem, sed et naturam habebant sanguinis, erantque verus sanguis. Unde si quis siti coactus inde gustasset, confestim acri dolore corripiebatur, ait Josephus.

Vers. 22. Unde magi habuerunt aquas quas verterunt in sanguinem? Resp. Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Quinto.

22. FECERUNTQUE SIMILITER MALEFICI. — Quæres, unde malefici habuerint aquam quam verterunt in sanguinem? nam omnis aqua jam a Mose conversa erat in sanguinem.

Respondet S. Justinus, Quæst. XXVI *ad Orthodoxos,* Ægyptios fodisse puteos circa flumen, et ex eis hausisse aquam. *Secundo,* Theodoretus respondet hanc aquam a mari vicino fuisse allatam: non enim aquæ marinæ, ut voluit Genebrardus, in *Psalm.* CXIV, sed tantum dulces et potabiles, teste Scriptura, conversæ fuerunt in sanguinem, ut scilicet siti cruciarentur Ægyptii. *Tertio,* alii respondent, per Dei providentiam aliquid aquæ pro magis fuisse asservatum, ut aquæ omnes, id est pene omnes, fuerint conversæ in sanguinem: exiguum enim tantæ moli nil demere videtur. *Quarto,* Hebræi putant solas aquas Nili versas fuisse in sanguinem: ergo ex fontibus eos habuisse aquas; sed hi errant, ut dixi. *Quinto,* Cajetanus censet eos habuisse aquas eas, quæ servatæ erant in vasis testaceis et metallicis. Nam Scriptura solum dicit aquas eas, quæ erant in vasis ligneis et lapideis, versas esse in sanguinem. *Sexto,* Tostatus et Lyranus putant hanc aquam celerrime a dæmone aliunde fuisse asportatam in Ægyptum. *Septimo,* S. Augustinus aquam hanc putat fuisse allatam ex terra Gessen. *Octavo,* facillime dici potest, a Mose aquam fuisse magis oblatam; Mosi enim et Hebræis erat non sanguis, sed aqua solita, dulcis et potabilis, uti dixi.

Sexto. Septimo. Octavo.

Nota, sanguinem hunc magorum non fuisse præstigiosum, ut vult Justinus; nec rursum, vere ex aquis conversum, ut vult S. Augustinus; sed aliunde a dæmone adductum, et latenter pro aquis suppositum, uti dixi vers. 12.

Moraliter vide hic quomodo diabolus cum Deo, magi cum prophetis, hæretici cum orthodoxis decertent, imitando eorum dicta et facta. Sed frustra: illa enim in ipsosmet retorquentur. Nostra ætate, uti testatur *Martyrologium Anglic.,* Richardus Vitus disputabat cum impio Anglo Calvinista, potentiore ad bibendum, quam disserendum de clavibus Ecclesiæ: cumque sibi eas datas pervicaciter hæreticus assereret, lepide et ingeniose respondit Vitus: « Credo tibi perinde ac Petro eas esse datas; verum hoc discrimine, quod huic regni cœlestis, tibi vero cerevisiariæ cellæ: hoc enim rubicundum tui nasi promontorium indicat. » Ita aquas in sanguinem vertunt hæretici. Hoc est eorum miraculum.

Vers. 23.

23. NEC APPOSUIT COR ETIAM HAC VICE, — non adjecit animum ut crederet et obediret Mosi et Deo, jubenti dimittere populum. Mira fuit hæc Pharaonis durities, cui tamen ita mens manusque a Deo ligantur, ut nil gravius in Mosen et Aaronem machinetur.

Vers. 24. Hebræi hauriebant aquam ex eodem puteo, ex quo Ægyptii sanguinem.

24. FODERUNT AUTEM OMNES ÆGYPTII PER CIRCUITUM FLUMINIS AQUAM, UT BIBERENT, — ut scilicet sanguis fluminis terra percolatus, in fossas illas defluens fieret liquidior et potabilior, sicuti nautæ per vas cæreum percolant et dulcorant aquam marinam, ut eam bibant. Foderunt ergo, ut invenirent aquam quam biberent: verum non aquam, sed sanguinem, percolatum tamen, et quasi aqueum invenerunt: ex quo permulti siti suæ succurrerunt, mortemque evaserunt; alioqui enim septem dierum siti fuissent enecti. Pauci enim vini, et pauci lactis, quo sitim depellerent, copiam habebant. Addit Philo, e venis novis fossione apertis quasi sanguinem e vulnere emicasse, ac proinde partim siti, partim potu hoc plurimos enectos esse. Ubi nota alterum et adversum miraculum: Hebræi enim ex eodem fluvio vel puteo haurientes, aquam hauriebant puram, cum ex eodem Ægyptii haurirent sanguinem, uti superius ex Josepho dixi.

Vers. 25.

25. IMPLETIQUE SUNT SEPTEM DIES. — Non quasi plaga hæc sanguinis durarit septem dies, sed quod post primam hanc plagam, quæ uno die duravit, usque ad secundam ranarum fluxerint

septem dies, inquit Eusebius in *Catena*. Verum Philo et alii passim censent hanc plagam durasse septem dies : pro uno enim die non fodissent Ægyptii novas fossas et puteos. Est ergo hebraismus : « Impleti sunt septem dies, » id est, septem dies perduravit sanguis in fluvio : post septimum vero diem in naturam aquæ reversus est sanguis, idque non rogatu Pharaonis et deprecatione Mosis, ut vult Philo : nihil enim tale habet Scriptura; sed voluntate Dei volentis Ægyptios novis aliisque plagis punire. Inflictio ergo secundæ plagæ ranarum, fuit finis primæ plagæ sanguinis.

Tropologice decem plagæ Ægypti decalogo adaptantur.

Tropologice, S. Augustinus fecit tractatum *De Convenientia decem plagarum Ægypti cum decem præceptis Decalogi*, qui extat tomo ejus IX. *Prima* ergo hac plaga, ait ipse, aqua vertitur in sanguinem, id est, Deus in idolum commutatur: homines enim carnales et insipientes indigne sentientes de majestate Dei, ejus gloriam attribuerunt animalibus et lapidibus, uti fecerunt Ægyptii : circumfodiunt puteos Philosophi, qui suo ingenio et studio parum aquæ, id est, doctrinæ de Deo, adepti sunt; sed sanguineæ, id est, admixtis erroribus conspurcatæ. Hinc Orosius, lib. VII *Histor.* cap. XXVII, docet has decem plagas allegorice adumbrasse decem Ecclesiæ nascentis persecutiones, id est, decem plagas decem Imperatoribus Ecclesiam persequentibus immissas.

Quæres, quot et quænam fuerint plagæ Ægypto a Mose et Deo inflictæ ?

Recensentur decem plagæ Ægypti.

Respondeo fuisse decem. *Prima* fuit hæc sanguinis. *Secunda* fuit ranarum, cap. VIII, vers. 3. *Tertia*, sciniphum, cap. VIII, vers. 17. *Quarta*, muscarum, cap. VIII, vers. 24. *Quinta*, pestis et interitus animalium, cap. IX, vers. 3. *Sexta*, vesicæ turgentes et ulcera, tam in hominibus quam in animalibus, cap. IX, vers. 10. *Septima*, tonitrua, grando et fulmina, cap. IX, vers. 23. *Octava*, locustæ omnia depascentes, cap. X, vers. 13. *Nona*, triduanæ tenebræ, cap. X, vers. 22. *Decima*, cædes primogenitorum, capit. XI, vers. 5, in qua Pharao permisit Hebræos egredi, sed facti pœnitens eos insequens, in mari Rubro cum omnibus suis mersus est : quæ non tam plaga, quam Pharaonis et Ægypti fuit excidium.

Cur fuerint decem?

Sed cur fuerunt decem? Respondet Philo, quia denarius symbolum est perfectionis : sicuti ergo plena et perfecta erat mensura peccatorum, sic fuit et pœnarum Ægypti. Decem enim sunt peccata primaria, quæ totidem, puta decem Decalogi præceptis adversantur. Unde totidem plagis punivit Deus impios Ægyptios, quot daturus erat populo suo mandata, quorum auctoritatem hac punitione prævia sancire voluit.

Ægyptii per omnes creaturas puniti sunt.

Ubi nota *primo* : Ægyptii per omnes fere creaturas puniti sunt, scilicet per terram, aquam, aerem et ignem : per mixta, grandinem et sanguinem : per animalia, ranas, muscas, sciniphes, locustas : per solem et astra, cum se subducendo tenebras induxerunt : per homines, Mosen et Aaron, per angelos et Deum.

Secundo, in omnibus bonis.

Secundo, in omnibus pene bonis puniti sunt, scilicet in fructibus agri, in animalibus, in filiis suis primogenitis, in auro et argento, in corporibus per ulcera.

Tertio, in omnibus sensibus.

Tertio, in omnibus sensibus puniti sunt : in visu, per tenebras et spectra; in auditu, per tonitrua; in gustu, per sitim et potum sanguinis; in odoratu, per fœtorem ranarum; in tactu, per dolorem ulcerum et morsum sciniphum; denique in phantasia et mente, per continuum mœrorem ac multiplices terrores. Hæ plagæ Ægypti fuerunt præludium et typus pœnarum gehennæ. Omnes enim hæ decem plagæ vel in se, vel in sui similibus excruciabunt Pharaonem, aliosque damnatos in inferno, cui facile est singulas adaptare. Et si ita Deus punivit Ægyptios in hac vita, quomodo puniet damnatos in gehenna? Hinc rursum « easdem plagas, inquit Irenæus lib. IV, capit. L, in fine mundi universaliter accipient gentes, quas tunc particulatim accepit Ægyptus, » easque prævidit et prædixit S. Joannes *Apocal.* cap. VIII et IX.

Hæ plagæ fuerunt præludium gehennæ.

Symbolice, Deus punit peccatores decem plagis. *Primo*, sanguine, id est discordia : aquæ enim potabiles Ægyptiis in sanguinem conversæ significant discordiam in intima Reipublicæ viscera, ac venas serpentem. *Secundo*, ranis, id est rixis et tumultibus, qui ex discordia manant. *Tertio*, culicibus, id est curis et sollicitudinibus, quæ peccatores mundo et carni deditos pungunt et discruciant. *Quarto*, muscis caninis, id est iris et odiis, quibus æstuant, et invicem mordent ac laniant. *Quinto*, peste animalium, ut scilicet in rebus terrenis oblectamenta, quæ quæsierant, non inveniant, sed potius in iis fastidia, damna, dolores et tormenta sentiant. *Sexto*, ulceribus vesicarum, id est stimulis conscientiæ, quæ quasi ulcera dolorem simul et pudorem ac horrorem afferunt. *Septimo*, grandine, id est obstinatione in suis sceleribus. *Octavo*, locustis, id est tyrannide et inquietudine concupiscentiæ. *Nono*, tenebris, id est cæcitate mentis. *Decimo*, morte primogenitorum, id est damnatione animæ. Sicut enim primogenitus in paterna domo est princeps, sic animus est in utroque homine. Ita Alcazar in *Apoc.* XI, not. 8; sed de singulis agam sigillatim inferius suis locis.

Quæstio II. Ubi et quando hæ plagæ sint factæ? Resp. in Tani, anno 81 Mosis.

Quæres *secundo*, ubi et quando hæ plagæ sint factæ? Respondeo *primo*, factæ sunt in campo Taneos, *Psalm.* LXXVII, 12. Tanis enim erat civitas regia et caput Ægypti, in qua Pharao habitabat. Plaga ergo quælibet primo feriebat Tanim, in qua erat scelerum colluvies, deinde per universam Ægyptum diffundebatur, ut tradunt Hebræi. *Secundo*, contigerunt hæ plagæ anno 81 Mosis, id est anno mundi 2454, post diluvium vero 797, ante bellum Trojanum, quod incidit in tempora Samsonis et Heli, annis 350; ante Romam condi-

tam, annis 745. Addit Paulus Orosius, lib. I *Historiarum*, cap. IX et X, plagas has contigisse sub idem tempus quo contigit diluvium, non Ogygis, ut vult Africanus, sed Deucalionis, et incendium quod vocant Phaetontis.

Quæstio III. Quanto tempore durarint? Resp. per unum mensem.

Quæres *tertio*, quanto tempore hæ plagæ durarint? Respondent Torniellus et Pererius omnes uno mense peractas esse, scilicet 27 diebus; nam post primam plagam usque ad secundam transierunt dies septem; die 9 ablata est secunda plaga ranarum; die 11 immissa est tertia plaga ciniphum; die 10 Moses minatus est muscas, et die 12 immisit eas, et die 13 removit eas; die 15 minatus est et inflixit quintam plagam; die 16 inflicta est sexta plaga; die 17 minatus est plagam septimam, quæ inflicta est die 18 et sublata 19; die 20 minatus est octavam plagam, et die 21 inflixit eam, et die 22 removit; sequentibus tribus diebus, puta 23, 24, 25, duravit plaga tenebrarum; die 26 Pharao a se expulit Mosen, et media nocte sequente inflicta est decima plaga cædis primogenitorum, sub initium diei 27. Unus ergo fere mensis lunaris fluxit a prima plaga usque ad ultimam. Jam cum ultima plaga contigerit 15 die primi mensis Nisan, qui respondet nostro martio, hinc sequitur primam plagam factam esse circa medium ultimi mensis qui Hebræis dicitur Adar, et respondet nostro februario. Errant ergo Hebræi, quos sequitur Genebrardus in *Psal.* CIV, dicentes has plagas spatio 12 mensium, per intervalla esse factas.

Quæst. IV. Quis fuerit auctor harum plagarum? Resp. Deus per angelos non malos, sed bonos.

Quæres *quarto*, quis fuerit auctor harum plagarum? Respondeo, fuit Deus, utens tamen subinde ministerio angelorum, de quibus dicitur *Psalm.* LXXVII: «Misit in eos iram, et immissiones per angelos malos.» Ubi, licet Genebrardus putet has plagas inflictas esse per dæmones, tamen verius est id factum esse per angelos bonos, tum quia Moses et Deus certabat hic cum magis et dæmonibus: ergo eorum opera non utebatur; tum quia sic Sodomitas punivit per angelos bonos: dicuntur tamen hi angeli mali, id est, noxii et inferentes mala, sive supplicia. Unde hebraice est, *per angelos malorum*, scilicet opifices. Ministerium ergo suum Deo hic exhibuerunt angeli, peregeruntque plagam quintam pestis, et sextam ulcerum, et septimam tonitruorum, et nonam tenebrarum, et decimam cædis primogenitorum, forte et tertiam ciniphum, et quartam muscarum: reliquas, utpote subitaneas et miraculosas conversiones et productiones rerum solidarum et perfectarum, ut sanguinis et ranarum, forte et locustarum, per se operatus est Deus.

Finis harum plagarum.

Porro finis harum plagarum fuit, ut Deus per eas ostenderet, tum suam curam et providentiam erga Hebræos, tum terribilem potentiam et vindictam adversus Pharaonem et Ægyptios, eosque cogeret Hebræos dimittere, utque omnes gentes sui metu et reverentia percelleret. Id ita contigisse fatentur Chananæi, *Josue* II, 9.

Ab hisce plagis immunes fuerunt Hebræi et advenæ.

Hinc patet Hebræos in Ægypto ab his plagis fuisse immunes, ut patet cap. VIII, vers. 22, et cap. IX, vers. 4 et 26, et cap. X, vers. 23; immunes quoque fuisse advenas et peregrinos probabile est. Solis enim Ægyptiis hæ plagæ infligebantur. Unde verisimiliter censet Pererius advenas, cum tam atroces pœnas Ægypto infligi cernerent, dubitantes de totius regionis exitio, quamprimum ex Ægypto abiisse. Addit Pererius immunes quoque fuisse Ægyptios eos, qui nihili in Judæos peccaverant: sed hoc valde incertum est; solet enim Deus ob publica regum et regni peccata omnes punire, communique clade etiam innoxios cum noxiis involvere. Denique S. Augustinus, *Quæst.* XLIV, putat ab hisce plagis, excepta ultima, immunes fuisse Ægyptios habitantes cum Hebræis in terra Gessen: hæc enim terra a plagis immunis fuit, ob Hebræos in ea habitantes. Verum probabilius censet Tostatus et alii, Ægyptios æque in Gessen, ac alibi, fuisse plagis hisce percussos, quia Ægyptii omnes innato quasi odio persequebantur Hebræos, maxime autem illi qui in Gessen eos opprimebant, tum quia ea re putabant illi maximam se inire grātiam apud Pharaonem, tum quia perniciem Hebræorum ingenti bono futuram sibi sperabant.

Non vero Ægyptii habitantes in Gessen.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describitur secunda plaga Ægypti, quæ fuit ranarum; et vers. 16, *tertia, quæ fuit sciniphum; et vers.* 21, *quarta, quæ fuit omnis generis muscarum, quodque post singulas induratus sit Pharao.*

1. Dixit quoque Dominus ad Moysen: Ingredere ad Pharaonem, et dices ad eum: Hæc dicit Dominus: Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi; 2. sin autem nolueris dimittere, ecce ego percutiam omnes terminos tuos ranis. 3. Et ebulliet fluvius ranas, quæ ascendent, et ingredientur domum tuam, et cubiculum lectuli tui, et super

stratum tuum, et in domos servorum tuorum, et in populum tuum, et in furnos tuos, et in reliquias ciborum tuorum. 4. Et ad te, et ad populum tuum, et ad omnes servos tuos, intrabunt ranæ. 5. Dixitque Dominus ad Moysen : Dic ad Aaron : Extende manum tuam super fluvios, ac super rivos et paludes, et educ ranas super terram Ægypti. 6. Et extendit Aaron manum super aquas Ægypti, et ascenderunt ranæ, operueruntque terram Ægypti. 7. Fecerunt autem et malefici per incantationes suas similiter, eduxeruntque ranas super terram Ægypti. 8. Vocavit autem Pharao Moysen et Aaron, et dixit eis : Orate Dominum ut auferat ranas a me et a populo meo, et dimittam populum ut sacrificet Domino. 9. Dixitque Moyses ad Pharaonem : Constitue mihi quando deprecer pro te, et pro servis tuis, et pro populo tuo, ut abigantur ranæ a te, et a domo tua, et a servis tuis, et a populo tuo, et tantum in flumine remaneant. 10. Qui respondit : Cras. At ille : Juxta, inquit, verbum tuum faciam, ut scias quoniam non est sicut Dominus Deus noster. 11. Et recedent ranæ a te, et a domo tua, et a servis tuis, et a populo tuo ; et tantum in flumine remanebunt. 12. Egressique sunt Moyses et Aaron a Pharaone, et clamavit Moyses ad Dominum pro sponsione ranarum quam condixerat Pharaoni. 13. Fecitque Dominus juxta verbum Moysi ; et mortuæ sunt ranæ de domibus, et de villis, et de agris. 14. Congregaveruntque eas in immensos aggeres, et computruit terra. 15. Videns autem Pharao quod data esset requies, ingravavit cor suum, et non audivit eos, sicut præceperat Dominus. 16. Dixitque Dominus ad Moysen : Loquere ad Aaron : Extende virgam tuam, et percute pulverem terræ, et sint sciniphes in universa terra Ægypti. 17 . Feceruntque ita. Et extendit Aaron manum, virgam tenens : percussitque pulverem terræ, et facti sunt sciniphes in hominibus, et in jumentis : omnis pulvis terræ versus est in sciniphes per totam terram Ægypti. 18. Feceruntque similiter malefici incantationibus suis, ut educerent sciniphes, et non potuerunt : erantque sciniphes tam in hominibus quam in jumentis. 19. Et dixerunt malefici ad Pharaonem : Digitus Dei est hic ; induratumque est cor Pharaonis, et non audivit eos, sicut præceperat Dominus. 20. Dixit quoque Dominus ad Moysen : Consurge diluculo, et sta coram Pharaone : egredietur enim ad aquas, et dices ad eum : Hæc dicit Dominus : Dimitte populum meum ut sacrificet mihi. 21. Quod si non dimiseris eum, ecce ego immittam in te, et in servos tuos, et in populum tuum, et in domos tuas omne genus muscarum : et implebuntur domus Ægyptiorum muscis diversi generis, et universa terra in qua fuerint. 22. Faciamque mirabilem in die illa terram Gessen, in qua populus meus est, ut non sint ibi muscæ, et scias quoniam ego Dominus in medio terræ. 23. Ponamque divisionem inter populum meum et populum tuum : cras erit signum istud. 24. Fecitque Dominus ita. Et venit musca gravissima in domos Pharaonis, et servorum ejus, et in omnem terram Ægypti ; corruptaque est terra ab hujuscemodi muscis. 25. Vocavitque Pharao Moysen et Aaron, et ait eis : Ite et sacrificate Deo vestro in terra hac. 26. Et ait Moyses : Non potest ita fieri ; abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro. Quod si mactaverimus ea quæ colunt Ægyptii coram eis, lapidibus nos obruent. 27. Viam trium dierum pergemus in solitudinem : et sacrificabimus Domino Deo nostro, sicut præcepit nobis. 28. Dixitque Pharao : Ego dimittam vos ut sacrificetis Domino Deo vestro in deserto : verumtamen longius ne abeatis, rogate pro me. 29. Et ait Moyses : Egressus a te, orabo Dominum ; et recedet musca a Pharaone, et a servis suis, et a populo ejus cras : verumtamen noli ultra fallere, ut non dimittas populum sacrificare Domino. 30. Egressusque Moyses a Pharaone, oravit Dominum. 31. Qui fecit juxta verbum illius, et abstulit muscas a Pharaone, et a servis suis, et a populo ejus : non superfuit ne una quidem. 32. Et ingravatum est cor Pharaonis, ita ut nec hac quidem vice dimitteret populum.

Vers. 2. 2. PERCUTIAM OMNES TERMINOS TUOS RANIS : — « Terminos, » id est regiones tuas usque ad ultimos limites et terminos earum : est metonymia. Post primam plagam sanguinis, quæ duravit 7 dies, mox sequenti, scilicet 8 die, secuta est secunda hæc plaga ranarum plurimarum et molestissimarum, quas Deus clementi sua justitia, ita in supplicium sontium armavit, ut iisdem etiam illos pœnitentiæ admoneret. Juste puniuntur ranis aquatilibus, earumque coaxatione, qui infantes Hebræorum aquis merserant, eorumque vagitum contempserant. Infantes enim ranis tam incessu, quam vagitu assimilantur ; manibus enim et pedibus repunt quasi ranæ. Ita Theodoretus.

Infantes repunt et vagiunt ut ranæ.

Vers. 3. 3. ET EBULLIET FLUVIUS RANAS. — Hebræum שרץ *scarats* significat prolificare fœtumque multiplicare instar piscium et ranarum ; quod Noster apte vertit, « ebulliet, » *q. d.* Ranæ plurimæ, instar bullarum e Nilo nascentur et prodibunt.

Ranæ omnia loca occupabant.

QUÆ ASCENDENT, ET INGREDIENTUR DOMUM TUAM. — En immutatur hic Deo vindice aquatilium, puta ranarum, locus, ut instinctu naturæ suæ contrario, divinitus sibi insito, in diversi elementi, puta aeris et terræ, coloniam ferantur, ita ut nullus in terra Ægypti locus ranis esset occlusus aut impervius, angelis ranas quaquaversum propellentibus, aut etiam transferentibus. Gravior hæc ranarum fuit pœna priore sanguinis. Prior enim solas aquas ademerat Ægyptiis, vini lactisque usu intacto : ranæ vero undique diffusæ, non tantum sua vocali et incondita musica aures eis obtundebant, sed etiam cibos omnes, vasa, ollas, lances, sedes, mensas, domos, apothecas, penuaria, cubicula, lectos, vias, cunctaque occupabant et fœdabant ; multæque ex eis emorientes sua sanie et putore, tam aquas, quam vias et domos inficiebant, ait Josephus. Audi Scripturam : « Ingredientur, ait, domum tuam, et cubiculum lectuli tui, super stratum tuum, et in domos servorum tuorum, et in populum tuum, et in furnos tuos, et in reliquias ciborum tuorum, et ad te, et ad populum tuum, et ad omnes servos tuos, intrabunt ranæ. » Audi et Philonem : « Ranæ, inquit, fora complebant, et cuncta ædificia, tam sacra quam profana, tam privata quam publica ; itaque cum nec foras progredi possent homines viis oppletis, nec intus manere, refertis etiam intimis penetralibus, et ad summas quoque contignationes ranis obrepentibus, ad extremam desperationem redacti sunt. » Porro immensam fuisse earum multitudinem significat Scriptura, cum orante Mose ranis emortuis, subdit vers. 14 : « Congregaveruntque eas in immensos aggeres, et computruit terra. » Hæ ergo ranæ omnes sensus cruciabant : *primo,* visum sua magnitudine et deformitate ; *secundo,* auditum sua assidua et molesta coaxatione ; *tertio,* gustatum, quia esculentis et poculentis omnibus insidentes ea conspurcabant, et cum cibis in ora comedentium prosiliebant ; *quarto,* odoratum teterrimo fœtore, quem exhalabant ; præsertim mortuæ ; *quinto,* tactum : conscendebant enim mensas, sedes, lectos, ibique sedentium vel cubantium corpora, pedes, manus, facies invadebant et occupabant. Addit Pererius plures ex ranis fuisse noxias et venenatas. Addunt, vel potius fabulantur Hebræi, ranas has intrasse corpora et viscera Ægyptiorum, per os apertum dormientium, et per alios meatus. Sic ranæ sæpius regiones integras vastarunt, populosque inde expulerunt, uti Abderitas a ranis sua patria pulsos esse docet Orosius, lib. III, cap. ult.

Ranæ omnes sensus cruciabant.

ET IN RELIQUIAS CIBORUM TUORUM. — Recte vertit Noster hebræum במשארותיך *bemisarotecha,* quod tamen, *secundo,* significat farinam conspersam. Unde Septuaginta vertunt, ἐν τοῖς φυράμασί σου, id est in massis, vel pastis tuis ; Chaldæus vertit, *in panariis tuis,* id est in pistrino, et locis quibus panis conficitur.

Vers. 5. 5. EXTENDE MANUM TUAM, — cum virga quam tenes ; virgam enim exprimunt hebræa : illa enim fuit effectrix, et causa moralis horum omnium ; hoc enim signo extensionis virgæ, ceu imperio, ex aquis et earum potentia obedientiali, evocatæ a Mose et Deo sunt ranæ.

Allegorice, virga est crux, sive lignum crucis. Crux enim omnibus mirandis redemptionis nostræ operibus intervenit.

Vers. 6. 6. ET EXTENDIT AARON MANUM SUPER AQUAS. — « Super, » id est versus, vel contra aquas : non enim tetigit eas, utpote longe ab eis remotus, et existens in aula Pharaonis. Extendit ergo eminus virgam, hac extensione significans se Ægyptios ferire, suoque mandato plagam ranarum infligi.

Tropologice, ranæ sunt garruli et clamosi ; hi enim quietis amatoribus sunt molesti, ut ranæ, turbantque pacem domus aut collegii. Unde Pythagoras dixit, « hirundinem in domum non esse suscipiendam, » id est garrulos et verbosos homines in familiam non esse admittendos, uti explicat S. Hieronymus in *Apol. contra Ruffinum.* Maxime vero ranæ sunt loquaces philosophi et hæretici, qui, ait S. Augustinus, lib. I *De Convenientia decem præcept. cum decem plagis,* « superbiam et inanes contentiones, quasi strepitum vocum habere possunt, sed doctrinam veræ sapientiæ non possunt insinuare : qui enim Christianæ veritati contradicunt, et in sua vanitate decepti decipiunt, ranæ sunt, tædium quidem afferentes auribus, nullos autem præbentes cibos mentibus ; » atque, ut ait Tertullianus, lib. *Contra Hermog.,* cap. I, tales « loquacitatem facundiam existimant, impudentiam constantiam deputant, et maledicere singulis officium bonæ conscientiæ judicant. » Rursum, sicut ranæ face noctu accensa obmutescunt, ita et sophistæ ac hæretici visa veritatis luce. Unde Poeta :

Ranæ sunt loquaces philosophi e hæretici.

Lumine perculsæ cessant maledicere ranæ,
Et victus veri luce sophista tacet.

Ranæ sunt impuri poetæ.

Idem S. Augustinus, serm. 87 *De Tempore*; Origenes, Rabanus et Rupertus per ranas intelligunt inflata, modulata, fabulosa et impura carmina poetarum, quæ multis fuerunt exitio. *Secundo*, Gregorius Nyssenus : Ranæ, ait, typus sunt voluptuosæ et luxuriosæ vitæ; nam *primo*, rana animal est ancipitis vitæ, in aquis et in terra vivens, in cœno et luto commorans : sic homo voluptuosus ambiguus est inter hominem et bestiam : figuram enim hominis gerit, sed vitam bestiæ agit. *Secundo*, rana deformis est aspectu, et tetri fœtoris, quæ aquis non mundatur, sed magis inquinatur : sic fœdi et fœtentes sunt ventri et Veneri addicti, nam gula et libido omnia eorum cogitata, dicta et facta, mentem corpusque commaculant. *Tertio*, ranæ sunt loquaces : sic libidinosi turpia exhalant. *Quarto*, ranæ hæ omnia penetrabant et conspurcabant : sic gula et libido omnia penetrat et fœdat; in mensis gulosorum abundat, in lectulis et penetralibus assidet, muros et aulas eorum obscenis imaginibus, vasa fœdis sculpturis, corpus putredine, mentem corruptione obducit et inquinat. Ita Nyssenus.

Ranæ sunt voluptuosi et luxuriosi, ob quatuor analogias.

Vers. 7. 7. FECERUNT AUTEM ET MALEFICI PER INCANTATIONES SUAS SIMILITER. — Nimirum non tot quot Aaron, quæ scilicet operirent omnes urbes et villas; sed paucas aliquas ranas ex aquis eduxerunt, quas prius aliunde occulte eo transtulerunt dæmones, vel etiam quas naturaliter produxerant ex aquis, applicando activa passivis : ita enim naturaliter ex aquis ranas gigni videmus.

Vers. 8. 8. ORATE DOMINUM, UT AUFERAT RANAS.—Hinc patet graviorem hanc fuisse plagam ranarum priore sanguinis. Hæc enim compulit Pharaonem orare Mosen pro liberatione, quod prior non fecerat.

Vers. 9. 9. CONSTITUE MIHI, QUANDO DEPRECER PRO TE. — Hebraice est : *Gloriare super me quando orem pro te, q. d.* Hunc tibi honorem defero, ut tempus constituas et definias, quo orem; ut ranis libereris tu cum tuis Ægyptiis. Nota τὸ *quando, q. d.* Ne me certum et naturale tempus cessationis ranarum ex horoscopo, id est ex inspectione horæ, vel ascendentis novi sideris, venari et rimari quasi astrologum, vel magum autumes, ipse tu tempus definito. Sciebat Moses se datum esse Deum Pharaonis, liberatoremque Israelis : itaque de signis ad liberationem hanc necessariis ex Dei fiducia et promissione certus audacter promittit Pharaoni, se quolibet tempore ranas ablaturum; maxime quia nitebatur tanta sua cum Deo familiaritate, et occultis a Deo agebatur stimulis ad hoc audendum, quasi Deus assisteret, certoque succurreret, ut quolibet tempore posset plagam hanc ranarum auferre : nulla ergo hic fuit Dei tentatio, fuit tamen hoc opus magni animi et virtutis. Unde Chaldæus vertit : *Pete tibi potentiam*, id est rem magnam, ad quam conficiendam opus est magna vi et potentia.

Vers. 10. 10. QUI RESPONDIT, CRAS, — non statim hoc die et momento, tum ut tibi spatium dem orandi pro amovendis ranis, tum ut experiar an naturaliter per se deficiant ranæ, quasi casu huc illatæ, an potius tanquam divina virtute inductæ, non sine eadem tuis precibus implorata amoveri possint.

Vers. 12. 12. CLAMAVIT, — non voce, sed desiderio, et magna animi in Deum elevatione et contentione : sic cap. XIV, vers. 15, Deus dicit ad Mosen tacentem : « Quid clamas ad me? »

Vers. 14. 14. CONGREGAVERUNTQUE EAS (ranas) IN IMMENSOS AGGERES. — Non statim orante Mose evanuerunt ranæ, ne præstigiæ fuisse putarentur, neve flagelli hujus oblivisceretur Pharao. Unde Philo et Josephus tradunt ex ranis mortuis fœtorem intolerabilem exhalasse.

Vers. 17. 17. PERCUSSITQUE PULVEREM TERRÆ, ET FACTI SUNT SCINIPHES IN HOMINIBUS, ET IN JUMENTIS. — Tertia est hæc plaga sciniphum, per quam in terra et pulvere puniti sunt Ægyptii, qui Hebræos in luto et lateribus oppresserant.

Nota : Hæc plaga fuit in omni terra Ægypti, non simpliciter, sed ubicumque erant Ægyptii, vel eorum jumenta : ad hæc enim tantum crucianda missi sunt sciniphes. Unde quando dicitur : « Omnis pulvis terræ versus est in sciniphes, » intellige, per hyperbolem, « omnis, » id est plurimus, quasi omnis, qui erat apud homines et jumenta. Idque ita esse patet ex vers. 21.

Nota *secundo* : Hæc animalia nova dicuntur sciniphes, et græce a Septuaginta et Philone σκνῖφες (quod in singulari dicitur σκνῖψ, vel κνίψ), a voce Hebræa כנים *kinnim*, nonnihil immutata, vel potius a Græco κνίζειν, id est pungere, pruritum excitare : hoc enim faciunt ciniphes, qui et sciniphes vocantur.

Quæres, quales fuerint hi sciniphes? Josephus, Hebræi, Cajetanus et Oleaster Hebræum *kinnim* vertunt pediculos, sed errant, tum quia pediculi non e pulvere, sed e corpore generantur; tum quia Septuaginta, Noster et Philo vertunt « sciniphes, » non pediculos.

Secundo, Torniellus vult sciniphes fuisse pulices, quia, si fuissent culices, fuissent producti non hac, sed sequenti plaga, quæ fuit omnis generis muscarum. Verum pulices non involant in oculos, et pulices vocantur, non sciniphes. Adde culices proprie non esse muscas, cum alioqui varia sint genera muscarum : est enim musca, alia canina, alia equina, alia bovina, alia communis, alia Hispanica, alia nigra, alia aurea, alia flava, etc.

Sciniphes sunt culices.

Dico ergo sciniphes fuisse culices (κνίψ, ait Etymologicum Græcum, ἐστὶ κωνωπειδής, cnips est culicis speciem gerens) eorumque infinita examina (ut velut extensa nubes, totam obumbrarent Ægyptum, ait Philo), qui et corpora aculeatis stimulis terebrarent, et, ut ait Philo, nares etiam auresque pervaderent, et in oculos involarent. Quare hoc animal licet minutissimum sit, est tamen molestissimum. Unde S. Jacobus Nisibites in Saporem regem Persarum, Nisibim obsiden-

tem, execrationem sciniphum jaculatus, mox iis equos et elephantos ejus disjecit, teste Theodoreto in *Philotheo*.

Hinc Albertus Magnus, lib. XVI *De Animalibus*, sciniphes ait corpore esse vermes, capite autem et alis esse muscas, habere in ore aculeum, quo pungunt et sugunt, palustribus nasci locis, et animantium spiritus, sed maxime humanos consectari. Hi autem Mosaici acriores, et quasi miraculosi fuerunt : neque volabant gyrando in aere, uti faciunt culices, sed homines et jumenta invadebant.

Tropologice sciniphes sunt sophismata hæreticorum.

Tropologice, sciniphes sunt sophismata dialectica hæreticorum, quæ minutis et subtilibus verborum et argumentorum stimulis animas terebrant, et tanta calliditate circumveniunt, ut deceptus nec videat, nec intelligat. Ita Origenes et ex eo S. Augustinus, serm. 87 *De Tempore*.

Recte Diogenes sophistam retudit : cum enim ille suis argutationibus colligeret, quod Diogenes haberet cornua, Diogenes frontem et tempora manu contrectans : Atqui, ait, ego illa non video. Idem alteri sic colligenti : Quod ego sum, tu non es : ego sum homo, ergo tu non es homo, respondit : A me incipe, et recte collegeris : Quod Diogenes est, hoc non est sophista : Diogenes est homo; ergo sophista non est homo. Quare merito Ariston dicebat, dialecticorum argutias similes esse telis aranearum, quod plurimum haberent artificii, minimum utilitatis.

S. Augustinus in *Convenientia decem præcept. cum decem plagis*, docet hanc plagam opponi tertio præcepto, quo jubemur sabbatum sanctificare, id est requiem habere mentis : sciniphes enim significant homines inquietos, contentiosos et rixosos, qui pacem suam et alienam interturbant.

Vers. 18. 18. FECERUNTQUE SIMILITER MALEFICI. — « Fecerunt, » id est facere conati sunt per suas incantationes. Ita S. Augustinus.

Cur sciniphes efficere non potuerunt magi? Resp. Primo.

ET NON POTUERUNT. — Cur magi, qui ranas et majora fecerant, non potuerunt parvos sciniphes producere? Respondent Hebræi apud Lyranum causam esse, quod dæmones non possint producere animal minus grano hordei, minores autem esse sciniphes. Sed hæ sunt næniæ : licet enim arte subinde possint fieri maxima, non minima, tamen per naturam, et per causas naturales (per quas agunt dæmones) facilius fiunt minora et viliora animalia quam majora : hæc enim pluribus rebus egent, ut experientia patet. *Secundo*, Rupertus putat magos effecisse sciniphes, non tamen veros, qui scilicet pungerent, essentque aculeati. Sed unde hoc didicit Rupertus? imo repugnat Scripturæ, quæ simpliciter ait, eos non potuisse efficere sciniphes. *Tertio*, Cajetanus hanc causam dat, quod incantationes illæ non essent appropriatæ ad talem effectum, scilicet ad sciniphes producendos : certum enim est dæmones posse sciniphes producere. Verum non dubium est quin dæmon, qui hic omnem suam vim contra Mosen exserebat, incantationes proprias et accommodatas suggesserit suis magis.

Secundo.

Tertio.

Dico ergo a Deo impeditos fuisse dæmones, ne sciniphes possent efficere; hoc enim ipsi magi fatentur, dicentes : « Digitus Dei est hic; » idque ut sic Dei potentia, et dæmonum imbecillitas magis appareret, quodque non dæmon, sed Deus nobis timendus sit, qui dæmonis vires cohibet, ut etiam in rebus parvis nocere non possit, ni Deus id ei permittat. Denique hic impotentiæ arguuntur mendaces magi et dæmones; atque omnibus patuit eorum mira, quæ prius fecerant, non fuisse vera miracula, eosque a Mose victos et prostratos esse; ac consequenter Mosen verum veri Dei Prophetam et servum, ipsos vero magos esse et dæmonis servos.

Quarto, et genuine.

Allegoricam causam dat S. Augustinus *Quæst.* XXV *in Exod.* In tertia, ait, sciniphum plaga defecerunt magi, ut significaretur quod Philosophi Gentium non agnoverint mysterium SS. Trinitatis. Licet enim Plato et alii de Patre et Filio non tacuerint, tamen non agnoverunt Spiritum Sanctum, qui digitus est Dei.

Allegoricæ causa.

Moraliter hinc disce, si fortiter et constanter cum Mose relucteris dæmoni, maxime eum reddes imbecillem, ita ut nec sciniphem possit efficere.

Dæmon ciniphe est imbecillior, si ei resistas.

19. DIGITUS DEI EST HIC, — qui scilicet Mosi assistit, eumque juvat, sed nos invadit et compescit, cogitque ei cedere. Hic Deus, et Moses ab hostibus etiam invitis veram verorum, et a Deo manantium signorum Mosis confessionem extorquet.

Vers. 19.

Quæres, quid significet hic digitus. Respondent aliqui, digitum significare plagam, quam Deus levi motu, et quasi digito suo inflixit : et sicut decem digitos habet homo, ita decem fuerunt plagæ Ægypti; unde Chaldæus vertit, *a facie Dei plaga hæc est*.

Digitus Dei quis?

Secundo et aptius, digitus Dei est Dei potentia, virtus et operatio : brachio enim et digitis, quæ actionis sunt instrumenta, potentiam actionemque significant Hebræi. Licet enim in Deo una sit virtus operativa, eadem tamen multiplex est et multiformis ratione multorum effectuum, unde vocatur digitus vel digiti. Hinc *Isaiæ* XL, dicitur Deus tribus digitis appendere molem terræ, et *Psalm.* VIII : « Videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum; » ita Rupertus, Cajetanus, Lyranus, Lipomanus. Rursum τὸ *Dei* significat ingentem potentiam, *q. d.* Virtus, qua operatur Moses, est eximia et insuperabilis; sic enim vocantur montes Dei, cedri Dei, id est maximæ.

Resp. est Dei virtus et operatio.

Mystice, ex mente non magorum, sed Dei, digitus Dei est Spiritus Sanctus : nam *primo*, sicut digitus a brachio et manu, ita Spiritus Sanctus a Patre et Filio procedit. *Secundo*, sicut multi sunt digiti, ita multa sunt dona Spiritus Sancti. *Tertio*, tot sunt digiti dexteræ manus, quot sunt sinistræ, quia pari fortitudine et gratia Spiritus Sancti indigemus ad sustinenda prospera, atque adversa. Ita

Mystice, digitus Dei est Spiritus Sanctus ob tres analogias.

S. Augustinus, Hieronymus et Nyssenus. Hinc quod *Lucæ* cap. XI, vers. 20, Christus dicitur in digito Dei ejicere dæmonia, Matthæus cap. XII, vers. 28, id explicat, dicens, eum id facere in Spiritu Dei.

DEI. — Perperam Lyranus per Deum hic dæmonem superiorem intelligit, qui per magiam impediebat magorum et inferiorum dæmonum operationem. Si enim, ait, magi cognovissent verum Deum adesse Mosi, non ausi fuissent illi amplius resistere : atqui restiterunt illi post hæc, cap. IX, vers. 11. Verum hoc est contra omnes Interpretes, et contra ipsa plana Scripturæ verba. Neque mirum magos postea ad ingenium rediisse, et restitisse Mosi. Sic enim Pharao subinde pœnitens, mox ad ingenium rediit. Adde, sicut dæmones Deo resistunt, licet eum cognoscant, sic resistunt et magi, aliique maximi peccatores.

INDURATUM EST COR PHARAONIS. — Tum ex eo quod magi similia ac Moses se posse et scire dicebant, similiaque facturos, ni a Deo impedirentur; tum etiam quia majora jam eos fecisse viderat.

Vers. 21. 21. IMMITTAM IN TE, ETC. OMNE GENUS MUSCARUM. — Hebraice est ערוב *arob*, quod si radicem spectes, significat mixtum sive miscellaneum, quod aliqui determinant ad feras, quasi variarum bestiarum genera mixtim in Ægyptios hac quarta plaga immiserit Deus. Ita Josephus. Unde Chaldæus vertit, *mixtura bestiarum noxiarum;* Pagninus, *omne genus ferarum;* R. Salomon, *turbam serpentium et scorpionum;* Aben Ezra, *incursionem leonum, et pardorum, et luporum.* Melius S. Hieronymus, Septuaginta et Aquila interpretantur *arob,* miscellam muscarum, sive turbam variarum muscarum : Aquila enim vertit παμμυΐαν, id est omnis generis muscam; Septuaginta quoque vertunt κοινομυΐαν, id est communem muscam, puta omne genus muscarum. Unde et Latinus Interpres retinens nomen Græcum *cœnomyiam* (sic enim legendum cum Romanis, non *cynomyiam*) vertit *Psal.* LXXVII, 45, et *Psal.* CIV, 31. Unde S. Hieronymus epist. *ad Suniam et Fretellam,* putat vitiose legi in Septuaginta κυνομυΐαν per υ, id est caninam muscam, pro κοινομυΐαν per οι, id est communem muscam; κυνομυΐαν tamen legunt Origenes, Augustinus et Theodoretus, quin et Philo, qui κυνομυΐαν vocari dicit a duobus impudentissimis animalibus, scilicet cane et musca, *q. d.* Moses : Musca hæc instar canum fuit impudentissima, audacissima, mordacissima. Ita Ægyptii impudentiam indicantes pingebant muscam, quæ, licet crebro abacta, identidem tamen inverecunde redit. Ita Horus Apollo, lib. I, *Hierogl.* 48.

Cœnomyia quid?

Cynomyia quid?

Mystice, S. Augustinus hanc quartam plagam opponit quarto præcepto, quod est de honorandis parentibus; qui enim parentes non honorant, puniuntur per muscam caninam, id est per nequitiam diaboli : caninum enim est parentes suos non agnoscere. Unde canum catuli cæci nascuntur.

Secundo, S. Augustinus *serm.* 87, et Origenes per cynomyiam accipiunt sectam cynicorum, ob publicum et inverecundum libidinis usum. Cynomyia sunt cynici.

Alii accipiunt hæreticos, qui initio pie blandiuntur, sed deinde ringunt et mordent, ut canes. Verissime enim dixit B. Thomas Morus : « Hæretici nostri hypocrisin sustulerunt, sed impudentiam substituerunt, ut qui ante religionem simulabant, nunc in impietate glorientur. »

Tertio, Pererius cynomyiæ comparat causidicos, aliosque homines litigiosos, qui tanquam canes se invicem mordent et lacerant. Et causidici litigiosi.

Rursum cynomyiæ sunt maledici; nam, ut ait Plutarchus in *Moral.,* sicut amici detestantur canem incurrentem, qui eos dirimat : sic execrari deberent homines caninos, qui maledicentia sua dirimunt amicorum benevolentiam. Hinc Alcibiades canem ingentem abscissa cauda per urbem dimisit : hoc cum multis stultum et ineptum visum esset, monentibus eum amicis, ac sermones qui de eo circumferebantur enarrantibus, ridens Alcibiades : Sic, inquit, res ut intenderam successit. Hoc enim Atheniensibus loquendi argumentum præbere volui, ut eos a pejoribus, quæ de me et aliis conviciose loquuntur, novis his averterem : testis est Plutarchus in *Alcibiade.*

Quarto, S. Gregorius per omne genus muscarum, accipit inquietas et insolentes desideriorum carnalium curas, quibus agitantur et feriuntur mundi et voluptatum sectatores. Vide eum lib. XVIII *Moral.* cap. XXVIII.

Vers. 22. 22. FACIAMQUE MIRABILEM IN DIE ILLA TERRAM GESSEN. — Potest hebr. הפלתי *hiphleti* cum Chaldæo verti, *dividam terram Gessen,* ut scilicet illa sola in Ægypto sit immunis ab hac plaga muscarum. Unde *tertio, hiphleti* sic verti potest, miraculose agam cum terra Gessen. Radix enim *pala* significat, separavit, vel mirabilem fecit, *q. d.* Faciam terram Gessen *pele,* id est mirabilem, et orbis miraculum. Sic Angelus apparens Manue patri Samsonis, roganti quo nomine vocaretur? « Cur, inquit, quæris nomen meum, quod est *pele,* id est mirabile? » *Judic.* XIII, 14. Sic Christus *Isaiæ* IX, vers. 6, vocatur *pele,* id est admirabilis. Simili modo apposite in excidio Hierosolymæ per Titum, cum Christiani Dei monitu exierunt et evaserunt in urbem Pellam, teste Eusebio, lib. III, cap. V, apposite urbs illa, vel anterius, vel posterius, puta ex mira hac evasione, a Christianis dicta est Pela, vel Pella, id est mirabilis separatio : quia sicut olim Deus terram Gessen fecit *pele,* id est mirabilem, ac separavit eam a plagis Ægypti : ita pariter separavit in Pella Christianos a plagis Judæorum in Jerusalem excisorum a Tito. Ita Alcazar, *Apoc.* VII, sub initium pag. 468.

ET SCIAS QUONIAM EGO DOMINUS IN MEDIO TERRÆ, — id est, dominans in terra lata et ampla. Sic Hebræi medium, vel cor maris, vocant ipsum mare latum et profundum; adde, sicut rex in medio regni residens, circumquaque totum reg-

num circumspicit et administrat : ita et Deus anthropopathōs dicitur in medio terræ, quasi rex residere, et quaquaversum latissime dominari.

Vers. 23. 23. PONAMQUE DIVISIONEM. — Hebr. est ponam פדות *pedut*, id est redemptionem, *q. d.* Redimam, eximam et liberabo meos Hebræos a communi plaga, quæ totam Ægyptum affliget.

Vers. 24. 24. ET VENIT MUSCA GRAVISSIMA. — Quartam hanc plagam muscarum sine sensili signo, sine extensione virgæ, se solo inflixit Deus, ne quis suspicaretur quid numinis virgæ inesse, aut non esse Deum, qui hæc patraret.

Gravis, id est multus. MUSCA GRAVISSIMA. — « Gravissima, » id est plurima. Sic enim per metalepsin, et per enallagen quantitatis continuæ pro discreta, sumunt Hebræi τὸ *gravis* pro *multus, copiosus*. Sic *Psal.* XXXIV, vers. 18, dicitur : « In populo gravi, » id est multo, « laudabo te. » I *Machab.* I, 18 : « Intravit Antiochus Ægyptum in multitudine gravi, » id est copiosa. *Nahum.* III, 3 : « Vox gravis ruinæ, » id est vox multæ cædis; nam præcedit « vox multitudinis interfectæ. » Sic et Latini usurpant *gravis*, ut Varro apud Nonium Marcellum, cum ait : « Ubi graves pascantur et alantur pavonum greges; » *graves*, id est multi; et Sallustius : « Cœpit per omnem provinciam grave pretium frugibus esse. » *Grave*, id est magnum et multum.

Secundo, « gravissima, » id est molestissima et nocentissima, tam hominibus quam jumentis. Unde sequitur : « Corruptaque est terra ab hujusmodi muscis. » Hinc Abulensis putat has muscas morsu suo venenatas fuisse. Sic olim muscas gentes et regiones integras perdidisse tradit Plinius, lib. X, cap. XXVIII, ideoque, ait, Elæi Deum myjodem, sive myjagrum, quasi Jovem muscarium coluerunt, ad abigendam pestem muscarum; sicuti Accaronitæ coluerunt Beelzebub, id est deum muscam, quem multi putant eumdem esse cum myjode sive myjagro, id est Jove muscario.

Vers. 26. 26. ABOMINATIONES ENIM ÆGYPTIORUM IMMOLABIMUS DOMINO DEO NOSTRO? — Interrogative noster Interpres vertit ad emphasim, uti vertit et Chaldæus et Pagninus, *q. d.* Nullo modo expedit ut in Ægypto coram Ægyptiis mactemus et sacrificemus oves et boves; hæc enim ipsi colunt. Unde, si ea jugulemus, lapidabunt nos; patet ex sequentibus.

Abominationes Ægyptiorum quæ? Resp. primo. Quæres, quæ sint abominationes Ægyptiorum? Nota abominationem poni pro re abominabili, vel abominata. Vide *Can.* 21. Jam, *primo*, aliqui sic accipiunt, ut « abominationes » vocentur ea quæ diis suis sacrificabant Ægyptii, quæ Hebræis erant abominanda; apud veteres enim porcus immolabatur Cereri, anser Veneri, asinus Priapo, Dianæ canis, Phœbo equus. Hæc vero animalia Hebræis immolare erat nefas.

Secundo genuine. *Secundo* et genuine, ut patet ex Hebræo et ex sequentibus, abominationes hic vocantur pecudes sacræ, quarum cædem quasi sacrilegam Ægyptii abominabantur, utpote qui eas colerent quasi numina, vel quid numinis habentia. Unde quæ hic vocantur « abominationēs, » paulo post vocantur « ea quæ colunt Ægyptii. » Sic enim Jovem Hammonium colebant ipsi in ariete, Apin in vitulo et bove. Ita Philo. Hanc etiam ob causam pastores ovium detestabantur Ægyptii, quia scilicet ipsi jugulare solent oves, quas colebant Ægyptii, uti dictum est *Gen.* XLVI. Licet enim lex Levitici de victimis necdum esset lata, sciebat tamen Moses partim ex traditione et exemplo majorum, partim Dei instinctu, Deum velle sibi oves et boves immolari, non porcos, aliaque animalia immunda. Quod nota contra Rupertum, qui hic litteralem sensum excludere, et pro eo tropologicum substituere conatur.

Tropologice. Tropologice, abominationes Ægyptiorum sunt fides, justitia, pietas, pœnitentia, mortificatio carnis et cupiditatum, aliæque virtutes quarum sacrificium Deo est gratissimum, quas impii horrent et aversantur.

Audi S. Gregorium, lib. X *Moral.* XXIII : « Quid hic peccator totis cogitationibus sperat, nisi ut potestate cæteros transeat, cunctos rerum multiplicitate transcendat, adversantes dominando subjiciat, obsequentibus mirandus innotescat, iræ ad votum satisfaciat; benignum se cum laudatur, ostendat; quidquid gula appetit, offerat. Bene ergo spes illorum abominatio dicitur : quia ea quæ carnales ambiunt, spiritales quique judicio rectitudinis aversantur; et quod illi voluptatem æstimant, hi pœnam putant; quia ut caro mollibus, sic anima duris nutritur, et sicut carnem dura sauciant, sic spiritum mollia necant. Spes itaque carnalium abominatio animæ dicitur, quia inde in perpetuum spiritus interit, unde ad tempus caro suaviter vivit; » et cap. XXVII : « Quod abominantur Ægyptii, hoc Israelitæ Deo offerunt : quia simplicitatem conscientiæ, quam injusti quique despiciunt, hanc justi in virtutis sacrificium vertunt, et excolentes recti puritatem ac mansuetudinem Deo immolant, quam abominantes reprobi fatuitatem putant. »

Vers. 32. 32. ET INGRAVATUM EST. — Hebraice, *et aggravavit Pharao cor suum*. Sic et Septuaginta.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describitur quinta plaga pestis, et sexta ulcerum, vers. 8, *et septima grandinis, tonitruorum et fulminum, vers.* 23. *Quibus emollitus Pharao missionis Hebræorum spem dat, sed plagis cessantibus rursum se obdurat.*

1. Dixit autem Dominus ad Moysen : Ingredere ad Pharaonem, et loquere ad eum : Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum : Dimitte populum meum ut sacrificet mihi. 2. Quod si adhuc renuis, et retines eos, 3. ecce manus mea erit super agros tuos, et super equos, et asinos, et camelos, et boves, et oves, pestis valde gravis. 4. Et faciet Dominus mirabile, inter possessiones Israel et possessiones Ægyptiorum, ut nihil omnino pereat ex his quæ pertinent ad filios Israel. 5. Constituitque Dominus tempus, dicens : Cras faciet Dominus verbum istud in terra. 6. Fecit ergo Dominus verbum hoc altera die : mortuaque sunt omnia animantia Ægyptiorum, de animalibus vero filiorum Israel nihil omnino periit. 7. Et misit Pharao ad videndum : nec erat quidquam mortuum de his quæ possidebat Israel. Ingravatumque est cor Pharaonis, et non dimisit populum. 8. Et dixit Dominus ad Moysen et Aaron : Tollite plenas manus cineris de camino, et spargat illum Moyses in cœlum coram Pharaone. 9. Sitque pulvis super omnem terram Ægypti : erunt enim in hominibus et jumentis ulcera, et vesicæ turgentes in universa terra Ægypti. 10. Tuleruntque cinerem de camino, et steterunt coram Pharaone, et sparsit illum Moyses in cœlum : factaque sunt ulcera vesicarum turgentium in hominibus, et jumentis. 11. Nec poterant malefici stare coram Moyse propter ulcera quæ in illis erant, et in omni terra Ægypti. 12. Induravitque Dominus cor Pharaonis, et non audivit eos, sicut locutus est Dominus ad Moysen. 13. Dixitque Dominus ad Moysen : Mane consurge, et sta coram Pharaone, et dices ad eum : Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum : Dimitte populum meum ut sacrificet mihi. 14. Quia in hac vice mittam omnes plagas meas super cor tuum, et super servos tuos, et super populum tuum, ut scias quod non sit similis mei in omni terra. 15. Nunc enim extendens manum percutiam te, et populum tuum peste, peribisque de terra. 16. Idcirco autem posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, et narretur nomen meum in omni terra. 17. Adhuc retines populum meum, et non vis dimittere eum? 18. En pluam cras hac ipsa hora grandinem multam nimis, qualis non fuit in Ægypto a die qua fundata est usque in præsens tempus. 19. Mitte ergo jam nunc, et congrega jumenta tua, et omnia quæ habes in agro ; homines enim et jumenta, et universa quæ inventa fuerint foris, nec congregata de agris, ecciderit que super ea grando, morientur. 20. Qui timuit verbum Domini de servis Pharaonis, fecit confugere servos suos et jumenta in domos ; 21. qui autem neglexit sermonem Domini, dimisit servos suos et jumenta in agris. 22. Et dixit Dominus ad Mosen : Extende manum tuam in cœlum, ut fiat grando in universa terra Ægypti super homines, et super jumenta, et super omnem herbam agri, in terra Ægypti. 23. Extenditque Moyses virgam in cœlum, et Dominus dedit tonitrua, et grandinem, ac discurrentia fulgura super terram : pluitque Dominus grandinem super terram Ægypti. 24. Et grando et ignis mixta pariter ferebantur : tantæque fuit magnitudinis, quanta ante nunquam apparuit in universa terra Ægypti, ex quo gens illa condita est. 25. Et percussit grando in omni terra Ægypti cuncta quæ fuerunt in agris, ab homine usque ad jumentum : cunctamque herbam agri percussit grando, et omne lignum regionis confregit.

26. Tantum in terra Gessen, ubi erant filii Israel, grando non cecidit. 27. Misitque Pharao, et vocavit Mosen et Aaron, dicens ad eos : Peccavi etiam nunc : Dominus justus; ego et populus meus, impii. 28. Orate Dominum, ut desinant tonitrua Dei, et grando, ut dimittam vos, et nequaquam hic ultra maneatis. 29. Ait Moyses : Cum egressus fuero de urbe, extendam palmas meas ad Dominum, et cessabunt tonitrua, et grando non erit, ut scias quia Domini est terra. 30. Novi autem, quod et tu, et servi tui necdum timeatis Dominum Deum. 31. Linum ergo, et hordeum læsum est, eo quod hordeum esset virens, et linum jam folliculos germinaret : 32. triticum autem et far non sunt læsa, quia serotina erant. 33. Egressusque Moyses a Pharaone ex urbe, tetendit manus ad Dominum; et cessaverunt tonitrua et grando, nec ultra stillavit pluvia super terram. 34. Videns autem Pharao quod cessasset pluvia, et grando, et tonitrua, auxit peccatum; 35. et ingravatum est cor ejus, et servorum illius, et induratum nimis : nec dimisit filios Israel, sicut præceperat Dominus per manum Moysi.

Vers. 3. 3. ECCE MANUS MEA ERIT SUPER AGROS TUOS. — « Manus, » id est flagellum meum, sive, ut postea per appositionem explicatur, « pestis valde gravis, » quam ego manu et potestate mea sola, non Mosis, nec Aaronis, uti et præcedentem plagam, immittam, inficiendo aerem et corpora. Est enim pestis venenosus quidam vapor in aere concretus, vitali spiritui inimicus, qui omnem humorem inficere potest; sed potissimum sanguinem, *secundo* choleram, *tertio* phlegma, *quarto* melancholiam : ideo prius sanguinei periculo contagii pestis subjiciuntur, deinde cholerici, postea phlegmatici, denique melancholici, quia humor frigidus et siccus ad inflammationem et putredinem ineptus est, et strictos habet meatus, ait Marsilius Ficinus, *Epidemiarum antidot.* cap. III et seq.; ubi et remedia pestis assignat, scilicet fugam aeris infecti, recreationem et lætitiam, cibum solidum, potumque roborantem cor et spiritus, cavere a cibis qui facile corrumpuntur et putrescunt; purgare sæpe humores putrescentes per aloen, myrrham et crocum; uti theriaca, zedoaria, citro; suffumigare juniperium, terebinthinam, thus; vestes crebro mutare, et mundas induere; os et manus sæpe abluere aceto, et aliquando vino potente.

Causa pestis, et remedia.

SUPER AGROS TUOS, ET SUPER EQUOS. — Τὸ *et* significat; *id est*, *q. d.* Plaga hæc erit pestis super agros tuos, id est super equos, oves et boves tuos qui sunt in agris; nec enim ipsos agros pestis hæc tetigit. Ita Hebræa, Chaldæus et Septuaginta. Hinc patet hac peste percussa esse, et periisse non homines, sed animalia, non quidem omnia, sed ea tantum, quæ erant in agris.

Tropologice pestis.

Tropologice, quinta hæc pestis plaga significat, quinti præcepti : « Non occides, » transgressoribus, quales erant hi infanticidæ, Deum solere pestem, aliaque mortis genera infligere. Ita Rupertus et Prosperus, lib. I *De Promissionibus*, cap. XXXVI.

OVES ET BOVES, — quos nutriebant Ægyptii non ad mactationem et esum, sed ad servitia, lanam et mercimonia. Nam bobus arabant, ex ovibus lac et lanam accipiebant.

Notat Origenes, Ægyptios in suis animalibus puniri, quia ea pro diis colebant, ut dementiæ suæ admonerentur, cum videbant ea interire.

Vers. 4. 4. INTER POSSESSIONES, — inter pecora quæ possidebant Hebræi et Ægyptii.

UT NIHIL OMNINO PEREAT EX HIS QUÆ PERTINENT AD FILIOS ISRAEL. — Ecce hic mira Dei providentia circa Hebræos et Ægyptios; ut, cum mixta sint utrorumque animalia, sola tamen Ægyptiorum peste tangantur, et nulla vicini pecoris contagia lædant ea quæ sunt Hebræorum. Unde liquet in terram Gessen, in qua multi Ægyptiorum habitabant, hanc quoque plagam fuisse immissam, ita tamen ut Hebræos non tangeret. Idem de cæteris omnibus plagis censent Philo, Josephus et Abulensis, videlicet aquas in Gessen quoque fuisse versas in sanguinem, et ranas ibidem fuisse, sed Ægyptios tantum exagitasse; similiter et sciniphes et muscas, ideoque, cap. VIII, vers. 22, signanter dici : « Faciam mirabilem terram Gessen, in qua populus meus est, » *q. d.* Ubi populus meus est, inde arcebo muscas; ubi vero Ægyptii erunt, faciam ut eo convolent : hoc enim valde fuit mirabile; sic de nona plaga tenebrarum dicitur, cap. X, vers. 23 : « Ubicumque habitabant filii Israel, lux erat, » *q. d.* In eadem domo, in cubiculis Ægyptiorum erant tenebræ, in cubiculis vero Hebræorum erat lux. Sic ultima plaga primogenitos Ægyptiorum, etiam in terra Gessen occidit, illæsis ibidem Hebræis. Et ratio est, quia par erat ut illi Ægyptii vel maxime plecterentur, qui Hebræos oppresserant. Tales autem erant incolæ Gessen, maxime præfecti operum.

In eodem cubiculo Hebræis erat lux, Ægyptiis tenebræ.

Dices, cur ergo Pharao non ante in præcedentibus plagis, sed jam tantum in hac quinta misit exploratores in Gessen, ad hanc discriminationem Hebræorum et Ægyptiorum in hac plaga cognoscendam?

Respondeo, quia ante viæ erant impervie ob ranas, muscas et sciniphes omnia occupantes, et

Pharao istis flagellis ita distinebatur, ut de exploratione hac non cogitaret, ne quidem in præcedenti plaga, qua tamen Hebræos discriminandos fore ab Ægyptiis illi prædixerat Moses, cap. VIII, vers. 22.

Vers. 6. 6. MORTUAQUE SUNT OMNIA ANIMANTIA, — scilicet quæ tum erant in agris, ut patet ex dictis vers. 3, idque exprimitur in sequenti plaga grandinis, vers. 19. Ibi enim reliqua Ægyptiorum animalia, quæ nunc erant in stabulis, ideoque intacta manserant, tunc vero exierant pabulatum ad agros, ibidem grandine percussa interierunt.

Vers. 7. 7. INGRAVATUMQUE EST COR PHARAONIS. — Non orat hic Pharao ut plaga cesset, sicut ante fecerat, quia jam mortua erant animalia; ideoque cum nulla ei esset spes amovendæ plagæ, cor ejus durum plaga magis induruit, nimirum, tantus Hebræis imperitandi, suasque per tyrannidem opes augendi amor, animo Pharaonis insederat, ut flagella jam præterita, flagella non duceret; aut ob tyrannidem ea sibi immissa non cogitaret, malletque incertæ Dei vindictæ deinceps se exponere, quam certam prædam relinquere.

Vers. 8. 8. DIXIT DOMINUS AD MOYSEN (immediate) ET AD AARON, — mediate, scilicet per Moysen : soli enim Mosi loquebatur Deus, uti superius dixi.

Sexta plaga vesicarum et ulcerum. TOLLITE PLENAS MANUS CINERIS DE CAMINO. — Hebraice est : *Accipite vobis volas plenas favillæ fornacis*, id est cineris, qui in camino et fornace ex igne et carbonibus defluxit ; proprie autem hebraice כִּבְשָׁן *piach* significat albam illam favillam, quæ necdum plane versa est in cinerem, qua semimortui carbones conteguntur. Apposite favilla hac ardentes pustulæ demonstrantur : hæ enim instar cineris fiunt ex calore; apteque factum est ut Ægyptii, qui Hebræos fornace lateritia torserant, acerbissime eadem torquerentur, qua de causa de Ægyptia servitute loquens Moses, *Deut.* cap. IV, vers. 20, ait : « Eduxit vos de fornace ferrea Ægypti. »

Favilla fuit symbolum ardentium pustularum.

ET SPARGAT ILLUM MOYSES. — Nota : Uterque, scilicet tam Moses, quam Aaron jubetur ferre cinerem e camino, sed solus Moses eum spargere in aerem; Aaron enim in aquis producendo sanguinem et ranas, atque e terra educendo scinifes, sua signa jam ediderat : hic vero et deinceps Mosi majora servantur, quæ in igne, cœlo et aere patret miracula, ut ait Philo. Spargit ergo hic Moses cinerem in cœlum, ut significet hanc plagam cœlitus a Deo evocari et emitti, utque cinis hic sparsus, et in pulverem conversus, partim per ventum, partim per angelos delatus in homines et animalia, vertatur in vesicas et ulcera.

Vers. 9. 9. SITQUE PULVIS SUPER OMNEM TERRAM ÆGYPTI. — « Sit pulvis, » id est, fiat pulvis, vertatur in pulverem. Ita Hebræa, Chaldæa, Septuaginta.

Quis hic pulvis? Nota : Favilla hæc sparsa versa est in pulverem, non talem, qualis est pulvis terræ; hic enim non habet vim urendi aut gignendi pustulas, sed qualis ex favilla resoluta generari solet. Pulvis ergo hic est cinis ardens. *Secundo*, non plus favillæ sparsit Moses, quam manibus suis hauserant, et attulerant ad Pharaonem Moses et Aaron, quod fuit exiguum; sed Deus ipsum sparsum in aere multiplicavit, ut in modum densæ nivis, vel pruinæ jugiter caderet super Ægyptios eorumque animalia. *Tertio*, huic cineri Deus impressit vim igneam et adustivam, et per ventum et angelos in omnem Ægyptum delatus, et hominibus jumentisque inspersus, ulcera pustulasque noxio suo calore cogeret et generaret.

ERUNT ENIM IN HOMINIBUS ET JUMENTIS, — non omnibus, sed plurimis, ait Cajetanus; nam reliqua sequenti grandinis plaga percussa perierunt.

Vesicæ hæ fuerunt aqueæ. ULCERA ET VESICÆ TURGENTES. — Vesicæ, ait Pererius, sunt quidam tumores excitati in cute a calore elevante ac resolvente, qui continent humores aqueos resolutos a calore ignis ex partibus carnis subtilioribus et delicatioribus; deinde calore magis siccante cutis hominum et animalium consumebatur et contrahebatur, ac denique rumpebatur; quæ ruptio carnis aperta dicebatur vulnus; post rupturam autem cutis caro illa aperta et hians, paulatim putrescens et consumpta, fiebat ulcus. Verum tales vesicæ aqueæ parvum afferunt dolorem, et parvæ sunt pœnæ. Rursum, hæ vesicæ Ægyptiorum non generarunt ulcera, sed potius ulcera generarunt vesicas, ut patet ex Hebræo textu, qui sic habet, *erit ulcus*, vel *apostema germinans vesicas*, vel *inflationes*, vel *effervescentias*, id est, erit ulcus vel apostema inflatum, turgidum et effervescens. Unde Noster paulo post vertit : « Ulcera vesicarum turgentium. » Vesicæ ergo hæ non erant aliud quam ipsa ulcera ardore et sanie turgida et tumentia, quæ magno dolore cruciabant Ægyptios. Unde Josephus ait exulcerata fuisse intus in cute corpora Ægyptiorum; hinc et Scriptura ait hic, vers. 11 : « Nec poterant malefici stare coram Mose, propter ulcera quæ in illis erant. » Addit Philo : « Videbatur, ait, unum ulcus a vertice usque ad fines pedis, his, quæ membratim sparsa erant, continua serpigine in unum coeuntibus. » Hinc Moses, *Deut.* cap. XXVIII, hanc plagam quasi gravissimam violatoribus legis intentat, dicens : « Percutiat te Dominus ulcere Ægypti, et partem corporis, per quam stercora egeruntur, scabie quoque ac prurigine, ita ut curari nequeas. »

Secundo et verius fuerunt ulcerosæ.

Tropologice. Tropologice, hæc plaga, ait Origenes, habet ulcera et vesicas cum fervore : in ulceribus arguitur dolosa malitia; in vesicis, turgens et inflata superbia; in fervore, iræ ac furoris insania.

Vere enim superbia turgidus et furens insanus est. Sapor, rex Persarum, vocavit se regem regum, participem siderum, fratrem solis et lunæ, teste Herodoto, lib. II, et Plinio, lib. II; nonne stolidus fuit? Menecrates medicus hanc unam ab eis quos curabat mercedem petebat, ut liberati se ipsius servos faterentur, eumque Jovem dice-

rent. Hinc scripsit ille ad regem hoc titulo : « Jupiter Menecrates Agesilao regi salutem; » cui rescripsit ipse hac forma : « Agesilaus rex Menecrati sanam mentem. » Nestorius hæreticus factus præsul Constantinopolitanus, postero die habuit orationem ad populum arrogantiæ plenam, qua cœlum se unicuique daturum promittebat : orthodoxi stultitiam ejus exploserunt. Primus Domitianus Imperator Dominum et Deum se appellari jussit, ait Eusebius. Riserunt Romani hominis fastum. Merito Æsopus rogatus a Chione, « quid faceret Jupiter? » respondit : « Excelsa deprimit, extollit humilia. » Et Innocentius III, Pontifex, lib. *De Vilit. homin.*: « Superbia, inquit, turrim Babel evertit, linguam confudit, prostravit Goliath, suspendit Aman, interfecit Nicanorem, peremit Antiochum, Pharaonem submersit, Sennacherib interemit. Heu! unde iste hominis fastus? cujus vitam laboriosa devolvit pœnalitas, cujus pœnalitatem pœnalior mortis concludit necessitas; cui esse momentum, vita naufragium, mundus exilium est; cui mors aut instat, aut minatur instantiam. »

Secundo, S. Prosper, I part. *Promiss.* cap. XXXVI, et Rupertus : Qui violant, ait, sextum præceptum, « Non mœchaberis, » ardentque libidine, hi et igne sulphureo ardentes et ulcerosi, æternum in anima et corpore portabunt incendium. « Omnes enim adulterantes sunt quasi clibanus succensus a coquente, » ait Oseas, cap. VII. S. Augustinus vero hanc plagam adaptat homicidis, qui ira ardent, sed ipse invertit hic ordinem præceptorum Decalogi. « Non occides » enim, non sextum, sed quintum est præceptum Decalogi.

Vers. 11. 11. NEC POTERANT MALEFICI STARE CORAM MOYSE PROPTER ULCERA. — Tertia est hæc victoria Mosis contra magos. *Primo* enim vicit eos, cum ejus serpens devoravit serpentes eorum. *Secundo*, cum produxit sciniphes, quos magi producere non potuerunt. *Tertio*, hic ulceribus cruciando eos omnino superavit. Ita Rupertus. Hinc videtur quod magi licet victi, hucusque tamen verbis et calumniis, omnique conatu suo restiterint Mosi, itaque Pharaonem magis magisque semper obdurarint : licet enim Deum in tertio signo agnoverint, non tamen eum sicuti Deum glorificaverunt, aut coluerunt. Addit Calvinus magos omnia signa, quæ fecerat Moses hucusque, suis incantationibus pariter effecisse, scilicet sanguinem, ranas, sciniphes, vel, ut Calvinus mavult, pediculos, cœnomyiam, pestem et ulcera. Unde hoc dicit Calvinus, nisi ex suo vertiginis spiritu? contrarium enim prorsus asserit Scriptura, scilicet eos defecisse in tertio signo, nec potuisse sciniphes producere, quo satis insinuat eos nullum signum ulterius efficere aut producere potuisse.

Mosis trina victoria de magis.

Calvini contraria opinio.

Vers. 12. 12. INDURAVITQUE DOMINUS COR PHARAONIS. — Hic primum Deus dicitur indurasse cor Pharaonis, cum scilicet magi, qui eum hucusque animaverant et induraverant, jam plane victi et afflicti defecissent. Vide dicta cap. VII, vers. 3.

Vers. 14. 14. IN HAC VICE MITTAM OMNES PLAGAS MEAS SUPER COR TUUM, — *q. d.* Cœpi te, o Pharao, urgere, pergam jam; fixum enim apud me est non desistere, sed alteram post alteram in te immittere plagam, usque dum te magis semper rebellem et reluctantem aquis mergam in mari Rubro.

OMNES PLAGAS, — non quas possum, sed quas destinavi immittere ad te perdendum.

SUPER COR TUUM, — *q. d.* Præcedentia te non pupugerunt; age, telis meis ipsum cor tuum petam, eaque immittam quæ cor tuum saucient, tangant et angant.

Vers. 15. 15. NUNC EXTENDENS MANUM PERCUTIAM TE ET POPULUM TUUM PESTE. — « Peste, » qua occidam in ultima plaga primogenita tua, ait Pererius. Verum incertum est an primogenita hac peste occisa sint, et illa plaga non nunc, sed post tres alias contigit. Adde Pharaonem hac plaga non periisse : hoc autem hic dicitur; sequitur namque, « peribisque de terra. »

Secundo, alii ex Hebræo vertunt : *Et quidem si voluissem, potuissem te occidere peste* (qua occidi pecora tua), *et periisses de terra; verum ideo posui et servavi te, ut ostendam in te fortitudinem meam.* Ita Chaldæus (1). Verum Hebræa non habent τὸ *si*, et assertive, non autem conditionate minantur Pharaoni pestem et interitum. Dico ergo : pestis hic significat omne excidii genus, quod deinceps in Pharaonem immisit Deus, *q. d.* Plagas plagis addam, donec excidaris a terra. Patet ex præcedentibus, quibus hæc connectit vocula causalis *enim;* præcessit enim vers. 4 : « In hac vice mittam omnes plagas meas super cor tuum : » *peste* ergo, id est exitio et morte; ita enim hebraice דבר *deber*, id est pestem, vertit noster Interpres, *Psal.* LXXVII, 50, cum ait : « Jumenta eorum in morte (hebraice *in peste*) conclusit; » et *Osee*, XIII, 14 : « Ero mors (hebraice *deber*, id est *pestis*) tua, o mors. » Sic vulgo proditores vocamus pestes Reipublicæ. Sic Terentius in *Adelphis*, lenonem illum vocat « adolescentum pestem. » Simili modo *gladius* Hebræis significat quodlibet exitii et mortis genus, ut dixi in cap. V, vers. 21.

PERIBISQUE DE TERRA. — Hebræa hæc omnia habent in præterito : « Ecce nunc extendi manum, percussi, et periisti, » *q. d.* Ita certo te perdere decrevi, ac si jam percussissem te, tuque periisses. En quam gravi comminatione durissimum Pharaonis cor tentat et tundit Deus, ut emolliatur; sed frustra : quasi enim esset adamas, ita tunsione magis obduruit.

Vers. 16. 16. IDCIRCO AUTEM POSUI TE, UT OSTENDAM IN TE FORTITUDINEM MEAM. — Nonnulli sic explicant : Idcirco obduravi te, ut occasionem haberem te assidue puniendi, itaque ostendendi potentiam meam. Verum hæc est hæresis blasphema Calvini.

(1) Ita et Rosenmullerus.

Dico ergo, pro *posui te*, hebraice est העמדתיך *heemadticha*, id est, feci te stare, quod duo significat. *Primo*, statui te : unde Noster vertit, « posui te ; » et Paulus, *Rom.* IX, 17, « excitavi te. » *Secundo*, « sustentavi te ; » qui enim alium sustentat, eumdem stare facit et statuit, ut firmus consistat. Unde Chaldæus vertit, *sustinui te* ; et Septuaginta, *servatus es*. Utrovis modo legit S. Augustinus hic, *Quæst.* XXXII, et S. Ambrosius in cap. IX *ad Rom.* Et utraque lectio vera est ; posterior enim priorem complet hoc modo : *primo*, « posui te, et statui te, » regem videlicet ; *secundo*, « sustinui te, » scilicet regem, ut in regno tuo perdurares. Sensus ergo est, *q. d.* Ego Deus, te, o Pharao, regem constitui, sustinui, conservavi, permisique ut in populum meum tyrannus insurgeres ; ut ego vicissim in te quasi hostem tot plagis potentissimis insurgerem, tandemque te mergerem in mari Rubro, ut sic omnes meam justitiam ac potentiam agnoscant, timeant et colant. Ita Chrysostomus et Photius in cap. IX *ad Rom.*

Cur Deus Pharaonem regem statuit?

UT OSTENDAM IN TE FORTITUDINEM MEAM (1). — Nota : Hæc non prima et præcipua, sed una inter alias, eaque ultima causa fuit, cur Deus Pharaonem regem statuerit. Prima enim causa fuit, ut Pharao bene ageret, et bene regeret populum, itaque bene agendo præmiis præsentibus et æternis ornaretur ; ad hæc enim creatus est omnis homo. Unde et Pharaonem peccantem Deus sustinuit in multa patientia, ut suam duritiem, vitam et mores corrigeret. Nam, ut ait Apostolus, *Rom.* II : « Patientia et benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, » id est, adducere conatur. Ideo ergo Deus Pharaonem flagellavit, ut ille flagellis hisce mollefieret, et se flecteret ad Dei obsequium. Verum, quia ipse per duritiem suam obluctatus est Deo, idcirco Deus plagis plagas addere decrevit, et tandem mergere eum cum suis in mari Rubro, ad hoc, ut hæ plagæ et clades Dei potentiam omnibus ob oculos ponerent, atque impiis et rebellibus Dei metum inculerent, sicuti illæ hunc metum incusserunt Chananæis, *Josue* II, 9, et Philistæis, I *Reg.* IV, 8. Nunquam enim tantam et tam longam Pharaonis pertinaciam passus fuisset Deus, nisi ex ejus malitia tantum vindictæ bonum cogitasset elicere ; nam, ut

In regno providentiæ nihil licet temeritati.

ait Boetius, lib. IV *De Consolat.* prosa 6 : « Sola est divina vis, cui mala quoque bona sunt, cum competenter eis utendo, alicujus boni elicit effectum ; ordo enim quidam cuncta complectitur, ut quod ab assignata ordinis ratione discesserit, hoc idem, licet in alium, tamen in ordinem relabatur : ne quid in providentiæ regno liceat temeritati. »

Quatuor causæ cur Deus sustineat obduratos.

Nota : Deus diu sustinuit Pharaonem aliosque obduratos, et indies sustinet. *Primo*, ut ostendat in iis quantum malum sit obduratio, quamque illi ad omnia sint duri et inflexiles. *Secundo*, ut longius det eis spatium resipiscendi, *Rom.* II, 4. *Tertio*, ut ostendat suam in eis potentiam et longanimitatem, *Sapientiæ* XII, 10. *Quarto*, ut eorum comparatione appareat mira Dei misericordia erga electos, *Rom.* IX, 22.

17. ADHUC RETINES? — Hebraice, *adhuc calcas*, id est, ut Chaldæus, subjectum retines, tam inique fixeque illi insides, illumque arctas, ut ne ad triduum laxare velis? Vers. 17.

18. EN PLUAM CRAS HAC IPSA HORA. — Non differt Deus supplicium peccati. En tibi hora vindictæ horam culpæ excipit : horaria ergo est omnis peccati voluptas ; horaria est et vita nostra ; horaria est et occasio, tempusque merendi æterna præmia. Hinc Hora Gentilibus fuit dea providentiæ, quæ negligentes socordesque esse non pateretur : indeque ab hortando et incitando dicta est et Horta. Horta enim dea, cum viveret, Hersilia nuncupata, fuit uxor Romuli. Hujus deæ ædem nunquam claudi solitam, tradit Plutarchus, ea scilicet causa, quod semper aliquid præclari fieri hortaretur, nunquamque cessandum esse admoneret. Ita Giraldus, *syntag.* 1. Vers. 18.

GRANDINEM MULTAM NIMIS (id est *plurimam*), QUALIS NON FUIT IN ÆGYPTO, A DIE QUA FUNDATA EST, — qua habitari cœpit a Mesraim (inde enim Ægyptus hebraice vocatur *Mesraim*, et hodie a Turcis et incolis vocatur *Mesra*) filio Cham primo conditore, vel potius colono Ægypti. Ita enim explicatur, vers. 24, ubi dicitur : « Ex quo gens illa condita est, » puta a 627 annis ; nam Ægyptus habitari cœpit mox a dispersione gentium facta in Babel, *Genes.* XI. Illa autem dispersio facta est sub annum 170 a diluvio, ut ibi dixi, puta 122 annis ante ortum Abrahæ ; natus est enim Abraham anno 292 à diluvio ; anno 100 Abrahæ natus est Isaac ; ab ortu Isaac ad exitum Hebræorum ex Ægypto fluxerunt 405 anni, ut dixi *Gen.* XV, 13. Ergo a dispersione in Babel, quando habitari cœpit Ægyptus, usque ad hunc annum, quo Hebræi exierunt ex Ægypto, fluxerunt anni 627. Adde enim annos 122 a Babel ad Abraham, et centum ad Isaac, et 405 ad exitum, habebis 627. Apposite ad Ægyptios addit hoc Moses ; Ægyptii enim suam antiquitatem jactabant, et fabulose tredecim millium annorum ætatem sibi arrogabant, adeoque, ut ait Diodorus Siculus, lib. I, cap. II, venditabant primos homines creatos esse in Ægypto, ob Nili fertilitatem et commoditatem.

Ægyptus unde dicta?

Aliqui sic exponunt : nunquam fuit talis grando in illa terra, ex quo illa vocata est Ægyptus, et incolæ Ægyptii ; sed errant : nam terra illa vocata est Ægyptus ab Ægypto Danai fratre et filio Beli Ægyptii, cui defuncto successit ille in regnum, ejecto fratre suo Danao, qui concessit in Græciam, qui inde dicti sunt Danai, quod Eusebius et S. Augustinus, XVIII *De Civit.* XI, contigisse tradunt imperante apud Hebræos Josue, qui successit Mosi, id est 800 annis post diluvium. Ergo non jam, sed post hæc tempora, vocata est Ægyptus.

(1) Hebr. est, *ut ostendam tibi potentiam meam.*

Exempla magna grandinis. Nota : Alibi, et post hæc tempora, non minor subinde, sed major fuit grando. Ludovicus Clavitellius, fol. 260, narrat, anno Domini 1514, die 5 augusti, Cremonæ pluisse grandinem magnitudine ovi gallinacei. In Septentrionalibus regionibus pluere subinde grandinem instar humani capitis docet Olaus Magnus lib. I, cap. XXII, et Conimbricenses in *Meteora*, cap. *De grandine*. Rursus, Clavitellius scribit, in agro Bononiensi, anno Domini 1537, mense augusto, pluisse grandinem sanguine mixtam, ex qua grana ponderata, inventa sunt librarum 28.

Historia Tripartita, lib. VII, cap. XXII, narrat anno Domini 369, quarto calendas junias, Constantinopoli grandinem pluisse magnitudine saxorum.

Sic anno Domini 406, ultima septembris, cum S. Joannes Chrysostomus actus est in exilium, terribilis grando in Constantinopolim depluit. Ita Tripartita, lib. X, cap XX.

In fine mundi depluet grando magna sicut talentum, quod continet 1500 uncias, *Apocal.* XVI, 21. Sic lapidibus grandinis Amorrhæi oppressi sunt tempore Josue, cap. X, vers. 11.

Vers. 19. 19. CONGREGA JUMENTA TUA. — Ecce clementiam Dei, qui etiam irascens iram clementia diluit, eaque pœnam temperat et mitigat. Ita S. Augustinus, *Quæst.* XXXIII.

Vers. 23. 23. DOMINUS DEDIT TONITRUA. — « Dominus » non per se, sed per angelum; suavis enim providentiæ divinæ dispositio suo gaudet ordine, ut administratoriis utatur spiritibus, puta angelis, quantum illorum vires ferunt, scilicet ubi quid fieri vult quod naturæ limites non transcendit, quale erat hoc tonitru, grandinem et fulgura efficere per causas naturales, sive applicando activa passivis. Cum enim exhalatio calida et sicca in nubibus occurrit humidæ et frigidæ, illam violenta eruptione perrumpit, atque ex hac collisione fragor oritur, qui tonitru dicitur, atque accensio et inflammatio exhalationis, quæ fulgur nominatur. Ita Aristoteles, lib. II *Meteor.* cap. I et VIII.

Causa tonitrui et fulguris.

Septima plaga Ægypti fuit grando. ET GRANDINEM AC DISCURRENTIA FULGURA SUPER TERRAM. — Septima hæc fuit in Ægypto plaga grandinis; nam ut dicitur *Psalm.* CXLVIII : « Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, faciunt verbum ejus; » et licet illa naturalibus causis proveniant, sæpe tamen numine irato causas illas ordinante et acuente, grassantur acrius.

Nota : Pro *fulgura* hebraice est ברק *es*, id est ignem, per quem intellige ignitas exhalationes, etiam fulgura, quæ coruscando, urendo, liquando, dividendo, diruendo obvia quæque, noxam gravissimam dederunt Ægypto. Hinc Ovidius fulgura vocat trifida et trisulca, quasi tres habeant acies quibus omnia secent et scindant, ut *Metamorph.* II :

Fulgura cur trisulca ?

> Ille Pater rectorque Deum, cui dextra trisulcis
> Ignibus armata est, qui nutu concutit orbem.

24. ET GRANDO ET IGNIS MIXTA PARITER FEREBANTUR. Vers. 24. — Hebraice est, *erat ignis recipiens se,* vel *receptus in grandine*; Septuaginta, *erat autem grando et ignis ardens in grandine.* Hoc ergo fuit insigne prodigium, quod simul cum grandine et pluvia, ut dicitur vers. 34, ignis permisceretur. Unde *Sapient.* XVI, de eo dicitur : « Mirabile erat, quod in aqua quæ omnia extinguit, plus ignis valebat, et supra virtutem ignis exardescebat; nix autem et glacies sustinebant vim ignis, et non tabescebant. »

In hac ergo plaga tria elementa sævierunt in Ægyptios, aer per tonitrua, aqua per grandinem, ignis per fulgura, ut vel inviti cogerentur Ægyptii agnoscere, se obluctari præpotenti elementorum et mundi Domino. Nam, juxta dictum *Sapient.* V, orbis terrarum pugnabat pro Deo adversus insensatos, et omnis creatura armabat se adversus impios; Deus ergo hic ostendit non esse alios deos cœlestes, alios aereos, alios aquaticos, alios terrenos, uti Gentiles putabant, et Syri, dicentes Deum Israel esse Deum montium, non convallium; sed se verum esse creatorem et Dominum omnium, ait Theodoretus.

Quinque miranda in hac plaga grandinis.

Nota quinque mira et horrifica in hac plaga.

Primo, quod in Ægypto hæc facta sint, ubi raro et modica est pluvia, tonitru et grando.

Secundo, quod hæc grando inusitatæ fuerit magnitudinis, instar lapidum, ait Philo, et densa instar pluviæ, ut patet hic, vers. 18.

Tertio, quod, ut ait Philo, grando intermixta erat ignibus, quibus tamen nec ipsa liquescebat, nec extinguebat fulmina, sed utraque simul eodem deferebantur impetu.

Quarto, tonitrua hæc insolita erant et horrifica, quæ mire percellebant Ægyptios. Grando segetes, fruges et fructus, quin et animalia, non quæ domi, sed quæ in agris erant, sternebat et elidebat; fulmina arbores et duriora quæque, atque animalia et homines feriebant. Ex quibus, ait Philo, si quæ supererant, combusta circumferebant vulnera ad terrorem videntium. Sed hoc non videtur verum; nam Dominus, vers. 19, prædixit omnia esse moritura. Unde et vers. 25 dicitur : « Et percussit grando in omni terra Ægypti cuncta quæ fuerunt in agris, ab homine usque ad jumentum, cunctamque herbam agri percussit grando, et omne lignum regionis confregit.

Quinto, quod terra Gessen sola ab hac plaga fuerit immunis.

Mystice, grando est furtum.

Mystice, S. Augustinus : « Septimum, inquit, præceptum est, Non furaberis, et plaga septima fuit grando in fructibus : quod per furtum contra Dei præceptum subducis, de cœlo perdis; nemo enim habet injustum lucrum sine justo damno; qui furatur acquirit vestem, sed cœlesti judicio perdit fidem : ubi lucrum, ibi damnum; visibiliter lucrum, invisibiliter damnum. Lucrum sua cæcitate, damnum, quia vivit sine æquitate; ergo, qui suo judicio forinsecus furantur, justo judicio Dei intrinsecus grandinantur : quia sci-

Nemo habet injustum lucrum sine justo damno.

licet reatu mortis æternæ in anima feriuntur. »

Grando infernalis Sanctis fuit horrori.

Unde *secundo*, grando hæc ignea, sive ignis hic grandinans typus fuit ignis infernalis, qui grandinabit et afflabit damnatos. Quis non timeat hunc ignem, hanc grandinem? Eum horrebat S. Hieronymus, ideoque omnes voluptates abjecit, et in eremum veluti portum salutis se recepit. « Ille ego, » ait ipse epist. 22 *ad Eustochium*, « qui ob gehennæ metum, tali me carcere damnaveram, scorpionum tantum socius et ferarum. » Eum horrebat Cyrillus Alexandrinus in orat. *De exitu anim.*: « Gehennam, ait, timeo, quippe interminatam; exhorreo tartarum, ut cui nimium insit caloris; paveo tenebras, quoniam nihil admittunt lucis; formido pestiferum vermem, quoniam est perennis. » Merito ergo pueris nos confert Chrysostomus, qui larvas timent, non ignem: ita enim nos larvas malorum, puta temporalia damna et ærumnas timemus; ipsum vero malum, id est peccatum, ignemque æternum quo nos ducit, non formidamus. Ita ipse hom. 5 *ad Populum*.

Falsum est in Ægypto nunquam pluere.

TANTÆQUE FUIT MAGNITUDINIS, QUANTÆ ANTE NUNQUAM APPARUIT IN UNIVERSA TERRA ÆGYPTI. — Hinc colligas falsum esse quod quidam fabulantur, nunquam in Ægypto visam esse pluviam, nunquam grandinem. Si enim recta hic sit comparatio, inferre licet: ergo visa est aliquando grando, et multo magis pluvia in Ægypto, sed non tanta quanta hæc. Hinc et Diodorus Siculus, lib. I, cap. II, in Ægypto docet esse pluvias, sed rarissimas; et Philo: « Ægyptus, inquit, hiemem nescit, hiemalesque tempestates: hæc circa brumam irroratur parvis rarisque pluviis in locis duntaxat maritimis: supra Memphim autem nullas omnino sentit; » et causam subdit: « Quod Ægyptus non longe absit a zona torrida (tantum enim abest 25 gradibus ab æquinoctiali), ac consequenter æstuet; quodque restagnationes Nili arva satis fœcundent, ut naturæ de imbribus Ægypto providere non sit opus. » Mirum vero est et quasi incredibile, quod addit Philo, Nilum inundantem nubes e quibus fit pluvia, absumere: neque enim ad nubes intumescit Nilus, nisi velit dicere Nilum exundantem sua violentia impedire, quominus vapores ascendant, et densentur in nubes, aut quod occulta sympathia eas ad se attrahat.

Nota: Nili exundatio incipit solstitio æstivo, deficit æquinoctio autumnali, juvatque agros tum inundando, tum oblimando et pinguefaciendo. Addit Seneca, lib. IV *Natur. Quæst.* cap. II, naturam ita disposuisse, ut eo tempore Nilus inundet Ægyptum, quo terra maximo æstu usta aquam profundius haurit et imbibit; ut tantum tunc hauriat, quantum annuæ siccitati sufficere possit.

Exundationis Nili causæ. Prima Secunda. Tertia.

Hujus exundationis causam varii variam dant: Solinus eam tribuit soli et astris. *Secundo*, Ephorus eam tribuit terræ raræ et aridæ, et in Ægypto desudanti. *Tertio*, Herodotus eam tribuit naturæ Nili, quasi hic natura sua aquas ad se attrahat, itaque exundet. *Quarto*, alii eam tribuunt subterraneis sinibus, qui pleni aquis in Nilum se effundant. *Quinto*, Thales et Ælianus eam tribuunt Etesiis, qui ex adverso flantes descendenti Nilo resistant, eumque reverberent, ut exundet. Verum experientia compertum est augmentum Nili effici non ex adverso, sed ex paludibus, ex quibus Nilus descendit. Quarta. Quinta.

Dico ergo causam exundationis Nili esse immensam pluvialis aquæ vim (adde et nivium colliquationem) quæ ad paludes, et loca illa superiora, e quibus Nilus fluit, stato anni tempore colligitur et in Nilum influit, eumque ita adauget, ut exundet magis minusve, pro imbrium et rivulorum in Nilum influentium copia vel raritate. Sexta et genuina, est pluvia et nives colliquatæ.

Ideo vero hæc inundatio in Ægypto æstate accidit, quia paludes illæ et fontes, ut nostro hoc sæculo compertum fuit, in ea mundi parte sunt, ubi hiems est eo tempore, quo Alexandriæ, et in Ægypto est æstas: unde imbribus tunc abundant, concurrente forte ad idipsum cœlesti vi alicujus sideris inibi dominantis, uti vult Scaliger exercit. 47 *in Cardanum*; et Conimbricenses in *Meteora*, tract. IX, cap. X. Cur fiat in æstate?

26. TANTUM IN TERRA GESSEN, UBI ERANT FILII ISRAEL, GRANDO NON CECIDIT, — *q. d.* Tota Ægyptus percussa est grandine, excepta Gessen, in qua multi fuere ab ea immunes, scilicet Hebræi, cum suis jumentis et agris. Nam Ægyptios æque ibi ac alibi grandine tactos esse dixi vers. 6 (1). Vers. 26.

30. NOVI AUTEM QUOD ET TU, ET SERVI TUI NECDUM TIMEATIS DOMINUM, — timore scilicet pietatis, ex reverentia et religione in Deum manantis: ita S. Augustinus, *Quæst.* XXXV; vel etiam timore servili pœnarum, tali videlicet, ut eo permanente cessantibus flagellis dimittatis populum. Unde hebraice est: *Novi quod non timebitis Dominum.* Nam alioqui eos ad tempus, quo plagæ durabant, timuisse Dominum, omnes hæ eorum preces testantur; quæ ita eorum cor ad breve saltem tempus immutarunt, ut serio cogitarunt populum dimittere: ideo enim paulo post Pharao liber a pœna ad ingenium rediens, rursum induratus dicitur. Vers. 30.

32. TRITICUM AUTEM ET FAR NON SUNT LÆSA. — Hebræi et Lyranus per *far* accipiunt speltam, quæ extra aristam thecis etiam includitur, cum triticum sola arista claudatur. Vers. 32.

QUIA SEROTINA ERANT, — Hebraice, *quia erant tenebrosa*, id est, quia nondum prodibant, et latebant adhuc sub terra, vel tenui gramine; nam circa finem februarii hæc contigerunt, ut patet ex dictis cap. VII, sub finem *Quæst.* III.

35. ET INGRAVATUM EST COR EJUS. — Toties ictum cor Pharaonis, tot editis signis, tot plagis immissis Vers. 35.

(1) *Peccavi hac vice*, id est, nunc demum me peccasse confiteor.

Vers. 28. *Et multum*, id est satis est *fuisse*, sufficiat et *ne sint* amplius *voces Dei*, tonitrua, *et grando*.

non est mollitum, sed induruit semper, ideoque durius indies evasit; hebraice est, *aggravavit Pharao cor suum.*

PER MANUM MOYSI, — per Mosen: manus enim est organum organorum, ait Aristoteles; est hebraismus.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describitur octava plaga Ægypti, quæ fuit locustarum, et, vers. 21, *nona, quæ fuit densissimarum tenebrarum, quibus mollitus Pharao Hebræos abire permittit; sed omnium, etiam pecorum, missionem urgente Mose, se rursus obdurat, Mosique mortem minatur.*

1. Et dixit Dominus ad Moysen : Ingredere ad Pharaonem ; ego enim induravi cor ejus, et servorum illius, ut faciam signa mea hæc in eo, 2. et narres in auribus filii tui, et nepotum tuorum, quoties contriverim Ægyptios, et signa mea fècerim in eis, et sciatis quia ego Dominus. 3. Introierunt ergo Moyses et Aaron ad Pharaonem, et dixerunt ei : Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum : Usquequo non vis subjici mihi? dimitte populum meum, ut sacrificet mihi. 4. Sin autem resistis, et non vis dimittere eum, ecce ego inducam cras locustam in fines tuos : 5. quæ operiat superficiem terræ, ne quidquam ejus appareat, sed comedatur quod residuum fuerit grandini ; corrodet enim omnia ligna quæ germinant in agris. 6. Et implebunt domos tuas, et servorum tuorum, et omnium Ægyptiorum : quantam non viderunt patres tui, et avi, ex quo orti sunt super terram, usque in præsentem diem. Avertitque se, et egressus est a Pharaone. 7. Dixerunt autem servi Pharaonis ad eum : Usquequo patiemur hoc scandalum ? dimitte homines, ut sacrificent Domino Deo suo. Nonne vides quod perierit Ægyptus? 8. Revocaveruntque Moysen et Aaron ad Pharaonem, qui dixit eis : Ite, sacrificate Domino Deo vestro : quinam sunt qui ituri sunt? 9. Ait Moyses : Cum parvulis nostris et senioribus pergemus, cum filiis et filiabus, cum ovibus et armentis ; est enim solemnitas Domini Dei nostri. 10. Et respondit Pharao : Sic Dominus sit vobiscum, quo modo ego dimittam vos, et parvulos vestros. Cui dubium est quod pessime cogitetis? 11. Non fiet ita, sed ite tantum viri, et sacrificate Domino : hoc enim et ipsi petistis. Statimque ejecti sunt de conspectu Pharaonis. 12. Dixit autem Dominus ad Moysen : Extende manum tuam super terram Ægypti ad locustam, ut ascendat super eam, et devoret omnem herbam quæ residua fuerit grandini. 13. Et extendit Moyses virgam super terram Ægypti, et Dominus induxit ventum urentem tota die illa et nocte ; et mane facto, ventus urens levavit locustas. 14. Quæ ascenderunt super universam terram Ægypti, et sederunt in cunctis finibus Ægyptiorum innumerabiles, quales ante illud tempus non fuerant, nec postea futuræ sunt. 15. Operueruntque universam superficiem terræ, vastantes omnia. Devorata est igitur herba terræ, et quidquid pomorum in arboribus fuit, quæ grando dimiserat : nihilque omnino virens relictum est in lignis, et in herbis terræ, in cuncta Ægypto. 16. Quam ob rem festinus Pharao vocavit Moysen et Aaron, et dixit eis : Peccavi in Dominum Deum vestrum, et in vos. 17. Sed nunc dimittite peccatum mihi etiam hac vice, et rogate Dominum Deum vestrum, ut auferat a me mortem istam. 18. Egressusque Moyses de conspectu Pharaonis, oravit Dominum. 19. Qui flare fecit ventum ab occidente vehementissimum, et arreptam locustam projecit in mare Rubrum : non remansit ne una quidem in cunctis finibus Ægypti, 20. et induravit Dominus cor Pharaonis, nec dimisit filios Israel. 21. Dixit autem Dominus ad Moysen : Extende manum tuam in cœlum, et sint tenebræ super terram Ægypti, tam densæ, ut palpari queant. 22. Extenditque Moyses manum in cœlum, et factæ sunt tenebræ horribiles in

universa terra Ægypti tribus diebus. 23. Nemo vidit fratrem suum, nec movit se de loco in quo erat : ubicumque autem habitabant filii Israel, lux erat. 24. Vocavitque Pharao Moysen et Aaron, et dixit eis : Ite, sacrificate Domino, oves tantum vestræ et armenta remaneant, parvuli vestri eant vobiscum. 25. Ait Moyses : Hostias quoque et holocausta dabis nobis, quæ offeramus Domino Deo nostro. 26. Cuncti greges pergent nobiscum : non remanebit ex eis ungula ; quæ necessaria sunt in cultum Domini Dei nostri ; præsertim cum ignoremus quid debeat immolari, donec ad ipsum locum perveniamus. 27. Induravit autem Dominus cor Pharaonis, et noluit dimittere eos. 28. Dixitque Pharao ad Moysen : Recede a me, et cave ne ultra videas faciem meam ; quocumque die apparueris mihi, morieris. 29. Respondit Moyses : Ita fiet ut locutus es, non videbo ultra faciem tuam.

Vers. 1. 1. EGO ENIM INDURAVI, — eo modo quo dixi cap. VII, vers. 3.

UT FACIAM SIGNA MEA HÆC IN EO, — non quasi captans supplicii materiam, puta culpam, sed positam jam ejus culpam justissime ordinans ad meritam pœnam, et justitiæ meæ gloriam. Captare enim puniendi materiam alienum est, *primo*, a divina bonitate ; triste enim est, et dedecus principi multa exercere supplicia, æque ac Reipublicæ est, multa videre civium funera, ait Seneca. *Secundo*, a Dei veritate, quæ toties Pharaonem ad pœnitentiam hortata est, tot intentatis plagis, quæ significabant Deum serio, et ex animo ejus resipiscentiam et salutem cupere. *Tertio*, a justitiæ ordine, qui habet, ut pœna non infligatur, nisi prævia culpa, utque pœna sit propter culpam, non contra.

Captare puniendi materiam repugnat Dei bonitati, veritati et justitiæ.

Vers. 2. 2. ET NARRES, — tu et gens tua, cujus tu dux es, caput et liberator (1).

Vers. 4. 4. INDUCAM CRAS LOCUSTAM, — locustarum multitudinem. Hebræum enim ארבה *arbe* et locustam, et locustarum multitudinem significat : dicitur enim *arbe* a multitudine ; nam radix רבה *rala* significat multum esse.

Octava plaga locustarum quanta ?

Octava fuit hæc plaga Ægypti, scilicet locustarum plurimarum, quæ ita terram operuerunt, ut nihil terræ appareret. « Ecce, inquit Rupertus, quales acies instruxit Dominus, pugnando pro Israel in Ægyptios, puta ranas, sciniphes, muscas, locustas : a locusta victus est fortis rex, sed in sua infirmitate superbiens ; qui cervicem erexerat contra Deum, eam nunc pulici subjicit. » Hæ enim locustæ devorarunt quidquid erat virens in terra, ut dicitur vers. 15, scilicet omnes fructus, frondes, germina, herbas, semina, ligna etiam tenera : quin et domos ingressæ eas impleverunt, ut dicitur vers. 6, in oculos et corpora insilientes, hominesque morsu suo necantes, ut dicitur *Sapient.* XVI, 9. Unde Plinius, lib. XI, cap. XXIX, ait locustas esse deorum pœnam. « Nam et grandiores, inquit, cernuntur, et tanto volant pennarum stridore, ut aliæ alites credantur, solemque obumbrant, sollicite spectantibus populis, ne suas operiant terras : longinqua maria transeunt, continuata plurium dierum fame, ut externa pabula petant : dira messes contegunt nube, multa contactu adurentes, omnia vero morsu erodentes. » Hæc plaga locustarum etiamnum frequens est in Æthiopia, sive Abyssia, quæ Ægypto adjacet. Illud enim clima locustarum est ferax.

Hæ ergo locustæ domos, lectos, cibos omniaque Ægyptiorum invadebant et fœdabant ; in viis quoque conculcatæ, et in saniem conversæ horrorem et fœtorem excitabant.

Mystice, locustæ mendaces et adulatores.

Tropologice, octava hæc locustarum plaga significat culpam et pœnam eorum, qui violant octavum præceptum : « Non dices falsum testimonium. » Lingua enim mendax et detractoria dente locustæ est nocentior, tum aliis, tum sibi, uti in gehenna patebit. Unde *Apoc.* IX, 7, mendaces hæretici comparantur locustis. Ita Augustinus, Prosperus, Rupertus et alii.

Rursum S. Gregorius, lib. XXXI *Moral.* cap. XX (ubi multa habet de locustis), per locustas intelligit linguas adulantium, quæ omnem virorem virtutum sua adulatione corrumpunt, dum ad appetendas laudes transitorias cor operantis inclinant.

Vers. 7. 7. USQUEQUO PATIEMUR HOC SCANDALUM ? — Hebraice, *Quamdiu erit hoc nobis in scandalum* (2), quia scilicet detinendo Hebræos in durissima mala continuo impingimus.

NONNE VIDES QUOD PERIERIT ÆGYPTUS ? — Hebræa hic dupliciter vertit Vatablus : *Primo*, et planissime sic, *visne prius experiri Ægyptum esse perditam ? q. d.* Nunquam dimittes populum hunc, quin tota Ægyptus perierit ; aut, dimitte populum istum, alioqui actum est de tota Ægypto. *Secundo*, sic, *nondum scis quod periit Ægyptus ?* aut, ut Chaldæus, *adhuc non scis quod perierit Ægyptus ?* Hebræum enim טרם *terem*, non tantum *antequam*, sed etiam *adhuc non* significat, ut

(1) Pro *contriverim* hebræa habent התעללתי, *illusi*, et simpliciter *operatus sum*. Hieronymi interpretatio deberi videtur male intellectæ magistri sui Hebræi explicationi. Is enim quum התעללתי interpretatus esset שחקתי (per *sin*), *illusi*, Hieronymus id sinistre cepit pro שחקתי (per *schin*), *contrivi*.

(2) Rectius, *hic*, scil. Moses, in offendiculum.

patet cap. IX, vers. 30 : de quo enim dicitur « antequam, » illud adhuc non est.

Vers. 8. 8. QUINAM ITURI SUNT? — *q. d.* Non est opus omnes ire; pauci enim ad sacrificium sufficiunt : saltem ad id feminis et pueris non est opus; eos ergo mihi obsides relinqui volo, ut certus sim vos non fugituros, sed redituros in Ægyptum. Vides hic Pharaonem ex parte se emolliisse, quando dimidia quasi pactione cum Mose decidit; poterat ergo etiam omnino se emollire, uti et obdurare. Plagæ enim hæ a Deo immissæ, non tantum ad dimidium, sed ad totum eum emolliendum satis erant efficaces.

Vers. 9. 9. EST ENIM SOLEMNITAS, — quam omnes omnino Hebræos celebrare par est, ideoque omnes oves et armenta nobiscum ducere debemus : nescimus enim quæ, et quot Deo nostro sacrificare oporteat, quæve et qualia Deus delecturus et postulaturus sit. Verum dicebat Moses : evocabantur enim a Deo Hebræi ad agendam celebritatem in monte Sina, ubi multas immolarunt victimas in confirmatione legis, dedicatione tabernaculi, et sacerdotum consecratione, ut patet cap. XXIV et XXIX; multa tamen hic subticet Moses, quæ silere erat prudentiæ.

Vers. 10. Mycterismus Pharaonis. 10. SIC DOMINUS SIT VOBISCUM. — Est mycterismus, id est, sermo cum naso et sanna, sive simulatus risus, sed tamen non latens, puta subsannatio cum suspensione nasi; jam sensus est : Sic Deus vos adjuvet, sicut ego dimittam vos, *q. d.* Nullo modo vos adjuvabit, vel adjuvare poterit Deus vester : uti nullo modo vos dimissurus sum cum parvulis et pecoribus vestris.

CUI DUBIUM EST QUIN PESSIME COGITETIS? — Videmini enim machinari seditionem et rebellionem, ut ficta sacrificii specie, populum Hebræum mihi subditum a me abducatis, eumque contra me concitetis.

Vers. 11. 11. HOC ENIM PETISTIS. — Hic Pharao mentitur, sed regia licentia, cui nemo contradicere ausit.

STATIMQUE EJECTI SUNT. — Intelligitur per hebraismum historicum, quod et Moses iterum Pharaoni roganti, ut soli viri irent ad sacrificium, idipsum negarit, volueritque omnes etiam parvulos missos fieri, atque inde exacerbatum regem jussisse eos expelli.

Discant hic confessarii, consiliarii aliique monitores principum, gratiam principum non aucupari, sed parare se ad opprobria, exilia, atque cum Mose ex aulis expelli, ut fideles sint Deo et justitiæ.

Rursum vide hic miram patientiam et longanimitatem Dei et Mosis, dum toties et tanto tempore, leniter et patienter ferunt dura, perfida et minacia responsa Pharaonis tyranni, eumque nunc per preces, nunc per minas, nunc per plagas ad æquitatem flectere conantur. Sane Moses hic angelus fuit potius, quam homo. Legimus in *Vitis Patrum*, lib. VII, cap. XIX, de Joanne Thebæo, discipulo Abbatis Ammonis, quod seni huic infirmanti duodecim annis studiose servierit : senex autem nunquam ei blandum aut placidum verbum locutus sit. « Senex ergo moriturus coram aliis senibus tenuit manus ejus, et dixit ei tertio : Salveris, salveris, salveris. Et tradidit illum senibus, dicens : Ille non homo est, sed angelus, qui tot annis mihi infirmanti serviens, nec bonum sermonem audiens, fecit tamen obsequium cum magna patientia. » Si serviens patienter uni ægro et moroso seni est angelus, quid erit Moses, qui Pharaoni, et moroso et duro ac minaci, toties tam leniter et blande obsecutus est, deprecando, et auferendo plagas ei a Deo immissas? qui tres milliones Hebræorum, hominum durorum, rebellium et intractabilium, per 40 annos solus sustinuit, pavit, rexit, duxit, protexit? sane ipse et angelus, et Deus fuit, tam Pharaonis, quam Hebræorum, ut dixi cap. VII, vers. 1. Angelus est qui patienter servit ægro.

Patientia ergo juncta clementiæ hominem efficit sapientem, excelsum, angelicum, divinum. Viderunt id quoque per umbram Gentiles. Ita Plato in dialogo cui nomen *Crito*, Socratem disserentem inducit : « Nullo modo injuriandum est, neque ulciscendum, quidcumque ipse passus fuerit. » Et Plutarchus, lib. *De Utilitate ab inimicis capienda* : « Oblata, inquit, occasione ulciscendi inimicum, eum missum facere, æquanimitatis est : qui vero et miseratur inimicum afflictum, et opem fert indigenti, hunc omnes amant et laudant, ob animi humanitatem et bonitatem. » Hinc Diogenes rogatus : Quomodo ulciscar inimicum? respondit paucis, sed apposite : « Probus esto. » Clementiæ in hostes gnomæ.

Quid, quod laudare etiam inimicum majorem sæpe conciliat laudanti laudem, quam laudato? Tullium de Cæsare dixisse affirmant : « Cæsar cum statuas Pompeii everti vetuit, suas stabilivit. »

Graves auctores referunt S. Elisabetham, Hungariæ regis filiam, aliquando orasse Deum, ut quoslibet qui eam injuria aliqua affecissent, afficeret ipse peculiari aliquo beneficio, ita ut injuriæ beneficium responderet, tuncque de cœlo significatum illi esse, nunquam se suis precibus adeo Deo placuisse, atque tunc : in ejus vero tam propensæ in inimicos dilectionis compensationem, omnium ei peccatorum condonationem fieri.

12. ET DEVORET (locusta) OMNEM HERBAM QUÆ RESIDUA FUERIT GRANDINI. — Grando enim summam fere tantum herbam percusserat, tenuia vero germina, sive tum, sive si quæ postea ex hordeo, lino, tritico et farre enata, locustæ servata sunt : quæ eo major Ægypto fuit plaga, quo illa fertilior mundi pars, adeoque orbis horreum olim habita fuit. Vers. 12.

13. VENTUM URENTEM. — Hebraice *ventum Orientalem*, qui calidus est et urens : hic enim contrarius est Occidentali, scilicet Favonio, frigido et humido, qui locustas has ex Ægypto ejecit in mare Rubrum. Ita Abulensis. Verum Septuaginta et Philo *Austrum* vertunt; hic enim calidus et hu- Vers. 13. Auster generat

ranas et locustas. midus, imperfectis animalibus, uti sunt ranæ, generandis est aptissimus, atque locustas Austro, non Borea; calore, non frigore enasci docet S. Hieronymus in *Joel.* II. Sed dico Austrum, licet a Meridie flantem, Orientalem vocari. Solemus enim mundum in duas tantum plagas aliquando, videlicet Orientem et Occidentem, dividere, sicut et Cosmographi faciunt, quando gradus longitudinis penes illas tantum assignant : qua ratione Meridies et Auster Orienti, Septentrio et Aquilo Occidenti annumeratur. Posset, *secundo,* dici hunc ventum Euronotum, id est, partim Orientalem, partim Australem fuisse. En quomodo omnis creatura contra insensatos insurgit, obeditque vindici creatori suo.

TOTA DIE ILLA ET NOCTE, — ut calore suo fotuque locustas produceret, et productas in Ægyptum perflaret. Ubi duplex rursum fuit prodigium, vel miraculum. *Primum,* quod subito Deus tantum tamque calidum ventum produxerit, qui totam perflaret Ægyptum. *Secundum,* quod singulari suo concursu cum eo innumerabilem locustarum multitudinem produxerit et afflarit. Unde sequitur : « Et mane facto, ventus urens levavit locustas; » mane enim ad hoc aptius est tempus; quando quæ inter locustas alatæ sunt, et nocturno frigore torpuerunt, matutino calore excitatæ, factæque vividæ et vigorosæ, avolare solent etiam naturali instinctu.

Vers. 14. 14. QUALES ANTE ILLUD TEMPUS NON FUERANT, NEC POSTEA FUTURÆ SUNT. — Dixit hoc Moses spiritu non historico, sed prophetico.

Dices : Post Mosen, *Joelis* cap. I, vers. 2 et 4, dicitur : Residuum erucæ comedit locusta, residuum locustæ comedit bruchus, et bruchi rubigo : additque Joel nunquam visum fuisse simile exemplum.

Locustæ fuerunt Chaldæi. Respondeo, Joelem metaphorice per hæc quatuor, scilicet erucas, locustas, bruchum et ærugi-nem significare exercitum Chaldæorum, qui quater Jerusalem vastarunt: *primo,* dum Joakim regem, cum quo captus est Daniel, ceperunt; *secundo,* cum ejus filium Joachim abduxerunt; *tertio,* cum Sedeciam captivarunt; *quarto,* cum templum in cineres redegit Nabuzardan : quæ vastatio proinde recte rubigini comparatur. Ita S. Hieronymus, quem passim Catholici omnes, præter Theodoretum et Lyranum sequuntur. Ita enim se explicat Joel, vers. 6, cum ait : « Gens enim ascendit fortis et innumerabilis. » Vide ibidem Riberam (1).

Vers. 15. 15. OPERUERUNTQUE UNIVERSAM SUPERFICIEM TERRÆ, — cultæ scilicet, et vestitæ germine; quid enim pascerent locustæ, quidve vastarent in terra arenosa et glabra? Hebraice est, *obtenebrata est terra,* id est, ocultata est, ita ut non videretur (2).

QUIDQUID POMORUM IN ARBORIBUS FUIT. — Pomum vocant Hebræi fructum omnem, tam qui tenero, quam qui duro est cortice : potuisse enim tum esse fructus, licet necdum forte plane maturos, in Ægypto regione ita calida, non mirum est; agebatur enim jam tum martius : nam in frigido hoc climate maius sæpe eos nobis exhibet. Possunt, *secundo,* poma hic accipi metonymice pro gemmis, sive baccis in poma protuberantibus. Sic enim vulgo florente arbore dicere solemus : In hac arbore poma (id est gemmæ) sunt plurima, florem pro fructus spe æstimantes.

17. UT AUFERAT A ME. — Hebraice additur *tantum, q. d.* Tantum hac vice parcat Deus, amplius non offendam. Vers. 17.

MORTEM, — plagam hanc, videlicet locustam, quæ plantis omnibus mortem affert, ac consequenter hominibus omnibus mortem afferet : hi enim fame morientur, si seges omnis quæ in germine est, lædatur.

19. VENTUM AB OCCIDENTE. — Hebraice, *ventum maris* : quia enim mare Mediterraneum est ad Occidentem terræ Sanctæ, ut et Ægypti, hinc Hebræi per mare significant Occidentem. Vers. 19.

ET ARREPTAM LOCUSTAM PROJECIT IN MARE RUBRUM. — Quæres, unde dicatur mare Rubrum, et an vere sit rubrum? *Primo,* Strabo et Uranius, quem citat Stephanus, lib. *De Urbibus,* vult mare hoc rubrum dici et effici ex repercussu solis, quod scilicet vicinorum montium ruborem, quem radiorum solis objectu reciprocatum undæ excipiunt, repræsentare videatur. *Secundo,* alii volunt talem illius aquæ et maris esse naturam, ut rubrum sit. *Tertio,* Ctesias Gnidius putat hoc mare rubrum effici ex fonte quodam, qui aquam rubicundam et minio plenam in illud mare emittat. Unde et Solinus, cap. XXXVI : Varro, inquit, in littore maris Rubri ait esse fontem, ex quo si oves bibant, mutant colorem, ut ex álbis fulvæ fiant et subnigræ. *Quarto,* mare hoc, inquit Plinius, lib. VI, cap. XXIII, græce dicitur Erythræum, id est rubrum, a rege Erythra Persei filio, cujus sepulcrum in Tirina insula maris Rubri ostendi ferunt. Idem sentit Pererius in fine capitis XIV. Ita et Q. Curtius, Philostratus, lib. III *Vitæ Apollonii,* qui mare ipsum ait in se non rubrum, sed cæruleum esse; quin et Arrianus, lib. VIII *Gestorum Alexandri* : Rubrum, ait, hoc mare dicitur a Rubro, primo ibidem rege.

Mare Rubrum unde dicatur? Prima sententia. Secunda. Tertia. Quarta.

Verum dico hoc mare non esse in se rubrum, sed rubrum dici ab arena rubra, quæ est in fundo hujus maris. Id ita esse docuit experientia : nam nautæ ex eo aquam haurientes hoc sæculo, non rubram, sed pellucidam viderunt; et plane intellexerunt rubrum colorem in hisce aquis repræsentari ex arenis rubeis, seu coralliis

Quinta et vera, mare Rubrum dicitur ab arena rubra quæ est in fundo ejus.

(1) Dici etiam potest esse hic et *Joel.* II, 2, hyperbolicam et proverbialem locutionem, qua significatur nullam fuisse memoriam tam noxiarum locustarum. Eodem modo videtur intelligendum II *Reg.* cap. XVIII, et cap. XXIII, vers. 25.

(2) Alii : Locustæ mediæ inter solem et terram eam obscurabant.

(corallium enim in hoc sinu gigni docet Plinius, lib. XXXII, cap. II) quibus maris illius fundus scatet. Ita ex Joanne Barrio Conimbricenses, tract. 8 *in Meteora*, cap. II, et Andreas Masius in *Josue* cap. II, et alii.

Cur vocatur hebraice mare *suph?*

Nota : Hebraice hoc mare dicitur סוף *suph*, id est termini, quia Ægyptum ab Arabia, et terra Sancta disterminat. *Secundo*, alii *suph* vertunt turbinosum, alii algosum et junceum : est enim caricum et juncorum ferax. Ita Vatablus, et S. Hieronymus, epist. 127 *ad Fabiolam*.

PROJECIT. — Hebraice *defixit*, id est acervatim lejecit et mersit.

Vers. 21. Nona plaga fuit tenebræ palpabiles, quomodo?

21. SINT TENEBRÆ SUPER TERRAM ÆGYPTI TAM DENSÆ, UT PALPARI QUEANT. — Loquitur vulgari hominum more Scriptura. Ita enim in tenebris palpitantes incedimus, ac si tenebrosus aer crassissimus appareret, palparique posset. Addunt Abulensis, Burgensis et Pererius, has tenebras vere fuisse palpabiles, quia ipsæ erant nebula crassissima. *Secundo*, alii vertunt, *sint tenebræ, ut noctis tenebras auferant*, id est, obruant et obscurent. *Tertio*, Chaldæus vertit, *sint tenebræ, etiam postquam recessit caligo noctis*. Hebraicum enim ימוש *iamos* potest deduci a מוש *mos*, id est recedere, removere; sed Noster et Septuaginta deducunt a משש *masas*, id est palpare.

Cur?

Est hæc nona plaga, scilicet tenebrarum, eaque congrua. *Primo*, quia Ægyptii Hebræos filios lucis arctando ergastulis, ad opera dura concluserant. Tenebris ergo et carcere juste puniuntur, quia alios injuste eodem concluserant. *Secundo*, eis immissa fuit plaga tenebrarum, ut agnoscerent se luce hac indignos esse, et ut præsentiscerent in hac quasi imagine tenebras infernales. Utramque hanc causam dat Sapiens toto capite XVII, maxime vers. ult., et cap. XVIII, vers. 4. Ita et S. Bernardus, serm. 72 *in Cantica*.

Quæ causa harum? Prima sententia.

Quæres, quæ fuerit causa harum tenebrarum? Respondet Philo fuisse eclipsin. Sed hæc solem, non autem stellas obscurat; hæcque non triduum, sed horam tantum perdurat.

Secunda.

Secundo, Jansenius in cap. XVII *Sapientiæ*, innuit tenebras illas non esse factas in aere, sed in oculis tantum Ægyptiorum : hos enim, æque ut Sodomitas, percussos esse cæcitate, sive ἀορασίᾳ; sed repugnat Scriptura, quæ tenebras has ait fuisse palpabiles, cum lux esset Hebræis.

Tertia.

Tertio, verisimilius Cajetanus putat causam harum tenebrarum fuisse subtractionem radiorum solis, aliorumque siderum, ita ut versus Ægyptios ubivis locorum manentes, radios suos non emitterent, sed tantum versus Hebræos.

Quarta. Causa tenebrarum fuit nebula.

Quarto et optime, Philo, Burgensis, Abulensis et Pererius censent causam tenebrarum fuisse nubes et nebulas densissimas, constipationemque aeris tantam, ut nullo lumine, ne radiis quidem solis esset penetrabilis. Hoc enim est quod dicitur *Sap.* XVII : « Nec siderum limpidæ flammæ illuminare poterant noctem illam horrendam. »

Nota : Hæ tenebræ cœperunt, non decimo, ut vult Torniellus, sed undecimo die mensis primi; durarunt enim triduum, scilicet usque ad 14 diem, quo Moses evocatus a Pharaone, ei prædixit cladem primogenitorum proxima nocte futuram, ut patebit cap. XI, vers. 4. Decimo ergo die Hebræi compararunt agnum paschalem, ut jussit Deus cap. XII, 3. Sequenti vero die, puta undecimo, inflicta est plaga tenebrarum Ægyptiis : cessavit ea die decimo tertio. Postero die 14, Moses minatus est Pharaoni cædem primogenitorum, eamque proxima nocte diei 15 (puta in paschate), inflixit Deus.

Vers. 22. Octo horribilia in hisce tenebris. Primum. Secundum. Tertium. Quartum. Quintum. Sextum. Septimum.

22. TENEBRÆ HORRIBILES. — Hebraice, *tenebræ caliginis*, id est maxime caliginosæ et densissimæ, ideoque horribiles. Nam, *primo*, erant tantæ, ut essent palpabiles; *secundo*, durarunt tres dies et noctes; *tertio*, fuerunt in universa terra Ægypti; *quarto*, in eis non viderunt sese invicem Ægyptii, nec moverunt se lecto vel loco suo, quasi essent vinculis in carcere constricti, ut ait Sapiens cap. XVII, 16 : cum interim reliqui homines toto orbe, quin et Hebræi in Ægypto, clarissima luce fruerentur; *quinto*, non audebant præ pavore Ægyptii loqui, comedere aut e cubili surgere, sed per silentium fame cruciabantur, nulli vacantes sensui, nisi ut præsens malum sentirent, ait Philo; *sexto*, audiebant Ægyptii horribiles sonitus, et videbant per flammas intermicantes spectra et monstra terrifica, quæ illos tantum non exanimabant. « Apparebat enim illis subitaneus ignis timore plenus; et timore percussi illius, quæ non videbatur faciei, æstimabant deteriora esse, quæ videbantur, » ut dicitur *Sapient.* XVII, vers. 6; *septimo*, ex conscientiæ male sibi consciæ remorsu omnia pavebant et horrebant, ait Sapiens, sive sonum avium, sive mugitum bestiarum, sive strepitum arborum, sive fragorem aquarum, lapidum aut montium audirent, putabant omnia hæc in necem suam conjurasse : « Nam etsi nihil illos ex monstris perturbabat, transitu animalium, et serpentium sibilatione commoti tremebundi peribant, » ut dicitur *Sap.* XVII, 9. Vide hic quam pavida, quam anxia sit mala conscientia; nam, ut ait ibidem Sapiens : « Semper præsumit sæva perturbata conscientia. » Et Cicero in *Pisonem* : « Sua, inquit, quemque fraus, suum facinus, suum scelus, sua audacia de sanitate ac mente deturbat. Hæ sunt impiorum furiæ, hæ flammæ, hæ faces; » et Macrobius lib. I *in Somnium Scipionis*, cap. X : « Vulturem, inquit, jecur immortale rodentem nihil aliud intelligi voluerunt (sapientes Poetæ), quam tormenta malæ conscientiæ, obnoxia flagitio viscera interiora rimantis, et ipsa vitalia indefessa admissi sceleris admonitione laniantis, semperque curas, si requiescere forte tentarint, excitantis, tanquam fibris renascentibus inhærendo, nec ulla sibi miseratione parcentis lege hac, qua se judice nemo nocens absolvitur, nec de se suam potest vitare sententiam. » Sententiam intellige, arguentis et condemnantis con-

Octavum. scientiæ; *octavo,* addunt Septuaginta cum tenebris fuisse turbinem, procellam et tempestatem.

Vers. 23. 23. NEMO VIDIT FRATREM (proximum) SUUM, NEC MOVIT SE DE LOCO IN QUO ERAT.— Hebr., *et non surrexit vir de subter se, q. d.* De sede, vel loco, cui insidebat. Septuaginta, *et non surrexit ullus ex cubili suo* : nimirum attoniti tanto prodigio, præsertim in tenebris tam horrendis positi, omnia formidabant, ut se loco movere non auderent. Metuebant enim ne, si se moverent, in spectra et monstra, aut præcipitia incurrerent; nam ex tam insolitis tenebris putabant totum mundi ordinem perverti et dissolvi. Unde *Sap.* XVII et XVIII, dicitur Ægyptios fuisse tunc quasi catena quadam vinctos, et in carcere reclusos, ideoque miserabiles tunc emisisse voces, quæ ab Hebræis audirentur : omni enim solis, cœli, ignis, candelæ, omnique omnino lumine orbati erant. Unde Philo : Ignis, ait, quo utimur, vel aere turbato extinguebatur, vel vincebatur a crassissimis tenebris. Et Sapiens cap. XVII ait : « Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere. »

Ægyptii in tenebris fuerunt quasi vincti.

Ægyptii omni omnino lumine orbati fuerunt.

Quare errat Cajetanus, dum ait Ægyptios fuisse tantum lumine cœlesti, non autem domestico ignis aut candelæ privatos : hoc enim refellit Scriptura, cum ait has tenebras fuisse palpabiles : rursum, neminem vidisse alium, neminem movisse se loco, solos Israelitas fruitos esse luce. Et vero parva alioqui fuisset hæc pœna : nam multi, qui ad polum vergunt, lumine cœlesti naturaliter ad multos menses, imo ad dimidium annum orbantur, natura eis aliud lumen domesticum ex ligno oleato, quod ardet instar candelæ, subministrante. Ecquid curo, sive lumine solis, sive ignis aut candelæ videam, dummodo videam?

Addit Burgensis tantam tunc fuisse nebulam et crassitiem aeris, ut non modo aspectum omnem lucis auferret, sed et motum progressivum impediret. Verum hoc videtur incredibile; sic enim nebula hæc debuisset esse densa, solida, et resistens instar lapidis aut ferri.

In eadem domo Hebræis erat lux, Ægyptiis vero tenebræ.

UBICUMQUE HABITABANT FILII ISRAEL, LUX ERAT. — Hebraice est, *in sedibus suis, q. d.* Non tantum in vicis, plateis, vel domibus vicinis, sed in eadem domo, Hebræi in suis cubiculis luce gaudebant, in qua Ægyptii in Gessen habitantes, suis in locis, Cimmeriis tenebris involvebantur, Deo radios solares porrigente ad Hebræos, non ad Ægyptios; et crassissimam nebulam offundente Ægyptiis, non Hebræis. *Sap.* cap. XVIII, dicitur Hebræos hoc triduo audivisse quidem voces Ægyptiorum, sed neminem eorum vidisse.

Mystice tenebræ quid?

Tropologice, hæ tenebræ significabant cæcitatem mentis Pharaonis et Ægyptiorum, ait Origenes, qui tot plagas experti Deo tamen credere et obedire noluerunt. Diabolus enim excæcabat corda eorum, qui in hac re facit ut aquila. Aquila enim, ut tradit Plinius, lib. XIX, cap. IV, ut cervum supplantet et devoret, solet collectum volutatu pulverem, in oculos cervi cornibus insidens excutere, ac pennis ora verberare, donec eum quasi excæcatum et furentem præcipitet in rupes : ita facit dæmon, terreno pulvere homines excæcat, itaque quasi furentes in rupes tartari præcipitat. *Secundo,* hæ tenebræ significabant idololatriam et errores eorum; annon enim tenebræ sunt adorare vitulum? *Tertio,* significabant obscurissimas et inscrutabiles esse divinæ Providentiæ rationes. Deus enim « posuit tenebras latibulum suum, » *Psalm.* XVII. *Quarto,* nona hæc plaga, ait S. Augustinus, respondet nono præcepto : « Non concupisces uxorem proximi tui; » qui enim eam concupiscit, in magnis versatur tenebris incontinentiæ et immunditiæ. Hinc *quinto,* tenebræ hæ erant imago tenebrarum inferni, de quibus S. Bernardus, serm. 16 *in Cant.* : « Paveo gehennam, contremisco a dentibus bestiæ infernalis, horreo vermem rodentem, et ignem torrentem, fumum et vaporem et sulphur, et spiritum procellarum : horreo tenebras exteriores. Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrymarum, ut præveniam fletibus fletum, et stridorem dentium? » Quis hic non paveat? Si pavet, cur non cavet? « Tempus breve est, inquit Paulus, præterit figura hujus mundi. » Ergo ita vive in mundo, ac si non esset mundus : mox enim præteribit et evanescet. E converso, ita vive, ut in æternum vivas, ut æternas pœnas mortemque evadas. In gehenna enim « miseris mors sine morte, finis sine fine : quia ibi mors vivit, et finis semper incipit, » inquit S. Gregorius, lib. IX *Moral.* cap. XLVIII.

Tenebræ æternæ metuendæ.

Vers. 24. 24. VOCAVITQUE PHARAO MOYSEN, — triduo tenebrarum expleto; nam eo durante nullus ausus fuit se loco movere, quod et ex verbis Pharaonis patet : neque enim, uti solet, plaga liberari rogat, utpote quæ jam cessasset; sed timens diriora : « Ite, inquit, sacrificate » Deo. Ita Lyranus, Abulensis, Pererius.

OVES TANTUM VESTRÆ ET ARMENTA REMANEANT, — pignoris vice, ne fugiatis et non redeatis.

Vers. 25. 25. HOSTIAS QUOQUE DABIS. — Das ut abeamus, sed oportet des et hostias, scilicet oves et pecora nostra ad immolandum, et hoc sequentia indicant : sequitur enim : « Cuncti greges pergent nobiscum. »

Vers. 27. 27. INDURAVIT AUTEM DOMINUS COR PHARAONIS, — tum amovendo plagam tenebrarum; tum petendo per Mosen non tantum Hebræos, sed et omnia eorum pecora dimitti; tum non dando ei gratiam mollientem, quam toties demeritus erat Pharao. Unde hoc capite post tot plagas maxime hac phrasi utitur Scriptura, scilicet, quod Deus Pharaonem indurarit, ut significet indurationem ejus fuisse pœnam peccati.

Vers. 29. 29. NON VIDEBO ULTRA FACIEM TUAM, — sponte te non accedam, non urgebo, sed tu potius me videre desiderabis, quando in proxima et ultima plaga primogenitorum nos exire compelles, cap. XII, vers. 31.

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prædicit, et describit ultimam plagam Ægypti, scilicet stragem primogenitorum, antequam Hebræi, vers. **2**, *monentur a Domino ut spolient Ægyptum : spoliatio tamen hæc non ante (ut volunt aliqui), sed post stragem primogenitorum peracta est, ut patet cap.* XII, *vers.* 35, *et hoc cap. vers.* **1** *et* **2**.

1. Et dixit Dominus ad Mosen : Adhuc una plaga tangam Pharaonem et Ægyptum, et post hæc dimittet vos, et exire compellet. 2. Dices ergo omni plebi, ut postulet vir ab amico suo, et mulier a vicina sua vasa argentea et aurea. 3. Dabit autem Dominus gratiam populo suo coram Ægyptiis. Fuitque Moyses vir magnus valde in terra Ægypti coram servis Pharaonis et omni populo. 4. Et ait : Hæc dicit Dominus : Media nocte egrediar in Ægyptum, 5. et morietur omne primogenitum in terra Ægyptiorum : a primogenito Pharaonis qui sedet in solio ejus, usque ad primogenitum ancillæ, quæ est ad molam, et omnia primogenita jumentorum. 6. Eritque clamor magnus in universa terra Ægypti, qualis nec ante fuit, nec postea futurus est. 7. Apud omnes autem filios Israel non mutiet canis ab homine usque ad pecus, ut sciatis quanto miraculo dividat Dominus Ægyptios et Israel. 8. Descendentque omnes servi tui isti ad me, et adorabunt me, dicentes : Egredere tu, et omnis populus qui subjectus est tibi : post hæc egrediemur. 9. Et exivit a Pharaone iratus nimis. Dixit autem Dominus ad Moysen : Non audiet vos Pharao, ut multa signa fiant in terra Ægypti. 10. Moyses autem et Aaron fecerunt omnia ostenta quæ scripta sunt, coram Pharaone. Et induravit Dominus cor Pharaonis, nec dimisit filios Israel de terra sua.

Vers. 1. 1. ET DIXIT DOMINUS. — Dixit hæc Dominus Mosi, cum Moses adhuc consisteret coram Pharaone cap. præced. in fine : nam Moses, hanc ultimam plagam primogenitorum, ex Dei revelatione hic acceptam, ipsi Pharaoni prædixit et denuntiavit : deinde iratus ab eo exiit, ut patet hic vers. 9. Constat autem ex fine capitis præced. Mosen nunquam amplius Pharaonem adiisse. Hinc patet Deum non corporali, sed imaginaria, vel potius intellectuali locutione hæc Mosi dixisse, cum eoque toties ante simili modo locutum esse, uti dixi cap. VI initio; neque enim dignum aut decens erat, ut Deus Mosi coram Pharaone corporali specie se videndum exhiberet.

DIMITTET VOS. — Hebr. additur כלה *cala*, id est consummate, sive omnino, *q. d.* Nullam rem jam excipiet, uti hactenus fecit, sed oves et omnia vestra vobiscum plene dimittet.

Vers. 2. 2. POSTULET, — cum scilicet post plagam primogenitorum, Pharao vos Ægypto ad sacrificium exire compellet; « postulet » autem non dono, sed mutuo, quasi mutuaturus, verum nunquam redditurus, sed mutuum ex donatione mea retenturus : hoc enim mutuum ego vobis dono et condono.

AB AMICO SUO, — a proximo, vicino, aut socio suo; hoc enim est Hebræum רע *rea* : hinc patet non solos Hebræos, sed et Ægyptios habitasse in Gessen. Unde et cap. XII, jubentur Hebræi sanguine agni tingere domos suas, ut eas angelus vastans discernat ab Ægyptiis. Petierunt ergo Hebræi hæc vasa a suis vicinis, ab amicis, ab heris : multi enim ex eis erant servi et servæ Ægyptiorum.

VASA ARGENTEA ET AUREA, — quasi iis indigeatis ad sacrificium, quod molimini, in iisque sanguinem hostiarum, similam, sal, ignem, thus, aliaque quæ ad sacrificium pertinent, sitis excepturi. Addunt Septuaginta ex cap. XII, vers 35, « et vestes, » quasi iis ornandi sitis in tanta solemnitate et sacrificio.

Vers. 3. 3. DABIT GRATIAM, — ut Hebræi hæc vasa et vestes petentes ab Ægyptiis, iis placeant, videanturque rem æquam, congruam, quæque eis concedi debeat, petere : corda enim hominum in manu Dei sunt, ut hostes qui ante oppresserant, jam non tantum repente cicures et comes, sed et liberales reddat.

FUITQUE MOYSES VIR MAGNUS, — *q. d.* Ideo eum tam libere loquentem et minantem tangere aut lædere non est ausus Pharao; rursum, ideo facilius Ægyptii vasa sua commodarunt Hebræis.

Vers. 4. 4. ET AIT, — Moses inspiratus a Deo dixit Pharaoni. Redit ad id quod factum est in fine cap. X, ut dixi vers. 1.

MEDIA NOCTE, — proxima nocte, quæ scilicet secuta est decimam quartam diem mensis primi Nisan. Illa enim decima quarta die ad vesperam celebrarunt pascha, in quo cæsis noctu primogenitis, Hebræi liberi Ægypto egressi sunt. Dixit ergo hæc Moses decima quarta die Nisan mane, antequam egrederetur ex aula Pharaonis : Monemur hic, ait Rupertus, non dormire, sed sobrii esse, et vigilare; quia pari modo ex improviso, cum minime putamus, veniet Dominus ad judicium. Nam, ut dicitur *Matth.* XXV : « Media nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exite obviam ei. » Proinde per os David Ecclesia dicit : « Media nocte surgebam ad confitendum tibi. » Quinimo vere Jesum Christum venturum nocte ad judicium, ut perdat Ægyptios, id est reprobos, ex hac figura, et ex *Matth.* cap. XXV, vers. 6, docent S. Chrysostomus, Theophylactus, Hieronymus ibidem, qui addit hanc esse Apostolicam traditionem. Alii tamen Christum putant venturum mane. Sed de hac re alibi dicendum est.

Media nocte Christus veniet ad judicium.

EGREDIAR IN ÆGYPTUM, — non locum mutans, sed actionem : quos enim hactenus in vivis servavi, perdam et occidam; qui ergo ut ultor ab Ægypto abfui, jam ut victor ingrediar, eosque visitabo vindicta mea. Licet enim inter eos plerique parvuli innocentes sint, nocentium tamen sunt filii, ideoque quasi pars aliqua sunt patrum noxiorum et rebellium, quos filiorum morte plectere decrevi. Deus enim est sontium et insontium, vitæ et mortis dominus, ut insontibus non injuste vitam adimat, ut dominus; sontibus vero justissime etiam eripiat, ut vindex malorum.

Vers. 5. 5. ET MORIETUR OMNE PRIMOGENITUM A PRIMOGENITO PHARAONIS, QUI SEDET IN SOLIO EJUS, — qui simul cum patre regnat, vel post patrem in solio sessurus et regnaturus est.

USQUE AD PRIMOGENITUM ANCILLÆ QUÆ EST AD MOLAM, — quæ molas, puta trusatiles, versat in pistrino, quasi dicat : Clades hæc in omnes, et a nobilissimo usque ad vilissimum pervadet. Juste cæde primogenitorum puniuntur, qui Hebræos primogenitum Dei populum oppresserant, et proles eorum masculas interemerant, ait Theodoretus.

Vers. 6. 6. ERITQUE CLAMOR MAGNUS. — Generalis enim hæc plaga omnes tetigit : nam, cum postea mersus est Pharao cum suis, plaga illa non omnes tangebat domos, sed tantum militum Pharaonis : neque valde Pharaonem sublatum doluerunt Ægyptii, utpote cujus culpa tantas incurrerant clades et calamitates.

Vers. 7. 7. APUD OMNES AUTEM FILIOS ISRAEL NON MUTIET CANIS AB HOMINE USQUE AD PECUS. — Est proverbium Hebræum, *q. d.* Nemo hominum, nullum pecus mutiet aut mugiet, ne canis quidem, qui minimo strepitu allatrat; sed apud omnes erit summa pax.

Verum quia τὸ *ab homine* in Hebræo habet articulum dativi, et quia non recte canis numeratur inter homines, hinc *secundo*, et genuine cum Chaldæo et Vatablo sic explices : Neque hominibus, neque jumentis filiorum Israel allatrabit ullus canis, quia apud eos nulla erit plaga mortis, ac consequenter nullus luctus et planctus, in quo præ aliis bestiis ejulare et latrare solent canes; sed summa erit apud eos quies.

Vers. 8. 8. DESCENDENTQUE SERVI TUI, — imo et tu, o Pharao, quod tamen tuo deferens honori subticeo, ut patet cap. XII, vers. 31 (1).

Decima plaga fuit cædes primogenitorum, eaque acerbissima ob quinque causas.

Decima hæc fuit plaga, nimirum cædes primogenitorum, tam hominum, quam jumentorum omnium, inflicta cap. seq. vers. 29, fuitque acerbissima. *Primo*, quia primogeniti summe cari et pretiosi sunt parentibus, præsertim quia inter hos primogenitos multi erant unigeniti, unicique parentum hæredes. *Secundo*, quia singulæ familiæ hac plaga afflictæ luxerunt. *Tertio*, quia et Pharao hac plaga primogenitum suum perdidit. *Quarto*, quia media nocte hæc cædes contigit; unde hæc plaga permovit Pharaonem, ut absolute Hebræos dimitteret, qui eadem ipsa nocte sua convasantes egressi sunt. *Quinto*, simul cum hac plaga Apis, aliique dii Ægyptiorum eversi sunt, ut patet cap. XII, vers. 12.

An primogeniti cæsi sint per angelum bonum? Negat Rupertus.

Quæres, an hæc cædes facta sit per angelum bonum, an per malum. Per malum eam factam esse putant Lyranus et Abulensis. Probant ex cap. XII, vers. 23, ubi dicitur : « Non sinet (Dominus) percussorem ingredi domos vestras et lædere : » hic ergo percussor fuit malus : voluit enim lædere Hebræos, qui erant populus Dei (quod angelus bonus non fecisset); sed Deus id non permisit.

Affirmat Pererius, idque verius est.

Verum Pererius, et alii probabilius censent eam factam esse per angelum bonum : per hunc enim reliquæ plagæ inflictæ sunt, uti dixi cap. VII, sub finem Quæst. IV. Ad argumentum respondeo : pro *non sinet*, hebraice est *non dabit*, *q. d.* Deus hæc omnia ordinans et præscribens angelo, jubebit illi, ut Ægyptios feriat, vestras autem domos, o Hebræi, pertranseat : itaque non dabit illi potestatem vos lædendi; unde non sequitur angelum hunc voluisse lædere Hebræos, sed tantum eum non accepisse a Deo ordinationem illos lædendi. Ita Cajetanus. Adde, inter Hebræos fuisse aliquos impuræ et improbæ vitæ, quos angelus juste ferire potuisset et voluisset, si Deus permisisset.

Nota non unum, sed plures fuisse angelos, qui hanc cædem peregerunt, ut patet *Psal.* LXXVII, vers. 49. Hæc enim cædes eodem instanti facta est undique in singulis urbibus et pagis per totam Ægyptum : idem autem angelus non poterat eodem instanti esse in tot locis, ibique tantam stragem tam discrete operari : secus fuit in exercitu

(1) Negant alii, et quod infra XII, 31 narratur, ita intelligunt, ut non Pharao ipse Mosen adiisset (cf. X, 29), sed servos suos ad eum miserit, id quod h. l. Moses futurum prænuntiat.

Sennacherib, in quo, utpote conjuncto, unus angelus, una nocte occidit 185 millia, IV *Regum*, cap. XIX. Unde Pererius probabiliter putat, in qualibet civitate fuisse unum angelum, qui occiderit primogenita Ægyptiorum.

Quinam sic vocentur primogeniti?

Quæres *secundo*, qui intelligantur hic primogeniti? Respondeo : omnes illi, qui primo nati erant ex suis parentibus, sive haberent filios, sive non, et sive viverent eorum parentes, sive non; quare omnes patresfamilias qui erant primogeniti, hic cæsi sunt, rursum eorum parentes, quin et filii, si erant primogeniti. Unde, quia Pharao hic non fuit cæsus, hinc liquet, eum non fuisse primogenitum, sed primogenito mortuo, vel præterito in regnum successisse. Addit Abulensis primogenitos hic intelligi tam feminas quam mares, idque sive primogeniti essent respectu utriusque parentis, sive unius tantum. Quo posito, fieri poterat, ut in una domo plures essent primogeniti, verbi gratia, ut paterfamilias esset primogenitus parentibus suis, et uxor primogenita esset suis, et utriusque filius primogenitus; et, si pater ille plures haberet uxores, atque ex singulis liberos, respectu cujuslibet uxoris erat unus primogenitus, ita ut in una familia quinque, et plures subinde essent primogeniti, quos omnes in hac plaga cæsos esse censet Abulensis, atque ita facile fieri potuit id quod ait Scriptura cap. XII, vers. 30 : « Neque enim erat domus in qua non jaceret mortuus. » Deus tamen pro hisce primogenitis Hebræorum hic servatis, solos eorum mares primogenitos sibi offerri depoposcit, cap. XIII, vers. 12.

Audi de hac cæde Sapientem cap. XVIII : « Cum quietum, inquit, silentium contineret omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus, Domine, exiliens de cœlo a regalibus sedibus, durus debellator in mediam exterminii terram prosilivit, gladius acutus insimulatum imperium tuum portans, et stans replevit omnia morte, et usque ad cœlum attingebat stans in terra. » Hinc videtur quod angelus non peste, sed gladio occiderit hæc primogenita. Verum « gladius » in Scriptura omne instrumentum, omnia arma, omne genus mortis significat, ut alibi dixi: nec angelus indiget gladio; facillime enim frangendo cor, aut collidendo partes vitales, aut suffocando, aliisque similibus modis se solo potest homines occidere, perinde ut nos pulices digito comprimimus et occidimus.

Mystice, cædes primogenitorum quid? Resp. Primo.

Tropologice S. Augustinus, in lib. *De Convenientia decem præcept. cum decem plagis Ægypti* : Qui peccant, ait, contra decimum præceptum : « Non concupisces, » per fraudes, rapinas aliasque injustitias, hi puniuntur morte primogenitorum, quia non relinquuntur hæredes bonorum male partorum, ac non raro eorum filii et hæredes, etiam primogeniti, emoriuntur; nam male parta male dilabuntur, et « de male quæsitis non gaudet tertius hæres. »

Secundo.

Secundo, primogenita Ægyptiorum sunt diabolus et angeli ejus, quos Christus adventu suo perdidit. Rursum sunt hæresiarchæ et inventores falsarum religionum; quas Christi veritas cum suis extinguit auctoribus. Ita Origenes; S. Augustinus, sermone 87 *De Tempore*.

Tertio.

Tertio, Pererius : Ægyptii, inquit, sunt hostes fidelium, puta diabolus et mundus. Diaboli primogenita sunt peccatum, maxime originale, ait Rupertus, et mors. Primus enim parens peccati fuit Lucifer et serpens in paradiso, ejusque invidia mors introivit in orbem terrarum. Hæc occidit Christus, cum mortem nostram moriendo destruxit, et vitam resurgendo reparavit. Mundi primogenita sunt concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ : hæc occidit Christi gratia per munditiam carnis et cordis, paupertatem spiritus, ac humilitatem mentis. Nonne mundi primogenita sunt divitiæ, honores, voluptates, inanis gloria? hæc percussit Christus concubia nocte nascendo. Divitias enim admirabili paupertate præsepii, honores inaudita humilitate tenebrarum, voluptates ipsius stabuli asperitate contrivit. Unde jam paupertas divitiarum nomen sibi vindicat; divitiæ, inopia appellantur; ignominiæ, ludibria et opprobria, quæ Christi causa tolerantur, honores dicuntur; crux, gloria; mors, vita; carcer, libertas nominatur.

Vers. 9.

9. ET EXIVIT A PHARAONE IRATUS NIMIS, — tantæ tergiversationi, pervicaciæ et rebellioni Pharaonis.

DIXIT AUTEM DOMINUS AD MOYSEN. — Est epilogus et summa præcedentium capitum, *q. d.* Dixerat autem Dominus ad Moysen, puta ante plagas Ægyptiis immissas cap. III, vers. 19.

Vers. 10.

10. NEC DIMISIT FILIOS ISRAEL, — hucusque scilicet, usque ad decimam plagam : nam in decima eos dimittet, uti videbimus capite sequent., vers. 30.

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Præscribitur hic ritus immolandi et comedendi agnum paschalem. Secundo, vers. 29, angelus vastans percutit primogenita Ægyptiorum, intactos relinquens Hebræos. Tertio, vers. 33, Hebræi exeunt Ægypto cum spoliis et opibus Ægyptiorum.

Nota. De agno paschali sex hic pertractat Moses : Primo de qualitate agni, vers. 5. Secundo, de tempore illum immolandi, vers. 6. Tertio, de sangnine ejus illinendo postibus ad evadendum percussorem angelum, vers. 7 et 13. Quarto, vers. 8, de ritu et modo illum comedendi. Quinto, de nomine tam agni, quam festi, quod est phase vel pascha, vers. 11. Sexto, de personis ad edendum agnum idoneis, vers. 43.

1. Dixit quoque Dominus ad Moysen et Aaron in terra Ægypti : 2. Mensis iste, vobis principium mensium ; primus erit in mensibus anni. 3. Loquimini ad universum cœtum filiorum Israel, et dicite eis : Decima die mensis hujus tollat unusquisque agnum per familias et domos suas. 4. Sin autem minor est numerus ut sufficere possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum qui junctus est domui suæ, juxta numerum animarum quæ sufficere possunt ad esum agni. 5. Erit autem agnus absque macula, masculus, anniculus : juxta quem ritum tolletis et hædum. 6. Et servabitis eum usque ad quartam decimam diem mensis hujus ; immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam. 7. Et sument de sanguine ejus, ac ponent super utrumque postem, et in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum. 8. Et edent carnes nocte illa assas igni, et azymos panes cum lactucis agrestibus. 9. Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed tantum assum igni : caput cum pedibus ejus et intestinis vorabitis. 10. Nec remanebit quidquam ex eo usque mane. Si quid residuum fuerit, igne comburetis. 11. Sic autem comedetis illum : Renes vestros accingetis, et calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, et comedetis festinanter ; est enim Phase (id est transitus) Domini. 12. Et transibo per terram Ægypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum in terra Ægypti ab homine usque ad pecus ; et in cunctis diis Ægypti faciam judicia, ego Dominus. 13. Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus in quibus eritis ; et videbo sanguinem, et transibo vos : nec erit in vobis plaga disperdens, quando percussero terram Ægypti. 14. Habebitis autem hunc diem in monumentum, et celebrabitis eam solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno. 15. Septem diebus azyma comedetis : in die primo non erit fermentum in domibus vestris ; quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israel, a primo die usque ad diem septimum. 16. Dies prima erit sancta atque solemnis, et dies septima eadem festivitate venerabilis : nihil operis facietis in eis, exceptis his, quæ ad vescendum pertinent. 17. Et observabitis azyma : in eadem enim ipsa die educam exercitum vestrum de terra Ægypti, et custodietis diem istum in generationes vestras ritu perpetuo. 18. Primo mense, quarta decima die mensis ad vesperam, comedetis azyma, usque ad diem vigesimam primam ejusdem mensis ad vesperam. 19. Septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris : qui comederit fermentatum, peribit anima ejus de cœtu Israel, tam de advenis quam de indigenis terræ. 20. Omne fermentatum non comedetis : in cunctis habitaculis vestris edetis azyma. 21. Vocavit autem Moyses omnes seniores filiorum Israel, et dixit ad eos : Ite, tollentes animal per familias vestras, et immolate Phase. 22. Fasciculumque hyssopi tingite in sanguine qui est in limine, et aspergite ex eo superliminare, et utrumque postem : nullus vestrum

egrediatur ostium domus suæ usque mane. 23. Transibit enim Dominus percutiens Ægyptios : cumque viderit sanguinem in superliminari et in utroque poste, transcendet ostium domus, et non sinet percussorem ingredi domos vestras et lædere. 24. Custodi verbum istud legitimum tibi et filiis tuis usque in æternum. 25. Cumque introieritis terram, quam Dominus daturus est vobis ut pollicitus est, observabitis cæremonias istas. 26. Et cum dixerint vobis filii vestri : Quæ est ista religio ? 27. dicetis eis : Victima transitus Domini est, quando transivit super domos filiorum Israel in Ægypto, percutiens Ægyptios et domos nostras liberans. Incurvatusque populus adoravit. 28. Et egressi filii Israel fecerunt sicut præceperat Dominus Moysi et Aaron. 29. Factum est autem in noctis medio, percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, a primogenito Pharaonis, qui in solio ejus sedebat, usque ad primogenitum captivæ, quæ erat in carcere, et omne primogenitum jumentorum. 30. Surrexitque Pharao nocte, et omnes servi ejus cunctaque Ægyptus, et ortus est clamor magnus in Ægypto : neque enim erat domus in qua non jaceret mortuus. 31. Vocatisque Pharao, Moyse et Aaron nocte, ait : Surgite, et egredimini a populo meo, vos et filii Israel : ite, immolate Domino sicut dicitis. 32. Oves vestras et armenta sumite ut petieratis, et abeuntes benedicite mihi. 33. Urgebantque Ægyptii populum de terra exire velociter, dicentes : Omnes moriemur. 34. Tulit igitur populus conspersam farinam antequam fermentaretur : et ligans in palliis, posuit super humeros suos. 35. Feceruntque filii Israel sicut præceperat Moyses ; et petierunt ab Ægyptiis vasa argentea et aurea, vestemque plurimam. 36. Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptiis ut commodarent eis, et spoliaverunt Ægyptios. 37. Profectique sunt filii Israel de Ramesse in Socoth, sexcenta fere millia peditum virorum, absque parvulis. 38. Sed et vulgus promiscuum innumerabile ascendit cum eis, oves et armenta et animantia diversi generis multa nimis. 39. Coxeruntque farinam, quam dudum de Ægypto conspersam tulerant ; et fecerunt subcinericios panes azymos : neque enim poterant fermentari, cogentibus exire Ægyptiis, et nullam facere sinentibus moram ; nec pulmenti quidquam occurrerat præparare. 40. Habitatio autem filiorum Israel qua manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum. 41. Quibus expletis, eadem die egressus est omnis exercitus Domini de terra Ægypti. 42. Nox ista est observabilis Domini, quando eduxit eos de terra Ægypti : hanc observare debent omnes filii Israel in generationibus suis. 43. Dixitque Dominus ad Moysen et Aaron : Hæc est religio Phase ; omnis alienigena non comedet ex eo. 44. Omnis autem servus emptitius circumcidetur, et sic comedet. 45. Advena et mercenarius non edent ex eo. 46. In una domo comedetur, nec efferetis de carnibus ejus foras, nec os illius confringetis. 47. Omnis cœtus filiorum Israel faciet illud. 48. Quod si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, et facere Phase Domini, circumcidetur prius omne masculinum ejus, et tunc rite celebrabit : eritque sicut indigena terræ ; si quis autem circumcisus non fuerit, non vescetur ex eo. 49. Eadem lex erit indigenæ et colono qui peregrinatur apud vos. 50. Feceruntque omnes filii Israel sicut præceperat Dominus Moysi et Aaron. 51. Et eadem die eduxit Dominus filios Israel de terra Ægypti per turmas suas.

Vers. 1. 1. DIXITQUE DOMINUS : — eodem mense primo, puta Nisan, id est martio, aliquot diebus ante exitum ex Ægypto et ante cædem primogenitorum ; hæc enim contigit 15 die mensis, hic vero jubentur die decimo mensis ejusdem tollere agnum, 14 die immolandum. Ergo ante cædem, adeoque ante decimum diem hæc dicta sunt a Deo, et promulgata a Mose. Quare et ante ultimum Mosis cum Pharaone colloquium, de quo in fine cap. X, et initio cap. XI, hæc dicta sunt. Est ergo hic hysteron proteron ; voluit enim Moses omnium signorum et plagarum Ægypti historiam simul prius pertexere, ac deinde enarrare egressum Hebræorum ex Ægypto, cui præmittit ritum phase sive agni paschalis, qui egressus et liberationis fuit symbolum et tessera.

Vers. 2. 2. MENSIS ISTE, VOBIS PRINCIPIUM MENSIUM : PRIMUS ERIT IN MENSIBUS ANNI. — Hic mensis est Nisan, qui martio nostro respondet, vel partim martio, partim aprili. Josephus eum a Græcis Xanticum, ab Ægyptiis Pharmuti appellari asserit.

Utebantur Hebræi mensibus lunaribus. Utebantur enim mensibus lunaribus Hebræi, puta, quos luna suo cursu describit; hic autem cursus lunæ non est peragrationis Zodiaci: hunc enim peragrat luna 27 diebus, nec illuminationis, nam hic peragitur 28 diebus; sed conjunctionis lunæ cum sole : numerando enim dies, qui ab una conjunctione lunæ cum sole interfluunt usque ad aliam conjunctionem, quando luna rursus relicta a sole apparere incipit, facitque neomeniam sive novilunium, qui primus mensis est dies, efficitur mensis lunaris, qui constat 29 diebus, et 12 insuper horis, quæ 12 horæ alternis mensibus junguntur, ut integer dies confletur, v. g. si huic mensi dentur 29 dies, sequenti dabuntur 30, tertio rursus 29, quarto 30, et ita consequenter. Hinc fit ut annus lunaris, constans duodecim lunationibus sive mensibus, habeat dies 354, sitque minor anno solari undecim diebus. Quare ut annum lunarem solari æquarent, nunc tertio, nunc secundo anno decimum tertium addebant mensem, geminando ultimum Adar, id est, februarium, quem proinde *veadar*, quasi secundum Adar vocabant, perinde ac annus ille vocabatur embolismalis sive excrescens : ita fiebat ut singulis 19 annis, plane idem esset exordium anni solaris et lunaris; nam septies geminato Adar, videlicet anno tertio, sexto, octavo, undecimo, decimo quarto, decimo septimo, et decimo nono, dies 209, qui in anno, solari supra lunarem per 19 annos supercreverant, ad unum omnes reddebantur per septem hosce menses insertos, ut facile videbis, si numeros subducas, et sex mensibus, qui intercalantur, tribuas 30 dies, septimo vero mensi et ultimo anni decimi noni des dies 29. Ita Beda, lib. *De Rat. temporum*, cap. XLIII, et Abulensis, in XXIII *Levit.* Quæst. XIX. Vide Riberam, lib. V *De Templo*, cap. II.

Novilunium erat prima dies mensis.

Annus lunaris solari est minor undecim diebus.

Annus embolismalis quis?

Unde Hebræorum hic est canon embolismi sive intercalationis : ter, ter, bis, ter, ter, ter, bis, *q. d.* Mensis intercalandus est anno tertio, et sexto, et octavo, et 11, et 14, et 17, et 19. Ergo annis 19 inserebant septem menses intercalares; cadebat ergo embolismus tertio quolibet anno vel secundo : itaque annos lunares suos æquabant annis solaribus, quibus aliæ gentes communiter utebantur, ut iis se et sua tempora accommodarent.

PRIMUS ERIT. — Ergo ante non fuerat primus; itaque ante phase, et ante hanc liberationem Hebræorum ex Ægypto, primus mensis erat Tisri (quæ vox apud Chaldæos significat initium, ait Josephus), qui partim septembri, partim octobri nostro respondet, idque clare colligitur ex cap. XXIII, vers. 16, ubi loquens Dominus de festo Tabernaculorum, quod in mense septimo, puta Tisri, celebratur, ait : « Custodies solemnitatem quæ in exitu anni; » atqui ubi exit et desinit annus præcedens, ibi sequens incipit : ergo in Tisri, puta in septembri; desinebat et incipiebat olim annus. Unde et cap. XXIV, vers. 22, eamdem vocat solemnitatem, qua, vel « quando redeunte anni tempore cuncta conduntur. » Hinc et S. Hieronymus in cap. I *Ezech.* scribit mensem octobrem apud omnes Orientales esse primum.

Auspicium anni varium apud varias gentes.

Ubi obiter nota : Athenienses inchoabant annum a solstitio æstivo, Asiani ab æquinoctio autumnali, Arabes et Damasceni ab æquinoctio verno, a quo etiam Romani ante Numam Pompilium initium anni faciebant, decem tantum mensibus annum definientes; Numa vero addidit januarium et februarium : unde Ovidius, I *Fast.* :

Qui Janum sequitur, veteris fuit ultimus anni.

Post Numam vero Julius Cæsar redegit annum ad eum computum, quo jam utimur, ut scilicet inchoetur annus mox a solstitio hiberno, puta a januario. Vide Solinum Polyhist. lib. *De diebus intercalaribus*, cap. I.

Cœpit ergo hic in exitu Hebræorum distingui annus vulgaris sive communis a sacro : vulgaris incipiebat a Tisri, sive septembri, serviebatque jubileo, ut patet *Levitici* XXV, vers. 9, 10; item contractibus et negotiis sæcularibus, ut docet Josephus, lib. I *Antiq.* IV. Sacer vero a Nisan, id est martio (hoc enim mense tam Judæi, quam Christiani celebrant pascha), ut incipiat, hic instituitur et præcipitur ad hoc ut festis serviat, idque in memoriam salutis acceptæ, et liberationis ex Ægypto. Voluit enim Deus initium anni esse initium salutis et beneficiorum suorum : sicut enim novi post Noe et diluvium sæculi auspicium, voluit esse iridem, quæ perenne esset monumentum fœderis, misericordiæ et gratiæ divinæ, quod nunquam deinceps diluvio orbem obrueret, sic et nunc a circumcisione Christi, puta ab inchoata ejus redemptione, annum ordimur.

Scriptura utitur anno sacro.

Scriptura autem semper utitur anno sacro, ut patet *Zachar.* VII, vers. 1; I *Machab.* IV, 52; *Esther* cap. III, vers. 7. Vide Riberam, *Aggæi* II, initio.

Elogia primi mensis Nisan, sive paschalis.

Nota elogia mensis Nisan. *Primum* est, quod in Nisan celebratur Pascha, festum celeberrimum. *Secundo*, in Nisan Hebræi ingressi sunt terram promissionis, ut patet *Josue* IV. *Tertio*, in Nisan mundus creatus est. *Quarto*, in Nisan Christus conceptus est, passus est et resurrexit. *Quinto*, Nisan vocatur mensis novarum frugum : eo quod circa martium in Palæstina segetes, maxime hordei, maturescere incipiant. Atque hæ sunt causæ, cur in vere, puta in Nisan, Phase celebrari voluerit Deus. Audi S. Ambrosium, *De Paschæ myst.* II : « Est, inquit, pascha in vere anni principium, primi mensis exordium, novella germinum reparatio, ac tetræ hiemis nocte discussa, primi veris restituta jucunditas. Hoc tempore visibilium, et invisibilium conditor Deus, defixa humo

cœli machinam suspendens; diem solis ardore radiavit, » etc.

Quæres, unde cognosci et discerni possit, quis sit primus mensis, sive Nisan, in quo celebrandum est pascha.

Unde cognoscatur mensis primus sive paschalis?

Respondeo, mensis primus et paschalis est is, cujus 14 dies, sive plenilunium, incidit vel in ipsum æquinoctium vernum, vel primo post ipsum: quo fit ut novilunium primi mensis, nec ante diem octavum martii, nec post quintum diem aprilis esse queat. Æquinoctium vernum tempore Nicænæ Synodi incidebat in diem 15 martii, ubi etiam nunc post Gregorianam Calendarii correctionem locum habet; hinc fit ut Nisan nunquam possit esse totus intra martium, sed semper in aprilem excurrat; licet fieri possit ut aliquando totus sit extra martium, nunquam tamen potest esse totus extra aprilem; potest tamen aliquando totus esse intra aprilem; ut plurimum tamen partim cum martio, partim cum aprili concurrit, et interdum in maium excurrit, si nimirum sit annus embolismalis, sive uno mense *Veadar*, qui Nisan antecedit, adauctus. Ita ex Clavio Pererius. Denique audi S. Ambrosium, epist. 83 *ad Episcopos Æmiliæ* : « Si, inquit, inciderit decima quarta dies in diem Dominicam; quia neque die Dominica jejunare debemus, neque decima tertia luna die sabbati incidente, jejunium solvere, quod maxime die passionis Christi est exhibendum: in alteram hebdomadam celebritas paschæ est differenda. Si quidem sequitur decima quinta luna, qua passus est Christus, et erit secunda feria : tertia quoque feria erit decima sexta luna, qua caro Domini in sepulcro quievit; cum quarta ejus feria decima septima luna futura sit, qua Dominus resurrexit. »

Nomina 12 mensium Hebræorum.

IN MENSIBUS ANNI. — Nota : *Primus* mensis Hebræorum est Nisan, qui congruit martio ; *secundus* Jiar, qui cum aprili convenit; *tertius* Sivan, qui cum maio ; *quartus* Tammus, qui cum junio; *quintus* Ab, qui cum julio ; *sextus* Elul, qui cum augusto ; *septimus* Tisri, qui cum septembri ; *octavus* Marchesuan, qui cum octobri ; *nonus* Kisleu vel Kasleu, qui cum novembri; *decimus* Tevet, qui cum decembri ; *undecimus* Shebet, qui cum januario; *duodecimus* Adar, qui cum februario congruit.

Nota, hæc nomina, Nisan, Jiar, Sivan et cætera, non esse Hebræa, sed Chaldæa, quæ Hebræi a Chaldæis acceperunt in captivitate Babylonica : unde non nisi in libris post captivitatem scriptis, puta in Zacharia, Esdra, Esther et Machabæis reperiuntur : nam ante vocabantur ordine numerali, mensis primus, secundus, tertius, et cætera, incipiendo a martio; sicut et Romani vocant quintilem, sextilem, septembrem, octobrem, novembrem, mensem quintum, sextum, septimum, octavum, nonum a martio, qui olim apud Romanos quoque fuit primus anni mensis.

Vers. 2. 3. LOQUIMINI AD UNIVERSUM COETUM FILIORUM ISRAEL. — Loquimini vos senioribus, ut ipsi sigillatim cuique e populo illud idem edicant; nam cœtum omnem Hebræorum congregari nunquam passus fuisset Pharao : secreto vero eo inscio cœtum hunc congregare erat impossibile. Sic cap. IV, vers. 29, dicitur Moyses congregasse seniores Israel, et mox tamen, vers. 30, dicitur locutus populo, videlicet quem referebant seniores : quod enim senioribus dicebat, hoc toti populo censebatur dicere.

Decimo die quærebatur agnus ob quatuor causas.

DECIMA DIE MENSIS HUJUS TOLLAT UNUSQUISQUE AGNUM, — puta quatuor diebus ante agni immolationem, quæ fieri debebat 14 die. Jussit hoc Deus, *primo*, ut hisce quatuor diebus vitium, si quod esset in agno, se proderet : debebat enim esse anniculus, integer, omnis maculæ expers ; *secundo*, quia ipsa decima quarta die toti ad exitum se comparantes Hebræi, non habuissent otium agnum conquirendi; *tertio*, ut agni aspectu et voce monerentur comparare sese ad ejus sacrificium et epulum, simulque ad exitum ex Ægypto. « Quoties enim agnus balatum emittebat, toties quasi tubæ sonitus exituras castrorum acies excitabat, » ait Rupertus. *Quarto*, ut ex frequenti aspectu agni, occasionem haberent inter se sermocinandi de redemptione sua ex Ægypto, Deoque pro ea gratias agerent, in eumque spe tota defixi non formidarent Ægyptios. Addit S. Epiphanius, *hæresi* 50, Judæos ab hac decima die usque ad decimam quartam, per quinque dies jejunare solitos.

Porro non tantum hoc primo egressus anno, ut vult Pererius, sed deinceps singulis annis hoc decimo die comparari solere agnum hunc a Judæis, indicat Epiphanius jam citatus, S. Chrysostomus in *Catena*, S. Thomas et Lyranus in *Joan.* XII, Rupertus in cap. X et XI *Joan.*, Anselmus in cap. XXI *Matthæi*, Beda, hom. *in Dominica palmarum*. Unde et hac die decima, puta Dominica palmarum, Christus hoc agno figuratus, ingressus est Jerusalem cum ramis palmarum, immolandus post quartum diem, puta die Veneris, ut Toletus in cap. XII *Joannis*, et alii observarunt.

Allegorice de Christo.

TOLLAT UNUSQUISQUE, — paterfamilias, nisi tam exigua sit familia, ut alteri jungi debeat, eo quod non sufficiat ad totum agnum comedendum : nil enim ex agno relinqui poterat. Tradunt Rabbini, et Josephus lib. VII *Belli*, cap. XVII, non pauciores quam decem adhiberi solere ad esum unius agni. Unde ex agnis 256 500, in paschate immolatis tempore Cestii Præsidis, sub quo Romanis rebellare cœperunt Judæi, colligit Josephus tunc Hierosolymæ fuisse Judæorum trigesies centena et septuaginta millia, præter impuros; hi enim ab esu agni arcebantur.

Christus sibi est agnus.

AGNUM. — Hebræum שה *seh* significat pecudem tam ovinam quam caprinam, id est, tam hædum quam agnum; tam ergo hædus quam agnus poterat immolari, et esse phase, uti dicam vers. 5 et 21, idque ut significaret Christum, qui

nobis hædus. in se est agnus, sed nobis est hædus, quia nostra peccata in se luenda suscepit. Ita Rupertus.

Cur agnum voluit Deus, non vitulum? Quæres, cur agnum vel hædum potius quam vitulum aut porcam elegit Deus ad Phase? Respondet Lyranus, ut destrueret idololatriam Ægyptiorum, ab eaque Hebræos avocaret: Ægyptii enim colebant Jovem in figura arietis; jussit ergo Deus agnum, sive arietem parvum, occidi et immolari. Verum sic potius vitulum elegisset: Ægyptii enim colebant maxime Apim in specie bovis aut vituli.

Resp. Primo. Dico ergo Deum elegisse agnum, quia is parvi erat pretii, et a qualibet etiam paupere familia

Secundo. emi poterat. *Secundo,* quia agnus est animal mundum et simplex; hinc Festus Pompeius: « Agnus, inquit, dicitur a Græco ἁγνὸς, quod significat castum; eo quod agnus sit hostia pura et immolationi apta. » Unde et S. Cyprianus, tract. *De Livore*: « Christus, inquit, plebem suam agnos vocat, ut agnorum naturam simplicem simplicitas mentis imitetur. »

Tertio. *Tertio,* quia agnus expressus erat typus Christi, qui in paschate quasi agnus mansuetus, innocens et purissimus immolatus est pro nobis, *Isaiæ* LIII, 7, et *Jerem.* XI, 19; unde et Joannes Baptista, *Joan.* cap. I: « Ecce, inquit, agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. » Denique apposite immolarunt agnum in Nisan, cum sol est in ariete: aries enim animal respondet arieti sideri in cœlo; aries autem animal parens est agni. Ita Burgensis.

PER FAMILIAS ET DOMOS. — In eadem enim domo poterant esse plures familiæ, quarum quælibet, si erat magna, suum habebat et comedebat agnum (1).

Vers. 5. Agnus debebat esse sine macula. 5. ERIT AUTEM AGNUS ABSQUE MACULA, MASCULUS, ANNICULUS. — « Absque macula, » non coloris, sed deformitatis, claudicationis, scabiei, alteriusve vitii aut morbi; debet enim esse תמים *tamim,* id est *integer*, ut habent Hebræa; hoc enim est quod de victima qualibet dicitur *Levit.* XXII: « Omnis macula non erit in eo: si cæcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas, aut scabiem, aut impetiginem, non offeretis ea Domino. »

Tropologice, victima Dei debet esse pura et innocens. « Nihil, inquit Lactantius, lib. VI *Divin. Instit.*, sancta et singularis illa majestas aliud ab homine desiderat, quam solam innocentiam; quam si quis obtulerit, Deo satis pie religioseque litavit. » Pie S. Gregorius, lib. II *Moral.*: « Sic vixi, ait, ut accusatorem exterius non timerem: utinam sic vixissem, ut intra me ipsum accusatorem conscientiam non haberem! » Socrates, ad

Innocentiæ sacrificium et exemplum. mortem damnatus, Apollodoro comploranti, dicentique: « Innocens morieris? Quid, inquit, num me nocentem mori malles? » Ea igitur mors libenter subeunda est, in qua criminis innocentia homo excusatur, testis Xenophon in *Apolog. pro Socrate.* Sic enim innocentes moriuntur agni. « Christus, inquit S. Cyprianus supra, suos oves nominat, ut innocentia Christiana ovibus æquetur; » et S. Laurentius Justinianus, *De Discipl. monast.* cap. VII: « Delectatur, inquit, Dominus Jesus in gravitate vitæ, in cordium puritate, et in perfectione servorum suorum; » et S. Chrysostomus, hom. 6 *in Matth.*: « Sicut, inquit, in conspectu hominum gratiosa est facies pulchra, sic in oculis Dei speciosa est conscientia munda. » Quin et Xistus Pythagoricus: « Templum, inquit, sanctum est Deo, mens pii, et altare est optimum ei cor mundum et sine peccato. » Et Titus Imperator: « Nemo, ait, me injuria aut contumelia afficere potest: quia nihil ago quod alios lædere possit. » Agis rex, ad mortem damnatus, lictori comploranti ait: « Omitte pro me has lacrymas; nam injuste moriens melior sum iis qui me morte damnarunt. » Et Phocion socio comploranti: « Non tibi, inquit, Evippe, satis est cum Phocione mori? » scilicet innocente.

Masculus. *Secundo,* debet esse masculus, quia hic præstantior est femella; præstantiora autem Deo sunt immolanda. Rursum, quia est typus Christi Domini, qui masculus est ille invisus draconi, *Apoc.* XII; hic enim nihil habet feminei, id est molle, fluxum et instabile. Unde dicitur recturus gentes in virga ferrea, inquit Rupertus.

Masculæ opera sunt victimæ Dei. Tropologice masculos animos, et mascula opera offerri sibi vult Deus, tales victimas sibi deposcit, viros optat, non feminas. « Vir, inquit Cassiodorus in *Psal.* I, vocatus a viribus est, qui nescit in adversis tolerando deficere, aut in prosperis aliqua elevatione se jactare, sed animo stabili defixus, et cœlestium rerum contemplatione firmatus manet semper impavidus. » Et S. Gregorius, lib. V *Moralium*: « Fortitudo, ait, non nisi in adversitate ostenditur; tanto enim quisque ad fortitudinem profecisse se demonstrat, quanto aliena mala robustius tolerat. Nam minus in se convaluit, quem aliena iniquitas sternit, qui in eo quod ferre non valet, pusillanimitatis suæ gladio confossus jacet. » Idem rursum: « Fortes, ait, facti sunt Sancti, carnem domant, virtutibus coruscant, spiritum roborant, terrena despiciunt, cœlestia appetunt; occidi possunt, flecti autem nequeunt; nec sustinere falsa per infirmitatem metuunt, nec læsi unquam a veritate conticescunt. »

Addit Moses masculum agno; licet enim agnus ab agna apud Grammaticos genere distinguatur, tamen apud Rhetores sæpe agnus non sexum, sed speciem animalis discriminat, ut cum dicimus: Agnus est, non vitulus, id est, est speciei agninæ, sive agnus sit, sive agna: maxime quia Hebræum שה *seh* utrumque sexum, tam agnam quam agnum significat.

(1) Hebr. est, *pro domo patrum.* Hoc vult Moses: Si familia, sive *domus* patrum, paucioribus hominibus constat, sumant unum agnum hædumve si vero numerosior est, sumant per singulas domos. Nam in una familia possunt plures esse domus, quæ unum eumdemque patrem habent.

Anniculus. *Tertio*, hic agnus debet esse anniculus, hebr. *filius anni*, id est, habens vel agens annum, puta talis, ut non excedat annum ætate, etiamsi annum non compleverit; poterat enim post octavum a nativitate diem immolari, ut patet *Levit.* XXII. 27. Exigit Deus agnum unius anni, quia, ut ait Nicetas in Nazianzeni orat. 2 *De Pascha*, agni unius anni spatio in perfectam ætatem adolescunt, ita ut generare possint, ait Hesychius in *Levit.* cap. XIV.

Mystice. Symbolice, sicut sol per annum cursum suum absolvit, omnia progignit, et ad sui exordium redit: ita Christus, qui est sol justitiæ, sui semper similis, in se rediens, virtutum orbem progignit. Ita Nazianzenus *ibid.*

Tropologice, anniculi sunt, qui a pueritia se dicant Deo. Tropologice, vult Deus nos a teneris sibi servire, sibique primam ætatem dicare, uti fecit Christus, B. Virgo, S. Joannes Baptista, S. Nicolaus, S. Agnes, et alii illustres Sancti. Audi Hugonem Victorinum, lib. III *De Claustro animæ*, cap. X: «In illa ætate quando flavescunt crines, caro nitescit eburnea, oculorum gemmis facies rosea decoratur, valetudo corporis vires subministrat, juvenilis ætas longioris vitæ spatium repromittit; quando viget ratio, vigent etiam corporis sensus, visus acutior, auditus promptior, incessus rectior, vultus jucundior : qui in hac ætate se domant et Deo sociant, præmium Joannis exspectant.» Et rursum : «Tales, ait, offerunt hostiam viventem, Deo placentem, immaculatam, non aure, non oculo, non pede, non cauda carentem. Audiat hoc senum sera conversio, quibus ex defectu senectutis aures obturantur, oculi turbantur, et, ut cuncta breviter perstringam, ipsi in se per se deficiunt. Hi non offerunt agnum immaculatum, sed, ut ita dicam, porcum curatum. Sicut enim porcus in immunditiis, sic senex jacens in vitiis; et sicut porcus siliquis pascitur, sic senex fabulis et rumoribus delectatur.»

Nota : Judæi in paschate adhuc hoc nostro tempore vescuntur azymis, sed non immolant agnum, quia agnus secundum legem *Deut.* cap. XVI, vers. 2, immolari debet Hierosolymæ, ubi erat templum : jam autem Judæi et templo et Hierosolyma carent.

Quæ cæremonialia servent adhuc Judæi, quæ non? Ubi adverte Judæos non servare ea cæremonialia, quæ jussit Deus in templo fieri, seu quæ ordinem dicunt ad templum : tales sunt oblationes, sacrificia, decimæ, annus jubilæi, purificationes et purgationes, immolatio primogenitorum, eorumque redemptio; hæc enim omnia debebant fieri in templo : cum ergo templo careant Judæi, non possunt ea modo præstare. Alia vero quæ non sunt jussa fieri in templo, illa etiam hodie servant Judæi : talia sunt circumcisio, esus azymorum, jejunia, quies sabbati et aliorum festorum : festa enim servant Judæi, quoad quietem, non autem quoad sacrificia, quæ ex lege illis festis fieri deberent; hæc enim non nisi in templo fieri possunt. Judiciaria enim præcepta observarent Judæi, sicubi ex sua gente haberent tribunal et judices, qui secundum legem Mosis judicarent et punirent.

JUXTA QUEM RITUM TOLLETIS ET HÆDUM. — Si nimirum desit agnus, tunc loco agni tolletis hædum instar agni immaculatum, masculum, anniculum; neque enim jubet Deus ut agnum accipiant simul et hædum (neque hoc unquam fecerunt Hebræi), sed vel agnum, vel hædum. Id patet ex Hebræo, qui sic habet : «Erit pecus mascula, ex agnis, et (id est *aut*) ex capris accipietis eam.» Et ex Septuaginta qui sic habent: πρόβατον τέλειον, ἄρσεν, ἄμωμον, ἀπὸ τῶν ἀρνῶν καὶ ἀπὸ τῶν ἐρίφων λήψεσθε, id est, *agnus erit perfectus, masculus, immaculatus, ab agnis et* (id est *aut*) *hædis accipietis eum*. Neque enim unum eumdemque agnum poterant ab hædis simul et ab ovibus accipere. Ita Theodoretus, Rupertus, Hugo, Abulensis, Cajetanus, Lipomanus. Errant ergo *primo*, Hebræi nonnulli, qui in magnis familiis putant pro agno immolari potuisse vitulum, idque probant ex illo *Deut.* VI : «Immolabis Domino phase de ovibus et de bobus;» sed alius illius loci est sensus, uti ibi dicam. Pro agno non poterat accipi vitulus.

Errat *secundo*, Burgensis, qui negat pro agno immolari potuisse hædum. Hebræa, inquit, sic habent, « ex arietibus et capris accipietis eum, » *q. d.* Agnum accipietis e grege, in quo de more sunt arietes et capræ associati. Hoc enim refellit noster Interpres diserte hic, cum vertit, «juxta quem ritum tolletis et hædum;» omnesque Interpretes tam Latini quam Hebræi id ipsum confutant. Sed hædus.

Errant *tertio*, alii, qui putarunt agnum a singulis familiis decima quarta die, hædum vero a toto populo decima quinta die debuisse immolari : quos pluribus refutant Abulensis et Lyranus.

6. IMMOLABITQUE EUM UNIVERSA MULTITUDO FILIORUM ISRAEL AD VESPERAM. — Ergo agnus fuit victima, ejusque immolatio fuit sacrificium, ut patet cap. XIII, vers. 5, et *Num.* cap. IX, vers. 7. Vers. 6.

Nota *primo* : «Immolabit,» scilicet decima quarta die, uti præcessit : Judæi ergo ipsa decima quarta luna, in quamcumque diem incideret, immolabant suum phase; Christiani vero post Concilium Nicænum non decima quarta luna, sed Dominica illam proxime sequente suum Pascha celebrant, in honorem resurrectionis Christi. Pascha enim nostrum non est transitus de vita ad mortem, qualis erat agni veteris, sed de morte ad vitam, qui sacrificii Christi in cruce fuit terminus. «Pascha enim nostrum non passionis, sed lætitiæ est et resurrectionis,» ait S. Ambrosius, *epist.* 83. Christiani pascha celebrant in Dominica ad honorem Christi resurgentis.

Nota *secundo* : Traditio fuit apud priscos Hebræos, Messiam eodem die illaturum plenam libertatem Hebræis, quo ipsi per phase liberati erant ex Ægypto, uti refert Andreas Masius in *Josue* cap. V, vers. 10. Sicut ergo illo die fuit plenilunium, quo luna opposita soli toti lucebat

orbi : ita Christus tunc moriens toti illuxit orbi; unde etiamnum Judæi, teste Eugubino, hic Messiam suum eodem die venturum putant, ac redempturum Israel.

Allegorice de Christo.

Allegorice Rupertus : Agnus immolatur in plenilunio, id est, Christus venit et immolatus est in plenitudine temporum, *ad Galat.* cap. IV, vers. 4. *Secundo,* agnus immolatus est post æquinoctium vernum, cum lux et dies crescunt, noctemque et tenebras superant, id est, ab immolatione Christi cœpit justitiæ lux peccatorum tenebras superare. *Tertio,* « ipse mensis Nisan, id est, aprilis verna temperies, cum tellus reflorescit, totusque post hiemem, quasi post senium rursus juvenescit orbis, nonne sensatum hominem docet, quatenus spiritus mentis suæ renovatus, et fide viridis, speque lætus, et charitate floridus, spiritualibus agni paschalis intersit epulis? » inquit Rupertus.

UNIVERSA MULTITUDO. — Hinc patet sacerdotes non immolasse hos agnos paschales in templo, uti sensit Claudius Sainctes, I *Repetit. Eucharist.* cap. VII; Abulensis in *Exodi* XVI, et ex eo Serarius in *Josue,* cap. V, *Quæst.* XXII; sed quemque patremfamilias nomine totius familiæ, domi suæ agnum immolasse : hoc enim tempore necdum legales sacerdotes Aaronici eorumque sacrificia erant instituta. Idque expresse docet Philo, lib. III *De Vita Mosis,* et Josephus, quos sequitur Franciscus Suarez, III *Part.*, tom. II, disp. XL, sect. 2; et licet postea instituti sint sacerdotes Aaronici, tamen patresfamilias in antiquo suo jure et ritu immolandi phase permanserunt, eaque ex parte priscum jus sacerdotii, quod primogenitis vel patribusfamilias competebat, retinuerunt. Id confirmatur ex eo, quod plures erant familiæ, et consequenter plures agni paschales quam Levitæ; nam sub Cestio, uti jam dixi, agni paschales numerati sunt 256 500; clarum autem est Levitas longe paciores fuisse.

Dices : I *Esdræ,* cap. VI, vers. 20, dicuntur sacerdotes et Levitæ purificati, ad immolandum pascha universis filiis transmigrationis.

Respondeo : « Pascha » ibi sumitur pro omni sacrificio paschali, tam agni quam aliarum victimarum : alias enim victimas soli sacerdotes immolabant, etiam in paschate; agnum vero paterfamilias immolabat, nisi immunditia legali pollutus foret : tum enim videtur Levitis id negotii ab Esdra datum fuisse, uti et iisdem idipsum datum est II *Paral.* cap. XXX, vers. 17 et 18.

AD VESPERAM, — « ad solis occasum, » ut dicitur *Deuter.* cap. XVI, vers. 6. Hebr. est, *inter duas vesperas,* Chald., *inter duos soles.* Nota : Vespera proprie est tempus diei, quod est post occasum solis, et ante principium noctis. Unde *Judic.* cap. XIX, dicitur : « Considera quod dies ad occasum acclivior sit, et propinquet ad vesperam. » Hinc *Levit.* cap. XXIII, vers. 32, præcipitur ut festos dies agant a vespera in vesperam, id est, solis occasu ad alterum solis occasum. Verum vulgari et communi usu vespera non tantum tempus post solis occasum, sed etiam tempus ante occasum, cum sol jam ad eum vergit, significat.

Agnus immolatur inter duas vesperas, quando? Prima Sententia.

Quæres ergo, quod sit tempus « inter duas vesperas, » quo immolandus erat agnus, ut habent Hebræa?

Primo, Lipomanus respondet tempus inter duas vesperas esse noctem, quæ inter vesperam diei decimæ quartæ, et inter crepusculum matutinum (quod dici potest vespera) diei decimæ quintæ interjecta est. Verum sic agnus non vespere, sed nocte pertinente non ad decimam quartam, sed ad decimam quintam diem immolatus fuisset, quod repugnat S. Scripturæ.

Secunda.

Secundo, Hebræi, Chaldæi, Lyranus et Abulensis : Prima vespera, inquiunt, est declinatio solis a meridie versus occasum; secunda, est ipse solis occasus : inter has duas immolandus erat agnus. Verum insolens est totum tempus pomeridianum vocare vesperam.

Tertia.

Tertio, Oleaster, Aben Esra et alii putant primam vesperam esse solis occasum, secundam esse initium noctis sive tenebrarum; inter has enim intercedit crepusculum, puta aliquid temporis quo lumen aliquod solis post ejus occasum in aere adhuc apparet, perinde ut fit mane ante solis ortum (quod proinde dicitur crepusculum matutinum) (1). Verum hoc tempore non immolandus, sed comedendus erat agnus : nam, ut patet *Levit.* cap. XXIII, vers. 5, et *Numer.* cap. XXVIII, vers. 16, agnus immolandus erat decima quarta die ad vesperam, sed comedendus cum azymis decima quinta, quæ incipiebat a solis occasu, quo finiebatur decima quarta : idem patet hic vers. 6 et 8.

Quarta et genuina. Prima vespera est, cum sol declinat Secunda, cum occidit.

Dico ergo primam vesperam esse, cum jam sol declinat ad occasum, secundam esse ipsum solis occasum; et hoc voluit Chaldæus, cum vertit, *inter duos soles,* scilicet declinantem et occidentem. Idem diserte docet Josephus, qui lib. VII *De Bello Judaico,* cap. XVII, et lib. XVI *Antiq.* cap. X, docet Hebræos immolare solere paschales hostias ab hora nona usque ad undecimam : nona autem respondet nostræ tertiæ pomeridianæ; et Cajetanus : « Inter duas vesperas, » inquit, id est, inter occasum solis, quæ est una vespera; et inter declinationem solis ad occasum, quæ est prior vespera : ita ut tempus hoc circiter duas horas contineret ante solis occasum. Ita et Masius in cap. V *Josue,* vers. 10, Jansenius in cap. CXLV *Concordiæ,* Pererius, Ribera et alii. Duabus ergo horis circiter ante occasum solis immolabatur agnus et assabatur : post occasum vero nocte cum jam inciperet decima quinta dies, comedebatur, ita ut ante mediam noctem esus agni et cœna omnis absolveretur.

Quæres *secundo* an agnus immolari debuerit

(1) Ita et Rosenmullerus ad h. l.

An agnus prima vespera diei 14, an secunda, sit immolatus? Aliqui putant prima.

priore vespera decimæ quartæ diei; an posteriore?

Aliqui neoterici in Hispania, quos fuse refellit Ribera, lib. V *De Templo*, cap. III, et Suarez in tractatu *De Eucharistia in azymo conficienda*, senserunt agnum immolari debuisse priore vespera diei decimæ quartæ (quæ erat posterior vespera diei decimæ tertiæ, sive decima tertia luna ad vesperam), non autem posteriore, quæ erat pridie sive initium decimæ quintæ diei, puta festi azymorum : ita ut inter paschæ vesperam et primam diem azymorum integer intercesserit dies, quo Hebræi ex Ægypto egressi sint, quo an comederint azyma, incertum est, ac proinde incertum etiam esse, an Christus eos sequens in azymo agnum cœnaverit, et in azymo Eucharistiam instituerit, an vero in fermentato, uti volunt Græci.

Refelluntur. Primo.

Verum hæc sententia plane falsa est. Probatur *primo*, quia τὸ *ad vesperam* finem diei significat, non principium; ergo decima quarta luna ad vesperam, de decima quarta finiente in secunda vespera, non inchoante a priore vespera intelligenda est. Antecedens patet *Genes.* XXX, 16, *Exodi* XVIII, 14, *Levit.* XXIII, 32.

Secundo.

Secundo, *Num.* XXXIII, 3, dicuntur Hebræi decima quinta die, et altera paschæ profecti de Ramesse, id est, exiisse ex Ægypto; ergo pascha incidebat in vesperam præcedentem, puta secundam decimæ quartæ diei : alioqui enim non altera paschæ, sed tertia die a paschate, fuissent profecti ex Ramesse et Ægypto.

Tertio.

Tertio, ipse historiæ contextus hoc capite omnino convincit Hebræos eadem nocte qua comederunt agnum, fuisse egressos ex Ægypto, neque potuisse diem interjici : nam statim ab esu agni cæsis primogenitis Ægyptii coegerunt Hebræos egredi, ita ut panem coquere ipsis non liceret. Unde subdit Moses : « Hæc nox observabilis. »

Quarto

Quarto, Scriptura tantum numerat septem dies azymorum, eosque integros, videlicet a decima quinta die usque ad vigesimam primam ad vesperam, ita ut primus dies esset is, quo agnus paschalis immolabatur. Ita enim ait S. Marcus, cap. XIV, vers. 1 : «Erat pascha et azyma post biduum.» Et Matthæus, cap. XXVI, et Lucas, XXII : « Primo die azymorum, quando pascha immolabant, » idque expresse dicitur hoc cap. XVIII et XIX. Imo ut Talmudici narrant tract. *Pesachim* (de Paschate) nocte agni immolati Hebræi lumine lucernæ scrutabantur fermentum, ne quid ejus in domo remaneret. Atqui juxta priorem neotericorum illorum sententiam, non septem, sed octo forent dies azymorum, et agni immolatio non incideret in primum diem azymorum, sed uno die præcurreret; hoc autem repugnat Scripturæ.

Dices : Josephus numerat octo dies azymorum.

Respondeo : Josephus diem incipit a mane, ita ut decima quinta dies ad vesperam festa, sola et seorsim loco unius computetur; inde mox incipiat decima quinta, et post eam decima sexta; et ita consequenter : tunc enim sunt octo.

Quinto.

Quinto, Christus Dominus decima quinta die in plenilunio, id est, primo azymorum die festo passus est, ut habet communis Patrum sententia : atqui certum est ex Evangelio, Christum pridie passionis ultimum celebrasse pascha, et ejus loco instituisse Eucharistiam : ergo id fecit decima quarta die ad vesperam posteriorem, sive secundam; Christus autem servavit tempus a lege præscriptum; ergo lex præscripsit vespera non prima, sed secunda, immolandum esse phase.

Sexto.

Sexto, idem probari potest ex Pentecoste : hæc enim celebrabatur 50 die a secundo die et festo tam paschæ, quam azymorum; pluribus id probat Ribera et Suarez supra.

Objectio Prima.

Dices : Scriptura numerat dies festos, incipiendo a prima vespera, ut patet *Levit.* XXIII, 32; sic numerat et dies creationis mundi, cum ait, *Gen.* I : « Factum est vespere et mane dies unus : » ergo pariter hic vespera prima, non secunda intelligi debet.

Solvitur.

Respondeo *primo*, nego antecedens. Licet enim dies festi post legem in Levitico datam, celebrarentur a vespera in vesperam, Scriptura tamen dies etiam festos jam inde ab initio mundi, a mane in mane numerat, primusque dies mundi ita intelligitur, ut vespere finiente diurnam lucem, et mane finiente noctem præcedentem, factus sit dies primus, uti dixi *Genes.* I. Vides ergo, et ibi, vesperam accipi non principium, sed finem diei. Respondeo *secundo*, etiamsi ibi vespera præcedens accipienda esset, inde tamen non concludes eamdem hic accipi debere; aliud enim est dicere a vespera incipere festa, aliud phase incipere decima quarta die ad vesperam.

Objectio secunda ex Josepho.

Dices *secundo* : Josephus hic ait, instante, vel, ut Gelenius vertit, illucescente decima quarta luna, Hebræos sacrificasse agnum : ergo id fecerunt non in fine, sed in initio, puta prima vespera diei.

Solvitur.

Respondeo : Græce in Josepho est ἐνστάσης in aoristo, non ἐνιστάσης in præsenti, ac proinde vertendum est : Astante, præsente, vel postquam adfuit decima quarta dies. Deinde etiamsi verteres : Instante decima quarta die, intelligendum id esset juxta legem, ad vesperam secundam jam dictam : nam de mente Josephi dubium non potest esse legenti lib. III, cap. X. Aliam objectionem solvam vers. 42.

Dico ergo hanc vesperam fuisse posteriorem decimæ quartæ lunæ, sive decima quarta die jam desinente, decima quinta inchoante, ita ut ritus hic agni fieret partim decima quarta, partim decima quinta die; immolatio enim agni fiebat decima quarta, comestio vero præcise fiebat decima quinta die. Vespera hæc enim erat confinium decimæ quartæ et decimæ quintæ diei, et una sui parte ad decimam quartam, altera ad de-

cimam quintam spectabat. Unde Judæi et Christus dicuntur immolasse pascha nunc decima quarta, nunc decima quinta die, uti mox dicam.

Ubi nota : Licet cætera festa a vespera in vesperam per diem integrum celebrarentur, pascha tamen solum celebrabatur in fine, puta in vespera decimæ quartæ diei, non autem decimo quarto die inchoante. Ergo dies decimus quartus non erat sacer, nec festum, sed tantum ejus vespera secunda, sive finis.

Allegoria plenilunii paschalis.

Allegorice, vergente mundi vespere in consummatione sæculorum oblatus est Christus, ait Hesychius in cap. XXIII *Levitici,* idque in plenilunio, quando luna recepta sui luminis plenitudine, sole jam occidente, in Oriente exoritur, quia moriente Sole justitiæ, Ecclesia quæ in luna intelligitur, caliginem peccati discutiens nova luce exoritur, et ad vitam consurgit. Ita Rupertus et Radulphus in *Levit.* X. *Tertio,* sicut Hebræi noctu agnum comederunt, sic et Christus Sacramentum corporis sui eadem nocte nobis manducandum dedit. *Quarto,* sicuti sequenti luce, id est, primo azymorum solemni die holocausta immolabantur, ita et Christus in cruce Deo Patri vivam hostiam se obtulit : uno ergo die, nimirum primo paschali, utrumque obtulit sacrificium, cruentum videlicet, et incruentum. Hinc Patres docent immolationem agni non minus exhibuisse typum sacrificii Eucharistici, quod fit in Missa, quam sacrificii crucis. Ita S. Leo, serm. 7 *De Passione;* Cyprianus, serm. *De Cœna;* Gregorius, hom. 22 *in Evangelia;* Nazianzenus, orat. 2 *De Pascha;* Chrysostomus, hom. *De Proditione Judæ;* Rupertus et alii.

Agnus fuit typus sacrificii tam Eucharistici quam crucis.

Anagogice S. Hieronymus, in *Marci* cap. XIV : « Vespera diei, ait, finem mundi indicat : circa undecimam namque horam venient novissimi, qui primi denarium vitæ æternæ accipient. »

Vers. 7. 7. ET SUMENT DE SANGUINE EJUS, AC PONENT SUPER UTRUMQUE POSTEM, ET IN SUPERLIMINARIBUS DOMORUM, IN QUIBUS COMEDENT ILLUM, — ut viso hoc sanguine agni, angelus percutiens domos illas Hebræorum pertranseat, nec percutiat eorum primogenita, ut patet vers. 23. S. Hieronymus in *Isiæ* LXVI, agens de signo crucis : « Hoc et postes domorum in Ægypto signabantur, quando pereunte Ægypto solus Israel mansit illæsus : » quasi sanguis agni postibus illitus fuerit in formam crucis.

Nota τὸ *domorum,* « in quibus comedent illum. » Hinc enim videtur, quod illi qui alteri domui se junxerant, eo quod pauciores essent numero, in eaque comederant agnum, in eadem quoque domo pernoctarint : nam si rediissent ad domum propriam, quæ non erat tincta sanguine agni, in ea percussi fuissent ab angelo. Tales autem erant fere Hebræi illi, qui in domibus Ægyptiorum habitabant : hi enim omnes ad Hebræorum domos iverunt; si qui vero Ægyptii primogeniti erant tunc in domibus Hebræorum, hi ante noctem foras emissi sunt : alioqui enim vel omnes primogeniti Ægyptii non fuissent percussi, vel aliqui fuissent percussi in domibus Hebræorum sanguine agni tinctis : quorum utrumque erat contra Dei decretum et mandatum.

Narrat Epiphanius, *hæres.* 18, Ægyptios memores illius diei, quo a cæde angeli liberati sunt Israelitæ, qui agni sanguine postes domorum illinierant, solitos esse intrante æquinoctio vernali, accipere rubricam, et illinere omnes arbores domosque, clamantes : « Quia in tempore hoc ignis vastavit omnia, » contra quam luem remedium putant ignicolorem sanguineum rubricæ.

8. ET EDENT CARNES NOCTE ILLA ASSAS IGNI, ET AZYMOS PANES CUM LACTUCIS AGRESTIBUS. — Nota : Agnus hic repræsentabat duplex beneficium liberationis, *primo,* ab angelo percutiente; *secundo,* ex Ægypto, ex qua Ægyptii timentes majores plagas, festinanter exire compulerunt Hebræos. Rursum in esu agni duo repræsentabantur Judæis. *Primo,* dura servitus, qua servierunt in Ægypto; hujus symbola erant panes azymi, ideoque insipidi, assatio agni, et lactucæ agrestes. *Secundo,* festinatio qua egressi sunt : hujus symbola erant *primo,* panis azymus, quia non habebant tempus eum fermentandi; *secundo,* assatio agni; *tertio,* quod non poterant ejus ossa frangere (festinantibus enim non vacabat id facere) ad exsugendam medullam; *quarto,* quod comederent agnum accincti, tenentes baculos in manibus; *quinto,* quod non possent residuum servare, sed illud igne comburerent. Vers. 8.

Agni esus duo repræsentabat.

Nota hic *primo,* nocte comedendum fuisse agnum : hæc autem nox erat 15 diei. *Secundo,* per carnes accipe quoque nervos, viscera, et quidquid in agno erat comestibile.

ASSAS IGNI (1). — Nota : Hic erat ritus immolationis agni : *primo,* jugulabatur agnus; *secundo,* sanguine ejus aspergebantur postes et superliminare; *tertio,* detracta pelle intestina vel exempta ex agno, et mox reposita, ut vult Abulensis, vel relicta in ipso agno, ut vult Cajetanus, lavabantur, ut possent cum agno et in agno torreri. Omnia enim tosta comedenda erant præter fel, et ilia fæces continentia quæ abjiciebantur. *Quarto,* integer agnus, non dissectus (ne os aliquod læderetur), cum capite et pedibus torrebatur. Quibus adde, non potuisse comedi agnum, nisi a circumcisis, ut patet vers. 48, et non nisi certo loco ubi erat tabernaculum, et postea templum, puta Hierosolymæ, *Deuter.* XVI, 6. Denique eo ritu qui sequitur.

Ritus immolationis agni.

CUM LACTUCIS AGRESTIBUS. — Hebraice עַל מְרֹרִים *al merorim,* id est, *cum amaris,* scilicet herbis quibuslibet amaru entis. Ita Chaldæus, Lyranus,

(1) Ratio præcepti de agno paschali *assando,* non elixando, multis videtur hæc, quod esus assati festinationem significet, qua Israelitæ egressi sunt ex Ægypto; unde non licuit moram trahere ut agnum coquere potuissent in lebete.

Pagninus. Verum Septuaginta certam speciem vertunt, nimirum πικρίδες : quod Theodorus Gaza nunc amaraginem, nunc lactucam agrestem vertit (ita ipse in lib. IX Aristotelis, *De Histor. animalium*, cap. VI), quæ, teste Dioscoride, amaro est gustu : unde licet Ruellius, lib. *De Herbis* S. *Scripturæ*, putet hanc lactucam esse endiviam, tamen verius videtur proprie fuisse hanc lactucam silvestrem, quæ, inquit Abulensis, est instar lactucæ hortensis, minor tamen illa, et asperi amarique saporis; hunc enim amarorem significat vox Hebræa et Græca : nam endivia non est amari, sed potius suavis et grati saporis. Jussit Deus has lactucas amaras cum agno adhiberi, ut per eas recordarentur Hebræi, inquit Theodoretus, amarissimæ in Ægypto servitutis, ex qua eos educebat, quo sic excitarentur ad Dei laudem et gratiarum actionem. Unde S. Ambrosius legit, *cum amaritudine*, quasi præceptum esset Hebræis, ut agnum ederent cum amaritudine quadam animi; et sic hunc locum explicat Oleaster.

Lactuca agrestis non est endivia.

Agnus comedendus cum amaritudine, cur?

Tropologice, præcepit Dominus amaros mandatorum Christi sermones, cum ipso Sacramento Dominicæ passionis devorari (ait S. Ambrosius, serm. *De Grano sinapis*), ac nominatim contritionem et pœnitentiam præmittendam esse Eucharistiæ, præsertim in ipsa hebdomade sancta paschali. De qua S. Epiphanius, *hæres.* 70 : « In diebus, inquit, paschatis, quando apud nos fiunt humi cubationes, castitates, afflictiones, siccorum esus, preces, vigiliæ, jejunia, et omnes animarum salutes per sanctas afflictiones; » et S. Chrysostomus, hom. 30 *in Genes.* : « Nunc, ait, fideles et jejunium intendunt, et vigilias, et pernoctationes sacras, et eleemosynas faciunt, ut hebdomadæ huic honorem habeant; » et S. Bernardus, serm. *Feriæ quartæ hebdomadæ pœnosæ* : « Universi, inquit, Christiani hac septimana, aut præ solito, aut præter solitum pietatem colunt, modestiam exhibent, humilitatem sectantur, induunt gravitatem, ut Christo patienti quodam modo compati videantur. Quis enim tam irreligiosus, qui non compungatur? quis tam insolens, ut non humilietur? quis tam iracundus, ut non indulgeat? quis tam deliciosus, ut non abstineat? quis tam malitiosus, ut non pœniteat his diebus? »

Ut significaretur pœnitentia præmittenda Eucharistiæ in paschate.

Vers. 9. 9. NON COMEDETIS EX EO CRUDUM QUID, NEC COCTUM AQUA, SED ASSUM TANTUM IGNI. — « Crudum, » ita vertunt et Septuaginta, et passim Hebræi ac Latini : temere ergo Oleaster hebr. נא *na* vertit *fractum* vel *dissectum*. Vetat Deus crudum agnum comedi, tum quia hoc inhumanum est : horret enim homo comedere carnes crudas; tum quia cruda caro insalubris est et vix ab homine digeri potest; tum ne postea inter edendum carnem crudam fastidientes abjicerent. Est enim in aliquibus, licet paucis, hominibus et gentibus, ferus et barbarus hic appetitus comedendi carnem crudam, quem Deus hic vult frænari et aboleri : rudibus enim Hebræis quasi pueris, singula etiam vulgaria, solita et obvia minutim et exacte præscribit (1).

Tropologice, cruda caro, inquit S. Gregorius, hom. 22 *in Evang.*, est inconsiderata et irreverens divinæ bonitatis et excellentiæ consideratio, aut potius oblivio : sic crudum comedunt in Eucharistia, qui non considerant excellentiam tanti Sacramenti, et dignationem, ac præsentiam Dei Domini nostri, qui nos suo corpore et sua deitate pascit.

Tropologice, qui crudum comedant agnum?

NEC COCTUM AQUA, SED ASSUM TANTUM IGNI. — Tum quia citius assantur carnes, quam lixantur : assatio ergo festinationis Hebræorum, parantium se ad exitum, fuit symbolum; tum quia assatio significabat Hebræos in Ægypto in æstu, latere et luto fuisse quasi assos et tostos, jamque inde per esum agni hujus assi liberari; tum quia assæ carnes solidioris sunt nutrimenti, ideoque magis roborant laborantes, quales erant Hebræi iter ingens facturi : carnes enim elixæ resolvuntur in humorem jurulentum, ideoque multum substantiæ ex se in eum emittunt et deperdunt.

Agnus cur assandus?

Allegorica et potissima causa fuit, ut assus agnus significaret Christum amore nostri in cruce tostum; nam agnus in crucis formam expansus assabatur : alter enim erectus paxillus ab imo usque ad caput trajiciebatur; alter vero transversus armos agni assandi distendebat, inquit S. Justinus *Contra Tryphonem*. Christus enim in cruce nihil habuit aquæ, id est nihil mitigationis, nihil solatii in pœnis, sed tam dolore, quam amore nostri fuit assus et tostus. Rursum Judæi negantes Christi deitatem, et crude accipientes, quæ de Messiæ regno et gloria tradit Scriptura, comedunt Christum crudum. Hæretici Christum comedunt aqua coctum, quia omnia ejus mysteria suo ingenio et humana ratione (hæc enim est aqua) scrutari et comprehendere volunt : itaque per humanam sapientiam sacramenta humanitatis et deitatis evacuant. Catholici vero sobrie et pie mysteria Christi meditantes, et per ea fidem et charitatem accendentes, Christoque ferventer servientes, comedunt Christum assum. Ita ex S. Gregorio Pererius.

Agnus in formam crucis expansus assabatur.

Christus amore nostri in cruce assatus.

CAPUT CUM PEDIBUS EJUS ET INTESTINIS VORABITIS. — Id exprimit Deus, quia caput, intestina et pedes, utpote ossea et cartilaginosa, vulgo assare non solemus; in agno vero hæc assari voluit Deus, tum quia Hebræi festini non habebant tem-

(1) « Videntur intelligi carnes leviter in craticula tostæ; nam plane crudas carnes comedere nihil intererat vetare, quum paucissimi semper fuerint ὠμοφάγοι. Ratio autem, ob quam hæc semicocta caro vetatur, videtur esse præceptum sequens, quo jubentur omnem agnum aut hædum absumere, aut comburere quæ superfutura erant, si absumere non possent. Caro enim probe cocta facile absumitur, semicocta pars maxima hæret ossibus. » Hæc Rosenmullerus ad h. l. Recte Jarchi verba sequentia sic exponit : « Assate eum (agnum) totum simul cum capite ejus et cruribus ejus, ac cum interioribus ejus; intestina reddantur ventri, postquam abluta fuerint. »

pus ea lixandi; tum quia Deus agnum integrum manere voluit; tum quia significabat Christum, in quo hæc maxime assa sunt, nimirum viscera compassione et amore nostri, pedes clavis, et caput spinea corona.

Vers. 10. 10. NEC REMANEBIT QUIDQUAM EX EO USQUE MANE: SI QUID RESIDUUM FUERIT, IGNE COMBURETIS, — quia festini summo mane discedetis. Hinc ne agni reliquiis comedendis, aut convasandis occupemini, aut ne illas a profanis profane extra tempus sacrificii comedi contingat, vel a canibus vorari, vel etiam putrescere, eas igne in Dei honorem consumi volo, sicut igne Deo assatæ fuerunt; idque sequentibus deinceps annis eodem modo observari volo, ut primi hujus exitus et festinationis jugem recolatis memoriam.

Vers. 11. 11. SIC AUTEM COMEDETIS EUM: RENES VESTROS ACCINGETIS, ET CALCEAMENTA HABEBITIS IN PEDIBUS, TENENTES BACULOS IN MANIBUS, ET COMEDETIS FESTINANTER. — Omnia hæc festinationem indicant, suntque viatorum ad iter longum et laboriosum accinctorum; hinc calceos induere jubentur. Adde : calceus erat signum libertatis, uti dixi *ad Ephes.* cap. VI, vers. 15. Hactenus enim Hebræi quasi mancipia in Ægypto nudis iverant pedibus ad agros, et opera sua durissima : nunc jubentur calceati incedere, instar ingenuorum et liberorum. Nota hypallagen Hebræam, *habebitis calceamenta in pedibus*, id est, habebitis pedes in calceamentis, sive calceatos. Sic dicunt Hebræi : Miserunt civitatem in ignem, id est, miserunt ignem in civitatem, eam succendendo.

Cur calceati comedebant phase?

Addunt aliqui, veteres olim non assedisse mensæ, sed discubuisse, ut patet *Esther* cap. I, vers. 6; *Tobiæ* cap. II, vers. 3; I *Regum* cap. XIX, vers. 22, utque toros non macularent, et commodius cœnarent, cœnatique quiescerent in suis toris, sive lectulis cœnatoriis, calceos exuebant, quin et pedes lavabant, ut patet *Judicum* cap. XIX, vers. 21. Unde et Magdalena Christo accumbenti lavit pedes. Hebræi vero hic, quia non ad quietem; sed ad exitum parantur, hinc calceare se jubentur. Verum, an hoc tempore usus accumbendi in mensa fuerit in usu, incertum est; imo Pererius contendit, usum sedendi antiquiorem esse usu accumbendi; nam in mensa Joseph fratres sedebant, non accumbebant, *Gen.* XLIII, 33.

Stantes comedebant phase, cur?

Nota : Ex eo quod dicitur : « Tenentes baculos in manibus, » videtur quod Hebræi stantes, utpote festini, agnum comederint, idque diserte docet Philo, lib. *De Caini et Abelis sacrificio*, et innuit Nyssenus, licet id neget Ribera, lib. V *De Templo*, cap. III, in fine; quorsum enim baculos tenentes manibus, succincti lumbos, et calceati, si non ad iter expediti stabant? Huc sane allusisse, vel potius allegoricum hujus loci sensum dedisse videtur Apostolus, *Ephes.* cap. VI, vers. 14, cum ait : « State succincti lumbos vestros in veritate, et calceati pedes in præparatione Evangelii pacis. »

Dices, *Matth.* cap. XXVI, vers. 20, Christus celebrans pascha discubuisse dicitur; ergo non stetit. Respondet Maldonatus ibidem, discumbere significat mensæ adesse, quovis situ, sive sedeas, sive stes, sive accumbas; nam quia olim discumbendo prandebant, hinc mansit usque hodie illa phrasis, ut accumbere mensæ dicamur, cum illi assidemus.

Verum, quia diserte de Christo dicitur *Joannis* cap. XIII : « Surgit a cœna, et ponit vestimenta sua; » et paulo post : « Cum recubuisset iterum, dixit eis; » hinc aptius dici potest, Christum de more stetisse in cœna agni, sed discubuisse in cœna communi, quæ cœnam agni secuta est, indeque surrexisse ad lotionem pedum, atque ea peracta, mox iterum recubuisse. Denique multi putant hanc et alias agni cæremonias in primo tantum hoc Hebræorum paschate, non autem deinceps servatas esse. Verum quid in hac re sit verius, dicam inferius vers. 13.

Symbolicus agni esus.

Symbolice Philo : Qui tendunt, inquit, ad culmen virtutum, sint accincti lumbos, id est, expediti ad Deo ministrandum, et in virtutum exercitio laborandum, sintque induti calceis, quibus carneam molem ratione contineant : stentque recti firmatis pedibus; et disciplinam habeant, quasi virgam in manibus, ad dirigenda citra errorem omnia vitæ negotia, atque festinent in hoc virtutis studio.

Tropologice de Eucharistia.

Tropologice S. Gregorius, hom. 22 *in Evang.*: Qui vult phase Christianum comedere, accingat renes, id est voluptates edomet, carnem a luxuria restringat; calceos habeat in pedibus, id est, Sanctorum mortuorum vitam et exempla conspiciat, ut sua vestigia a peccati vulnere custodiat; *tertio*, teneat baculum in manu, id est, pastoralem curam gerat eorum, qui sibi commissi sunt; *quarto*, comedat festinanter, id est, ad solemnitatem patriæ cœlestis anhelet. Audi quoque B. Algerum, lib. I *De Sacramento altaris*, cap. XXII : « Lex, inquit, dedit in calceamentis cautelam, ne a vitiis fallamur : in baculo disciplinam, qua perpetrata corrigamus : in lactucis compunctionem : in festinatione desiderii ardorem, quo ad cœlestia suspiremus : in accinctis renibus continentiam et castitatem, quia Christo agno immaculato, et Virginis filio crucifixo, ejusque unitioni nihil ita adversatur, ut voluptas, et fornicariæ societatis unitas. »

Denique calceus continentiam significat, cingulum modestiam, baculus spem, ait Nyssenus in *Vita Mosis* : « A spinis, inquit, peccatorum calceus defendat continentissimæ, tenuis ac duræ vitæ : talaris vestis et effusa, hoc est voluptuosa vivendi ratio, cingulo quodam, id est modestia, coarctanda est, quæ moneat ad necessitatem, non ad voluptatem rebus uti : baculus vero, quo et feras hæreticorum repellimus, et sustentamur, spes est. »

Vers. 11 et 12.

11 et 12. EST ENIM PHASE, ID EST TRANSITUS DO-

MINI, ET (id est *quia*) TRANSIBO PER TERRAM ÆGYPTI NOCTE ILLA, PERCUTIAMQUE OMNE PRIMOGENITUM, — *q. d.* Comedetis agnum festinanter, quia hic esus agni significat celerem et præproperum transitum Angeli, ut percutiat primogenita Ægypti.

Pesach, phase, phasec, pischa, pascha idem sunt.

Nota *primo* : Pro *phase* hebraice est, *pesach*; Theodotion vertit, φασέχ; Syri et Chaldæi more suo addentes *aleph*, vertunt *pischa*, vel *pascha* : hoc secuti sunt Septuaginta vertentes *pascha*, vel ut Hebræi nomini Græcam terminationem darent, vel quia populus Babylone rediens Chaldæum nomen *pascha*, præ Hebræo *pesach*, usu vulgari terebat. Noster vertit *phase*, quia ultima gutturalis *chet* in Hebræo *pesach*, cum sit difficilioris pronuntiationis, apud Græcos et Latinos supprimi solet. Unde Septuaginta, Noster, et alii *chet* in dissyllabis in *e* vertunt, ut pro Hebræo *Noach*, vertant Noe; pro *Corach*, Core; pro *Therach*, Thare; pro *Jephtach*, Jephte; sic et pro *pesach*, phase.

Phase, id est transitus, vel potius transultus, scilicet angeli percutientis.

Nota *secundo* : *Pesach, pascha et phase*, significat transitum, vel magis proprie transultum; radix enim פסח *pasach* significat transilire, uti vertit noster Interpres, vers. 23, et III *Regum* capit. XVIII, vers. 26. Unde et פסח *pisseach* vocatur claudus, eo quod quasi saltitans incedat. Hinc et Symmachus ac Josephus pascha vertunt ὑπέρβασιν, id est transcensum, et S. Hieronymus in *Nominibus Hebræis* transgressum, transcensionem. Noster hic generalius transitum vertit, ut Angeli duplicem transitum, *primum* per Hebræos, eis parcendo, *secundum* per Ægyptios, eos percutiendo, significaret. Dicitur ergo *pascha*, id est transultus, quia pascha significabat, quod Angelus transiliret domos Hebræorum, eas intactas relinquendo, et insiliret in domos Ægyptiorum, eorum primogenita occidendo.

Tertullianus pascha a Græco πάσχειν deducit, ut pascha idem sit quod passio Christi.

Dices : Tertullianus, lib. *Contra Judæos*, videtur dicere pascha non esse Hebræum, sed Græcum nomen; illud enim ἀπὸ τοῦ πάσχειν, id est a patiendo, deducit; et quod hic dicitur : « Est enim pascha (juxta Septuaginta) Domini, » putat prophetice esse dictum, quasi dicat : « Est enim passio Domini, » quia scilicet eodem hoc die patietur Christus. Idem indicant Irenæus, lib. IV, cap. XXIII, et Nazianzenus, oratione 2 *De pascha*; idque probat Nazianzenus ex eo, quia si pascha esset Hebræum, non Græcum, dicendum esset phascha, non pascha. Veteres enim Hebræi non habebant *pe* durum, sed *phe* molle sive Arabicum, uti testatur S. Hieronymus in cap. XI *Daniel.*; hinc enim dicimus : Phares, Pharao, Pharisæus; non autem Pares, Parao, Parisæus.

Respondeo : Patres hos non ad litteram, sed mystice loqui, et symbolice hunc locum explicare : volunt enim, non sine Dei consilio hanc vocem *pascha* inventam esse, quæ tam græce, quam hebraice etymologiam habet rei maxime consentaneam. Argumentum Nazianzeni exile est; nam non tantum Græci, Syri et Chaldæi, sed et ipsi Hebræi posteriores pro *phe* initio dictionis semper usurpant *pe* : semper enim *pe* initiali infigunt *dagesch* durum, ut patet ex eorum Grammatica.

Prisci dicebant phase et phascha, jam dicunt pesach et pascha.

Nota *tertio* : triplex hic fuit transitus : *primo*, Angeli vastatoris; *secundo*, Hebræorum ex Ægypto in Chanaan; *tertio*, eorumdem per mare Rubrum : hunc tertium significari nomine *pascha* putat S. Augustinus, tract. 55 *in Joan. Secundo*, Philo, Josephus, lib. XVII *Antiq.*, et Nazianzenus supra putant pascha significare transitum Hebræorum ex Ægypto, idque innuitur *Deuter.* XVI, vers. 1. Verum dico, pascha primo et proxime significare transitum Angeli vastatoris : id enim hic dicitur; mediate tamen et finaliter significare transitum Hebræorum ex Ægypto : ad hunc enim quasi ad finem dirigebatur hic transitus Angeli. Ita S. Hieronymus et Josephus hic, lib. II.

Triplex transitus paschatis.

Pascha primo, est transitus; secundo, agnus pro transitu; tertio, festum.

Nota *quarto* : Phase vel pascha proprie significat transitum, vel potius transultum; inde *secundo*, significat metonymice agnum immolatum pro hoc transitu : sic sæpe in Scriptura dicitur immolari vel comedi pascha, id est agnus paschalis. *Tertio*, inde traductum est ad festum paschale : festum enim, quo immolabatur hic agnus paschalis, vocatur pascha : imo et septem dies azymorum illi contigui, vocantur pascha, *Actor.* cap. XII, vers. 4, quia solemnitas hæc septem dierum cum paschate incipiebat, eratque propter ipsum pascha. *Quarto*, pascha significat victimas quaslibet ovium et boum, quæ illis septem diebus immolabantur, de quibus *Numer.* cap. XXVIII : hæc enim a prævio paschate phase, sive pascha dicebantur; quæ Judæi in passione Christi comesturi, ingredi noluerunt Pilati (utpote Ethnici) prætorium, ne contaminarentur, ut patet *Joannis* cap. XVIII, vers. 28.

Quarto, victima quælibet paschalis.

Allegorice, agnus est Christus, qui de morte transivit ad vitam, de terra in cœlum, ut nos a peccato ad gratiam, ab inferno ad cœlum transiremus. Unde tropologice, phase, id est transitum, celebrat anima, cum egreditur a cogitationibus Ægypti, id est a molimine peccati, inquit S. Augustinus tract. 55 *in Joan.* « Pascha, inquit S. Ambrosius, lib. I *De Cain*, cap. VIII, transitus est a passionibus ad exercitia virtutis; » et clarius lib. I *Hexaemer.*, cap. VIII : « Pascha Domini quotannis celebratur, hoc est animarum transitus a vitiis ad virtutem, a passionibus carnis ad gratiam sobrietatemque mentis, a malitiæ nequitiæque fermento ad veritatem et sinceritatem regenerationis. » Et S. Gregorius, hom. 10 *in Evangel.*: « A regione, inquit, nostra superbiendo, inobediendo, visibilia sequendo, cibum vetitum gustando discessimus : sed ad eam necesse est flendo, obediendo, visibilia contemnendo, atque appetitum carnis refrænando redeamus. Per aliam ergo viam ad regionem nostram regredimur : quoniam qui a paradisi gaudiis per delectationem recessimus, ad hæc per lamenta revocamur. »

Argumentum Zuinglii: *agnus est phase*, id est typus transitus; ergo *hoc est corpus meum* est figura corporis mei.

Hinc *quinto*, argutatur Zuinglius : Si hæc propositio est vera : « Agnus est Phase, » in eaque admittenda est metonymia jam dicta; ergo eadem admittenda est in hisce Christi verbis : « Hoc est corpus meum, » ut sensus sit : Hoc est figura corporis mei; additque Zuinglius hoc argumentum sibi revelatum esse a spiritu, qui an ater an albus fuerit ignorat, eoque se convicisse Helvetios, ut in Eucharistia non revera, sed typice tantum esse corpus Christi faterentur.

Resp. primo.

Sed respondeo *primo*, antecedens esse falsum; agnus enim dicitur phase, id est hostia paschalis, proprie, non metonymice : agnus enim hoc nomen sibi a Deo impositum, proprium possidet; unde sic proprie in usu communi loquebantur Judæi, ut agnum vocarent phase : licet hæc impositio, et hic usus originem habuerit a metonymia, qua hostia pro transitu immolata dicta est *phase*, id est transitus : nusquam autem usus habet, et proprietas sermonis, ut corpus passim vocetur ipsa figura corporis.

Secundo.

Respondeo *secundo*, negando consequentiam : agnus enim non potest proprie esse phase, id est transitus, quia transitus et agnus sunt duæ res prorsus disparatæ, quarum una non potest esse alia; cum autem dico : « Hoc est corpus meum, » *hoc* et *corpus* non sunt disparata; sed pronomen *hoc* in confuso idem significat quod determinate significat *corpus* : in hac ergo propositione : « Agnus est phase, » id est transitus, necessario admittenda est metonymia, non autem in hac : « Hoc est corpus meum. »

Nocte paschali Apis, et alia idola Ægypti contrita sunt.

ET IN CUNCTIS DIIS ÆGYPTI FACIAM JUDICIA. — Septuaginta, *faciam ultionem*. Hinc videtur, ait Cajetanus, quod Apis sive Serapis, omniaque alia deorum simulacra in Ægypto nocte paschali dejecta et comminuta sint, vel terræ motu, vel fulminibus, uti ex traditione Hebræorum asserit S. Hieronymus *ad Fabiol., De 42 Mansion.*, in prima. Idem factum esse docet Artapanus antiquus historicus, apud Eusebium, lib. IX *De Præparat.*, cap. ult., et huc alludit Isaias, cap. XIX, vers. 1. Sic ab arca Dei dejectus fuit Dagon, I *Reg.* V. Tradunt insuper Hebræi, idola Ægypti lapidea fuisse tunc comminuta in pulverem; lignea esse putrefacta, vel in cinerem redacta; metallica vero esse resoluta et liquefacta.

Mendacium Justini historici.

Mentitur ergo Justinus historicus, qui lib. XXXVI, ex veteri Ægyptiorum fabula scribit, Mosen idola Ægypti furatum ea secum exportasse (1).

Vers. 13.

13. ERIT AUTEM SANGUIS VOBIS IN SIGNUM, — *q. d.* Sanguis hic vobis vestræ salutis erit signum et tessera, quod non percutiet vos angelus vastator; non quod angelus hoc signo corporeo indigeat : ipse enim per se satis videt, quæ sint domus Hebræorum, in quibus comeditur phase; quæ Ægyptiorum; sed quod vos hoc signo tutelam, custodiam et salutem exspectare velit, idque ob typum agni ejus, qui sanguine suo liberabit vos ab ira ventura, et morte æterna. Per hunc ergo ritum implicite profitebantur Hebræi, ab æterna morte se liberatum iri per sanguinem Messiæ; unde et postes cum superliminari, quod utrique posti superius incumbit (quæ omnia sanguine agni tingenda erant), typum et formam crucis exhibebant, ut docet S. Cyprianus, lib. II *Testim. contra Judæos*, cap. XXII. Sic *Ezech.* IX, Angelus jubetur omnes occidere præter eos, qui signati erant signo *Tau*, quod figuram gerebat crucis. Crucis typus in postibus.

Jubentur ergo Hebræi hic, non tantum in primo hoc paschate suæ liberationis et exitus, sed et in aliis deinceps quotannis celebrandis postes et superliminare sui ostii sanguine agni aspergere, ut recordentur, quod jam olim simili aspersione liberati sint a vastante angelo : nam non tantum in primo hoc paschate, sed et in aliis deinceps hunc ritum servatum esse, patet ex vers. 25, ubi dicitur : « Cum introieritis in terram, quam Dominus daturus est vobis, observabitis cæremonias istas, » puta ut decimo die quæratis agnum, quem decimo quarto die immoletis, eumque comedatis tenentes baculos, accincti, calceati, sanguine ejus aspergentes postes, etc. Licet enim alibi horum expressa non fiat mentio, hic tamen fit, idque sufficit; alibi enim Scriptura huc lectorem remittit, ut phase cæremonias hinc petat, et discat. Hæ ergo cæremoniæ sicut in primo paschate, ita et in aliis deinceps præscriptæ, et a Judæis observatæ sunt; adeoque azyma septem dierum, aliaque quæ a vers. 14 et deinceps præscribuntur, non tam pro primo hoc paschate, quam pro futuris a Deo præscripta esse, satis patet ex vers. 14, uti dicam vers. 15 (2). Cæremoniæ agni pro annis secuturis præscriptæ sunt.

Vers. 15.

15. SEPTEM DIEBUS AZYMA COMEDETIS. — « Azyma » vocantur panes sine fermento : ζυμὴ enim est fermentum. Dicitur fermentum quod quasi fervendo crescat : hinc panis azymus statim coquitur; nam in fermentato exspectare oportet, dum fermentum digerat et attenuet pastam, ex qua fit panis; ergo « comedetis azyma, » ut scilicet quotannis recolatis prima azyma paschæ, quæ comedistis exituri in Ægypto : cum enim nocte illa pastam fecissetis ad panem coquendum, præ festinatione non habuistis tempus eam fermentandi, cogenti-

(1) Strictior quoque et angustior videtur Michaelis, qui hoc eo refert, quod in Ægypto sacra animalia colebantur viva tanquam symbola et imagines Deorum, et in templis alebantur, v. g. bos Apim, hircus Mendem repræsentans. Jam quum et omnium animalium primogeniti morituri essent, si bos Apis et hircus Mendes primogeniti fuere, et hos internecione periisse necesse fit, quo Jehovah Deus se superiorem diis Ægyptiis esse luculenta ratione demonstravit.

(2) Voluit igitur Moses hoc loco leges de Paschate, quæ diversis temporibus datæ sunt, una serie conjungere. Nec ulla causa idonea est, ut patet, cur ea omnia, quæ hoc cap. de Paschatos institutione leguntur, longe post Mosen ab alio quodam conficta judicentur, ut autumavit de Wette, *Beiträge zur Einleit. in das A. Test.*

bus Ægyptiis illico vos egredi : unde *Deuter.* XVI, 3, dicitur : « Septem diebus comedes azyma, afflictionis (quia azymus panis est insipidus, gravis, insalubris; ægreque concoquitur) panem, quoniam in pavore egressus es de Ægypto, ut memineris diei egressionis tuæ de Ægypto, omnibus diebus vitæ tuæ. »

Tropologia azymorum.

Tropologice, per azyma, inquit Theodoretus, significatur non tantum diligentia et instantia proficiscendi, et cibi parandi facilitas et promptitudo; sed etiam quod nullum Ægyptiacæ vitæ vestigium tenere ipsos conveniebat : hinc dicit Christus, *Matth.* XVI : « Cavete a fermento Pharisæorum. » Septem vero dierum azymorum hanc tropologicam causam dat Venerabilis Beda in *Lucæ* cap. XXII : « Quia, ait, Christus semel pro nobis in plenitudine temporum passus in carne, per omne nobis hujus sæculi tempus, quod septem diebus agitur, in azymis sinceritatis et veritatis præcepit esse vivendum, totoque semper nisu desideria sæculi, quasi Ægypti retinacula, fugere, et quasi a mundana conversatione secretam solitudinem, iter nos admonet subire virtutum. »

Azyma comederunt Hebræi per 30 dies.

Nota : Tradit Josephus Hebræos ex Ægypto exeuntes per 30 dies comedisse azyma; tamdiu enim pastam eorum, quam secum extulerant, durasse, ex qua in Socoth et deinceps coxerunt panes subcinericios, qua deficiente Deum dedisse eis manna de cœlo; sicut vice versa defecit manna, cum filii Israel ingressi Chanaan comederunt de frugibus terræ, ut dicitur *Josue* V. Deus enim non deest homini in necessitate, nec vicissim superest aut superfluit, ubi non est opus; non enim par erat cibum cœlestem cum terrestri commisceri. Unde et qui delicias carnales quærunt, privantur cœlestibus, et contra.

Hinc et ex vers. 14, patet hos septem dies azymorum non pertinuisse ad primam hanc phase celebrationem in Ægypto factam, sed ad alias omnes deinceps singulis annis faciendas. Ubi nota ea, quæ hic præcipiuntur de celebratione phase usque ad vers. 44, pertinuisse et observata fuisse in primo illo phase Ægyptiaco; reliqua vero, quæ deinceps sequuntur, non ad primum illud phase, sed ad sequentia singulis annis celebranda pertinuisse. Hos ergo triginta dies azymorum, quæ Hebræi comederunt in egressu, repræsentarunt ipsi quotannis per septem dies comedentes azyma in paschate : septenarius enim multitudinis et universitatis est symbolum; sicuti peregrinationem Hebræorum in deserto, quibus per 40 annos habitarunt in tabernaculis, jussit Deus repræsentari quotannis per septem dies festi Tabernaculorum.

Dices : Dies azymorum incipiebant a decimo quarto die, et finiebantur vigesimo primo; ergo durabant per octo, non per septem dies. Ita Rupertus.

Respondeo, decimum quartum diem debere excludi; incipiebant enim dies azymorum decimo quarto die, non mane, ut vult Rupertus, sed ad vesperam, puta incipiente die decima quinta, quæ proinde vocatur prima azymorum. Ubi nota dies azymorum incepisse cum paschate : unde, quia vespera paschatis referri poterat ad 14 diem, cujus erat finis, et etiam ad 15, cujus erat initium, hinc hic vers. 18, et ab Evangelistis describentibus ultimam Christi cœnam, decimus quartus dies vocatur primus azymorum; *Levitici* vero XXIII, vers. 6, et alibi decimus quintus dies vocatur primus azymorum. Unde et hic dicitur : « Observabitis azyma, in eadem enim die educam exercitum vestrum de terra Ægypti; » constat autem *Numer.* XXXIII, 3, Hebræos egressos esse ex Ægypto 15 die mensis primi. Verum, quia agnus licet ante immolatus et assus, non tamen comedebatur nisi nocte, quæ proprie pertinebat ad 15 diem, cum esu autem agni incipiebat et esus azymorum, hinc præcise loquendo esus azymorum incipiebat non a 14, sed a 15 die, qui proinde communiter vocatur primus dies azymorum. Fallitur ergo Tostatus, qui putat azyma cœpisse ab immolatione agni, et consequenter 14 die, non 15; nam, ut dixi, esus azymorum incipiebat non ab immolatione agni, quæ fiebat 14 die ad vesperam, sed ab agni comestione, quæ fiebat noctu incipiente jam 15 die, ut patet vers. 8. Hinc patet Christum legis observantissimum instituisse Eucharistiam in pane azymo; nam instituit eam post cœnam agni, in qua incipiebat esus azymorum, qui durabat per septem dies. Recte ergo, et ad exemplum Christi Ecclesia Latina præscribit suis ut Eucharistiam celebrent in pane azymo.

Primus dies azymorum nunc vocatur 14, nunc 15 dies mensis, cur?

Christus in azymo celebravit Eucharistiam.

QUICUMQUE COMEDERIT FERMENTUM, PERIBIT ANIMA ILLA DE ISRAEL. — « Peribit, » scilicet sententia judicum, si res constiterit, quasi dicat : Per judices condemnetur ad mortem; si illi id negligant, vel nesciant, ego Deus vindex eum puniam morte, vel præsenti, vel æterna, vel utraque. Hinc patet Hebræis fuisse capitale, comedere fermentum in diebus azymorum : licet enim hæc res in se parva videretur, et in se non mala, sed indifferens, Deo tamen tam severe eam vetante erat mortale peccatum.

Edere fermentum in paschate erat peccatum mortale.

16. DIES PRIMA ERIT SANCTA ATQUE SOLEMNIS, ET DIES SEPTIMA EADEM FESTIVITATE VENERABILIS : NIHIL OPERIS FACIETIS IN EIS. — Hinc patet ex 7 diebus azymorum, quibus singulis varia offerebantur sacrificia, ut patet *Numer.* XXVIII, 24, celebriores fuisse primum et ultimum, eosque solos proprie fuisse festos, idque æque, sive æquali gradu et cultu, ut hic dicitur; illis enim non licebat operari, quod aliis quinque intermediis diebus licebat; unde dies prima vocatur sancta, id est, cultui Dei dicata : sabbatum tamen erat sanctius, quia eo non licebat cibos coquere, nec ignem accendere, ut dicitur *Numer.* XV, 32, quod tamen omnibus diebus azymorum, et quibuslibet aliis festis licebat. Dicitur et prima hæc dies solemnis, quia festa erat ob publica et solemnia sacrificia,

Vers. 16.

Primus et septimus dies azymorum tantum erant festi.

quæ illo die fiebant, ut patet *Numer.* cap. XXVIII, vers. 16 et seq.; unde et Judæi tunc veste elegantiore et cibo lautiore utebantur. Hinc eis ait Nehemias, lib. II *Esdræ*, cap. VIII : « Ite, ait, et comedite pinguia, et bibite mulsum, et mittite eis qui non præparaverunt sibi, quia sanctus dies Domini est; et nolite contristari : gaudium enim Domini est fortitudo nostra. » Pro *sancta* et *solemnis*, hebraice est מקרא קדש *micra codes*, id est convocatio sancta, puta sancta solemnitas, qua convocetur populus ad audiendam Dei legem, et ad sacrificia.

ET DIES SEPTIMA EADEM FESTIVITATE VENERABILIS. — Tunc enim erat festum cœtus, sive collectæ, de quo dicam *Levitici* XXIII, 36.

Vers. 17. 17. CUSTODIETIS DIEM ISTUM IN GENERATIONES VESTRAS RITU PERPETUO, — quamdiu scilicet vestræ generationis et gentis Judaicæ ritus, cultus et religio, puta judaismus, perdurabit : cum enim ille ab alia Christi superveniente religione abolebitur, tunc et ritus phase abolebitur. Vide *Can.* 4. Duravit ergo hic ritus per annos 1530; tot enim sunt ab exitu ex Ægypto usque ad passionem Christi, qui ritum hunc, aliosque veteres implevit et abolevit. Unde S. Justinus *Contra Tryphonem* : « Præceptum, inquit, agni paschalis fuisse temporaneum ex eo apparet, quod Deus non permiserit eum immolari, nisi in loco in quo invocatur nomen ejus, » puta Hierosolymæ, ubi erat templum; « nimirum quia scivit dies venturos post passionem Christi, quando Hierosolyma tradenda esset hostibus, cessantibus simul omnibus victimis. » Aliter respondet Abulensis et S. Augustinus, phase et cæremonias veteres dici æternas, non quod ipsa signa rerum, sed quod res, quæ signis illis significatur, puta Christus, Christique mysteria æterna essent futura. Verum ista responsio mystica est, non litteralis.

Errant ergo Armeni Christiani, qui agnum sacrificant, ejus sanguine limina inungunt, ossa exurunt, cinerem cum sanguine servant ad expiationem, uti refert S. Nicon., lib. *De Erroribus Armenorum*.

Superstitiosi erant et illi Christiani, qui agni carnes in paschate juxta altare ponentes, propria benedictione consecrabant, et in die paschæ ante alios cibos de agni carnibus comedebant, uti refert Walfridus Strabo, *De Rebus Eccles.*, cap. XVIII; nam, ut ipse ait, pascha nostrum immolatus est Christus : hinc Paulus vult nos epulari, non in fermento veteri, sed in azymis sinceritatis et veritatis.

Tropologia septem dierum azymorum. Tropologice, qui signatus est agni sanguine, id est, baptizatus est in sanguine Christi, et vult celebrare pascha, id est Christum colere, eumque sumere in Eucharistia, ut tendat ad terram promissam in cœlis : hic debet per septem dies, id est, ætates vitæ suæ (quæ sunt infantia, pueritia, adolescentia, juventus, ætas virilis, senilis et decrepita), in azymis, id est, in puritate vivere, et abstinere a fermento peccati. Primus dies azymorum, id est conversionis a peccato, est festus et celebris coram Deo et angelis, *Matth.* XVIII, 13 et 14; similiter et ultimus, cum ex hac vita mortali transit pœnitens ad æternam in cœlis. « Beati enim mortui qui in Domino moriuntur. » Ita Rupertus, et Apostolus, I *Corinth.* cap. V, vers. 7 et sequent.

20. IN CUNCTIS HABITACULIS VESTRIS EDETIS AZYMA. Vers. 20. — Nota τὸ *habitaculis*, quia in itinere constituti non poterant semper habere, ac consequenter nec edere azyma. Ita Cajetanus.

21. TOLLENTES ANIMAL.— Hebraice, *extrahite pecudem*, scilicet ex ovili; ecce non solus agnus; sed et hædus (hic enim hebraice vocatur שה *seh*, æque ut agnus) immolari poterat loco agni. Vers. 21.

22. FASCICULUMQUE HYSSOPI TINGITE IN SANGUINE, QUI EST IN LIMINE. — Septuaginta, *qui est ad januam*. Debebat ergo agnus, ait S. Augustinus, vel occidi juxta januam domus, vel potius ad ostium deferri ejus sanguis, ut eo recenti et liquido intingerent hyssopum, quo aspergerent postes et superliminare. Hyssopus enim erat hic loco aspergilli, uti dicam *Levit.* XIV, 4. Hebræum סף *saph* non tantum limen, sed et pelvim significat : unde aliqui cum Chaldæo vertunt, *cum sanguine, qui est in vase*, vel *pelvi*, qua scilicet exceptus est, cum agnus jugularetur. Melius tamen Noster *saph* vertit *limen*; hoc enim communiter significat, a radice סף *soph*, id est finire : haud secus quam Latinis limen dicitur, quasi luminis limes, id est finis et terminus, atque umbræ causa; quamvis Festo limen dicatur a *limus*, id est obliquus, seu transversus, eo quod ingredientibus quasi ex obliquo stet. Vers. 22. Limen dicitur quasi luminis limes.

NULLUS EGREDIATUR USQUE MANE, — vel certe donec constet angelum percussorem transisse : monuit enim hoc Moses, ut caverent egredi, ne in percussorem hunc inciderent; itaque postquam Ægyptii percussionem et cædem hanc ab eo factam sua comploratione testati sunt, urserunt que Hebræos ad exitum, mox ipsi eadem nocte egressi sunt, ut patet vers. 31, scilicet post mediam noctem, ante mane.

23. ET NON SINET PERCUSSOREM. — Hinc putant aliqui hunc percussorem angelum fuisse malum : dicitur enim, « non sinet » Deus, quasi angelus hic vellet etiam Hebræos occidere, si Deus sineret; hoc autem alienum erat a bono angelo : hic enim Dei populum amabat et tuebatur. Unde Rupertus : « Recte percussori traduntur angelo malo, postquam subjici noluerunt per semetipsum corripienti, et decem plagis ad pœnitentiam invitanti Deo. » Verum æque probabile, vel probabilius est hanc plagam, uti et præcedentes, inflictam fuisse per angelos bonos. Unde pro *non sinet*, hebraice est *non dabit*, scilicet ordinem, vel ordinationem, non ordinabit, non præscribet illi Deus, ut percutiat Hebræos, sed tantum Ægyptios. Vide dicta cap. VII, in fine *Quæst.* IV. Vers. 23.

Vers. 26. 26. QUÆ EST ISTA RELIGIO? — Hebraice, *quis est iste cultus?* ad quid, quare celebratis pascha hoc?

Vers. 29. 29. FACTUM EST AUTEM IN NOCTIS MEDIO, PERCUSSIT DOMINUS OMNE PRIMOGENITUM. — Media enim nocte vel ipsa cæca silentia terrent, eo ergo terribilior fuit hæc pœna; talis erit et adventus Christi ad judicium, uti dixi cap. XI, vers. 5.

OMNE PRIMOGENITUM, — quod primo natum est, etiamsi sit unigenitum, etiamsi annosum; hinc in una domo plures subinde cæsi sunt, puta avus, pater, filius, uxor, si omnes erant primogeniti : idem dico de servis et jumentis. Vide cap. XI, vers. 8.

A PRIMOGENITO PHARAONIS. — Punitur hic in filio Pharao, sed ipse majori dolori et vindictæ servabatur, mergendus cum suis omnibus in mari Rubro.

USQUE AD PRIMOGENITUM CAPTIVÆ, — ancillæ captivæ ad pistrinum damnatæ, ut patet caput XI, vers. 5.

Vers. 30. 30. SURREXITQUE PHARAO, etc., VOCATISQUE MOYSE ET AARONE NOCTE AIT : SURGITE, ET EGREDIMINI. — Verisimile est ipsummet Pharaonem tanta strage perculsum, timentemque pejora surrexisse, ut Mosen adiret; quem suaviter quiescentem domi suæ inveniens vocando excitarit, dixeritque : Surgite, egredimini; id clarius significant Hebræa (1).

Vers. 32. 32. BENEDICITE MIHI, — orate pro me, ut vertit Chaldæus.

Dura mens duro verbere frangenda.

Moraliter, disce hic dura et obstinata corda non blanditiis, non minis, non flagellis, sed morte, dirisque cladibus frangi et molliri : sicut adamas non mollescit nisi hircino sanguine, ita strage primogenitorum omnium fractus et flexus est Pharao, omnesque Ægyptii. Ita superbus Nabuchodonosor cervices demisit, cum mutatus est in bestiam. Ita Saulus prostratus in terram factus est Paulus, dixitque : « Domine, quid me vis facere? » Ita Magdalena possessa a dæmonibus septem, Christum medicum requisivit.

Exempla.

Mirum apud Gentiles exemplum narrat Plutarchus, libro *De sera numinis vindicta,* sub finem : Thespesius, inquit, homo fuit sceleratæ et deploratæ vitæ; de eo consultum oraculum, num quæ emendationis ejus foret spes? respondit : « Melior erit postquam fuerit mortuus. » Paulo post Thespesius gravi lapsu et casu collisus, exanimis jacuit : tertio die ad se rediens, rogatus, ubi fuisset, quomodo rediisset? dixit, in casu hoc animam suam eductam e corpore, alia omnia vidisse et sensisse, ideoque mox totam aliam esse factam, perinde ac si quis e navi in mare corruat, alia prorsus sentit et sapit; itaque aiebat se vidisse bonorum felicitatem; impiorum, ut Neronis, quin et proprii sui parentis, pœnas (in qua tamen visione fabulæ Gentilium admiscentur, vel a dæmone visionis auctore, vel ab ipso Thespesio), ac quemdam e cognatis suis vita functis ad eum accessisse, et salutasse : « Salve, Thespesi; » cui ille : « Non Thespesius vocor, sed Aridæus; » mox anima cognati replicavit : « Aridæus hactenus fuisti; sed deinceps eris Thespesius, » quæ vox græce divinum significat; ita factum est : qui enim antea erat impius, libidinosus, ebriosus, etc., hoc casu et raptu factus est pius, castus, sobrius, justus, speculumque virtutum. Ita duro nodo durus quærendus est cuneus, acrique supplicio frangenda est malæ mentis obfirmata consuetudo.

Vers. 33. 33. URGEBANTQUE ÆGYPTII POPULUM DE TERRA EXIRE VELOCITER, — timore scilicet ex tanta suorum strage perculsi. Hinc videas fabulas et calumnias Gentilium, uti Cornelii Taciti, lib. V, et Trogi Pompeii, vel potius Justini, lib. XXXVI, asserentium Hebræos ob scabiem et pruriginem, oraculi monitu ab Ægyptiis Ægypto esse pulsos. Simile est quod tradunt Manethon, Chæremon et Lysimachus Ægyptii historici apud Josephum, lib. I *Contra Apionem,* scilicet Mosen idola Ægyptiorum abstulisse, ideoque eum persecutos fuisse Ægyptios, sed tempestatibus domum redire compulsos : cum e contrario sacra Scriptura nos doceat omnes ad unum mari Rubro esse absorptos.

Mendacium Taciti et Justini.

Judæos quasi Idæos dicicensuit Tacitus.

Tale est et illud Taciti, Judæos dici quasi Idæos, eo quod ex Ida Cretæ monte descenderint; *secundo,* Judæos sue non vesci, quia sues æque ut Judæi, scabiei sunt obnoxii; *tertio,* asinos Judæis Ægypto egredientibus viam monstrasse, ideoque eos colere asinos.

Tale est illud Justini, Joseph magum fuisse, ejusque filium fuisse Mosen; reges Judæorum fuisse Joseph, Mosen, et Israel, qui avitum regnum in decem diviserit. Unde videas quam Gentiles Judæis fuerint infensi et iniqui, vel Judaicarum rerum ignari et imperiti.

Vers. 34. 34. TULIT IGITUR POPULUS CONSPERSAM FARINAM, ANTEQUAM FERMENTARETUR. — « Conspersam, » et magno labore manibus vel pedibus subactam, puta massam, vel pastam, uti mox habent Hebræa, quia scilicet non habebant spatium eam fermentandi et coquendi, cocturi illam prima occasione (2).

ET LIGANS IN PALLIIS. — Chaldæus et Septuaginta, *in vestibus.* Hebræum שמלה *simela* proprie significat involucrum, vel amiculum, quo aliquid

(1) *Neque erat domus.* De omnibus hic dicitur, quod maximæ parti competebat. Vel si verba illa proprie sumas, haud improbabile erit, si in aliqua domo non fuerit primogenitus, qui in domo hac maximus fuit pro primogenito habitum esse.

(2) Alii vertunt, *mactras suas ligatas in vestimentis.* Has oportet parvas admodum fuisse, quales sunt patellæ ligneæ, in quibus etiamnum Arabes placentas suas infermentatas depsere, et coctas in itinere secum gerere solent. Vestimenta autem, quibus illigatas mactras portarunt Hebræi super humeris, similia fuisse volunt togis veterum Romanorum et πέπλοις Græcorum, quæ quum super humerum habuerint sinum, variæ in iis res portari poterant.

tegitur aut involvitur, quemadmodum pallium Ulpiano et Ciceroni commune est vestis genus. « Dionysius, ait Cicero, lib. III *De Natura deorum,* Jovi aureum abstulit amiculum, deditque ei laneum pallium. » Imo pallium proprie significare quoque sindonem, sive linteum, docet Lazarus Bayfius, lib. *De Re vestiaria,* ex Juvenali, *satyr.* 6, ubi de mœcha sic ait :

Advocat Arcichenen, onerosaque pallia jactat.

Sic et pallia hæc Hebræorum videntur fuisse sindones, sive lintea; illis enim pasta involvi solet : alioqui proprie pallium Græcorum erat extima longior vestis, perinde ac toga erat Romanorum.

Vers. 36. 36. DOMINUS AUTEM DEDIT GRATIAM POPULO CORAM ÆGYPTIIS. — Ergo hæc bona sua commodarunt Ægyptii Hebræis, non tam ex timore, quo perculsi erant ob stragem primogenitorum, quam quia Deus dedit eis gratiam coram Ægyptiis. Ita S. Augustinus, Pererius et alii. Gratia hæc, ait Tostatus, vel fuit qualitas quædam producta a Deo in Hebræis, mirifice lucens in vultu totoque corpore, et in verbis moribusque eorum, quæ Hebræos faciebat amabiles, jucundos et gratiosos Ægyptiis : talem enim gratiam et eximiam pulchritudinem dedit Deus Judith, cap. x. Hac de causa Plato monebat Xenocratem discipulum suum, qui tristem severumque vultum præ se ferebat, « ut Gratiis sacra faceret, » illud videlicet significans, ut quantum gratiositati naturæ defectus, ruditas et acerbitas demeret, tantum grata comitatis elegantia, partim a Deo postulata et impetrata, partim proprio conatu et exercitio parta, adjiceret ad homines sibi conciliandos. Idem Dionem Syracusanum virum doctissimum, sed duriorem, monuit, ut magis comem et gratiosum se formaret, dicens : « Durities et pervicacia non urbium, sed silvarum solitudinisque sodalis est. » Ita Xenophon, condiscipulus Platonis, qui scripsit Pædiam Cyri, fuit mire gratiosus et suavis : indeque vocatus est « Musa Attica. » Testis est Laertius, et alii in Vita Platonis et Xenophontis.

Gratia Hebræis a Deo data, qualis ?

Tetricos Gratiis sacra facere jubet Plato.

Vel potius, « dedit Deus gratiam, » id est inflexit Deus corda Ægyptiorum (omnium enim corda sunt in manu et arbitrio Dei) ad tenerum quemdam amorem Hebræorum, eisque bene volendum et benefaciendum, ita ut Hebræi viderentur Ægyptiis non solum commiseratione, verum amore, honore, quin etiam quibuslibet beneficiis muneribusque dignissimi; quo factum est ut libenter sua eis commodarint, imo obtulerint, ait Cajetanus, incitantes eos, ut confidenter peterent quidquid vellent; nam pro eo, quod nos habemus, « ut commodarent eis, » hebraice est וישאלום *vajascilum,* id est, *et fecerunt petere eos,* scilicet vasa quibus usuri erant in sacrificio, ad quod eos evocari a Deo dixerat Moses, ut nimirum hac ratione Deum sibi offensum placarent Ægyptii.

UT COMMODARENT EIS. — Errat ergo Josephus, qui ait hæc Hebræis dono fuisse data ab Ægyptiis, tum ut celerius discederent, tum ob vicinitatis consuetudinem, et pristinam familiaritatem : Scriptura enim ait hæc non donata, sed commodata esse, atque Hebræos hæc sibi usurpantes spoliasse Ægyptum.

Vide hic opum mutabilitatem, ut quasi commodatæ ab uno ad alium transeant. Fabulæ Plutum, sive Ditem divitiarum deum in adventu claudum, in recessu alatum esse fingunt : quia divitiæ claudis velut pedibus lente accedunt in vita, in morte aquilinis avolant alis. Saladinus magno labore imperium Ægypti et Syriæ peperat : is moriens interulam suam hastæ præfixam per castra circumferri jussit, atque per præconem proclamari : « Hæc una tunica Saladino principi ex tantis opibus imperioque superest. »

ET SPOLIAVERUNT ÆGYPTIOS. — Dices : ergo spolium, id est furtum et rapinam, commiserunt Hebræi.

Respondeo : Spolium, jussu Dei admissum, justum et sanctum est. Deus enim jubens tibi aliquem spoliare, hoc ipso tibi jus et dominium in ejus bona largitur. Ita S. Augustinus, Rupertus, S. Thomas, Abulensis et alii.

Spolium Hebræorum licitum triplici titulo. Primo, donationis Dei; secundo, mercedis; tertio, belli.

Secundo, secluso Dei jussu, poterant Hebræi bona Ægyptiorum per spolium accipere, tum titulo mercedis : servierant enim eis laboriosissime; tum titulo justi belli : hostes enim publici Hebræorum erant Ægyptii, qui eos usque ad mortem persecuti fuerant, et miris modis divexaverant : poterant ergo eos tanquam publicos suos hostes spoliare Hebræi. Unde *Sap.* x, dicitur : « Reddidit Deus justis mercedem laborum suorum. » Ita Philo. Addit S. Augustinus, lib. XXII *Contra Faustum,* cap. LXXI : « Ægyptii, inquit, sacrilegi et iniqui erant, qui et auro illo, hoc est, Dei creatura, male utentes ad creatoris injuriam, suis idolis serviebant, et homines peregrinos labore gratuito injuste et vehementer afflixerant : digni ergo erant et Hebræi, quibus talia juberentur, et Ægyptii, qui talia paterentur. »

Dices : Saltem mentiti sunt Hebræi petentes commodato ea, quæ rapere et nunquam reddere intendebant.

Respondeo, non esse mentitos, quia commodatum, in quantum commodatum erat, reddere intendebant; sed quia illud commodatum simul erat donatum eis a Deo, hinc illud idem retinere intendebant, non titulo commodati, sed donati. Astute ergo titulo commodati usi sunt, illumque prætenderunt suæ justæ spoliationi; alioqui enim illud ipsum, quod sibi debitum, et a Deo donatum erat, assequi nequivissent : nunquam enim sua commodassent Ægyptii, si Hebræos illa retenturos scivissent.

Secundo, respondent alii : Qui inter Hebræos erant boni, cogitabant bona fide hæc reddere Ægyptiis; sed cum illi contra fidem datam abeuntes hostiliter sunt insecuti, censuerunt Hebræi

se officio reddendi ea solutos esse, et Ægyptios esse indignos, quibus ea redderentur.

Verum ex dictis verius videtur Hebræos primitus, antequam eos persequerentur Ægyptii, ea commodato accepisse cum animo nunquam reddendi, et spoliandi Ægyptum; hoc enim eis prædixerat et concesserat Deus, ut patet hic vers. 2.

Tertulliani nova traditio de hoc spolio.

Tertio, addit Tertullianus, lib. II *Contra Marcionem*, cap. XX, quasi antiqua traditione acceptum, quod Ægyptii miserint ad Mosen et Hebræos jam transgressos mare Rubrum legatos, qui hæc bona repeterent : respondisse Hebræos, se id facturos, dummodo ipsi sibi tam duræ et longæ servitutis in Ægypto, totque laborum mercedem persolverent : cumque ab Ægyptiis mercedis persolvendæ computatio fieret, subducta ratio in tantam summam evasit, ut satius esse duxerint Ægyptii, bona illa remittere Hebræis, quam debitam illis mercedem persolvere. Cujus traditionis fides sit penes Tertullianum; certe mihi suspecta est : Ægyptiis enim mari Rubro mersis, et Hebræis illud transgressis, omnis eorum societas omneque commercium divulsum fuisse videtur.

Tropologice Doctores Christiani spoliant gentilismum.

Tropologice, Patres et Doctores Catholici spoliarunt Ægyptum, cum sapientiam et eloquentiam ab Ethnicis haustam, transtulerunt ad fidem et Ecclesiam Christi illustrandam. Hinc Porphyrius, hostis Christianorum, dictitabat Origenem divitias omnes Græcorum ad locupletandam Judaicæ et Christianæ sectæ paupertatem contulisse, testis est Eusebius, lib. VI *Histor.* cap. XIII. Et sane videmus jam omnem eloquentiam, scientiam, sapientiam apud Ethnicos, Turcas, Saracenos defecisse, et ad Christianos transisse, qui soli jam in toto orbe florent in omni arte, scientia, eloquentia, disciplina.

Vers. 37.

37. PROFECTIQUE SUNT FILII ISRAEL DE RAMESSE IN SOCOTH SEXCENTA FERE MILLIA PEDITUM. — « Profecti sunt » Deo duce, iterque monstrante per columnam nubis de die, et columnam ignis de nocte, ut patet cap. seq., vers. 21.

Nota : Hebræi, ex Ægypto tendentes in Chanaan, egerunt 42 stationes sive mansiones in deserto, de quibus tractatum scripsit S. Hieronymus *ad Fabiolam*. Prima mansio vel statio fuit in Ramesses : illuc enim ex tota Ægypto convenerunt Hebræi exituri : unde apte Ramesses hebraice significat *tonitruum gaudii*, ait S. Hieronymus. Miro enim, novo et insolito ibi gaudio perfusi sunt Hebræi, quod jam ex dura servitute Ægypti in libertatem se evasisse viderent. Valerius Maximus, lib. IV, cap. VIII : « Philippo, inquit, Macedonum rege superato, cum ad insigne spectaculum tota Græcia convenisset, Q. Flaminius per præconem jussit edici : Senatus populusque Romanus omnes Græciæ urbes, quæ sub ditione Philippi regis fuerunt, liberas et immunes esse jubet : quibus auditis maximo et inopinato gaudio homines perculsi, primo veluti non audisse se quæ audierant credentes, obticuerunt. Iterata deinde pronuntiatione præconis, tanta cœlum clamoris alacritate compleverunt, ut certo constet aves, quæ supervolabant, attonitas paventesque concidisse. » Quanta ergo fuit Hebræorum exultatio, ex ergastulo et fornace ferrea in campum hunc plenæ libertatis exeuntium? « Libertatis, ait Justinianus, incomparabile est pretium ; » nam jure civili servi pro nullo habentur, nec caput habent. Etenim quid miserius, quam addici alicui, qui vitæ et necis in te habeat potestatem? Unde Cicero : « Mors, ait, est servitute potior; » et Homerus, *Odyss.* VII et X, docet dimidium ei perire virtutis, quem servilis obvallarit necessitas : hinc servi fuerunt furciferi.

IN SOCOTH. — Secunda ergo mansio fuit in Socoth, quæ sita erat inter mare Rubrum et Ægyptum tunc cultam; nam omnia ab Ægypto usque ad mare Rubrum, olim pertinuisse videntur ad Ægyptum, licet inculta essent et deserta. Dicta est *Socoth*, id est tabernacula, quod prima ibi Hebræi exeuntes Ægypto fixerint tabernacula, ait S. Hieronymus *ad Fabiolam* (1).

SEXCENTA FERE MILLIA PEDITUM. — « Fere, » id est, plus minus. Hebr., quasi sexcenta millia; unde Josephus ait eos explesse numerum 600 millium.

Nota : Hæc sexcenta millia erant peditum armatorum, sive militum, qui scilicet attigerant vel excesserant annum 20; ab anno enim vigesimo et supra solent Hebræi suos conscribere ad militiam. Abulensis putat hic non numerari Levitas, qui a trigesimo anno, quo incipiebant servire tabernaculo, numerantur octo millia, quingenti et octoginta, *Num.* IV, 48. Sed videtur falli; nam tribus Levi necdum erat secreta ab aliis, et addicta sacerdotio : videtur ergo ipsa hic cum aliis numerari; postea vero cum sacerdotium accepit, tunc non fuit numerata inter alias tribus, ut patet *Num.* II, 33. Non numerantur hic ergo parvuli et adolescentes, qui necdum attigerant annum vigesimum, nec mulieres, nec decrepiti, qui omnes simul solent alteram et insuper dimidiam populi partem efficere; solent enim bellatores ad totum populum se habere, sicuti se habent quadraginta ad centum : quo computu totus populus Hebræorum hic habuisset decies et quinquies centena millia hominum. Quin et Hebræi tradunt fuisse decies et octies centena millia, quibus accessit Ægyptiorum vulgus innumerabile, qui Judæis adhærentes, vel ad judaismum

(1) Multis non satis apta esse videretur locutio, *et profecti sunt a Ramesse in Socoth*, nisi Socoth esset nomen loci jam determinati et cogniti illo suo nomine, ut Ramesses suo, quum sibi respondeant in utroque itineris termino; ideo *Socoth* conjiciunt nomen urbis esse, quæ initio e nonnullis pastorum casis sive mapaliis constabat, et inde סכות, *scenæ*, appellabatur. Josephus, *Antiq.* II, XV, 1, hanc urbem eamdem esse putat, quæ alias *Latopolis* dicitur. Babylon postea ibi condita est.

conversi comitari voluerunt; ita ut multi putent universim egredientium fuisse tricies centena millia, sive tres milliones hominum (1), quos omnes Deus aluit manna cœlesti in deserto per 40 annos. Hi omnes una die non confuse, sed ordine per turmas suas dispositi, quasi instructo agmine exierunt, quod vers. 41, instar miraculi notat et celebrat Moses.

Egressi ex Ægypto fuerunt quasi tres milliones hominum.

Ægyptii suos Ægyptios Hebræis permixtos exire permiserunt, quia morte suorum consternati, vel non advertebant, vel non curabant eorum egressum.

ABSQUE PARVULIS. — Septuaginta πλὴν τῆς ἀποσκευῆς, id est, *præter supellectilem*, non tantum motam, sed etiam se moventem, puta parvulos et mulieres, inquit S. Augustinus, *Quæst.* XLVII.

Vers. 39. 39. QUAM DUDUM DE ÆGYPTO CONSPERSAM TULERANT. — « Dudum, » nam plusquam die integro conspersa fuerat, nec fermentata.

NEC PULMENTI. — Pulmentum est obsonium, puta caro, pisces, olera, et quidquid cum pane comeditur; veteres enim pulte pro pane utebantur.

Vers. 40. 40. HABITATIO AUTEM FILIORUM ISRAEL QUA MANSERUNT IN ÆGYPTO, FUIT QUADRINGENTORUM TRIGINTA ANNORUM. — Certum est, et consentiunt omnes Doctores Hebræi et Latini, exceptis Eugubino et Genebrardo, Hebræos non habitasse in Ægypto totos 430 annos. Id patet vel ex eo : nam cum primitus Jacob, pater Hebræorum, cum suis descendit in Ægyptum, descendit pariter cum eo et Caath, filius Levi. Caath autem vixit tantum annos 133, cujus filius Amram vixit tantum annos 137. Amram genuit Mosen, qui Moses anno 81 ætatis suæ cum Hebræis egressus est ex Ægypto, quæ omnia patent *Exodi* cap. VI, et *Exodi* cap. VIII, vers. 7. Nunc adde hos singulorum annos, etiam integros, puta 133, 137, 81, non conficies 430, sed tantum 351. Quod enim respondet Genebrardus, aliquos annos Caath, vel Amram desiderari, aut aliquos nepotes inter eos medios subticeri, gratis omnino dicitur, aut potius fingitur (2).

Quæres ergo, unde hi 430 anni inchoandi, et quomodo computandi sint?

Dico breviter cum S. Augustino, Quæst. XLVII *in Exod.*, cum Athanasio, vel potius Anastasio in *Synopsi S. Scripturæ*, in *Exodo*, cum Eusebio in *Chronico*, cum Salviano, lib. I *Antikimenon*, cum Ruperto, Abulensi, Cajetano in *Exodi* XII, eosdem esse annos, quos Moses numerat, cum iis quos Paulus computat, *Galat.* III, 17, ac utrosque inchoandos non esse a descensu Jacobi in Ægyptum, sed ab anno 75 Abrahami, quo anno Abraham evocatus a Deo, cœpit a domo ac patria sua, Haran scilicet, peregrinari versus terram Chanaan : hoc enim anno benedictiones et promissiones illas de quibus *ad Galat.* cap. III, agit Apostolus, accepit, uti habetur *Gen.* cap. XII, vers. 4.

Hebræi habitarunt in Ægypto non 430, sed 215 annis.

Patet hoc *primo* : nam clarum est Hebræos a descensu Jacobi, non habitasse 430 annos in Ægypto, uti jam ostendi ex annis Caath, Amram et Mosis : quos annos si simul omnes jungas, non summam 430, sed 351 tantum conficient; ab hisce vero annis demendi sunt anni Caath, quibus vixit, postquam genuit Amram; et anni Amram, quibus vixit, postquam genuit Mosen : illi enim anni Caath in annis Amram, et reliqui illi anni Amram in annis Mosis, quibus patri suo Amram convixit, continentur. Hinc sequitur hos annos 430 non a descensu Jacob, sed longe anterius, a peregrinatione scilicet Abrahæ ex Haran versus Chanaan arcessendos et inchoandos esse, idque diserte exprimunt Septuaginta hoc loco, cum vertunt : « At habitatio filiorum

Probat. Primo.

(1) « Duplex solvendus hic est nodus : alter, qui potuerint tot homines ex septuaginta viris quadringentorum triginta annorum spatio nasci; alter, quomodo tanta multitudo, cum indigenis Ægyptiis, in inferiore Ægypto potuerit sedes habere et vivere? Ut *prima* difficultas tollatur, Michaelis in Notis ad h. l. affert hæc. Primo Israelitæ multo maturius conjugia inibant, quam nunc in nostris regionibus fieri solet. Orientalium enim regionum incolæ, quum citius puberes fiant, quam occidentalium et septentrionalium, adhuc hodie sæpe decimo tertio aut quinto ætatis anno conjugia ineunt. Cf. Niebuhr, *Descript. Arab.* p. 72. Deinde Israelitæ tunc diutius vixisse videntur, ita ut ætas eorum usque ad centum annos sæpe assurgeret. Quum porro illis temporibus nondum polygamia vetita esset, multi Israelitæ πολυγαμοὶ esse poterant. Quanquam enim polygamia in universum impedimento est, quominus, quantum posset, genus humanum augeatur, tamen ea ad unius populi multiplicationem aliquid conferre potuit. Tum multi veterum et recentiorum testantur, fertilitatem mulierum in Ægypto multo majorem esse quam in aliis regionibus. Cf. Aristot., *Hist. Animal.* lib. VII, cap. IV; Plinium, lib. VII, cap. III; Senecam, *Quæst. Natur.* lib. III, cap. XXV. Fortasse et circumcisio haud parum ad Israelitarum multiplicationem contulit. Ad hæc omnia accedebat singularis Dei providentia, per quam neque pestis, neque bellum, neque fames Israelitas minuebat. Nec plane desunt similis multiplicationis exempla nostris temporibus, tum in totis populis, tum in singulis familiis, ex quibus apparet, tale hominum augmentum, quale Israelitarum describitur, incredibile non esse. Quod vero adtinet *alteram* quæstionem, notandum est primo, antiquis illis temporibus fertilissimam fuisse Ægyptum, ut multitudinem hominum satis magnam alere posset; unde etiam hæc terra omnium populosissima fuit in toto fere orbe antiquo. Quinimo adhuc hodie pro solitudine cæterarum Turcici imperii provinciarum Ægyptus viris est potentissima, et Constantinopoli ipsi frumentum et legumina omnis generis suppeditat. Deinde Israelitæ non intra fines terræ Gessen mansisse, sed etiam extra eam cum pecudibus et tentoriis Nomadum more sese explicasse videntur. Quanquam enim Ægyptus fertilissima fuit, tamen bucolia illa ad Nilum, imo tota inferior Ægyptus tantam multitudinem nullo modo capere potuit. Ex I *Chron.* VIII, 21, quidem aliqua cum veri specie colligi potest, Israelitarum pecora etiam in deserto Pelusiaco, hodie *Giofar*, Gessenitidem inter et Palæstinam, pavisse. » Hæc Rosenmullerus ad h. l.

(2) Cf. Rosenmullerum ad h. l.; Drach, *De l'Harm. entre l'Egl. et la Synag.*, II, 374; Sepp, *La Vie de N.-S. J.-C.*, tom. II, sub finem.

Israel quam habitarunt ipsi et patres eorum in terra Ægypti et Chanaan, fuit 430 annorum. »

Secundo. *Secundo*, quia Apostolus *Galat.* III, post 430 annos non a Jacobi, sed ab Abrahæ vocatione, peregrinatione, promissione numerandos, factam ait legem; atqui lex eodem anno est data, quo egressi sunt Hebræi ex Ægypto, mense videlicet tertio post egressum, ut dicitur *Exodi* XIX, 1.

Tertio. *Tertio*, quia sic commodissime numerum hunc inibimus, si ab egressu Abrahæ ex Haran incipiamus : nam erat ipse tum 75 annorum, *Genes.* cap. XII, vers. 4. Hinc ad nativitatem Isaac 25 anni interfluxerunt, *Genes.* XXI, 4. Centenario enim Abrahæ natus est Isaac; ab Isaac ad nativitatem Jacob sunt anni 60, *Genes.* cap. XXV, vers. 26. Jacob vero 130 ætatis anno in Ægyptum descendit, *Genes.* XLVII, 9. Jam collige 25, 60, 130, habebis 215 annos, mediam scilicet partem annorum quos quærimus, ita ut totidem, id est 215 ab ingressu Jacob, ad egressum Hebræorum ex Ægypto supersint (uti diserte numerat S. Athanasius in *Catena Franc. Zephyri*, initio *Exodi*), quos facile est adaptare; si enim ponas Caath esse natum eodem anno quo ipse cum Jacob descendit in Ægyptum, et genuisse Amram 65 ætatis suæ anno, uti tradit Epiphanius in *Ancorato*, accipies ex annis Caath 65. Rursum des Amram genuisse Mosen anno ætatis suæ 79, ut vult Epiphanius, adde alios 80 vitæ Mosis (80 enim annorum erat Moses, cum eduxit Hebræos ex Ægypto), explebis annos 215; quibus junge priores 215, colliges 430 : quot numerat tam Moses, quam Apostolus. Ita passim Interpretes. Unde sequitur, minus recte Hebræos, Lyranum et Cajetanum ab ingressu Jacobi in Ægyptum usque ad exitum Hebræorum numerare annos 210, cum numerandi sint anni 215, uti patet ex dictis.

Dices : quo sensu ergo hic Moses asserit Hebræos in Ægypto habitasse 430 annis? Respondeo, quia potiorem partem in Ægypto fixe habitantes transegerunt, ubi et dirissima sunt passi; deinde quia prima peregrinatio Abrahæ fuit in Ægyptum, *Genes.* XII, 10, et ultima pariter Hebræorum fuit in Ægypto; a principio autem et fine denominatio sumitur, quia cætera hæc interjiciuntur; hos enim annos 430 numerat Scriptura, ut indicet totidem interfluxisse a data promissione Dei, de terra Chanaan possidenda, usque ad eam expletam et præstitam; nam post 400 annos peregrinationis et servitutis, simili modo numerandos a nativitate Isaac, Deus promisit Abrahæ terram Chanaan, *Genes.* cap. XII, vers. 13 et 14; hic autem idipsum præstat et explet : nam 430 anno (numerando a vocatione Abrahæ) quo Hebræi acceperunt legem in Sina, fuerunt redacti in populum et Ecclesiam Dei, cœperuntque tendere in Chanaan Abrahæ promissam; in eamque statim inducti fuissent a Deo, nisi ipsi Deo obmurmurassent : ob murmur enim 40 annis vagati sunt per desertum Arabiæ, quod

430 anni sunt a vocatione Abrahæ ad egressum Hebræorum ex Ægypto.

interjacet inter Ægyptum et Chanaan. Adde, non dici hic habitasse eos 430 annos in Ægypto, sed habitationem fuisse 430 annorum : quod commode accipias hoc sensu, ut dicere velit Moses, habitationem eorum pervenisse ad 430 annum peregrinationis Abrahæ, videlicet de Haran, quem sensum melius Hebræa patiuntur, ut recte advertit Cajetanus. Sic Judith, cap. ult., vers. 28, dicitur mansisse in domo viri sui annos 105, id est, usque ad ætatis suæ annum 105. Non enim verisimile est Judith annos 105 peregisse post matrimonium in domo viri sui. Similia ostendi in chronologia Judicum et Regum.

Chronologia exitus Hebræorum ex Ægypto.

Nota : Contigit exitus Hebræorum ex Ægypto anno mundi 2454, a diluvio anno 797, a nativitate Abrahæ anno 505, a descensu Jacobi in Ægyptum 215, a morte Joseph 144, ante ædificationem templi Salomonis anno 480, ante Christum anno 1496, ante bellum Trojanum anno 356. Plura vide in tabula chronologica, quam initio Geneseos proposui.

Falluntur ergo Justinus Martyr, Clemens et Africanus, qui hunc exitum consignant tempore Inachi regis et diluvii Ogygis; hoc enim contigit tempore Jacobi patriarchæ. Rursum sub hoc tempus, puta 15 annis ante exitum Hebræorum ex Ægypto, puta anno 65 Mosis, condita est Troja; primus ejus rex fuit Dardanus, qui regnavit 64 annis. Ita Eusebius. Denique audi S. Augustinum, XVIII *De Civit.* XI : « Eduxit, ait, Moses ex Ægypto populum Dei novissimo tempore Cecropis Atheniensium regis, cum apud Assyrios regnaret Ascatades, apud Sicyonios Marathus, apud Argivos Triopas. » Cecrops enim primus Athenis regnare cœpit anno vitæ Mosis 35, et regnavit 50 annos, uti docet Eusebius in *Chronico*, et ex eo Torniellus.

Troja condita est anno 65 Mosis.

41. EADEM DIE, — qua ante 430 annos Abraham cœpit peregrinari in Ægyptum. Ita aliqui. *Secundo* et genuine, « eadem die, » paschæ scilicet, de qua vers 17 (1); nisi malis hoc ad totum Hebræorum exercitum referre, *q. d.* Omnes simul, licet essent tanto numero, eadem die ordinata acie ex Ægypto egressi sunt. Ita Abulensis. Hoc enim miraculi instar fuit.

Vers. 41.

Hebræi die Veneris egressi sunt ex Ægypto.

Nota : Dies hæc paschæ, sive prima azymorum, qua Hebræi egressi sunt ex Ægypto, fuit dies Veneris, Deo ita disponente, ut congrue significaret diem Veneris, quo Christus, phase nostrum; immolatus est, nosque peccato et inferno eduxit et liberavit. Id ita esse patet ex eo quod trigesimo primo die ab egressu Hebræorum ex Ægypto cœperit eis pluere manna : ille autem dies fuit Dominicus, ut patebit cap. XVI, vers. 1 et 5. Jam si trigesimus primus dies fuit Dominicus; ergo primus (scilicet paschæ, quo egressi sunt) fuit dies Veneris, ut patet retro ascendenti et computanti. Ita Torniellus. Unde sequitur Hebræos primum hoc suum phase typicum immolasse pridie, puta

(1) Ita Rosenmullerus. Cf. XIII, 4.

die Jovis, perinde ac Christus suum phase et Eucharistiam die Jovis paulo ante mortem celebravit.

NOX ISTA EST OBSERVABILIS DOMINI, QUANDO EDUXIT EOS DE TERRA ÆGYPTI. — Hebræis ליל שמורים *lel scimmurim*, id est *nox custodiarum*, hoc est custodienda, quam omnes custodire, id est observare et celebrare debent. « Quando eduxit eos, » id est, quando fecit ut educerentur, cum videlicet Pharaonem per cladem primogenitorum coegit Hebræos dimittere; noctu enim ad omnes Hebræos missi sunt nuntii ut egrederentur; tumque ipsi supellectilem jam paratam et collectam convasantes, compararunt se ad exitum, ita ut sub auroram ad Ramesses civitatem omnes, uti edictum erat, convenirent : jam enim ante, ut ait Josephus, prænonuerat eos Moses, ut essent parati ad exitum; unde ipsi ex tota Ægypto sub diem 14 congregarunt se circa urbem Ramesses, ibique per turmas et sodalitia a præfectis et patribus-familias distributi sunt, indeque signo dato statim ordinata acie mane profecti sunt, exeuntes ex Ægypto; nam mane, non autem noctu, eos exisse clare dicitur *Numer.* cap. XXXIII, vers. 3 : « Profecti sunt, inquit, de Ramesse mense primo, decima quinta die mensis primi, altera die phase (paschatis), videntibus cunctis Ægyptiis et sepelientibus primogenitos, » quod utique mane, non noctu factum est : noctu ergo exierunt inchoate, id est, exire cœperunt, ad exitum se compararunt; mane vero reipsa complete egressi sunt.

Mystice, hac nocte significabatur, quod Christus populum Dei transferret ex regno noctis et tenebrarum, id est peccati et mortis, in regnum lucis vitæ æternæ.

In Ramesses ergo omnes Hebræi 15 die pervenerunt, ibique aliquot horas substiterunt. Unde ibi a S. Hieronymo prima ponitur mansio, vel statio. Deinde eadem die 15 inde egressi sunt in Socoth, *Num.* cap. XXXIII, vers. 5.

Habuerunt ergo abunde temporis, ut eadem die qua agnum immolarunt, et sua convasarent, et in Ramesses convenirent, et inde egrederentur, ut frustra ideo nonnulli permoti sint ad ponendam agni immolationem decima tertia luna ad vesperam, sive inchoante vespera decimæ quartæ lunæ.

Objectio. Dices, *Deuter.* cap. VI, vers. 6, dicitur : « Immolabis vespere phase ad solis occasum, quando egressus es de Ægypto : » ergo non noctu, nec mane, sed sole occidente sunt egressi.

Respondeo. Respondeo : τὸ *quando* confuse sumitur, scilicet pro eodem tempore ample accepto, ideoque significat noctem ejusdem vesperæ decimæ quartæ diei; noctu enim egressos esse Hebræos dixerat vers. 1. Unde vers. 6, tantum rationem reddit, cur vespere immolaretur agnus : hoc enim factum est, ut per agnum hunc egressus Hebræorum noctu procuraretur hoc primo egressus anno, sequentibus vero significaretur : neque enim subito eadem noctis hora hæc omnia fieri poterant, scilicet agnus occidi, excoriari, lavari, assari et comedi, etc.; itaque vespera hic et nox tanquam idem sint tempus, confuse sub vocula *quando* intelliguntur, ut recte dici possint Hebræi eodem tempore mactasse agnum, eumque comedisse, eoque servatos a nece primogenitorum jussos esse Ægypto egredi, statimque egredi cœpisse : ad hunc enim egressum immolatio agni, et reliqua omnia quasi præambula dirigebantur; itaque censebatur exitus hic Hebræorum inchoari in immolatione agni, puta in vespera decimæ quartæ diei.

43. DIXITQUE DOMINUS, — aliquanto post egressum tempore. Vers. 43.

HÆC EST RELIGIO, — hic est ritus phase : ita Chaldæus; vel, ut Septuaginta, hæc est lex phase.

OMNIS ALIENIGENA, — qui est alterius gentis, qui non est Hebræus. Chaldæus hic judaizat : vertit enim, *omnis filius destructus*, id est omnis Christianus. Destructos enim Judæi vocant eos, qui a Judaismo ad Christum convertuntur.

NON COMEDET EX EO, — nisi per circumcisionem in vestram coloniam et gentem transeat, fiatque proselytus; hic enim comedere poterat phase, ut patet vers. 48.

Nota : Sicut Eucharistia non datur nisi baptizato, ita phase nemo comedebat, nisi circumcisus; erat enim phase primarium Sacramentum Judæorum, sicut Eucharistia est Christianorum : unde, sicut hæc non datur nisi Christianis per baptismum christianismo initiatis, ita illud non dabatur, nisi Judæis judaismo per circumcisionem initiatis; per phase enim recolebant magnum illud beneficium redemptionis Ægyptiacæ suæ genti collatum. Hinc, qui sequenti anno ab egressu celebrarunt phase, *Numer.* cap. IX, hi omnes ante jam circumcisi erant in Ægypto : inde vero per 39 annos peregrinantes in deserto non celebrarunt phase, quia omnes deinceps nati manserunt incircumcisi, donec pervenirent in Chanaan, ibique in Galgalis circumcisi sunt, et comederunt phase, ut patet *Josue* cap. V. Excipe feminas; hæ enim non circumcidebantur, et tamen cum viris comedebant phase. Quare Paulus Burgensis putat, quod antequam primus hic paschalis agnus comederetur, generalis facta sit circumcisio Hebræorum, qui ob negligentiam, vel aliam causam non fuerant circumcisi; et hanc vocari primam circumcisionem; secundam vero illam quæ facta est *Josue* cap. V, vers. 4, ut ibi dicitur, de qua re ibidem agendum erit.

44. OMNIS SERVUS EMPTITIUS CIRCUMCIDETUR, — id est, circumcidi debet, jubeo ut circumcidatur, itaque comedat ex agno. Id ita esse patet; nam Scriptura hic servum distinguit ex advena et mercenario, ut recte notavit Abulensis, licet id neget Pererius, statuitque ut servus edat ex agno, non autem mercenarius : ergo jubet servum circumcidi, non autem advenam, vel mercenarium; Vers. 44.

nam si servi arbitrio relinqueretur circumcidi (ut vult Pererius), et consequenter agni esse participem, nulla differentia foret hic inter servum et advenam ac mercenarium; nam et hi, si volebant, fieri poterant proselyti petendo circumcidi, itaque poterant agno vesci, ut patet vers. 49.

Servi Judæorum debebant circumcidi et comedere phase.

Deinde quia *Genes.* cap. XVII, vers. 12, id diserte exprimitur, maxime in Hebræo textu, qui sic habet : « Omnis vernaculus et emptitius, qui non est de semine vestro, circumcidendo circumcidetur; » neque id mirum : Deus enim omnium dominus, qui Hebræis hosce ritus præcepit, potuit et eorum servis, sive mancipiis, eosdem præcipere, præsertim cum servus sit, ut ait Aristoteles, lib. V *Ethicor.*, possessio domini, et, ut Hebræa hic habent, pretium aut possessio pecuniæ domini, quasi qui pecunia emptus possideatur a domino, uti pecunia. Vide dicta *Gen.* cap. XVII, vers. 12. Circumcisio ergo servis sive mancipiis Hebræorum non fuit libera et arbitraria, ut volunt aliqui, sed præcepta, et necessario subeunda, idque non tantum quatenus ipsa erat abscissio præputii, et signum distinctivum populi Dei, puta Judæorum ab illis gentibus, ut vult Cajetanus, sed etiam quatenus erat Sacramentum, et professio judaismi; nec enim hæc duo reipsa dividi aut secerni possunt, quæ nimis subtiliter Cajetanus dividere et secernere conatur.

Vers. 45. 45. ADVENA (Gentilis, mercator, verbi gratia, Chananæus, qui inter vos commoratur) ET MERCENARIUS (famulus, vel operarius, qui suam vobis operam locat) NON EDENT EX EO, — nisi circumcidi velint; his enim circumcisio est libera et arbitraria.

Vers. 46. 46. IN UNA DOMO COMEDETUR, NEC EFFERETIS DE CARNIBUS EJUS FORAS. — Hinc patet agnum non in templo, sed in domo immolatum fuisse, tum hac prima vice, tum deinceps. Debebat ergo agnus in ea domo totus comedi, in qua erat immolatus et assatus; nec ejus pars mitti poterat ad eos qui erant in aliis domibus, idque in signum, quod nocte illa transeunte angelo percutiente, nullus domo egressus sit, uti docet Scriptura.

Allegorice vero, ut significaretur agnum verum, puta Christum in Eucharistia, comedendum esse in una Ecclesia, nec fas esse eis, qui sunt extra Ecclesiam, vel ab ea per schisma, aut excommunicationem sunt separati, hac sacra synaxi vesci et frui. Ita S. Cyprianus, libro *De Unitate Ecclesiæ*, post initium; Procopius, Rabanus, Rupertus.

NEC OS ILLIUS CONFRINGETIS. — Ad litteram accipe *os*, vel ossa agni, non Christi Domini, uti quidam voluerunt : de agno enim ad litteram est omnis hic sermo.

Dices : *Joan.* cap. XVII, vers. 36, de Christo crucifixo dicitur : « Facta sunt enim hæc, ut Scriptura impleretur, Os non comminuetis ex eo; » ergo hæc verba ad litteram significant ossa et crura Christi non fore frangenda in cruce.

Respondeo, hanc Exodi Scripturam impletam dici in Christo, sensu et significatione non litterali, sed typica et allegorica, quo modo Christus dicitur omnes veteris legis typos implesse.

Ossa agni non licuit frangere. Cur?

Ubi nota : Jussit Deus in agno nullum os confringi ad litteram, ut per hoc festinatio, et festinatus angeli transitus significaretur, qui festinare cogeret Ægyptios, ut Hebræos festinato exire compellerent, quasi idcirco Hebræi in esu agni ita essent festinabundi, ut tempus non haberent ossa agni contundendi ad medullam ejus excipiendam. Mystica vero causa fuit, ut significaretur sacrosanctum Christi Domini corpus infractum et integrum in passione mansurum, nec milites ipsius, uti aliorum crucifixorum, crura de more fracturos : quod quia præcipue intendebat significare hac figura Spiritus Sanctus, hinc *Joan.* cap. XIX, vers. 36, in Christi passione hæc Scriptura impleta dicitur : typus enim et figura proprie ipsa rei veritate impletur, cum scilicet illud fit, quod figura futurum præsignabat.

Tropologiam vide apud S. Bernardum, serm *De cute, carne et ossibus animæ.*

Vers. 47. 47. FACIET ILLUD, — id est, sacrificabit illud per suum patremfamilias, rituque hic præscripto illud comedet et celebrabit.

Viginti quatuor analogiæ agni et Christi.

Allegorice, ut summatim omnia simul complectar, immolatio agni apertus fuit typus Christi in cruce immolandi, per quem a captivitate Pharaonis, id est diaboli, liberati sumus, et per ejus sanguinem ac crucem (quam significabant postes et superliminaria sanguine agni tincta) vindictam divinam effugimus, et liberamur ab angelo percutiente; hoc enim est, quod ait Apostolus I *Cor.* cap. V : « Pascha nostrum immolatus est Christus. » Nam *primo*, vespere immolabatur agnus : quia diu exspectatus tandem in consummatione sæculorum immolatus est Christus : hinc et multi ægri a Christo sanati sunt vespere, quando immolabatur agnus; et quo Christus passus expiravit, ut patet *Matth.* cap. VIII, vers. 16, et *Marci* cap. 1, vers. 32. *Secundo*, tota multitudo filiorum Israel eum immolat : quia omnes Judæi a Pilato petierunt Christum crucifigi. *Tertio*, die 14, cum plenilunium est, immolatur agnus : quia Christus occisus totam illuminavit Ecclesiam. *Quarto*, Christus fuit quasi agnus ob puritatem, mansuetudinem, patientiam plus quam agninam; unde dicit Isaias, cap. LIII : « Quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum. » *Quinto*, masculus est ob fortitudinem; anniculus, quia in flore erat ætatis; immaculatus, ob innocentiam. *Sexto*, Christus fuit etiam quasi hædus, quia inter iniquos reputatus est : hædus enim peccatorem significat; deinde, quia ipse hostia pro peccato fuit; denique, quia peccata nostra suscepit. *Septimo*, hunc agnum immolamus et manducamus in Eucharistia. Unde S. Andreas Ægeæ proconsuli Achaiæ crucis supplicium minanti, nisi idolis sacrificaret, respondit : « Ego omnipotenti Deo, qui unus et verus

Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta. Septima.

est, omni die sacrifico, non thuris fumum, nec taurorum mugientium carnes; sed immaculatum agnum, cujus carnes posteaquam omnis populus credentium manducaverit, agnus qui sacrificatus
Octava. est, integer perseverat et vivus.» *Octavo,* sanguine agni tingitur postis uterque, cum memoria passionis Christi in corde per fidem, et in ore per professionem imponitur : « corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem; » tingitur et superliminare, cum cor nostrum ad spem cœlestium per meritum passionis Christi
Nona. elevatur. *Nono,* sanguis postibus illitus ab exterminatore liberat: quia omnes, qui Christi meritis
Decima. non salvantur, mors æterna condemnat. *Decimo,* carnes ejus nocte comeduntur: quia Christum in Eucharistia non videmus, sed in fidei obscuritate
Undecima. credentes quiescimus. *Undecimo,* non comeduntur crudæ aut lixæ, sed assæ: crudas carnes comedit, qui Christum solum hominem credit; lixas aqua, qui humana ratione et sapientia mysteria passionis et Eucharistiæ examinat, ut, qui in Eucharistia verum Deum et hominem latere non credit; assas comedit, qui igneam charitatem, qua Christus pro nobis tostus est, considerat et amplectitur. Christus enim, ut canit D. Thomas :

Se nascens dedit socium,
Convescens in edulium,
Se moriens in pretium,
Se regnans dat in præmium.

Duodecima. *Duodecimo,* si quid remanserit ex eo usque mane, igni comburitur : quia quod de Christi mysteriis intelligere non possumus, potestati Spiritus Sancti humiliter reservamus, inquit S. Gregorius, hom.
Decima tertia. 22 *in Evangel. Decimo tertio,* totus agnus comedi debet: quia totus Christus cum omnibus, quæ de eo docet Ecclesia, credi debet, nec ullus fidei ar-
Decima quarta. ticulus rejici potest. *Decimo quarto,* soli Hebræi et circumcisi, id est, Christiani et baptizati, ex eo comedunt, et qui peccati præputium contraxit, debet illud circumcidere, antequam eo ves-
Decima quinta. catur. *Decimo quinto,* agnus comedi debet cum azymis panibus et lactucis agrestibus: sic Eucharistia cum animi puritate, et dolore de peccatis sumenda est; rursum Christi passio cum magna mentis puritate et compunctione ruminanda est. Audi Ambrosium in oratione ante Missam dicenda: « Quanta cordis contritione, et lacrymarum fonte, quanta reverentia et tremore, quanta corporis castitate, atque animi puritate, illud divinum et cœleste mysterium celebrandum est, Domine Deus, ubi caro tua in veritate sumitur, ubi sanguis tuus in veritate bibitur, ubi summis ima, humanis divina junguntur, ubi adest sanctorum præsentia angelorum, ubi tu es sacerdos et sacrificium mirabiliter et ineffabiliter? Quis digne hoc mysterium celebrare possit, nisi tu Deus omni-
Decima potens offerentem feceris dignum? » *Decimo sexto,* caput cum pedibus et intestinis vorandum est: sexta. caput, Christi divinitatem; pedes, humanitatem; interiora, secretiora mysteria significant : quæ omnia debemus vorare, id est, credere. « Sacramentum Dei altissimi, inquit S. Bernardus in *Epist.*, suscipiendum est, non discutiendum; venerandum, non dijudicandum; fide sortitum, non innatum; traditione sancitum, non adinventum. » Et serm. 20 *in Cantic.* : « Christus, ait, tangi potest; sed affectu, non manu; voto, non oculo; fide, non sensibus. Tangis manu fidei, desiderii digito, devotionis amplexu, tangis oculo mentis.» *Decimo septimo,* agnus in multis domibus comeDecima septima. ditur : quia in multis Ecclesiis Christus immolatur et sumitur. *Decimo octavo,* non licet particulam Decima octava. agni extra domum efferre : quia Eucharistiam non licet dare infidelibus, schismaticis et aliis qui sunt extra Ecclesiam. *Decimo nono,* os non Decima nona. confringitur : quia crura Christo in cruce pendenti frangenda non erant, sicut latronibus, *Joan.* XIX, 36. Rursus os, id est, fortitudo virtutis et excellentiæ Christi passione non erat frangenda, sed tantum caro ejus infirma. *Vicesimo,* qui comedit Vicesima. agnum, renes accingat: qui comedit Christum in Eucharistia, libidinem et delectationes carnis restringat, inquit S. Gregorius. *Vicesimo primo,* idem Vicesima prima. teneat baculum, quasi viator tendens in cœlum : est enim Eucharistia viaticum peregrinantium et morientium; rursum baculo iter peragat, id est bonis operibus et laboribus insistat, et in virtutibus crescat. Ita de Ambrosio narrat Paulinus in ejus Vita, eum jam moriturum ab Honorato Vercellensi Episcopo, divinitus monito, Eucharistiam tanquam viaticum accepisse. Audi et S. Chrysostomum, lib. *De Sacerdotio* : « Quidam, inquit, mihi narravit, qui id viderat et audierat, quod qui de hac vita migraturi sunt, si mysteriorum hujusmodi cum pura conscientia fuerint participes, spiritum afflaturi, ab angelis, illorum corpora satellitum more stipantibus propter assumptum illud Sacramentum, hinc recta in cœlum abducantur. » Hac de causa Eucharistia a Patribus vocatur « Pharmacum immortalitatis, » quia ejus virtute non tantum anima beatur, sed et corpus a morte resurget ad gloriam. *Vicesimo secundo,* Vicesima secunda. calceatus sit, ut per lapides et spinas, id est difficultates omnes, inoffenso pede in cœlum penetret. *Vicesimo tertio,* cum festinatione comeditur Vicesima tertia. agnus: quia in Eucharistia non tam quæritur voluptas, quam nutrimentum et vires ad labores in via Dei perferendos, et ad festinandum in patriam cœlestem. *Vicesimo quarto,* primogeniti Ægyptio- Vicesima quarta. rum, quia de agno non comederunt, mortui sunt: sic qui Eucharistiam neglexerit, morte æterna peribit. Unde ait Christus, *Joan.* VI : « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. » Ita ex S. Gregorio, Beda et aliis Abulensis, *Quæst.* L, et Ribera, lib. V *De Templo,* cap. IV.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jubet Deus sibi offerri primogenita hominum et pecorum. Secundo, vers. 17, *Deus educit Hebræos non per Philisthæam, sed per viam deserti. Hebræi secum deferunt ossa Joseph. Tertio, vers.* 21, *describitur columna ignis et nubis, quæ fuit dux itineris.*

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 2. Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vulvam in filiis Israel, tam de hominibus quam de jumentis: mea sunt enim omnia. 3. Et ait Moyses ad populum: Mementote diei hujus in qua egressi estis de Ægypto et de domo servitutis, quoniam in manu forti eduxit vos Dominus de loco isto: ut non comedatis fermentatum panem. 4. Hodie egredimini mense novarum frugum. 5. Cumque introduxerit te Dominus in terram Chananæi et Hethæi et Amorrhæi et Hevæi et Jebusæi, quam juravit patribus tuis ut daret tibi, terram fluentem lacte et melle, celebrabis hunc morem sacrorum mense isto. 6. Septem diebus vesceris azymis, et in die septimo erit solemnitas Domini. 7. Azyma comedetis septem diebus: non apparebit apud te aliquid fermentatum, nec in cunctis finibus tuis. 8. Narrabisque filio tuo in die illo, dicens: Hoc est quod fecit mihi Dominus, quando egressus sum de Ægypto. 9. Et erit quasi signum in manu tua, et quasi monumentum ante oculos tuos, et ut lex Domini semper sit in ore tuo; in manu enim forti eduxit te Dominus de Ægypto. 10. Custodies hujuscemodi cultum statuto tempore a diebus in dies. 11. Cumque introduxerit te Dominus in terram Chananæi, sicut juravit tibi et patribus tuis, et dederit tibi eam: 12. separabis omne quod aperit vulvam Domino, et quod primitivum est in pecoribus tuis: quidquid habueris masculini sexus, consecrabis Domino. 13. Primogenitum asini mutabis ove: quod si non redemeris, interficies. Omne autem primogenitum hominis de filiis tuis, pretio redimes. 14. Cumque interrogaverit te filius tuus cras, dicens: Quid est hoc? respondebis ei: In manu forti eduxit nos Dominus de terra Ægypti, de domo servitutis. 15. Nam cum induratus esset Pharao, et nollet nos dimittere, occidit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, a primogenito hominis usque ad primogenitum jumentorum: idcirco immolo Domino omne quod aperit vulvam masculini sexus, et omnia primogenita filiorum meorum redimo. 16. Erit igitur quasi signum in manu tua, et quasi appensum quid, ob recordationem, inter oculos tuos: eo quod in manu forti eduxit nos Dominus de Ægypto. 17. Igitur cum emisisset Pharao populum, non eos duxit Deus per viam terræ Philisthiim quæ vicina est: reputans ne forte pœniteret eum, si vidisset adversum se bella consurgere, et reverteretur in Ægyptum. 18. Sed circumduxit per viam deserti, quæ est juxta mare Rubrum; et armati ascenderunt filii Israel de terra Ægypti. 19. Tulit quoque Moyses ossa Joseph secum, eo quod adjurasset filios Israel, dicens: Visitabit vos Deus, efferte ossa mea hinc vobiscum. 20. Profectique de Socoth, castrametati sunt in Etham in extremis finibus solitudinis. 21. Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, et per noctem in columna ignis; ut dux esset itineris utroque tempore. 22. Nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem, coram populo.

Vers. 2. 2. SANCTIFICA MIHI OMNE PRIMOGENITUM, — *q. d.* Separa a communi usu omne primogenitum, ut mihi dicetur et offeratur.

Nota: Non præcipit hic Deus, ut id fiat hoc tempore, quo omnes occupati erant in egressu, sed ut fiat postea, cum opportunum fuerit, vide-

licet, cum possederint terram Chanaan, ut patet vers. 11; subnectit tamen Deus hanc legem præcepto de agno, quia, sicut agni immolatio, ita et primogenitorum oblatio, Hebræis jugiter refricare debebant memoriam suæ liberationis ex Ægypto : hanc enim effecit et procuravit Deus per cædem primogenitorum totius Ægypti; quia ergo tunc cecidit Deus primogenita Ægypti, ut Hebræos quasi primogenitos suos inde liberaret, et quia tunc intacta servavit primogenita Hebræorum habitantium in Ægypto, hinc hac lege eadem sibi offerri, ac quasi sua, et a se conservata sibi reddi depoposcit. Unde hæc agni æque ac primogenitorum oblatio sunt primæ legis veteris, sive Mosaicæ cæremoniæ.

OMNE PRIMOGENITUM QUOD APERIT VULVAM, — quod *primo*, vulvam matris reserando, naturali more in lucem hanc egreditur, quodque principium est generationis maternæ. Unde Cyrillus Hierosolymitanus, homil. *De Occursu Domini*, negat hoc Christo convenire : Christus enim nascens non reseravit vulvam matris, sed clausum matris virginis uterum penetrando, prodiit in lucem; ideoque hac lege non tenebatur, licet sponte sua illi se subjecerit, eamque servarit. Ita Cyrillus et Hormisdas Papa, *epist.* I, cap. III, quanquam contrarium doceant Rupertus, Abulensis, Jansenius, qui putant aperiri vulvam non significare aliud, quam primo nasci, et sic Christum quoque aperuisse vulvam matris suæ. Verum plus significat apertio vulvæ, uti patet ex terminis. *Tertio*, plane ex adverso Origenes, S. Ambrosius, S. Chrysostomus, S. Hieronymus, Theophylactus, Euthymius in *Lucæ* II, putant hac lege solum Christum comprehendi, eo quod ipse solus natus sit ex virgine, ideoque solus in partu matris uterum aperuerit, id est, ex eo hactenus clauso prodierit; nam in aliis mulieribus uterus aperitur *primo*, non in partu, sed in congressu maritali ante conceptum. Verum hic sensus subtilior est, et litteram videtur evertere. Præcipitur hic enim Hebræis, ut singuli suos primogenitos Deo offerant : non ergo lex hæc Christum solum spectat, sed potius eum excludit.

Itaque dico, τὸ *quod aperit vulvam* hic additur primogenito : *primo*, ut ab hac lege excludatur Christus; *secundo*, ne quis patris solius primogenitos offerendos putaret : nam in pecoribus manifestum est primogenitum matris, non patris, debere spectari et offerri : idem est in hominibus. Unde notat S. Augustinus, *Quæstione* XXIII, primogenitum hic a Septuaginta vocari πρωτότοκον a primo matris partu, non autem πρωτογενῆ a prima patris generatione. Hic vice versa Scriptura cum de æterna et increata Filii a Patre generatione loquitur, cum vocat non μονότοκον, sed μονογενῆ, id est unigenitum Patris. Quare ex hac lege primogenitus non erat, si pater virgo viduam aliunde jam habentem proles duxisset, ex eaque primum sibi filium generasset; hic enim primus ejus filius non primo aperuisset matris vulvam, utpote ex qua alii jam ante prodiissent. E diverso, qui plures habebat uxores, singularum primogenitos ex hac lege Deo offerre debebat. Unde Hebræus, Chaldæus et Septuaginta habent, *aperiens omnem vulvam;* et Lucas, cap. II, vers. 23 : « Omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur. » Hinc et Christus quasi matris suæ primogenitus Deo oblatus est; esto hac lege non teneretur, ut dixi.

Primogenitum non patris, sed matris Deo offerendum erat.

Rursum, primogenitus hic aperiens vulvam matris Deo consecrandus, debebat esse masculus, ut patet vers. 12, qui primo ex ea nascebatur; nam si femina primo ex ea fuisset nata, deinde masculus, is masculus non censebatur hac lege primogenitus, quia is non primo aperiebat vulvam matris, utpote quæ per sororem feminam jam ante fuerat aperta.

Si Judæi, ergo magis Christiani primogenitos offerant Deo.

Discant hic parentes novi Testamenti, non obsistere filiis, etiam primogenitis, si Religionem ingredi, Deoque se consecrare velint; in veteri enim lege parentes omnes ex Dei lege primogenitos, etiamsi unigeniti essent futuri, Deo offerre tenebantur. Si id fecerunt Judæi, Deo jubente, quidni idem faciant Christiani Deo consulente et vocante? Libenter parentes primogenitos suos offerunt regibus et principibus, ut iis in aulis ipsorum serviant : quidni libentius offerant eos Regi regum, et Domino dominantium, ut sint cives Sanctorum, domestici, imo aulici Dei? Imitentur B. Annam, quæ suum Samuelem Deo tam libenter obtulit, ideoque quinque proles pro uno Samuele, a Deo remuneratore recepit.

Allegorice, Christus primogenitus omnis creaturæ Deo sanctificatus et consecratus est, et per eum omnis creatura.

Tropologice, primogenita damus Deo, cum ipsi primordia operum nostrorum offerimus, ut cedant in ejus laudem et honorem, utque ab eo prosperentur et benedicantur; quod sane non tantum mane, sed et per diem sæpe in initio operis cujusque viri sapientes et pii faciunt : ita Rabanus. Rursum, primogenitum nostrum est cor, quia illud ante alia membra primo in embryone formatur. Accipitribus dari solet cor avium, quas prædantur. Christus e cruce prædatus est cor nostrum : ipsi ergo illud offeramus : ipse illud nobis reddet purum, sanctum, quietum, lætum et beatum. Socrati (ait Seneca, lib. I *De Beneficiis*, cap. VII) cum multa multi pro suis quisque facultatibus offerrent, Æschines pauper auditor : « Nihil, ait, dignum te, quod dare tibi possim invenio, et hoc modo pauperem me esse sentio. Itaque dono tibi, quod unum habeo, me ipsum : hoc munus rogo, qualecumque est, boni consulas, cogitesque alios cum multum tibi darent, plus sibi reliquisse. » Cui Socrates : « Quidni tu, ait, magnum munus dederis? nisi forte parvo te æstimes : curabo ergo ut te meliorem tibi reddam, quam accepi. » Hæc Seneca. Tu vero Æschi-

Tropologice, primordia operum Deo offerenda sunt.

Item cor nostrum.

nem imitare : non Socrati, sed Deo totum dona teipsum. Si donaveris, multo te tibi meliorem reddet.

IN FILIIS, — inter filios. *Secundo*, littera *bet*, id est *in*, ponitur pro בין *ben*, id est *inter*.

Primogenita Dei sunt triplici titulo : primo, creationis ; secundo, liberationis ; tertio, præcepti.

MEA SUNT ENIM OMNIA, — non tantum titulo creationis et dominii, quod in omnia a me creata habeo et possideo; sed etiam, et vel maxime, titulo liberationis et redemptionis, qua ab exterminatore primogenita vestra tutatus, ea quasi a morte redemi, eaque vobiscum ex Ægyptiaca servitute eduxi : hinc *tertio*, mea sunt, titulo justi hujus præcepti, quo ea a vobis æquissime exigo, imo repeto.

Vers. 3. 3. EGRESSI ESTIS, — egredimini : est enallage temporis, eaque huic loco congrua; non enim possumus meminisse, nisi præteritorum.

IN MANU FORTI, — magno robore et potentia suis plagis affligens Pharaonem, itaque potenter eum cogens vos missos facere; per hanc ergo potentem suam vindictam eduxit vos Deus.

Vers. 4. 4. HODIE EGREDIMINI MENSE NOVARUM FRUGUM. — Ita Hebræa, Chaldæa et Septuaginta; unde mirum est Pagninum vertere, *hodie egredimini mense julio*. Nam pascha, quo Judæi egressi sunt, non in julio, sed semper in Nisan, id est martio, celebratum est. Fefellit Pagninum, quod ipse אביב *abib*, pro אב *ab* acceperit : hæc enim licet voce sint affinia, re tamen et significatione plurimum differunt. *Ab* enim certum mensem, scilicet julium, significat; *abib* vero non proprium mensis, sed appellativum est nomen, significans *virens*, sive culmus id sit, sive spica. Ita enim noster Interpres alibi vertit, ut patet *Exodi* IX, 31. Extenditur *abib* etiam ad segetes in grana maturescentes, necdum tamen plane maturas, ut patet *Levit.* II, 14. Illarum enim manipulus altera die azymorum offerebatur, tostis primum granis, deinde in farinam contusis, vocaturque *abib* : unde ulterius translatum est *abib*, ut significet mensem quo primæ hæ fruges hordeaceæ progignebantur, et Deo offerebantur : qui erat mensis pascha, sive Nisan; qua de causa Septuaginta passim vocant « mensem novorum, » et Noster « mensem novarum frugum, » vel, « primum verni temporis, » quia continebat æquinoctium vernum, *Deuter.* cap. XVI, vers. 1.

Hebraice *abib* quid ?

Vers. 5. 5. CUMQUE INTRODUXERIT TE DOMINUS IN TERRAM CHANANÆI. — Hinc patet hanc legem comedendi phase et azyma, uti et præcedentem de offerendis primogenitis, non obligasse Hebræos totis 40 annis, quibus vagabantur in deserto instabiles, et rebus omnibus incompositis : idem de sacrificiis in Levitico præscriptis dicendum est. Idem patet *Deuter.* cap. XII, vers. 1 et 9, ubi quoque causam hujusce rei dat Deus dicens : « Neque enim usque in præsens tempus venistis ad requiem et possessionem quam Dominus Deus daturus est vobis. »

Dices : *Num* III, 10, 11, 12, in Sinai sub finem anni hujus, quo egressi erant ex Ægypto, Deus exigit ab eis primogenita.

Respondeo, novum id esse præceptum, et diversum ab hoc, quod tamen ab hoc occasionem et originem accepit. Unde et nova ibidem oblationis primogenitorum fuit forma : nam ibi vers. 43, Moses jussu Domini recensuit primogenitos filiorum Israel, invenitque eos esse numero viginti duo millia et 273; quorum loco Deus ascivit sibi et suo cultui Levitas omnes, qui inventi sunt pene totidem, scilicet viginti duo millia; cæteros 273 primogenitos, qui in populo supererant, et numerum Levitarum superabant, jussit Deus redimi persolutis in singula capita quinque siclis; primogenita vero pecorum voluit Deus dari Levitis, qui jam sui erant, suoque cultui addicti. Ibi ergo non præscribitur proprie oblatio, sed tantum numeratio primogenitorum Israelis, idque eo fine ut eorum vice substituantur Levitæ, qui totidem erant, ad serviendum Deo in tabernaculo. Tunc ergo primo hæc lex impleta, et in Levitas commutata est : deinceps vero singuli primogeniti Deo offerri, et quinque siclis redimi debucrunt, *Num.* XVIII, 16 (1).

Levitæ substituti sunt primogenitis.

Vers. 9. 9. ET ERIT QUASI SIGNUM IN MANU TUA, ET QUASI MONUMENTUM ANTE OCULOS TUOS. — Corrige cum Bibliis Romanis, Hebræis et Chaldaicis, *inter oculos tuos*; Septuaginta tamen vertunt, *ante oculos tuos*; sed eodem res redit.

Judæi hæc crasse accipiunt, utque huic Dei præcepto satisfaciant, legem decalogi membranulis inscriptam brachio, fronti, fimbriis, aut ostiis domus affigunt; et hæc sunt phylacteria ac fimbriæ, quæ dilatabant Pharisæi, quæque carpit Christus, *Matth.* XXIII, 5. Non enim hoc voluit hic Deus, nec loquitur de lege decalogi, sed paschatis et azymorum. Præcepit ergo tantum hac phrasi Deus Hebræis, ut jugem beneficii, et legis jam dictæ servent memoriam, ut illa tanquam res pendula inter oculos iis perpetuo obversetur, idque ad hoc, ut ejus intuitu et consideratione ad Dei reverentiam, amorem, gratitudinem accendantur : hunc sensum significat τὸ *quasi*, cum ait : « Erit quasi signum, et quasi monumentum. » Unde S. Hieronymus in *Matth.* XXIII, sic explicat : « Præcepta erunt in manu tua, ut compleantur; erunt ante oculos tuos, ut die et nocte mediteris in eis. »

Phylacteria Pharisæorum quæ ?

Vers. 10. 10. A DIEBUS IN DIES, — id est, ab anno in annum, *q. d.* Certa et continua annorum serie. Hebræum enim ימים *iamim*, id est dies in plurali, significat annum.

Vers. 11. 11. CHANANÆI. — Sub hac cæteras intelligit gentes in terra promissa habitantes; harum enim omnium pater fuit Chanaan, *Gen.* X, 5.

Vers. 12. 12. SEPARABIS, — Hebraice העברת *haabarta*,

(1) Vers. 8. Hebr. est, *propter hoc*, quod *fecit mihi Dominus*, etc., scil. hoc festum celebratur. Maurer ad h. l. : *Propter hoc Dominus potenter et feliciter mihi egit, quum egrederer*, etc.

id est transire facies, ad Dominum scilicet, hoc est, offeres Domino omne quod aperit vulvam tam in hominibus, quam in jumentis (1).

ET QUOD PRIMITIVUM EST IN PECORIBUS TUIS. — Hebraice est בהמה *behema, q. d.* In jumentis tuis; jumenta proprie sunt animalia bajula, quæ homines, vel sarcinas portant, ut equi, asini, cameli : pecora sunt, quæ pastum et cibum præbent, uti sunt oves, boves, capræ. Verum Scriptura non semper hoc discrimen observat, sed subinde hæc confundit. Hinc putant aliqui, lege hac primogenita non tantum pecorum, sed et jumentorum omnium, puta equorum, mulorum, camelorum, debuisse Deo offerri; idque docet Philo, initio lib. *De Sacerdotum honoribus*, ubi addit primogenita equorum, asinorum, camelorum redimenda esse pretio, idque jure divino; unde aliqui putant ea quinque siclis æque ac primogenitos hominum, fuisse redempta. Verum nil tale exprimit Scriptura, sive jus divinum; imo primogenitum, v. g. capræ, vel ovis, non valebat illo tempore quinque, sed tantum duos, vel tres siclos.

Primogenita pecorum non jumentorum exigit Deus.

Dico ergo hic tantum præcipi oblationem primogenitorum pecorum, id est ovium, caprarum et boum, non autem jumentorum, puta equorum, camelorum, etc. Id patet : nam vers. 15, significat omnia hæc primogenita jumentorum, id est pecorum, Deo immolari, et, ut Hebræi habent, sacrificari solere; atqui Hebræi poterant tantum sacrificare oves, capras et boves, non autem equos, mulos, camelos, ut patet *Levit.* I, 2 et 10. Ergo ovium tantum, caprarum et boum primogenita Deo erant offerenda; offerebantur enim ad sacrificium. Adde, de solo primogenito asini statuit Deus vers. sequenti, illum cum ove commutandum esse; ergo equorum, camelorum aliorumque jumentorum primogenita hic neglexit et exclusit. Objici hic posset aliquid ex vers. 15, sed illud ibi dissolvam.

Quinque tantum animalium primogenita Deo offerebantur.

Rursum objici posset id quod dicitur *Numer.* XVIII, 15 : « Omne animal immundum redimi facies; » sed bene respondet Abulensis animal immundum ibi vocari, non id quod tale est secundum speciem, uti est equus, camelus, etc., sed quod tale est ex accidente, puta quod immundum est, quia cæcum, claudum, morbidum, ut proinde Deo immolari non possit, juxta legem *Levit.* XXII, 22. Hinc sequitur quinque tantum animalium, puta ovis, bovis, capræ, hominis et asini primogenita debuisse Deo offerri, uti docet Abulensis. Plura vide apud Franciscum Suarez et Sebastianum Barradium, tract. *De Purificat. B. Virginis.*

QUIDQUID HABUERIS MASCULINI SEXUS, CONSECRABIS DOMINO. — Masculi enim digniores sunt feminis.

Tropologice, S. Ambrosius, lib. I *De Cain et Abel*, cap. X : « Mentis, inquit, generationes et proles aliæ sunt femineæ, ut malitia, petulantia, luxuries, intemperantia, aliaque hujusmodi vitia, quibus animi nostri quædam enervatur virilitas : aliæ sunt masculinæ, ut castitas, patientia, prudentia, temperantia, fortitudo, justitia, quibus mens nostra et caro ipsa firmatur, et ad impigre obeunda virtutis munia erigitur, et ideo ait Isaias : In utero accepimus, et peperimus spiritum salutis; masculum ergo parturivit et peperit, qui spiritum salutis effudit. »

Mentis proles masculæ quæ? femineæ quæ?

13. PRIMOGENITUM ASINI MUTABIS OVE. — « Asini, » id est asinæ : hujus enim aperitur vulva, et asinus tam mas est quam femina; unde agno paschali additur τὸ « masculus, » ut dixi cap. XII, vers. 5. Vers. 13.

Quæres, cur præ cæteris jumentis voluit Deus asinum, puta primogenitum asini, sibi offerri, ut scilicet pro eo offerretur ovis? Cur Deus solos asinos e jumentis exegerit?

Respondeo, quia ita ipsi placuit : causa tamen motiva videtur fuisse, quod Hebræi in Ægypto fere tantum habuerunt boves, et oves, et capras e pecoribus, et asinos e jumentis (ita Hebræi et Abulensis), quorum primogenitis pepercit Deus, quæque ipsi ex Ægypto salva eduxerunt : itaque horum omnium primogenita, titulo quasi compensationis postulavit sibi Deus, ut quibus tam familiaris esset asini usus, quibusque primogenita asinorum conservasset Deus, ab eis eadem deinceps reciperet. Prob. Primo.

Secundo, voluit forte Deus sibi dari asinum, ut Hebræos hac ratione absterreret a cultu Priapi; huic enim immolabatur asinus : hinc illud Ovidii de asino, *Fastor.* cap. I : Secundo. Priapo immolabatur asinus, cur?

Hellespontiaco victima grata Deo;

idque ob genitalia asinina, et inguinia, de quibus ait Propheta : « Quorum carnes sunt uti carnes asinorum : » quam ob causam et Commodus Imperator ὄνος, id est asinus, est dictus. Verum quia stupidum hoc animal indignum erat quod Deo immolaretur, hinc jussit Deus ut illud cum ove commutaretur. *Tertio*, noluit Deus asellos a matre avelli, ne matrem affligeret : nullum enim animal ita amat proles suas, ut asinus et simia. Tertio.

Tropologice S. Gregorius, lib. XXVII *Moral.* cap. XV : Asini, inquit, primogenita ove mutare, est immundæ vitæ primordia in innocentiæ simplicitatem convertere. Ita et Rupertus. Quarto. Tropologice.

Nota : Asinis (qui in Palæstina veloces et fortes sunt, ut equi) uti solent Judæi præ equis et camelis. Hinc principes eorum asinis inequitabant, ut patet *Judic.* cap. X, vers. 4, et cap. XII, vers. 14; unde et Christus rex Sionis asino vectus ingressus est Jerusalem : quin et equorum usus, uti volunt aliqui, vel verius equorum copia Judæis vetita fuit, ut patet *Deut.* cap. XVII, vers. 16; *Psal.* LXXI, vers. 7; *Isaiæ* cap. II, vers. 8, idque in *Isaiæ* cap. II scribentes S. Hieronymus, Basilius et Procopius diserte docent. Judæi utebantur asinis, non equis.

(1) Juxta Bochartum פטר est *initium*, seu fœtus quem vulva primum efformavit, atque in lucem edidit. שגר autem est *emissus*, scil. ex utero, id est fœtus.

Gentiles finxerunt Judæos et Christianos colere asinum, unde?

Atque hæc Gentilibus fabulæ occasionem dederunt, ut asinos in deserto Judæis aquam ostendisse, et Judæos asinum adorare affinxerint. Horum Gentilium antesignanus fuit Apion, contra quem scribit Josephus, lib. II, cap. x. Apionem secuti sunt Cornelius Tacitus, lib. V; Plutarchus in *Sympos.* lib. IV, *Quæst.* V. Rursum, quia a Judæis prodiere Christiani primi, hinc in eos eadem calumnia derivata est, ut de ononychite, id est asino ungulato pictoris illius refert Tertullianus, *Apolog.* cap. XVI: erat is, inquit, auribus asininis, altero pede ungulatus, librum gestans, et togatus, cum hac inscriptione, *Deus Christianorum.* Idem apud Minutium Felicem Cæcilius exprobrat Octavio. Quanquam Christianis calumnia hæc atque probrum ex Gnosticis sit conflatum; Gnostici enim, teste Epiphanio, *hæresi* 62, dicebant Dominum sabaoth asini formam habere, eo quod Judæ dictum et promissum sit : « Ligabit ad vitem asinam suam, » *Genes.* cap. XLIX, vers. 11. Et *Numer.* cap. XXII, asina Balaam pro Judæis et Dei populo steterit; et cum equos ab hostibus captos subnervari jussisset Deus *Josue* cap. XI, vers. 6, asinas tamen præcepisset servari *Num.* cap. XXXI, vers. 28.

Ononychites.

Gnostici Deum esse instar asini finxerunt.

QUOD SI NON REDEMERIS, INTERFICIES. — Si vilior sit primogenitus asini, quam ut eum pretio statoi puta ove, redimere velis, tunc eum non immolabis quidem, decervicabis tamen, et cervice præcisa interimes; hoc enim significat Hebr. ערף *araph,* ut vel sic primogenitorum Ægypti, tui gratia interemptorum, habeas monumentum. Mirum est in Septuaginta pro *interficies,* legi *redimes.* Sic enim habent ἐὰν δὲ μὴ ἀλλάξῃς, λυτρώσῃ αὐτό, id est, *si vero non commutaveris, redimes illud* : forte voluerunt, si ovis, cum qua commutandus erat pullus asini, non esset ad manum, tunc pullum hunc redimendum esse pretio ovis. Ita videtur exponere S. Ambrosius, lib. II *De Cain,* cap. II; sed tunc deest altera conditionis pars, scilicet hæc : Si nec ove, nec pretio ovis, pullum hunc asini redimere volueris, tunc eum interficies, ut habent Hebræa, Chaldæa et noster Interpres.

OMNE AUTEM PRIMOGENITUM HOMINIS IN FILIIS TUIS, PRETIO REDIMES, — quinque siclis, ut patet *Num.* cap. XVIII, vers. 16. Voluit Deus eos sibi oblatos iterum redimi. *Primo,* ut hæc redemptio refricaret eis memoriam redemptionis primogenitorum, cum hæc ab angelo et morte liberata sunt. *Secundo,* quia solos Levitas suo tabernaculo et cultui Deus destinaverat; alioqui enim nimis magna fuisset turba sacerdotum et ministrorum Dei, qui proinde otiosi sæpe fuissent, et tamen ali debuissent a populo : quod ingens fuisset gravamen populi.

Vers. 14. 14. CRAS, — futuris temporibus : est synecdoche.

Vers. 15. 15. USQUE AD PRIMOGENITUM JUMENTORUM. — Omnia enim primogenita, etiam jumentorum, puta equorum, asinorum, camelorum, cæsa sunt in Ægypto : in cujus rei memoriam Deus non jumentorum omnium, sed pecorum tantum primogenita sibi ab Hebræis offerri depoposcit, idque quia sola pecora sibi ad sacrificium delegit in Levitico. Pari modo, licet in Ægypto feminæ quoque, quæ erant primogenitæ, sint cæsæ, Deus tamen ab Hebræis solos exigit masculos primogenitos, ut dignior sexus Deo dicaretur.

Vers. 16. 16. ERIT IGITUR QUASI SIGNUM IN MANU TUA, ET QUASI APPENSUM QUID. — Pro *appensum,* alii vertunt *frontale.* Judæi hoc rursum crasse accipiunt de scheda, fronti super oculos affixa, et ab aure una ad aliam porrecta, cui inscriptum erat : « Sanctifica omne primogenitum, » et : « Audi, Israel, Deus tuus unus est, » etc. In hoc frontali mira est Judæorum superstitio : dicunt enim ejus membranulam accipi debere ex corio animalis mundi, debere verba jam dicta illi inscribi ea parte qua carni animalis adhæsit, idque manu dextera, lineis rectissimis, charta integra non habente ullum foramen : si ea sit in cubili, non licere conjugio uti, nisi illa intra tertium scrinium recludatur, etc. Denique signa hæc, quæ ipsi inter suos singulis diebus cum capiti, tum sinistro brachio alligant, ut admoneantur præceptorum Dei, vocant תפלין *tephillin* a radice תפל *taphal,* id est conjungere, alligare, appendere; vel a תפלה *tephilla,* id est oratio, *q. d.* Oratoria, quia ipsi in suis precibus iis quotidie utuntur, iisque se ab omni malo tutos putant. Ita referunt P. Fagius, Oleaster, Lipomanus et alii. Verum hujus versus genuinum sensum dedi vers. 9.

Frontale Judæorum superstitiosum.

Tephillin Judæorum.

Vers. 17. 17. NON EOS EDUXIT DEUS PER VIAM TERRÆ PHILISTHIIM, QUÆ VICINA EST. — Hoc iter a Chanaan in Ægyptum per Philistinos, communiter dicitur esse decem dierum; Philo ait esse trium dierum (1).

NE FORTE POENITERET EUM; SI VIDISSET ADVERSUM SE BELLA CONSURGERE. — Dices : Etiam alia via pugnandum fuit cum Amalec, cap. XVII. Respondeo : Illud prælium fuit unicum, post 40 dies ab exitu ex Ægypto initum, quod non tam Hebræorum armis, quam Dei singulari ope confectum est : si autem transissent Hebræi per Philistinos, statim et assidue eis pugnandum fuisset cum hostibus bellicosissimis; tales enim erant Philistini.

« Spiritualiter, inquit Rupertus, hoc Deus agit in omnibus electis suis in Ægypti exitu, id est, in principio conversionis, ut novitiis pacatam a vitiis paret viam, ut tranquille et delectabiliter egrediantur, ne subitis tentationibus pulsati a sancto proposito vix incepto deterreantur. » Pulchre quoque S. Gregorius, lib. XXIV *Moral.* cap. XII : « Tres, inquit, modi sunt hominum conversorum ad Deum, inchoatio, medietas atque perfectio : in

Deus novitios primo mulcet, deinde tentat, demum roborat et perficit.

(1) Pro *quæ* vicina est, hebr. est כי, quod multi licet interpretentur *quamvis*, Aben-Esra tamen solito suo significatu reddendum melius censet, *propterea quod, nam,* ne, uti statim additur, si pugnæ ineundæ essent, Israelitis bello nondum assuetis Ægypti desiderium moveretur.

inchoatione, inveniunt illi blandimenta dulcedinis; in medio tempore, certamina tentationis; ad extremum vero, perfectionem plenitudinis. Prius ergo illos dulcia suscipiunt, quæ consolentur; postmodum amara, quæ exerceant; et demum suavia atque sublimia, quæ confirment: nam et sponsam suam vir quisque prius dulcibus blandimentis fovet, quam tamen jam conjunctam asperis increpationibus probat, probatam vero securis cogitationibus possidet. Unde et plebs Israelitica cum despondente se Deo, ad sacras mentis nuptias ex Ægypto vocaretur, quasi arrharum vice prius accepit blandimenta signorum; conjuncta autem, probationibus exercetur in eremo; probata vero, in repromissionis terra virtutis plenitudine confirmatur : ita quoque vitam uniuscujusque conversi, et inchoatio blanda permulcet, et aspera medietas probat, et plena post perfectio roborat.» Subdit S. Gregorius: «Sæpe tam diutina sunt tentationum certamina, quam longa inchoationum fuerant blandimenta; sæpe etiam non : nunquam tamen laborem tentationis dispar sequitur perfectio firmitatis : quia juxta summam certaminis, remuneratur quisque plenitudine perfectionis.» Additque novitios in eo plerumque labi, quod, dum initio aliqua dona et consolationes a Deo accipiunt, mox se perfectos putant; unde dum subita tentationis procella tanguntur, consternantur, et pene se perditos putant; qui si primæ dulcedini non nimis tribuissent, didicissentque in prosperis cogitare de adversis, prævidissent hæc ita futura, nec fuissent turbati, cogitantes hunc esse Dei morem et ordinem.

Novitiorum tentatio ex inexperientia.

Vers. 18. Hebr. *Chamuschim* quid?

18. ET ARMATI ASCENDERUNT FILII ISRAEL DE TERRA ÆGYPTI. — Pro *armati* hebr. est חמושים *chamuschim*, id est quini et quini. Unde Calvinus carpit nostrum Interpretem, qui vertit, *armati*, vertique vult, *dispositi*. Verum passim Hebræi, ut R. Abraham, Aben Esra, Andreas Masius in *Josue* lib. I, cap. XIV, et alii *chamuschim* accipiunt pro חלוצים *chalutsim*, id est armati, vel succincti lumbos. Aquila quoque et Symmachus vertunt, κεθωπλισμένοι, id est armati; itaque recte versum esse ab Aquila, consonant universa synagogarum subsellia, ait S. Hieronymus *ad Damasum*, Quæst. II : quia enim quini incedunt in acie milites armati, hinc *chamuschim*, id est quini, idem est quod armati, per metalepsin Hebræis usitatam.

Aliter Cajetanus: *Chamuschim*, inquit, idem est quod quintati, id est armati, sive accincti gladiis et armis in loco quinque costarum : ibi enim solemus gladium appendere. Negat Calvinus Hebræos hic habuisse arma: unde enim, inquit, ipsi inopes tot et tanta sibi comparassent? Respondeo, honestiores jam ante ea domi suæ habuisse; alios jam ante præmonitos de egressu, ea sibi comparasse; alios ab Ægyptiis ea commodato accepisse: nam eos habuisse arma patet ex bello, quod paulo post cum Amalecitis gesserunt.

Septuaginta pro *armati* vertunt, *quinta generatione*. *Chamuschim* enim significat quintam, scilicet generationem, uti subaudiunt Septuaginta. Estque id quoque verum, si generationes tribus Judæ computes. Judas enim genuit Phares; Phares genuit Esron; Esron genuit Aram; Aram genuit Aminadab; Aminadab genuit Naason, qui fuit princeps tribus Juda in deserto. Alioqui si generationes Levi supputes, invenies tantum quatuor : nam Levi genuit Caath; Caath genuit Amram; Amram genuit Aaron; Aron genuit Eleazar, qui cum patre egressus est ex Ægypto. Et hoc computu promisit Dominus Abrahæ, generatione quarta Hebræos exituros ex Ægypto, *Genes.* cap. XV, vers. 16. Ita S. Hieronymus *ad Damasum*. Aliter S. Augustinus, *Quæst.* XLIX: Generatio, inquit, est sæculum, puta spatium centum annorum : jam quarta generatione, id est quarto centenario annorum completo, et quinto inchoato, Hebræi egressi sunt ex Ægypto, uti promiserat Deus Abrahæ, *Genes.* cap. XV, vers. 16.

Noto τὸ *armati* : hactenus Hebræi inermes servierant Ægyptiis, lateres et lutum tractaverant; tunc liberi exituri Ægypto armantur ad bella.

Morale de militia Christiana.

Sic tropologice, qui e servitute et regno mundi et diaboli eripere se cupit, armare se debet ad prælia : memento, o Christiane, te Christi esse militem, ad bellum vocari, arma tractare debere. Paulus Æmilius militibus res non necessarias curantibus, jussit ut quiescerent, nec aliud facerent, quam enses acuere, cætera sibi curæ fore. Idem «militi dicebat hæc tria esse curanda : corpus, ut quam validissimum et pernicissimum habeat; arma apta; animum ad subita imperia paratum: reliqua diis et imperatori curanda relinquere.» Testis est Livius, lib. IV. C. Crassus militem videns sine gladio currentem : «Heus, inquit, commilito, pugno uteris pro gladio?» Multis Othonem Imperatorem rogantibus ne, deposito imperio, exercitum ac Rempublicam desereret, quidam e gregariis militibus sublato ense dixit : «Scito, Cæsar, sic pro te omnes animatos esse;» moxque seipsum jugulavit : testis est Suetonius in *Othone*. Cum Antonius pararet classem cum Cæsare conflicturus, quidam tribunus militum, vir fortis et in armis exercitatus, Antonio prætereunti corpus suum multis cicatricibus insignitum ostendit dicens : «O imperator, cur his vulneribus, aut huic gladio parum fidis, inque lignis fragilibus spem reponis? Sine Phœnices et Ægyptii classe pugnent : nobis Romanis terram da, in qua consuevimus vel hostem vincere, vel mortem oppetere.» Testis est Plutarchus in *Antonio*. Præclare Cicero, lib. III *Tuscul.* : «Necesse est, ait, qui fortis sit, eumdem esse magni animi; qui magni animi, invictum; qui invictus, eum humanas res despicere, atque infra se positas arbitrari. Despicere autem nemo potest eas res, propter quas ægritudine affici potest, nisi fortis. Ex quo efficitur fortem virum ægritudine nunquam affici;

omnes autem sapientes fortes esse.» Applicet sibi hæc miles Christianus.

Vers. 19. 19. TULIT QUOQUE MOYSES OSSA JOSEPH SECUM. — Historia Scholastica narrat quod Nilus, exundans eo anno quo Hebræi egressi sunt, operuerit loculum Joseph; cum ergo eum invenire non posset Moses, scripsit nomen Dei tetragrammaton in lamina aurea; illa autem mox enatavit ad loculum Joseph, eumque detexit. Alii hunc loculum per ovem ostensum tradunt, ovem, inquam, quæ Hebræos et loculum hunc comitata sit per desertum, illudque significari putant *Psal.* LXXIX, 1 : « Qui deducis velut ovem Joseph. » Sed hæc sunt fabellæ Thalmudicorum.

Nota : Verisimile est Mosen etiam aliorum Patriarcharum, puta fratrum Joseph, ossa secum extulisse. Nam *Actor.* VII, 16, constat eos omnes in Palæstinam translatos esse, et sepultos in Sichem; neque apparet, quo alio tempore, quam hoc, transferri potuerint. Hic tamen tantum ossium Joseph fit mentio; quia Joseph adjurarat Hebræos, uti id facerent, ipseque hunc eis egressum prædixerat. Voluit autem Hebræos sua ossa efferre; quia cura pii inter suos sepulcri eum tangebat, et ut posteri horum ossium intuitu vaticinii memores, certa fide et spe iter in terram promissam capesserent. Vide dicta *Gen.* XLVII, vers. 29 et 30.

Vers. 20. 20. PROFECTIQUE DE SOCOTH CASTRAMETATI SUNT IN ETHAM. — Hebræi castra secunda fixerunt in Etham, sicuti prima fixerant in Socoth. Etham situm erat in ultima solitudine, vicina mari Rubro, et montibus prærupta : unde forte et nomen accepit. Etham enim hebraice fortem, indeque asperum et præruptum significat.

Quatuor miracula data Hebræis per 40 annos in deserto. Nota hic quatuor miracula Hebræis data et continuata per 40 annos. *Primum* fuit, quod in tanta eorum turba nemo esset æger aut debilis, ut vellet aut deberet remanere in Ægypto, sed omnes essent sani ac valentes ad iter alacriter et constanter peragendum; Deus enim omnibus illis robur et alacritatem suggerebat, ne laborem itineris gravate ac moleste ferrent, et hoc est quod dicitur *Psalm.* CIV : « Et non erat in tribubus eorum infirmus, » hebraice חושל *chosel*, id est nutans, vacillans, *q. d.* inter eos nullus erat æger, imo ne debilis quidem aut imbecillis, sed omnes erant alacres et expediti. *Secundum*, quod calcei et vestes eorum cum pueris creverint, et per quadraginta annos non fuerint attrita, nec consumpta, uti dicitur *Deuter.* VIII, 1, et cap. XXIX, vers. 5. *Tertium* fuit manna. *Quartum* fuit columna ignis et nubis, de qua jam sequitur.

Primum. Secundum. Tertium Quartum.

Vers. 21. 21. DOMINUS AUTEM PRÆCEDEBAT EOS AD OSTENDENDAM VIAM PER DIEM IN COLUMNA NUBIS. — « Præcedebat eos, » non in ipsa castrorum metatione : ibi enim sistebat; sed in profectione : eduxit enim eos ex Ægypto, et deinceps semper proficiscentes deduxit et præcessit. Unde sequitur columnam hanc itineris ducem primo apparuisse non in Etham, sed in Ramesses; inde enim primo egressi sunt Hebræi. S. Hieronymus videtur contrarium dicere, scilicet quod columna hæc primo visa sit in Etham; sed vult dicere, quod S. Scriptura primo hujus columnæ faciat mentionem in Etham : sic et in Etham tantum facit mentionem ossium Joseph asportatorum, cum tamen constet ex Ramesses ea esse exportata.

Columna dux viæ.

Rursum, hæc columna præcedebat castra Hebræorum, mota non motu circulari cœlorum : ita enim in orbem raptata fuisset : non etiam ventorum flatu; sed ducente eam angelo, qui erat quasi motor et auriga columnæ, ut patet cap. XIV, vers. 19. Angelus ergo impellebat eam, ut primam tribus Judæ aciem proficiscentem præiret, quando castra erant mutanda et movenda; quando vero erant locanda et figenda, angelus eam super castra, puta supra primam aciem tribus Juda, uti volunt aliqui, vel potius supra medium castrorum, ut volunt alii, quasi defixam detinebat; fabricato autem postea tabernaculo, illi incumbere faciebat, ut patet cap. ult. vers. 34.

Angelus auriga fuit columnæ ignis et nubis.

Nota novem proprietates hujus columnæ. *Primo*, hæc columna Hebræos præcessit per 40 annos, eosque ex Ægypto in Chanaan deduxit. *Secundo*, hæc columna viam ostendebat, ut scirent qua esset eundum per deserta avia et invia. *Tertio*, columna hæc jam movebatur, jam quiescebat : cum movebatur, movebant se castra Hebræorum; cum quiescebat, et incubabat tabernaculo, quiescebant et castra. *Quarto*, columna hæc erat ingens, longa, lata et crassa instar magnæ turris, ut a tantis castris ubilibet videri posset, puta a tricies centenis millibus hominum, quæ facile occupabant locum decem milliarium Italicorum, inquit Pererius. *Quinto*, motor et stator columnæ erat angelus. *Sexto*, per diem apparebat, ut columna nubis, per noctem, ut columna ignis ad illuminandum castra; idque vicissim et assidue singulis diebus et noctibus. *Septimo*, in hac columna sæpe Deus apparebat ac loquebatur Mosi et Hebræis, suamque ostendebat gloriam et magnificentiam. *Octavo*, hæc columna nubis tota obumbrabat castra, eaque ab æstu solis protegebat, uti dicam inferius. *Nono*, hæc nubes dispescuit Hebræos ab Ægyptiis, hos obtenebrando, illos illuminando, atque Dominus per eam prospiciens interfecit exercitum Ægyptiorum, cap. XIV, vers. 24.

Novem proprietates hujus columnæ.

Hinc *Sapient.* X, vers. 17, de hac columna duce viæ dicitur : « Deduxit eos in via mirabili, et fuit illis in velamento diei, et in luce stellarum per noctem. »

Allegorice, hæc omnia facile est adaptare Christo et Spiritui Sancto; Christus enim est columna propter rectitudinem et stabilitatem, et quia ipse fulcit Ecclesiam et infirmitates nostras, facitque ut et ipsa Ecclesia sit columna et firmamentum veritatis, ipsique Sancti sint columnæ. Hinc *Apo-*

Allegorice, columna est Christus, Ecclesia et Sancti, cur?

Primo. *cal.* III, 12, dicitur : « Qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei. » Rursum, Christus est columna ob crucem. « Est enim crux Christi humani generis columna, » inquit S. Hieronymus in *Psalm.* XCV. *Secundo,* Christus est nubes, qua homo; est ignis, qua Deus : nam, ut ait S. Ambrosius in *Psalm.* CXVIII, nubes est nebula corporis nostri, sed in Christo levis, id est, cœlesti Spiritus Sancti operatione sancta, nullaque sorde gravis, *Isaiæ* XIX, 1. Sol ergo, ut tolerari posset, venit in nube, id est, Deus, ut cum hominibus versaretur, venit in carne, qua deitatem suam velavit et vestivit. *Tertio,* Christus instar columnæ hujus fideles suos obumbrat, protegit, et ad terram viventium, quam electis suis promisit, deducit; ipse enim est dux noster, qui de se ait : « Ego sum via, veritas et vita. »

Secundo.

Tertio.

Sed cur est hæc columna ignis per noctem, nubis per diem? Respondet S. Gregorius, hom. 21 *in Evang.,* ut significetur Christum in die, id est, in vita justi, esse nubem, id est blandum; sed in nocte, id est vita peccatoris, quasi igneum, id est terribilem apparere. Rursum, Christus in die, id est in hac vita, ostendit se lenem, ut nubes; sed in nocte, id est in morte, et altera vita, puta in judicio et gehenna, se quasi ignem formidabilem ostendet. « In fulgure, inquit S. Gregorius, terror timoris est, in nive autem blandimentum candoris : hinc in resurrectione Christi angelus talis apparuit, ut sua specie et terreret reprobos, et mulceret pios. Unde Hebræos per deserta gradientes columna ignis in nocte, et columna nubis præibat in die; in igne enim terror est, in nube visionis lene blandimentum; dies autem vita justi, et nox accipitur vita peccatoris : in die igitur columna nubis monstrata est, et in nocte columna ignis, quia Deus in judicio veniens per lenitatis mansuetudinem blande justos demulcebit, peccatores autem per justitiæ districtionem terrebit. »

Columna nubis est Spiritus Sanctus.

Potest *secundo,* columna ignis Christum, qui lux est mundi; columna vero nubis Spiritum Sanctum, ejusque obumbrationem et sanctificationem significare : Christus enim, et Spiritus Sanctus sunt una columna, id est una deitas. Ita S. Ambrosius, lib. II *De Sacram.* cap. VI, et ex eo multi Interpretes in I *Corinth.* X, vers. 1.

Recte S. Gregorius : « Spiritus Sanctus, inquit, monet, movet et docet : monet memoriam, movet voluntatem, docet rationem; nec minimam paleam intra cor quod possidet, residere patitur, quam non igne circumspectionis et compunctionis exurat: contra stultitiam suggerit sapientiam, contra hebetudinem intellectum, contra præcipitationem consilium, contra timorem fortitudinem, contra ignorantiam scientiam, contra duritiem pietatem, contra superbiam Dei timorem. »

Et S. Bernardus, serm. 2 *De Pentecoste* : « Spiritus Sanctus, inquit, dat pignus salutis, robur vitæ, scientiæ lumen: pignus salutis, ut ipse reddat testimonium spiritui tuo, quod sis filius Dei; robur vitæ, ut quod per naturam tibi est impossibile, per gratiam ejus non solum possibile, sed et facile fiat; lumen scientiæ, ut, cum omnia bene feceris, te servum inutilem putes, et quidquid boni in te inveneris, illi tribuas a quo omne bonum est. In his tribus Spiritus Sanctus docebit te omnia quæ pertinent ad salutem. » Et *serm.* 5 : « Ad fervorem in cordibus perfectorum vehementius spirans, validum ignem charitatis accendit, ut non solum in spe filiorum Dei, sed etiam in tribulationibus glorientur, contumeliæ gloriam reportantes. »

Et S. Basilius, *De Spiritu Sancto* : « Sicut, inquit, corpora illustria pellucidaque contacta radio solis, fiunt et ipsa splendida, et alium fulgorem ex se profundunt : sic et animæ Spiritu Sancto afflatæ et illustratæ, fiunt et ipsæ spirituales, et in alios gratiam emittunt. Hinc futurorum præsentia, arcanorum intelligentia, occultorum comprehensio, donorum distributiones, cœlestis conversatio, cum angelis chorea; hinc gaudium nunquam finiendum, hinc in Deo perseverantia, hinc similitudo cum Deo, et, quo nihil sublimius expeti potest, hinc est ut Deus fias. »

Utinam hanc columnam in cœlum nos ducentem quotidie intueamur, et studiose sectemur! S. Carolus Borromæus cuidam e suis petenti documentum aliquod, qua ratione ad cœlum pervenire et Deo placere posset, hoc dedit : « Qui quotidie in via Dei progredi cupit, oportet *primo,* ut incipiat quotidie; hoc est, quotidie debet conari ut Deo serviat eo fervore, ac si eo die primum inciperet; *secundo,* ambulet actualiter in præsentia Dei; *tertio,* solum Deum statuat sibi finem omnium et singularum actionum suarum. » Hisce tribus complexus est totam vitam spiritualem, totumque statum et progressum interioris hominis. Ita refert auctor Vitæ ejus, lib. VIII, cap. XVIII, in fine.

Tropologice ergo columnæ lucis sunt fortes et illustres Sancti. « Venit aliquando Abbas Hilarion ad Abbatem Antonium, et dicit ei Abbas Antonius : Bene venisti, Lucifer, qui mane orieris. Et respondit Abbas Hilarion : Pax tibi, columna lucis, qui sustines orbem terrarum; » uti habetur in *Vitis Patrum,* lib. V, tract. 17, num. 4.

Talis columna lucis fuit quoque Simeon Stylites, qui, ut omnes a terra traheret ad cœlum, stetit in columna per octoginta annos, vix comedens et dormiens, semperque vel orans, vel accedentibus dans monita salutis. Et Angelus *Apocal.* X, vers. 1, habebat pedes quasi columnas ignis.

Sic Petrus, Jacobus, Joannes in Ecclesia « videbantur esse columnæ, » ait Paulus *Galat.* II, 9.

Hac de causa Christus, *Apocal.* III, 12, angelo, id est Episcopo Philadelphiæ promittit : « Qui vicerit, ait, faciam illum columnam in templo Dei mei. »

AD OSTENDENDAM VIAM. — Licet enim via communis ex Ægypto in Chanaan trita esset, et vulgo cognita, nemo tamen noverat eam viam, qua Deus Hebræos per deserta Arabiæ volebat deducere in Chanaan. Addit Genebrardus in *Psal.* CIV, vers. 39, Deum ostendisse eis viam, eo quod in Saracenicis illis desertis nulla extent viarum vestigia, ob arenas levi ventorum flabello mobiles et delebiles; ideoque viatores in illis, ut nautæ in mari, uti coguntur instrumentis quibusdam, quasi nauticis quadrantibus, ad indicandas mundi plagas, et juxta eas dirigunt suas profectiones (1).

An columna hæc castra ab æstu protexerit?

Quæres, an hæc columna tantum ostenderit viam, an vero etiam castra obumbrarit, et ab æstu protexerit? Cajetanus et Abulensis, *Quæst.* XIII, censent eam tantum ostendisse viam; ratio est, quia una columna, utpote parva et gracilis, non poterat obumbrare tota et tanta castra. *Secundo*, si castra tota obumbrasset, ademisset eis aspectum aeris, cœli et luminis cœlestis, quod hominibus est jucundissimum.

Negat Abulensis.

Affirmant alii, idque verius est.

Verum alii probabilius censent hanc columnam non tantum ostendisse viam, sed etiam castra ab æstu solis protexisse; nam, cum Hebræi iter facerent per Arabiam, quæ radiis et caloribus solis torretur, præsertim in vallibus in quibus oppositorum montium objectu radii solis reflexi, magnos calores excitant, habuissent iter molestissimum, ni Deus hos calores temperasset, radiis solis opponendo hanc nubem columnæ.

Prob.

Probatur: nam id dicitur *Psalm.* CIV: « Expandit, inquit, nubem in protectionem eorum; » et Psaltes, *Psal.* CXX, huc alludit dicens: « Dominus custodit te, Dominus protectio tua; per diem sol non uret te, neque luna per noctem. » *Sap.* X: « Deduxit eos in via mirabili, et fuit illis in velamento diei; » et cap. XIX: « Castra obumbrabat nubes; » et cap. XVIII: « Solem sine læsura boni hospitii præstitisti eis, » *q. d.* Fecisti ut columna illa Hebræis esset dux, et quasi sol præfulgens ad peregrinationem, et bona hospitia, id est bonas et commodas stationes in deserto per 40 annos indicandas: sol, inquam, sine læsura, id est, innocuus, non lædens, non urens Hebræos. Hinc denique Apostolus, I *Cor.* X, 1, ait patres omnes sub nube fuisse. Ita B. Nyssenus, Ambrosius in *Psal.* CXVIII, Justinus *Contra Tryphonem*, Lyranus, Pererius et alii.

Dices: Quomodo parva columna poterat obumbrare tota castra?

Columna ex se spargebat nubem castra obumbrantem.

Respondeo: Columna hæc, cum iter agerent Hebræi, præibat castra, et simul expandebat se, et quasi aliam nubem, quæ castra obumbraret, ex se spargebat. Ubi nota, nubem hanc in sublimiore parte aeris fuisse soli e regione objectam, eique, quocumque movebatur, oppositam, ita ut ejus obtentu solis ardor, et radii in ea refracti et represssi ita modici pervenirent ad Hebræos, ut Hebræis lucem, non autem æstum afferrent: id ita esse patet *Num.* XIV, 14, ubi sic dicitur: « Nubes tua protegat illos, et in columna nubis præcedat eos; » ubi manifeste nubes a columna castra præeunte distinguitur, diciturque protexisse eos, ab æstu scilicet; orat enim Moses ut Deus hanc suam protectionem continuet. Idipsum significatur quoque *Numer.* X, 34, ubi dicitur: « Nubes quoque Domini super eos erat per diem cum incederent. » Ubi Septuaginta vertunt, καὶ ἡ νεφέλη Κυρίου ἐγένετο σκιάζουσα ἐπ' αὐτοῖς, id est, *et nubes Domini fuit obumbrans super eos.* Unde sequitur nubem hanc soli oppositam, ingentem et immanem fuisse. Erat enim major totis castris, quæ, ut superius dixi, extendebant se ad decem milliaria Italica; ad totidem ergo milliaria extendi debebat et nubes, utpote tota castra velans, obumbrans, et a radiis solis protegens.

Rursum, cum castra consisterent, nubes hæc quadrata erat. Castra enim fixa erant quadrata, ut patet *Numer.* II; cum vero castra moverentur, et Hebræi longo agmine se expandentes, per tribus singulas ordinata serie proficiscerentur, tunc nubes hæc, quæ antea quadrata fuerat, pariter se in longum supra omnia agmina expandebat, illisque in longitudine æque ac in latitudine æquabatur. Ambulabant enim omnes Hebræi sub nube hac quasi sub velamine, vel umbella, ideoque Deus dicitur eos deduxisse in via mirabili, *Sap.* X, 17. Plura de hac columna dicam *Num.* IX, 15.

(1) Mirum quibusdam videri potest, quod Moses Jethronem, seu Hobabum, socerum suum, rogitans ut apud se maneret, hac utitur ratione: « Tu enim nosti in quibus locis per desertum castra ponere debeamus, et eris *ductor* noster. » Quodsi jam tum columna nubis et ignis Israelitis præiret, viam iis monstratura, non videbatur necesse esse, ut Moses Jethronem ductorem in deserto expeteret. Respondetur, Hobabum ideo itineris ducem a Mose fuisse expetitum, non ut quomodo dirigendum sit monstraret, sed ut subinde in rebus dubiis consilio suo illis præsto esset, ob locorum peritiam, ut e. g. fontes ostenderet, unde aqua totis castris peti possit, quæ hinc inde ob hostium vicinitatem observanda essent, et id genus alia. Eorum sententiam quod attinet, qui nubis et ignis columnam nihil aliud esse putant, quam *ignem sacrum*, quem populo iter facienti prætulerit Aaron, ut excogitavit Von der Nardt, aut *faces* exercitibus per solitudinem agentibus de more prælucentes, ut vult Tolandus, hanc multis confutavit Glaire, *Les livres Saints vengés*; Meignan, op. cit. p. 169. Et certe nemini sano unquam probabitur, tum verba Mosis hic de igne portatili accipi debere, tum ignem portatilem tanto agmini prælucere potuisse.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pharao cum suis insequitur Hebræos; illi timent, roborat eos Moses. Secundo, angelus in columna nubis interponit se inter Hebræos et Ægyptios, vers. 19. Tertio, vers. 21, Moses sua virga dividit mare, transeunt Hebræi. Quarto, vers. 29, Ægyptii insequentes, tum ab angelo, tum ab aquis recurrentibus obruuntur.

1. Locutus est autem Dominus ad Moysen, dicens : 2. Loquere filiis Israel : Reversi castrametentur e regione Phihahiroth, quæ est inter Magdalum et mare contra Beelsephon ; in conspectu ejus castra ponetis super mare. 3. Dicturusque est Pharao super filiis Israel : Coarctati sunt in terra, conclusit eos desertum. 4. Et indurabo cor ejus, ac persequetur vos ; et glorificabor in Pharaone, et in omni exercitu ejus. Scientque Ægyptii quia ego sum Dominus. Feceruntque ita. 5. Et nuntiatum est regi Ægyptiorum quod fugisset populus ; immutatumque est cor Pharaonis et servorum ejus super populo, et dixerunt : Quid voluimus facere ut dimitteremus Israel, ne serviret nobis? 6. Junxit ergo currum, et omnem populum suum assumpsit secum. 7. Tulitque sexcentos currus electos, et quidquid in Ægypto curruum fuit, et duces totius exercitus. 8. Induravitque Dominus cor Pharaonis regis Ægypti,et persecutus est filios Israel ; at illi egressi erant in manu excelsa. 9. Cumque persequerentur Ægyptii vestigia præcedentium, repererunt eos in castris super mare : omnis equitatus et currus Pharaonis, et universus exercitus erant in Phihahiroth contra Beelsephon. 10. Cumque appropinquasset Pharao, levantes filii Israel oculos, viderunt Ægyptios post se ; et timuerunt valde, clamaveruntque ad Dominum, 11. et dixerunt ad Moysen : Forsitan non erant sepulcra in Ægypto, ideo tulisti nos ut moreremur in solitudine : quid hoc facere voluisti, ut educeres nos ex Ægypto? 12. Nonne iste est sermo, quem loquebamur ad te in Ægypto, dicentes : Recede a nobis, ut serviamus Ægyptiis? multo enim melius erat servire eis, quam mori in solitudine. 13. Et ait Moyses ad populum : Nolite timere ; state, et videte magnalia Domini quæ facturus est hodie : Ægyptios enim, quos nunc videtis, nequaquam ultra videbitis usque in sempiternum. 14. Dominus pugnabit pro vobis, et vos tacebitis. 15. Dixitque Dominus ad Moysen : Quid clamas ad me? Loquere filiis Israel ut proficiscantur. 16. Tu autem eleva virgam tuam, et extende manum tuam super mare, et divide illud, ut gradiantur filii Israel in medio mari per siccum. 17. Ego autem indurabo cor Ægyptiorum ut persequantur vos ; et glorificabor in Pharaone, et in omni exercitu ejus, et in curribus, et in equitibus illius. 18. Et scient Ægyptii quia ego sum Dominus, cum glorificatus fuero in Pharaone, et in curribus atque in equitibus ejus. 19. Tollensque se angelus Dei, qui præcedebat castra Israel, abiit post eos, et cum eo pariter columna nubis, priora dimittens, post tergum 20. stetit, inter castra Ægyptiorum et castra Israel : et erat nubes tenebrosa, et illuminans noctem, ita ut ad se invicem toto noctis tempore accedere non valerent. 21. Cumque extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi et urente tota nocte, et vertit in siccum ; divisaque est aqua. 22. Et ingressi sunt filii Israel per medium sicci maris : erat enim aqua quasi murus a dextra eorum et læva. 23. Persequentesque Ægyptii ingressi sunt post eos, et omnis equitatus Pharaonis, currus ejus et equites per medium maris. 24. Jamque advenerat vigilia matutina, et ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis et nubis, interfecit exercitum eorum : 25. et sub-

vertit rotas curruum, ferebanturque in profundum. Dixerunt ergo Ægyptii : Fugiamus Israelem ; Dominus enim pugnat pro eis contra nos. 26. Et ait Dominus ad Moysen : Extende manum tuam super mare, ut revertantur aquæ ad Ægyptios super currus et equites eorum. 27. Cumque extendisset Moyses manum contra mare, reversum est primo diluculo ad priorem locum : fugientibusque Ægyptiis occurrerunt aquæ, et involvit eos Dominus in mediis fluctibus. 28. Reversæque sunt aquæ, et operuerunt currus et equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare : nec unus quidem superfuit ex eis. 29. Filii autem Israel perrexerunt per medium sicci maris, et aquæ eis erant quasi pro muro a dextris et a sinistris. 30. Liberavitque Dominus in die illa Israel de manu Ægyptiorum. 31. Et viderunt Ægyptios mortuos super littus maris, et manum magnam quam exercuerat Dominus contra eos ; timuitque populus Dominum, et crediderunt Domino, et Moysi servo ejus.

Vers. 2. 2. CASTRAMETENTUR E REGIONE PHIHAHIROTH, QUÆ EST INTER MAGDALUM ET MARE, CONTRA BEELSEPHON. — Quarta est hæc Hebræorum statio, sive mansio, in qua a sinistris vallati erant mari, a tergo exercitu Ægyptiorum eos persequentium, ante et a dextris, præruptis montibus. Unde eos ibi velut mures in muscipula comprehendere cogitabat Pharao.

Pro e *regione Phihahiroth*, Septuaginta vertunt, ἀπέναντι τῆς ἐπαύλεως, quod Origenes interpretatur, *e regione ascensionis tortuosæ*. Non bene alii vertunt, *e regione suburbiorum* aut *villarum*, quasi Septuaginta in *Phihahiroth* litteram *cheth* pro *ain* acceperint, nomenque hoc derivarint ab עיר *ir*, id est *urbs* ; at verbum *Phihahiroth* hebraice idem est quod os foraminum : פה *pe* enim significat os, חור *chur* foramen, ut Phihahiroth idem sit, quod ingressus in speluncam rupibus inclusam, et arctam ; os enim innuit *angustias ingressus*.

Sic « Magdalum » hebraice *turrim* sonat ; forte fuit arx monti imposita. « Beelsephon » hebraice idem est quod *domus speculæ* : quæ omnia indicant loca hæc fuisse prærupta et inaccessa. Vide chorographiam horum locorum in tabulis Adrichomii (1).

R. Salomon et Hebræi fabulantur Beelsephon fuisse canem æneum, qui latratu prodebat fugientes Hebræos, qualem in Hispania Numantiæ fuisse testatur Abulensis.

Tropologice, a vitiis ad virtutem, a terra in cœlum enitentibus ardua calcanda est via. Ita Origenes.

SUPER MARE, — ad mare, versus mare, juxta mare.

Vers. 3. 3. DICTURUSQUE EST PHARAO, — postquam ab exploratoribus Hebræos fugere intelligens, et dimissionis eorum pœnitens, eos insequi cogitabit, ut reducat.

SUPER FILIIS ISRAEL, — de filiis Israel. Sic Virgilius :

Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa.

COARCTATI SUNT. — Hebraice נבכים *nebuchim*, id est perplexi sunt, vel confusi sunt ; quia videlicet in arctis constituti, et circumquaque rupibus, mari et armatis conclusi, exitum non invenient ; itaque vel fame, vel gladio eos conficiam, aut potius ad deditionem et servitutem pristinam eos redigam.

Vers. 4. 4. ET INDURABO COR EJUS, AC PERSEQUETUR VOS. — Sat patet ex consultatione prævia, vers. 3 et 5, Pharaonem libere se obdurasse et obfirmasse, ut persequeretur Hebræos ; dicitur tamen etiam Deus eum indurasse, ut dixi cap. VII, vers. 3, quia sine Dei permissu et certa providentia, nunquam se obdurasset Pharao ; Deus enim, cui omnes rerum omnium ordines subjacent, hoc Pharaonem ordine, cursuque rerum statuerat, quo his quæ se obtulerunt, objectis, eum libere et sponte sua obdurandum præsciebat. Quidquid enim a Dei providentia quovis modo manat, Hebræa phrasi Deus agere dicitur ; utiturque subinde hac phrasi Scriptura, ut altissimam latissimamque rerum omnium providentiam (cui omnes etiam impiorum voluntates subjacent, et a qua reguntur et diriguntur, quocumque ipsi libuerit) in Deo commendet.

Hic vero accessit alia peculiaris Pharaonem obdurandi ratio in Deo, videlicet, quod Deus Hebræos in loca hæc arcta adduxerit, eo quidem proprio fine, ut omnem suam spem in Deum conjicerent Hebræi, sed unde Pharaonem eos insequendi occasionem et voluntatem firmam ex pristina sua malitia, tyrannide et obstinatione concepturum prævidebat ; quam ejus voluntatem malam non intendit Deus, sed solum positive voluit permittere, idque ad hoc, ut Pharaonem hac ratione pertraheret ad mare Rubrum, ibique pro anteactis suis sceleribus et rebellionibus eum puniret atque mergeret. Simili stratagemate bellico milites, ut hostem eliciant, et ad insidias latentes pertrahant, pauci exeunt, hostique se os-

Sicut dux hostes pellicit ad insidias, ita Deus Pharaonem pellexit ad

(1) Necnon Des Vignoles *Chronologie*, tom. I, p. 660, tom. II, p. 138 ; atque Champollion, *L'Egypte sous les Pharaons*, tom. II, p. 70. Winer, *biblisches Realwörterbuch*, ad h. vocem, Phihahiroth sitam fuisse putat in ea regione, ubi hodie urbs *Adschrud* exstat.

mare Rubrum. tentant; insequitur eos turmatim hostis; cedunt illi sensim, hostemque ad insidias pertrahunt : inde prodit agmen instructum, quod hostem cingit et conficit; sicuti ergo pauci illi elicientes hostem eum fallere dicuntur, eumque pertrahere ad insidias, cum tamen proprie neque pertrahant ad insidias, neque fallant eum, sed tantum dent occasionem, qua illecti hostes eos persequantur, itaque sua culpa fallantur, et ipsi se fallant: simili modo cum Pharaone fecit hic Deus, ideoque dicitur eum obdurasse ad persequendum Hebræos.

Obduravit ergo hic Deus Pharaonem eo præcepto quod Mosi dedit, vers. 2, nimirum, ut castrametaretur ad mare Rubrum, e regione Phihahiroth inter rupes et montes; unde τὸ *et obdurabo* tantumdem est, ac si dicat : *itaque obdurabo cor ejus*; sciebat enim Deus Pharaonem, ubi audisset Mosen et Hebræos jam non ad tres diætas ad sacrificium abiisse, sed absolute fugisse, eosque jam esse conclusos mari et rupibus, statim rediturum ad suum ingenium, et pristinum propositum dominandi Hebræis, ideoque obdurato et obfirmato animo eos persecuturum, eo quod certo sibi persuaderet se eos obtenturum, nec ipsos posse manus suas effugere.

Secundo, hanc occasionem objecit Deus Pharaoni tam per nuntios, quam per seipsum, objiciendo ejus phantasiæ circa rem præsentem cogitationes ex se indifferentes de Hebræorum amplitudine, fuga et facilitate eos reducendi, ex quibus sciebat eum se obduraturum ad persequendum Hebræos; idque permisit Deus, quia statuerat eum hac ratione pellicere ad mare Rubrum, ibique eum submergere; jam enim omnino conclusum erat apud Deum de Pharaone puniendo, et morte mulctando, et apud Deum lata jam erat in eum sententia mortis, quam ut commode Deus exequeretur, usus est occasione jam dicta, qua eum pertraxit ad locum supplicii; hoc ergo loco obduratio in Deo non significat aliud, nisi judicium et vindictam Dei in Pharaonem, qua eum pellexit ad carnificinam maris Rubri.

Obdurares hic et pellicere ad locum supplicii.

Vide hic in Pharaone, quam vera sit sententia 42 in *Sententiis* S. Augustini : « Nihil infelicius est felicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas, et mala voluntas, velut hostis interior roboratur. »

ET GLORIFICABOR IN PHARAONE, — quando eum ad mare Rubrum pellectum aquis mergam cum universo exercitu; tunc enim omnibus apparebit gloriosa mea potentia, justitia et vindicta.

SCIENTQUE ÆGYPTII, — et præsentes mergendi, ut patet vers. 25, et reliqui, qui in Ægypto manserunt, qui ita attoniti et perculsi fuerunt suorum strage, et Dei Hebræorum metu, ut quisque opera sua quibus distinebatur eo die, ne Pharaonem sequeretur, itaque cum eo mergeretur, Deum suum vocaret, ait Apollonius Abbas apud Palladium in *Lausiaca*, cap. LII.

5. IMMUTATUM EST COR (id est voluntas et sententia) PHARAONIS SUPER (contra) POPULUM — Hebræorum, præsertim iram accendente expoliatione Ægyptiorum; videbant enim jam se spoliatos iis quæ commodato tantum dederant Hebræis. Vers. 5.

7. TULITQUE SEXCENTOS CURRUS. — Olim enim curribus falcatis, et in curribus depugnabant; currus enim sua falce demetebant homines, animalia, segetes; milites vero in ipsis curribus præliantes ferebantur et decurrebant in hostem : antiquissimi et primi currus, de quibus legimus, sunt hi Pharaonis. Vers. 7.

Tropologice, currus Pharaonis sunt currus vitiorum, de quibus vide S. Bernardum, serm. 39 *in Cant.*, ubi comparans Pharaonem cum diabolo, Ægyptum cum sæculo : « Ibi, ait, populus eductus est de Ægypto; hic homo de sæculo. Ibi prosternitur Pharao; hic diabolus. Ibi subvertuntur currus Pharaonis; hic carnalia et sæcularia desideria, quæ militant adversus animam, subruuntur. Illi in fluctibus, isti in fletibus. Marini illi, amari isti. Puto et nunc clamare dæmonia, si forte contingat incidere in talem animam : Fugiamus Israelem, quia Dominus pugnat pro eo. » Deinde Pharaonis, id est diaboli, principes et currus ita describit : « Habet namque malitia currum suum quatuor rotis consistentem : sævitia, impatientia, audacia, impudentia. Valde enim velox est currus iste ad effundendum sanguinem; qui nec innocentia sistitur, nec patientia retardatur, nec timore frænatur, nec inhibetur pudore; trahitur autem duobus admodum pernicibus equis, et ad omnem perniciem paratis, terrena potentia et sæculari pompa; præsident duobus his equis aurigæ duo : tumor et livor; et tumor quidem pompam, livor vero potentiam agit. » Pari modo luxuriæ, inquit, rotæ quatuor sunt : otium, mollities vestium, ingluvies et libido; equi duo sunt prosperitas vitæ, et rerum abundantia; auriga sunt ignaviæ torpor, et infida securitas. Simili modo avaritiæ rotæ quatuor sunt : pusillanimitas, inhumanitas, contemptus Dei, mortis oblivio; equi duo sunt tenacitas et rapacitas, cum suo auriga, qui est habendi ardor; sola siquidem avaritia, quoniam conducere plures non patitur, uno contenta est servitore : hactenus S. Bernardus. Idem in *Sent.* : « In Scriptura, ait, inveniuntur tres currus. *Primus* est elatio potentiæ temporalis, cujus auriga est tumor præsumptionis et audaciæ, habens equum propriæ confidentiæ. Rotæ ejus sunt præceps mobilitas vanitatis, et felix successio prosperitatis. Hic est currus Pharaonis, in quo moritur. *Secundus* est altitudo conversationis et vitæ. Auriga ejus est sermo commonitionis divinæ, habens equum votum perseverantiæ. Rotæ ejus sunt horrenda terribilitas tormentorum, et mira delectabilitas præmiorum. Hic est currus in quo legit cum Philippo Eunuchus, *Act.* VIII. *Tertius* currus est celsitudo contemplationis et gratiæ. Auriga ejus est

Currus Pharaonis sunt currus vitiorum, qui?

amor cœlestis patriæ, habens equum desiderium beatitudinis et vitæ. Rotæ ejus sunt improbatio gloriæ mundialis, et divinæ reverentia majestatis. Hic est currus igneus in quo Elias rapitur in cœlum. »

DUCES. — Hebraice שלישים *scaliscim*, id est, triumviros. Unde et Septuaginta *tristatas* vertunt; hinc apparet quod prisco illo tempore tres solerent præfici, esseque præfecti in exercitu et in aulis principum. Unde S. Hieronymus in *Ezech.* cap. XXIII : « Tristatæ, ait, qui et terni statores vocantur, nomen est secundi gradus post regiam dignitatem; de quibus scriptum est, II *Reg.* XXIII, 19 : Ad tres primos non pervenit (tres enim fortissimos milites et duces habuit David), qui principes equitum peditumque erant, pariter et tributorum, quos nos magistratus utriusque militiæ, et præfectos annonarii tituli nominamus. » Aliter Gregorius Nyssenus in *Canticum Mosis*, et Græcus Scholiastes : Antiqui, inquit, magnos faciebant currus, ut tres homines caperent, quorum unus erat auriga, duo reliqui milites pugnantes; hi dicuntur tristatæ, vel tristatas vocant robustos, et eos, qui adversus tres possent consistere. Hesychius vero : Tristata, inquit, est satelles regius, quia tria vibrabat hastilia. Alii : Tristata, inquiunt, idem est quod triarius.

Tristatæ qui?

Tropologice, tristatæ, vel terni statores sunt dæmones, qui stant in omnibus vitæ hujus viis, ut vel in factis, vel in verbis, vel in cogitationibus homines ad peccatum impellant. Ita Origenes (1).

Vers. 10. 10. ET TIMUERUNT VALDE. — Non enim erant assueti bello et gladiis, sed oneribus et jugo : esto essent sexcenta millia armatorum; sic enim centum millia rusticorum facile a decem millibus exercitatorum militum conficiuntur.

CLAMAVERUNTQUE AD DOMINUM, — in voces desperabundas eruperunt; unde increduli tam dure cum Mose expostularunt : nil enim nisi mortem, vel servitutem exspectabant, uti sequitur. Quare non videtur verum, quod ait Josephus, Hebræos parasse se ad prælium, ut confligerent cum Ægyptiis. Nimirum talia ipse subinde historiæ affingit, quæ faciunt ad honorem suæ gentis.

Vers. 13. 13. NOLITE TIMERE. — Moses duro et incredulo populo mansuete respondet, memor vocationis Dei, et salutis populi potius, quam injuriarum.

Oratio Mosis ad populum ex Josepho. Josephus ait Mosen populum tumultuantem placasse et animasse hac oratione : Deus vos in arctum hunc locum concludi voluit, ut hic suam in vos curam et potentiam ostenderet : hic ergo locus magis vos ad spem excitare debet; Deus enim maxime adest in arduis, quando spei superest minimum. Ille vos ex Ægypto vocavit, ille viam et exitum dabit, ipse potest hosce montes in planitiem, et hoc mare in terram vertere.

(1) Vers. 8. *Egressi erant elata manu*, id est, gestientes et triumphantes de Ægyptiis, ait Gesenius; palam, inspectantibus omnibus, ait Rosenmullerus. Melius Maurer, potentia magna, scil. Dei ope adiuti.

MAGNALIA. — Hebraice ישועה *iescua*, id est *salutem*.

14. DOMINUS PUGNABIT PRO VOBIS, ET VOS TACEBITIS, — vos quiescetis, otiose et jucunde hanc Dei pro vobis pugnam et prælium spectando (2). Vers. 14.

Moraliter, vide hic quam fortiter in arctis sperare in Deum, eumque invocare debeamus, quamque intrepide eum vocantem, per avia et invia sequi debeamus, ac contra spem in spem cum Abrahamo credere, quod ipse nos tutabitur, et ad felicem exitum perducet. Ita Psaltes, *Psalm.* XXVI, 3 : « Si consistant, inquit, adversum me castra, non timebit cor meum; si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo. » Et Job, cap. XIII, vers. 15 : « Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo. » Recte S. Augustinus in *Soliloq.* cap. XV : « In arduis et arctis constanter Deo crede, eique te totum committe, quantum potes; ita etiam ipse te ad se sublevare non desinet, nihilque tibi evenire permittet, nisi quod tibi prosit, etiamsi nescias. » Ita Psaltes, *Psal.* IV, vers. 10 : « In pace, ait, in idipsum dormiam, et requiescam : quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me. » Spes enim non confundit; quia Deus, qui jubet magna a se sperari, fidelis est, majorque et liberalior omni spe nostra. Hinc Ecclesiasticus, cap. II, vers. 11, asserit : « Scitote quia nullus speravit in Domino, et confusus est. » Et Isaias, cap. XL, vers. 31 : « Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient. » Et Habacuc, cap. III, vers. 18 : « Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Jesu meo. » Deus enim, quia magnificus est, non vult spe nostra vinci, sed eam superare : hinc merita supplicum excedit et vota.

Moraliter, vide, etc. Moraliter, in arctis adest Deus sperantibus in se.

Hujus autem spei cos et basis est bona conscientia : « Quoniam si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, et quidquid petierimus, accipiemus ab eo, » ait S. Joannes, *Epist.* I, cap. III, vers. 21.

Gratiarum actio elidit omnes tentationes.

Rursum solerter hic adverte, et disce singulare remedium contra omnes tentationes et tribulationes esse, si quis in iis non fiat pusillanimis, nec murmuret, sed Deo generose se resignet, eique gratias agat. Audi Abbatem Sanctum, in *Vitis Patrum*, tract. *De Fortitudine* : « Frater, inquit, quidam erat in cella, et venit super eum tentatio, et si quis eum videbat, nec salutare eum volebat, neque in cellam recipere; et si opus habebat panem, nemo mutuabat ei; et si de messe veniebat, nemo eum, sicut erat consuetudo, ut reficeret, invitabat. Venit autem semel de messura per cauma, nec panes habuit in cella sua; et in his omnibus gratias agebat Deo. Videns autem Deus patientiam ejus, abstulit bellum tentationis ab eo. Et ecce quidam statim ostium pulsabat, tra-

A patiente bellum tentationis aufert Deus.

(2) Alii : Tacete, clamare desinite.

hens camelum onustum pane; quod cum vidisset frater ille, cœpit flere dicens : Domine, non sum dignus vel modice tribulari. Et cum transisset tribulatio ejus, tenebant eum fratres in cellis suis, et repausabant eum. » Qui ergo despiceris, odia pateris, rideris, angustiaris, tribularis, sequere et experire hanc praxim, Deo gratias age : Deus animos mutabit, omnesque tibi benevolos efficiet, ac tentationem auferet. Novi qui reipsa idipsum experti sunt non semel. Merito ergo S. Chrysostomus, tom. V, scripsit homiliam hoc argumento : « Quod maximum lucrum in tribulationibus est gratiarum actio. »

Denique vide hic in Hebræis, quam verum sit illud *Isaiæ* XXX, 15 : « In spe et silentio erit fortitudo vestra. » Quid est silentium? quanti est taciturnitas? Audi Joannem Climachum, *gradu* 11 : « Taciturnitas est mater orationis, captivitatis revocatio, ignis divini amoris observatio, cogitationum diligens inspectio, specula hostium, lacrymarum amica; memoriæ mortis operatrix, judicii indicatrix, quietis conjux, scientiæ adjectio, secretus in Deum profectus, occultus ascensus. » De silentio plura dicam *Isaiæ* XXX.

Vers. 15. 15. DIXITQUE DOMINUS AD MOYSEN : QUID CLAMAS AD ME? — Subticet Scriptura more Hebræo factum prævium, videlicet Mosen ferventi mentis in Deum elevatione coram eo orasse, esseque prolocutum ea, quæ paulo ante, vers. 13 et 14, dixerat Hebræis; quem proinde Deus exaudiens dicit : « Quid clamas ad me? » non reprehendens ejus orationem, sed blandiendo eum consolans, docens et excitans ad miraculi sequentis, puta transitus maris Rubri, spem et aggressum. Hanc enim vim sæpe apud Hebræos habet interrogatio, uti illa Christi ad matrem : « Quid mihi et tibi est mulier? » non castigatio, sed spei est probatio eam exacuens. Sic *Genes.* XLVII, 19, dicunt Ægyptii Josepho : « Cur moriemur te vidente? » Et Dominus ad Mosen, *Exodi* cap. IV, vers. 2 : « Quid est quod tenes in manu tua? »

Clamor in auribus Dei est desiderium vehemens.

Porro, « clamor, inquit S. Bernardus, serm. 16 *in Psal.* XC, in Dei auribus est desiderium vehemens; » contra remissa intentio est vox submissa. Sic S. Augustinus, *Quæst.* LII, et S. Hieronymus in *Psalm.* V, et S. Chrysostomus, homil. *De muliere Chananæa,* ubi pulchre docet, quomodo ubivis, etiam dum cum aliis versamur, mente ad Deum clamare nos oporteat. Vere dixit ille : « Apud Deum valet non magnus clamor, sed magnus amor. » Et Cassiodorus in *Psalm.* XVI : « Ipsius est oratio perfecta, cujus et causa clamat, et lingua, et actus, et sermo, et vita, et cogitatio. » Et S. Augustinus in *serm.* : « Cum oras, ait, clama non voce, sed mente. Nam et tacentes exaudit Deus, nec quæritur locus, quantum sensus. Jeremias confortatur in carcere, Daniel inter leones exultat, tres pueri in fornace tripudiant, Job nudus in sterquilinio triumphat, paradisum latro de cruce invenit : non est locus ubi non sit Deus. »

Oratio Mosis ad Deum, ex Josepho.

Josephus Mosen ita orasse tradit : « Tuum est, Domine, hoc mare, tuus est hic mons, qui nos claudit : si vis, et potest hic te jubente aperiri, et illud in terram verti; possumus et per aerem sublimes effugere, si ita servare nos tibi placeat. »

Vers. 16. 16. UT GRADIANTUR FILII ISRAEL IN MEDIO MARI, — per ipsum mare altum et vastum; medium ergo hic non præcise medium significat; sic ille ait : « Mediis sitiemus in undis. »

Vers. 17. 17. EGO AUTEM INDURABO COR ÆGYPTIORUM, UT PERSEQUANTUR VOS. — Objiciam enim oculis et menti eorum vestra vestigia (vosque sicco pede mare transeuntes), quæ ipsi fidenter et audacter insequentur, nescientes ibi sibi laqueum parari. Rursus, Deus hic ademit Ægyptiis apprehensionem et timorem incedendi per alveum maris Rubri; unde per illum, æque ac per terram animose ingressi sunt, ut persequerentur Hebræos. Sic ergo excæcavit et obduravit eos Deus, ut eos in hanc muscipulam illiceret, caperet et opprimeret.

Vers. 19. 19. TOLLENSQUE SE ANGELUS DEI, QUI PRÆCEDEBAT CASTRA ISRAEL, ABIIT POST EOS, ET CUM EO PARITER COLUMNA NUBIS. — « Angelus, » scilicet in columna nubis delitescens, in eaque se ostendens : neque enim Angelum in sua essentia, aut humana aliave indutum forma, sed tantum nubis specie moventem se viderunt Hebræi. Ita Rupertus. Unde Hebræa habent : *Profectus est Angelus, et cum eo profecta est columna nubis.*

Hinc colligas cum Cajetano de die hæc contigisse : columna enim nubis per diem tantum apparebat, sicuti columna ignis tantum per noctem.

Porro spectro hoc, puta quod Angelus cum columna præiens castra, transferret se ad finem castrorum, eaque sequeretur, itaque se interponeret inter castra Hebræorum et Ægyptiorum, significabat Deus, se sollicitam populi sui curam et tutelam gerere, adeoque claudere agmen Hebræorum, ut eos omnes ab Ægyptiis tutaretur, eo modo qui sequitur.

Nota : Licet columna hic sequeretur castra a tergo, tamen simul ex se radios quosdam emittebat eminus ante primam aciem, qui viam ostenderent, qua pergerent ad mare Rubrum : proficiscebantur enim continuo Hebræi, uti jusserat Deus vers. 15.

Simili modo Angelus deduxit acies Christianorum in Terra Sancta in invio errantes. Anno enim Domini 1144, cum exercitus Christianorum insidiis circumventus, et in extremas angustias conjectus, ab obsidendo Bostro metropoli Arabum recederet, duce cœlesti nuntio incolumes omnes ad propria redierunt. Cum ergo in inevitabilia incidissent discrimina, et errarent omnes in invio et non in via, et angustiis locorum interclusi essent, ab ingruentibus hostibus cædendi, nec haberent ducem, qui agmina præiret, et locorum, per quæ transituri erant, haberet peritiam : ecce subito cohortes præcedens miles quidam igno-

tus, albi sessor equi, rubei coloris vexillum bajulans, lorica indutus, curtis ad cubitos manicis, antecedebat exercitum. Hic tanquam Angelus Domini exercituum viarum sequens compendia, ad aquas prius incognitas congruis et commodis stationibus castra metari docebat: qui illis deductis Hierosolymam usque, illo admirabili perfunctus ministerio ab omnium mox evanuit oculis. Ita Guilielmus Tyrius, lib. XVI *Belli sacri*, cap. XII, et ex eo Baronius, anno Christi 1144.

Vers 20. 20. ET ERAT NUBES TENEBROSA, ET ILLUMINANS NOCTEM, ITA UT AD SE INVICEM TOTO NOCTIS TEMPORE ACCEDERE NON VALERENT, — *q. d.* Columna hæc nubis ea parte, qua Ægyptios respiciebat, ita densabatur, itaque se instar crassæ nubis expandebat, ut Ægyptii Hebræos neque cernere, neque accedere possent; sequerentur tamen præcedentem se columnam nubis : eadem tamen columna ea parte, qua Hebræos respiciebat, habebat speciem ignis, castra eorum illuminans, ut possent proficisci et transire mare Rubrum; assidue enim hac nocte proficiscebantur Hebræi, uti jam dixi. Unde Chaldæus vertit, *erat nubes, et obscuritas Ægyptiis. Israeli autem erat lux tota nocte.* En quomodo eadem columna Deus suos protegat, et hostes plectat. Sic tropologice, ait Rupertus, eadem virtus, quæ piis lucet, impios excæcat; sic crux Christi virtus est credentibus, Judæis vero scandalum (1).

Columna illuminans Hebræos, et obnubilans Ægyptios.

Sic virtus piis lucet, impios excæcat.

Vers. 21. 21. CUMQUE EXTENDISSET MOSES (invocato prius numine, ait Josephus) MANUM SUPER MARE, ABSTULIT ILLUD DOMINUS FLANTE VENTO (cum simul eodem tempore afflaret ventus) VEHEMENTI ET URENTE TOTA NOCTE, ET VERTIT IN SICCUM. — Putant aliqui, uti S. Basilius in *Catena*, hanc maris divisionem factam esse per ventum urentem, vel propellentem et extrudentem aquas, vel easdem siccantem et absumentem; sed hoc parum est credibile, neque enim idem ventus aquas impellere, aut siccare, et simul easdem sistere, ne in alveum vacuum defluerent, potuisset. *Secundo*, ut demus id fieri potuisse, tamen mox ut cessabat ventus, aquæ maris elevatæ refluxissent in alveum suum pristinum, et tam profundum; cessavit autem ventus, dum transirent Hebræi, quia alioqui molestissimum eis fecisset transitum.

Ventus non divisit mare Rubrum.

Sed Angelus. Igitur Mose extendente virgam super mare, mox, non ventus, sed Angelus divisit mare, ita ut utrimque in modum muri intumescens consisteret, relicta in medio via, qua Hebræi transirent; ventus vero a Deo immissus est tantum ad hoc, ut alveum jam divisum, aquisque vacuatum plane siccaret et solidaret, auferendo quicquid in eo reliquum erat humidi et lutulenti.

Divisio ergo maris in tanta latitudine, subito facta est ab Angelo; exsiccatio vero fundi maris per ventum, successive facta est, inquit Cajetanus. Ita et Abulensis et Pererius.

Quanta divisio facta sit in mari Rubro?

Nota : Hanc maris divisionem ingentem fuisse, tum quoad latitudinem (mare enim Rubrum habet spatium sex leucarum in latitudine, ut docet Adrichomius), tum quoad longitudinem; nam per eam transire debebant spatio unius noctis, imo mediæ tantum noctis, omnia castra Hebræorum, quæ præter currus et jumenta, facile constabant tribus millionibus hominum : ergo longitudo hujus scissuræ maris debebat esse ingens, ut per eam simul incedere et transire possent plurimi hominum et animalium ordines : si enim unus post alium transisset, impendissent in transitu plures, non solum dies, sed et septimanas. Hanc Mosis fiduciam imitatus S. Hilarius simile in mari miraculum patravit. Nam circumdatus a piratis, cunctis trepidantibus subrisit : « Modicæ, ait, fidei, quare trepidatis? Numquid plures sunt quam Pharaonis exercitus? tamen omnes Deo volente submersi sunt : ac porrecta manu contra venientes : Hucusque venisse sufficiat; statimque piratæ, quantumcumque remigarent, retro ad littus repulsi sunt, » ait S. Hieronymus in ejus Vita.

FLANTE VENTO VEHEMENTI ET URENTE. — Hebraice est, *cum vento Orientali forti.* Orientalis autem calidus est et urens. Septuaginta et Philo putant fuisse Austrum, et consequenter per contrarium, puta Aquilonem, reductum fuisse mare, cum obruit Ægyptios; nimirum sicuti Meridies annumeratur Orienti, ita et Auster Euro Orientali. Vide dicta cap. X, vers. 13 (2).

Ordo historiæ divisionis maris Rubri.

Nota : Hebræi accesserunt ad mare sub initium noctis, et primæ vigiliæ : mox Moses percussit mare, illudque statim divisit Angelus, ac statim induxit ventum validum et urentem, qui ab initio noctis usque ad mediam noctem et ultra jugiter flans siccavit alveum : siccato alveo, et cessante vento, Hebræi post mediam noctem in tertia vigilia ingressi sunt maris alveum, et circa medium quartæ vigiliæ, evaserunt omnes ad alterum littus : Ægyptii vero circa finem tertiæ vigiliæ, Hebræos insequentes, ingressi sunt mare; sed mane approximante in quarta vigilia, cum jam Hebræi essent mare transgressi, Ægyptii vero omnes essent in medio mari, id est maris alveo, mox Mose per virgam percutiente aquas, illæ in pristinum

(1) Hunc vers. ex hebr. ita interpretatur Maurer ad h. l. : *Et facta est* columna illa, apparuit ut *nubes et tenebræ* (nubes tenebricosæ; est hendiadys), scil. ex una parte (Ægyptiorum); et eadem illa *collustravit noctem*, scil. ex altera parte (Hebræorum). Probe tenendum, non duplicem columnam, alteram nubis, ignis alteram, Israelitis viam monstrasse, sed unam tantum fuisse, talem quidem, quæ interdiu noctis speciem, noctu flammæ lucentis referret.

(2) Multi putant voce קדים h. l. non respici ad plagam cœli, unde hic spiravit ventus, sed ventum *vehementem*, undequaque flaverit, significari. Cf. *Ps.* XLVIII, 8; *Ezech.* XXVII, 26; *Job*, XXVII, 21; *Jerem.* XVIII, 17; *Is.* XXVII, 8. Ita et Vulgatus interpres, qui vertit, *vento vehementi et urente*, quia ventus קדים alias adurere dicitur.

alveum redeuntes operuerunt et oppresserunt Pharaonem omnesque Ægyptios.

Hoc Mosis miraculum imitari se velle finxit Pseudomoses Cretensis, tempore Theodosii Imperatoris sub annum Domini 433. Audi Socratem, lib. VII *Hist.* cap. XXXVII : « Judæus, inquit, quidam veterator se Mosen esse simulavit, deque cœlo demissum dixit, ut Judæos qui Cretam insulam incolebant, per mare in continentem in terram promissionis traduceret : se namque eumdem esse, qui olim Israelem per mare Rubrum ducens, conservasset. Ubi dies ab eo præstituta advenit, ille præcedere, subsequi omnes cœperunt. Eos ergo ad promontorium mari imminens deducit : ex eo se in mare præcipitare jubet. Primi ita faciunt; ac pars præcipitio obtriti, pars aqua demersi perierunt; ac multo plures interiissent, nisi Christiani piscatores et mercatores eos extraxissent, et alios se præcipitare volentes prohibuissent. Pseudomoses requisitus non comparuit : unde opinio fuit eum dæmonem fuisse : inde multi Judæi ad Christum conversi sunt. »

TOTA NOCTE. — Non quod tota nocte, sed quod majori ejus parte flaverit hic ventus, scilicet usque ad ingressum Hebræorum in mare, qui factus est post mediam noctem; nam ipsi ante lucem non tantum ingressi, sed et transgressi sunt maris alveum cessante jam vento : postquam enim Hebræi mare transgressi sunt, mersi sunt Ægyptii eos insequentes in vigilia matutina.

An in 12 sectiones divisum sit mare? Affirmant Hebræi.

DIVISAQUE EST AQUA. — Tradunt Hebræi, quos sequitur Origenes hic *hom.* 5, et Genebrardus in *Psal.* CXXXV, mare Rubrum divisum esse in 12 sectiones, sive partes, ita ut pari gressu per illud incederent 12 tribus : quælibet enim in sua sectione incedebat. Probantque hoc ex *Psal.* CXXXV, vers. 13, ubi dicitur : « Qui divisit mare Rubrum in divisiones; » plures ergo erant, nimirum 12, tot enim erant tribus.

Negant Latini, idque verius est.

Verum incerta est hæc traditio, cujus nulla est mentio in Scriptura, quæ rem tam memorabilem non tacuisset; imo unicam tantum fuisse maris sectionem docent Philo, Theodoretus, Abulensis, Lyranus et Euthymius in *Psal.* CXXXV, et alii : atque satis innuit Scriptura, cum divisam ait esse aquam, ubi Hebræa habent יבקעו המים *iibbakeu hammaim*, et Septuaginta διεσχίσθη τὸ ὕδωρ, *diffissa est aqua*, sicuti findimus ligna, dum ea in duas partes dissecamus. Deinde vers. 22, ait murum fuisse aquæ a dextera Hebræorum, et a sinistra, eosque per medium alveum incessisse : ergo una fuit sectio, non duodecim. Favet etiam huic sententiæ id, quod dicitur *Psal.* CV, vers. 9 : « Deduxit eos in abyssit (græce ἐν ἀβύσσῳ, in abysso) sicut in deserto, » id est via latissima, quales sunt in deserto, verbi gratia in myricis Campiniensibus; una ergo tantum maris fuit, eaque latissima sectio.

Ad illud *Psal.* CXXXV, respondeo : Divisionem unam vocari divisiones, tum propter amplitudinem, quia una erat instar plurium, inquit Lyranus; tum quia divisiones ponuntur pro rebus, vel partibus divisis; hæ autem erant plures, id est duæ : nam Hebræi eumdem habent pluralem, et dualem numerum : unde plura vocant duo. Divisiones ergo hic vocantur duo latera maris divisi, quæ quasi duo muri utrimque consistebant, medium præbentes transitum Hebræis. Has divisiones explicat hic Moses, dum dicit quod Deus ita divisit mare, ut aquæ essent Hebræis pro muro a dextris et a sinistris.

Vers 22. Moses primus, secundus Aminadab ingressus est mare.

22. ET INGRESSI SUNT FILII ISRAEL PER MEDIUM SICCI MARIS, — præeunte Mose, ait Josephus. Hebræorum traditio est, tribum Juda ejusque ducem Aminadab, cæteris trepidantibus, primum ingressum esse mare, ideoque tribum Juda deinceps fuisse primam et ducem aliarum, meritamque esse regnum; et huc alludi *Cantic.* cap. VI, vers. 11 : « Anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab. » Et *Osee* cap. XI, vers. ultimo : « Judas autem descendit testis cum Deo, et cum sanctis fidelis; » licet S. Hieronymus ibidem hanc traditionem fabulam vocet.

Nota τὸ *sicci* : non enim ita siccus erat maris fundus, uti sicca est arena, sed uti siccus est campus per quem sicco pede amœne transeunt viatores. Hoc enim est quod ait *Sapiens* cap. XIX, vers. 7 : « In mari Rubro via sine impedimento, et campus germinans de profundo nimio; » quod licet Jansenius ibi figurate explicet, *q. d.* Ita jucunde transierunt Hebræi per alveum maris, ac si transissent per campum frondibus et floribus vernantem : tamen melius noster Joannes Lorinus ibi, et Pineda in *Job* cap. XXVI, vers. 5, proprie accipiunt. Tradit enim Plinius, lib. XIII, cap. XXV, Rubri maris alveum herbidum esse, oleæ laurique feracem. Addit noster Gaspar Sanchez in *Isaiæ* cap. LXIII, vers. 55, Deum, uti miraculo siccavit et complanavit Hebræis alveum maris Rubri, ita et miraculo effecisse ut idem alveus subito germinaret et vernaret instar amœnissimi campi ad Hebræorum consolationem et oblectationem. Celebrat enim ibi Sapiens opera non naturæ, sed miraculosa Dei.

Sanctis serviunt omnes creaturæ.

Vide hic Dei in suos bonitatem et potentiam : « Si voluntati ejus obtemperes, si legem ejus sequaris, ipse tibi elementa, etiam contra naturam suam servire compellet, » ait Origenes. Ita servire fecit ignem tribus pueris in fornace Babylonica, ut eis immitteret suavem auram, et quasi ventum roris refrigerantem, impios vero Chaldæos combureret. Ita servire fecit aquas diluvii Noe, eum in arca vectando et conservando, impios vero submergendo. Ita servire fecit leones Danieli in lacu; solem Josue ad prosequendam victoriam, *Josue* X, 13; Jordanem Hebræis ad transeundum in Chanaan, *Josue* III, 16; tonitrua Samueli, I *Reg.* XII, 18; corvos Eliæ, ut panem ei afferrent; ursos Elisæo, ut pueros ei conviciantes punirent et laniarent. Ita Christo et Apostolis ser-

vivit ignis in Pentecoste; aer et venti, cum eo jubente siluerunt; mare, cum super illud ambulavit, et cum eo jubente Petro piscanti copiam piscium dedit; terra et saxa, cum in passione scissa sunt; Angeli, cum stellam Christi nati indicem Magis dederunt, cumque cecinerunt : *Gloria in excelsis Deo.* Ita servierunt pisces et aves S. Francisco, cum ei concionanti applauserunt et cantillarunt, eoque rursum jubente siluerunt. Ita Satyri et Fauni iter ad S. Paulum ostenderunt S. Antonio, et leones unguibus effoderunt sepulcrum, in quo S. Paulum sepeliret. Ita Gregorio Thaumaturgo servivit mons, dum loco cessit, ut ecclesiam ædificaret; item Lycus fluvius, dum se contraxit, ne in agros exundaret. Ita Theodosio imperatori pio servierunt venti, dum tela hostium in ipsosmet retorserunt, in pugna contra Eugenium tyrannum. Ita araneæ servierunt S. Felici Nolano, dum eum subito sua tela texerunt, ne a persequentibus inveniretur. Memoria ejus agitur 14 januarii.

Vestigia hujus ingressus et transitus Hebræorum, ac tractus curruum, rotarumque orbitas manere, et divinitus semper reparari, tum in littore, tum in ipso mari Rubro tradit Orosius, lib. I, cap. x (ubi addit circa hoc tempus contigisse quoque Phaetonis incendium). Idem insinuat Diodorus in *Catena*, qui fuit præceptor S. Chrysostomi, qui et addit Gentiles hunc transitum Hebræorum sicco pede per mare, ascripsisse non miraculo, sed reciprocationi maris. Idem dixerunt Memphitæ teste Eusebio, lib. IX *De Præpar.* cap. ult.; quin et Josephus dubitat an divisio hæc maris miraculosa fuerit, an naturalis. « Nam et Alexandri Magni ductu, inquit, mare Pamphylium cessit, et iter aperuit, cum Deus ejus opera, ad destruendum Persarum imperium, uti decrevisset. »

Divisionem maris Rubri reciprocationi naturali tribuerunt Gentiles.

Refelluntur.

Verum clarissimum est hanc divisionem maris fuisse ingens miraculum : nulla enim maris reciprocatio mare findit, ita ut in medio ejus fiat via amplissima ad transeundum, uti hic factum est; refluxus enim maris nudat tantum aquis littora, vel littoribus vicina loca. Rursum nullus refluxus maris efficit, ut utrimque aquæ instar muri assurgant, et consistant immobiles, donec transeat populus, et mox revolvantur in hostes eum persequentes.

Quod de mari Pamphylio ait Josephus, illud Alexandro cessisse, fabula est; nam, ut docet Strabo, lib. XIV, Alexander non illud penetrando et pervadendo, sed illius littus obliquando tantum, cum suis transivit umbilico tenus; prospera tamen in hac sua audacia usus est fortuna, in eo quod, in hieme illud transiens, fluctibus illius redeuntibus, ab iis non sit oppressus.

Divisio maris Rubri et Jordanis in qua-

Nota : Huic divisioni maris similis fuit divisio Jordanis, facta sub Josue, per quam Hebræi penetrarunt in Chanaan; eadem tamen illi dissimilis fuit, *primo*, in eo quod divisio maris facta est per Mosen, extendentem in illud suam virgam; divisio vero Jordanis facta per præsentiam arcæ Domini. *Secundo*, in mari diviso aquæ utrimque quasi muri constiterunt; in Jordane vero inferior pars defluxit in mare Mortuum, superior substitit et intumuit assidue aquis affluentibus; cum vero transissent Hebræi, non subito, sed sensim detumuit et defluxit, ne ripas et campos obrueret, et hac parte mirabilior fuit divisio Jordanis quam maris Rubri. *Tertio*, in mari submersi sunt Ægyptii; nullus vero mersus est in Jordane. *Quarto*, in mari Deus immisit ventum ad fundum limosum siccandum : id vero non fecit in Jordane, quia ejus alveus est parvus et arenosus. Hinc patet longe majorem et mirabiliorem fuisse divisionem maris, quam Jordanis. Unde Chananæi aliique Gentiles, illa audita, obstupuerunt et elanguerunt, ut patet *Josue* II, 11, et *Judith* cap. v, vers. 12.

tuor rebus discrepant. Primo. Secundo. Tertio. Quarto.

Allegorice Apostolus, I *Corinth.* x : « Patres, inquit, nostri in Mose baptizati sunt in nube et in mari. » Baptizati sunt, scilicet typice, et in figura, ut ibidem ait Apostolus; nam transitus Hebræorum per mare Rubrum significabat Christianos per baptismum et sanguinem Christi baptismo contentum, transire in novam vitam gratiæ; nubes significabat sanctificationem Spiritus Sancti, Moses Christum, virga crucem, Pharao diabolum et peccatum, manna Eucharistiam. Ita Theodoretus, Origenes et Ambrosius, lib. II *De Sacram.*, cap. VI; Augustinus, *serm.* 90; Prosper, I part. *Prædic.* cap. XXXVIII; Tertullianus, lib. *De Baptismo*, cap. IX; Cyprianus, epist. 76 *ad Magnum*, et alii.

Allegorice transitus maris Rubri significabat baptismum.

Tropologice, pulchre docet Nyssenus in Vita Mosis, quomodo vitia cum armis suis mergere debeamus. « Ægyptiorum enim equites, inquit, pedites et currus, sunt animi passiones, quibus servitute homo subjicitur. Quid enim ab illo Ægyptiorum exercitu ira effusa, voluptas effrænata, dolor immoderatus, avaritiæ fœditas differt? nonne quasi hasta tremens iræ impetus est? nonne quasi effrænati equi huc et illuc currum trahentes, nimiæ voluptates animum vexant? Erant etiam Tristatæ in curribus, tres videlicet in singulis bellatores, quibus tripartitam animi potestatem intelligi credimus, rationalem scilicet, concupiscibilem, irascibilem, has tres potentias depravatas. » Deinde docet hæc omnia baptismo mergi, et cum ex eo emergimus, nihil ex iis attrahendum esse, sed omnia in aqua submersa relinqui debere.

24. JAMQUE ADVENERAT VIGILIA MATUTINA, ET ECCE RESPICIENS DOMINUS SUPER CASTRA ÆGYPTIORUM PER COLUMNAM IGNIS. — Τὸ *respiciens* significat columnam nubis quasi se aperuisse, ut Angelus in ea latens per lumen coruscum se ostenderet, et intueretur castra Ægyptiorum, ac mox in ea ejacularetur tonitrua, fulmina, lapides, aut ignita tela, quibus rotas et equites curribus excussit, ut hic

Vers. 24

Deus fulmina ejaculatus est in Ægyptios.

dicitur. Unde et Ægyptii dixerunt : « Fugiamus Israelem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos. » Ita Lyranus et alii. Audi et Josephum : « Accesserunt, inquit, et imbres de cœlo, et aspera tonitrua fulgoribus simul intermicantibus ; fulmina quoque deferebantur ; nihilque omnino deerat eorum, quæ ab irato Deo hominibus ad perniciem immitti solent, nox quippe caliginosa nimis ac tenebrosa eos comprehendit, atque ita totus ille exercitus est deletus, ut ne nuntius quidem cladis domum reverteretur. » Unde et hic, vers. 28, dicitur : « Nec unus quidem superfuit ex eis. » Ecce hic quam verum illud : « Fortuna vitrea est ; dum splendet, frangitur. (1) »

Omnes Ægyptii ad unum in mari perierunt.

INTERFECIT EXERCITUM, — partem exercitus ; est synecdoche : nam alia pars hac cœlesti suorum strage territa, dum fugam parat, ab aquis recurrentibus est absorpta.

Ubi nota hanc cladem e cœlis ab Angelo illatam contigisse, antequam revolveretur mare per Mosen ; nam post Angeli cladem territi fugerunt Ægyptii, fugientibusque occurrerunt aquæ maris ad suum alveum redeuntes, jam a Mose revolutæ, quibus reliqua a priore clade exercitus pars absorpta est et submersa, ut patet vers. 26 et seq.

Ægyptiorum 250 millia perierunt in mari Rubro.

Josephus scribit hac clade universim periisse in mari Rubro Ægyptiorum scutatorum peditum ducenta millia, et equitum quinquaginta millia. Periit et ipse Pharao, sed ultimus, si credimus Hebræis et Abulensi, ut nimirum prius omnium suorum spectaret cladem, antequam eadem ipse periret, itaque longius et gravius cruciaretur. Eusebius in *Chronic.* hunc Pharaonem vocat Cenchrem.

Vers 25.

25. ET SUBVERTIT ROTAS CURRUUM. — Septuaginta vertunt, συνέδησε τοὺς ἄξονας τῶν ἁρμάτων, impedivit, vel colligavit rotas curruum. Unde videntur ipsi pro וַיָּסַר *vaiasar*, id est amovit, abjecit, evertit, legisse וַיִּצַר *vaiatser*, id est constrinxit, ut scilicet progredi non possent. Unde et Vatablus vertit, *constrinxit rotas curruum, et duxit eos graviter*, vel *difficulter, q. d.* Agebant ægre currus suos Ægyptii, uti solent magna difficultate agi, cum constrictæ vel detractæ sunt rotæ. Verum Hebræa habent *vaiasar*, et ita legit Chaldæus, Noster et alii (2).

FEREBANTURQUE IN PROFUNDUM. — Currus enim prius elati per rotas, jam rotis excussis simul cum rotis deprimebantur in profundum, id est in ipsum maris alveum jam aquis vacuatum, et mox iis rursus replendum. Hebraice est, *duxit eas*, scilicet rotas, « in gravitatem, » id est, in profundum ; est metalepsis, quia gravia tendunt in imum et profundum : hinc gravitas vocatur ipsa profunditas.

Moraliter. Omnis potentatus vita brevis

Moraliter disce hic *primo*, quam verum sit illud *Sapient.* : « Omnis potentatus vita brevis, » et maxime, « omnis tyrannidis vita brevis. » En tibi Pharao a Mose monitus, monitaque contemnens, cum acerrime Hebræos opprimit in latere et luto, post mensem unum vita et regno spoliatur. Julius Cæsar invasor imperii, post triennium in curia a senatoribus confossus interiit. Cyrus a monarchia sua, puta a capta Babylone, triennium duntaxat regnavit, atque a Thomyri regina Scytharum cæsus, capiteque amputato, ac in culeum sanguine plenum conjecto, ab ea insultante audivit : « Satia te, Cyre, sanguine, quem tantopere sitivisti. » Alexander Magnus sex annos tantum a cæso Dario ut monarcha imperavit. Quare Apelles pinxit eum quasi fulgur, quod uti subito apparet, ita et cito disparet.

Tyrannorum mors est violenta.

Secundo, quam verum sit illud Poetæ :

> Ad generum Cereris (*ad Plutonem, ad Orcum*) sine cæde et sanguine pauci
> Descendunt reges, et sicca morte tyranni.

Excubat enim in tyrannos justa Dei vindicta, ut qui alios vita et bonis spoliarunt, iisdem violenter ab aliis spolientur. Ita Pharao, ita Cæsar, ita Cyrus, ita Alexander violenta morte sublati sunt. Ita Diocletianus et Maximianus tyranni jurarunt se Christianos omnino deleturos, aut imperium deposituros : quare cum Christianos delere non possent, indignantes eodem die imperium deposuerunt ; et paulo post Maximianus imperium recipere volens, a Constantino imperatore ad laqueum Massiliæ adactus est ; Diocletianus tabe et putredine a Deo immissa consumptus est. Ita Aurelianus imperator, persecutor Christianorum, post annum a rege Persarum captus, factus est orbis ludibrium : rex enim eo pro scabello utebatur, cum equum esset conscensurus ; idem Bajazeti Turcarum tyranno fecit Tamberlanes rex Tartarorum. Ita Julianus Apostata post biennium imperii, cœlesti telo confossus occubuit. Ita Valens Arianus orthodoxorum persecutor, in paludibus a Gothis in casa, ad quam victus confugerat, combustus est. Ita Anastasius hæreticus impiusque Imperator a Deo fulmine percussus, in tartara dejectus est. Ita Nero, cum sibi manus præ debilitate inferre non posset, a suo spadone interemptus est. Ita Decius, Maxentius, Domitianus, Otho, Galba, Vitellius, aliique plurimi tyranni celeri et violenta morte perierunt.

Vanitas regnorum

Tertio, disce hic vanitatem regnorum pomparumque mundi. Quid est vita humana ? est comœdia, in qua unus personam regis, alius personam militis, alius rustici, alius consiliarii, alius

(1) « Hebræi ante exilium noctem in tres vigilias dividebant : prima erat ab occasu solis usque ad horam decimam (ex nostra diei ratione), indeque usque ad horam secundam matutinam erat altera ; tertia inde ab illa hora usque ad solis ortum durabat. Is vero tum paulo ante horam sextam fuit ; Israelitæ enim mense aprili exierunt. » Hæc Rosenmull. ad h. l.

(2) Versum 25 ex hebr. ita vertit Maurer : *Et fecit, ut circumorbita aberraret rota curruum ejus, et ut ægre duceret*, propr. *et fecit aberrare* (Cf. *Deut.* VII, 4) *rotam* curruum ejus, Ægyptii, et fecit *progredi eam cum difficultate.*

civis agit; in morte finitur hæc comœdia; tum quisque suam personam, quam gessit, suas vestes, suos titulos ponit. M. Antonius, ut refert Seneca, lib. VI *De Beneficiis*, cap. III, cum fortunam suam alio, ad Cæsarem, transire videret, et sibi nihil relictum præter jus mortis, dixit : « Hoc habeo, quodcumque dedi. » Augustus ipse Cæsar, qui 52 annos in tanta felicitate et gloria regnavit, moriens vocavit amicos, atque eos rogavit : « Satisne belle personam meam egi? » utique in imperio, quasi in comœdia : cumque illi annuerent : « Valete ergo, inquit, et plaudite; » atque reductis cortinis animam exhalavit infelix, iturus ad tartara.

Ubi jam currus, equites et aquilæ Augusti? ubi pompæ? ubi triumphi? ubi voluptates? ubi libidines? o quam jam mallet Augustus nunquam fuisse Augustus : quam mallet pauper fuisse rusticus Christianus! « Remanent in sæculo, inquit S. Ambrosius in *Luc.* XII, cuncta quæ sæculi sunt : sola virtus comes est defunctorum. » Quære ab impio in morte : Regna et opes quæ parasti, cujus erunt? respondebit : Heu non mea amplius erunt, sed aliorum. Quære a justo : Quæ parasti, cujus erunt? respondebit : Mea erunt in sempiternum. « Opera enim illorum sequuntur illos; » caduca bona per virtutem, per pauperes in cœlum transtuli, ex temporaneis reddidi sempiterna. Audi denique epitaphium Pharaonis.

Epitaphium Pharaonis.

Ubi nunc, Pharao, tua sceptra, tui currus, tua castra? ubi tuus fastus, draco magne, qui habitabas in medio fluminum tuorum, et devorabas alias gentes? ubi tua vox : « Non cognosco Dominum; meus est fluvius, et ego feci memetipsum? » quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris? Spoliasti Hebræos, nunc ipsi spoliant te : mersisti infantes eorum, nunc ipse mergeris in mari Rubro, mergeris in sanguine tuo : devorasti eos, nunc pisces vorant te, et factus es esca corvis et populis Æthiopum. Sed hæc temporanea et exilia sunt : audi æterna, et in æternum lugenda : « Detracta est ad inferos superbia tua : subter te sternetur tinea, operimentum tuum erunt vermes; » descendisti in profundum laci cum damnatis, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur. Occurrerunt tibi gigantes, reges et tyranni, dicentes et gratulantes : « Et tu vulneratus es sicut et nos, nostri similis effectus es. Numquid iste est vir qui conturbavit terram, » qui concussit gentes? ecce jam solus est, nudus et miserabilis, uti nos. Dæmones acclamarunt tibi : Veni, Pharao, habita nobiscum cum igne devorante, cum ardoribus sempiternis, ubi fumus tormentorum ascendit in sæcula sæculorum.

Audite hæc, reges, audite, principes :

Discite justitiam moniti, et non temnere Divos.

Vers. 27. 27. REVERSUM EST PRIMO DILUCULO AD PRIOREM LOCUM. — Hebraice est, reversum est ad fortitudinem suam, vel ad robur suum, hoc est, ut Chaldæus vertit, *reversum est ad suum vigorem*, id est ad statum et locum naturalem, in quo quasi vivit et viget mare (1).

Nota : Deus, id est Angelus vice Dei, aut potius Angeli plures (nec enim unus per sex milliaria, quibus latum erat mare Rubrum, se extendere, ibique aquas omnes suspendere potuisset), qui aquas maris hucusque, donec scilicet transirent Hebræi, suspenderant et detinuerant, nunc iis transgressis, et Ægyptiis ingressis, eas rursum dimittunt, ut violento impetu in pristinum alveum proruerent, serie tamen ordinata : nam primo ab eis dimissæ sunt aquæ, quæ erant juxta littus, illæque primo coierunt, deinde sequentes sensim ulterius; unde fugientibus Ægyptiis, et ad littus suum recurrentibus, eminus occurrerunt aquæ hoc ordine coeuntes : ut scilicet tanto terribilior esset eorum pœna et submersio, quanto longiore pavore et exspectatione erat formidabilior, cum eminus aquas ultrices, quibus mergendi erant, sensim coire et adventare, diutino intuitu conspicerent; nam sæpe « pejor est bello timor ipse belli. »

Vers. 29. 29. FILII AUTEM ISRAEL PERREXERUNT PER MEDIUM SICCI MARIS. — Est anacephalæosis; jam enim antequam mergerentur Ægyptii, mare hoc pertransierant Hebræi : in altera enim ripa Moses consistens, manusque super et contra mare extendens, quasi hoc signo aquas revocans, eas jam reduxerat, cum Hebræi jam agerent in tuto littore, Ægyptii vero in mare mergerentur. Recapitulat ergo hic Moses anterius dicta, ut inculcet Hebræis memoriam tantæ liberationis, et tam felicis mirique transitus per mare, ut illi jugiter illud recolant, Deoque gratias agant.

An Hebræi transiverint totum mare penetrando ad littus oppositum?

Quæres, an Hebræi transierint mare transversum, ita ut in partem adversam, sive littus oppositum penetrarint?

Negant Rabbini, Abulensis et Burgensis, putantque Hebræos in hoc transitu fecisse semicirculum, scilicet circuisse eos montem, sive scopulos deserti Etham, qui directum in Chanaan iter per terram impediebant, et in mare Rubrum procurrebant; ita ut per mare circumgressi sint hos scopulos, redierintque reflexo itinere ad idem littus Ægyptum spectans, per quod ingressi fuerant mare, non tamen ad eumdem littoris locum. Probant *primo*, quia tam vastum mare (quod Adrichomius asserit habere, ubi est latissimum, spatium sex leucarum in latitudine), non potuerunt Hebræi tantillo tempore, puta tribus vel quatuor horis, penetrare, ex uno littore in adversum pervadendo, præsertim cum inter eos essent pueri, senes, oves aliaque impedi-

(1) Alii cum Schultens, *ad perennem suum fluxum*. אֵיתָן enim ait Schultens proprie *stabilitatem* et *perennitatem* valere, tum vero *copiam* et *abundantiam* significare, et hic quidem τὸ *perenne maris*, id est nativum illum atque inabruptum aquarum impetum, quo continuo æstu fervent et reciprocantur maria.

menta plurima. *Secundo*, quia Hebræi post transitum viderunt Ægyptiorum cadavera fluitantia : Ægyptii autem non tam profunde ingressi fuerant mare, ut in adversum littus ejici possent. *Tertio*, *Numer.* XXXIII, 7, Hebræi post transitum maris dicuntur venisse in solitudinem Etham : Etham autem non trans, sed cis mare erat; nam ibi fuit tertia Hebræorum mansio, uti jam ante vidimus cap. XIII, vers. 20.

Affirmat Joseph Philo et alii, idque verius est.

Verum contraria sententia est communis, scilicet Hebræos totam maris latitudinem transisse ab uno littore in aliud oppositum pervadendo; hoc enim diserte tradit Josephus, Philo et Nyssenus. Idem innuit Scriptura, cum narrat aquas maris esse fissas, et Hebræos per medium maris transisse; nam juxta Rabbinorum sententiam hic non tam transitus, quam circuitus aut gyratio maris fuisset. Deinde id patet ex chorographia : ut enim ex Ægypto et mari Rubro perveniatur in Sina, transiri debet mare Rubrum; hoc enim interjacet inter Sina et Ægyptum; licet enim ex Ramesses in Sina, et magis in Chanaan pedestris sit via directa, quæ ad latus relinquit mare Rubrum, tamen via hæc rupibus undique in longum ita est obsepta, itaque prærupta, ut castra Hebræorum per illam transire non potuerint, sed Deo duce flexerint iter per mare Rubrum, quod necessario pervadendum erat, ut videre est in tabulis Adrichomii, pag. 116. Errant ergo qui aliter sentiunt.

Ad *primum* respondeo, Hebræos in transitu hoc impendere potuisse quinque horas; nam statim a media nocte mare ingredi cœperunt, et sub auroram in littus adversum penetrarunt. Rursum, potuerunt transire mare ea parte et loco, ubi est angustius, minusque latum. Adde Angelum eos roborasse, et incitasse ad accelerandum. Hinc enim dicitur, *Psalm.* CIV, 37 : « Non erat in tribubus eorum infirmus. » Et sane, ut verum fatear, tam celer transitus tot millionum hominum et animalium, tam brevi tempore naturaliter, sine miraculo fieri non potuit. Ubi enim tot alia, tam aperta et illustria miracula videmus, mirari non debemus, si et in celeritate transeundi miraculum fuerit.

Miraculo Hebræi transierunt mare tam brevi tempore.

Ad *secundum* respondeo, Ægyptiorum cadavera in adversum littus fuisse propulsa et ejecta, eo quod mare ex altera parte eis fugientibus et redeuntibus occurreret, itaque in adversam partem eos propelleret : addit Philo et Josephus vi ventorum id effectum esse. Non dubium Angelum sive per se, sive per ventum, sive per mare Ægyptios ad littus adversum, in quo erant Hebræi, impulisse, idque ad majorem Hebræorum exultationem et consolationem, utque ipsi hostibus spolia detrahere, iisque se ditare possent.

Ad *tertium* respondet Cajetanus desertum Etham fuisse vastissimum. Nam eodem cap. XXXIII *Numer.* dicuntur Hebræi tribus diebus in eo iter fecisse; extendit se ergo Etham tam cis mare, quam ultra.

Aliter respondet Lyranus, scilicet desertum hoc aliud fuisse ab illo *Numer.* XXXIII, utrumque tamen dictum esse Etham. Sic enim plures urbes et pagi eadem habent nomina.

Denique tradunt Hebræi, in hoc egressu Hebræorum ex Ægypto et transitu maris Rubri, montes vicinos, partim quasi admirantes tantum prodigium, partim gratulantes populo Dei, exiliisse et quasi tripudiasse; et hoc velle Psaltem, *Psalm.* CXIII, 4, cum canit : « Mare vidit et fugit : Jordanis conversus est retrorsum. Montes exultaverunt (græce ἐξέστη, id est, *moti sunt de loco*) ut arietes, et colles sicut agni ovium. Quid est tibi, mare, quod fugisti? Montes, exultastis sicut arietes? » Sicut enim maris fuga, sic et montium exultatio, hoc est exilitio et saltus, proprie non metaphorice accipienda videtur. Ita Hebræi, quos sequitur Cajetanus et Genebrardus in *Psal.* CXIII, 5 et 6, et noster Sanchez in cap. LXIV *Isaiæ*, vers. 1. Alii tamen cum Jansenio illum locum psalmi CXIII exponunt de terræ motu qui contigit in Sina, cum ibi daretur lex, *Exodi* XIX, 18. Solet enim Psaltes varia miracula variis locis et temporibus facta quasi perstringendo conjungere. Fides ergo hujus miraculi sit penes Hebræos.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Moses et Hebræi canunt epinicion Deo : idem facit Maria cum feminis, vers. 20; secundo, veniunt Hebræi in Mara, ubi Moses amaras aquas in dulces vertit, vers. 23; inde pergunt in Elim, quæ fuit sexta mansio Hebræorum in deserto.

1. Tunc cecinit Moyses et filii Israel carmen hoc Domino, et dixerunt : Cantemus Domino; gloriose enim magnificatus est : equum et ascensorem dejecit in mare. 2. Fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem; iste Deus meus, et glorificabo eum : Deus patris mei, et exaltabo eum. 3. Dominus quasi vir pugnator, omnipotens

nomen ejus. 4. Currus Pharaonis et exercitum ejus projecit in mare, electi principes ejus submersi sunt in mari Rubro. 5. Abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis. 6. Dextera tua, Domine, magnificata est in fortitudine : dextera tua, Domine, percussit inimicum. 7. Et in multitudine gloriæ tuæ deposuisti adversarios tuos : misisti iram tuam quæ devoravit eos sicut stipulam. 8. Et in spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ : stetit unda fluens, congregatæ sunt abyssi in medio mari. 9. Dixit inimicus : Persequar et comprehendam, dividam spolia, implebitur anima mea : evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea. 10. Flavit spiritus tuus, et operuit eos mare ; submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus. 11. Quis similis tui in fortibus, Domine? quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia? 12. Extendisti manum tuam, et devoravit eos terra. 13. Dux fuisti in misericordia tua populo quem redemisti, et portasti eum in fortitudine tua, ad habitaculum sanctum tuum. 14. Ascenderunt populi et irati sunt; dolores obtinuerunt habitatores Philisthiim. 15. Tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor : obriguerunt omnes habitatores Chanaan. 16. Irruat super eos formido et pavor, in magnitudine brachii tui : fiant immobiles quasi lapis, donec pertranseat populus tuus, Domine : donec pertranseat populus tuus iste, quem possedisti. 17. Introduces eos, et plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo quod operatus es, Domine : sanctuarium tuum, Domine, quod firmaverunt manus tuæ. 18. Dominus regnabit in æternum et ultra. 19. Ingressus est enim eques Pharao cum curribus et equitibus ejus in mare, et reduxit super eos Dominus aquas maris : filii autem Israel ambulaverunt per siccum in medio ejus. 20. Sumpsit ergo Maria prophetissa, soror Aaron, tympanum in manu sua; egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis et choris. 21. Quibus præcinebat, dicens : Cantemus Domino; gloriose enim magnificatus est : equum et ascensorem ejus dejecit in mare. 22. Tulit autem Moyses Israel de mari Rubro, et egressi sunt in desertum Sur : ambulaveruntque tribus diebus per solitudinem, et non inveniebant aquam. 23. Et venerunt in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara, eo quod essent amaræ : unde et congruum loco nomen imposuit, vocans illum Mara, id est, amaritudinem. 24. Et murmuravit populus contra Moysen, dicens : Quid bibemus? 25. At ille clamavit ad Dominum, qui ostendit ei lignum : quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt. Ibi constituit ei præcepta, atque judicia, et ibi tentavit eum, 26. dicens : Si audieris vocem Domini Dei tui, et quod rectum est coram eo feceris, et obedieris mandatis ejus, custodierisque omnia præcepta illius, cunctum languorem, quem posui in Ægypto, non inducam super te : ego enim Dominus sanator tuus. 27. Venerunt autem in Elim filii Israel, ubi erant duodecim fontes aquarum, et septuaginta palmæ : et castrametati sunt juxta aquas.

Vers. 1. 1. TUNC CECINIT MOYSES ET FILII ISRAEL CARMEN HOC, — quo exultantes de tam felici maris transitu, et Ægyptiorum submersione, gratias agunt Deo, ejusque magnificentiam et potentiam celebrant; deinde introductionem sui in Chanaan prophetant. Est ergo hoc carmen epinicium, propheticum et Eucharisticum (1).

Quali metro conscriptum sit hoc carmen et canticum omnium antiquissimum (nam Lini, Musæi et Orphæi hymnos et carmina plus trecentis annis antecessit), modernos Hebræos et Latinos latet : periit enim prisca Hebræorum poesis. Josephus asserit hoc carmen hexametro versu compositum esse, sed qui ejus sint pedes, quæ

(1) « Nachtigall (sub Otmari nomine latitans), in Commentatione quam inscripsit, *Fragmente über die allmählliche Bildung der den Israeliten heiligen Schriften,* hunc hymnum, qualem nunc eum legimus, a Mose et Israelitis decantatum fuisse, vix credibile esse putat, quod ejusmodi populorum parum excultorum ἐπινίκια quam brevissima esse solent, imo paucis verbis comprehendantur, quale illud mulierum carmen amœbæum, I *Sam.* XVIII, 7. Similiter, quod trajecto feliciter mari Ægyptiisque submersis ejus fluctibus Hebræi cantarunt ἐπινίκιον nonnisi versibus 1 et 21 constitisse existimat, qui præeuntibus Mose, Aarone et Miriama a choris virorum et mulierum alternantibus iterum iterumque repetiti essent, intercinente subinde populo הללו יה. Reliqui

dimensiones, non explicat. Tantum jam in hoc carmine animadvertere possumus in Hebræo stylum alium et venam, ac schemata poetica; ita enim paronomasiis, anaphoris, similiter cadentibus, aliisque figuris abundat, ita spiritu exultante plenum est, ut chorum subsilientem ad festivum carmen non tam audire, quam videre videaris.

Allegorice, Christiani, maxime Beati, qui per baptismum et sanguinem Christi vicerunt peccatum et diabolum, ac penetrarunt in terram promissam, in cœlis cantant hoc canticum; hoc est enim quod ait S. Joannes, *Apocal.* XV : « Vidi, inquit, tanquam mare vitreum mixtum igni, et eos qui vicerunt bestiam, et imaginem illius, stantes super mare vitreum, habentes citharas Dei, et cantantes canticum Moysi servi Dei, et canticum agni, dicentes : Magna et mirabilia opera tua, Domine Deus noster omnipotens. » O quam gloriosum, quam jucundum est et erit nobis canere hoc canticum in omnem æternitatem!

CANTEMUS. — Hebraice est אשירה *ascira*, id est cantabo : nam Moses hoc carmen Spiritu Sancto suggerente composuit, nomine non tam suo quam totius et unius populi, totusque populus cum Mose præcinente quasi una Republica et Ecclesia illud decantavit. Unde loquitur in singulari dicens : « Fortitudo mea (non nostra) et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem : iste Deus meus, » etc.

Tradit Philo Mosen singulos versus dictasse et præcinuisse, quos deinde populus succinuit, uti fit in choris et tripudiis. Addit Abulensis, Hebræos hoc carmen a Mose edoctos, postea sæpius illud ipsum cecinisse. Auctor, lib. I *De Mirab. S. Script.* apud S. Augustinum, cap. XXI, notat hic apertum miraculum, quod scilicet pueri, senes, viri, juvenes tanto numero, uno quasi ex ore, eodem inspirati flamine, easdem voces et sententias decantarint : licet enim Moses præcineret, is tamen in tanta turba a plurimis audiri non poterat. Idem accidit in feminis, quæ Maria præcinente toto cœtu suo idem succinuerunt.

Nota hic, et imitare priscorum Sanctorum pietatem, qui acceptis a Deo beneficiis statim in laudes et hymnos Dei prorumpere solent. Ita fecit David toto psalterio; ita fecit Anna nato Samuele; ita fecit Debora cæso Sisara; ita fecit Judith trucidato Holopherne; ita fecit Zacharias nato Joanne; ita fecit B. Virgo concepto Christo; ita fecit Simeon viso Christo, cycnæum illud canens : « Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace. » Sancti accepto beneficio prorumpunt in hymnos et laudes Dei.

GLORIOSE ENIM MAGNIFICATUS EST. — Hebræum כי גאו גאה *ki gao gaa*, quia magnificando magnificatus est, id est mire magnificatus est, quia magnam potentiam et vindictam exercuit.

EQUUM ET ASCENSOREM DEJECIT IN MARE, — *q. d.* Equum et equites Ægyptios, et præsertim Pharaonem ipsum dejecit in mare. Ita S. Hilarion audiens luporum, leonum aliarumque bestiarum rugitus, quos effingebant dæmones ut eum percellerent, signo crucis se armans, optabat eos videre quorum voces audiebat; mox vidit rhedam terribilem super se irruere, sed eo inclamante Jesum evanuit; tunc ille : « Equum, ait, et ascensorem projecit in mare, » inquit S. Hieronymus in ejus Vita.

Tropologice, equus est homo carnalis, superbus, injustus; ascensor est dæmon. « Si ergo te impius persequitur, scito, quia equus est, sed eques est diabolus; iste currit, hic lancea sua percutit; iste ducitur calcaribus, et invitus insanit; hic agit, et stimulat, » inquit S. Hieronymus in *Psalm.* LXXV, Origenes et Rupertus hic. Equus est homo carnalis, sessor est dæmon.

Rursum Philo : Equi, inquit, sunt furor et concupiscentia; ille mas, hæc femina. Auriga est intellectus, qui si equis hisce laxet habenas, equi hi tam se, quam aurigam, totamque animam in præceps agunt.

2. FORTITUDO MEA, — non formalis, sed causalis, id est, fortificans me, est Dominus, *q. d.* Non nostræ fortitudini, sed Dei hanc victoriam ascribimus; hoc enim est, quod dicitur *Psalm.* XIX : « Hi in curribus, et hi in equis; nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus. » Vers. 2.

ET LAUS MEA DOMINUS. — Pro *laus* hebraice est זמרה *zimra*, id est canticum, hoc est materia et objectum cantici, *q. d.* Deus est, quem laudare, cui hymnum canere debeo. Pro *Dominus* hebraice est יה *ia*, quod unum est ex decem nominibus Dei, et annectitur in *halleluia*, estque ipsum nomen tetragrammaton, sed abbreviatum; ejus enim prima et ultima littera constat : imo Theodoretus, *Quæst.* XV, asserit Judæos nomen tetragrammaton pronuntiare *Iah*, scilicet per abbreviationem et compendium. *Ia* est abbreviatum *Jeheva*.

Nota : Deum assidue laudare debemus, tum lingua, tum mente, tum moribus, adeoque vita nostra non aliud esse debet quam continua Dei laus : *primo*, quia Deus est immensa et infinita majestas, liberalitas, justitia, pulchritudo, etc.; *secundo*, quia innumera beneficia in nos contulit, et in dies confert; *tertio*, quia omnes creaturæ Moraliter Deum semper esse laudandum. Primo. Secundo. Tertio.

carminis pleraque (vers. 11-17) prodere ævum Davidicum. Arrisit hæc sententia de Wettio duplici de causa, primo, quod non sit verisimile, Mosen sine prævia meditatione carmen haud breve, quale hoc ἐπινίκιον, fudisse; deinde quod nonnulla hujus carminis loca seriorem poetam arguant. Verum si recordemur facultatis, qua Arabes pollent, carmina extemporalia, eaque longiora, fundendi (plura ejusmodi carmina continent *Excerpta ex anthologia veterum poetarum Arab.* Hamasa *dicta*, quæ edidit Schultens ad calcem grammaticæ Arab. Erpenianæ a se editæ), minus incredibile videbitur, Mosen admiratione tam mirificæ liberationis plenum et gratissimi animi affectu abreptum tale carmen, quale hic legimus, sine longa meditatione fudisse. Quod vero attinet serioris Mose ætatis vestigia, quæ in hoc carmine deprehendere visi sunt Nachtigall et de Wette, de iis videbimus in carminis interpretatione. » Ita Rosenmullerus ad h. l.

irrationales sua pulchritudine, ordine et numero testantur Creatoris sui gloriam, hominesque ad eum cognoscendum et laudandum inflammant. « Invisibilia enim ipsius a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas, » *Rom.* cap. I, 20; et « Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum. » *Quarto*, quia hoc est opus piorum, estque nobilissimum. Ita David fecit *Psalm.* CXLIV : « Exaltabo te, Deus meus rex, et benedicam nomini tuo in sæculum sæculi. Laudationem Domini loquetur os meum, et benedicat omnis caro nomini sancto ejus. » Ita fecit S. Job in afflictione serenus et laudans Deum : « Dominus, ait, dedit, Dominus abstulit : sit nomen Domini benedictum. » Ita tres pueri in camino ignis omnes creaturas invitant, ut secum laudent Deum : « Benedicite, omnia opera Domini, Domino, » etc., *Daniel.* III. Nam, ut ait Lactantius, lib. VI *Divin. Instit.* cap. ult. : « Summus colendi Dei ritus est, ex ore justi hominis ad Deum directa laudatio, quæ tamen ipsa ut Deo sit accepta, humilitate et timore et devotione maxima opus est. » *Quinto*, quia est propria Angelorum et Beatorum in omnem æternitatem Deum collaudantium. Unde in ortu Christi cecinerunt : « Gloria in altissimis Deo; » *Apocal.* XIX, 5 : « Vox de throno exivit dicens : Laudem dicite Deo nostro, omnes servi ejus, et qui timetis eum, pusilli et magni. » Idem faciunt 24 seniores, *Apocal.* IV, 10.

Quarto.

Quinto.

Nota : Magis vita pia quam voce, puta charitate, humilitate, puritate, confessione suæ infirmitatis, etc., laudatur Deus. S. Augustinus in *Ps.* XXXIV, 28 : « Suggero, ait, remedium, unde tota die laudes Deum si vis. Quidquid egeris, bene age, et laudasti Deum. » Hæc ergo est lætitia, et perfectio Christiani, in omnibus tam adversis, quam prosperis laudare Deum, qui suis omnia operatur in bonum.

ET FACTUS EST MIHI IN SALUTEM, — *q. d.* Laudabo Deum, quia factus est mihi salvator, quia salvavit me in mari Rubro. Nota : τὸ *et* est causale significans *nam, quia*. Tale est et *Gen.* XIV, 19, in Hebræo : « Et ipse sacerdos Dei altissimi, » id est, nam ipse erat sacerdos. *Isaiæ* LXIV, 5 : « Ecce tu iratus es, et (id est *quia*) peccavimus. » Sic sæpe et alibi sumitur vocula *et* pro *quia*.

Et pro *quia*.

ISTE DEUS MEUS. — Pronomen *iste*, ait S. Basilius, demonstrat Deum verum, *q. d.* Iste Deus, qui nos salvavit in mari Rubro, est verus Deus : illum ergo unum glorificabimus, huic soli serviemus, non Api, non idolis falsisque diis, quos antea coluimus in Ægypto. Addunt Hebræi, τὸ *iste* designare visibilem formam et speciem militis et bellatoris, in qua Deus tunc apparuit Hebræis in mari Rubro, ita ut ipsi universi perfectius tunc viderint Deum, quam postea viderunt eum Prophetæ, adeoque digito eum ostenderint, dicentes : « Iste est Deus meus. »

Sed hæc sunt eorum fabulamenta : pronomen *iste* non alium designat, quam Deum per angelum prospicientem in columna, super castra Hebræorum et Ægyptiorum, qui hos perdidit, illos servavit, cap. XIV, 24.

Nota : Pro *Deus* hebraice est אל *el*, id est fortis, quod unum est ex decem Dei nominibus, *q. d.* Dii Ægyptiorum infirmi sunt, sed iste Deus noster est Deus fortis. Rursum hunc Deum vocat Deum patris sui, scilicet Abrahæ patriarchæ, qui est pater credentium, et pater circumcisionis, puta Hebræorum.

ET GLORIFICABO EUM. — Hebræum ואנוהו *veanuehu*, quod Chaldæus vertit, *ædificabo in sanctuarium*, in quo scilicet eum colam; unde hanc de Pharaone victoriam, perpetuo in arca et Cherubim, quasi in curru suo triumphali, repræsentari, et in templo conservari voluit Deus, uti dicam cap. XXV, vers. 18. Cajetanus vertit, *habitabo eum*, id est, assistam ei mente, votis, laudibus, affectibus et operibus. *Tertio*, Vatablus vertit, *decorabo eum*. Hebræum enim נוה *naua*, et decorare, et glorificare, et habitare, et habitaculum construere significat : nam radix נוה *naue* significat tabernaculum speciosum et decorum.

EXALTABO EUM, — eum altissimum palam confitebor, et, quantum potero, prædicabo.

Nota : Deus est altissimus. *Primo*, altitudine substantiæ, quia omnes essentias rerum in immensum transcendit, easque omnes eminenter in se continet. *Secundo*, altitudine scientiæ : hæc enim in Deo est incomprehensibilis. *Roman.* XI : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus! » *Tertio*, altitudine potestatis, quia omnia, quæcumque voluit, fecit in cœlo et in terra. *Quarto*, altitudine majestatis et dominationis, ec quod omnia ejus imperio sint subdita, ipsumque omnes adorare et venerari debeant : « Mihi, inquit, curvabitur omne genu, » *Isaiæ* XLV. *Quinto*, altitudine habitationis, quia habitat in cœlo empyreo, quasi throno gloriæ suæ, ubi eum celebrant omnes Angeli et Beati. Hinc monet Ecclesiasticus, cap. XLIII, vers. 32 : « Glorificate Dominum, quantumcumque potueritis; supervalebit enim adhuc, et admirabilis magnificentia ejus. Benedicentes Dominum exaltate illum, quantum potestis : major enim est omni laude; exaltantes eum replemini virtute, ne laboretis : non enim comprehendetis. »

Deus est altissimus quintupliciter. Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Quinto.

3. DOMINUS QUASI VIR PUGNATOR, OMNIPOTENS NOMEN EJUS. — Chaldæus vertit, *Dominus est victor bellorum, Adonai est nomen ejus*. Hebraice est nomen tetragrammaton, *Jehova*, vel potius *Ieheva*, *vir belli* (maxime bellicosus est), *Ieheva nomen ejus*. Alludit hic *Ieheva*, ad radicem הוה *hova*, quæ contritionem et confractionem significat : unde Septuaginta vertunt, *Deus conterens bella*, *q. d.* Vere Deus est *Ieheva*, id est, contritor Pharaonis et Ægyptiorum. Alludit rursum ad dictum

Vers. 3. Deus est *Jeheva*, id est contritor Pharaonis.

Pharaonis, cap. V, vers. 2 : « Quis est Ieheva, ut audiam vocem ejus? *q. d.* Quid potest vester *Ieheva?* quibus armis me coget, ut illi obsequar? Sic Hebræum *Saddai*, quod Deum quasi mammeum et liberalissimum significat, alibi alludit ad שדד *scadad*, id est vastare. Ita Oleaster : imo ipse vult hoc proprium et genuinum esse significatum et etymon nominis tetragrammati *Ieheva*, uti dixi cap. VI, vers. 3.

Vers. 4. 4. EXERCITUM EJUS PROJECIT IN MARE. — Pro *projecit*, hebraice est ירה *iara*, id est ejaculatus est, *q. d.* Tam facile et valide Deus dejecit Ægyptios, quam facile et valide sagittarius sagittam emittit.

Vers. 5. 5. ABYSSI (aquarum voragines) OPERUERUNT EOS, DESCENDERUNT IN PROFUNDUM QUASI LAPIS, — *q. d.* Ægyptii aquis maris recurrentibus, sibique obviantibus, cum ascendere et enatare conarentur, vi fluctuum repulsi in profundum maris descenderunt.

Vers. 6. 6. DEXTERA TUA MAGNIFICATA EST IN FORTITUDINE, — palam omnibus factum est tuam dexteram, id est robur et potentiam, esse magnam, ex fortitudine fortique contritione Ægyptiorum quam exercuit. Unde Vatablus vertit, *excellenti virtute eminuit dextera tua* (1).

Vers. 7. 7. ET IN MULTITUDINE GLORIÆ TUÆ DEPOSUISTI ADVERSARIOS TUOS. — « Gloriæ, » id est, fortitudinis, per quam gloriose glorificatus es; est metonymia : ponitur enim effectus pro causa. Ornatus et poeseos causa, vario schemate idem effert, idem dicit Moses, inquit Euthymius. Pro *deposuisti* hebr. est תהרוס *taharos*, id est, subvertisti, dissipasti.

MISISTI IRAM TUAM, — puta supplicia ac pœnas, quæ iræ tuæ, id est, divinæ justitiæ vindicis, sunt effectus; est metonymia. Ita Euthymius. Apposite iram, sive ardorem et ignem (inde enim Hebræis ira dicitur) jungit stipulæ : hanc enim consumit ignis.

Vers. 8. 8. ET IN SPIRITU FURORIS TUI CONGREGATÆ SUNT AQUÆ. — « In spiritu, » id est, in impetu, in impulsu, vel in indignatione : sic enim accipitur subinde spiritus, ut *Psal.* CXXXVIII, vers. 7 : « Quo ibo a spiritu tuo? » *Isaiæ* cap. XXX, vers. 18 : « Spiritus ejus velut torrens inundans; » *Zachar.* cap. VI, vers. 8 : « Requiescere fecerunt spiritum meum, » iram scilicet meam. Spiritus ergo furoris est indignatio furibunda, ut hac phrasi gravem et acrem Dei iram, id est, ulciscendi justissimam voluntatem, significet; ideo enim Deus divisit, et in cumulum collegit, sive congregavit aquas maris, ut, Hebræis transgressis, Ægyptios iis, quasi molibus et montibus obrueret.

Potest *secundo* verti, *in spiritu nasi tui congregatæ sunt aquæ*. Nasus enim Hebræis est symbolum iræ, quia illius est index : unde illud : *Iras naribus efflant*.

Nota : « Congregatæ sunt aquæ, » scilicet quæ prius a Mose divisæ fuerant : unde hoc substituunt hic Septuaginta vertuntque, διέστη τὸ ὕδωρ, id est, divisa est aqua : deinde aquæ jam divisæ in acervos, et quasi muros binos utrimque aggregatæ sunt.

STETIT UNDA FLUENS. — In Hebræo additur : « Sicut acervus; » unde *Psal.* LXXVII, vers. 13, dicitur : « Statuit aquas quasi in utre. »

Nota τὸ *fluens*, quæ scilicet natura sua defluxisset in decliviorem alveum, ni a Deo detenta fuisset.

CONGREGATÆ (Hebr. קפאו *capheu*, hoc est coagulatæ) SUNT ABYSSI, — id est, vasta illa et profunda aquarum moles instar muri erecta, quasi glacies coagulata stare est visa. Septuaginta vertunt, ἐπάγη τὰ κύματα, id est compacti, vel conglutinati sunt fluctus.

9. IMPLEBITUR ANIMA MEA, — desiderium meum saturabitur. Sic enim sæpe *anima* capitur pro desiderio, spe, voto. Unde *levare animam* est desiderare, vel sperare, ut *Jerem.* cap. XXII, vers. 27 : « In terram ad quam levant animam suam (quam sperant, ad quam anhelant), non revertentur; » *Psalm.* CXLII, vers. 8 : « Ad te levavi animam meam, » *q. d.* In te speravi (2). Vers. 9. *Levare animam est sperare, anhelare.*

INTERFICIET EOS MANUS MEA. — Hebr. est תורישמו *toriscemo*, id est *expellet*, *exterminabit*, et, ut Vatablus, *perdet*, et, ut Chaldæus, *consumet eos* : hic enim est actus gladii; quare frigide Cajetanus vertit, *depauperabit*. Neque dubium est quin Pharao tyrannus, licet Hebræos in servitutem revocare conaretur, primo tamen furoris sui impetu et insultu plurimos eorum neci daturus fuisset.

10. FLAVIT SPIRITUS TUUS, ET OPERUIT EOS MARE. — Cajetanus semper per spiritum hic accipit ventum, quo putat divisas, et rursum revocatas esse aquas. Verum jam dixi cap. XIV, vers. 21, nullo vento, sed virga Mosis protensa statim per Angelum fissum esse mare. Idem ergo, quod ante vers. 8 dixerat, hic per anaphoram poeticam repetit et inculcat Moses, Deum scilicet immisisse suam vindictam, qua mersit Ægyptios : spiritum quippe suum potentiam ultionis nominat, ait S. Hieronymus in *Proverb.* cap. II, de qua dicitur *Job* cap. IV, vers. 9, impios « flante Deo perisse, et spiritu iræ ejus esse consumptos. » Quanquam verisimile est Deum cum fulminibus, tonitruis et procellis, ventum quoque validum excitasse, quo horribiliore et validiore impetu aquæ impellerentur, ut obruerent Ægyptios; hoc enim significat verbum *flavit*. Vers. 10.

Mystice S. Augustinus, *Quæst.* LV, et Ambrosius, lib. III *De Spiritu Sancto*, cap. IV, per spiritum intelligunt Spiritum Sanctum, ut mysterium Trini-

(1) Maurer hebræum vertit, *dextera tua, Domine*, qui *inclytus* es *robore, dextera* inquam *tua confregit inimicum*, ut נאדרי sit participium niphal cum iod paragogico, ad *Jehovam* referendum.

(2) Hebr. est, *explebitur iis*, scil. spoliis, vel potius eorum cæde, *animus meus*.

tatis hic insinuetur : nimirum Filius in dextera Dei, id est Patris, Spiritus Sanctus in spiritu.

Vers. 11. 11. QUIS SIMILIS TUI IN FORTIBUS, DOMINE? — id est, ut Septuaginta : *Quis similis tui in diis, Domine;* nomen enim Dei est אל *el,* id est, fortis : inde *elim,* id est fortes, vocantur dii, id est, qui habentur dii, licet revera non sint dii, ut dicitur I *Cor.* cap. VIII, vers. 5, *q. d.* Quis inter idola et deos Gentium tibi, o Domine, in fortitudine comparari potest? sane nullus, et ratio est quia tu magnificus es in sanctitate, terribilis atque laudabilis, id est, ut Symmachus vertit : « Neque in sanctitate, neque in potestatibus quisquam æquiparandus est tibi; » sanctitate enim et potestate ita decoraris, ita præcellis, ut obstupescant omnes homines et angeli.

Tradunt Hebræi Machabæos hunc versiculum usurpasse, quasi insigne belli et victoriæ, eumque castris et præliis in vexillis prætulisse, eoque hostes fortissimos et numerosissimos parva manu prostravisse, indeque eos dictos esse hebraice מכבי *machabi,* id est, Machabæos : nimirum a litteris Hebraicis, quæ sunt initiales singularum dictionum hujus versiculi, qui in Hebræo sic habet מי כמך באלים יהוה *mi camocha baelim iehova* : si enim a prima dictione *mi* capias primam litteram *m,* a secunda primam *ch,* a tertia primam *b,* a quarta *i,* easque conjungas, facies *machabi,* id est, Machabæus. Ita tradit R. Isaac ben Hole, Reuchlinus lib. III *Cabalæ,* Mercerus in abbreviaturis Hebraicis, Sixtus Senensis, lib. I *Biblioth.,* et Genebrardus in *Chronologia.* Simili crasi Hebræi R. *Mosen ben* (id est filium) *Macon,* quatuor initialibus litteris in unam dictionem conflatis, vocant *Rambam.*

Machabæi unde dicti?

TERRIBILIS ATQUE LAUDABILIS. — Hebraice נורא תהלות *nora tehillot,* id est, *terribilis laudibus,* quia laudes ejus formidini sunt non solum hominibus, sed et angelis : omnium enim laudantium vires, linguas et mentes superant, ideoque magno cum timore et tremore eum laudant omnes Angeli et Sancti; unde quasi explicans quod dixerat, dictique causam assignans subdit, « faciens mirabilia. » Ita Cajetanus, Vatablus, Lipomanus. Hinc Dei nomen est פלא *pele,* id est admirabilis, *Judic.* cap. XIII, vers. 18. Invocent ergo Deum *pele,* qui magna cogitant et moliuntur, ut per eos Deus faciat magna et mirabilia.

Dei nomen est *pele,* id est admirabilis.

DEVORAVIT EOS TERRA. — « Terra, » id est mare terræ immixtum, puta alveus maris : terra enim et aqua unum conficiunt globum, et solet Scriptura mundum cum omnibus elementis exprimere nomine cœli et terræ. Ita Augustinus *Quæst.* LIV.

Secundo, Vatablus proprie accipit, sicque explicat : « Non solum absorpti sunt (Ægyptii) aquis, sed etiam terra se aperuit, et absorbuit eos; quod si verum est, novum fuit hic prodigium, quo non tantum mare, sed et terra Ægyptios absumpsit.

Tropologice Origenes : « Impios, inquit, etiam hodie terra devorat : qui semper de terra cogitant, terrena faciunt, de terra loquuntur, litigant, terram desiderant, et in ea spem suam ponunt; ad cœlum non respiciunt, futura non cogitant, judicium Dei non metuunt, nec promissa ejus desiderant; talem cum videris, dicito : Quia devoravit eum terra; et si quem videris luxuriæ et voluptatibus corporis deditum, in quo nihil animus valet, sed totum libido possidet, dicito : Quia devoravit eum terra, » et mox devorabit eum infernus.

Peccatores devorat terra.

POPULO QUEM REDEMISTI, — quem liberasti ex servitute Ægyptiaca.

13. ET PORTASTI EUM IN FORTITUDINE TUA AD HABITACULUM SANCTUM TUUM. — Hinc incipit altera carminis pars, nimirum prophetica, quæ protenditur usque ad vers. 16, qua prædicit et pertexit victorias Hebræis contra Idumæos, Moabitas et Chananæos obventuras, eorumque ingressum felicem in Chanaan. Hinc utitur præterito pro futuro more prophetico, ob futurorum certitudinem. Ita Euthymius in hoc canticum. Vers. 13

Nota : « Habitaculum sanctum, » vocat terram Chanaan, quia illa olim habitata fuit a sanctis patriarchis, Abraham, Isaac et Jacob. *Secundo,* quia eorum semini fideli et sancto fuit promissa. *Tertio,* quia in ea futurum erat templum, sanctusque Dei cultus. *Quarto,* quia in ea nasciturus et moriturus erat Christus, qui est Sanctus sanctorum. *Quinto,* quia in ea victuri erant B. Virgo, Apostoli, omnesque primi Christiani, totaque Ecclesia primitiva, quæ fuit sanctissima; unde etiamnum Judæam vocamus Terram sanctam.

Judæa dicitur terra sancta ob quinque causas.

14. ASCENDERUNT POPULI, ET IRATI SUNT. — Hebr. *audierunt populi, et fremuerunt,* id est, audient hunc transitum Hebræorum per mare, et Ægyptiorum submersionem, ideoque frement contra Hebræos; necdum enim præsens et recens factum gentes remotæ audisse poterant. Noster pro *audierunt,* vertit, *ascenderunt,* ut unico verbo omnia perstringat; audierunt enim hæc populi, consultarunt, et tandem ascenderunt, sive egressi sunt in prælium contra Hebræos : prophetice hæc omnia dicuntur, ideoque præterita pro futuris accipienda sunt. Vers. 14.

15. OBRIGUERUNT, — spiritu vitali, et viribus ex pavore evanescentibus, similes effecti sunt stupentibus, et rigidis apoplecticis : hoc enim significat Hebræum נמגו *namoggu,* id est, dissoluti sunt, liquefacti extabuerunt instar ceræ igni admotæ. Vers. 15.

16. FIANT IMMOBILES. — Hebr., *sileant ut lapis;* Septuaginta, ἀπολιθωθήτωσαν, id est *lapidescant,* fiant ex timore et stupore immobiles, ut lapides, qui ingressu terræ promissæ nos arcere non possint, quique in præliis nos impetere, seque defendere non valeant : ita Lyranus. Orat Moses ne hostes Hebræorum moveantur; plus præstitit Deus, quando eos Hebræi ope Dei vicerunt, et cecideruntpene ad internecionem. Vers. 16.

DONEC PERTRANSEAT POPULUS TUUS, — in terram promissam Chanaan.

Vers. 17. 17. INTRODUCES EOS, ET PLANTABIS (ut stabilem, firmam et naturalem instar plantarum et arborum fixis radicibus ibi figant sedem) IN MONTE HÆREDITATIS TUÆ, — puta in monte Sion sive Moria, in quo Moses spiritu prophetico prævidebat extruendum esse Deo templum, ideoque eum vocat hæreditatem Dei. Unde Chaldæus vertit, *locum domus majestatis Dei;* unde et sequitur : « sanctuarium tuum, Domine, » scilicet est, vel erit hoc habitaculum, de quo loquor (1).

Nota : Moses hic montem Sion et Jerusalem, ac consequenter totam Judæam vocat, *primo,* « habitaculum Dei, » quia in eo, puta in populo suo, quasi in Ecclesia sua Deus erat habitaturus. *Secundo,* « montem hæreditatis Dei, » quia templum in Sione ædificandum futurum erat domus et hæreditas Dei. *Tertio,* « sanctuarium Dei, » quia in eo peragenda erant omnia sacrificia, omnis populi sanctificatio, omnisque sacer Dei cultus.

Rursum, præterita hic ponuntur pro futuris : « quod operatus es, » id est, quod operaberis ; « quod firmaverunt, » id est, quod firmabunt, « manus tuæ : » stetit enim templum a Salomone ædificatum in Sion per mille et amplius annos : tot enim sunt anni a Salomone ad Titum et Vespasianum, qui templum cum urbe everterunt.

Anagogice, melius hæc conveniunt Sioni et Jerusalem cœlesti, in qua est Domus Dei beata et gloriosa, a Deo fundata et firmata in æternum, de qua dicitur : « Beati qui habitant in domo tua, Domine; in sæcula sæculorum laudabunt te. »

Vers. 18. 18. DOMINUS REGNABIT IN ÆTERNUM, ET ULTRA. — *In æternum et ultra, quid?* Dices : Nil esse aut fingi potest ultra æternitatem. Resp. Primo. Respondeo *primo,* æternum sæpe vocatur sæculum longissimum, cujus finis et terminus non pervidetur, etiamsi ipsum vere et proprie æternum non sit; hoc enim significat Hebr. עולם *olam,* ut dixi cap. IV. Quando ergo Hebræi volunt significare absolutam æternitatem, ut omne tollant dubium, æterno addunt ועד *vaed,* id est, *et ultra,* vel, ut Chaldæus vertit, *in sæcula sæculorum,* et, ut Septuaginta, *in sæculum et adhuc,* et, ut Pagninus, *in sæculum, et usque in perpetuum,* id est, in omnem æternitatem. Ita Lyranus, Cajetanus, Lipomanus et alii. Unde et aliqui sic explicant : Dominus regnabit per totum præsens sæculum, et ultra, scilicet per sæculum futurum post diem judicii, puta per omnem æternitatem.

Secundo. *Secundo,* si quis per æternum, absolute æternum intelligere velit, dicat cum Abulensi, τὸ *ultra* addi per hyperbolen, ex abundantia cordis, et ingenti desiderio desiderantis plane perennem, immensam et interminam Dei durationem, regnum, gloriam et laudem; quasi dicat : Opto ut Deus regnet in æternum, et si dari aut fingi possit ulterior duratio, per illam ulterius semper, et ulterius sine fine regnet; quia enim homines æternitatem concipiunt per modum alicujus finiti (infinitum enim definite concipere nequeunt), quasi æternitas sit duratio aliqua limitata, ideoque a mente nostra comprehensibilis : concipimus enim æternitatem quasi durationem maximam, quæ plurimos annorum milliones complectatur : hinc ut ostendatur æternitatem omnem nostram comprehensionem et conceptum transcendere, additur τὸ *et ultra, q. d.* ait Origenes : « Putasne in sæculum sæculi Deum regnaturum? Regnabit adhuc, vel ultra; et quodcumque dixeris, illud de regni ejus spatiis semper tibi Propheta dicet : Et adhuc, sive ultra. »

Vide hic quanta, quam longa sit æternitas. Quamdiu regnabit Deus et Sancti? quamdiu ardebunt damnati in gehenna? in æternum. Quantum est æternum? cogita centum millia annorum, nihil cogitasti respectu æterni : cogita decies centena millia annorum, imo sæculorum, nihil adhuc ex æternitate decerpsisti : cogita mille milliones annorum, æque integra adhuc restat æternitas : cogita mille cubos millionum annorum, necdum inchoasti æternum : cogita tot milliones cuborum, quot sunt guttæ in mari, necdum ad principium æternitatis pervenisti, æque æterna restat æternitas gaudiorum Sanctis, et tormentorum damnatis. Si Deus diceret damnatis : Impleatur terra arena minutissima, ita ut totus orbis hisce arenæ granulis repleatur a terra usque ad cœlum empyreum; et millesimo quoque anno angelus veniat, dematque ex hoc arenæ cumulo unum granulum, cumque post tot millenarios annorum quot sunt granula, exhauserit ea, liberabo vos a gehenna : o quam exultarent damnati! damnatos se non æstimarent; nunc autem post omnes hos millenarios restant et alii millenarii in infinitum, in æternum et ultra. Hoc est pondus grave æternitatis, quod opprimit damnatos. Cogita, o peccator, hoc pondus tibi imminere, nisi resipiscas. Sanctos vero hoc pondus quam recreat et dilatat! regnabunt enim cum Deo, cum Christo, cum B. Virgine, cum angelis, in omni gloria et lætitia, in omnibus deliciis et honoribus, in sæcula sæculorum, in æternum et ultra. O felix æternitas, o æterna felicitas! qui fit quod tam raro, tam modice, tam obiter de te cogitemus? qui fit quod de te non magis laboremus, non magis simus solliciti? stupor hic noster est, hebetudo nostra est. Si enim te penetraremus, diceremus cum S. Paulo : « Momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. »

Æternitatis longitudo.

(1) Ita hebræum vertendum videtur, *in loco quem sedi tuæ parasti, Domine; in tabernaculo sacro, Domine, quod condiderunt manus tuæ.* Mosen jam tunc, cum populum ex Ægypto educeret, et in eo esset, ut rempublicam conderet, quæ in terris sanctissima foret, de sacrario cogitasse, quod in terra patria quondam Deo erigendum esset, nemini mirum esse potest. Neque igitur est, cur ob sacrarii hujus mentionem hoc loco hymnus hic seriori Mose ætati assignetur.

Tertio. *Tertio*, S. Thomas, I *Part.*, *Quæst.* X, art. 2, ad 2, respondet Deum dici ultra, vel supra æternitatem esse et regnare, quia habet æternitatem sine principio, et quia habet eam a se, et quia totum esse suum habet simul sine ulla varietate.

Deus est ante æternitatem, angeli sunt cum ea, animæ post eam. Audi eum : « Dicitur, inquit, Deus ultra æternum regnare, quia licet aliquid aliud semper esset, sicuti motum cœli quidam philosophi faciunt æternum, nihilominus tamen Deus ultra regnat, in quantum ejus regnum est totum simul. Similiter auctor lib. *De Causis* dixit Deum esse ante æternitatem, intelligentias esse cum æternitate, animam vero nostram esse post æternitatem, et supra tempus : nam licet poneremus intelligentias ab æterno, tamen, quia Deus habet in se omne et totum esse simul, intelligentiæ vero habent suum esse limitatum, et participatum a Deo : idcirco vere Deus diceretur esse ante æternitatem, participatam videlicet a creaturis. » Sed hæc responsio acutior est et subtilior quam germanior.

Nota : Pulchro hoc epiphonemate : « Dominus regnabit (cum inter Ægyptios aliosque populos, tum maxime inter Hebræos aliosque fideles, idque tum in terra, tum maxime in cœlo) in æternum et ultra, » carmen hoc claudit Moses; quod enim sequitur : « Ingressus est enim, » etc., tantum est repetitio materiæ carminis, quam uti primo versu proposuit, ita eamdem hoc versu ultimo repetit (1).

Vers. 20. 20. SUMPSIT ERGO MARIA PROPHETISSA. — Nota τὸ *ergo*, quasi dicat : Quia Maria videbat viros Deo psallentes, hinc ne feminæ ad devotionem fere proniores, viris quidquam de Dei laudibus concederent, ipsa eis carmen præcinuit, quod ipsæ succinerent.

MARIA. — Circa hoc nomen nota *primo*, Massoretas corrupisse puncta; legunt enim *Miriam*, cum tam Septuaginta quam S. Hieronymus, Syrus et omnes veteres legerint *Mariam*, per *a*, non per *i*. *Secundo*, hoc nomen in Hebræo esse dissyllabum, atque habere litteram *m* in fine, dicique *Mariam*; sic enim habent Hebræa, Chaldæa et Septuaginta. Sed Græci et Latini posteriores hoc nomen ad suæ linguæ idiotismum deducentes, litteram *m* omiserunt, et ex dissyllabo *Mariam* fecerunt trissyllabum *Maria*, uti et in aliis multis nominibus fecerunt, quæ communis omnium jam terit usus.

Maria idem est quod exaltata, ait Caninius. *Tertio*, Angelus Caninius in *Nomin. Hebr. novi Testamenti*, censet *m* initiale in Maria esse servile, non radicale. Radicem enim nominis Maria esse רום *rum*, id est exaltare, ut Maria idem sit, quod exaltata, excelsa. Verum sic littera *resch*, quæ est prima radicalis verbi *rum*, in nomine Maria divelleretur a sua radice, et conjungeretur cum *m* servili : dicunt enim Hebræi *Mariam* dissyllabe : quæ radicalium, præsertim quiescentium, divisio hiulca est et insueta Hebræis.

Dico ergo : Nomen *Maria* compositum est ex מור *mor*, id est myrrha, vel potius ex מורה *mora*, id est, magistra et domina, et ים *iam*, id est, maris; *m* enim initiale hic posse esse radicale (quod sine ratione negat Caninius) patet ex nominibus, ut Mara, Melcha, Messias, Moses, Machir, Melchisedech, in quibus patet *m* esse radicale : Maria ergo idem est quod myrrha maris, eo quod, ut tradunt Hebræi, dum nasceretur Maria, cœperit amara tyrannis Pharaonis præcipientis mergi infantes Hebræorum. Vel potius Maria idem est, quod magistra vel domina maris : hoc enim nomen fuit quasi prognosticum in mente Dei (licet parentes in ortu Mariæ nil tale de ea scirent vel cogitarent), *primo*, quod Maria hæc futura esset dux feminarum Hebræarum, eisque præiret tum in transitu maris Rubri, tum in hoc carmine epinicio Deo decantando : unde hoc loco primum ipsa Maria vocatur; nam cap. II, vers. 4 et 7, non Maria, sed soror Mosis vocatur, *q. d.* Congrue vocata est soror Mosis Maria, id est domina et magistra, quia talem jam eam experimur. *Secundo*, quod Maria hæc virgo typus foret (uti docet S. Ambrosius, *Exhort. ad virgines*) virginis matris, puta B. Mariæ Deiparæ, quæ magistra et domina est maris hujus sæculi. *Mora* enim hebraice, et syriace *Mara*, tam dominam, quam magistram significat, maxime apud Syros. Hinc enim descendit illud *Maran atha*, id est, Dominus noster venit : Syri enim magistrum vocant Dominum. Sic et Hebræi Dominum vocant Rab, Rabbi, Rabboni, quæ communiter magistrum significant.

Secundo et melius, Maria idem est quod myrrha maris.

Tertio et optime, Maria idem est quod domina maris.

Mara syriace est domina.

Hanc esse veram etymologiam nominis Maria, ut dominam significet, patet *primo*, ex eo quod ita nomen Maria interpretatur Epiphanius, serm. *De laudibus Virginis*; Damascenus, lib. IV *De Fide*, cap. XV; Eucherius, lib. II *Instruct.*; Chrysologus, *serm.* 146, Beda in cap. I *Lucæ*; *secundo*, quod R. Haccados doctrina et sanctitate celeberrimus ante Christum Hebræorum doctor, Messiæ matrem (scilicet B. Mariam) dominam nuncupandam prædixit; *tertio*, quod liturgiæ S. Jacobi, Basilii, Chrysostomi ad etymon Mariæ alludentes, eam δέσποιναν ἡμῶν, id est, dominam nostram indigitant; *quarto*, quod Christiani omnes B. Virginem omni lingua, Dominam nostram, *notre Dame, nuestra Senora, onse Lieve Vrouve*, quasi proprio nomine compellant. Est enim ipsa mater Christi, qui est primogenitus, et dominus omnis creaturæ : unde et R. Haccados ipsam primam creaturarum, et primum hominem appellat.

Prob. Primo.

Secundo.

Tertio.

Quarto. Omni lingua B. Maria vocatur Domina nostra.

B. Virgo est prima creaturarum et primus homo.

Quare perperam Victorinus Mariam interpretatur miseram, imperitissime vero Lutherus Mariam interpretatur guttulam aquæ. Vide Canisium initio *Marialis*, et Matthæum Galenum in suis *Catechesibus*, fol. 48 et 119.

PROPHETISSA, — quia Deus cum ea collocutus,

(1) Ita et Rosenmullerus, qui hunc versum jungit duobus sequentibus, ut brevem notam hymno adjunctam. Subaudiri potest illius initio : Sic igitur cecinit Moses, cum ingressus est, etc.

Fuit Maria soror Mosis prophetissa tripliciter.

ei arcana pandebat, ut patet *Num.* cap. XII, vers. 2. *Secundo*, « prophetissa, » id est, doctrix, magistra; *tertio*, « prophetissa, » id est, præcentrix. Vide dicta I *Corinth.* cap. XIV, initio (1).

SOROR AARON, — et consequenter Mosis; dicitur tamen soror Aaron, non Mosis, quia Aaron Mose erat senior, et proxime post Mariam natus. Hinc Gregorius Nyssenus, lib. *De Virg.* cap. VI, Mariam hanc virginem fuisse docet : nam si fuisset conjugata, a marito, non a fratre agnominaretur, vocareturque non soror Aaron, sed uxor talis vel talis mariti. *Secundo*, quia nusquam mariti ejus, vel liberorum meminit Scriptura. Idem docet S. Ambrosius, *Exhort. ad virg.*, et Apponius, VI *Comment. in Cantica.* Fuit ergo hæc Maria typus B. Virginis Mariæ, et sicut hæc cecinit : « Cantemus Domino, » ita B. Virgo cecinit : « Magnificat anima mea Dominum. » Josephus tamen contrarium sentit, dicitque Mariam hanc nuptam fuisse Hur, cujus fit mentio *Exodi* XXIV, 14. Sed Josephus, uti et Judæi in veteri Testamento, paucis exceptis, virgines et virginitatem non cognoverunt.

Fuit virgo.

EGRESSÆQUE SUNT OMNES MULIERES CUM TYMPANIS ET CHORIS, — cum piis ad numeros tympani tripudiis; hi enim sunt chori. Chorus enim est multitudo canentium aut saltantium, deducitque a χαρά, id est lætitia, ait Plato lib. II *De Legibus;* aut, ut Festus, a corona. Hunc puellarum in decantandis Dei laudibus apud Hebræos fuisse morem psallendi, et choros ducendi, patet ex *Psal.* LXVII, vers. 26 : « Prævenerunt principes conjuncti psallentibus in medio juvencularum (hebr. *virginum*) tympanistriarum. » Sic I *Esdræ* cap. II, vers. 65, inter Hebræos Babylone redeuntes fuerunt cantores et cantatrices ducenti, ad itineris videlicet molestiam levandam, et reducum captivorum animos exhilarandos. Sic Salomon : « Feci, inquit, mihi cantores et cantatrices, » *Eccles.* cap. II, vers. 8. Sic Lacedæmonii trichoria utebantur saltatione, instituto Lycurgi. Constabat autem ea saltatio triplici choro, senum, puerorum, juvenum. Senum *prima* erat cantio : « Nos fuimus olim strenui juvenculi; » *secunda*, puerorum : « Præstantiores nos futuri olim sumus; » *tertia*, juvenum : « At nos sumus, vel experire si velis. » Testis est Plutarchus, comment. *De Laude sui ipsius.*

Porro contra lascivas saltationes et choreas vide S. Basilium, serm. *De ebrietate et luxu;* Chrysostomum, hom. 49 *in Matth.;* Ambrosium, lib. III *De Virgin.*, Augustinum in *Psal.* XXXII. Apte dixit quidam : « Chorea est circulus cujus centrum est diabolus, et cirumferentia omnes angeli ejus. » Hinc Concilium Laodicænum sub annum Domini 364, cap. LV, ita sancit : « Non oportet Christianos ad nuptias euntes vel balare, vel saltare; sed caste cœnare, vel prandere, sicut competit Christianis. »

(1) Conf. *Jud.* IV, 4; I *Chron.* XXV, 1, 2, 3.

Nota hic quomodo et cur egressa sit Maria ejusque sociæ, scilicet non ad leves choreas, non ad popinas, sed ad modestos piosque choros ac laudes Dei. Audiant virgines aureum dogma S. Chrysostomi, serm. *Quod regulares feminæ viris cohabitent,* in fine tomi V : « Cum in publicum, inquit, se virgo recipit, oportet ut et omnis philosophiæ specimen præ se ferat, et omnes in stuporem convertat. Sicut Angelus, si nunc e cœlo descenderet, et sicut Cherubim aliquis, si in terris appareret, omnes homines in stuporem converteret : sic virginem, omnes qui vident, adducere in admirationem et stuporem suæ sanctimoniæ oportet. » Si taliter egredi et progredi debet virgo, qua modestia, qua morum gravitate, qua pudicitia, instar angeli de cœlo delapsi, incedere debet Ecclesiasticus, ac præsertim Religiosus!

Virgines in publicum prodeant ut angeli.

CUM TYMPANIS (2). — Calvinus hic tympana, organa aliaque musica instrumenta inter legales veteris Testamenti cæremonias adnumerat, quæ proinde Christus aboleverit quasi simplicitati Evangelicæ repugnantia. Verum hæc tympana et chori Mariæ et Hebræorum fuerunt ante legem cæremonialem a Deo datam; et si tunc iis uti licuit, cur non et modo liceat?

Calvinus damnat instrumenta musica, quasi Judaica. Refellitur. Primo.

Secundo, si cantus instrumenta pertinent ad legem cæremonialem, ergo pari jure et cantus ipse ac psalmodia, qua adeo gloriantur Calvinistæ, ad eamdem pertinebit.

Secundo.

Tertio, esto daremus hæc cæremonialia fuisse, potuit Ecclesia eamdem cæremoniam suis etiam usibus servientem sibi adsciscere, uti sibi adscivit ornamenta pontificum et sacerdotum, usum luminum, templa, oblationes, et alia quæ erant cæremonialia in lege veteri, idque ad decorem et majestatem sacrorum legis novæ. Sic quædam judicialia legis veteris revocavit, et in lege nova sanxit : templa enim nostra, quibus tremenda illa mysteria peraguntur, potius quam vetera illa umbratica, omni decore, omni jubilo et concentu dignissima sunt, nisi Calvinus rusticus in templo videri velit, et domi aulicus, malitque musica ad suam libidinem, quam ad Dei laudem uti.

Tertio.

Tropologice, tympanum quod fit ex corio, significat carnis mortificationem, sine qua nulla anima potest se probam Deo exhibere cantatricem; hinc dicitur : « Laudate Deum in tympano et choro; » tympanizant enim Deo, qui carnem

Tympanizant Deo, qui carnem castigant.

(2) Hoc instrumentum musicum sæpe in Vet. Test. occurrit, et fere semper ut instrumentum a feminis tractatum. Etiamnum hoc unicum in Oriente est instrumentum, quod a feminis tractari solet. Golius in *Lexico Arabico* illud ita describit : « Est, inquit, telia, sive circulus unam modo subtensam habens in medio membranam, et hinc illinc in laterum incisuris crepitacula ærea, quæ in axiculo inter se collisa tinnitu suo suaviter temperant complosæ membranæ boatum. » — *Et Choris.* Hebræa vox, a rad. חוּל, *in orbem ire,* saltantium et tripudiantium choreas videtur significare.

castigant et pulsant cum S. Paulo. Ita Origenes, Rupertus, et S. Ambrosius *Ad Virgines*.

Vers. 21. 21. QUIBUS PRÆCINEBAT DICENS : CANTEMUS DOMINO : GLORIOSE ENIM MAGNIFICATUS EST.--Hebraice est ותען להם *vattahan lahem*, id est, et respondebat illis, scilicet Mosi aliisque viris (*lahem* enim est masculinum) præcinentibus. Ita Vatablus et Hebræi. Unde Philo, lib. *De Agricultura*, putat hic factos esse duos choros, unum mulierum, alterum virorum, ex adverso stantes, et alternis carminibus sibi invicem respondentes; et Oleaster putat viros, Mose præcinente, singulos cantici versus cecinisse; deinde Mariam cum feminis ad singulos versus respondisse succinendo et iterando intercalare hoc carmen : « Cantemus Domino : gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem ejus dejecit in mare. » Illud enim solum hic Mariæ et mulieribus tribuitur; hoc enim fiebat in aliis subinde canticis, ut *Psalm.* CXXXV, chorus canebat : « Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus, » et deinceps prosequebatur alios versus : cœtus vero ad singulos versus succinebat et repetebat : « Quoniam in æternum misericordia ejus. » Ita et Genebrardus in *Psalm.* LXVII.

Duo chori canentium, 1 virorum, 2 mulierum.

Hæc sententia valde probabilis est : illi enim favet masculinum להם *lahem*, et verbum תען *taan*, quod proprie significat respondere, responsorie sive alternatim canere, *q. d.* Viris præcinentibus respondebant et succinebant feminæ, Maria quasi duce præeunte, et inchoante idem carmen, quod Moses et Hebræi præcinuerant : si enim seorsim a viris chorum fecissent, et cecinissent feminæ, non repetiisent carmen virorum, sed aliud occurrens cecinissent.

Alii tamen putant Mariam cum feminis seorsim a viris (hoc enim innuere videtur τὸ *egressæ sunt*) et post viros cecinisse illud idem carmen totum a capite ad calcem, quod viri cecinerant : ita ut Maria prima illud didicerit, vel a Mose, vel a Spiritu Sancto (erat enim prophetissa), illaque præcinente cæteræ succinuerint, uti in choro fieri solet. Hæc sententia etiam est probabilis.

Vers. 22. 22. TULIT AUTEM MOYSES ISRAEL DE MARI RUBRO. — « Tulit, » hebraice יסע *iassa*, id est proficisci fecit, movit, duxit; « Israel, » id est populum Israel, filios Israel, puta Jacobi posteros. Noster Interpres verbo *tulit*, providam Mosis erga Hebræos curam, quasi matris filios suos sinu foventis, indicat; de qua vide *Num.* XI, 12.

Vers. 23. 23. ET EGRESSI SUNT IN DESERTUM SUR, — in quo angelus invenit Agar ancillam Abrahæ errantem, inter Cades et Barad, *Gen.* XVI, 7. Ita S. Hieronymus. Atque hinc forte, scilicet ab Agar, desertum hoc *Agra* vocatur a Chaldæo hic; desertum hoc Sur alio quoque nomine vocatur Etham, *Num.* XXXIII, 7, de quo dixi cap. præced., vers. 29.

ET VENERUNT IN MARA. — Est hæc quinta Hebræorum mansio in deserto, quæ dicta est *Mara*, ab amaritudine aquarum, quæ erant מרים *marim*, id est amaræ. Hinc patet hunc locum per anticipationem vocari *Mara* : non enim vocabatur *Mara*, cum eo primum venerunt Hebræi; sed a Mose, postquam aquas ejus amaras gustavit, dictus est *Mara*, ut hic dicitur.

Vers. 25. Lignum dulcorans aquas in Mara.

25. QUI (Dominus) OSTENDIT EI LIGNUM, QUOD CUM MISISSET IN AQUAS, IN DULCEDINEM VERSÆ SUNT. — Hebraice est, *docuit eum lignum*; hinc apparet hoc certum ligni genus fuisse, arcana et mirifica vi dulcorandi præditum, præsertim si copiose aquis inspergeretur, illudque eas actu dulcorasse, tum salsuginem ex aquis exsugendo, tum eis dulcedinem sibi innatam suggerendo : sic enim glycerizam hordeato, vel aquæ, ad potum dulcorandum adhibent medici; sed hujus ligni longe celerior et efficacior fuit vis, quam sit glycerizæ. Ita Cajetanus.

Vis dulcorandi aquas ligno huic fuit naturalis.

Hinc sequitur vim hanc dulcorandi in ligno hoc naturalem fuisse, qualis est in melle et cannis sacchari; sed longe major et efficacior fuit in ligno hoc : si enim una gutta olei vitrioli, vel sulphuris integrum vitrum aquæ acore et sapore suo inficit, quidni idem facere potuerit in dulcorandis aquis hoc lignum efficacissimæ virtutis, nobis licet incognitum, Deo tamen notissimum? Si lignum vitæ innata sua vi poterat homini prorogare vitam in æternum, quidni lignum aliquod dare possit Deus, quod innata sua vi ingentem aquæ copiam dulcorare possit? Idque sat clare significat Ecclesiasticus, cap. XXXVIII, vers. 4 : « Altissimus, inquit, creavit de terra medicinam, et vir prudens non abhorrebit illam; nonne a ligno indulcata est aqua amara? » scilicet hoc loco *Exodi*, quo sine dubio alludit Ecclesiasticus : loquitur autem ipse de naturali proprietate et virtute, quam habent herbæ, ligna et pharmaca ad medicandum hominibus. Ita Lyranus, Cajetanus et alii.

Licet R. Salomon, et ex eo Abulensis secus sentiant : Hoc lignum, inquiunt, est adelpha vulgo nominata, quæ ex se amara est et mortifera; voluit ergo eam Deus adhibere ad dulcorandum aquas, ut eo majus esset miraculum, quo amaritudo ejus dulcori magis est contraria, utque expressior esset typus crucis et passionis Christi amarissimæ, de qua mox dicam.

Sic Abbas Besarion ambulans juxta mare, cum discipulus ejus Dulas sitiret, orans salsam maris aquam in dulcem convertit, qua sitim discipulus restinxit, ut habetur in *Vitis Patrum*, cap. III, num. 215. Simili miraculo Elisæus aquas steriles sanavit per sal, quod siccare et consequenter sterilia facere solet, IV *Regum* II, 20. Verum prius quod dixi, verius est.

Lignum hoc fuit typus crucis Christi, per quam Sanctis

Allegorice, hoc lignum significat lignum crucis Christi : illius enim virtute, memoria et meditatione Sanctis omnis labor et dolor dulcescit. Ita Origenes, Theodoretus, Nyssenus, Rupertus, Ambrosius, lib. *De iis qui myster. initiantur*, cap. III, Cyrillus (vel potius Clictovæus : hic enim octo

omnia adversa dulcescunt.

medios libros Cyrilli, qui interciderunt, ex suo ingenio reparavit, ut opus Cyrilli mutilum compleret et perficeret) in *Joan.*, lib. VIII, XVII, ubi varias sanctæ crucis figuras conglobate enumerat; et Cyprianus, lib. *De Zelo et livore,* in fine, ubi docet, quomodo cruce Christi ira et amarulentia sit lenienda et dulcoranda : « Venena, inquit, fellis evome, discordiarum virus exclude : purgetur mens, quam serpentinus livor infecerat; amaritudo omnis quæ intus insederat, Christi dulcedine leniatur. Si de sacramento crucis et cibum sumis et potum, lignum quod apud Mara profecit in imagine ad saporis dulcedinem, tibi in veritate proficiet ad mulcendi pectoris lenitatem. Ama eos quos antea oderas, dilige illos, quibus injustis obtrectationibus invidebas. »

Audi et Cassiodorum in *Psalm.* IV : « Crux ; inquit, est humilium tuitio invicta, superborum dejectio, victoria Christi, perditio diaboli, infernorum destructio, cœlestium confirmatio, mors infidelium, vita justorum : de qua S. Chrysostomus : Crux est Christianorum spes, crux Romanorum victoria, mortuorum resurrectio, cæcorum dux, conversorum via, claudorum baculus, pauperum consolatio, arbor resurrectionis, lignum vitæ æternæ. »

Et Damascenus, lib. IV *De Fide,* cap. XII : « Crux Christi clavis est paradisi : hæc infirmorum baculus, pastorum virga, se convertentium manuductio, proficientium perfectio, salus animæ et corporis, omnium malorum aversio, bonorum omnium datrix. »

Et Rabanus, *De Laude Crucis* : « Tu sancta, ait, crux, peccatorum es remissio, pietatis exhibitio, meritorum augmentum, infirmorum remedium, lassorum refugium, sanorum incolumitas, desperatorum securitas, infortunatorum felicitas. »

Merito ergo S. Bernardus : « Circumire, inquit, possum, Domine, cœlum et terram, mare et aridam, et nusquam te inveniam, nisi in cruce : ibi dormis, ibi pascis, ibi cubas in meridie. Crux enim tua fides est, cujus latitudo charitas, longitudo longanimitas, altitudo spes, profunditas timor. In hac cruce te invenit, quicumque invenit : in hac cruce suspenditur anima, et dulcia poma de ligno decerpit. »

IBI CONSTITUIT EI PRÆCEPTA ATQUE JUDICIA. — Deus dedit Israeli in Mara aliquas leges cæremoniales et judiciales : quænam hæ fuerint, Scriptura non exprimit; quod enim Rabbi Salomon dicit hæc præcepta fuisse duo : *primum,* de sabbato servando; *secundum,* de vitula rufa comburenda, ut ex ejus cinere fieret aqua lustralis, qua expiarentur immundi, de qua *Num.* XIX : hoc, inquam, figmentum plane fabulosum et erroneum est, uti recte ostendit Abulensis (1).

(1) Hæc verba a multis intelliguntur tantum de ea adhortatione ad obedientiam Deo præstandam, quæ sequitur. *Tentavit eum,* scil. per sitim.

ET IBI TENTAVIT EUM. — Populum scilicet Israel tentavit Deus, leges jam dictas ferendo et sanciendo, quibus obedientiam populi tentare et experiri statueret, patet ex sequentibus.

26. CUNCTUM LANGUOREM, — ex ulceribus, siti, peste aliisque plagis Ægyptiacis manantem. Vers. 26.

EGO ENIM SUM DOMINUS DEUS SANATOR TUUS. — Hebraice אני רפאך *ani ropheecha,* id est, ego sum medicus tuus. Disce hic in morbis ad Deum, quasi archiatrum recurrendum, ipsoque maxime nitendum esse. Rursum Deum sæpe languores et morbos ob peccata immittere, uti hic dicitur : quæ si cessent, cessabunt sæpe et morbi. Deus est archiatrus.

27. VENERUNT AUTEM IN ELIM, UBI ERANT DUODECIM FONTES AQUARUM, ET SEPTUAGINTA PALMÆ, — *q. d.* Venerunt in Elim, ubi erat tum mira amœnitas arborum et fontium, tum copiosus potus et cibus : palmæ enim suos dactylos ad cibum præbent. Est hæc sexta mansio in Elim. Vers. 27.

Tropologice S. Hieronymus *ad Fabiolam* : « Pulcher, inquit, est hic ordo virtutum : post maris Rubri victoriam sequitur tentatio, post tentationem refectio : de Mara, id est amaritudine, venimus in Elim, id est ad arietes et robustos principes gregis Christiani, ubi duodecim fontes doctrinæ Apostolicæ, et septuaginta palmæ victricis fidei, septuaginta discipulorum Domini nos recreant. Sic et Tertullianus, lib. IV *Contra Marcionem,* cap. XXIV, per duodecim fontes duodecim Apostolos, per septuaginta palmas septuaginta discipulos Christi intelligit. Duodecim fontes sunt 12 Apostoli; 70 palmæ sunt 70 discipuli.

Palma non cedit oneri, non flectitur pondere, sed adversus pondus sursum nititur : hinc symbolum est viri fortis, qui non cedit oneribus, irrisionibus, detractionibus; non flectitur in inferiora, sed ad superiora enititur atque exurgit, suaque patientia vincit omnia.

Rursum, nota hic vitam fidelium esse assiduam profectionem, eosque ire debere de virtute in virtutem, ut ad terram promissam in cœlis perveniant, donec videant Deum deorum in Sion. Vidit Jacob scalam e terra in cœlum porrectam : hac nobis ascendendum est itinere longo et molesto; festinemus ergo : grandis enim nobis restat via ad perfectionem, ad beatitudinem. Ad hoc egregia praxi usus est S. Carolus Borromæus nuper Cardinalis. Cum enim delicate esset enutritus, contenderetque ad insignem sanctimoniam, cœpit se in parvis mortificare et vincere, faciles pœnitentias suscipere, singularum virtutum faciles actus obire. Deinde quotidie ulterius ad graviores et difficiliores progrediebatur; habebatque hoc fixum animo non cessare, non sistere, sed quotidie progredi, donec summum virtutis culmen attingeret, v. g. una septimana abstinebat vino, alia carne, tertia pisce, quarta ovis, etc., itaque eo tandem pervenit, ut ultimis vitæ annis quotidie solo pane et aqua viveret, exceptis festis, quibus aliquid obsonii addebat, non tamen carnem, nec piscem, nec ova, nec vinum : his enim semper Sancti quotidie proficiant in virtute. Praxis S. Borromæi.

abstinebat. In Quadragesima etiam pane abstinebat, tantumque ficubus et fabis vivebat. In hebdomade sancta non nisi lupinis (genus est pisorum amarorum) victitabat. Lectus ejus erat saccus stramineus, aut sedes; aiebat enim episcopum super gregem vigilare debere, ac proinde parce et sedentem dormire, uti faciunt strenui duces in bello. Cilicio duro utebatur, quod etiamnum servant Mediolanenses; rudi disciplina corpus castigabat; labores continuos et maximos jugiter capessebat. Dicebat enim animi generosi et invicti esse, semper majora aggredi, et in vita spirituali magnis passibus progredi. Sicut enim mercatores intenti lucro, illi quotidie aliquid adjiciunt; et sicut hortulani quotidie hortum excolunt, pictores quotidie imaginem quam pingunt, expoliunt et perficiunt : ita multo magis quotidie virtuti aliquid adjicere debet, qui ejus est studiosus. Ita fecit ipse, donec eo perveniret, ut vix ulterius quid superesset, quo progrederetur, nisi ut diceret cum S. Paulo : « Cupio dissolvi, et esse cum Christo : » unde et paulo post hac vita defunctus est. Ita narrat auctor Vitæ ejus, lib. VIII, cap. XXI.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Deficiente pasta, famentes Hebræi murmurant. Deus eis mittit coturnices, et vers. 14, ningit sive grandinat manna, eoque eos quotidie alit per 40 annos.

1. Profectique sunt de Elim, et venit omnis multitudo filiorum Israel in desertum Sin, quod est inter Elim et Sinai, quinto decimo die mensis secundi, postquam egressi sunt de terra Ægypti. 2. Et murmuravit omnis congregatio filiorum Israel contra Moysen et Aaron in solitudine. 3. Dixeruntque filii Israel ad eos : Utinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, et comedebamus panem in saturitate ! cur eduxistis nos in desertum istud, ut occideretis omnem multitudinem fame? 4. Dixit autem Dominus ad Moysen : Ecce, ego pluam vobis panes de cœlo : egrediatur populus, et colligat quæ sufficiunt per singulos dies, ut tentem eum utrum ambulet in lege mea, an non. 5. Die autem sexto parent quod inferant; et sit duplum quam colligere solebant per singulos dies. 6. Dixeruntque Moyses et Aaron ad omnes filios Israel : Vespere scietis quod Dominus eduxerit vos de terra Ægypti ; 7. et mane videbitis gloriam Domini : audivit enim murmur vestrum contra Dominum : nos vero quid sumus, quia mussitastis contra nos? 8. Et ait Moyses : Dabit vobis Dominus vespere carnes edere, et mane panes in saturitate; eo quod audierit murmurationes vestras, quibus murmurati estis contra eum : nos enim quid sumus? nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum. 9. Dixit quoque Moyses ad Aaron : Dic universæ congregationi filiorum Israel : Accedite coram Domino : audivit enim murmur vestrum. 10. Cumque loqueretur Aaron ad omnem cœtum filiorum Israel, respexerunt ad solitudinem; et ecce gloria Domini apparuit in nube. 11. Locutus est autem Dominus ad Moysen, dicens : 12. Audivi murmurationes filiorum Israel, loquere ad eos : Vespere comedetis carnes, et mane saturabimini panibus; scietisque quod ego sum Dominus Deus vester. 13. Factum est ergo vespere, et ascendens coturnix cooperuit castra : mane quoque ros jacuit per circuitum castrorum. 14. Cumque operuisset superficiem terræ, apparuit in solitudine minutum, et quasi pilo tusum, in similitudinem pruinæ super terram. 15. Quod cum vidissent filii Israel, dixerunt ad invicem : Manhu? quod significat : Quid est hoc? ignorabant enim quid esset. Quibus ait Moyses : Iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum. 16. Hic est sermo, quem præcepit Dominus. Colligat unusquisque ex eo quantum sufficit ad vescendum : gomor per singula capita, juxta numerum animarum vestrarum, quæ habitant in tabernaculo, sic tolletis. 17. Feceruntque ita filii Israel ; et collegerunt, alius plus, alius minus. 18. Et mensi

sunt ad mensuram gomor : nec qui plus collegerat, habuit amplius : nec qui minus paraverat, reperit minus ; sed singuli juxta id quod edere poterant, congregaverunt. 19. Dixitque Moyses ad eos : Nullus relinquat ex eo in mane. 20. Qui non audierunt eum, sed dimiserunt quidam ex eis usque mane, et scatere cœpit vermibus, atque computruit, et iratus est contra eos Moyses. 21. Colligebant autem mane singuli, quantum sufficere poterat ad vescendum : cumque incaluisset sol, liquefiebat. 22. In die autem sexta collegerunt cibos duplices, id est, duo gomor per singulos homines : venerunt autem omnes principes multitudinis, et narraverunt Moysi. 23. Qui ait eis : Hoc est quod locutus est Dominus : Requies sabbati sanctificata est Domino cras, quodcumque operandum est, facite, et quæ coquenda sunt coquite ; quidquid autem reliquum fuerit, reponite usque in mane. 24. Feceruntque ita ut præceperat Moyses, et non computruit, neque vermis inventus est in eo. 25. Dixitque Moyses : Comedite illud hodie, quia sabbatum est Domini, non invenietur hodie in agro. 26. Sex diebus colligite ; in die autem septimo sabbatum est Domini, idcirco non invenietur. 27. Venitque septima dies, et egressi de populo ut colligerent, non invenerunt. 28. Dixit autem Dominus ad Moysen : Usquequo non vultis custodire mandata mea, et legem meam ? 29. Videte quod Dominus dederit vobis sabbatum, et propter hoc die sexta tribuit vobis cibos duplices : maneat unusquisque apud semetipsum, nullus egrediatur de loco suo die septimo. 30. Et sabbatizavit populus die septimo. 31. Appellavitque domus Israel nomen ejus Man : quod erat quasi semen coriandri album, gustusque ejus quasi similæ cum melle. 32. Dixit autem Moyses : Iste est sermo quem præcepit Dominus : Imple gomor ex eo, et custodiatur in futuras retro generationes, ut noverint panem, quo alui vos in solitudine, quando educti estis de terra Ægypti. 33. Dixitque Moyses ad Aaron : Sume vas unum, et mitte ibi Man, quantum potest capere gomor ; et repone coram Domino, ad servandum in generationes vestras, 34. sicut præcepit Dominus Moysi. Posuitque illud Aaron in tabernaculo reservandum. 35. Filii autem Israel comederunt Man quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem : hoc cibo aliti sunt usquequo tangerent fines terræ Chanaan. 36. Gomor autem decima pars est ephi.

Vers 1. 1. VENIT OMNIS MULTITUDO FILIORUM ISRAEL IN DESERTUM SIN. — Est hæc octava mansio Hebræorum in deserto ; nam septima, quæ fuit ad mare Rubrum, reflexo ad illud itinere, ut patet *Numer.* XXXIII, 10, hic omittitur, quia nihil peculiare in ea contigit.

Hoc desertum Sin est inter mare Rubrum et montem Sinai, estque diversum a deserto Sin (quod et Cades dicitur), de quo *Num.* XX, 1, et cap. XXXIV, vers. 3, ubi mortua est Maria, et petra percussa a Mose dedit aquas : nam nostrum Sin hic per *samech*, illud vero in Numeris per *tsade* scribitur ; in illo fuit trigesima tertia mansio, in hoc vero octava.

Sin hebraice odium sonat, et symbolice significat, quod cum Deum vocantem in desertum sequimur, e mundo exeuntes, grande odium in nos concitemus inimici, puta diaboli et mundanorum hominum. Ita S. Hieronymus *ad Fabiolam.*

QUINTO DECIMO DIE MENSIS, — puta trigesimo die ab egressu ex Ægypto ; egressi enim sunt decimo quinto die mensis primi : decimo vero quinto die mensis secundi (qui liar dicitur, et respondet nostro partim aprili, partim maio) in Sin venerunt. Pro quo nota, Hebræos habuisse menses lunares ; lunaris autem mensis habet dies 29 cum dimidio : unde Hebræi primo mensi dabant 29 dies ; secundo vero mensi dabant dies 30, quia duo dimidii dies, qui utroque hoc mense excreverant, faciebant unum diem, puta tricesimum. Jam si primus mensis habebat 29 dies ; ergo a 15 die ad 29 et ultimum sunt 15 dies : his adde dies 14 mensis secundi, præcise pervenies ad diem tricesimum, quo Hebræi pervenerunt in Sin : et postridie, puta tricesimo primo die, cœpit pluere manna, ut patet vers. 8 et 12. Ita Torniellus et Josephus, ut patebit vers. 2.

Vers. 2. 2. ET MURMURAVIT OMNIS CONGREGATIO FILIORUM ISRAEL, — cum jam farina subacta, sive pasta, quam ex Ægypto tulerant, deficeret ; illa enim duravit ad triginta dies, ait Josephus.

Vers. 3. 3. UTINAM MORTUI ESSEMUS PER MANUM DOMINI, — scilicet morte a Domino irrogata, sive naturaliter, sive violente.

QUANDO SEDEBAMUS SUPER OLLAS CARNIUM. — Alii vertunt, *juxta ollas carnium ;* melius noster Interpres vertit, *super ollas.* Notat hic Scriptura voracem ingluviem crassæ plebis, quod, ut pecora herbis, ita hi ollis incumberent. Intuere hic exemplum et schema apostatantium : *primo* enim ten- Schema apostatantium

tatione pulsante, gratiæ etiam per miraculum acceptæ obliviscuntur, uti hic omnium plagarum et prodigiorum Ægypti obliviscuntur Hebræi; *secundo*, pœnitet eos se Deum vocantem ex Ægypti, id est mundi, illecebris secutos esse; *tertio*, de liberali Dei potestate desperant, ac demum, si possint, ollas suas repetunt.

CUR EDUXISTI NOS IN DESERTUM ISTUD, UT OCCIDERETIS FAME? — Cur educendos nos in has angustias deserti conjecistis, ut ibi moriamur fame? non enim aliter poterat eos Moses fame occidere. Hinc patet, verba activa Hebræorum, quale est occidere, non semper actionem physicam significare.

Exempla et gnomæ illustres de silentio et patientia.

Vide hic silentium et patientiam jugem Mosis: hæc virtus Sanctos omnes exercuit et perfecit *primo*, Christum, qui in cruce pro suis crucifixoribus oravit: « Pater, inquit, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt; » *secundo*, Job, qui a dæmone et Chaldæis ac uxore, extrema passus dixit: « Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc; Dominus dedit, Dominus abstulit: sit nomen Domini benedictum; » *tertio*, David, qui persecutionem Saulis, Semei et Absalonis æquissime tulit; *quarto*, S. Stephanum, qui pro se lapidantibus oravit, dicens: « Domine, ne statuas illis hoc peccatum; » *quinto*, S. Paulum, qui ait: « Maledicimur, et benedicimus; persecutionem patimur, et sustinemus; blasphemamur, et obsecramus. »

Audi et Martyres. Busiris Ancyræ sub Juliano Apostata in equuleo suspensus, manibus ad caput sublatis sua nudavit latera, et ad Præsidem dixit: « Non opus est, ut lictores me in equuleum tollendo laborent; ego enim absque ipsorum opera, quo voles modo latera mea tortoribus præbere paratus sum. » Dixit et fecit; nam cum latera ejus unguibus lacerarentur, manibus in cœlum sublatis Deo gratias egit: testis est Sozomenes, lib. V, cap. X.

Gensericus Christianos ligatis pedibus post terga quadrigarum currentium, per saxa et spinas raptari jussit, qui vale sibi invicem dicentes, aiebant: « Vale, frater, ora pro me, implevit Dominus desiderium nostrum; taliter pervenitur ad regnum cœlorum. » Ita Victor, lib. I *Wandal.*

Audi et Confessores. Dæmon Jacobi eremitæ magnanimitatem non ferens, minatus est se eum virga percussurum. Tum Jacobus: « Si tibi, inquit, permissum est a Deo, percute, et plagam libenter accipiam, ut qui ab illo feriar. Si autem non sit tibi permissum, non percuties, licet millies insanias. » Testis est Theodoretus in *Vitis SS. Patrum*, vita 21.

Irene a Nicephoro servo suo imperio dejecta inquit: « Ego Deo acceptum fero quod me orphanam et indignam ad imperium evexit; quod vero jam me dejici permittit, meis peccatis ascribo; in cunctis autem bonis et malis sit nomen Domini benedictum. » Ita Paulus Diaconus, libro XXIII.

Alfonsus, Aragonum rex, a quodam qui in via præcedebat, ramo arboris demisso, graviter in oculo læsus, dixit: « Nihil profecto doleo, nisi percussoris dolorem ac metum. » Ita Panormitanus, lib. IV *Vitæ* ejus.

Tertullianus, lib. *De Patientia*, cap. IX et X, sic ait: « Si patientiæ incubabo, non dolebo; si non dolebo, ulcisci non desiderabo. » Et cap. XV: « Sequester patientiæ est Deus. Si injuriam deposueris penes eum, ultor est; si damnum, restitutor est; si dolorem, medicus est; si mortem, resuscitator est. »

4. PLUAM VOBIS PANES DE COELO. — « Panes, » id est manna: ex eo enim contuso tortulas panis faciebant, ut patet *Num.* XI, 8. Pro carne vero et ollis, ad quas anhelabant Hebræi, dedit eis Deus coturnices, vers. 8 et 13. Vers. 4.

UT TENTEM EUM, UTRUM AMBULET IN LEGE MEA. — Humano more loquitur Deus: ipse enim hominum tentat eos probando, et arcana eorum, ipsamque veritatem palam eliciendo. Verum non eo fine, quo homines: hi enim tentant ad hoc, ut sciant quod ignorant; Deus vero cardiognostes omnium conscius, imo præscius tentat, non ut ipse, sed ut alii vel se, vel alios noscant. Tentavit ergo hic Deus obedientiam et temperantiam Hebræorum, solum manna eis dando; tentavit et spem eorum, dum eis diurnum in singulos dies alimentum admensus est, præcepitque ne manna in sequentem diem reconderent (ad hanc enim legem, quæ immediate præcessit, maxime in hac tentatione respexit Deus), idque ut continuo et jugiter a Dei providentia pendere discerent, de accumulanda annona non solliciti: quo modo et nos Christiani panem quotidianum in dies a Deo petere jubemur.

Aliter tentat Deus, aliter homo.

5. DIE AUTEM SEXTO PARENT QUOD INFERANT, — puta die veneris: die enim septimo, puta sabbato, jussit eos Deus quiescere; unde in sabbato non pluit manna. Hinc colligit Origenes, S. Ambrosius, in I *Corinth.* X; S. Augustinus, serm. 25 *De Tempore*, et Synodus Cæsariensis, quam refert Beda, epist. *De Celebr. Paschæ*, diem quo primo pluit manna, fuisse dominicum: ab hoc enim dies sexta est parasceve, sive dies veneris; sex ergo integris diebus continuo pluebat manna, scilicet incipiendo a die dominico usque ad feriam sextam inclusive. Quo mystice et tacite significatum est, diem dominicum a Christo et Christianis præferendum esse sabbato, ac die dominico panem cœlestem in Eucharistia, Deique gratiam ad fideles descensuram. Vers. 5.

Manna primum pluit die Dominica.

Nota τὸ *parent quod inferant, q. d.* Die veneris condant partem mannæ in tabernaculis suis, qua vescantur sequenti die sabbati: sabbato enim a labore colligendi, molendi et coquendi manna cessandum est. Unde et feria sexta dicta est parasceve a præparatione ciborum quæ illo die fiebat pro sabbato.

Parasceve unde dicta?

Tropologice, sex diebus vitæ nostræ cibaria

comparanda sunt in septimum diem æternitatis, ut iisdem in æterna quiete cœlesti vivamus. Ita Origenes, Rupertus et Cyrillus, lib. IV in *Joannem*, cap. LI.

Vers. 6 et 7. 6. VESPERE SCIETIS, QUOD DOMINUS EDUXERIT VOS DE TERRA ÆGYPTI, ET MANE VIDEBITIS GLORIAM DOMINI, — quia vespere Deus dabit vobis coturnices, et mane manna, uti patet vers. 12 et 13, per quod agnoscetis gloriam Dei, id est, gloriosam potentiam et providentiam.

Vers. 7. 7. AUDIVIT ENIM MURMUR VESTRUM CONTRA DOMINUM, — contra se : honoris causa repetit Moses nomen Domini, ponitque absolutum pro reciproco.

Murmuris peccatum quantum? Nota hic quam grave peccatum sit murmur populi contra magistratus; est enim contra Deum, qui eos constituit : hinc Deus alia peccata Hebræorum in deserto fere dissimulavit : murmur autem pene semper illico punivit. Vide S. Gregorium, lib. XII *Regist.* epist. 31.

Vers. 9. 9. ACCEDITE CORAM DOMINO, — accedite ad columnam nubis, qua se Dei præsentia vobis exhibet; necdum enim fabricatum erat tabernaculum (cui columna hæc postea incubuit), quod accessuri ad Dominum postea adire consueverunt.

Tribus locis Mosi loqui solet Deus. Nota : Tribus locis Mosi, et subinde Hebræis solitus est Deus loqui : *Primo*, in tabernaculo intra Sancta sanctorum, postquam illa fabricata sunt, idque Mosi, vel Aaroni soli, ut patet *Exodi* cap. XXV, vers. 22.

Secundo, apud ostium tabernaculi juxta altare holocaustorum, ut patet *Exodi* XXIX, 42.

Tertio, in columna nubis, ubicumque illa foret, ut patet *Psalm.* XCVIII, 7; *Exodi* XXXIII, 9. Ita Abulensis in *Levit.* I, 1.

Vers. 10. 10. RESPEXERUNT AD SOLITUDINEM, — extra castra.

ET ECCE GLORIA DOMINI APPARUIT IN NUBE. — Gloria hæc Domini erat splendor et augustum radiansque jubar, quo se quasi spectandam per angelum exhibebat majestas divina; splendor hic erat in nube, id est, in columna nubis, quæ in medio castrorum quiescebat; sed justa ex causa subinde motitabat se angelo impellente, uti fecit cap. XIV, 19, cum se inter castra Hebræorum et Ægyptiorum interposuit. Ita et hic angelus in columna, quasi indignans manere cum populo ita murmurante, fugit extra castra ad solitudinem, eoque ad se evocavit et abduxit Mosen, ibique cum eo collocutus est, dicens : « Audivi murmurationes filiorum Israel, » etc. Fecit hoc Deus, vel potius angelus vice Dei, ut populum murmurantem terrore et fulgore sui numinis compesceret; utque eum induceret ad Mosi credendum et parendum, utpote quem cum Dei majestate colloquentem, ab eaque edoceri et instrui cernebant. Ita Lyranus, Abulensis et alii.

Vers. 11. 11. LOCUTUS EST AUTEM DOMINUS AD MOSEN — solum; nam Aarone populum alloquente, solus Moses Dominum oraturus (ab eo tacite evocatus) ad suum secretum extra castra, scilicet ad columnam nubis, se receperat.

Vers. 12. 12. VESPERE COMEDETIS CARNES (coturnices), ET MANE SATURABIMINI PANIBUS, — manna. Allegorice significabatur hic vespera, id est, obscuritas legis carnes animalium immolans, transitura mane in panem cœlestem, id est Christum, qui lux et manna est mundi. Ita Cyrillus, lib. III *in Joannem*, cap. XXXIV, et Rupertus.

Vespera mystica quæ?

Secundo, ut Origenes et S. Augustinus, *Quæst.* LX, significabatur, quod ad vesperam mundi Verbum caro fieret, moreretur et sepeliretur ex infirmitate; mane vero resurgeret ex virtute, suisque appareret discipulis cum eis vescens, eosque pascens.

Vers. 13. 13. FACTUM EST ERGO VESPERE, ET ASCENDENS COTURNIX OPERUIT CASTRA. — « Ascendens, » id est, veniens et advolans; « coturnix, » id est, coturnicum turba, idque flante vento, ut dicitur *Psal.* LXXVII, vers. 26 et 27, qui eas dejiciebat, ut caderent in medio castrorum, ut patet vers. 28 *Psalm.* LXXVII. Hæc coturnicum missio non duravit, uti manna, per 40 annos (ut dicitur vers. 35); sed tantum hoc uno vespere contigit, quo tamen in plures dies coturnices colligere et asservare poterant Hebræi. Post hanc ergo vesperam sequentibus diebus, nullæ coturnices ad castra Hebræorum advolarunt.

Nota : Bis dedit Deus coturnices Hebræis, *primo* hic; *secundo*, *Num.* XI, 31, ad sepulcra concupiscentiæ.

MANE QUOQUE ROS JACUIT PER CIRCUITUM CASTRORUM. — Hebraice est, *mane fuit cubatio*, aut *stratum roris* (1), *q. d.* Mane tota planities strata fuit et cooperta rore, ita ut ros illi quasi lecto incubaret. Ros hic erat manna, quod ros dicitur, quia rori et crystallinæ guttæ in coriandri seminis formam conglobatæ erat simile. Ita Nyssenus, Philo, Josephus. Neque enim manna simile erat humori rorulento et liquido, sed coagulo et conglaciato; unde vers. 14 in similitudinem pruinæ fuisse dicitur; erat ergo manna simile rori concreto, id est, granis grandinis, vel pruinæ, quæ frigore noeturno densante et dividente in parvula grana formatur : sic et nostrum manna (licet ab hoc cœlesti longe diversum sit), quod multis in locis hodie in foliis virgultorum coalescit, et a medicis studiose colligitur, atque a Galeno drosomeli et aeromeli, id est, mel roscidum et aereum dicitur (quod non est aliud, quam halitus aquæ terræque, solis calore exacte attenuatus et coctus, ac frigore secutæ noctis in unum coactus densatusque), antequam sole cadente liquescat, speciem habet pruinæ.

Manna nostrum, quid?

Aliter, scilicet proprie, rorem hic accipiunt Hebræi, Lyranus, Vatablus, Oleaster et Cajetanus : putant enim ipsi rorem simul descendisse cum manna, qui manna operiret; cumque mane ros

An ros cum manna descenderit, il-

(1) Galli dicerent, *une couche, un lit de rosée.*

Indque texerit? Affirmant Hebræi.

ad radios solis evanesceret, detegebat, et solum relinquebat manna colligendum ab Hebræis : manna ergo tam superne quam inferne rore, quasi theca erat inclusum. Quam rem Judæi adhuc hodie mensæ suæ quodam indicio repræsentant, ponentes scilicet panem inter duo mensalia. Huic sententiæ favet versio Chaldæi et Vatabli, qui vertunt, *fuit operimentum roris, cumque ascendisset*, id est, a sole absumptus fuisset et disparuisset (et, ut Septuaginta, καταπαυομένης, id est, cum quievisset, hoc est, cessasset, inquiunt aliqui) *ros, ecce in superficie deserti minutum quiddam et orbiculare apparebat.*

Pulchra allegoria roris in Eucharistia.

Ex hac sententia, quæ probabilis est, pulchram licet colligere allegoriam de Eucharistia : sicut enim ros hic tegebat manna, ita species panis tegunt corpus Christi; et sicut rore evanescente apparebat manna, ita speciebus panis in Eucharistia per fidem abstractis, mens fidelis ascendit ad videndum et gustandum ipsum corpus Christi.

Negant alii, et verius. Resp. Primo.

Verum huic sententiæ repugnare videtur nostra versio, vers. sequenti, ubi plane hunc rorem explicat, dicitque fuisse ipsum manna : nam hebræum ותעל *vattaal*, id est ascendebat, quod alii interpretantur : In vaporem evanescebat ad radios solis; noster Interpres vertit : « Cumque operuisset superficiem terræ; » ascendebat enim operiendo terram : simili enim modo paulo ante dixit ascendisse coturnices et cooperuisse castra.

Secundo.

Secundo, sole calente liquescebat et evanescebat manna, uti evanescere solet ros : unde ante solem primo mane manna colligere debebant Hebræi. Ergo non videtur verum, quod Hebræi dicunt, solem calentem absumpsisse rorem, et intactum reliquisse manna.

Tertio.

Tertio, ad quid hic ros texisset manna? manna enim in se mundum erat, nec superne a pluvia, nive et grandine (utpote Deo illa continente et avertente) inquinari poterat : longe ergo verius est rorem hunc non fuisse quid aliud a manna. Ita Abulensis.

Dices : *Num.* XI, 9, dicitur : « Cum descenderet noctu super castra ros, descendebat pariter et manna. »

Respondeo, rorem ibi pro pruina sumi, quæ non operiebat manna, sed illi substernebatur, ne manna terræ tactu fœdaretur; unde Hebræa, Chaldæa et Septuaginta habent, *ascendebat et man super eum*, scilicet rorem, puta concretum, id est, pruinam jam dictam.

Notat Abulensis quod verisimiliter sic Deus depluebat manna : primo mittebat ventum, qui purgaret ab aquis, vaporibus et similibus rebus superficiem terræ, ita ut nullæ in eo aquæ aut sordes manerent, quæ manna maculare possent; deinde depluebat pruinam gelidam, et in granula formatam; denique super pruinam depluebat manna, ut patet *Num.* XI, 9.

Terra ergo erat quasi lectus, pruina sive ros conglaciatus erat quasi linteamen mundum, cui incubabat manna. Unde in Hebræo manna hic et *Num.* XI, dicitur cubare in terra et in rore, ita ut pruina hæc sive ros inferne esset ipsi manna quasi velamen, sicut species panis in Eucharistia sunt velamen corporis Christi.

Manna cubabat in pruina quasi in linteamine.

14. APPARUIT IN SOLITUDINE MINUTUM. — Hinc patet manna non pluisse in castris Hebræorum, quia illa sordida erant; sed extra castra in deserto, sive in agro, ut dicitur vers. 25. Unde vers. 27 dicuntur Hebræi castris egressi, ut illud invenirent et colligerent in deserto.

Vers. 14.

MINUTUM ET QUASI PILO TUSUM, IN SIMILITUDINEM PRUINÆ SUPER TERRAM. — Non quasi manna, cum e cœlo descenderet, pilo tusum, et in pulveres aut farinam redactum esset : hoc enim postmodum faciebant Hebræi, terentes illud in mortario aut mola, cum ex eo tortas facerent, ut patet *Num.* XI, 8; sed « quasi pilo tusum, » id est, pili tunsione decorticatum, et folliculis suis exutum, quasi dicat : Manna erat album instar tritici, cui vel pilo, vel mola cortex est ablatus : semper enim colore albo Scriptura commendat manna. Unde *Numer.* XI, 7, dicitur fuisse coloris bdellii. Hinc et Septuaginta pro *pilo tusum*, vertunt, λευκόν, id est album, et Chaldæus vertit, *quasi decorticatum*, et hoc Hebræo מחספס *mechuspas* consonat. Licet enim nusquam alibi hæc vox reperiatur, tamen quia quadrilitteram radicem habet, hinc de more ad trilitteram reducenda est, scilicet ad חשף *chasaph*, id est, denudare, decorticare; unde mirum est recentiores *mechuspas* vertere, *rotundum* quasi cæce divinare malint, quam S. Hieronymo, Septuaginta et Chaldæo aliisque veteribus et doctissimis Hebræis assentiri (1).

Porro *Num.* XI, manna in colore dicitur fuisse simile bdellio; bdellium porro est genus gummi, sive lacrymæ pellucidæ. Unde Septuaginta vertunt, *simile crystallo*, *q. d.* Manna erat albicans ut crystallus. Hebræum בדלח *bedolach*, id est bdellium, Pagninus *margaritam*, alii *onychen* vertunt : quasi manna colore fuerit simile margaritæ, vel onychi, id est, colore unguis. Tale enim est bdellium, præsertim Bactrianum, quod inter omnia est laudatissimum : auctor est Plinius, lib. XII, cap. IX, et Dioscorides, lib. I, cap. LXIX. Candidum ergo manna significabat Eucharistiam, in qua species panis albæ candidum et immaculatum corpus Christi repræsentant, et reipsa exhibent.

Candidum manna significabat candidas species, et candidum corpus Christi in Eucharistia.

15. DIXERUNT AD INVICEM, MANHU? QUOD SIGNIFICAT : QUID EST HOC? — Hinc Hebraice vocatum est *man*, et Chaldaice *manna*. Hebræum *man* Vatablus vertit, *donum*. Cum enim, inquit, Hebræi proprium illi nomen indere non possent, generícum *man*, id est *donum* illi indiderunt, quasi

Vers. 15. Man sive manna quid? Prima sententia.

(1) Michaelis, collato arab. *chashif*, *nix*, *frustum glaciei*, exponit, *concrescens*, *nivis in morem*. Bis ergo idem dici videtur, imagine modo mutata, *minutum*, nivi simile, minutum ut pruina.

dicant *man hu*, id est, hoc ingens et cœleste est donum, nobis a Deo promissum, vers. 4.

Secunda. *Secundo*, Oleaster *man* vertit, *numerosum* : radix enim מנה *mana* significat *numerare* : unde *mane, tekel, phares, Daniel.* cap. v, vers. 25 ; magno enim numero et copia instar nivis depluebat manna.

Tertia. Longius abit et aberrat Calvinus, qui *man* vertit, *paratum* ; et Aben Esra, qui *man* vult esse vocem, non hebræam, sed arabicam ; non enim ab Arabibus, sed ab Hebræis hic in deserto vocatum est *man*.

Quarta, et genuina. Verum Septuaginta, Chaldæus et Noster, Philo, Josephus, Origenes, Theodoretus, Cyrillus, lib. III *in Joan.*, cap. XXXIV, et passim tam veteres, quam recentiores τὸ *man hu* optime et genuine vertunt, *quid est hoc?* nam res tam insolita in Hebræis ciebat admirationem, ut rogarent : Quid est hoc? idque sequentia indicant : « Ignorabant enim quid esset ; » ubi pro *quid esset*, in Hebræo est מה הוא *ma hu* : unde factum est *man hu* addito *nun* paragogico. Similis paragoge litteræ *lamed* in eodem *ma* interrogativo, est *Isaiæ* cap. III, vers. 15 : מלכם *mallachem*, quid est vobis? Paragoge vero *nun* est usitatior ; *nun* enim passim nominibus Hebræis additur, ut patet in *corban, ischon, sculchan, nechustan.* Denique Chaldæi pro *ma* dicunt *man*, id est, quis, quæ, quid, ut patet *Daniel.* cap. III et IV. Sic etiam Hebræi euphoniæ causa pro *ma* usurpant *man*, ut patet *Psal.* LX, vers. 8. Idem convincit responsio Mosis. Moses enim Hebræis interrogantibus *man hu*, id est, « quid est hoc? » respondet : « Iste est panis quem Dominus vobis dedit ad vescendum. »

Man hu, id est, *quid est hoc?*

Vers. 16. 16. COLLIGAT UNUSQUISQUE EX EO : — « unusquisque, » qui scilicet pane et solido cibo vescitur : neque enim lactentes et ubera sugentes comedebant manna. Ita Cajetanus.

Gomor quid? GOMOR PER SINGULA CAPITA. — « Gomor » est chœnix, puta mensura, quæ per diem cuique ad victum sufficit ; unde dicitur *gomor*, quasi עמר *gomer*, id est manipulus, puta victus diurni, inquit Arias Montanus ; vel, ut Vilalpando in *Appar. templi*, part. II, lib. III, cap. XII, *gomor* idem est quod *usualis*, a rad. מער *amar* id est, uti alicujus ministerio, eo quod per quadraginta annos in deserto, hæc mensura gomor maxime fuerit in usu ad metiendum manna. Erat gomor decima pars ephi (ut dicitur vers. 36), vel epha, id est, trium modiorum ; ephi autem erat decima pars cori, sive homer (homer aliud est a gomor ; gomor enim per *ain*, homer per *chet*, scribitur), ut patet *Ezech.* XLV, vers. 11 ; corus autem, sive homer continebat 30 modios : ita enim Noster interpres vertit, *Levit.* cap. XXVII, vers. 16, et alibi. Sic et Septuaginta, qui *Ezech.* cap. XLV, pro *homer* vertunt, *sex artabas* : artaba autem, teste Galeno, lib. *De Mensuris*, capit modios, id est, mensuras Italicas 5 ; sex ergo artabæ sunt 30 modii.

Nota hic obiter : Tres amphoræ, tres modii, tres mensuræ, tria sata, unus batus, unum ephi, hæc omnia unum et idem sunt, inquit Lipomanus.

Gomor continet 63 uncias, juxta Josephum.

Josephus *gomor* vocat assaronem, id est, decimam, ita ut hæc tria, scilicet gomor, assaron et decima idem sint. Assaron autem, ut Josephus ait, lib. III *Antiq.* cap. VII, septem continebat cotylas ; cotyla vero 9 continebat uncias apud Atticos, inquit Thucydides apud Athenæum lib. XI : quo computu gomor fuisset mensura continens 63 uncias, id est, quinque libras et tres uncias ; sed in fine libri, in tract. *De mensuris*, ostendam gomor continuisse 8 libras, sive 96 uncias. Quæ sane ingens erat portio, et cuique quantumvis avaro et edaci stomacho, etiam prisco illo et valido sæculo, sufficiens ad victum diurnum. Verum, ut notat Vilalpando, manna levioris erat substantiæ, sed latioris magnitudinis, quam sit frumentum : unde ipse gomor manna plenum censet tantum panis præstitisse, quantum plenus frumento cabus : cabus autem continebat 4 sextarios, de quibus in fine libri. Sic ergo gomor manna erant 4 circiter libræ.

Sex præcepta et sex miracula in manna.

Nota : Deus hic de manna sex dat præcepta, totidem et assignat miracula.

Primum præceptum : singuli colligant gomor.

Primum præceptum est hoc versu, quo jubet ut Hebræi in singula capita colligant ex manna singulis diebus mensuram gomor, id est tantum, quantum verisimiliter putant sufficere ad gomor complendum ; unde alii aliis plus collegerunt, opinantes necdum se gomor collegisse : alii minus collegerunt, putantes se gomor collegisse, cum necdum illud integrum collegissent.

Aliqui putant (quod etiam probabile esse censet Abulensis) id quod hic dicitur, de colligendo gomor pro singulis, non esse præceptum datum Hebræis, sed ordinationem circa ipsum manna, ut scilicet singuli ex eo quotidie haberent, et comederent unum gomor : putant enim ipsi Hebræos, prout erant edaciores, vel minus edaces, plus vel minus collegisse ex manna, v. g. cui sufficiebat medium gomor, colligebat medium gomor ; qui indigebat uno, vel duobus gomor, colligebat unum vel duo : sed cum quisque postea id quod collegerat mensuraret, omnes inveniebant unum tantum gomor, quia illis qui minus collegerant, Deus id quod collegerant, rarefaciebat et elevabat ut impleret gomor ; iis vero qui plus quam gomor collegerant, condensabat et constipabat, ut gomor non excederet.

Hæc sententia quoad posteriorem sui partem de rarefactione et condensatione manna ex parte vera est, uti mox dicam ; sed priori ejus parti, quod scilicet aliqui studio colligerent medium tantum gomor, alii duo gomor, videntur adversari verba Scripturæ hoc versu : « Colligat, inquit, unusquisque ex eo, quantum sufficit ad vescendum, gomor per singula capita. » Ubi τὸ *colligat* est præcipientis, pertinetque ad *gomor* : præcipit ergo colligi pro quolibet gomor, non plus vel minus. Unde subdit : « Sic tolletis, » scilicet *gomor* in

singula capita. Ergo quisque tantum colligere debebat quotidie, quantum sufficere putabat ad gomor implendum : die sexto vero pro eo, et pro sabbato, colligenda erant duo gomor in singulos homines, ut dicitur vers. 5 et 22 : « Et mensi sunt ad mensuram gomor : nec qui plus collegerat, habuit amplius; nec qui minus paraverat, reperit minus. » Putant Dionysius Carthusianus et Emmanuel Sa ex Hebræis constitutos fuisse præfectos, qui collectum a quolibet manna metirentur, et cuique ex eo admetirentur gomor, ita ut ei qui plus collegerat quam gomor, illud plus adimerent, darentque ei, qui minus quam gomor collegerat. Verum hoc parum est probabile : nulla enim præfectorum hic fit mentio; illique suum hoc munus obeundo, Hebræis, præsertim tenacioribus, adimendo partem suæ collectæ magnam murmuris et jurgiorum causam dedissent. Deinde Scriptura diserte ait eum, qui minus paraverat, non reperiisse minus, quasi occulte, aut casu, non autem a judicibus et præfectis datum sit illi aliquod additamentum; alias enim dixisset : Ei, qui minus paraverat, præfecti suppleverunt et compleverunt suum gomor.

Censent aliqui, præfectos distribuisse cuique gomor ex manna. Refelluntur.

Dico ergo hoc esse *primum*, illudque ingens miraculum in manna, nimirum quod et tanta copia quotidie deplueret, quæ tribus hominum millionibus alendis sufficeret, et quod singuli domum venientes, cum manna a se collectum metirentur, sive plus, sive minus collegissent, omnes tamen unum idemque gomor reperirent : angelo scilicet invisibiliter addente, si minus quam gomor; demente, si amplius collegissent : hoc enim exigunt expressa hic et diserta Scripturæ verba, et S. Paulus, II *Corinth.* VIII, citans hæc ex Septuaginta : « Ut fiat æqualitas, inquit, sicut scriptum est : Qui multum, non abundavit; et qui modicum, non minoravit. »

Primum miraculum, omnes ex manna colligebant gomor, angelo vel addente vel demente residuum.

Hinc sequitur omnes tunc quotidie ex manna comedisse unum gomor, ac consequenter unam eamdemque cibi mensuram, scilicet gomor, tunc fuisse parvulis, viris, feminis, robustis, senibus, omnibusque Hebræis : Deus enim cuique in stomacho et corpore ita concoquebat et dispertiebat suum manna, suumque gomor, ut illud attemperaret vi nutritivæ et nutritioni, ac viribus cujusque, ut æqualiter omnes satiaret; atque ex altera parte suppleret, si quid calori naturali, ac vi nutritivæ cujuspiam deerat ad consumendum gomor, aut certe efficeret, ut manna in debili stomacho esset levis et facilis digestionis, in stomacho vero valentiore esset validius : sic enim, ut postea videbimus, manna cuique suum variabat saporem; quisque enim sapiebat in manna id quod volebat. Pari ergo modo videtur fecisse Deus, ut manna stomacho valenti saperet et ageret ut caro robusta porcina, bovina, etc.; in debili vero saperet et ageret ut caro vitulina, agnina, vel ut caro piscium, ut ova, ut lac, etc. Ita Nyssenus, Lyranus, Abulensis, Oleaster, Cajetanus, Vatablus, S. Chrysostomus, Theophylactus, Anselmus in II *Cor.* cap. VIII, vers. 15. Quin et Hebræi, teste Genebrardo in *Psal.* LXXVII, vers. 29, tradunt manna fuisse cibum corporeum, qui in ipsis membris digerebatur (nedum in stomacho); unde non onerabat stomachum gravedine, nec caput fumis, non creabat excrementa, eratque facilis digestionis, ideoque erat typus cibi justorum in futuro sæculo.

Eadem mensura cibi, scilicet gomor, erat viris et parvulis.

Manna pro stomacho cujusque erat levius aut validius.

Manna qualis cibus?

Crediderim tamen angelum in edacioribus condensasse ac constipasse manna in gomor; in senibus vero, parvulis et debilibus illud rarefecisse et extendisse : ita ut gemor horum minus haberet ex manna, illorum vero haberet amplius, itaque angelum cujusque stomacho et viribus mensuram hanc gomor accommodasse et attemperasse. Hoc enim magis naturale est : Deus autem parcit miraculis, utiturque natura, cum ea sufficit, atque hoc videtur esse, quod subdit hic Moses.

Angelus condensabat et rarefaciebat manna.

18. SINGULI JUXTA ID QUOD EDERE POTERANT, CONGREGAVERUNT, — *q. d.* Quisque pro sua edacitate majus, vel minus æstimabat esse suum gomor, ideoque magis vel minus colligebat : sed cum postmodum id, quod collegerant, metirentur, singuli inveniebant unum gomor, quod singulis sufficiebat; ita tamen, ut angelus in his condensaret, in illis rarefaceret manna; quin et in iis, qui nimis multum collegerant, occulte subtraheret, in aliis qui nimis parum collegerant, adderet partem manna. Rarefactio enim sola poterat quidem implere gomor, sed non ventrem, si is plus cibi caperet et appeteret. Ut ergo quantitas manna cujusque stomacho commensuraretur, opus erat subinde ut angelus ex ea vel demeret aliquid, si quis nimis multum; vel adderet aliquid, si quis nimis parum collegisset.

Vers. 18.

Porro causa, cur Deus singulis præscripserit idem gomor, fuit *primo*, ut avaritiam, gulam nimiamque cibi et rerum terrenarum curam hac ratione compesceret, ait S. Chrysostomus et Theophylactus in II *Cor.* cap. VIII. *Secundo*, ut doceret quantum bonum in communitate sit æqualitas, puta æqualis cibus, vestitus, labor, onus, etc. *Tertio*, testari hoc continuo miraculo voluit Deus, suam cuique sufficientem victus mensuram a Domino paratam esse, etiamsi ex laboribus suis minus consequi posse videatur : ut, cum assidemus mensæ, cogitemus Deum nobis pluere manna e cœlo; sic enim et hodie non divitibus modo, sed et pauperibus, ægris etiam et debilibus, insuperque multa prole oneratis, quotidianam tamen annonam quæ satis sit vitæ omnium tuendæ, Deus suppeditat, quæ res consideranti mirabilis et incredibilis videtur, si censum et lucrum exiguum, quod faciunt, cum sumptu tanto, expensis tot capitum familiæ conferat : ut vel ex hoc solo experimento colligere liceat suavem et miram Dei in omnes providentiam. Unde S. Chrysostomus, hom. 40 *in* I *ad Corinth.* : « Avarus, inquit, dives a paupere tantum differt curis, neglectu Dei,

Causa, cur Deus singulis præscripserit idem gomor. Prima. Secunda. Tertia.

Cum assides mensæ, cogita tibi Deum pluere manna.

Mira Dei providentia in alendis pauperibus.

corporis inquinatione, et animi perditione : nam ventrem uterque æque satiant. » Plura de hoc versu dixi II *Corinth.* cap. VIII, vers. 15.

Allegorice, idem gomor est idem Christus in Eucharistia.

Allegorica causa fuit, ut idem gomor significaret eumdem Christum, quem totum, quantus quantus est, omnes comedimus in Eucharistia.

Anagogice, idem gomor est eadem deitas quæ Beatos satiat.

Anagogice, idem gomor significat eamdem deitatem, qua in solidum pascemur et fruemur singuli in cœlo, sed alii plus, alii minus saporis, dulcedinis, gratiæ et gloriæ ex ea haurient, sicuti ex eodem manna tunc, et ex eodem cibo nunc alii plus, v. g. pueri et juvenes : alii minus, uti senes et debiles, nutriuntur et reficiuntur.

Vers. 19. Secundum præceptum : manna servetur in crastinum. Secundum miraculum: manna non servatum scatuit vermibus.

19. NULLUS RELINQUAT EX EO IN MANE. — Est hoc *secundum* præceptum, ad incredulam avaritiam cohibendam eorum qui contra Dei voluntatem et jussum, de crastino sibi providere volebant : unde et postea puniti sunt; cœpit enim manna servatum in sequentem diem scatere vermibus. Atque in hac vindicta fuit pariter *secundum* miraculum; neque enim hanc fuisse naturam manna, ut postridie putresceret, quis dixerit, cum sabbato illæsum servaretur id quod pridie collectum erat: sane nullum est granum aut farina, quæ tam cito putrescat. Ita Theodoretus.

Vers. 21. Tertium, præceptum : colligatur manna mane.

21. COLLIGEBANT AUTEM MANE SINGULI. — Innuitur hic *tertium* præceptum, ut scilicet quisque mane, antequam sol incalesceret, colligeret manna, quia sole calente liquescebat : idque ut discerent Hebræi, non stertere, sed mane surgere ad orandum Deum, et ad parandum sibi victum: hoc est enim quod ait Sapiens, loquens de manna ad solem liquescente, cap. XVI, vers. 28 : « Ut notum omnibus esset quoniam oportet prævenire solem, ad benedictionem tuam (ad te benedicendum et laudandum), et ad ortum lucis te adorare.»

Tertium miraculum : manna sole calente liquescebat, cur?

CUMQUE INCALUISSET SOL, LIQUEFIEBAT. — Est hoc *tertium* pariter miraculum, quod scilicet id quod ex manna manebat in agro, inquit Chaldæus, liquescebat, cum sol incalesceret, id est, magis calefaceret (per hebraismum enim *cal* ponitur pro *hiphil*, scilicet verbum neutrum, vel passivum pro activo), cum tamen idem manna collectum jam, ita durum esset domi, ut pilo et mola tunderetur, et igne non liquesceret, sed in tortulam formaretur, ut patet *Numer.* XI, vers. 8. Simile dat Cajetanus in ovo : « Sicut enim ovum, inquit, quamdiu est in gallina, tenerum habet corticem, qui statim genito ovo exsiccatur, et fit durus : ita grana illa manna in loco, in quo formata erant, obnoxia erant liquefactioni; segregata autem durescebant adeo, ut non essent amplius liquescentis naturæ : ita quod, sicuti sustinebant postea ignem, sustinuissent etiam solem, si fuissent iterum exposita soli. »

Voluit Deus liquescere manna in agro, ne cœlestis ille cibus manens in terra putresceret aut calcaretur, itaque dehonestaretur et vilipenderetur. Rursum aliam causam dat Sapiens cap. XVI, vers. 27 : « Quod, inquit, ab igne non poterat exterminari, statim ab exiguo radio solis calefactum tabescebat : ut notum omnibus esset quoniam oportet prævenire solem, ad benedictionem tuam, et ad ortum lucis te adorare. »

Poloni. cum manna prodigiosum.

Huic manna Hebræorum simile est manna Polonicum, quod in Polonia (Polonis omnibus attestantibus) mense junio et julio noctu depluit, herbisque instar roris incumbit. Hoc enim ante solis radios cribro colligunt, excutiunt, tundunt, aqua miscent, pultesque conficiunt, uti fiunt pultes ex farina panici, vel tritici. Si enim sol incalescat, folliculum dissolvit, itaque granum manna in eo inclusum in terram decidit et deperditur; quod sane novum est et memorabile. Vidi ego grana, suntque instar milii, sed longiora et rubicunda; pultesque inde confectas gustavi : sapor est, qualis est pultis ex panico. Verum in eo manna hoc a manna Hebræorum differt, quod istud non omnino ad solem liquescat, sed tantum solvatur, ut granum vel semen in eo inclusum, quod durum est instar milii, decidat; manna vero Hebræorum totum ad solem liquescebat et evanescebat. Adde, manna Polonicum folliculo includitur; hebræorum vero erat sine folliculo quasi pilo tusum, ut dicitur vers. 14.

Vers. 22. Quartum præceptum : feria sexta colligatur duplum manna. Quartum miraculum : feria sexta duplum manna deplue-bat.

22. IN DIE AUTEM SEXTA COLLEGERUNT CIBOS DUPLICES. — Est hoc *quartum* præceptum latum vers. 5, ut feria sexta duplum colligant manna, scilicet gomor unum pro feria sexta, et alterum pro sabbato, idque ad quietem et religionem sabbati commendandam.

Quartum pariter fuit hoc miraculum, quod scilicet feria sexta deplueret duplum manna, quasi duplum annonæ, quodque a collectione manna domum rediens quisque æqualiter duo gomor apud se inveniret.

ET NARRAVERUNT MOYSI, — se die sexto collegisse duplum manna, idque ad hoc, ut audirent et intelligerent quorsum hoc eis fuisset jussum : nec enim hic usque declaraverat Deus se ob sabbati religionem id præscripsisse.

Vers. 23.

23. REQUIES SABBATI SANCTIFICATA EST DOMINO CRAS, — *q. d.* Cras est sabbatum sanctum, et dicatum cultui Domini : unde tunc ab omni opere quiescendum, Deoque vacandum est, ideoque jussi die sexta vos colligere et parare manna in sabbatum.

Sabbati restitutio in manna.

Hic primo videtur sabbati cognitio et religio renovata et restituta : unde et Philo asserit Hebræos, ignoratum a suis majoribus mundi natalem, quo hoc universum absolutum est, didicisse hoc miraculo, quo scilicet pridie sabbati depluebat duplum manna, durabatque in biduum, contra ac fiebat cæteris diebus.

Renovata dico : nam sabbatum ab initio mundi institutum et cultum fuisse ostendi *Genes.* cap. II, vers. 3. Ab origine ergo mundi institutum fuit festum et cultus sabbati; sed illud in Ægyptia servitute et idololatria Hebræorum plane fuit oblit-

teratum; unde hic a Deo revocatur et restituitur.

QUIDQUID RELIQUUM FUERIT, REPONITE USQUE IN MANE. — Scilicet unum gomor servate in sequens mane sabbati, puta, servate panem unius gomor, quem die sexta ex manna tuso et cocto confecistis; neque enim in sabbato manna tundere aut coquere licebat; poterant tamen integrum et incoctum manna servare et comedere sabbato, si vellent, uti comeduntur grana sacchari : docet hoc contra Eugubinum Lorinus noster in cap. XVI *Sapientiæ*.

Vers. 31. 31. APPELLAVITQUE DOMUS ISRAEL NOMEN EJUS MAN, QUOD ERAT QUASI SEMEN CORIANDRI, ALBUM, GUSTUSQUE EJUS QUASI SIMILÆ CUM MELLE. — Semen coriandri non est album, sed nigrum; ergo τὸ *album*, non ad coriandrum referendum est, sed seorsum per se sumi debet. Tria enim de manna hic dicuntur, *primo*, quod quantitate et figura fuerit simile coriandro, quia scilicet minutum et rotundum erat granum instar coriandri : ita Josephus; *secundo*, quod colore esset lucidum et album; *tertio*, quod sapore esset melleum, saperetque ut simila mellita aut oleata.

Figura, color et sapor manna.

GUSTUSQUE EJUS, QUASI SIMILÆ CUM MELLE. — Erat ergo manna simile granis sacchari, tum quoad colorem, tum quoad saporem, tum quoad figuram. Hic sapor ipsi manna erat quasi congenitus et naturalis, itaque sapiebat, si comedens nullum alium cibum vel saporem desideraret : si enim ipse aliud quid desideraret, mox id sapiebat in manna. Manna enim Dei dono et magno miraculo, omnem saporis suavitatem cuique exhibebat : hoc est enim, quod dicitur *Sap.* XVI, 20 : « Angelorum esca nutrivisti populum tuum, et paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnem saporis suavitatem. Substantiam enim tuam (scilicet manna, quo sustentasti Hebræos) et dulcedinem tuam quam in filios habes, ostendebas; et deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur. » Unde et cap. XIX, vers. 20, Sapiens in Græco manna vocat ambrosiam, quæ quasi delicatissima, fingitur a poetis deorum esse cibus. Aliqui putant id tantum viris piis et justis datum fuisse tanquam privilegium, ut scilicet manna saperet id, quod ipsi volebant; quod enim impiis et injustis id non acciderit, sed iis sapuerit manna tantum, ut panis mellitus, vel oleatus, probatur ex eo, quod alioqui ipsi postmodum non murmurassent contra manna, nec petiissent carnes, porros et pepones, *Num.* cap. XI, vers. 4, si hæc omnia gustassent in ipso manna. Ita docent S. Augustinus, lib. II *Retract.* cap. XIX, Abulensis, Lipomanus et alii.

Manna sapiebat cuique id quod volebat.

Manna erat ambrosia. An solis justis manna sapuerit id quod volebant?

Affirmat S. Augustinus.

Verum, quia Scriptura nullam hic facit distinctionem piorum et impiorum, sed absolute asserit manna exhibuisse cuique saporem, quem volebat; et quia cætera Dei beneficia, puta columna, coturnices, aqua ex petra, etc., in deserto tam impiis quam piis erant communia; et quia per hunc saporem Deus volebat tam impios, quam pios avocare ab ollis Ægypti : hoc est enim quod subdit Sapiens : « Ut scirent filii tui (populus tuus) quos dilexisti, Domine, quoniam non nativitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus hos qui in te crediderint, conservat; » hinc verius videtur manna omnibus tam impiis, quam piis, sapuisse id quod quisque sapere volebat. Ita docent Hebræi, S. Chrysostomus, Nazianzenus et alii, quos citat et sequitur Lorinus in *Sap.* XVI, vers. 21.

Negant alii, et verius.

Dices : Cur ergo nauseârunt Hebræi super manna? *Num.* XI. Respondet Lorinus nauseam hanc et murmur provenisse, non ex nimia dulcedine manna, non etiam ex tædio unius ejusdemque per 40 annos cibi, sed ex eo, quod color, odor, forma, tenuitas, et similes aliæ qualitates eædem semper perseverabant in manna, quarum qualitatum jucunda quædam diversitas allicit magis gustatum : sic enim pueri aliique gulosi non tantum ventrem, sed et nares, et oculos, et manus cibis implere satagunt; et hoc est, quod aiunt murmurantes : « Anima nostra nauseat super cibo isto levissimo; nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi man. » Petebant ergo varietatem et soliditatem ciborum aliorum. Addunt aliqui manna non tantum saporem, sed et substantiam ad votum comedentium mutasse : ita ut si quis vellet comedere ovum, gallinam, saccharum, manna mox verteretur vel in ovum, vel in gallinam, vel in saccharum, illudque putant significari illis verbis *Sapientiæ* XVI : « Ad quod quisque volebat, convertebatur, » græce μετεκιρνᾶτο, id est, transtemperabatur, quasi in hoc manna fuerit expressus typus transsubstantiationis panis in corpus Christi in Eucharistia. Ita censent Gregorius de Valentia, tom. IV, disp. 6, *Quæst.* III, punct. 2, § 4; Claudius de Sainctes, *De Euchar.* repet. 7, cap. III; Thomas Bozius, lib. XIII *De Notis Eccl.* cap. ult., et Nicolaus Villagagnon, lib. III *Contra Calvinum* cap. LII.

Murmur ob manna unde?

Manna mutasse substantiam ad votum comedentium, ut esset typus transsubstantiationis, censent aliqui.

Verum hæc sententia nova est, et solido caret fundamento : verba enim Scripturæ loquuntur non de substantiali, sed de accidentali saporis conversione : alioqui enim non murmurassent Judæi ob manna, *Num.* cap. XI. Atque hac parte manna fuit typus Eucharistiæ, non quoad transsubstantiationem, sed quoad accidentium remanentium vim et efficaciam : ostendit enim sapor manna, quo pacto possent accidentia panis et vini remanere et nutrire sine illorum substantia : itaque implicite et consequenter sapor alius in manna typus quoque fuit transsubstantiationis. Sapor enim alius aliam substantiam comitari et indicare solet.

Refellantur.

Nota : Sapiens, uti et David *Psal.* LXXVII, 25, manna vocat panem angelorum, non comedentium, sed producentium manna ex materia ad id in nubibus disposita. Unde et « panem cœli, » id est nubium, vocant, quia manna in nubibus for-

Manna erat panis angelorum, quomodo ?

mabatur et e nubibus depluebat. Rursum manna vocatur « panis angelorum, » id est, panis delicatissimus, ita ut si comederent angeli, non alio pane quam manna vescerentur : sic linguæ angelorum vocantur pulcherrimæ et elegantissimæ, I *Cor.* XIII, 1. Pro *angelorum* hebraice est אבירים *abbirim*, id est fortium, sive robustiorum, quod est epithetum angelorum qui fortitudine et virtute præcellunt hominibus. *Secundo,* « fortium, » quia per manna validi et fortes fiebant, sicut Eucharistia confirmat corda nostra in vitam æternam, *Joan.* VI.

Manna erat cibus fortium.

Vers. 32. Quintum præceptum: manna servetur in monumentum.

32. IMPLE GOMOR EX EO, ET CUSTODIATUR IN FUTURAS RETRO GENERATIONES, — est hoc *quintum* præceptum, quo jubet Deus servari manna, in perpetuum divinæ alimoniæ monumentum. Sic manna pluit Atrebati, quod etiamnum ibi asservatur et ostentatur, uti ipse vidi. Hinc eorum rhythmus :

> Atrebati manna, Romæ pluit unctio sacra,
> Jerusalem sanguis : hæc sunt tria dona salutis.

Quintum miraculum : Deus servavit manna tot sæculis.

Quintum pariter est hic miraculum, quod scilicet Deus tot sæculis manna hoc incorruptum servarit.

Vers. 33.

33. REPONE CORAM DOMINO, — coram tabernaculo et arca, cum illa ædificata fuerint; est ergo prolepsis : in Sancto enim sanctorum repositum fuit manna in urna aurea, uti ait Apostolus, *Hebr.* cap. IX, vers. 4 (1).

Vers. 34.

34. SICUT PRÆCEPIT DOMINUS MOYSI, — puta mihi; est enallage personæ : loquitur enim Moses de se quasi de alio in tertia persona.

POSUITQUE ILLUD AARON IN TABERNACULO ASSERVANDUM, — non jam primo hoc egressus ex Ægypto anno, sed multo post, fabrefacto tabernaculo : hoc ergo hic per anticipationem ponitur, ut omnia quæ manna tangunt, simul jungantur. Rursum posuit Moses manna in tabernaculo parvo, quod habebant Hebræi, antequam illud magnum et operosum jussu Dei construerent : tale enim tabernaculum eos jam tum habuisse patebit cap. XXXIII, vers. 7. Ita Lyranus et alii.

Vers. 35. Sextum præceptum : colligatur manna quotidie per 40 annos. Sextum miraculum : quod quotidie pluerit manna per 40 annos.

35. FILII ISRAEL COMEDERUNT MAN QUADRAGINTA ANNIS. — *Sextum* hic innuitur præceptum colligendi manna in singulos dies et annos, idque continuo per 40 annos. *Sextum* item hic exstat miraculum, quod tam vere, quam autumno, tam æstate, quam hieme, singulis diebus per 40 continuos annos manna depluerit, donec Hebræi venerunt in Chanaan, ibique de frugibus terræ comederunt. Angeli ergo manna quotidie in nubibus, e materia ad id disposita naturaliter efformabant, quomodo in nubibus nix, grando, imo et lapides generantur, quomodo et generatur manna medicum, quod tamen ab hoc nostro longe differt et distat : nostrum enim fuit miraculosum, ut patet ex dictis. Quare quod Josephus ait, suo tempore in eadem regione adhuc pluere manna, vel fabulosum est, vel de manna medico accipi debet.

An Hebræi in deserto alios cibos præter manna comederint, dicam *Deuter.* II, 6.

Manna significabat Christum in Eucharistia, ob 14 analogias.

Nota : Manna allegorice significabat Christum in Venerabili Sacramento, ut patet *Joan.* cap. VI, vers. 49 et 50; maxime vero manna significabat rem contentam, et effectum Sacramenti, ut fuse in citatum locum Joannis docet S. Chrysostomus, Theophylactus et Cyrillus. Unde et Apostolus, I *Corinth.* X, ait : « Omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt, et eumdem potum spiritalem biberunt, » quod de sacra cœna etiam Calvinus accipit, dicitque manna fuisse typum corporis Christi, ex quo recte colligas in Venerabili Sacramento vere esse carnem Christi, siquidem manna rei vere existentis, non autem chimericæ, fuerit symbolum : alioqui enim tam nos, quam Judæi escam spiritalem, id est, carnem typicam et symbolicam, manducabimus, neque plus veritatis significatæ habebimus, quam ipsi Judæi, imo longe minus : manna enim sapidius erat nostro pane, et longe clarius repræsentabat Christi corpus, quam aridus panis. Consequentiam hanc utpote claram, quidam nuper ex novo hoc grege Minister concessit; sed quis non videt id repugnare et S. Scripturæ, et rationi? lex enim nova præstantior est lege veteri; ergo Sacramenta nova præstant veteribus; unde Apostolus ait : « Hæc in figura facta sunt nostri; » res autem figurata sua figura nobilior est : sicut corpus sua umbra, ac homo sua imagine nobilior est : ergo Sacramenta legis novæ, et præsertim Eucharistia, quasi res figurata, nobilior esse debet Sacramentis legis veteris, ipsoque manna quod tantum typus fuit et figura Eucharistiæ nostræ. Rursum *Joannis* VI, Christus disertissime corpus suum in Eucharistia præfert ipsi manna, vers. 48 et 58 : « Hic, inquit, est panis qui de cœlo descendit, non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt : qui manducat hunc panem (scilicet divinum, consecratum, et transsubstantiatum in corpus Christi), vivet in æternum. » Quod autem manna clarius repræsentet Christi corpus, quam panis, quis non videt? id enim multis ostendi potest.

Ex manna colligitur in Eucharistia non esse panem, sed corpus Christi.

Analogia prima manna et Eucharistiæ. Secunda.

Unde nota *secundo* : Aptissime congruit manna cum corpore Christi in Eucharistia, illudque pulcherrime adumbravit. *Primo,* idem est color specierum Eucharistiæ, et manna. *Secundo,* sapor dulcis utriusque. Rursum, sicut dulcedo in manna erat abscondita, ita et sub speciebus panis absconditur Christus. *Tertio,* nonnisi relictis ollis egyptiacis, et carnis voluptatibus invenitur aut sapit utrumque. *Quarto,* infidelibus et avaris in vermem et judicium vertitur utrumque. *Quinto,* manna non datum est nisi post transitum maris : Eucharistia non datur nisi post baptismum. *Sexto,* post manna Hebræi cum Amalec pugnarunt, cum

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Sexta.

(1) Vers. 33. Pro *vas* in hebræo est nomen στάμνος λεγόμενον, de quo Cf. *Hebr.* IX. 4.

ante solus pro eis Deus pugnasset contra Ægyptios; pugnarunt, inquam, et vicerunt : sic vitæ cœlestis impedimenta et tentationes, quas non nisi solidioribus objici patitur Deus, Eucharistiæ virtute superantur. Quare S. Bernardus, serm. *De baptismo* in cœna Domini habito, ait : « Duo illud Sacramentum operatur in nobis, ut videlicet et sensum minuat in minimis, et in gravioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis vestrum non tam, sæpe modo, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, etc., gratias agat corpori et sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo. » Et S. Cyrillus, lib. IV *in Joann.* cap. XVII : « Eucharistia, inquit, sedat, cum in nobis maneat Christus, sævientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, nec in quibus peccatis simus considerat, sed ægrotos curat, collisos redintegrat, et sicut pastor bonus, qui animam suam pro ovibus posuit, ab omni nos erigit casu. » *Septimo*, manna panis erat absque semine, absque aratione, aut alio humano opere, ab angelis factus : sic Christi corpus ex sola Virgine, et Spiritus Sancti irroratione, natum est. *Octavo*, manna Hebræis omnem saporis varietatem dabat. Unde *Sapient.* XVI, dicitur de manna : « Angelorum esca nutrivisti populum tuum; et paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnem saporis suavitatem : » ita et Christus parvulis est lac, infantibus olus, perfectis solidus cibus, ait Nyssenus. Et S. Cyprianus, tract. *De Cœna Domini* : « Hic, inquit, panis omnium carnalium saporum irritamenta, et omnium exsuperat dulcedinum voluptates. Vide quomodo his, qui Christi commemorant passionem intra sacra officia, quasi per quosdam canales de interioribus fontibus egrediantur torrentes, et super omnes delicias lacrymis nectareis anima delectetur; quantam suavitatem animæ inquirenti ubi sit Deus suus, suspiria contemplationis eliciant. » Unde sequitur, inquit, « ut deinceps peccatorum pocula horreat, et omnis sapor delectamentorum carnalium sit ei quasi rancidum, radensque palatum acutæ mordacitatis acetum. » Inde sequitur mentis jubilus et ebrietas, « ut Christum, inquit, ferat in pectore, ipsum gerat in mente, et omni tempore habitatori suo dicta et facta jubilatione consona laudes resonent, et gratiarum actiones decantent. Hæc ebrietas non accendit, sed extinguit peccatum. Cum sopivit oblivio cuncta carnis ludibria, mira sunt quæ sentit, magna quæ videt, inaudita quæ loquitur. » Chrysostomus, homil. 24 *in* I *ad Corinth.* : « Hæc mensa, inquit, animæ nostræ vis est, nervi mentis, fiduciæ vinculum, spes, salus, lux, vita nostra. » *Nono*, manna erat minutum : Christus parva hostia est circumscriptus. *Decimo*, manna pilo tusum fuit : Christus pilo crucis mortalitate exutus est. *Undecimo*, fideles admirabundi *man hu!* quid hoc, ut nobiscum sit Deus? exclamant. *Duodecimo*, omnes de manna æqualem mensuram, nimirum gomor unum colligebant : sic totum Christum æqualiter omnes recipiunt, et si species, sive hostia major sit, aut minor. Ita Rupertus. *Decimo tertio*, sex diebus tantum colligebatur in deserto manna : sic in sabbato æternitatis et in terra promissionis velamen sacramenti cessabit, Christoque facie ad faciem in summa quiete perfruemur. *Decimo quarto*, sole liquescebat manna : sic resolutis calore speciebus, Sacramentum dissolvitur. Denique S. Ambrosius, *sermone* 3, per manna putat figuratam fuisse B. Virginem : hæc est enim mater misericordiæ, vita, dulcedo, et spes nostra.

Septima.

Octava.

Christus parvulis est lac, viris solidus est cibus.

Nona.

Decima.

Undecima.

Duodecima.

Decimatertia.

Decimaquarta.

Manna est B. Virgo.

Tropologice, manna significat consolationes spirituales dulcissimas, quæ percipiuntur in rerum cœlestium contemplatione, et in victoria tentationum et concupiscentiarum, de quibus dicitur *Psalm.* XXX, vers. 20 : « Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te! » et *Apocal.* cap. II, vers. 17 : « Vincenti dabo manna absconditum. » Est enim hæc consolatio præludium et prægustus quidam æternæ beatitudinis. Hoc manna non datur nisi exeunti ex Ægypto, et ollas carnium relinquenti, ac vincenti suas concupiscentias : vincenti enim promittitur a S. Joanne, et a Christo Domino. Unde solet secuturæ consolationis tentatio præcedens esse signum : nam tentatione probatis cœlestis promittitur consolatio. Experientia constat neminem heroice vincere aliquam tentationem, infirmitatem, contemptum sui, concupiscentiam, curiositatem, morbum, tædium, etc., quin mox sentiat miram animi voluptatem et gaudium, quod longe tristitiam adversam, æque ac delicias concupiscentiæ superat. Experiatur quisque in seipso, et sentiet ita esse.

Manna sunt consolationes spirituales.

Ita S. Joannes, qui Theodosio Imperatori victoriam contra tyrannos prædixit, seipso abnegato et sui oblitus, scrutabatur cœlestia, uni Deo assistens, cum eo versans, eumque assiduis hymnis celebrans, ut in cœlo esse videretur. Unde ipse de se loquens apud Palladium in *Lausiaca*, cap. XLVI : « Novi, inquit, ego hominem in solitudine, qui decem annos cibi terreni nihil gustavit, sed et angelus tertio quoque die cœlestem cibum ad eum afferebat (en manna), et ei in os injiciebat : isque erat ei instar cibi et potus. » Rursum Palladius de alio Joanne cap. XVI, ita scribit : « Joannes primum stans tres annos sub quadam rupe, orans perpetuo, non sedens omnino, non dormiens, nisi quantum somni stans suffurabatur, et Dominica solum sumens Eucharistiam (en manna) afferente ei presbytero, nihil aliud comedebat. » Et cap. LVIII, Abbas Anuph. de se ait : « Ex quo Servatoris nomen professus sum, humani cibi nihil sumpsi, alente me quotidie angelo; nullius alterius cupiditas in cor meum ascendit, præterquam Dei : nihil ex rebus terrenis occultavit mihi Deus : omnem petitionem a Deo accepi.

Vidi sæpe assistentes Deo myriades, vidi choros justorum, vidi Martyrum congeriem Deum laudantium, vidi justos lætantes in æternum.» Hæc et multa alia narrans, tertio die tradidit animam Deo; quam Abbas Paulus ejusque socii viderunt ab angelis hymnos canentibus, atque a Martyribus in cœlum sustolli.

Anagogice manna est gaudium Beatorum.

Anagogice, manna significat ambrosiam Beatorum, et inenarrabilem eorum in cœlis felicitatem, jucunditatem, gaudium et dulcedinem. Gloriosa enim dicta sunt de te, o civitas Dei, sicut lætantium omnium habitatio est in te. «Ibi, inquit S. Gregorius in *Psal.* VII pœnit., est lux sine defectu, gaudium sine gemitu, desiderium sine pœna, amor sine tristitia, satietas sine fastidio, sospitas sine vitio, vita sine morte, salus sine languore. Perfecta viget in omnibus charitas, una omnium lætitia, una jucunditas.» Et S. Augustinus : «In civitate Dei, ait, rex est veritas, lex charitas, dignitas æquitas, pax felicitas, vita æternitas.» Et S. Bernardus, *De Præmio patr. cœlest.* : «Præmium est videre Deum, vivere cum Deo, vivere de Deo, esse cum Deo, esse in Deo, qui erit omnia in omnibus. Et ubi est summum bonum, ibi est summa felicitas, summa jucunditas, vera libertas, perfecta charitas, æterna securitas, et secura æternitas : ibi est vera lætitia, plena scientia, omnis pulchritudo, et omnis beatitudo. Ibi est pax, pietas, bonitas, lux, virtus, honestas, gaudia, dulcedo, vita perennis, gloria, laus, requies, amor et dulcis concordia.»

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

In siti murmurat populus : unde Moses jussu Dei percutiens petram in Raphidim, ex ea elicit aquas. Secundo, vers. 8, *Amalec invadit Hebræos; sed cædit eum Josue, orante Mose.*

1. Igitur profecta omnis multitudo filiorum Israel de deserto Sin per mansiones suas, juxta sermonem Domini, castrametati sunt in Raphidim, ubi non erat aqua ad bibendum populo. 2. Qui jurgatus contra Moysen, ait : Da nobis aquam, ut bibamus. Quibus respondit Moyses : Quid jurgamini contra me? cur tentatis Dominum? 3. Sitivit ergo ibi populus præ aquæ penuria, et murmuravit contra Moysen, dicens : Cur fecisti nos exire de Ægypto, ut occideres nos, et liberos nostros, ac jumenta siti? 4. Clamavit autem Moyses ad Dominum, dicens : Quid faciam populo huic? adhuc paululum, et lapidabit me. 5. Et ait Dominus ad Moysen : Antecede populum, et sume tecum de senioribus Israel; et virgam qua percussisti fluvium, tolle in manu tua, et vade. 6. En ego stabo ibi coram te, supra petram Horeb; percutiesque petram, et exibit ex ea aqua, ut bibat populus. Fecit Moyses ita coram senioribus Israel; 7. et vocavit nomen loci illius, Tentatio, propter jurgium filiorum Israel, et quia tentaverunt Dominum, dicentes : Estne Dominus in nobis, an non? 8. Venit autem Amalec, et pugnabat contra Israel in Raphidim. 9. Dixitque Moyses ad Josue : Elige viros, et egressus, pugna contra Amalec : cras ego stabo in vertice collis, habens virgam Dei in manu mea. 10. Fecit Josue ut locutus erat Moyses, et pugnavit contra Amalec : Moyses autem et Aaron et Hur ascenderunt super verticem collis. 11. Cumque levaret Moyses manus, vincebat Israel; sin autem paululum remisisset, superabat Amalec. 12. Manus autem Moysi erant graves : sumentes igitur lapidem, posuerunt subter eum, in quo sedit; Aaron autem et Hur sustentabant manus ejus ex utraque parte. Et factum est ut manus illius non lassarentur usque ad occasum solis. 13. Fugavitque Josue Amalec, et populum ejus in ore gladii. 14. Dixit autem Dominus ad Moysen : Scribe hoc ob monumentum in libro, et trade auribus Josue : delebo enim memoriam Amalec sub cœlo. 15. Ædificavitque Moyses altare, et vocavit nomen ejus : Dominus exaltatio mea; dicens : 16. Quia manus solii Domini, et bellum Domini erit contra Amalec, a generatione in generationem.

Vers. 1. 1. PER MANSIONES SUAS. — Hebr. *per suas profectiones* vel *itinera*, id est, terminos itinerum, hoc est, mansiones sive stationes, quæ in deserto universim fuerunt 42, eæque omnes ordine recen-

sentur *Num.* XXXIII; nam alioqui tota Exodo, Numeris (excepto capite XXXV) et Deuteronomio tantum numerantur quindecim mansiones : Mosi enim non fuit animus in historia sua eas omnes enumerare, sed eas tantum, quæ aliquo casu vel re gesta fuerunt memorabiles. Sic omittit hic duas mansiones, scilicet nonam, quæ fuit in Daphca, et decimam, quæ fuit in Alus : nam undecima fuit in Raphidim, de qua hic sequitur; has ergo duas fuisse interjectas, easque hic omitti insinuat Moses, cum ait eos per mansiones suas venisse in Raphidim.

JUXTA SERMONEM DOMINI. — Hebraice est, *juxta os Domini*, indicantis scilicet non voce sonora, sed motu columnæ nubis, quando et quo movenda essent castra. Id patet *Exodi* cap. ult., in fine, et *Numer.* IX, 18, ubi Hebræi « ad imperium Domini, » vel, ut hebraice est, *ad os Domini*, profecti dicuntur, quia ad motum columnæ proficiscebantur, uti ibidem explicatur.

CASTRAMETATI SUNT IN RAPHIDIM. — Undecima hæc mansio fuit juxta montem Sinai, in qua petra dedit aquas, et victus est Amalec : hic locus dictus quoque est *Massa*, id est *tentatio*, ex tentatione et murmure Hebræorum, vers. 7.

Vers 2. 2. CUR TENTATIS DOMINUM? — Cur diffisi de Dei protectione et ope, quam toties experti estis, rursum per miraculum discere vultis sitne Deus in vobis? ut patet vers. 7, *q. d.* Non murmurando, sed orando, et firmiter sperando in Deum, ab eo cum humilitate poscite aquas; nec dubitate quin ipse de more succurrat siti vestræ.

Vers. 5 5. SUME VIRGAM, QUA PERCUSSISTI FLUVIUM, — per manum fratris tui Aaronis, cum fluvium Nilum vertit in sanguinem, cap. VII, vers. 30. Ita S. Augustinus, *Quæst.* LXIV. Alii per fluvium intelligunt mare Rubrum quod Moses virga sua divisit. Verum mare non est fluvius.

Vers 6. 6. EN EGO STABO IBI CORAM TE, SUPRA PETRAM HOREB. — « Stabo, » scilicet in columna nubis quam defigam supra petram Horeb, *q. d.* Ego ero præsens per columnam nubis, atque educam aquas ex petra Horeb, ut ex iis bibat populus sitiens, itaque cesset a murmure. Septuaginta vertunt : *Ego sto priusquam tu*, vel, *antequam tu venias.* Hebræum enim לפניך *lephaneca* verti potest tam, *ante te*, quam, *coram te*, *q. d.* Antequam tu venias ad petram, ego jam ibi consisto paratus ad tuam opem, et ad miraculum, ut scilicet ex ea vobis aquam eliciam.

PETRAM HOREB. — Horeb est Sinai; erat ergo petra hæc in deserto Sinai, unde dicitur petra Horeb, vel Sinai; erat tamen eadem vicinior Raphidim, quam monti Sinai; nam in Raphidim hæc contigerunt, ut patet vers. sequenti : necdum enim pervenerant Hebræi ad montem Horeb, vel Sinai; eo pervenerant mansione seq., quæ fuit duodecima : illa enim fuit in Sinai.

ET EXIBIT EX EA AQUA. — Petram hanc adhuc perdurare, et assidue fundere aquas tradunt Cosmographi, inquit Abulensis, de quo plura *Num.* XX, vers. 8 et 11. Imo addit Abulensis in *Num.* cap. XX, Quæst. III, Arabiam ex hac aqua et petra Mosis perennante, factam esse habitabilem, cum antea ob nimiam siccitatem esset inhabitabilis. Idem censet Gaspar Sanchez in *Isaiæ* cap. XLIII, n. 28.

Allegorice, petra est Christus, I *Cor.* X, 4; virga percutiens petram est crux, qua percussus Christus vulneratusque aquam, id est sanguinem, pro nobis dedit, et in Eucharistia omnibus bibendum reliquit. Ita Theodoretus. Et S. Ambrosius, lib. V *De Sacramentis*, cap. I : « Vide, ait, mysterium : Moses, hoc est Propheta; virga, hoc est verbum Dei : sacerdos vero Dei tangit petram, et fluit aqua, et bibit populus Dei, qui gratiam Dei consecutus est. » *Secundo*, Tertullianus, lib. *De Baptism.* cap. IX, per aquam intelligit baptismum, cujus virtus manat ex cruce Christi. *Tertio*, Isidorus et Rupertus per aquam intelligunt gratiam et Spiritum Sanctum ejusque dona. Allegorice, petra est Christus, virga est crux, aqua est sanguis.

Pulchre de hac petra mystica S. Bernardus, serm. 61 *in Cant.*, ad illud *Cant.* II, *Columba mea in foraminibus petræ, in cavernis maceriæ* : « Hoc, inquit, audit sponsa, quod in Christi vulneribus tota devotione versetur, et jugi meditatione demoretur in illis. Inde martyrii tolerantia, inde illi magna fiducia apud Deum; non est quod vereatur Martyr exsanguem nudamque levare ad eum faciem, cujus livore sanatus est : enimvero sua non sentiet vulnera, dum illius intuebitur. Stat Martyr tripudians, et triumphans, toto licet lacero corpore; et rimante latera ferro non modo fortiter, sed et alacriter sacrum e carne sua circumspicit ebullire cruorem. Ubi ergo tunc anima Martyris? nempe in tuto, nempe in petra, nempe in visceribus Jesu. In petra habitans, quid mirum, si in modum petræ duruerit? neque hoc facit stupor, sed amor; submittitur enim sensus, non amittitur; nec deest dolor, sed superatur, sed contemnitur. Ergo ex petra est Martyris fortitudo, jucunda non minus imperatori spectanti, quam militi triumphanti. » Fortitudo Martyrum est ex vulneribus Christi.

Idem Bernardus, *serm.* 66 inter parvos : « Quod, inquit, de ipso fonte virtutis (id est, de spiritu Dei) hauriantur aquæ præsidii in tormentis, ostendunt et illi tres pueri in fornacis æstuantis incendio positi, quibus ipsa flamma refriguit; et præcipue inclytus ille Martyr Vincentius, qui cum graviter torqueretur, non solum tolerasse, sed etiam tortorem suum constanter provocasse fertur, his verbis : Insurge, et toto malignitatis spiritu debacchare; videbis me Dei virtute plus posse, dum torqueor, quam possis ipse, qui torques. »

7. ET VOCAVIT NOMEN LOCI ILLIUS, TENTATIO. — Hebr. *vocavit nomen loci illius, massa umeriba*, id est tentatio et contentio, sive jurgium. Hujus ingratitudinis Hebræorum pariter ac loci crebra est mentio in Scriptura, ostendens quantum ea Deo displicuerit, ut *Deut.* VI, 16, *Ps.* LXXVII, 15, *Ps.* XCVIII, 8, et *Ps.* CV, 14. Porro hæc non est aqua contra- Vers. 7.

dictionis, de qua *Num.* XXXIII : illa enim post transitum Sinai in trigesima tertia mansione apud Cades fuit.

Vers. 6. Amalec fuit filius Eliphaz, nepos Esau.

8. VENIT AUTEM AMALEC, ET PUGNABAT CONTRA ISRAEL IN RAPHIDIM. — Amalec, id est, Amalecitæ, quorum rex, vel princeps dicebatur Amalec, quia prognatus erat ex Amalec filio Eliphaz, et nepote Esau, *Genes.* XXXVI, 16 : sicut reges Ægypti dicti sunt Ptolemæi, a primo rege Ptolemæo, Lagi filio.

Amalecitarum regio fuit in deserto, ad meridiem Judææ, trans Petram urbem euntibus Ailam, ait S. Hieronymus in *Locis Hebraicis.*

Causa belli Amalec fuit avitum odium Esau contra Jacob.

Causa belli Amalec videtur fuisse antiquum et paternum odium Esau et posterorum ejus contra Jacob ejusque posteros, ob prærepta sibi suisque primogenita, et ob præreptam patris benedictionem. Timebant enim sibi Amalecitæ a tanto exercitu Jacobæorum, verebanturque ne jam impleretur illa benedictio, quam Jacob fratri suo Esau parenti ipsorum eripuerat, *Genes.* XXVII, 29. Videbant enim Jacobæos cum tanta armatorum manu ad terram promissam tendere; occurrunt ergo illis, ut transitum eorum impediant, bellorque rem decernant.

Tropologice, Amalec sunt tentationes carnis.

Tropologice, Amalec hebraice idem est, quod populus lingens : hic primo occurrit Israeli, quia iis, qui ex carne et mundo ad Deum egrediuntur, primi hostes occurrunt carnis illecebræ et blandimenta; ab his enim primæ oriuntur tentationes, cum quibus cominus cum Josue, id est cum Jesu Christo, ejus et Sanctorum abstinentiam et continentiam intuendo, atque cum eo reipsa carnem macerando, corporis castigatione et mortificatione pugnandum est; eminus vero oratione certandum est, quam sustineat montanus Aaron (Aaron hebraice montanum significat), id est Christus, et heros Hur, id est robur Spiritus Sancti. Ita Rupertus et S. Gregorius, lib. VI *in lib. Reg.* II.

Vers. 11. 11. CUMQUE LEVARET MOYSES MANUS, VINCEBAT ISRAEL : SIN AUTEM PAULULUM REMISISSET, SUPERABAT AMALEC. — Hoc symbolo significabat Deus, Hebræis victoriam hanc non imbelli suorum turbæ, sed Deo in cœlis habitanti tribuendam esse : ideo enim in cœlum manus porrigebat Moses, ut Deum victoriæ datorem invocaret. « Stabat, ait S. Chrysostomus, homil. *De Mose* (si tamen is est auctor tam Latini sermonis), Moses in monte proximus jam cœlo, jam vicinus sideribus. Et quanto eum sublimitas montis extulerat, tanto oratio Deo proximum exhibebat. Oratio in ultionem inimici dirigitur, cujus scelera jam interitum provocabant, etc. Quis enim justorum non orando pugnavit? Quis hostem non orando devicit? Orationibus Danieli visa panduntur, sopiuntur flammæ, feræ hebescunt, cadunt hostes, inimici vincuntur. Licet colloqui cum Deo orando, licet cum eo fabulari cum velis, licet precibus mercari quod optas. Et quamvis vocem ejus audire non possis, tamen dum id quod petis accipis, colloqui tecum etsi non verbis, tamen beneficiis dignatur. »

Moses levans et remittens manus quid significet?

Secundo, voluit hoc symbolo Deus significare vim orationis; nam « oratio, inquit S. Augustinus, oranti est præsidium, Deo sacrificium, dæmoni flagellum. » Elevatio enim manuum contentionem orationis, remissio manuum remissionem orationis adumbrabat. Et vero Moses vegetus et alacer elevans manus, cum iis pariter et mentem elevabat et intendebat in Deum : cum vero lassus et fessus remittebat manus, cum iis pariter remittebat animum et orationem. Cur orantes levent manus, septem, causas assignavi, I *Tim.* II, 8. Videtur autem Moses levasse et extendisse manus junctas, ita ut vola una alteram, qua virgam tenebat, complecteretur; nec enim virgam, utpote pastoritiam et grandem unica manu tamdiu in altum elevatam tenere potuisset. Virga hæc significabat crucem Christi : unde Patres docent Mosen hic crucis Jesu habitum et typum gessisse. Ita Tertullianus, lib. III *Contra Marcionem,* cap. XVIII; Cyrillus in *Collecta,* cap. XVI; Cyprianus, lib. II *Testim.* cap. XXI; Justinus, *Contra Tryphonem,* post medium; Prosper, I part. *Prædic.* cap. ult. Denique de hac oratione et victoria Mosis pulchram habet homiliam S. Chrysostomus, serm. *De Mose,* tom. 1.

Moses gessit typum Christi crucifixi.

S. Gregorius Thaumaturgus alter Moses.

Mosis exemplum secutus est S. Gregorius Thaumaturgus, Episcopus Neocæsareensis. Sæviente enim persecutione, ipse pro suis civibus et Martyribus cum tyranno depugnantibus oraturus, in montem cum diacono ascendit, ibique extensis manibus orarunt. Insecuti sunt eos persecutores, sed eos videntes non agnoverunt : putarunt enim se non duos homines, sed duas arbores videre. Testis est Nyssenus in ejus Vita, qui post hæc subdit dicens : « Sicut Moses, cum procul abesset ab acie Amalecitarum, per orationem popularibus vires contra hostes injecit : ita ille (Gregorius) quasi animi oculis intueretur ea quæ fiebant, divinum auxilium pro iis qui nomine fidei decertabant, invocabat. » Narrat deinde orationis fructum, ejusque illustre exemplum : « Cumque, inquit, aliquando Deum precaretur, repente angore percelli, et veluti sono quodam ad aures ejus pertingente, aures admovere videbatur : ac postquam ita multo tempore erectus et immotus permansisset, deinde quasi propositum spectaculum bonum eventum habuisset, ad statum pristinum rediit, et clara voce Deum pro victoria laudavit, dicens : Benedictus Deus, qui non dedit nos in prædam dentibus eorum. Cumque familiares rogarent quid vidisset, dixit magnam se in illa hora vidisse ruinam, diabolo ab adolescente quodam nobili, in certaminibus pro pietate susceptis devicto. Adjecit et nomen, Troadium eum nominans : et quod post multa tormenta, quæ fortiter toleravisset, martyrii corona redimitus esset; obstupefactus his auditis diaconus, cum deinde in urbem perrexisset, rem prorsus eodem momento et modo, quo narraverat Gregorius, evenisse comperit. »

Moses symbolum est vitæ contemplativæ; Josue, activæ.

Symbolice, Moses hic typus fuit vitæ contemplativæ, Josue activæ : quodque hæc ab illa dirigi, omnemque suam vim et energiam, ac victoriam contra passiones cunctosque hostes trahere et haurire debeat : sic enim Josue vires pugnandi et vincendi hausit ab oratione Mosis.

In *Vitis Patrum* lib. VII, cap. XVIII, simile datur schema in duobus sanctis monachis, quorum unus erat Arsenius solitarius, taciturnus et contemplativus; alter Moses, familiaris, benignus et benefícus in omnes. Cumque quidam Deum rogaret, ut sibi revelaret uter esset sanctior et perfectior : « Ecce in exstasi duæ illi naves per fluvium ostensæ sunt, et in una quidem vidit Spiritum Sanctum cum silentio et requie, una cum Abbate Arsenio navigantem; in altera vero navi vidit Abbatem Mosem et angelos Dei, mel et favum in os, et in dentes ejus inserentes. »

Vers 12. 12. MANUS AUTEM MOYSI ERANT GRAVES, — *q. d.* Manus Mosis utpote senescentis tum per se erant graves, tum extensione diuturna in altum lassatæ degravabantur : ideo Mosen super lapidem sedere fecerunt, ejusque manus sustentarunt Aaron et Hur; non dubium, quin et hi cum Mose precante precati sint. Josephus hunc Hur tradit fuisse maritum Mariæ sororis Mosis; sed Scriptura magis innuit Mariam virginem fuisse quam nuptam, ut dixi cap. XV, vers. 20.

ET FACTUM EST UT MANUS ILLIUS NON LASSARENTUR USQUE AD OCCASUM SOLIS, — Hebraice est, *fuit manibus ejus firmitas* sive *stabilitas*, id est, ut Chaldæus, *fuerunt manus ejus firmiter extensæ in oratione;* quia, ut Septuaginta vertunt, *fuerunt manus ejus sustentatæ;* scilicet ab Aaron et Hur.

Symbolice Philo : « Hominis, inquit, mali actiones subventaneæ levesque sunt; Mosis vero, id est sapientis, graves sunt et inconcussæ, ideoque fulciuntur ab Arone, id est, a ratione, et ab Hur, id est, a lumine, hoc est a veritate; quasi dicat : Sapientis actiones fulciuntur ratione et veritate, » præsertim ea qua attente considerat res divinas et æternas.

Addit Philo, non natura, sed prodigio immissam fuisse manibus Mosis nunc levitatem, nunc gravitatem, additque : « Quoties, inquit, degravabantur manus Mosis, prævalebat hostilis acies, Deo significante, quod alterorum propria hæreditas sit terra, mundi pars infirma; alterorum æther sacratissimus, et sicut in rerum universitate cœlum est terra potius, sic etiam populum suum bello superaturum adversam aciem. » Denique concludit : « Cum igitur aliquantisper manus bilancis in morem, nunc sursum tollerentur, nunc deorsum vergerent, certareturque marte dubio; tandem repente velut pennas habentes pro digitis, sublatæ volitabant per aerem manentes in sublimi, donec Hebræis certa victoria contigit, hostibus internecione deletis. » Verum hæc non satis consonant narrationi S. Scripturæ, quæ non miraculo, sed per Aaron et Hur manus Mosis sustentatas fuisse asserit.

13. FUGAVITQUE JOSUE AMALEC, ET POPULUM EJUS, IN ORE GLADII. — Pro *fugavit*, hebr. est יחלוש *iachalos*, id est, debilitavit, dejecit, prostravit, profligavit, hos occidendo, illos in fugam agendo; inde enim חלוש *chalus* lassum, debilitatum, dejectum significat. Vers. 13.

Narrant, vel potius more suo fabulantur Judæi, Amalecitas incantationibus suis voluisse volare, itaque involare et irruere in castra Hebræorum; sed Josue ostenso Dei nomine tetragrammato eos prostravisse. Josephus asserit plane incruentam Hebræis fuisse hanc victoriam, nemine ex ipsis desiderato. Hic primum invenitur nomen Josue; unde eum hoc loco ex hac victoria, pro Hosee vocatum esse Josue, *q. d.* « Salvator populi, » censent Origenes, Lactantius et alii, de quo plura *Numer.* cap. XIII, vers. 17.

IN ORE GLADII, — in acie gladii : ita enim vertit noster Interpres *ad Hebr.* cap. XI, vers. 34 : unde gladius biceps dicitur δίστομος, quasi habens duo ora, id est, duas acies, *ad Hebræos*, cap. IV, vers. 12. Hinc quia acies gladii, utpote acutissimo, quidquid percutit id penetrat, secat vel occidit, ideo cum in Scriptura dicitur : « Percussit eos in ore gladii, » communiter significatur, quod eos deleverit usque ad internecionem; sic enim et Galli de strage internecina dicunt : *Il les a passés au fil de l'épée.* Ita Vatablus. *Os gladii* est acies gladii.

Secundo, « in ore gladii, » id est, in devoratione, vel consumptione gladii : unde Septuaginta vertunt ἐν φόνῳ μαχαίρας, in occisione gladii, ut sit duplex figura : prior, qua os ponitur metonymice pro comestione, quæ ore fit; posterior, qua comestio animalis metaphorice tribuitur rei inanimæ, scilicet gladio interimenti : sicut enim nos comedimus panem, ita bellum et gladius devorant homines. Unde Hebræi bellum vocant מלחמה *milchama*, id est comestionem, *q. d.* Fugavit Josue Amalec per occisionem gladii, sive gladio occidente hinc inde eum persequens. Secundo, *os gladii* est devoratio gladii.

Tertio, Franciscus Ribera in *Osee* cap. X, num. 37 : Os, inquit, in Scriptura sæpe pro voluntate accipitur; sic *metere in ore misericordiæ*, id est, metere ad voluntatem misericordiæ, quantum misericordia voluerit, id est, metere largissime. Sic *percutere in ore gladii*, est omnes occidere, et nemini parcere, quod est, percutere quantum gladius percutere velit; quasi dicat : Percussit eos in ore (in voluntate gladii), id est, percussit eos ad satietatem, ad libitum, ad voluntatem, ad imperium gladii, tot percussit quot libuit gladio et gladiatori percutere. Tertio, *os gladii* est voluntas vel libitum gladii.

14. SCRIBE HOC OB MONUMENTUM IN LIBRO, ET TRADE AURIBUS JOSUE, — *q. d.* Scribe in chronicis, et indica Josue, ut ipse sequentibus se populi ducibus et judicibus, et hi sequentibus indicent voluntatem et decretum Dei de peragenda vindicta, deque delendo Amalec, idque, donec sur- Vers. 14.

gat ille ipse dux, vel rex Saul, qui hanc vindictam reipsa exerceat; Josue enim destinatione Dei futurus erat successor Mosis, et dux populi : unde et hoc bello contra Amalec electus ipse dux, quasi præludium futuri sui principatus dedit. Deinde indicare hoc Josue jubet Deus, ne subacta terra promissa, ipse fœdera cum Amalecitis jungeret vel admitteret.

DELEBO ENIM MEMORIAM AMALEC SUB COELO. — Hebraice est, *delendo delebo*, id est, funditus et omnino delebo, hæc mihi stat fixa et certa voluntas, quam Samuel refricavit Sauli, I *Reg.* cap. XV, ubi Saul ob neglectam, et non plene impletam hanc Dei voluntatem, rejectus a Deo, regno et vita excidit. Quare perperam Judæi aliqui Saulem excusant per ignorantiam, eo quod Hebræum זכר, si puncta *camets* ei substituantur, ut fiat *zachar*, significet masculum; si vero, *segol*, ut fiat *zecher*, significat memoriam Amalec delendam et abolendam esse.

Commentum Judæorum de *zachar*, et *zecher*.

Porro tulit Deus in Amalec tam severam sententiam, eo quod Amalecitæ tam immani bello appetiissent innoxios vacillantesque Hebræos, et in vocatione sua novitios, ut eos a Dei ductu in Chanaan sequendo absterrerent, quodque, ut dicitur *Deuter.* cap. XXV, vers. 18, extremos agminis lassos et fame laboreque confectos cecidérint. Ut hinc discamus quam gravis sit offensa Dei, teneros recentesque Dei asseclas ab ejus vocatione et sequela, puta a vera fide, vel Religione statuque perfectionis avertere; qua de re vide Hieronymum Platum, lib. III *De Bono status religiosi*, cap. XXXV.

Quam grave sit Novitios a Deo avertere.

Vers. 15. 15. ÆDIFICAVITQUE MOYSES ALTARE, ET VOCAVIT NOMEN EJUS, DOMINUS EXALTATIO MEA. — Hebr. est, אדוני נסי *Adonai nissi*, quod *primo*, Noster vertit *Dominus* (est) *exaltatio mea*. *Secundo*, verti potest, *Dominus est vexillum meum*, id est, Dominus fuit mihi loco vexilli, ipse signa victricia in hostem intulit. Unde Josephus ait Mosen hanc aram Deo victori posuisse, uti Romani ponebant Jovi victori. *Tertio*, verti potest, *Dominus est signum*, vel *miraculum meum*, quia miraculosam victoriam, totque alia miracula mihi contulit. Ita Chaldæus.

Altaris Mosis nomen triplex.

Hoc trophæo omnem victoriæ laudem Deo assignavit Moses; neque enim altare duntaxat sacrificii causa erexit, sed et trophæi, idque nomenclatura hæc convincit. Calvinus omne imaginum et statuarum nomen, quasi mortis umbras et larvas perhorrescens, metuensque ne hinc telum pro imaginibus in ipsum torqueamus, altari inditum esse hoc nomen impudenter negat, contra S. Scripturæ expressam fidem, quæ altare hoc nomine vocatum esse asseverat, tanquam victoriæ trophæum; trophæis enim et titulis proprie nomina imponuntur, et nomen hoc non nisi trophæo convenire potest. Non enim, quod metuit Calvinus, Dei nomen hic altari communicatur quasi ipsum sit Deus; sed sensus est, quasi dicat: Altari hoc quasi trophæo testor, hoc significo, quod Deus sit exaltatio mea, qui me hostibus Amalecitis superiorem fecit, ideoque illi, ut signo, rei signatæ do nomen, illudque voco : « Dominus exaltatio mea; » uti solemus de effigie Cæsaris aut Regis dicere : Iste est Cæsar, hic est Rex, quia ista imago est Cæsaris, hæc Regis. Similes nuncupationes in Scriptura passim sunt obviæ. Sic enim Isaac, *Genes.* cap. XXVI, vers. 20, puteum ab eventu vocavit Calumniam, et alium vers. 21, vocavit Latitudinem. Sic Gedeon, *Judicum* cap. VI, vers. 24, suum altare vocat « Domini pax. » Similia sunt I *Regum* cap. VII, vers. 12, II *Regum* cap. XVIII, vers. 18.

Victoria est donum Dei. Exempla.

Nota hic victoriam in bellis a Deo pendere, esseque singulare donum Dei. Ita Judith conopœum Holophernis, quasi anathema, Deo victoriæ auctori consecravit, *Judith* cap. XVI, vers. 23. Jahaziel propheta, cum insignem victoriam Josaphat regi contra Moabitas esset pollicitus, subjecit : « Non eritis vos qui dimicabitis, sed tantummodo confidenter state, et videbitis auxilium Domini super vos; nolite timere. Cras egrediemini contra eos, et Dominus erit vobiscum, II *Paralip.* cap. XX, vers. 17.

Ita Judas Machabæus, cum sui timerent, utpote pauci, animans eos ait : « Facile est concludi multos in manu paucorum; et non est differentia in conspectu Dei cœli, liberare in multis, et in paucis; quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est, » etc. I *Machab.* cap. III, vers. 17.

Ita Trajanus dux belli missus a Valente Imperatore contra Barbaros, cum succubuisset, ideoque a Valente ignaviæ argueretur, generose respondit : « Non ego, o Imperator, victus sum, sed tu ipse perdidisti victoriam, qui contra Deum aciem instruere non desinis, et ita ejus auxilium Barbaris concilias. Nam abs te oppugnatus, se illis adjungit. Atqui Deum sequitur victoria, et ad eos accedit quibus Deus se ducem præbet. Non nosti quos viros Ecclesiis expuleris, et quibus eas tradideris? » Ita Theodoretus, lib. IV *Histor.* cap. XXIX.

Ita Theodosius Imperator cum ei victoria de Joanne tyranno in ludis Circensibus renuntiaretur, ad populum vociferans : « Agite, inquit, ludicro hoc omisso in ædem hanc precatoriam eamus, et carmina gratiarum auctori victoriæ Deo concinnamus. » Dixit et fecit. Ita Nicephorus, lib. XIV, cap. VII.

Ita Clotharius, rex Francorum, cum Chramno filio rebelli dimicaturus : « Respice, inquit, Domine, de cœlo, et judica causam meam. Quia a filio injuste injurias patior. Respice, et judica juste, illudque impone judicium quod quondam inter Absalonem et patrem ejus Davidem posuisti. » Ergo prælio inito Chramnus a Clothario captus et occisus est. Ita Gregorius Turonensis, lib. IV, cap. XVI et XVII.

Alfonsus, Aragonum rex, ad filium Ferdinan-

dum contra Florentinos in bellum euntem : « Noli, ait, o fili, tantum tuæ, aut commilitonum audaciæ tribuere, ut putes absque Dei auxilio victoriam ullam haberi posse. Victoria enim non hominum disciplinis aut industria paratur, sed Dei optimi maximi benignitate et arbitrio : Deum igitur cole, et tibi concilia : quod si quando eum tibi iratum suspicaberis, cave contendas; et quidquid ab eo tibi accidisse videbitur, boni consule, et patientia ac pœnitentia eum placa. » Ita Panormitanus in ejus Vita.

Vers. 16. 16. DICENS : QUIA MANUS SOLII DOMINI, ET BELLUM DOMINI ERIT CONTRA AMALEC A GENERATIONE IN GENERATIONEM. — Hebr. est, *quia manus super solium Domini est*, id est, quia extendit Deus manum super solium suum, hoc est, extensione manus super solium suum juravit, et, id est *quod*, bellum ipsi et Hebræis contra Amalec erit æternum, hoc est, quamdiu Amalec superstes erit, *q. d.* Erit Hebræis cum Amalec ἄσπονδος πόλεμος, id est, bellum irreconciliabile et internecinum.

Nota *primo*, τὸ *quia* non est causale, sed encliticum; respondet enim Hebræo כִּי *ki*, quod sæpe redundat. Unde Vatablus vertit, *et dixit : Sublata manu per solium Dei juro.* Moses enim hic altari nomen indidit simulque juravit bellum æternum cum Amalec : sunt enim hæc disparata, nec unum est causa alterius. *Secundo*, manus hæc jurantis est vel Mosis, ut vult Vatablus, vel potius Dei : Noster enim vertit, « manus solii Domini; » idem clarius habet Chaldæus et Septuaginta. *Tertio*, τὸ *et* vocula est non copulantis, sed confirmantis, et materiam juramenti designantis, significans, *quod*, *quia*. Hinc pulchre Chaldæus vertit : *Cum juramento dictum est hoc a facie terribili, cujus majestas est super solium gloriæ, ut committatur prælium a facie Domini contra viros domus Amalec, ut consumat eos a generationibus sæculi.*

Septuaginta manum super solium interpretantur manum occultam, vel potius, ut alii legunt, excelsam : sic enim habent, ὅτι ἐν χειρὶ κρυφαίᾳ (Eugubinus legit κορυφαίᾳ, id est excelsa, et hoc magis respondet Hebræo) πολεμεῖ Κύριος, id est, quia in manu occulta et excelsa prælietur Dominus, quasi manus Dei in solio ejus licet abscondita, excelsa tamen operetur (1).

Quæres, cur olim et etiamnum juretur manu sublata in cœlum? Respondeo : Quia hoc ritu testamur Deum in cœlis, quasi in solio suo residentem. *Secundo*, quia hoc ritu significamus quod sicut stant et perdurant cœli, sic firma erit res quam juramento promittimus. Sic ergo jurat hic Deus per thronum suum, quasi per rem sempiternam et immutabilem. Ita docent Hebræi.

Hinc S. Augustinus, lib. XXII *Contra Faustum*, cap. LXXIV, Mosen contra Fausti calumnias defendit, convicitque contra eum (et contra nostros Anabaptistas et enthusiastas), fidelibus bellum esse licitum, eo quod illud Domini voluntate Moses susceperit, dicaturque hic bellum Domini fore contra Amalec in æternum.

Tropologice, dicamus et nos tanquam resoluti milites Christi : Bellum Domini mihi erit, καὶ ἄσπονδος πόλεμος, contra Amalec, id est, contra carnem et mundum in æternum : hoc enim est bellum Domini, quod scilicet Dominus nobis imperat, quodque ipse per nos gerit. Cogita illud S. Francisci : Bellum Christiano contra Amalec, id est, carnem et mundum, est æternum.

Modica hic voluptas : sed postea pœna immensa.

Modicus hic labor : sed postea gloria æterna. Elige.

Multorum vocatio, paucorum electio, omnium retributio.

Æternitatem cogita.

(1) Prior hujus vers. pars non satis est clara. Hebræum vulgo vertunt, *manus* Amalecitarum *fuit contra thronum Dei : ideo bellum Dei contra Amalecitas*, etc. Sedes autem Dei inter Israelitas esse censebatur. Quæ interpretatio quam sit dura per se, et a superiore versu aliena, ultro apparet. Maurer : « Quum hæc verba causam afferant, cur Moses vers. 15 altari nomen *Jova vexillum meum* imposuerit, dubitari vix potest, pro כַּס legendum esse נֵס (quod in uno cod. exstat), ut sensus sit : *Manus quippe* mea *vexillo Jovæ* admota est, manu mea teneo vexillum Jovæ. » Interpres Græcus anonymus, cujus versionem e cod. Veneto edidit Ammon, legit עַלְכֶם, vel עֲלֵיכֶם, ἐφ' ὑμῖν, *super vos*, indeque hic sensus subnasceretur facillimus : Prope altare nunc a vobis exstructum manum suam super vos *protendit Jehova*, jurans, se bellum internecinum illaturum esse populo Amalec.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jethro socer Mosis uxorem Sephoram cum filiis ad eum reducit; ejusque monitu, vers. 13, Moses cum aliis partitur regimen populi, creatque magistratus, et judices, qui minora dijudicent.

1. Cumque audisset Jethro, sacerdos Madian, cognatus Moysi, omnia quæ fecerat Deus Moysi, et Israeli populo suo, et quod eduxisset Dominus Israel de Ægypto : 2. tulit Sephoram uxorem Moysi quam remiserat, 3. et duos filios ejus, quorum unus vocabatur Ger-

sam, dicente patre : Advena fui in terra aliena. 4. Alter vero Eliezer : Deus enim, ait, patris mei adjutor meus, et eruit me de gladio Pharaonis. 5. Venit ergo Jethro cognatus Moysi, et filii ejus, et uxor ejus, ad Moysen in desertum, ubi erat castrametatus juxta montem Dei. 6. Et mandavit Moysi, dicens : Ego Jethro cognatus tuus venio ad te, et uxor tua, et duo filii tui cum ea. 7. Qui egressus in occursum cognati sui, adoravit et osculatus est eum : salutaveruntque se mutuo verbis pacificis. Cumque intrasset tabernaculum, 8. narravit Moyses cognato suo cuncta quæ fecerat Dominus Pharaoni, et Ægyptiis propter Israel, universumque laborem, qui accidisset eis in itinere, et quod liberaverat eos Dominus. 9. Lætatusque est Jethro super omnibus bonis, quæ fecerat Dominus Israeli, eo quod eruisset eum de manu Ægyptiorum, 10. et ait : Benedictus Dominus, qui liberavit vos de manu Ægyptiorum et de manu Pharaonis : qui eruit populum suum de manu Ægypti. 11. Nunc cognovi, quia magnus Dominus super omnes deos : eo quod superbe egerint contra illos. 12. Obtulit ergo Jethro cognatus Moysi holocausta et hostias Deo ; veneruntque Aaron et omnes seniores Israel, ut comederent panem cum eo coram Deo. 13. Altera autem die sedit Moyses ut judicaret populum, qui assistebat Moysi a mane usque ad vesperam. 14. Quod cum vidisset cognatus ejus, omnia scilicet quæ agebat in populo, ait : Quid est hoc quod facis in plebe ? Cur solus sedes, et omnis populus præstolatur de mane usque ad vesperam ? 15. Cui respondit Moyses : Venit ad me populus quærens sententiam Dei. 16. Cumque acciderit eis aliqua disceptatio, veniunt ad me ut judicem inter eos, et ostendam præcepta Dei et leges ejus. 17. At ille : Non bonam, inquit, rem facis : 18. stulto labore consumeris et tu, et populus iste qui tecum est : ultra vires tuas est negotium, solus illud non poteris sustinere. 19. Sed audi verba mea atque consilia, et erit Deus tecum. Esto tu populo in his quæ ad Deum pertinent, ut referas quæ dicuntur ad eum : 20. ostendasque populo cæremonias et ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant, et opus quod facere debeant. 21. Provide autem de omni plebe viros potentes, et timentes Deum, in quibus sit veritas, et qui oderint avaritiam, et constitue ex eis tribunos, et centuriones, et quinquagenarios, et decanos, 22. qui judicent populum omni tempore : quidquid autem majus fuerit, referant ad te, et ipsi minora tantummodo judicent ; leviusque sit tibi, partito in alios onere. 23. Si hoc feceris, implebis imperium Dei, et præcepta ejus poteris sustentare, et omnis hic populus revertetur ad loca sua cum pace. 24. Quibus auditis, Moyses fecit omnia quæ ille suggesserat. 25. Et electis viris strenuis de cuncto Israel, constituit eos principes populi, tribunos, et centuriones, et quinquagenarios, et decanos. 26. Qui judicabant plebem omni tempore ; quidquid autem gravius erat, referebant ad eum, faciliora tantummodo judicantes. 27. Dimisitque cognatum suum : qui reversus abiit in terram suam.

Vers. 1. 1. CUMQUE AUDISSET JETHRO, SACERDOS MADIAN.— Chaldæus vertit, *princeps Madian*. Hebræum enim כהן *cohen* et sacerdotem et principem significat, quia olim qui princeps erat, erat et sacerdos.

COGNATUS MOYSI, — socer Mosis : ejus enim filiam Sephoram duxerat Moses, cap. III, vers. 1. Hebræum חתן *choten* cognatum, sive affinem in genere (qualis est socer), significat. Unde a *choten* fit התחתן *hitchatten*, id est, affinitate per matrimonium jungi.

Vers. 2. 2. TULIT SEPHORAM UXOREM MOYSI QUAM REMISERAT, — cum scilicet Moses ex Madian in Ægyptum rediens, cum Pharaone decertaturus, tantam tamque periculosam negotiorum molem susceperat, ut uxori et liberis vacare non posset ; unde eam sibi a Pharaone timentem, libentem et volentem cum filiis remisit in Madian, uti dixi cap. IV, vers. 27.

Epiphanius, *hæresi* 78, tradit Mosen, ex quo prophetare cœpit, uxorem non cognovisse : neque enim aliter, inquit, potuisset Deo tam esse familiaris et conjunctus.

Vers. 5. 5. JUXTA MONTEM DEI, — puta Horeb, sive Sinai, ut patet cap. III, 1. Hinc patet non in Raphidim, sed in Sinai, de quo cap. seq., venisse Jethro, ac proinde hæc per prolepsim interseri, forte quia Jethro excitus vel maxime vicina victoria Hebræorum contra Amalec, de qua cap. præced., veniebat ad Mosen.

Unde probabiliter contra Lyranum docet et cen-

Jethro quando venit ad Mosen?

set Abulensis, Jethro post legem datam in Sina, sub finem primi anni exitus ex Ægypto, venisse ad Mosen : illudque colligit ex *Deut.* I, vers. 6, 7, 9, 15, ubi dicitur Moses creasse magistratus paulo antequam movenda essent castra ex Sinai : mota sunt autem castra ex Sina anno secundo, mense secundo, ut patet *Num.* X, 11. Atqui hi magistratus hoc cap. XVIII dicuntur creati, cum Jethro venit ad Mosen, Mosique suggessit et persuasit eorum creationem ; ergo ipse venit ad Mosen sub finem anni primi, paulo antequam castra movenda essent ex Sina. Unde idem Abulensis censet hoc caput referri et inseri debere ante *Num.* cap. X, vers. 11. Ibidem enim, vers. 29, Hobab (qui secundum Abulensem et alios est Jethro) rogatur a Mose, ut velit esse dux viæ Hebræorum per desertum : unde et mox *Num.* XXXII, ortum est jurgium et murmur Aaronis et Mariæ, cum viderent uxorem Mosis Æthiopissam, puta Sephoram Madianitidem, quæ simul cum patre suo Jethro ad Mosen maritum suum venerat.

Vers. 7. 7. QUI EGRESSUS IN OCCURSUM COGNATI (soceri) SUI, ADORAVIT,—scilicet incurvando se ; hoc enim significat Hebræa radix שחה *scacha*. Moses socero suo Jethro reverentiam more gentis exhibuit, quæ reverentia et adoratio est participatio quædam reverentiæ et adorationis Deo debitæ : parentes enim, principes et viri eminentes aliquid de potestate Dei et honore participant. Simili modo Abraham adoravit filios Heth, *Gen.* XXIII, 12 ; Jacob adoravit Esau, *Genes.* XXXIII, 3 ; fratres adoraverunt Joseph, cap. XLIII, 26.

SALUTARUNT SE VERBIS PACIFICIS. —Hebraice, *rogarunt de pace*, vel *an pax*, id est, an salva et prospera sunt omnia ; hoc enim significat Hebræa salutatio, *pax tecum*.

Vers 8. 8. LABOREM, — difficultatem et molestiam. Nota hic qualia et quam pia sint Sanctorum colloquia. Talia fuerunt inter S. Antonium et S. Paulum primum eremitam, inter S. Benedictum et Scholasticam sororem, inter Essenos, aliosque veteres eremitas et cœnobitas.

Vers. 9. 9. LÆTATUS EST. — Septuaginta ἔξέστη, obstupuit, in extasin quasi raptus est.

Vers. 11. 11. NUNC COGNOVI QUIA MAGNUS DOMINUS SUPER OMNES DEOS, — *q. d.* Ego Jethro habui olim aliquam notitiam Dei vestri et veri, neque omnino fidem Abrahæ proavi mei abjeci, quam Madian Abrahæ filius, noster vero avus, ab eo hausit, et nobis tradidit ; fuit tamen hactenus ea infirma, et simulacrorum mixtione et cultu polluta : nunc vero audiens ejus prodigia, quæ fecit pro vobis in Ægypto et in mari Rubro, agnosco credoque firmiter hunc solum, qui vobis adfuit, esse verum Deum, optimum, justissimum et potentissimum, utpote qui tam potentem justamque vindictam in impios et tyrannos Ægyptios exercuit. Hanc fidem et pietatem Jethro in posteros propagavit. Ab eo enim orti sunt Rechabitæ, ut patet I *Paral.* II, 55, quos ab abstinentia et obedientia ita laudat Jeremias, cap. XXXV, de quibus plura ibid.

Vide hic quid faciat unius patris et principis pietas. Ita Constantinus hoc nomine magnus fuit, quod magni animi et pietatis eximiæ fuerit ; atque inter omnes Imperatores primus, non solum Christi fidem amplexus sit, sed Christianos etiam Imperatores reliquerit.

Theodosius junior, avi sui nomen et pietatem referens, instituit aulam suam velut scholam, in qua ad pietatem se suosque exercuit, habens ordine distributa tempora lectionum, psalmorum, jejuniorum et vigiliarum, ait Socrates, lib. VII, cap. XXII, et Theodoretus, lib. V, cap. XXXVI ; qua in re comes, imo dux et incentrix ei fuit soror Pulcheria, et Eudoxia uxor. Vide Aulam eorum sanctam, quam edidit noster Raderus.

Tiberius excubitorum comes sub Justino II, ob pietatem erga Deum, et liberalitatem erga paupere, in tanta fuit gratia, ut a Justino Imperatore successor declararetur.

Honorius Imperator veræ religionis perstudiosus fuit : unde Deus eum a multis undique insurgentibus tyrannis liberavit, uti ex Socrate, Sozomeno et aliis docet Baronius.

EO QUOD SUPERBE EGERINT CONTRA ILLOS. — Est ellipsis, sed pleniore et perfectiore sensu, quam sit in Hebræo ; sic enim est hebraice, *quia in quo superbierunt contra eos* (Hebræos), subaudi, in eodem punivit eos Deus, puta, in aquis et mari ; nam sicut iis merserant infantes Hebræorum, ita iisdem ipsis a Deo remensum est, ut aquis mergerentur et ipsi. Unde Chaldæus ellipsin supplet : vertit enim, *quia eadem re, qua cogitarunt Ægyptii judicare* (punire et affligere) *Israel, judicati sunt* (puniti sunt).

12. OBTULIT. — Hebraice est *accepit*, scilicet a Mose et Hebræis hostias, quas non idolis, ut olim, sed vero Hebræorum Deo offerret. Vers. 12.

UT COMEDERENT PANEM CUM EO CORAM DEO.— Nota hic : Hostiæ Deo dicatæ, et in gratiarum actionem oblatæ (quales hic obtulit Jethro), magna parte in solemne epulum cedebant, quod proinde coram Domino fieri dicebatur, quasi ille hostiis sibi oblatis, illarumque epulo præsens adesset, maxime si epulum fieret juxta altare, in quo immolatæ erant hostiæ Deo. Si tabernaculo jam facto et erecto in fine anni, venit Jethro ad Mosen, uti vult Abulensis, tunc *coram Deo*, id est coram tabernaculo, quod erat quasi domus Dei, factum est hoc epulum. *Coram Deo* quid ?

Secundo, nonnulli Hebræi « coram Deo » dici sentiunt, propter sanctos, pios et divinos homines, qui in isto convivio præsentes fuerunt, juxta illam veterum sapientum sententiam : « Qui fruitur convivio, in quo sapientes accumbunt, perinde est ac si fruatur gloria divinæ majestatis. »

Tertio, S. Augustinus, *Quæst.* LXVI, « coram Deo, » inquit, id est, in honorem Dei ; sed uterque hic sensus paulo remotior est. Hinc patet

hoc Jethro sacrificium fuisse purum veroque Deo oblatum : alias enim Moses, cæterique seniores ex eo non comedissent, ne idolothytis polluerentur.

Tropologice. Tropologice : Sancti, inquit Origenes, omnia sua opera faciunt coram Deo, tanquam qui Deum præsentem spectent, et ab eo spectentur; jugiter enim in conspectu Dei versantur, operantur et ambulant.

Vers. 13. 13. UT JUDICARET, — ut jus diceret.

Vers. 15. 15. VENIT AD ME POPULUS QUÆRENS SENTENTIAM DEI. — Hebræus, *quærens Deum;* Chaldæus, *quærens doctrinam a Deo;* Septuaginta, *quærens judicium a Deo*, hoc est, a lege Dei æterna (inquit S. Augustinus, *Quæst.* LXVII), quæ fuit ante omnem legem scriptam, quam Moses Spiritu Sancto plenus clarius quam cæteri omnes Hebræi intuebatur, et in omnibus consulebat tum cogitando et meditando, tum orando (1).

Vers. 17. 17. NON BONAM, INQUIT, REM FACIS. — Facis quod minus est aptum minusque conveniens; quia quod facis, ut singula solus velis facere, tibi nimis molestum est, et populo minus utile.

Vers. 18. 18. STULTO LABORE CONSUMERIS. — Hebræum נבל *nabal* significat stultum esse, item defluere, decidere, consumi: utrumque significatum hic reddidit Interpres.

Voluit Deus Mosen, virum alioqui sapientissimum, ab alienigena et Gentili, puta a Jethro, instrui, ut ostenderet nemini datum esse, ut in omnibus semper æque sapiat, ac proinde humiliter audiendos quoque esse inferiores, qui saniora consilia suggerunt.

Sæpe etenim est olitor verba opportuna locutus :

Doctor sit docilis. nemo enim « est bonus doctor, qui non est docilis; quia et ille melius docet, qui quotidie crescit et proficit discendo meliora, » inquit S. Cyprianus *ad Pompeium*, in fine. Ita et S. Augustinus, *Quæst.* LXVIII. Quin et Plato objicienti sibi cuidam : « Tune qui doctor es, simul es discipulus? et quamdiu disces? » respondit : « Tamdiu, donec me sapientiorem fieri non pœnitebit, » testis est Plutarchus in *Platone*.

Allegorice sigificabatur quod Jethro Mose, id est populus Gentilis Judaico, foret sapientior, inquit Cyrillus in Collectan. in *Num.* cap. IX.

Vers. 19. 19. ET ERIT DEUS TECUM, — erit Deus tibi auxilio, ut tot administris adjutus, parteque oneris in eos derivata levatus, commodius omnia feras et perficias (2).

ESTO TU POPULO IN HIS QUÆ AD DEUM PERTINENT. — Hebraice, *esto tu populo ante Deum*, vel *coram Deo, q. d.* Esto tu populi causidicus, advocatus et internuntius apud Deum, « ut referas quæ dicuntur ad eum, » scilicet, populi dicta, vota, postulata et necessitates; τὸ enim *eum* Deum respicit, ut patet ex Hebræo, non populum, uti censuit Abulensis.

Vers. 20. 20. OSTENDASQUE POPULO CÆREMONIAS, ET RITUM COLENDI, VIAMQUE PER QUAM INGREDI DEBEANT, — *q. d.* Sicut dixi te, o Moses, debere esse populi advocatum apud Deum : ita vicissim hic dico te pariter debere esse interpretem Dei apud populum, ut eum doceas quomodo Deum colere recteque vivere debeat : alios vero constituas judices et arbitros ad lites et jurgia eorum dirimenda.

Morale. Hinc moraliter S. Gregorius, II part. *Pastoralis*, cap. VII, docet qualis debeat esse rector : « Sit rector, inquit, internorum curam externorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam interiorum occupatione non relinquens : ne aut exterioribus deditus ab intimis corruat, aut solis interioribus occupatus, quæ foris debet, proximis non impendat, » Hinc et S. Augustinus, *Quæst.* LXVIII : « Docemur, inquit, hic a Jethro, nimis intentum humanis actionibus animum Deo vacuare. »

Vers. 21. 21. PROVIDE AUTEM DE OMNI PLEBE VIROS POTENTES. — Ita legunt Hebræa, Chaldæa, Septuaginta et Latina Romana; non *sapientes*, ut habent Plantiniana : hebraice enim est *viros virtutis*, id est viros valentes animo, strenuos et magnanimos, qui magnorum et magnatum vultum non timeant, ut personas in judicio accipiant, et judicium pervertant, sed unum timeant Deum Judicem judicum, et Regem regum. Ita Fridericus III Imperator rogatus, quos e suis haberet charissimos? respondit : « Eos qui non magis me, quam Deum timent. » Talis judex fuit Job, cap. XXIX : « Conterebam, inquit, molas iniqui, et de dentibus illius auferebam prædam. » Hoc est quod monet Ecclesiasticus, cap. VII, 6 : « Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates : ne forte extimescas faciem potentis, et ponas scandalum in æquitate tua. » Quin et Epictectus judicem ita compellat : « Uti ne anser clangore, nec ovis balatu perterretur, ita nec te stolidæ multitudinis vox perterrefaciat. » Quare Trajanus Imperator magistratum et judicem constituens, illique de more porrigens gladium : « Ille, inquit, pro me quamdiu æqua mandavero; sin iniqua, contra me utere. » Ita aulici et duces Christiani suis Imperatoribus, idolorum cultum et sacrificia mandantibus, restiterunt usque ad mortem et martyrium. Ita S. Sebastianus restitit Diocletiano, S. Eustachius Adriano, S. Theodorus Licinio, S. Gallicanus Juliano, Mauritius et Thebæi Maximiano.

Et sapiens. Sapientes etiam judices exegisse Mosen, patet *Deut.* I, 13 : non enim omnes, quas Jethro posuit, conditiones judicum hic enarrantur; nec ulli dubium est tam scientiam et prudentiam, quam virtutem animique constantiam in judice requiri.

(1) Hebr. *ad sciscitandum Deum.* Sensus est : Nullos alios judices adsumere possum; populus enim non meipsum ut judicem adit, sed Deum, cujus nomine et ex cujus legibus ego judico.

(2) Alii, *et sit Deus tecum.*

Vere enim dixit Carolus V, audita nece Thomæ Mori, qui vir sapientissimus, Angliæ Cancellarius fuit et Martyr : « In Moro Henricus rex VIII totius Angliæ caput præcidit. »

Et veri amans.

IN QUIBUS SIT VERITAS, — non tam doctrinæ, aut etiam vitæ, quam justitiæ (de ea enim præcipue est hic sermo), id est, justos : ita Septuaginta; qui scilicet neminem decipiant, sed faciant quod promiserunt, quodque æquum est et legibus præscriptum. Unde sequitur : « Odientes avaritiam, » qui scilicet munera non capiant, ne iis capiantur, ut jus violent. Ludovicus XI, Galliæ rex, aiebat se in aula omnibus rebus abundare, excepta una; rogatus quænam ea esset, dixit : Veritas.

Hippocrates, epist. *ad Philopœmenem,* veritatem depingit quasi mulierem pulchram, magnam, simpliciter ornatam, illustrem ac splendidam, cujus oculorum orbes puro lumine nitebant, ut astrorum ac stellarum fulgorem imitari viderentur. Rursum veritas temporis filia, et virtutis mater est habita. Plutarchus in *Quæst.* ait, quod Romani veritatis parentem ac deum habuerunt Saturnum; subdit causam : « An, inquit, quod, ut Philosophi, putant, Κρόνον χρόνον, id est, Saturnum tempus esse? veritas vero tempore invenitur : an illud potius, quod Saturnus justissimus fuerit, et veritatem imprimis coluerit? » Hinc et Democritus scripsit veritatem in putei fundo delitere; et proverbium est : « Veritatem in lucem agit et adducit dies. » Giraldus, *syntag.* 1, testatur judices olim defunctos exsculptos fuisse ita, ut ex eorum collo ad pectus penderet suspensa veritas, subnutans oculis.

Quinque Præsidum et Rectorum virtutes.

Notat Cajetanus has quinque dotes maxime spectare et requirere debere principes in iis, quos aliis præficiunt, scilicet *primo,* magnanimitatem; *secundo,* timorem Dei; *tertio,* sapientiam; *quarto,* justitiam; *quinto,* abstinentiam a muneribus.

Ita Plato dicere solet : « Principibus nullum præstantius prædiorum genus esse, quam eorum familiaritates qui cauponari nescirent. » Hinc et Isaias, cap. I, vers. 3, arguens Hierosolymitas postquam dixit : « Principes tui infideles, socii furum; » mox causam subjicit : « Omnes diligunt munera. » E contrario Samuel optimus judex ita cum suis libera fronte disceptat : « Si de manu cujusdam munus accepi, loquimini, et contemnam illud hodie, restituamque vobis, » I *Reg.* XII, 3. Et Paulus, *Actor.* XX, 33 : « Argentum et aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis. » Ita Alcamenes Telecri filius Spartanus, rogatus cur munera a Messeniis oblata non accepisset, respondit : « Quia si accepissem, cum legibus pacem habere non potuissem; » significans munera non esse accipienda, quæ legibus et Reipublicæ obesse solent : testis est Plutarchus in *Lacon.* Hasce judicum dotes habeant Confessarii, qui sunt judices in foro animæ. In hujus rei signum, sacerdos vetus, qui erat judex, inscriptum habebat in pectore : « Doctrina et veritas; » unde et judices apud Ægyptios sapphirum e collo gestabant, cui inscripta erat veritas, de quo cap. XXVIII, vers. 30.

23. SI HOC FECERIS, IMPLEBIS (implere poteris : est enim hoc futurum potentiale) IMPERIUM DEI, ET PRÆCEPTA EJUS POTERIS SUSTENTARE, — id est sustinere, hebraice est, *præcipiet tibi Deus, et poteris stare,* id est, poteris satisfacere Dei præceptis circa totius populi regimen. Vers. 23.

Morale.

Sequantur hoc sapiens Jethro consilium, quicumque recte gubernare volunt : ut nimirum onus cum aliis partiantur, minoraque negotia aliis committant, quo ipsi gravioribus totique communitati invigilare, ac simul Deo et orationi vacare possint; ipsi enim sunt quasi Atlantes, qui Deo nixi onus totius populi suis humeris sustinere debent; præposterum enim est et insipiens ac iniquum, si rector ita minoribus, vel alienis, vel externis se occupet, ut majora, propria et domestica negligere, vel perfunctorie obire debeat.

24. MOYSES FECIT OMNIA QUÆ ILLE SUGGESSERAT. — Elegit ergo Moses inferiores magistratus idoneos rebus dijudicandis, sed cum consensu populi, eosque serio officii sui admonuit. Vide *Deuteron.* I, a vers. 9 ad 19, ubi hæc fusius enarrantur (1). Vers. 24.

25. ET ELECTIS VIRIS STRENUIS, CONSTITUIT EOS PRINCIPES POPULI, ET TRIBUNOS. — « Tribunos, » hebraice *chiliarchas,* sive principes, mille familiarum videlicet : ita enim pulchro ordine hi magistratus ad levamen Mosis instituti sunt, ut decani quinquagenariis, hi centurionibus, centuriones tribunis, sive chiliarchis subessent; sic ut tribunus quisque sub se decem haberet centuriones, centurio sub se haberet duos quinquagenarios, quiquagenarius præesset quinque decanis, ita ut a decanis ad quinquagenarios, ab iis ad centuriones, ab his ad tribunos, a tribunis demum ad Mosen appellaretur. Vocat vero Noster chiliarchas *tribunos,* quia hic summus olim erat magistratus (tribuni enim plebis erant pares consulibus, erantque quasi consules plebis) in plebe Romana, uti et in militia; sed et colonnellos nostros sive chiliarchas exercitus recte vocamus tribunos. Vers. 25.

Tribuni qui?

(1) Juxta Hartmann, op. cit. p. 196, quod hic dicitur, male *Num.* XI, 16, repetitur; quæ repetitio illi argumento est, ut Pentateuchi neget αὐθεντίαν. Sed errat : nam his in locis res omnino diversæ narrantur. Collegium enim hic Jethro suadente institutum, ab illo *Num.* XI, tum occasione, tum personis, tum fine discrepat, ut videre est apud Herbst et Welte *Historisch-Kritische Enileitung in d. a. Test.* II Part. sect. I, pag. 27. Imo Rosenmullerus censet, hanc chiliarchorum, centurionum, etc., institutionem valuisse duntaxat ad tempus peregrinationis, qua populus in certos numeros, non in urbes ac pagos, ut postea, erat divisus. Vid. Michaelis *Mosaisches Recht*, P. I, § 49.

CAPUT DECIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hebræi veniunt in Sina, ascendit Moyses in montem, Deus jubet populum sanctificari et præparari ad legem Dei reverenter excipiendam : ideoque, vers. 16, *Deus montem igne, fumo, tonitruis, fulguribus, terræ motu, et buccinæ clangore replet, ut Hebræos sui metu et religione percellat.*

1. Mense tertio egressionis Israel de terra Ægypti, in die hac venerunt in solitudinem Sinai. 2. Nam profecti de Raphidim, et pervenientes usque in desertum Sinai, castrametati sunt in eodem loco, ibique Israel fixit tentoria e regione montis. 3. Moyses autem ascendit ad Deum, vocavitque eum Dominus de monte, et ait : Hæc dices domui Jacob, et annuntiabis filiis Israel : 4. Vos ipsi vidistis, quæ fecerim Ægyptiis, quo modo portaverim vos super alas aquilarum, et assumpserim mihi. 5. Si ergo audieritis vocem meam, et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis : mea est enim omnis terra. 6. Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale, et gens sancta : hæc sunt verba quæ loqueris ad filios Israel. 7. Venit Moyses ; et convocatis majoribus natu populi, exposuit omnes sermones quos mandaverat Dominus. 8. Responditque omnis populus simul : Cuncta quæ locutus est Dominus, faciemus. Cumque retulisset Moyses verba populi ad Dominum, 9. ait ei Dominus : Jam nunc veniam ad te in caligine nubis, ut audiat me populus loquentem ad te, et credat tibi in perpetuum. Nuntiavit ergo Moyses verba populi ad Dominum. 10. Qui dixit ei : Vade ad populum, et sanctifica illos hodie, et cras, laventque vestimenta sua. 11. Et sint parati in diem tertium : in die enim tertia descendet Dominus coram omni plebe super montem Sinai. 12. Constituesque terminos populo per circuitum, et dices ad eos : Cavete ne ascendatis in montem, nec tangatis fines illius : omnis qui tetigerit montem, morte morietur. 13. Manus non tanget eum, sed lapidibus opprimetur, aut confodietur jaculis : sive jumentum fuerit, sive homo, non vivet. Cum cœperit clangere buccina, tunc ascendant in montem. 14. Descenditque Moyses de monte ad populum, et sanctificavit eum. Cumque lavissent vestimenta sua, 15. ait ad eos : Estote parati in diem tertium, et ne appropinquetis uxoribus vestris. 16. Jamque advenerat tertius dies, et mane inclaruerat : et ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, et nubes densissima operire montem, clangorque buccinæ vehementius perstrepebat ; et timuit populus qui erat in castris. 17. Cumque eduxisset eos Moyses in occursum Dei de loco castrorum, steterunt ad radices montis. 18. Totus autem mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Dominus super eum in igne, et ascenderet fumus ex eo quasi de fornace ; eratque omnis mons terribilis. 19. Et sonitus buccinæ paulatim crescebat in majus, et prolixius tendebatur ; Moyses loquebatur, et Deus respondebat ei. 20. Descenditque Dominus super montem Sinai in ipso montis vertice, et vocavit Moysen in cacumen ejus. Quo cum ascendisset, 21. dixit ad eum : Descende, et contestare populum, ne forte velit transcendere terminos ad videndum Dominum, et pereat ex eis plurima multitudo. 22. Sacerdotes quoque qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos. 23. Dixitque Moyses ad Dominum : Non poterit vulgus ascendere in montem Sinai ; tu enim testificatus es, et jussisti, dicens : Pone terminos circa montem, et sanctifica illum. 24. Cui ait Dominus : Vade, descende ; ascendesque tu, et Aaron tecum ; sacerdotes autem et populus ne transeant terminos, nec ascendant ad Dominum ne forte interficiat illos. 25. Descenditque Moyses ad populum, et omnia narravit eis.

Vers. 1. 1. MENSE TERTIO EGRESSIONIS ISRAEL DE TERRA ÆGYPTI, IN DIE HAC VENERUNT IN SOLITUDINEM SINAI. — « In die hac, » id est in die eadem, sive ejusdem numeri cum mense tertio, puta tertia die mensis tertii ; τὸ enim *hic* usurpari pro *idem*, variis exemplis docet Franciscus Ribera, lib. V *De Templo*, cap. VII, et ita hoc loco accipiendum esse patebit vers. 11. Quare non recte Patres aliqui putant Hebræos venisse in Sina die prima mensis tertii, uti docte ostendit Bellarminus, lib. III *De cultu Sanctor.* cap. XIII (1).

Nota : Hebræi venerunt in Sina die tertio mensis tertii, anni primi exitus ab Ægypto ; discesserunt vero ex Sina anno secundo, mense secundo, die vigesimo, ut dicitur *Num.* X, vers. 11.

Hebræi manserunt in Sina annum pene integrum.

Hæserunt ergo in Sina annum integrum, exceptis tredecim diebus. Omnia ergo, quæ ab hoc capite deinceps toto Exodo totoque Levitico, et in Numeris usque ad cap. X, vers. 11, describuntur, gesta sunt in Sina.

Unde S. Hieronymus : « In Sina, ait, fuit duodecima mansio, ubi media pars Exodi, et totus Leviticus, et Numerorum præcepta, et populi per singulas tribus distributio, et oblatio principum descripta sunt. »

Vers. 3. 3. MOYSES AUTEM ASCENDIT AD DEUM, — in montem Sina, in quo sciebat olim Deum sibi apparuisse *Exodi* III, jussisseque ut, post egressum ex Ægypto, sibi in eodem sacrificaret : qua de re ut Deum consuleret, Moses jam ascendit in eumdem.

Vers. 4. Aquilæ pullos alis vectant.

4. QUOMODO PORTAVERIM VOS SUPER ALAS AQUILARUM. — Sicut enim aquilæ pullos suos non transferunt unguibus et pedibus, sed eos super alas imponunt, et vectant adeo alte, ut nullus eas vel telo petere possit : sic et Deus alis providentiæ suæ sustulerat Hebræos, quando eos ab omnibus hostibus tutissimos reddidit, et paterna sollicitudine fovit. « Omnes enim reliquæ aves, inquit R. Salomon, pullos suos ponunt inter pedes suos, eo quod timeant sibi ab avibus, quæ supra se volitant. Verum aquila non timet sibi, nisi ab homine, ne forte petat eam jaculo. Cum enim nulla avis altius ipsa volet, propterea collocat pullos suos in alis, cogitans : Satius est ut in me penetret jaculum, quam in pullos meos. Ita et ego feci, inquit Deus, juxta illud cap. XIV, vers. 10 : Tollensque se angelus, etc., stetit inter castra Ægyptiorum et castra Israel ; cumque Ægyptii mitterent jacula et lapides, ipsa nubes, in qua latebat angelus, excepit ea. » Hactenus ille. Aquila ergo se quasi clypeum opponit pro pullis : ita et facit Deus pro fidelibus et justis. Rursum, sicut aquilæ fœtus suos per ardua extollunt et assuefaciunt ad solis intuitum, ita et Deus Hebræos per maxima obstacula perduxerat ad tam claram et familiarem Dei cognitionem et cultum (2).

Aquilæ in pullos, et in virgines ac homines amor. Exempla profana.

Historice, nota Dei providentiam et beneficentiam recte comparari aquilæ ; nam aquilæ singularis est amor tum in pullos, tum in hominem, præsertim si is virgo sit aut beneficus. Narrat Plinius, lib. X, cap. III, in Sesto educatam a virgine aquilam, eamque libertate donatam, hanc ei duplicis beneficii gratiam retulisse, primo ut aves, mox etiam ut venatus virgini aggereret. Quid, quod cum virginem diem obiisse, jamque rogum exurendæ extructum vidisset, in accensam pyram sese injecit, et simul conflagravit : quippe quæ pari letho interire, quam altrici dominæ supervivere, satius habuerit.

Ptolemæum Soterem Arsinoæ filium ferunt Macedones expositum, et ab aquila nutritum. Hæc sublimis super infantem expansis alis, ab eo et æstum solis et pluviam avertebat, aves gregales arcebat, et coturnicum sanguine tanquam lacte infantem alebat : testis est Suidas in *Lago*.

Aristomenem miro modo ab aquila ex alta fovea liberatum scribit, modumque fuse narrat Pausanias, lib. IV.

Plutarchus in *Parallelis* : « Cum pestis, inquit, Spartæ grassaretur, oracula monuerunt mali vim cessaturam, si quotannis nobilem aliquam virginem immolassent. Forte evenit ut Helenæ sors obtigerit : quæ cum mactanda duceretur, aquila devolans sacrificuli gladium abripuit, et ad armenta delatum super juvencam demisit ; cujus prodigii argumento hæc virginum immolatio quam diu Spartani ex oraculo observarant, sublata est. »

Pari prorsus pacto apud Valerios virgo, cui nomen Valeriæ Lupercæ erat, sacrificio forte destinata, aquilæ beneficio servata est.

Scribit ex Philarcho Athenæus, pullum aquilæ a puero alitum, eum quasi fratrem adamasse, ægrotanti mœstum astitisse ; cum non ederet, ipse pariter cibum non admittebat ; eo mortuo funus prosecutus ; cum cremaretur, in rogum se pullus injecit.

Scribit Ælianus, lib. XVII, cap. XXXVII, agricolam hausturum aquam, aquilam cum serpente pugnantem, eo falce dissecto, victorem effecisse, moxque aquam hausisse, ex qua utpote veneno a serpente infecta, socii ejus bibentes paulo post expirarunt ; cumque ipse inde bibere pararet, advolavit aquila, poculum evertit, aquam effudit, itaque eum veneno et morte liberavit.

Idem, lib. XII, cap. XXI, narrat Tilgamum regem Babylonis, cum puer esset, jussu avi præcipitatum, ab aquila subvolante quæ puerum

(1) Rosenmullerus : *In die isto*, id est, die primo tertii mensis. Nam חֹדֶשׁ, quod præcessit, hic est propria sua significatione *novilunii* capiendum, ut I *Sam.* XX, 5 ; II *Reg.* IV, 23.

(2) *Gestavi vos quasi in alis aquilinis.* Aquila enim, si pullos ex nido educit, sub eis volitat, ne in petras delabantur et in iis contundantur. *Adduxi vos ad me*, id est, liberavi vos a crudeli Ægyptiorum servitute, et recepi vos in tutelam meam singularem.

dorso excepit liberatum, et in hortum quemdam leniter depositum. « Hoc, inquit, si cui fabula videtur, me quoque non approbare illi fatebor. Audio tamen Achæmenem Persam quoque, a quo nobilis Persarum prosapia descendit, aquilæ alumnum fuisse. »

Sacra. Hæc profana sunt, audi sacra. Deus enim Sanctos mire sæpe per aquilas juvit.

S. Medardum, cum puer esset in campo pluviæ expositus, ab aquila alas et corpus super eum expandente, immunem servatum esse, habet ejus Vita.

S. Benedicti a latronibus occisi corpus in aquam projectum, ab aquila demonstratum est.

S. Stanislai Cracoviensis Episcopi a Boleslao rege occisi corpus, quatuor aquilæ a canibus et feris defenderunt toto biduo, donec sacerdotes disjecta membra collegerunt, quæ subito coaluisse dicuntur.

Venerabilis Beda de S. Cuthberto, Episcopo Linsfardiensi, refert, quod aquila miraculose piscem acceperit e flumine, eumque S. Cuthberto, ne fame periret, detulerit.

Sancti quasi aquilæ in cœlis habitant. Tropologice, Sancti, præsertim illustres, in cœlis habitant quasi aquilæ, ibique eos Deus sibi assumit, quasi suos familiares et aulicos. Unde S. Gregorius, lib. XXXI *Moral.* XXXIV, explicans illud *Job* XXXIX : « Numquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, et in arduis ponet nidum suum? » S. Paulum et Sanctos comparat aquilæ. « Videamus, inquit, aquilam nidum in arduis sibi construentem, qui ait : Nostra conversatio in cœlis est. Et rursum : Qui conresuscitavit, et consedere fecit nos in cœlestibus. In arduis habet nidum, quia profecto in supernis figit consilium, non vult mentem in ima dejicere, non vult per abjectionem conversationis humanæ in infimis habitare. Tunc Paulus fortasse in carcere tenebatur, cum se consedere Christo in cœlestibus testaretur : sed ibi erat, ubi ardentem jam mentem fixerat; non illic, ubi illum necessario pigra adhuc caro retinebat. » Deinde in seq. hanc mentis in cœlo positæ altitudinem ostendit esse signum divinæ prædestinationis et electionis ad gloriam. Hoc est enim quod ait Isaias, cap. LVIII, vers. 14 : « Tunc delectaberis super Domino, et sustollam te super altitudines terræ, et cibabo te hæreditate Jacob. »

Merito ergo S. Augustinus, serm. 2 *De omnibus Sanctis*, ita fideles exstimulat : « Ad hanc in cœlis palmam libenter ac prompte certemus, omnes in agone justitiæ Deo et Christo spectante curramus; et qui sæculo et mundo majores esse cœpimus, a cursu nostro nulla sæculi cupiditate retardemur. Si expeditos, si celeres in hoc operis agone, si currentes dies ultimus invenerit, nusquam Dominus meritis nostris ad præmium deerit remunerator. »

Hac de causa Gentiles in funere Imperatoris aquilam e rogo emittebant, quæ animam defuncti ferret in cœlum. Audi Spartianum in funere et apotheosi Adriani Imperatoris : « E fastigio simul cum subjecto igne ascensura in cœlum aquila dimittitur, quæ in cœlum creditur ipsam principis animam deferre. » Idem de Augusto testatur Dio in ejus funere lib. LVI. Testantur et nummi, qui una parte habent effigiem Divi Imperatoris, in altera vero aquilam, cum his verbis : « Consecratio S. C. » Quin et principes post mortem aquilæ insidere, ab eaque vehi fingebantur, pingebanturque. Audi Artemidorum in suis *Divin. somn.* lib. II, cap. XX : « Aquila vehi regibus et opulentis viris obitum prædicit. Vetus enim mos est hos mortuos fingere et pingere aquilæ insidentes. »

Ita Imperatori Severo signa mortis attulerunt aquilæ quatuor, a quibus sibi visus est per nocturnam imaginem in cœlum abripi. In nummo autem cujus inscriptio est : « Divus Pert. Pius pater, » aquila est pilæ insidens, quasi ipsum supra cœlum sublatum esse velit innuere. Denique epigramma in Platonis sepulcro aquilam appingit, quasi ejus specie anima Platonis in cœlum evolarit; sic enim habet :

Cur, aquila, ad tumulum hunc volitas? dic, numquid ab astris
Hic habitare Deum forte aliquem intuita es?
Imo anima extincti sum diva Platonis, Olympum
Quæ colo, sed corpus terrigenum Attica habet.

5. SI ERGO AUDIERITIS VOCEM MEAM, ET CUSTODIERITIS PACTUM MEUM, ERITIS MIHI IN PECULIUM, — *q. d.* Licet sitis pusillus grex, pusilla gens, eritis tamen totum pecus meum, id est, omnis substantia, totæ opes meæ; olim enim omnis substantia veterum erat in pecore, indeque dictum est peculium : peculium ergo est peculiaris et propria hæreditas. Hoc enim est quod dicit *Deuter.* XXXII, 9 : « Pars Domini populus ejus, Jacob funiculus hæreditatis ejus, » id est, pars hæreditaria ejus : olim enim funiculis solebant hæreditates inter hæredes dividere et dimetiri. Vers. 5. Peculium quid?

Pro *peculium* hebraice est סגלה *segulla*, id est pars, sive portio electa et dilecta, qualis est thesaurus, *q. d.* Licet meus sit universus orbis, omnesque populi, vos tamen eritis mihi chari et pretiosi instar cimelii, vel thesauri; unde Septuaginta, et ex iis S. Petrus et Paulus vertunt, *eritis mihi* λαὸς περιούσιος, id est *populus peculiaris*, exquisitus et eminens; unde et Symmachus vertit, *eritis mihi* λαὸς ἐξαίρετος, id est *populus selectus*, egregius, eximius. Lyranus vertit, *eritis mihi amicabiles*, id est, eritis mihi ita amici, ac si essetis ipsa mea amicabilitas. Vide dicta *ad Titum* II. *Segulla*, quid?

MEA EST ENIM OMNIS TERRA. — Cum tota terra sit mea jure creationis et conservationis, possum et volo vos ex ea mihi in peculium asciscere : ita ut tota terra mea sit hæreditas, vos vero sitis meum peculium, meum *segulla*.

6. ET VOS ERITIS MIHI IN REGNUM SACERDOTALE. — Hebr. *in regnum sacerdotum*, id est sacerdotale; Hebræi enim genitivum substantivum usurpant Vers. 6. Regnum sacerdo-

talè quid?

pro epitheto adjectivo, *q. d.* Vos eritis regnum meum, ut non laicum et profanum, sed sacrum meoque cultui et sacrificiis addictum. Septuaginta invertunt verba : *Eritis mihi regale sacerdotium;* quos sequitur S. Petrus, *epist.* I, cap. II, vers. 2; sed idem est sensus : utramque enim dignitatem, quæ in republica est summa, scilicet regni et sacerdotii sui, hic Deus Hebræis præ cæteris gentibus tribuit. Chaldæus vertit, *eritis mihi reges et sacerdotes, q. d.* Vos non singuli, sed ex vobis aliqui deputati erunt reges, per quos regnabitis, et aliqui erunt sacerdotes, per quos sacrificia offeretis Deo. Potest tamen secundo, hoc de singulis accipi quasi cuique in particulari, non autem soli republicæ hoc promittat Deus, *q. d.* Singuli eritis quasi reges, quia Chananæis aliisque gentibus dominabimini, quomodo Pyrrhi legatus dixit se Romæ tot reges, quot senatores vidisse. Eritis et sacerdotes, quia inter alias gentes soli eritis meo cultui meisque cæremoniis addicti. Porro regnum et reges tam active quam passive accipio, *q. d.* Vos eritis reges, ita tamen ut ego in vobis regnem (1).

Quærunt hic aliqui cur Moses Judæis promittat regnum sacerdotale; S. Petrus vero, *epist.* I, cap. II, vers. 2, inverse Christianis spondeat sacerdotium regale? Ac respondent *primo,* quia regalis dignitas, quæ apud Judæos perfecta erat, apud Christianos imperfectior reddita est : sacerdotium vero, quod apud eos imperfectum erat, apud Christianos perfectissimum, regnisque et regibus prædominans evasit. *Secundo,* quia lex Mosis erat lex justitiæ, juxta illud : « Ego Deus zelotes, sive æmulator, reddens iniquitatem patrum super filios, » *Deuter.* V, 9. Lex vero Christi est lex misericordiæ. Regalis auctoritas justitiam tuetur : ideo enim gladium portat; sacerdotalis autem misericordiam. Talis enim, ut ait S. Paulus, *Hebr.* VII, decebat ut nobis esset pontifex, qui possit condolere iis, qui ignorant et errant, ac compati infirmitatibus nostris. Apposite ergo justitiæ tempore, puta in lege veteri, regalis præeminebat auctoritas : misericordiæ vero tempore sacerdotalis dignitas effecta est præstantior, quia a regia potestate justitia, a sacerdotali pietas et misericordia exspectanda est. Ita Ascanius Martinengus in *Genes.* tomo I.

Alludit ad historiam *Genes.* XLVII, 22, ubi redditur ratio, cur soli sacerdotes in Ægypto non fuerunt in communi fame compulsi vendere possessiones suas : nimirum quia terra sacerdotalis tradita fuerat a rege sacerdotibus, quibus et statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur. Itaque ingens erat honos et gratia quam rex Ægypti sacerdotibus deferebat, magnaque privilegia, immunitates et exemptiones, quibus sacerdotes Ægypti fruebantur. Porro fames, labores et ærumnæ, quæ cæteros affligebant, sacerdotes ne minimum quidem perstringebant, singulari regis in ipsos benevolentia et beneficio. Hæc enim notissima erant populo Israel ex Ægypto egredienti, *q. d.* Faciam vos meum peculium, uti vidistis in Ægypto sacerdotes esse peculium regis. Sic in Hispania militares ordines, ut S. Jacobi, atque alii, sunt peculium regis. Porro sacerdotes Ægypti vocantur reges, id est regis amici; et quia erant judices populi, atque summus sacerdos erat summus judex, ut tradit Ælianus, lib. XIV, cap. XXXIV. Ita Alcazar in *Apoc.* I, vers. 5.

Mystice, omnes Christiani probi et sancti sunt reges, inquit S. Gregorius, lib. XXVI *Moral.* cap. XXVI : « Nam dominantes cunctis motibus carnis, modo luxuriæ appetitum frænant, modo æstum avaritiæ temperant, modo gloriam elationis deprimunt, modo suggestionem livoris obruunt, modo ignem furoris extinguunt : reges ergo sunt, quia tentationum suarum motibus non consentiendo, non succumbere; sed dominando et regendo, præesse noverunt; » hinc in cœlo accipient regnum : « Qui vicerit, inquit, dabo ei sedere mecum in throno, sicut ego vici, et sedi cum Patre in throno ejus; » tunc dicent illud *Apoc.* V, 10 : « Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes, et regnabimus super terram, » imo super cœlum et cœlos cœlorum.

Omnes probi Christiani sunt reges.

GENS SANCTA, — separata ab aliis gentibus profanis et idololatris, mihique soli mea vocatione et electione addicta, et quasi consecrata.

8. CUMQUE RETULISSET MOYSES VERBA POPULI AD DOMINUM, — *q. d.* Dum Moses eadem die rediisset ad Dominum, et obedientiam verbaque populi ad Dominum referre cogitaret et inciperet, prævenit eum Dominus, et ait : « Jam nunc veniam ad te in caligine. » Nam post ea Domini verba, Mosen nuntiasse et retulisse Domino promptam populi obedientiam, et ad eam respondisse Dominum, sequentia verba docent; id clarius est in Hebræo, ubi post populi verba, Moses ea retulisse ad Dominum dicitur, sed indefinito tempore. Nota : Hebræi factum dicunt id, quod fit, et incipit : vide *Can.* 22. Retulit porro Moses, non quod ea nesciret Deus, sed ut obsequentem populi voluntatem Domino offerret : quomodo angeli hominum vota ad Deum referunt, cum iis et sua jungentes. Vers. 8.

9. JAM NUNC VENIAM AD TE IN CALIGINE, — ut te legislatorem Hebræorum constituam, qui eis des legem non humanam, sed divinam : quod ut sciat credatque populus, hac de causa de cœlo loquar tecum, daboque tonitrua, fulgura, etc., coram populo. Sic enim et Gentiles legislatores, ut Vers. 9.

(1) Michaelis in *Mosaisches Recht*, § 34, locum hunc ita interpretatur : *vos, regni mei cives, habebitis jura et privilegia sacerdotum,* et putat, hanc dictionem petitam esse ex Ægypto, ubi sacerdotes magnis ornamentis fruebantur. Melius Clericus observat, regnum sacerdotum significare homines non minus Deo sacros, et ei caros, quam si omnes essent sacerdotes. Ut sacerdotes, qui pie et caste rem divinam faciebant, Deo cari habebantur : sic Deus significat, sibi caros fore Israelitas, si legum suarum observantes sint.

Legislatores prisci e cœlo se leges accepisse finxerunt.

Zeleucus, Zoroastres, Minos (sic et Mahomet) auctoritatem aucupantes, cum Deo se collocutos, ab eoque leges se accepisse finxerunt. Ita Lycurgus legislator Lacedæmoniorum, Delphos profectus consuluit oraculum : respondit Pythia eum diis charum, magisque deum quam hominem esse; quærentique de bona legum latione dixit, dari ac sponderi a Deo eum reipublicæ statum, qui omnium longe esset præstantissimus. Quare Lycurgus leges suas vocavit ῥητά, quasi dicas, oracula. Ita Numa Pompilius legislator, et secundus rex Romanus, cum dea Egeria se colloqui finxit. Ita Pythagoras aquilam cicuratam vocibus sistere et deducere solebat, quasi per eam e cœlo sua dogmata acciperet : testis est Plutarchus in *Numa* et *Lycurgo*. Mercurius, qui primus Ægyptiis leges dedit, Theologus habitus fuit divinus, ideoque Trismegistus, id est ter maximus, cognominatus.

Vers. 10.

10. SANCTIFICA ILLOS HODIE ET CRAS, LAVENTQUE VESTIMENTA SUA, — *q. d.* Edic et jube ut hodie et cras Hebræi separent se ab omni immunditie, utque corporalem sui et castrorum munditiem, lavando et purgando procurent. Unde Philo, lib. *De Decalogo*, asserit eos per triduum lavacris fuisse purificatos, idque ut hac ratione rudis ille populus excitaretur, ad divinæ legis tertio die accipiendæ reverentiam. Unde Chaldæus vertit, *præpara eos*. Hinc et jussit Moses quemque suas lavare vestes, ut hæc exterior lotio eos interioris lotionis et purificationis admoneret, ut pura mente Deo occurrerent. Sanctificatio ergo hæc et præparatio, *primo* et potissimum sita erat in continentia, ut scilicet abstinerent ab uxoribus; sic enim eam explicat Moses, vers. 15; *secundo*, in lotione corporum et vestium; *tertio*, in purgatione castrorum; *quarto*, in reverenti exspectatione Dei promulgaturi suam legem.

Sanctificatio Hebræorum in quatuor rebus sita.

Vers. 11.

11. ET SINT PARATI IN DIEM TERTIUM : IN DIE ENIM TERTIA DESCENDET DOMINUS CORAM OMNI PLEBE SUPER MONTEM SINAI. — Dies hic tertius fuit quinquagesimus a paschate, et ab egressu ex Ægypto, fuitque pentecoste, qua legem a Deo acceperunt in Sina; nam in memoriam datæ legis hoc 50 die a paschate, quotannis celebrabant Hebræi pentecosten, uti docet S. Hieronymus *ad Fabiolam*, et S. Augustinus, *Quæst.* LXX, et passim alii.

Pentecoste est festum datæ legis.

Pentecoste er sexta dies mensis tertii, quia eo die data est lex.

Hic tertius dies fuit sextus mensis tertii, qui dicitur Sivan, et maio respondet : nam tertio die Sivan venerunt Hebræi in Sina, ut patet vers. 1; inde ab adventu suo die tertia, quæ erat sexta mensis Sivan, legem acceperunt. Unde Hebræi in suis Calendariis, teste Genebrardo, pentecosten consignant die sexta Sivan; et patet, quia sexta Sivan est quinquagesima ab egressu et paschate exclusive. Hi enim 50 dies a paschate ad pentecosten ita numerandi sunt, ut pascha, sive primus dies azymorum excludatur, et primus dies horum quinquaginta sit secundus dies azymorum, qui fuit alter a paschate et ab egressu, ut patebit *Levit.* XXIII vers. 11. Numera ergo a secundo die azymorum, puta a decimo sexto die mensis primi, reliquos 14 dies ejusdem mensis, et 30 dies mensis secundi (Hebræorum enim menses, utpote lunares, alterni erant 29 et 30 dierum), habebis dies 44. His adde sex dies mensis tertii, complebis 50, sive pentecosten. Errat ergo Abulensis hic, *Quæst.* X, dum asserit legem datam esse die non 50, sed 48 ab egressu : idque ex eo, quod putet Hebræos venisse in Sina die prima mensis tertii, ac tertio post die accepisse legem. Dies enim prima mensis, inquit ipse, vocatur « dies hæc, » vers. 1. Verum ibi ostendi, quod « dies hæc » vocetur non prima, sed tertia.

DESCENDET DOMINUS, — descendam ego. Est enallage personæ crebra apud Hebræos. Descendam, inquam, non motu locali, sed revelatione gloriæ meæ, uti indicat Chaldæus. Vide vers. 18.

12. CAVETE, NE ASCENDATIS IN MONTEM, NEC TANGATIS FINES ILLIUS, — tanquam curiosi scrutatores præsentiæ et majestatis divinæ; sed potius eam reverentes continete vos in castris et jumenta vestra. Vers. 12.

Tropologice S. Gregorius, lib. VI *Moral.* XXVII : « Bestia, ait, montem tangit, cum mens irrationabilibus desideriis subdita, ad contemplationis alta se erigit; sed lapidibus percutitur, quia summa non sustinens, ipsis superni ponderis ictibus necatur. »

Vers. 12 et 13. Tangens Sina jubetur lapidari, cur?

12 et 13. OMNIS, QUI TETIGERIT MONTEM, MORTE MORIETUR : MANUS NON TANGET EUM, SED LAPIDIBUS OPPRIMETUR. — Quia hic, qui contra præceptum meum audacter et irreverenter tangit montem, Dei præsentia jam sacrum, censendus est sacrilegus, adeoque pollutus et immundus, ut tanquam anathema vitandus sit, nec tangendus, ne quam eum attrectantibus labem afflet; non ergo cominus eum feriri, sed eminus lapidari jubeo. Ita Rupertus.

CUM COEPERIT CLANGERE BUCCINA, TUNC ASCENDANT IN MONTEM. — Hebraice est, *cum traxerit*, vel *protraxerit buccina*, id est, ut noster Interpres vertit *Josue* VI, 5 : « Cum insonuerit sonus longior et concisior buccinæ. » Verum quia Hebræi nulla habent verba composita, sed ea per simplex exprimunt, hinc Septuaginta et Chaldæus *abstrahere* vel *substrahere* vertunt contrario sensu : *Cum subtractus fuerit, cessaveritque sonus buccinæ, tunc ascendite in montem*. Sed noster Interpres usitatius verbi significatum secutus est, cum vix in altera, quam habent Septuaginta, significatione reperiatur. Unde et passim ita vertunt recentiores; atque ad vocem tubæ, non autem ad cessationem tubæ Hebræos ascendisse in montem, patet vers. 16 et 17, ex communi omnium Interpretum versione et consensu.

Buccina angeli aerea.

Buccina hæc, inquiunt Judæi, fuit cornu arietis immolati pro Isaac; sed hæ sunt nugæ. Buccina ergo hæc non fuit cornea, sed aerea : angelus enim aerem collidens, ut sonum ederet similem inflatæ buccinæ, quasi per buccinam hic bucci-

nare dicitur. Angelus ergo clangens de monte Sina, ut habent Chaldæus, Septuaginta, et indicant sequentia, hoc clangore populum evocabat ex castris a monte dissitis, ut veniret ad radicem montis, ibique legem Decalogi, angelo quasi præcone Dei proclamante, audiret.

Significans gravitatem legis Dei.

Mystice, sonitus buccinæ significabat gravitatem præceptorum Dei, quæ ut impleantur, homini indicitur bellum contra seipsum, inquit S. Thomas in cap. XII *ad Hebr.* lect. 4.

ASCENDANT IN MONTEM, — ascendant versus montem, usque ad terminos a Mose jussu Dei præfixos, in ipsa montis radice. Vide vers. 17; nam vers. 12 jussi sunt sub pœna mortis montem ipsum non tangere. Jubentur ergo hic tantum castris egredi, et ad radices montis Sina propius accedere. Ita Rupertus, Hugo et alii. Adde, totus hic mons igne fumabat, ut patet *Deut.* V, 4; ergo non poterant ad eum propius accedere Hebræi.

Vers. 14. 14. SANCTIFICAVIT EUM, — eo modo, qui jam dictus est, quique sequitur, scilicet jubendo lavari vestimenta, et abstinere ab uxoribus, atque comparare se per munditiem, et reverentem exspectationem Dei ejusque legis, in diem tertium, quo futura erat Decalogi promulgatio.

Vers. 18. 18. TOTUS AUTEM MONS SINAI FUMABAT, EO QUOD DESCENDISSET DOMINUS SUPER EUM IN IGNE, ET ASCENDERET FUMUS EX EO, QUASI DE FORNACE. — *Deuter.* IV, 11, dicitur mons Sina arsisse usque ad cœlum. Sicut ergo in fornace partim flamma et ignis, partim fumus necdum accensus, sed cum igne convolutus conspicitur : ita pariter ignem fumo mixtum in Sina angelus vice Dei produxit, idque sive ex aere, sive ex fumosa quapiam materia, quæ facile ignem concipit, puta ex thure, resina, sulphure, etc.

Fumus Sina unde?

Nota : Ignis est insigne divinæ ac regiæ majestatis : hinc Deus in rubo Mosis, in columna, in monte Sina, in templo, et alibi, cum ejus regia aut judiciaria potestas exprimitur, in igne apparuit. Ignis enim præit illum, tanquam verum regem et judicem maximum. *Psal.* XLIX : « Deus manifeste veniet, etc.; ignis in conspectu ejus exardescet, » id est, prælucebit regi vero. *Psal.* XCVI, agens de Christi judicio : « Ignis, inquit, ante ipsum præcedet. » Ita Imperatoribus olim præferebatur ignis, teste Herodiano, quia ignis est symbolum tum principatus, ut qui primus ac princeps inter elementa virtute ac splendore emineat; tum vitæ, doctrinæ, felicitatis, potentiæ et gloriæ, quibus rebus Deus Divique pollent, et post eos principes, reges ac judices. Hinc Varro : Ignis, ait, dicitur a gignendo et nascendo, quod ab igne omnia nascantur, et ignis animantibus vim indat mirificam.

Symbolice Cyprianus, lib. III *Testimon. ad Quirinum*, hoc igne, uti et igne rubi, *Exodi* cap. III, et linguis igneis in Pentecoste, *Actor.* cap. II, significatum putat Spiritum Sanctum. Porro ignis hic fumans, ipseque fumus, minax erat incendii, si legem Dei violarent, uti de facto ob legis violationem, urbs et templum primo a Chaldæis, deinde a Tito et Romanis incensa, et in fumum cineresque redacta sunt.

ERATQUE OMNIS MONS TERRIBILIS. — Bene vertit Noster, si aliis punctis in Hebræo legas in *hiphil* וַיַּחֲרֵד *vaiachared*, id est, et terruit, sive perterrefecit Hebræos hic mons. Jam aliis punctis in *cal* legunt *vaiecherad*, id est, ut Chaldæus, *et contremuit totus mons*, ideoque pariter erat terribilis.

Terræ motus Sina.

Terræ motu fuisse hic concussum montem Sina patet quoque *Psal.* LXVII, vers. 9 : « Terra mota est; etenim cœli distillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel. » Unde patet, simul cum terræ motu, inter ignes et fulgetra, de quibus vers. 16, hic extitisse pluviam, quod et Josephus testatur.

Septem terribilia in Sina cum daretur lex.

Septem ergo fuerunt terribilia in Sina, cum ibi daretur lex. *Primo*, totus mons tremebat. *Secundo*, totus mons igne et fumo ardebat. *Tertio*, horrenda erant tonitrua et fulgura. *Quarto*, erat caligo densissima. *Quinto*, erat pluvia et procella, ut ait Apostolus, *Hebr.* cap. XII, vers. 18. *Sexto*, sonus buccinæ perstrepebat. *Septimo*, angelus e Sina voce tubali et horribili Decalogum proclamabat. Omnia hæc eo spectabant, ut Hebræos sacro quodam horrore, timore et reverentia tum numinis, tum legis, quam accepturi erant, observandæ percellerent. Apte quoque pluvia legem quasi doctrinam e cœlis descendentem significabat. Unde illud Mosis, *Deut.* cap. XXXII, vers. 2 : « Concrescat ut pluviam doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam. ».

Allegoria tonitrui, fulgurum, buccinæ, etc.

Allegorice, tonitru significabat terrorem prædicationis Evangelii : unde Paulus a S. Hieronymo vocatur tonitru Gentium; fulgura significabant claritatem miraculorum; vox buccinæ fortem prædicationem Apostolorum. Dominus descendit in igne et fumo, quia fideles suæ claritatis et Evangelii ostensione illuminat, et infidelium oculos fumo et caligine erroris obscurat, inquit Isidorus.

Vers. 19. 19. DEUS RESPONDEBAT EI. — Hebraice additur *per vocem, q. d.* Non per phantasmata aut visiones, sed exterius clara voce Deus respondebat Mosi, ut Hebræi Deum cum Mose legislatore suo loquentem audirent.

Nota : Qui hic passim cum Mose loquitur, quique sequenti cap. decalogum ex Sina proclamavit, fuit angelus, ut patet *Actor.* cap. VII, vers. 38, et *Gal.* cap. III, vers. 19, ubi diserte dicitur legem datam esse per angelos; dicitur tamen hic angelus Deus, quia Dei personam gerebat, ejusque legem tradebat, tanquam Dei præco et legatus.

Vers. 20 20. DESCENDITQUE DOMINUS SUPER MONTEM SINAI IN IPSO MONTIS VERTICE, ET VOCAVIT MOYSEN. — Descenderat jam Deus per angelum vers. 18, super montem in igne, sed quasi sursum adhuc elevatus super montem, et in aere consistens: hoc enim innuit τὸ *super*; hic vero ulterius de-

scendit ad ipsum verticem, eoque Mosen evocat : Moses enim infra verticem consistebat, ibique cum Deo, audiente populo vicino, et ad radices montis consistente, colloquebatur : unde hic jubetur a Deo in cacumen montis ascendere, ad quod pariter Deus densiore nube, et majore gloria descendit. Perperam ergo Calvinus hic carpit nostrum Interpretem, dum vult vertendum esse, non *descendit*, sed *descenderat autem*, scilicet jam ante vers. 21.

Vers. 21. 21. NE FORTE VELIT TRANSCENDERE TERMINOS. — Hebraice est, *ne destruant, ne dissipent*, subaudi, terminum a me statutum. Unde colligi videtur limitem hunc et terminum sepe aliqua, vel palis obductum fuisse, quæ accedenti ad montem disjicienda foret.

Vers. 22. 22. SACERDOTES QUOQUE QUI ACCEDUNT AD DOMINUM, SANCTIFICENTUR, NE PERCUTIAT EOS. — Necdum Aaron ejusque filii creati erant sacerdotes : sacerdotes ergo hic intelligit eos, qui ante Aaronem in populo, ex lege naturæ erant sacerdotes, quos multi putant fuisse primogenitos familiarum. Ita Cajetanus, Lipomanus et alii. Tales sane fuisse videntur juvenes illi, quos Moses, capite XXIV, vers. 5, misit immolare holocausta (1).

Nota τὸ *qui accedunt ad Dominum, q. d.* Quorum munus est accedere ad Dominum, ut orando et sacrificando sint mediatores inter Deum et populum. Jubet ergo Deus sacerdotes cum cæteris, imo præ cæteris sanctificari, id est, se emundare ab omni sorde et macula, vestimenta lavare, abstinere ab uxoribus, et reverenter exspectare Deum decalogi promulgatorem.

Vers. 23. 23. DIXITQUE MOYSES : NON POTERIT VULGUS ASCENDERE IN MONTEM, *q. d.* Non præsumet populus id, quod scit a te vetitum sub pœna mortis : consuetudinis et colloquii divini avidior Moses deprecatur, et excusat se, ne jubeatur redire ad populum.

TESTIFICATUS ES, — protestatus es.

SANCTIFICA ILLUM, *q. d.* Montem Sina termino, vel sepe aliqua separa ab accessu populi, ut mihi soli mons hic quasi dicatus videatur.

(1) Observat Abarbenel, Mosen, ante Aaronici sacerdotii institutionem, delegisse ex Israelitis, nulla ordinis nascendi ratione habita, juvenes robore ad sacrificia illa paranda sufficienter instructos. Robur utique requirebatur non mediocre ad juvencos plures prosternendos, jugulandos, excoriandos, eviscerandos, et ad partes hostiarum, majores quidem illas, ad altare deportandas. Ista de causa Græci etiam antiqui in sacrificiis apparandis juvenum opera sunt usi. Cf. infra XXIV, 5.

Vers. 24. 24. VADE, DESCENDE, — ut sacerdotibus etiam denunties ne transeant terminos montis, a me populo præstitutos : de sacerdotibus enim priore præcepto vers. 21, nihil attigi. Deinde « descende, » ut severiore interdicto et pœna idipsum firmes et sancias, videlicet non a populo, sed a me Deo vestro, eum, qui secus faxit, terminosque montis transierit, interficiendum esse. *Tertio*, « descende, » ut Aaron destinatum jam sacerdotem, tecum in montem ad me adducas, idque hoc fine, ut hac ratione ejus sacerdotium a me populo commendetur, illique fiat venerabile et reverendum, cum hunc a me honorem Aaroni deferri videbit, ut eum mea vocatione et præsentia digner. *Quarto* et maxime, « descende, » ut tu, o Moses, sub vertice montis pene cum populo constitutus, velut unus ex eo legem meam, puta Decalogum (quem cap. seq. ex Sina proclamabo), cui tu quoque subjectus es, audias; sed hanc rationem subticet hic Deus. Vers. 24. Descendit Moses de Sina quatuor de causis.

Allegorice, promulgatio legis veteris significabat promulgationem legis novæ : utraque enim facta est die quinquagesimo a paschate, puta in pentecoste; ibi terræ motu contremuit mons, hic domus discipulorum; ibi inter flammas ignium et micantia fulgura fragor tonitruorum personabat, hic cum ignearum visione linguarum sonitus pariter de cœlo tanquam spiritus vehementis advenit; ibi clangor buccinæ verba legis perstrepebat, hic tuba Evangelica Apostolorum ore insonuit. Ita Beda in homilia vigiliæ Pentecostes, et S. Hieronymus *ad Fabiolam*; quin et Apostolus, *Hebr.* cap. XII, vers. 18 : « Non enim accessistis, inquit, ad tractabilem montem, et accensibilem (accensum) ignem, et turbinem, et caliginem, et procellam, et tubæ sonum; sed accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, et multorum millium angelorum frequentiam, etc.: videte, ne recusetis loquentem. » Allegoria datæ legis in Sina.

Vers. 25. 25. DESCENDITQUE MOYSES AD POPULUM, — ut præceptum de non transgrediendo limite montis populo promulgaret : quo facto statim rursus cum fratre Aarone, uti ei jusserat Deus vers. 24, ascendit aliquousque, ita ut a populo ad radices montis stante distaret, ut patet cap. XX, vers. 19; ibique Moses stans audivit Decalogum proclamari ab angelo, ideoque postea evocatus in verticem ascendit, cap. XX, vers. 21, accepturus ibidem a Deo leges alias cæremoniales et judiciales, tumque Aaronem et populum ad castra remisit, ut patet *Deuter.* cap. V, vers. 30.

CAPUT VIGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Angelus ex Sina toti populo Hebræorum proclamat, et promulgat Decalogum. Secundo, vers. 21, Moses ascendit ad Deum in caligine verticis Sina latentem, jubeturque ab eo facere altare ex terra, vel lapide insecto.

1. Locutusque est Dominus cunctos sermones hos: 2. Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis. 3. Non habebis deos alienos coram me. 4. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cœlo desuper, et quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra. 5. Non adorabis ea, neque coles: ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt me: 6. et faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, et custodiunt præcepta mea. 7. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum; nec enim habebit insontem Dominus eum qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra. 8. Memento ut diem sabbati sanctifices. 9. Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua. 10. Septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo, tu, et filius tuus et filia tua, servus tuus et ancilla tua, jumentum tuum, et advena qui est intra portas tuas. 11. Sex enim diebus fecit Dominus cœlum et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt, et requievit in die septimo: idcirco benedixit Dominus diei sabbati, et sanctificavit eum. 12. Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. 13. Non occides. 14. Non mœchaberis. 15. Non furtum facies. 16. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. 17. Non concupisces domum proximi tui: nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt. 18. Cunctus autem populus videbat voces et lampades, et sonitum buccinæ, montemque fumantem; et perterriti ac pavore concussi, steterunt procul, 19. dicentes Mosi: Loquere tu nobis, et audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur. 20. Et ait Moyses ad populum: Nolite timere; ut enim probaret vos, venit Deus, et ut terror illius esset in vobis, et non peccaretis. 21. Stetitque populus de longe. Moyses autem accessit ad caliginem in qua erat Deus. 22. Dixit præterea Dominus ad Moysen: Hæc dices filiis Israel: Vos vidistis quod de cœlo locutus sim vobis. 23. Non facietis deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis. 24. Altare de terra facietis mihi, et offeretis super eo holocausta et pacifica vestra, oves vestras et boves in omni loco in quo memoria fuerit nominis mei: veniam ad te, et benedicam tibi. 25. Quod si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus: si enim levaveris cultrum super eo, polluetur. 26. Non ascendes per gradus ad altare meum, ne reveletur turpitudo tua.

Vers. 1. 1. LOCUTUSQUE EST DOMINUS CUNCTOS SERMONES HOS. — Buccina, quæ hactenus confusum buccinæ sonum dederat, jam angelo voces distinguente, articulatum dedit sonum verborum sequentium, puta Decalogi. Decalogum enim hic angelus Deum repræsentans, quasi legislator tubali voce, quæ a toto populo (a tribus millionibus hominum) exaudiri posset, promulgavit. Ita Nyssenus, Philo et alii.

Angelus ergo dicit: « Ego sum Dominus Deus tuus, » etc., quia loquitur in persona Dei; perinde ut Prorex Neapolis in suis edictis dicit et scribit: « Nos Philippus Rex mandamus, » etc., quia nomine regis Philippi edicit et imperat. Angelus loquitur ut Deus.

Hinc Prosper, lib. I *Promiss.* cap. ult., Judæos inde dictos putat, quod receperint jus Dei, id est legem Dei. Verum hæc tantum apta est allusio ad nomen Latinum; nam alioqui certum est Ju- Judæi dicti quasi jus Dei, ait Prosper.

dæos hebraice vocari et denominari a Juda patriarcha, *Genes.* XLIX, 8.

Vers. 2. 2. EGO SUM DOMINUS. — Hic incipit Decalogus, quem totum commodius explicabo *Deuter.* V, 6; ibi enim totus reperitur meliori ordine.

Vers. 18. 18. CUNCTUS AUTEM POPULUS VIDEBAT VOCES. — « Videbat, » id est, percipiebat non visu, sed auditu, id est audiebat. Hebræi enim sæpe sensum unum cum altero commutant, ac præsertim visum pro quolibet sensu sumunt, quia visus est omnium sensuum præstantissimus et certissimus, inquit S. Augustinus, *Quæst.* LXXII : vide *Canon.* 5. Videre ergo voces hic idem est, quod voces cognoscere : nam, ut ait Philo, lib. *De Decalogo,* vox hæc Hebræis tam clare et sonore se ingerebat, ut videre magis eam quam audire se putarent.

ET LAMPADES, — fulgura lucentia et flammantia instar lampadum. Vide cap. XIX, vers. 16.

ET SONITUM BUCCINÆ. — Buccina, quæ ante Decalogi promulgationem quasi tuba clanxerat, et evocaverat Hebræos ad legem Dei audiendam, illa, angelo Decalogum voce articulata proclamante, siluerat; sed peracta Decalogi promulgatione, mox rursum quasi tuba clangere et strepere cœpit. Unde timens populus, ne rursus Deus voce sua sonora et terribili loqueretur, rogavit Mosen, ut ipse foret internuntius, et vice Dei loqueretur, Deique jussa ac voces ad populum perferret : quin et hoc buccinæ sonitu et timore perculsus populus retrocessit a Sina, eminusque stetit, uti hic dicitur.

Vers 20. 20. UT PROBARET, — ut experiretur vestrum timorem, reverentiam et obedientiam.

Vers. 21. 21. STETITQUE POPULUS DE LONGE. — Intellige ex cap. præcedenti, vers. 24, Mosen cum Aarone ascendisse ultra radices montis Sina; populumque, sive principes populi voce Dei perterrefactos, ad Mosen vociferatos esse ac rogasse, ut Deus eis non loqueretur, sed Moses; quod audiens Dominus probavit petitionem populi, jussitque eum redire ad tentoria sua cum Aarone; Mosen vero jussit manere in monte, et in ejus cacumen conscendere, ut ibi alia, quæ sequuntur, Dei mandata audiret, eaque ad populum referret. Vide *Deuter.* V, 23 et seq.

Deus sibi est lux, nobis caligo. MOYSES AUTEM ACCESSIT AD CALIGINEM, IN QUA ERAT DEUS. — Significabatur hac caligine Deus et natura divina, quæ cognitionem omnem hominum et angelorum in immensum transcendit. Deus ergo sibi ipsi est summa lux, nobis autem est summa caligo : sicut sol in se lucidus est, idem tamen oculo noctuæ infirmo et debili opacus est, caliginosus et invisibilis. Vide S. Dionysium, *De Mystica Theolog.* cap. I, Nyssenum hic et D. Thomam in illud I *Timoth.* VI : « Qui lucem habitat inaccessibilem. » Ita Ægyptii divinæ naturæ immensam obscuritatem significantes, dictitabant primum omnium principium tenebras esse, super omnem intellectum positas. Adhæc in sacris Deum ter vocabant « incognitam caliginem, » uti ex Damasco Platonico docet Nicolaus Causinus in *Polyhistore Symbol.* lib. I, cap. I. Vere Psaltes, *Psalm.* XVII, 12 : « Posuit (Deus) tenebras latibulum suum. Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt. »

23. NON FACIETIS DEOS ARGENTEOS. — Hebraice additur *mecum,* quos videlicet una mecum colatis. Refricat Deus primum Decalogi præceptum hic, et alibi sæpe, unumque Deum inculcat, quia Hebræi in Ægypto idolis assueti, ad idola valde erant proclives. Docet Lactantius, lib. I, cap. XV, veteres retulisse in deos homines de republica bene meritos, tum ut eis se gratos ostenderent, tum ut hoc exemplo et præmio acuerent aliorum virtutem. Hinc Apollinem cithara, Æsculapium medicina, Saturnum et Cererem agricultura, Liberum sive Bacchum vitis et vinum, Vulcanum fabrica deos fecit. Hinc Ægyptus Isidem, Athenæ docta urbs Minervam coluere, quod illa lini, hæc olei usum artemque lanificii reperisse feratur. Idem, cap. XXII, apud Romanos auctorem hujus superstitionis tradit fuisse Sabinum, qui ut eam populo persuaderet, finxit se cum dea Egeria nocturnos habere congressus. Vide S. Augustinum, lib. IV *De Civit.* et seq. Vers. 23.

Tropologice, dii aurei et argentei avaris sunt opes et nummi aurei : unde avaritia ab Apostolo vocatur idolorum servitus. Nam, ut ait Innocentius III Pontifex, lib. *De Vilitate cond. humanæ* : « Sicut idololatra servit simulacro, sic avarus servit thesauro. Nam ille cultum idololatriæ diligenter ampliat, et iste cumulum pecuniæ libenter augmentat. Ille cum diligentia colit simulacrum, et iste cum omni cura custodit thesaurum. Ille spem ponit in idololatria, et iste spem constituit in pecunia. Ille timet mutilare simulacrum, e iste timet minuere thesaurum. »

24. ALTARE DE TERRA FACIETIS MIHI, — *q. d.* Non facietis altare ex auro vel argento, ex quo faciunt gentes suos deos et suas aras; sed ex terra, sive rudi, sive potius cocta et formata in lateres, *q. d.* Altare non elegans, non aureum, non pretiosum, sed simplex et lateritium facietis mihi. Ita Cajetanus, et hoc innuit vox hebræa : in hebræo enim non est אֶרֶץ *erets,* sed אֲדָמָה *adama,* quod terram rufam et luteam significat, ex qua fiunt lateres. Vers. 24. Altare de terra exigit Deus.

Talia fuere et prisca Romanorum altaria, de quibus Tertullianus in *Apologetico* : « Nam etsi a Numa concepta religio est, nondum tamen aut simulacris aut templis res divina apud Romanos constabat, et nulla Capitolia cœlo certantia, sed temeraria de cespite altaria, et vasa adhuc Samia, et deus ipse nusquam. » At postea, qualia Romæ templa! quales aræ! audi Silium, apud quem Jupiter prædicit de illo Domitiani :

> Aurea Tarpeia condet Capitolia rupe,
> Et junget nostro templorum culmina cœlo.

Quæres, cur altare ex terra, vel ex lapide im- Cur?

polito, non autem ex marmore, auro vel argento sibi erigi voluerit Deus?

Prima. Respondet *primo*, R. Abraham, Deum lapides altaris levigari, aut poliri, et omnino attingi ferro vetuisse, quia nefas, inquit, erat, eorum lapidum qui ad rem tam sacram erant adhibendi, particulas scalpello abrasas in terram aut

Secunda. sterquilinium decidere. *Secundo*, R. Moses Maimonius causam dat hanc, ne scilicet ex frustis sacrorum lapidum simulacra sibi formarent idololatræ, ad superstitiosos cultus, aut magicas ar-

Tertia. tes. *Tertio*, R. Simeon et R. Moses Gerundensis, quin et Diodorus, atque ex eo Theodoretus, *Quæstione* XLIV, hanc dant causam : Altare, inquiunt, comparatum est ad salutem, et ad extendendam prorogandamque hominis ætatem; at hæc ferro amputatur : ferro enim multi hominum trucidantur; ferrum ergo, quod tantam perniciem hominibus affert, non decuit adhiberi; hinc et in templo Salomonis nullus ferri fuit usus sive pro materia, sive pro instrumento, adeo ut ne clavi quidem ferrei sint adhibiti, sed ænei, cæteroqui ex ferro aptiores futuri. Unde et Cicero, lib. II *De Legibus*, æs et ferrum arcet a de-

Quarta. lubris, ut duelli instrumenta, non fani. *Quarto*, Latini aliqui hanc dant causam : Jussit, inquiunt, Deus ea altaria, quæ interea fierent, dum ipse habitaret in tentoriis, id est, ante ædificatum a Salomone templum, loco in perpetuum electo, vel ex terra congesta, vel rudibus tantum lapidibus construi, ut vel cito dilaberentur, vel temere accumulatæ moles potius, quam altaria viderentur, ne religionum confusio, scilicet ex diversis altaribus, in quibus majores sacrificassent, consequeretur apud posteritatem : cujusmodi malum metuebant Israelitæ, cum audissent Rubenitas ingens altare erexisse apud Jordanem, *Josue* XXII (1). Hæc expositio vera est, sed non plena nec adæquata. Quis enim dubitet in politissimo Salomonis templo, ubi secti et politissimi erant cæteri lapides, sectos et politissimos quoque fuisse lapides altaris? præsertim cum de ipso templi pavimento expresse dicat Scriptura : « Stravit quoque (Salomon) pavimentum templi pretiosissimo marmore, decore multo, » II *Paralip.* III, 6; ac de ipso atrio dicatur : « Ædificavit atrium interius lapidum politorum, » III *Reg.* VI, 36; et cap. VII, vers. 12 : « Et atrium majus rotundum trium ordinum de lapidibus sectis. » Si atrium fuit ex lapide secto et polito, multo magis

Quinta. altare. *Quinto*, Andreas Masius *in Josue* VIII, num. 13 : Veteres, inquit, tam Judæi, quam Christiani simplicissima faciebant altaria, ut in iis nihil nisi hostiam, puta corpus et sanguinem Christi a Christianis oblatum, a Judæis vero adumbratum admiraremur. Unde, inquit, et detestabantur, si imago ulla in altari poneretur. Verum hic unus est locus e duobus, quos censores Masii notarunt, et censuerunt corrigendos et castigandos. Certum enim est olim in templis et altaribus Christianorum fuisse imagines; id enim docet Prudentius in hymno de S. Cassiano, ubi scribit se in templo Cassiani vidisse super altare ejus imaginem. Sic Valentinianus junior admonitus a Sixto Papa (ut habet Anastasius in Vita Sixti, Platina, et alii) posuit in ecclesia S. Petri supra tumulum, id est supra altare B. Petri, imaginem auream Salvatoris. Similia habent S. Basilius, orat. *in Barlaam*, circa finem; Nyssenus, orat. *in Theodorum;* Paulinus in Vita Felicis, Lactantius in Carmine ad crucifixum; Evodius, lib. II *De Miraculis S. Stephani;* Athanasius ad Antiochum, *Quæst.* VI. Citat Masius pro se Augustinum et Optatum, sed perperam, ut patet loca ipsa intuenti. Vide Bellarminum, lib. II *De Imagin.*, cap. IX; Masium tamen interpretatur et excusat Serarius in *Josue* VIII, Quæst. XVI. Masii error de imagine non ponenda in altari.

Dico ergo : Vera causa, cur Deus altare sibi fieri voluerit ex terra, vel lapide insecto et impolito, fuit, ut Hebræos ad idola pronos quam longissime ab idolorum sculpturis et picturis, atque a gentium cultu rituque avocaret. Gentes enim ex marmore aut metallis solebant splendida et magnifica construere idolis suis altaria (quale fecit Achaz rex idololatra, IV *Reg.* XVI, 10 et 15), semoto et sublato altari Salomonis; in iisque sculpere vel pingere imagines, aut symbola, aut characteres suorum idolorum. Ab his ergo hac lege Hebræos avocare voluit Deus; hæc enim lex est appendix pertinens ad primum Decalogi præceptum, de non faciendis idolis et sculptilibus; unde et illi immediate subnectitur, ut patet vers. 23 et 24. Ne ergo Hebræi crassi putarent, vel in ipsis sculpturis altaris affabre factis, vel in ipsa materia pretiosa, puta auro vel argento, latere aliquid numinis, idcirco voluit Deus altare fieri rude ex terra, vel ex lapide insecto : hac enim de causa Baruch, cap. VI, tam impense elevat et vilipendit materiam, elegantiam et ornamenta idolorum et altarium, quæ Hebræi captivi visuri erant in Babylone, ne iis abrepti deflecterent ad ea veneranda et colenda. Ita S. Thomas, I II, *Quæst.* CII, art. 4, ad 7, Abulensis, Cajetanus, Lipomanus et alii.

Huic causæ alias probabiles addit Serarius in cap. VIII *Josue*, Quæst. XVI. Deus, inquit, recte voluit altare fieri ex terra, vel ex rudi lapide : *Primo*, ut significaret veteris Testamenti sacrificia et victimas rudes ac informes fuisse, typos nimirum et figuras unici Christi Jesu sacrificii, quod in crucis ara semel cruente factum, incruente quotidie repeti solet. *Secundo*, ut ostenderet quam rudis ac impolita et dura esset ejusdem Christi Domini ara, ipsa inquam crux, ut indicat Procopius. *Tertio*, ut altarium veterum nullum fore perpetuum innueret; sed sicut ex terra et scabris lapidibus facile construerentur, ita et facile destructum iri. *Quarto*, ut subito et ubique, cum voluisset Deus, occasio esset altaris

Huic adde quinque alias. Prima. Secunda. Tertia. Quarta.

(1) Ita Rosenmullerus.

ipsi erigendi, cum minime operosum artificiosumve postularet. *Quinto*, ut se victimas potius quam altaria intueri, magnisque illarum puritate ac sanctitate, quam horum pretio et arte oblectari, monstraret Dominus.

Quinta.

Symbolica causa.

Symbolice, R. Levi Ben Gerson censet in templo et altari tam Mosis, quam Salomonis, vetita esse scalpra ad hoc, ut ex eo homines intelligerent Deum suapte natura perfectum optimumque esse, neque ad sui absolutionem perfectionemque limam, vel externum aliquid accipere, sicuti Dei altare nullo opere, lima vel artificio, sed suapte materia perfectum erat: altare enim Deum ipsum repræsentabat.

Allegorica.

Allegorica causa datur a S. Gregorio, lib. III *Moralium* cap. XX, et Ruperto. Per terram, inquiunt, incarnatio Dominica designatur : quidquid enim offerimus Deo, in altari terreo, id est, in fide Dominicæ incarnationis solidamus. Idem significat altare ex lapide nativo et insecto. Itaque « altare de terra Deo facere, est incarnationem Mediatoris exspectare. In altari ergo de terra allatum munus offerimus, si actus nostros Dominicæ incarnationis fide solidamus, » ait ex S. Gregorio Ansbertus, lib. V *in Apoc.* sub initium.

Tropologica.

Tropologice, Isidorus : Lapides insecti, inquit, sunt fideles in fide, morumque integra et sancta unitate solidati, ac nullo schismate scissi et divisi; de quibus dicit Apostolus : « Vos estis lapides vivi, qui coædificamini in domos spirituales. »

ET OFFERETIS SUPER EO HOLOCAUSTA, ET PACIFICA. — « Pacifica » sunt hostiæ oblatæ pro pace et incolumitate domus aut reipublicæ, de quibus *Levit.* III.

IN OMNI LOCO, IN QUO MEMORIA FUERIT NOMINIS MEI. — Hebraice, *in quo memorari fecero nomen meum* : ipse enim Deus certum sibi locum templi, altaris et sacrificii delegit, ne, si passim ubilibet liceret cuique sacrificare, facile schisma, nova religio, idololatria, aut superstitio inter Hebræos surreperet.

Locus sacrificii erat is, ubi erat arca vel tabernaculum.

Locus ergo altari et sacrificio a Deo deputatus erat is, ubi illo tempore arca vel tabernaculum consistebat; aliquando autem et alibi per Dei dispensationem et instinctum, vel ob gravem aliquam causam erecta sunt a nonnullis Prophetis, vel regibus, altaria ad sacrificandum. Sic enim Samuel sacrificavit in Maspha, I *Reg.* VII, 9, et in Ramata, ibidem vers. 17, et in Bethlehem, I *Reg.* cap. XVI, vers. 5. Sic et Absalon sacrificavit in Hebron, II *Regum* XV, vers. 7 et 12, cum tamen arca tunc non esset in Hebron, Maspha, Ramata, vel Bethlehem, sed in Cariathiarim, I *Reg.* VII, 1; tabernaculum vero esset primo in Silo, deinde in Nobe, II *Reg.* XXI, vers. 4 et 7; destructa vero per Saulem Nobe translatum est tabernaculum in Gabaon; unde a Salomone advectum est ad templum ab eo exstructum, ibique una cum arca repositum, ut dicitur II *Paralip.* 1, 3, 5 et 13, et cap. VI, vers. 11.

VENIAM AD TE, ET BENEDICAM TIBI. — Recte hoc præcedentibus annectemus cum Chaldæo, qui hæc sic interpretatur : *In omni loco, in quo habitare fecero gloriam meam* (puta in tabernaculo, sive templo, arca et altari), *ibi mittam benedictionem meam, et benedicam tibi*, preces scilicet tuas exaudiens, tuisque dubiis et quæstionibus respondens, ac docens quid in hac illave re faciendum sit : loquitur Deus hic non Mosi, sed populo.

25. QUOD SI ALTARE LAPIDEUM FECERIS MIHI, NON ÆDIFICABIS ILLUD DE SECTIS LAPIDIBUS. — Est hic exceptio a vers. 12 : ibi enim jussit Deus altare fieri ex terra, hic vero excipit lapidem insectum, jubetque altare fieri vel ex terra, vel ex lapide insecto et impolito; verum hunc lapidem, vel terram, puta ipsum altare, ære obduci jubet, *Exodi* cap. XXVII, 2: unde et altare, quod fecit Salomon, Scriptura vocat æneum. Vers. 25.

Intus ergo altare vetus plenum erat vel terra, ut vult Abulensis in *Exodi* XXIX, Quæst. VI; Hugo et Richardus, lib. *De Tabernac.* cap. XI; vel (quod verisimilius est) lapidibus insectis; nam I *Machab.* IV, 47, Judas Machabæus reædificans altare ab Antiocho destructum prout fuerat prius, dicitur reposuisse in eo lapides integros secundum legem; lex autem hic insectum jubet accipi lapidem, sive intonsum, ut habent Hebræa, id est impolitum, quem Machabæorum liber vocat integrum. Sic et Sancti, qui præter ordinem alibi altaria Dei instinctu erexerunt, ea fecerunt ex lapide impolito, uti patet de altari Eliæ, III *Reg.* cap. XVIII, vers. 31 et 32, et de altari Manue, *Judicum*, cap. XIII, vers. 19 : unde et idem de reliquis intelligendum est. Ita Ribera, libro II *De Templo*, cap. XX.

SI ENIM LEVAVERIS CULTRUM SUPER EO (super illud), POLLUETUR. — Per *cultrum* intelligit limam, vel aliud quodvis instrumentum aptum ad lapidem scindendum, dolandum, poliendum : cultrum enim Hebræi usurpant pro quolibet instrumento ferreo, ait Vatablus. « Polluetur, » id est contaminabitur ob præceptum, et causam jam dictam vers. 24 (1), ac proinde ad victimas et sacrificia ineptum erit.

26. NON ASCENDES PER GRADUS AD ALTARE MEUM, NE REVELETUR TURPITUDO TUA, — ne scilicet in ascensu verenda tua, inquit Vatablus, vel ipsa etiam subligacula tua linea (hæc enim sola gestabant sacerdotes, eaque usque ad genua tantum protendebantur : pedibus ergo nudis erat sacerdos sacrificans, ut patet *Exodi* XXVIII, 42), o sa- Vers. 26.

(1) Spencerus, *De Legib. Hebræor. ritualib.*, lib. II, cap. VI, sect. 1, hanc satis probabilem dat rationem, quod lapides impoliti, statum suum nativum et integrum retinentes, puritate quadam nativa donati, et altaris sanctitati maxime consentanei viderentur. Lapides vero multo opere cæsi et elaborati *polluti* censebantur, quasi, eo quod a manibus hominum tractati erant, sordidi quid et impuri contraxerint.

cerdos, conspici possint, ut per hoc tum populus, tum sacerdos admoneatur castitatis, et castissimæ reverentiæ, quæ in sacris est adhibenda. Igitur cum sacerdotes communes sub tunica linea extima, de qua cap. XXVIII, vers. 29, tantum induerentur subligaculis lineis, facile in ascensu graduum videri potuissent eorum subligacula, aut etiam iis apertis vel passis, ipsa verenda; hac de causa hosce gradus vetat hic Deus.

Hujus contrarium fiebat in impuris sacris Priapi, ad quæ Judæi valde fuerunt proclives, ut patet III *Reg.* cap. XV, vers. 12 et 13. Unde D. Thomas, I II, *Quæst.* CII, art. 4, ad 6, et ex eo Lyranus, putant hic vetari gradus in altari, ad excludendam idololatriam. Nam in sacris, inquiunt, Priapi sua pudenda Gentiles populo denudabant. Hanc causam fuse prosequitur Vilalpando, lib. IV *De Templo*, cap. LXXIX.

Imo ipse hæc verba : « Non ascendes per gradus ad altare meum, ne reveletur turpitudo tua, » sic explicat, *q. d.* « Non ascendes per gradus, » more Gentilium, « ne, » id est, hoc fine et modo, ut ex altis gradibus altaris reveles et ostendas tuam turpitudinem, puta genitalia, ut faciebant incesti et nefandi Ithyphalli in sacris Priapi, teste Athenæo, lib. XIV, cap. VIII. Verum sic, pro *ne reveletur*, dicendum fuisset, *ne reveles.* Hæc enim duo opposita videntur : hoc enim est affirmativum, illud negativum. Porro hujus fœditatis æque ac Priapi cultus, proximum hoc Mosis tempore erat Hebræis periculum, eaque de causa hac sanctione vetatur et cavetur. Nam transituri erant Hebræi cum Mose per Moabitidem, ubi impense colebatur Beelphegor, id est Priapus, ipsique a Moabitis sollicitandi erant ad ejus cultum. Sic enim legimus *Numer.* XXV, Hebræos a puellis Moab, pellectos ad fornicationem, initiatos fuisse Beelphegor, id est, coluisse Priapum : qua de causa plaga in eos desæviit, quam stitit Phinees occiso principe tribus Simeon, hujus sceleris chorago.

Dices, II *Paralip.* IV, 1, dicitur de Salomone : « Fecit quoque altare æneum decem cubitorum altitudinis : » atqui ad hanc altitudinem ascendenti necessarii erant gradus; ergo Salomon fecit hosce gradus, qui tamen hic vetantur.

Respondet Abulensis et Ribera, lib. II *De Templo*, cap. XX, in fine, in altari Salomonis non fuisse gradus ligneos aut lapideos, sed continuum ascensum de terra, qui paulatim uniformiter tollebatur in altum : itaque non erant ibi aliqui gradus in quorum ascensione posset sacerdotis turpitudo nudari, et videri a populo. Cajetanus vero putat hic non omnes omnino gradus prohiberi in altari, sed multos et altos, per quos scilicet videri possit turpitudo sacerdotis : paucos ergo hic permitti, præsertim si sensim et modice ascendebant; itaque Deus vetando gradus in altari, simul vetuit, ne nimis altum et excelsum facerent altare; debebat tamen altare mediocrem habere altitudinem, ut sacrificia in eo oblata a populo conspici possent.

Verum respondeo hoc præceptum fuisse temporaneum, et durasse tantum tempore tabernaculi Mosaici, quando scilicet Deus cum Hebræis habitabat in tentoriis, id est ante ædificatum a Salomone stabile templum, loco in perpetuum electo. Cum enim Moses cum Hebræis continuo peregrinaturus esset per desertum quadraginta annis usque in Chanaan, ideoque Deo fabricaturus esset, non solidum templum, sed mobile, et quasi castrense tabernaculum; voluit pariter Deus altare esse mobile, ideoque parvum, altum scilicet tres cubitos, ut gradu et ascensu ad illud opus non esset. Salomon vero in summa reipublicæ pace ædificans Deo magnificum templum, sicut illud longe majus et magnificentius ædificavit quam Moses tabernaculum : ita pariter majus et magnificentius ædificavit altare, altum decem cubitos, ad quod proinde gradibus ascendere oportebat. Id ita esse patet *Ezechiel.* XLIII, vers. 17, quo loco de templo Ezechielis, quod adinstar Salomonici expressum est, dicitur : « Gradus ejus (altaris) versi ad Orientem, » ubi licet R. David et R. Salomon respondeant gradus hosce fuisse planos, puta acclivitatem plane et æquabiliter ascendentem ad similitudinem pontis; alii vero dicant gradus hos fuisse extra atrium, fuisseque ipsos gradus atrii, quibus ad illud ascendebatur : tamen alii passim veros et magnificos censent hos fuisse gradus, non atrii, sed altaris magnifici et decem cubitos alti; idque liquet ex textu. Videre est eos egregie expressos in effigie apud Vilalpandum, pag. 388. Sicut ergo templum Salomonis in Cherubinis, porticibus, atriis, columnis, mari æneo, mensis, candelabris et multis aliis : ita et in altari, ejusque gradibus diversum fuit a tabernaculo, et altari Mosaico, eoque longe præstantius, licet adinstar Mosaici, quantum fieri potuit, servata debita fabricæ proportione, templum suum, altare, etc., ædificarit Salomon.

Similia temporalia præcepta dedit Christus primitivæ Ecclesiæ, id est Apostolis, cum eos primum misit Evangelizare per Judæam, scilicet ut irent bini, ut irent ad Judæos, non ad Gentes, nec ad Samaritanos, ut non ferrent virgam, etc., *Matth.* XX, vers. 5 et seq. : quæ Christo mortuo constat eos non servasse, nec servare potuisse, cum missi sunt evangelizare omnibus gentibus per totum orbem (1).

(1) Eadem ratio, ab honestate ducta, eamdem pepererat apud Romanos legem. Cf. Gellium, *Noct. Attic.* lib. X, cap. XV. Servius ad *Æneid.* IV, 646 : « Apud veteres, Flaminicum plus tribus gradibus, nisi Græcas scalas, scandere non licebat, ne ulla pars pedum ejus, crurumve subter conspiceretur; eoque nec pluribus gradibus, sed tribus, ut ascensu duplices nisus non paterentur adtolli vestem, aut nudari crura; nam ideo et scalæ Græcæ dicuntur, quia ita fabricantur, ut omni ex parte compagine tabularum clausæ sint, ne adspectum ad corporis aliquam partem admittant. »

Porro verisimile prorsus est Salomonem ita latos, vicinos et appositos fecisse hos altaris gradus, ut sacerdoti nullum in eis esset cadendi periculum, et si quo casu cecidisset, non tamen revelanda fuisse ejus verenda, nec a populo cerni potuisse, graduum amplitudine eum obtegente, et visum populi excludente. Denique nonnulli hæc loca ita conciliant, ut dicant altare Salomonis præcise sumptum trium tantum fuisse cubitorum altitudinis, uti fuit Mosaicum, ideoque nullos habuisse gradus, quibus ad illud ascenderetur. Dicitur tamen in *Paralipomen.* octo fuisse cubitorum altitudinis, si videlicet altare mensures cum suis substructionibus; quibus quasi basibus incumbebat, et supra quas magnifice eminebat. Quare ad ipsas substructiones per gradus ascendere oportebat, ex substructionibus vero ad ipsum altare præcise sumptum gradibus non erat opus. Sed ut hoc verum sit, hæc responsio non evitat difficultatem causæ. Nam in gradibus substructionis potuissent videri verenda sacerdotis, æque ac in gradibus altaris.

Substructiones altaris.

Hinc altare dicitur ab altitudine, ait Festus, quasi alta ara. Veteres enim diis superis sacra faciebant in ædificiis a terra exaltatis, diis vero terrestribus sacra faciebant in terra, diis denique infernalibus sacra faciebant in effossa terra.

Altare quasi alta ara.

Allegorice, in SS. Trinitate nulli inæqualitatis gradus sunt constituendi, uti fecit Arius, docens Filium esse minorem Patre, ac Macedonius, negans divinitatem Spiritus Sancti : hi ergo per gradus ascenderunt ad altare, id est, ad Deum, ideoque a Deo rejecti et reprobati sunt.

Allegorice.

Tropologice : « In altari cordis tui non facias gradus, id est, non extollaris de tuis profectibus, alioqui revelabitur turpitudo tua, quia superbiam mentis comitatur contumelia carnis, » inquit Rupertus. Solet enim Deus superbiam punire per lapsus carnis et libidinis, ut per eam tam pudendam et probrosam, se suamque infirmitatem agnoscant, et humilientur qui nimis alta de se sapiebant.

Deus superbiam punit per lapsum carnis.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Moses in Sina a Deo accipit præcepta judicialia circa servos et ancillas, circa furta, homicidia, parentum maledicta et rixas; ac, vers. 24 et seq., fert talionis legem tam homini lædenti, quem bovi cornupetæ.

Nota. Sicut capite præcedenti sanxit Deus præcepta moralia, puta Decalogum, ita hoc capite et duobus sequentibus sancit præcepta judicialia; capite vero 25, et quinque sequentibus sancit cæremonialia, puta fabricam tabernaculi, et cætera quæ eo spectant.

1. Hæc sunt judicia quæ propones eis. 2. Si emeris servum Hebræum, sex annis serviet tibi; in septimo egredietur liber gratis. 3. Cum quali veste intraverit, cum tali exeat : si habens uxorem, et uxor egredietur simul. 4. Sin autem dominus dederit illi uxorem, et pepererit filios et filias, mulier et liberi ejus erunt domini sui; ipse vero exibit cum vestitu suo. 5. Quod si dixerit servus : Diligo dominum meum et uxorem ac liberos, non egrediar liber, 6. offeret eum dominus diis, et applicabitur ad ostium et postes, perforabitque aurem ejus subula; et erit ei servus in sæculum. 7. Si quis vendiderit filiam suam in famulam, non egredietur sicut ancillæ exire consueverunt. 8. Si displicuerit oculis domini sui cui tradita fuerat, dimittet eam; populo autem alieno vendendi non habebit potestatem, si spreverit eam. 9. Sin autem filio suo desponderit eam, juxta morem filiarum faciet illi. 10. Quod si alteram ei acceperit, providebit puellæ nuptias, et vestimenta, et pretium pudicitiæ non negabit. 11. Si tria ista non fecerit, egredietur gratis absque pecunia. 12. Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur. 13. Qui autem non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus ejus, constituam tibi locum in quem fugere debeat. 14. Si quis per industriam occiderit proximum suum, et per insidias, ab altari meo evelles eum, ut moriatur. 15. Qui percusserit patrem suum aut matrem, morte moriatur. 16. Qui furatus fuerit hominem, et vendiderit eum, convictus noxæ, morte moriatur. 17. Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur. 18. Si rixati fuerint viri, et percusserit alter proximum suum lapide vel pugno, et ille mortuus non fuerit, sed jacuerit in lectulo : 19. si

surrexerit, et ambulaverit foris super baculum suum, innocens erit qui percusserit, ita tamen ut operas ejus et impensas in medicos restituat. 20. Qui percusserit servum suum, vel ancillam virga, et mortui fuerint in manibus ejus, criminis reus erit. 21. Sin autem uno die vel duobus supervixerit, non subjacebit pœnæ, quia pecunia illius est. 22. Si rixati fuerint viri, et percusserit quis mulierem prægnantem, et abortivum quidem fecerit, sed ipsa vixerit, subjacebit damno, quantum maritus mulieris expetierit, et arbitri judicaverint. 23. Sin autem mors ejus fuerit subsecuta, reddet animam pro anima, 24. oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, 25. adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore. 26. Si percusserit quispiam oculum servi sui aut ancillæ, et luscos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo quem eruit. 27. Dentem quoque si excusserit servo vel ancillæ suæ, similiter dimittet eos liberos. 28. Si bos cornu percusserit virum aut mulierem, et mortui fuerint, lapidibus obruetur, et non comedentur carnes ejus; dominus quoque bovis innocens erit. 29. Quod si bos cornupeta fuerit ab heri et nudius tertius, et contestati sunt dominum ejus, nec recluserit eum, occideritque virum aut mulierem; et bos lapidibus obruetur, et dominum ejus occident. 30. Quod si pretium fuerit ei impositum, dabit pro anima sua quidquid fuerit postulatus. 31. Filium quoque et filiam si cornu percusserit, simili sententiæ subjacebit. 32. Si servum, ancillamque invaserit, triginta siclos argenti domino dabit; bos vero lapidibus opprimetur. 33. Si quis aperuerit cisternam, et foderit, et non operuerit eam, cecideritque bos aut asinus in eam, 34. reddet dominus cisternæ pretium jumentorum : quod autem mortuum est, ipsius erit. 35. Si bos alienus bovem alterius vulneraverit, et ille mortuus fuerit, vendent bovem vivum, et divident pretium; cadaver autem mortui inter se dispertient. 36. Sin autem sciebat quod bos cornupeta esset ab heri et nudius tertius, et non custodivit eum dominus suus; reddet bovem pro bove, et cadaver integrum accipiet.

Vers. 1. Judicialia præcepta quæ? Cæremonialia, quæ?

1. HÆC SUNT JUDICIA QUÆ PROPONES EIS. — « Judicia » vocat præcepta judicialia, quæ Deus hisce tribus capit., puta XXI, XXII, XXIII, præscribit ad populum juste et pacifice gubernandum, atque ad lites inter Hebræos dirimendas; sicut cæremonialia præcepta vocantur ea, quæ populo ad Deum rite colendum per sacrificia, aliosque sacros ritus et cæremonias, a Deo præscripta sunt : in duobus ergo proprie consistit ratio judicialium præceptorum, inquit S. Thomas, l II, *Quæst.* CIV, art. 1, *primo*, ut pertineant ad ordinationem hominum ad invicem; *secundo*, ut non habeant vim obligandi ex sola ratione, sed ex institutione Dei.

Nota, inter hæc judicialia præcepta, quædam etiam moralia, quæ sunt juris naturæ, permisceri, maxime quæ ad judices spectant, quæ idcirco etiam recte « judicia » vocantur : tale est illud cap. XXIII, vers. 1 : « Non suscipies vocem mendacii; » et vers. 2 : « Non sequeris turbam ad faciendum malum; » et vers. 7 : « Mendacium fugies; » et vers. 9 : « Peregrino molestus non eris, » etc.

Denique in fine, puta cap. XXIII, vers. 14, adjungit quædam cæremonialia præcepta, puta de tribus primariis festis celebrandis, de phase, de fermento, de primitiis, etc.

Vers. 2.

2. SI EMERIS SERVUM HEBRÆUM, SEX ANNIS SERVIET TIBI. — « Servum » vocat, non mercenarium, sed mancipium : ille enim conduci, hoc emi et vendi solet, *q. d.* Si emeris Hebræum, ut sit tibi quasi mancipium, hic sex tantum annis tibi serviet, nec ultra servire poterit : nam septimo anno (ita me volente, et dicente hic) liber dimittendus est.

Septimus annus libertatis erat status et communis.

IN SEPTIMO (anno) EGREDIETUR LIBER GRATIS. — Nota, hunc septimum annum non esse numerandum ab emptione servi, sed unum atque eumdem omnibus fuisse annum remissionis, sicut unus et idem dies erat sabbatum omnibus Hebræis; ergo statum fuit septennium libertatis, continuo unum alteri succedens (sicut unus jubilæus continuo succedebat alteri), ita ut septimo quolibet anno hoc recurrente, omnes servi Hebræorum manumittendi essent : quapropter Hebræus, qui primo anno septennii hujus vendebatur in servum, ille sex annos servire debebat; qui vero sexto anno hujus septennii vendebatur, ille sequenti anno, utpote septimo, exibat liber; simile erat in jubilæo, uti dicam *Levit.* cap. XXV. Mysteria septenarii recensebo *Deuteronom.* cap. V, vers. 12 (1).

(1) Quod hic dicitur de servorum remissione in anno jubilæo, certum est. Non item de eorum remissione in anno sabbatico. Imo Maimonides in tract. *De servis*, cap. II, et post eum plures jurisperiti recentiores Hebræorum,

EGREDIETUR LIBER, — ut scias eum non tam servum esse, quam liberum, utpote liberatum a me servitute Ægyptia, meæque servituti addictum. Vide *Levit.* cap. XXV, vers. 39.

Vers. 3. 3. CUM QUALI VESTE INTRAVERIT, CUM TALI EXEAT. — Septuaginta, Chaldæus, Vatablus et recentiores passim vertunt, *si cum corpore,* id est, solus et solutus, *venerit, cum corpore suo,* id est solus, *exeat,* illudque apte opponitur ei quod sequitur: « Si habens uxorem, et uxor egredietur simul. »

Verum S. Hieronymus hebraice peritissimus, rectius et plenius vertit, acutiusque vidit non unum, ut priores volunt, sed duo hic præcipi, scilicet servum non lacerum aut nudum, nec sine uxore dimitti debere, ita ut et uxor cum eo fiat libera, et vestis ipsi exeunti tam honesta detur, quam habuit dum intraret : hoc enim plane decens erat et congruum. Adde in Hebræo non esse גוף *guph,* id est corpus, sed גפת *gaph,* id est *ala,* hoc est vestis, quæ instar alæ corpus tegit; quales metaphoræ Hebræis sunt usitatæ.

Vers. 4. 4. SIN AUTEM DOMINUS (herus) DEDERIT ILLI UXOREM, ET PEPEREREIT FILIOS ET FILIAS, MULIER ET LIBERI EJUS ERUNT DOMINI SUI, IPSE VERO EXIBIT CUM VESTITU SUO, — *q. d.* Uxor manebit serva hero, a qua uxor data fuerat servo : consequenter hero manebunt et proles ejus; partus enim sequitur ventrem, uti habet axioma Juristarum in hac materia. Ita Oleaster, Cajetanus, Lipomanus.

Servus anno septimo exibat liber, et ab hero et ab uxore.

Videtur hic inter servum et servam dissolutum fuisse matrimonium, tum quia servus faciebat divortium ab uxore et prolibus : servus enim exibat liber, serva vero cum prolibus manebat serva domini sui; tum quia subditur : « Quod si dixerit servus, diligo dominum meum, et uxorem ac liberos (nolo ab iis per divortium divelli), non egrediar liber, offeret eum dominus diis » (judicibus), qui scilicet perforent aurem ejus subula, itaque fiat servus in perpetuum.

Hinc patet in lege veteri valde imperfecta fuisse matrimonia, quando conjuges tam facile separabantur, marito exeunte libero, soluto et expedito a cura uxoris et liberorum; uxore vero manente serva ejusdem domini, cui domino proinde tam servæ, quam prolium ejus educatio et cura incumbebat; nec id mirum : tum enim matrimonium non habebat rationem Sacramenti, ob quam maxime jam in lege nova est plane indissolubile, ex sanctione Christi, *Matth.* cap. XIX, vers. 5 et 9.

Vers. 6. 6. DIIS. — Hebr. אלהים *Elohim,* quod Deum qua judicem et gubernatorem omnium, indeque angelos ac judices, qui judiciariam et gubernatoriam hanc Dei potestatem participant, significat. Sic dicitur *Exodi* cap. XXII, vers. 28 : « Diis (judicibus) non detrahes, et principi populi tui non maledices; » et *Psal.* LXXXI, vers. 1, Deus ad judices ait : « Ego dixi, dii estis, et filii Excelsi omnes. » Cogitent hoc judices, sciantque se esse deos, ut homines non timeant, sed unum Deum, cujus vices obeunt, et cujus auctoritate funguntur (1).

APPLICABITUR AD OSTIUM ET POSTES, — scilicet domus heri; ibi enim, non autem in portarum urbis ostio, ubi considere solent judices, id fieri debere, patet *Deuter.* cap. XV, vers. 12. Per hanc applicationem servi ad ostium et postes heri significabatur, servum hunc domui heri quasi jugiter et fixe mancipari, ut nunquam domo illa exire posset sine venia heri : ita Theodoretus. Addunt D. Thomas et Cajetanus, hanc applicationem aurisque perforationem statutam esse servo huic in pœnam et ignominiam neglectæ libertatis, ideoque eum perpetuæ servituti addici.

Servus applicatur ad ostium heri, cur?

PERFORABITQUE (dominus) AUREM EJUS SUBULA, — ut hoc symbolo admoneatur servus perpetuæ obedientiæ, qua heri mandata excipere et exequi debet. Ita Theodoretus. Rursum hoc symbolo admonebatur servus, se multa dura, gravia et molesta heri imperia teneri audire et obire, quæ non secus ac subula terebrarent aures ejus. Idem de ancilla statutum est, *Deut.* cap. XV, vers. 12.

Servo perforantur aures, cur?

ET ERIT EI SERVUS IN SÆCULUM. — « Sæculum » non tantum æternitatem, sed etiam spatium longissimum significat, quod Hebræis erat 50 annorum. « Erit ergo servus in sæculum, » id est, erit servus usque ad annum 50 jubilæi : in jubilæo enim omnes servi Hebræi manumittebantur, ut patet *Levit.* XXV, 40 : ita S. Hieronymus in cap. I *ad Galatas,* ubi addit עלם *olam,* id est sæculum, hic sine *vau* scribi, ut significetur sæculum jubilæi : nam quando cum *vau* scribitur, sæpe significat æternitatem.

Tropologice, servus hic est, qui in activa vita manere vult in hac vita, ut liber fiat in anno septimo, et in jubilæo cœlesti; hujus auris subula perforatur, dum mens illius timoris Dei subtilitate a prædicatore percutitur : qua de re vide plura apud S. Gregorium, homil. 3 *in Ezechiel.*

Tropologice.

Vers. 7. 7. SI QUIS VENDIDERIT FILIAM SUAM IN FAMULAM, — scilicet cum promissione desponsationis, qua herus filiam Hebræam emens in famulam, promisit se eam ducturum in uxorem, saltem secundariam.

(1) Abarbenel observat, judices et magistratus non vocari *Deos,* nisi respectu loci judicii, quod ibi judicia exerceant, uti dicitur *Deut.* XIX, 17; unde colligere est, judicia in loco sacro habita fuisse, ubi Deus peculiare quodam modo præsens existimabatur. Cæterum illa, de qua agitur, aurium perforatio etiam apud alios populos Orientales servitutis signum fuit : conf. Petronium, *Satyr.* cap. LXIII; Juvenalem, *Satyr.* I, 102; Xenophontem, *De Exped. Cyri,* lib. III, cap. I; Plutarchum, *Sympos.* lib. II, cap. I.

intellexerunt septimum annum post initium servitutis, et hoc verisimillimum est. Moses enim nusquam, ubi de hac re loquitur, hunc manumissionis annum *sabbaticum* vocat, sed semper *septimum;* et ubi de anno sabbatico agit, *Lev.* XXV, 1-7, nil dicit de manumissione servorum.

Servarum Hebræarum et Gentilium dispar conditio.

NON EGREDIETUR (1) SICUT ANCILLÆ EXIRE CONSUEVERUNT, — puta, sicut servæ ex Gentilibus, v. g. Moabitis, vel Idumæis natæ; hæ enim semper manebant servæ, nec servitute liberabantur in jubilæo, nisi pretio redimerentur, ut patet *Levit.* XXV, 46; aut certe nisi illi ab hero excussus esset oculus aut dens : tunc enim ob injuriam et læsionem illi illatam libera exibat; hoc enim hic sancit Deus in favorem fidei et gentis Hebræorum, ut ita filiabus Hebræis pauperculis de nuptiis et statu provideret.

Vers. 8. 8. SI DISPLICUERIT OCULIS DOMINI SUI CUI TRADITA FUERAT. — Hebraice est, *qui sibi eam desponderat*. Recentiores prorsus contrarie vertunt, *qui non desponderat eam*, quia hebraice est לא *lo*, per *aleph*, quod est adverbium negandi. Verum familiaris est litterarum *ehevi*, ac consequenter *aleph*, cum *vau*, commutatio, et Massoretæ plura, puta quindecim, Scripturæ loca notarunt, in quibus לא *lo* per *aleph* positum dicunt pro לו *lo* per *vau*, id est *ei*, vel *sibi*; et ex illis hunc locum esse unum consentiunt Chaldæa et Septuaginta, quin et Vatablus, ac doctiores Rabbini. Sensus ergo est, quasi dicat : Si dominus qui emit filiam Hebræam, eam sibi desponderit, sed postea ei displicuerit, tunc dominus dimittere eam debet gratis; vel, ut habent Hebræa et Septuaginta, debet eam redimere, id est servitute eximere, si quidem ea usus sit quasi conjuge; sin autem, redimi faciet eam, id est, vendet vel tradet eam alteri Hebræo, ea tamen lege ut ipse eam ducat : nec enim populo alieno, id est Gentibus, eam vendere poterit, ut sequitur. Ita Abulensis (2).

Vers. 10. 10. QUOD SI ALTERAM EI (filio suo uxorem) ACCEPERIT, PROVIDEBIT PUELLÆ NUPTIAS, ET VESTIMENTA, ET PRETIUM PUDICITIÆ NON NEGABIT, — *q. d.* Si pater præter filiam quam emit filio, tum in famulam, tum in uxorem, aliam insuper filio uxorem dederit, tum providebit ut priori filiæ, scilicet servæ, jus suum constet in conjugio; itaque providebit illi *primo*, nuptias, id est usum matrimonii; sic enim subinde auctores distinguunt nuptias a matrimonio, easque metonymice sumunt pro actu nuptiali vel matrimonii, *q. d.* Providebit pater, ut filius huic suæ uxori servæ non neget jus copulæ conjugalis, sed reddat ei debitum conjugii; patet ex Hebræo. *Secundo*, providebit illi vestes congruas. *Tertio*, providebit pretium pudicitiæ, id est, victum et sustentationem uxori debitam. Unde Hebræa, Chaldæa et Septuaginta clare habent : *Victum, vestitum et concubitum ei non minues*. Jubet enim Deus ut, licet secunda ab hero, filio suo superinducatur uxor, priori tamen suæ vices, suumque jus constet, in hisce tribus conjugii bonis jam dictis; quod si nolit illa tria præstare, tunc gratis dimittet eam, ut sequitur (3).

Vers. 11. 11. SI TRIA ISTA NON FECERIT (non tam herus, quam heri filius), EGREDIETUR (filia Hebræa empta ab eo in famulam) GRATIS ABSQUE PECUNIA. — Conjunctim hæc tria accipe. Itaque si filius alimoniam et vestitum præberet filiæ Hebrææ servæ, negaret tamen eidem tertium, libera dimitti debebat filia quam emerat, idque gratis; similiter, si secundum et tertium præstaret, negaret vero primum, aut dato primo recusaret secundum, pari modo filiam debebat dimittere liberam.

Vers. 12. 12. QUI PERCUSSERIT HOMINEM, VOLENS OCCIDERE, MORTE MORIATUR. — Hebræa plenius habent, *qui percusserit hominem ita ut moriatur, morte plectatur*. Statuitur enim hic pœna talionis et mortis in homicidam voluntarium. Nota : « Percutere » passim in libris Regum, aliisque historicis, accipitur in actu consummato, juxta *Can.* 22, pro percussione lethali, idemque est quod occidere. Nota *secundo*, τὸ *hominem*, scilicet tam Gentilem quam Judæum : falsum enim est quod ait S. Salomon, eum solum qui occidit Judæum, legis hujus et mortis reum esse; nam et qui servum occidebat, reus erat mortis, ut patet vers. 20.

Vers. 13. 13. QUI AUTEM NON EST INSIDIATUS, SED DEUS ILLUM TRADIDIT IN MANUS EJUS, CONSTITUAM TIBI LOCUM IN QUEM FUGERE DEBEAT. — Egit vers. 12 de homicidio voluntario, hic agit de casuali, imo Abulensis putat agi de plane casuali, quod scilicet sine occisoris culpa evenit. Verum hoc non satis consentit antecedentibus et sequentibus.

Dico ergo hic agi de casuali homicidio, in quo tamen aliqua culpa vel negligentiæ, vel imprudentiæ, vel etiam vindictæ intervenit : huic enim dabatur jus asyli. Similem in locis sacris asyli legem et gratiam homicidæ casuali Canones apud Christianos sanxere, uti et vice versa eamdem negarunt homicidæ voluntario, eumque de altari extrahi jusserunt, uti hic jubetur vers. 14, ut patet cap. *Inter alia*, tit. *De immunit. Eccles.*

Nota : Pro *Deus illum tradidit in manus ejus*, hebraice est, *Deus fecit illum occurrere in manus ejus*, quasi in illo qui occidit non cogitante, fecerit Deus impium in manum aut telum ejus incurrere, ut meritas scelerum suorum daret pœnas. Sermo enim est hic de homicidio casu, aut ex occasione improvisa admisso, ubi prius machinata non fuit cædes aut intenta : tunc enim Scriptura more suo cædem quæ contigit, refert in altissimam Dei pro-

(1) Scil. septimo anno. Sed hæc lex postea mitigata fuisse videtur : conf. *Deut.* XV, 12; *Jerem.* XXXIV, 9 seqq. Vid. Michaelis, *Jus Mosaic.* Part. II, § 127.

(2) Per עם נכרי Rosenmullerus intelligit quemlibet alium Israelitam qui non sit de domo emptoris, non ejus propinquus. Nam aliis gentibus ne poterat quidem per legem servus Hebræus vendi, ut notat Josephus, *Antiq.* lib. XVI, cap. I, § 1.

(3) In calidioribus Asiæ regionibus, ubi pubertas mature adesse solet, frequentior hic mos est, ut pater filio puberi concubinam tradat. De Persis id narrat Chardin, Part. II, p. 220, ed. Langles. Moses igitur cavet, ne talis concubina duriter tractetur; sed vult potius, ut ea filiæ loco habeatur (vers. 9), et, si filius aliam uxorem duxerit, is illi victum (שארה, *carnem ejus*), vestitum et congressum maritalem (עונה) non minuat.

videntiam, quæ omnes res humanas ordinat ad justam vel pœnam vel præmium. Unde consequens fit, in ejusmodi casibus justam Dei vindictam, præsertim in lege veteri, excubare solitam, ac procurare ut in noxios et sceleratos casus hic et cædes incideret. Recte ergo hæc cædes tribuitur, non tam occidenti, quam Deo, quia effectus non solet tribui causæ per accidens, sed causæ per se, id est non casui fortunæ, aut casuali agenti, qui hunc effectum, puta cædem non intendit; sed Deo, qui omnes causas, etiam fortuitas, dirigit, quique cædem hanc quasi pœnam intendit, et per casum hunc irrogavit impio. Ita Abulensis (1).

Deus excusabat in casibus hominum dirigendis ad justam vindictam.

Vers. 15. 15. QUI PERCUSSERIT PATREM SUUM, AUT MATREM (etiam non lethaliter, ob atrocem impietatem in parentem), MORTE MORIATUR (2).

Post hanc legem, nonnulli Codices et Interpretes subdunt immediate legem de maledicente parentibus. Verum Hebræa anteponunt legem de plagio; ita et Chaldæa, et Latina Complutensia et Romana. Neque mirum in hisce legibus non tam congruum servari ordinem : id enim in multis fieri videmus, uti patet in Proverbiis, Ecclesiaste, Ecclesiastico : scriptæ enim sunt hæ leges miscellanee, et quasi stylo castrensi.

Vers. 16. Plagii pœna erat mors.

16. QUI FURATUS FUERIT HOMINEM ET VENDIDERIT EUM, CONVICTUS NOXÆ, MORTE MORIATUR. — Hæc est pœna plagii, id est, furti hominis, sive is liber sit, sive servus; præsertim si is sit Hebræus : servi enim, æque ac liberi, cædes morte vindicabatur; ergo et plagium, maxime quia Hebræi tantum ad tempus erant servi : nam vel anno septimo, vel 50 jubilæi fiebant liberi (3).

Vers. 18. 18. LAPIDE VEL PUGNO, — id est quovis telo, vel modo : communiter enim rixantes lapide, quem obvium habent, vel pugno feriunt.

Vers. 19. 19. SI SURREXERIT ET AMBULAVERIT FORIS SUPER BACULUM SUUM, INNOCENS ERIT QUI PERCUSSERIT, — « Innocens, » id est, immunis et liber a talione et pœna mortis, quia hoc indicio, quod percussus post acceptam plagam foris ambulaverit, præsumitur mors ejus non ex percussione, sed aliunde obvenisse.

ITA TAMEN UT OPERAS EJUS ET IMPENSAS IN MEDICOS RESTITUAT. — Hebraice est שבתו *scibto*, id est *sedere ejus*, id est cessationem et operas perditas, puta lucrum laborum quod læsus perdidit, *solvet, et curabit eum sanari*. Hebræum enim *scibto* est infinitivus cum affixo, a radice ישב *iascab*, id est sedit. Pagninus tamen *scibto* vertit *cessationem*, a radice שבת *scabat*, id est cessavit; sed sensus eodem redit : sedere enim est cessare.

Vers. 20. 20. QUI PERCUSSERIT SERVUM, etc., CRIMINIS (homicidii, ac consequenter pœnæ mortis) REUS ERIT.

Vers. 21. 21. SIN AUTEM UNO DIE VEL DUOBUS SUPERVIXERIT, NON SUBJACEBIT POENÆ, QUIA PECUNIA ILLIUS EST, — *q. d.* Quia possidetur ab hero percutiente, tanquam servus pecunia emptus. Misera erat servorum et servarum conditio, præsertim apud duros heros : unde lex percussionis pœnam hic moderatur, ut si herus non tam enormiter percusserit servum, ut certa statim sequatur mors, pœnæ non subjaceat, quia occidit suum mancipium, quod ipse possidet sicut bovem, vel equum. Hinc et modo Jura civilia corpus servi, perinde ut corpus animalis, dicunt esse pretio æstimabile; corpus autem liberum nullam recipere æstimationem, ut patet leg. ult. ff. *De his qui effud. vel dejec.*

Corpus servi pretio est æstimabile, liberi non.

Vers. 22. 22. SI RIXATI FUERINT VIRI, ET PERCUSSERIT QUIS MULIEREM PRÆGNANTEM, — quæ inter rixantes intercedere, vel maritum suum adjuvare voluit:

Vers 23. 23. SIN AUTEM MORS EJUS (mulieris prægnantis) FUERIT SUBSECUTA, REDDET ANIMAM PRO ANIMA (vitam suam pro vita mulieris, quam occidit), OCULUM PRO OCULO, DENTEM PRO DENTE, etc. — Idem erat judicium, si percutiens non occidisset prægnantem, sed illi prolem jam animatam excussisset, itaque eam necasset. Hic enim, utpote infanticida, perinde reus erat mortis atque matricida. Id diserte significant Septuaginta, qui pro Hebræo אסון *ason*,

(1) « *Locum in quem fugere debeat.* Intelliguntur urbes asyli, de quibus *Num.* XXXV, 6. Fugere debebat talis homicida, ne a Goele arriperetur. Notum enim est, homicidia apud Hebræos cognatasque gentes ab eis vindicata esse, qui cæsum proximo cognationis gradu attingebant; id non sola in cæsum pietas, sed et avita consuetudo, ac, qui plurimum valet, honor familiæ postulabat : ita ut summæ quisque sibi ignominiæ duceret, cædem cognati non ulcisci. Idem est in hunc diem mos Arabum earumque gentium, quæ cum religione Arabum eorum consuetudines susceperunt. De Persis id testatur Chardin, *Voyages;* de Arabibus Arvieux, P. III. Cf. Mohammedis Coranum, *Sur.* XVI, 35. Similiter Moses, quum hanc consuetudinem, ut multas alias, ob ruditatem sive cordis duritiem populi Israelitici abrogare non ausus sit, cavebat, ne jus illud Goelis humanitatis et æquitatis fines non excederet. Licebat enim Goeli ex consuetudine gentium Orientalium homicidam vel indicta causa nec salutatis judicibus trucidare, si illum obvium sibi haberet; nec pœna Goeli statuta erat, si homicidam fortuitum atque etiam sententiis populi absolutum extra asylum interfecisset. Hac autem lege, qua asyla Moses constituebat, in quibus ab impetu Goelis tutus esse posset homicida, donec de eo populus judicasset, multa prohibebantur injuriæ : si enim ille populi sententia homicidium fortuitum commisisse censebatur, usque ad mortem summi sacerdotis ei in asylo suo manendum erat, nec ante licebat ad agros laresque suos revertere. Id quod tamen etiam pœna fuit : nec enim prorsus impunitum ferre debebat, si quis casu hominem interemisset. » Hæc Rosenmullerus ad h. l.

(2) Ut melius hic versus intelligatur, adhibenda est ipsa Mosis explicatio, quæ extat *Deut.* XXI, 18 seqq.

(3) Palæstina, primaria illis temporibus mercaturæ sedes, magis plagio favebat, quam ulla alia terra, et nemo tutus fuisset, nisi Moses tam grave supplicium in illud constituisset; mulcta enim vix absterruisset ab hoc facinore. Plagium autem jam illis temporibus non insolitum fuisse, apparet ex Josephi historia, quem ipsi fratres vendiderunt. Athenis fuit similis lex : conf. Xenophontem in *Memorab. Socrat.* lib. I, cap. II, § 62. Item in jure Romano, *Digest.* lib. XLVIII, leg. 1.

quod noster *mortem* vertit, videntur legisse אישון *iṣchon*, id est virunculus (uti flandrice puerum vocamus *manneken*); vertunt enim, ἐὰν ἐξεικονισμένον ᾖ, scilicet τὸ παιδίον, id est, *si effigiatus* vel *efformatus sit puer*, quasi dicant : Si proles perfecta habeat membra, ita ut sit plene effigiatus, et quasi parvus quidam vir, sive virunculus, tunc qui illam matri prægnanti sua percussione excutit, animam dabit pro anima, id est vitam suam, cujus anima est causa, dabit pro vita prolis, ut, sicut eam excussit et occidit, ita occidatur et ipse. Ex hisce verbis Septuaginta patet fœtum, simul atque formatus est, animari; ideo enim censetur et punitur hic ut homicida, qui eum excusserit : idem docent Medici.

Tropologiam de doctoribus rixosis, qui per suas quæstiones et lites Ecclesiam et fideles lædunt et scandalizant, vide apud Origenem et Ambrosium in cap. XXII *Lucæ*.

Lex talionis est justa. Ex hac lege a pari, deinceps generalem in cæteris omnibus infert Deus talionis legem, dicens : «Oculum pro oculo,» etc., *q. d.* Si quis alteri oculum effoderit, exoculetur et ipse; qui dentem excusserit, dentem perdat; qui manum, etc. Quæ lex, ait S. Augustinus, lib. XII *Contra Faustum*, cap. XXV : « Vindictæ et furoris non fomes, sed limes est justus; » nam, ut ait Tertullianus, lib. II *Contra Marcionem*, cap. XVIII : « Licentia retributionis prohibitio erat provocationis;» justum enim pronuntiat Rhadamantus apud Aristotelem, lib. V *Ethicor.* : « Si quæ quis fecit injuste, eadem et patiatur, » si videlicet personæ sint ejusdem sortis, et æqualis conditionis : nam alioqui si rex rusticum percutiat, non potest juste ab eo repercuti. Unde et hac lege proxime, vers. 26, excipitur percutiens servum. Sic inter leges duodecim tabularum erat et hæc : « Si membrum rupit, ni cum eo pacit, talio esto.» Vide Gellium, lib. XX.

Vers. 26. 26. ET LUSCOS EOS FECERIT, — scilicet eruto altero oculo coclites, vel unoculos fecerit. Unde Septuaginta vertunt, ἐκτυφλώσῃ, id est *excæcarit*. Idem significant Hebræa. Quare aliter hic capitur luscus, quam capiatur vulgo, et in vulgari hoc carmine :

> Luscus in obliquum, sed strabo cernit in altum,
> Orbe carent orbi, privantur lumine cæci.

Vers. 28. 28. SI BOS CORNU PERCUSSERIT VIRUM AUT MULIEREM, ET MORTUI FUERINT, LAPIDIBUS OBRUETUR, — non ob bovis culpam (hæc enim esse non potest in bruto), sed ad terrorem et exemplum hominum, ut eo scilicet homines magis ab homicidio absterreantur. Unde etiamnum hodie porci aliæque bestiæ, si pueros hominesve occidant, suspenduntur aut necantur. Similem legem statuit Deus, *Gen.* IX, 5. Eadem de causa vetuit Deus hoc versu, ne carnibus bovis homicidæ vescerentur, ne videlicet animali cæde hominis polluto aut fœdarentur, aut feritatem ejus esu induerent. Porro, quod de bove hic et in seqq. dicitur et sancitur, idem de ariete cornupeta, equo calcitroso, omnique bestia, quæ hominem occidisset, intellige; hic enim valet argumentum a pari et proportione.

Vers. 29. 29. AB HERI ET NUDIUS TERTIUS, — a præcedenti tempore; est synecdoche. Ita S. Augustinus, *Locut* 95.

CONTESTATI SUNT — bovem esse cornupetam, *q. d.* Edixerunt bovem esse cornupetam, itaque periculi herum admonuerunt, ut bovem hunc recluderet, ne is aliquem feriret. Romani, teste Plutarcho in *Quæst. Roman.*, ad cornua boum cornupetarum fœnum alligabant, quo obvii monebantur ut sibi ab eo caverent; idque quia ob satietatem luxuriant, petulantesque sunt boves et equi; unde proverbium : « Fœnum habet in cornu : Cornu ferit ille, caveto, quod dicitur de homine parato ad ulciscendum, et oppugnatu difficili, qualis fuit M. Crassus, antequam Cæsar ei se opponeret.

NEC RECLUSERIT. — Hebraice, *nec custodierit* (1).

Vers. 30. 30. QUOD SI PRETIUM FUERIT EI IMPOSITUM — a judice, qui causa cognita ob levem ejus negligentiam vel culpam, illi non capitis, sed pecuniæ mulctam imponat, maxime quia parentes et cognati talem mulctam desiderant, tunc herus hic bovis homicidæ dabit et solvet hanc mulctam, sibi a judice impositam (2).

Vers. 33. 33. SI QUIS APERUERIT CISTERNAM ET FODERIT. — Hebraice est *aut foderit* : perinde enim reus est, qui fossam tectam retegit et aperit, atque qui recenter eam fodit, si eam rursus non operiat. Hæc uti et aliæ leges hujus capitis et sequentis transcriptæ sunt in jus Canonicum, ut patet lib. V *Decret.* tit. 36 *De injuriis et damno dato*; sunt enim consentaneæ juri et æquitati naturali.

Vers. 35. 35. SI BOS ALIENUS BOVEM ALTERIUS VULNERAVERIT, ET ILLE MORTUUS FUERIT, VENDENT BOVEM VIVUM, ET DIVIDENT PRETIUM; CADAVER AUTEM MORTUI INTER SE DISPERTIENT. — Nota : Hæc lex loquitur tantum de eo casu, quo bos bovem occidisset, non autem de eo, quo bos ovem aut vitulum occidisset; tunc enim non erat æquum bovem dividi pro ove aut vitulo, qui minoris est pretii, quam bos; unde tunc judices mulctam decernebant pro rata damni illati. Quod hic de bove dicitur, idem a pari de ariete, equo et de quovis animali intellige.

Tropologiam vide apud Rabanum, qui hæc omnia de discipulo malo ejusque magistro, vel negligente vel insonte interpretatur.

(1) Extat similis lex in *Legibus Salicis*, tit. IV *De Damnis animalium* : « Qui bovem aut taurum aut alium quadrupedem nocentem aut perniciosam habuerit, antequam noceat, jubetur occidere; et si, post denunciatum vitium a vicinis, non occiderit, et illud animal aliquem vulneret, vel occidat, tenetur damnum componere ut de homicidio. »

(2) Vers. 31. Per *filium quoque et filiam* intelligendi sunt *juniores* (gall. *un garçon et une fille*), ne quis suspicaretur, legem de grandiusculis duntaxat loqui.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit sancire leges judiciales de furto, vers. 1; *de deposito, vers.* 7; *de commodato, vers.* 14; *de fornicatione, vers.* 15; *de maleficiis, vers.* 18; *de charitate erga peregrinos, viduas et pupillos, vers.* 21; *de usura et pignore, vers.* 25; *de decimis et primitiis, vers.* 29.

1. Si quis furatus fuerit bovem, aut ovem, et occiderit vel vendiderit, quinque boves pro uno bove restituet, et quatuor oves pro una ove. 2. Si effringens fur domum sive suffodiens fuerit inventus, et accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis. 3. Quod si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, et ipse morietur. Si non habuerit quod pro furto reddat, ipse venundabitur. 4. Si inventum fuerit apud eum quod furatus est, vivens, sive bos, sive asinus, sive ovis : duplum restituet. 5. Si læserit quispiam agrum vel vineam, et dimiserit jumentum suum ut depascatur aliena, quidquid optimum habuerit in agro suo, vel in vinea, pro damni æstimatione restituet. 6. Si egressus ignis invenerit spinas, et comprehenderit acervos frugum, sive stantes segetes in agris, reddet damnum qui ignem succenderit. 7. Si quis commendaverit amico pecuniam, aut vas in custodiam, et ab eo, qui susceperat, furto ablata fuerint, si invenitur fur, duplum reddet : 8. si latet fur, dominus domus applicabitur ad deos, et jurabit quod non extenderit manum in rem proximi sui, 9. ad perpetrandam fraudem, tam in bove, quam in asino, et ove ac vestimento, et quidquid damnum inferre potest : ad deos utriusque causa perveniet; et si illi judicaverint, duplum restituet proximo suo. 10. Si quis commendaverit proximo suo asinum, bovem, ovem, et omne jumentum ad custodiam, et mortuum fuerit, aut debilitatum vel captum ab hostibus, nullusque hoc viderit : 11. jusjurandum erit in medio, quod non extenderit manum ad rem proximi sui; suscipietque dominus juramentum, et ille reddere non cogetur. 12. Quod si furto ablatum fuerit, restituet damnum domino. 13. Si comestum a bestia, deferat ad eum quod occisum est, et non restituet. 14. Qui a proximo suo quidquam horum mutuo postulaverit, et debilitatum aut mortuum fuerit domino non præsente, reddere compelletur. 15. Quod si impræsentiarum dominus fuerit, non restituet, maxime si conductum venerat pro mercede operis sui. 16. Si seduxerit quis virginem necdum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, et habebit eam uxorem. 17. Si pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt. 18. Maleficos non patieris vivere. 19. Qui coierit cum jumento, morte moriatur. 20. Qui immolat diis, occidetur, præterquam Domino soli. 21. Advenam non contristabis, neque affliges eum : advenæ enim et ipsi fuistis in terra Ægypti. 22. Viduæ et pupillo non nocebitis. 23. Si læseritis eos, vociferabuntur ad me, et ego audiam clamorem eorum; 24. et indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, et erunt uxores vestræ viduæ, et filii vestri pupilli. 25. Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes. 26. Si pignus a proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum reddes ei. 27. Ipsum enim est solum, quo operitur, indumentum carnis ejus, nec habet aliud in quo dormiat : si clamaverit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum. 28. Diis non detrahes, et principi populi tui non maledices. 29. Decimas tuas et primitias tuas non tardabis reddere : primogenitum filiorum tuorum dabis mihi. 30. De bobus quoque, et ovibus

similiter facies : septem diebus sit cum matre sua, die octava reddes illum mihi. 31. Viri sancti eritis mihi : carnem, quæ a bestiis fuerit prægustata, non comedetis, sed projicietis canibus.

Vers. 1. 1. SI QUIS FURATUS FUERIT BOVEM AUT OVEM, ET OCCIDERIT VEL VENDIDERIT, QUINQUE BOVES PRO UNO BOVE RESTITUET, ET QUATUOR OVES PRO UNA OVE. — Quæres : Cur fur bovis quinque boves, fur autem ovis non quinque, sed quatuor tantum oves restituere jubetur? Respondet Theodoretus, quia majus furtum majori pœna et mulcta plectendum est; majus autem est furtum bovis quam ovis, quia bos majoris est pretii, quam sit ovis. Cui adde, furem bovis juste adigi ad quintum bovem reddendum, ut per illum sarciat damnum, quod bovis dominus ob ejus furtum passus est in agricultura; ad hanc enim non servit ovis, sicuti servit bos et equus. Huc allusit Strabo in *Glossa*, et ex eo S. Thomas, I II, *Quæst.* CV, art. 2, ad 9: Jubet Deus, inquit, ut fur quinque boves pro uno reddat, quia bos quinque habet utilitates: nam *primo*, immolatur; *secundo*, pascit sua carne; *tertio*, arat; *quarto*, dat lac; *quinto*, dat corium. Ovis vero quatuor tantum affert commoda: nam *primo*, immolatur; *secundo*, pascit sua carne; *tertio*, dat lac; *quarto*, dat lanam. Hæc congruentia est, non causa.

Fur bovis quinque restituat, ovis quatuor, cur?

Bovis quinque commoda, ovis quatuor.

Mystice, bos doctorem plebis, ovis auditorem et discipulum significat : hinc qui aufert aut pervertit doctorem, gravius plectitur, quam qui auditorem. Vide Rabanum.

Vers. 3. 3. QUOD SI ORTO SOLE HOC FECERIT (furem occiderit), HOMICIDIUM PERPETRAVIT, ET IPSE MORIETUR. — Nota : Hic sancit Deus ut is, qui diurnum furem occidit, reus sit mortis; qui vero nocturnum occidit, minime : hunc ergo licebat occidere, non illum. Ratio disparitatis est, quia nocturni furis incerta est vis et intentio; nescitur enim an ad furandum tantum, an vero etiam ad occidendum veniat. Rursum, quia noctu fur agnosci non potest, ut dominus rem suam ab eo ablatam judicio repetere possit. *Tertio*, quia fur nocturnus non potest tam secure repelli aut apprehendi, quam diurnus; de die enim paterfamilias auxilia domestica et vicinorum ad manum habet, eaque statim advocare potest. Eadem distinctio furis diurni et nocturni, quoad ejus occisionem, habetur in jure canonico, Extrav. *de Homicidiis*, cap. *Si perfodiens*, ex S. Augustino, quæ ex hac Dei sanctione derivata est.

Diurnum furem occidere non licet, nocturnum licet, cur?

Intellige hæc, si fur tantum agat furem; si enim ulterius gladio aut armis furtum tueretur, æque occidi poterat diurnus fur ac nocturnus. Ita Augustinus, *Quæst.* LXXXIV, quod etiam sanxit lex civilis, uti videre est leg. *Furem*, ff. ad legem Corneliam, *De sicariis*.

ET IPSE MORIETUR, — scilicet qui furem diurnum occidit; hebraice est, *sanguines ei reddendo reddet*, *q. d.* Sanguinem suum dabit pro fuso a se sanguine furis; cæso enim (ob injuriam per cædem illi factam) quodam modo sanguis cæsoris debetur. Chaldæus hæc ad furem refert, vertitque, *solvens solvet fur*, id est furtum suum restituet. Verum melius Noster et Septuaginta hæc referunt non ad furem, sed ad furis percussorem.

SI NON HABUERIT (scilicet fur) QUOD PRO FURTO REDDAT, IPSE VENUNDABITUR. — Hebræi enim suppositum (quale hic est τὸ *fur*) sæpe subticent, et ex antedictis quasi notum intelligendum relinquunt.

Vers. 4. 4. SI INVENTUM FUERIT APUD EUM QUOD FURATUS EST, VIVENS, SIVE BOS, SIVE ASINUS, SIVE OVIS, DUPLUM RESTITUET. — Nota τὸ *vivens* et *apud eum*. Nam, si bovem vel ovem occidisset aut vendidisset, pro uno bove non duos, sed quinque, pro una ove quatuor restituere debebat, uti dictum est, vers. 1. Sin autem vivens animal apud furem reperiebatur, tunc fur pro uno duo tantum restituere debebat. Ratio disparitatis erat, quia in priori casu major erat culpa et injuria, tum quia in eo fur animal non tantum furatus erat, sed et illud occiderat aut vendiderat; tum quia nulla apud eum erat restitutionis spes : quorum utrumque secus erat apud furem, qui animal furto ablatum vivens adhuc detinebat; facile enim multisque modis illud domino restitui, et ad eum redire poterat. Jam vero apud Christianos, utpote quibus majus est crimen furari, ad coercendam furandi licentiam, atque ad necessariam reipublicæ pacem, fures, etiamsi rem furatam viventem aut integram servent, juste suspendio plectuntur.

Alexandri Imp. in fures severitas.

Alexander Severus imperator adeo vindex furti fuit, ut, si quem talium videret, paratum haberet digitum, quo ei oculum erueret : imo, quemdam ex honoratis in furto deprehensum mox ex lege crucifigi jusserit. Idem per præconem edixit : « Nemo salutet principem, qui se furem esse noscit. » Idem furti suspicione infames nec intueri sustinebat : adeo ut, cum Septimus Arabinus, qui famosus crimine furtorum sub Heliogabalo fuerat liberatus, inter senatores principem salutatum venisset, exclamarit : « O numina, o Jupiter, o dii immortales! Arabinus non solum vivit, sed etiam in senatum venit. Fortassis de me sperat? tam fatuum, tam stultum me esse judicat? » testis est Lampridius in ejus Vita. Diogenes apud Laertium, lib. VI, videns duci furem qui phialam ex ærario sustulerat, dixit : « Magni fures parvum ducunt. » Utinam hoc non possit vere dici in magistratus aliquos Christianos, a quibus interdum ad laqueum adigitur, qui decem drachmas sustulit, ipsi impune magnis furtis, vel peculatu potius ditescunt!

Nota quod dicitur, « sive bos, sive ovis : » sub his enim a paritate rationis omnia pecora et pecudes, omniaque animalia, tam magna quam parva, intelligenda sunt, inquit Cajetanus.

Vers. 5. 5. SI LÆSERIT QUISPIAM AGRUM VEL VINEAM, ET DIMISERIT (id est, ita ut dimiserit, sive dimittendo, ut patet ex Hebræo) JUMENTUM SUUM, UT DEPASCATUR ALIENA, QUIDQUID OPTIMUM HABUERIT IN AGRO SUO, AUT VINEA, RESTITUET.

Vers. 6. 6. SI EGRESSUS (proserpendo) IGNIS INVENERIT SPINAS, ET COMPREHENDERIT ACERVOS FRUGUM, SIVE STANTES SEGETES IN AGRIS, REDDET DAMNUM QUI IGNEM SUCCENDERIT. — Nota τὸ *spinas*. Ita enim legendum est, non *spicas*, ut patet ex Hebræo, Chaldæo, Septuaginta et Romano. Jubet enim hæc lex, ut, si quis negligentia sua igni a se excitato male advigilarit, nec caverit ne proserperet, itaque factum sit ut ignis spinas quæ segetem sepiebant, atque exinde ipsam segetem corripuerit, teneatur de damno; par judicium erat, si ignis corripuisset linum, aut cannabem, vel arbores, etc.

Vers. 8. Lex depositi. 8. SI LATET FUR (qui furatus est commendatum, id est depositum), DOMINUS DOMUS (in qua depositum fuit furto sublatum) APPLICABITUR AD DEOS (ad judices), ET JURABIT, QUOD NON EXTENDERIT MANUM IN REM PROXIMI SUI, — *q. d.* Si fur aliquis depositum surripuerit, depositarius apud quem res deposita, et cui commendata erat, vocatus in jus veniet ad judices, et juramento purgabit se, probabitque suam a furto innocentiam.

Vers. 9. 9. ET QUIDQUID DAMNUM INFERRE POTEST. — Hebr. est, *super omni re perdita quam dixerit, quia ipsa est,* scilicet quam ego per depositarium perdidi, quasi dicat : Super omni culpa quam depositario imponit.

AD DEOS (id est judices) UTRIUSQUE (tam deponentis qui rem suam perdidit, quam depositarii apud quem fuit res furto sublata) CAUSA PERVENIET, ET SI ILLI JUDICAVERINT, DUPLUM RESTITUET PROXIMO SUO. — Hebr. est, *is quem judices damnaverint, duplum restituet proximo suo,* quod Cajetanus et alii nonnulli intelligunt de alterutro, quasi dicat : Alteruter, puta vel depositarius qui est reus, vel deponens qui est accusator, si condemnetur, debet luere duplum : depositarius quidem, quia maligne et fraudulenter rem depositam custodivit, imo eam vel furatus est, vel cum fure divisit; deponens vero (si is condemnetur), quia calumniam furti et infidelitatis falso irrogavit depositario, cum is esset innocens.

Verum noster Interpres melius de solo depositario, qui reus agitur, hunc locum explicat, *q. d.* Depositarius qui a judicibus fuerit furti, vel collusionis cum fure condemnatus, solvet duplum ejus quod sua culpa perditum, et furto sublatum est. Agitur enim hic de depositario qui reus est : ejus enim est restituere rem depositam, uti hic dicitur; de deponente vero hic non agitur : illi enim si accusator sit, falsoque depositarium calumnietur, eamdem ex lege talionis subeundam esse pœnam, non hic, sed *Deut.* cap. XIX, vers. 19, sancitur.

Vers. 10. 10. NULLUSQUE HOC VIDERIT, — qui cavere posset, nullus etiam qui testis esse posset, *q. d.* Si testibus suam innocentiam probare non possit, purget se juramento, finisque controversiæ sit juramentum per sanctissimum Dei nomen; hebraice enim additur nomen Dei tetragrammaton.

Vers. 11. 11. SUSCIPIETQUE DOMINUS (herus vel possessor, ut habent Hebræa, ovis, vel animalis perditi) JURAMENTUM.

Vers. 12. 12. QUOD SI FURTO ABLATUM FUERIT, RESTITUET DAMNUM DOMINO. — Si nimirum ejus, puta depositarii, culpa aut negligentia, res furto ablata sit. Unde hebr. additur, *si de cum ipso,* id est, si ipso sciente vel vidente, vel cum ipse facile scire aut videre et cavere posset (sic enim accipitur τὸ *cum ipso,* vers. 15, uti omnes ibidem vertunt et explicant), res furto ablata sit, tunc rem furto sublatam restituere tenebitur : opponitur hic versus præcedenti, in quo addebatur, « nullusque hoc viderit : » loquebatur enim de eo, cui sine culpa res ablata erat; is enim erat insons.

Triplex depositi casus et lex. Triplex ergo hic circa depositum est casus, et lex. *Primo,* si depositarius per fraudem rem depositam interverterit, reddet duplum, uti decernitur vers. 9. *Secundo,* si non admiserit fraudem, sed per ejus negligentiam res deposita sublata sit furto, reddet simplum, puta rem ipsam, aut pretium rei restituet, uti decernitur hoc vers. 12. *Tertio,* si sine ejus scitu et negligentia, res secreto furtim sublata sit, censebitur innocens, nihilque restituet, uti decernitur vers. 10 et 11.

Vers. 13. 13. SI COMESTUM A BESTIA, DEFERAT AD EUM QUOD OCCISUM EST, ET NON RESTITUET. — Hebraice hæc est sententia : « Si rapiendo raptum, aut rapiendo laniatum sit, adducet ipsissimum testem, videlicet id quod laniatum est, et non restituet. » Ita Chaldæa, et consentiunt Septuaginta. Unde Noster brevissime et optime vertit.

Vers. 15. Lex commodati. 15. QUOD SI IMPRÆSENTIARUM DOMINUS FUERIT, NON RESTITUET, — quia domino animalis præsente, minuitur cura et vigilantia commodatarii (de eo enim hic est sermo) qui animal mutuo, id est, ut juridice et distincte loquar, commodato accepit ad usum, quia dominus præsens suæ rei curam habere debet : si ergo ipse perire eam sinat, id ei imputetur. Quod si ipse omni sua cura et conatu non possit rem servare, sed ipsa casu pereat, hujusce casus ipse sit testis, videatque commodatarium esse innocentem. Sin denique commodatarii culpa, quam ipse impedire non valeat, res pereat, judices dijudicent an, et quantum restituere teneatur; hoc enim æquitas et justitia postulant.

Lex conducti. MAXIME SI CONDUCTUM VENERAT PRO MERCEDE OPERIS SUI. — Hebr. est, *si mercenarium,* id est *conductum fuerit, veniens pro mercede sua,* id est, si commodatarius, vel potius conductor non gratis acceperit animal, sed ejus usum mercede con-

duxerit, et moriatur animal præsente domino, ad nihil tenebitur. Sin gratis erat animal commodatum in favorem commodatarii, fieri poterat ut is teneretur ad restitutionem; levior enim culpa obligasset commodatarium, saltem ad partem aliquam rei pereuntis præstandam, quæ non obligasset conductorem, qui non suo solius, sed alterius etiam, puta locantis, commodo contractum talem iniit, quemadmodum et jam leges civiles graviorem in conductore, quam in commodatario culpam requirunt, ut is ad restitutionem teneatur; in illo enim levem, in hoc tantum levissimam culpam requirunt. Quanquam jus hoc nostrum veteri illi non respondeat per omnia; sunt enim hic multa mere positiva illius temporis, ut quod hic passim ingeritur de præsentia domini, cum res perit; illa enim nunc est impertinens, nec quidquam juvat commodatarium aut conductorem.

Tropologiam superiori similem vide apud Rabanum.

Vers. 17. 17. REDDET PECUNIAM JUXTA MODUM DOTIS, QUAM VIRGINES ACCIPERE CONSUEVERUNT, — *q. d.* Dabit virgini quam vitiavit, tantam dotem, quantam ipsa a patre juxta suam conditionem accepisset; ditioribus enim major dos erat assignanda, quam pauperibus.

Dices : *Deut.* cap. XXII, vers. 29, qui vitiavit virginem ad 50 siclos, id est, florenos, præcise damnatur; ergo æqualis omnibus dos erat danda.

Respondeo : *Deuteron.* de alio casu loquitur, nimirum si injuria et vis illata esset puellæ, ac per consequens patri ejus; tunc enim ob injuriam parenti illatam, 50 siclos non puellæ, sed parenti pendere debebat stuprator, atque insuper tenebatur vitiatam ducere, eamque retinere sine ulla repudii spe, uti ibi dicitur. Ita Abulensis. Ibi ergo de stupro et vi, hic de simplici fornicatione agitur.

Vers. 18. Lex de maleficis. 18. MALEFICOS NON PATIERIS VIVERE. — Hebr. *maleficam non vivificabis*, id est vivere non sines, vel in vita non conservabis, sed vitam ei adimes; sexus enim femineus magis maleficiis sive veneficiis est obnoxius, quam virilis; a pari tamen per maleficam intellige et maleficum (1).

Vers. 25. Usura hebraice vocatur *morsus*. Cur? 25. SI PECUNIAM MUTUAM DEDERIS POPULO MEO PAUPERI QUI HABITAT TECUM, NON URGEBIS EUM QUASI EXACTOR, NEC USURIS OPPRIMES, — Hebr. *non eris ei ut exactor*, vel *fœnerator, et non pones super eum morsum*, id est usuram: Hebræi enim usuram vocant נשך *nesech*, id est *morsum*, quia usura magis quam canis mordet et rodit pauperes.

Vers. 26. 26. SI PIGNUS A PROXIMO TUO ACCEPERIS VESTIMENTUM, ANTE SOLIS OCCASUM REDDES EI. — Pro *vestimentum* hebr. est *operimentum*; maxime enim videtur loqui lex de cooperculis nocturnis, sive vestes eæ sint, sive stragula (2). Est hæc lex non justitiæ, sed charitatis et misericordiæ, jubetque ut creditores pauperum debitorum misereantur, et vesperi pignus ab eis acceptum reddant, ut eo noctu uti, seque cooperire possint, mane, si libeat, illud pro pignore relaturi. Ita Cajetanus. Lex pignoris.

Tropologice S. Gregorius lib. XVI *Moral.* cap. II : Pignus, ait, ante solis occasum reddere jubemur, quia priusquam in nobis per dolorem cordis sol justitiæ occidat, debemus ei confessionem veniæ reddere, a quo confessionem accepimus culpæ. Tropologice.

Vers. 28. 28. DIIS NON DETRAHES. — Hebr. *Elohim*, id est judices, *non vilipendes*, aut viles tuis verbis reddes. Ita Chaldæus. Ita *Eccle.* cap. X, vers. 20 : « In cogitatione, ait, tua regi ne detrahas, et in secreto cubiculi tui ne maledixeris diviti, » quia magnatibus nihil est occultum, « quia, inquit, et aves cœli portabunt vocem tuam, et qui habet pennas annuntiabit sententiam, » *q. d.* Fama perferet tua maledicta ad ejus aures; facile enim hæc emanant. Nam, ut ait Juvenalis, *Satyra* 9,

> Secretum divitis ullum
> Esse putas? Servi ut taceant jumenta loquentur,
> Et canis, et postes, et marmora.

« Multæ, inquit Xenophon, lib. VIII *Pædiæ Cyri*, principis sunt aures, multi oculi; et ubique dicere metuunt ea quæ principi non expediunt, quasi ipse audiret; et metuunt facere ei non conducentia, quasi ipse adesset. »

Et Vegetius, lib. II, cap. 5 : « Imperatori, ait, cum Augusti nomen accipit, tanquam præsenti et corporali Deo fidelis est præstanda devotio, et impendendus pervigil famulatus; Deo enim vel privatus, vel militans servit, cum fideliter eum diligit, qui Deo regnat auctore. »

Vers. 29. 29. DECIMAS TUAS ET PRIMITIAS TUAS NON TARDABIS REDDERE. — Clare expressit Interpres, quod hebr. generatim et confuse dicitur, *ne tardes offerre plenitudinem tuam et lacrymam tuam*, id est, spicas tuas plenas, et vinum tuum, omneque liquidum, quod pressum lacrymam, id est liquorem distillat; hoc est, ut Chaldæus, Septuaginta et Noster vertunt, *offeres decimas et primitias tuas*; non enim jubet Deus offerri omnes fruges, sed tantum earum decimas et primitias, uti alibi textus Hebræus exprimit; idque hac de causa, ait Philo, lib. *De Sacerdotum honoribus*, ut, dum Hebræi assuescunt semper alimenti sui partem Deo decidere, nunquam in ejus oblivionem Primitiæ dandæ Deo, cur?

(1) Vers. 21. Nemini supervacanea videbitur hæc lex, qui cogitat, quam contempti apud multos populos antiquos peregrini fuerint, ut apud Ægyptios, qui exterum quemquam ut communi secum mensa cibos sumeret, prorsus indignum ducebant.

(2) שַׂלְמָה et vers. seq. שִׂלְמָה sunt synonyma. Utroque nomine vestis significatur superior, etiamnum in Oriente usitatus, cui corpus involvunt, quo pauperis imprimis noctu utuntur pro tegumento. Cotovicus in *Itinerar. Hierosolymit. et Syr.* p. 488, vestes Arabum describens hæc habet : « Tunicis aliam superinduunt vestem laxiorem longioremque, ad arcendas pluvias, gelu, cæteraque aeris incommoda aptissimam, qua et noctu in Chanis straguli loco utuntur. »

veniant, sed recordentur hæc sibi a Deo donata esse, utque hoc testentur, dent, imo reddant Deo frugum ejus decimas et primitias.

Vers. 30. 30. SEPTEM DIEBUS SIT CUM MATRE SUA : DIE OCTAVA REDDES ILLUM MIHI. — Jubet hic Deus primogenita boum et ovium sibi offerri, octavo die a nativitate eorum, non ante; quia ante octavam diem fœtus nimis est tener, et quasi immaturus ac imperfectus, nec satis plene formatus. Ita D. Thomas.

Anagogice, septem diebus manemus in hac vita cum matre Ecclesia, sed in octava die resurrectionis sistemur Domino, remunerationem bonorum ab eo accepturi. Ita Rabanus.

Vers. 31. 31. VIRI SANCTI ERITIS MIHI, — tum animo, tum corpore, sancte videlicet servando præcepta mea, et cavendo ab omni inquinamento, etiam carnis a bestiis devoratæ, uti sequitur.

Caro a bestiis prægustata vetita tres ob causas. CARNEM QUÆ A BESTIIS FUERIT PRÆGUSTATA, NON COMEDETIS. — Jubet hoc Deus *primo*, ut Hebræos decentiam et sanctitatem quamdam externam et corporalem doceat. *Secundo*, ut illos vitam ex ratione degere doceat, quæque nihil feritatis aut barbariei præ se ferat, ait Theodoretus. *Tertio*, ut illos a cæde et furto longius arceat, eorumque aversionem et horrorem eis ingerat (1). Ita Cajetanus. Unde S. Ambrosius, *serm.* 12, citans et mystice explicans hanc legem : « Tetrior, ait, bestia est, quisquis sumit quod bestiæ superavit. Dic igitur mihi, tu Christiane, cur prædam relictam a prædonibus præsumpsisti? etc. Aiunt plerique lupos leonum subsequi solere vestigia, scilicet ut rabiem suam rapina satient aliena, et, quod leonum saturitati remanet, id luporum rapacitate consumatur, sic ut isti avaritiæ lupi prædonum vestigia subsecuti sunt; ut quod illorum rapacitati superavit, horum cederet feritati. »

Tropologice, carnem a bestiis prægustatam edere non licet, id est conversationem et doctrinam animalem, hæretico vel diabolico opere lanialem, Christiano imitari non licet. Ita Rabanus. Rursum, homo captus a diabolo, vel hominibus qui ferinis sunt moribus, et a cultu pietatis extranei, comedendus non est, id est, non est imitandus, sed arguendus. Ita Radulphus in cap. III *Levit.*, et Rabanus. Tropologics.

(1) « Ratio hujus legis facile perspicitur. Insalubris sine dubio est caro pecudis sponte mortuæ, quippe quæ ægra erat : qua ex causa etiam nos talem carnem edere non solemus. Sed accedit alia ratio, cur Israelitæ carne morticina vesci vetarentur : nititur illa natura regionum, quibus Israelitæ vivebant. Nempe in Arabia et Palæstina haud raro inveniuntur lupi rabiosi, ad quos hydrophobia per morsum propagatur. Animal igitur mortuum et discerptum in agro jacens, vel a lupo, vel vulpe, vel cane rabioso morsum esse, et morbus ille ad hominem, qui tali carne vescitur, propagari potest. Etiam Mohammedes Arabibus suis esu carnium morticinarum interdixit : vid. *Corani.* Sar. V, 4; XVI, 115. » Ita Rosenmull. ad h. l.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit sancire leges judiciales, præsertim de personarum et munerum acceptione. Secundo, vers. 11, *subdit cæremoniales de sabbato septimi anni, deque tribus præcipuis anni festis. Tertio, vers.* 20, *promittit eis angelum ducem et custodem, aliaque bona, si legibus suis obediant.*

1. Non suscipies vocem mendacii, nec junges manum tuam ut pro impio dicas falsum testimonium. 2. Non sequeris turbam ad faciendum malum; nec in judicio, plurimorum acquiesces sententiæ, ut a vero devies. 3. Pauperis quoque non misereberis in judicio. 4. Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. 5. Si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo. 6. Non declinabis in judicium pauperis. 7. Mendacium fugies. Insontem et justum non occides, quia aversor impium. 8. Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, et subvertunt verba justorum. 9. Peregrino molestus non eris : scitis enim advenarum animas, quia et ipsi peregrini fuistis in terra Ægypti. 10. Sex annis seminabis terram tuam, et congregabis fruges ejus. 11. Anno autem septimo dimittes eam, et requiescere facies, ut comedant pauperes populi tui; et quidquid reliquum fuerit, edant bestiæ agri : ita facies in vinea, et in oliveto tuo. 12. Sex diebus operaberis : septimo die cessabis, ut requiescat bos et asinus tuus; et refrigeretur filius ancillæ tuæ, et advena. 13. Omnia quæ dixi vobis, custodite. Et per nomen externorum deorum non jurabitis, neque audietur ex ore vestro. 14. Tribus vicibus

per singulos annos mihi festa celebrabitis. 15. Solemnitatem azymorum custodies. Septem diebus comedes azyma, sicut præcepi tibi, tempore mensis novorum, quando egressus es de Ægypto : non apparebis in conspectu meo vacuus. 16. Et solemnitatem messis primitivorum operis tui, quæcumque seminaveris in agro. Solemnitatem quoque in exitu anni, quando congregaveris omnes fruges tuas de agro. 17. Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram Domino Deo tuo. 18. Non immolabis super fermento sanguinem victimæ meæ, nec remanebit adeps solemnitatis meæ usque mane. 19. Primitias frugum terræ tuæ deferes in domum Domini Dei tui. Non coques hædum in lacte matris suæ. 20. Ecce ego mittam angelum meum, qui præcedat te, et custodiat in via, et introducat in locum quem paravi. 21. Observa eum, et audi vocem ejus, nec contemnendum putes ; quia non dimittet cum peccaveris, et est nomen meum in illo. 22. Quod si audieris vocem ejus, et feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, et affligam affligentes te. 23. Præcedetque te Angelus meus, et introducet te ad Amorrhæum, et Hethæum, et Pherezæum, Chananæumque et Hevæum, et Jebusæum, quos ego conteram. 24. Non adorabis deos eorum, nec coles eos : non facies opera eorum, sed destrues eos, et confringes statuas eorum. 25. Servietisque Domino Deo vestro, ut benedicam panibus tuis et aquis, et auferam infirmitatem de medio tui. 26. Non erit infœcunda, nec sterilis in terra tua : numerum dierum tuorum implebo. 27. Terrorem meum mittam in præcursum tuum, et occidam omnem populum, ad quem ingredieris : cunctorumque inimicorum tuorum coram te terga vertam ; 28. emittens crabrones prius, qui fugabunt Hevæum, et Chananæum, et Hethæum, antequam introeas. 29. Non ejiciam eos a facie tua anno uno : ne terra in solitudinem redigatur, et crescant contra te bestiæ. 30. Paulatim expellam eos de conspectu tuo, donec augearis, et possideas terram. 31. Ponam autem terminos tuos a mari Rubro usque ad mare Palæstinorum, et a deserto usque ad fluvium : tradam in manibus vestris habitatores terræ, et ejiciam eos de conspectu vestro. 32. Non inibis cum eis fœdus, nec cum diis eorum. 33. Non habitent in terra tua, ne forte peccare te faciant in me, si servieris diis eorum : quod tibi certe erit in scandalum.

Vers. 1. 1. NON SUSCIPIES VOCEM MENDACII. — Hebraice, *non suscipies auditionem falsitatis*, ut videlicet audias calumniatorem, conantem te in partem et testem calumniæ pertrahere.

Vatablus vertit, *ne assumas rumorem vanum*, vel *falsum*, *q. d.* Ne sis auditor falsi rumoris contra proximum tuum, ut fingas in corde tuo quippiam, quo illius fama lædi possit ; rursum, non audias, nec admittas talem rumorem.

Dicunt Hebræorum sapientes, non minus peccare eum qui falso delatori auscultat, quam qui falso aliquem defert. Unde eorum hæc est sententia : « Omnis qui maligne traducit aliquem, et quicumque recipit delatorem, omnisque qui falsum testimonium dicit contra proximum suum, dignus est ut canibus projiciatur. »

NEC JUNGES MANUM TUAM, — non confœderaberis, non associabis te ei, ut sis testis iniquitatis et calumniæ, dicendo falsum testimonium. Ita Hebræa.

Sic Pericles amico falsum a se testimonium, quod jurejurando erat sanciendum, exigenti, « amicum se usque ad aram esse » respondit. Testis est Plutarchus in *Lacon.* Et Phocion injustum quid postulanti : « Non potes, inquit, Antipater, Phocionem amicum habere et adulatorem. »

« Testis falsidicus, inquit Isidorus, lib. III *De summo Bono*, tribus personis est obnoxius : primo, Deo quem pejerando contemnit ; consequenter, judici, quem mentiendo fallit ; postremo, innocenti, quem falso testimonio lædit. » Talis falsus testis contra Davidem fuit Doeg, I *Reg.* XXII, 9 ; et contra Miphiboseth Siba, II *Reg.* XVI, 3 ; contra Naboth duo subornati, III *Reg.* XXI, 13 ; contra Jeremiam Jerias, *Jerem.* XXXVII 12 ; contra Susannam duo senes, *Daniel.* XIII, 54 ; contra Christum duo illi *Matth.* XXVI, 61 ; contra Stephanum illi *Actor.* VI, 11.

Vers. 2. 2. NEC IN JUDICIO PLURIMORUM ACQUIESCES SENTENTIÆ, UT A VERO DEVIES. — Hebraice est pulchra paronomasia : *Et non respondebis in lite, ut declines post multos ad declinandum*, sive torquendum, intellige judicium verum et rectum.

Socrates, inquit Laertius, lib. II, cap. V, eos qui multitudini imperitæ fidem habent, aiebat perinde facere, ac si quis tetradrachmum unum contemnens rejiceret, et acervum e similibus congestum probaret reciperetque. Cui non fider « soli, ei nihilo magis fidendum est in turba sim-

lium; nec enim refert quam multi sint, sed quam graves. Nummus adulterinus etiam in quamvis magno acervo, adulterinus est.

Vers. 3. 3. PAUPERIS QUOQUE NON MISEREBERIS IN JUDICIO. — Hebraice, *non decorabis pauperem in lite sua,* id est, non proteges pauperem, ex præpostera erga eum misericordia, in causa injusta, vel cum ipse revera reus est criminis. Bona enim est misericordia, sed non debet illa evertere judicium : utrumque enim diligit Dominus. Unde ait Psaltes : « Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine; » et : « Honor regis judicium diligit. » Unde et de Christo rege justitiæ prædictum est, eum venturum « judicare populum tuum in justitia, et pauperes tuos in judicio, » *Psal.* LXXI, 2. Ita S. Augustinus, *Quæst.* LXXXVIII, et Hieronymus in *Psalm.* XXXII.

Vers. 5. 5. SI VIDERIS ASINUM ODIENTIS TE JACERE SUB ONERE, NON PERTRANSIBIS, SED SUBLEVABIS CUM EO. — Hebræa hic obscura sunt, et varie a variis vertuntur; sed omnium sensus eodem recidit, et cum eo quem reddidit Noster, coincidit. Ad verbum genuine Hebræa sic vertenda videntur : *Si videris asinum odientis te jacere sub onere, num cessabis relinquere ei?* (onus videlicet, eum pertranseundo, *q. d.* Minime, quin vero) *relinquendo relinqueris ei, q. d.* Apud eum subsistes, eique ad eum sublevandum, et in pedes erigendum assistes (1).

Posset etiam quis suspicari in Hebræo mendose legi לו *lo* per *vau*, pro לא *lo* per *aleph*, tumque clarior esset sensus hic, *num cessabis relinquere* (eum gementem sub onere)? *relinquendo non relinques cum ipso*, onus scilicet, sub quo gemit. Vides hic dilectionem inimicorum non tantum Christianis, sed et Judæis fuisse præceptum.

Vers. 6. 6. NON DECLINABIS IN JUDICIO (id est, condemnationem : est metonymia) PAUPERIS. — Hebraice est, *non declinabis* (pervertes) *judicium pauperis in causa ejus;* ubi *judicium* proprie sumitur. Deus ergo qui prius pauperis personam contra æquitatem in judicio accipi vetuit, hic pariter æquam ejus causam judicio iniquo perverti prohibet.

Vers. 7. 7. MENDACIUM FUGIES. — Hebraice, *a verbo mendacii procul eris* (2).

(1) Simplicissima interpretatio videtur hæc esse : *Quando videris asinum inimici tui succumbentem sub onere suo, et volueris desistere a remittendo*, id est, auxilio destituere, *quominus vincula ei relaxes :* cave, ne ejusmodi criminis fias reus! e contrario *relaxando relaxabis* ea vincula *cum eo* inimico tuo. Si לו pro לא scriptum sumas, verba hunc sensum fundent : *Quando... sub onere suo, tum desistes a relinquendo*, cavebis ne relinquas eum; *non relinques* eum *cum eo.*

(2) Satis versimiliter conjicit Clericus, quum hic sermo de officio judicis sit, horum verborum hanc esse significationem, judici cavendum esse, ne falsa rei expositione deceptus innocentem damnet, aut nocentem absolvat. Neque hoc imperitia ac temeritate judicum solet evenire, sed multo sæpius quando affectibus obcæcati judicant.

INSONTEM ET JUSTUM NON OCCIDES. — Hinc recte colligunt doctores Theologi, judicem non posse occidere eum quem scit esse innocentem, qui tamen in judicio per falsos testes probatur esse nocens. Alii tamen contrarium docent, atque sic exponunt : « Non occides innocentem et justum, » qui scilicet in foro tuo est justus, quia juridice probatur esse innocens, vel saltem non probatur esse nocens : quibus Chaldæus favet dum vertit, *et eum qui fuerit justificatus, et exierit justus a judicio, non occides.*

QUIA AVERSOR IMPIUM. — Hebraice est, *quia non justificabo impium,* id est, *quia condemnabo et aversabor impium,* qualis est qui insontem occidit : est liptote, cui similis est *Exodi* XX, 7, *q. d.* Si impie justum et insontem occideris, licet hominibus videaris esse justus, mihi tamen eris impius, teque aversabor ut impium.

8. NEC ACCIPIES MUNERA, QUÆ ETIAM EXCÆCANT PRUDENTES (Hebraice *videntes,* qui scilicet apertos habent oculos mentis, id est sapientes), ET SUBVERTUNT VERBA JUSTORUM. — Hæc verissima et usu probatissima est sententia, unde ænigma : Vers. 8.

Mutnegra cum *murua* faciunt rectissima curva.

Lege retrograde, et videbis *mutnegra* esse argentum, *murua* esse aurum. Judices abstineant muneribus.

Idipsum censuerunt Gentiles. Audi Poetam :

Vincta est etiam sapientia lucro.

Et Plutarchus, lib. *De Iside* : Thebis, inquit, judicum imagines visuntur absque manibus, et summi judicis oculi connivent : eo quod justitia nec muneribus capiatur, nec hominum vultu flectatur. Et Themistius : Verus, inquit, princeps est, qui auro est inexpugnabilis. Hinc et Bion dixit oportere principem magistratu discedentem, non ditiorem, sed clariorem evadere. Apophthegmata et exempla.

Memorabile exemplum præbuit Martius Curius Dentatus, senator Romanus, cui ad focum sedenti, cum Samnites ingens auri pondus attulissent, eo repudiato, libere asseruit : « Mementote me nec acie vinci, nec pecunia corrumpi posse : neque enim præclarum est aurum habere, sed iis qui aurum habent, imperare, » testis est Cicero in *Catone*, et Plutarchus in *Apophtheg.*, qui et addit Curium tunc, cum legati venerunt, rapa coxisse, illisque demonstratis dixisse, se auro opus non habiturum, quando tali cibo contentus vixerit.

Huic similes fuerunt Fabii, qui legati ad Ptolemæum regem missi, munera quæ ab eo privatim acceperant, in ærarium prius quam legationem referrent ad senatum, detulerunt.

Inter fideles illustres fuit Samuel judex populi, ut patet I *Reg.* XII, 3. E contrario filii ejus « declinaverunt post avaritiam, acceperuntque munera, et perverterunt judicium, » I *Reg.* VIII, 3; ideoque officio privati sunt, judiciumque et regnum in Saulem translatum est.

Hoc sæculo eminuit B. Thomas Morus, judex

æquissimus, munerum et opum contemptor. Quadam vice vidua, cui litem adjudicarat, obtulit ei poculum aureum; ille accepit quidem, sed vino replens ei præbuit, et reddidit; atque, ut alia omittam quæ cap. III et VIII Vitæ ejus narrantur, illud admirabile est, quod, cum a prima ætate magnis in republica muneribus esset perfunctus, adeoque totius regni fuisset Cancellarius, cumque amplam haberet familiam tamen tota vita annuum censum non auxit ultra septuaginta aureos annuos. Quid hic dicent illi, qui paucis annis augent ad decem, imo viginti millia?

Vers. 9. 9. PEREGRINO MOLESTUS NON ERIS : SCITIS ENIM ADVENARUM ANIMAS, — quis scilicet animus, quis affectus sit peregrino, cum se a suis destitutum inter exteros et ignotos invenit, quam scilicet arcto, timido, dejecto, pavido, suspenso, verecundo, tristi sit animo : ut proinde afflicto afflictionem addere non debeatis, cui satis pœnæ est quod sit peregrinus.

QUIA ET IPSI PEREGRINI FUISTIS IN TERRA ÆGYPTI, — quia scilicet experti estis quam sit miseranda conditio peregrini : nemo enim ita misero succurrere paratus est, quam qui fuit miser; hinc aiebat Dido :

Non ignara mali miseris succurrere disco.

Vers. 10 et 11. 10 et 11. SEX ANNIS SEMINABIS TERRAM TUAM, ET CONGREGABIS FRUGES EJUS : ANNO AUTEM SEPTIMO DIMITTES EAM, ET REQUIESCERE FACIES — a messe, non autem a semente, inquiunt aliqui, *q. d.* Anno septimo seminabis agrum, sed non metes. Annus septimus erat sabbatum terræ, cur? Ita S. Augustinus, *Quæst.* LXXXIX. Verum dico utrumque hic vetari anno septimo, scilicet tam seminationem quam demessionem terræ : hoc enim clare dicitur *Levit.* XXV, 4 : « Septimo, inquit, anno agrum non seres. » Itaque observatum fuisse apud Hebræos testantur Josephus et Hebræi. Idem indicant hic et Hebræa. Erat enim hic annus septimus sabbatum terræ, id est, plena quies terræ, uti septima dies erat sabbatum, id est, quies hominum.

Sanxit hoc Deus, ut scilicet annus septimus esset sabbatum terræ, *primo*, ad hoc, ut Hebræos Prima causa. clementiæ admoneret etiam erga inanima, quales sunt agri, utque a nimia hujus vitæ cura et Secunda. avaritia eos abduceret; *secundo*, ut terra hoc septimo quietis anno, quasi resumpto vigore deinceps feracior foret : illa enim de causa etiam nostri rustici, statis temporibus quiescere sinunt agros, ut postea majori cum fœnore fruges referant; Tertia. *tertio*, ut septimus ille quietis annus esset symbolum et memoriale creationis terræ rerumque omnium, uti erat et dies septimus, puta sabbatum, *Genes.* II, 3; utque ipsa vocatio terræ esset velut merces habitationis, et quasi redemptio ab eo cujus est, id est, ab ejus creatore Deo, inquit S. Augustinus, Quæst. LXXXIII *in Levit.* Sicut enim feudatarius pro feudo domino feudi hommagium et stata jura persolvit, ita Hebræi quasi pro feudo terræ suæ, Deo hommagium hoc sabbati terræ persolvebant; *quarto*, ut pau- Quarta. peres septimo illo anno agri fructibus gauderent: eo enim anno fructus agrorum erant communes, ut patet hoc versu.

Dices : Si anno septimo nihil licebat serere, quid metere poterant pauperes?

Respondeo : Metebant id quod ex granis deciduis sexti anni segetis succreverat, et quidquid olerum et herbarum per se terra profert : unde *Levit.* XXV, 5 : « Quæ sponte, ait, nascuntur, non metes, » id est, non omnino resecabis, idque ad hoc, ut et servus et peregrinus, et animalia, ut ibi dicitur, et pauperes, ut hic dicitur, partem ejus colligant. Ita Abulensis. Atque hac parte lex hæc sabbati terræ, alias cæremonialis, erat et judicialis : ordinabatur enim ad commodum pauperum.

Tropologia anni septimi eadem est quæ sabbati, de qua *Deuter.* V, 12.

13. ET PER NOMEN EXTERNORUM DEORUM NON JURA- Vers. 13. BITIS, NEQUE AUDIETUR EX ORE VESTRO. — Jubet, non ut eos non nominemus, sed ne eos deos vocemus, et quasi deos in testes invocemus, jurando per eos, inquit Tertullianus, lib. *De Idololatria*, cap. XIX (1).

Judæi hic superstitiosi, imo blasphemi sunt : nolunt enim legere aut pronuntiare nomen Salvatoris nostri *Jesus*; quod si forte casu illud vel legere, vel sonare contingat, seipsos mulctant, colaphumque ori impingunt; aut si sonant, legunt, vel scribunt, dicunt ישו *Iiscu*, illudque per litteras initiales ita exponunt : ימח שמו וזכרו *immach schemo uzichro*, id est, deleatur nomen ejus et memoria ejus. Hoc est odium istorum cæcorum et miserorum in Jesum Christum, quod proinde merito luunt perenni exilio et excidio.

15. SEPTEM DIEBUS COMEDES AZYMA, TEMPORE MEN- Vers. 15. SIS NOVORUM, — puta in mense Nisan, quo egressus es ex Ægypto, quando in terra sancta et Ægypto novæ fruges hordeaceæ maturescunt. Vide supra cap. XIII, vers. 4. Festum Azymorum.

NON APPAREBIS IN CONSPECTU MEO VACUUS. — Præcipit hic Deus oblationem cuique accedenti ad tabernaculum vel templum, tanquam religionis actum pertinentem, tum ad cultum sibi debitum, tum ad Levitarum sustentationem. Verum quia Judæa erat vasta, et multi remoti a Jerusalem et templo habitabant, tradit Lyranus cum remotis dispensatum aliquando fuisse in Pentecoste, et in festo Tabernaculorum. Vide Istellam in *Exodi* cap. XXXIV, ubi ait : Lex hæc solos viros obligabat, non feminas, ut patet ex τῷ *omne masculinum*; ergo et filios et servos. Unde Christus duodennis ascendit ad templum, ut hanc legem servaret, *Lucæ* cap. II, vers. 42 (2).

(1) Sentiunt multi, per hanc legem prohiberi, non modo *jurare per nomen* falsorum deorum, sed etiam *eorum nomina* omnino *commemorare* : ita enim fert textus hebraicus.

(2) Hac lege Israelitæ monebantur, ut in animum sibi

Tropologice, accedentes ad Deum plenos misericordiæ, et virtutum aliarum manipulos afferre decet; ita exaudientur. Vide S. Chrysostomum, hom. 1 *in* II *ad Timoth.* I.

Vers. 16. 16. ET (custodies, celebrabisque) SOLEMNITATEM MENSIS PRIMITIVORUM OPERIS TUI, QUÆCUMQUE SEMINAVERIS IN AGRO, — id est, ut Vatablus : *Servabis diem festum mensis præcocium fructuum operis tui, quos seminasti in agro*, hoc est, celebrabis festum Pentecostes, illoque panes ex prima messe triticea factos mihi offeres, sicut in Paschate obtulisti spicas hordei maturescentes; in Pentecoste ergo exigit Deus primitias omnium frugum, id est, totius messis triticeæ, de quo plura *Levit.* XXIII, 17.

Pentecostes.

Panis primitiarum allegorice significabat Eucharistiam, inquit S. Irenæus, lib. IV *Contra hæresim*, cap. XXXII.

Tabernaculorum.

SOLEMNITATEM QUOQUE IN EXITU ANNI, QUANDO CONGREGAVERIS OMNES FRUGES TUAS DE AGRO. — Hæc solemnitas ea est quæ postea dicta est scenopegiæ, qua tabernacula figebant, in iisque habitabant per septem dies in memoriam et gratiarum actionem protectionis divinæ, qua Deus Hebræos duxerat et protexerat in deserto peregrinantes et habitantes in tabernaculis per 40 annos.

Celebrabatur hoc festum decimo quinto die mensis septimi, durabatque per septem dies.

Ex hoc loco patet aliud fuisse anni sacri, aliud vero anni vulgaris ante egressum ex Ægypto initium, quo deinceps etiam usi sunt Hebræi in rebus civilibus, ut dixi cap. XXII, vers. 1.

Initium anni sacri et vulgaris quod?

Cœpit ergo annus vulgaris a mense vel novilunio, quod proximum erat æquinoctio autumnali (sicut annus sacer incipiebat a Nisan, puta a mense æquinoctii verni); quod si septimus mensis, qui Tisri dicebatur, proximior erat æquinoctio huic autumnali, tunc ille erat anni principium : sin autem octavus mensis, qui Marchesuan dicebatur, proximior esset illi æquinoctio, is erat primus anni mensis; hoc autem facile fieri poterat, v. g. si æquinoctium vernum incideret in plenilunium, vel paulo ante illud, tunc Nisan, sive primus mensis erat illa eadem lunatio, et 14 dies Nisan erat in æquinoctio pariter et plenilunio : nam quia menses lunares minores sunt solaribus, hinc in multis mensibus (puta 32) solaribus excrescit insuper unus lunaris; cum ergo sol sex mensibus suis ab uno æquinoctio ad aliud decurrat, hinc casu jam posito fiebat ut mensis septimus solaris, in quem incidebat æquinoctium, concurreret cum mense octavo lunari.

Unde dicit, « in exitu anni, » id est, circa exitum anni : poterat scenopegia ante finem anni vulgaris celebrari, si nimirum annus inciperet ab octavo mense; poterat et post finem anni veteris; et sub initium novi anni celebrari, si videlicet annus inciperet a mense septimo.

Maluit autem dicere Moses « in exitu, » quam in principio anni (quod utique dicere potuisset : quod enim finis est anni præcedentis, illud et initium est anni sequentis), ut causam festi indicaret, quæ erat gratiarum actio pro omni frugum genere, tam ex agris quam hortis et vineis percepto, anno illo elapso. Accessit postea et alia causa, videlicet memoria protectionis divinæ in deserto, ubi in tabernaculis habitaverant; unde et postea nomen tabernaculorum festo est inditum, de quo plura *Levit.* XXIII, 42 (1).

Vers. 17. 17. TER IN ANNO APPAREBIT OMNE MASCULINUM TUUM CORAM DOMINO, — nimirum tribus jam dictis solemnioribus anni festis, puta in Paschate, Pentecoste et festo Tabernaculorum, *Deuter.* cap. XVI, vers. 16 (2).

Allegorice S. Basilius, in cap. I *Isaiæ* : Fidem, inquit, SS. Trinitatis exigit Deus; nam, ut ait Glossa, in Paschate immolatur Filius, in Pentecoste datur Spiritus Sanctus, in collecta frugum potentia creatoris Patris signatur.

Tropologiam pete a Rabano.

CORAM DOMINO, — id est coram arca vel coram tabernaculo, si arca ab eo separata esset, uti factum est cum Philisthini tempore Heli arcam ceperunt, et post reductam arcam, multo deinceps tempore arca fuit separata a tabernaculo; tumque Hebræi non coram arca, sed coram tabernaculo sacrificabant, suaque festa celebrabant.

Vers. 18. 18. NON IMMOLABIS SUPER FERMENTO, — cum fermento, sed cum azymis tantum, ut purum et infermentatum sit sacrificium; de quo plura in *Levitico* (3).

NEC REMANEBIT ADEPS SOLEMNITATIS MEÆ USQUE MANE. — « Adeps solemnitatis meæ, » id est adeps sacrificii in honorem meum, vel in solemnitate mihi dicata oblati : illa enim mea est solemnitas qua mihi sacrificatur; jubet ergo hic Deus ut, cum sacrificatur et mactatur victima, simul statim quod in ea præcipuum et pinguissimum est, adeps videlicet recens, sibi adoleatur et comburatur.

Vers. 19. Non coques hædum in lacte matris.

19. NON COQUES HÆDUM IN LACTE MATRIS SUÆ. — Chaldæus vertit, *non comedes carnem cum lacte* : unde et aliqui Hebræi, teste Gregorio Veneto, *Problem.* 442, more suo sic vertunt, *non comedes*

(1) Festa illa ab omnibus Israelitis uno tempore et uno in loco celebranda, sine dubio quasi vincula esse debebant, quibus arctius jungerentur singulæ illius populi tribus. Qui enim sacra communia habent, et ea communiter eodem in loco celebrant, ii vix divelli possunt in plures respublicas, sed fœdus inter se coguntur servare. Hanc rationem etiam adtingit Josephus, *Antiq.* lib. IV, cap. VIII, § 7.

(2) Hoc pertinet ad theocratiam. Deus describitur tanquam rex, quem subditi ter quotannis salutatum irent.

(3) Sermo est de agno et sacrificio paschali, quod κατ' ἐξοχήν Hebræi vocant זֶבַח, *victima*, quia præcipuum hoc eorum sacrificium est. Ita Allioli.

revocarent, Deum esse regem suum, coram quo in Oriente nemini sine donis comparere licitum est. Cf. Ælianum, *Var. Hist.* lib. I, cap. XXXI. Ita Allioli ad h. l.

tris, quo sensu? Primus.

caseum post carnem, quia carnium in caseo mala est concoctio.

Secundus.

Secundo, alii apud Vatablum per hypallagen sic interpretantur, *q. d. non coques, nec comedes hædum cum matre lactante, q. d.* Satis tibi sit comedere hædum, abstineas a matre : hoc enim videtur crudele; sic præcepit Deus comprehendenti pullos in nido dimittere matrem, *Deuter.* XXII, 6.

Tertius.

Tertio, Abulensis, Lyranus, Cajetanus et S. Thomas, I II, *Quæstione* CII, art. 5, ad 4, simpliciter hoc præceptum ut sonat accipiunt, ut scilicet prohibeatur hædus coqui, sive, ut hebraice est, lixari in lacte materno, ne quod hædo erat in deliciis, vertatur in tormentum (1).

Quartus et genuinus, in lacte, id est teneram et lactentem.

Quarto et optime, Vatablus et Oleaster sic exponunt : Ne coquas hædum in lacte matris, id est, ne occidas et coquas hædum lactentem, quamdiu sugit lac matris : hoc enim significat ille hebraismus. Probatur hæc expositio : nam nusquam consuetudo fuit, hædos proprie in lacte materno lixare, ut Judæis hoc prohibendum foret : ergo hæc verba eo sensu quem jam dedi, accipienda sunt; *secundo*, quia hic sensus optime respondet allegoriæ, uti mox dicam; *tertio*, quia ita intelligunt S. Chrysostomus, homil. *De Innocentibus*, S. Augustinus, *Quæst.* XC. Ad litteram ergo vetuit Deus occidi ad esum teneros hædos vel agnos (*agnum* enim vertunt Septuaginta, et par videtur esse ratio hædi et agni), ut Hebræos doceret humanitatem et benignitatem erga homines, quando etiam circa bruta eam præcipiebat, jubebatque eos compati pecudibus suis, et aversari ac horrere crudelitatem in eas, præsertim in tenellos agnos et hædos, qui sui commiserationem omnibus movent, dum jugulantur.

Dico « ad esum, » nam *Levit.* XXII, 27, dicitur quod octavo die poterat hædus, agnus et vitulus offerri Domino; atque omnino loqui videtur de oblatione per jugulationem et immolationem : in sacrificiis enim victimarum etiam tenellarum, Deo per sacerdotes immolatis, nulla erat species crudelitatis; hanc enim purgabat et excludebat religio.

Judæi ita superstitiose hanc legem observant, ut in eadem olla carnes et lac coquere nolint, imo nec eodem cultro carnes et caseum scindere sibi licere putant, sed diversis utuntur : atque de hac cæremonia justum librum conscripserunt, quo docent quid liceat, quid non liceat in esu carnis et lactis.

Allegorica et præcipua causa hujus legis fuit, ut significaretur Christum infantem et lactentem non posse occidi, sive ab Herode, sive a Judæis, ante ætatem maturam et tempus præfinitum a Patre. Ita S. Augustinus et Chrysostomus supra. Moraliter docet hæc lex teneris et infirmis compati, eorumque infirmitatem tolerare.

Tropologice, hæretici coquunt hædos in lacte matris. Lac enim capræ fœtidæ, id est hæreseos, est eorum impia doctrina : in hac coquunt illi hædos, id est discipulos suos, æternis postea iguibus in inferno recoquendos. Lac enim hoc vertitur eis in æternum tormentum. Ita aliqui : quanquam hæc tropologia non satis consonet allegoriæ jam datæ.

20. ECCE EGO MITTAM ANGELUM MEUM, QUI PRÆCEDAT TE. — Per angelum hunc *primo*, Cajetanus intelligit ipsum Mosen; *secundo*, alii intelligunt Josue, quia hic introduxit Hebræos in terram promissam : ita Justinus *Contra Tryphonem*, folio 58, et Eusebius, lib. IV *Demonstr. evang.* cap. XXVIII, et Rabanus; *tertio*, Rupertus hic, et S. Athanasius, lib. *De Communi essentia Patris et Filii et Spiritus Sancti*, ante finem, et Hesychius, lib. VII *in Levitici* cap XXVI, folio 653, putant Filium Dei hic angelum vocari, quia additur : «Et est nomen meum (puta Dei) in illo,» *q. d.* Æque dicitur Deus ut ego (2). Sed hæc allegorico potius sensu quam litterali dixit Rupertus, uti solet, æque ac Hesychius, et Athanasius; *quarto* ergo et genuine, angelus hic verus fuit et merus angelus, præses nimirum exercitus Hebræorum : ille enim præibat eis viam in columna nubis per diem, et ignis per noctem; ille etiam nomine Dei præcipiebat Mosi et Hebræis; ille denique puniebat rebelles. Hunc angelum probabile est fuisse Michaelem, qui *Daniel.* X, vers. ult., vocatur princeps populi Israel. Hic enim olim præerat Synagogæ Judæorum, uti nunc præest Ecclesiæ Christianorum.

Vers. 20, Angelus Hebr. quis? Prima sententia. Secunda. Tertia.

Quarta et vera, fuisse S. Michaelem.

ET CUSTODIAT IN VIA. — Nota hic nomen angeli custodis totius populi, ejusque quinque officia : *primum* est, «præcedet te;» *secundum*, « custodiet in via ; » *tertium*, « introducet in locum quem præparavi, » puta in Chanaan; *quartum*, « non dimittet cum peccaveris, » *q. d.* Si pecces, puniet te; *quintum*, « est nomen meum in illo. » Eadem applicari possunt angelo custodi cujusvis hominis.

Angeli custodis officia quinque.

Vis rara exempla custodiæ et opis angelicæ? Accipe omnia S. Scripturæ suo ordine *primo*, Cherubim custodiunt paradisum, ejecto Adamo peccatore, versantque gladium flammeum, *Gen.* III, 24 : angeli enim purissimi summe vel fugiunt,

Exempla custodiæ angelorum.

(1) Ita et Bochartus *Hieroz.* P. I, lib. II, cap. LII. Alii, et quidem plurimi, quibus acquiescit Rosenmullerus, probant sententiam Spenceri, *de Legibus Mosis ritual.* P. I, lib. II, cap. VIII, sect. 2, existimantis, superstitionem quamdam gentilem hic interdici; auctores enim esse ipsos Hebræorum doctiores, Zabios, seu Sabios, astrorum cultores, in iis sacris, quæ post messem celebrare solebant, hædum in lacte matris coxisse, et deinde ritibus magicis adhibitis, eo lacte aspersisse arbores, agros et hortos, quod crederent, eos feraciores sequenti anno fore. Alia hujus loci explicatio, quam affert Michaelis in *Jure Mosaic.* P. IV, p. 200, nimis quæsita est, et ab ea perspicuitate aliena, quam Moses, ut sapiens legislator, alias in legibus consignandis semper solet adhibere.

(2) Allioli quoque, cum plerisque veteribus, significari hic existimat Angelum increatum, id est, Filium Dei, qui missus fuit a Patre, ut populum Israeliticum duceret et tueretur, eique optime consuleret. Cf. Drach, *De l'Harmonie entre l'Eglise et la Synag.* tom. II, p. 408 seq.

vel fugant impuros peccatores. «Sicut fumus apes, et fœtor columbas fugat : sic miserabile et putidum peccatum repellit vitæ nostræ custodem angelum,» inquit S. Basilius, et ex eo Maximus, serm. *De peccato; secundo,* angelus profugam Agar reduxit ad Saram heram suam, *Genes.* XVI, 7; *tertio,* angeli tres Abrahæ promiserunt filium Isaac, *Gen.* XVIII, 10; *quarto,* duo angeli eduxerunt Lot ex Sodomis, et Sodomitas igne cœlesti concremarunt, *Gen.* XIX; *quinto,* angelus consolatus est Agar, et Ismaeli siti morienti puteo ostenso, vitam servavit, *Gen.* XXI, 17; *sexto,* angelus stitit gladium Abrahæ, volentis immolare Isaac, *Gen.* XXII, 11; *septimo,* Jacob vidit ascendentes angelos et descendentes per scalam, ad suam opem, *Gen.* XXVIII, 12; *octavo,* angelus docuit Jacob modum, per virgas varicolores producendi fœtus sibi ex pacto debitos, *Gen.* XXXI, 11; *nono,* angeli deduxerunt Jacob ex Mesopotamia in Chanaan, *Gen.* XXXII, 1; *decimo,* angelus interposuit se inter castra Hebræorum et Pharaonis, illa illuminans et deducens per mare Rubrum, hæc obtenebrans et submergens, *Exodi* XIV, 19; *undecimo,* angelus deduxit Hebræos per desertum in Chanaan, *Exodi* XXIII, 20; *duodecimo,* angelus locutus est per os asinæ, et corripuit Balaam, *Num.* XXII, 22; *decimo tertio,* angelus consolatus est Hebræos ab hostibus afflictos, *Judic.* II, 1; *decimo quarto,* angelus roborat Gedeonem ad bellum contra Madian, *Judic.* VI, 11; *decimo quinto,* angelus promittit Manue filium Samsonem Nazareum, *Judic.* XIII, 3; *decimo sexto,* angelus percussit Jerusalem peste, ob numeratum a Davide populum, II *Reg.* XXIV, 16; *decimo septimo,* angelus confortavit Eliam pane, ut ambularet per quadraginta dies ad montem Dei Horeb, III *Reg.* XIX, 5; *decimo octavo,* angelus misit Eliam ad Ochoziam regem, ut ei prædiceret mortem ob cultum Beelzebub, IV *Reg.* I, 3; *decimo nono,* angelus percussit 185 millia Assyriorum, IV *Reg.* XIX, 35; *vigesimo,* Raphael Tobiam deduxit et reduxit, curavitque ei Saram uxorem, ut patet ex *Tobia; vigesimo primo,* angelus Judith custodivit, et direxit ad cædem Holophernis, *Judith.* XIII, 20; *vigesimo secundo,* angelus tres pueros in fornace Babylonia ab igne defendit, *Daniel.* III, 49; *vigesimo tertio,* angelus conclusit ora leonum, ne devorarent Danielem, *Daniel.* VI, 22; *vigesimo quarto,* angelus Gabriel ostendit Danieli, 70 hebdomade occidendum esse Christum, *Daniel.* IX, 21 : idem varia futura circa reges Syriæ et Ægypti eidem revelavit, cap. XI; *vigesimo quinto,* angelus tutatus est, et vindicavit pudicitiam Susannæ, *Dan.* XIII, vers. 55 et 59; *vigesimo sexto,* angelus rapuit Habacuc, ut ferret prandium Danieli in lacu leonum, *Dan.* XIV, 33; *vigesimo septimo,* angelus Zachariæ, cap. II, III, IV, V, VI, VII, varia mysteria revelavit; *vigesimo octavo,* angelus hastam vibrans præcessit castra Judæ, deditque victoriam, II *Machab.* XI, 8.

Jam in novo Testamento angeli Christo nato cecinerunt : «Gloria in excelsis Deo,» suaserunt fugam in Ægyptum, indeque reditum, ministrarunt Christo post tentationem, confortarunt Christum in agonia, Christi resurrectionem nuntiarunt : angelus Petrum e carcere eduxit, rapuit Philippum apud eunuchum, Cornelio jussit vocare Petrum, Paulum cum suis naufragio liberavit, denique S. Joanni crebro apparens Apocalypsin revelavit.

21. NEC CONTEMNENDUM PUTES. — Hebraice, *nec eum ad amaritudinem provoces,* vel, ne amarus sis, inobediens et rebellis in eum. Vers. 21.

ET EST NOMEN MEUM IN ILLO. — Hebraice, *in medio ejus, q. d.* Angelus hic meum nomen, personam, auctoritatem et voluntatem præfert; unde Chaldæus vertit, *quoniam in nomine meo est verbum illius, q. d.* Quidquid angelus hic præcipit, hoc nomine meo præcipit (1). Merito ergo Abbas ille in *Vitis Patrum,* lib. VII, cap. XLIV, rogatus quænam esset quotidie ejus exercitatio, respondit : « Ego angelum meum assistentem mihi juxta me exspecto, et custodio memetipsum, quod scriptum est reminiscens : Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi ne commovear. Timeo ergo eum, ut custodientem vias meas, et quotidie ascendentem ad Deum, et insinuantem actus meos et verba. »

24. NON FACIES OPERA EORUM. — Hebraice, *non facies secundum opera eorum,* ut nimirum excites iis lucos, fana, aras, statuas, adinstar eorum quæ invenies et videbis in Chananæa, sed ea inventa destruas. Vers. 24.

25. BENEDICAM PANIBUS TUIS ET AQUIS, — *q. d.* Affatim cibi et potus vobis præbebo; tales enim erant promissiones veteris Testamenti, ait S. Augustinus, *Quæst.* XCII. Vers. 25

26. NUMERUM DIERUM TUORUM IMPLEBO, — *q. d.* Faciam ut sanam longamque habeatis senectam, et moriamini saturi et pleni dierum; e contrario de impiis dicitur *Psal.* LIV, vers. ult., quod « non dimidiabunt dies suos (2). » Vers. 26.

28. EMITTENS CRABRONES PRIUS, QUI FUGABUNT HEVÆUM. — Per *crabrones* S. Augustinus, *Locut.* 101, et Eusebius Cæsareensis intelligunt aculeos formidinis et timoris quibus prostrati sunt Chananæi, adventantibus Hebræis, tam facile, ac si vespæ et crabrones eos dejecissent (3). Verum quia timoris hic aperta mentio præcessit, hinc distinctius et melius per *crabrones,* veros crabrones ac- Vers. 28.

(1) Nomen Dei est Deus ipse, ut sæpe alias, v. g. *Levit.* XXIV, 11; *Deut.* XXVIII, 58. Ita Drach, op. cit. tom. I, p. 408.

(2) Pro *occidam,* hebr. est *perturbabo,* ἐκταράσω, ut Septuaginta, ab המם. Hieronymus legisse videtur תמתי.

(3) Ita et Rosenmullerus. Ratio est, quia *Jos.* XXIV, 11, 12, eadem phrasis adhibetur de expulsione duorum regum Amorrhæorum; *Jos.* X autem, ubi hæc historia narratur, nil dicitur de crabronibus, sed de terrore Chananæis immisso et de grandine magna inter fulgura et tonitrua delapsa. Atqui, majoris momenti fuit hæc res, si evenerit, quam ut tantum obiter adtingeretur. Aliter Munk, qui per *sirah, Jos.* XXIV, 12, intelligit *crabrones,* gall. *frelons.*

cipiemus, quia ita etiam vocantur *Deut.* VII, 20, et tales immissos fuisse Chananæis docet Josue cap. ult., 12. Idem patet *Sap.* XII, 8, ubi sic ait Sapiens: « Misisti antecessores exercitus tui vespas, ut illos (Chananæos) paulatim exterminarent: non quia impotens eras bestiis sævis eos exterminare. » Præmisit ergo Deus ante Hebræos crabrones, qui infestarunt, debilitarunt et attriverunt Chananæos, ut ipsi postea ab Hebræis facilius vincerentur et delerentur.

Crabrones immisit Deus in Chananæos.

Vers. 29. 29. NON EJICIAM EOS A FACIE TUA ANNO UNO, NE TERRA IN SOLITUDINEM REDIGATUR. — Hinc patet amplam et fertilem fuisse Chananæam, utpote quæ a sexcentis millibus Hebræorum ita coli non potuerit, quin magna adhuc restaret ejus solitudo bestiis implenda, et feris hominibus nocituris, nisi Chananæi in ea multis in locis remansissent.

Chananæi aliqui relicti, cur?

Fuit et alia causa, cur non statim gentes illæ exterminatæ sint a Deo : videlicet quod Deus voluerit in eis erudire Israelem, ut dicitur *Judic.* III, 1, ne scilicet Israel otio torperet, sed bellum assidue gerens non diffluueret luxu, idolorum cultura et societate cum Gentibus; disceretque Deum colere metu hostium, illi soli servire, et in eum ut victoriæ datorem sperare. Sed hanc causam tacet hic Deus, ne imbellem populum pacique assuetum hoc belli timore dejiciat.

Allegoriam horum omnium de Ecclesia Gentium domitrice, vide apud Rupertum.

Vers. 31. 31. PONAM AUTEM TERMINOS TUOS A MARI RUBRO USQUE AD MARE PALÆSTINORUM, ET A DESERTO USQUE AD FLUVIUM. — Deus hic secundum quatuor mundi plagas, terram promissionis Hebræis a se dandam limitat : nam ipsa ad Meridiem habet mare Rubrum, quasi limitem, ad Occidentem habet mare Palæstinorum, sive cujus accolæ sunt Philistini, quod est mare Mediterraneum : unde et Occidentem Scriptura sæpe per mare significat. Versus Orientem habet deserta Arabiæ, quæ inter eam et Ægyptum interjacent. Ad Septentrionem denique habet fluvium Euphratem, qui per antonomasiam dicitur fluvius.

Termini Chananææ ad quatuor plagas mundi.

Ponit Deus hos terminos Hebræis, ut sciant amplitudinem terræ promissæ, et ad eam anhelent : quanquam sua culpa et de merito ea tota potiti non sint, nisi pauco Salomonis regni tempore, quo tamen non fuerunt ab eis cultæ et habitatæ, sed tantum subactæ et vectigales factæ illæ regiones eorum, quæ ab hostibus jam pridem fuerant occupatæ et inhabitatæ.

33. SI SERVIERIS DIIS EORUM. — Moraliter dii, sive idola cujusque, sunt ejus cupiditates. Ergo disce hinc peccatores servire peccato miseram servitutem. Audi Claudianum : Vers. 33

> Si metuis, si prava cupis, si duceris ira,
> Servitii patiere jugum, tolerabis iniquas
> Interius leges : tunc omnia jura tenebis,
> Si poteris rex esse tui.

Et alium :

> Solus peccator servit male, qui licet amplo
> Utatur regno, sat miser est famulus :
> Cum mens carnalis, nimium dominante tyranno,
> Tot servit sceptris, dedita quot vitiis.

Et Senecam, *epist.* 47 : « Alius, inquit, libidini, alius avaritiæ, alius ambitioni servit, omnes timori : nulla servitus turpior est quam voluntaria. »

Et S. Hieronymum, epist. *ad Simplicianum* : « Stultus, ait, esto imperet, servit propriis passionibus, servit suis cupiditatibus, quarum dominatio nec nocte, nec die fugari potest, quia intra se dominos habet, intra se servitium patitur intolerabile. »

Et S. Ambrosium, lib. II *De Jacob et vita beata* : « Servit, ait, quicumque metu frangitur, vel delectatione irretitur, vel cupiditatibus ducitur, vel indignatione exasperatur, vel mœrore dejicitur. Servilis enim est omnis passio. »

Et S. Augustinum, lib. IV *De Civit.* III : « Bonus, ait, etiamsi serviat, liber est; malus autem, si regnat, servus est; nec unius hominis, sed, quod gravius est, tot dominorum, quot vitiorum. »

QUOD TIBI CERTE ERIT IN SCANDALUM, — quod scilicet peccare, sive peccatum idololatriæ Chananæorum erit tibi in scandalum, hebraice *in laqueum*, id est, in ruinam et interitum : erit enim causa tuæ ruinæ et excidii.

Potest etiam pronomen *quod* referri more Hebræo ad id quod præcessit, videlicet « non habitent in terra tua : » hoc enim proprie Judæis erat scandalum culpæ, non pœnæ, quia erat eis occasio idololatriæ.

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Moses leges Domini ad populum refert, eas acceptat, iisque se obligat populus. Hinc Moses sancit fœdus inter Deum et populum, asperso sanguine victimarum in populum. Rursum, vers. 12, *jubetur Moses in montem ascendere, ut tabulas legis a Deo accipiat; ascendit ille, manetque in monte quadraginta diebus.*

1. Moysi quoque dixit: Ascende ad Dominum tu, et Aaron, Nadab et Abiu, et septuaginta senes ex Israel, et adorabitis procul. 2. Solusque Moyses ascendet ad Dominum, et illi non appropinquabunt: nec populus ascendet cum eo. 3. Venit ergo Moyses, et narravit plebi omnia verba Domini, atque judicia. Responditque omnis populus una voce: Omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus. 4. Scripsit autem Moyses universos sermones Domini, et mane consurgens ædificavit altare ad radices montis, et duodecim titulos per duodecim tribus Israel. 5. Misitque juvenes de filiis Israel, et obtulerunt holocausta, immolaveruntque victimas pacificas Domino, vitulos. 6. Tulit itaque Moyses dimidiam partem sanguinis, et misit in crateras; partem autem residuam fudit super altare. 7. Assumensque volumen fœderis, legit, audiente populo; qui dixerunt: Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus, et erimus obedientes. 8. Ille vero sumptum sanguinem respersit in populum, et ait: Hic est sanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his. 9. Ascenderuntque Moyses et Aaron, Nadab et Abiu, et septuaginta de senioribus Israel, 10. et viderunt Deum Israel, et sub pedibus ejus quasi opus lapidis sapphirini, et quasi cœlum, cum serenum est. 11. Nec super eos qui procul recesserant de filiis Israel, misit manum suam, videruntque Deum, et comederunt, ac biberunt. 12. Dixit autem Dominus ad Moysen: Ascende ad me in montem, et esto ibi; daboque tibi tabulas lapideas, et legem ac mandata quæ scripsi, ut doceas eos. 13. Surrexerunt Moyses et Josue minister ejus; ascendensque Moyses in montem Dei, 14. senioribus ait: Exspectate hic donec revertamur ad vos. Habetis Aaron et Hur vobiscum: si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad eos. 15. Cumque ascendisset Moyses, operuit nubes montem, 16. et habitavit gloria Domini super Sinai, tegens illum nube sex diebus; septimo autem die vocavit eum de medio caliginis. 17. Erat autem species gloriæ Domini, quasi ignis ardens super verticem montis, in conspectu filiorum Israel. 18. Ingressusque Moyses medium nebulæ, ascendit in montem; et fuit ibi quadraginta diebus, et quadraginta noctibus.

Vers. 1. 1. ASCENDE AD DOMINUM.—Ascenderat jam Moses ad Dominum in Sina, et ab angelo vice Dei mandante præcepta capit. XXI, XXII et XXIII audierat; sed descendere jussus fuit, ut leges has populo proponeret, quod licet hic taceat more Hebræo Scriptura, innuit tamen vers. 3, unde rursum jubetur hic ascendere, postquam scilicet habuerit responsionem et assensum populi de lege Dei observanda, idque ad hoc, ut in monte Sina legis tabulas, tanquam signum fœderis inter Deum et populum, ejusque quasi instrumentum et obsignationem accipiat: multa ergo hic præterit et silet Scriptura studio brevitatis, quæ interpreti aliunde supplenda sunt.

TU ET AARON, NADAB ET ABIU. — Hi duo ultimi erant filii seniores Aaronis, qui postea ignem alienum sacris et sacrificiis adhibentes, eo exusti sunt a Deo vindice, *Levit.* cap. X, vers. 1.

ET SEPTUAGINTA SENES EX ISRAEL. — Putant aliqui hos septuaginta esse illos, in quos Moses suum regendi onus et spiritum partitus est, quosque præfecit populo, qui proinde et prophetabant; e quibus Eldad et Medad etiam absentes spiritum eumdem acceperunt. Sed hoc ab historia sacra

est alienum : nam illi in sepulcris concupiscentiæ diu postea, non vero in Sinai delecti sunt, uti videre est *Num.* cap. XI, vers. 16. Non etiam hi septuaginta fuerunt decuriones, aut chiliarchæ omnes consilio Jethro constituti, de quibus *Exodi* cap. XVIII; sed ex hisce (si tamen illi jam erant constituti), vel ex aliis etiam populi primoribus a Mose evocati sunt, ut eum in Sina comitantes, tabularum legis acceptionem sua præsentia decorarent.

ET ADORABITIS PROCUL — Deum in caligine, in cacumine montis Sina, per angelum se ostendentem et loquentem cum Mose (1).

Vers. 2. 2. SOLUSQUE MOYSES ASCENDET AD DOMINUM, — ad caliginem verticis Sina. Solus, inquam, Moses comitatus uno suo famulo Josue : septuaginta autem seniores cum Aarone, jussi sunt remanere inferne cum populo ad eum gubernandum.

Vers. 3. 3. VENIT ERGO MOYSES, ET NARRAVIT PLEBI OMNIA VERBA DOMINI. — Sane sine miraculo fieri non potuit, ut vox Mosis a tot centenis millibus populi audiretur et intelligeretur : quod idem certius liquet in iterata promulgatione legis, *Deuter.* cap. I, et *Deuter.* cap. XXIX, vers. 10 et 11. Voluit autem Deus hæc præcepta sigillatim populo, id est Hebræis omnibus, proponi, antequam cum eis fœdus iniret et tabulis firmaret, ut ostenderet quam humaniter cum eis ageret, neque velle se eis legem ferre nisi assentientibus; deinde ut firmius eam retinerent, quam tam libere amplexi essent, neque ullam deinceps detrectandi haberent ansam.

Vox Mosis ab omnibus audita per miraculum.

JUDICIA, — leges judiciales cap. XXI, XXII, XXIII.

Vers. 4. 4. ÆDIFICAVIT ALTARE AD RADICES MONTIS, ET DUODECIM TITULOS PER DUODECIM TRIBUS ISRAEL, — *q. d.* Moses duodecim rudia saxa in titulos et statuas erexit, ut sacrificia hæc, quibus fœdus inter Deum et populum sanciebatur, pro duodecim tribubus offerri significaret. Unde et aliqui probabiliter putant ex duodecim hisce lapidibus ipsum altare fuisse constructum. Ita Abulensis et Cajetanus, licet Andreas Masius in *Josue* cap. VIII, num. 31, et alii contrarium sentiant.

Vers. 5. 5. MISITQUE JUVENES DE FILIIS ISRAEL, ET OBTULERUNT HOLOCAUSTA. — Chaldæus, *misit primogenitos filiorum Israel* : hi enim in lege naturæ erant sacerdotes, necdum enim Aaron ordinatus erat sacerdos. Ergo principum Israelis filii primogeniti hæc sacrificia offerebant : licet S. Augustinus, Quæst. XX in *Levit.*, hos putet fuisse filios Aaron, qui postea creati sunt sacerdotes.

VITULOS DUODECIM. — Expunge τὸ *duodecim* cum Romanis, Hebræo, Chaldæo et Septuaginta : cum enim plures essent primogeniti, nihil obstat quo minus plures victimas eos obtulisse dicamus. Apostolus, *Hebr.* cap. IX, vers. 19, addit hircos quoque tum oblatos fuisse.

(1) Mons Sinai duo habet cacumina, unum, humilius, vocatur Horeb, et in eo seniores mansisse videntur; alterum quod vocatur Sinaï, hodie *Djaebbel Musa*, mons S. Catharinæ, difficile est ascensu et exsuperat nubes : in id Moses solus ascendit.

Vers. 6. 6. TULIT ITAQUE MOYSES DIMIDIAM PARTEM SANGUINIS, ET MISIT IN CRATERAS; PARTEM AUTEM RESIDUAM FUDIT SUPER ALTARE. — Nota : Solebant veteres fœdera victimis et sanguine sancire. Unde Livius, lib. I, loquens de fœdere inter Romanos et Albanos inito : « Positis, inquit, fœderis legibus, aiebat fecialis : Populus Romanus prior non deficiet; si prior defecit, publico consilio, dolo malo, tu, illo die, Jupiter, populum Romanum sic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam, tantoque magis ferito, quanto magis potes, pollesque; » et Virgilius lib. VIII *Æneid.* de Romulo et Tatio :

Fœdera sanciebantur sanguine victimarum.

Ritus fœderis Romanorum.

> Armati Jovis ante aram, paterasque tenentes
> Stabant, et cæsa jungebant fœdera porca.

Unde et putant nonnulli fœdus dictum a fœdo, scilicet animali, puta porco, qui in fœdere mactabatur, indeque phrasim manasse, qua fœdus ferire, percutere, icere dicimus. Idem et multo ante inter fideles, et veri Dei cultores usu receptum fuit. Hinc *Gen.* cap. XV, vers. 9, 10, 17, Dominus in signum et confirmationem fœderis cum Abraham initi, jussit immolari bovem, arietem et capram, dividique per medium; quo facto lampas Deum significans per medias divisiones transiit, indicans ita dividendum fore qui fœdus rumperet. Vide Jeremiam, cap. XXXIV, vers. 18; unde ברית *berit*, id est fœdus hebraice, plerique a בתר *batar*, id est dividere, per metathesin deducunt. Hinc Cyrillus, lib. X *Contra Julianum*, sub finem, ex Sophocle docet apud posteriores id servatum, scilicet ut euntes per medium ignem, et ferrum manibus ferentes facerent juramenta. Idem factum est in hoc fœdere Dei cum Mose et Judæis; sanguis enim victimarum divisus est, ut significaretur eum, qui pactum violaret, simili modo sanguine violatam fœderis fidem luiturum : quia vero pactum feriebatur inter Deum et populum, oportebat ut tam Deus, quam Israel sanguinem dividerent, eoque aspergerentur, et cum Deus sit incorporeus, ut sanguine aspergi non possit, hinc altare sacrificiorum ejus vice sanguine tinctum fuit.

Ritus fœderis Hebræorum.

Ritus fœderis Gentilium.

Simili modo Christus Dominus novum fœdus et testamentum sancivit se ipso, et sanguine suo quasi victima, et sanguine victimæ fœderalis; præsertim quia hac victima et sanguine promeruit nobis redemptionem, gratiam, hæreditatem et omnia bona quæ in hoc fœdere suo nobis promisit, *ad Hebræos* cap. IX, vers. 15 et seq.; idque expressit in institutione Eucharistiæ, dicens : « Hic est sanguis novi Testamenti. » Unde contra Sacramentarios validum pro veritate corporis Christi intorqueas argumentum : si enim vero sanguine vetus sancitum est fœdus, isque intelligitur cum dicitur hic vers. 8 : « Hic est sanguis fœderis, quod pepigit vobiscum Deus, » utique et vero sanguine sancitum est fœdus novum; isque intelligitur, cum ergo is

Ritus fœderis Christi.

Vero sanguine sanxit Christus novum fœdus in Eucharistia,

revera ibi fuit et est.

dicitur : « Hic est sanguis novi Testamenti; » hic enim vetus, novi et veri erat typus, ad quem certum est Christum in verbis jam dictis respexisse.

Dices : Christus vocat sanguinem novi Testamenti, non fœderis, uti suum vocat Moses hic; ergo dissimilis est hæc sanguinis lustratio.

Respondeo : Christus testamentum vocat fœdus testamentarium, adeoque fœdus et testamentum in Scriptura sæpe idem sunt, ut ostendi I *Cor.* cap. XI, 25. Vide et dicta *ad Hebr.* cap. IX, 19.

Vers. 7.

7. ASSUMENSQUE VOLUMEN FOEDERIS, LEGIT, AUDIENTE POPULO. — « Volumen » hoc erat libellus, quem recenter Deo dictante Moses in Sina scripserat, de quo vers. 4, qui continebat jam dicta Dei præcepta, universosque sermones Domini a cap. XX usque ad hoc cap. XXIV. Legit ergo Moses hoc volumen continens præcepta Dei (hæc enim erant conditiones fœderis ineundi cum Deo) populo; populus deinde promisit se ea servaturum:

Moses fecialis.

Moses denique quasi fecialis, fœdus inter Deum et populum sanciens et confirmans, sanguine victimarum populum respersit.

Vers. 8.

8. ILLE VERO SUMPTUM SANGUINEM RESPERSIT IN POPULUM. — Sanguis in populum aspersus significabat sanguinem Christi in nos aspersum. Addit Apostolus, *Hebr.* cap. IX, vers. 19, nonnulla quæ hic subticet Moses; sic enim habet : « Accipiens sanguinem vitulorum et hircorum cum aqua, et lana coccinea et hyssopo, ipsum quoque librum et omnem populum aspersit. » Succincte enim hæc narrat Moses, quæ Paulus partim instinctu Spiritus Sancti, partim ex consuetudine ritus legalis, quem in lustrationibus ejusmodi usurpari solitum, tum ex S. Scriptura, tum ex ipsa praxi didicerat, hæc ipsa supplevit et expressit; nam aquam sanguini misceri solitam in sacris aspersionibus, patet *Exodi* cap. XII, vers. 22. Idem patet de cocco sive de lana coccinea, atque hyssopo, *Num.* cap. XIX, vers. 6 et 18. Rursum, cum vitulis oblatos quoque fuisse hircos patet, quia hircus, utpote suo fœtore apte peccatum repræsentans, offerri solet pro peccato, ut patet *Levit.* cap. IX, vers. 3 et 15. Unde apte figurabat Christum, qui nostra peccata in se luenda suscepit.

Aqua sanguini adhibebatur in lustratione, cur?

Nota : In priscis Hebræorum lustrationibus aqua sanguini adhibebatur, ne sanguis concresceret, sed fieret liquidior et sparsilis, ideoque aspersioni in tantum populum idoneus. Rursum, allegorice hæc aqua et sanguis victimarum figura erant et typus sanguinis et aquæ ex latere Christi effluentis, ac consequenter typus erant Baptismi et Eucharistiæ; aqua enim Baptismum, sanguis Eucharistiam repræsentat.

Item lana coccinea et hyssopus, cur?

Secundo, in lustrationibus adhibebatur lana coccinea et hyssopus, ut ex eis fieret aspergillum; ad hoc enim peridonea sunt tum ob suam densitatem, tum ob vim retentivam quam habent : sunt enim humoris bibula æque ut spongia. Rursum, allegorice lana significabat candorem et innocentiam Christi, sive carnem Christi per se candidam, sed ob peccata nostra coccineam, id est sanguine passionis rubricatam.

Hyssopus est symbolum charitatis et humilitatis.

Hyssopus vero typus erat, *primo,* charitatis et gratiæ Christi, est enim hyssopus natura sua calida : unde servit mysterio, suoque calore et fervore Spiritus Sancti ardentissimos æstus, quibus ignescunt piorum mentes, denotat. *Secundo,* hyssopus typus erat humilitatis et humanitatis Christi, per quam Deus nostram superbiam aliaque peccata sanavit: est enim hyssopus herba humilis, et, ut docet Dioscorides, lib. III, cap. XXVIII, medetur pulmonis tumori, qui superbiæ est symbolum, ut annotavit Rupertus (1).

Vers. 10.

10. ET VIDERUNT DEUM ISRAEL, — non per essentiam, sed per umbram, id est in specie aliqua sensibili, quam Dei voluntas elegit, et humana fragilitas ferre potuit. Unde Chaldæus vertit, *et viderunt gloriam Dei Israel.* Longius abeunt Septuaginta, qui nomen aliud remotius subaudiunt, scilicet *locum* : « Et viderunt locum, inquiunt, ubi stetit Deus Israel. » Idque ut obvolvant hanc Dei visionem, ne putentur hi seniores Deum in sua essentia et forma divina vidisse.

Qua forma apparuerit Deus senioribus? Resp. Abulensis, forma nubis lucidæ.

Quæres, in qua forma hic se videndum Deus, id est Angelus vice Dei, senioribus exhibuerit? Respondet Abulensis, Deum hic apparuisse in forma nubis lucidæ, intra quam Dei majestas latere videbatur, ita ut rudes Judæi putarent in hujus nubis infima parte consistere pedes Dei, in parte vero superiori versus cœlum cæterum corpus, et hoc respectu dici hic sub pedibus Dei, id est sub infima parte nubis, in qua credebantur esse pedes Dei, fuisse quasi opus lapidis sapphirini; quod enim forma hominis, aut animalis, alteriusve rei hic Deus non apparuerit, patet ex *Deuter.* cap. IV, vers. 15, ubi dicitur : « Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua locutus est vobis Dominus de Horeb, in medio ignis; ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, » etc.

Alii, forma hominis, idque verius est.

Alii tamen, ut Lyranus, Cajetanus, Prado in *Ezech.* cap. I, verius censent Deum hic humana forma, nimirum specie magnifici principis, et regis legislatoris sese ostendisse; unde in Hebræo pro *Deum,* non est nomen Dei tetragrammaton, sed est *Elohim,* quod Deum qua principem et judicem significat; hinc et visus est Deus hic habere pedes, et sub pedibus habere scabellum sapphirinum : voluit enim Deus hac specie et legislatoris majestatem, et timorem senioribus, et per hos populo demonstrare et imprimere. Addit Hieronymus Prado in cap. I *Ezech.*, et alii nonnulli, Deum hic apparuisse tam senioribus, quam Mosi specie humana currui Cherubim, quem quatuor animalia, puta quatuor Cherubim, bovis, aquilæ, leonis et hominis speciem habentes, stipabant,

(1) Vers. 9. Omittitur hic Josue, qui, ut liquet e vers. 13, ascendit cum Moyse, quia, ut videtur, neque nomine populi, nec suo intererat, sed tanquam *Mosis minister.*

insidentem : qua specie Deum vidit Ezechiel, cap. I, et S. Joannes, *Apoc.* cap. IV : ita ut ad hujus speciei et visionis exemplum ac formam Moses fabricarit arcam, et Cherubim quasi currum gloriæ Dei ; non est enim dubium quin horum typum Mosi in Sina ostenderit Deus, ut secundum illum illa fabricaretur ; hoc enim est quod dicitur cap. XXV, vers. ult. : « Fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est. » Sed de hoc plenius dicam cap. XXV, vers. 18.

Allegorice, species hæc humana Dei legislatoris veteris, significabat incarnationem Verbi legislatoris novi. Ita Lyranus et alii.

Ad argumentum Abulensis respondet, *Deuter.* cap. IV, sermonem esse non de hac visione secreta et privata, quæ facta est Mosi et senioribus, sed de publica, quæ facta est toti populo, cum Deus illi ex Sina promulgaret decalogum, cap. XIX, 18, et cap. XX, 18 : populus enim pronus erat ad idololatriam ; unde noluit illi Deus se exhibere specie aliqua hominis vel animalis, ne illius formaret idolum : hoc autem periculum non erat in Mose et senioribus, utpote viris sapientibus et selectis. Unde constat ex cap. XXV, vers. ult., Deum de facto Mosi exhibuisse ideam arcæ, Cherubim totiusque tabernaculi.

ET SUB PEDIBUS EJUS. — Deus enim apparebat hic quasi homo et princeps magnificus. Nota : In Scriptura tribuuntur Deo membra hominis, non quod revera Deus habeat corpus, ut voluerunt Anthropomorphitæ, sed ut hominum phantasiæ et sensibus se accommodet, utque mysticum et spiritale quid, eis apte respondens, significet. Unde S. Augustinus, *epist.* 111, quæ est de videndo Deo, sic ait : « Alas cum in Deo audimus, protectionem intelligimus ; cum manus, operationem ; cum pedes, præsentationem ; cum oculos, visionem ; cum faciem, notitiam qua innotescit. » Et ibidem citat S. Hieronymum in *Psalm.* XCIII dicentem : « Deus totus oculus est, quia omnia videt ; totus manus est, quia omnia operatur ; totus pes est, quia ubique est. Ergo videte quid dicat : Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculos, non considerat? Et non dixit : Qui plantavit aurem ; ergo ipse aurem non habet : Qui finxit oculos ; ergo ipse oculos non habet. Sed quid dixit : Qui plantavit aurem, non audiet? qui finxit oculos, non considerat? membra tulit, efficientias dedit. » De his fuse agit in libro *De Essentia divinitatis*, et divus Thomas, I *part.*, *Quæst.* III, art. 1.

Sapphirus symbolum est splendoris et majestatis Dei

ET SUB PEDIBUS EJUS QUASI OPUS LAPIDIS SAPPHIRINI, ET QUASI COELUM CUM SERENUM EST, — *q. d.* Sub pedibus Dei apparebat quasi pavimentum ex sapphiro constratum (1). Signabatur hoc symbolo splendidissima et præstantissima Dei majestas, quæ omnem cœli et gemmarum fulgorem et splendorem longe transcendit, et pedibus premit. Est enim « sapphirus gemma gemmarum, inquit Abulensis ; unde apud Gentilium deos in magna fuit sapphirus reverentia, quod sine eo responsa non dabantur. » Et Pierius, *Hieroglyph.* 41 : « Sapphirus, ait, apud veteres magna semper in veneratione fuit, siquidem per eum imperium et summum sacerdotium significari manifestum est. » Unde Ælianus, lib. XIV, cap. XXXIV, docet apud Ægyptios summum sacerdotem (qui et supremus erat judex) gestare solitum collo appensam imaginem e sapphiro, quæ appellabatur *Veritas*. Modo quoque summus Pontifex cuilibet Cardinali recens creato sapphirum mittit. Et Rueus qui asserit : « Supremam olim sapphirum apud homines auctoritatem habuisse, et apud divos gratiam, ipsa perhibet antiquitas. » Sapphirus enim pulcherrimus est, quia aureis punctis quasi stellis collucet. Unde hebraice vocatur סַפִּיר *sappir*, a סֵפֶר *sepher*, id est a numero, scilicet stellarum ; vel, ut S. Hieronymus, a שָׁפִיר *scaphir*, id est pulcher. Rursum, sapphirus valet « contra melancholiam, et quartanam, et humores melancholicos, » teste Avicenna, Alberto Magno, et Mathiolo, lib. V, cap. LXVI. Denique sapphirus, ait Galenus et Dioscorides, « percussis a scorpione haustus prodest, et contra intestinas exulcerationes bibitur, et ruptas membranas cogit, et excrescentia in oculis pustulasque inhibet. » Sapphirus ergo vigoris et lætitiæ divinæ est symbolum.

Anagogice, hæc regni cœlestis, in quo nobis Deus promittitur, soliditatem, puritatem et altitudinem adumbrabant. Ita Rupertus, et S. Augustinus, *Quæst.* CII. Sapphiri enim color est cæruleus, aureis stellulis conspersus, ita ut cœli ipsius speciem referat. Jam cæruleus color, quem in cœlo suspicimus, nihil est aliud, quam altissimæ lucis profunditas : hic ergo apte immensum deitatis, quasi lucis incomprehensibilis pelagus, in cujus conspectu et cogitatione humanæ mentis acies videtur plane evanescere, significat. Rursum, significat beatitudinis divinæ serenitatem et æternitatem.

Allegorice, scabellum hoc Dei sapphirinum significabat claritatem purissimam B. Virginis, in qua quasi in scabello sedere dignatus est Dei Filius, dum in ea conceptus et natus est. Ita R. Moses et R. Haccados apud Galatinum, lib. VII, cap. ultim.

In Hebræo et Septuaginta pro *lapidis* est *lateris* ; habent enim, *et sub pedibus ejus quasi opus lateris sapphirini*. Verum later hic pro lapide sumitur ; unde Vatablus, Chaldæus, R. David, et alii hic vertunt, *quasi opus lapidis sapphirini*. Hic ergo later erat lapis, id est gemma, quoad naturam et splendorem ; idem vero erat et later, quoad formam quadratam, vel potius quadrangulam ; erat enim hic imago propitiatorii futuri.

Adde : lapis hic apparebat esse later, quoad

(1) Hebræum verti potest, *sub pedibus ejus* (viderunt quidquam simile) *operi* (tessulato) *pellucido sapphirino*. לִבְנַת enim est *candor*, seu *pelluciditas*.

candorem; inde enim later hebr. vocatur לבנה *lebena,* id est albus, eo quod in fornace coctus albescat. Denique per laterem, inquit R. Salomon, significabat Deus se memorem esse afflictionis Hebræorum in latere et luto Ægyptio, eamque jam in sapphirum commutasse. Denique ex hoc loco tradunt vel conjiciunt Hebræi, tabulas lapideas, quibus Deus legem inscripsit, fuisse ex sapphiro, uti dicam cap. XXXI, vers. ult.

Vers. 11. 11. NEC SUPER EOS QUI PROCUL RECESSERANT DE FILIIS ISRAEL, MISIT MANUM SUAM, VIDERUNTQUE DEUM, ET COMEDERUNT AC BIBERUNT. — Ita legunt Romana omniaque alia exemplaria, præter Complutensia, quæ perperam legunt, *necnon super eos,* etc. contrario sensu. Sensus est : Super seniores qui a plebe recesserant, et cum Mose ascenderant in montem, non misit Deus manum suam, id est, Deus non percussit, non læsit principes Israel qui illum viderant; biberunt enim et comederunt postea, quasi læti et exultantes hac augusta et delectabili visione Dei, quod argumentum fuit illos non fuisse a Deo occisos, aut læsos, cum tamen scriptum sit : « Non videbit me homo, et vivet. » Unde olim communis fuit sensus et timor, eum qui Deum videret, a Deo morte percutiendum esse; cujus rei exemplum est in Manue, *Judic.* cap. XIII, 22, et in populo audita lege, *Deut.* cap. V, vers. 24. Recte ergo dicit hic Moses, seniores hos Deum vidisse, et tamen non esse mortuos aut læsos. Unde Chaldæus vertit : *Principibus autem filiorum Israel nullum fuit incommodum*; vox enim Hebræa אצילי *atsile,* significans separatos et procul recedentes, significat etiam magnates et principes, qui a plebe honore et gradu separati sunt. Jam « mittere manum » super aliquem significat percutere, vel lædere aliquem. Chaldæum sequitur Vatablus et passim recentiores, *q. d.* Moses : Plebi et iis qui cum plebe erant, non fuit fas videre Deum in effigie aliqua sensibili, ne ejus idolum sibi fabricarent; senioribus vero a plebe separatis, et, ut Septuaginta vertunt, *electis filiorum Israel,* fas fuit ita Deum videre : hi enim erant viri prudentes, fideles, constantes, et timentes Deum. Aliter hæc explicat Abulensis, videlicet sic : Seniores populi viderunt Deum Israel, nec tamen Deus ipse misit manum suam super eos qui longe recesserant, id est, nec a populo longe remoto occultavit se, sed potius ei se manifestavit, uti et senioribus; *ponere* enim *manum* subinde apud Hebræos significat occultare, uti patet *Exodi,* cap. XXXIII, vers. 22. Verum hic sensus remotior est et obscurior; prior ergo est genuinus.

Vers. 13. 13. ASCENDENS MOYSES IN MONTEM DEI, — puta in altiora montis Sina : unde postea ad ipsum ejus cacumen, tabulas legis accepturus, septimo die evocatus est. Ita Hugo.

Moses uno ministro contentus. ET JOSUE MINISTER EJUS. — Vide hic Mosen uno ministro contentum. Igitur Moses populi princeps, dux, legislator et pontifex in principatu pauperem egit vitam, uno ministro utens Josue; noluit ergo famulorum, equorum, rhedarum turbam. Eodem quoque cibo, imo eadem portione cibi qua cæteri Hebræi, puta uno gomor manna, dietim vixit, ut daret posteris et principibus exemplum modestiæ, frugalitatis, continentiæ, qua populo se æquarent, quoad possent, nec eos gravarent tributis ad proprium luxum; neque inter eos ambitiose se extollere, eisque superbe dominari satagerent.

14. SENIORIBUS AIT : EXSPECTATE HIC. — Hic scilicet, cum populo; τὸ enim *hic* ample accipitur, et forte digito ostendebat Moses ipsa castra populi, *q. d.* Suffecerit, o senes, vos hucusque me comitatos esse, et adorasse Dominum; hic subsistite, ne ascendatis mecum, sed redite ad castra, ut populo præsitis, eumque in officio contineatis; in castris enim paulo post Aaron vitulum populo conflavit; ideoque a Mose, qui solus cum Josue descendebat de monte, inventus et increpitus est. Vers. 14.

SI QUID NATUM FUERIT QUÆSTIONIS, REFERETIS AD EOS. — Hebr. *vir verborum,* id est causarum, vel litium, qui videlicet causam aliquam vel litem habet, hic « accedet coram eis, » puta coram Hur et Aaron ut illi causam decidant : populus ergo e castris ad seniores, hi ad Hur et Aaron, quæstiones exortas Mose absente referre hic jubentur.

16. ET HABITAVIT GLORIA DOMINI SUPER SINAI. — « Gloria, » id est majestas Domini patefaciens se per spectra admiranda, puta calignem et ignem. Vers. 16.

TEGENS ILLUM NUBE SEX DIEBUS. — Voluit Deus per hos sex dies Mosen abstrahi et emundari ab omni terrena cogitatione et cura, speque et oratione elevari ad supernorum contemplationem, itaque ad Dei, vel angeli potius, colloquium præparari.

17. ERAT AUTEM SPECIES GLORIÆ DOMINI, QUASI IGNIS ARDENS. — Τὸ *quasi* hic non similitudinem, sed rei veritatem significat, uti et *Joan.* cap. I, vers. 14 : « Vidimus eum quasi unigenitum. » Et I *Cor.* cap. III, vers. 15 : « Salvus erit, sic tamen quasi per ignem. » Et I *Petri* cap. II, vers. 13 : « Sive regi quasi præcellenti; » hic ergo erat vera species ignis, verusque ignis. Vers. 17.

Alia est hæc visio ab ea seniorum, vers. 10. Hic enim omnis populus speciem tantum ignis vidit, uti et cap. XX, vers. 18. Nubes ergo totum tegebat montem, sed in ejus cacumine ignis species, quæ Dei erat index, eminebat, mansitque hæc visio integros 40 dies, quibus in monte fuit Moses, idque ne Israelitæ de ejus reditu desperarent.

18. INGRESSUSQUE MOSES MEDIUM NEBULÆ, ASCENDIT IN MONTEM. — Relicto Josue in monte, Moses altius in cacumen montis ascendit, cum angelo Dei vices gerente collocuturus, et tabulas legis accepturus. Vers. 18.

Tropologice, qui Deum quærit, et cum eo colloqui cupit, ad nebulam, id est ad cordis secretum se recipiat, omnia quæ videntur contemnat, alta petat, mentem ad invisibilia transferat. Ita Nyssenus et Rupertus. Tropologice.

Ita in *Vitis Patrum,* lib. VI, sub finem, dicunt

seniores : « Quando intrabat Moses in nube, cum Deo loquebatur; quando autem exibat de nube, cum populo. Sic et monachus, quando in cella sua est, cum Deo loquitur; egrediens autem de cella, cum dæmonibus est. » Rursum, libro V, cap. VII, num. 38, dicit senex : « Cella monachi est caminus ille Babylonius, ubi tres pueri Filium Dei invenerunt; sed et columna nubis est, ex qua locutus est Deus Mosi. » Aurea vero est illa B. Nili, qui fuit discipulus S. Chrysostomi, sententia : « Imperforabilis manet a sagittis inimici, qui amat quietem; qui autem miscetur multitudini, crebra suscipiet vulnera. »

ET FUIT IBI QUADRAGINTA DIEBUS. — Additur *Deuter.* IX, 9, Mosen quadraginta illis diebus nihil comedisse, nihil bibisse; vivebat enim Moses tunc verbo et colloquio Dei, atque Dei virtute eum sustentante. Totidem diebus exspectans reditum Mosis, mansit Josue in suo illo loco (unde ad cacumen evocatus discesserat ab eo Moses), contemplationi, ut par est credere, Mosis exemplo, deditus; sed an Josue, similiter ac Moses, sine cibo et potu quadraginta diebus vixerit, incertum est. Censet Abulensis Josue manna inibi cadente, et torrente, qui *Deut.* IX, 21, de monte descendere dicitur, alitum fuisse.

Josue cum Mose an sine cibo vixerit 40. diebus in Sina ?

Putant aliqui Mosen præter sex dies, de quibus, vers 16, insuper alios quadraginta dies in monte cum Deo fuisse, ita ut universim ibi fuerit quadraginta sex diebus. Sed verius est eum omnino tantum quadraginta diebus in monte fuisse, idque colligitur ex *Deut.* IX, 9, 11 et 18. Sex ergo dies, de quibus vers. 16, comprehenduntur inter hos quadraginta.

Symbola numeri 40.

Nota : *Quadraginta* numerus in Scriptura frequens et sacer est jejunio Mosis, Eliæ, Christi. Rursum 42 mansionibus, sive stationibus Hebræorum in deserto; ad hæc 40 annis peregrinationis in eodem, quibus jugiter cibo terreno carentes, cœlesti manna sunt aliti, usque dum venerunt ad terram promissionis : sicuti Christiani 40 diebus jejunii ad resurrectionem tendunt; qui jejuniorum dies, ob veterem illam peregrinationis et stationum Hebræorum in deserto figuram, stationes etiam a Patribus appellatur, uti a Cassiano, *Collat.* XXI, cap. XXVIII et XXIX, ubi et Quadragesimam vocat anniversariam decimam, quia scilicet ipsa est decima pars anni, itaque per eam quasi decimas anni Deo dependimus. Ita etiam vocantur ab Herma, qui et Pastor dicitur, lib. III, cap. V : « Quid est, inquit, jejunium? Est statio, » quia est quasi status dies ad jejunandum; et ab Ambrosio, *serm.* 25 : « Stationes, inquit, vocantur jejunia, quod stantes et commorantes in eis, inimicos insidiantes repellimus; » et a Tertulliano, lib. *De Orat.* in fine, ubi ait : « Statio solvenda est accepto corpore Domini (olim enim pene quotidie conveniebant Christiani vespere ad orationem, quasi ad stationem, in eaque jejuni cœnam Christi peragebant, ac communicabant; jejunabant enim usque ad vesperam, puta usque ad cœnam Eucharistiæ). Quod si statio de militari nomen accipit (nam et militia Dei sumus), utique nulla tristitia aut lætitia castris obveniens, stationes militum rescindit; nam lætitia libentius, tristitia sollicitius administrabit disciplinam. » Ita Tertullianus; idem, lib. *De Jejunio* : « Quartæ, inquit, sextæque feriæ stationes, » id est jejunia. Vide notationem Pammelii in librum Tertulliani *De Oratione*, in fine.

Quadragesimæ jejunium vocatur statio, unde ?

Quadragesima est anniversaria decima.

Ita Simeon Stylites, qui perdius et pernox octoginta annos in columna stetit, viginti octo Quadragesimas integras sine ullo cibo aut potu transegit, ut merito portentum orbis, nec tam homo quam angelus esse visus sit. Sed plures audi eosque homines : Lucianus in *Philopatro* testis est, Christianos sic solitos servare jejunium Quadragesimæ, ut decem soles sine cibo transigerent. Gregorius Nazianzenus ad Hellenium scribit, plures ex monachis in Ponto fuisse, qui totos viginti dies et noctes cibo abstinerent, dimidium Christi et Mosis jejunium imitantes, ex eisque unum sibi subditum fuisse testatur. S. Augustinus, epistola 86 *ad Casulanum*, tradit se aliquos novisse, qui ultra hebdomadam perpetuum servarent jejunium; additque : « Ad ipsum quadragenarium numerum pervenisse quemdam, a fratribus fide dignis nobis asseveratum est. » S. Hieronymus, epist. 7 *ad Lætam*, de institutione filiæ, prohibens in tenella ætate onera abstinentiæ : « In Quadragesima tamen, inquit, continentiæ vela pandenda sunt, et tota aurigæ retinacula equis laxanda properantibus. » Idem scribens ad Marcellam de Asella : « Cum, inquit, per omnem annum jugi pasceretur jejunio, biduo triduoque sic permanens; tum vero in Quadragesima navigii sui vela tendebat, omnes pene hebdomades vultu lætante conjungens, itaque ad quinquagenariam pervenit ætatem, ut non doleret stomachum, non viscerum cruciaretur injuria. » Justinianus imperator duram agebat in Quadragesima vitam : « Per duos dies cibis abstinebat; cibi appetens, vinum, panem, et id genus alia cibaria abesse voluit; brassicam solum, et agrestes herbas sale et aceto maceratas edebat; in potu aqua erat sola, neque his ad saturitatem utebatur; sed petitum cibum paulisper degustatum mox dimisit, non eo sumpto qui naturæ satis erat, » inquit Procopius, lib. I *De Ædific. Justiniani imperatoris*; atque ita jejunio armatus Persas, Gothos, Wandalos, et alios barbaros superavit. Prisci monachi in Quadragesima in eremum secedebant, toti jejuniis et contemplationibus intenti, uti narrat Zozymas in Vita S. Mariæ Ægyptiacæ. S. Franciscus præter Quadragesimam paschalem, duplicem aliam jejunabat : unam ante festum Assumptionis, in honorem B. Virginis; alteram post illud festum, in honorem SS. Angelorum : unde in fine hujus jejunii præmii loco, sacra Christi stigmata, per Seraphim sibi im-

Exempla pristini rigoris jejunii Quadragesimæ.

pressa, accepit. Ita S. Bonaventura in ejus Vita.

Quadragesimam transigebant monachi Tabennesiotæ cibis igne non coctis; Paulus Abbas Galata cum sextario lentis et vasculo aquæ; Adolius post quinque tantum dies comedens; Macarius Alexandriæ nihil comedens præter pauca cruda crambes folia die dominico, nunquam genu flectens, nunquam accubans, semper stans. Ita habetur in *Vitis Patrum.*

Symbolice Beda : Fuit, inquit, Moses cum Domino quadraginta diebus, ut hoc numero disceret, quod illi tantum Decalogum implere possint, quos Evangelicæ gratia veritatis, quatuor describenda libris (Evangeliis), juvaret; quater enim ducta in decem faciunt quadraginta. Rursum, hoc numero quadraginta significabantur decem præcepta, quæ hisce quadraginta diebus Moses a Deo accepit, in quatuor mundi plagas, id est omnes gentes, tempore Evangelii divulganda.

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Transit Moses a moralibus et judicialibus ad cæremoniales leges.

Jubet Deus fieri arcam, vers. 10, *et propitiatorium cum duobus Cherubim, vers.* 17. *Secundo, mensam panum propositionis, vers.* 23. *Tertio, candelabrum septiceps ex talento auri, vers.* 31.

Nota. Triplices fuerunt leges veteris Testamenti, scilicet morales, judiciales et cæremoniales : morales præscripsit Deus cap. XX, *judiciales cap.* XXI, XXII, XXIII, *cæremoniales hic incipit præscribere.*

Hoc ergo capite cum tribus sequentibus, describitur forma tabernaculi cum suis vasis, suaque supellectile. De tabernaculo hoc vide Abulensem hic, Bedam et Richardum Victorinum, libro De Tabernaculo, *et exacte Riberam, lib.* V De Templo, *ac Vilalpando in* Descriptione Templi.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : 2. Loquere filiis Israel, ut tollant mihi primitias ab omni homine qui offeret ultroneus, accipietis eas. 3. Hæc sunt autem quæ accipere debetis : Aurum, et argentum, et æs, 4. hyacinthum et purpuram, coccumque bis tinctum, et byssum, pilos caprarum, 5. et pelles arietum rubricatas, pellesque ianthinas, et ligna setim : 6. oleum ad luminaria concinnanda : aromata in unguentum, et thymiamata boni odoris : 7. lapides onychinos, et gemmas ad ornandum ephod ac rationale. 8. Facientque mihi sanctuarium, et habitabo in medio eorum : 9. juxta omnem similitudinem tabernaculi quod ostendam tibi, et omnium vasorum in cultum ejus; sicque facietis illud : 10. Arcam de lignis setim compingite, cujus longitudo habeat duos et semis cubitos : latitudo, cubitum et dimidium : altitudo, cubitum similiter ac semissem. 11. Et deaurabis eam auro mundissimo intus et foris; faciesque supra, coronam auream per circuitum : 12. et quatuor circulos aureos, quos pones per quatuor arcæ angulos; duo circuli sint in latere uno, et duo in altero. 13. Facies quoque vectes de lignis setim, et operies eos auro. 14. Inducesque per circulos qui sunt in arcæ lateribus, ut portetur in eis : 15. qui semper erunt in circulis, nec unquam extrahentur ab eis. 16. Ponesque in arca testificationem quam dabo tibi. 17. Facies et propitiatorium de auro mundissimo; duos cubitos et dimidium tenebit longitudo ejus, et cubitum ac semissem latitudo. 18. Duos quoque Cherubim aureos et productiles facies, ex utraque parte oraculi. 19. Cherubim unus sit in latere uno, et alter in altero. 20. Utrumque latus propitiatorii tegant, expandentes alas et operientes oraculum, respiciantque se mutuo versis vultibus in propitiatorium quo operienda est arca, 21. in qua pones testimonium quod dabo tibi. 22. Inde præcipiam, et loquar ad te supra propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim, qui erunt super arcam testimonii, cuncta quæ mandabo per te filiis Israel. 23. Facies et mensam de lignis setim, habentem duos cubitos longitudinis, et in latitudine cubitum, et in altitudine cubitum ac semissem. 24. Et inaurabis eam auro purissimo; faciesque illi labium aureum per circuitum, 25. et ipsi labio coronam interrasilem altam quatuor digitis; et super illam,

alteram coronam aureolam. 26. Quatuor quoque circulos aureos præparabis, et pones eos in quatuor angulis ejusdem mensæ per singulos pedes. 27. Subter coronam erunt circuli aurei, ut mittantur vectes per eos, et possit mensa portari. 28. Ipsos quoque vectes facies de lignis setim, et circumdabis auro ad subvehendam mensam. 29. Parabis et acetabula, ac phialas, thuribula, et cyathos, in quibus offerenda sunt libamina, ex auro purissimo. 30. Et pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper. 31. Facies et candelabrum ductile de auro mundissimo, hastile ejus, et calamos, scyphos, et sphærulas, ac lilia ex ipso procedentia. 32. Sex calami egredientur de lateribus, tres ex uno latere, et tres ex altero. 33. Tres scyphi quasi in nucis modum per calamos singulos, sphærulaque simul, et lilium : et tres similiter scyphi instar nucis in calamo altero, sphærulaque simul, et lilium. Hoc erit opus sex calamorum, qui producendi sunt de hastili : 34. in ipso autem candelabro erunt quatuor scyphi in nucis modum, sphærulæque per singulos, et lilia. 35. Sphærulæ sub duobus calamis per tria loca, qui simul sex fiunt, procedentes de hastili uno. 36. Et sphærulæ igitur et calami ex ipso erunt, universa ductilia de auro purissimo. 37. Facies et lucernas septem, et pones eas super candelabrum, ut luceant ex adverso. 38. Emunctoria quoque, et ubi quæ emuncta sunt extinguantur, fiant de auro purissimo. 39. Omne pondus candelabri cum universis vasis suis habebit talentum auri purissimi. 40. Inspice, et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est.

Vers. 2. 2. TOLLANT MIHI PRIMITIAS. — Quia prima fuit hæc communis Hebræorum oblatio, quæ facta est pro fabrica tabernaculi.

Aliter Theodoretus, *Quæst.* LXX, et Abulensis : « Primitias, » inquiunt, id est prima et præstantissima ; hæc enim Deo offerenda sunt.

QUI OFFERET ULTRONEUS. — Hebraice, *quem spontaneum et liberalem fecerit cor suum* (1).

Vers. 4. Hyacinthus tria significat. 4. HYACINTHUM.— Proprie hyacinthus est genus violæ ; inde gemmam significat violæ colore similem : hæc enim hyacinthus dicitur. *Tertio*, significat lanam hyacinthini, id est violacei et cœlestis coloris, quæ lana veteribus in deliciis fuit. Unde Homerus in *Odyssæa*, IV, loquens de Helena ait :

At super ipsum colus extensa est ἰοδνεφὴς.

id est *violaceam lanam habens*. Hic passim hyacinthus lanam hanc violaceam significat.

Tropologice, hyacinthus cœlestem mentem et conversationem repræsentat. Hinc Ecclesia, et sancta quælibet anima, calceatur calceo violaceo, id est cœlesti. *Ezech.* cap. XVI, 9 : « Calceavi te ianthino, » vel ut Septuaginta, *hyacinthino*, id est violacei et cœlestis coloris, calceo ; ut hoc symbolo significaret Deus, Sanctorum, qui in Ecclesia sunt, conversationem esse cœlestem. Ita calceatus ianthino S. Paulus, ac mentis pedibus cœlos et sidera calcans, dicebat : « Nostra conversatio in cœlis est. » Ita calceatus S. Hieronymus dicebat illud Socraticum : « Æthera conscendo, et solum hoc cœlumque despicio. » Nam, ut ait Apostolus : « Jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives Sanctorum, et domestici Dei. » Et iterum : « Accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, et multorum millium angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis, et judicem omnium Deum, et spiritus justorum perfectorum, et Testamenti novi mediatorem Jesum, » *Hebr.* XII, 22. Quare S. Martinus, uti in vita, ita et in morte cœlum assidue suspiciens, cum in ardenti febri supinus vultu in cœlum erecto jaceret, rogarentque discipuli, ut converso corpore tantisper, dum vis morbi remitteret, pronus conquiesceret : « Sinite, inquit, me cœlum potius quam terram aspicere, ut suo jam itinere iturus ad Dominum spiritus dirigatur. » Oculis ergo ac manibus in cœlum semper intentus, invictum ab oratione spiritum non relaxabat. Quare merito de eo canit Ecclesia : « Martinus Abrahæ sinu lætus excipitur ; Martinus hic pauper et modicus, cœlum dives ingreditur, hymnis cœlestibus honoratur. »

Pari modo S. Stephanus inter crepitantium saxorum turbines interritus : « Video, inquit, cœlos apertos, et Jesum stantem a dextris virtutis Dei ; » et mox exclamans : « Domine Jesu, suscipe spiritum meum, » ad eum in cœlum coronandus evolavit.

ET PURPURAM. — Purpura piscis est, vel potius concha, cujus sanguine tingunt lanam, quæ hoc rubeo colore nigricante infecta, inde pariter purpura dicitur : ex qua olim fiebant, et etiamnum fiunt regiæ vestes ; unde et ejus usus fuit hic in tabernaculo. Purpura quid ?

Cabalistæ, ut refert Valverdius in alphabeto Salomonis, notant ארגמן *argaman*, id est purpura, ex quatuor primis litteris esse composi-

(1) Vers. 3. Pro *æs* alii vertunt ex hebr. *chalybem* ; alii melius, *cuprum*. Cf. *Esdr.* VIII, 27.

tum, a quibus quatuor angelorum nomina initium sumunt, nempe Raphael, Gabriel, Michael, Nuriel; quæ asserunt eorum animalium esse nomina, quæ vidit Ezechiel, cap. I. Eo enim splendore, veluti regali purpura amiciebatur Deus, juxta illud : « Amictus lumine sicut vestimento. » Vide quam facile angelos suos hi nugarum textores ex purpura contexant, facilius utique quam aranea suam telam pertexat!

Coccus quid?

COCCUMQUE BIS TINCTUM. — Coccus est granum tinctorium (unde et granum subinde vocatur), nascens ex frutice fullonia, quæ ilici similis est : hoc granum intra se progignit vermiculum rubei coloris, ejus sanguine rubricantur lanæ, quæ idcirco coccus, et hebraice vermis, vel vermiculus vocantur. De hoc vermiculo, sive cocco, dicitur *Isaiæ* I, 18 : « Si fuerint peccata vestra rubra quasi vermiculus. » Solebat autem lana, ut magis ruberet, bis hoc sanguine vermiculi imbui, scilicet *primo*, cum adhuc tantum esset lana; et *secundo*, cum nendo in fila esset deducta : unde dicebatur bis tincta, et hebraice תולעת שני *tolaat scani*, id est coccus vel vermiculus iteratus (1). Hinc etiam τὸ *scani*, nude positum, coccum bis tinctum seu dibaptum significat, quem Septuaginta διπλοῦν, id est duplum vocant.

Byssum veterum fuisse gossypium censet Prado.

ET BYSSUM. — Byssus, inquit Hieronymus Prado in *Ezech.* XVI, 10, pag. 186, est linum candidissimum et mollissimum, sive est lanugo arboris, quæ medium quid est inter lanam et linum; nam origine est linum, mollitie vero est lana, et texta linum refert, ait Pollux : est, inquam, lanugo arboris nuci inclusa, quam vulgo gossypium vel xylon, Flandri et Galli *coton* vocant, ex qua fiebat tela gossypina sive byssina in Ægypto et Palæstina, et etiamnum fit in Creta, Sicilia et Hispania. Ita ex Polluce et Plinio, lib. X, cap. I, Prado loco jam citato.

Unde notat *secundo*, Prado ibidem, hanc lanuginem, puta gossypium, sive byssum, tinctam fuisse colore aliquando purpureo, illamque vocari hic purpuram, aliquando ianthino, eamque vocari hic hyacinthum, aliquando coccineo, eamque vocari hic coccum; byssum vero esse et vocari, cum nullo colore tingitur, sed nativo suo candidissima æque ac mollissima est. Probat id ipse ex *Deut.* XXII, 11, ubi vetatur, ne tela fiat ex lana et lino; ergo hic in cortinis et vestibus tabernaculi, non potuit lana lino intexi, ac consequenter byssus hæc tabernaculi non fuit linum, sed lana sive gossypium jam dictum. *Secundo*, si byssus fuit linum, lana inde confecta non fuisset tersa et pura; nec enim fila ex lino ita bibunt succum hyacinthi, vel purpuræ, ut luceant; ita autem bibit lana sive gossypium, quod colore saturatum splendescit.

Probat. Primo.

Secundo.

(1) Alii hebræum vertunt, vermis cocci, seu proprie *splendoris*, collato Arabico *schanay*, *splenduit*. Hunc colorem Galli vocant *cramoisi*, ab arab. Kermes, quod nomen est hujus vermiculi.

Verum byssum a gossypio distinguit Plinius, lib. XIX, cap. I, ubi cum primum egisset de lino gossypino, postea agit de lino byssino, tanquam de re diversa; ergo byssus hæc non fuit lanugo gossypii. Rursum, byssus hic vocatur linum, ut patet cap. XXXIX, vers. 28, in Hebræo : coccus autem, hyacinthus et purpura fuerunt lana, uti omnes interpretes docent; imo Scriptura ipsa plane byssum ab hyacintho, cocco et purpura distinguit; ergo alia byssi, alia trium reliquorum fuit materia : puta byssi materia fuit linum, aliorum vero materia fuit lana (2).

Byssum non fuisse gossypium ostenditur. Primo. Secundo.

Dico ergo byssum hic non esse bombycinum, quod a vermibus, puta bombycibus, netur, quod vulgus jam byssum et sericum vocat; non etiam esse gossypium, uti jam ostendi; sed esse genus candidissimi et subtilissimi lini, adeoque optimum linum esse byssum; optimum autem linum est, ait Plinius, in quo est *primo*, eximius candor et splendor; *secundo*, mira tenuitas; *tertio*, æqualis fili densa nervositas et constantia. Hujusmodi linum, quacumque ex provincia sit, byssus erit, inquit Alcazar in *Apoc.* I, 13, notat. 11, hoc enim pretiosum est : unde Achaica byssus auri pondere vendebatur; et Judaica byssus Achaica fuit præstantior, inquit Pausanias. Byssus ergo hæc erat linum nascens in Ægypto et Palæstina, in plantæ cujusdam folliculis (qui similes sunt folliculis papaverum), indeque ferunt fieri telam, quæ instar amianti igne non consumitur, sed purgatur (unde et Plinius byssum hanc comparat asbesto lapidi, qui ardet et non comburitur), quæ etiamnum hodie Venetis nota est, similisque est candore et subtilitate telæ nostræ Cameracensi. Ita Delrio in *Genes.* XLIII, 42, et alii.

Byssus erat linum candidissimum et subtilissimum.

Hinc hebraice byssus hæc vocatur שש *sces*, id est candidissima : unde et marmor vocatur *sces*, *Esther*, I, 6, quia est candidissimum; latine vero et græce vocatur byssus ab Hebræo בוץ *buts*. Hinc etiam byssus hæc, quia erat subtilissima, fuit retorta et duplicata, ut habent Septuaginta hic et Hebræa, et noster Interpres in sequentibus.

Ad argumenta Prado respondeo, *Deuter.* XXII, tantum privatis vetari, ne faciant vestem ex lana et lino, non autem sacerdotibus ad publicum Dei cultum. Rursum vetari, ne in tela vel panno misceantur fila lanea et linea in subtegmine; hic autem illa non miscebantur in subtegmine : nam stamen erat byssinum, subtegmen vero erat la-

Ad argumentum Prado.

(2) Ita et Bähr, *Symbolik d. Mosaisch. Cultus*, I, p. 203. Hartmann quidem, quem Gesenius cæterique recentiores secuti sunt, recte animadvertit, voce βύσσος, בוץ, tam linum quam gossypium a veteribus intelligi, certum tamen est, materiam sacri tentorii et sacrarum vestium lineam, non gossypeam fuisse. Eæ enim Sacerdotum vestes quæ *Exod.* XXVIII, 39, e *bysso* confici jubentur, eædem *Lev.* VI, 3; IV, 23, בדים; *Ezech.* XLVII, 17, פשתים vocantur. בד autem et פשתה linum fuisse, nemini dubium est. Ita Rabbini, Philo et Josephus. Cf. Winer, *Biblisch. Realwörterbuch*, ad voc. *Baumwolle*; Munk, *Palestine*, p. 22, in *Univers pittoresque*.

neum, puta hyacinthinum, coccineum et purpureum.

Symbolice byssus significat terram, purpura mare, hyacinthus aerem, coccus ignem.

Quæres, quid hæc quatuor, puta byssus, coccus, purpura et hyacinthus, ex quibus factum est tabernaculum, symbolice et mystice significent?

Respondeo, significant quatuor elementa totumque mundum; hujus enim typus erat tabernaculum. Nam byssus significat terram, quia ex ea gignitur; purpura significat mare, quia maris cochleolis tingitur; hyacinthus significat aerem, quia aerii est coloris; eadem de causa coccus significat ignem et ætherem : omnia enim hæc majestatem Dei repræsentant, et monent qua reverentia et puritate tabernaculum et templum sit adeundum. *Secundo*, hæc omnia significant sacerdotem Creatoris esse ministrum, eumque in tabernaculo pro universa creatura totoque mundo supplicare. Ita S. Hieronymus *ad Fabiolam*, de vestibus sacerdotum, Philo, Josephus, Theodoretus et Beda.

Tropologice coccus est charitas, purpura est mortificatio, byssus est castitas, hyacinthus est contemplatio.

Tropologice, in nostro tabernaculo, id est Ecclesia, alii afferunt coccum bis tinctum, id est geminam charitatem; alii purpuram, id est mortificationem corporis; alii byssum, id est castitatem; alii hyacinthum, id est contemplationem cœlestium; alii pilos caprarum, id est habitum pœnitentiæ et patientiæ; alii pelles ianthinas, id est spem supernorum; alii pelles arietum rubricatas, id est fortitudinem et martyrium, uti fecerunt Apostoli et Martyres; alii ligna setim, id est munditiem cordis; alii oleum misericordiæ; alii thymiama boni et pii exempli. Vide Bedam in cap. XXVII. Audi et Origenem hic, *hom.* 9 : Fides, inquit, auro conferri potest, sermo prædicationis argento, patientia æri, lignis imputribilibus scientia, bysso virginitas, cocco confessionis gloria, purpuræ charitatis vigor, hyacintho spes regni cœlorum.

Origenis tropologia.

E pilis caprarum fiunt tela cameletæ.

PILOS CAPRARUM, — e quibus fiunt telæ, cameletæ dictæ, imbribus ferendis accommodæ : neque enim cito aquam imbibunt. Ita Arias, tract. *De Arca Noe*. Hæ telæ, quia e pilis erant, hinc cilicinæ dicebantur; erant tamen pulchræ et concinnæ exterius : unde et mulieres peritæ nendi hos pilos nevisse dicuntur, cap. XXXV, vers. 25. Ita Cajetanus.

Vers 5.

5. ET PELLES ARIETUM RUBRICATAS PELLESQUE IANTHINAS. — Pro *ianthinas* hebraice est תחש *tachas*, quod quid sit, incertum est; Judæi putant esse melim. Melis, qui et taxus dicitur, animal est asperum, mordax, mellis avidum, magnitudine vulpis, alvearibus infestum. Sed quis non videt eos Hebræam vocem *tachas* Latinam facere, et ex litteris tantum divinare esse taxum, cum pelles taxorum sive melium sint colore felino, non hyacinthino? Quare magis credendum est Septuaginta, qui *tachas* vertunt *hyacinthinas*; et S. Hieronymo, qui vertit *ianthinas*, id est violaceas; et Josepho, qui ait tam has pelles, quam præcedentes, non melium, sed arietum et ovium fuisse, partim hyacinthino, partim rubro colore tinctas : sicut enim eadem lana tingebatur hyacinthino colore, et dicebatur hyacinthus vel purpureo, et dicebatur purpura, ut dixi vers. 4 : ita pelles arietum aliæ erant rubricatæ, aliæ hyacinthinæ, quæ hebraice dicebantur *techascim* (1).

Melis animal quod?

Pelles ianthinæ quæ?

ET LIGNA SETIM. — Kimchi aliique Rabbini per *setim* intelligunt cedrum; sed errant. Nam S. Hieronymus in cap. LIX *Isaiæ* : « Setim, inquit, est genus arboris nascentis in eremo (in deserto Arabiæ, et forte in loco qui dictus est Setim, ubi filii Israel fornicati sunt cum Beelphegor, *Numer.* XXV, 1), spinæ albæ habens similitudinem, ex qua omnia ligna arcæ et tabernaculi facta sunt instrumenta; » estque lignum imputribile, ut vertunt Septuaginta, et levissimum, omniaque ligna tam in fortitudine et soliditate, quam in nitore et pulchritudine superat.

Setim arbor qualis?

Dixi lignum setim esse spinæ albæ simile, puta quoad folia et colorem; unde et factum est ut setim a Latinis et Græcis vocetur spina. Hinc et Theodotion, et S. Hieronymus, *Isaiæ* XLI, 19, et *Joelis* III, vers. 18, *setim* spinam transtulit : nam alioqui *setim* differre a spina magnitudine, patet ex eo quod setim sint grandes arbores, ex quibus tabulæ latæ cæduntur, ut patet hic in fabrica tabernaculi; spina vero alba pollicari tantum est crassitudine, altitudine vero bicubitali, uti experientia patet, et docet Dioscorides, lib. III, cap. XII (2).

Fabulatur R. Salomon, dum ait apud Lyranum : « Jacob vidit in Spiritu Sancto quod filii sui erant facturi tabernaculum in deserto, et secum portavit semina in Ægyptum, et radices arborum setim, et ibi plantavit, et nutrivit, præcipiens filiis suis, ut exeuntes de Ægypto secum portarent. » Nam, ut dixi ex S. Hieronymo, setim sponte nascitur in deserto.

Allegorice et anagogice, tabernaculum factum ex lignis setim imputribilibus significat Ecclesiam, tum militantem, tum magis triumphantem, quæ omni sui parte incorruptibilis est, et æterna : ita Beda. Augustus Cæsar, Pisone domum a fundamentis usque ad tectum accurate exædificante : « Animum, inquit, meum exhilaras, ita ædificans, ac si Roma sit futura sempiterna. » Ita verissime Deus Ecclesiam ædificavit, quæ futura esset æterna. Septuaginta addunt vel potius anticipant, lapides sardios. Verum de iis audiemus inferius.

Allegoria.

7. GEMMAS AD ORNANDUM EPHOD. — Hebraice, *la-* Vers. 7.

(1) *Pelles arietum rubricatæ*. Conficiuntur illæ etiamnum frequenter et pulchræ in Turcia Asiatica, et Maroccana Africæ provincia, unde nos eas vocamus *maroquin rouge*. In phrasi hebræa adjectivum quod ad primum substantivum pertinet, ad secundum refertur, ut sæpius.

(2) Juxta Rosenmullerum, Allioli, etc. lignum *setim* est *acacia*. Cf. Bähr *Symbolik d. mosaischen Cultus*, I, 261.

pides מלאים *millium,* id est plenitudinum, qui scilicet, ut ait Chaldæus, cælaturas ephod et rationalis impleant, uti gemma palam annuli implere solet.

Vers. 8. 8. FACIENTQUE MIHI SANCTUARIUM, — puta tabernaculum, quod sit quasi templum sanctum, in quo mihi sacra et sacrificia peraguntur; quod sit quasi domus mea, in qua solemni et publico omnium cultu colar, quærar et inveniar.

Vers. 9. 9. JUXTA OMNEM SIMILITUDINEM TABERNACULI QUOD OSTENDAM TIBI. — Hinc et ex vers. ult. patet Deum Mosi in monte Sina ostendisse ideam tabernaculi, ut secundum illam tabernaculum construeret.

Moralia de reverentia templorum. Primum. Disce hic quanta reverentia debeatur templis, locisque Deo dicatis. *Primo*, ex eo quod Deus jusserit Mosi et Salomoni templum sibi erigi et dicari; cumque a Babyloniis esset incensum, jussit per Aggæum et alios illud reædificari : perinde ut B. Virgo a Joanne Patricio, tempore Liberii Pontificis, voluit institui hæres, ædificato templo in loco, quem illa quinta augusti, cum Romæ magni sunt calores, per miraculum nive contexerat, quæ modo ecclesia S. Mariæ Majoris dicitur.

Secundum. *Secundo*, quod templum sit domus Dei habitantis inter homines, sicut cœlum est domus Dei habitantis inter Angelos et Beatos. Sicut ergo Deum, ita et templum ejus revereri oportet, et dicere : « In conspectu angelorum psallam tibi. » Unde Psaltes ait *Psalm.* LXIV, 5 : « Sanctum est templum tuum : mirabile in æquitate. » Et hoc loco dicit Deus : « Facient mihi sanctuarium, et habitabo in medio eorum. » In templo ergo coram Deo simus quasi angeli.

Tertium. *Tertio*, quod templum sit domus orationis, ibique orationes exaudiat Deus. Illud enim Salomoni oranti, templumque dedicanti promisit, III *Regum* VIII.

Quartum. *Quarto*, quod in templis reis et sontibus constitutum sit asylum. Unde Joiada Pontifex vetuit Athaliam in templo occidi; sed jussit eam foras educi, IV *Reg.* XI, 15. Sic et Banaias occisurus Joab, jussit illum e tabernaculo Domini egredi, III *Reg.* cap. II, 30. Sic et S. Chrysostomus Eutropium confugientem ad templum a morte tutatus est.

Quintum. *Quinto*, quod templum vocetur sanctuarium : « Sanctuarium meum metuite, ego Dominus, » *Lev.* XIX, vers. 30. Rursum hebraice vocatur *hechal*, id est basilica, palatium augustum, potens, splendidum, in quo habitat Omnipotens.

Sextum. *Sexto*, quia Deus polluti et violati templi acer est vindex. Hinc ipse ait *Isaiæ* XXXI, 9 : « Dixit Dominus, cujus ignis est in Sion, et caminus ejus in Jerusalem; » ut scilicet e templo ab hostibus violato, in eos quasi ignis insiliat, eosque comburat. Sic Christus e templo vendentes et ementes columbas flagello ejecit, mensasque evertit, nec alias tantum zelum ostendit, dicens : « Domus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis eam speluncam latronum, » *Matth.* XXI, 14; et Paulus : « Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus, » I *Cor.* III, 17.

Septimum. *Septimo*, quod in templo constituit oraculum et propitiatorium, ex eoque consultus a Mose et Pontifice dabat responsa, ut patet hic vers. 22. Unde admirans Salomon aiebat : « Ergone credibile est, ut habitet Deus cum hominibus super terram? Si cœlum et cœli cœlorum non te capiunt, quanto magis domus ista quam ædificavi? » II *Paralip.* VI, 18.

Octavum. *Octavo*, quod Gentiles magna religione sua fana et templa coluerint. Templum enim eis erat locus notatus ab augure vel in cœlo, vel in terra. Unde templum dicitur a tuendo, id est conspiciendo, quod ex omni parte, vel quod ex eo omnis pars aspici possit, ut ait Donatus. Primo autem cœlum ipsum dixerunt templum, quia ipsum primo aspectu intuemur. In terris templum dictus est quilibet locus inauguratus religiosi cultus gratia. Rursum templum vocarunt fanum, a fando, quod in eo Apollo, aliusve eorum deus consultus faretur, daretque responsa.

Templum dicitur a tuendo.

Fanum a fando.

Nonum. *Nono*, id patet exemplis Sanctorum et Regum. *Primo*, David ait : « Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo, » *Psalm.* V, 8. Et « introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus, *Psalm.* CXXXI, 7. *Secundo*, Jacob de Bethel, *Genes.* XXVIII, 17, ait : « Quam terribilis est locus iste! vere non est hic aliud nisi domus Dei et porta cœli. » *Tertio*, Isaias cap. II, vers. 3, ait : « Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob; et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus. » *Quarto*, Constantinus Magnus, et S. Helena tam Romæ quam Hierosolymis et alibi, plurima magnificentissima ædificarunt templa : ipseque Constantinus deposito diademate, et humi jacens, vimque lacrymarum profundens, accepto ligone terram eruit, indeque duodecim terræ cophinis in honorem duodecim Apostolorum ablatis, loco basilicæ Principis Apostolorum designato, ecclesiam miri operis ædificavit, quam S. Sylvester dedicavit, cujus memoria nunc agitur in Ecclesia 18 novembris. *Quinto*, Constantinum hac in re imitati sunt Theodosius, Carolus Magnus, Pulcheria, aliique Christianissimi Imperatores et Principes. Ut alios omittam, audi Crantzium, lib. III *Metropol.* cap. VIII : Erat, inquit, in Mindensi Episcopatu nobilis matrona, nomine Ililburgis, quæ dum maritum ex voto in Palæstinam profectum, inde rediturum desperaret, totam substantiam uni cœnobio et novem ecclesiis ædificandis insumpsit. Revertitur non ita diu post maritus, eumque placatura, obviam procedit, ac salute prævia : « Novem, ait, filias tibi absenti peperi; at nondum in Christo renatæ sunt. » Intellexit vir pius novem ecclesias exstructas, necdum tamen consecratas, factumque

uxoris gratum et ratum habuit. *Sexto*, S. Ambrosius pro templo Dei stetit usque ad mortem et martyrium. Cum enim Ariani per Justinam Imperatricem Arianam illud sibi dari deposcerent, idque Justina persuasisset Valentiniano Imperatori filio suo, in faciem ei restitit Ambrosius dicens : « Ad Imperatorem palatia pertinent et mœnia; ad Episcopum ecclesiæ. » Vide eum fuse hac de re scribentem ad Marcellinam sororem. *Septimo*, S. Chrysostomus, cum Imperator ab eo postularet, ut Gainæ duci ariano unum e Catholicis templis concederet, respondit : « Ne, Imperator, hoc ei polliceare, neque sanctum dari canibus mandes. Nunquam enim patiar eos qui Deum nocturnis diurnisque hymnis laudant, templo expelli, illudque eis tribui, qui contra eum loquuntur blasphemias » (1).

Vers. 10. Arcæ descriptio. Primo, arca erat quasi cista. Secundo, in arca erant tabulæ legis.

10. ARCAM DE LIGNIS SETIM COMPINGITE. — Nota *primo* : Arca erat instar parvæ cistæ quadratæ, vel potius quadrangulæ. Erat enim arca alta cubitum cum dimidio, et lata cubitum cum dimidio, longa vero duos cubitos cum dimidio. *Secundo*, arca erat facta ex lignis setim auro obtectis, ad hoc ut in ea reponerentur tabulæ Decalogi, a Deo datæ Mosi. Has enim solas in arca fuisse repositas patet III *Regum* VIII, 9, ideoque summa erat religio et veneratio arcæ, indeque dicta est arca fœderis, vel testamenti, ut dicam vers. 16. Ideoque reposita fuit arca in Sancto sanctorum. Erat enim arca gloria Israel : unde uxor Phinees ait I *Regum* IV, 21 : « Translata est gloria de Israel, quia capta est arca Dei. » Rursum arca vocatur virtus et pulchritudo Israel, *Psal.* LXXVII, 61 : « Et tradidit in captivitatem virtutem eorum, et pulchritudinem in manus inimici, » scilicet arcam in manus Philistinorum tradidit. *Tertio*, arca superne patebat; sed supra se habebat propitiatorium, quasi operculum, factum non ex lignis setim, sed ex solido auro. *Quarto*, duo Cherubini erant supra propitiatorium, ita ut per alas suas expansas et conjunctas exhiberent quasi sedem Deo, propitiatorium vero cum arca esset quasi scabellum pedum ejus. *Quinto*, arca superne cingebatur corona circumcirca, de qua dicam vers. 11; ad latera vero utrimque habebat duos circulos aureos, per quos inserebantur duo vectes aurati, quibus portabatur arca a sacerdotibus in humeris, cum movenda essent castra. *Sexto*, arca posita erat in pavimento Sancti sanctorum; verisimile tamen est pavimentum hoc fuisse instratum peristromate aliquo : vel potius arca hæc habuit suos pedes, puta quatuor globulos, sive sphærulas in quatuor angulis, quibus quasi quatuor rotis incumbebat. Ita enim verti potest ex Hebræo vers. 12. Unde arca erat quasi biga Dei, sive currus regalis et triumphalis Dei de debellatis Ægyptiis, et hunc currum vidit Ezechiel cap. I. Ita Hieronymus Prado ibid., de quo plura vers. 18.

Tertio, arca tegebatur propitiatorio. Quarto, Cherubim erant supra propitiatorium. Quinto, arca habebat coronam, et duos vectes. Sexto, arca habuit quatuor globulos quasi rotas.

Atque hac de causa arca vocatur gloria Domini, quia in ea Deus Hebræis suam præsentiam, opem et triumphum gloriosum exhibebat; atque hoc est quod dicitur *Deut.* IV, 7 : « Non est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris; » et *Psalm.* XXV : « Dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ. » Hinc et Heli non gemina filiorum morte, non tanta populi clade, sed arcæ captæ nuntio perculsus corruit, nurusque ejus parturiit dicens : « Translata est gloria de Israel. » *Septimo*, hæc arca postea, ædificato a Salomone templo, in eo reposita est in Sancto sanctorum, in eoque mansit quamdiu illud stetit, scilicet usque ad captivitatem Babylonicam. Tunc enim Jeremias arcam et tabernaculum extulit in montem Nebo, e quo Moses vidit terram promissionis, et abscondit eam cum altari thymiamatis in spelunca quadam, ut dicitur II *Machab.* II, vers. 4 et seq., dicens : « Quod ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi. » Unde Epiphanius in *Vita Mosis*, Dorotheus in *Synopsi*, cap. *De Jeremia*, et alii tradunt, arcam non fuisse in secundo templo, quod ædificarunt Judæi post reditum e Babylone, sed eam occultandam fore usque ad finem mundi, tumque manifestandam esse ad conversionem Judæorum. Certe Josephus suo tempore, cum templum eversum est a Romanis, diserte asserit lib. VI *De Bello*, cap. VI, in Sancto sanctorum nihil omnino fuisse; verba Josephi sunt : « Intima templi pars viginti cubitorum erat. Discernebatur autem similiter velo ab exteriore, nihilque prorsus in ea erat positum; » ergo nec arca, nec Cherubim; « inaccessa vero et inviolata, et invisibilis omnibus habebatur, Sanctumque sanctorum vocabatur. » Errant ergo, qui arcam a Tito in triumphum ductam, et Romæ etiamnum in templo Lateranensi servari putant ex eo, quod Romæ in arcu Titi triumphali depicta videatur arca in pompa triumphi; illa enim non est arca, sed mensa panum propositionis, uti asserit Josephus, qui triumphi Titi fuit spectator. Denique Epiphanius in Vita Jeremiæ hæc habet de arca : In resurrectione, inquit, primo resurget arca, et prodibit a saxo, atque in Sina monte locabitur : reserabit eam Moses; et omnes Sancti ad eam confluent, ut illic suscipiant Dominum, et fugent inimicum. Saxum hoc est in solitudine, ubi primitus fabricata est arca in medio montium, in quibus jacent Moses et Aaron sepulti, ibique in noctibus nubecula nitet instar ignis. Horum fides sit penes S. Epiphanium.

Septimo, arca fuit in templo Salomonis, inde a Jeremia translata est in montem Nebo.

Arca non fuit in secundo templo.

Quæres, quid allegorice significarit arca? Respondet Rupertus, arcam significare Christi humanitatem; et S. Gregorius, homil. ult. *in Ezech.* : « Arca, inquit, intra velum est redemptor noster

Arca mystice quid significet?

(1) De tabernaculo ejusque dispositione egregie disseruit Hesse, in *Geschichte Moses*, P. I; Spencer, *de legibus Mos. rituat.*, lib. III, dissert. 6; Bern. Lamy, *de Tabernaculo fœderis*, lib. III, cap. II, p. 314.

in cœlo; » sic et Cyrillus, lib. IV *in Joannem*, cap. XXVIII.

Significat Beatos in cœlo, maxime B. Virginem. Primo.

Verum dico : Proprie et genuine arca, quæ erat in Sancto sanctorum, quod cœlum repræsentabat, significabat Beatos in cœlo, inter quos eminet B. Virgo : hinc non incongrue ipsa a S. Bernardo, serm. *De B. Maria*, et ab aliis vocatur arca testamenti. Audi eumdem in *Sentent.* : « Auctor, inquit, mirabilium Deus tria quædam mirabilia operatus est in Maria. *Primum*, integritatem munditiæ mirabiliter suscitavit, ut arca testamenti auro purissimo tegeretur. *Secundum*, puritatem virgineam potentialiter fecundavit, ut rubus ardens non combureretur. *Tertium*, ima supernis ineffabiliter copulavit, ut scala Jacob mediante terrena cœlestibus unirentur. » Longitudo arcæ est longanimitas et sapientia Sanctorum; latitudo, charitas; altitudo, contemplatio et desiderium æternorum bonorum. Hæc habent mensuram cubiti quæ perfecta est, quia in Beatis omnia quaquaversum integra et perfecta sunt.

Secundo.

Secundo, arca facta erat ex lignis setim, quia Beati post resurrectionem habebunt corpora immortalia; auro erat obtecta, quia et animæ Sanctorum ineffabili divinæ visionis claritate, et corpora admirabili splendore fulgebunt. In ea sunt tabulæ legis, quia Sancti olim meditati sunt in lege Dei die et nocte, in eaque nunc jugiter delectantur. Audi S. Hieronymum, *ad Eustochium*, de Virgine : « Sponsa Christi, inquit, est arca testamenti, intrinsecus et extrinsecus deaurata, custos legis Domini. Sicut in illa nihil aliud fuit, nisi tabulæ testamenti, ita in te nullus sit extrinsecus cogitatus. Super hoc propitiatorium, quasi super Cherubim, sedere vult Dominus. » Et S. Gregorium, lib. VII *Regist.* epist. 30 : « Quid est, inquit, sacerdotale cor, nisi arca testamenti? in qua quia spiritalis doctrina viget, procul dubio tabulæ legis jacent. »

Tertio

Tertio, arca supra se habebat propitiatorium, quia Sancti supra se habent Christum redemptorem, *Rom.* III, 21.

Quarto.

Quarto, arca vallatur Cherubinis, quia Beati cinguntur sanctis angelis.

Quinto.

Quinto, corona arcæ significabat coronas Sanctorum, quasi qui victores sint, triumphatores, reges et sacerdotes Dei : item aureolas Virginum, Martyrum et Doctorum. Annuli et vectes arcæ significabant dona Spiritus Sancti, quibus anima sancta fit mobilis et agilis ad omne bonum : quatuor ergo annuli aurei sunt quatuor dona, quæ ad intellectum pertinent, puta sapientia, intellectus, scientia et consilium; duo vectes sunt reliqua tria, puta pietas, timor et fortitudo, quæ ad voluntatem pertinent. Vectes annulis debent inseri, quia nisi voluntas moveatur, parum juvat motus et illuminatio intellectus.

Denique coram arca erat urna cum manna, quia Beati semper meminerunt cœlestis panis Eucharistiæ, quo aliti sunt in deserto hujus vitæ. Ante arcam erat virga Aaron, quæ frondens Aaroni consignavit sacerdotium, quia Beati semper meminerunt sacerdotii Christi, qui sui corporis sacrificio sustulit peccata mundi, pro eoque jugiter Christum et Deum laudant : hæc et plura Ribera, lib. II *De Templo*, cap. III.

Quin ergo ad hanc arcam, ad hasce coronas anhelamus? « Patriam nostram, inquit S. Cyprianus, tract. *De Mortal.*, paradisum computamus; parentes patriarchas habere jam cœpimus. Magnus illic nos charorum numerus exspectat; parentum, fratrum, filiorum frequens nos turba desiderat, jam de sua immortalitate secura, et adhuc de nostra salute sollicita. Illic Apostolorum gloriosus chorus, illic Prophetarum exultantium numerus, illic Martyrum innumerabilis populus ob certaminis et passionis victoriam coronatus; triumphantes illic virgines, quæ concupiscentiam carnis continentiæ robore subegerunt. »

Et S. Bernardus, *De præmio cœlest. patr.* : « Videbit Beatus Deum ad voluntatem, habebit ad voluptatem, fruetur ad jucunditatem. In æternitate vigebit, in veritate fulgebit, in bonitate gaudebit. Sicut habebit permanendi æternitatem, sic cognoscendi facilitatem, requiescendi felicitatem. Civis siquidem erit sanctæ illius civitatis, cujus angeli cives sunt, Deus Pater templum est, Filius ejus splendor, Spiritus Sanctus charitas est. » Idem in *serm.* : « O beata regio paradisi, o beata regio deliciarum, ad quam suspiro de valle lacrymarum! ubi sapientia sine ignorantia, ubi memoria sine oblivione, ubi intellectus sine errore, ubi ratio sine obscuritate fulgebit. Beati qui habitant ibi! laudabunt Deum in sæcula sæculorum, amen. Regnum Dei conceditur, promittitur, ostenditur, percipitur : conceditur in prædestinatione, promittitur in vocatione, ostenditur in justificatione, percipitur in glorificatione. » Et S. Augustinus : « Ibi, inquit, hymnidici angelorum chori, ibi societas civium supernorum, ibi dulcis solemnitas a peregrinationis hujus tristi labore redeuntium, ibi festivitas sine fine, æternitas sine labe, serenitas sine nube. »

Symbolice, S. Thomas, I II, *Quæst.* CII, artic. 4, ad 6 : Tria, inquit, quæ erant in arca, vel juxta arcam, significabant tria Dei attributa, scilicet tabulæ legis sapientiam, virga potentiam, manna bonitatem Dei. Rursum arca, id est Ecclesia et respublica ejusque præses habeat tabulas legis, virgam disciplinæ et correctionis, manna dulcedinis in gubernatione : ita S. Gregorius, *epist.* 25, lib. I. Hinc Samaritanus, inquit, vulnerato infundit oleum et vinum, « ut per vinum scilicet mordeantur vulnera, per oleum foveantur. Sit ergo amor, sed non emolliens ; sit vigor, sed non exasperans. » Vide eumdem II part. *Past.* cap. VI, et lib. XX *Moral.* VIII. Habent apes mel, habent et aculeum, quo defendant alvearia. Sic qui regit rempublicam, habeat mel, id est clementiæ dulcedinem; habeat et aculeum justitiæ, quo adver-

Symbolice arca significat attributa Dei et rectoris.

sus sceleratos rempublicam tueatur. Hoc prudentissimus ille rex indicavit, qui insigne sibi esse voluit gubernationis punicum malum, quod dulcedinem habet acori permixtam. « In regimine, ait S. Gregorius, miscenda est lenitas severitati, quatenus arridens timeri debeat, et iratus amari, ut eum nimia lætitia vilem non reddat, aut immoderata severitas odiosum. » Nunc ad textum redeamus.

CUJUS LONGITUDO HABEAT DUOS ET SEMIS CUBITOS. — Cubitus hic accipi debet, non major, sive regius, qui 27 digitos continet, teste Herodoto, lib. I; multo minus maximus, id est geometricus, qui sex communes cubitos continet, uti docet ex Origene S. Augustinus, lib. XV *De Civit.* XXVII; sed vulgaris, qui est ea longitudo quæ a flexu brachii porrigitur usque ad extremum digiti qui index vocatur, continetque quatuor et viginti digitos, sive duas spithamas; spithama autem est spatium, quod distenta manu inter pollicem et indicem interjacet, continetque duodecim digitos transversos. Patet hoc ex Josepho, lib. III *Antiq.* VI, et Beda, lib. I *De Tabern.* cap. IV. « Longitudo arcæ, ait Josephus, erat quinque palmorum, altitudo vero et latitudo trium palmorum; » pro palmo Græce est σπιθαμή, quam dixi duodecim continere digitos. Ita ut duo cubiti cum dimidio quinque palmos, vel spithamas efficiant (1).

Cubitus mensura erat 24 digitorum transversorum.

Vers. 11. 11. ET DEAURABIS EAM AURO, — laminis aureis, non vero foliis aureis; id satis patet ex eo quod in Hebræo pro *deaurabis*, est abscondes, cooperies et vesties eam auro : idque *intus et foris*, ut tropologice significet animam justi tam interius, quam exterius debere esse sanctam, et undequaque auro charitatis circumdari. Ruffino objicit S. Hieronymus quod « intus sit Nero, foris Cato, » quod privatim vivat in deliciis, publice vero severitatem in habitu et incessu ostentet : hæc est hypocrisis Deo et hominibus displicens. Sanctus tam intus, quam foris, sit non Cato, sed Paulus, sed Joannes, sed angelus.

FACIESQUE SUPRA CORONAM AUREAM PER CIRCUITUM. — Corona hæc arcæ non erat rotunda, sed quadrata; quadrata enim erat ipsa arca, quam hæc corona circumcirca instar limbi ambiebat. Ita Hugo. Hic ergo limbus exterior erat, surgebatque et attollebatur supra arcam. Septuaginta vertunt, *facies et cymatia aurea versatilia*, vel potius *tortilia*; quod miror interpretem Complutensem vertere, *facies et undulas aureas* : nam cymatia non tantum parvas undas et fluctus, sed et, metaphora ab undis ducta, significant apud Vitruvium supremam in columnis episilii, sive capitelli partem; quod significatum apposite hic imitati Septuaginta limbum arcæ eminentem vocaverunt cymatia, eaque tortilia, id est fixa quidem, sed tortili opere, veluti tortiles torques elaborata. Ita S. Augustinus, *Quæst.* CIV, et hoc forte voluit Complutensis interpres, nova undularum metaphora Latina, Græcam usitatam in cymatiis affectans.

12. ET QUATUOR CIRCULOS AUREOS. — Erant hi circuli ad quatuor angulos arcæ, iisque inserebantur vectes, ut iis arca humeris quatuor sacerdotum ad magnificentiam gestari posset : non enim decebat arcam plaustro trahi aut vectari. Porro vectes secundum longitudinem arcæ extensos fuisse, non vero secundum latitudinem; arcamque in longum gestatam et portatam fuisse, non vero in latum sive transversum, ut Cajetanus vult, satis significat Josephus, cum ait : « Ex utroque longiori latere intrant annuli, » per quos scilicet vectes immittebantur ad gestandam arcam. Cavit autem Deum vers. 15, ne vectes unquam his circulis extraherentur, ne unquam sacerdotes se arcæ ferendæ cura et onere liberatos esse putarent, inquit Arias. Vers. 12.

QUOS PONES PER QUATUOR ARCÆ ANGULOS. — Pro *angulos* hebr. est פעמותיו *paamotaf*, quod proprie gressus et pedes significat; unde videtur quod arca non fuerit humi, sed habuerit quatuor pedes, id est globos et sphærulas, quibus insisteret, quæque haberent speciem rotularum : erat enim arca currus gloriæ Dei, uti dicam vers. 18.

16. PONESQUE IN ARCA TESTIFICATIONEM, — id est legem, sive tabulas legis : lex enim sæpe dicitur *testimonium*, aut *testificatio*, quia attestationem continet voluntatis divinæ, eaque Deus testatum reliquit quid velit ab hominibus fieri. Vers. 16

Hinc dicta fuit « arca testimonii, » id est legis, et « arca testamenti, » id est fœderis : continebat enim legem, quæ erat conditio fœderis inter Deum et Hebræos initi; consequenter tabernaculum ab arca quam continebat, vocatum est « tabernaculum fœderis » et « tabernaculum testimonii; » imo hinc et ipsa arca vocatur « testimonium, » cap. XXX, 6; *Num.* XVII, 4; *Levit.* XXIV, 3, idque metonymice, quia scilicet arca in se continebat testimonium, id est tabulas legis. Porro solas legis tabulas in arca illa, cujus tanta apud Hebræos erat religio, fuisse, non autem urnam cum manna, aut virgam Aaronis, expresse docet Scriptura, III *Reg.* VIII, 9, et II *Paralip.* V, 10, et Josephus, lib. VIII *Antiq.* II. Hinc tam urna cum manna, quam virga Aaron, in Pentateucho non in arcam, sed in tabernaculum coram Domino, id est ante arcam, deposita narrantur, ut patet *Exodi* XVI, 33; *Num.* XVII, 4. Vide dicta *ad Hebr.* IX, 4.

Arca dicta est testimonii vel testamenti, cur?

In arca tantum erant tabulæ legis.

17. FACIES ET PROPITIATORIUM DE AURO MUNDISSIMO. — Nota *primo* : Propitiatorium erat arcæ operculum, sive tabula operiens et tegens arcam, ut patet vers. 20; unde paris cum arca erat longitudinis et latitudinis : hinc et a Septuaginta vocatur ἐπίθεμα, id est *superpositum*, puta supra arcam, Vers. 17. Propitiatorium primo, erat tabula tegens arcam.

(1) Michaelis in *Jure Mosaic.* P. IV, § 226 seqq., hac accurata determinatione mensurarum in ædificando tabernaculo Mosem cavisse existimat, ne eæ in vita communi adulterarentur. Si enim tabernaculum et vasa sacra ad mensuras præscriptas accurate confecta erant, semper exemplum habebant, ad quod mensuræ in vita communi usitatæ accommodari et examinari possent.

hoc est arcæ operculum, quod arcæ per cardines aureos jungebatur, uti docet Josephus, lib. III *Antiq.* VI : « Habebat, inquit, arca tegmen aureis cardinibus coaptatum, nulla ex parte prominens. »

Secundo, erat ex puro auro.

Secundo, propitiatorium erat tabula facta, non ex lignis setim auro obductis, uti erat arca, sed ex puro auro.

Tertio, dicitur hebraice *capporet*, id est placatorium.

Tertio, propitiatorium hebr. dicitur כפורת *capporet,* quod tam propitiatorium, quam operculum arcæ significat. Unde Septuaginta vertunt ἱλαστήριον ἐπίθεμα, id est placatorium, sive propitiatorium operculum.

Quarto, erat oraculum.

Quarto, dictum est propitiatorium, quasi locus placationis, eo quod ibi Deus Mosi apparens, et cum eo loquens, placabatur et propitiabatur populo; in propitiatorio ergo erat oraculum Dei, ut patet vers. 18, et cap. XXXVII, 6, et *Num.* VII, vers. ult. : « Cumque, inquit, ingrederetur Moses tabernaculum fœderis, ut consuleret oraculum, audiebat vocem loquentis ad se de propitiatorio, quod erat super arcam testimonii inter duos Cherubim; » atque ideo Deus dicebatur sedere super Cherubim : nam hi tegebant propitiatorium. Hinc illa pars templi, sive Sancti sanctorum, in qua erat propitiatorium, dicta est oraculum, quia inde Deus dabat oracula.

Quinto, erat quasi sedes Dei.

Quinto, propitiatorium cum duobus Cherubim erat quasi sedes et thronus Dei; arca vero erat scabellum pedum ejus, id patet *Psal.* XCVIII, ubi dicitur : « Adorate scabellum pedum ejus, » id est, adorate arcam, procidite coram arca. Unde probabiliter censent aliqui, ut D. Thomas, Cajetanus, Delrio, et a Castro in *Thren.* II, 1, propitiatorium fuisse elevatum, et in altum a Cherubinis sublatum supra arcam : alioqui enim non potuisset esse sedes Dei; ita ut arca esset scabellum pedum ejus. Ratio etiam et dignitas propitiatorii hunc situm exposcere videtur : erat enim ipsum totum aureum, quasi thronus Dei, ideoque longe nobilius erat ipsa arca lignea, et rem longe nobiliorem repræsentabat.

An propitiatorium fuerit elevatum alte supra arcam?

Resp. negative.

Verius tamen censent Abulensis, Alcazar, Ribera et alii propitiatorium immediate et proxime impositum fuisse, tetigisse et texisse ipsam arcam : tum quia id docet Josephus, lib. III *Antiq.* cap. VI; tum quia Scriptura, vers. 20, diserte propitiatorium vocat operculum et tegumentum arcæ ; tum quia alioqui arca fuisset aperta et hiasset: non decebat autem eam patere, seque, et ea quæ in ea erant, nuda ostentare, præsertim cum arcæ et cistæ nostræ claudi soleant, ne pulveribus impleantur; tum quia alioqui fulcris, v. g. columnis aut cardinibus longis debuisset sustineri propitiatorium supra arcam, et per illos arcæ conjungi (ad hoc enim non sufficiebant alæ parvæ et graciles Cherubinorum) : horum autem fulcrorum non meminit uspiam Scriptura, cum tamen exacte arcam cum propitiatorio describat. Fictitia ergo sunt hæc fulcra et cardines.

Dices : Quomodo ergo arca dicitur scabellum Dei sedentis in propitiatorio?

Arca erat scabellum Dei, quomodo?

Respondeo, id dici, quatenus propitiatorium includebat Cherubinos, in quorum alis sedebat Deus : alioqui enim propitiatorium præcise non erat thronus, sed scabellum throni Dei. De quo plura inferius.

Allegorice, propitiatorium significat Christum, « quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, » *Rom.* III, 21, ubi pro *propitiationem,* alii legunt *propitiatorem.* Utrumque significat Græcum ἱλαστήριον, quo nomine Septuaginta semper hic vocant propitiatorium : unde non dubium est quin Paulus, qui solet sequi Septuaginta, huc alluserit. *Primo* ergo propitiatorium erat supra arcam, quia Christus omnes Beatos gratia et gloria transcendit; illi tamen jungitur arca per cardines, quia omnis Sanctorum gratia et gloria a Christo, Christique meritis descendit. *Secundo,* totum erat ex auro, quia Christi humanitas non per se, sed in deitate, puta in Verbo, subsistit; ideoque in ea « inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. » Et, ut ait S. Joannes : Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis. » *Tertio,* Christus est operculum arcæ, quia gloria et coronis Sanctorum cingitur, inquit Origenes, ipsique Sancti coronas subjiciunt et offerunt Christo, perinde ac arca suam coronam quasi offerebat propitiatorio. *Quarto,* Christus est oraculum Patris, enarrans ea quæ vidit in sinu Patris abscondita a constitutione mundi. *Quinto,* humanitas Christi fuit quasi sedes et thronus, imo scabellum divinitatis Verbi. « Christus, inquit S. Bernardus, *serm.* 22, factus est nobis sapientia in prædicatione, justitia in peccatorum absolutione, sanctificatio in conversatione, redemptio in passione. » Et S. Gregorius, hom. 4 *in Ezech.* : « Redemptor, ait, noster factus est homo nascendo, vitulus moriendo, leo resurgendo, aquila ad cœlos ascendendo. » Hæc sunt quatuor stemmata Christi, quæ ei præferunt Cherubini, ut patet *Ezech.* I, 10. Quare S. Ambrosius : « Omnia, ait, habemus in Christo, et omnia in nobis Christus. Si a vulnere curari desideras, medicus est : si febribus æstuas, fons est : si gravaris iniquitate, justitia est : si indiges auxilio, virtus est : si mortem times, vita est : si tenebras fugis, lux est : si cœlum desideras, via est : si cibum quæris, alimentum est. » Hinc et Claudianus :

Allegorice propitiatorium est Christus.

Primo.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

Quinto

> Christe potens rerum, redeuntis conditor ævi,
> Vox summi sensusque Dei, quem fudit ab alta
> Mente Pater, tantique dedit consortia regni,
> Impia tu nostræ domuisti crimina vitæ.

Christus enim fuit verus Noe, qui nos requiescere fecit a laboribus et oneribus nostris.

Merito ergo S. Bernardus, serm. 20 *in Cantic.* : « Super omnia, ait, reddit te mihi amabilem, bone Jesu, calix quem bibisti, opus nostræ re-

demptionis : hoc enim amorem nostrum sibi vindicat. Hoc, inquam, nostram devotionem blandius allicit, justius exigit, arctius stringit et vehementius afficit. » Propitiatorium ergo nostrum, ad quod in omni difficultate confugere debemus, est Christus patiens et crucifixus. « Passio Christi cœlum sustentat, mundum regit, tartarum perfodit; in ea confirmantur angeli, redimuntur populi, conteruntur inimici, stabiliuntur subsistentia, animantur viventia, consentiunt sentientia, illustrantur intelligentia, » ait Rabanus, *De Laude crucis*.

Itaque spes nostra, amor noster, refugium nostrum semper et ubique sit Christus. Ita Theodorus Martyr Publio roganti : « Mavisne esse cum tuo Christo, an vero nobiscum? » respondit : « Cum Christo meo et sum, et fui, et ero : ideoque non timeo tormenta tua. » Ita Carolus Quintus illud Julii Cæsaris : « Veni, vidi, vici, » invertit dicens : « Veni et vidi, sed vicit Christus. » Ita Paulus : « Mihi, inquit, vivere Christus est, et mori lucrum. »

Vers. 18. 18. DUOS QUOQUE CHERUBIM AUREOS ET PRODUCTILES FACIES EX UTRAQUE PARTE ORACULI.

Quæritur primo, quid fuerint Cherubim. Quæritur hic *primo*, quidnam fuerint hi duo Cherubini? Nota : Moses vix exprimit, vel significat speciem horum Cherubim, idque ne Judæi in idola proni illorum idolum facerent et colerent. *Primo* ergo Philo, lib. *De Cherubim*, ait, Cherubim esse symbola vel signa quæ extimam universi cœli circumferentiam significant et repræsentant, in qua eodem modo semper divinas choreas fixæ stellæ agitant : ubi videtur Philo sensisse octavam sphæram, sive cœlum stellatum esse extimum et ultimum, significatum per Cherubim, ac proinde Cherubim esse symbola potestatis et bonitatis divinæ; sed quænam hæc signa fuerint, qua specie et forma, silet Philo. Philonem sequitur Theodoretus in *Genes.*, Quæst. XL, ubi docet nomine Cherub in Scriptura semper significari horribilem potentiam. Hoc, si etymon Cherubim spectes, falsum est; si rem ipsam, verum : quia Deus Cherubinis, utpote summis fere suæ aulæ principibus, non utitur nisi ad res excelsas et arduas.

Prima sententia Philonis.

Secunda Josephi. *Secundo*, Josephus, lib. III *Antiq.* cap. VI : « Cherubim, ait, animantia sunt volucria, nova specie, nec unquam cuiquam hominum visa, quæ Moses in Dei solio viderat figurata. »

Tertia et vera, fuisse specie humana. Verum dico *primo*, duos hosce Cherubim habuisse humanam speciem et formam. Ita docent communiter Hebræi et Christiani; idque patet lib. II *Paral.* III, 13, ubi de Cherubim dicitur : « Ipsi autem stabant erectis pedibus. » *Secundo*, quia Cherubini Ezechielis cap. I, qui facti sunt ad instar horum Cherubim, habuerunt speciem hominis, sive alati juvenis : nam habebant manus hominis, quibus accipiebant ignem, ut dicitur cap. X *Ezech.* vers. 7. Id fuse et erudite ostendit Hieronymus Prado in cap. I *Ezech.*, scilicet quatuor illa Ezechielis animalia habuisse formam quidem quatuor animalium; sed maxime toto corpore et facie hominem repræsentasse, indeque dici Cherubim, sive alatos juvenes, puta angelos. *Tertio*, quia Cherubini hi habebant facies hominis; nam de eis hic dicitur in Hebræo : *Et facies viri versa erat ad fratrem suum*. Erant ergo Cherubini effigies aureæ, specie alati et imberbis juvenis, ut scilicet hac specie repræsentarent vigorem, vivacitatem et æternitatem angelorum, qui sunt quasi principes semper stipantes et astantes Deo; sicut eadem de causa Imperatores olim pingebantur imberbes, quasi dii quidam terrestres, qui nunquam senescerent.

Quasi alati juvenes

Cherubim habebant speciem quatuor animalium. Dico *secundo* : Verisimile est hosce Cherubim præter speciem hominis, etiam aliam aliorum animalium habuisse. Probatur *primo*, quia et Josephus, et S. Hieronymus in cap. X *Ezech.*, et epist. 13 *ad Marcellam*, hisce Cherubim animalium formam attribuunt. *Secundo*, quia diserte Ezechiel, cap. I, docet Cherubim habuisse speciem quatuor animalium, scilicet hominis, aquilæ, leonis et vituli. Idem, cap. X, vers. 14, faciem Cherub vocat faciem vituli; illi autem Cherubini Ezechielis fuerunt similes, imo idem cum hisce Mosaicis, uti communiter docent doctores, quos citat Viegas in *Apoc.* IV, sect. XII, et Vilalpando in cap. XLI *Ezechiel.* p. 318. Unde Ezechiel, cap. X, vers. 20, loquens de quatuor animalibus quæ viderat cap. I : « Intellexi, inquit, quod essent Cherubim, » scilicet illi vulgo celebres apud Judæos, quos Moses jussu Dei fecit in tabernaculo. Hæc sententia verisimilior videbitur, si dicamus cum Hieronymo Prado, quatuor facies Cherubim apud Ezechielem non fuisse facies proprie dictas. Hebræum enim פָּנִים *panim*, et græcum μορφή, vel σχῆμα, significat speciem, formam, habitum : ita ut facies proprie dicta Cherubinorum fuerit tantum humana; facies vero improprie dicta, id est species, fuerit quadruplex. *Prima* enim et præcipua facies et species totius pene corporis, fuit hominis. *Secunda* fuit aquilæ, quia habebant alas aquilæ. *Tertia* fuit leonis, quia habebant jubas leonis. *Quarta* fuit vituli, quia habebant pedes, id est ungulas vituli.

An habuerint facie quatuor animalium?

Verum Sebastianus Barradius, Alcazar et passim alii hanc sententiam, quasi novam et difficilem rejiciunt, censentque hasce quatuor facies Cherubim apud Ezechielem fuisse facies proprie dictas. Id enim verba Scripturæ plane significant, cum distinguunt facies ab alis sive pennis, et a pedibus, *Ezech.* I, 6 : « Quatuor, inquit, facies uni, et quatuor pennæ uni. Pedes eorum recti, et planta pedis vituli. » Et vers. 11 : « Facies eorum et pennæ eorum extentæ desuper. » Rursum, quod unam faciem dicat fuisse a sinistris, aliam a dextris. Et ita hosce Cherubinos per quatuor facies, sat commode et concinne depingit Alcazar in *Apocal.* IV, pag. 392.

Quidquid sit de hac re, de qua plenius disse-

ram *Ezech.* cap. I, videntur hi Cherubini Mosis habuisse speciem illorum Ezechielis, quia illorum videntur fuisse typus et exemplar. Unde tam ab Ezechiele quam a Mose non aliter quam Cherubim vocantur, quasi iidem, et ex eodem nomine noti. Adde Cherubim tam hic quam *Ezech.* I, quadruplici sua specie debuisse significare quatuor stemmata Dei sedentis in propitiatorio, uti mox plenius explicabo. Hinc rursum S. Joannes, *Apocalyps.* IV, 7, hosce Cherubim quatuor animalium specie describit. Hinc etiam Apostolus Cherubim vocat *obumbrantia propitiatorium*, in genere neutro, quia respicit ad animalia illa Ezechielis, quorum speciem habebant Cherubini. Hinc *tertio*, in Scriptura « opus Cherubim » vocatur opus varium, et varie depictum, sicuti hi Cherubini variam quatuor animalium habebant speciem et formam. Hinc denique, scilicet ab hisce Cherubim Hebræorum, « Ægyptii mutuati sunt suos sphinges, inquit Clemens Alexandrinus, lib. V *Stromatum*, eosque in suis sacris posuerunt, quippe quod de Deo oratio sit ænigmatica et obscura; forte autem quod oporteat Deum amare et timere : amare quidem, ut sanctis benignum et propitium; timere autem, ut qui impiis sit justus inexorabiliter : feræ enim simul et hominis imaginem sphinx significat; » hactenus Clemens : ex quo liquet sphinges Ægyptiorum fuisse simias Cherubinorum. Sicut enim Cherubini, ita et sphinges, divinam et arcanam rerum obscurarum et sublimium cognitionem repræsentabant. Unde Hortensio oratori, qui accepta mercedis loco a Verre sphinge aurea, sibi obscurius aliquid dicenti, se ænigmatum solvendorum imperitum esse dicebat, salse respondit Cicero : « Atqui sphingem domi habes; » testis est Plutarchus in *Cicerone*. Erat denique sphinx multiformis æque ac Cherubim. Unde Poeta :

Sphinges triformes erant simiæ Cherubim.

> Sphinx volucris pennis, pedibus fera, fronte puella :
> Sphinx ergo alata est volucris, leo, virgo, triformis.

Addit R. Salomon duos Cherubim fuisse sexu distinctos, unumque fuisse marem, alterum feminam; idem censet Arias Montanus, lib. *De Noe*, titulo *de Propitiatorio*. Verum hoc tam ridiculum est, quam indecorum et inhonestum : nam angeli sexu carent. Nostri Cherubinos vestiunt talaribus tunicis, eosque zonis cingunt : sed hæc affinxerunt eis pictores ad ornatum : nam nulla hic fit vestis mentio; nudi ergo erant hi Cherubini, alis tamen ex parte se velabant, unde et a nemine conspiciebantur : nemo enim ingredi poterat Sanctum sanctorum, nisi pontifex, idque semel tantum in anno, tumque nebula et fumus incensi tegebat Cherubinos, ut videri non possent.

Cherubim sexu carue-runt.

Quæritur secundo, quo situ fuerint Cherubim?

Quæritur *secundo*, quis et qualis esset horum Cherubim situs circa arcam et propitiatorium?

Dico *primo* : Hic erat eorum situs, ut partim alis, partim corpore suo totum propitiatorium tegerent. Nam unus Cherub erat ad Meridiem propitiatorio, alter ad Septentrionem, ita ut crassitudine corporum suorum tegerent latera illa latitudinis propitiatorii : latus vero Orientale et Occidentale, quæ erant latera longitudinis propitiatorii, tegebant et velabant alis suis expansis ad invicem; sicuti si duo homines sese invicem aspiciant, et manibus teneant : sic enim et hi duo Cherubim facies habebant versas ad invicem versus propitiatorium, et ala sua expansa unus alam alterius expansam ab utroque latere contingebat. Alius erat situs et dispositio Cherubim, quos in templo fecit Salomon : illi enim non erant sibi obversi, sed contigui et laterales, unus enim erat ad latus alterius positus. Hinc *secundo*, non habebant facies versas ad se mutuo, sed uterque faciem habebat ad Orientem, tergum vero ad Occidentem. *Tertio*, non ambiebant arcam et propitiatorium, uti faciebant hi Mosaici; sed expandebant alas per totam latitudinem Sancti sanctorum, ita ut unus Cherub extremitate unius alæ suæ tangeret parietem Meridionalem; alter vero ei contiguus extremitate unius alæ suæ tangeret oppositum parietem Septentrionalem Sancti sanctorum. Denique Salomon duplices fecit Cherubim, scilicet primos in Sancto sanctorum jam dictos, secundos ad altare thymiamatis, similes prioribus, qui altare velarent, uti priores velabant arcam, ut patet I *Paral.* XXVIII, 18; quibus adde tertios hos Cherubim quos fecit Moses, et quos Salomon cum arca intulit in suum templum et Sanctum sanctorum. Triplices ergo Cherubim, jam dicti, fuerunt in templo Salomonis.

Tegebant propitiatorium.

Situs Cherubim Salomonis.

Triplices Cherubim in templo Salomonis.

Dico *secundo* : Hi duo Cherubini non fuerunt affixi propitiatorio, sed ex ipso propitiatorio per malleationem fuerunt producti; hoc enim significat τὸ *productiles*, et clarius Hebræa quæ habent, *ex propitiatorio facies eos*. Unde sequitur Cherubim fuisse factos ex solido auro : ex tali enim auro factum erat propitiatorium.

Cherubim sunt producti ex propitiatorio.

Sed dubium est an hi Cherubini in aere fuerint penduli, an limbo arcæ insistentes; an supra propitiatorium, an vero in terra pedibus constiterint?

Primo, ii qui putant propitiatorium fuisse alte supra arcam elevatum, illique per longos cardines affixum cohæsisse, censent Cherubim ex propitiatorio prodeuntes in aere fuisse pendulos, specie genuflectentium, et adorantium Deum sedentem in propitiatorio. Ratio est, quia hic situs decet angelos respectu Dei; et quia, si propitiatorio ita alte elevato, Cherubini in terra constitissent, nimis longi et alti fuissent : erexissent enim se a terra supra propitiatorium, itaque cum eo, et cum arca, quæ parva erant, justam non habuissent proportionem : adde, tam vastos difficile fuisset malleatione produci ex propitiatorio.

Quis situs Cherubinorum? Primo, aliqui putant fuisse pendulos in aere.

Hæc sententia posito illo fundamento de propitiatorio ita alte supra arcam elevato, satis probabilis est : verum alii hoc fundamentum rejiciunt, uti superius dixi.

Secundò, alii, institisse arcæ.

Secundò, alii censent Cherubinos uno vel utroque pede institisse limbo arcæ, itaque sinuato nonnihil corpore elevasse se, et suis duntaxat manibus vel alis, sine cardinibus sustentasse propitiatorium. Sed hoc parum probabile est, *primo*, quia Scriptura expresse dicit Cherubim non ex arca, sed ex propitiatorio prodiisse; *secundo*, ille situs Cherubim sinuatus indecens fuisset, molestus et incommodus; *tertio*, manus parvæ Cherubinorum ita curvatorum, non suffecissent ad tantum pondus propitiatorii (quod erat ex solido auro, et habebat in longitudine duos cubitos cum dimidio, in latitudine vero cubitum cum dimidio) sine cardinibus, aliisve fulcris sustentandum.

Tertiò, alii, stetisse in pavimento Sancti sanctorum.

Tertio, S. Thomas, I II, *Quæst.* CII, art. 4, ad 6, Cajetanus, Ribera et alii putant Cherubinos stetisse in pavimento Sancti sanctorum : inde enim erigebant se, ita ut alis suis sustinerent propitiatorium. Probatur, quia alii situs indecentes, vel incommodi fuissent, uti jam dixi; *secundo*, quia sic Cherubini qui erant in templo Salomonis, stabant in pavimento; *tertio*, quia Cherubini Ezechielis erant stantes, imo ambulantes. Unde Vilalpando in suis ideis templi, stantes Cherubinos tam tabernaculi, quam templi depingit. Verius ergo videtur Cherubim stetisse in terra, indeque erigentes se sustentasse propitiatorium, quia scilicet manibus suis illud tenebant, et alis suis illud velabant. Hosce enim Cherubinos præter alas nabuisse manus patet ex eo, quod habebant speciem hominis, quodque Ezechiel, cap. x, vers. 7, expresse eis tribuat manus.

Ubi nota, hos Cherubinos non tantum habuisse speciem stantium, sed volantium : habebant enim alas expansas, quia hisce significabant angelos, qui celerrime volant, de quibus ait Psaltes, et S. Paulus : « Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis. » Hinc etiam dicitur Deus volare super Cherubim, *Psalm.* XVII, 11. Rursum, hi Cherubim licet vultibus sibi invicem essent obversi, vultus tamen dimittebant ex reverentia non audentes respicere propitiatorium, nec Deum in eo sedentem; sed alis suis eum quasi velabant. Erant ergo hi Cherubini inferiore sui parte, scilicet a pectore deorsum, sub propitiatorio; capite vero, humeris et alis erant supra propitiatorium, ut ait hic Scriptura, præsertim in Hebræo, quia iis Deum, ut dixi, quasi velare debebant.

Verum in hac sententia difficile est explicare quomodo arca, utpote proxime subjecta propitiatorio et Cherubinis, fuerit scabellum Dei sedentis in eis. Rursum quomodo Deus potuerit sedere in propitiatorio, alis Cherubim elatis sustentato; hæ enim alæ altiores erant propitiatorio (illud enim velabant), ac proinde in alis hisce, non in propitiatorio, sedebat Deus.

Quarto et vere,

Dico ergo : verius videtur Cherubinos non tetigisse, nec sustentasse propitiatorium, sed illi pedibus institisse, ita ut alis suis expansis partim tegerent propitiatorium, instar tecti vel umbraculi, unde ab Apostolo vocantur « umbrantia propitiatorium, » *Hebr.* IX, 5; partim ut iisdem alis sedem præberent Deo, qui inde dicitur sedere super Cherubim : ita ut arca cum suo operculo, puta propitiatorio, esset scabellum pedum Dei. Id ita esse probatur *primo*, ex Josepho, qui, utpote Hebræus et sacerdos doctissimus, Hebraicarum rerum fuit peritissimus : ipse enim diserte hoc asserit, lib. III *Antiq.* VI : « Erant, inquit, operculo (arcæ, id est propitiatorio) impositæ effigies duæ, quas Hebræi Cherubos vocant; » *secundo*, ex eo quod *Psalm.* LXXIX, 2, *Daniel.* III, 55, et alibi, Deus dicitur sedere, non in propitiatorio, sed super Cherubim; rursum, quod Cherubim alis suis superne texerint et velarint arcam, ac consequenter ipsum propitiatorium, quod erat arcæ operculum. Ideo enim, vers. 22 et alibi, Cherubim dicuntur fuisse super arcam, et vicissim arca dicitur fuisse subter alas Cherubim, II *Paral.* V, 7 et 8; licet enim ibi sit sermo de Cherubim quos fecit Salomon, non Moses, tamen hoc ipsum rem hanc confirmat : suos enim Cherubim fecit Salomon adinstar Mosaicorum; *tertio*, ex eo quod *Psalm.* XCVIII, 5, dicitur arca fuisse scabellum pedum Dei : sic arca ergo, et propitiatorium (utpote arcæ operculum), fuit scabellum pedum Dei; *quarto*, quia hic situs videtur maxime concinnus, tum quia hoc modo arca erat instar currus velati, et instar domus suum habens quasi tectum, puta alas Cherubim; tum quia sicut propitiatorium et arca significabant Christum hominem, ejusque Sanctos : ita Cherubim significabant angelos, quibus insidet et præsidet Deus. Sicut ergo natura tam angelica quam divina, præeminet naturæ humanæ Christi et Sanctorum : ita Cherubim cum suis alis eminebant insistentes arcæ et propitiatorio, positi in ejus summitate, ut dicitur cap. XXXVII, vers. 8.

Cherubim stabant supra propitiatorium.

Probat. Primo.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

Dices : Propitiatorium vocatur oraculum *Exodi* XXV, 18, et cap. XXXVII, 6; ergo erat quasi thronus Dei loquentis, et oracula dantis.

Objectio.

Respondeo : Propitiatorium erat oraculum, non se solo præcise, sed quatenus complectebatur Cherubinos cum alis suis. Hi enim toti aurei erant æque ac propitiatorium, erantque ex eo malleatione producti : unde cum eo unum quid in genere artis esse videbantur, puta unus thronus Dei. Thronus enim Dei integer, et undique, scilicet tam inferne quam superne perfectus, erant Cherubim cum propitiatorio. Nam alæ Cherubim insistentium propitiatorio erant quasi sedes Dei, propitiatorium vero erat quasi scabellum ejusdem. Unde Deus proprie et præcise dicitur sedere super Cherubim, quasi thronum suum, indeque loqui et dare oracula. Hoc enim est quod dicitur vers. 22 : « Inde præcipiam et loquar ad te supra propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim, qui erunt super arcam. » Et *Num.* VII,

Respond.

vers. ult. : « Audiebat (Moses) vocem loquentis ad se de propitiatorio, quod erat super arcam inter duos Cherûbim, unde et loquebatur ei. » Loquebatur ergo proprie Deus ex alis Cherubim, quibus insidebat, ac consequenter dicebatur loqui ex propitiatorio, quasi oraculo, quia hoc erat basis et sustentaculum Cherubinorum, et consequenter throni Dei, eratque scabellum pedum Dei. Ita Abulensis, Alcazar et alii.

Quæritur tertio, quo fine positi sint Cherubini cum arca et propitiatorio, quidque significarint?

Quæritur *tertio*, quo fine positi sint Cherubini cum arca et propitiatorio, quidque significarint?

Respondeo, hæc omnia ad hoc fuisse posita, ut essent currus gloriæ, id est belli, victoriæ et triumphi, quem Deus egit de Amalec, aliisque hostibus, et maxime de Pharaone et Ægyptiis. Hoc enim curru suo divino et angelico quasi processit Deus in aciem contra Pharaonem, *Habacuc* III, 8; et *Psalm.* LXVII, 18 : « Currus Dei decem millibus multiplex; » et *Psalm.* LXXVI, 19 : « Vox tonitrui tui in rota, » eoque currus Pharaonis subvertit in mari Rubro, *Exodi* XIV, 25. Unde post hanc victoriam de Pharaone, mox hunc currum Cherubim Mosi Deus in Sina ostendit, eumque fabricari, et in tabernaculo quasi trophæum poni jussit, ut scilicet esset æternum monumentum, tum victoriæ et liberationis Hebræorum ex Ægypto, tum per illam parti regni et populi, id est institutæ Ecclesiæ veteris, quod scilicet Deus in Sina Hebræos a se ex Ægypto redemptos sibi in populum, Ecclesiam et regnum adoptasset; unde consequenter, currus hic significabat Synagogam ipsam, sive Hebræos, qui erant hoc regnum. Arca ergo erat quasi currus, habebat enim quatuor globos sive sphærulas, quasi quatuor rotas, ut dixi vers. 12. Propitiatorium erat quasi solium, aut potius scabellum Dei triumphantis. Stipant eum Angeli, puta Cherubini, gestantque insignia victoriæ Dei, scilicet *primo*, speciem vituli: vitulus enim repræsentat symbolice sacrificium agni, cujus immolatione Hebræi liberati sunt ex Ægypto, *Exodi* XII; *secundo*, species hominis in Cherubinis significat ipsos Hebræos agnum immolantes; *tertio*, species aquilæ symbolum est agilitatis, æternitatis (diutissime enim vivit aquila) et sublimis spiritus, puta angeli percutientis Ægyptum; *quarto*, species leonis significat Deum quasi regem, fortitudine sua sævientem in Ægyptios : est enim leo rex ferarum, et princeps animalium omnium.

Quæritur tertio, quo fine et qua significatione facti sint Cherubim?

Respondeo, ut essent quasi currus gloriæ et victoriæ Dei.

Symbola quatuor animalium

Id ita esse patet *primo*, ex eo quod Salomon Cherubim templi faciens adinstar Cherubim tabernaculi, fecerit eos quasi quadrigam, ut dicitur I *Paral.* XXVIII, 18; *secundo*, ex eo quod Ezechiel, cap. I, viderit quatuor animalia, scilicet Cherubim stipantes currum Dei, adinstar Cherubim templi et tabernaculi, huncque currum vocet currum gloriæ Dei; *tertio*, quia Cherubim per metathesin dicuntur quasi *recubim*, id est currus, quia stipant currum Dei, uti mox dicam.

Currus Cherubim.

Dico *secundo* : Ili Cherubini significant angelos, qui sunt quasi stipatores Dei. Hinc gestant quatuor stemmata et insignia Domini Dei sui : species enim aquilæ significat Dei sapientiam; species hominis significat Dei bonitatem, mansuetudinem et clementiam; bos significat Dei justitiam, religionem et cultum illi debitum, quod scilicet bobus aliisque victimis, illa summa majestas sit colenda et adoranda; leo significat Dei fortitudinem et potentiam. Hæc attributa a Deo ipsi Cherubini, id est angeli, in se participant et repræsentant. Illi enim sunt aquilæ per celeritatem et contemplationem; sunt leones per fortitudinem; sunt homines per mansuetudinem; sunt boves per patientiam et labores. Ita S. Dionysius, *Cœlest. Hierarch.* cap. XV. Hinc patet Cherubim hic significare non tantum secundum ordinem angelorum primæ hierarchiæ, qui proprie dicitur Cherubim; sed etiam omnes alios angelorum ordines. Unde patres subinde hos Cherubim vocant Seraphim, uti ostendit Vilalpando, lib. IV, cap. XCVI, pag. 132, ubi pro hac re citat Cyrillum utrumque, Clementem Alexandrinum et Tertullianum, quin et S. Thomam.

Cherubim sunt angeli stipatores Dei. Significant quatuor stemmata.

Cherubim sunt quivis angeli.

Etiam Seraphim.

Dico *tertio* : Allegorice hic currus Cherubim, et gloriæ Dei triumphatoris et redemptoris Hebræorum ex Ægypto, significat currum triumphantem Christi redemptoris hominum; qui currus est Ecclesia, de qua dicitur *Cantic.* I, vers. 4 : « Equitatui meo, » id est quadrigæ vel carrucæ meæ, « assimilavi te. » Quatuor rotæ sunt Apostoli, Pastores et Doctores, qui currum Evangelii et Ecclesiæ fortiter et velociter, instar fulguris, agunt et propagant per totum orbem. Hinc Cherubini gestant quatuor insignia Christi : species enim hominis significat Christi incarnationem; species vituli significat Christi mortem et immolationem in cruce; species leonis significat Christi fortitudinem, quam ostendit in resurrectione; species aquilæ significat Christi ascensionem in cœlum : hæcque suis Christianis et Sanctis communicat, uti paulo ante dixi Deum angelis sua stemmata communicare.

Allegorice, Cherubim est currus Christi, puta Ecclesia.

Quatuor stemmata Christi.

Anagogice, hæc sunt quatuor stemmata Ecclesiæ triumphantis et regni cœlestis, ubi Deus regnat in solio gloriæ : nam aquila significat visionem Dei; homo, mutuum Sanctorum amorem et concordiam; leo, potentiam et immortalitatem; vitulus, oblationem, Deique adorationem; rotæ, æternitatem eorumdem.

Anagogice, quatuor stemmata regni cœlestis.

Tropologice S. Gregorius, homil. 6 *in Evang.* : « Unusquisque, ait, si in quantum sufficit proximum a pravitate revocat, si exhortari ad bene operandum curat, si æternum regnum vel supplicium erranti denuntiat, cum verba sanctæ annuntiationis impendit, angelus existit. » Idem, *homilia* 34 : « Qui secretorum cœlestium summa capere prævalent, et nuntiare, isti in Archangelorum numero deputantur. Et sunt nonnulli qui tanta Dei ac proximi dilectione pleni sunt, ut Cherubim jure nominentur. Quia enim Cherubim

plenitudo scientiæ dicitur, et Paulo dicente didicimus, quia plenitudo legis est charitas; omnes qui Dei et proximi charitate cæteris amplius pleni sunt, meritorum suorum sortem inter Cherubim numeros perceperunt. Et sunt nonnulli qui supernæ contemplationis facibus accensi, in solo conditoris sui desiderio anhelant, nihil jam in hoc mundo cupiunt, solo æternitatis amore pascuntur, terrena quæque abjiciunt, temporalia cuncta mente transcendunt, amant et ardent, atque in ipso suo ardore requiescunt, amando ardent, loquendo et alios accendunt; et quos verbo tangunt, ardere protinus in Dei amore faciunt: hi inter Seraphim numerum sortem suæ vocationis acceperunt. »

Quæritur quarto, cur Cherubim positi sint ad oraculum?

Quæritur *quarto*, quare hi Cherubini positi sint ad oraculum, sive propitiatorium; et quo sensu Deus dicatur sedere, vel vehi super Cherubim?

Deus sedet super Cherubim, quo sensu?

Respondeo: Deus dicitur sedere super Cherubim, quia ipsæ alæ Cherubim junctæ, speciem quamdam sedis exhibebant. Illius enim throni species hæc erat: aurea tabula (quæ propitiatorium appellatur) erat pro pedum scabello; duo Cherubim parvi, pro sella. Nam e regione positi, et invicem oppositi, extentas alas, et inter se vicissim collatas habebant: perinde ac si duo homines sibi invicem obversi, brachia utrinque extenderent et conjungerent, ut sedem cuipiam efficerent qua ille consederet: itaque Cherubinorum capita erant veluti sellæ latera; alæ vero extensæ erant sedes. Jam hoc symbolo, et hac phrasi, qua Deus dicitur vehi et sedere super Cherubim, significatur

Primo.

primo, Deum sapientissimos spiritus angelicos longe præscientia, et futurorum prævisione et prædictione, omnique scientia et sapientia transcendere, eosque quasi pedibus suis premere: solet enim Scriptura Dei potentiam et sapientiam maxime commendare ex eo, quod sit Deus exercituum, puta angelicorum, quia ei millia millium ministrant, quod faciat angelos suos spiritus, etc.;

Secundo.

secundo, hi Cherubini respiciunt partim Deum suis alis insidentem; partim propitiatorium: quia angeli non sibi, sed Deo suas alas, id est, vires et virtutes, omneque bonum quod habent, attribuunt. Ita S. Augustinus, *Quæst.* CV. Rursum, hoc ipso significant Deum esse finem legis, legemque, quæ

Tertio.

in arca erat, servandam esse propter Deum; *tertio*, duo Cherubini in Sancto sanctorum, qui versis ad se mutuo vultibus, invicem (demisso licet vultu) semper respiciebant, significabant Deum beatis tam angelis, quam hominibus, summa inter se charitate flagrantibus (quod binario, et faciebus ad se invicem versis significatur), videndum se exhibere, hacque gloriosa sui visione eos beare. Ita S. Augustinus et S. Thomas.

Deum vehi et sedere

Dico *secundo*: Tempore Mosis quo Deus habitavit, non in templo, sed in tabernaculo, quasi proficiscens, et armata manu ducens populum suum per medios hostes in Chanaan, dicebatur Deus vehi et equitare super Cherubim, tanquam dux belli et victoriæ Hebræis contra Chananæos aliosque hostes; postquam vero populum suum collocavit in Chanaan, cum eoque pacifice habitavit in templo, dictus est Deus sedere super Cherubim, ut patet *Isaiæ* XXXVII, 16, quia in iis, parta jam victoria et quiete, quasi victor et triumphans residere videbatur, iisque imperium, quod sua scientia et providentia asseruerat, eadem conservare. Nam, « non minor est virtus, quam quærere, parta tueri. » Unde Augustus Cæsar audiens Alexandrum, annos natus 32, pleraque subegisse, ideoque anxium fuisse de materia, quid scilicet deinceps esset acturus: « Miror, inquit, Alexandrum non existimasse, majoris esse operæ imperium partum bene constituere, quam parare; » testis est Plutarchus in *Augusto*.

super Cherubim, qui differant?

Symbolice, Sanctum sanctorum repræsentabat cœlum; duo Cherubim, duo hemisphæria; sex alæ (tot enim sunt, si duas manus pro duabus alis capias, uti dixi *Ezech.* I) in unoquoque, id est, 12 in duobus, significabant 12 signa Zodiaci, et tempus quod per illa describitur et decurrit; arca significabat quietem, quam habent Cherubim, id est, spiritus cœlestes in Deo. Ita Clemens, lib. V *Stromatum*. Rursum satis concinne Barradius, tom. I, lib. V, cap. XXXI: Sicut, inquit, arca testamenti est B. Virgo, propitiatorium Christus: ita Cherubinus est Joseph, tum quia Christi fuit tutor et protector in pueritia, tum quia brachia ejus sæpe fuerunt sedes Dei, scilicet Christi, juxta illud *Psalm.* LXXIX: « Qui sedes super Cherubim; » tanquam pater enim et nutritius cum Christo agebat.

Symbolice.

Allegorice S. Gregorius, homil. 26 *in Evang.*: Duo, ait, angeli quos vidit Magdalena in sepulcro Christi, et duo Cherubim arcæ sunt duo testamenta: propitiatorium et Christus incarnatus. « Et dum Testamentum vetus hoc faciendum denuntiat, quod Testamentum novum de Domino factum clamat, quasi utraque Cherubim se invicem aspiciunt, dum vultus in propitiatorium vertunt: quia dum inter se positum incarnatum Dominum vident, a suo aspectu non discrepant, quæ dispensationis ejus mysterium concorditer narrant; » hactenus S. Gregorius.

Quæritur quinto, unde dicantur Cherubim?

Quæres *quinto*, unde dicantur Cherubim, et quid hebraice significet Cherubim? Respondeo: Dicuntur Cherubim, non a Chaldæo *rub*, vel *rabio*, id est *puer*, quasi *cherub* idem sit quod כרוב *kerub*, id est, tanquam puer, ut vult R. Kimchi, et noster Alcazar, *Apocalip.* caput IV, pag. 383, ubi sic explicat: Cherub, ait, id est, *quasi puer*, hoc est *quasi filius*, vel *quasi minister*, jugiter astans Deo, paratus ad omne ejus obsequium: constat enim Cherubim non Chaldæum, sed Hebræum esse nomen. Sed dicuntur Cherubim a multitudine roboris, gloriæ, scientiæ et sapientiæ, uti docet S. Dionysius, cap. VII *Cælest.*

Hierar., et ex eo S. Hieronymus et passim alii in *Ezech.* XXVIII; Philo, lib. *De Vita Mosis;* Origenes, hom. 5 et 11 *in Num.;* Anastasius, serm. *De Deipara;* Augustinus, in *Psalm.* XVII et LXXXIX; Theodoretus, in *Ezech.* cap. X, vers. 20; Philastrius, *Hæresi* 102; Sophronius in *Encomio angelorum*, tomo II *Bibliot. SS. Patrum;* Isidorus, Beda aliique passim, tam Patres quam S. Scripturæ Interpretes, æque ac Doctores Scholastici communi omnium consensu. Hi enim secundum angelorum ordinem a scientia dictum esse Cherubim, constanter asseverant. Id ipsum satis insinuat sacra Scriptura *Ezechiel.* cap. XXVIII, vers. 17, ubi alloquens regem Tyri, eumque appellans *Cherub*, ait: « Perdidisti sapientiam tuam; » et vers. 3, irridens ejus fastum, quo sibi Cherub arrogat scientiam : « Ecce, inquit, sapientior tu es Daniele, omne secretum non est absconditum a te. In sapientia et prudentia tua fecisti tibi fortitudinem, » etc. Porro *Cherub* significat multitudinem scientiæ, a radice, ut vult Pagninus, נכר *nachar*, id est, scivit vel cognovit, et רב *rab*, id est multum. Unde Abbas Bessarion moriens dicebat : « Debet monachus totus oculus esse, sicut Cherubim et Seraphim. » Vel potius et simplicius a כ רב *ke* et *rab*, id est, sicut rabbi, hoc est, sicut sapiens, potens, honoratus et gloriosus. *Rab* enim, sive *Rabbi*, significat virum magnum, qui pollet opibus, viribus, scientia, gloria. Unde de rege Tyri dicitur *Ezechiel.* cap. XXVIII, 16 : « Tu Cherub extentus, *q. d.* Tu, o rex Tyri, qui es *rab*, et gloriosus ut Cherubim, quique alis potentiæ et ditionis tuæ extentis, plurimos populos subditos protegis, sicuti Cherubini protegunt arcam et propitiatorium.

Che ub est *kerib*, id est, quasi rabbi, sapiens, potens.

Alludit quoque nomen Cherub per metathesin, ad radicem כביר *cabbir*, id est multiplex, scilicet scientia, robore, forma et figura : habebant enim Cherubini quatuor facies, ut dixi *Ezech.* I.

Cherub alluditad *cabbir*, id est multiplex: et ad *recheb*, id est currus : et ad *rocheb*, id est princeps, moderator :

Tertio, per metathesin alludit Cherub ad רכב *recheb*, id est currus : Cherubim enim stipabant et decorabant currum gloriæ Dei; et ad רוכב *rocheb*, id est equitans, hoc est princeps, moderator et gubernator. Hi enim olim equis vehebantur, et sicut equum habenis regimus, sic hi populum suis legibus gubernant. Tales sunt angeli, qui mundum regunt, eumque quasi currum divinæ providentiæ moderantur, movent et agunt. Ita Mercerus, Goropius Becanus, et post eos noster Hieronymus Prado in *Ezech.* cap. I; imo ipsi censent hoc primarium et genuinum esse Cherubim etymon.

Et ad *capporeth*, id est propitiatorium : hoc enim tegebant. *Cherub*

Quarto, Cherub per metathesin, et per commutationem litterarum affinium *beth* et *pe*, alludit ad *caphar*, et *capporeth*, id est ad propitiatorium : hujus enim pars, et quasi umbella erant Cherubim. Denique alludit Cherub ad quatuor animalia in Cherub expressa, scilicet ad leonem, vitulum, hominem et aquilam. Cherub enim per metathesin, et per commutationem litteræ *beth* in affinem *pe* (utraque enim est labialis et ejusdem pene soni), idem est quod כפר *kephir*, id est leo; idemque est quod כפר *kepar*, id est sicuti vitulus, vel similis vitulo; idemque est quod כרב *kerab*, id est sicuti vir potens et princeps. Denique, per anagrammatismum Hebraicum *ethbas* (quo litteræ alphabeti inter se ordine retrogrado commutantur, puta *aleph*, quæ prima est ab initio, commutatur cum *tau*, quæ prima est à fine; et *beth*, quæ secunda est ab initio, commutatur cum *schin*, quæ secunda est a fine : quomodo Jeremias capit. LI, vers. 41, *Sesah* vocat ipsam *Babel*), *kerub* idem est quod כשר *kescer*, et *kescer* per aphæresin litteræ *nun*, quæ solet esse in verbis incipientibus a *nun*, idem est quod כנשר *kannescer*, id est sicut aquila. Sic ergo Cherub, uti sua forma, ita et suo nomine, quatuor animalium species in se includit et exprimit.

significat quatuor animalia per metathesin.

Moraliter, Cherubim sunt symbolum sapientiæ, quæ cæteris rebus præstat, et sola apta est ad regimen. Sapientia enim Dei, in gubernando hoc universo, « attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. » Hæc est forma optimi regiminis. Vis optime regere? rege ut Deus fortiter et suaviter. Unde hanc sapientiam impense postulat Salomon a Deo, *Sapient.* IX. Audi Horatium, lib. I, *epist.* I :

Moraliter, quis est Cherubim, quis sapiens?

> Ad summum sapiens uno minor est Jove : dives,
> Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum.

Beatas fore respublicas dixit Plato, si vel sapientes eas regerent, vel earum rectores sapientiæ studerent. Et Aristoteles ait : « Sapere principantis est. » Vis ergo esse Cherubim? vis esse sapiens, ut te et alios regere possis? audi *primo*, Apuleium : « Sapiens, inquit, neo in secundis rebus effertur, nec contrahitur in adversis. » Et Senecam, *epist.* 60 : « Sapiens, ait, ad omnem incursum munitus et intentus est : non si paupertas, non si luctus, non si ignominia, non si dolor impetum faciat, pedem referet. Interritus contra illa ibit, et inter illa. Sapiens plenus est gaudio, hilaris, placidus et inconcussus, cum diis ex pari vivit. » Et *epist.* 72 : « Sapiens vincit virtute fortunam. » Et *epist.* 77 : « Præcogitati mali mollis ictus venit. Sapiens assuescit futuris malis, et quæ alii diu patiendo levia faciunt, hic levia facit diu cogitando. »

Resp. Primo.

Secundo, Isocrates ad Nicoclem de regno : « Sapientes, ait, sunt qui et negotia dextre obire, et inter homines versari commode possunt, nec in vita mutationibus perturbantur : moderate ferre norunt tam adversa, quam prospera. »

Secundo.

Tertio, Lactantius, lib. III, cap. XXX : « Qui vult, inquit, sapiens et beatus esse, audiat Dei vocem, discat justitiam, sacramentum nativitatis suæ noscat, humana contemnat, divina suspiciat, ut summum illud bonum, ad quod natus est, possit adipisci. Summa ergo sapientia est in hoc uno, ut homo Deum cognoscat et colat. »

Tertio.

Quarto. *Quarto*, S. Gregorius Nazianzenus in *Apolog.* : « Prima, ait, sapientia est vita laudabilis, et apud Deum pura mens, per quam puri puro jungun-tur, et sancti sancto sociantur. »

Quinto. *Quinto*, Apollo Delphicus, et Cicero, libro I *De Legibus* : « Sapientia, inquit, est γνῶθι σεαυτόν, nosce teipsum. »

Sexto. *Sexto*, Cicero, lib. I *De Finib.* : « Sapientia, ait, est ars vivendi, quæ mœstitiam pellit ex animis, quæ exhorrescere metu non sinit; qua præceptrice in tranquillitate vivi potest, cupiditatum ardore restincto. » Item : « Sapientia est vincere iram, vincere seipsum. »

Septimo. *Septimo*, Cicero, lib. III *Tusculan.* : « Sapienti, ait, nihil potest videri magnum in rebus humanis, cui æternitas omnis, totiusque mundi nota sit magnitudo. » Vis ergo esse sapiens? tempus et temporalia despice, æterna et æternitatem cogita. Idem Cicero, *Paradox.* 4 : « Sapiens animus, ait, magnitudine consilii, tolerantia rerum humanarum, contemptione fortunæ, virtutibus omnibus ut mœnibus septus, vinci aut expugnari non potest. » Et lib. IV *Tusculan.* : « Vir temperatus, constans, sine metu, sine ægritudine, sine libidine, is est sapiens.» Recte Poeta : « Virtus cui sapit, ille sapit. »

Octavo. *Octavo*, Architas : « Sapientia, ait, est cognitio rerum divinarum, et prudentia humanarum rerum, et eorum quæ ad vitam spectant. »

Nono. *Nono*, S. Gregorius, lib. X *Moral.* cap. XXVII : « Justorum, ait, sapientia est, nihil per ostentationem fingere, sensum verbis aperire, vera ut sunt diligere, falsa devitare, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare quam facere, nullam injuriæ ultionem quærere, pro veritate contumeliam lucrum putare. Sed hæc justorum simplicitas deridetur. Quid namque stultius videtur mundo, quam mentem verbis ostendere? nihil machinatione callide simulare? nullas injurias contumeliæ reddere? pro maledicentibus orare? paupertatem quærere? possessa relinquere? rapienti non resistere? percutienti maxillam alteram præbere? »

Sapientiæ exempla. Jam vis exempla sapientiæ? Alexander Magnus videns Diogenem in dolio recumbentem : « O vas, ait, sapientia refertum? » Diogenes vero sapienti nihil deesse, hoc syllogismo colligebat : « Amicorum omnia sunt communia. Diis nihil deest : sapientes sunt eorum amici; ergo sapientibus nihil deest, sed eorum, æque ac deorum, sunt omnia. » Sed eodem syllogismo rejici poterat petens aliquid. Cur petis, habens omnia? at respondisset : « Non peto, sed repeto. » Ita Laertius, lib. VI.

Aristoteles dicebat sapientem sibi sufficere, eo quod omnia quæ sunt aliorum, sunt et hujus, qui cum omnibus habet amicitiam et communionem.

Alphonsus Aragonum rex aiebat se pluris facere sapientiam, quam opes et regnum : illam enim esse Dei filiam, solamque rerum omnium immortalem, atque ex omni genere animantium soli homini concessam. Testis est Panormitanus in ejus Vita.

Thales rogatus, « quomodo quis sapienter et optime viveret? Si, ait, quæ in aliis reprehendit, ea non faciat ipse. » Ita Laertius, lib. I.

Carolus V, felix et sapiens, in bellis pietate et Deo nitebatur, addebatque nervos belli esse pecuniam, commeatus, milites : verum si ex iis aliquo carendum esset, se militem veteranum electurum esse, cujus industria et fortitudine reliqua duo ex hoste se comparaturum confideret. Hinc ipse in comparando exercitu se caput sumere ab Italis, brachia et manus ab Hispanis, pectus a Germanis, ventrem et pedes a reliqua gentium turba dicebat.

Socrates aiebat, « mentem sapientis esse templum, ejusque os ostium. » Sicut enim templi ostio aperto pulcherrima simulacra perspiciuntur, sic ex ore sapientis animi simulacra illustria pervidentur.

Philo, lib. *De Abraham* : « Sicut, ait, gubernator in navi, magistratus in civitate, imperator in exercitu, anima in corpore, mens in anima : sic revera primus est sapiens in humano genere, » estque quasi sol in mundo.

Documenta et indicia sapientiæ. Primum. Porro documenta ac indicia sapientiæ accipe. *Primo*, sicut mundus undique teres ac rotundus sibi constat : ita sapiens nihil extra se quærit, seipso contentus. Rursum, ut alcyones, teste Plinio, lib. X, cap. XXXII, media etiam hieme mare tranquillum præstant, non sibi solum, sed aliis quoque : ita sapiens turbatissimis rebus, non solum ipse tuebitur animi tranquillitatem, sed et alios concitatos componet ac sedabit.

Secundum. *Secundo*, sicut, teste Plinio, lib. XI, cap. II, in culice non minus admiranda vis est, quam in elephante : ita sapientia in maximis pariter ac minimis negotiis magnum virum ostendit; ingenii enim vis etiam in ludicro ac humili argumento elucet. Uti enim bonus artifex e quavis materia simulacrum fingit, ita sapiens quamvis fortunam sapienter administrat.

Tertium. *Tertio*, ut cochleæ, teste Plinio, lib. IX, cap. XXXII, lente ingrediuntur, nec quidquam attingunt, aut usquam se movent, nisi cornibus prætentarint : ita sapientem oportet esse cunctabundum, minimeque præcipitem, et pedetentim aggredi, gustu quodam prius sumpto. Sicut enim Aquilo initio vehemens, desinit lenior; contra Auster initio lenior, desinit vehementior : ita qui præcipites magno impetu aliquid aggrediuntur, frigescunt in processu; contra, qui consilio aliquid suscipit, magis ac magis accenditur operis progressu.

Quartum. *Quarto*, sicut quo directius nos ferit sol radiis suis, hoc minor est umbra nostri; quo vero obliquius, hoc magis increscit umbra corporis : ita quanto plus quisque assecutus est veræ sapientiæ, hoc minus magnifice de se sentit; quo lon-

gius abest ab ea, hoc se magis dilatat stultissima persuasione sapientiæ.

Quintum. *Quinto* : « Uti indomita, ait Plinius, lib. XXXVII, cap. IV, vis est adamanti, unde et nomen accepit, adeo ut nec calescat igni, nec ferro cedat, quin et ictum ita respuit, uti ferrum simul et incudes dissiliant : » sic sapientis animus adversus omnem fortunæ sævientis impetum invictus est. Ut grando illisa tectis dissultat magno quidem fragore, sed nulla noxa : sic insultus fortunæ nihil potest in sapientem. Hinc veteres sicut fortunam rotundo lapidi insistentem pinxerunt, ita sapientiam in quadrato statuerunt : ex hoc hieroglyphico volubilem illam, hanc vero firmam et inconcussam significantes. Ita Pierius, *Hieroglyphico* 39.

Sextum. *Sexto*, ut Deus plurimum sapiens et intelligens minimum loquitur : ita sapiens nonnisi necessaria loquetur. Gentiles, ut vides, lector, subinde cito, non tam meo, quam aliorum nonnullorum præsertim sæcularium, qui libris et tempore carent, sensu et desiderio; quia Plato et Stoici, quos secuti sunt Aristoteles, Seneca, Cicero, Philo cæterique Philosophi, suam sapientiam hausere a Mose. Unde Plato dictus est Moses Atticus. Mosi ergo reddantur gnomæ Gentilium, quasi ab eo acceptæ, ideoque illi debitæ. Concionatores tamen, et qui res sacras tractant, cum grano salis discrete et sobrie iis utantur, ne sacra profanis temere miscendo eadem vilipendant et profanent (1).

Gentiles quomodo citandi ?

Vers. 21. 21. IN QUA PONES TESTIMONIUM. — Hoc est legem, puta tabulas legis. Vide dicta vers. 16.

Vers. 22. 22. INDE PRÆCIPIAM ET LOQUAR AD TE SUPRA PROPITIATORIUM. — Hinc patet Mosen ducem et legislatorem populi sæpius intrasse in Sancta sanctorum, ut Deum de dubiis consuleret, vel inibi audiret Deum monentem et præcipientem, ut hic dicitur. Quare quod *Levit.* cap. XVI, præcipit Deus, ut pontifex semel tantum in anno ingrediatur in Sanctum sanctorum, hoc Mosen non tangit, qui non erat pontifex, sed legatus et internuntius Dei.

Vers. 23. 23. FACIES ET MENSAM DE LIGNIS SETIM. — Nota : Hæc mensa facta erat, ut exciperet 12 panes Deo proponendos; hinc hæc mensa erat ante Sancta sanctorum, in Sancto, juxta altare thymiamatis : nam Sanctum hæc tria habebat, scilicet altare thymiamatis, quod ad latus septentrionale sive sinistrum habebat hanc mensam, ad latus vero meridionale sive dextrum habebat candelabrum. Unde et mensa hebraice dicitur שלחן *schulchan*, quasi missio vel emissio, quod in ea panes hi immitterentur Deo. Consimili forte agnominatione, inquit Vilalpando, mensam quasi missam vocarunt Latini, eo quod in mensa fercula mitterentur; unde primam dicebant, et secundam mensam; sed et fercula singula *missus* vocabant : licet Varro mensam dictam putet quasi *mesam*, eo quod inter duos media poneretur. *Secundo*, erat hæc mensa facta ex lignis setim auro obductis. *Tertio*, longa erat duos cubitos, lata unum cubitum, alta cubitum et dimidium : hinc patet mensam fuisse non rotundam, sed quadrangulam. *Quarto*, mensa hæc habebat labium, id est limbum aureum per circuitum; in ipso labio erat corona interrasilis quatuor digitorum, cui alia corona minor imponebatur ad ornatum, et ut altior esset corona, utque melius panes contineret ne deciderent. *Quinto*, mensa hæc habebat quatuor pedes, et in summitate pedis cujusque habebat circulum aureum, ita ut per quatuor circulos positos in lateribus, non longitudinis, sed latitudinis, duo immitterentur vectes, quibus portaretur mensa humeris quatuor sacerdotum. Ita ex Josepho Ribera.

Descriptio mensæ panum propositionis. Primo.

Mensa hebraice dicitur *schulchan* quasi dicas missa.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

Allegorice, Sanctum est Ecclesia in terris militans, tendensque ad Sanctum sanctorum, id est, ad cœlum : in qua alii se dedunt eleemosynis et operibus charitatis : hos significat hæc mensa panum; alii se dedunt doctrinæ et vitæ sanctæ : hos significat candelabrum; alii se dedunt orationi, laudi Dei et contemplationi : hos significat altare thymiamatis; coronam habet mensa, ut significet misericordes et eleemosynarios non tantum in cœlo, sed etiam in terra a Deo benedici, gloria et honore coronari. Vide Riberam, lib. II *De Templo*, cap. XI. Sicut mensa hæc erat in Sancto juxta Sanctum sanctorum, in quo erat thronus Dei, sic « eleemosyna, inquit S. Chrysostomus, homil. 9 *in Matth.*, amica Deo consistit, et semper ei propinqua est : pro quibuscumque voluerit, facile munus impetrat, vincula peccatorum ipsa dissolvit, fugat tenebras, extinguit ignem : huic cum multa fiducia portæ cœli aperiuntur, et veluti regina intrante nullus janitorum, nullus custodum qui assistunt, audent dicere : Quæ tu es, vel unde? sed omnes eam e regione suscipiunt. Virgo est habens alas aureas, circumscripta per omnia venustate, sed succincta, vultum habens candidum atque mansuetum, pennata est et levis, et semper ante solium regale consistit. » Recte Poeta :

Allegoria mensæ altaris, et candelabri.

O quæ stultitia est! Deus emit sanguine servos :
Mercari exiguo nos piget ære Deum.

Amadæus Sabaudiæ dux rogatus a quibusdam legatis, num haberet canes venaticos, annuit, ut postera die redirent. Cum vero jam adessent, Amadæus e pergula ingentem mendicorum copiam eis ostendit una discumbentium. Atque : « Hi sunt, inquit, canes mei quos alo quotidie, quibusque cœlestem gloriam me spero venaturum. » De eleemosyna plura dicam *Deut.* cap. XXVI, in fine.

Rursum mensa hæc significat mensam corporis et sanguinis Christi in Eucharistia. Ita Rupertus et S. Hieronymus in I *Malach.*, et Damascenus,

Mensa eucharistiæ.

(1) Pro *productiles*, vers. 18, rectius Septuaginta hebræum vertunt ποριστά, *cælata*, torno dolata.

Vers. 22. Pro *præcipiam et loquar*, etc. in hebr. est, *tibi conveniam te, tecum collocuturus.*

libro IV, cap. XIV, et Cyrillus, *Catech.* 4, mystagog. De hac mensa canit Psaltes *Psalm.* CXV, vers. 4 : « Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. » Et *Psal.* XXII, vers. 5 : « Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me. Impinguasti in oleo caput meum, et calix meus inebrians quam præclarus est! » Et *Zach.* cap. IX, vers. 17 : « Quid bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines ? »

Vers. 24. 24. FACIESQUE ILLI LABIUM AUREUM : — « labium, » id est limbum circumcirca.

Vers. 25. 25. ET IPSI LABIO CORONAM INTERRASILEM ALTAM QUATUOR DIGITIS. — Hebraice *ipsi labio*, sive *limbo facies clausuram*, id est limbum alium qui claudat limites mensæ, ne ex ea panes decidant, et cujus una pars claudat aliam; quod noster Interpres exprimit per *interrasile* : in opere enim interrasili quædam plana sunt, quædam vero exsculpta sunt opere tornatili, ut ea quæ plana sunt ambiant. Opus hoc interrasile, triplicemque hunc limbum, sive coronam, ita describit Vilalpando : Si ponas, inquit, tabulam crassam quatuor digitos, ex quibus duo medii ad interiora retrahantur, et variis cælaturis asperiores reddantur, est opus interrasile; reliqui vero duo digiti, scilicet unus inferne, alter superne cymatium erit ipsi tabulæ, quod Vitruvius vocat opus Lesbium, cum scilicet ipse limbus interrasilis utrimque, puta inferne et superne, cymatio quasi corona cingitur.

Opus interrasile quod ?

ET SUPER ILLAM, ALTERAM CORONAM AUREOLAM. — Tertius erat hic mensæ limbus, secundo impositus, uti secundus impositus erat primo et imo, idque ad ornatum magis quam ad necessitatem. Noster Interpres hanc coronam vocat *aureolam*, non quasi non esset ex puro auro (Hebræa enim vocant eam coronam auream), sed quia parva erat, ideoque minus auri quam cæteræ continebat, *q. d.* Coronulam. Hinc Scholasticos sumpsisse nomen aureolæ, ut per illud dotes quasdam accidentales beatitudinis significarent, quæ propriæ erunt Virginum, Martyrum et Doctorum, censet Ribera et alii.

Aureola unde ?

Vers. 27. 27. UT MITTANTUR VECTES PER EOS. — Verisimile est vectes hosce fuisse annulis insertos et protensos, non secundum longitudinem, sed secundum latitudinem mensæ, ut scilicet ferri posset mensa gravis a quatuor viris in humeris; nam alioqui si secundum longitudinem mensæ protensi fuissent hi vectes, cum mensa tantum esset lata cubitum unum, non potuisset commode ea parte duorum bajulorum humeris inseri, secus erat in arca; hæc enim lata erat cubitum et dimidium. Ita Abulensis.

Vers. 29. 29. PARABIS ET ACETABULA, AC PHIALAS, THURIBULA ET CYATHOS, IN QUIBUS OFFERENDA SUNT LIBAMINA, EX AURO PURISSIMO. — « Acetabula, » hebraice *scutellas*; Septuaginta, τρυβλία, id est *paropsides*, patellas, vel catinos, puta ad excipiendam et continendam similam, quando illa offerri debebat; item ad excipienda sacrificia sartaginis et clibani, de quibus *Levit.* cap. II.

Acetabula quid ?

PHIALAS. — Vasa sunt parva et concava, in conviviis nobilioribus nota; hebraice vocantur כפות *cappoth*, a curvitate volæ manus, quam imitantur. Septuaginta vertunt θυίσκα, id est *mortaria*; unde et S. Hieronymus sæpe eas vocat mortariola. Erant hæ phialæ paratæ ad vinum aliaque libamina in sacrificiis fundenda; ad idem parati erant cyathi. Vasa hæc allegorice mensuram prædicationis significant, ut scilicet singulis juxta capacitatem indolis et ingenii illa attemperetur et conferatur. Rursum S. Gregorius, homil. 6 *in Evangelia*, per phialas, doctiores; per cyathos, minus doctos et sapientes accipit. « In tabernaculo, inquit, non solum phialæ, præcipiente Domino, sed et cyathi facti sunt. Per phialas quippe doctrina exuberans, per cyathos vero parva atque angusta designatur scientia. In Dei ergo tabernaculo, id est in Ecclesia, positi, si per doctrinam sapientiæ ministrare phialas minime potestis, in quantum pro divina largitate sufficitis, proximis vestris boni verbi cyathos date. Etiam vobiscum alios trahite, in via Domini socios habere desiderate : si ad Deum tenditis, curate ne ad eum soli perveniatis. » Nimirum, qui concionari nequit, catechizet, confessiones audiat : si nec hoc potest, proximum consoletur, moneat, hortetur ad confessionem, ad eleemosynas, ad virtutem.

Mystice, phiala sunt concionatores, cyathi catechistæ.

THURIBULA, — scilicet ad asservandum tum thymiama quod adolendum erat, tum thus quod panibus propositionis imponendum erat, ut dicitur *Levit.* cap. XXIV, vers. 7. Noster alibi *crateras*, Septuaginta *libatoria* vertunt, quia, ut videtur, sua cavitate servire poterant utrique, scilicet tam thuri, quam libamini suscipiendo (1).

Nota : Hæc vasa facta sunt, ut subservirent partim altari holocaustorum (in quo non commode, neque nitide reponi potuissent hæc vasa; unde reposita sunt in mensa hac), partim altari thymiamatis, videlicet ut pro eo ex thuribulis his thus acciperet sacerdos in thuribulum aliud, quod plenum igne ex altari holocaustorum acceperat, ut in eo thymiama adoleret in altari thymiamatis.

Dices : *Exodi* XXXVII, 16, dicuntur hæc vasa facta esse in usus mensæ.

Respondeo duplicem fuisse mensæ usum, primum, ut contineret panes propositionis; secundum, ut esset quasi repositorium vasorum mundorum, et ita subserviret altari utrique, atque in hunc usum mensæ dicuntur facta esse hæc vasa, *Exodi* XXXVII; non autem quasi iis libaretur, aut thus adoleretur in mensa. Ita Abulensis. Hæc vasa in tabernaculo erant pauca, unde omnia una mensa capi poterant. Salomon vero eorum nu-

(1) *Cyathus* est vas vinarium, sive poculum (Gall. *tasse*), tantum vini capiens, quantum quis uno haustu exhaurire potest.

merum auxit : solas enim phialas fecit centum, easque aureas; ideoque uti decem candelabra, ita et decem mensas fecit, quinque a dextris, quinque a sinistris. Josephus, lib. VIII *Antiq.* II, ait has mensas habuisse phialas et pateras aureas viginti millia, argenteas quadraginta millia.

Aliter respondet Vilalpando, lib. IV *De Templo*, cap. LVII, hæc vasa soli mensæ servivisse; nam per acetabula intelligi crateres aureos, quibus singuli panes imponebantur; per thuribula eorum opercula, ne panes a pulveribus vel a muscis fœdarentur. Ita et Vatablus per phialas accipit vasa, quibus imponebatur thus supra ipsos panes; per cyathos vasa, in quibus vinum pro panibus libabatur, de quo *Levit.* XXIV, 5. Itaque hæc vasa et hæc panum libatio fuerunt typus calicis et libationis sanguinis Christi, cum ejusdem corpore, sub specie panis, in Eucharistia : de quo rursum paulo post dicam. Hæc responsio valde probabilis est, tum quia magis satisfacit verbis S. Scripturæ; tum quia mensa erat parva et panes magni, ita ut iis plane tecta fuisse videatur; tum quia alia vasa ad altare holocaustorum, et alibi reponi potuerunt.

Vers. 30. Panes propositionis qui?

30. ET PONES SUPER MENSAM PANES PROPOSITIONIS IN CONSPECTU MEO SEMPER. — Nota « panes propositionis, » qui scilicet proponantur, sive ponantur, ante Dominum, vel coram arca et propitiatorio, in quo se præsentem exhibet Deus : hinc hebr. vocantur לחמי פניכם *lachme panim*, id est panes faciei, et græce Septuaginta eos vocant ἄρτους ἐνωπίους, id est panes faciales, qui scilicet positi essent ante faciem et conspectum Dei, sive, ut Septuaginta, ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, id est *coram Deo*. Perperam ergo Judæi putant hos panes facierum vocari, eo quod duas haberent facies, id est superficies, similes, puta superiorem et inferiorem, ut fit in libis nostris et hostiis; aut quod quatuor haberent angulos, quos ipsi vocant *facies*. De his panibus plura dicam *Levit.* XXIV, 5.

Nota : Sicut candelabro Mosaico in templis Christianorum respondent candelabra et lumina, ac præsertim lampas accensa ante Vener. Sacramentum (hoc est enim nostrum Sanctum sanctorum); et sicuti altari thymiamatis respondent nostra thuribula, et thurificatio in sacrificio Missæ : ita mensæ panum propositionis respondet mensa Spiritus Sancti, quam vocant, quæ in templis diebus Dominicis, multis in locis proponitur plena panibus, ut ii in pauperes distribuantur, idque ex prisco Ecclesiæ ritu. Nam S. Paulus, I *Corinth.* cap. XVI, vers. 2, jubet in ecclesia die Dominica collectam fieri eleemosynarum, quæ in pauperes erogentur.

Vers. 31. Descriptio candelabri. Primo, erat ductile ex talento

31. FACIES ET CANDELABRUM DUCTILE DE AURO MUNDISSIMO. — Nota *primo* : Candelabrum hoc erat unum ex tribus quæ erant in Sancto, eratque ad dexteram altaris thymiamatis. Hoc candelabrum ductile erat, id est, malleatione productum et efformatum ex uno auri talento : erat enim concavum et parvum, uti et mensa et altare. *Secundo*, hastile medium candelabri utrimque habebat tres calamos, sive ramos, id est, universim sex, qui omnes cum hastili æqualiter in altum assurgebant : hinc septifidum erat candelabrum; et in summitate tam hastilis, quam cujusque calami habebat lucernam; habebat ergo septem lucernas. Hæc autem omnia non erant inserta vel affixa, sed ductilia, puta ex una auri massa et talento malleatione producta. *Tertio*, calami ornati erant triplici, hastile vero quadruplici ordine scyphorum, sphærularum sive globorum, et liliorum vicissim sibi succedentium ter in calamis, quater vero in hastili. Hastile enim infra calamos unum habebat ordinem scyphorum et sphærularum, uti dicam vers. 35. *Quarto*, lucernæ hæ tabernaculum sive Sanctum, altare thymiamatis et mensam panum propositionis illuminabant, sed noctu tantum, uti pluribus dicam cap. XXVII, vers. 21. *Quinto*, candelabrum habebat sua emunctoria, item thuribula sive vasa, in quibus ea quæ emuncta erant, exstinguebantur. *Sexto*, candelabrum in Sancto positum erat oblique, ita ut lucernæ ad Meridiem et Orientem respicerent. Ita Josephus. *Septimo*, in tabernaculo unum tantum erat candelabrum; in templo vero Salomonis fuerunt decem candelabra, quinque ad dexteram et quinque ad sinistram, ut patet III *Regum* VII, 49. Unde corrigendus est Josephi codex, lib. VIII *Antiq.* cap. II, ubi ait in templo fuisse decem millia candelabrorum : corrigendum enim est, decem candelabra (1).

auri. Secundo, erat septifidum. Tertio, habebat tres ordines scyphorum, sphærularum et liliorum. Quarto, illuminabat Sanctum noctu. Quinto, habebat sua emunctoria. Sexto, positum erat oblique. Septimo, unum erat.

Symbolice, candelabrum hoc imago erat cœlestis sphæræ septilustris, sive septem planetarum. Tabernaculum enim typum gerebat mundi, Sanctum sanctorum vero cœli empyrei Beatorum. Ita Philo et Josephus.

Candelabrum septifidum typus erat septem planetarum.

Allegorice, candelabrum est Christus, vel potius Ecclesia, *Apocal.* cap. I, vers. ult., quæ lux est doctrixque veritatis. *Primo* et aptissime, candelabrum est fides, et doctrina Ecclesiæ toti mundo prælucens, eumque illuminans. *Secundo*, septem ejus lucernæ sunt omnes doctores, qui tota nocte præsentis sæculi lucent vita et doctrina : hæc omnia facta sunt ex talento auri, quod pondus plenum est et perfectum, quia eorum doctrina et vita perfecta est in sapientia et charitate. *Tertio*, scyphi significant sitim ad Deum et res divinas, sphærulæ contemptum terrenorum (sphæra enim sive globus terram tantum tangit in puncto), li-

Allegorice, candelabrum est Christus, Christique doctrina et doctores. Primo. Secundo. Tertio.

(1) Vers. 31 תיעשה, *fiet*, cum *iod* epenthetico, præter morem. ירך est *scapus* candelabri, e quo (scapo), ait Jarchi, tres pedes egrediebantur in partem inferiorem. קנה, *calamus* (gall. *la tige*). גביע designare videtur *calices* sensu botanico, ex quibus flores erumpunt, ita tamen ut hac voce tum calix proprie dictus, tum flos sive corolla intelligantur; et כפתר quidem calicem botanicorum designet, פרח autem corollam. Debebant ex eadem auri massa omnia hæc conflari. De candelabro vide Bähr. op. cit. I, p. 412.

tium pulchritudinem virtutum et odorem bonæ vitæ, quæ tria doctores habere debent. Sic Virgilius dixit virum bonum esse instar sphæræ rotundum, ne in angulis sordes resideant, cum de eo ait.

Hic mundi instar habens totus teres atque rotundus,
Externæ ne quid labis per devia sidat.

Hæc omnia facta sunt ex auro, quia virtutes jam dictæ ex charitate manare debent. Rursum candelabrum ductile est, non fusile, quia doctores multis tentationibus et persecutionibus tundi et poliri debent, antequam ad culmen virtutis perQuarto. veniant, ut cæteris præluceant. *Quarto,* hoc candelabrum illuminabat mensam, altare totumque Sanctum noctu, quia fides et doctrina Ecclesiæ debet illuminare et dirigere orationes, opera misericordiæ, omniaque sancta opera fidelium in hac vita; nam in cœlo ea opus non erit : ibi enim Quinto. omnes erunt docibiles Dei et theodidacti. *Quinto,* emunctoria sunt disputationes et explicationes, quibus errores auferuntur, et sua veritati lux redSexto ditur. *Sexto,* in tabernaculo erat unum candelabrum, in templo decem, quia major est lux doctrinæ et cognitio mysteriorum divinorum in Ecclesia quam fuerit in Synagoga : in templo quinque candelabra erant ad dextram, et quinque ad sinistram; quia Ecclesia tam in prosperis quam in adversis semper est luce plena, nec successibus erigitur, nec persecutionibus dejicitur. Ita ex S. Gregorio, hom. 6 *in Ezech.*, et Beda, Ribera, lib. II *De Templo,* cap. XIII.

Moraliter sex documenta et leges doctoris. Moraliter ergo doctores et doctrina sunt lux et candelabra Ecclesiæ. Eorum hæc sit *prima* lex : « Doctor, ait S. Bernardus, sit concha, non canalis, » hoc est, prius scientiam recipiat, eaque se impleat, ut plenus eam deinde in alios effundat, prius se doceat quam alios.

Secunda :

Quidquid præcipies, esto brevis; ut cito dicta
Percipiant animi dociles, teneantque fideles.

Tertia, non tantum intellectum, sed et affectum imbuat, « nam doctrina spiritus non curiositatem acuit, sed charitatem accendit, » inquit S. Bernardus.

Quarta, prius doceat facto quam verbo. Sic enim Jesus prius cœpit facere, deinde docere. « Doctrina, inquit S. Gregorius, cum omni imperio docetur, quando prius agitur quam dicatur; nam doctrina subtrahit fiduciam, quando conscientia præpedit linguam. » Et S. Chrysostomus, hom. 23 *in Matth.*: « Si bene, ait, vixeris, et bene docueris, omnium judex eris; si male vixeris, et bene docueris, tui solius : nam bene docendo populum instruis, sed male vivendo doces Deum, quomodo debeat te condemnare; » nam, ut idem ait, serm. *De Compunctione* : « Grandis est condemnatio componenti sermonem suum, vitam vero suam negligenti. »

Quinta, ita doceat ut delectet, itaque influat in animum audientis :

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.

Sexta, « quæ nosti, sine arrogantia postulanti impertics; quæ nescis, sine occultatione ignorantiæ tibi postula impertiri, » ait Seneca, lib. IV *De Virtut.*

Vis exempla et dicta sapientum? Thales ro- Exempla. gatus, « quis esset felix? Qui corpore, inquit, sanus est, animo vero eruditus. » Ita Laertius, lib. I.

Socrates rogatus, « quodnam esset pulcherrimum animal? Homo, ait, doctrina ornatus. » Demades aiebat doctos ab indoctis tantum differre, quantum dii ab hominibus. Socrates videns divitem indoctum : « Ecce, ait, aureum mancipium. » Et videns alium similem : « Hic, ait, equus est argento ornatus. » Democritus dicebat doctrinam auro pretiosiorem esse. Aristoteles rogatus, « qua re differrent docti ab indoctis? Qua vivi, ait, a mortuis. » Idem : « Visus, ait, lumen accipit ab aere, anima vero a disciplinis et doctoribus. » Glycon aiebat, « doctrinam esse sacrum asylum omnium hominum. » Cleanthes dicebat, « homines imperitos sola forma differre a bestiis. »

Theodosius Imperator cum Arsenio filios in disciplinam traderet, ait : « Si tales se præbeant, ut mores ad disciplinam legesque Dei componant, imperium eis tradam; sin minus, utilius erit ut privati vitam agant, quam doctrina nulla cum periculo imperent. »

Carolus IV, in scholam Pragensem aliquando ingressus, cum disputantes liberalium artium magistros per horas quatuor audivisset, idque purpurati moleste ferrent, ac tempus cœnæ adesse dicerent : « Mihi, inquit, tempus est minime, nam cœna mea hæc est; » testis est Æneas Sylvius, lib. IV *Comment. de gest. Alphonsi.*

Alphonsus rex Aragonum asserebat malle se perdere omnia, quam studia et libros, seque ex libris arma et armorum jus didicisse. Idem divitem indoctum vocabat « vellus aureum. »

Diogenes captus a latronibus, et rogatus quis esset, quid sciret? respondit : « Philosophus sum, et hominibus præesse scio. » Idem dicebat eruditionem juvenibus afferre sobrietatem, senibus solatium, pauperibus divitias, divitibus ornamentum : propterea quod ætatem suapte sponte lubricam coerceat ab intemperantia, senectutis incommoda honesto solatio mitiget, pauperibus sit pro viatico, divitum fortunas ornet; testis est Laertius, lib. III, cap. XXXI.

Dionysius junior pulsus regno, et rogatus quid illi Plato et philosophiæ studium profuisset? « Ut tantam, inquit, fortunæ mutationem æquo animo feram; » testis est Plutarchus.

Illustris vero fuit S. Cyprianus, qui doctrinæ et prædicationi usque ad mortem insistere immo-

rique voluit, et usque ad martyrium plebem suam docuit, et exhortatus est ad omnem virtutem: testis est Pontius in ejus Vita.

Zeugmatius monachus, quamvis cæcus esset, sedulo tamen circuibat docens, corripiens et confirmans unumquemque, ait Theodoretus, lib. IV, cap. XXVIII.

Similis ei in doctrinæ copia et facilitate fuit Asclepius Afer, episcopus, sub annum Domini 440, sub Theodosio juniore, teste Gennadio in *Catal.*

Vers. 33. 33. TRES SCYPHI QUASI IN NUCIS MODUM PER CALAMOS SINGULOS. — « Scyphos » vocat partes candelabri prominentes instar nucum, vel, ut hebraice est, amygdalorum (amygdalus enim est nucis species), quoad flexum laterum. Josephus loco nucum et scyphorum habet mala punica : « Distinctum, inquit, erat globulis, liliis et malis punicis. » Sed Vilalpando aliter hæc ex Græco Josephi codice vertit sic, *erat distinctum globulis et cytinis,* id est, *floribus malorum punicorum, quæ est species lilii;* hanc enim exprimunt erumpentes calyculi malorum punicorum. Alcazar tamen in *Apoc.* cap. I, vers. 11, censet, præter lilia fuisse quoque cytinos in candelabro. Hi enim sunt præcipui flores, qui in *Cantic.* libro celebrantur, hique apposite figurant purpureos Martyres, qui mire Ecclesiam decorarunt, ejusque fœcunditatis fuerunt indices et prænuntii. Candelabrum enim fuit instar arboris pretiosæ et valde frugiferæ, uti mox dicam.

SPHÆRULAQUE SIMUL ET LILIUM. — Pro *sphærula,* hebraice est כפתרים *caphtorim,* id est poma, globuli vel sphærulæ instar pomorum. Unde videtur, quod in hoc candelabro fuerit aliqua arboris similitudo, utpote quod brachia et ramos utrimque expandebat, et floribus ac pomis erat onustum. Hinc *secundo,* licet Vilalpando et alii passim scyphos a sphærulis et liliis sejungant, probabile tamen valde est quod docet Alcazar, hæc tria fuisse conjuncta, ita scilicet, ut scyphis sive calyculis inserta essent poma, cum liliis et cytinis, sicut glandes suis calyculis insertæ sunt. Tales enim scyphi, pleni pomis ac liliis, pulchriores erant in candelabro, quasi in arbore; et hoc significat vox *simul, q. d.* Singulæ sphærulæ ac lilia erunt cum singulis scyphis, quibus inserentur. Verum quia contraria sententia est communis, hinc secundum eam sequentia explicabo.

ET LILIUM. — Lilia hæc in summitate calamorum fuisse, liliisque hisce impositam fuisse lucernam tradit Philo, libro, *Quis rerum divinarum hæres,* post medium. Vide horum speciem in idea et imagine condelabri affabre expressam apud Vilalpando, pag. 388. Denique, ut dicitur vers. 31, hæc omnia erant « ex ipso procedentia; » nam ex trunco seu hastili candelabri malleo cuncta ducebantur et fingebantur; nullæ vero partes aliunde factæ incrustabantur.

HOC ERIT OPUS SEX CALAMORUM. — In singulis calamis primo erat scyphus amygdalatus; secundo, sphærula sive globulus, ultimo lilium, post quod sequebatur pars calami continua; post hanc rursus scyphus, deinde sphærula, tertio, lilium, ac consequenter iterum pars calami continua; post eam tertio redibant scyphus, sphærula et lilium; ac denique in summitate erat lucerna seu vas ad excipiendum oleum. Vide Abulensem, *Quæst.* XXIX. Vilalpando vero, lib. IV *De Templo,* cap. LX, alium ordinem ponit : censet enim lilium fuisse interjectum ubique inter scyphum et sphærulam. Hoc foret concinnius et commodius pro dispositione scyphorum, liliorum et sphærularum in ipso hastili, ut illa esset uniformis et pariformis cum calamis, nisi hic ordo inverteret ordinem quem ponit S. Scriptura; hæc enim primo ponit scyphum, secundo sphærulam, tertio lilium. Ordo scyphorum, sphærularum et liliorum.

34. IN IPSO AUTEM CANDELABRO, — in ipso hastili sive trunco candelabri, unde calami prodeunt, erunt quatuor ordines scyphorum, sphærularum et liliorum. Vers. 34.

35. SPHÆRULÆ SUB DUOBUS CALAMIS PER TRIA LOCA, QUI (calami) SIMUL SEX FIUNT, PROCEDENTES DE HASTILI UNO, — *q. d.* In hastili erunt tria loca, ex quibus tres ordines duorum calamorum orientur, et sub quolibet loco et ordine duorum calamorum erit sphærula, ita ut post quamque sphærulam sequatur unus ordo calamorum. Quod ut clare cernas, ecce hic erat ordo quatuor scyphorum, sphærularum et liliorum in ipso hastili : inferne in pede hastilis erat primus scyphus, et deinde prima sphærula; post hanc duo utrimque ascendebant calami longissimi, ut possent cæteris, qui sursum, ideoque breviores erant, æquari, idque ut æquum, id est, æquale esset opus, ut dicitur cap. XXXVII, vers. 19. Post primos hos duos calamos infimos, ascendendo in hastili, sequebatur primum lilium, post hoc secundus scyphus, et secunda sphærula; post hanc sphærulam sequebantur duo calami medii, unus ab uno, alius ab alio latere. Post hos erat secundum lilium, post hoc tertius scyphus cum tertia sphærula, post quæ duo ultimi calami brevissimi. Post hos tertium lilium, ac denique quartus scyphus, quarta sphærula, et quartum lilium, cum lucerna in summitate. Vers. 35. Ordo scyphorum, sphærularum et liliorum in hastili.

Tropologice, post sphærulas sequitur calamus, quia sanctus doctor est sphærula, id est, rotundo et æquali semper statu et vultu in lætis et tristibus; unde quasi calamus in altum erigitur, ut aliis præluceat. Tropologice.

37. UT LUCEANT EX ADVERSO, — versus mensam panum propositionis, quæ in adversa, puta in Aquilonari, erat parte tabernaculi : hæc enim mensa erat mensa Dei, in qua Deus quasi cœnabat; in cœna autem nocturna ponitur candela, vel lucerna illuminans mensam, ut comedentes videant quid comedant. Vers. 37.

38. UBI QUÆ EMUNCTA SUNT, EXTINGUANTUR, — puta Vers. 38.

vasa quæ favillas elychniorum emunctas recipiant, ut ibi exstinguantur, ne sparsæ per tabernaculum illud fœdent, et pravo odore inficiant. Chaldæus vasa hæc vocat thuribula.

Vers 9. 39. OMNE PONDUS CANDELABRI, etc., HABEBIT TALENTUM AURI. — Talentum, inquit Josephus, lib. III, cap. VII, erat pondo minarum 100; quod Ribera intelligit de mina hebræa, quæ sexaginta continebat siclos, *Ezech.* XLV, 12, hoc est drachmas 240, cum atticum talentum 60 minas, centum tantum drachmarum, contineret. Talentum ergo hebræum hac ratione continuisset sex millia siclorum, id est, viginti quatuor millia aureorum. Verum cap. XXXVIII, vers. 25, demonstrabo hebræum talentum tantum continuisse tria millia siclorum; cumque siclus, ut dicam cap. XXX, vers. 13, contineret 4 drachmas atticas, id est 4 aureos, sequitur talentum hebræum continens tria millia siclorum, appendisse et valuisse duodecim millia aureorum : loquor de talento auri; nam talentum argenti paris erat ponderis, sed imparis pretii, ut patet. Ex talento fieri poterat candelabrum, quia ipsum parvum erat et cavum, ut significaret internum Dei Spiritum, qui se Ecclesiæ ejusque Doctoribus intime insinuat (1).

Vers. 40. 40. INSPICE, ET FAC SECUNDUM EXEMPLAR QUOD TIBI IN MONTE MONSTRATUM EST. — « Fac secundum exemplar, » hebraice additur *eorum*, scilicet candelabri et tabernaculi cum suis vasis, quod tibi hisce 40 diebus in monte Sina viva voce a Deo describitur, et simul idea aliqua sensibili intuendum proponitur. De illo enim tabernaculi veteris typo hæc verba ad litteram esse accipienda, docet S. Stephanus, *Actor.* VII, 44; et patet ex promissione quam fecit hic Deus Mosi, vers. 9. *Secundo*, ex Apostolo, *Hebr.* VIII, 5, liquere videtur hic etiam a Deo ostensum fuisse exemplar anagogicum, res videlicet cœlestes et tabernaculum spirituale, quod hoc materiali significabatur, quasi secundum hoc jubeatur hic Moses fabricare suum materiale tabernaculum, videlicet ut illi spirituali quasi suo antitypo respondeat, illudque apte significet et repræsentet; quamvis Scriptura res illas cœlestes et spirituales hic non explicet. Ita sentit Beda hic. Hinc S. Justinus, *Orat. parænet. ad Gentes*, ante finem, censet Platonem ex hoc loco Mosis accepisse suam opinionem de ideis.

Vidit Moses cœleste tabernaculum.

Ideas accepit Plato a Mose.

Tropologice. Tropologice, S. Gregorius in lib. I *Reg.* cap. X : Hæc est, inquit, forma electæ obedientiæ, ut in omni quod foris agimus, ad potentiam Creatoris ejusque sapientiam, quasi ideam ubique præsentem aspiciamus. Rursum, inspice exemplar obedientiæ, patientiæ, fortitudinis, charitatis, humilitatis, contemptus mundi, omniumque virtutum, quod tibi in monte Calvariæ a Christo ostensum est, quodque Moses per suum altare holocaustorum et thymiamatis, perque tabernaculum, sacras vestes et victimas adumbravit, illudque exprime et imitare; ita tabernaculum virtutibus omnibus adornatum et perfectum Deo in anima tua construes. Nam, ut ait S. Augustinus, libro *De Vera Religione*, capite XVI : « Tota vita Christi morum disciplina fuit. Satellites voluptatum divitias perniciose appetebant : pauper esse voluit. Honoribus et imperiis inhiabant : rex fieri noluit. Carnales suos filios magnum bonum putabant : tale conjugium prolemque contempsit. Contumelias superbissime horrebant : omne genus contumeliarum sustinuit. Injurias intolerabiles esse arbitrabantur : quæ major injuria quam justum innocentemque damnari? Dolores corporis execrabantur : flagellatus atque cruciatus est. Mori metuebant : morte mulctatus est. Ignominiosissimum mortis genus crucem putabant : crucifixus est. Omnia quæ habere cupientes non recte vivebamus, carendo vilia fecit; omnia quæ vitare cupientes a studio deviabamus veritatis, perpetiendo dejecit. »

Hoc Christi crucifixi exemplar assidue inspexit S. Franciscus, ut illud in se exprimeret, ideoque non tantum in mente, sed et in corpore sacra ejus stigmata divinitus impressa accepit. Audi S. Bonaventuram in ejus Vita, lib. I, cap. XIII : « Excreverat, inquit, in eo insuperabile amoris incendium boni Jesu in lampades ignis atque flammarum. Cum igitur seraphicis desiderium ardoribus sursum ageretur in Deum, et compassiva dulcedine in eum transformaretur, qui ex charitate nimia voluit crucifigi, quodam mane circa festum exaltationis sanctæ Crucis, dum oraret in latere montis, vidit Seraph unum sex alas habentem tam ignitas quam splendidas de cœlis descendere. Cumque volatu celerrimo pervenisset in aeris locum viro Dei propinquum, apparuit inter alas effigies hominis crucifixi, in modum crucis manus et pedes extensos habentis, et cruci affixos. Duæ alæ super caput ipsius elevabantur, duæ ad volandum extendebantur, duæ vero totum velabant corpus. Hoc videns vehementer obstupuit, mixtumque mœrore gaudium cor ejus incurrit. » Et paucis interpositis : « Intellexit tandem ex hoc, Domino revelante, se non per martyrium carnis, sed per incendium mentis, totum in Christi crucifixi similitudinem transformandum. Disparens igitur visio mirabilem in corde ejus reliquit ardorem; sed et in carne non minus mirabilem expressit signorum effigiem. Statim namque in manibus ejus et pedibus apparere cœperunt signa clavorum, sicut paulo ante in effigie illa viri crucifixi conspexerat : manus enim et pedes in medio clavis confixæ videbantur; dextrum quoque latus quasi lancea transfixum, rubra cicatrice obductum erat, quod sæpe sanguinem sacrum effundens, tunicam et femoralia respergebat. »

Denique S. Bernardus, tractatu *De Vita solitaria* : Domus, inquit, decoris Dei cuilibet ædifi-

(1) Pro *habebit*, hebr. est *faciet*, scil. aurifaber.

canda est, quæ ei in altitudine mentis et pia meditatione, quasi in idea, ostenditur, ut ædificet secundum formam paupertatis, non domos ad habitandum, sed tabernacula ad deserendum, ut sic in se excitet contemptum omnium exteriorum, et amorem interiorum atque cœlestium.

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Præscribitur fabrica tabernaculi, nimirum primo, quatuor ejus tegumenta, scilicet primum, decem cortinarum polymitarum; secundum, vers. 7, *undecim sagorum cilicinorum; tertium ex pellibus arietum rubricatis; quartum ex pellibus ianthinis. Secundo, vers.* 15, *describuntur tabernaculi tabulæ cum suis basibus; et vers.* 26, *vectes stringentes hasce tabulas. Denique, vers.* 31, *describitur velum oppansum Sancto Sanctorum, et vers.* 36, *velum oppansum Sancto.*

1. Tabernaculum vero ita facies : Decem cortinas de bysso retorta, et hyacintho, ac purpura, coccoque bis tincto, variatas opere plumario facies. 2. Longitudo cortinæ unius habebit viginti octo cubitos : latitudo, quatuor cubitorum erit. Unius mensuræ fient universa tentoria. 3. Quinque cortinæ sibi jungentur mutuo, et aliæ quinque nexu simili cohærebunt. 4. Ansulas hyacinthinas in lateribus ac summitatibus facies cortinarum, ut possint invicem copulari. 5. Quinquagenas ansulas cortina habebit in utraque parte, ita insertas, ut ansa contra ansam veniat, et altera alteri possit aptari. 6. Facies et quinquaginta circulos aureos quibus cortinarum vela jungenda sunt, ut unum tabernaculum fiat. 7. Facies et saga cilicina undecim, ad operiendum tectum tabernaculi. 8. Longitudo sagi unius habebit triginta cubitos, et latitudo, quatuor : æqua erit mensura sagorum omnium. 9. E quibus quinque junges seorsum, et sex sibi mutuo copulabis, ita ut sextum sagum in fronte tecti duplices. 10. Facies et quinquaginta ansas in ora sagi unius, ut conjungi cum altero queat; et quinquaginta ansas in ora sagi alterius, ut cum altero copuletur. 11. Facies et quinquaginta fibulas æneas, quibus jungantur ansæ, ut unum ex omnibus operimentum fiat. 12. Quod autem superfuerit in sagis quæ parantur tecto, id est, unum sagum quod amplius est, ex medietate ejus operies posteriora tabernaculi. 13. Et cubitus ex una parte pendebit, et alter ex altera qui plus est in sagorum longitudine, utrumque latus tabernaculi protegens. 14. Facies et operimentum aliud tecto de pellibus arietum rubricatis, et super hoc rursum aliud operimentum de ianthinis pellibus. 15. Facies et tabulas stantes tabernaculi de lignis setim, 16. quæ singulæ denos cubitos in longitudine habeant, et in latitudine singulos ac semissem. 17. In lateribus tabulæ, duæ incastraturæ fient, quibus tabula alteri tabulæ connectatur; atque in hunc modum cunctæ tabulæ parabuntur. 18. Quarum viginti erunt in latere meridiano quod vergit ad Austrum. 19. Quibus quadraginta bases argenteas fundes, ut binæ bases singulis tabulis per duos angulos subjiciantur. 20. In latere quoque secundo tabernaculi, quod vergit ad Aquilonem, viginti tabulæ erunt, 21. quadraginta habentes bases argenteas. Binæ bases singulis tabulis supponentur. 22. Ad occidentalem vero plagam tabernaculi facies sex tabulas, 23. et rursum alias duas quæ in angulis erigantur post tergum tabernaculi. 24. Eruntque conjunctæ a deorsum usque sursum, et una omnes compago retinebit. Duabus quoque tabulis quæ in angulis ponendæ sunt, similis junctura servabitur. 25. Et erunt simul tabulæ octo, bases earum argenteæ sedecim, duabus basibus per unam tabulam supputatis. 26. Facies et vectes de lignis setim quinque ad continendas tabulas in uno latere tabernaculi, 27. et quinque alios in altero, et ejusdem numeri ad occidentalem plagam : 28. qui mittentur per medias tabulas

a summo usque ad summum. 29. Ipsas quoque tabulas deaurabis, et fundes in eis annulos aureos, per quos vectes tabulata contineant : quos operies laminis aureis. 30. Et eriges tabernaculum juxta exemplar quod tibi in monte monstratum est. 31. Facies et velum de hyacintho, et purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta, opere plumario et pulchra varietate contextum : 32. quod appendes ante quatuor columnas de lignis setim, quæ ipsæ quidem deauratæ erunt, et habebunt capita aurea, sed bases argenteas. 33. Inseretur autem velum per circulos, intra quod pones aream testimonii, quo et Sanctuarium, et Sanctuarii sanctuaria dividentur. 34. Pones et propitiatorium super arcam testimonii in Sancto sanctorum, 35. mensamque extra velum ; et contra mensam candelabrum in latere tabernaculi meridiano : mensa enim stabit in parte Aquilonis. 36. Facies et tentorium in introitu tabernaculi de hyacintho, et purpura coccoque bis tincto, et bysso retorta, opere plumarii. 37. Et quinque columnas deaurabis lignorum setim, ante quas ducetur tentorium : quarum erunt capita aurea, et bases æneæ.

Tabernaculi descriptio. Primo, dividebatur in Sanctum et Sanctum sanctorum.

ACCIPE hic brevem synopsin totius tabernaculi, et atrii, et vasorum utriusque. Tabernaculum longum erat 30 cubitos, latum 10, altum 10. Divisum erat in duas partes, scilicet in Sanctum, quod 20 cubitos in longitudine habebat, et Sanctum sanctorum, quod reliquos decem cubitos longitudinis tabernaculi continebat : erat ergo Sanctum quadrangulum, quia erat longum 20, latum 10 cubitos ; Sanctum sanctorum vero erat quadratum, quia latum erat 10 cubitos, et longum erat totidem. Sanctum dividebatur per velum a Sancto sanctorum, de quo versu 31.

Secundo, factum erat utrimque ex viginti tabulis setim inauratis.

Secundo, hoc tabernaculum factum erat ex 20 tabulis lignorum setim inauratis, in longum porrectis ad Meridiem, et totidem ad Septentrionem ; ad Occidentem vero quæ erat pars latitudinis tabernaculi, connectens utramque partem longitudinis, scilicet meridionalem et septentrionalem, 8 habebat tabulas ; ad Orientem vero patebat, tantumque habebat 5 columnas ex lignis setim inauratis, quæ velo tegebantur vers. 37 : hac enim parte erat ingressus in tabernaculum elevato velo. Singulæ vero tabulæ habebant duas bases argenteas : porro per tabulas hasce a quolibet ejus trium laterum, 5 immittebantur vectes, qui tabulas continerent.

Tertio, tegebatur undique quatuor velis, unde non habebat fenestram.

Tertio, tabernaculum hoc tam superne quam ad latera tegebatur. *Primo*, decem cortinis factis ex cocco, purpura, hyacintho ac bysso, quarum quæque habebat 28 cubitos longitudinis, et 4 latitudinis. Unde hæ cortinæ vocantur hic tentoria, quia erant in modum tentorii tensæ et expansæ.

Secundo, tegebatur 11 sagis, sive stragulis cilicinis, quorumquodque longum erat 30 cubitis, latum 4 cubitis. *Tertio*, tegebatur pellibus arietum rubricatis. *Quarto*, pellibus ianthinis contra pluvias et procellas. Unde hæ pelles vocantur hic *tectum*, id est operculum tegens tabernaculum, de quibus vers. 14. Hinc sequitur tabernaculum undequaque tectum et velatum fuisse, nec habuisse fenestram, sed lumen anterius per ostium admisisse, uti dicam in fine capitis.

Quarto, ante se habebat atrium.

Quarto, ante tabernaculum erat atrium longum centum cubitis, et latum quinquaginta, quod pariter suis tabulis et cortinis cingebatur ad latera ; superne vero patebat, eratque sub dio.

Quinto, atrium erat duplex. Primum laicorum. Secundum sacerdotum.

Quinto, atrium hoc erat quasi templum laicorum ; laici enim nunquam ad tabernaculum accedere, nec illud ingredi poterant. Rursum, atrium hoc erat divisum in exterius laicorum, de quo jam dixi, et interius sacerdotum, in quo erat tum labrum æneum, tum altare holocaustorum : illud enim debebat esse in atrio sub dio propter ignem, fumum et evaporationem, ac nidorem victimarum, quæ in hoc altari cremabantur. Porro atrium hoc sacerdotum exiguo septo, vel muro trium cubitorum altitudinis, distinguebatur ab atrio laicorum, ita ut laici ex suo atrio prospicere possent ultra murum in atrium sacerdotum, ibique videre holocausta et victimas, quæ offerebantur in altari holocaustorum.

Sexto, in Sancto erat altare thymiamatis, mensa et candelabrum : in Sancto sanctorum arca, urna cum manna et virga Aaron : in atrio altare holocaustorum et labrum.

Sexto, in parte priore tabernaculi, puta in Sancto, erat altare thymiamatis obversum Sancto sanctorum et propitiatorio : ita ut eo, per hiatum in pariete, sive in velo dividente relictum, ascenderet fumus thymiamatis, quod Deo adolebatur in hoc altari ; ad latus dextrum hujus altaris erat candelabrum, ad sinistrum mensa panum propositionis. In Sancto sanctorum vero erat arca, habens intra se tabulas legis, supra se propitiatorium, quod velabant duo Cherubini. Rursum, in Sancto sanctorum erat urna cum manna, et virga Aaron quæ fronduerat. In atrio autem, ut dixi, erat altare holocaustorum, et labrum æneum, ut ex eo lavarentur tum sacerdotes, tum victimæ.

Septimo, in Sanctum quotidie intrabant sacerdotes, in Sanctum sanctorum so-

Septimo, Sanctum sanctorum, id est, sanctissima pars tabernaculi, erat quasi chorus, in quem solus pontifex ingredi poterat, idque semel in anno tantum, puta in festo expiationis, *Levitic.* cap. XVI. In Sanctum vero quotidie ingrediebantur sacerdotes mane et vespere, ut adolerent thymiama, et ut vespere accenderent lucernas, mane easdem extinguerent. Atrium vero erat locus po-

Ius pontifex semel in anno. puli. Simili ratione in tres partes distribuit postea templum suum Salomon : nam prima pars respondens huic atrio erat sub dio, dicebaturque *ulam*, id est, porticus Salomonis, eratque locus et templum plebis ; secunda pars proprie dicebatur templum, hebraice היכל *hechal*, respondens Sancto, in quo erat altare thymiamatis, cum mensa et candelabro ; tertia pars omnium intima erat דביר *debir*, id est oraculum, seu Sanctum sanctorum. Totius tabernaculi descriptionem vide apud Josephum, lib. III, cap. v, et Abulensem hic in cap. XXVII, et Riberam, lib. I *De Templo*, cap. ult.

Tres partes templi Salomonis.

Tropologice, tabernaculum est Ecclesia, atrium sunt incipientes, labrum est pœnitentia, altare holocaustorum est mortificatio.

Accipe nunc totius tabernaculi et singularum ejus partium ac vasorum appositam et connexam tropologiam. Tabernaculum hoc cum suo atrio significabat Ecclesiam et fideles Christi, I *Timoth.* cap. III, vers. 15, qui per velum fidei Deum in terris contemplantur : in hoc Aaron, id est Christus Dominus, est summus Pontifex ; itaque *primo*, atrium significabat incipientium rudimenta, et communem Christianorum vitam : unde in eo erat altare holocaustorum, quod vitiorum enecationem et mortificationem in Dei obsequium significabat ; item labrum sive lavacrum æneum, id est, pœnitentiæ Sacramentum, quo communes Christiani maxime indigent. *Secundo*, Sanctum significabat Christianos perfectiores ; unde in eo erat altare thymiamatis significans jugem orationem, laudem et contemplationem Dei ; et candelabrum significans doctores, qui sua sancta vita et doctrina Ecclesiæ præfulgent ; et mensa panum propositionis significans eos, qui dediti sunt operibus misericordiæ. Atque hac de causa candelabrum erat ad dextram, mensa ad sinistram, quia doctrina præstat eleemosynæ, et doctores eleemosynariis. Sapientia ergo, utpote spiritalis, pertinet ad dextram ; temporale autem nutrimentum mensæ, ad sinistram, juxta illud *Proverb.* III : « In sinistra illius divitiæ et gloriæ. » Altare vero erat in medio, tum quia contemplatio dirigit doctrinam et eleemosynam ; tum quia sacerdos, cujus est altare, mediator est inter Deum et populum ; tum quia potestas sacerdotalis, media est inter temporalem et spiritalem sapientiam, quia per eam et spiritalis sapientia, et temporalia dispensantur, inquit D. Thomas, I II, *Quæst.* CII, art. 4, ad 6. Ubi et physicam, vel potius mathematicam causam addit, quod scilicet candelabrum septem habens calamos, repræsentabat septem planetas, quibus totus mundus illuminatur, et ideo ponebatur ex parte australi, quia ex illa parte est nobis planetarum cursus ; australis enim pars est dextera pars mundi, aquilonaris sinistra, ut dicitur lib. II *De Cœlo*, textu 15. Rursum, alii per Sanctum intelligunt statum perfectionis et vitam Religiosam, triaque Religionis vota, scilicet per altare obedientiam, per mensam paupertatem, per candelabrum castitatem. *Tertio*, Sanctum sanctorum significat cœlum. sive Ecclesiam triumphantem : unde in eo erat arca testamenti, id est, cœtus Beatorum ; et propitiatorium aureum, id est, humanitas Christi gloriosa ; denique Cherubini, id est angeli sancti quibus Deus gloriosus eminet, insidet et præsidet, atque Beatis omnibus, tam angelis, quam hominibus in cœlo clare videndum se exhibet, itaque eos beat. Rursum, in Sancto sanctorum est urna cum manna, quia in cœlo est abundantia divinæ suavitatis, satietatis et consolationis. Denique ibi est virga Aaron, quæ sicca revixit, et protulit frondes, flores et fructus, quia in resurrectione et gloria cœlesti corpus resurget, gloriaque cum anima donabitur, atque proferet quatuor dotes, scilicet agilitatem, subtilitatem, claritatem, impassibilitatem. Ita Beda hic in cap. XXV et alii.

Secundo, Sanctum sunt perfectiores: hi habent altare thymiamatis, id est donum orationis ; secundo, candelabrum, id est sapientiam ; tertio, mensam, id est eleemosynam.

Tertio, Sanctum sanctorum est cœlum : hic est arca, id est cœtus Beatorum ; et propitiatorium, id est Christus, et Cherubim, id est angeli.

Hæc omnia proportionaliter accommodari possunt cuilibet animæ Christianæ et sanctæ, quæ per pœnitentiam, charitatem aliasque virtutes fit et est tabernaculum et templum Dei. I *Corint.* III, vers. 16 : « Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis ? » Simile est *Ephes.* cap. III, vers. 17 ; *Rom.* VIII, vers. 9, de quo vide Origenem, *hom.* 9.

Tabernaculum Dei est anima sancta.

Huc spectat illud Philonis lib. *De Cherubim* : « Etiamsi, inquit, tota terra aurum, aut si quid auro pretiosius est, repente fieret, moxque per opificum artes in porticus, vestibula, aulas, areas ædesque sacras impenderetur, ne scabellum quidem pedibus Dei posset fieri : dignum tamen eo domicilium anima est, modo sit idonea. »

Quapropter S. Bernardus laudat Theobaldum comitem, quod suis Religiosis monasteria et templa ædificaret, in quibus viva et immortalia Dei templa, puta viri religiosi, habitarent, Deoque servirent : testis est auctor Vitæ ejus, lib. II, cap. VIII.

Isidorus vero monachus : « Præstabilius est, inquit, ægrotorum fidelium corpora, quæ verius templa Dei cogitare possumus, et ob quæ pecuniæ quæruntur, convenienti cura restaurare, quam templa lapidea ædificare. » Ita Sozomenus, lib. VIII, cap. XII.

Vasa templi in egentes erogarunt Sancti.

Simili ratione motus Acacius Amidæ Episcopus, vasa aurea et argentea Ecclesiæ vendidit, ut pauperes captivos redimeret et aleret. Ita Socrates, lib. VII, cap. XXI.

Sic et S. Augustinus, secutus S. Ambrosium, « de vasis Dominicis propter captivos, et quam plurimos indigentes frangi et conflari jussit, atque indigentibus dispensari, » inquit Possidonius in Vita S. Augustini, cap. XXIV.

Hoc ergo animæ tabernaculum in introitu habet lavacrum pœnitentiæ, et altare mortificationis. In Sancto tria habet vasa pretiosa, candelabrum, mensam, altare thymiamatis. Tria enim sunt in appetitu nostro, quæ iis indigent vasis, mala : tenebræ ignorantiæ, esuries et inopia cibi salutaris, pestiferi halitus sordidæ cogitationis et

cupiditatis. Candelabrum, id est sapientia, hasce tenebras dispellit; mensa panum, puta mensa eucharistiæ, gratiæ et influxus Dei, hanc esuriem satiat; altare thymiamatis, puta pia cogitatio et oratio, hos pestiferos halitus absumit : itaque ex Sancto, id est ex Ecclesia, imus in Sanctum sanctorum, id est in cœlum.

Templa Christianorum similia erant tabernaculo Mosis.

Atque hac de causa, scilicet ob tropologiam paulo ante datam, ecclesiæ Christianorum ita olim ædificabantur, ut maximam haberent similitudinem cum tabernaculo Mosis et templo Salomonis : continebant enim porticum, atrium, Sancta, ac demum Sancta sanctorum; in porticu erant ejecti ex ecclesia et infideles ; in atrio erant pœnitentes; in Sancto populus; in Sancto sanctorum sacerdotes, ibique offerebant Deo sacrificia. Rursum, uti in templo Salomonis, ita et in ecclesiis olim erat separatus locus mulierum a loco virorum, illique præerat diaconissa. Denique, sicut labrum erat in tabernaculo et templo : ita et in ecclesiis pro foribus erat lavacrum, quo omnis populus ingressurus templum manus ablueret. Ita Baronius, tom. I, anno Christi 57, p. 533 et 540.

Secundo, tabernaculum allegorice est corpus Christi.

Potest *secundo*, tabernaculum hoc allegorice significare corpus Christi. Christus enim et Ecclesia quasi unum sunt, quia Christus est quasi caput et anima Ecclesiæ. Ita Nyssenus et Hugo, et colligitur *Joan.* cap. II, vers. 19 et 21, quod pulchre prosequitur S. Cyrillus, lib. IV *in Joannem*, cap. XXVIII, ubi tum tabernaculum, tum omnia quæ erant in tabernaculo, Christo adaptat. Licet enim unus sit Christus, multifariam tamen operatur et concipitur. Christus, inquit Cyrillus, est tabernaculum propter carnis tegumentum : Christus est arca habens legem Dei reconditam, prout est Verbum Patris : Christus est mensa, quia nobis est cibus et vita in Eucharistia : Christus est candelabrum, quia est lux spiritualis animæ : Christus est altare incensi, quia est odor suavitatis in sanctificatione : Christus est altare holocausti, quia est hostia pro totius mundi vita in cruce immolata : rursum est altare, quia super Christum et Christi merita offerimus Deo preces, vota et victimas nostras. Tabernaculum ergo repræsentabat corpus Christi, tum naturale, puta humanitatem Christi, tum mysticum, quod est Ecclesia. Jam textum percurramus et explicemus (1).

Vers. 1. Tabernaculum erat templum mobile.

1. TABERNACULUM VERO ITA FACIES. — Tabernaculum ad hoc factum est, ait Josephus, ut esset quasi templum mobile et portatile, ambulans cum Hebræis per desertum, eratque quasi tentorium castrense, quod per partes solvi poterat et convasari, cum movenda essent castra. Tabernaculum ergo erat quasi domus Dei, in quo Deum colebant Hebræi, eoque Deus vicissim significabat se eis esse umbraculum et protectorem, *Psal.* XXVI, vers. 5.

(1) Copiose et egregie hanc materiam tractavit Bähr, *Symbolik d. mosaisch. Cultus*, lib. I, cap. I, § 1, 2.

DECEM CORTINAS DE BYSSO RETORTA. — « Retorta, » id est torquendo duplicata : cujus videlicet fila bina torquentur, itaque duplicantur; idque ad hoc ut fortior sit : erat enim hæc byssus stamen totius texturæ, cui coccus, purpura et hyacinthus, tanquam subtegmen intexi debebant.

VARIATAS OPERE PLUMARIO FACIES. — Hebraice, *cherubim opere cogitantis facies eas;* « cherubim, » id est figuratas, et multiplici filo et imagine variatas.

Hinc putant Rabbini, et ex iis Pagninus, Ribera et alii, *cherubim* hebraice idem esse quod pictum, figuratum, sicut picti et effigiati erant Cherubini supra arcam. Unde S. Hieronymus, vel quisquis est auctor, lib. *De Nomin. Hebr.*, ait *cherubim* aliquando non significare aliud quam vermiculatam picturam. Verum cap. præced. vers. 18, *Quæst.* V, docui ex communi Doctorum consensu, *cherubim* significare multitudinem scientiæ, artis et industriæ : opus ergo *cherubim* est opus magnæ artis, ingenii et industriæ, qualia sunt opera phrygionum, pictorum, sculptorum, etc.

Nota : « Opus cogitantis » hebraice est id quod græce πολύμητον, id est ingeniosum, multæ cogitationis, industriæ et curæ dicitur : quale est quod Hebræi *opus cherubim*, Græci πολύμητον, id est multilix, a multis et variis liciis et coloribus vocant, quod et ab inventoribus Phrygium nuncupatur, taleque est, sive acu pingatur, sive varia insertione pertexatur, uti in nostris tapetibus fit : Phryges enim apud Gentiles hunc texturæ modum et variegationem invenerunt, primique cœperunt acu pingere et vestes auro intexere. Sic enim in cortinis hisce tabernaculi, bysso quasi stamini supertexebant fila varia, puta hyacinthina, purpurea et coccea. Idem opus dicitur plumarium, quasi pluma pictum, vel quod esset varium et diversicolor, uti sunt plumæ avium : licet S. Augustinus plumarium putet dici a pluma, id est acu, inquit, qua fila aurea inseruntur panno. Hæc ergo sex sunt idem, scilicet opus חשב *choseb*, id est cogitantis, πολύμητον, cherubim, πολύμιτον, phrygium vel phrygionicum, plumarium, quod hebraice vocatur רקם *rekem*, unde et Itali illud *recamato* vocant. Itaque opus plumarium non est topiarium, ut aliqui putarunt; sed est opus varie acu pictum vel intextum, quod scilicet æmulatur picturas ex plumis diversicoloribus avium factas. Sic enim Mexicani vestes, pileos, scuta, imagines, etc., e plumulis psittacorum, et phœnicopterorum, et aliorum diversicolorum avium elegantissime intexunt.

Opus plumarium, quid?

Subinde tamen noster Interpres polymitarium a plumario sive phrygione distinguit, et polymitarium vocat eum, qui textura; plumarium vel phrygionem eum, qui acu varia pingit et effigiat, ut patet cap. XXXVIII, vers. 23, et cap. XXXV, vers. 35.

Addit Prado et Alcazar, *Apocal.* cap. IV, pag. 318, initio (ubi nullam aliam vocis *cherubim* significa-

Cherubim cortinis intexti.

tionem admittit), hoc opus vocari *cherubim*, quia vere imagines Cherubim vario colore expictæ et intextæ erant hisce cortinis, uti easdem expictas fuisse in velo et parietibus templi patet II *Paral.* cap. III, vers. 7 et 14, idque ad hoc, ut significarent trophæa victoriæ, quæ e bello Ægyptiaco merso Pharaone, sponsæ suæ, puta Synagogæ, liberandæ gratia, Deus sponsus reportaverat; ut scilicet ea gestaret sponsa tam in cyclade sacerdotum varie picta, quam in tabernaculo, tanquam insignia sui regni et sacerdotii, ut iis in admirationem et amorem tam strenui ducis et tam amantis conjugis, puta Dei optimi maximi, suam vestem suumque tabernaculum intuens, accenderetur. Josephus tamen in hisce cortinis, non hominum, aut animalium, sed herbarum, arborum et aliarum rerum effigies pertextas fuisse dicit.

Vers. 2. 2. TENTORIA, — id est, cortinæ ad modum tentorii tensæ.

Vers. 3. 3. QUINQUE CORTINÆ SIBI JUNGENTUR MUTUO, — *q. d.* Ex decem cortinis quinas et quinas vel assutura, vel alio modo conjunges, ut sint instar duarum magnarum cortinarum, quæ rursum in unam maximam cortinam 50 ansulis copulabuntur; quo fiet ut longitudine omnium cortinarum manente eadem, videlicet 28 cubitorum, latitudo secundum quam nectuntur, sit 40 cubitorum: quater enim decem faciunt 40 : quælibet enim cortina ex decem lata erat cubitos 4, longa 28. Hinc facile est videre quomodo hæ 10 cortinæ commensæ fuerint tabernaculo, illudque totum, excepta parte Orientali, qua patebat ingressus, operuerint tam superne, quam quoad tria reliqua latera. Quod, ut clare videas, nota *primo*, tabernaculum (puta tabulas tabernaculi) ab Oriente usque ad Occidentem longum fuisse 30 cubitis, a Meridie vero ad Septentrionem latum fuisse decem cubitis; *secundo*, tabulas tabernaculi altas fuisse decem cubitis ex omni latere; *tertio*, cortinas hasce connexas habuisse 28 cubitos longitudinis, et 40 latitudinis, uti dixi; nunc

Expansio decem cortinarum circa tabulas tabernaculi secundum longitudinem.

Dico *primo* : Velum hoc 10 cortinarum secundum longitudinem transversim fuit dispositum, hoc est extensum fuit a latere Aquilonari ad latus Meridianum, ita ut utrumque hoc latus, et simul superiorem partem, sive aperturam, qua hæ tabulæ superius ab invicem in latitudine distabant, instar tecti tegeret et operiret. Id ita fuisse patet : nam duo hæc latera, puta Aquilonare et Meridianum, habebant singula decem cubitos altitudinis, quæ simul juncta faciebant 20 cubitos, latitudo vero superna, uti et inferna, erat 10 cubitorum. Ergo totum hoc spatium trium horum laterum, puta altitudinis tabularum utrimque, et latitudinis supernæ, erat 30 cubitorum, quod cortinæ longæ 28 cubitos ita cooperiebant, ut utrimque, sive hinc et hinc, cubito abessent a terra, quem explessent usque ad terram, si non 28, sed 30 cubitorum fuissent, uti erat ipsum spatium tabernaculi.

Expansio earumdem secundum latitudinem.

Dico *secundo* : Velum hoc decem cortinarum secundum latitudinem expansum fuit ab Oriente in Occidentem. Id patet : nam longitudo tabernaculi, quæ accipiebatur ab Oriente in Occidentem, erat triginta cubitorum; altitudo vero lateris Occidentalis, uti et cæterorum, erat 10 cubitorum, qui juncti cum 30 cubitis longitudinis jam dictæ faciunt cubitos 40, qui numerus est latitudinis hujusce veli : velum enim hoc 10 cortinarum junctarum latum erat 40 cubitos, uti dixi. Sic ergo omnia latera tabernaculi hoc velo tegebantur, excepto latere Orientali, quo patebat ingressus. Ita Abulensis, *Quæst.* IV.

Simili modo dispositum fuit sagum cilicinum, de quo vers. 7; sed quia illud constabat non 10, sed 11 cortinis, quarum quæque, non 28 ut priores, sed 30 habebat cubitos longitudinis, hinc fiebat ut hoc sagum, propter 30 hosce cubitos, utrimque ad terram pertingeret; et propter undecimam cortinam, latitudo unius cortinæ ante, et latitudo alterius cortinæ retro, media sui parte reflectenda esset.

Tropologia cortinarum, sive velorum tabernaculi.

Tropologice, in tabernaculo, id est Ecclesia, decem cortinæ sunt 10 præcepta charitatis, sive Decalogi : sunt quinæ et quinæ, quia tam novo quam veteri Testamento congruunt singulæ; latæ sunt 4 cubitos: charitas enim ad 4 cardinales virtutes se distendit; longæ sunt cubitos 28, qui numerus ex quatuor in septem (qui sabbati est numerus) ductus consurgit, estque numerus compositus plenus : solus enim primis suis omnibus numeris, quasi partibus conflatur et integratur, nam si jungas 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, efficies 28, quia charitas legis divinæ longissimam et perfectam nobis parit æternitatem; unde et ansulæ 50 extantes hyacinthinæ, id est cœlestis coloris, significant spem cœlestium cœlestisque jubilæi, in quo plenissimam habebimus libertatem et lætitiam; circuli aurei perpetuam claritatem, et claram Sanctorum charitatem, sive amorem mutuum significant. Vide Bedam, lib. II *De Tabern.* cap. II.

Aliter S. Gregorius, hom. 19 *in Ezech.* : « Cortinæ, ait, tabernaculi, Sancti omnes sunt, qui ex diversis virtutum coloribus in sanctæ Ecclesiæ ornamento proficiunt. Qui et interiora velant, et exteriora omnimodo exornant; quia eorum vita in quantum videtur, ornamentum est, et eorum intellectus intus absconditus, dum cœlestia quæ in mente servant, edicere non possunt, in eis aliquo modo velatur. Recte autem decem cortinæ sunt, quia per Decalogi studium ipsa Sanctorum corda profecerunt. Hyacinthinæ vero ansulæ cortinarum fieri quinquaginta præcepta sunt. Hyacinthus cœli speciem habet. Ansulæ ergo cortinarum sunt præcepta cœlestia, in quibus ligantur animæ, ut ab inferioribus sublevatæ superius pendeant. Quæ videlicet ansulæ habent et circulos aureos, intellectum scilicet vera sapientia fulgentem. Qui intellectus, quia esse debet per omnia circumspectus, et tantæ sollicitudinis vigilantia munitus,

recte per circulos designatur. Et notandum quod a latere et summitate jubentur ansulæ, vel circuli in cortinis fieri, quia præcepta cœlestia, et intellectus spiritalis, non solum debet nos sursum in Dei amorem suspendere, sed etiam proximo in charitate sociare. In eo enim quod conditorem nostrum diligimus, quasi per superiores ansulas in aere pendemus; in eo vero quod sicut nosmetipsos proximos amamus, ansulas et circulos a latere habemus, ut cortinæ tabernaculi, id est fidelium animæ per charitatem conjunctæ sint, et non per discordiam divisæ (1).

Vers. 6. 6. FACIES ET QUINQUAGINTA CIRCULOS, — puta circulares fibulas, ut hæc duo cortinarum quinarum vela per eos conjungi, et rursum solvi et disjungi possint, quando proficiscendum est; unde noster Interpres hos circulos vers. 11 vocat *fibulas*, et Hebræum קרסי *karse* significat circulum et fibulam circularem, a curvitate.

Vers. 7. 7. FACIES ET SAGA CILICINA UNDECIM. — Hebraice, *facies et cortinas e pilis caprarum undecim* : nam e pilis caprarum vestes contextæ cilicinæ dicebantur, de quibus cap. XXV, vers. 4. Hæc saga sive vela eodem modo jungebantur, et spargebantur per tabernaculum, quo 10 cortinæ, uti dixi vers. 3.

Tropologice, sagum cilicinum est pœnitentia. Tropologice S. Augustinus, serm. 15 *in Matth.* : Undecim, inquit, est symbolum peccati, quia transgreditur denarium Decalogi, quod hic cilicio, sive sago cilicino plangitur : hoc ergo sagum symbolum fuit pœnitentiæ. « Pœnitentia, inquit Isidorus, lib. III *De Summo Bono*, est medicamentum vulneris, spes salutis, per quam ad misericordiam provocatur, quæ non tempore pensatur, sed profunditate luctus et lacrymarum, qua omnis cruciatur et mortificatur caro. » Et Hugo Victorinus, lib. III *De Myster. Eccles.* : « Pœnitentia, ait, dicitur quasi punientia (aut potius pœnæ tenentia), eo quod ipse homo in se pœnitendo punit, quod male admisit. Tria enim quæ sunt in percussione pectoris, id est pectus, sonus et manus, significant quod pœnitentia est de his, quæ mente, voce et opere peccavimus. »

AD OPERIENDUM TECTUM TABERNACULI, — tectum vocat tegumentum, puta velum decem cortinarum, jam dictum, quod tegebat tabernaculum instar tecti.

Mystice. Mystice, hæc saga significant sanctos prædicatores; unde ter denos, id est 30 habent cubitos, qui numerus est perfectus : qui tamen sint humiles, quique, ceu numerus undecimus, Decalogum quandoque se transgredi fateantur, ideoque cilicium et lugubrem pœnitentiæ statum, quin et habitum subinde, instar S. Joannis Baptistæ, amplectuntur, ut sic populum ad pœnitentiam permoveant. Ita Beda.

Vers. 12. 12. EX MEDIETATE EJUS OPERIES POSTERIORA TABERNACULI, — *q. d.* « Operies, » id est replicabis cortinam unam ad altitudinem duorum cubitorum, ut ita fiat duplicatum operimentum, quod operiat posteriorem partem tabernaculi ad altitudinem duorum cubitorum. Ita Abulensis.

Vers. 14. 14. FACIES ET OPERIMENTUM ALIUD TECTO DE PELLIBUS ARIETUM RUBRICATIS; ET SUPER HOC RURSUM ALIUD OPERIMENTUM DE IANTHINIS PELLIBUS. — Tectum hic rursum vocatur operimentum primum tabernaculi, puta velum decem cortinarum, quod hebraice vocatur אהל *ohel*, id est tabernaculum, quia erat totius tabernaculi proximum tegumentum.

Quatuor operimenta tabernaculi. Nota : Quatuor erant operimenta sive tegumenta tabernaculi. *Primum* erat velum decem cortinarum ex bysso, purpura, cocco et hyacintho, de quo vers. 1. *Secundum* erat stragulum ex undecim sagis cilicinis, vel caprinis, de quo vers. 7. *Tertium* ex pellibus arietum rubricatis. *Quartum* ex pellibus ianthinis. An autem hæc duo ultima solum tabernaculi tectum texerint, uti volunt Beda, Cajetanus et Lipomanus, an vero etiam latera tabernaculi, incertum est; nam quod vers. 14 dicitur illa operuisse tectum, nil facit pro Beda : ibi enim tectum idem est quod tabernaculum : hoc enim undique tegebatur, et quæ ratio fuit tegendi tecti proprie dicti hisce duobus operimentis, eadem militat et pro toto tabernaculo, videlicet ne læderetur imbribus, ne cortinæ delicatiores, et tabulæ auratæ fœdarentur aut corrumperentur. Unde et Josephus ait tabernaculum tali colore, specie et decore fuisse venustum exterius, ut intuentes mirarentur, et cœlum esse putarent, quod vel maxime de quarto operculo ianthino latera cingente et tegente accipiendum videtur; nam tectum tabernaculi, cum planum et altum esset, videri non poterat. Similiter decem cortinæ polymitæ, cum essent infimæ, et sago cilicino undique tegerentur, nulla sui parte videri poterant. Ita Abulensis, *Quæst.* X.

An duo ultima operuerint tantum tabernaculum?

Tropologice pelles arietum sunt Martyres, ianthinæ sunt virgines. Tropologice, operimentum ex pellibus arietum rubricatis significat Apostolicos viros, qui sanguine suo Ecclesiam operuerunt, ejusque fidem stabiliverunt, contra omnes ingruentes infidelium procellas. Hi ergo rubricati sunt, quia sanguine suo vitam beatam, tam suam quam Ecclesiæ emerunt. Narrant historiæ Romanæ de Caio Mario, quod castra opposuerit contra Cimbros et Teutones loco arido, militique sitienti et aquam petenti demonstrans amnem juxta vallum hostium : « Istinc, inquit, peti a vobis potest potus sanguine venalis; » mox oraverunt milites, ut eos eo duceret. Idem Christus dixit Martyribus et Ecclesiæ. Operimentum vero ianthinum significat virgines, qui colore cœlesti, mortui carni et mundo, mortalem tantum pellem secum deferunt, animo in cœlis defixi : hi in Ecclesia eminent, eamque meritis et orationibus tutantur. Unde virgines dicuntur quasi virtute insignes, et cælibes quasi cœlites, et cœlo beati, id est cœli

(1) Vers. 4. *Ansulæ* sunt laqueoli, seu ligulæ. Iis inserebantur *uncini*, seu fibulæ, de quibus vers. 6.

civium vitam in terris imitantes, inquit Beda, lib. II *De Tabern.*, cap. III et IV. « Quanta, inquit S. Ambrosius, lib. I *De Offic.*, est virginitatis gratia, quæ meruit a Christo elegi, ut esset corporale Dei templum, in qua corporaliter habitavit plenitudo divinitatis? Virgo genuit mundi salutem, virgo peperit vitam universorum. »

Et S. Gregorius : « Flos est virginitas, flos martyrium, flos actio bona. In horto virginitas, in campo martyrium, bonum opus in thalamo.»

Et S. Cyprianus, lib. *De Virginitate* : « Virginitas est soror angelorum, victoria libidinum, regina virtutum, possessio bonorum omnium; flos est Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, illustrior portio gregis Christi. » Et S. Hieronymus : « Esse angelum, felicitatis est; esse vero virginem, virtutis : dum hoc obtinere nititur ex gratia, quod habet angelus ex natura. »

Vers. 15. Tabulæ tabernaculi quales et quantæ? Primo. Secundo.

15. FACIES ET TABULAS STANTES TABERNACULI. — Hæ tabulæ (1) erant quasi parietes tabernaculi erecti a tribus ejus lateribus. *Secundo*, hæ tabulæ in latere Meridiano erant 20, et totidem in latere Aquilonari, quæ duo latera erant latera longitudinis tabernaculi; unde sequitur tabernaculum longum fuisse 30 cubitis : quælibet enim tabula sesquicubitalis erat; 20 ergo tabulæ efficiebant 30 cubitos; distabant tabulæ Aquilonares a Meridionalibus decem cubitis, quæ erat latitudo tabernaculi; altæ erant 10 cubitis. *Tertio*, ad Occidentem erant tabulæ sex integræ et duæ dimidiæ, ita ut omnes octo junctæ facerent 10 cubitos (quæ rursum erat latitudo tabernaculi); jungebant enim hæ tabulæ latus Meridianum et latus Aquilonare tabernaculi. *Quarto*, hæ tabulæ singulæ duas habebant bases, quasi duos cardines, qui in duobus foraminibus duarum basium argentearum suscipiebantur, idque ad hoc ut basibus hisce argenteis inniterentur tabulæ, et firmius consisterent.

Tertio.

Quarto.

Allegorice de Apostol.

Allegorice, tabulæ hæ significant dilatationem Evangelii per Apostolos, et eorum successores in universo mundo; bases erant oracula Prophetarum, quibus prædicatio Evangelii nitebatur. Ita Beda et Isidorus. Verum Nyssenus per tabulas et bases angelorum multitudinem, quæ Sanctos et electos custodit, intelligit.

Vere S. Augustinus in Sermone *Apostol. Petri et Pauli* : « Petrus, inquit, pauper in mundo, factus est dives in Christo, cui reges et nationes famulantur in sæculo. Paulus vero, dum urget gladiis sanctos, fidei suscepit jugum, et magister factus est Gentium, forma Martyrum, formido dæmonum, indultor criminum, fonsque virtutum. » Et S. Chrysostomus, homilia 1 *De Laude S. Pauli* : « Paulus terram simul atque mare, Græciam simul atque Barbariam, omnemque prorsus quanta est sub sole regionem, quasi volitans circumivit; non simplici labore velut in vacuum itinera percurrens, sed peccatorum spinas pariter evellens, verbumque pietatis ubique seminans, errores fugans, veritatem reducens, ex hominibus angelos faciens, quinimo ipsos homines quasi ex dæmonibus in angelos provehens. » Et rursum : « Paulus cœli civis, Ecclesiarum columna, angelus terrestris, homo cœlestis. Sicut enim missum in ignem ferrum, totum ignis efficitur : sic Paulus charitate succensus, totus effectus est charitas. » Idem rursum : « Misit Christus Apostolos, quasi sol radios suos, quasi rosa suavitates odoris sui, quasi ignis scintillas suas : nam sicut sol in radiis apparet, sicut rosa in odoribus suis sentitur, sicut ignis in scintillis suis aspicitur, sic in illorum virtutibus Christi potentia agnoscebatur. »

Vers. 17.

17. IN LATERIBUS TABULÆ DUÆ INCASTRATURÆ FIENT, QUIBUS TABULA ALTERI TABULÆ CONNECTATUR, — *q. d.* Singulæ tabulæ duabus sui partibus excavabuntur, ut vicina in eas per partem sui prominentem, quasi per manum, ut habent Hebræa, subintrare possit, itaque illi connecti (2). Hæ incastraturæ, vel commissuræ tabularum significant humilem charitatem, qua Apostoli et Sancti eorum sequaces invicem juncti et devincti sunt. Ita Beda.

Vers 22 et 23.

22 et 23. AD OCCIDENTALEM VERO PLAGAM TABERNACULI FACIES SEX TABULAS, ET RURSUM ALIAS DUAS, QUÆ IN ANGULIS ERIGANTUR POST TERGUM TABERNACULI, — *q. d.* Tabernaculum ad Occidentem habebit octo tabulas, uti dicitur vers. 25, ita tamen ut sex integræ sint, scilicet sesquicubitales, duæ vero reliquæ sint tantum semicubitales : nam cum latitudo tabernaculi deberet esse 10 cubitorum, sex autem tabulæ tantum darent 9 cubitos, hinc illis sex additæ sunt duæ aliæ minores, videlicet utrinque una medium habens cubitum, ut ita decimus cubitus latitudinis tabernaculi per eas compleretur; quæ proinde in angulis erectæ dicuntur, quia una latus Meridianum, altera Aquilonare tangebat : ipsæ denique cum sex reliquis dicuntur fuisse post tergum tabernaculi, id est ad latus Occidentale tabernaculi, quod tegebat Sanctum sanctorum : nam pars anterior et Orientalis tabernaculi nullas habebat tabulas, sed patebat, quia ibi erat ingressus in tabernaculum.

Octo tabulæ Occident. tabernaculi.

Anagogice.

Anagogice, octo hæ tabulæ post Sanctum sanctorum significant octo beatitudines, quæ post hanc vitam merentibus easque hic prosequentibus succedent et obvenient. Ita Rupertus.

(1) Gall. *ais*.

(2) Collato vers. 19, censent alii hujusmodi incisionibus (gall. *rainures*) et dentibus (gall. *arêtes*) asseres non committi inter se et per latera, sed immitti extrema parte in baseos thecis. Hebr. est ידות, proprie *manus*, sed h. l. *cardines masculi*, gall. *tenons*. Præcipitur deinde vers. 19, ut sint duæ sub singulis tabulis bases, geminis harum tabularum cardinibus excipiendis comparatæ; sive binæ bases singulis asseribus pro duobus eorum cardinibus. Habebant igitur hæ bases cacumina, quibus cardines asserum masculi immitterentur

Vers. 24. 24. ERUNTQUE CONJUNCTÆ, — sex scilicet tabulæ æquales, et quasi gemellæ sorores : nam de aliis duabus minoribus paulo post loquitur (1).

ET UNA COMPAGO RETINEBIT. — Hebraice, *eruntque omnes perfectæ,* id est omnino æqualiter nexæ *ad caput,* id est sursum *ad annulum unum,* id est, quasi uno annulo retinerentur; non enim vere annulo, sed incastraturis, ut dixi vers. 17, quasi annulis nectebantur, quod noster Interpres clare vertit, « una omnes compago retinebit. »

Vers. 26. Vectes tabernaculi. 26. FACIES ET VECTES DE LIGNIS SETIM QUINQUE AD CONTINENDAS TABULAS. — Hic agit de vectibus, qui ex omni, puta ex triplici latere erant quini, ut tabulas stringerent et continerent; hinc sequitur hos vectes universim fuisse 15 : ter enim quinque faciunt 15 : quindecim, inquam, integri et commensi longitudini vel latitudini tabularum; sed quisque integer ex pluribus partialibus constabat, præsertim in utroque latere longitudinis tabernaculi : nam cum longitudo esset 30 cubitorum, debuisset vectis unius ligni esse pariter triginta cubitorum, quantæ longitudinis vectes aut ligna vix reperiuntur. Unus ergo vectis hic ex multis partialibus constabat, videlicet ii qui erant ad utrumque latus longitudinis, quod erat 30 cubitorum, hi singuli sex partialibus integrabantur : nam quilibet partialis erat 5 cubitorum, ait Josephus. Partiales ergo hi invicem jungebantur et inserebantur caput unius cavo alterius, uti ossa in humano corpore invicem innectuntur in modum pyxidis, inquit Josephus.

Vers 28. 28. QUI MITTENTUR PER MEDIAS TABULAS (non per ipsam spissitudinem tabularum, sed per dorsa earum transversim; nam in earum dorsis erant annuli, per quos hi vectes immittebantur) A SUMMO USQUE AD SUMMUM, — id est, ab extremo usque ad extremum. Ita Hebræa, quæ sic habent : *Et vectis* quisque *medius,* supple ibit vel transibit, *in medio tabularum, transiens ab extremo usque ad extremum;* quod Noster clare vertit, « qui mittentur per medias tabulas ab extremo ad extremum. » Septuaginta, Chaldæus, Vatablus et alii hæc accipiunt de alio vecte medio transeunte ipsam crassitiem tabularum : de eo accepit et Noster, cap. XXXVI, vers. 33, ubi in Hebræo pene eadem verba sunt quæ hic, de quo ibi dicam.

Mystice quinque vectes sunt quinque libri Mosis. Allegorice, quinque hi vectes facti non ad portandum, sed ad tabulas continendas et astringendas, significabant Pentateuchum sive quinque libros Mosis, quibus tam Judæi olim, quam Christiani nunc in præsenti vita ad fidem et virtutem, et ad spem remunerationis futuræ accenduntur. Ita Beda, lib. II, cap. VII.

Vers. 31. Velum dividens Sanctum a Sancto sanctorum. 31. FACIES ET VELUM. — Describitur hic velum dividens Sanctuarium et Sanctuarii sanctuaria, id est dividens Sanctum a Sancto sanctorum; erat hoc velum oppansum Sancto sanctorum factum ex bysso, cocco, purpura et hyacintho, eratque appensum ad quatuor columnas factas ex lignis setim inauratis, quæ columnæ habebant capita aurea et bases argenteas. *Secundo,* quo spatio velum hoc sit constitutum Scriptura hic subticet; sed si ex templi, quod ad instar tabernaculi ædificatum est, velo conjicere licet, Sanctum sanctorum tertiam tabernaculi partem occupabat, ita ut velum hoc tertiam hanc partem a reliquis dirimeret; Sanctum ergo sanctorum undique quadratum erat : tam enim in longitudine, quam in latitudine habebat decem cubitos. Huc alludens S. Joannes, *Apoc.* XXI, 16, loquens de cœlo empyreo significato per Sanctum sanctorum : « Civitas, inquit, illa in quadro posita est. »

Sanctum sanctorum erat quadratum.

Mystice velum primo, est fides. Mystice, hoc velum significabat, nos, qui sumus hic in atrio et Sancto, id est in Ecclesia militante, per fidem et ænigmaticam cognitionem speculari Deum et futura bona, quæ sunt in Sancto sanctorum, id est in cœlo. Unde in Christi passione hoc velum scissum est : quia Christus sua morte nobis aditum ad cœlum, et claram Dei visionem aperuit.

S. Augustinus, serm. 18 *super Joan.* : « Ambula, inquit, per fidem, ut pervenias ad spem; spes non ædificabit in patria, quem fides non consolatur in via. » Idem rursum : « Quid est fides, nisi credere quod non vides? Unde et quomodo capitur Trinitas? recte, o homo, interrogas; ideo bene creditur, quia cito non capitur : nam si cito caperetur, non esset opus ut crederetur, quia videretur. » Hoc est quod ait Apostolus, *Hebr.* XI, 1 : « Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. » Hinc rursum S. Augustinus, in lib. *De Trinit.* : « Aufer, ait, argumenta, ubi fides quæritur; in ipsis gymnasiis suis jam Dialectica taceat : piscatoribus credunt, non Dialecticis. » Et S. Bernardus *in Cant.* : « Quid, ait, non inveniat fides? attingit inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit immensa, apprehendit novissima, ipsam denique æternitatem suo illo vastissimo sinu quodam modo circumcludit. »

Secundo, humanitas Christi. Hinc rursum Apostolus *Hebr.* X, 20, per velamen accipit carnem Christi, quæ ejus divinitatem velabat, quæque instar veli in passione scissa, viam in cœlum patefecit. Velum hoc factum est ex hyacintho, purpura, bysso, coccoque bis tincto, opere plumario, quia caro Christi ex purpureo Deiparæ Virginis sanguine, opera Spiritus Sancti pulcherrima membrorum varietate est composita. Unde *Psalm.* CXXXVIII, 15, quod nos habemus : « Substantia mea in inferioribus terræ, » hebraice est, *acu pictus sum,* hoc est, ut Pagninus exponit, variis membris formatus sum, scilicet instar ves-

(1) *Gemellæ sint* (tabulæ) *ad locum inferiorem,* id est, asseres angulares duo latera habeant infra, quorum unum ad occidentalem, alterum ad septentrionalem vel meridionalem parietem pertineat; *et conjungi debent* cum eis utriusque lateris asseres. *Sint autem perfecti,* obtusi scilicet, *parte superiore* inde *a primo annulo* usque ad summum verticem asseres angulares, ne videlicet stragulæ eis impositæ corrumpantur. Ita ex hebræo Rosenmullerus. Alii aliter.

tis phrygionicæ; « in inferioribus terræ, » id est in matrice matris, quasi in loco recondito et subterraneo. Campensis exponit, « velut tapetium e nervis et venis contextus sum in utero matris. » Loquitur Psaltes de formatione hominis cujuslibet, sive embryonis in ventre matris. Si corpus cujusvis hominis velut phrygionica vestis acu pingitur, quid de Christi corpore dicemus, cujus phrygio fuit Spiritus Sanctus? quid vero de anima? quid de tota humanitate? quam pulchra cœlestium charismatum varietate contexta, velut holoserica vel aurea vestis splendescit? Pinxit enim in ea summus artifex, *primo*, omnes scientias et veritates: habuit enim anima Christi triplicem scientiam, scilicet beatam, infusam et acquisitam; *secundo*, omnem prudentiam et sapientiam; *tertio*, omnes virtutes, naturales, supernaturales et theologicas; *quarto*, omnes gratias gratis datas; *quinto*, omnem gloriæ varietatem, omnesque dotes gloriosæ beatitudinis (1).

Vers. 33. 33. INSERETUR AUTEM VELUM, etc., QUO ET SANCTUARIUM ET SANCTUARII SANCTUARIA DIVIDENTUR, — *q. d.* Velum hoc dividet Sanctum a Sancto sanctorum, cujus deinceps vasa describit. Sanctum sanctorum expressum erat symbolum cœli empyrei, vitæque æternæ, quam pulchre describit Vigilantius, in Vita Epicteti presbyteri et Astionis monachi Martyrum, Astionis matri adhuc Gentili. Cum enim diceret mater : « Quæ dicitur regio illa, quo perrexit dulcissimus meus et unicus Astion? » Vigilantius respondit : « Regio robustorum, seu fortium virorum. » Et mater : « Sunt aliqui homines ibidem commorantes? » Vigilantius respondit : « Plures et valde nobiles habentur, quorum possessio paradisus dicitur, quorum tabernacula ex lumine sunt constructa, quorum vita Deus est, et conversatio immortalis existit; quorum vestes sanguine sunt respersæ, et in capite coronæ ex auro purissimo cum gemmis variis fabricatæ habentur. Sed et Rex nimium potentissimus, ac metuendus est in eadem regione, cujus nomen Deus deorum, et Dominus dominantium appellatur; cujus nuntii Angeli dicuntur justitiæ, quorum vestis una est omnibus, et tactus eorum igni assimilatur urenti. Sed et senatus hujus Imperatoris valde clarus habetur; et media pars Prophetæ nuncupatur, alii vero Apostoli pronuntiantur. » Deinde ipsam civitatem ita describit : « Sed et civitas istius Regis valde est præclara, nomenque ejus Christicolis pronuntiatur, cujus murus ex auro purissimo est constructus, habens portas duodecim, et in ipsis singulæ dependent margaritæ, atque singuli ex senatoribus per singulas sedent indesinenter. Et prima quidem porta dicitur Petri, secunda Pauli, tertia Andreæ, quarta Joannis, quinta Jacobi, sexta Philippi, septima Bartholomæi, octava Thomæ, nona Matthæi, decima Thadæi, undecima Simonis, duodecima Matthiæ. » Denique ejus templum et Sancta sanctorum ita depingit : « Sed et templum mirificum est in ea, habens Sancta sanctorum et altare aureum, ante cujus conspectum vir quidam astat mirificus tenens decemchordarum psalterium, ac jugiter ibi degentes ad laudem Regis illius cohortatur dicens : Laudate Dominum de cœlis, laudate eum omnes angeli ejus; laudate eum omnes virtutes ejus. Hujus itaque nomen, David filius Jesse pronuntiatur. Sed et plateæ hujus civitatis ex auro purissimo sunt stratæ; cujus fluvius vitam æternam emanat, cujus pomifera per singulos menses reddunt fructus suos, et folia eorum ad medicamentum procedunt animarum; cujus lumen inenarrabile est, et portæ nunquam clauduntur, eo quod nunquam ibi nox erit, nec ullæ tenebræ habentur; sed semper gaudium, et perpetua lætitia ibidem jugiter commoratur. »

Vitæ æternæ pulchra descriptio.

Apoc. XXI.

Psal. CXLVIII.

Quare merito S. Antonius suos hortabatur dicens : « Hoc sit autem primum cunctis in commune mandatum, nullum in arrepti propositi vigore lassescere, sed quasi incipientem augere semper debere quod cœperit, præsertim cum humanæ vitæ spatia æternitati comparata, brevissima sint ac parva. » Ita exorsus paululum siluit, et admiratus nimiam Dei largitatem, rursus adjecit, dicens : « In præsenti hac vita æqualia sunt pro rerum commutatione commercia, nec majora recipit ab emente qui vendit; promissio autem vitæ sempiternæ vili pretio comparatur. Scriptum est enim : Dies vitæ nostræ septuaginta anni; si autem multum, octoginta : quidquid reliquum est, labor et dolor est. Quando ergo octoginta, aut centum, ut multum, annis laborantes in Dei opere vixerimus, non pari tempore regnaturi sumus in futuro; sed pro annis prædictis, omnium nobis sæculorum regna tribuentur. Non terram hæreditabimus, sed cœlum : corpus quoque corruptum relinquentes, idipsum cum incorruptione recipiemus. Ergo, filioli, non vos aut tædium defatiget, aut vanæ gloriæ delectet ambitio. Non sunt enim condignæ passiones hujus temporis, ad superventuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. »

Concio S. Antonii ad discipulos.

Vili pretio vita æterna comparatur.

Psal. LXXXIX.

S. Maria d'Oignies, teste Cardinali Vitriaco in ejus Vita, cum vixisset vitam angelicam, accepit revelationem suæ salutis et gloriæ, hisce verbis : « Ibis in Sancta sanctorum. » Cumque illa rem intelligeret, non verba, utpote Latina, dicebat assidue jubilans ancillæ suæ : « Ibimus in Sancta sanctorum, dulcissima Clementia (hoc erat ancillæ nomen). Et quid sunt Sancta sanctorum? » nec aliud dicere poterat, ebria gaudio, noctes et dies, nec comedere, nec bibere.

Hinc monasteria olim, in quibus agebant monachi, semoti a rebus terrenis, vitam cœlestem, cœlo inhiantes, vocabantur Sanctuaria, ut patet ex Vita S. Euphraxiæ. Ita S. Arsenius pannum habebat in sinu, ad tergendum juges lacrymas, quæ

Monasteria sunt Sanctuaria.

(1) Pro *capita* hebr. est יְרוֹת, quod Rosenmullerus vertit *uncini*, ex quibus aulæa in columnis suspendebantur.

ob desiderium vitæ æternæ ex oculis ejus defluebant.

Unde S. Hieronymus S. Paulam quinque monasteriorum in Palæstina fundatricem, imo monacham, et monacharum ductricem, recensitis miris ejus et cœlestibus virtutibus, ita in cœlum usque prosequitur : « Cæterum, illa implevit cursum suum, fidemque servavit, et nunc fruitur corona justitiæ, sequiturque Agnum quocumque vadit. Saturatur, quia esurivit, et læta decantat : Sicut audivimus, ita et vidimus, in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri. O beata rerum commutatio ! Flevit, ut semper rideret. Despexit lacus contritos, ut fontem Dominum reperiret. Vestita cilicio est, ut nunc albis vestimentis uteretur, et diceret : Scidisti saccum meum, et induisti me lætitia. Cinerem sicut panem manducabat, et potionem suam cum fletu miscebat, dicens : Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, ut in æternum pane angelorum vesceretur, et careret : Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus, » et : « Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. »

II *Tim.* IV.

Apoc. XIV.

Psal. XLVII.

Ps. XXIX.

Psal. CI.

Ps. XLI.

Psal. XXXIII.

Psal. XLIV.

S. Euphraxiæ vita et transitus in Sancta sanctorum.

Ita S. Euphraxia, tempore Theodosii imperatoris, imperiali sanguine prognata, spreto mundo, monasticam vitam amplexa, cum in ea mira humilitate, obedientia et sanctitate vixisset, tricennis vocata est ad hæc Sancta sanctorum. Vidit enim Abbatissa duos viros sibi dicentes : « Assumens tecum Euphraxiam, deduc eam ante Dominum; quam mox, inquit, assumens, properavi cum eis. Et cum venissemus ad quamdam portam, cujus gloriam enarrare non valeo, sponte nobis aperta est. Et ingressæ sumus, et vidimus ibi inenarrabile palatium cœleste, in quo est solium nuptiale non manu factum. Ego quidem interius appropinquare non potui; Euphraxiam vero assumentes obtulerunt Domino, et procidens osculata est pedes ejus immaculatos. Vidi ibi dena millia angelorum, ac multitudinem Sanctorum innumerabilem, et omnes stabant respicientes : et vidi, et ecce mater Domini assumens Euphraxiam adduxit eam ad thalamum nuptialem, in quo decoris coronam parabat; et audivi vocem ad Euphraxiam dicentem : Ecce merces tua. Nunc itaque perge, post decem dies veniens, fruere his in sæculis infinitis; et ideo quia hodie nona dies est, ex quo visionem vidi, cras morietur Euphraxia. » Sequenti ergo die Euphraxia cum Abbatissa vita functa, abiit in Sancta sanctorum. Ita habet ejus Vita.

Huc per crucem præcessit et præivit nobis Christus, qui « per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa, » ut ait S. Paulus *ad Hebr.* IX, 12.

Vers. 36. Velum

36. FACIES ET TENTORIUM IN INTROITU TABERNACULI. — Describitur hic secundum velum, quod oppansum erat Sancto, sicut prius, vers. 31, oppansum erat Sancto sanctorum. Velum hoc vocatur tentorium, quia quasi aulæum et tentorium castrense expansum erat pro quarta, Orientali videlicet parte tabernaculi, sive pro ejus introitu, eratque quasi janua tabernaculi quinque columnis distincta, ut quatuor viis, inter quinque columnas interceptis, pateret ingressus. Sicut enim octo tabulæ, vers. 22, latus adversum Occidentale tabernaculi claudebant, ita quinque hæ columnæ cum hoc suo velo claudebant latus Orientale, qua patebat ingressus. Sancti.

Nota *primo* : Hoc velum factum erat uti et prius, vers. 13, ex bysso, cocco, purpura et hyacintho, eratque appensum quinque columnis, factis ex lignis setim inauratis. Veli descriptio. Primo.

Secundo, velum hoc quod erat in ingressu tabernaculi, uti et velum quod erat in ingressu atrii, de quo cap. XXVII, vers. 16, mobile erat, cum atrii ipsius vela reliqua essent immobilia, essentque ex bysso tantum, hæc vero in ingressu tabernaculi et atrii erant polymita, uti jam dixi. Secundo.

Tertio, asserit Josephus velum hoc in egressu tabernaculi, a summo non usque ad terram, sed tantum usque ad dimidium columnarum dependisse, ibique annulis sustentum et retentum fuisse, idque ut accessum et introitum daret sacerdotibus, per illud subintrantibus in tabernaculum, utque lumen solis per hanc partem vacuam et apertam in tabernaculum admitteretur; nam in tabernaculo nullæ erant fenestræ : erat enim ipsum undique tectum, tum decem cortinis, tum sago cilicino. Tertio.

Quarto, addit idem Josephus, huic velo pene contiguum fuisse aliud velum, magnitudine par, sed e lino contextum, annulis a funiculo per transversum pendens, quod aliquando adducebatur, aliquando, festis præcipue diebus, reducebatur, ut populus in tabernaculum prospicere posset; tum enim reducto velo patebant auratæ tabulæ tabernaculi, inquit Lipomanus in cap. XXXVI. Reliquis vero diebus, et maxime cum plueret, ningeret aut grandinaret, hoc velum extimum et lineum objectu suo velum alterum interius et picturatum a tempestatibus et aeris injuriis protegebat (1). Quarto.

Vers. 37.

37. ET QUINQUE COLUMNAS DEAURABIS. — Hoc est aureis, non laminis, sed circulis ornabis, ut patet ex cap. XXXVI, vers. ult. in hebræo.

(1) Hebræi observant מעשה חשב, vers. 31, opus fuisse magis artificiosum, quod figuras easdem, etsi non versicolores, ab utraque parte conspiciendas præbuerit, quale sericum Damascenum; sed מעשה רקם opus minore artificio paratum, quodque figuras ab uno tantum latere exhibuerit : quæ distinctio Rosenmullero probatur; quanquam utramque locutionem Vulgatus interpres æque vertit, *opus plumarium*.

CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describitur altare holocaustorum cum suis vasis, craticula et vectibus. Secundo, vers. 9, describitur atrium tabernaculi cum suis columnis, et velis quibus circumcirca cingebatur. Tertio, vers. 20, describitur oleum lucernarum, earumque accensio.

1. Facies et altare de lignis setim, quod habebit quinque cubitos in longitudine, et totidem in latitudine, id est quadrum, et tres cubitos in altitudine. 2. Cornua autem per quatuor angulos ex ipso erunt, et operies illud ære. 3. Faciesque in usus ejus lebetes ad suscipiendos cineres, et forcipes atque fuscinulas, et ignium receptacula : omnia vasa ex ære fabricabis. 4. Craticulamque in modum retis æneam : per cujus quatuor angulos erunt quatuor annuli ænei, 5. quos pones subter arulam altaris ; eritque craticula usque ad altaris medium. 6. Facies et vectes altaris de lignis setim duos, quos operies laminis æneis : 7. et induces per circulos, eruntque ex utroque latere altaris ad portandum. 8. Non solidum, sed inane et cavum intrinsecus facies illud, sicut tibi in monte monstratum est. 9. Facies et atrium tabernaculi, in cujus australi plaga contra meridiem erunt tentoria de bysso retorta : centum cubitos unum latus tenebit in longitudine. 10. Et columnas viginti cum basibus totidem æneis, quæ capita cum cælaturis suis habebunt argentea. 11. Similiter et in latere aquilonis per longum erunt tentoria centum cubitorum, columnæ viginti, et bases æneæ ejusdem numeri, et capita earum cum cælaturis suis argentea. 12. In latitudine vero atrii, quod respicit ad occidentem, erunt tentoria per quinquaginta cubitos, et columnæ decem, basesque totidem. 13. In ea quoque atrii latitudine, quæ respicit ad orientem, quinquaginta cubiti erunt. 14. In quibus quindecim cubitorum tentoria lateri uno deputabuntur, columnæque tres et bases totidem : 15. et in latere altero erunt tentoria cubitos obtinentia quindecim, columnæ tres, et bases totidem. 16. In introitu vero atrii fiet tentorium cubitorum viginti ex hyacintho et purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta, opere plumarii : columnas habebit quatuor, cum basibus totidem. 17. Omnes columnæ atrii per circuitum vestitæ erunt argenteis laminis, capitibus argenteis, et basibus æneis. 18. In longitudine occupabit atrium cubitos centum, in latitudine quinquaginta, altitudo quinque cubitorum erit, fietque de bysso retorta, et habebit bases æneas. 19. Cuncta vasa tabernaculi in omnes usus et cæremonias, tam paxillos ejus quam atrii, ex ære facies. 20. Præcipe filiis Israel ut afferant tibi oleum de arboribus olivarum purissimum, piloque contusum : ut ardeat lucerna semper, 21. in tabernaculo testimonii, extra velum quod oppansum est testimonio. Et collocabunt eam Aaron et filii ejus, ut usque mane luceat coram Domino. Perpetuus erit cultus per successiones eorum a filiis Israel.

Vers. 1. Descriptio altaris holocaustorum.

1. FACIES ET ALTARE DE LIGNIS SETIM. — Nota : Duplex erat altare : unum thymiamatis, quod erat in Sancto, ad adolendum in eo mane et vespere thymiama Deo ; alterum holocaustorum, in quo holocausta et quævis sacrificia Deo immolabantur et cremabantur. Unde hoc altare non erat in tabernaculo, sed ante illud, in atrio sub dio positum, propter ignem, fumum et nidorem victimarum.

Primo, erat sub dio.

Secundo, hoc altare factum erat de lignis setim, quæ æneis tabulis interius et exterius tegebantur, ne ab igne læderentur.

Secundo, erat ex lignis setim.

Tertio, altare hoc longum erat cubitos quinque, totidem latum, altum tres, ut sacerdotes facile ad illud possent pertingere. Salomon vero in templo majus fecit altare ; nam, ut dicitur II *Paral.* cap. IV : « Fecit altare æneum viginti cubitorum longitudinis, et viginti cubitorum latitudinis, et de-

Tertio, longum et latum erat quinque cubitos, altum tres.

cem cubitorum altitudinis.» Rursum ex quatuor altaris hujus ænei angulis prodibant quatuor cornua ænea, et prominebant instar obelisci.

Quarto, interius cavum erat.

Quarto, altare hoc interius cavum erat, sed tamen vel terra, ut vult Abulensis et Richardus, vel potius lapide insecto et impolito, ut vult Ribera, implebatur usque ad sui medium : sic enim jusserat Dominus, *Exodi* cap. XX, vers. 24; itaque Mosen et Salomonem fecisse patet I *Machab.* cap. IV, vers. 56. In altari ergo hoc alto tres cubitos, lapidum structura ad dimidium, id est ad cubitum cum dimidio ascendebat; deinde illi superponebatur arula craticulæ, de qua jam dicam; circumcirca vero ambiebatur tabulis setim ære obductis.

Quinto, tegebatur craticula.

Quinto, altare hoc habebat superne craticulam æneam, in modum retis foraminibus plenam; craticula hæc totam latitudinem et longitudinem altaris superne occupabat : erat proinde longa pene quinque cubitos, et latam totidem : hæc enim erat longitudo et latitudo altaris. Huic craticulæ victimæ imponebantur, ut a subjecto igne in altari (erat enim cavum, ut dixi) cremarentur, et eorum cinis per foramina craticulæ sub altare decideret; unde ex craticula hac pendebat arula ænea, sive foculus æneus interius in medio altaris, puta super lapidum structuram, de qua paulo ante dixi. In hac arula per catenulas appensa ad quatuor cornua altaris, ponebantur ligna et ignis ad cremandas carnes, quæ in superiori craticula ponebantur.

Arula vel foculus craticulæ.

Sexto, habebat fenestellam, per quam ligna immittebantur.

Sexto, verisimile est altare hoc ad latus Orientale habuisse fenestram, per quam cineres extraherentur, et ligna super arulam sive focum ponerentur, et ad hoc aliosque usus habebat forcipes, fuscinulas, lebetes, et ignium receptacula. Ita Beda, de quo plura suo loco, vers. 4.

Septimo, habebat quatuor annulos et duos vectes.

Septimo, altare hoc habebat quatuor annulos æneos, per quos duo vectes, ex lignis setim ære coopertis, inserebantur ad portandum altare. Totidem annulos et vectes, distinctos ab annulis et vectibus altaris, habebat ipsa craticula altaris; eximebatur enim et separabatur craticula ab altari, ut seorsim portari posset.

Octavo, in eo quotidie immolabatur jugе sacrificium.

Octavo, in hoc altari mane et vespere quotidie, primo immolabatur agnus, quasi juge sacrificium, deinde aliæ victimæ, vel votivæ, vel spontaneæ, vel ex lege ob festum incidens præceptæ. Hinc Deus ignem de cœlo misit, quem voluit in hoc altari a sacerdotibus lignis appositis jugiter ali et foveri, ne unquam exstingueretur, ut semper paratus esset ad victimas cremandas, *Levit.* cap. VI. Denique altaris hujus figuram expressam vide apud Vilalpando, lib. IV *De Temp.*, cap. LXXV.

Allegorice altare ligneum est crux Christi. Primo.

Allegorice, hoc altare ligneum significabat crucem Christi, in qua quasi in ara Christus est immolatus : unde altare hoc erat extra tabernaculum in atrio, quia Christus extra castra, ut ait Apostolus, *Hebr.* cap. XV, puta extra Jerusalem, passus est.

Secundo.

Secundo, factum est ex lignis setim, quia tam crux quam caro Christi, non vidit corruptionem. Rursum, ære obducitur, quia æs sonorum significat prædicationem crucis Christi : est etiam æs symbolum fortitudinis crucis Christi, quæ omnes dæmonis, mundi et peccati vires contrivit.

Tertio.

Tertio, habet quatuor cornua, quia crux Christi per quatuor plagas, toto orbe prædicata ab Apostolis et diffusa est : « In omnem enim terram exivit sonus eorum. »

Quarto.

Quarto, altare hoc intus vacuum erat, sed terræ vel lapidi impositum, quia crux Christi defixa est et imposita monti Calvariæ.

Quinto.

Quinto, craticula, in qua igne supposito carnes victimæ cremabantur, significat acerbissimos Christi dolores, quibus in cruce pro nobis tum dolore, tum amore tostus est, juxta illud *Psal.* CI : « Ossa mea sicut cremium aruerunt. » Quod S. Hieronymus vertit, *ossa mea quasi frixa contabuerunt*; S. Augustinus, *ossa mea tanquam in frixorio confrixa sunt;* alii, *ossa mea tanquam focus,* aut *torris adusta suut.*

Christus in cruce dolore et amore tostus.

Sexto.

Sexto, in latere Orientali altaris erat fenestra per quam ligna et fomenta ignis in arulam immittebantur, quia a parte Orientali in qua situs erat Paradisus terrestris, peccatum Adæ provenit, quod doloribus et cruciatibus Christi materiam et fomenta ministravit.

Septimo.

Septimo, quid sint annuli et vectes, dicam in tropologia.

Octavo.

Octavo, in hoc altari immolabatur quotidie agnus, quia in cruce immolatus est Christus, qui est agnus occisus ab origine mundi. In hoc altari ardet jugiter ignis divinus, quia charitas Christi in cruce non fuit exstincta, sed magis adaucta exarsit, omnesque Martyres et fideles ad crucem et mortem cum Christo, et pro Christo subeundam accendit.

Tropologice, altare holocausti est cor per mortificationem se Deo immolans. Primo.

Tropologice, altare holocausti est cor hominis, se per pœnitentiam macerans vitiaque sua mortificans, et Deo immolans; altare hoc est in atrio, quia prius exercenda est mortificatio, et passionum compressio, quam ad altare thymiamatis, quod est in Sancto, id est, ad Dei amorem et unionem, possis accedere. Rursum, ignis quod thymiama in altari aureo incendebatur in Sancto, deferebatur ex altari holocausti, quia orationis fervor et ardor, ex carnis et passionum jugi mortificatione promanat. Quare qui orationi incumbit et negligit mortificationem, perinde facit atque si quis sine igne vellet aromata incendere.

Pœnitentiæ æque ac mortificationis exemplar fuit S. Magdalena, quæ, ut ait S. Gregorius, hom. 33 *in Evang.*, « quot habuit in se oblectamenta, tot de se invenit holocausta : convertit ad numerum virtutum numerum criminum, ut totum serviret Deo in pœnitentia, quidquid ex se Deum contempserat in culpa. »

Secundo.

Hinc *secundo,* altare hoc factum est de lignis setim, id est, de puri cordis desiderio; ære ob-

ducitur, quia mortificatio non aurea est et fulgens, sed ænea, dura, tinniens : quia tales non sunt adhuc plene mortui; unde percussi subinde sonant et murmurant.

Tertio. *Tertio*, tres cubiti altitudinis sunt fides, spes, charitas; quinque cubiti longitudinis sunt extensio patientiæ; quinque cubiti latitudinis sunt extensio charitatis ad coercendos quinque sensus, ut serviant patientiæ et charitati. Quatuor cornua sunt quatuor cardinales virtutes.

Quarto. *Quarto*, cavum est, id est, terræ contagio vacuum, ut sanctum Dei ignem recipiat; sed lapidi, id est, duritiei et austeritati vitæ, constanter incumbit.

Quinto. *Quinto*, arula sunt mentis penetralia igne, id est charitate, flagrantia; ligna arulæ imponuntur, cum pias cogitationes mente concipimus; ignis additur, cum per gratiam Sancti Spiritus illis excitamur et inardescimus. Craticula in modum retis significat mortificationem debere esse jugem, et ex variis generibus connexam et contextam. Hæc namque jugis et omnimoda mortificatio viros magnos et cœlestes, heroes et duces efficit. Laudant Gentiles Agesilaum regem Lacedæmoniorum, quod cibo et somno dominaretur, frigori æque ac æstui se assuefecisset, quodque assidue in ore haberet, « ducem non mollitie et luxu, sed tolerantia ac fortitudine debere subditis anteire. » Itaque cuidam interroganti, quid boni leges Lycurgi Spartanis attulissent, respondit : « Contemptum voluptatum. » Admiranti ejus et Spartanorum in vestitu et victu frugalitatem : « Hac, inquit, e semente metimus libertatem. » Hortanti ut aliquid de severitate victus remitteret, forte non habiturum eum alias occasionem mollius vivendi, respondit : « Ego vero me assuefacio, ut in nulla mutatione mutationem quæram. » Senior etiam factus, eamdem vivendi tenuit rationem, rogatusque cur in frigore sine tunica obambularet : « Ut, inquit, juvenes imitentur exemplum seniorum et principum. » Thasii offerebant ei farinam, anseres, bellaria, placentas, etc. : ipse tantum farinam accepit, reliqua in servos distribuit, quærentibusque causam, dixit : « Qui virtutem colunt, non admittunt tales gulæ delicias; aliena enim a liberis ea sunt, quibus servorum ingenia alliciuntur. » Idem dicebat, « malle se vincere cupiditates, quam hostium exercitum; melius est enim conservare libertatem, quam eam aliis adimere. » Testis est Plutarchus in ejus Vita.

Quid jam faciat Christianus? dicat cum S. Paulo, II *ad Corinth.* cap. IV : « Propter quod non deficimus, sed licet is qui foris est, noster homo corrumpitur, tamen is qui intus est, renovatur de die in diem. » Et alibi : « Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis, » sive *jugulationis*, ut legit Tertullianus. Imitetur magnum illum Arsenium, qui rogatus cur aquam rarius mutaret, cum fœtore totam cellulam inficeret, respondit : « Lubens fœtorem hunc excipio in locum odoramentorum, quibus in palatiis regum fui olim oblectatus, ut in die judicii de inenarrabili illo gehennæ fœtore liberet me Dominus. » Audiat S. Bernardum, in *serm.* : « Quod, inquit, martyrium gravius est, quam inter epulas esurire, inter vestes multas pretiosas algere, paupertate premi inter divitias quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster appetitus? Propterea pauperibus et pariter Martyribus regnum cœlorum promittitur, quia paupertate quidem emitur, sed in passione pro Christo absque dilatione percipitur. »

Sexto, lebetes cinerum sunt memoria passionis et mortis Christi ac Martyrum, qui exemplo suo hanc viam crucis et mortificationis præiverunt; fuscinulæ, forcipes et ignium receptacula, sunt præcones et sancti Doctores, qui hunc sacrum mortificationis ignem in nobis assidue fovent et accendunt. Sexto.

Septimo, annuli et vectes sunt dona Spiritus Sancti, quibus omnis labor et dolor pœnitentiæ dulcescit, ut iis ad dura et ardua quasi vehi et impelli videamur. Septimo.

Octavo, victimæ hic immolatæ sunt concupiscentiæ variæ, ad quas cremandas jugiter ignem charitatis in corde fovere oportet. Ita Beda, lib. II *De Tabernaculo*, cap. XXI. Octavo.

Audi S. Gregorium, hom. 22 *in Ezech.* : « Quid est, ait, altare? nisi mens bene viventium, qui peccatorum suorum memores lacrymis se lavant, carnem per abstinentiam macerant; ubi ex mœrore compunctionis ignis ardet, et caro consumitur, juxta illud Apostoli, *Rom.* XII : Ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem; hostia vivens est, corpus Domino afflictum : hostia, quia jam huic mundo est mortuum; vivens, quia cuncta quæ prævalet bona operatur; sed alia compunctio est quæ per timorem nascitur, alia quæ per amorem. » Tropologice. S. Gregorius.

Deinde adaptans hæc utrique altari, scilicet holocaustorum et thymiamatis, sic pergit : « Unde et in tabernaculo duo altaria fieri jubentur, unum exterius, alterum interius; unum in atrio, aliud ante arcam; unum ære coopertum, aliud auro; in æreo cremantur carnes, in aureo incenduntur aromata. Multi enim plangunt mala quæ fecerunt, et incendunt vitia igne compunctionis, quorum adhuc suggestiones in corde patiuntur; quid isti nisi altare sunt æreum? in quo carnes ardent, quia adhuc ab eis carnalia opera planguntur. Alii vero a carnalibus vitiis liberi, amoris flamma in compunctionis lacrymis inardescunt, supernis jam interesse civibus concupiscunt, regem in decore suo videre desiderant, et flere quotidie ex ejus amore non cessant; quid isti nisi altare sunt aureum? in quorum corde aromata incensa sunt, quia virtutes ardent; sed hoc altare aureum est ante velum, quia Sanctorum corda per sanctum desiderium in illum ardent, quem adhuc revelata facie videre non possunt. »

Ita S. Franciscus rogatus, « quænam preces Deo essent gratiores? Illæ, ait, quas propriæ carnis comitatur mortificatio. » Pulchre Billius in *Emblem.* :

At tua ne fructus pede claudo vota sequantur,
Fac tua cum vitiis ut caro morte cadat.
Ara duplex templi quondam hoc sine voce docebat:
Thus una, at cæsas altera habebat oves.
Obtulit hic cæsas pecudes, qui membra necavit :
Qui pia vota facit, thus dedit ille Deo.

DE LIGNIS SETIM, — quoad tabulas ambientes. Nam interius in imo, altare hoc, usque ad sui medium, plenum erat lapide insecto; superius vero per totum craticula ænea tegebatur: quare hoc altare ex setim simile erat cistæ quadratæ, quæ fundo et operculo caret, et interius vacua est.

Porro tabulæ hæ setim densis laminis æneis operiebantur, ne ab igne vicino læderentur; imo non improbabiliter censet Lipomanus, per miraculum tam tabulas ab igne, quam sacrificia a muscis illæsa servata fuisse. Unde et idololatræ, qui in suis sacrificiis a muscis vexabantur, ad eas abigendas colebant deum Beelzebub. S. Hieronymus in *Ezech.* XLI, et alii apud Bedam censent ex paradiso terrestri allatum fuisse hoc lignum setim, fuisseque simile amianto lapidi, qui igne non læditur, sed purior evadit, de quo dixi superius.

Vers. 2. 2. CORNUA AUTEM PER QUATUOR ANGULOS EX IPSO ERUNT. — « Cornua, » id est anguli prominentes instar cornuum, ad ornatum altaris, non aliunde, sed ex ipso altaris ære continuo opere ducentur.

Vers. 3. 3. FACIESQUE, etc. FORCIPES. — Hebraice יעים *iaim;* Septuaginta *cooperimenta,* alii *scopas* vertunt, radix יעה *iaa* significat removere : unde *iaim* instrumenta sunt quibus aliquid accipimus aut removemus, uti sunt forcipes et batilla, id est palæ, quo modo noster Interpres vertit, *Num.* IV, 14. Putat Pagninus nostrum Interpretem, puta S. Hieronymum, hoc nomen *iaim* in libris *Regum* et *Paralip.* nunc vertere scutra, nunc trullas, nunc creagras, nunc tridentes.

Verum non satis perspexit mentem et morem S. Hieronymi et S. Scripturæ, quæ neque hic, neque alibi, omnino simul vasa tabernaculi aut templi distincte enumerat; unde passim omittit opercula ollarum et lebetum, sed jam hæc, jam illa ponit. Quod videns S. Hieronymus in versione sua non reddidit verbum verbo, neque se astrinxit Hebrææ vasorum enumerationi præsentis loci, præsertim si ejus alio loco meminisset; sed indifferenter aliqua vasa quæ tabernaculi esse sciebat, expressit, reliqua generali clausula complexus, dicendo : « Et cætera vasa. »

Porro hoc loco phialas omisit, quæ in Hebræo exprimuntur, quia eas nominarat cap. XXV, 29, ubi proprius erat earum locus : neque enim in altari holocaustorum, sed in mensa panum propositionis hæ phialæ reponebantur, ut inde efferrentur quando iis opus erat, ad libandum in altari holocaustorum.

ATQUE FUSCINULAS, — quibus caro olla extrahitur. Unde Septuaginta vertunt, *creagras,* a capienda carne, sive tridentes essent, sive unius dentis. Unde noster Interpres nomen Hebræum מזלגת *mizleget,* vertit, *fuscinulas, tridentes,* et *uncinos,* id est, fuscinulas tam trium dentium, quam unius.

ET IGNIUM RECEPTACULA, — puta vasa ad capiendas prunas. Unde aliqui vertunt, *thuribula;* Septuaginta, *focum* : serviebant hæc vasa inter alia ad hoc, ut in illis ignis sanctus ex altari holocausti haustus, ad altare thymiamatis vespere et mane, ad incensum in iis adolendum, deferretur; nam, uti dicam cap. XXX, incensum non immediate in ipso altari, sed in hisce thuribulis altari impositis adolebatur. Ita Beda lib. II, cap. XI.

Vers. 4. 4. CRATICULAMQUE IN MODUM RETIS ÆNEAM. — Hebræi, Abulensis et Lyranus putant hanc craticulam non immitti solitam intra altare, sed fuisse per ejus circuitum, tanquam zonam quamdam elevatam cubitum unum cum dimidio, usque ad altaris medium, idque ad altaris duntaxat decorem et pulchritudinem. Verum hæc sententia repugnat textui S. Scripturæ, quæ hanc craticulam non intra, sed supra altare ponit.

Craticula non ambibat, sed tegebat altare superne.

Dico ergo : Craticula hæc tegebat superiorem partem, sive superficiem altaris, ita tamen ut commode posset intra altare inferri et extrahi, cum opus esset. In hac craticula victimarum carnes comburendæ imponebantur, ac proinde ipsa tota erat ænea, factaque in modum retis; ab hac craticula pendebat arula, ejusdem et longitudinis et latitudinis, cujus erat craticula. Arula hæc per longos æneos clavos, vel potius virgas aut laminas, superiori craticulæ erat annexa, ita ut inter craticulam et arulam interjectum esset spatium cubiti cum dimidio : erat enim hæc craticula in medio altaris, ut dicitur cap. XXXVIII, vers. 4; altaris autem altitudo erat trium cubitorum, unde et craticula ad medium altaris pertigisse dicitur hic vers. 5, non per se, sed per arulam hanc sibi annexam; erat enim hæc arula quasi fundus craticulæ, in quo quasi finiebatur corpus ipsum craticulæ (1).

Arula sive foculi descriptio.

Hæc arula erat tanquam focus, in quo ignis ardebat, lignaque ei imponebantur ad comburenda sacrificia craticulæ imposita; ac proinde erat tota ænea, uti et ipsa craticula. Hinc et verisimile est fenestram, sive ostiolum in latere altaris fuisse, per quod ligna immitterentur, et cineres ac carbones extraherentur, uti ex Cassiodori descriptione tradit Beda, lib. II, cap. XII, et

(1) Pro *arula* vers. 5, in hebr. est כרכב, *ambitus,* seu deambulacrum, satis latum, altare ambiens, ut in eo versantes ministri obirent munia sua, sive struendo foco, sive componendo membra victimæ comburendæ.

Richardus de S. Victore, licet Ribera hoc ostiolum neget : Quia, inquit, poterat craticula sursum extrahi, et tunc arulæ ejus ligna imponi. Sed hoc difficile et molestum fuisset, præsertim cum craticulæ jam impositæ erant victimæ ; sæpius enim iisdem victimis subjicienda erant ligna, ut illæ totæ cremarentur : unde et sæpius in eadem victima oportuisset craticulam eximere.

Rursum, in arula hac erant quatuor annuli ænei, quibus duo vectes inserebantur, ad eam cum craticula seorsim a tabulis altaris portandam. Erant autem hi annuli in quatuor infimis arulæ extremitatibus, ideoque hic vers. 5, dicuntur esse subter arulam.

Ligna partim arulæ, partim craticulæ imponebantur.

Hinc patet non esse verum quod censuit Abulensis et Vilalpando, lib. IV *De Templo,* cap. LXXXI, scilicet, ligna ipsa non arulæ seu foculo, quem ipsi negant, sed altari sive craticulæ superne imponi, eisque carnes victimæ cremandas superponi debuisse. Ex dictis enim constat ligna fuisse imposita igni, qui erat sub altari in arula : non tamen nego ligna etiam ipsi altari sive craticulæ imposita fuisse, præsertim si victima esset magna, eaque ob victimarum multitudinem cito cremanda et consumenda esset; nec enim ignis per rete craticulæ refractus et retusus sat habebat virium ad victimas majores statim comburendas; satis autem virium habebat ad holocaustum juge vespertinum consumendum : hoc enim tota nocte lento igne cremari debebat, uti patet *Levit.* VI, 9.

Denique, circa altare hoc erat maxima multitudo sacerdotum et Levitarum, præsertim in festis, cum multæ immolandæ essent victimæ. Alii enim eas mactabant, alii excoriabant, alii secabant, alii lavabant, etc., sed miro omnes silentio et reverentia. Audi Aristæam, lib. *De Septuaginta Interpretibus* : « Silentium vero tantum inest, ut, cum septingenti fere ministrorum continuo adsint, et offerentium libamina multitudo sit ingens, nec unum quidem hominem in loco versari putes : summa namque veneratione cuncta et magna Dei pietate perficiuntur. »

Silentium et reverentia sacrificantium.

Vers. 8. 8. CAVUM INTRINSECUS FACIES. — Ut scilicet in hac altaris cavitate, interius sit locus pro igne et lignis, ad cremandas carnes craticulæ superpositas. Intellige altare hoc fuisse cavum usque ad sui medium : nam inde usque ad pavimentum plenum erat terra, vel potius lapide insecto, uti jam dixi.

Vers. 9. Atrii tabernaculi descriptio. Primo, atrium ambiebat tabernaculum.

9. FACIES ET ATRIUM TABERNACULI. — Nota : Atrium hoc factum est, ut undequaque ambiret tabernaculum et altare holocaustorum, tum ornatus, tum reverentiæ causa. Tabernaculum ergo consistebat in medio atrii, quasi habitaculum gloriæ Dei inter homines conversantis, eosque exaudientis et dirigentis, ut hac præsentia et provida gubernatione invitati Hebræi, solum Deum verum colerent et ab idololatria abstinerent.

Secundo, erat sub dio. Atrium quasi αἴθριον.

barus in Vitruvium, lib. VI, cap. v; unde Vilalpando, lib. III *De Templo,* cap. XXV, pag. 201, atrium dictum putat a græco αἴθριον, quasi dicas, Aereum, in aere, sub dio : licet alii atrium dici velint eo quod a terra oriatur, quasi aterreum vel aterium; alii vero, quod Atriæ in Etruria primum atria ante ædes constructa fuerint. Hoc tamen atrium a lateribus per circuitum ambiebatur tentoriis, id est velis vel aulæis ex bysso retorta factis, hæcque vela erant instar murorum, vel parietum ipsi atrio. Porro suspensa erant hæc vela ex columnis æneis, quæ vestitæ erant argenteis laminis, et capitibus argenteis, basibus vero æneis.

Vela atrii.

Tertio, atrium longum erat cubitos 100, latum 50, altum 5.

Tertio, atrium erat quadratum, vel potius quadrangulum; erat enim longum 100 cubitis, latum 50, altum 5, ut patet vers. 18; cingebatur sexaginta columnis æneis, puta 20 a latere Meridiano, 20 ab Aquilonari, 10 ab Occidente et 10 ab Oriente; una vero columna distabat ab alia 5 cubitis : porro in columnis eminebant paxilli, id est clavi, e quibus tentoria, id est vela, suspendebantur, uti dixi.

Quarto, atrium erat templum populi.

Quarto, atrium in ingressu habebat, inquit Philo et Abulensis, 50 cubitos longitudinis usque ad tabernaculum, et totidem latitudinis, ut caperet populum. Erat enim hoc atrium locus orationis populi : unde ab Evangelistis et a Josepho vocatur templum. In hoc enim atrio versatus est et docuit Christus, ex eoque vendentes et ementes ejecit : nec enim Christus unquam ingressus est tabernaculum, vel Sanctum; hoc enim solis sacerdotibus Aaronicis ingredi licebat. In hoc ergo atrio laici orabant, offerebant sacerdotibus suas victimas, spectabant sacrificia, et ex iis epulabantur, comedentes victimas pacificas coram Domino, id est coram tabernaculo, quod erat quasi domus Dei, ut patet *Deuter.* XII, 7, et cap. XVI, vers. 11; nunquam enim laici accedere poterant ad atrium sacerdotum, ac consequenter nec ad altare holocaustorum quod in eo erat. Denique ad ostium hujus atrii puerperæ, leprosi aliique immundi lustrabantur et expiabantur.

Quinto, in atrio erat labrum et altare holocaustorum.

Quinto, in atrio hoc erat labrum æneum et altare holocaustorum, in quo omnes victimæ immolabantur.

Sexto, atrium erat duplex : primum, sacerdotum; secundum, laicorum.

Sexto, tabernaculum unum tantum habebat atrium, in quo tamen verisimile est sacerdotibus et Levitis proprias stationes fuisse assignatas, juxta altare holocaustorum. Unde in templo Salomonis, ubi hæc omnia pulchrius fuerunt ordinata, duplex erat atrium, unum interius juxta tabernaculum, ubi erat altare holocaustorum, labrum æneum, et statio sacerdotum; secundum exterius laicorum, quod a priori atrio sacerdotum Salomon distinxit muro alto tres cubitos, ita ut laici ex suo atrio ultra hunc murum prospicere possent in atrium sacerdotum, ac videre sacrificia quæ ibi peragebantur in altari holocaustorum, non tamen illud ingredi.

Septimo, immundi atrium ingredi non poterant.

Septimo, nulli Gentilium vel immundorum licitum erat hoc atrium intrare sub pœna mortis; erat enim atrium quasi templum populi, unde pro Gentilibus et immundis Herodes aliud atrium extimum ædificavit et addidit, ut ipsi eminus possent interesse sacris et sacrificiis. Addit Vilalpando *in Ezech.* tom. II, pag. 243, in templo Salomonis altare holocaustorum constitutum fuisse e regione trium portarum atrii: quia erat, inquit, in medio atrio, ita ut aperta qualibet porta, Orientali, Meridionali, Aquilonari, ipsum altare et holocausta conspicerentur a populo per tres hasce portas, et consequenter a Gentilibus ex suo atrio, quod habebat tres portas, tribus portis atrii sacerdotum et populi ex æquo respondentes.

Mystice, atrium sunt incipientes viam virtutis, hi egent labro pœnitentiæ et altari mortificationis.

Mystice, atrium significabat fideles incipientes Deo servire, Sanctum proficientes, Sanctum sanctorum perfectos et beatos: unde in atrio erat labrum sive lavacrum, id est pœnitentia; et altare holocausti, id est mortificatio vitiorum. Ita Beda. Vide dicta cap. XXVI, vers. 1.

Morale, de stadio et studio virtutis.

Atrium ergo hoc, est stadium et studium virtutis. « In hac vita, ait S. Augustinus, epist. *ad Macedon.*, virtus non est, nisi diligere quod diligendum est : id diligere, prudentia est; nullis inde averti molestiis, fortitudo est; nullis illecebris, temperantia est; nulla superbia, justitia est. » Et S. Ambrosius in *Psalm.* CXVIII : « Nulla, ait, sine labore virtus est, quia labor est processus virtutis. »

Stimulus est, quem dat Seneca : « Una, inquit, res est virtus, quæ nos immortalitate donare possit, et pares diis facere. » Virtutis ergo præmium est beata vita : nec sine virtute aliquem posse effici beatum, docuerunt Stoici. Unde Horatius, lib. III, *Ode* 2 :

> Virtus repulsæ nescia sordidæ,
> Intaminatis fulget honoribus.
> Virtus recludens immeritis mori
> Cœlum, negata tentat iter via.

Et Ovidius, lib. IV *Trist.* eleg. 3 :

> Materiamque tuis tristem virtutibus imple,
> Ardua per præceps gloria vadit iter.
> Hectora quis nosset, felix si Troja fuisset?
> Publica virtutis per mala facta via est.

Via ad virtutem.

Via ad virtutem est exercitatio. Unde Hesiodus :

> Ante virtutem dii sudorem posuerunt :
> Longa et ardua via ad ipsam, atque aspera primum;
> Postquam ad summum perveneris, facilis deinde erit.

Et Aristoteles, II *Ethic.* I : « Non a natura, ait, neque præter naturam in nobis insunt virtutes; sed nati factique sumus ad eas, et percipiendas natura, et efficiendas consuetudine; » et cap. III : « Virtus moralis omnis inhæret voluptatibus ac doloribus, » hisce tolerandis, illis moderandis. Et lib. I, cap. X : « Nulla, ait, in re mortalium tanta inest firmitas, ut in iis rebus quæ virtute geruntur : multo enim scientiis ipsis sunt firmiores et stabiliores; quarum ut quæque præstantissima est, ita stabilis maxime. »

Pythagoræ vox est : « Optima vita nobis est deligenda, quam mox suavem efficiet ipsa consuetudo. Divitiæ anchora sunt infirma, gloria etiam infirmior, corpus itidem, magistratus, honores : omnia hæc imbecilla sunt, et viribus destituta. Quæ ergo anchoræ sunt firmæ? Prudentia, magnanimitas, fortitudo; eas nulla tempestas agitat. Hæc Dei est lex, virtutem solam esse, quæ potens solidaque sit : cætera omnia nugas esse et ineptias. » Tacitus, lib. IV *Annal.*: « Virtus, ait, est proprium hominis bonum. » Curtius, lib. VII : « Nihil, ait, tam alte natura constituit, quo virtus non possit eniti. » Stoicorum dogma est, « nihil esse expetendum præter virtutem, nihil fugiendum præter vitium. »

Theodata meretrix Socrati insultans : « Ego, ait, multum te antecello. Nam cum tu neminem ex meis a me possis abalienare, ego cum libitum est, tuos omnes ad me voco. » Cui Socrates : « Non mirum est hoc : tu siquidem ad declivem tramitem omnes rapis, ego vero ad virtutem cogo, ad quam arduus et plerisque insolitus est ascensus. »

Idem respondit Thomas Morus Luthero jactanti suorum asseclarum copiam.

Antisthenes aiebat virtutem esse rem operum, non verborum.

Virtus ex viro appellata est, ait Cicero; virilis ergo animus viros et virtutem decet.

Agapetus Diaconus apud Justinianum : Sicut, ait, qui scalas conscendere cœperunt, non prius desistunt ab ascensu, quam supremum attigerint gradum : sic virtutis studiosus semper altius scandere conabitur.

Philo, lib. *De Plant. Noe* : Sicut, ait, oriens sol totum cœlum radiis illustrat : sic etiam virtutes suis in homine radiis, ubi mentem totam penetrarint, eam efficiunt lucidissimam. Idem, lib. I *Allegor.* : Sicut, ait, in animali prima pars est caput; secunda, pectus; tertia, inguen : et in anima, prima pars est rationalis; secunda, irascibilis; tertia, concupiscibilis : ita virtutum prima est prudentia, quæ caput et rationem dirigit; secunda, fortitudo, quæ iram componit, et pectus stabilit; tertia, temperantia, quæ circa inguen et partem concupiscibilem occupatur.

Hæc Gentiles et Judæi de virtute morali et naturali; quid Christianus jam dicet de virtute divina et supernaturali, quæ opus est gratiæ Dei? sine hac enim nemo tendere potest ad Sanctum sanctorum in cœlis.

Jam ad textum veniamus, et difficultates quæ in littera occurrunt, explicemus.

TENTORIA. — Ita passim hic vocantur vela vel aulæa, quibus circumquaque tegebatur hoc atrium. Unde Septuaginta vertunt *aulæa.*

10. ET COLUMNAS VIGINTI CUM BASIBUS TOTIDEM Vers. 10.

ÆNEIS. — Hebraice, *et columnas viginti, et bases viginti ex ære,* scilicet facies. Nam columnæ atrii erant non ligneæ, sed æneæ, uti et bases. Unde non exprimitur hic alia earum materia, quam æs; in columnis vero tabernaculi exprimitur alia earum materia, scilicet ligna setim, ut patet cap. XXVI, vers. 32 et 37. Ad hæc, æneas fuisse atrii columnas, non ligneas expresse docet noster Interpres in fabrica tabernaculi, cap. XXXVIII, vers. 10 et 12. Fallitur ergo Philo, qui ait has columnas factas esse ex cedro, sic et tabulas tabernaculi ex cedro factas esse asserit : putat enim ipse setim esse cedrum.

Sicut ergo inter Sanctum et Sanctum sanctorum, erant quatuor columnæ de lignis setim inauratis, sustinentes velum tegens Sanctum sanctorum ; rursum, sicut in ingressu Sancti sive tabernaculi, erant quinque similes columnæ, sustinentes velum tabernaculi : ita circum tabernaculum et atrium fieri hic jubentur 60 columnæ æneæ, puta 20 a latere Meridiano, et 20 ab Aquilonari, 10 ab Occidente, et 10 ab Oriente, quibus vela suspendantur, quæ atrium instar murorum ambiant et sepiant.

Columnæ atrii sexaginta.

QUÆ CAPITA CUM CÆLATURIS HABEBUNT ARGENTEA. — Hebr. et Chald., *argentea erunt capita columnarum cum cincturis*, vel *circulis*, qui scilicet circa columnas filis argenteis ducentur : nam Hebræum ו *vau* clavum capitatum, vel caput clavi significat; unde et litteræ *vau* nomen est inditum. Nec repugnant Septuaginta, qui vertunt : καὶ οἱ κρίκοι αὐτῶν, καὶ αἱ ψαλίδες τῶν στηλῶν περιηργυρωμέναι ἀργυρίῳ, quod mirum est Complutensia biblia vertere, *et fibulæ earum, et forcipes earum erunt deargentatæ argento :* κρίκος enim circulus est, quem Noster vocat cælaturam; ψαλίδες vero apud Vitruvium sunt prominentes seu frontati lapides, seu id quod in fornice aut domo prominet, quomodo a simili forma prominentia columnarum capita vocant Septuaginta. Sic ergo verto Septuaginta, *et circuli columnarum, et prominentia earum capita deargentata erunt argento,* quod idem est cum eo quod habent Hebræa, Chaldæa et Noster. Cælaturæ ergo hæ non erant incisiones aut insculpturæ, sed laminæ tenues, aut fila ambientia et gyrantia tum capita columnarum, tum corpus earum et bases; hoc enim significat Græcum κρίκοι, et Hebræum חשוקים *chascukim*, ut patet cap. XXXVIII, vers. 10 et 12. Ita Abulensis (1).

Vers. 11. 11. SIMILITER ET IN LATERE AQUILONIS (quod est latus longitudinis atrii, æque ut latus Meridianum illi oppositum) PER LONGUM ERUNT TENTORIA (vela ex bysso) CENTUM CUBITORUM. — Longitudo enim atrii erat centum cubitorum : unde vela ejus extendebantur 100 cubitis in longum, tam parte Australi, quam Aquilonari. Ea enim parte spectabatur ejus longitudo, sicut latitudo ejus spectabatur a parte Orientali et Occidentali; fuit ergo atrium quadrangulum : nam longitudo ejus erat dupla ad latitudinem. Erat enim longum 100 cubitis, latum vero 50. Asserit Josephus tabernaculum in medio atrii fuisse collocatum, quod aliqui præcise de medio geometrico intelligunt, ac proinde censent tabernaculum a parte longitudinis habuisse ante se, puta ad Orientem, 35 cubitos atrii; post se ad Occidentem habuisse totidem cubitos ex atrio : bis enim 35 faciunt 70, quæ addita ad 30 cubitos, quibus longum erat ipsum tabernaculum, faciunt cubitos 100, quæ erat longitudo totius atrii.

Verum quia 35 cubiti post tabernaculum fere fuissent frustra, et accidissent valde spatium anterius atrii, quo fere confluebat populus ad sacra et sacrificia, quæ fiebant ante tabernaculum in hac anteriori sive Orientali parte atrii : nec enim spatium 35 cubitorum capere poterat tantum populum; hinc verisimilius est quod ait Philo, Abulensis et alii, tabernaculum æquali spatio distasse a tribus atrii partibus, videlicet a duobus atrii lateribus, et a tergo. Id spatium erat 20 cubitorum; ergo a parte anteriori habebat tabernaculum ante se atrium non 35, sed 50 cubitorum, quod ingentem capiebat populum. Adde enim ad hos cubitos 50 atrii, 30 cubitos longitudinis ipsius tabernaculi, ac denique 20 cubitos atrii post tabernaculum, complebis cubitos centum, quæ erat longitudo totius atrii.

Atrium ante tabernaculum habebat 50 cubitos in longitudine.

Rursum tabernaculum in latere Aquilonari distabat ab atrii columnis et ambitu viginti cubitis, et totidem in Australi; adde enim his 40 cubitis atrii, qui utrimque ex vicenis consurgunt, 10 cubitos latitudinis ipsius tabernaculi, complebis 50 cubitos, quæ erat latitudo totius atrii.

Nota : Quælibet columna atrii cum suo velo alta erat quinque cubitos, ut patet vers. 18; tabernaculum vero erat duplo altius : erat enim altum decem cubitos, idque ut esset in conspicuo, et eminus extra atrium conspici posset.

Tropologice Rupertus : Sexaginta, inquit, atrii columnæ, puta 20 ab Austro, 20 ab Aquilone, 10 ab Oriente, et 10 ab Occidente significant laborem assiduum et constantem in observandis Dei præceptis, quibus ad cœlum tendimus. Sex enim significant tempus præsentis vitæ, 10 Decalogum (sexies autem decem faciunt 60, qui est numerus columnarum atrii), cujus perfecta observatione per totam vitam nostram, ad futuram in cœlis gloriæ perfectionem perveniemus.

Tropologice, columna est laboris constantia.

Qui ergo eo, et ad apicem virtutis contendit, laboret et sit constans ut columna, juxta illud Horatii lib. III *Carm.* :

> Justum et tenacem propositi virum,
> Non civium ardor prava jubentium,
> Non vultus instantis tyranni,
> Mente quatit solida,
> Nec fulminantis magna manus Jovis.

(1) ווים Videntur esse *unci* in capite columnarum, quibus hærebant *virgæ* sive *perticæ* (חשוקים, gall. *tringles*, vel *traverses*), conserentes columnas, et aulæa sustinentes.

Constantia enim opus est ad vincendum, *primo*, innatam nobis animi mollitiem, et pronitatem ad voluptuosa; *secundo*, ad superanda ardua, difficultates et tentationes, quæ in operibus virtutum, præsertim heroicis occurrunt; *tertio*, requiritur constantia ad perseverantiam. Multi enim bene incipiunt, sed sensim languescunt.

Diogenes, teste Laertio, libro VI, cuidam monenti, ut jam senex quiesceret a laboribus : « Quid, inquit, si in stadio currerem, utrum oportet, an metæ vicinum cursum remittere, an magis intendere? » *q. d.* Non debeo refrigescere, cum ad finem vitæ et agonis accedo, sed magis accendi.

Constantiæ speculum fut Cato Uticensis, quem cum rebus deploratis amici hortarentur, ut ad Cæsaris clementiam confugeret, respondit : « Eorum qui victi sunt, et qui deliquerunt, est supplicare; Cato nec victus, nec captus est, qui se per omnem vitam invictum præstitit, ac Cæsarem honestate et justitia longe superavit. »

Et Socrates, qui ad mortem damnatus, ad judices conversus : « Parendum, ait, magis est Deo immortali, quam vobis. Itaque quamdiu spirabo, a philosophando, et vos admonendo non desistam. » Ejus hæc erat sententia : « Sicut statua vel columna basi, ita vir bonus instituto innixus honesto, nullatenus dimoveri debet. » Unde Xantippe, uxor Socratis, de eo prædicabat, quod semper vidisset illum eodem vultu revertentem domum, quo exierat.

Theodorus Lysimacho minitanti mortem crudelissimam : « Minitare, ait, hæc purpuratis tuis; Theodori quidem nihil interest, humine an in cruce putrescat. »

Seneca : « Bonus, ait, vir est, qui eousque perducit affectu animum, ut non tantum peccare non velit, sed etiam non possit. »

Anaxarchus, cum a Nicocreonte Cypri tyranno in saxo concavo tunderetur, infracto animo, ait : « Tunde, tunde, Anaxarchi vasculum; at Anaxarchi constantiam non teres. »

Zeno dicebat, « facilius esse utrem inflatum mergere, quam quemvis probum virum invitum ad aliquid agendum cogere. Nam invictus animus rectæ rationis placitis confirmatus, cedit nemini. »

Capta ab Alarico Roma, Gothus mulierem valde pulchram ad sui obsequium et amorem invitavit. Ubi vero eam studio pudicitiæ libidini suæ reluctari conspexit, strictum gladium jugulo intentavit, ac demum etiam feriit. Cum virgo tota sanguine perfusa, ne sic quidem de sententia cederet, tum constantiam admiratus, ad basilicam S. Petri adduxit, ac datis sex alimoniæ causa nummis aureis, eam templi custodibus commendavit. Ita Sigonius, lib. X *Imper. Occid.*

Nota est constantia SS. Vicentii, Laurentii, Ambrosii, Athanasii, Antonii, Hilarionis, Luciæ, Agnetis, Mathathiæ, Machabæorum, etc.

S. Chrysostomus, homil. 77 *in Matth.* : « Semper, ait, stare, et nunquam cecidisse, divinum est atque mirabile. »

S. Nazianzenus, orat. *De Seipso* : « Ego, ait, ille idem sum, nec immutor, uti polypi a petris quibus adhærent. »

S. Cyprianus, lib. IV, *epist.* 3 : « Decet graves viros, semel super petram robustam solida stabilitate fundatos, non dico aura levi, sed nec vento, nec turbine commoveri. »

S. Anselmus in *Similitud.* cap. CLXXIII : « Quadratus, ait, lapis sex æqualia habet latera; in quod horum ceciderit, firmiter stabit. Sic providendum est viro justo, ut in suo persistat proposito. Hujus autem latera sex hæc sunt : prosperitas, adversitas, sui libertas, subjectio, in secreto esse, et in publico; in quibus singulis, si a diabolo impellatur, stet, nec a proposito moveatur. » Nunc redeamus ad columnas atrii.

Idem quod columnæ, significant 50 cubiti latitudinis atrii : significat enim quinquagenarius numerus initia credentium, quæ in remissione peccatorum et spe futuræ beatitudinis celebrantur. Idem significant 100 cubiti longitudinis atrii : nam centenarius, qui ex denario in se ducto consurgit (decies enim decem faciunt centum), qui duplus est ad 50, vitæ cœlestis habet figuram : unde Noe centesimo anno perfecit arcam; centenario Abrahæ nascitur filius promissionis Isaac; Abraham centenarius peregrinatur in terra promissionis; Isaac centuplum seminis in Geraris, id est in peregrinatione, jacti accepit : sic Christus relinquentibus temporalia promisit centuplum, id est gaudium amplum ex fraterna societate, et ex spe vitæ cœlestis nunc, et tunc, puta in cœlo, gaudium immensum ex possessione regni cœlestis. Centum ergo cubitos habet atrium, quia qui Ecclesiæ filii sunt, necesse est ut pro æterna in cœlis vita, laborem in se patientiæ et continentiæ temporalis assumant. Ita Beda.

Centenarius symbolum est vitæ cœlestis.

Ita S. Franciscus, rogatus quomodo tam tenui veste hiemale frigus et gelu toleraret, respondit : « Si supernæ patriæ flamma per desiderium contegeremur, facile nos ab hoc frigore tueremur. » Et S. Dorothea a Fabricio præfecto torta, cum ad capitale supplicium duceretur : « Gaudeo, ait, me ad sponsum pergere, cujus paradisus omnium florum ferax amœnius vernat, quam dici possit. » Unde et ex hoc paradiso, post mortem rosas, Theophilo eas poscenti, in februario misit, itaque eum ad Christum convertit. Vis esse perfectus? vis esse cœlestis? cœlestia cogita, quæ sursum sunt sapias, Dei voluntatem adimple. Porro « voluntas Dei, quam Christus et fecit et docuit, est humilitas in conversatione, stabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis justitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina, injuriam facere non nosse, et factam posse tolerare, cum fratribus pacem tenere, Deum toto corde diligere; amare in illo quod pater est, timere quod domi-

nus est; Christo nihil omnino præponere, quia nec nobis quidquam ille præposuit, » ait S. Cyprianus, tract. *De Orat. Domini.*

Vers. 13. 13. IN EA QUOQUE ATRII LATITUDINE QUÆ RESPICIT AD ORIENTEM, QUINQUAGINTA CUBITI ERUNT.—Sensus hujus versus et sequentium usque ad 17 hic est: Sicut longitudo atrii erit centum, sic latitudo erit 50 cubitorum, idque undique, tam ad Occidentem, ut dixi versu præced., quam ad Orientem, uti hic dico. Hi 50 latitudinis cubiti in atrio ante tabernaculum, puta in Orientali parte atrii, per suas columnas et vela quæ illam cingunt, ambiunt et terminant, ita distribuentur, ut 20 mediis cubitis pateat ingressus et aditus ad atrium et tabernaculum; reliqui triginta ita dividentur utrimque, ut 15 ad Austrum, totidem ad Aquilonem cum tribus utrimque columnis et basibus relinquantur. Hinc sequitur, inter singulas columnas 5 cubitos, seu velum 5 cubitorum fuisse interjectum. Erant enim decem columnæ in latitudine atrii : quinquies autem decem faciunt quinquaginta, quæ erat latitudo atrii.

Vers. 16. 16. IN INTROITU VERO ATRII FIET TENTORIUM CUBITORUM VIGINTI EX HYACINTHO, ET PURPURA, COCCOQUE BIS TINCTO, ET BYSSO RETORTA; COLUMNAS HABEBIT QUATUOR. — Hic describitur introitus et quasi porta atrii, quæ proinde splendidior erat. Habebat enim velum picturatum ex bysso, purpura, cocco et hyacintho, cum reliqua atrii vela essent ex nuda bysso. Hic ingressus habebat quatuor columnas, in quibus hoc velum appendebatur, ac proinde erat 20 cubitorum : quæque enim columna ab alia distabat 5 cubitis, ut dixi; inter has quatuor columnas, tres, ut patet, interceptæ erant viæ, quibus reducto, vel elevato velo, patebat ingressus in atrium.

Introitus tabernaculi descriptio

Vers. 17. 17. OMNES COLUMNÆ ATRII PER CIRCUITUM VESTITÆ ERUNT ARGENTEIS LAMINIS. — Non quasi hisce laminis totæ columnæ operirentur, uti arca, mensa et tabulæ tabernaculi aureis laminis omnino tegebantur; sed quod tenuibus argenti laminis, instar filorum, columnæ hæ circumdarentur in gyrum, spatio medio inter gyros vacuo relicto, quod est quasi opus interrasile, diciturque cælatura, uti passim hic noster Interpres illud nominat : hoc enim significat Hebræa חשוק *chascuc*, quo nomine non est usus Moses in laminis arcæ, mensæ et tabularum : ibi enim usus est verbo צפה *tsippa*, quod regere vel obtegere significat. Ita Abulensis (1).

Vers. 18. 18. ET HABEBIT BASES ÆNEAS. — Josephus, lib. III, cap. V, ait has bases æneas fuisse mucronatas, imæ hastæ similes, itaque per hanc suam aciem fuisse in terram defixas.

Vers. 19. 19. ET CÆREMONIAS.—Hebraice, *in omnem cultum*, sive *ministerium cæremoniale ad colendum Deum.* Sic Noster accipit nomen *cæremoniæ*, cap. XXXVIII, vers. 21; alias fere hoc nomen *cæremoniæ* significat præcepta cæremonialia, quæ ritum colendi Deum ex placito ipsius Dei præscribunt.

TAM PAXILLOS EJUS, QUAM ATRII, EX ÆRE FACIES. — Paxilli, id est clavi, qui ad hoc tam in atrio, quam in tabernaculo facti sunt, ut infixi columnarum summitatibus foras eminerent, et impositis sibi velorum vel cortinarum funibus, sic ea levantes a terra suspenderent. Addit Josephus factos etiam esse annulos, quibus innecterentur funes, qui clavis aureis cubitalibus humi confixi columnas firmarent, et contra ventorum vim tabernaculum munirent.

20. AFFERANT TIBI OLEUM DE ARBORIBUS OLIVARUM PURISSIMUM, PILOQUE CONTUSUM. — Nota τὸ *contusum, q. d.* Non molitum, quod amurca et fæce plenum est, sed vel sponte fluens, vel certe pili tunsione ex olivæ sola carne, vel pulpa expressum.

Vers. 20. Olei lucernarum descriptio.

20 et 21. UT ARDEAT LUCERNA SEMPER IN TABERNACULO TESTIMONII. — Pro *testimonii*, hebraice est מועד *moed*, quod *primo*, testimonium significat, sicut העיד *heid*, a quo deducitur, testari significat. *Secundo*, proprie et genuine *moed*, significat conventum, congregationem, cœtum, ecclesiam, a radice יעד *iaad*, id est convenire. Dicitur ergo tabernaculum *moed*, id est conventus, eo quod ibi Deus conveniret Mosen, et cum eo loqueretur, ut patet cap. XXV, vers. 22, et cap. XXIX, vers. 42. Noster Interpres vero *moed* vertit *testimonium*, vocatque *tabernaculum testimonii*, eo quod tabernaculum contineret legem, quæ erat testimonium voluntatis et fœderis divini.

Vers. 20 et 21. Tabernaculum *moed*, id est testimonii, vel conventus.

21. EXTRA VELUM QUOD OPPANSUM EST TESTIMONIO. — « Testimonio, » id est arcæ continenti testimonium, id est legem, sive tabulas legis. Hinc Œcumenius in cap. IX *ad Hebræos*, et Elias Cretensis, in orat. 3 *De Theologia* Gregorii Nazianzeni post initium, tria numerant tabernacula, primum extimum, puta atrium, quod clausum erat cortinis per latera, sed superne patens, de quo hoc capite egit Moses, quod ab Apostolo, *Hebr.* IX, 1, putant vocari *Sanctum sæculare*, sive ut græce est, κόσμικον, id est mundanum, eo quod omnibus commune erat, inquit Chrysostomus : in hoc erat æneum altare holocaustorum sub dio. Secundum tabernaculum erat Sanctum, quod erat quasi templum Sacerdotum, quod Apostolus vocat tabernaculum primum : hoc undique clausum erat, et nexum Sancto sanctorum : in hoc erat candelabrum, altare thymiamatis et mensa panum propositionis. Tertium tabernaculum erat Sanctum sanctorum, soli pontifici patens : in illo erat arca cum propitiatorio et Cherubim; item urna cum manna et virga Aaronis. Verum hac de re dixi *ad Hebr.* IX, 1.

Vers. 21. Tabernacula tria, quæ?

USQUE MANE LUCEAT CORAM DOMINO. — Hinc patet de die non arsisse lucernas in candelabro, licet id putent Cajetanus et Lipomanus, sed tantum de nocte; quare quod paulo ante dixit : « Ut

(1) Pro *vestitæ*, alii hebr. vertunt *consertæ*, argento scil., id est, perticis argenteis. Cf. notata vers. 10.

Nocte ardebant lucernæ, mane extinguebantur.

ardeat lucerna semper, » id hic explicat, ut « semper » idem sit quod singulis noctibus; vespere ergo accendebant sacerdotes lucernas, ut tota nocte arderent; mane vero eas extinguebant, mundabant, componebant, et oleum infundebant. Id ita esse patet tam ex hoc loco, quam *Levit.* cap. XXIV, 3, et II *Paralip.* cap. XIII, 11, et I *Reg.* III, 3. Ita Abulensis, Oleaster et alii.

Josephus tamen, lib. III *Antiq.* cap. IX, asserit sacerdotem mane extinxisse quatuor lucernas, et permisisse tres reliquas ardere; vespere vero rursum quatuor, quas mane extinxerat, accendisse, ita ut omnes septem lucerent per noctem. Favere videtur huic sententiæ, quod tabernaculum tam per diem, quam per noctem undique obvelatum erat, nec haberet fenestram, per quam lumen admitteret; ergo videtur opus habuisse etiam per diem lucerna aliqua ardente.

Verum hoc non adeo certum est : nec enim Josephus vidit hoc tabernaculum, sed templum; et Scriptura tribus quatuorve locis jam citatis, nullam lucernæ alicujus per diem lucentis facit mentionem, sed simpliciter et constanter asserit lucernam vespere fuisse accensam, et luxisse usque ad mane; quo satis innuit, mane fuisse extinctam, et per lucernam intelligit non unam, sed omnes septem, ut videtur, quæ erant in candelabro. Jam enim ante dixi tabernaculum admisisse lumen per velum anterius reflexum, et aliquousque elevatum : hoc enim velum erat loco ostii in tabernaculo.

Dices : Josephus, lib. VIII *Antiq.* cap. II, ait Salomonem fecisse candelabrum unum quod interdiu arderet.

Respondeo, Græce pro *interdiu*, est κατ' ἡμέραν, quod verbotenus significat *per diem*, id est quotidie, quod verum est, quia quotidie per noctem ardere debebat lucerna : alioqui enim Josephus Scripturæ omnino foret contrarius, cum dicat ex legis præscripto id fieri debuisse : Scriptura enim nusquam præcipit ut per diem accendatur lucerna; imo hic et alibi tantum per noctem eam accendi jubet.

In Sancto ergo tantum nocte ardebant lucernæ, Mystice. eæque omnes ad mysterium, ut scilicet significaretur, quod lucernæ vivæ, id est doctores et sacerdotes, sola nocte hujus sæculi, id est in Ecclesia hac, rudiores illuminent (hinc dixit Plato, « Viros bonos non longa vita, sed clara et illustri opus habere ») ; nam in die æternitatis, cum erimus in Sancto sanctorum, nulla erit lucerna, non sol, non luna; sed lucerna ejus est Agnus *Apoc.* cap. XXI, vers. 23. Qua de causa etiam in Sancto sanctorum positum non erat candelabrum; sed omnia ibi erant obscura, ut Deum ibi loquentem tegerent, et significarent nos futuram in cœlo gloriam hic per tenebras et ænigmata tantum contemplari. Ita Beda, lib. III *De Tabernaculo*, cap. I, et Radulphus, lib. XVII *in Levit.* cap. IV.

PERPETUUS ERIT CULTUS. — Ritus hic accendendi vespere lucernas erit perpetuus, intellige in lege et religione vestra, quia omni tempore legis et judaismi durabit; unde additur, « per sucessiones eorum, » scilicet sacerdotum Aaronicorum, qui a filiis Israel jugiter recipiant oleum ad accendendas quotidie lucernas.

Mystice, populus offert oleum, id est, conscientiam puram, fœcundam et devotam, ut eam sacerdotes igne charitatis et lumine cœlesti accendant. Ita Beda.

CAPUT VIGESIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describuntur vestes pontificis, et vers. 40, *minorum sacerdotum, scilicet primo, ephod, vers.* 6. *Secundo, rationale cum duodecim gemmis, vers.* 15, *in quo erat doctrina et veritas, vers* 30. *Tertio, tunica hyacinthina, in qua erant mala punica et tintinnabula, vers.* 31. *Quarto, tiara cum lamina aurea, cui inscriptum erat :* Sanctum Domino, *vers.* 36. *Quinto, tunica linea cum balteo, vers.* 39. *Sexto, femoralia, vers.* 42.

1. Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filiis suis de medio filiorum Israel, ut sacerdotio fungantur mihi : Aaron, Nadab, et Abiu, Eleazar, et Ithamar. 2. Faciesque vestem sanctam Aaron fratri tuo in gloriam et decorem. 3. Et loqueris cunctis sapientibus corde, quos replevi spiritu prudentiæ, ut faciant vestes Aaron, in quibus sanctificatus ministret mihi. 4. Hæc autem erunt vestimenta quæ facient : Rationale, et superhumerale, tunicam et lineam strictam, cidarim et balteum. Facient vestimenta sancta fratri tuo Aaron et filiis ejus, ut sacerdotio fungantur mihi; 5. accipientque aurum, et hyacinthum, et purpuram, coccumque bis tinctum, et byssum. 6. Facient autem superhumerale de auro et hyacintho et purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta, opere polymito. 7. Duas

oras junctas habebit in utroque latere summitatum, ut in unum redeant. 8. Ipsa quo que textura, et cuncta operis varietas erit ex auro, et hyacintho, et purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta. 9. Sumesque duos lapides onychinos, et sculpes in eis nomina filiorum Israel : 10. sex nomina in lapide uno, et sex reliqua in altero, juxta ordinem nativitatis eorum. 11. Opere sculptoris et cælatura gemmarii, sculpes eos nominibus filiorum Israel, inclusos auro atque circumdatos; 12. et pones in utroque latere superhumeralis, memoriale filiis Israel. Portabitque Aaron nomina eorum coram Domino super utrumque humerum, ob recordationem. 13. Facies et uncinos ex auro, 14. et duas catenulas ex auro purissimo sibi invicem cohærentes, quas inseres uncinis. 15. Rationale quoque judicii facies opere polymito juxta texturam superhumeralis, ex auro, hyacintho, et purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta. 16. Quadrangulum erit et duplex : mensuram palmi habebit tam in longitudine quam in latitudine. 17. Ponesque in eo quatuor ordines lapidum : in primo versu erit lapis sardius, et topazius, et smaragdus ; 18. in secundo carbunculus, sapphirus, et jaspis; 19. in tertio ligurius, achates, et amethystus; 20. in quarto chrysolithus, onychinus, et beryllus: inclusi auro erunt per ordines suos. 21. Habebuntque nomina filiorum Israel : duodecim nominibus cælabuntur, singuli lapides nominibus singulorum per duodecim tribus. 22. Facies in rationali catenas sibi invicem cohærentes ex auro purissimo; 23. et duos annulos aureos, quos pones in utraque rationalis summitate : 24. catenasque aureas junges annulis, qui sunt in marginibus ejus; 25. et ipsarum catenarum extrema duobus copulabis uncinis in utroque latere superhumeralis quod rationale respicit. 26. Facies et duos annulos aureos, quos pones in summitatibus rationalis, in oris, quæ e regione sunt superhumeralis, et posteriora ejus aspiciunt. 27. Nec non et alios duos annulos aureos, qui ponendi sunt in utroque latere superhumeralis deorsum, quod respicit contra faciem juncturæ inferioris, ut aptari possit cum superhumerali, 28. et stringatur rationale annulis suis cum annulis superhumeralis vitta hyacinthina, ut maneat junctura fabrefacta, et a se invicem rationale et superhumerale nequeant separari. 29. Portabitque Aaron nomina filiorum Israel in rationali judicii super pectus suum, quando ingredietur Sanctuarium, memoriale coram Domino in æternum. 30. Pones autem in rationali judicii Doctrinam et Veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino ; et gestabit judicium filiorum Israel in pectore suo, in conspectu Domini semper. 31. Facies et tunicam superhumeralis totam hyacinthinam, 32. in cujus medio supra erit capitium, et ora per gyrum ejus textilis, sicut fieri solet in extremis vestium partibus, ne facile rumpatur. 33. Deorsum vero, ad pedes ejusdem tunicæ, per circuitum, quasi mala punica facies, ex hyacintho, et purpura, et cocco bis tincto, mixtis in medio tintinnabulis, 34. ita ut tintinnabulum sit aureum et malum punicum, rursumque tintinnabulum aliud aureum et malum punicum. 35. Et vestietur ea Aaron in officio ministerii, ut audiatur sonitus quando ingreditur et egreditur Sanctuarium in conspectu Domini, et non moriatur. 36. Facies et laminam de auro purissimo : in qua sculpes opere cælatoris, Sanctum Domino. 37. Ligabisque eam vitta hyacinthina, et erit super tiaram, 38. imminens fronti pontificis. Portabitque Aaron iniquitates eorum, quæ obtulerunt et sanctificaverunt filii Israel, in cunctis muneribus et donariis suis. Erit autem lamina semper in fronte ejus, ut placatus sit eis Dominus. 39. Stringesque tunicam bysso, et tiaram byssinam facies, et balteum opere plumarii. 40. Porro filiis Aaron tunicas lineas parabis et balteos ac tiaras in gloriam et decorem : 41. vestiesque his omnibus Aaron fratrem tuum et filios ejus cum eo. Et cunctorum consecrabis manus, sanctificabisque illos, ut sacerdotio fungantur mihi. 42. Facies et feminalia linea, ut operiant carnem turpitudinis suæ, a renibus usque ad femora : 43. et utentur eis Aaron et filii ejus

quando ingredientur tabernaculum testimonii, vel quando appropinquant ad altare ut ministrent in Sanctuario, ne iniquitatis rei moriantur. Legitimum sempiternum erit Aaron, et semini ejus post eum.

Vers. 1. 1. APPLICA QUOQUE AD TE AARON FRATREM TUUM CUM FILIIS SUIS. — Hebraice, *accedere fac ad te fratrem tuum cum filiis,* ut scilicet eos sacerdotes consecres, et vestibus sacerdotalibus induas (1). Vide hic vocationem divinam sacerdotum Leviticorum ad ministeria Dei; et quam nemo præsumere debeat tale officium, nisi qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Novatores vertiginis spiritu exciti non Deo vocante, sed sponte se ingerunt sacris.

Quod autem Moses fratrem suum sacerdotem ordinat, quid aliud mystice commendat, nisi quod omnes qui Aaron, id est sacerdotes et doctores esse volunt, tanto studio et amore debent meditationi divinæ legis (hanc enim repræsentat Moses legislator) inhærere, ut quasi germana videantur ei conjunctione devincti?

Allegorice. Allegorice, Aaron fuit typus Christi, qui est frater Mosis, quia Christus et Moses, id est testamentum vetus et novum, quasi fratres sibi assimilantur, conveniunt et respondent.

Vers. 2. 2. FACIESQUE VESTEM SANCTAM, — vestes sanctas, puta sacerdotales; est enallage numeri. Nota : Vestis sacerdotum dicitur sancta, quia oleo erat consecranda, Deique cultui dicanda, et a profanis usibus removenda, atque a solis sanctis, id est sacerdotibus Deo sanctificatis, id est consecratis, in loco sancto usurpanda.

Ritus vestiendi pontificem. Porro, hic inverso ordine numerantur et describuntur vestes sacerdotales : sic enim vestiebatur pontifex, ut patet *Levit.* cap. VIII. Primo induebat femoralia : super hæc injiciebat tunicam lineam, eamque zona stringebat : huic superinduebat tunicam hyacinthinam, super quam ephod cum rationali accingebat secunda zona : capiti imponebat tiaram, cui affixa erat lamina aurea, cum hac inscriptione : *Sanctitas Domino.*

IN GLORIAM ET DECOREM — sacerdotum et sacerdotalium munerum, uti in novo Testamento ornamenta sacerdotalia (fremant licet hæretici) eadem de causa recte cultui divino adhibentur. Nam, ut recte argumentatur B. Ivo Carnotensis, *epist.* 124, si in lege veteri ita ornatus fuit sacerdos : ergo multo magis in lege nova, oportuit sacerdotem uti sacris vestibus ad divinum cultum, ac præsertim ad consecrandum corpus et sanguinem Domini : hoc enim postulat decentia, æquitas et reverentia naturalis; et secus facere esset incivile, profanum, rusticum et barbarum.

Vestium sacerdotalium causæ. Fuit, et est alius quoque harum vestium usus, scilicet : *Primo,* ut sacerdos populi memoriam semper animo, ut vestibus, inscriptam gereret, pro eoque Dominum instanter deprecaretur. *Secundo,* ut per eas sacerdos justitiæ et sanctitatis, æque ac doctrinæ et studii legis, atque omnis officii sui admoneretur. Vide Bedam.

Vers. 3. 3. ET LOQUERIS CUNCTIS SAPIENTIBUS CORDE, QUOS REPLEVI SPIRITU PRUDENTIÆ, UT FACIANT VESTES AARON. — Sapientes corde hic vocantur periti artifices, puta sartores, phrygiones, gemmarii, etc., ut patet cap. XXXVI, vers. 1. Sapientia enim et prudentia confunduntur apud Hebræos, et latissime accipiuntur, ut etiam artem et peritiam mechanicam significent. Porro erant hi artifices Beseleel et Ooliab, eorumque administri, de quibus cap. XXXV, vers. 30.

Spiritus in Scriptura quid? SPIRITU PRUDENTIÆ, — id est prudentia a me aspirata. Spiritus enim hebraice cuivis habitui, actioni et rei vitali tribuitur per metaphoram, et fere connotat rem aliunde esse acceptam et aspiratam. Sic spiritus lenitatis est ipsa lenitas a Deo aspirata, *Galat.* cap. I, vers. 6; sapientiæ et intellectus, est ipsa sapientia et intellectus, *Eccli.* XV, 5. Sic *Isaiæ* cap. XI, septem dona Spiritus Sancti vocantur spiritus consilii, fortitudinis, timoris, pietatis, etc., id est consilium, fortitudo, timor, pietas donata et aspirata a Spiritu Sancto. Ita S. Cyprianus, libro I *Contra Judæos,* cap. XX; Hilarius in *Matth.* cap. XV; Nazianzenus, orat. *in Pentecosten;* Basilius, *Contra Eunomium,* serm. 5, cap. XIV; Augustinus, *Contra Faustum,* lib. XII, cap. XV.

Porro « prudentia » hic artem significat. « Spiritu ergo prudentiæ, » id est, arte fabricandi vel conficiendi has vestes sacras; quæ ars est donum Dei naturale, uti sunt et cæteræ artes; aliquando tamen est donum supernaturale infusum a Deo, uti hic accidisse satis innuitur cap. XXXV, vers. 30, ubi dicitur de Beseleel : « Implevitque eum (Deus) spiritu Dei, sapientia et intelligentia, ad excogitandum et faciendum opus in auro et argento et ære, sculpendisque lapidibus, et opere carpentario, quidquid fabre adinveniri potest, dedit in corde ejus. Ooliab quoque, » etc.

Vers. 4. Tunica hyacinthina. 4. TUNICAM, — scilicet hyacinthinam, quæ Hebr. מעיל *meil,* et latine absolute tunica dicitur; alia vero tunica vocabatur כתנת תשבץ *ketonet tasbets,* id est tunica linea stricta. Ita Hebræi, Chaldæi et Septuaginta; radix enim Hebræa שבץ *scabats* stringere significat : hæc enim tunica instar interulæ stringebat corpus. Alii Hebræi *tasbets* vertunt tunicam inclusionis, in qua videlicet inclusæ erant 12 gemmæ. Alii, teste S. Augustino, vertunt tunicam cum cornibus, id est cirris. Alii, tunicam ocellatam, id est opere phrygionico ocellis pictam. Hi omnes per hanc tunicam, accipiunt hyacinthinam, non lineam : verum dum ab antiquis deviant, in plurima incerti abeunt.

(1) Censet Clericus, non de *loco* hic, sed de *dignitate* sermonem esse, et significari, fore Aaronem ejusque filios Mosi proximos dignitate : quod confirmatur eo, quod sequitur, *De medio filiorum Israel.*

Magis credendum est uni S. Hieronymo ad Fabiolam *De Vest. sacerd.*, ubi diserte *meil* interpretatur tunicam hyacinthinam, *ketonet* vero tunicam lineam, idque ita esse patet *Exodi* cap. XXXIX, vers. 22 et 27, et *Levit.* cap. VIII, vers. 7, in Hebræo (1).

Vers. 6. 6. FACIENT AUTEM SUPERHUMERALE DE AURO ET HYACINTHO, ET PURPURA, COCCOQUE BIS TINCTO, ET BYSSO RETORTA, OPERE POLYMITO. — Prima hæc est sacerdotis vestis, quæ dicitur « superhumerale; » sive, ut Septuaginta, ἐπωμίς, et, ut Aquila, ἐπίφαμμα; hebr. dicitur אפוד *ephod*, id est pallium sive extima vestis, quæ aliis superinduitur, a radice אפד *aphad*, id est superinduit, superinduxit. Ephod autem erat vestis propria pontifici, quæ tam pectus quam humeros ejus tegebat, eratque fere instar interulæ pertextæ undique, sed superne, uti et inferne, omnino patentis. Nulla ergo pars ephod vel in pectore, vel in dorso, vel ad latera patebat; nulla quoque erat nodis aut fibulis connexa, ut iis amotis aperiri posset : erat enim ephod continua et uniformi textura undique contextum et pertextum (2).

Prima vestis pontificis ephod, sive ἐπωμίς, id est superhumerale, describitur. Primo.

Secundo. *Secundo*, ephod porrigebatur usque ad cingulum : eo enim cingebatur.

Tertio. *Tertio*, in ephod circa pectus patebat locus rationali inserendo; hinc licet ephod a Philone vocetur pectorale, potius tamen a Septuaginta, Nostro et aliis vocatur superhumerale, quia in humeris integre pertextum erat, cum in pectore locus esset patulus pro rationali.

Quarto. *Quarto*, ephod in humeris habebat duos lapides onychinos, in quibus insculpta erant 12 nomina filiorum Israel, ut patet vers. 9.

Quinto. *Quinto*, ephod contextum erat et variegatum ex filis aureis hyacinthinis, purpureis, coccineis et byssinis opere polymito, ut patet hoc versu.

Sexto. *Sexto*, putant Abulensis et Sixtus Senensis, lib. III *Biblioth.* cap. XII, Ephod caruisse manicis, fuisseque instar scapularis monastici. Sed verius est ephod habuisse manicas : id enim diserte docet Josephus. Josephi verba si ea recte vertas, hæc sunt : « Ephod fit ex variis coloribus auro interpixto; ita contexitur deorsum cubitali mensura, ut circa medium pectus lacuna relinquatur (rationali inserendo) et cum manicis fabricatus, omnique figura in modum tunicæ factus est. »

Ephod erat instar thoracis.

Denique Philo, lib. II *De Monarch.* docet pectorale sive ephod fuisse instar thoracis : thoraci etiam simile fuisse ephod asserit Josephus, lib. VI *Belli*, cap. VI. Sicut ergo milites ornantur et muniuntur thorace, ita sacerdotes ephod : ipsi enim sunt milites Dei et templi, uti alibi dixi.

Duplex ephod.

OPERE POLYMITO, — id est, opere variorum colorum et liciorum. Unde Septuaginta vocant opus textile variegatoris. Nam ephod textum erat ex stamine byssino, et subtegmine tricolori, videlicet hyacinthino, coccineo et purpureo, ait S. Hieronymus, intermixtis filis aureis. Tale erat hoc ephod, quo solus utebatur pontifex. Erat enim aliud ephod lineum, sive byssinum et toto candore purissimum, quo utebantur inferiores sacerdotes et Levitæ, quin et laici qui quoque modo cultui divino deserviebant, uti docet Abulensis in lib. I *Reg.* cap. XXII, Quæst. XXVII. Tale fuit ephod Samuelis, I *Reg.* cap. II, vers. 18, et sacerdotum a Saule occisorum, I *Reg.* cap. XXII, vers. 18; tali etiam usus est David saltans ante arcam, II *Reg.* cap. VI, vers. 14. Ita S. Hieronymus ad Fabiol. *De Vest. sacerd.*

Vers. 7. 7. DUAS ORAS JUNCTAS HABEBIT IN UTROQUE LATERE SUMMITATUM, UT IN UNUM REDEANT. — Hebraice est, *duo humeri juncti erunt ad extremitates ejus, et sic conjungetur, q. d.* Ephod non sub axillis ad latera, uti putat Abulensis et alii; sed supra utramque humeri partem duas habebit oras, ut per eas commodius pontifex possit caput inserere, itaque ephod induere : cum autem induisset pontifex ephod, tunc hæ oræ nectebantur fibula (3). Addit Josephus duos lapides onychinos in humeris, de quibus vers. 9, vice fibularum fuisse.

Ora ephod.

Hinc noster Interpres has duas oras vocat oras summitatum, quia non in latere ephod, sed ad caput et humeros erant, cum reliquum corpus in ephod esset textura continua, uti dixi : hinc ephod dicitur ab אפד *aphad*, quod non tantum superinduere, sed et cingere vel arctare significat, ut patet *Exodi* cap. XXIX, vers. 5; *Levit.* cap. VIII, vers. 7, in Hebræo, eo quod ephod laxiores vestes inferiores arctaret, et omnino cingeret arcta et continua sua pertextura. Ita Oleaster, Cajetanus et Arias in *Aarone* (4).

Septuaginta has duas oras vocant duas epomides, id est duas partes, puta anteriorem et posteriorem epomidis.

Vers. 9. 9. SUMESQUE DUOS LAPIDES ONYCHINOS. — Ita vertunt et alii passim. Soli Septuaginta vertunt, *sumes duos smaragdos*. Josephus hos onychinos vocat sardonyches, sive a patria, quod scilicet Sardis

Onychini ephod.

(1) Vestes hoc vers. memoratæ sunt *pectorale, pallium superius, pallium longius*, de quibus infra, *tunica adstrictior*, seu interula (gall. *chemise*), *tiara* seu cidaris, nomen habens ab *involvendo*, quia ea constabat ex fasciis, quæ capiti obvolvebantur, prorsus ut ea capitis tegumenta, quæ Turcæ et Persæ hodienum gestare solent, ab eis *dulband* (unde *turban*) dicta; denique *cingulum* seu balteum, de quo Josephus, lib. III *Antiq.* cap. VII, § 2.

(2) Rosenmullerus : « *Ephod* fuit vestimentum breve, manicis carens, constans duabus plagulis, quæ in utroque humero fibulis aureis gemmatis nexæ inde ad dimidias nates dependebant, quarum posterior tergum, anterior pectus et ventrem tegebat; infra axillas attexta erant duo lora, in utroque latere unum, quibus corpori tanquam cingulo adstringerentur plagulæ. » Cf. Josephum, *ibid.* § 5.

(3) Pro *oras* Rosenmullerus vertit *humeralia*.

(4) Joan. Braunius in egregio suo opere, cui titulum fecit, *Vestitus sacerdotum Hebræorum*, libri duo, Amstelod. 1698, versum 8 sic reddit ex hebræo, *et cingulum ephodi ejusdem operis erit, ex ipso ephodo progredicns.* Ita et Alioli.

allati essent; sive a colore, quod colore sardio ruberent, inquit S. Hieronymus. Addit Josephus onychinum qui a dextris erat, quoties pontifex sacrificabat, tanto fulgore micasse, ut etiam eminus conspiceretur.

Vers. 9 et 10. 9 et 10. ET SCULPES IN EIS NOMINA FILIORUM ISRAEL: SEX NOMINA IN LAPIDE UNO, ET SEX RELIQUA IN ALTERO, JUXTA ORDINEM NATIVITATIS EORUM. — Sex seniorum filiorum Jacob nomina, puta Ruben, Simeon, Judas, Dan, Nephtali et Gad, insculpta erant onychi dextro, ait Josephus; sex reliqui insculpti erant sinistro, puta Aser, Issachar, Zabulon, Ephraim, Manasses et Benjamin; vide de his filiis *Genes.* cap. XXIX et XXX. Levi enim inter 12 tribus non numeratur, licet eum numeret Abulensis hic : sed ejus loco et loco Joseph, duo filii Joseph, scilicet Ephraim et Manasses, successerunt, adoptati in filios ab avo Jacobo, *Gen.* cap. XLVIII, vers. 5. Ita Josephus lib. III, cap. XI. Ipse enim sacerdos, utpote Levita, per se suam tribum Levi repræsentabat; unde non fuisset congruum inscribere Levi vesti sacerdotis.

Mystice, significabatur sacerdotem ex officio, debere orare pro singulis populi tribubus, easque quasi humeris suis portare, ut esset velut Atlas populi.

Vers. 11. 11. CÆLATURA GEMMARII. — Hebr. *apertionibus*, id est sculpturis, *sigilli*, *q. d.* Ita exculpes hos duos onychinos, eisque insculpes nomina filiorum Israel, sicut sigillum solet exsculpi litteris et insignibus heri sui.

INCLUSOS AURO ATQUE CIRCUMDATOS. — Hebraice est, *circumdatos clausuris*, vel *palis aureis*.

Vers. 12. Ephod insculpta erant nomina 12 Patriarcharum, cur? 12. ET PONES IN UTROQUE LATERE SUPERHUMERALIS MEMORIALE FILIIS ISRAEL. — Hebraice est, *pones in utroque latere ephod lapides memoriæ filiis Israel*, vel *filiorum Israel*; sive, ut Chaldæus, *lapides memoriales filiis Israel*; idque tripliciter : nam, ut docet Beda, lib. III *De Tabern.* cap. IV, tres ob causas Aaron pontifex nomina Patriarcharum inter sacrificia semper in humeris, æque ac in pectore portabat. *Prima* erat, ut ipse fidei probæque vitæ duodecim Patriarcharum semper meminisset, eamque imitaretur. *Secunda*, ut duodecim tribuum, quæ ex his Patriarchis prognatæ sunt, in orationibus et sacrificiis memor existeret; ita S. Hieronymus. *Tertia*, ut populus videns nomina patrum scripta in veste præsulis sui, curaret sedulo ne ab illorum meritis desciscens, ad errorum contagia declinaret; ita S. Hieronymus. *Quarta*, ut sciat pontifex populum et subditos sibi portandos esse non tantum in pectore, sed et in humeris, in pectore portantur, cum amantur; in humeris : cum illorum onera feruntur, juxta illud *Galat.* cap. VI : « Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi. » Gemit sub onere paupertatis proximus, onus ejus eleemosynis subleva : sub onere ægritudinis decumbit, erige : sub fasce peccati jacet, attolle : cholericus est, melancholicus, pusillanimis, fer et porta eum humeris tuæ patientiæ, charitatis, consolationis; sic adimplebis legem Dei et Christi.

Prima Causa. Secunda. Tertia. Quarta.

Allegorice ephod erat typus obedientiæ Christi.

Hinc allegorice, ephod significabat obedientiam charitatis Christi, qua ipse humeros suos pro peccatis nostris cruci supposuit, ait Rupertus, unde duo lapides onychini significabant duo hemisphæria, ait Philo et S. Hieronymus, puta totum mundum, pro quo passus est Christus. Ita Abbas ille in *Vitis* lib. V, cap. X, in fine, habitum priscorum monachorum explicans, ait : « Cucullum, quo utimur, signum est innocentiæ; superhumerale, quo humeros et cervicem alligamus, signum est crucis; zona vero qua cingimur, signum est fortitudinis. Conversemur ergo juxta id quod habitus noster significat : quia omnia cum desiderio facientes, nunquam deficiemus. »

Tropologice ephod est jugum Domini.

Tropologice, ephod significabat onus evangelicum et jugum Domini. In hujus enim susceptione et obedientia, consistit perfectio et felicitas Christiani. Ita et Gentilis Agesilaus, rogatus quare Spartani aliis feliciores et potentiores essent : « Quia, ait, plus quam alii exercent se in imperando et obediendo. » Et Agis rex, rogatus quænam disciplina maxime exerceretur Spartæ : « Peritia, inquit, imperandi et obediendi. » Pressius vero veriusque Theopompus, cum quidam diceret Spartæ salutem inde proficisci, quod reges haberet ad imperandum idoneos, respondit, non eam esse causam, sed quod cives obedire nossent. Ita Plutarchus in *Lacon.*

Quid colores varii significarint dixi cap. XXV, vers. 3. Duæ oræ nexæ tam sinistra quam dextra parte, idque superius ad humeros, significabant opus externum et sanctam operationem piæ intentioni jungendam esse tam inter adversa, quam inter prospera. Manicas habebat ephod, quia onus a Deo, Deique vicariis injunctum, statim utraque manu complectendum est. Ephod hoc cingendum est zona, id est voluntate Dei : ita Beda; per hanc enim omnia ardua et adversa, quæ Deus nobis quasi ephod imponit, facile sustentantur et superantur. Audi S. Hieronymum ad Paulam, *De Obitu Blesillæ* : « Bonus est Deus, et omnia quæ bonus facit, bona sint necesse est. Mariti orbitas irrogatur, plango quod accidit; sed quia sic placet Domino, æquo animo sustinebo. Unicus raptus est filius : durum quidem, sed tolerabile, quia sustulit ille qui dederat. Si cæcus fuero, amici lectio me consolabitur. Si auditum quoque surdæ aures negaverint, vacabo a vitiis, nihil aliud nisi Dominum cogitabo. Imminebit super hac et dura pauperies, frigus, languor et nuditas : extremam exspectabo horam, et breve putabo malum, quod finis melior subsequatur. Sanus sum, gratias refero Creatori. Langueo, et in hoc laudo Domini voluntatem : quando enim infirmor, tunc fortis sum; et virtus spiritus in carnis infirmitate perficitur. Cur autem durum sit, quod quandoque patiendum est? »

Moraliter ergo disce hic primam et præcipuam

Moral. de ephod, id est obedientia. Primo. vestem, quæ sacerdotem, id est, fidelem Deo addictum, vestit et ornat, esse ephod, id est obedientiam. Obedientia, ait S. Gregorius, lib. XXXV *Moral.* cap. X, « sola virtus est, quæ virtutes cæteras menti inserit, insertasque custodit.» Et : «Melior est obedientia quam victimæ, quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas mactatur.»

Secundo. *Secundo* : «Si vis esse sapiens, esto obediens, sic enim scriptum est : Concupiscis sapientiam, serva mandata, et Dominus dabit illam tibi,» ait S. Bernardus in serm. *de Epiph.*

Tertio. *Tertio* : « Bonus obediens, ait S. Bernardus, dat suum velle et suum nolle, ut possit dicere : Paratum cor meum, Deus : paratum quodcumque præceperis facere, paratum ad nutum citius obedire, paratum tibi vacare, proximis ministrare, meipsum custodire, et in cœlestium contemplatione requiescere. Obediens est amabilis sociis, omnibus officiosus, et nulli onerosus, devotus ad Deum, benignus ad proximum, sobrius ad mundum, Domini servus, proximi socius, mundi dominus. Superiora habet ad gaudium, æqualia ad consortium, inferiora ad servitium.»

Quarto. *Quarto,* S. Cyprianus, tractatu *De Duodecim abusionibus* : « Adolescens, ait, sine obedientia, est adolescens sine disciplina.»

Quinto. *Quinto,* S. Gregorius, lib. XXXV *Moral.*, et habetur XI, Quæst. III, can. *Quid ergo* : « Quid, ait, mirum est, si homo se obedientiæ in præsentis vitæ brevitate subjicit, quando hanc mediator Dei et hominum tenuit, et tenendam præcepit; et cum obedientes remunerat, non relinquit?»

Sexto. *Sexto,* Justinus Martyr, lib. *De Recta confess.* : « Cedendum, ait, est voluntati Dei, sicut lutum obsequitur suo figulo : » Et Procopius in *Levit.* : « Sicut, ait, decet ut jumenta nobis obsequantur, ita rationem nostram oportet obtemperare Deo.»

Septimo. *Septimo,* S. Laurentius Justinianus, lib. *De Ligno vitæ,* cap. III : « Sicut, ait, sine duce non confiditur de victoria, ac sine gubernatore non pervenitur ad portum : ita et absque obedientia impossibile est in vitæ hujus pelago non periclitari. Illa enim facit hominem triumphare.»

Octavo. *Octavo,* Abbas Pambo in *Vitis Patrum* lib. V, cap. XIV, de obedientia, oblatis ei quatuor Religiosis, primo jejunante, secundo paupere spiritu, tertio diligente, quarto obediente, obedientem omnibus prætulit : « Quia, ait, alii tres virtutem quam possident, voluntate propria retinent; hic autem voluntatem suam abscindens, alienæ voluntatis se servum fecit. Tales autem veri confessores sunt, si usque ad finem ita permanserint.» Ibidem num. 9, Abbas quidam vidit quatuor ordines in cœlo : *primum,* infirmorum, et gratias agentium Deo; *secundum,* hospitalitatem sectantium, *tertium,* solitariorum; *quartum,* obedientium, qui ornati torque aurea et corona, majorem quam alii gloriam habebant, eo quod, ait, suam voluntatem abjecerint, eamque Deo in manu Superioris resignarint, ac concludit : « Obedientia salus est fidelium; obedientia genitrix est omnium virtutum; obedientia regni cœlestis inventrix est; obedientia cœlos aperit, et homines de terra elevat : obedientia cohabitatrix angelorum est; obedientia Sanctorum omnium cibus est : ex hac enim ablactati sunt, et per hanc ad perfectionem venerunt.»

Nono, ibidem celebratur obedientia Marci litteram imperfectam, dum vocatur, relinquentis, et Mutii filium in flumen projicientis, pag. 547 (sequor editionem nostri P. Heriberti), ac Joannis leænam ligatam ad Abbatem adducentis, pag. 502; Euphraxiæ in arduis, pag. 355; Joannis aridum lignum per annum integrum aqua longe petita irrigantis, quod tandem fronduit, pag. 546; ejusdem saxum ingens multo tempore movere conantis, pag. 547. Nono.

Decimo, S. Antonius aiebat velocem et compendiosum modum perveniendi ad perfectionem esse obedientiam, quod ut nos doceret Christus, ait se venisse ut faceret voluntatem non suam, sed Patris. Unde Paulus Simplex ex hac doctrina S. Antonii, obedientiæ, et simplicitatis merito ad tantum gratiarum culmen ascendit, ut multo plura et potentiora faceret miracula, quam ipse S. Antonius; testis est Ruffinus in ejus Vita. Decimo.

Undecimo, Joannes Lycius per obedientiam obtinuit donum prophetiæ, cui ita confidebat Theodosius Imperator, ut non prius ad bella procederet, quam illius animaretur oraculis, quibus fretus velut cœlitus sibi delatis, trophæa de desperatis bellis et hostibus semper reportavit. Testes sunt Sulpitius et Cassianus, lib. IV in *Vitis Patrum,* cap. XXV. Undecimo.

Audi Gentiles. Solon percontatus qua ratione salva possit esse civitas, respondit : « Si cives obtemperent suis magistratibus, magistratus autem legibus.» Gentilium exempla.

Zeno Citieus celebratissimam Hesiodi sententiam solebat invertere. Cum enim ille primas tribuat ei qui per se sapiat, secundas qui recte admonenti obtemperet, Zeno ordine inverso sic pronuntiabat :

Optimus ille quidem qui paret recta monenti,
Sed probus ille quoque est, qui noverit omnia per se.

Addebat causam, quod qui nosset ex se omnia, nihil haberet præter intelligentiam : at qui recte monenti pareret, præter intelligentiam haberet etiam effectum. Nam parere dicitur, qui quod didicit optimum esse, facit. Testis est Laertius, lib. VII, cap. 1.

13. FACIES ET UNCINOS EX AURO, ET DUAS CATENULAS EX AURO. — Ut videlicet per eas rationale alligetur superhumerali, puta ipsi ephod : nam rationale alligabatur proxime ad ephod quatuor annulis, existentibus in quatuor ejus angulis; sed quia magnum erat gemmarum in rationali pondus, additæ sunt hæ duæ catenulæ, quæ exterius Vers. 13 et 14. Catenulis jungebatur rationale cum ephod.

rationali in duobus ejus annulis inserebantur, idque per occultas fistulas, ne apparerent, ut ita una ephod et rationalis textura esse videretur, ait Josephus et Hieronymus. Ascendebant autem hæ catenulæ usque ad humeros et annectebantur circulis, vel, ut Noster melius vertit, uncinis aureis, in summitate ephod a tergo existentibus. Harum catenularum et uncinorum rursum meminit Moses in rationali vers. 24 et 25. Nam has cum illis esse easdem, facile est videre ex consensione textus Hebræi utrobique, et ex Josepho ac S. Hieronymo, qui tantum harum catenularum in rationalis fabrica meminerunt. Ita Abulensis.

Vers. 14. 14. SIBI INVICEM COHÆRENTES, — *q. d.* Fac catenulas duas, quarum singularum circuli invicem innexi cohæreant. Ita Abulensis, Hugo Victorinus et alii. Neque enim catenula sinistra cohærere poterat dextræ aut contra, sed tam dextra, quam sinistra, implexa, vel potius innexa et contexta erat suis circulis, vel ansulis, uti fieri solet in catenis. Unde hebraice est, *facies eas opere plectili;* et Septuaginta, *facies eas commixtas in floribus,* id est instar florum, ut scilicet sicut flos flori inserto et corona innectitur et implectitur, ita implectas hos annulos catenularum sibi invicem, ut fiat catena.

Hebræi addunt, *terminatas,* vel *conterminatas,* hoc est æquales, *facies has catenulas,* ut scilicet æqualiter in fine rationalis terminentur, ejusque annulis extremis inserantur; sed hoc satis explicatur in ipsius rationalis descriptione vers. 24 et 25. Unde noster Interpres id omisit, ut vitaret hanc repetitionem.

Vers. 15. Secunda vestis erat rationale, unde dictum? Prima expositio. 15. RATIONALE QUOQUE JUDICII FACIES OPERE POLYMITO. — Hæc est secunda vestis pontificis, quæ sacratissima erat pars ipsius ephod, id est, superhumeralis, omniumque vestium sacerdotalium. Dicta est ab Hebræis חשן *chosen,* a Græcis λογεῖον, a Latinis *rationale,* idque *primo,* quia pontificem et consequenter populum admonebat eorum, quæ summa prudentia et ratione ipsius in suo officio, sacrificiis et sacerdotio consideranda erant, quæque significabantur per nomina filiorum Israel, perque *urim* et *tummim,* id est, per doctrinam et veritatem, quæ rationali inscripta erant.

Secunda. *Secundo,* quia rationale hoc dabat oracula, quasi mente aut ratione provida et prophetica præditum foret: unde rationale posset et vocale et verbale vocari; utrumque enim significat Græcum λογεῖον, ait S. Augustinus, *Quæst.* CXVI. Utrumque etiam significat Hebræum *chosen.* Nam a radice חשה *chasa,* id est tacuit, dicitur *chosen* per antiphrasin, quasi minime tacens, vel quod tacens licet, daret tamen oracula per sacerdotem.

Hebraice vocatur *chosen,* unde? Primo.

Secundo. *Secundo,* alludit *chosen* ad חסן *chosen* per *samech,* id est fortitudo et protectio, quia rationale hoc muniebat et protegebat pectus sacerdotis instar loricæ (1).

Tertio, alludit *chosen,* per metathesin, ad נחש *nachas,* id est divinavit, oraculum dedit. Tertio.

Hinc dicitur « rationale judicii; » judicii, inquam, partim humani, hoc est debiti (hoc enim Hebræis significat judicium) et officii sacerdotis, et populi Israel, cujus, ut dixi, eos admonebat; partim divini, quo scilicet Deus sententiam suam dicebat per pontificem. Pontifex enim rationali indutus de rebus dubiis consulebat Dominum, et ab eo de iisdem erudiebatur, tanquam fungens munere pontificio nomine totius populi, ac mox ipse Dei judicium, id est, sententiam et oraculum, populo enuntiabat. Rationale judicii dicitur, unde? Primo. Secundo.

Tropologice, rationale judicii significat mundi- Tropologice, rationale est prudentia et examen operum. tiam cogitationum, item prudentiam et circumspectionem, atque rationem examinis nostri tam interni quam externi, puta tam conscientiæ, quam operum externorum, quæ maxime sacerdotem ornant, vide Bedam, lib. III *De Tabern.* cap. V, et Gregorium, II part. *Past.* cap. II et seq. Ita Abbas ille in *Vitis Patr.* lib. V, cap. XI, num. 39, dicebat: « Debet monachus quotidie mane et sero cogitare in semetipso, quid fecit eorum quæ vult Deus, et quæ non fecit. Et ita tractantem omnem vitam suam pœnitentiam agendo, monachum esse oportet: sic enim Abbas Arsenius vixit. » Idem examen mane et vespere magno sensu et spiritu compunctionis faciebat S. Ephrem, uti ipse fatetur in Vita S. Mariæ meretricis, in fine.

16. QUADRANGULUM ERIT, — non geometrice, sed physice, *q. d.* Quadrum erit: neque enim rationale hoc erat altera parte longius; sed omnibus sui partibus erat æquilaterum: nam habebat palmum sive spithamam, hoc est duodecim digitos in longitudine, et totidem in latitudine (2). Vers. 16.

ET DUPLEX, — puta duplicatum, et duplici tela constans, ad hoc ut sustinere possit lapides, sive gemmas in eo collocandas.

17. PONESQUE IN EO QUATUOR ORDINES LAPIDUM. — Ad mysteria hos lapidum ordines expressit et descripsit ipse Dominus. Hos lapides, inquit S. Hieronymus, legimus in diademate principis Tyri, *Ezech.* XXVIII (licet ibi tantum novem legantur lapides, qui significant novem angelorum ordines, inquit S. Hieronymus: ex singulis enim aliqui cum Lucifero, quem rex Tyri repræsentat, ceciderunt), et in *Apocalyps. S. Joannis* cap. XXI, sed alio ordine: in Apocalypsi enim duodecim lapides significant duodecim Apostolos, qui fundamenta sunt Ecclesiæ militantis et triumphantis: unde sub horum lapidum nominibus et specie, virtutum vel ordo vel diversitas indicatur, ait S. Hieronymus. Vers. 17. Duodecim gemmæ rationalis.

Ubi nota, in nominibus horum lapidum, uti et herbarum, arborum, avium et animalium, cæcutire et divinare recentiores Hebræos; proinde ne

(1) חסן est *ornamentum*, idemque hic pectorale, ut infra describitur.

(2) Igitur palmus hic est major, spithamæ æqualis, seu spatium maximum ab exporrecto pollice ad exporrectum digitum minimum.

fallamur, tutissimum erit sequi S. Hieronymum, Septuaginta et Chaldæum, qui mire hic consentiunt.

Tropologice. Tropologice, quatuor ordines gemmarum sunt quatuor virtutes cardinales, ait S. Hieronymus *ad Fabiolam*, quæ dum invicem miscentur, duodecim efficiunt combinationes, ut patet si quis singulas ordine cum aliis tribus combinet, verbi gratia *primo*, prudentiam cum fortitudine; *secundo*, prudentiam cum temperantia; *tertio*, prudentiam cum justitia; rursum *quarto*, fortitudinem cum prudentia; *quinto*, fortitudinem cum temperantia; *sexto*, fortitudinem cum justitia, et ita consequenter temperantiam et justitiam combinet cum aliis tribus.

Tres lapides in singulis ordinibus sunt tres virtutes theologicæ, ait Beda.

Allegorice, duodecim gemmæ sunt Apostoli. Allegorice Tertulianus, lib. IV. *Contra Marcionem*, cap. XIII, hisce duodecim gemmis docet significatos esse duodecim Apostolos: iisdem enim significantur Apostoli *Apoc.* XXI.

Quæres, cur in duodecim hisce gemmis omittatur adamas, qui inter gemmas primatum tenet? *Primo*, Alcazar in *Apoc.* XXI, 19, disputans de calcedonio, censet calcedonium S. Joannis esse carbunculum Mosis hic, et carbunculum Mosis esse adamantem. Sunt enim, inquit, carbunculi candicantes, ideoque adamantini, qui scilicet in adamantes transeunt, sicuti carbones (ex quorum similitudine carbunculus nomen accepit), dum nimis ardent, non rubent, sed candent, uti appareat in ferro candenti, quod ubi maxime ignitum est, candet : unde a fabris ferrariis vocatur argentum. Verum hoc refutavi *Apocal.* XXI, 19.

Secundo, alii censent Deum hic in rationali pontificis omisisse adamantem, quia adamas, utpote durus et intractabilis, symbolum est hominis præfracti et tyranni. Verum et hoc refutavi *Ezech.* III, 9 : ibi enim Ezechiel a Deo comparatur adamanti, fitque adamas.

Dico ergo genuinam hujus rei causam litteralem esse duplicem. Prior, quia adamas nimii est pretii. Videmus enim parvos adamantes instar fabæ Romanæ, æstimari 40 aut 50 millibus aureorum. Quare adamas tantæ magnitudinis, ut in eo inscribi posset nomen *Jehuda*, aut alterius tribus, constitisset plusquam centum millibus aureorum? Unde hoc pretium, imo habito pretio, unde adamantem tantum sibi comparassent pauperes Hebræi Ægypto exeuntes? Ita primi Pontifices et Christiani, religionis, sanctitatis et paupertatis magis studiosi quam pompæ et splendoris, templa et calices, aliasque res sacras malebant mediocres et simplices, quam splendidas nimis et pretiosas. « Olim, ait ille, sacerdotes aurei celebrabant in calicibus æneis, nunc sacerdotes ænei celebrant in calicibus aureis. » Hæc videtur causa, cur Constantinus Imperator magnificentissimus, æque ac religiosissimus in templo SS. Petri, Pauli, et aliis mediocritatem servarit, quia scilicet S. Sylvester eam depoposcit in initiis illis templorum, et dominantis christianismi; alioquin enim novum Pantheon, imo Salomonium templum ædificasset.

Posterior, ne nimia esset inæqualitas inter tribum, qui daretur adamas, et cæteras, quibus aliæ gemmæ viliores darentur, quæ illi occasio esset superbiæ et ambitionis, cæteris invidiæ et odii : uti Joseph ob tunicam polymitam a patre acceptam, cæteris fratribus exosus et invisus fuit. Adamas enim est regina gemmarum, et incomparabiliter cæteras omnes claritate, duritie, soliditate et pretio superat. Addit S. Epiphanius, tract. *De lapid. et gem.* (penes quem sit fides, nec enim Moses aut Scriptura ejus meminit), pontificem tempore Salomonis ingredientem in templum, tribus anni solemnitatibus, puta in Paschate, Pentecoste et festo Tabernaculorum, præter gemmasrationalis, in pectore gestasse adamantem, inter duos smaragdos, qui splendebat, si populus, a peccatis immunis, Deo erat charus; sin per peccata ejus iram provocasset, obscurus evadebat aut sanguineus, quasi comminans Dei vindictam et gladium. Sic apud Christianos summus Pontifex in pectore gestat adamantem, uti dixi *Ezech.* III, 9.

Symbolica causa fuit, ut significaretur vetus sacerdotium, adeoque veterem legem et synagogam non fore adamantina, id est invicta, infrangibilia, constantia et perpetua; frangenda enim et abolenda erant per Christi sacerdotium, legem et regnum.

IN PRIMO VERSU (id est ordine) ERIT LAPIS SARDIUS, ET TOPAZIUS, ET SMARAGDUS. — Describamus hic nomina singulis lapidibus inscripta, singulosque lapides adaptemus tum suo Patriarchæ, tum suo Apostolo. Sequar in hac re tum alios, tum præsertim Franciscum Riberam, lib. III *De Templo*, cap. XI, et in *Apocal.* cap. XXI, qui præ cæteris egregie singula hæc adaptat. Porro servatur hic in Patriarchis ordo nativitatis et ætatis, ut qui prior est ætate, præcedat, et priorem sortiatur gemmam; postponuntur hic ergo Judas, Joseph, et Benjamin, qui virtute et dignitate alios antecedebant. Recte Agesilaus, aliis se inferioribus postpositus, dixit : « Ostendam non loco virum, sed viro locum cohonestari; » testis est Plutarchus. Porro Abulensis et Alcazar in *Apoc.* XXI, 20, notat. 35, contendunt hic numerandum esse Levi, ideoque ut tribus sint duodecim, non tredecim, Ephraim et Manasse contrahendas esse in unam, scilicet Joseph qui fuit pater utriusque. Accedit Chaldæus, qui *Cant.* X, nomen Levi in una gemma apponit. Verum verius est omittendum esse Levi, ac consequenter tribum Joseph dividendam in duas, scilicet Ephraim et Manasse. Ratio est *primo*, quia pontifex ipse seipso repræsentabat tribum Levi; erat enim ipse ex Levi et Levita. *Secundo*, quia duodecim tribus positæ hic in rationali, erant populi, puta laicorum, pro quibus sacerdos oraturus erat; gestat enim eos in pectore, ut jugiter

eorum in precibus recordetur. At tribus Levi non erat laica, sed Deo consecrata, ac proinde una cum pontifice, quasi capite suæ tribus, Deo pro cæteris tribubus laicis supplicabat. Censetur ergo esse una cum capite, suo scilicet pontifice : eum enim stipabat, eumque adjuvabat in sacrificiis et sacris pro populo obeundis. Non decebat ergo pontificem gestare in pectore tribum Levi, utpote cujus ipse erat caput et princeps; illam enim seipso repræsentabat, sicut princeps repræsentat rempublicam, rex regnum, primogenitus totam familiam et stirpem.

Ad Chaldæum respondeo, parvam esse Chaldæi illius paraphrastæ auctoritatem : habet enim ibidem falsa et commentitia, et repugnat Onkeloso, id est Chaldæo paraphrastæ quem habemus in *Exodo*, uti ipse Alcazar fatetur.

Prima sardius est Ruben, et S. Bartholomæus ob martyrium.

In primo ergo gemmarum ordine primus est sardius, qui ignis specie translucet, significatque Ruben primogenitum Jacobi, cujus libido se prodidit, tum patri, tum aliis, cum ad Balam patris uxorem accessit, *Genes.* XXXV, 22. Sed quia sardius tardius suffuso humore hebetatur, hinc convenit constantiæ et amori ejusdem Ruben, quo tam impense conatus est Josephum e manibus fratrum liberare, *Genes.* XXXVII, 21.

Tropologice, sardius fervidam significat doctrinam et pro ea martyrium ; est enim colore sanguineo et igneo, quo feris terrorem incutit. Hinc *Apoc.* cap. XXI, tribuitur S. Bartholomæo, qui pro Christo excoriatus, totus sanguineus, ideoque dæmonibus terribilis fuit; nec mirum est eamdem gemmam nunc vitium, nunc virtutem significare ; sic enim in Scriptura tam dæmon quam Christus vocatur leo, sed Christus ob fortitudinem, diabolus ob crudelitatem et furorem. « Sicut milites vulnera, quæ in præliis sibi inflicta sunt, regi monstrantes fiducialiter loquuntur : ita et Martyres manibus absecta capita gestantes, et in medium afferentes, quæcumque voluerint, apud regem cœlorum impetrare possunt, » ait S. Chrysostomus, serm. *in Juventinum et Maximum.*

Secunda, topazius, est Simeon, et S. Jacobus ob cœlestem charitatem.

Secundus est topazius, qui partim cæruleo, partim aureo est colore, imo omni colore resplendet, ait Isidorus, lib. XVI, cap. VII. Quidam topazium dictum putant a Topazio insula maris Rubri, quæ quoniam est nebulosa, cum a navigantibus sæpe quæsita esset, hinc nomen accepit; nam τοπάζειν, lingua Troglodytarum *quærere* significat. Topazius congruit Simeoni audaci et imperterrito, uti patuit in vindicta stupri sororis suæ Dinæ illati, *Genes.* XXXIV, 25. Audaces enim et vafri non raro sunt cærulei et pallidi. Unde Julius Cæsar, cum quidam male suspicarentur de Antonio et Dolabella, et ab iis ut sibi caveret, monerent : « Non hos, ait, metuo rubicundos, ignavos et pingues, sed graciles istos ac pallidos, » Brutum monstrans et Cassium, idque merito; nam ab iis postea in curia dolose occisus est.

Tropologice, topazius significat animum cœlestem, et ad omnia infractum, omnibusque adversis superiorem; est enim topazius cæruleus et fulvus, atque flammescit impensius, dum radiis solis verberatur. Hinc *Apoc.* cap. XXI, tribuitur Jacobo fratri Domini, qui cœlesti charitate irradiatus, per illam Judæos omniaque terrena supplantavit. « Animus, ait Seneca *epist.* 66, intuens vera, peritus fugiendorum ac petendorum; non ex opinione, sed ex natura pretia rebus imponens; asperis blandisque pariter invictus, neutri se fortunæ submittens, supra omnia quæ contingunt acciduntque eminens, imperturbatus, intrepidus consistat, quem nulla vis frangat, quem non attollant fortuita, nec deprimant. Talis animus virtus est; hæc est ejus facies. » Et rursum : « Nihil, ait, magnum est in rebus humanis, nisi animus magna despiciens. Cyrus, inquit Xenophon, lib. I, et forma fuit pulcherrimus, et animo humanissimus, et discendi adipiscendique honores cupidissimus ; adeoque nullum non laborem pertulit, nullum non periculum laudis gratia sustinuit. » Quid jam faciet Christianus pro laude et gloria æterna?

Tertia, smaragdus est Judas, et S. Joannes ob virentem virginitatem.

Tertius est smaragdus, qui maxime viret, ita ut res alias, quin et aerem suo virore inficiat; unde hebraice vocatur ברקת *bareket*, id est fulgurans; hinc et a Symmacho, teste S. Hieronymo, vocatur Ceraunius. Smaragdus congruit Levi, ait Abulensis, sed fallitur : Levi enim non computatur inter duodecim tribus, uti supra ostendi. Ergo smaragdus est Judas, qui, si Levi excludas, fuit tertius Jacobi filius; smaragdus enim significat Judæ fortitudinem, et sceptrum perenne, semperque virens usque ad Christum, *Geneseos* cap. XLIX, vers. 10.

Tropologice, smaragdus significat virginitatem; hinc *Apoc.* XXI, tribuitur S. Joanni, qui semper virgo mire viruit sua virginitate. Unde Pierius, *Hierogl.* 41 : « Sunt, ait, qui smaragdi perpetuum clarumque virorem, signum virginitatis esse velint : idque insuper argumento addunt, in patranda re venerea, si quis lapidem attingat, eum sponte frangi. » Hoc posterius falsum esse, per experientiam asserunt matronæ conjugatæ; multæ enim annulos habent cum smaragdo, quos nec die nec nocte deponunt; qui tamen integri semper et illæsi, etiam post copulam perdurant. Sic Catullus virginem comparat flori vernanti :

> Ut flos in septis secretus nascitur hortis,
> Ignotus pecori, nullo contusus aratro :
> Sic virgo dum intacta manet, etc.

Vers. 18. 18. IN SECUNDO CARBUNCULUS, SAPPHIRUS ET JASPIS. — In secundo ordine *primus* est carbunculus, græce ἄνθραξ, id est carbo ignitus : hujus enim speciem refert; unde et ignem non sentit, qua de causa apyrotus dicitur a Plinio, lib. XXXVII. Hic congruit Dan et Danitis, qui sua fortitudine exuserunt Lais, *Judic.* XVIII, 27; et Samsoni Danitæ,

qui ignitos titiones alligans caudis vulpium, iis succendit segetes Philisthiim. *Judic.* XV, 5.

Quarta, carbunculus est Dan, et S. Jacobus, frater S. Joannis, ob ardentem charitatem.

Tropologice, carbunculus significat ardentem charitatem; carbunculo in *Apocal.* respondet calcedonius, qui carbunculo colore est similis, tribuiturque Jacobo fratri S. Joannis, qui ardens charitate Christi, primus Apostolorum pro Christo martyr occubuit.

« Martyrium, ait S. Cyprianus, est delictorum finis, periculi terminus, dux salutis, iter patientiæ, magister domus vitæ. Magna sublimitas est, ante ora Domini, aspectumque Christi, potestatis humanæ tormenta contemnere. » Rursum, Laurentius Justinianus, *De Ligno vitæ* cap. IV : « Charitas, ait, est impenetrabilis lorica, respuit gladium, jacula excutit, periculum insultat, mortem irridet, postremo vincit omnia. » Egregie S. Augustinus, *De Laude charitatis* : « Hæc, ait, in adversitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat, in duris passionibus fortis est, in bonis operibus hilaris, in temporalibus ditissima, in hospitalitate latissima, inter bonos fratres lætissima, inter falsos sapientissima. In Abel per sacrificium læta; in Noe per diluvium secura; in Abrahæ peregrinatione fidelissima; in Mose inter injurias lenissima; in David tribulationibus mitissima. In tribus pueris blandos ignes fortiter tolerat : casta in Susanna super virum, in Anna post virum, in Maria præter virum : libera in Paulo ad arguendum, humilis in Petro ad obediendum : humana in Christianis ad confitendum, divina in Christo ad ignoscendum. Ipsa est fidei fructus, divitiæ pauperum, vita morientium. »

Quinta, sapphirus est Nephtali, et S. Andræas ob cœlestem fortitudinem.

Secundus est sapphirus, qui cæruleus est, id est, cœlestis coloris, et aureis punctis collucet, quique radiis solis percussus ardentem emittit fulgorem. Hic congruit Nephtali, a quo plerique Apostolorum prognati, aurea et cœlestis Evangelii verba, et (ut Jacob vaticinatus est, *Genes.* cap. XLIX, vers. 21) eloquia pulchritudinis orbi dederunt.

Tropologice, sapphirus significat eos qui corpore in terris, mente et vita in cœlis versantur; unde in *Apoc.* tribuitur S. Paulo, ut vult Aretas; vel potius S. Andreæ, qui amore cœli et radiis Christi, biduo apud eum manens, percussus, in ejus amorem exarsit, et terrena omnia, prospera æque ac adversa calcavit. Virilis ergo Andreas juxta nomen suum fuit ἀνήρ, id est vir. « Vir, inquit Cassiodorus in *Psalm.* I, vocatus a viribus, est qui nescit in adversis tolerando deficere, aut in prosperis aliqua elatione se jactare; sed animo stabili defixus, et cœlestium rerum contemplatione firmatus, manet semper impavidus. » Et S. Gregorius, lib. VII *Moralium* : « Justorum, ait, fortitudo est carnem vincere, propriis voluptatibus contraire, delectationem vitæ præsentis extinguere, hujus mundi aspera pro æternis præmiis amare, prosperitatis blandimenta contemnere, adversitatis metum in corde superare. »

Sexta, jaspis est Gad, et Petrus ob robur fidei.

Tertius est jaspis, gemma firmissima et virens, ideoque smaragdo subsimilis, ait Isidorus, lib. XVI, cap. VII. Jaspis congruit Gad : tribus enim Gad fortissima præivit alias tribus ad terram promissam, fortissimeque pro iis dimicavit, *Numer.* XXXII, 25, et *Josue* IV, 12; unde et Gad hebraice idem est quod instructus, accinctus, armatus, felix, *Gen.* XL, 19, in Hebræo.

Tropologice, jaspis significat fortitudinem fidei : unde in *Apoc.* tribuitur S. Petro, qui est petra et fundamentum Ecclesiæ post Christum, ideoque feliciter hæc petra in suis successoribus Pontificibus perdurat et perdurabit. Augustus Cæsar Caio Cæsari, Juliæ filiæ suæ filio, cum eum in Armeniam mitteret, precatus est a diis « gratiam Pompeii, audaciam Alexandri, fortunam suam concedi, » inquit Plutarchus. Christus suam gratiam, fortitudinem et felicitatem apprecatus est, et apprecando contulit S. Petro, ejusque, imo suis hæredibus.

Vers. 19. Ligurius quis?

19. IN TERTIO LIGURIUS, ACHATES, ET AMETHYSTUS. — In tertio ordine *primus* est ligurius, quem alii vocant lyncurium, putantque esse gemmam ex urina lyncis coagulam : λύγξ enim est lynx, οὖρον est urina; sed id rejicit Plinius, lib. XXXVII, cap. III, potiusque, si tali materia coalescat, succinum sit, quam gemma, et ita Franciscus Rueus ligurium ait esse succinum, non ex urina lyncis, sed ex pino arbore distillans. Alcazar quoque in *Apocal.* XXI, notat. 31, censet ligurium esse electrum, vel succinum durius, pretiosius et rarius. Verum hic non succini, sed gemmarum ponuntur ordines.

Est hyacinthus.

Incertum ergo est quis sit ligurius : verisimile tamen est esse hyacinthum. *Primo*, quia ita interpretatur S. Hieronymus. *Secundo*, quia hyacinthus est lapis pretiosissimus; unde non est verisimile eum solum hic esse prætermissum. *Tertio*, quia *Apoc.* XXI, 20, pro ligurio ponitur hyacinthus. *Quarto*, λιγύριον eum primo vocavere Septuaginta, inde Josephus et S. Hieronymus; λιγυρὸν autem Græcis suave, jucundum significat : hyacinthus vero, teste Plinio, lib. XXXVII, cap. IX, fulgore suo violaceo ita pascit oculos rapitque, ut evanescat antequam satiet, adeoque non implet oculos, ut pene non attingat. Josephus quoque ligurium ab admiranda pulchritudine commendat. Quid mirum ergo si ab etymo ligurius dicatur antonomastice, qui proprie hyacinthus? Hic congruit tribui Aser, quæ cæteris ditior fuit et delicatior, *Genes.* XLIX, 20. Hinc et Rueus scribit persuasionem fuisse quorumdam, hyacinthos divitias afferre, quod tamen vir sapiens non facile credet.

Septima, ligurius est Aser, et Simeon Chananæus ob suavissimos mores.

Tropologice, hyacinthus significat contemptum terrenorum, et amorem cœlestium : hinc in Apocalypsi congruit Simoni Chananæo, qui cœlestibus et suavissimis fuit moribus. Est enim hyacinthus violaceus, et cœlestis coloris instar sapphiri, et instar floris, qui dicitur hyacinthus.

Titus Imperator, ob suavitatem et benevolentiam, dictus est « deliciæ orbis; » hic admonitus ab amicis, quod plura polliceretur quam præstare posset, respondit : « Non oportet quemquam a Cæsaris colloquio tristem abscedere. » Ita Suetonius in ejus Vita.

Hadrianus Imperator, teste Dione, in colloquiis etiam humillimorum mire civilis erat, eosque detestari solebat, qui hanc humanitatis voluptatem ipsi inviderent, hoc prætextu, quod dicerent principis majestatem ubique servandam.

Illustre est exemplum Religiosi, qui fratrem divagantem, et in apostasiam proclivem suo obsequio et suavitate servavit, in *Vitis Patrum*, lib. V, cap. v, num. 28.

E contra Dionysius tyrannus ab Aristippo interpellatus pro amico, preces non admisit : Aristippus prostratus cœpit amplecti pedes regis et impetravit. Id factum cum quidam velut abjectius, quam ut philosophum deceret, reprehenderet : « Non ego, ait, sed Dionysius est in culpa, qui aures habet in pedibus; » testis est Laertius, lib. II, cap. VIII.

Octava, achates est Isachar, et Judas Thadæus acer in hæreticos.

Secundus est achates, ita dictus ab Achate fluvio Siciliæ, juxta quem primo est repertus, ait Plinius; aut, ut alii, dictus est ἀχάτης, id est sociabilis, quia multæ in eo figuræ, et colores varii associantur. Nam, ut tradit Isidorus, lib. XVI, cap. XI, niger est, habens circulos nigros et albos junctos et variatos, similisque est hæmatiti : ejus species est coralloachates, qui aureis guttis inspersus est. Scribit Anselmus Boethius insignis medicus, et gemmarius Rodolphi II Imperatoris, lib. II *De Gemmis*, cap. XCVII : « Omnem achatem venenis pestiferis, viperarum atque scorpionum ictibus adversari. Cor enim recreat, ac adversus omne genus contagii tuetur. Sitim achates ore contenta, manuque detenta febrientium æstus non obscure compescit (omnes enim gemmæ frigidæ sunt et siccæ, uti idem ait cap. LXVI). Narratur aquilam nido suo achatem imponere, ut pullos contra venenatorum animalium morsus tueatur. Scribunt aliqui rubram achatem visum acuere. » Ex achate faciunt coronas precatorias. Hic significat tribus Issachar inter medios peccatores sitæ, sanctitatem, quam proinde laudat Moses, *Deuter.* XXXIII, 19. In *Apocal.* achati respondet chrysoprasus, ita dictus, quod porri succum colore suo referat; idem pallore suo ad nigredinem accedit, aureis intervenientibus guttis, unde coralloachati affinis est, tribuiturque in *Apocal.* Judæ Thadæo : cujus aurea sapientia et acrimonia (hanc enim symbolice et tropologice significat chrysoprasus) in hæreticos, patet ex ejus epistola.

S. Pachomius ex fœtore teterrimo agnovit Origenistas, eisque minatus est gehennam ni resipiscerent, et libros Origenis in flumen demergerent, ut patet ex Vita ejus, capite XLIV. Sic Aphraates monachus eremo exiit in urbem, ut Arianis resisteret; cumque Valens Imperator eum argueret, dicens monachi esse solitudinem, respondit : « Teipsum reprehende, qui flammam in domum Dei injecisti, non me, qui egressus sum ut eam extinguam; » testis est Theodoretus in *Philotheo*. Sic acer in hæreticos fuit S. Hieronymus, S. Hilarius, S. Athanasius et alii.

Nona, amethystus est Zabulon, et Matthias humilis.

Tertius est amethystus, qui purpureus est, roseus et violaceus, sculptura facilis, leniterque flammulas fundit. Dictus est amethystus ἀπὸ τοῦ μεθύσκειν, id est inebriari, et α privativo, eo quod non inebrietur, id est vini colorem non integre accipiat, aut quod ebrietati resistere credatur. Ita Isidorus et Plinius. Differt ab hyacintho, quod fulgor violaceus in hyacintho sit dilutus, in amethysto vero sit micans, ait Plinius, libro XXXVII, capite IX. Amethystus congruit Zabulon, ex quo nonnulli Apostoli prognati sunt, cœlesti virtutum splendore radiantes.

Tropologice, amethystus significat humilitatem : unde in *Apocal.* datur Matthiæ, qui nomine (Matthias enim significat hebraice donum Dei) et in oculis suis parvus, nunquam superbia inebriatus fuit : hinc divina sorte et vocatione, in Apostolum loco Judæ electus, magnus evasit.

Quæ sit via humilitatis?

Interrogatus est quidam senex : Quid est humilitas? et respondens dixit : « Humilitas magnum opus est et divinum; via autem humilitatis hæc est, ut labores corporales assumi debeant, et adscribat seipsum homo peccatorem, et ponat se subjectum omnibus. » Et dixit frater : « Quid est esse subjectum omnibus? » Respondit senex : « Hoc est esse subjectum omnibus, ut non attendat quis aliena peccata, sed sua semper aspiciat, et deprecetur sine intermissione Deum. » In *Vitis Patrum*, lib. V, cap. XV, num. 82.

Quid subjici omnibus?

Magnam contumeliam pati?

Interrogavit quidam frater senem, dicens : Dic mihi unam rem quam custodiam, et vivam per eam. Et dixit ei senex : « Si potueris contumeliam pati et sustinere, magnum est hoc, et super omnes virtutes. » Ibid., num. 83.

Vers. 20. Decima, chrysolithus est Ephraim, et Matthæus pœnitens.

20. IN QUARTO CHRYSOLITHUS, ONYCHINUS, ET BERYLLUS. — In quarto ordine *primus* est chrysolithus, qui partim aurei, partim marini est coloris : unde hebraice vocatur tharsis, id est marinus, inquit S. Hieronymus. Hic congruit tribui Ephraim, qui regiam potestatem in Jeroboam adepta, eam diutissime tenuit.

Tropologice, chrysolithus significat pœnitentiam; unde in *Apocal.* tribuitur Matthæo, qui pœnitens fuit, et fervens amore Christi.

Præclare S. Gregorius : « Plerumque, ait, gratior est Deo fervens post culpam vita, quam securitate torpens innocentia. » Hoc verum esse patet in S. Matthæo, Petro, Paulo et aliis. Narrat Palladius in *Lausiaca*, cap. CXL, de quadam virgine lapsa, quæ pœnitens per 30 annos mancipavit se obsequio ægrotorum, mancorum ac mutilatorum, itaque placuit Deo, ut cuidam sancto

presbytero revelaretur, illam magis placuisse Deo in pœnitentia quam in virginitate.

Undecima, onyx est Manasses, et Philippus ob morum candorem.

Secundus est onyx, ita dictus ab unguis humani similitudine. Hic significat Manassem, ob morum candorem et humanitatem : unde et in *Apocal.* datur Philippo. De onyche ita scribit Anselmus Boethius, lib. II *De Gemmis,* cap. XCI, XCII et XCIII : « Sardonyx est, dum onychi sardius adjunctus est. Calcedonius, dum abest rubicundus et niger color distinctus. Onyx, dum adest niger, et abest rubicundus. Varia enim sunt onychum genera. Aliæ enim nigræ prorsus, aliæ cum albedine, cum fusco, flavo, lacteo, subcæruleo corneoque colore, miram varietatem ostentant; omnes zonas, vel lineas habent, quibus colores a sese mutuo distinguuntur. Tantæ interdum est magnitudinis, ut columnulæ inde fieri possint. Romæ enim in basilica S. Petri sex columnulæ onychinæ conspiciuntur. Appianus testatur Mithridatem Ponti regem, duo millia poculorum ex onyche in suo thesauro habuisse. Sub onyche et sardonychem et calcedonium intellige. Nam et hi apud veteres, pro onyche habebantur. Onychina pocula apud Romanos, myrrhina vocabantur. Onyx ceram non recipit, ideo ad sigilla aptissima est. » Onyx et sardonyx hodie a gemmariis *nicolus* vocantur.

Tropologice, onyx significat candorem et innocentiam. Recte Chrysostomus, homilia 6 *in Matth.* : « Sicut, ait, in conspectu hominum gratiosa est facies pulchra : sic in oculis Dei speciosa est conscientia munda. » Et S. Bernardus : « Non mediocris est titulus virtutis inter pravos vivere bene, et inter malignantes retinere innocentiæ candorem et morum lenitatem. » Et Lactantius, lib. VI : « Nihil, ait, sancta et singularis illa majestas aliud ab homine desiderat, quam solam innocentiam : quam si quis Deo obtulerit, satis pie religioseque litavit. » Quin et poeta Horatius, lib. I, *oda* 22 :

> Integer vitæ, scelerisque purus
> Non eget Mauri jaculis, nec arcu,
> Nec venenatis gravida sagittis,
> Fusce, pharetra.
> Sive per Syrtes iter æstuosas,
> Sive facturus per inhospitalem
> Caucasum, vel quæ loca fabulosus
> Lambit Hydaspes.

Duodecima, beryllus est Benjamin, et Thomas varie tentatus et probatus.

Tertius est beryllus, qui instar aquæ solis fulgore percussæ, rubicundus est et decorus; sed non fulget, nisi in sexangulas formas poliatur : repercussione enim angulorum fulgor acuitur, tenentisque manum adurere dicitur; affertur ex India, unde in *Apocal.* tribuitur Thomæ, Indiæ Apostolo, qui tentationibus et adversitatibus in fide probatus, et roboratus mire refulsit. Hic vero tribuitur tribui Benjamin, qui primum Hebræis dedit regem Saulem; sed statim eo mortuo regno privata est : rursum tempore Michæ accisa est ad sexcentos viros, *Judic.* XX, 47. Unde postea ex afflictione resurgens, et propagata fulgere cœpit, solaque adhæsit tribui Judæ tempore schismatis sub Jeroboam; ipsa denique dedit Paulum Apostolum ita inter labores et adversa fulgentem et triumphantem.

Tropologice, beryllus significat animum fortem et heroicum, adversa quæque vincentem, qui dicat :

> Etiamsi fractus illabatur orbis,
> Impavidum ferient ruinæ.

« Sicut fumus, ait S. Chrysostomus *in Matthæum,* hom. 49, ante ignem præcedit, ante victoriam pugna: sic et ante gloriam Christi, tentatio Antichristi. » Ita S. Thomas tentatus et nutans in fide, per Christum confirmatus, solidior quam ante evasit, adeoque præ aliis Apostolis per plurimas et maximas gentes, perque multa adversa fidem Christi propagavit, uti docet Thomas Stapletonius in ejus Vita. Alexander Magnus audiens Darium, Persarum regem, multas parare militum myriades, respondit : « Unus lupus non timet multas oves. » Benjamin fuit lupus rapax : ita S. Thomas Indos aliasque gentes, quasi oves non timuit, sed rapuit eas Christo et Ecclesiæ.

Christus per duodecim gemmas adumbratus. Cur?

Nota : Hæ duodecim gemmæ non minus sunt pontificis eas in pectore gestantis, quam duodecim tribuum eis inscriptarum. Quare sicut tribuum, ita et pontificis dotes et virtutes quas habet, vel habere debet, significant. Unde allegorice, Christus per pontificem veterem adumbratus, *primo,* est sardius, quia timores expellit, et Apostolos ac fideles dæmonibus terribiles facit. *Secundo,* est topazius, quia cœlesti et infracta charitate mundo irradiavit. *Tertio,* est smaragdus, quia visum delectat tam Angelorum quam Sanctorum. *Quarto,* est carbunculus, quia lux mundi, eum illuminans et inflammans. *Quinto,* est sapphirus, quia cœlestis est ejus doctrina et vita. *Sexto,* est jaspis, quia petra Ecclesiæ fortissima, et quia juvat ad partum bonorum operum. *Septimo,* est hyacinthus, quia mitis et humilis corde, et quia infirmitati animi resistit, eamque a suis expellit. *Octavo,* est achates, quia acer in infideles et impios, et quia abortivum peccati per confessionem nos expellere facit. *Nono,* est amethystus, quia resistit somno, ebrietati, omnemque acediam fugit. *Decimo,* est chrysolithus, quia venit vocare non justos, sed peccatores ad salutem. *Undecimo,* est onyx, quia moribus candidus, et quia bellum movet in vitia. *Duodecimo,* est beryllus, quia in omni tentatione et passione ac cruce constans permansit, imo clarior effulsit. Ita fere Salmeron, tom. VII, tract. 11.

21. HABEBUNTQUE NOMINA FILIORUM ISRAEL, DUODECIM NOMINIBUS CÆLABUNTUR, SINGULI LAPIDES NOMINIBUS SINGULORUM PER DUODECIM TRIBUS. — Hebraice est, *sculpes eos sculptura sigilli secundum nomen suum;* et Chaldæus, *sculpes eos sculptura distincta, sicut sculptura annuli,* vel *sigilli, singu-* Vers. 11.

los juxta nomen suum. Idem clarius dicitur de onychinis in ephod vers. 10, in Hebræo, Chaldæo et Septuaginta, scilicet nomina filiorum Israel in iis sculpta esse sculptura sigilli, על שמות *al scemoth*, id est, secundum nomina, vel pro nominibus filiorum Israel. Unde censet Hieronymus Prado in *Ezech.* I, pag. 45, tam in duobus onychinis, quam in duodecim gemmis rationalis, duodecim nomina filiorum et tribuum Israel insculpta fuisse, non per litteras, sed per notas et signa hieroglyphica more Ægyptio : scilicet iis fuisse insculpta insignia (quæ Galli vocant *les armoiries*) repræsentantia stemma cujusque tribus, ejusque principem et caput. Sicut ergo nobiles in suis annulis et sigillis sculpunt insigne suæ nobilitatis, ut clypeum, galeam, leonem, etc.: ita tribus Judæ signabatur per leonem, Dan per aquilam, Ephraim per bovem, Ruben per caput humanum, etc.: hæc enim cujusque tribus erant insignia, uti dicam *Numer.* cap. II. Id ita factum esse probatur *secundo*, ex *Sap.* XVIII, 24, ubi dicitur : « Parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta; » pro *magnalia*, græce est δόξαι, id est gloriæ, excellentiæ, victoriæ, trophæa, nobilitatis insignia, stemmata parentum, de quibus jure gloriabantur : ergo stemmata hæc, non autem ipsa nomina tribuum insculpta erant hisce gemmis. Sic Cicero poculum aureum diis dedicans, prænomen suum nomenque litteris insculptis, cognomen vero Ciceronis cicere cælato indicavit; cicer enim erat insigne et stemma Ciceronis. Ita Plutarchus in *Cicerone.*

An gemmis insculpta fuerint stemmata, an nomina tribuum?

Hæc sententia in speciem probabilis et plausibilis est : verum si quis solide rimetur verba Scripturæ, apparebit non esse vera, nam diserte tam Hebræa, quam Septuaginta, Chaldæus et Noster dicunt, ipsa nomina fuisse insculpta gemmis, ut patet vers. 9, 10, 11, 12, 21, 29; unde quod dicitur in Hebræo, Chaldæo, Septuaginta, *sculpes eos sculptura sigilli*, nihil aliud est quam quod Noster vertit, *opere sculptoris, et cælatura gemmarii sculpes eos nominibus filiorum Israel, q. d.* Insculpes iis nomina filiorum Israel, sicuti sculptores et gemmarii suis sigillis et gemmis insculpunt characteres et notas quas volunt. Ita enim explicant Lyranus, Abulensis, Vatablus, et alii passim. Sic enim hæc phrasis accipitur tum alibi, tum vers. 36, ubi dicitur : « Facies laminam, in qua sculpes opere cælatoris (hebraice sculptura sigilli, id est, sicuti sigilla solent exsculpi et cælari) Sanctum Domino. »

Respondeo, nomina, non stemmata.

Ad locum *Sapient.* respondeo, in gemmis fuisse scripta parentum magnalia, græce δόξας, id est gloriosa et magnifica nomina Patriarcharum; ab his enim duodecim quasi Patriarchis, duodecim tribus omnesque posteri denominati sunt; pari enim modo ibidem subdit Sapiens, magnificentiam Dei, id est, magnificum Dei nomen tetragrammatum, puta *Jeheva*, scriptum fuisse in diademate pontificis.

22. FACIES IN RATIONALI CATENAS. — Hæ eædem sunt cum illis vers. 13, ut ibi dixi. Vers. 22.

26. FACIES ET DUOS ANNULOS AUREOS, QUOS PONES IN SUMMITATIBUS RATIONALIS. — Hoc vers. 26, et sequentibus duobus, describitur aliud ligamen rationalis cum ephod, aliud, inquam, a duabus catenulis ad humeros ascendentibus, de quibus vers. 13 et 22; catenulæ enim exterius erant, ligamen vero hoc erat internum et immediatum : rationale enim in quatuor angulis et oris suis, puta in duobus, qui erant sursum, et in duobus qui erant deorsum, habebat quatuor annulos aureos, quibus totidem annuli in ephod ex adverso respondebant, ita ut annulus quisque rationalis cum annulo ephod sibi respondente necteretur vitta hyacinthina. Insinuat Josephus vittam hanc non omnino arcte strinxisse duos hos circulos : ait enim, ne quid inter circulos hiaret, filo hyacinthino id expletum fuisse. Porro, ut Hebraica hic indicant, rationale ita superponebatur texturæ ephod, ut oras ejus pariter et annulos excederet et cooperiret (1). Vers. 26.

ET POSTERIORA EJUS RESPICIUNT, — « posteriora, » id est interiora. Ita hebræa; pars enim anterior exterior erat, et visui patens : posterior vero erat interior, abscondita et tecta ab excrescente ora rationalis, uti dixi; sic cap. III, vers. 1, dicitur Moses duxisse gregem ad interiora deserti, hebraice est post desertum, vel ad posteriora deserti.

27. CONTRA FACIEM JUNCTURÆ, — Hebraice, *e regione junctura ejus, super texturam ingeniosam ephod.* Vers. 27.

29. PORTABITQUE AARON NOMINA FILIORUM ISRAEL IN RATIONALI JUDICII SUPER PECTUS SUUM. — Hebr. *super cor suum*, sed *cor* hebraice etiam pectus significat. Jubetur ergo pontifex, uti prius vers. 12, in humeris, ita nunc in pectore gestare nomina tribuum Israel rationali insculpta, ut salutis animarum sibi commissarum admoneatur, easque non tantum humeris gestet, sed intimo cordis sinu cura et oratione sua foveat (2). Vide Vers. 29.

(1) Rosenmullerus : « *In ora, quæ ad ipsum ephodum vergit inferius.* Intelliguntur annuli ad pectoralis inferiores angulos positi, ut ex iis pendens funiculus hyacinthinus e tergo sacerdotis reductus, et humeralium annulis insertus, contineret etiam illic pectorale, ut colligimus ex vers. 28. »

(2) « Hic (summus) Sacerdos repræsentabat totum Israelem. Omnes Israelitæ in ipso censebantur. Jus quod ipse possidebat, omnium Israelitarum erat, sed in ipsum ideo collatum, quia fieri non poterat, ut omnes Israelitas se sanctos conservarent, quemadmodum decebat Sacerdotes Jehovæ. Quod vero Pontifex Hebræorum omnium Israelitarum personam sustinuerit, non tantum ex eo patet, quod omnium tribuum nomina in humeris et pectore suo tulerit : quo certissime significabatur, ipsum omnium nomine et vice ad Deum accedere; sed ex eo etiam, quod, cum ipse enorme aliquod peccatum commisisset, illius reatus impositus sit populo, *Lev.* IV, 3. Hoc peccante, peccat populus. Quam ob rem vero? quia ipse universi populi personam sustinet. » Ita Vitringa,

supra vers. 11. Unde subditur : « Memoriale coram Domino, » id est in memoriam vel monumentum, quod coram Domino duodecim tribus in pectore gestet, idque « in æternum, » id est semper, quando videlicet et quoties ingressurus est Sanctuarium.

S. Bernardus, epist. 42 *ad Archiepiscopum Senonensem*, docet munus Episcopi in duobus consistere, scilicet ut in omnibus suis actibus non quærat aliud, nisi *primo*, gloriam Dei; *secundo*, salutem sui populi : « Hoc, ait, agens pontifex, implebit non solum pontificis officium, sed et etymologiam nominis, pontem seipsum faciens inter Deum et proximum. Pertingit pons iste usque ad Deum ea fiducia, qua non suam, sed Dei gloriam quærit. Pertingit usque ad proximum illa pietate, qua ipsi, non sibi, prodesse desiderat. »

Pontifex sit pons inter Deum et homines.

Vers. 30. 30. PONES AUTEM IN RATIONALI JUDICII DOCTRINAM ET VERITATEM, QUÆ ERUNT IN PECTORE AARON, QUANDO INGREDIETUR CORAM DOMINO, ET GESTABIT JUDICIUM FILIORUM ISRAEL IN PECTORE SUO IN CONSPECTU DOMINI SEMPER. — Pro *doctrinam et veritatem*, hebraice est אורים ותמים *urim et tummim*. Aliqui (quibus favet Cardinalis Bellarminus, lib. IV, cap. III *De Pontifice*) *urim* deducunt a rad. ירה *iara*, id est docere, eo quod Noster *urim* vertit *doctrinam*; *tummim* vero deducunt ab אמן *aman*, id est credidit, quia Noster *tummim* vertit *veritatem*, hæc enim est objectum fidei et assensus nostri, puta id quod credimus. Alii deducunt ab אור *or*, id est *lux*, ut *urim* idem sit quod luces vel illuminationes; *tummim* vero a radice תמם *tamam*, id est *perfecit*, *complevit*, ut *tummim* idem sit quod integritates, vel perfectiones; *urim* ergo et *tummim* idem sunt, quod *illuminatio* et *integritas*; sive, ut Noster vertit, sensum magis quam verba spectans, *doctrina* et *veritas* : per enallagen enim in Hebræo *urim* ponitur numerus pluralis pro singulari, ad auxesim.

Urim et tummim hebraice unde dicta?

Urim et tummim, id est doctrina et veritas in rationali quid? Prima sententia.

Quæstio est hic gravis admodum, quidnam in rationali fuerit *urim* et *tummim*, id est *doctrina* et *veritas*? *Primo* R. Salomon et Judæi respondent fuisse nomen tetragrammaton; hoc enim includit mysterium Trinitatis et Incarnationis Verbi, uti dixi cap. VI, vers. 3, quo mens illuminatur et perficitur.

Secunda.

Secundo, Cyrillus in *Collect.* cap. XXIV, putat hæc non fuisse aliquid arte factum : alioqui enim Scriptura diceret quomodo illa constructa fuissent; sed fuisse cognitionem spiritualem, quæ ingrediebatur cor sacerdotis, quando pectori suo imponebat rationale. Sic et Origenes : « Quomodo, ait, femina aut textor potuit texere doctrinam et veritatem? sapientia ergo est quæ utrumque facit. »

Tertia.

Tertio, Hugo putat hæc fuisse characteres inscriptos rationali per diversas litteras, quas litteras cum projecisset vel commiscuisset pontifex, eæ Dei nutu ita combinabantur, ut significarent id de quo sacerdos consulebat Deum, puta quid in bello aliave re faciendum aut vitandum erat.

Quarta.

Quarto, Arias Montanus putat hæc fuisse duos lapides lucidissimos, immediate productos a Deo, Mosique ab eo datos. Sic fere et Procopius in *Deuteron.* XXXIII : « Inter duodecim, inquit, lapides in pectorali positos, erat claritas et veritas, per alios duos lapides repræsentata. » Huc referri potest sententia Anastasii Nicæni, Quæst. XXXVIII *in* S. *Script.*, qui putat *urim* et *tummim* fuisse adamantem, qui, cum pontifex ingrederetur in Sancta Sanctorum, si populus peccato pollutus esset, nigresceret; si Deus illum punire decrevisset, sanguinei coloris efficeretur; si non peccasset, albesceret ut nix, atque tempore Zachariæ patris S. Joannis Baptista insigniter splenduisse.

Quinta.

Quinto, Oleaster putat duodecim gemmas rationalis vocari *urim* et *tummim*, id est illuminationes et perfectiones, eo quod lucidissimæ essent et perfectissimæ; sæpe enim Hebræi ponunt abstracta pro concretis. Addit Christophorus a Castro loco mox citando, in lapidibus hisce Deum scripsisse suum responsum et oraculum litteris expressis, aut per figuram et imaginem illud in eo depinxisse, sicut in oppido Lusitaniæ Santareno assiduo miraculo in pellucida crystallo visitur Christus, pro cujusque devotione nunc puer tenellus, nunc duodecim annorum, nunc triginta, nunc crucifixus, nunc judex rigidus.

Sexta.

Sexto, Christophorus a Castro Comment. *in Minores Prophetas* lib. III, cap. III Prolegom., censet *urim* et *tummim* fuisse *theraphim*. Nam *Osee* III, 4, Septuaginta pro *theraphim* vertunt δήλωσιν et ἀλήθειαν, quo modo vertunt *urim* et *tummim*, *Exod.* XXVIII, 30; *theraphim* autem erant imagunculæ, seu idola, quæ interrogata dabant responsa, voce manifesta. Erant ergo, ait ipse, *urim* et *tummim* duo parvula simulacra affabre facta, vel Dei manu, vel artificum, quæ ferebat sacerdos intra plicas rationalis; et quoties aliquid erat interrogandum, efferebat, et per illa Deus, vel angelus nomine Dei, clare et perspicue quid agendum esset, vel non agendum respondebat; et propter sermonis perspicuitatem, quo manifestabantur responsa, unum vocabatur *urim*, id est illuminationes, perspicuitates; et propter veritatem dicti aut promissi certo complendi, alterum vocabatur *tummim*, id est consummationes, completiones, veritates. Dum autem sacerdos ea idolula ostenderet, verisimile est ea coruscare solita, ad captandam populi attentionem et admirationem. Verum quis credat Deum hostem idolorum idola inseruisse rationali apud populum tum in idola maxime proclivem?

Septima.

Septimo, et cæteris verisimilius, Lyranus, Abulensis, Lipomanus et Ribera censent, *urim* et *tummim* non fuisse aliud quam duodecim lapides rationalis, qui dicti sint *urim* et *tummim*, id est, illuminatio et perfectio, sive veritas : quia per hosce lapides Deus perfectissime illuminabat pontificem,

Observat. Sacr. I, 298. Cf. Bähr, *Symbolik D. Mosaisch. Cultus*, II, 13 seqq.

et per eum populum, respondebatque consulentibus de rebus agendis, quid facto esset opus : si enim hæ gemmæ splendorem emitterent, significabant Deum Hebræis esse placatum, eisque adfore, ac daturum felicem belli aliarumque rerum eventum; si non fulgerent, sed obscurarentur, significabant Deum Hebræis iratum esse, sinistrumque fore rei eventum (1).

Addunt Hebræi et R. Salomon, litteras duodecim tribuum hisce lapidibus insculptas prominuisse, vel coivisse, ita ut sacerdos ex illis dictiones concinnare, et quæsitis respondere posset : ut cum David rogaret II *Reg.* II : Num ascendam in unam civitatem Juda? Respondit ei Dominus : עלה *ale,* id est ascende, ibi dicunt istas tres litteras prominuisse, *ain* ex nomine Simeon, *lamed* ex

(1) Ita et Schroeder, in Dissertat. erudita *De Urim et Thymmîm*, ipsos illos lapides pretiosos nomine Urim et Thummim insigniri putat; præcipi enim in hoc versu, ut lapides illi sint lucidissimi et perfectissimi, quum in antecedentibus descripti essent secundum nomina sua et ordinem, quo in pectorali essent collocandi. Ex hac igitur sententia אור h. l. significat *splendorem*, et verba *urim et thummîm* vertenda splendor perfectissimus.

Octavo, Michaelis in *Jure Mosaico*, inde, quod non describitur *Urim et Thummîm*, colligi posse existimat, eam rem Israelitis jam notam fuisse, Urimque et Thummim fuisse tres sortes inde ab antiquis temporibus apud Hebræos asservatas, quarum una affirmandi, altera negandi, et tertia in neutram partem decidendi vim notamque habuerit; pectorale ideo instar marsupii comparatam fuisse, ut ei sortes illæ injici possent. Ab hac sententia haud multum recedit Gesenius in *Thesauro*, cujus verba haud indigna sunt quæ hic recitentur : « Quales vero fuerint (hæ sortes sacræ), et quomodo eorum ope Dei oraculum consuluerit Sacerdos maximus, jam Philonis et Josephi tempore incertum erat, quandoquidem jam ducentis ante Josephum annis cessaverat oraculum, lib. III *Antiq.* VIII, 9. Fortasse etiam hæ sortes inde ab omni ævo ad disciplinam arcani pertinuerant. Josephus loc. cit. in ipsis 12 gemmis, quæ exteriorem pectoralis partem ornabant, earumque splendore fuisse Urim et Thummim opinatur.... Sed gemmas pectoralis ab his sortibus diversas fuisse, manifesto arguit locus *Exod.* XXVIII, 30, cum vers. 17 collatus... Verisimiliora dat Philo in *Vita Mosis*, cujus auctoritatem secuti *Urim et Thummîm* duas imagunculas (ἀγάλματα) fuisse censemus, inter duplicem pectoralis pannum insertas, quarum altera doctrinam divinitus patefactam, seu *revelationem* (אורים), altera *veritatem* (תמים) repræsentaret συμβολικῶς. Hebræi autem hoc in more symbolico imitati esse videntur Ægyptios, apud quos Judex supremus sapphirinam *veritatis imaginem* e collo suspensam gestabat (testis est Ælianus, lib. XIV *Var. Hist.* cap. XXXIV : *Judices apud Ægyptios iidem quondam fuerunt qui et sacerdotes. In his princeps erat maximus natu, et in omnes statuendi jus habebat. Eum omnium hominum esse justissimum oportebat, qui circa collum imaginem ex sapphiro gemma confectam gestabat, quæ vocabatur Veritas;* et Diodorus Siculus, lib. I, cap. III, ubi de sacerdotibus Ægyptiorum disserit : *Ferebat præses judicum circa collum ex aurea catena pendens signum pretiosorum lapidum, quod vocabant Veritatem. Inchoabant autem disceptationes, cum Veritatis imaginem adposuerat sibi judicum præses*). Atque Hebræos antiquiores a virtutibus viribusque symbolice et per imaginem exhibendis minime abhorruisse, id præter Cherubos docent Theraphim. »

Nono, egregie hunc locum tractavit Bähr in opere cui titulus : *Symbolik des Mosaischen Cultus*, tom. II, p. 108 et 134 seqq. Illius sententiam, quæ multo aliis præplacet, paucis hic exponere, operæ pretium erit.

1. Τὸ חשן, ornamentum pectorale, *rationale* vulgo dictum, munus judicis spectat et significat : hinc semper dicitur rationale *judicii* : cf. *Num.* XXVII, 21. Eo modo se habet ad Urim et Thummim, quo arca ad tabulas legis : mere est repositorium. Id indicat tum ipsius forma, cava scilicet instar marsupii; tum hebrææ phrasis constructio, ut jam animadvertit Rabbi Levi ben Gerson, apud Spencerum, cap. II, p. 327 : « Quia Moses post insertos Pectorali lapides pretiosos, jubetur ei indere Urim et Thummim, hoc facit credere, quod Urim et Thummim fuerunt quidpiam quod Moses Pectorali indidit, ad eum modum quo tabulas indidit in arcam, quia utrinque eadem phrasis ונתת אל (conf. *Ex.* XXV, 16) adhibetur. »

2. *Urim* igitur erit *lux*, seu *illuminatio* in judicando; quo posito Thummim verti nequit *perfectio* : perfectio enim cum judicio non quadrat, quadrat autem cum *illuminatione* in judicando, ita ut sensus sit *perfecta illuminatio*. Ita Carpzov, *Apparat. critic. Ant.* p. 76 : « Duo utique et *disparia* sunt vocabula, Urim *luces*, Thummim *perfectiones*, sed quæ per tritam admodum hendiadem rem unam, *illuminationes perfectissimæ*, notant. » Gesenius quoque, *Thesaur.* p. 54, duas has voces sensu jungit, dum vertit, *revelatio vera*, quæ tamen versio pluribus peccat, primum quod Thummim non significat *vera*, deinde quod notionem veritatis illuminationis notio complectitur, *illuminatio* autem in discernenda veritate plus minusve *perfecta* esse potest. Adde, quod vox *Urim* sola non semel occurrit, v. g. *Num.* XXVII, 21; I *Sam.* XXV, 6; nunquam vero *Thummim* : unde jure infertur *Urim* esse potiorem denominationem, *Thummim* vero secundariam sumique tanquam adjectivum.

3. Τὸ Urim et Thummim erat res aliqua corporalis, sub visum tactumque cadens, in Rationali inclusa : hinc Rationale erat duplicatum tanquam marsupium; ideoque errat Schroeder : vid. supra. Rursum, res illa erat unica : hinc per solam vocem *Urim* nonnunquam designatur, juxta axioma : A potiori fit denominatio; Thummim est notio secundaria, non necessaria, tanquam merum ἐπίθετον addita. Errant igitur Michaelis et Gesenius qui *plures* res admittunt. Ex locis I *Sam.* XXIII, 9; II *Sam.* II, 1, patet responsum ab Urim et Thummim petitum reddi non potuisse simplici affirmatione vel negatione, qualem aliqua sors dare potest : gratuito igitur *tres* sortes a Michaeli sumuntur. Nec majori ratione *duæ* tantum assumerentur, una negans, affirmans altera; nam τῶν Urim et Thummim notiones, nedum oppositæ, e contra ita conjunctæ videntur, ut unum idemque exprimant. Insuper duæ illæ res, saltem in hac hypothesi distinctæ, male designarentur per solam vocem *Urim*, ut non semel fieri supra diximus. Quid sit autem illa res unica, e qua materia, quave stet forma, respondeo cum Prideaux, *Orat. de vest. Aaron.* II (apud Spencer. p. 327) : « Sufficit observasse, Urim et Thummim a Deo tradita, a Mose recepta, et inter Rationalis duplicitatem velut in theca quadam fuisse inclusa. Ultra qui temere quid asseruerit, videat ne venditando scientiam, tam imperitis, quam peritioribus ludibrium debeat. »

4. Res illa corporalis, visibilis, unica, etc. vel erat ratio, et quasi *instrumentum*, quo Pontifex illuminaretur ad judicium, vel tantum symbolum et quasi signum externaque attestatio hujus illuminationis. Prius dici nequit, toti videlicet Mosaicæ institutionis οἰκονομίᾳ repugnat, quæ magiam omnem ut abominabile quid omnino respuit, nedum admittat. Posterius e contra

nomine Levi, *he* ex nomine Jehuda. Ingeniosum videtur hoc figmentum.

Ut in re tam obscura aperiam id quod sentio, dico *primo* : Satis patet ex Scriptura Deum per *urim* consultum solere respondere, et dare oracula; vel potius *urim* hoc alibi non usurpari, nisi ubi Dei responsum sciscitantur per pontificem, vestibus pontificalibus et rationali maximeque *urim* indutum; ita enim *Num.* XXVII, 21, dicitur : «Eleazar consulet Dominum;» hebraice est, *Eleazar interrogabit Dominum in judicio urim.* Similia sunt I *Reg.* XXII, 15, in Hebræo, et cap. XXIII, vers. 2 et 4, et cap. XXVIII, vers. 6, et I *Esdræ* II, 63, et II *Esdræ* VII, 65, et alibi. Sicut enim Deum consulebant per Prophetas, ita et per pontificem pontificalibus urimque vestitum.

Octava et genuina.

Dico *secundo* : Mihi verisimilius videtur hæc duo nomina *urim* et *tummim,* id est doctrina et veritas, inscripta fuisse rationali, ita ut cum dicit Scriptura : « Pones in rationali doctrinam et veritatem, » sensus sit, inscribes in rationali hæc duo nomina : Doctrina et Veritas, sicuti tiaræ pontificis inscripta fuerunt duo verba : « Sanctitas Domino, » uti videbimus vers. 36.

Urim et tummim inscripta fuerunt rationali.

Hæc sententia probatur *primo,* quia hic planus et simplicissimus est sensus verborum Scripturæ quæ vix alium patiuntur : nam cum fuse descripsisset Moses duodecim gemmas rationalis, et immediate ante hoc præceptum de ponendo urim et tummim in rationali, rursus duodecim gemmarum clare meminisset : quorsum, quæso, paulo post, easdem tam obscure nominibus *urim* et *tummim* inculcaret?

Prob. Primo.

Dices, eas denuo per urim inculcari, ut usus et finis harum gemmarum significetur, videlicet quod illæ erunt instar oraculi, per quod Deus consultus respondebit, quasi dicat : Pones urim et tummim in rationali, id est, pones oraculum in rationali.

Objicitur.

Sed contra, *primo,* hoc satis significatum est nomine rationalis judicii, uti dixi vers. 13, idque clarius vel æque clare, quam nomine *urim* et *tummim*; ergo si Scriptura rationale judicii volebat exponere, aliis et clarioribus usa fuisset verbis, quam *urim* et *tummim.*

Resp. Primo.

Secundo, Mosis non erat facere, vel ponere oraculum in hisce lapidibus, sed Dei : ergo non bene dicitur, « pones, » vel, ut hebraice est, *dabis in rationale,* doctrinam, id est oraculum; sed dicendum erat : « Ego ponam, ego dabo per lapides hosce oraculum. »

Secundo.

Tertio, τὸ autem, cum ait : « Pones autem in rationali urim, » id est doctrinam, plane significat hic novum quid, et omnino diversum præcipi ab eo quod præcessit, puta a fabrica duodecim gemmarum.

Tertio.

Dices *secundo* : Hæ duodecim gemmæ vocantur מלאים *milluim,* id est plenitudines, *Exod.* XXV, 7; ergo non mirum, si eædem vocentur *urim,* id est illuminationes.

Respondeo : Gemmæ istæ *Exod.* cap. XXVII, non vocantur *milluim,* id est plenitudines, sed אבני מלאים *abne milluim,* id est lapides plenitudinum, hoc est, quibus impleretur et ornaretur rationale, per phrasin Hebræis usitatam, quam omnes ibidem explicant eo modo quem jam dixi; unde tam Chaldæus quam Noster ibidem vertunt, *ad ornandum rationale :* hic vero non vocantur *lapides illuminationum,* sed illuminationes, sive lux et doctrina : ita enim Hebræum *urim* Noster, et alii omnes vertunt. Unde

Secundo, hanc sententiam suadent Septuaginta, qui *urim* et *tummim* vertunt δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν, id est manifestationem et veritatem, et noster Interpres, qui *veritatem* : quis enim non videt, plane detorte duodecim gemmas, licet ad oraculum positas in rationali, vocari « doctrinam » et « veritatem? » Si id voluit Spiritus Sanctus, cur id non

Probatur Secundo.

mirum in modum cum Mosis institutione congruit. Quemadmodum enim legis tabulæ, in arca repositæ, omnes leges præceptaque omnia a Deo Israelitis data repræsentabat, et, veluti divini fœderis monumentum, quomodo Jehovah cum populo Israelitico se haberet, asserebant : ita symbolum τῶν Urim et Thummim divinam *illuminationem in judicando* nunquam Pontifici defuturam significabat atque attestabatur. Cf. verba Rabbi Levi ben Gerson superius allata.

5. Illuminatio per Urim et Thummim non absolute et sine restrictione Pontifici concedebatur. Illius usum ipsa Rationalis institutio et forma indicant. Rationale enim duodecim constat lapidibus pretiosis, in quadrum ordinatis, totum Israeliticum populum tanquam τὸ Dei צבא repræsentantibus. Hinc Judicium et Illuminatio Israelem quatenus est Dei populus et צבא, non res privatas, spectat. Revera patet ex historia nunquam illuminationem per Urim et Thummim concessam, imo quæsitam esse, nisi quando totius populi res agebatur. Cf. *Num.* XXVII, 21; I *Sam.* XXIII, 9; XXX, 7. Ita quoque Rabbini. Abarbanel : « Requiritur ut interrogatio sit consilium, quod spectet negotium omnis populi, non de re particulari et privata alicujus, » *in Exod.* XXVIII. Buxtorf, *Hist. Urim et Thummim,* cap. III : Nimirum non licuit sacrum hoc oraculum consulere de negotio privato... sed de rebus publicis. Hinc tribuum nomina Pectorali erant inserta, ut scirent, harum duntaxat causa hoc beneficium ipsis indultum esse. »

6. Quomodo vero Pontifex Maximus consuluerit Deum, et quanam ratione is responsa dederit, facile dictu est. Pontifex precibus a Deo rogabat illuminationem, ut in re gravi et publica populo bene consulere posset. Quod ipsi, precibus absolutis, in cor, id est in mentem, venerat, pro Dei responso habebatur, illudque revera ipsi a Deo inspiratum esse, Urim et Thummim quæ suo pectori applicata gerebat, attestabantur. Quemadmodum Deus in signum suæ in Israelitas singularis protectionis, in medio eorum suam sedem visibilem constituerat, ita huic eidem populo de salute aliorum populorum tam bene merenti, signum externum et pignus indulsit, quo certus esset, ipsi nunquam divinum consilium et illuminationem in rebus magni momenti defuturum; nec, qui visibile illud pignus gereret, dignior alius, quam Pontifex Maximus, *regni hujus sacerdotalis* (*Exod.* XIX, 6) dux et princeps. Rei miraculum si quem offendit, populum Israeliticum a Deo tam singulariter electum, tam divinitus deductum, tanta dignitate donatum prius miretur.

expressit in Hebræo, aut saltem cur per aliquem Interpretum id non explicavit, dicendo : « Pones urim et tummim, » id est, pones oraculum, « in rationali? » Jam vero dum passim vertunt : « Pones in rationali doctrinam et veritatem, » quid aliud significant, quam hæc ipsa inscripta fuisse rationali? idque sat significat *he* demonstrativum quod in Hebræo additur, et præponitur *urim* et *tummim*, *q. d.* Τὸ *urim* et τὸ *tummim* pones et scribes in rationali.

Probatur tertio. *Tertio,* quia hanc sententiam aliis præfert S. Augustinus, *Quæst.* CXVII; Philo, lib. III *De Vita Mosis;* Rupertus, Hugo Cardinalis et Victorinus hic; Radulphus, lib. VI *in Levit.* cap. I; Alcazarius in *Apoc.* cap. XI, notat. 7; Bellarminus, lib. IV *De Pontifice,* cap. III. Favet etiam S. Hieronymus *ad Fabiolam,* et S. Gregorius, II part. *Pastor.* cap. II, et Rabanus hic; item Cyrillus in expositione Symboli Nicæni, ubi sic ait : « In pectore summi sacerdotis fuere lapides duodecim, in quorum medio figuratum erat, manifestatio et veritas, duo iterum alii lapides; cæterum per hos duodecim, Apostolorum chorus enigmatice demonstrabatur, quasi in circulo Emmanuelem, qui est manifestatio et veritas, cingens. »

Nec obstat Josephus, lib. III *Antiq.* cap. IX, ex quo auctores sextæ sententiæ suam opinionem hauserunt : tantum enim eo cap. narrat Josephus, has duodecim gemmas rationalis tempore belli solere fulgere, et fulgore suo prænuntiare victoriam Hebræorum, ideoque *essen* (*chosen* hebræum), id est, rationale, a Græcis dictum esse λογίον, id est oraculum, eo quod contineret has gemmas suo fulgore prænuntiantes victoriam. Sed hoc vaticinii genus cessavit jam a ducentis annis, inquit Josephus. Itaque non asserit Josephus, in omni re dubia gemmis præsignatum fuisse eventum, qui futurus erat : neque vero fieri poterat, ut gemmæ fulgore suo loquerentur et prænuntiarent modum, tempus, aliasque rei futuræ circumstantias : unde, ut jam ante vidimus, responsum vel oraculum *urim* in Scriptura vocatur oraculum per sacerdotem, vel vocem sacerdotis. *Secundo,* in priscis illis vacillat subinde fides Josephi; sed esto demus, quod ipse ait, lapides hos tempore belli mutasse colorem aut fulgorem, itaque significasse futurum belli eventum, quod tamen ridet S. Augustinus, imo demus Josephum dicere non tantum in bello, sed in qualibet alia re id accidisse, inde tamen non effeceris Josephum dicere *urim* et *tummim* fuisse has duodecim gemmas rationalis : neque enim Josephus lapides illos radiantes *urim* et *tummim* nominat; aut Josephum negare quod *urim* et *tummim* inscripta fuerint rationali : potuerunt enim ei inscribi, ut indices et significativæ miraculi, sive oraculi; quod per lapides eorumque fulgorem dabatur.

Objicitur primo. Objicies *primo,* nulla fit mentio hujus scripturæ *urim* in rationali, *Exodi* cap. XXXIX, ubi tamen fabrica ephod exacte describitur.

Respondeo, hic satis eam exprimi, et ex hoc loco satis intelligi, eam juxta præceptum Domini factam et insertam fuisse rationali, maxime, quia eo loco ea tantum fere recensentur, quæ ad ingenium artificis Beseleel, vel ad materiam, partesque fabricæ spectant. Talia autem sunt lapides, catenulæ, vectes, tabulæ, annuli, etc., non autem scriptura vel textura duorum nominum, quæ non a Beseleel, sed a phrygione quopiam vel phrygionissa contexta esse, est verisimile. Unde et multa alia compendii causa præteriit ibidem Moses, quæ fuse hic enarrat, ut patet de compositione olei et thymiamatis, cap. XXXVII, vers. 29; de modo inscriptionis nominum in lapidibus onychinis, cap. XXXIX, vers. 6. E contrario quædam ibi supplentur, quæ hic subticentur, ut patet de vecte medio, cap. XXXVI, vers. 33; de coronulis mitræ, cap. XXXIX, vers. 27; de speculis mulierum, ex quibus factum est labrum æneum, cap. XXXVIII, vers. 8; de metalli pondere in fabricam insumpto, cap. XXXVIII, vers. 24. Non mirum ergo *urim* et *tummim* subticeri et subaudiri *Exodi* cap. XXXIX, præsertim cum vice versa *Levit.* cap. VIII, vers. 8, illa exprimantur, et subticeantur gemmæ rationalis : « Rationale, inquit, aptavit in quo doctrina et veritas, » ubi in rationali 12 ejus lapides per compendium intellexit; expressit vero et nominavit doctrinam et veritatem, quæ maxime sacerdotem ornare debent. Resp.

Objicies *secundo* : Rationale erat valde parvum; ergo non videtur capere potuisse 12 lapides cum hac scriptura, *urim* et *tummim.* Objicitur secundo.

Respondeo : Rationale ad hoc satis erat magnum; nam tam in longitudine quam in latitudine habebat spithamam; potuisset ergo multo plures lapides capere. Deinde, in rationali interstitium erat inter singulos ordines lapidum, ipsosque lapides, in quo facile exarari poterant decem hæ litteræ *urim* et *tummim,* non tantum minusculæ, sed et magnæ ac conspicuæ.

Itaque verisimile est has duas voces, opere phrygionico acu pictas fuisse in rationali, inter duodecim gemmas, quanquam Cyrillus verbis ante citatis innuat eas inscriptas fuisse in duobus lapidibus, distinctis a duodecim gemmis.

Denique potuerunt hæ duæ voces inscribi alicui telæ, vel membranæ, et appendi ad ipsum rationale, idque insinuatur *Levit.* cap. VIII, vers. 8, in Hebræo.

Quæres *secundo,* cur *urim* et *tummim,* id est, doctrina et veritas, inscripta fuerint rationali? Quæritur secundo, cur *urim et tummim* inscripta fuerunt rationali? Causa litteralis.

Respondeo *primo* : Historica et litteralis causa fuit, ut per hoc sacerdotii dignitas commendaretur populo, quando pontificem rationali urimque indutum edoceri a Deo de futuris eventis, et vice Dei oracula fundere cernebat, non quod per has voces *urim* et *tummim,* in rationali acu pictas, Deus responderet; sed quod per pontificem, iis quasi pontificalibus indutum, et fungentem jam munere pontificio, Deus revelaret illa, de quibus

consulebatur, idque hæc scriptura *urim* et *tummim* significabat, scilicet pontificem rationali indutum, esse in *urim* et *tummim*, id est, accipere a Deo doctrinam et veritatem dubiorum, de quibus eum consulebat. *Urim* ergo non oraculum, sed index erat oraculi; et cum Scriptura dicit Deum per *urim* consultum esse, aut respondisse, id metonymice explicandum est, ut significetur, Deum respondisse per sacerdotem rationali, in quo erat *urim*, indutum. Quod ergo dicitur I *Esdræ*, cap. II, vers. 63, et *Nehemiæ*, cap. VII, vers. 66: « Dicitque Athersata eis (sacerdotibus non invenientibus suam genealogiam), ut non manducarent de sanctis Sanctorum, donec surgeret sacerdos doctus atque perfectus; » hebraice est, *donec surgeret sacerdos in urim et tummim*, hoc est, donec surgeret pontifex aliquis, qui per rationale et urim, modo jam dicto, doceretur, perfecteque intelligeret a Deo, an illi quorum incerta erat genealogia, habendi essent sacerdotes, nec ne.

Simili modo apud Ægyptios, inquit Ælianus, lib. XIV, cap. XXXIV, summus sacerdos (qui et supremus erat judex) gestabat collo appensam imaginem ex sapphiro, quæ appellabatur « Veritas, » atque innuit Ælianus hanc veritatis effigiem in ipso sapphiro fuisse impressam.

Causa allegorica. *Secundo*, allegorica causa fuit, ut pontifex *urim* gestans, et oracula fundens, typus esset Christi summi Pontificis et Prophetæ, per quem veritas facta est, et ad nos delata e sinu Patris, *Joan.* cap. I, vers. 17 et 18. Consequenter ut idem esset typus Vicarii Christi, puta Pontificis Romani, qui per assistentiam Spiritus Sancti habet infallibilem auctoritatem ad universalis Ecclesiæ administrationem, circa decisiones, tam fidei, quam morum. Unde instar urim gestat, aliisque Archiepiscopis gestandum communicat pallium; hoc enim significat plenitudinem auctoritatis et potestatis. Ita Alcazar, *Apocal.* cap. XI, p. 586.

Veritas est sol pulcherrimus. Christi ergo et Christianorum pectus ornet veritas, quasi monile divinum et speciosissimum. Nam, ut ait S. Augustinus, *epist.* 9 : « Incomparabiliter pulchrior est veritas Christianorum, quam Helena Græcorum : pro ista enim fortius Martyres nostri adversus hanc Sodomam, quam pro illa mille heroes adversus Trojam dimicaverunt. » Est enim veritas quasi sol mundum illustrans.

Simulacrum Fidii. Erat apud Ethnicos Fidii simulacrum, quo honor forma viri expressus, veritati, quæ virginis specie effingebatur, manum porrigebat; in medio autem locabatur amor. Qua effigie significabant, *primo*, veritati honorem deberi et amorem; *secundo*, Fidium, id est, fidem niti veritate, amore et honore. Nam « hominum fidem (ut quidam ait) veritas parit, honor sustinet, amor nutrit. »

Symbolice. Symbolice, honor est Deus Pater, veritas est Filius, amor est Spiritus Sanctus : hæc tria conspirant in unum, gignuntque in nobis fidem, gratiam et salutem. Dixit Pythagoras, « veritatem post Deum colendam esse, utpote quæ homines Deo proximos facit; » testis est S. Hieronymus *Contra Ruffinum*.

Tertio, moralis causa fuit, ut sacerdos gestans *urim* et *tummim*, id est, illuminationem, sive doctrinam, et veritatem atque perfectionem, admoneretur jugiter sui officii, videlicet eum debere habere *primo*, *urim*, id est, illuminationem et doctrinam, tum studio, tum magis pietate et oratione acquisitam, *Deut.* cap. XVII, vers. 9, et *Malachiæ* cap. II, vers. 7. Rursum *urim*, id est, inflammationem et zelum, quo populum ad Dei legem et amorem accendat. *Urim* enim hebraice et lucem et ignem lucentem significat : unde Abraham dicitur eductus de *Ur*, id est, de igne Chaldæorum. Hinc ab Hebræo *Ur* deducunt aliqui Latinum *uro* : lux enim illuminat, calefacit et urit. Talis *urim* erat S. Joannes Baptista : erat enim ipse « lucerna ardens et lucens. »

Secundo, eum debere habere *tummim*, id est veritatem, tum in corde, tum in ore, tum maxime in vita, puta integritatem et perfectionem vitæ : hanc enim significat *tummim*. Sicut enim os cordi, ita vita ori et cordi respondere debet, perinde ac Verbum Dei (quæ æterna est veritas) est imago Patris : sic hominis verbum et vita debet esse imago cordis, in quo gignitur, ita ut id indicet ac repræsentet quod in corde est, non aliud quippiam fallax ac diversum. Hinc veteres, teste Pierio, lib. LIV, veritatem pingebant quasi malum persicum, cui folium unum adhærebat. Pomum enim persicum simile est cordi : folium simile est linguæ. Sicut ergo pomo folium adhæret, ita cordi adhæreat lingua et vita, idque tantum proferat sermone et operibus, quod continetur corde, non aliud quippiam falsum et ementitum.

Denique, eum debere esse interpretem et tutorem veritatis publicæ, id est justitiæ; ea enim magis rempublicam conservat, quam fortitudo. Unde Agesilaus princeps, rogatus utra virtutum harum esset præstantior, respondit : « Nullus usus est fortitudinis, nisi adsit justitia; omnibus autem justitiam colentibus nihil opus est fortitudine. » Pontifex ergo sit Melchisedech, id est, rex justitiæ.

Tropologice, quomodo in sacerdotibus nostris requiratur tam *urim*, quam *tummim*, id est, tam doctrinæ splendor, quam veritas et integritas vitæ, vide apud S. Hieronymum, *De Vestibus sacerdot.*, et S. Gregorium, II part. *Pastor.* cap. III.

Rectorum vita a subditis trahitur in exemplum. Caveant ergo pastores et doctores, æque ac principes, ne vitiorum exemplo populum inficiant. Nam, ut ait Quintilianus, *Declam.* 3 : « Hæc est superiorum conditio, ut quidquid faciunt, præcipere videantur; et perniciosissimus est, malæ rei quisque maximus auctor; » utque ait Claudianus, *Panegyr. 4 Honorii* :

> Componitur orbis
> Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus
> Humanos edicta valent, ut vita regentis :
> Mobile mutatur semper cum principe vulgus.

Et Horatius, *Satyra* 14 :

> Velocius et citius nos
> Corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis
> Cum subeunt animos auctoribus.

Altera ex parte, ut ait S. Gregorius, hom. 26 *in Evang.* : « Durum est, ut qui nescit tenere moderamina vitæ suæ, judex fiat alienæ; » et, ut ait S. Ambrosius, *epist.* 76 : « Quid tam divinum quam ista sententia, ut is peccata puniat, qui peccati exors sit; quomodo enim feras alieni ultorem, et proprii criminis defensorem? » Quare recte Cassiodorus, lib. VI *Var.*, hanc formam rectori præscribit : « Esto, ait, vita continens, ut possis in alios esse judex. Prima æquitas est, a se præsules inchoare, ut debeant criminosi metuere, quem nequeunt similem reperire. Nullas in se culpas timet reus, quas in se habere perspexerit cognitorem. O quale est, liberum tribunalibus insidere! »

ET GESTABIT JUDICIUM FILIORUM ISRAEL. — « Judicium, » id est, rationale judicii, de quo vers. 15; est metonymia. Sic cap. XXVII, vers. 21 et alibi, *testimonium* vocat ipsam arcam, in qua erat testimonium, id est lex, sive tabulæ legis.

Vers. 31. Tertia vestis pontificis, tunica hyacinthina describitur.

31. FACIES ET TUNICAM SUPERHUMERALIS TOTAM HYACINTHINAM. — Hæc est tertia vestis pontificis. Prima enim erat ephod, secunda erat rationale, tertia est hæc tunica, quæ proinde tunica ephod, id est superhumeralis, dicitur, quia ipsi proxime incumbebat ephod cum rationali, ita ut ephod immediate supra hanc tunicam indueret pontifex. Ita S. Hieronymus.

Primo. Nota *primo* : Hæc tunica erat laxior quam tunica stricta, sive linea, de qua vers. 40, atque ad talos usque descendebat. Unde a Septuaginta vocatur ποδήρης, ἀπὸ τοῦ ποδός, quod usque ad pedes esset promissa.

Secundo, erat hæc tunica hyacinthina, id est, facta ex lana hyacinthina, sive violacei coloris; significabat enim sacerdotis vitam debere esse cœlestem, idque usque ad finem : ipsa ergo monebat sacerdotem, ut ipse hoc suo colore conspecto, mentem in cœlestia sublevaret, ait Theodoretus, ac proinde curaret corpus habere leve et aereum ex sobrietate et victus tenuitate, ait Nyssenus.

Tertio. *Tertio*, tunicam hanc manicas habuisse docet S. Hieronymus, nec repugnat Josephus, si bene examinetur (1).

Quarto. *Quarto*, hæc tunica inferne in limbo, qui erat juxta pedes, habebat duo et septuaginta mala punica, et totidem tintinnabula, ut horum pulsu vocalis incederet pontifex, ingrediens Sancta sanctorum, alioqui moriturus, de quibus vers. 35.

Quinto. *Quinto*, habebat capitium cum ora, sive limbo textili, de quo jam sequitur.

(1) Rosenmullerus tamen huic tunicæ exteriori manicas defuisse affirmat.

Vers. 32. Capitium tunicæ quod?

32. IN CUJUS MEDIO SUPRA ERIT CAPITIUM. — « Capitium, » id est apertura; hebraice est *os capitis*, id est, foramen in summo, per quod caput transmittatur. « Erat, ait S. Hieronymus, hæc tunica in superiori parte qua collo inducitur, aperta, quod capitium dicitur. »

ET ORA PER GYRUM EJUS TEXTILIS. — « Ora » hæc erat fimbria vel limbus aperturæ jam dictæ, sive capitii latera, ne rumperentur, tegens et firmans per circuitum. Unde hebraice est, *sicut limbus loricæ erit ei ne rumpatur*, *q. d.* Muniet eam instar limbi loricæ, ne rumpatur (2).

Erat hæc « ora textilis, » id est facta non acu, sed opere textili. Septuaginta vertunt, *opus textorii*, *copulationem textam ex ipso*. Unde S. Augustinus, *Quæstione* CXVIII, et S. Hieronymus docent hanc oram vel fimbriam attextam fuisse capitio unica contextura, non vero fuisse illi assutam : Josephus tamen eam assutam dicit; sed forte tantum vult dicere eam fuisse annexam, quod tam de textura, quam de sutura accipi potest.

Vers. 33. 33. DEORSUM VERO AD PEDES EJUSDEM TUNICÆ, PER CIRCUITUM QUASI MALA PUNICA FACIES EX HYACINTHO, ET PURPURA, ET COCCO BIS TINCTO, MIXTIS IN MEDIO TINTINNABULIS. — Josephus hæc sic describit : « Ima, ait, vestis ornabatur limbo effigie malorum punicorum distincto, a quo et tintinnabula aurea sic dependebant, ut medium esset quodque malum punicum inter duo tintinnabula situm, et vicissim tintinnabulum inter duo mala punica : » erant ergo alternatim sita malum punicum et tintinnabulum. Ecclesiasticus cap. XLV, vers. 10, plurima ea fuisse dicit, S. Hieronymus et Isidorus, lib. I *Etymol.* XXI, præcise numerant duo et septuaginta mala punica, et totidem tintinnabula.

Mala punica et tintinnabula.

Vers. 35. 35. UT AUDIATUR SONITUS, QUANDO INGREDITUR ET EGREDITUR SANCTUARIUM IN CONSPECTU DOMINI, ET NON MORIATUR, — id est, ut non moriatur propter inobedientiam : volo enim et jubeo sonitum pontificis, puta pulsum tintinnabulorum ejus audiri in ingressu et egressu tabernaculi, ad excitandam in eo et in populo reverentiam mihi debitam, videlicet ne domum meam intret nisi prævio pulsu, non quem ego audire cupiam, sed quem ipse uti et populus audiens, admoneatur majestatis meæ, cujus templum ingreditur, simul et reverentiæ officiique sui.

In veste pontificis erat totus orbis, quomodo?

Hinc ait Sapiens cap. XVIII, vers. 24 : « In veste poderis (in tunica hac hyacinthina, sub qua cum Lyrano, Dionysio et Hugone omnes alias pontificis vestes intellige per synecdochen) totus erat orbis terrarum. » Nam *primo*, femoralia linea fi-

(2) « Vulgo vertunt, *ne laceretur*, existimantes לֹא idem valere quod אַל. Sed vertendum est, sit foramen... sit limbus...., *non lacerabitur*. Nos etiam in talibus sententiis a vincienda oratione abstinemus. » Ita Maurer ad h. l. Nec intelligenda hic lorica ænea aut ferrea, sed *linea*, quales loricæ in Ægypto ferri solebant. Cf. Plinium, *Hist. Nat.* XIX, 1, 2; Herodotum, lib. III, cap. XLVII.

gurabant terram, ex qua linum nascitur. *Secundo,* zona figurabat oceanum, qui quasi zona terram cingit. *Tertio,* tunica hyacinthina figurabat aerem, in qua sunt mala punica, id est fulgura, et tintinnabula, id est tonitrua. *Quarto,* ephod varium figurabat cœlum sidereum; duo onychini erant duo hemisphæria, vel sol et luna : duodecim gemmæ in pectore erant duodecim signa in Zodiaco. *Quinto,* tiara figurabat cœlum empyreum; lamina tiaræ aurea habens inscriptum nomen tetragrammaton, figurabat Deum omnibus præsidentem. Idque *primo,* ut hoc suo vestitu et ornatu pontifex ostenderet, se Creatoris mundi esse ministrum, et indicaret omnem creaturam Dei misericordia indigere, ipseque pro ea tam habitu et veste, quam voce et mente precaretur. *Secundo,* ut considerata universi, quam gestat, imagine, vitam præstaret a natura non degenerem; sed, sicut elementa aliaque creata Deo per omnia obediunt, ita obediret et ipse. Ita Philo. *Tertio,* ut operando sacris totum mundum, quem in veste quasi gestat, deprecatorem secum apud Deum allegaret. Hæc omnia pene ex Josepho et Philone habet S. Hieronymus, et brevissime S. Thomas, I II, *Quæst.* CII, art. 5, ad 9, qui et tropologiam addit pari brevitate. Femoralia, ait, significant castitatem; tunica linea significat vitæ universæ puritatem et innocentiam, zona moderationem discretionis, tiara rectam intentionem, et hæc communia sunt omnibus sacerdotibus. Pontifici vero insuper propria erat lamina aurea cum nomine *Jeheva,* significans jugem Dei memoriam in contemplatione, quam debet habere pontifex. *Secundo,* ephod, id est compassio, qua suis quasi humeris ferat infirmitates populi. *Tertio,* tunica hyacinthina, id est conversatio cœlestis. *Quarto,* rationale, id est cura, et charitatis viscera erga subditos.

Cur ? Prima causa. Secunda. Tertia Tropologia vestium pontificis.

Ubi nota : Totus mundus est quasi templum quoddam sanctissimum et Deo dignum, ut aiebat Diogenes, et Philo lib. II *De Monarchia,* et Lactantius, lib. *De Ira Dei,* cap. XIV. Hinc et Baruch ait cap. III, 24 : « O Israel, quam magna est domus Dei ! » scilicet hic mundus, in quo quasi divini templi antistes, sacerdotio functurus pro universis creaturis, homo est constitutus : ideoque Hebræorum pontifex in sua veste totum repræsentabat orbem.

Mundus est quasi templum Dei.

Sed ut ad tintinnabula revertamur, hæc allegorice prædicationem Christi, mala vero punica ejusdem miracula significabant. Ita Rupertus, quem vide reliqua omnia Christo accommodantem. Prosper hæc Pentecostæ attribuit, in qua fuerunt tintinnabula (quæ Prosper numerat 50 in tunica hac Aaronis) et mala punica, id est, linguæ igneæ Apostolorum personantes magnalia Dei.

Tintinnabula significabant prædicationem Christi, mala punica miracula Christi.

Tropologice S. Hieronymus : « Tanta, ait, debet esse scientia et eruditio Pontificis Dei, ut et gressus ejus et motus, et universa vocalia sint. Veritatem mente concipiat, et toto eam habitu resonet et ornatu; ut quidquid agit, quidquid loquitur, doctrina sit populorum : absque tintinnabulis enim, et diversis coloribus, et gemmis floribusque virtutum, nec sancta ingredi potest, nec nomen antistitis possidere. »

Pontificis omnia debent esse vocalia.

Et S. Chrysostomus, hom. 73 *in Matth.* : « Sicut, ait, homo ubicumque fuerit, cæteris animantibus præstat : ita doctorem decet, sive loquatur, sive sileat, sive in conviviis, sive alibi sit, cæteris hominibus præcellere : adeo ut incessu, et aspectu, et habitu, omnibusque simpliciter aliis in rebus præstantior esse videatur. » Nam, ut idem ait hom. 3 in I *ad Corinthios* : « Hæc est ratiocinatio cui contradici non potest, quæ fit per facta. » Quare, ut idem ait hom. 5 in II *ad Thess.* : « Magis debet esse doctor vitæ, quam sermonis. » Et S. Augustinus, libro IV *De Doctrina Christiana,* cap. XXVII : « Ut obedienter, ait, audiatur concionator, quantacumque granditate dictionis, majus pondus habet vita dicentis. »

Rursum, tintinnabula sunt aurea, ut significetur omnem sermonem pontificis debere esse aureum; de charitate, sanctitate rebusque divinis.

Eodem modo hæc non tantum de Pontifice, sed et de quovis sacerdote nostro (qui sanctior esse debet pontifice Judaico, eo quod sanctiora tractet et consecret mysteria) accipiunt S. Augustinus, *Quæst.* CXIX, et S. Gregorius, lib. I *Regist.* epist. 24 : « Ideo, ait, in incessu sacerdos habet tintinnabula, ut vitæ viam cum linguæ sonitu, ipsa quoque bona opera sacerdotis clament; diciturque : Mala punica jungite, quasi dicat : Per omne quod dicitis, unitatem fidei teneatis. » Nam malum punicum, quod uno cortice multa grana complectitur, unitatem fidei designat; vel, ut ait Beda, multifariam virtutum operationem uno charitatis munimine tectam. Vide Bedam hæc omnia simili ratione adaptantem.

Exempla.

Tale tintinnabulum, talis gratia et efficacia dicendi resonabat in S. Antonio; nam S. Athanasio teste : « Sermo ejus sale conditus consolabatur mœstos, docebat inscios, concordabat iratos, omnibus suadens nihil amori Christi anteponendum; proponebatque ante oculos bonorum magnitudinem futurorum, et Dei clementiam, et beneficia retexebat indulta. » Postea declarans effectus secutos : « Quis non, ait, tristitiam apud Antonium mutavit in gaudium? quis non iram vertit in pacem? quis orbitatis luctum non ad ejus temperavit adspectum? quis non mœrore paupertatis, quo premebatur, abjecto, statim et divitum despexit opulentias, et in sua lætatus est paupertate? quis post lassitudinem monachus, non ejus est juvatus hortatu? quis adolescentis ætatis accensus ardoribus, non ex ejus admonitu pudicitiæ amator fuit? quis vexatus a diabolo sine medela rediit? quis inimici cogitationibus distractus, cæca tempestate sopita sereno non regressus est animo? »

Nec S. Martinus Antonio fuit inferior. De eo, præter alia, scripsit in genere Sulpitius, lib. *De Vita S. Martini*, cap. XXVI : « Jam vero in verbis et in confabulatione ejus, quanta gravitas, quanta dignitas erat? quam alacer, quam efficax, et quam in exsolvendis Scripturarum quæstionibus promptus ac facilis? Et quia multos ad hanc partem incredulos scio, quippe quos viderim, me ipso etiam inferente, non credere, Jesum testor, spemque communem, me ex nullius unquam ore tantum scientiæ, tantum ingenii, tam puri et tam boni sermonis audisse. Quanquam in Martini virtutibus, quantula est ista laudatio? nisi quod mirum est homini illitterato ne hanc quidem gratiam defuisse. » Hæc Sulpitius.

Eminebat hoc idem donum in S. Joanne Chrysostomo, summo concionatore, qui animos etiam privato sermone permovebat. Audi in ejus Vita Georgium Alexandrinum : « Subinde, inquit, commeminit vitæ sanctorum Patrum et Anachoretarum, eorumque conversationis et virtutis; ita ut ejusmodi sermonibus compungerentur non pauci, atque ex eorum oculis elicerentur uberrime ac defluerent lacrymæ, et ingenti desiderio caperentur solitariam exercendi vitam. »

Non defuit eadem gratia S. Fulgentio, de quo discipulus ejus Vitæ scriptor, cap. IX, XVII, XXI, hæc prodidit : « Et revera sacerdotis officium laudabiliter etiam tunc implebat, non tantum aliquos reconciliando, sed omnes quos attingere poterat, ad reconciliationem salutaribus monitis invitando : cujus sermo dulcis et rectus, quia dura quoque corda molliebat. » Et postea : « Cum verbo loqui quippiam, cogente interdum ratione, voluisset, in ore ejus omnis turba pendebat, ex locutione familiari considerans qualis esset spiritualis magistri futura doctrina. » Paulo post : « Tanta fuit B. Fulgentio facundi sermonis suavitas, tanta in vultu ejus micabat hilaritas, ut certatim fideles universos sancta charitas traheret, vel interrogare doctissimum virum, vel audire, quoties ad interrogata responderet. » Hæc ille. Unde colligas integrum fuisse B. Fulgentio conversandi talentum, quando cum gratia privati sermonis, alacritatem vultus, doctrinarum copiam, morum suavitatem, atque vim trahendi conjungebat.

Posterioribus sæculis habuimus B. Platonem Abbatem eodem dono locupletatum, de quo B. Theodorus Studita, orat. fun. *in B. Platonem*, hæc habet : « Quamdiu cum iis qui in urbe Bysantio erant, versatus fuit, domos totas in aliam vitæ formam mutavit, et ad virtutis statum convertit. Quidnam est hoc, quod dico? suæ, inquam, linguæ admonitionibus, jurandi consuetudinem ab ejus loci hominibus abstulit, nimios ornandi corporis cultus modesta sua doctrina repressit : sæpius de morum probitate disserens, ut charitatem exercerent in pauperes, hominibus persuasit. Quare factum est ut abunde pecuniæ conferrentur, et in ea loca, in quibus pietas exercebatur, publice distribuerentur : eosdem ad lectionem composite exercendam instituit, atque ad quodvis aliud bonum induxit. » Eamdem gratiam et efficaciam movendi et accendendi animos ad pietatem habuit noster fundator S. P. Ignatius, ut patet ex ejus gestis, et ex Vita quam scripsit noster Ribadeneira.

Denique notat Origenes, *hom.* 9, pontificem in ora et fine vestis habere hæc tintinnabula, ut de extremis temporibus et fine mundi nunquam sileat, sed inde semper sonet, inde loquatur, inde disputet, secundum eum qui dixit : « Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. » Illud sane efficiunt præstantissimi et efficacissimi concionatores, ut nullam habeant concionem, in qua novissimi alicujus comminatione, vel terrore, auditores non percellant. Tintinnabula est concio de novissimis.

Hinc et Gregorius Nyssenus videtur per hæc tintinnabula accipere novissimam tubam Archangeli, quæ canet : « Surgite, mortui, venite ad judicium. » Ideoque, inquit, per hæc sua tintinnabula monetur sacerdos, ut corpus habeat leve et aereum ex cibi potusque tenuitate, ut exiliat ad novissimam tubam, referaturque sublimis per aera obviam Christo venturo ad judicium. Videant ergo sacerdotes ne ipsorum corpora unquam graventur crapula et ebrietate. Item tuba Archangeli, *Surgite mortui.*

36. FACIES ET LAMINAM DE AURO PURISSIMO, IN QUA SCULPES OPERE CÆLATORIS SANCTUM DOMINO. — Lamina hæc erat affixa tiaræ in fronte pontificis, ut sequitur. Pro *Domino* hebraice est nomen tetragrammaton. Fuit ergo illud nomen laminæ inscriptum, ut docet S. Augustinus, Hieronymus, Beda, et patet ex Hebræo : *Sculpes*, inquit, קדש ליהוה *codes laiheva* (ut ita dicam), id est, *sculpes, Sanctitas Jeheva, q. d.* Insculpes laminæ hoc emblema : Deus sanctissimus est, et ipsa sanctitas Deo propria et essentialis est, ut scias sanctis eum sacrificiis et actibus a te coli oportere. Rursum, ut nomen Dei pontificis pulchritudinem coronet et protegat, inquit S. Hieronymus. *Tertio*, ut pontifex sit typus Christi, cujus nomen in fronte gerit, ideoque instar Christi portet omnes omnino iniquitates, etiam in ipsa oblatione commissas, easque expiet invocato nomine Dei; unde sequitur : « Portabitque iniquitates eorum, » etc. Vers. 36. Tiaræ ascriptum erat *sanctitas Domino.* Cur? Prima causa. Secunda. Tertia.

Nota : Præcipuum Dei attributum est sanctitas. « Sanctitas enim, ut ait S. Dionysius, est ab omni inquinatione libera, incontaminatissima et perfectissima puritas; » unde et Spiritus Sanctus a sanctitate nomen accepit : quia sanctitas omnia superat, non quidem in Deo, in quo attributa omnia sunt æqualia, imo unum et idem, sed in nobis. Summum enim bonum et perfectio hominis et angeli est sanctitas. Hinc Seraphini, *Isaiæ* VI, ter sanctum Deum clamant, dicentes : « Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum. » Sic et sancta illa quatuor animalia *Apoc.* cap. IV : « Requiem non habebant die ac nocte, dicentia :

Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus omnipotens. » Sic et Deipara canit : « Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. » Sic Trisagion puero in sublime rapto traditum fuit sub Theodosio Juniore Imperatore anno Christi 446. Cum enim Constantinopolis ingenti terræ motu quateretur, Imperator, Patriarcha et populus urbe egressi in campo degebant, supplicesque Deum orabant : et ecce puer quidam e plebe in sublime raptus ab angelis didicit hunc hymnum : « Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nobis; » cumque ad suos depositus rediisset, atque id quod didicerat retulisset, totus populus eumdem hymnum cecinit, atque ita terræ motus cessavit, puerque statim vita defunctus est. Ita habent Græcorum Menologia 24 septembris; Damascenus, lib. III *De Fide*, cap. x; Nicephorus, Baronius et alii.

Vers. 38. 38. PORTABITQUE AARON INIQUITATES EORUM, QUÆ OBTULERUNT ET SANCTIFICAVERUNT FILII ISRAEL, — *q. d.* Ideo pontifex in fronte nomen Dei sanctum, in lamina sculptum præferat et portet, ut quasi in humeros suos tollat et auferat per nomen, virtutem et auctoritatem sanctitatis divinæ, quam hoc ornatu tacite invocat, iniquitates earum rerum, id est in iis rebus admissas, quas offerent, et offerendo sanctificabunt filii Israel. Patet hic sensus ex Hebræo.

Vide hic quam sacerdotes et viri pii humiles esse debeant, verecundi et pudibundi coram Deo, quod in ipsis etiam precibus et sacrificiis distractiones, curiositates, aliasque indecentias et culpas admittant, quas inibi confiteri et agnoscere, veniamque pro iis petere debent invocato nomine Domini.

ERIT AUTEM LAMINA SEMPER IN FRONTE EJUS, UT PLACATUS SIT EIS (ita legendum est cum Hebræo, Septuaginta, Chaldæo et Romano, non *ei*, uti legunt Plantiniana) DOMINUS, — *q. d.* Sacerdos præferens in lamina τὸ *Sanctum Domino*, hac quasi protestatione laudis et sanctitatis Dei, hocque actu latriæ et obedientiæ, vel maxime exorabit Deum, ut populo reconcilietur, et hoc modo portabit et auferet peccata populi.

Vers. 39. Quarta vestis pontificis erat tunica linea. 39. STRINGESQUE TUNICAM BYSSO. — Est hæc quarta vestis sacerdotis, scilicet tunica linea et stricta : hoc enim significat τὸ *stringes* : unde et Septuaginta vertunt κεκρύμβους; κέκρυμβοι autem sunt vincula, ait Suidas, et succingula, ait Hesychius. Perperam ergo R. Abraham, R. Salomon, R. Sahadias, Vatablus aliique recentiores Hebræum שבצת *scibbatsta*, id est *stringes*, vertunt *oculabis*, id est ocellis, sive oculorum figuris tanquam scutulatam vestem ornabis. Sed oculos hos non viderunt oculatissimi Interpretes, Septuaginta, Chaldæus, S. Hieronymus, Philo et Josephus, qui tamen, utpote sacerdos, sæpe hac tunica induebatur : hi enim omnes constanter τὸ *scibbatsta* vertunt *stringes* vel *cinges*, itaque alibi hoc vertunt ipsi quoque Judæi; solo hoc loco novitate abrepti, cæcam hanc oculorum significationem ei affingunt. Denique, tunicam hanc lineam zona accinctam fuisse patet *Levitici* VIII, 7. Unde liquet pontificem duplicem habuisse zonam, unam qua tunicam hanc lineam, alteram qua hyacinthinam cingeret, ut patet *Levit.* VIII, 7.

Quinta erat zona. Pontifex duas habebat zonas

Jubet ergo hic Deus tunicam hanc lineam stringi bysso, id est zona byssinâ, quam Josephus ait latam fuisse quatuor digitos, et intus inanem fuisse, ita contextam ut serpentis exuvium videri posset; floribus quoque puniceis, purpureis, hyacinthinis et byssinis picturatam fuisse, denique stamen ejus fuisse ex sola bysso.

Zonæ descriptio.

TUNICAM. — Tunica hæc jam dicta interior erat, quæ hebraice כתנת *ketonet* dicitur; unde et a Septuaginta græce vocatur χιτών, quasi dicas *linea* : nam, ut docet Josephus et S. Hieronymus, *chiton*, sive *ketonet* hebraice linum significat, licet in Bibliis ea significatio non reperiatur.

Hanc tunicam Josephus ita describit : « Super femoralia, inquit, induit sacerdos lineam interulam, byssinam, ex duplicata tela confectam : ea est tunica talaris (ποδήρης, de qua paulo post) corpori astricta, habens manicas circa brachia, et ipsas strictas, quæ accingitur circa pectus paulo axillis inferius, zona lata quatuor digitos; tunica hæc nusquam sinuatur (id est, nullas habet rugas; erat enim corpori astrictissima), habetque circa collum amplam aperturam, cujus oræ uncinis a pectore et tergo committuntur. »

Tunicæ lineæ descriptio.

Unde patet tunicam hanc lineam fuisse eam, quam proxime super femoralia induebat sacerdos.

Primo.

Secundo, eam factam fuisse ex lino præstantissimo, quod Scriptura byssum vocat, de quo cap. XXV, vers. 4.

Secundo.

Tertio, eam nullas habuisse rugas, nullos sinus, rursum suam habuisse zonam qua cingeretur.

Tertio.

Quarto, arctissime eam strinxisse corpus; idque ad hoc, ait S. Hieronymus, ut sacerdotes essent expediti ad ministeria sua. Nam minores sacerdotes, qui quotidie et ubique in tabernaculo ministrabant, hac sola tunica utebantur.

Quarto.

Hinc *quinto*, eam ad crura tantum pertigisse tradit S. Hieronymus, fuisseque instar camisiæ qua milites utuntur, ut sint expediti ad cursum, ad pugnam omneque opus. Unde mirum est eamdem a S. Hieronymo et Josepho vocari poderem; sed videntur ipsi per poderem intelligere vestem non talarem, sed usque ad pedes, id est ad crura, demissam.

Quinto.

Tropologice Beda : Tunica, ait, linea vel byssina corpori proxima castitatem sacerdoti adeo necessariam significat; ideo totum pectus, ventrem et femora stringit. Zona cæteras virtutes castitatem incitantes, et ne superba sit comprimentes, prudentiam insuper significat et fortitudinem; armata enim debet esse castitas gladio pudicitiæ, inquit S. Hieronymus *ad Principiam*. Ita D. Thomas, I II, *Quæst.* CII, art. 5, ad 9.

Tropologice tunica linea est castitas.

Hinc etiam apud Gentiles, præsertim Ægyptios, tunica byssina, vel linea, erat religionis symbolum, eratque vestis sacerdotum : unde Apuleius in apologia de lineo textu : « Sacerdotalis, inquit, est vestitus et amictus. » Et Herodotus, lib. II, num. 46 : « Sacerdotes Ægyptii vestem tantum lineam gerunt, nec aliam eis induere fas est. » Linum enim apte significat sanctimoniam sacerdotum; nam *primo*, est mundissimum, tum quia multo melius detergit sordes, quam lana, tum quia lavari sæpe potest. *Secundo*, quia lanea et serica tingi et fucari possunt : at linum simplicitatis amans, tincturam omnem et fucum respuit : est ergo symbolum animi simplicis et candidi, qui omnem fictionem respuit, qualis debet esse in sacerdote. *Tertio*, linum licet tenue, nervosum tamen est et robustum, adeo ut apros, in ejus retia se induentes, concidat : tale debet esse robur et nervi sacerdotis. *Quarto* : « Linum, ait Plinius, semper injuria fit melius; » sic vera sanctitas sacerdotum adversis augetur. Injuriæ quas linum tolerat, donec ad optatum candorem et splendorem perveniat, plurimæ sunt, scilicet « evelli, siccari, macerari fluvio, iterum siccari, tundi malleo stupario, decorticari, scindi spatha lignea, pecti ferreis hamis, neri, in filo poliri, illidi crebro in silice ex aqua, texi, et tundi clavis. » Hinc linum est optimum patientiæ, et consequenter sanctitatis (quæ illustris in sacerdote esse debet) symbolum. Has ob causas Apostoli lineam albam in sacris Aaronis imitatione retinuerunt.

Linum est symbolum sanctitatis. Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Item patientiæ.

Porro sicut linea tunica totum corpus ambiebat, ita patientia sacerdotis et cujusvis fidelis, qui spiritalis est sacerdos, totam hominis vitam, omnesque actus et difficultates complecti et superare debet. Hoc enim est opus Philosophi Christiani, quem ad vivum depingit Nazianzenus, *orat.* 28, ubi ait fidelem quemque ex ignobili genere, puta ex luto, esse prognatum : nobilitatem vero ejus consistere in virtute, et præsertim in quieta et constanti ubique patientia. Unde ait : « Morbo laborat? pugnabit; quod si victus fuerit, vincet : hoc scilicet assecutus, ut jam non amplius pugnet. Pauper est? pro divitiis Deum habebit; divites irridebit, ut qui, licet facultates suas quotidie augeant, semper tamen pauperes sint, quia pluribus indigent, bibuntque ut majori siti inflammentur. Fame vexatur? cum avibus aletur, quibus victus sationis et arationis expers est. Siti angitur? fontes ei et flumina potum suppeditabunt, et quidem potum non inebriantem, nec dimensum. Algebit? idem quoque Paulo accidit; est et quoddam cavernæ indumentum. Maledictis lacerabitur? vincet maledicta non regerendo. Persecutionem patietur? sustinebit. Blasphemabitur? obsecrabit. Calumniis premetur? orabit. Percutietur in dexteram maxillam? præbebit et alteram, tertiam etiam (si haberet) objecturus, quo magis lenitatem percussorem erudiat, opere docens quæ sermone non potest. Probris impetetur? et Christus quoque afflictionis societate cruciabitur, quamvis etiam Samaritanus vocetur, quamvis hoc ei objiciatur, quod dæmonis intemperiis agitetur, cum Deo omnia suscipiet. Multa adhuc, quamvis multa pertulerit, restabunt, acetum, fel, corona spinea, sceptrum arundineum, chlamys coccinea, crux, clavi, latrones simul cruci affixi, prætereuntium contumeliæ. Superiora enim Deum habere oportet, eo nomine in contemptum venientem, quod plures cruciatus ferat. Omnia prius cedent, quam ut manus det philosophus Christianus. »

Effigies philosophi Christiani.

ET TIARAM BYSSINAM FACIES. — Tiara est ea quæ cidaris et mitra dicitur; hanc ita ex Josepho describit S. Hieronymus : « Quartum, inquit, vestimenti genus est pileolum rotundum, quale pictum in Ulysse conspicimus, quasi sphæra media sit divisa, et pars una ponatur in capite; hoc Græci et nostri tiaram, nonnulli galerum vocant, Hebræi mitsnephet nominant; non habet acumen in summo, nec totum usque ad comam caput tegit, sed tertiam partem a fronte inopertam relinquit, atque ita in occipitio vitta constrictum est, ut non facile labatur ex capite; est autem byssinum, et sic fabre opertum linteolo, ut nulla acus vestigia extrinsecus appareant. »

Sexta pontificis vestis erat tiara. Tiaræ descriptio.

Addit Beda tiaras has sive galeros habuisse coronulas, idque patet ex *Exodi* XXXIX, 27; eæ autem coronulæ in tiara pontificis erant aureæ, in tiara vero aliorum sacerdotum erant byssinæ, et quasi orbes quidam byssini, sive quasi vitta linea sæpe in orbem replicata, uti insinuat Josephus. Rursum tiara pontificis habebat laminam auream annexam, cui insculptum erat nomen tetragrammatum, quam non habebant tiaræ aliorum sacerdotum.

Tiaræ habebant coronulas.

Tiara ergo pontificis differebat a tiaris aliorum sacerdotum, unde et in Hebræo nomine discriminatur : tiara enim pontificis vocatur מצנפת *mitsnephet*, ab involutione; tiaræ vero aliorum sacerdotum vocantur מגבעות *migbaot*, ab altitudine.

Audi Josephum tiaram pontificis describentem, et ab aliorum sacerdotum tiaris discriminantem : « Pileolo, inquit, quali et cæteri sacerdotes utebantur, super quem alius exstabat ex hyacintho variatus; hunc aurea corona triplici ordine circumdabat, in qua spectantur calyculi (folliculi florum) aurei, quales videmus in herba quæ hyosciamus (jam corrupte jusquiamus) dicitur. »

Tiaræ descriptio ex Josepho.

Vilalpando in cap. XLIV *Ezech.*, putat tiaram sive cidarim pontificis non fuisse pileum, sed fasciam seu vittam, qua sacerdotes et reges olim coronabantur; olim enim Imperatorum diadema non erat aliud, quam fascia byssina cingens et stringens caput, et a tergo in dorsum dependens : uti videre est in imaginibus veterum Imperatorum Romanorum; nam pileus ipse sacerdotalis, ait Vilalpando, dicebatur *migba*, quasi colliculus,

Diadema Imperatorum non erat corona, sed fascia.

galea, galerus; quia formatus erat in modum collis vel galeæ : huic vero pileo circumvolvebatur fascia byssina propria pontificis, quæ *mitsnephet*, id est involucrum, et פאר *pear*, id est ornatus dicebatur.

Verum hæc non consentiunt cum verbis Josephi jam citatis : ille enim in tiara pontificis, præter pileum communem aliis sacerdotibus, agnoscit alium pileum consutilem ex hyacintho, qui erat proprius pontificis. Josephus autem hæc optime scivit, utpote qui quotidie pontifices cum suis tiaris spectabat.

Crediderim tamen tiaram pontificis habuisse diadema, sive fasciam byssinam circumvolutam et dependentem, uti habent infulæ nostrorum pontificum : inde enim videtur vocari hebraice *mitsnephet*, id est involucrum. Unde Pagninus : *mitsnephet*, inquit, erat instar turbanti sive pilei Turcici, qui longa fascia involvitur; nisi dicas tiaram pontificis vocari *mitsnephet*, eo quod in ea pileus unus communis, alteri pileo pontificio quasi esset involutus, uti innuit Josephus.

Tropologice tiara significat primo, unionem cum Deo; secundo, prudentiam; tertio, puram intentionem.

Tropologice, tiara monebatur pontifex omnes sensus consecrare Deo, illique per vittam, id est per continentiam, suique abnegationem devinctos astringere. Lamina Dei nomine inscripta significabat Dei cognitionem et professionem fidei crucisque Christi; vide Bedam et Origenem, homilia 6 *in Levit.*

Rursum tiara roborans et coronans pontificem, significabat sapientiam et prudentiam (hujus enim symbolum est tiara) eumdem roborare et decorare. Vera enim prudentia maximam affert fortitudinem et gloriam. Unde Agesilaus in pugna ad Mantineam hortatus est Lacedæmonios, ut omissis reliquis in solum pugnarent Epaminondam : « Solos, inquiens, prudentes esse fortes, » et illo necato facilem fore de reliquis victoriam, utpote fatuis et nullius pretii hominibus, idque consilium exitus probavit : Epaminonda enim læso, instare cœperunt Lacedæmonii, cedere Thebani; ac moriens Epaminondas (quasi moriente Thebanorum prudentia, æque ac fortitudine et gloria), suasit Thebanis, ut pacem cum hostibus facerent. Ita Plutarchus in *Lacon.*

Tertio, tiara monebat pontificem puræ intentionis, ut omnes actiones suas in Deum dirigeret : sic enim fiunt ipsæ utiles, sanctæ, divinæ, meritoriæ, quæ alias sæpe inutiles sunt et vanæ (quod utinam scirent et adverterent omnes Christiani !). « Vani, inquit Sapiens, cap. XIII, vers. 1, sunt omnes homines (pariter et actiones), in quibus non subest scientia Dei, » puta Dei cognitio, intentio, amor et cultus. Unde S. Gregorius, lib. XXVIII *Moral.* cap. VI : « Per bonæ, inquit, intentionis radium merita illustrantur actionis. » Et Richardus Victorinus, lib. I *De Statu inter. hom.* cap. VII : « Quod, inquit, est corpus sine vita, hoc opus sine intentione bona. » Et S. Augustinus in *Psal.* XXXI : « Non valde, ait, attendas quid homo faciat, sed quid aspiciat cum facit. » Et S. Bernardus, serm. 13 *in Cant.* : « Fidelis, ait, Dei servus es, si de multa gloria Domini tui transeunte per te, nihil tuis manibus adhærere contingat; » sed ei eam reddas a quo manavit, et cujus est omne bonum.

Triplex corona tiaræ quid significabat ?

Triplex corona significabat pontificem esse eminentiorem omnibus regibus, ait Philo; tria enim universitatem significant : nam tria sunt omnia (scilicet prima omnia), ut ait Aristoteles, lib. I *De Cœlo*, cap. I.

Rursum, fuit hæc typus triplicis coronæ Christianorum et Romanorum Pontificum, quali usus est S. Petrus et cæteri deinceps post eum. Petri enim effigies triplici corona in ipsis capillis insignita, antiquissima servatur Romæ in ejus templo, estque illa quam Sylvester Pontifex Constantino Imperatori ostendit.

ET BALTEUM, — puta zonam extimam, quæ rationale, et consequenter omnes alias vestes cingat.

Allegorice zona est amor Christi in nos.

Allegorice, Christus Pontifex induit tunicam hyacinthinam cum ephod et rationali, in quo depictæ sunt omnes tribus Israel, id est omnes gentes Christianæ; tunicam, inquam, carnis nostræ assumpsit, atque eam, et in ea omnes Christianos arctissime et inseparabiliter sibi astrinxit, idque renibus et lumbis suis (hi enim cinguntur zona), ubi sedes est amoris et concupiscentiæ, id est, ardentissimo amori et affectui suo. Sic Jeremias cap. XIII, vers. 1, populum Israel vocat *lumbare*, id est cingulum, Dei, eo quod Deo per fidem et religionem intime copulatus adhæreret quasi cingulum.

Hinc *Apoc.* I, 13, vidit S. Joannes Christum vestitum podere, et præcinctum zona aurea, quæ charitatem Christi repræsentat, quam paucis nervose describit S. Augustinus, serm. 18 *in Matth.* : « Dixit, inquit, Christus homini ægro : Bibe calicem tentationum et tribulationum, ut saneris et vivas. Et ne responderet ei languidus : Non possum, non fero, non bibo, prior bibit medicus sanus, ut bibere non dubitaret ægrotus. Quid enim amarum est in tali poculo, quod ille non biberit? Si contumelia, prior audivit, cum dæmones expelleret : dæmonium habet, et quod in Beelzebub ejicit dæmonia. Unde ut et ipse consolaretur ægros, ait : Si patrem familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus? Si dolores amari sunt, ligatus, flagellatus, crucifixus est. Si mors amara est, etiam mortuus est. Si genus mortis exhorrescit infirmitas, nihil illo tempore fuit ignominiosius, quam mors crucis. »

Tropologice.

Tropologice S. Gregorius, lib. XXXIV *Moral.* VIII : « Zona aurea, inquit, cingi est cunctos mutabilium cogitationum motus per solius amoris vincula restringere. » Jam duplex zona pontificis, puta una qua cingebat tunicam lineam, alia qua cingebat hyacinthinam, significabat duplicem charitatem, duplicemque virtutum congeriem, scilicet internam pro conscientia, et externam pro aliorum auxilio et ædificatione. Ita Origenes, ho-

mil. 6 *in Levit.* Moralia plura de zona congessi *Ephes.* VI, 14, et *Jerem.* cap. XIII, vers. 1.

OPERE PLUMARI, — opere polymito variorum colorum et liciorum, videlicet eorum quibus ephod erat contextum, uti *Exodi* XXXVIII, 28, explicatur. Addit Josephus huic balteo fuisse additas aureas fistulas, ambientes utramque ejus oram. Unde et hoc cap. et seq., vers. 5, balteus hebraice vocatur *ingeniosa textura.*

Vers. 40. 40. PORRO FILIIS AARON TUNICAS LINEAS PARABIS.— Hic numerantur vestes minorum sacerdotum. Ipsi enim non omnes illas habebant quas summus Pontifex, sed aliquas tantum. Minores ergo sacerdotes quatuor tantum habebant vestes, scilicet *primo,* feminalia; *secundo,* tunicam lineam; *tertio,* zonam; *quarto,* tiaram : carebant ergo tunica hyacinthina, ephod, rationali, et lamina aurea cum nomine tetragrammato, quæ habebat pontifex, uti dixi initio capitis.

Vestes quatuor minorum sacerdotum.

Nota : Sacerdotes has vestes induebant cum ingrediebantur tabernaculum sacrificaturi, vel alio munere sacerdotali functuri; non autem cum tabernaculum adibant, ut illud deponerent, ob castrorum metationem : tum enim tam pontifex, quam alii sacerdotes illud intrabant suis vestibus vulgaribus induti. Rursum, cum pontifex aliquod munus sacerdotale obibat, octo jam dictis vestibus, alii vero quatuor tantum vestiebantur. Excipe festum expiationis : tum enim pontifex ingrediens Sancta sanctorum, ut omnia expiaret, induebatur ut communis sacerdos quatuor ejus vestibus : erat enim ille dies afflictionis, uti apud nos fit in die Parasceves, *Levit.* XVI, 4. Ex dictis liquet sacerdotes in templo non nudo capite, sed tiara tecto orasse et sacrificasse; idque ornatus et majestatis causa. Idem fecerunt Romani Gentiles, teste Plutarcho in *Quæst. Rom.,* ex institutione et imitatione Æneæ. Unde Virgilius :

Et capita ante aras Phrygio velatus amictu.

Tria munia sacerdotum.

Nota *secundo* : Munia communia pontifici et aliis sacerdotibus erant tria : *primum,* ponere novos panes propositionis, et tollere veteres, quolibet die sabbati, *Levit.* XXIV, 8; *secundum,* aptare lucernas candelabri quotidie mane et vespere, *Exod.* XXVII, vers. ult.; *tertium,* ponere incensum in altari thymiamatis quotidie mane et vespere, *Exod.* XXX, 7. Sed, ut dixi, vestibus differebant; pontifex enim suis octo, alii vero sacerdotes suis quatuor tantum vestibus induebantur. Proprium vero erat pontificis, semel in anno in die expiationis ingredi in Sancta sanctorum; alia vero sacerdotum communia munia ordinarie aliis inferioribus relinquebat; sed tamen, ut ait Josephus, lib. VI *Belli,* cap. VI, ascendebat ipse in templum sabbato, calendis, vel si quando patria festivitas atque annua ab omni populo ageretur.

Quartum pontifici proprium.

Vers. 42. Femoralia ad quid?

42. FACIES ET FEMINALIA LINEA, — ex lino non quovis, sed byssino, eoque retorto et duplicato firmitatis causa : ita diserte Josephus. Feminalia hæc femora tegebant : causam adfert S. Hieronymus, scilicet reverentiam et decentiam sacerdotalem, ne, si sacerdotem labi in labore mactandi et offerendi victimas contigisset, passa tunica linea, nuditas ejus videretur. Simili de causa jussit Deus, ne sacerdos per gradus ad altare ascenderet, *Exodi* cap. XX, 26 (1).

(1) Vulgo, ait Bähr, op. cit. lib. II, cap. III, hæc ratio assignatur, reverentiæ scilicet ac decentiæ servandæ, quæ nimirum læderetur, si qua pars femorum aut verenda apparerent. Sed huic præscriptioni altior inest causa, imo sensus. Nam, *primo,* decentiæ sufficienter per talarem sacerdotum tunicam cautum erat, præsertim si animo recogites sacerdotibus per gradus ad altare ascendere fuisse prohibitum, *Exod.* XX, 26; nec nisi longioribus vestimentis mulierum decentia unquam procurata est. *Secundo,* feminalibus nemo usus est, neque ante, neque post Mosen, nisi sacerdotes (et Pharisæi sub finem Israeliticæ reipublicæ, sanctitatis affectandæ causa), ita ut sacerdotibus sint peculiare quid, eorumque propria vestis : unde liquet ea esse cum Mosaici sacerdotii essentia et fine arcte connexa. Quænam autem sit ea relatio, facile perspicies, si attendas S. Scripturæ verbis : facies feminalia linea, ut *operiant carnem turpitudinis,* seu magis ad litteram, *carnem nuditatis tuæ,* id est verenda tua. Quid per *carnem,* igitur, quid per *nuditatem,* quid demum per *operire* intelligant scriptores sacri, breviter inquirendum.

a) בשר, σάρξ, *caro,* in bibliis est natura humana, caduca, infirma, mortalis, quatenus divinæ naturæ opponitur, quæ est spiritus et vita. Hanc autem oppositionem, non tantum *physice,* sed *moraliter* etiam mosaica lex accipit, ut τὸ *divinum* pro *sancto,* τὸ *humanum* autem pro *peccato,* seu potius *peccabilitate* habeatur : unde *carnis* notio notionem *peccati* et *mortis* necessario complectitur, et caro naturam humanam quatenus peccabilem et mortalem designat. Porro, quia per generationem quisque fit *homo,* natura humana cum membro virili intime connectitur; imo membrum istud ipsius est symbolum æque ac organum, ita ut simpliciter et κατ' ἐξοχήν dici possit *caro.* Intimam igitur relationem habet cum carnis essentia, scilicet cum mortalitate et peccabilitate, idque videre est, tum in mosaica narratione de protoparentis lapsu, tum in mosaicis ritualibus legibus, in quibus duo naturæ humanæ extrema, videlicet, ortus et mors, generatio et destructio, impura existimantur. Cæterum, quod verendæ partes ab omnibus gentibus *pudendæ* habitæ sunt, nonne confessio est, conscia vel inscia, eas cum peccato relationem habere. Omnis enim pudor conscientiam refert, nec aliud est quam moralis pulsus qui peccatum supponit.

b) ערות, *nuditas,* altera membri virilis denominatio, eodem refertur. *Nudari* enim plus denotat quam *non tegi* simpliciter; pro eo adhibetur, quod abscondi, velo obtendi, ab oculis removeri debuisset; ideoque in ejus notione imperfectum quid semper continetur : scilicet, si physice sumatur, defectus aliquis aut indigentia; si moraliter, culpa seu reatus, ita ut, æque ac vox *caro,* tum peccatum, tum mortem designet. Cum Adamus et Eva peccatores ac mortales facti sunt, tunc primum esse se nudos agnoscunt. Quatenus peccator et mortalis, homo ante Deum nudus est. Quia vero membrum virile conceptionis et generationis est organum, itaque naturæ humanæ quasi principium, huic merito *nuditatis* notio κατ' ἐξοχήν affingitur, imo vocatur *nuditas.*

c) *Operire, tegere,* id est ab oculis removere apud Hebræos idem valet ac *tollere, auferre,* præsertim in his quæ Deo opponuntur, ut cum agitur de peccato. Sic

Significant castitatem. Tropologice, feminalia, ait Beda et alii passim, significant castitatem unice in sacerdote requisitam. Unde et hebraice vocantur מכנסיים *michnesaim*, a radice כנס *canas*, id est *collegit*, quasi dicas, constrictoria duorum lumborum et femorum. Ita Josephus : hinc fiunt e lino varie carminato et præparato, quia castitas gignitur et conservatur per jugem carnis et sensuum mortificationem. Rursum fiunt ex lino byssino retorto, quia castitas mollis et delicata est : unde magis quam aliæ virtutes muniri et conduplicari debet, ut sit firma. Feminalibus ergo lineis, a renibus usque ad femora, tecti erant sacerdotes, ut significaretur, debere sacerdotes novi Testamenti, aut virgines esse, aut contracta cum uxoribus fœdera dissolvisse, inquit Beda.

A RENIBUS USQUE AD FEMORA, — inclusive. Feminalia enim, uti docet S. Hieronymus, a lumbis pertingebant usque ad genua, et a contegendo femur sive femen, vocabantur feminalia, vel femoralia. Nulla hic caligarum vel tibialium fit mentio; unde videtur quod sacerdotes iis caruerint, nudisque pedibus ministraverint tabernaculo, de quo cap. XXXIX, vers. 19 : « Ne iniquitatis (inobedientiæ contra hoc meum præceptum) rei moriantur. »

Vers. 43. 43. LEGITIMUM SEMPITERNUM ERIT AARON, ET SEMINI EJUS, — *q. d.* Volo ut hoc statutum de vestibus sacris servet Aaron, et posteri ejus in perpetuum : quamdiu scilicet durabit sacerdotium Aaronicum, et lex hæc vetus typica.

Allegorice, lex veteris sacerdotii fuit sempiterna, quia significavit res sacerdotii Christi, quæ in æternum durabunt. Sic ergo lex illa fuit sempiterna, non in se, sed in veritate Christi, quam adumbravit. Ita S. Augustinus, *Quæst.* CXXIV.

כִּסָּה עַל עָוֹן, proprie *peccata tegere*, est reipsa ea tollere, seu remittere ; item כפר, proprie *obtegere*, est vocabulum proprium pro *tollere*, *auferre peccata*, videlicet oblato sacrificio.

His positis, causa in promptu est, cur Sacerdotes *carnem nuditatis* feminalibus tegere juberentur. Nempe, ad id instituebantur, ut hominibus impertirent *sanctitatem et vitam :* in iis igitur naturam humanam, quatenus peccabilem et mortalem, quasi velari, imo ab iis submoveri et auferri oportebat ; ideoque suæ *carnis nuditatem* obtegebant peculiari vestimento, cujus nomini ipsi inerat notio *velandi, obvolvendi :* מכנס enim a rad. כנס oritur.

Moraliter, hic omnis ornatus exterior sacerdotum significat qualis debeat interior esse ejus ornatus, quamque præ populo eminere et effulgere eum oporteat. Idipsum docet S. Ambrosius, epist. 6 *ad Irenæum*, ubi juxta illud Pythagoræ mandatum, quo discipulos suos communem atque usitatam populo prohibuit ingredi viam : « Vides, inquit, nihil in sacerdotibus plebeium requiri, nihil populare, nihil commune cum multitudine : sobriam a turbis gravitatem, seriam vitam, singulare pondus dignitatis sibi vindicat dignitas sacerdotalis. Quomodo enim potest observari a populo, qui nihil habet secretum a populo, dispar a multitudine? Quid enim in te miretur, si sua in te recognoscat? si nihil in te aspiciat, quod ultra se inveniat? si quæ in se erubescit, in te, quem reverendum arbitratur, offendat? Supergrediamur igitur plebeias opiniones, et strata quædam gregalis conversationis, et quæramus nobis viam inaccessam sermonibus insolentium. » Et infra : « Sit nostra via angustior, virtus exuberantior, trames pressior, fides sublimior, callis arctior, vigor mentis exundans, semitæ rectæ sit egressus ad superiora. »

Moral. in sacerdote nihil debet esse plebeium.

S. Chrysostomus, lib. II *De Sacerd.* : « Prodeant, inquit (ad functionem pastoralem, ad Episcopatum), qui longe omnibus præstant, quique virtute animi tantum reliquos excellunt, quantum corporis magnitudine Saul Hebræorum gentes excelluit; seu potius multo etiam magis. » Auctor Imperfecti, *homil.* 43 : « Audiant, inquit, te homines parva mandantem, et grandia videant facientem. »

S. Gregorius, I part. *Pastor.* cap. III : « Sit pastor, inquit, operatione præcipuus, ut vitæ viam subditis vivendo denuntiet; et grex, qui pastoris vocem moresque sequitur, per exempla melius, quam per verba gradiatur. Illa vox libentius auditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat; et optima ovium pascua sunt exempla pastoris. »

Talis fuit S. Malachias Archiepiscopus Hiberniæ, qui S. Bernardo teste dicere solebat suis : « Non recuso mori, ut vos vitæ meæ teneatis exemplum. » Erat enim ipse, inquit Bernardus, « regula fratrum; legebant in vita ejus quomodo conversarentur; Sibi pauper, sed dives erat pauperibus; pater erat orphanorum, maritus viduarum, plus ad compatiendum, ad corripiendum liber, » etc.

CAPUT VIGESIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jubet Deus ut Moses Aaronem et filios ejus consecret sacerdotes hoc ritu : primo, lavet eos; secundo, induat eos vestibus sacerdotalibus; tertio, offerat vitulum pro peccato et duos arietes, unum in holocaustum, alterum in hostiam pacificam cum panibus azymis; quarto, ut per dies septem quotidie ungat, tam ipsos, quam altare, vers. 35. *Quæ omnia mystice recte exponas, et adaptes consecrationibus et primitiis sacerdotum novi Testamenti. Denique, vers.* 38, *præscribit sacrificium agni tam mane quam vespere quotidie immolandi.*

1. Sed et hoc facies, ut mihi in sacerdotio consecrentur : Tolle vitulum de armento, et arietes duos immaculatos, 2. panesque azymos, et crustulam absque fermento, quæ conspersa sit oleo, lagana quoque azyma oleo lita : de simila triticea cuncta facies. 3. Et posita in canistro offeres : vitulum autem et duos arietes. 4. Et Aaron ac filios ejus applicabis ad ostium tabernaculi testimonii. Cumque laveris patrem cum filiis suis aqua, 5. indues Aaron vestimentis suis, id est linea et tunica, et superhumerali, et rationali, quod constringes balteo. 6. Et pones tiaram in capite ejus, et laminam sanctam super tiaram, 7. et oleum unctionis fundes super caput ejus; atque hoc ritu consecrabitur. 8. Filios quoque illius applicabis, et indues tunicis lineis, cingesque balteo, 9. Aaron scilicet et liberos ejus, et impones eis mitras, eruntque sacerdotes mihi religione perpetua. Postquam initiaveris manus eorum, 10. applicabis et vitulum coram tabernaculo testimonii. Imponentque Aaron et filii ejus manus super caput illius, 11. et mactabis eum in conspectu Domini, juxta ostium tabernaculi testimonii. 12. Sumptumque de sanguine vituli, pones super cornua altaris digito tuo, reliquum autem sanguinem fundes juxta basim ejus. 13. Sumes et adipem totum qui operit intestina, et reticulum jecoris, ac duos renes, et adipem qui super eos est, et offeres incensum super altare ; 14. carnes vero vituli, et corium, et fimum combures foris, extra castra, eo quod pro peccato sit. 15. Unum quoque arietem sumes, super cujus caput ponent Aaron et filii ejus manus. 16. Quem cum mactaveris, tolles de sanguine ejus, et fundes circa altare. 17. Ipsum autem arietem secabis in frusta, lotaque intestina ejus ac pedes pones super concisas carnes, et super caput illius. 18. Et offeres totum arietem in incensum super altare : oblatio est Domino, odor suavissimus victimæ Domini. 19. Tolles quoque arietem alterum, super cujus caput Aaron et filii ejus ponent manus. 20. Quem cum immolaveris, sumes de sanguine ejus, et pones super extremum auriculæ dextræ Aaron et filiorum ejus, et super pollices manus eorum ac pedis dextri, fundesque sanguinem super altare per circuitum. 21. Cumque tuleris de sanguine qui est super altare, et de oleo unctionis, asperges Aaron et vestes ejus, filios et vestimenta eorum. Consecratisque ipsis et vestibus, 22. tolles adipem de ariete, et caudam, et arvinam, quæ operit vitalia, ac reticulum jecoris, et duos renes, atque adipem, qui super eos est, armumque dextrum, eo quod sit aries consecrationis : 23. tortamque panis unius, crustulam conspersam oleo, laganum de canistro azymorum, quod positum est in conspectu Domini : 24. ponesque omnia super manus Aaron et filiorum ejus, et sanctificabis eos elevans coram Domino. 25. Suscipiesque universa de manibus eorum ; et incendes super altare in holocaustum, odorem suavissimum in conspectu Domini, quia oblatio ejus est. 26. Sumes quoque pectusculum de ariete, quo initiatus est Aaron, sanctificabisque illud elevatum coram Domino, et cedet in partem tuam. 27. Sanctificabisque et pectusculum consecra-

tum, et armum quem de ariete separasti, 28. quo initiatus est Aaron et filii ejus, cedentque in partem Aaron et filiorum ejus jure perpetuo a filiis Israel : quia primitiva sunt et initia de victimis eorum pacificis quæ offerunt Domino. 29. Vestem autem sanctam, qua utetur Aaron, habebunt filii ejus post eum, ut ungantur in ea, et consecrentur manus eorum. 30. Septem diebus utetur illa qui pontifex pro eo fuerit constitutus de filiis ejus, et qui ingredietur tabernaculum testimonii ut ministret in Sanctuario. 31. Arietem autem consecrationis tolles, et coques carnes ejus in loco sancto, 32. quibus vescetur Aaron et filii ejus. Panes quoque, qui sunt in canistro, in vestibulo tabernaculi testimonii comedent, 33. ut sit placabile sacrificium, et sanctificentur offerentium manus. Alienigena non vescetur ex eis, quia sancti sunt. 34. Quod si remanserit de carnibus consecratis, sive de panibus usque mane, combures reliquias igni : non comedentur, quia sanctificata sunt. 35. Omnia, quæ præcepi tibi, facies super Aaron et filiis ejus. Septem diebus consecrabis manus eorum, 36. et vitulum pro peccato offeres per singulos dies ad expiandum. Mundabisque altare, cum immolaveris expiationis hostiam, et unges illud in sanctificationem. 37. Septem diebus expiabis altare, et sanctificabis, et erit Sanctum sanctorum. Omnis, qui tetigerit illud, sanctificabitur. 38. Hoc est quod facies in altari : Agnos anniculos duos per singulos dies jugiter, 39. unum agnum mane, et alterum vespere, 40. decimam partem similæ conspersæ oleo tuso, quod habeat mensuram quartam partem hin, et vinum ad libandum ejusdem mensuræ in agno uno. 41. Alterum vero agnum offeres ad vesperam juxta ritum matutinæ oblationis, et juxta ea quæ diximus, in odorem suavitatis. 42. Sacrificium est Domino, oblatione perpetua in generationes vestras, ad ostium tabernaculi testimonii coram Domino, ubi constituam ut loquar ad te. 43. Ibique præcipiam filiis Israel, et sanctificabitur altare in gloria mea. 44. Sanctificabo et tabernaculum testimonii cum altari, et Aaron cum filiis suis, ut sacerdotio fungantur mihi. 45. Et habitabo in medio filiorum Israel, eroque eis Deus, 46. et scient quia ego Dominus Deus eorum, qui eduxi eos de terra Ægypti, ut manerem inter illos, ego Dominus Deus ipsorum.

Vers. 2. 2. CRUSTULAM, — tortam, collyridam, vel placentam; hoc enim est Hebr. חלות *challot*.

QUÆ CONSPERSA SIT OLEO. — Hebraice, *quæ commixta sit oleo*, puta, cum pinseretur farina, oleo subigebatur, idque ad innuendam unctionem Aaronis; hoc enim significat Græcum πεφυραμένους, apud Septuaginta.

LAGANA QUOQUE OLEO LITA. — « Lagana » sunt liba tenuia; hæc enim significat Hebræum רקיקי *rekike*. Lagana hæc aqua erant commixta cum pinserentur; sed cum offerrentur, oleo frigebantur : hoc enim significat Hebr. משיחי שמן *mesciche scemen*, id est oleo lita vel uncta, puta, ut eo frigantur. Ita Abulensis et Oleaster.

Vers. 3. 3. VITULUM AUTEM ET DUOS ARIETES, — scilicet offeres, id est sistes et applicabis ad tabernaculum, ut postea, vers. 10, immolentur. In vitulo sive tauro, inquit Lipomanus, notatur cervix superbiæ, in ariete ducatus gregum signatur. Sacerdotes ergo qui futuri sunt populi rectores, jubentur immolare taurum et arietem, ut per hoc symbolice admoneantur interficere quidquid tumidum de superbo ducatu sapiebant; atque sanctificari per septem dies, ut moneantur in sanctitate per omnem vitam persistere.

Vers. 5. 5. INDUES AARON, etc. LINEA (quæ hebraice *ketonet* dicitur) ET TUNICA, — scilicet hyacinthina. Feminalium nulla hic fit mentio, quia ea jam induerat Aaron et filii, ut honeste lavarentur. Ita Beda.

QUOD CONSTRINGES BALTEO. — Hebraice *stringes illud ingeniosa textura ipsius ephod*. Ubi nota : Balteus vocatur textura, aut opus ingeniosum ipsius ephod, quia balteus hic ipsum ephod stringebat, eratque ejusdem materiæ cum ephod. Ita Vatablus.

Vers. 6. 6. ET LAMINAM SANCTAM. — Hebr. *coronam sanctitatis*. Ita vocatur lamina aurea, cui inscriptum erat *Sanctum Domino*; hæc enim frontem instar coronæ cingebat et ornabat.

Vers. 7. Olei tria mysteria. Primum. Secundum. Tertium. 7. ET OLEUM UNCTIONIS (oleum quo quis ungitur, est pleonasmus) FUNDES SUPER CAPUT EJUS. — Hoc oleum, ait Cyprianus, tract. *De unctione Chrismatis*, significabat *primo*, spiritualem sacris mysteriis inesse pinguedinem. *Secundo*, quod, sicut oleum liquidis omnibus supernatat, ita sacerdotalis dignitatis excellentia omnes status et gradus transcendat, atque regimen et muninem tam activæ, quam contemplativæ vitæ obtineat. *Tertio*, hoc oleum consecrationis sacerdotum, typus erat sacramenti Ordinis, in quo spiritus pinguedo datur ordinatis.

Vers. 9. 9. POSTQUAM INITIAVERIS (Hebraice, *postquam impleveris oleo*, id est unxeris, et ungendo consecraveris) MANUS EORUM. — Per *manus* significatur potestas res alias consecrandi, quam hac unctione manuum accipiunt hic novelli sacerdotes. Ita S. Augustinus, *Quæst.* CXXV. Manibus enim victimas, resque alias tractare, Deo offerre et consecrare debebant. Hinc moraliter sciat sacerdos se manus debere habere sanctas, id est castas et puras, tum a Venere, tum a sanguine, tum ab avaritia. Audi Philonem, lib. *De Victimis* : « Postulat, inquit, Deus a sacrificante primum bonam mentem, sanctam, et in pietate exercitam. Deinde vitam benefactis (præsertim eleemosynis) ornatam, ut dum manus imponit, possit libera conscientia dicere : Manus hæ nec mulieribus corruptæ, nec innocenti sanguine pollutæ sunt; noxam, injuriam, vulnus, vim intulerunt nemini; nulli rei turpi præbuerunt ministerium, sed rebus honestis ac utilibus, quæ viris justis, honestis sapientibusque probantur. »

Igitur sacerdotum omnium manus inungebantur; pontifici vero erat peculiare ut et caput ejus ungeretur vers. 7, ut significaretur quod ab ipso quasi a capite derivaretur potestas offerendi et consecrandi ad alios; hoc autem mystice figurabat pontificale munus legis novæ. Ita D. Thomas, I II, *Quæst.* CII, art. 5, ad 8. Hinc dicitur *Psal.* CXXXII, vers. 2 : « Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron. »

Vers. 10. 10. IMPONENTQUE AARON, ET FILII EJUS MANUS SUPER CAPUT ILLIUS. — Ut hoc ritu contestentur se peccatores, et peccata sua vitulo imponere, illumque ut victimam pro suis peccatis offerre, ut sic emundati digni reddantur, qui pro aliorum peccatis intercedant et sacrificent. De hoc ritu plura dicam *Levit.* cap. I, vers. 4.

Vers. 11. 11. ET MACTABIS EUM IN CONSPECTU DOMINI. — « Mactabis, » tu scilicet, o Moses. Fungebatur ergo hic Moses munere sacerdotali, adeoque sacerdotes, ipsumque pontificem quasi hierarcha consecrabat. Unde Nazianzenus, *orat.* 22, Mosem vocat sacerdotem sacerdotum; sic et S. Augustinus, *Quæst.* XX *in Levit.* : unde *Psal.* XCVIII, vers. 6, dicitur : « Moses et Aaron in sacerdotibus ejus. » Vide *Levit.* cap. VIII. Moses ergo primus populi tam pontifex, quam dux et princeps fuit. Verum postquam Moses sacerdotium consignavit Aaroni et posteris ejus, deinceps Mosis posteri non inter sacerdotes, sed inter Levitas annumerati sunt, ut patet I *Paralip.* cap. XXIII, vers. 14.

Moses fuit pontifex et princeps populi.

Vers. 13. 13. SUMES ET ADIPEM, AC DUOS RENES, etc. ET OFFERES INCENSUM SUPER ALTARE, — *q. d.* Hæc omnia instar thuris accendes et adolebis, ut evaporent in fumum, et incendantur in honorem Dei : adeps ergo et renes hic vocantur *incensum*, id est victima incensa, patet ex Hebræo (1).

Notant Hebræi, Deum potissimum exigere pro suo sacrificio animalia illa et membra, quæ concupiscentiis subjiciuntur : requirit renes, quæ concupiscentiæ prima sunt officina; vult habere hepar, quod roborat libidinem; et adipes, qui effrænem faciunt concupiscentiam, juxta illud : « Impinguatus est Israel, et recalcitravit. » Hæc omnia Dominus vult habere in suo sacrificio, non quod illum delectent renes, sed quod hæc significent mortificanda esse membra nostra super terram, idque tum cuilibet, tum maxime sacerdoti, prælato et principi faciendum esse, de quo rursum vers. 22.

Deus cupit renes, hepar, etc. cur?

Alfonsus, Aragonum rex, dicebat, « nihil inconvenientius esse, quam si quis aliis imperaret, qui suis affectibus propriis imperare non potest; » quomodo enim alienos coercebit, qui a suis vincitur, iisque indulget? Demosthenes aiebat esse sapientis, nunquam animo connivere, neque affectibus quoquo modo licentius indulgere, ne effrænati rationis imperium deserant. Thales rogatus « quis esset felix? Qui corpore, inquit, sanus est, et animo castus. » Libido enim et concupiscentia sunt animi morbi. Cato, teste Plutarcho, dicebat optimum esse imperatorem, qui suis affectibus imperare posset. Cicero in orat. *pro Sylla* : « Regium, ait, est ita vivere, ut non modo homimini, sed ne cupiditati quidem ulli servias : contemnere omnes libidines; non auri, non argenti, non cæterarum rerum indigere; populi utilitati magis consulere, quam voluntati; nemini cedere, multis obsistere.

Vers. 14. 14. CARNES VERO VITULI, ET CORIUM, ET FIMUM COMBURES FORIS EXTRA CASTRA, EO QUOD PRO PECCATO SIT. — « Extra castra, » ad significandam magnitudinem peccati sacerdotum (utpote qui sanctissimi esse, aliosque verbo, exemplo et sacrificiis sanctificare debent); ad ejus ergo detestationem, cremabantur carnes victimæ eorum extra castra. Similiter pro sacerdotum peccatis solum, immolabatur vitulus; pro peccatis vero principum et plebeiorum immolabantur minora animalia, puta capræ, arietes vel aves. *Tertio*, eadem de causa fimus vituli cremabatur; in aliis vero victimis, etiam pro peccato, id non fiebat, excepta vitula rufa, quæ pro peccatis omnibus totius populi offerebatur, *Num.* cap. XIX. Vide de his plura *Levit.* cap. IV et V, et seq. Hinc et Christus extra castra, id est extra Jerusalem, passus est. Vide dicta *ad Hebræos* cap. XIII, vers. 11.

Vers. 16. 16. QUEM CUM MACTAVERIS, TOLLES DE SANGUINE EJUS, ET FUNDES CIRCA ALTARE, — ut significetur

(1) Pro *reticulum* in hebr. est יותרת, id est *major hepatis lobus*, proprie id *quod superest*, *abundantia*. addi-

tamentum, coll. Arabico. Optime illud describit Avicenna : « Et hepar, inquit, quædam habet *augmenta*, quibus amplectitur stomachum et adhæret ei. Quorum augmentorum maximum illud est, quod speciali nomine vocatur *siada*. Huic autem fel incumbit, unde ad inferiora extenditur. » Hunc majorem lobum Septuaginta κατ' ἐξοχὴν vocant τὸν λόβον τοῦ ἥπατος. עַל h. l. non significare *super*, sed *ad*, res ipsa docet.

quod Deus, qui altari repræsentatur, hunc sanguinem pecoris pro peccato hominis suscipiat, eoque placetur.

Vers. 18. 18. OBLATIO EST DOMINO. — Hebraice עולה *ola*, id est holocaustum est Domino; holocaustum dicitur *ola*, id est ascensio, eo quod in illo tota victima per ignem et fumum ad Deum ascendat.

ODOR SUAVISSIMUS VICTIMÆ DOMINI. — Hebraice est, *odor quietis*, in quo scilicet suavissime et jucundissime odoratus conquiescit; quod Deo hic tribuitur metaphorice, quia sacrificium hoc Deum placatum reddebat (unde Chaldæus vertit, *ut suscipiatur cum beneplacito*), et peccata expiabat per fidem in Christum; cujus sacrificium hoc suo, suisque victimis, puta vitulo et ariete, adumbrabant. Erat ergo hoc eorum sacrificium Deo gratum et jucundum, non ex opere operato, uti est sacrificium legis novæ, sed ex opere operantis; erat enim actus latriæ et obedientiæ.

VICTIMÆ DOMINI. — Hebraice, *ignitio*, id est oblatio ignita, *est Domino*, puta est holocaustum, in quo omnia comburuntur et consumuntur.

Nota : In consecratione hac Aaronis et filiorum in sacerdotes, oblatum fuit omne genus sacrificiorum, scilicet holocaustum, pacificum, et pro peccato : ad illa enim offerenda ordinabantur et consecrabantur ipsi. Nam aries unus primario oblatus est in holocaustum, licet et comitanter pro peccatis offerretur; alter aries oblatus est in hostiam pacificam; vitulus denique oblatus est pro peccato. Simili ratione in lege nova, in ordinatione et consecratione sacerdotum et pontificum celebratur et offertur sacrificium Missæ, tanquam actus et oblatio ad quam ordinantur sacerdotes.

Allegorice. Allegorice Radulphus in *Levit.* cap. IX : Moses, inquit, significat legem, vitulus significat Christum, Aaron et filii ejus significant doctores et prædicatores Evangelicos. Moses ergo, id est lex, coram Aarone ejusque filiis, vitulum pro peccato mactat, cum doctorum scientiam de Christi passione informat. Offert *secundo*, arietem in holocaustum, quia docet eosdem offerre se in holocaustum perfectæ conversationis, ut aliis fidei et bonorum operum sint duces. Offert *tertio*, arietem in victimam pacificam, quia docet eos Christi vitam fidelibus passim imitandam proponere.

Vers. 19. 19. TOLLES QUOQUE ARIETEM ALTERUM. — Est hæc victima ordine tertia. *Prima* enim erat pro peccato, puta vitulus. *Secunda* erat in holocaustum, puta aries. *Tertia* hic est aries alter, qui offertur in victimam pacificam, ut scilicet prospere sacerdotium novelli sacerdotes susciperent, utque illud eis et populo pacificum, id est faustum et fortunatum, foret.

Vers. 20. 20. QUEM CUM IMMOLAVERIS, — quem cum jugulando sacrificaveris Deo. Nam postea aries hic ad plenam sacrificii consummationem comburendus erat.

ET PONES (sanguinem arietis) SUPER EXTREMUM AURICULÆ DEXTRÆ AARON, ET FILIORUM EJUS, ET SUPER POLLICES MANUS EORUM, AC PEDIS DEXTRI. — Sicut Isaiæ vaticinaturo cap. VI, os tactu carbonis igniti per angelum mundatum est, quasi deinceps Spiritu Sancto assistente mundissima et sanctissima locuturo: ita hic sacerdotibus aures, manus et pedes sanguine tinguntur, ut innuatur hæc in eis purissima, et optime composita esse debere, atque ad id a Deo vocante eos gratiam petere, et orationibus sacrificiisque obtinere oportere. Unctionis symbola.

Porro extremum auriculæ dextræ tingitur sanguine, ut teneras habeant aures, promptissimamque obedientiam ad legem et doctrinam (tum veterem, tum novam et Evangelicam, quæ sanguinem Christi, quasi lustralem nobis propinat) audiendam et implendam. Rursum, ut significetur obedientiam hanc perpetuam esse, et ad finem usque porrigi debere. Hoc enim significat τὸ *extremum*, ait S. Cyrillus, lib. XI *De Adorat. in spirit. et verit.* fol. 229.

Pollex vero manus dexteræ (singulis enim ille solus aspergebatur sanguine) sanguine tingitur ad firmam obedientiæ legis executionem; item et pollex pedis dextri, ad celerem motum exequendi eam, in eaque ambulandi, ait Radulphus in cap. VIII *Levitici*.

Dextera autem auris et pollex unguntur, non sinistra : tum quia dextera præstantior est sinistra; tum ut hoc symbolo tacite petatur, ut hæc unctio, omniaque eis sint dextra, fausta et felicia.

FUNDESQUE SANGUINEM SUPER ALTARE PER CIRCUITUM, — puta, per parietes altaris circumcirca, ab omnibus quatuor ejus lateribus; non ergo fundebatur sanguis hic super cornua altaris superne, quia hoc in nullis fiebat hostiis pacificis, ut patet *Levit.* cap. III; non etiam super pavimentum juxta altare; sed per quatuor ejus parietes : hoc enim peculiare habebat hæc hostia pacifica, ut significaretur hoc sacrificio peti, ut contactus altaris novellis hisce sacerdotibus foret prosper et salutaris.

Vers. 21. 21. DE OLEO UNCTIONIS (de cujus compositione dicetur cap. XXX, vers. 23) ASPERGES AARON ET VESTES EJUS. — Sanguine ergo et oleo, sive seorsim quolibet eorum, sive, quod verisimilius est, inter se commixtis lustrabantur tam sacerdotes quam eorum vestes, itaque quasi consecrabantur, ut essent accommodatæ eorum functionibus, et expiationi peccatorum; sicuti et modo vestes sacerdotales ab Episcopo benedicuntur. Fuit ergo hoc oleum cum sanguine vestibus inspersum, itaque levis macula vestibus aspersa fuit, ut significaretur sacerdotem istis vestibus indutum emaculaturum et expurgaturum sordes et peccata populi. Eadem unctio adhibenda fuit, quando aliæ novæ vestes sacerdotales, veteribus hisce detritis, postea confectæ fuerunt.

Vers. 22. 22. TOLLES ADIPEM DE ARIETE ET CAUDAM. — Hæc enim sunt pinguiora et delicatiora in animali. Vult ergo hic Deus omnia pinguia, et quidquid operit

rit vitalia, ut dignissima et optima, sibi adoleri (1).

Tropologice S. Gregorius, lib. I *Moralium*, cap. XL : « Cauda, ait, jubetur adoleri Deo, ut omne bonum quod incipimus, etiam perseverantiæ fine compleamus. » Rursum, adeps significat gulam, renes significant libidinem, fibra jecoris significat bilem et vim irascibilem, jecori in corpore junctam. Hæc omnia emori, Deoque per mortificationem a sacerdote consecrari debent. Ita Theodoretus et S. Basilius, lib. *De Vera Virginitate*.

Huc plurimum juvat crebra mortis meditatio. « Caro, inquit S. Gregorius, cap. XVIII *Moralium*, cum concupiscitur, pensetur quid sit exanimis, intelligetur quid ametur. Nil quippe sic ad edomandum desideriorum carnalium appetitum valet, quam ut quisque hoc, quod vivum diligit, quale sit mortuum penset. » Ita in *Vitis Patrum*, lib. V, cap. I, num. 7, Abbas Joannes ait : « Mane de omni virtute cogita, deque omni vitio mortificando, includens te sepulcro, tanquam jam mortuus, ut videatur tibi proxima esse mors omni die. » Ibidem, cap. X, num. 63, Abbas Moses rogatus, « qualis homo mortificat se? » ait : « Nisi posuerit homo in corde suo, quia triennium habet in sepultura, non pervenit ad hoc verbum. »

EO QUOD SIT ARIES CONSECRATIONIS, — puta oblatus in consecratione sacerdotum, pro eorum prosperitate, *q. d.* In hostiis pacificis armus dexter, uti et pectusculum, cedit sacerdoti : ut ergo hæc hostia consecrationis sacerdotum habeat aliquid peculiare præ aliis, volo ut præter caudam, armus quoque mihi adoleatur, solum vero pectusculum tibi, o Moses, quasi sacerdoti et consecratori cedat, ut illud cum tua familia comedas; reliqua vero caro cedat Aaroni offerenti, uti fieri solet in oblatione hostiæ pacificæ. Ita Hugo.

Vers. 23. 23. QUOD POSITUM EST IN CONSPECTU DOMINI, — puta coram altari holocaustorum.

Vers. 24. 24. PONESQUE OMNIA SUPER MANUS AARON ET FILIORUM EJUS, ET SANCTIFICABIS EOS ELEVANS CORAM DOMINO. — Hæc ergo sacerdotum sanctificatio non erat aliud, quam elevatio manuum eorum cum muneribus, facta per Mosen : qua elevatione vel oblatione significabatur munera illa ad Deum pertinere, ac deinceps similia Deo sanctificanda esse, et offerenda per manus sacerdotum. Cum enim hic Moses obtulit manus sacerdotum Deo, consequenter obtulit quoque Deo ea, quæ ipsi suis manibus tenebant. Hinc rursum sanctus habebatur sacerdos, et ad Dei, qui est ipsa sanctitas, familiam ac possessionem, tanquam ei dicatus et oblatus pertinens.

Nota : Sanctificare passim hic idem est quod offerre, de quo rursum vers. 27. Hebraice est, *pones omnia super manus Aaron et filiorum ejus, et elevabis ea elevatione coram Domino*. Hebræum enim נוף *nuph*, significat elevare, vel agitare; unde תנופה *tenupha*, vocatur elevatio; indeque ipsa oblatio, ab hoc ritu elevandi, dicitur *tenupha*. Tradit R. Salomon et Hebræi, certam fuisse elevationis et oblationis hujus *tenupha* cæremoniam et ritum, quod videlicet Moses supponebat manus suas manibus sacerdotum novellorum, et elevabat eas sursum, ac deinde deprimebat deorsum; mox ab Oriente in Occidentem, ac demum a Meridie ad Septentrionem easdem ducebat; itaque formam exprimebat trinæ crucis, quasi indicaret Deum cui sacrificabat, cœli et terræ universæ esse Dominum (hinc et נוף *noph*, unde descendit *tenupha*, regiones et climata mundi significat), simulque sacrificium crucis Christi præsignaret. Ritus *tenupha* in offerendo victimas, quis?

Eamdem cæremoniam *tenupha*, ac ritum elevandi hostiam, adhibitam fuisse in sacrificio zelotypiæ patet *Numer.* cap. V, vers. 25, et in sacrificio Nazaræi, *Num.* cap. VI, vers. 20, et in quavis alia hostia pacificorum, *Levit.* cap. VII, vers. 30, ubi noster Interpres vertit, *cum ambo oblata Deo consecraverit*; hebraice est, *cum ambo Deo elevaverit*; imo Hebræi ipsam oblationem vocant *teruma*, vel *tenupha*, de quo vers. 27. Denique S. Hieronymus *ad Fabiolam*, *tenupha*, id est elevationem, etiam ad rem sacrificatam refert, *q. d.* Offeres Deo rem elevatam, eminentem, egregiam, primam et præcipuam, quæ proinde merito elevanda et offerenda sit Deo solemni ritu.

26. QUO INITIATUS EST AARON, — *q. d.* Qui aries scilicet, immolatus est pro felici consecratione Aaron. Hebræa et Septuaginta habent, *qui Aaronis est*, quasi dicant : Qui deinceps in sacrificando cedet in jus Aaronis. Vers. 26.

27. SANCTIFICABISQUE PECTUSCULUM, — id est, offeres pectusculum Deo. Omnia enim quæ Deo offeruntur, non physice, sed moraliter sancta sunt, et offerendo sanctificantur, quia Deo dicantur, et omnino deputantur. Vers. 27.

SANCTIFICABISQUE ET PECTUSCULUM CONSECRATUM, ET ARMUM QUEM DE ARIETE SEPARASTI. — Statuitur hic lex generalis de sacrificio pacifico, non eo quod hic offertur pro consecratione sacerdotum, sed de omni eo quod in posterum oblaturi erant filii Israel : ut videlicet ex eo pectusculum et armum dent sacerdotibus, sicut ipsi sacerdotes in suo hoc sacrificio utrumque dederunt Deo. « Sanctificabis » ergo, id est segregabis, dicabisque mihi ac meis ministris pectusculum victimæ, ideoque ipsum sanctum erit, et sanctificatum hac oblatione sacerdotibus facta. Hebraice est, *sanctificabis*, sive *consecrabis mihi pectusculum* תנופה *tenupha*, *et armum* תרומה *teruma*, *quod agitatum est, et qui in altum sublatus est propter Aaron et filios ejus*.

(1) אליה est *cauda crassa et adiposa ovis*, vel *arietis*, Arabibus *alyahon*, « quo nomine, ut notat Golius in *Lexico*, non intelliguntur vulgares ovium caudæ, ut in Europa nos habemus, sed quales in Orientis ovibus spectare est, quarum minimæ decem vel duodecim libras pendent, nonnullæ autem quadraginta libras pondere excedunt. Eas autem minutatim concisas liquant, et adipem in usus suos servant, vel ad condiendum imprimis frumentaceum cibum, vel etiam, ut in Persia et alibi, ad conficiendas candelas. »

Ubi nota : Oblatio vel victima *tenupha* est illa, quæ certo ritu Deo elevabatur agitatione manuum versus omnes mundi plagas, uti tradere Hebræos dixi vers. 24. Oblatio vero *teruma* a nonnullis ita distinguitur a *tenupha*, ut *teruma* sit oblatio a sursum usque deorsum descendens et agitata; *tenupha* vero sit oblatio versus quatuor mundi plagas. Verum S. Hieronymus hæc duo non distinguit, et *teruma* semper separationem vertit, qua videlicet victima separabatur ab usibus profanis, Deoque offerebatur. Sic et Septuaginta *teruma* vertunt ἀφαίρεμα, et Chaldæus, אפרשותא *aphrascuta*, id est separationem, a radice פרש *peras*, id est separavit, quanquam ad verbum *teruma* idem est quod elevatio, a radice רום *rum*, id est elevavit; inde enim dicitur *teruma*, quasi dicas oblatio, vel levanda, quæ levatur, tollitur et offertur Deo. Sensus ergo est, pectusculum elevationis, et armum elevationis, quæ mihi solemni ritu elevasti et obtulisti, eadem (non numero, sed specie) recipies a filiis Israel, cum illi per se suas victimas pacificas mihi offerent.

Ritus *teruma* et *tenupha* an differant?

Tropologice S. Gregorius, II part. *Pastor.* cap. III : Recipit, inquit, sacerdos a populo pectus et armum dextrum, ut meminerit se Deo debere reddere pectus suum, ut nonnisi quæ recta sunt cogitet; et armum, id est brachium, dextrum, ut fortissime prospera et adversa omnia contemnendo, generose ea quæ Dei sunt exequatur, ut in eo verum sit illud Julii Cæsaris apud Sallustium in *Catilina* : « In maxima fortuna, minima est licentia. »

Tropologice offerat sacerdos pectus et brachium Deo.

Ita fecit inter alios S. Carolus Borromæus, qui nulli labori, nulli austeritati, nulli periculo parcebat, pro Dei gloria et suorum salute promovenda; adeoque talibus immori optabat, talem mortem in lucro reponens. Unde ad Archiepiscopum Valentinum, qui eum monebat, ut sibi parceret, nec nimiis laboribus et pœnitentiis vitam abbreviaret, ita respondit : « Quod si etiam, dum Ecclesiæ, pro qua Christus acerbissimam mortem pertulit, opera navatur, virium quas debilitari, vitæ quam interire necesse est, jactura fiat, id vero maximi lucri atque emolumenti loco ponendum est. Nimis delicati hominis, nedum Episcopi est, a muneris sui, quo nullum amplius, nullum præstantius est, administratione et cura, aut valetudinis studio retardari, aut mortis formidine deterreri. » Testis est auctor Vitæ ejus, lib. VIII, cap. XXI.

Exempla.

S. Silverius Pontifex et Martyr, ab Augusta Eutychiana per Belissarium ejectus in Pontiam insulam, ita scribit ad Amatorem Episcopum : « Sustentor pane tribulationis, et aqua angustiæ, nec tamen dimisi, aut dimitto officium meum. » Unde ibidem coacto Concilio Eutychetem damnavit, et ærumnis confectus, martyr occubuit.

S. Joannes Chrysostomus in exilium, ob vitia carpendi libertatem, pulsus, cum et itineris necessarii molestias, et Isaurorum incursus, et febrim validam, vomitus, capitis dolores, cibi fastidia aliaque dirissima pateretur, sic scribit, *epist.* 130 : « Nec obsidione, nec latronum incursibus, nec loci solitudine, nec sexcentorum adversorum casuum turba dejicior aut conturbor, sed ingenti securitate et otio fruor. »

Rursum, laicus sacerdoti, inferior suo superiori offerre debet pectusculum, id est voluntatem humilitate et obedientia plenam; atque armum, sive humerum, ad portanda onera ab eo imposita paratissimum. Obedientiæ ergo debetur tam pectus, quam armus, nec unum sine altero sufficit, quia non sola voluntas, nec sola executio operis injuncti, sed utrumque offerendum est, scilicet prompta voluntas ad opus præceptum currens et prosiliens.

28. CEDENTQUE IN PARTEM AARON ET FILIORUM EJUS, QUIA PRIMITIVA SUNT ET INITIA DE VICTIMIS EORUM PACIFICIS, QUÆ OFFERUNT DOMINO, — *q. d.* E victima pacifica primo loco cedet sacerdoti pectus et armus dexter, quia hæ sunt partes primæ, quæ initio e victima pacifica separantur Deo, Deique nomine offeruntur sacerdoti, ideoque hæ partes nobilissimæ sunt. Maxima enim earum est nobilitas et dignitas, quod primo Deo separentur, et vice Dei sacerdoti offerantur; deinde, secundo is qui e populo offert victimam pacificam, accipiat ex ea portionem reliquam. Vers. 28.

29. VESTEM AUTEM SANCTAM QUA UTETUR AARON, HABEBUNT FILII EJUS POST EUM, UT UNGANTUR IN EA, ET CONSECRENTUR MANUS EORUM, — *q. d.* Vestes pontificis sanctis usibus deputatas, mortuo patre pontifice, accipiet filius senior, qui patri in pontificatu succedet, ut iis indutus ungatur et consecretur pontifex, ne quis putet pontificem, cum moritur, in suis pontificalibus sepeliendum esse, novasque vestes pontificales filio successori conficiendas esse. Ita vestibus Aaron, eo mortuo, indutus est Eleazar ejus filius, *Num.* XX, vers. 26 et 28. Vers. 29.

Minor sacerdos consecrabat pontificem.

Nota : Unctio hæc, et consecratio novi pontificis post mortem Mosis fiebat ab aliquo e minoribus sacerdotibus; neque enim erat major aliquis qui eum consecraret. Sic apud nos pontifex Romanus consecratur ab Episcopo Ostiensi. Ita Abulensis.

30. SEPTEM DIEBUS UTETUR ILLA (veste sacra) QUI PONTIFEX PRO EO FUERIT CONSTITUTUS. — Numero septenario, utpote pleno, consummabatur consecratio sacerdotis; illis enim septem diebus fiebant unctiones quotidianæ, item oblationes atque expiationes altaris, tanquam cæremoniæ consecrationis, ut patet vers. 35 et seq.; nec poterat sacerdos consecrandus illis septem diebus a tabernaculo recedere, *Levit.* VIII, 33. Hæc omnia ad hoc fiebant, ut illustrior esset sacerdotii auctoritas et sanctitas. Vers. 30.

31 et 32. ARIETEM AUTEM CONSECRATIONIS TOLLES, ET COQUES CARNES EJUS IN LOCO SANCTO, QUI- Vers. 31 et 32.

BUS VESCETUR AARON ET FILII EJUS, — *q. d.* Hujus victimæ pacificæ, puta arietis in consecratione sacerdotum oblati, carnes reliquas (nam armus ejus Deo erat incensus et combustus, pectusculum vero jusserat Deus dari Mosi tanquam consecratori) « coques in loco sancto, » non in altari, sed juxta illud in atrio sancto, quod erat ante tabernaculum, ubi carnes hostiæ pacificæ coqui solebant igne ex altari sumpto. Ita Cajetanus.

Vers. 32. 32. PANES QUOQUE QUI SUNT IN CANISTRO, IN VESTIBULO TABERNACULI COMEDENT, — *q. d.* Iidem novelli sacerdotes comedent panes, et lagana quæ reliqua sunt in canistro; nam crustula cum panibus et laganis, quæ imposita sunt manibus sacerdotum, cremata jam erant vers. 25. Itaque non omnes panes qui erant in canistro, impositi fuerunt manibus sacerdotum, sed in eo remansit portio offerentium, quæ jam ab eisdem comedi jubetur.

Vers. 33. 33. UT SIT PLACABILE SACRIFICIUM. — Hebraice *quibus*, scilicet panibus, *propitiatum est*, id est, quibus expiatus est Aaron, et placatum est numen. Noster ad finem sacrificii, qui in Hebræo intelligitur, respexit : ideo enim jubentur novelli sacerdotes, qui hic sunt offerentes, carnes pacificas, quibus propitiatum est, comedere, ut sit placabile sacrificium, seu ut Deus ostendat se hoc sacrificio placatum esse, quandoquidem eos tam benigne ad mensam suam, puta ad suas victimas, invitatos admittat.

ET SANCTIFICENTUR OFFERENTIUM MANUS. — Scilicet, ut ex contactu hujus sancti cibi, et ex hac cæremonia sanctoque convivio, magis quodam modo consecrentur et sanctificentur manus eorum.

ALIENIGENA (qui non est de stirpe Aaron, etiamsi sit de stirpe Levi) NON VESCETUR EX EIS, QUIA SANCTI SUNT, — quia scilicet hi panes Deo oblati sunt pro consecratione, non Levitarum, sed sacerdotum.

Vers. 34. 34. QUOD SI REMANSERIT DE CARNIBUS CONSECRATIS, SIVE DE PANIBUS USQUE MANE, COMBURES RELIQUIAS IGNI; NON COMEDENTUR, QUIA SANCTIFICATA SUNT. — Rationem hic dat Deus, cur lege hac cæremoniali statuat, ne altero die comedantur ea quæ sibi sanctificata, id est, oblata sunt, *q. d.* Sancta ut a profanis distent, peculiarem exigunt cæremoniam; quod discrimen ut aliqua observantia congrua designem et definiam, volo et sancio ut carnes et panes sancti eodem die, quo Deo oblati sunt a sacerdotibus, iisque solis comedantur; si quid restet secundo die, id non comedatur, sed comburatur: neque enim decet eas canibus dari aut profanis hominibus; neque etiam e dignitate mea, aut carnium sanctarum est, si illæ secundo die jam marcidæ sacerdotibus, qui præcedenti die recentibus usi sunt, cum nausea aliqua, vel certe cum minori reverentia apponantur. Secus statutum fuit in plebeiorum sacrificiis; poterant enim carnes illorum secundo die comedi, sed non tertio, *Levit.* VII, 16. Verum quia hæ sacerdotum carnes sanctiores habebantur, atque ad majorem sacerdotum sanctimoniam commendandam, hinc ne quidem secundo die eis vesci permittit Deus. Simile dictum est de agno paschali, cap. XII, vers. 10.

Anagogice S. Cyrillus lib. XI *De Adorat. in spiritu*, fol. 230: Ex sacrificiis, inquit, nihil servatur in secundum diem, quia in futuro sæculo alium, quam per sacrificia, modum habebimus nos offerendi et uniendi Deo, cum Christus nobiscum erit, et evacuabitur id quod ex parte est; tunc enim erit Deus omnia in omnibus. Anagogice.

Vers. 35. 35. SEPTEM DIEBUS CONSECRABIS MANUS EORUM, etc. — Præcipitur hic, ut in consecratione sacerdotum per septem dies, hæc quatuor quotidie fiant: *primo*, ungantur manus sacerdotum; *secundo*, immoletur vitulus; *tertio*, mundetur altare; *quarto*, altare ungatur. Hæc sanxit Deus tum ad sacerdotum consecrationem complendam, tum etiam ad initiandum et quasi consecrandum novum altare holocaustorum. Cæremoniæ quatuor in consecratione sacerdotum.

Addit Josephus, hisce septem diebus factas fuisse iteratas aspersiones vestium sacerdotalium, tabernaculi item et vasorum sacrorum, per oleum et per sanguinem taurorum et arietum, qui alternis diebus mactabantur. Verum hæc non satis consonant Scripturæ hic, quæ singulis diebus vitulum solum, non autem alternis taurum et arietem immolari præcipit.

Vers. 36. 36. UNGES ILLUD IN SANCTIFICATIONEM, — unges illud ut sit sanctum et Deo consecratum.

Vers. 37. 37. ET ERIT SANCTUM SANCTORUM, — erit sanctissimum.

OMNIS QUI TETIGERIT ILLUD, SANCTIFICABITUR. — Hoc est, sanctificari debet, ne profanus res tam sanctas attingat. Nam quod aliqui dicunt altare sanctificasse ea quæ ipsum contingebat, universaliter falsum est; imo res polluta, si rem sanctam tangeret, eam polluebat; non vero e contrario, res sancta rem pollutam tangens, suo contactu eam sanctificabat. Vide *Num.* XIX, vers. 13, 14 et 22, ubi præscribitur aqua lustrationis ex cinere vitulæ rufæ, qua expiare et sanctificare se debebant immundi, antequam res sacras tangerent vel tractarent.

Vers. 38. 38. HOC EST QUOD FACIES IN ALTARI, — *q. d.* In hunc maxime usum erigi volo hoc altare holocaustorum, ut scilicet in eo *facias*, id est, immoles (hoc enim Hebr. עשׂה *asa* significat, uti et Latinum *facio* subinde, ut, *Cum faciam vitula pro frugibus, ipse venito*) perenne et juge sacrificium sive holocaustum duorum agnorum quotidie, puta unius mane, et alterius vespere : unde a digniori et frequentiori hoc sacrificio, dictum est altare holocaustorum, licet in eo aliæ etiam victimæ, tum pacificæ, tum pro peccato immolarentur.

Describitur hic ergo sacrificium, quod quotidie

Juge sacrificium quod, et cur?

immolabant Hebræi, videlicet agnum mane et agnum vespere, de quo *Numer.* XXVIII, 3, ut tam mane quam vespere hac victima Deum colerent, eique tam primitias quam finem diei offerrent; indeque sacrificium hoc vocatur matutinum et vespertinum, cujus sæpe meminit Psaltes et Prophetæ.

Primo.

Nota *primo* : Agnus hic debebat esse similis agno paschali, puta esse anniculus et immaculatus, ut patet *Num.* XXVIII, 3.

Secundo.

Secundo, cum agno offerebatur decima pars ephi similæ conspersæ oleo, quod oleum debebat esse quarta pars mensuræ hin : eadem mensura vini, puta quarta pars hin, cum agno libanda, id est, effundenda erat in honorem Dei. Erat enim hoc sacrificium quasi juge et quotidianum convivium Dei constans carne agni, pane ex simila, et vino; in convivio enim tam potus, quam cibus requiritur.

Tertio.

Tertio, hoc juge sacrificium publicis expensis offerebatur, inquit Josephus, lib. III *Antiq.* X.

Quarto.

Quarto, nullo die intermittebatur, etiamsi illo die festum aliquod, ut neomenia, sabbatum, pascha, etc., incideret, quo pro ratione festi aliæ victimæ immolandæ erant, ut patet *Num.* cap. XXVIII, vers. 9.

Ubi nota : Quotidie primo immolabatur sacrificium juge matutinum; post illud vero immolabantur alia. Juge vero vespertinum ultimo post alia omnia immolabatur; unde tota nocte cremabatur in altari, uti sancit Deus, *Levit.* VI, 9.

Allegorice juge sacrificium est Eucharistia.

Allegorice, juge sacrificium significabat juge sacrificium Christi in Eucharistia, quod omnibus diebus offertur et offeretur usque ad Antichristum, qui illud auferet, saltem ne publice fiat in regnis sibi subditis, ut patet *Daniel.* XI, 31.

Primo.

Primo ergo, Christus est agnus hic jugis, sed qui tollit peccata mundi, quod facere non potuit agnus jugis et legalis. Hinc Christus ab Isaia, Jeremia et aliis Prophetis vocatur agnus. « Agnus eligitur, ait S. Augustinus, ut simplicitas et innocentia designetur; masculus quæritur, ut virtus comprobetur; immaculatus, ut sine crimine. »

Secundo.

Secundo, Christus est agnus, qui mane mundi, id est ab ipsa mundi origine, occisus est pro peccatis veterum patrum; et qui vespere, ab adventu scilicet Christi usque ad finem sæculi immolatur, tanquam in sacrificium, pro filiis novi Testamenti.

Tertio.

Tertio, cum agno offerebatur simila et vinum, quia Christus non solum occidi voluit pro nobis; sed etiam in ipso sacrificio reliquit nobis Sacramentum corporis et sanguinis sui sub specie panis et vini, quo mirifice animæ nostræ aluntur, confirmantur et recreantur. Simila hæc mixta est oleo, quia Christus hoc sacramentum Eucharistiæ ex suavissima charitate et misericordia instituit; olei et vini par erat mensura, quia tanta est Christi misericordia, quanta est virtus sanguinis ejus pro nobis effusi.

Allegoria S. Bernardi.

S. Bernardus, serm. 2 et 4 *De Purific.*, per agnum matutinum intelligit Christum infantem in templo præsentatum et oblatum in festo Purificationis; per agnum vero vespertinum intelligit Christum jam virum, in fine vitæ immolatum in cruce. Ita S. Cyprianus, lib. II, epist. 3 *ad Cæcilium*, docet vespertinum agnum figurasse, non tantum Christi mortem in cruce, sed et tempus mortis; sub vesperam enim Christus mortuus est.

Tropologice, juge sacrificium est matutina et vespertina oratio, quam quilibet fidelis quotidie Deo offerre debet : item sacrificium Missæ, quam quotidie audiant, qui possunt, ut in ea Christum, verum agnum, immolatum Deo Patri offerant. Ita S. Clemens, lib. II *Constit. Apost.* cap. XXXVI, monet Christianos, ut tam mane, quam vespere ecclesiam oraturi adeant. « Ab ecclesia, inquit, Christi ne absis; surgens ad eam mane, antequam ullum opus aggrediaris, et rursus adi ad eam vespere, ut gratias agas Deo de iis, propter quæ vitam tibi largitus est. » Id etiamnum Christiani religiosiores observant, qui mane statim ut surrexerint, antequam opus aggrediantur, ad ecclesiam adeunt, et si possint Missam audiunt. Idem quotidie factitabat S. Monica, uti habet ejus Vita ex S. Augustino desumpta.

Missæ auditio quotidie quam utilis.

Quinque hujus rei fructus paucis assignat noster Toletus, lib. VI *Summæ*, cap. X : « *Primus*, inquit, est gratiæ augmentum; qui enim in gratia est, sacrum audiendo gratiæ augmentum consequitur, tum quia offert, tum quia pro ipso etiam sacrum offertur. *Secundo*, consequitur pœnæ temporalis pro peccatis debitæ remissionem. *Tertio*, quod petit, facilius impetrat : nam Deo Patri oblationem acceptissimam, puta Christum offert. *Quarto*, actus virtutum exercentur, et præcipue trium, quæ sunt magni meriti, scilicet Fidei, Charitatis et Religionis. *Quinto*, comparet homo in præsentia Christi; et eo quo potest modo, puta per fidem, præsentem videt Christum, et habet atque impetrat, quod impetraret si videret, si debito modo petat, ut cæcus impetravit. » Eosdem fusius tradit noster Suarez, tomo III, in III *part.*, disp. LXXIX, sect. VIII, § 4, qui præterea pie et probabiliter opinatur, assistentes Missæ (quos et offerentes esse censet) ex opere operato consequi proprium fructum suum, etiamsi sacerdos intentione sua nullum illis talem fructum applicet.

Exempla.

Hisce de causis S. Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus, cum ob senium facere Missam non posset, delatus in oratorium quotidie Missam audiebat, ait Edinerus in ejus Vita, lib. II. S. Thomas Aquinas in summis etiam studiis quotidie Missam faciebat, et alteram audiebat, et eidem sæpe ministrabat. In *Chronicis Hispaniæ* celebris est capitaneus Pascalis Vivas, qui tempore prælii contra regem Cordubæ Maurum, dum audiret Missas in templo S. Martini, visus est in prælio fortiter pugnare, et vexilliferum occidere, esse-

que causa victoriæ, cum tamen pugnæ non interfuisset, angelo sub ejus forma pugnante. Multos a periculis, a morte, a paupertate liberatos, quod Missam quotidie audirent, collegit Pinellus noster, lib. *De Fruct. Miss.* Ecquid mirum! ipsi angeli Missæ assistunt et ministrant. Unde in Canone orat sacerdos : « Jube hæc perferri per manus sancti angeli tui. » Vidit S. Chrysostomus, teste B. Nilo ejus discipulo, presbyteris Eucharistiam distribuentibus, angelos auxilium ac robur ferre. Scribit Cyrillus in Vita S. Euthymii, sæpe ab eo visam terribilem angelorum multitudinem una secum Deo ministrantem, et sacra contrectantem. Unde S. Bonaventura : « Ad Missas, inquit, libenter ministra, quia hoc est officium angelorum ; ipsi enim Deo suo ministrant devotissime. » Et S. Ephrem : « Angeli mundi, inquit, cum tremore ministrant, faciemque obtegentes non audent respicere. » S. Ambrosius in cap. I *Lucæ* : « Non dubites, ait, assistere angelum, quando Christus immolatur. » S. Chrysostomus, lib. VI *De Sacerdot.*, ait altare angelorum choris plenum esse, qui clamores excitant, dum Christus immolatur.

Vers. 40. 40. DECIMAM PARTEM (ephi, uti additur *Numer.* XXVIII, 5) SIMILÆ CONSPERSÆ OLEO TUSO, QUOD HABEAT MENSURAM QUARTAM PARTEM HIN, ET VINUM AD LIBANDUM EJUSDEM MENSURÆ IN (id est cum) AGNO UNO. — Repete *facies*, id est, offeres et sacrificabis.

Decima pars ephi est gomor, uti dixi cap. XVI, vers. ult., quod in frumento Palæstinæ erat 8 librarum, in farina vero circiter 4 librarum. *Secundo*, simila hæc debebat esse conspersa, id est subacta, oleo loco aquæ, vel simul cum aqua, qua subigi solet farina. *Tertio*, oleum hoc debebat esse non attritu molæ expressum, quod impurius est, sed pilo bene tusum, vel certe sponte defluens, quod purius et limpidius est. *Quarto*, mensura hin, inquit Josephus, continet duos choas atticos; duo choæ faciunt sextarios duodecim. Hebræi dicunt quartam partem hin esse mensuram octodecim ovorum, ita ut hin contineat duo et septuaginta ova, sive duodecim *logim* : *log* enim est mensura sex ovorum, scilicet Palæstinæ, quæ majora sunt nostris; quarta ergo pars hin erant tres libræ olei circiter.

Oleum addebatur agno quale ?

Vers. 41. 41. ALTERUM VERO AGNUM OFFERES AD VESPERAM.— Hebraice, *inter duas vesperas*, scilicet unam solis occidentis, alteram tenebrarum et noctis post solis occasum, quo tempore immolandus quoque erat agnus paschalis, ut dixi cap. XII, 6.

Vers. 42. 42. AD OSTIUM TABERNACULI TESTIMONII. — Puta super altare holocaustorum, quod erat ante ostium tabernaculi, et juxta illud, ad partem ejus Aquilonarem. Ita Abulensis.

CORAM DOMINO, — in altari Domini, vel coram tabernaculo Domini, ubi videtur esse quasi domus Dei. Ita Abulensis.

UBI CONSTITUAM UT LOQUAR AD TE. — Hinc patet Deum non tantum respondisse ex propitiatorio, quod erat in Sancto sanctorum, sed etiam ad ostium tabernaculi, *q. d.* Æquum est ut ubi ego præsentem me exhibeo, et ubi loquor, ibi mihi offeratur juge sacrificium, ut ibidem quasi fructum sacrificii assignem meam præsentiam et colloquium. Sic ante oraculum et Sanctum sanctorum, jussit Deus adoleri juge thymiama, scilicet semel mane, et semel vespere, idque quotidie, quia in Sancto sanctorum præsens esse, et residere videbatur super arcam, indeque dabat oracula. Ita Cajetanus (1).

Vers. 43. 43. IBIQUE PRÆCIPIAM FILIIS ISRAEL, — scilicet per te internuntium meum. Pro *præcipiam*, hebraice idem est verbum, quod paulo ante noster Interpres vertit *constituam*, scilicet יעד *iaad*, quod significat *primo*, convenire, et constituere locum vel tempus ad conveniendum ; *secundo*, testificari et præcipere. Hinc patet tabernaculum, quod hebraice vocatur *moed* (a radice *iaad*), quod Noster vertit *testimonii*, alludere tam ad conventum Dei cum hominibus, quam ad testificationem et legem, quæ in tabernaculo, puta in publico populi conventu, legebatur et proponebatur. Dicitur ergo tabernaculum *primo*, עדות *edut*, id est *testimonii*, quia in eo erat testimonium, id est lex, et tabulæ legis, ut patet *Exodi* cap. XXV, 21. *Secundo*, מועד *moed*, id est conventus, ad quod scilicet populus ad statuta festa et solemnitates, quasi ad Deum orandum et celebrandum, Deique legem audiendam conveniebat. Vel *moed*, id est testimonii, id est legis, uti jam dixi. Rursum, *testimonii*, quia Dei præsentia et oraculis, quasi testimonio confirmatum et stabilitum erat. In tabernaculo enim, et maxime in Sancto sanctorum, sive in oraculo, Deus ostendebat et testabatur se esse præsentem, præsidem et tutorem suæ Ecclesiæ, suique populi, ejus vota audiendo et exaudiendo, eum protegendo, eum instruendo, tum interius, tum exterius per vocem sacerdotum, et per vocem suam ex oraculo, etc. Ita Alcazar in *Apocal.* XV, 5. Ubi tamen perperam priorem expositionem « testimonii, » id est legis, rejicit, solamque posteriorem hanc stabilire conatur, cum expresse Scriptura docet in tabernaculo et arca positum fuisse testimonium, id est legem, sive tabulas legis, indeque dici arcam testimonii. *Exodi* XXV, 21 et 22, et cap. XXXI, 18, tabulas legis vocat *tabulas testimonii*. Et clarum est arcam testamenti (æque ac testimonii) sive fœderis dici, non a conventu populi, sed quia continebat tabulas legis, quæ erant conditio fœderis inter Deum et populum initi.

ET SANCTIFICABITUR ALTARE IN GLORIA MEA. — Hoc est, sanctum declarabitur altare, cum gloria mea circa illud apparuerit, ac præsertim cum ignem de cœlo in illud immittam octavo die con-

(1) Est in hebr. *ubi vos conveniam, ut loquar ad te ibi.*

secrationis sacerdotum, ad consumenda sacrificia mea, *Levit.* IX, 24. Sic « mundare, » pro mundum declarare; et « contaminare » vel « polluere, » pro contaminatum et pollutum judicare, sumitur sæpe in Levitico, ut *Levit.* XIII, vers. 6, 11, 20, 25, 27, 34, 59.

Vers. 44. 44. SANCTIFICABO ET TABERNACULUM, — sanctum illud declarabo, et quasi sanctum a profanis tuebor, quando miraculosa eruptione ignis vetabo in illud inferri ignem alienum, *Levit.* X, 2. Tunc etiam sanctificabo « Aaron cum filiis suis, » puta Ithamar et Eleazar, deputando et designando eos mihi in sacerdotes, eosque conservando ab incendio, quo consumam Nadab et Abiu, fratres eorum et sacerdotes, sed reprobandos a me, quia offerent ignem alienum.

Vers. 45. 45. ET HABITABO IN MEDIO FILIORUM ISRAEL, — scilicet habitabo in tabernaculo meo, quod est inter filios Israel, in eoque quasi in domo mea versabor, ibique præsentem me exhibebo, dirigens et protegens populum meum, quem eduxi ex Ægypto. Chaldæus vertit, *ponam præsentiam divinitatis meæ*, scilicet in tabernaculo et propitiatorio; hoc enim ipse et Hebræi vocant שכינה *sechina*, id est quietem, quod in eo quasi in sede sua Dei majestas quiesceret et resideret.

CAPUT TRIGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describitur altare thymiamatis. Secundo, vers. 12, in censu populi jubetur quisque solvere dimidium siclum. Tertio, vers. 18, jubetur fieri labrum æneum pro lotione sacerdotum. Quarto, vers. 23, describitur compositio unguenti, quo ungendi sunt sacerdotes et vasa sacra. Quinto, vers. 34, describitur compositio thymiamatis, quod adolendum erat in altari thymiamatis.

1. Facies quoque altare ad adolendum thymiama de lignis setim, 2. habens cubitum longitudinis, et alterum latitudinis, id est, quadrangulum, et duos cubitos in altitudine. Cornua ex ipso procedent. 3. Vestiesque illud auro purissimo, tam craticulam ejus, quam parietes per circuitum et cornua. Faciesque ei coronam aureolam per gyrum, 4. et duos annulos aureos sub corona per singula latera, ut mittantur in eos vectes, et altare portetur. 5. Ipsos quoque vectes facies de lignis setim, et inaurabis. 6. Ponesque altare contra velum, quod ante arcam pendet testimonii, coram propitiatorio quo tegitur testimonium, ubi loquar tibi. 7. Et adolebit incensum super eo Aaron, suave fragrans, mane. Quando componet lucernas, incendet illud; 8. et quando collocabit eas ad vesperum, uret thymiama sempiternum coram Domino in generationes vestras. 9. Non offeretis super eo thymiama compositionis alterius, nec oblationem, et victimam, nec libabitis libamina. 10. Et deprecabitur Aaron super cornua ejus semel per annum, in sanguine quod oblatum est pro peccato, et placabit super eo in generationibus vestris. Sanctum sanctorum erit Domino. 11. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 12. Quando tuleris summam filiorum Israel juxta numerum, dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino, et non erit plaga in eis, cum fuerint recensiti. 13. Hoc autem dabit omnis qui transit ad nomen, dimidium sicli juxta mensuram templi. Siclus viginti obolos habet. Media pars sicli offeretur Domino. 14. Qui habetur in numero, a viginti annis et supra, dabit pretium. 15. Dives non addet ad medium sicli, et pauper nihil minuet. 16. Susceptamque pecuniam, quæ collata est a filiis Israel, trades in usus tabernaculi testimonii, ut sit monimentum eorum coram Domino, et propitietur animabus eorum. 17. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 18. Facies et labrum æneum cum basi sua ad lavandum, ponesque illud inter tabernaculum testimonii et altare. Et missa aqua, 19. lavabunt in ea Aaron et filii ejus manus suas ac pedes, 20. quando ingressuri sunt tabernaculum testimonii, et quando accessuri sunt ad altare, ut offerant in eo thymiama Domino, 21. ne forte moriantur: legitimum sempiternum erit ipsi, et semini ejus per successiones. 22. Locutusque est Dominus ad Moysen,

23. dicens : Sume tibi aromata, primæ myrrhæ et electæ quingentos siclos, et cinnamomi medium, id est, ducentos quinquaginta siclos, calami similiter ducentos quinquaginta, 24. casiæ autem quingentos siclos in pondere sanctuarii, olei de olivetis mensuram hin ; 25. faciesque unctionis oleum sanctum, unguentum compositum opere unguentarii, 26. et unges ex eo tabernaculum testimonii, et arcam testamenti, 27. mensamque cum vasis suis, candelabrum, et utensilia ejus, altaria thymiamatis, 28. et holocausti, et universam supellectilem quæ ad cultum eorum pertinet. 29. Sanctificabisque omnia, et erunt Sancta sanctorum : qui tetigerit ea, sanctificabitur. 30. Aaron et filios ejus unges, sanctificabisque eos, ut sacerdotio fungantur mihi. 31. Filiis quoque Israel dices : Hoc oleum unctionis sanctum erit mihi in generationes vestras. 32. Caro hominis non ungetur ex eo, et juxta compositionem ejus non facietis aliud ; quia sanctificatum est, et sanctum erit vobis. 33. Homo quicumque tale composuerit, et dederit ex eo, alieno, exterminabitur de populo suo. 34. Dixitque Dominus ad Moysen : Sume tibi aromata, stacten et onycha, galbanum boni odoris, et thus lucidissimum, æqualis ponderis erunt omnia ; 35. faciesque thymiama compositum opere unguentarii, mixtum diligenter, et purum, et sanctificatione dignissimum. 36. Cumque in tenuissimum pulverem universa contuderis, pones ex eo coram tabernaculo testimonii, in quo loco apparebo tibi. Sanctum sanctorum erit vobis thymiama. 37. Talem compositionem non facietis in usus vestros, quia sanctum est Domino. 38. Homo quicumque fecerit simile, ut odore illius perfruatur, peribit de populis suis.

Vers. 1.

1. FACIES QUOQUE ALTARE AD ADOLENDUM THYMIAMA. — Describitur hic altare thymiamatis, in quo nullæ victimæ, sed solum thymiama Deo incendebatur, non tantum a pontifice, sed etiam a minoribus sacerdotibus, qui ordinarie hoc munere fungebantur, idque quotidie bis, scilicet mane et vespere, instar jugis sacrificii.

Altare hoc erat in Sancto obversum Sancto sanctorum.

Nota *primo* : Altare hoc factum erat ex lignis setim inauratis, eratque longum cubitum unum, latum cubitum unum, et altum cubitos duos.

Nota *secundo* : Altare hoc erat in Sancto, in medio candelabri et mensæ, eratque obversum propitiatorio sive oraculo, quod erat in Sancto sanctorum supra arcam, sustentatum a duobus Cherubim ; hinc vocatur hoc altare oraculi : erat enim ita obversum oraculo, ut per aperturam quæ erat superne in pariete dividente Sanctum a Sancto sanctorum, fumus aromatum incensorum in altari thymiamatis ascenderet, et evaporaret in ipsum oraculum, ut scilicet hoc suffitu honoraretur Deus residens in oraculo.

Deus voluit sibi adoleri thymiama, cur?

Tertio, voluit Deus hos odores sibi adoleri, non quod adoratu thymiamatis delectetur, cum nullum habeat odoratum, uti nec nares, nec corpus ; sed quia magnus inter homines censetur honor, suaves cuipiam apponere vel suffumigare odores : hinc Deus, qui cum hominibus humano more agit, voluit eosdem ad sui cultum coram se adoleri. Sic omnium gentium consuetudine et ritu, thuris et odorum incensio attributa est Deo ; hinc Poetæ «thuris honores » vocant honores divinos, et tres Magi hæc tria munera dederunt Christo, scilicet : « aurum regi, thura Deo, myrrhamque sepulto. » Unde et nos Christiani thurificamus Deo ; inde ergo altare hoc vocatum est thymiamatis ; sive, ut hebraice est, altare suffitus incensi.

Altare hoc habebat quatuor cornua, coronam auream, et craticulam. Item quatuor annulos et duos vectes. Tropologice altare hoc significat perfectos.

Quarto, altare hoc habebat quatuor cornua, et coronam auream per gyrum : in medio habebat craticulam reticulatam, per quam favillæ et cineres aromatum incensorum deciderent sub altare, indeque suis temporibus eximebantur.

Quinto, habebat hoc altare quatuor annulos, per quos duo inserebantur vectes, quibus ferebatur et bajulabatur a sacerdotibus per desertum.

Tropologice : Altare hoc, ait Beda, significat perfectorum vitam, qui quasi in vicinia oraculi sunt positi : quia desertis infimis delectationibus, de solo regni cœlestis ingressu curam omnem impendunt. Unde bene in hoc altari non carnes animalium, sed sola incendebantur thymiamata : quia tales non adhuc peccata carnis, et illecebras cogitationum in se mactare opus habent, sed tantum fere orationum spiritualium, et cœlestium desideriorum odoramenta per ignem interni amoris in conspectu sui conditoris offerunt. »

Singulæ proprietates altaris perfectis applicantur. Primo. Secundo.

Hinc altare hoc est de lignis setim, quia tales decet esse pulchros virtutibus, et ad vitia imputribiles ; est etiam quadratum, quia tales sunt firmi et immobiles, ut dicant : Quis nos separabit a charitate Christi ? *Secundo*, est deauratum, quia tales debent fulgere insigni charitate. Novem, teste Plinio, lib. XXXIII, cap. III, sunt excellentiæ et dotes auri, scilicet « mira generatio, splendor, pondus, facilitas materiæ (est enim aurum ductile in tenuissimas quasi superficies, lineas et puncta), constantia, munditia, medicinæ, miracula, pretium ; » quæ fuse persequitur, et charitati sigillatim adaptat Alcazarius in *Apoc.*

Tertio. cap. I, 13, notat. 12. *Tertio,* hi habent cubitum longitudinis et latitudinis, quia æquam servant longanimitatem in quibusvis adversis undecumque immissis, quia in omnibus unum cogitant, id est Deum, a quo sibi hæc immitti sciunt, et pro cujus honore et voluntate omnia libenter perpetiuntur; habent et duos cubitos in altitudine, quia tam corpore quam mente in cœlestia feruntur, dicuntque cum Psalte, *Psalm.* LXXXIII : « Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum.»

Quarto. *Quarto,* hi quatuor habent cornua, id est, quatuor virtutes cardinales ex altari, id est, ex ipso

Quinto. cordis sinu et habitu, manantes. *Quinto,* craticula est cor eorum, in quo aromata illa Deo incenduntur, in quibus si quid sit cineris terreni decidit, ut pura sit oratio et laus Dei, puraque

Sexto. sint cordis desideria. *Sexto,* corona aurea signi-

Septimo. ficat coronam illis præparatam in cœlis. *Septimo,* quatuor annuli cum vectibus dona sunt Spiritus Sancti, quibus ab eo justi facile moventur, et ad

Octavo. præclara facinora excitantur. *Octavo,* eodem tempore offerebatur thymiama, quo et juge sacrificium, quia hæc duo, scilicet mortificatio, quam repræsentat juge sacrificium sive immolatio agni, et contemplationis ardor, quem repræsentat thymiama, jungenda sunt: unum enim sine altero esse nequit; unde *Cant.* V, ait Sponsus : « Messui myrrham cum aromatibus meis. » Ubi per myrrham mortificatio, per aromata divinus amor et contemplatio intelligitur. Quo loco

Christus patiens comparat se messori : cur ? Nota Christum se in passione comparare messori, tum ut significet animi lætitiam qua patiebatur, tum ut indicet copiosum passionis suæ fructum, quem jam tunc patiendo quasi metere et colligere videbatur : itaque ipsa Christi passio velut quædam fuit messis fructuumque collectio. Utinam cor nostrum sit altare thymiamatis, quod juge thymiama, puta pia et crebra vota, desideria ac suspiria ad Deum exhalet! Ita S. Joannes vidit angelum accipere ignem de altari thymiamatis, et Deo offerre phialas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum, *Apoc.* VIII, 3 et 5. Hinc Urbanus IV Pontifex, explicans illud *Psal.* L, *Tunc imponent super altare tuum vitulos* : « Hæc est ara, inquit, templi sancti tui, quod sum ego, juxta quam stat angelus ad custodiam deputatus, habens thuribulum aureum in manu sua, ut cum incenso multo orationes coram te, Domine, fusas cum lacrymis repræsentet. Hoc est altare concavum et inane, a cunctis scilicet terrenis affectibus vacuatum, quod tibi fieri mandavisti, ad reponendum cineres memoriæ nostræ mortis. »

Morale de orationis fructu, miraculis, et exemplis. « Multi, ait S. Augustinus in *Psalm.* LXV, languescunt in orando, et in novitate conversionis suæ ferventer orant; postea languide, postea frigide, postea negligenter, quasi securi sint: vigilat hostis, dormis tu? » Idem *ad Probam* : « Dicuntur, ait, fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, sed eas brevissimas, et raptim jaculatas : ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimum necessaria est, per productiores moras evanescat atque hebetetur intentio. » Idem rursum : « Oratio, ait, est animæ sanctæ præsidium, angelo bono solatium, diabolo supplicium, gratum Deo obsequium, et pœnitentiæ ac religionis laus tota, perfecta gloria, spes certa, sanitas incorrupta. » Idem *ad Dioscor* : « Hoc, ait, negotium plus gemitibus quam sermonibus agitur, plus fletu quam affatu. » Nam, ut ait S. Chrysostomus, « Deus non est vocis, sed cordis auditor. »

Et S. Hieronymus in *Epist.* : « Egredientes, ait, de hospitio armet oratio, regredientibus de platea occurrat : sessione prius corpusculum ne requiescat, quam illa animam pascat. »

Et S. Isidorus, libro III *De summo Bono,* cap. VIII : « Qui, ait, vult cum Deo semper esse, frequenter debet orare et legere. Nam cum oramus, ipsi cum Deo loquimur : cum vero legimus, Deus nobiscum loquitur. » Et mox : « Hoc est remedium ejus qui vitiorum tentamentis æstuat, ut, quoties quolibet vitio tangitur, toties orationem subdat; quia frequens oratio impugnationem vitiorum extinguit. » Et rursum : « Duobus, ait, modis oratio impeditur, ne impetrare valeat postulata, si aut orans adhuc mala committit, aut si delinquenti in se debita non dimittit. »

Quærit S. Basilius, libro I *Hexam.* : « Quomodo obtinebit quis, ut in oratione sensus ejus non vagetur? » ac respondet : « Si cogitet se assistere ante oculos Domini. »

« Oratio, inquit Cassiodorus, serenat cor, abstrahit a terrenis, mundat a vitiis, sublevat ad cœlestia, reddit cor capacius et dignius ad accipienda bona spiritualia. »

Abbas Joannes dicebat : Sicut vir videns feras fugit, scanditque in arborem : ita cum veniunt pravæ cogitationes, fuge per orationem ad Dominum, et salvaberis. Nam sicut aqua extinguit ignem, ita oratio extinguit tentationem. In *Vitis Patrum,* lib. III, cap. ult., num. 208.

Alius aiebat : Orandum est ut purgata sit a peccatis et passionibus anima; quia sicut in aqua turbida nihil conspicitur, ita anima turbata videre nequit Deum.

Vis exempla orantium et impetrantium? Notæ sunt orationes Mosis, Eliæ, Davidis et aliorum in Scriptura.

Ruffinus, in *Vitis Patrum,* libro III, num. 194, narrat de Religioso psallente, quod, cum psalleret, ex ejus ore per singulos versus fax ignis egressa ascendebat ad cœlum.

S. Antonius et Arsenius sæpe totas noctes orabant, et mane inveniebantur stantes in eodem vestigio, quo vespere stare cœperant, intendentes in cœlum; per orationem omnes diaboli tentationes et insidias superarunt.

Abbas Bessarion oravit per 14 dies continuos, manibus in cœlum extensis. Unde aquam maris

dulcem reddidit, ut habet Ruffinus, lib. III in *Vitis Patrum*, num. 215, et lib. V, cap. XII, num. 3.

Jacobus Nisibites oratione Nisibim urbem contra Saporem defendit, omnesque ejus molitiones irritas reddidit, teste Theodoreto in ejus Vita.

Publius oratione stitit diabolum emissum a Juliano Apostata, ut habetur in *Vitis Patrum*, lib. VI, cap. II, num. 12.

Simeo Stylites oratione aquam impetravit, plurimaque miracula patravit, teste Theodoreto.

Theonas Abbas oratione latrones reddidit immobiles Zachæus pestem Cæsaria avertit, S. Hilarion dæmones ejecit.

Oratione et jejunio septem dierum, Macarius Ægyptius ejecit dæmonem gulosum, ut habet ejus Vita.

Est ergo oratio cum Deo colloquium, futuræ beatitudinis præludium, angelorum opus, omnium difficultatum victoria, infirmo in via Dei medicina, mentis correctio, animæ fœcunditas, spiritus ignitio, gaudium et jubilus.

Vers 2. 2. QUADRANGULUM, — id est quadratum erit; habebat enim cubitum tam in longitudine, quam in latitudine. Noster ergo quadratum vocat « quadrangulum, » quia quatuor habebat cornua et angulos.

Cornua altaris thymiamatis qualia ? CORNUA EX IPSO PROCEDENT. — Hæc ergo cornua non erant additicia, sed ex tigillis quatuor angularibus, officio pedum fungentibus, surgebant in obelisci modum affabre elaborata. Erant ergo quasi quatuor quidam radii elegantes, sursum erecti super quatuor angulos altaris, ita ut e tignis quatuor, quæ altare sustinebant, prodirent et erigerentur. Ita Cajetanus, Lipomanus, Ribera et Vilalpando, apud quem vide eorum figuram et ideam pag. 336 in Fabrica templi. Lyranus tamen et Hebræi putant hæc cornua fuisse quædam pomella, in quatuor illis angulis collocata, ad pulchritudinem et decorem altaris; sed hæc pomella non sunt cornua.

Notat Abulensis, *Quæst.* II, in hisce cornibus nihil fuisse appensum; sed omnia vasa pertinentia ad altare thymiamatis, fuisse apud altare holocaustorum reposita, illique appensa.

Vers. 3. Craticula altaris. 3. CRATICULAM EJUS. — Ita et Septuaginta vertunt hebræum ויח *gaggo*, id est, tectum vel operimentum ejus. Craticula hæc erat reticulata, ut per ejus foramina thymiamatis, sive aromatum incensorum cinis decidens in humum, sub altare delaberetur. Craticula ergo hæc, cui ignis imponebatur cum thymiamate, aurea erat; reliqua pars mensæ altaris, etsi lignea esset, erat tamen crassioribus auri laminis ita obducta, ut nullus igni ad tabulas ligneas pateret accessus : licet S. Hieronymus in cap. XLI *Ezech.* dicat tabulas has fuisse ex ligno allato ex paradiso, quod igne non læditur, sed eo fit purius instar amianti. Sed quis ex paradiso hoc lignum attulit? Adamne, an postea quis alius, venia impetrata a Cherubinis paradisi custodibus?

Nota : Thymiama cum igne non immediate ponebatur super hac craticula (sic enim aurum igne fuisset liquefactum, et cinere obscuratum), sed in thuribulo æneo, quod ipsi craticulæ imponebatur, uti patet *Levit.* X, 1.

FACIESQUE EI CORONAM, — limbum, vel circulum similem illi, quem habuit mensa panum propositionis, de quo dixi cap. XXV, vers. 25. Corona hæc quadrata erat, uti et ipsum altare : dicitur tamen corona, quia totum altare per gyrum ambiebat.

6. PONESQUE ALTARE CONTRA VELUM (quod dirimit Sanctum a Sancto sanctorum), QUOD ANTE ARCAM PENDET TESTIMONII (puta ante arcam testamenti), CORAM PROPITIATORIO QUO TEGITUR TESTIMONIUM, — id est, quo tegitur arca testimonii sive testamenti; est metonymia. Hinc patet altare thymiamatis non fuisse in Sancto sanctorum, uti putavit S. Augustinus, sed in Sancto, uti pluribus ostendam cap. XL, vers. 4 et 5. Vers. 6.

8. URET THYMIAMA SEMPITERNUM. — Non quod toto die accendatur vel ardeat thymiama, sed quod singulis diebus mane semel, et semel vespere adolendum sit jugiter. Porro hic erat oblationis thymiamatis modus et ritus, uti recte docet Abulensis, *Quæst.* VII. *Primo*, ibat sacerdos ad altare holocaustorum, ex cujus cornibus pendebant thuribula, igniumque receptacula, indeque capiebat unum thuribulum, atque in eo prunas ignis, quas ex altari holocaustorum accipiebat, reponebat. Deinde intrabat Sanctum, ibique accipiebat thymiama ex thuribulis, quæ erant supra mensam panum propositionis, illudque imponebat suo thuribulo et igni; mox hoc suum thuribulum cum igne et thymiamate ponebat super altare thymiamatis, atque ibidem adolebatur et comburebatur thymiama : quo consumpto tollebat sacerdos suum thuribulum, atque egrediens extra castra illud evacuabat, cineresque loco mundo effundebat, ac denique referebat thuribulum ad altare holocaustorum, suspendebatque rursum ex cornibus illius, unde illud sustulerat. Vers. 8. Ritus adolendi thymiama.

9. NON OFFERETIS SUPER EO THYMIAMA COMPOSITIONIS ALTERIUS. — « Alterius, » scilicet quam præscribam vobis vers. 34. In altari ergo thymiamatis non licebat offerre victimam, nec libare libamen, nec etiam offerre thymiama aliud, licet pretiosissimum, hominis industria compositum; sed tantum illud quod componi jubet Dominus, vers. 34. Vers. 9.

10. ET DEPRECABITUR AARON SUPER CORNUA EJUS SEMEL PER ANNUM. — Transit hic Moses, inquit Cajetanus, ab officio quotidiano altaris hujus, ad officium anniversarium super idem altare peragendum, quod non ad minores sacerdotes, sed ad solum Aaronem, id est pontificem, spectabat; peragendum, inquam, in die expiationis, qui celebrabatur decima die mensis septimi. Illo enim die pontifex, post expiationem Sancti sanctorum, Vers. 10. Lustratio altaris thymiamatis in die expiationis.

inde regrediens ad Sanctum et altare thymiamatis, ibi precabatur pro peccatis suis, atque tingebat cornua altaris sanguine, quem ferebat secum in vasculo, quo etiam jam asperserat Sancta sanctorum, *Levit.* cap. XVI, 18, et hoc est quod hic ait: « Deprecabitur in sanguine (id est, per sanguinem, vel tingendo cornua altaris sanguine ejus, scilicet animalis, puta vituli et hirci), quod (animal) oblatum est pro peccato. » Fiebat enim hæc altaris lustratio per sanguinis aspersionem ad hoc, ut per eam expiaretur altare, tanquam peccatis totius populi in cujus medio erat, per totum annum commissis contaminatum, ideoque lustrandum et reconciliandum hac lustratione et expiatione.

ET PLACABIT, — puta Aaron pontifex Deum.

SANCTUM SANCTORUM ERIT DOMINO, — *q. d.* Sanctissimus erit hic ritus expiationis : sanctissimum etiam erit altare, quod sic expiatur; tam enim ad altare, quam ad ritum expiationis referri potest τὸ *sanctum sanctorum.* Ita Abulensis.

Nota : Hebræi exaggerationem, vel gradum superlativum exprimunt per nomen abstractum, vel per concretum geminatum, ut, Sanctitas est, vel Sanctum sanctorum est, id est sanctissimum est.

Vers. 12. 12. QUANDO TULERIS SUMMAM (hebraice *caput,* id est capita, id est summam capitum) FILIORUM ISRAEL JUXTA NUMERUM, DABUNT SINGULI PRETIUM PRO ANIMABUS SUIS DOMINO : ET NON ERIT PLAGA IN EIS, CUM FUERINT RECENSITI, — *q. d.* Quoties numerum inibis populi, non ex vanitate vel superbia (uti fecit David, cujus proinde numeratio sive census populi fuit peccatum, graviterque a Deo punitum), sed vel me jubente, vel publicæ necessitatis, ut tributi, belli, aliave justa de causa: toties singuli numerati pendent pretium pro animabus suis, quo scilicet animam, id est vitam suam a Deo quasi redimant, ut videlicet Deus eos in vita conservet, nec eis pestem plagamve aliam immittat, ex hac quasi lege et condicto : nam si non redemeris te, o Hebræe, pretio, cum recensitus fueris, Dominus te quasi prævaricatorem hujus legis et pacti plaga aliqua puniet, uti fecit tempore Davidis, cum scilicet ille recensuit populum, nec tamen censum ab eo hic præscriptum accepit. Quanquam ibi et alia, videlicet superbiæ, fuerit culpa, uti jam dixi. Hoc ergo census pretio, ex lege hac et quasi pacto cum Deo, redimebant Hebræi suam vitam, ut pestem aliasque lethiferas plagas evaderent, in quas incurrebant ii, qui pretium hoc census Deo et templo subtrahebant. Sic et hodie qui decimas suffurantur templo et Deo, in graves non raro incidunt plagas et calamitates, quibus depauperantur vel consumuntur.

In censu pretio redimenda erat vita a Deo.

Cur? Prima causa. Voluit Deus in censu pretium hoc sibi a quolibet Hebræo solvi, *primo,* ad hoc, ut scirent et meminissent Hebræi illam populi sui multiplicationem esse a Deo, et ex promissione patribus facta; Deumque curam populi sui gerere, eumque quasi sibi in numerato velle habere. Hoc enim significatur tributo, quod templo pendebatur.

Secunda. *Secundo,* ut doceret neminem sui capitis, suæque vitæ esse dominum, sed omnes unum habere dominum, scilicet Deum, inquit S. Cyrillus, lib. II *in Joan.,* cap. XCII.

Tertia. *Tertio,* ut per hoc temporale significaretur spiritale tributum legis novæ, quod est adorare Deum in spiritu et veritate, quod quilibet a Deo numeratus, id est Christianus, illi pendere debet. Ita S. Cyrillus.

Vespasianus Imperator idem pretium Judæis devictis indixit : « Stipendium, inquit Josephus, lib. VII *Belli,* cap. XXVII, Judæis ubicumque degerent, indixit, binasque drachmas singulis annis deferre in Capitolium jussit, ita ut antehac Hierosolymæ templo pendebant. »

Anagogice Beda, lib. III *De Tabern.* cap. XIII : Summa, ait, filiorum Israel significat summam omnium electorum, qui pretio decem obolorum, id est, observatione Decalogi, redimunt animas suas, et merentur denarium vitæ æternæ, vespere, id est in fine vitæ, accipiendum.

Vers. 13. 13. HOC AUTEM DABIT OMNIS QUI TRANSIT AD NOMEN, DIMIDIUM SICLI JUXTA MENSURAM TEMPLI. — « Omnis qui transit ad nomen, » hebraice *omnis qui transit ad numeratos,* id est, omnis qui numeratur, sive cujus nomen recensetur, puta a vigesimo anno et supra, ut patet versu 14; ab ea enim ætate censebantur et numerabantur Judæi, quasi apti ad bellum. Unde noster Interpres, cap. XXXVIII, 25, ubi primum populi censum enumerat, pretium hoc census oblatum dicit a sexcentis millibus *armatorum,* licet τὸ *armatorum* in Hebræo non habeatur : recte enim intellexit Interpres eos tantum censeri, qui armis ferendis essent idonei, ac consequenter essent armati in exercitu hoc, et acie Hebræorum.

Siclus quid? DIMIDIUM SICLI. — *Siclus* moneta fuit olim usitatissima Hebræis, quæ et stater dicebatur; *siclus* hebraice dicitur שקל *seckel,* id est appensum, ponderatum. Radix enim שקל *sakel* appendere et ponderare significat. Prisci enim Judæi, uti et Romani, rudem massam æris, argenti vel auri ad certum pondus, vice pretii et pecuniæ adhibebant : postea etiam consignarunt conflaruntque pecuniam signatam, sed quam justo semper appenderent pondere. Ita testatur Plinius, libro XXXIII, cap. III, Romanos primum argento signato uti cœpisse post Pyrrhum devictum, quod fuit anno Urbis 585, ideoque ante primum bellum Punicum; aureum deinde nummum post annos 62 cusum fuisse.

Argentum quando signari cœperit?

Et æs. Æs vero prius signatum est, scilicet apud priscos a Saturno, apud Latinos a Numa Pompilio, secundo rege Romano, qui illud, imaginibus notavit, et titulo nominis sui inscripsit, indeque a Numa numus, sive nummus nomen accepit, ait Isidorus, lib. XVI, cap. XVII, Cedrenus et Epiphanius, lib. *De Ponder.,* in fine.

Sicli pondus. Pondus sicli erat quatuor drachmarum Atticarum, sive semunciæ, teste Josepho lib. III *Antiq.* cap. IX. Argenteus ergo siclus appendebat et æquivalebat quatuor regalibus Hispanicis, puta valebat unum florenum Brabanticum. Erat et æreus et aureus siclus, paris omnes ponderis, sed pro materia inæqualis pretii. Nam drachma una auri valet decem vel duodecim drachmas argenti : pretium enim auri est decuplum vel duodecuplum ad pretium argenti. Siclus ergo aureus valebat decem siclos argenti. Sicli consignationem describit Arias Montanus, libro *De Mensuris* : scilicet siclum in uno latere habuisse urnam cum manna, cum hac inscriptione (per litteras priscas Samaritanas) שקל ישראל *sekel Israel,* id est siclus Israel; in altero vero latere habuisse virgam Aaronis floridam, cum hac inscriptione : ירשלם קדשה *Jerusalem kedesca,* id est, Jerusalem sancta.

Materia.

Figura.

Vide hic quam exiguum tributum, scilicet medium siclum, eumque raro pendendum, sibi deposcat Deus. Id imitentur Principes.

Constans Imperator, teste Eutropio, dicere solebat, « opes publicas melius a privatis pluribus haberi, quam intra unum principis claustrum reservari. »

Trajanus Imperator fiscum vocabat lienem, quod eo crescente reliqui artus omnes tabescerent. Fabricius Romanus, Cinea Epirotarum legato magnam vim auri offerente, recusavit accipere dicens, « se malle aurum habentibus imperare, quam aurum habere. »

An siclus sacer idem fuerit cum communi?

JUXTA MENSURAM TEMPLI. — Multi putarunt siclum sanctuarii differre pondere et pretio a siclo communi. Alii enim censuerunt eum fuisse minorem communi. Ita R. Salomon et Lyranus communi siclo dant quatuor et viginti obolos, sacro vero viginti. Alii vero opinati sunt siclum sacrum esse majorem communi. Ita Pagninus siclo sanctuarii dat quadraginta obolos, communi vero viginti. Vatablus vero, et ex eo Lipomanus et Covarruvias, lib. *De Monetis,* cap. II, num. 9, communi siclo dant decem obolos, sacro vero viginti.

Resp. Fuisse eumdem.

Verum hæc distinctio sicli sacri et communis veteribus, puta Josepho, S. Hieronymo et aliis fuit incognita; imo æquales fuisse hos siclos patet *Ezech.* cap. XLV, vers. 12; ibi enim dicitur siclus communis habere viginti obolos, quot dicitur hic habere sacer. Ezechielem enim loqui de communi laicorum, divitum et pauperum siclo, patet ex antecedentibus. Ita Ribera in *Amos* cap. VIII, num. 15 et sequent.; Vilalpando part. II *De Apparatu templi,* lib. II, cap. XXVIII.

Objectio.

Dices : Septuaginta passim hic, *Levit.* cap. XXIII, *Num.* III, et alibi siclum interpretantur didrachmum; ergo hic siclus sacer minor erat siclo communi : hic enim, teste Josepho, appendebat quatuor drachmas. Unde Epiphanius siclum sacrum vocat dimidium stateris, id est sicli communis. « Siclus, inquit Epiphanius, qui et quadrans dicitur, quarta pars est unciæ, dimidium stateris, habens drachmas duas; » et paulo ante : « Libra est duodecim unciarum; uncia habet stateres duos; stater dimidium est unciæ; habet autem duo didrachma. »

Respondeo : Septuaginta didrachma accipiunt more Hebræo, non Attico : didrachmum autem Hebræum fuit tetradrachmum Atticum : una enim drachma Hebræa faciebat duas Atticas. Septuaginta ergo didrachmum vocant duos argenteos Hebræos, quorum quisque duas pendebat drachmas Atticas, teste Budæo, lib. V *De Asse* : licet argenteus etiam alius fuerit major, ejusdem cum siclo et statere valoris et pretii, scilicet valens didrachmum, ut patet ex versione Septuaginta collata cum nostra, *Gen.* cap. XX, vers. 16; ibi enim Noster vertit, *mille argenteos;* Septuaginta vero, *mille didrachma.* E contrario *Matthæi* cap. XVII, vers. 24, tributum exterum quod publicani petebant a Christo, didrachma Atticum erat, videlicet media pars sicli; solvit enim ibi Christus unum siclum sive staterem, scilicet dimidium pro se, et dimidium pro Petro.

Respon-sio.

Dices : Si idem erat siclus sacer et communis, cur ergo hic et alibi Scriptura siclum limitat, vocatque siclum sanctuarii?

Respondeo id ideo fieri, quod in sanctuario, quasi in loco sacro et tuto, servaretur siclus justissimi ponderis, ad quem appendi possent et examinari reliqui omnes, ne fraudi, puta decurtationi et diminutioni, locus pateret : sicut apud Romanos publica exstabat pedis mensura, velut prima et certissima reliquorum, et amphoræ mensura publica exstabat in Capitolio, de qua Priscianus :

Cur dicitur siclus sanctuarii?

> Amphora fit, cujus vim ne violare liceret,
> Sacravere Jovi Tarpeio in monte Quirites.

Vocat ergo Scriptura hic siclum « juxta mensuram templi, » siclum justissimi ponderis; id patet *Levit.* cap. ult., vers. 25, ubi dicitur : « Omnis æstimatio siclo sanctuarii ponderabitur » (non, computabitur, quomodo tamen dicendum fuisset, si siclus hic sacer pluris valuisset), ubi Septuaginta vertunt, *et omne pretium erit mensuris sanctis, q. d.* Omnis siclus, et omne pondus ac pretium ponderabitur siclo, et mensura justissima, quæ servatur ad hoc in sanctuario. Ad Epiphanium respondeo, eum memoria esse lapsum, vel in codicem ejus irrepsisse mendum : nam aperte Epiphanius contradicit Septuaginta, qui didrachmum vocant staterem vel siclum.

SICLUS VIGINTI OBOLOS HABET, — Judaicos scilicet : nam Atticos habebat quatuor et viginti; tot enim obolos efficiunt quatuor drachmæ Atticæ, quas valet siclus. Erat ergo obolus vigesima pars sicli, id est floreni Brabantici, qui valet viginti stuferos; obolus ergo erat stuferus, et siclus valens viginti obolos, valebat viginti stuferos (1).

Obolus erat stuferus.

(1) Pro *obolis* in hebr. est גרה, quod proprie *fabam siliquæ* videtur significare, deinde indicat pondus min-

Tropologice. Tropologice Radulphus, lib. III *in Levit.* cap. VIII : Dimidium sicli, ait, sive denarius obolorum significat integritatem fidei. Hic debet habere mensuram templi, quia non hæreticorum, sed sanctorum Patrum doctrinæ conformis sit oportet. Est dimidium, quia licet totum habeat quod humanæ saluti necessarium est, tamen ad plenitudinem visionis Dei non pertingit : in hac nec pauperi, nec diviti quicquam detrahere licet.

Vers. 15. Pretium æquale in censu solvebant divites et pauperes, cur? Prima causa. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta. Æquales gratias agere Deo debent divites et pauperes cum S. Job.

15. DIVES NON ADDET AD MEDIUM SICLI, — ut scilicet ex siclis constet populi numerus; *secundo*, ut diviti non detur occasio superbiæ, ac despiciendi pauperem contribulem suum; *tertio*, quia una est anima omnium hominum, sive Crœsus fueris sive Irus ; *quarto*, quia apud Deum non pluris sunt divitiæ quam paupertas; *quinto*, quia æque pretiosa est Deo uniuscujusque vita et anima, utpote pro quibus singulis redimendis, Dei Filius pretiosum sanguinem in ara crucis effudit; *sexto*, quia homo, quicumque ille sit, æquas Deo, quantum in se est, agere debet gratias, sive divitias ab eo acceperit, sive laboret inopia : cujus æquitatis speculum fuit S. Job, qui e ditissimo factus pauperrimus, gratias Deo rependens : « Dominus, inquit, dedit, » munificum se et liberalem ostendens ; « Dominus abstulit, » quod suum erat, cum mihi minus proficuum fore judicasset. Ob vitam ergo et animam, ab eo inter tot mortis pericula servatam, dabo ei didrachma sacrum, pretium animæ meæ, scilicet laudem et gratiarum actionem, dicens : « Sit nomen Domini benedictum. »

Vers. 16. 16. SUSCEPTAMQUE PECUNIAM TRADES IN USUS TABERNACULI. — Magni erant sumptus tabernaculi, et majores fuerunt templi, in fabrica tam ampla, in alendis et vestiendis tot millibus sacerdotum et Levitarum, in victimis, in comportandis lignis, aqua, etc. Unde tradunt Hebræi, singulis annis in festo expiationis factam esse hanc medii sicli a singulis collectionem. Ita Lipomanus.

UT SIT MONUMENTUM (memoriale) CORAM DOMINO, — *q. d.* Dabitis hoc census pretium, puta dimidium sicli, templo et Deo, ut per hoc Deus vestri recordetur, sitque vobis propitius.

Vers. 18. Labrum æneum quod et cur?

18. FACIES ET LABRUM ÆNEUM CUM BASI SUA AD LAVANDUM. — Pro *labrum* hebraice est כִּיּוֹר *kiior*, id est concha; Septuaginta, λουτῆρ, quasi dicant lavatorium, ἀπὸ τοῦ λούειν, id est a lavando. Erat enim hoc vas factum ad aquam continendam, qua lavarentur *primo*, sacerdotes, antequam ad sacra accederent; *secundo*, partes victimarum quæ immolabantur. Ita Abulensis et Lipomanus. Hinc labrum hoc positum erat inter tabernaculum sive Sanctum, et altare holocaustorum, uti sequitur : tam enim in Sancto, quam in altari holocaustorum sacra sua munia obire debebant sacerdotes, quod facere non poterant nisi prius lavarentur.

Huic simile vas ad eumdem finem fabricavit Salomon, sed majus multo, quod a capacitate ingenti *mare æneum* est appellatum; erat enim quasi semisphæra ingens, cujus peripheria sive ambitus superior et latior erat triginta cubitorum, ita ut totum hoc vas contineret tria millia metretarum : metreta autem continet septuaginta et duo sextarios, sive congios duodecim.

Porro concham hanc, seu labrum fabricavit Moses de speculis æneis mulierum, quæ excubabant ad ostium tabernaculi *Exodi* XXXVIII, 8.

Mystice labrum est pœnitentia, idque, Primo.

Mystice, aliqui per hoc labrum et lavacrum intelligunt baptismum ; sed quia hoc lavacrum erat in atrio, quod Ecclesiam significabat, non vero ante atrium vel in ejus ingressu, cui assimilatur baptismus : hinc melius cum S. Gregorio, hom. 17 *in Evang.*, et Beda, lib. III *De Tabern.* cap. ultim., per labrum hoc accipiemus pœnitentiam, vel pœnitentiæ Sacramentum. *Primo* enim labrum hoc fit ex speculis mulierum, id est ex intuitu novissimorum, et ex præceptis Dei, in quibus se aspiciunt fideles animæ, et maculas suas deprehendunt ac corrigunt.

Audi S. Gregorium : « Labrum æneum Moyses ponit, in quo sacerdotes lavari debeant, et Sancta sanctorum ingredi, quia lex Dei prius nos lavari per compunctionem præcipit, ut nostra immunditia ad penetrandam secretorum Dei munditiam non sit indigna. » Subdit deinde cur labrum hoc factum sit de speculis mulierum : « Specula quippe mulierum sunt præcepta Dei, in quibus se sanctæ animæ semper aspiciunt, et si quæ in eis sunt fœditatis maculæ, deprehendunt. Cogitationum vitia corrigunt, et quasi renitentes vultus, velut ex reddita imagine componunt; quia dum præceptis Dominicis solertes intendunt, in eis procul dubio, vel quid in se cœlesti viro placeat, vel quid displiceat agnoscunt. » Addit cur mulieres hæ excubent ad ostium tabernaculi : « Quia sanctæ animæ etiam cum infirmitate adhuc carnis gravantur, amore tamen continuo ingressum æterni introitus observant. Moyses ergo labrum sacerdotibus de speculis mulierum fecit, quia lex Dei lavacrum compunctionis peccatorum nostrorum maculis exhibet, dum ea per quæ sanctæ animæ superno sponso placuerunt, intuenda nobis cœlestia præcepta præbet. Quibus si diligenter intendimus, internæ nostræ imaginis maculas videmus : videntes autem maculas in pœnitentiæ dolore compungimur; compuncti vero, quasi in labro de speculis mulierum lavamur. Est autem valde necessarium, ut cum de nobis compunctione afficimur, etiam commissorum nobis vitam zelemus. »

Lysimachus rex cum exercitum ob sitim hosti

mum Hebræorum æquale quatuor *granis* ponderis Parisiensis. Quum pluribus antiquis gentibus *siliqua* (Græcis κεράτιον) fuerit ponderis minuti exemplar naturale (ad id enim egregie apta est siliquæ faba, quippe magnitudine et pondere semper prope eadem), Michaelis conjicit, eadem ex re etiam Hebræorum minimum pondus nomen accepisse, præsertim quum faba siliquæ in Palæstina valde frequens esset. Plura vide in Eisenschmidii *De mensuris et ponderibus* libro, p. 22. Juxta Allioli siclus valebat circiter gall. 1 fr. 30 c.; paulo pluris, juxta alios.

tradidisset, postquam captivus aquam accepit, et bibit : « Proh, inquit, Deum fidem, quam exiguæ voluptatis gratia, quantum bonum, quantum regnum perdidi; meque ex rege servum effeci! » hoc dicat pœnitens : Bone Deus, pro gula, pro venere unius quadrantis horæ, quantum bonum, quantas cœli delicias perdidi, meque diaboli, mortis et inferni mancipium effeci, idque in perpetuum!

Secundo. *Secundo*, in hoc labro lavari debent secerdotes nostri oblaturi sacram hostiam, et alii fideles, qui etiam quadamtenus sacerdotes sunt, offeruntque vitulos labiorum et manuum, laudes videlicet et sancta opera, participesque fiunt sacræ hostiæ.

Tertio. *Tertio*, ponitur hoc labrum inter altare holocaustorum, et inter tabernaculum sive Sanctum, in quo erat altare thymiamatis; quia, ut ad altare interius, puta thymiamatis, introeatur, non sufficit mortificatio exterior, sed etiam requiritur interior pœnitentia, qua affectus ipsos expurgemus. Vide Riberam, lib. II *De Templo*, cap. XVII, minutim singula adaptantem.

Vers 19. 19. ET MISSA AQUA LAVABUNT IN EA. — Ita legendum, non *in eo*. Nec enim in labro lavabant se sacerdotes (sic enim illud fœdassent), sed in aqua ex labro per fistulam, quæ epistomio aperiri et claudi poterat, defluente. Quod ergo hebraice est, *lavabunt ex eo*, intellige ex aqua quæ ex labro per fistulam defluit. Ita Cajetanus. Sic dicimur bibere vinum ex vase, id est ex poculo, quod ex vase depromptum est.

Sacerdotes nudis pedibus ministrabant in tabernaculo. MANUS SUAS AC PEDES. — Hinc probabiliter censent Cajetanus, Lipomanus et Ribera, sacerdotes nudis pedibus in tabernaculo ministrasse (quod bis facicbant in die, scilicet mane et vespere, uti superius dixi). Ad hoc enim videntur lavisse pedes, ne iis sordidis tabernaculum fœdarent. Si enim postea rursum pedibus induissent calceos et caligas, quid opus erat eos lavare? lotio enim hæc tantum fiebat ad munditiem et decorem tam pedum, quam tabernaculi. Ejus rei symbolo jussus fuit Moses in Sina, quasi in loco sancto, collocuturus cum Deo, deponere calceamenta, *Exodi* III, 5. Nimirum voluit Dominus hac cæremonia nudipedum, sacerdotes docere decorem et reverentiam in cultu divino, etiam exterius, servandam esse.

Cur? Prima causa.

Secunda. *Secundo*, per hoc voluit eosdem admonere internæ puritatis, ut meminissent sacerdotes sibi deinceps non humi, sed per æthera incedendum esse, ait Philo, lib. *De Victimis*. Id imitati sunt Gentiles in suis profanis sacris. Unde illud Hesiodi : « Illotis manibus sacra tractare est nefas. »

Christiani intraturi ecclesiam olim lavabant manus, cur? Hinc et sacerdotes novæ legis in Missa lavant manus, quin et omnes Christiani olim ingressuri ecclesiam, et communicaturi lavabant manus, tum ut puritatis internæ admonerentur, tum quia manibus excepturi erant sacram Eucharistiam : eaque de causa pro foribus ecclesiæ positum erat vas aquæ, ad purificationem; cujus loco postea remansit vasculum aquæ benedictæ, positum in ingressu ecclesiæ, uti ostendi I *Timoth.* II. Quin et Pythagoræ fuit dogma : « Nudis pedibus sacrifica; » quod tum alii, tum Lacedæmonii susceperunt.

Scribit et Josephus Berenicem regis Agrippæ sororem, cum Hierosolymam profecta esset voti causa, rem sacram facturam idem fecisse, atque ita nudipedem ante Flori præsidis tribunal stetisse. Hinc illa quoque D. Leonis in quodam de jejunio sermone exclamatio de Hebræorum jejunio loquentis : « Habeant illi nudipedalia sua, et in tristitia vultuum ostendant otiosa jejunia. »

Nunc quoque Mauri et Saraceni templa, in quibus sacra facturi sunt, non ingrediuntur nisi calceis depositis. Ergo Pythagoram monuisse puto, ut inter sacrificandum mundi, et mundanis relictis curis, et a scelerum inquinamentis expiati, rei divinæ operam darent.

Nam et lavare pedes mystice, expurgare mentem dicimus. Qua de re et nostri Theologi mandatum Domini de pedum lotione exponunt, et simul illud, excutiendos pulveres de pedibus. Euthymius quoque « pedes » pro cogitationibus in *Psalm.* LXXII exponit : « Per pedes, inquit, cogitationes intelligit, veluti quæ animæ nostræ religionem, pedum instar, regunt ac sustinent. »

Nostri tamen sacerdotes celebrant calceati, non nudipedes, tum ob castitatem et verecundiam, tum quia sunt milites et duces (quos decet esse calceatos, imo ocreatos) Christi, parati semper ad bellum contra dæmones, et ad evangelizandum ubique : hinc debent esse calceati pedes in præparatione evangelii pacis, » ut ait Apostolus *Ephes.* VI, 15. Vide ibi dicta.

Vers. 21. 21. NE FORTE MORIANTUR, — ne puniam eos morte (si hanc lotionis cæremoniam a me præceptam negligant) tanquam inobedientes et irreligiosos. Idem puta, si alias quasvis omitterent cæremonias a Deo præceptas, maxime si id fieret ex contemptu.

LEGITIMUM, — id est, lex hæc vobis erit æterna, ut jugiter eam observetis.

Vers 22. 23. SUME TIBI AROMATA, PRIMÆ MYRRHÆ ET ELECTÆ. — Ita et Chaldæus et Septuaginta; sed recentiores Hebræi suos codices aliter distinguunt, leguntque hoc modo : *Sume tibi aromata capitis*, id est prima et præstantissima, puta *myrrhæ electæ*. S. Hieronymus vero, Chaldæus et Septuaginta sic interpungunt et vertunt, *sume tibi aromata, caput myrrhæ liberæ*, id est libere fluentis vel distillantis. Porro *caput myrrhæ liberæ* est stacte, quæ est flos myrrhæ (uti vertunt Septuaginta et S. Hieronymus *ad Principiam*), id est lacryma myrrhæ, puta liquor sponte a myrrha defluens et distillans, quæ myrrha est purissima, electissima et præstantissima. Unde hebraice vocatur *caput myrrhæ*, id est, id quod in myrrha est primum et præstantissimum.

Describitur hic compositio unguenti, quo ungendi et consecrandi erant sacerdotes, item ta- Ungnentum quo

Consecrandi erant sacerdotes.

bernaculum ejusque vasa, jubeturque illud confici ex stacte, cinnamomo, calamo, casia et oleo olivarum, certa mensura hic præscripta inter se commixtis.

CALAMI. — Calamum hic odoratum, sive aromaticum intellige, ut patet ex Hebræo, Chaldæo et Septuaginta, de quo Theophrastus, lib. IX *Histor. Plant.* cap. VII; Plinius, lib. XII, cap. XXII; Galenus, lib. VIII *Med. simplic.*; Dioscorides, lib. I, cap. XVII.

Vers. 24. 24. CASIÆ QUINGENTOS SICLOS IN PONDERE SANCTUARII, — *q. d.* Siclum hic accipio illius ponderis cujus erat siclus sanctuarii, sive siclum qui tanto sit pondere, quantum appendit siclus sanctuarii, non quod is communi siclo sit major, sed quod ipse justissimæ sit mensuræ, uti dixi vers. 13.

An alius fuerit siclus ponderis, alius monetæ?

Neque enim necesse est ponere cum Aria Montano, alium hic siclum ponderis, diversum a siclo monetæ, quasi siclus hic fuerit genus ponderis, quod monetæ sicli non fuerit æquilibre, sed diversum ab eo pondus habuerit: nam Scriptura hujus diversitatis sicli nullam dat significationem. Quare verisimilius est Hebræos pondus monetæ sicli ad alias etiam res transtulisse : ut et nos subinde in familiari phrasi facimus, dum res raras et pretiosas dicimus appendere duos, tres aut quatuor regales; præsertim quia prisci utebantur moneta, verbi gratia, siclo non cuso, sed ad pondus appenso, eoque merces et res suas appretiabant, ut dixi vers. 13. Siclus ergo sui origine, uti et etymo, mensura erat ponderis, æque ac monetæ.

Vers. 26. 26. ET UNGES EX EO TABERNACULUM TESTIMONII. — Hebraice *moed*, id est conventus vel testimonii, de quo dixi cap. præced. vers. 43.

Vers. 29. 29. ERUNT SANCTA SANCTORUM, — erunt sanctissima ex hac consecratione.

QUI TETIGERIT EA, SANCTIFICABITUR, — *q. d.* Contactu vasorum sanctorum sanctificabitur ille qui ea tangit, inquit R. Salomon : sed hoc falsum esse ostendi cap. XXIX, vers. 37. «Sanctificabitur» ergo, id est sanctificari debet, ita ut si sit immundus, expiet se aqua lustrationis, de qua *Levit.* XIV, et *Num.* XIX, antequam altare vel alia vasa sancta tangat, inquit Abulensis (1).

Vers 33. 33. HOMO QUICUMQUE TALE COMPOSUERIT, ET DEDERIT EX EO, ALIENO, EXTERMINABITUR DE POPULO SUO. — « Alieno, » id est alicui qui non est sacerdos, vel generis sacerdotalis : uti enim prius vetuit, ne quis in suum usum tale unguentum sacerdotale componat, ita hic vetat ne id fiat in usus alienos. Ita Augustinus, *Quæst.* CXXXV.

Vers. 34. Thymiamatis compositio.

34. SUME TIBI AROMATA, STACTEN, etc. — Sicut vers. 23 descripsit compositionem unguenti, quo ungendi erant sacerdotes, et vasa sacra : ita hic describit compositionem thymiamatis, quod adolendum erat in altari thymiamatis. Jubet ergo thymiama hoc confici et commisceri ex stacte, onycha, galbano et thure. Sicut enim Deus pasci voluit victimis anthropopathῶς, ita voluit et recreari odoribus, itaque placari, quia iræ et indignationis indicium est in naribus. Unde *Job* cap. XLI, vers. 11, dicitur : « De naribus ejus procedit fumus; » nares autem mulcentur suavi odore. Unde hic placationis aptum est symbolum. Ita Arias Montanus et Alcazar in *Apocal.* cap. V, vers. 8, notat 3.

Quid stacte?

Nota *primo* : Stacte est lacryma myrrhæ, uti dixi vers. 23.

Galbanum?

Secundo, « Galbanum succus est, ait Dioscorides, libro III, cap. LXXXI, ferulæ nascentis in Syria, quem nonnulli metopium vocant : maxime laudatur cartilaginosum et pingue (unde forte hebraice vocatur חלבנה *chelbana*; חלב *cheleb* enim significat pinguedinem); galbanum menses et partus trahit vel appositu, vel suffitu; adversatur toxicis, necat serpentes, devoratur ad tussim veterem, difficultatem spirandi, aliasque sedandas. » De galbano scribit et Plinius, lib. XII, cap. XXV, et lib. XXIV, cap. V, et Galenus, lib. *Simplic. medicam.* Addit Scriptura et requirit, ut galbanum sit *boni odoris*, hebraice סמים *sammim*, id est aromaticum, ut selectum significet et odoratum. Nam Dioscorides asserit galbanum esse gravis odoris; et Plinius ait galbanum fœtere, et castoreum olere : quod forte intelligit de partibus galbani magis terrestribus, non vero de subtilioribus, uti statim dicam de onycha, ideoque noster Interpres addit τὸ *boni odoris* (2).

Onycha?

Tertio, onycha, inquit Glossa, est ostreola parv.. redolens instar unguis humani; equidem puto onycham esse illam, quam Dioscorides unguem odoratum vocat, lib. II, cap. VIII; dicitque esse conchylii tegumentum in nardiferis Indiæ paludibus, ideoque suavem spirare odorem, eo quod conchylia inibi nardi pabulo vescantur : odoris gratia suffitur onycha, sed nonnihil castoreum olet; intellige cum Mathiolo, si partibus ejus tenuibus odoratis exhalatis, testa relicta cremetur : nam alioqui de onycha sic canit Propertius :

Et crocino nares myrrhæus ungat onyx.

Mystica thymiamatis, quid?

Onycham pharmacopœi vocant blattum Byzantium, teste Amato et Mathiolo *in Dioscoridem*.

Tropologice S. Gregorius, lib. I *Moral.* XXXIX : « Thymiama, ait, ex aromatibus compositum facimus, cum in altari boni operis virtutum multiplicitate redolemus. » Atque commode per thus religionem orationemque acceperis, per stacten mortificationem, per galbanum (utpote calidum et pingue) charitatem et misericordiam, per onycham (utpote colore similem ungui, et odore nardo) castitatem.

(1) Vers. 32. Pro *ungetur* in hebr. est יִיסָךְ, id est *unget*, scil. qui uncturus est. Cf. *Gen.* L, 26.

(2) Alii vertunt acris odoris, dicuntque, galbanum suffitui sacro ideo admistum fuisse, ut aromatum aliorum odorem acueret.

Hinc symbolice, S. Basilius in cap. I *Isaiæ*, ante medium : Thymiama hoc, inquit, est corporis sanctimonia per temperantiam, et frænum rationis in corpus, quod quatuor elementis constat : stacte ad aquam refertur, thus ad aerem, onyx ad terram ob ariditatem, galbanum ad ignem ob calorem præfervidum. Hæc ergo inter se contemperat et moderatur sanctimonia, quasi thymiama sanctum. Maxime vero thymiama est oratio.

Ad hoc thymiama alludens S. Joannes, *Apoc.* V, 8, ait sanctis illis quatuor animalibus datas fuisse « phialas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum; » et capite VIII, versu 3 : « Data, ait, sunt illi incensa multa. »

Ubi nota : Orationes Sanctorum comparantur hic suffitui, non cuivis, sed odoramentorum. *Primo*, quia oratio instar thuris sursum ascendit, *Psal.* CXL : « Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. » *Secundo*, quia sicut thus est odoratum, ita orationes Sanctorum Deum oblectant. *Tertio*, uti thus fœtorem, ita oratio peccatum abigit, Deique iram mitigat. *Quarto*, thymiama fiebat ex aromatibus contusis : sic oratio ex animo mortificato et humili procedere debet. *Quinto*, thymiama in igne adolebatur : ita oratio in igne tribulationum exardescit. Unde *Cantic.* IV ait Sponsa : « Vadam ad montem myrrhæ, et ad collem thuris (1). »

Vers. 35. 35. FACIESQUE THYMIAMA, etc., MIXTUM DILIGENTER, ET PURUM, ET SANCTIFICATIONE DIGNISSIMUM. — Hebraice, *in sanctificationem*, *q. d.* Facies thymiama tam bene, pure et diligenter commixtum et compositum, ut dignum sit quod Deo sanctificetur, id est adoleatur; offeratur, incendatur (2).

Vers. 36. 36. CUMQUE IN TENUISSIMUM PULVEREM UNIVERSA CONTUDERIS, — ut perfectior fiat commixtio, indeque odoratius thymiama.

Tropologice S. Gregorius, in fine lib. I *Moral.* : « In tenuissimum, inquit, pulverem aromata universa conterimus, cum bona nostra, quasi in pilo cordis, occulta discussione tundimus, et si veraciter bona sint, subtiliter retractamus. » Hinc apud veteres, cor in thuribulo positum hieroglyphice significabat orationes precesque puro, humili, contrito et ardenti corde prolatas ad Deum, inquit Pierius, *hieroglyphico* 34.

PONES EX EO (thymiamate) CORAM TABERNACULO TESTIMONII, — puta in altari thymiamatis, quod est coram vel ante tabernaculum testimonii, id est, ante Sanctum sanctorum. Duplex enim erat quasi tabernaculum, ob duas ejus partes : unum vocabatur Sanctum, alterum Sanctum sanctorum; de secundo hic loquitur Scriptura (3).

IN QUO LOCO (puta in tabernaculo jam dicto, id est, in Sancto sanctorum) APPAREBO TIBI. SANCTUM SANCTORUM (id est sanctissimum) ERIT HOC THYMIAMA.

Vers. 38. 38. HOMO QUICUMQUE FECERIT SIMILE (thymiama) UT ODORE ILLIUS PERFRUATUR, PERIBIT DE POPULIS SUIS. — Hebraice est, *exscindetur de populis suis*, quia scilicet Deus illum, ut inobedientem et sacrilegum, occidet plaga aliqua hujus vitæ, aut certe in gehenna æternaliter illum puniet. Sic enim e contrario « aggregari ad populum suum » significat jungi consortio Sanctorum et Beatorum. Vetuit Dominus sub tam gravi pœna ne quis in usus profanos adhibeat compositionem thymiamatis, ad hoc, ne res sacræ et res templi profanarentur, aut Ecclesiasticum ministerium vilesceret et contemneretur.

Insuper voluit eos mollitiem unctionis dedocere; hæc enim sacra non ad mollitiem, sed ad symbolum et significationem sacram, atque ad reverentiam sacerdotii adhibebatur.

Idem monuerunt Gentiles. Socrates aiebat unguenta relinquenda feminis; in juvenibus nullum unguentum melius olere, quam oleum quo inter exercendum utebantur. Nam amaracino, aut foliato, protinus idem olent servus et ingenuus. Rogatus quid senes olere deceat : Probitatem, inquit. Rogatus ubi hoc unguentum venderetur? recitavit Theognidis carmine :

Ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἀπ' ἐσθλὰ διδάξεται.
Bui bonus est, ab eo bona discito.

Hujus generis quædam congerit Xenophon in *Convivio;* Erasmus, lib. III *Apophth.*

Idem quum taxaret unguentis delibutos, Phædon interrogatus quisnam adeo unguentis delibutus esset? respondit Aristippus : « Ego, ait, infelix : sed me multo infelicior Persarum rex. At te vide, inquit, ut quemadmodum hac parte nullo cæterorum animalium est superior, ita nec hominum ullo sit præstantior. » Quo dicto sensit unguentis et odoribus hominem nihil fieri meliorem, cum et equus balsamo oblitus, idem oleret quod rex; et mendicus unguento simili delibutus non minus bene oleat quam summus pontifex. Laertius, lib. II.

Anacharsis oleum dicebat esse venenum insaniam gignens, eo quod athletas videret unctos in se invicem insanire. Nec olei usum, ut arbitror, noverant Scythæ, ut quod nec apud illos proveniret, nec aliunde importaretur. Athletæ

(1) Pro *æqualis ponderis* hebr. est ad litteram, *solum in solo erit*, quod ab interpretibus varie explicatur. Alii, ut Vulgatus; alii, *partim*, ut speciem species excipiat, id est, accurate et distincte. Nec improbabilis est Aben-Esræ sententia, verba hebræa hoc velle, unumquodque aromatum seorsim comminuendum, ac postea omnia inter se miscenda fuisse, idque, quia ex aromatibus quædam facilius, quædam autem difficilius comminuantur.

(2) Pro *mixtum diligenter* hebr. est *salitum*.

(3) In hebr. est, *coram lege*, id est, arcæ, in qua tabulæ legis repositæ erant, ex adverso.

non pugnant nisi uncti : putant enim corpus fieri robustius ; ac Scytha simulabat se credere illis oleum esse causam insaniæ. Laertius, libro I, cap. IX.

Diogenes nactus unguentum, eo pedes inunxit præter morem publicum. Id demirantibus dixit : Quoniam unguentum capiti infusum exhalatur in aerem ; a pedibus autem ascendit ad nares. Similiter alius reprehendit publicam consuetudinem, qua coronas capiti imponunt, cum magis conveniat infra nares ponere, quod fragrantiæ vapor non tam descendat, quam ascendat. Laertius, lib. VI.

Idem, cuidam habenti capillos unguento delibutos : « Cave, inquit, ne capitis suaveolentia vitæ maleolentiam adducat ; » nam Græcarum vocum jucundam affinitatem utcumque reddere studuimus, εὐωδίαν et δυσωδίαν. Unguentum enim in viro arguit vitæ mollitiem ; fama porro velut odor est hominis. Simile quiddam dixit Martialis :

Posthume, non bene olet, qui bene semper olet.

Ita Laertius, lib. VI.

Idem aiebat faciles esse deos ad donandum hominibus vitam : cæterum hanc ignorari ab his qui quærunt unguenta. Laertius, ibid.

Lycurgus unguenta ejecit e republica tanquam olei corruptelam ac perniciem. Nam oleum, inquit, odoribus vitiatum nullum habet usum, nec ad esum, nec ad membrorum unctionem ; atque dum rem necessariam ad delicias corrumpunt, fit ut minor sit copia. Plutarchus in *Lacon. apophtheg.*

Flavio Vespasiano quum adolescens quidam gratias ageret pro impetrata præfectura, quoniam unguento fragrabat, et nutu contemptus est, et graviter increpitus : « Mallem, inquit Vespasianus, allium oboluisses. » Mox et litteras concessas revocavit. Suetonius in ejus Vita.

CAPUT TRIGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Beseleel et Ooliab designantur a Deo architecti tabernaculi ; secundo, vers. **13**, *Deus iterat et inculcat cultum sabbati ; tertio, vers.* **18**, *Deus Mosi dat duas tabulas legis lapideas.*

1. Locutusque est Dominus ad Moysen dicens : **2.** Ecce, vocavi ex nomine Beseleel filium Uri, filii Hur, de tribu Juda, **3.** et implevi eum spiritu Dei, sapientia, et intelligentia, et scientia, in omni opere, **4.** ad excogitandum quidquid fabrefieri potest ex auro, et argento, et ære, **5.** marmore, et gemmis, et diversitate lignorum. **6.** Dedique ei socium Ooliab filium Achisamech de tribu Dan. Et in corde omnis eruditi posui sapientiam ut faciant cuncta quæ præcepi tibi, **7.** tabernaculum fœderis, et arcam testimonii, et propitiatorium, quod super eam est, et cuncta vasa tabernaculi, **8.** mensamque et vasa ejus, candelabrum purissimum cum vasis suis, et altaria thymiamatis, **9.** et holocausti, et omnia vasa eorum, labrum cum basi sua, **10.** vestes sanctas in ministerio Aaron sacerdoti, et filiis ejus, ut fungantur officio suo in sacris. **11.** Oleum unctionis, et thymiama aromatum in Sanctuario, omnia quæ præcepi tibi, facient. **12.** Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens : **13.** Loquere filiis Israel, et dices ad eos : Videte ut sabbatum meum custodiatis ; quia signum est inter me et vos in generationibus vestris, ut sciatis quia ego Dominus, qui sanctifico vos. **14.** Custodite sabbatum meum ; sanctum est enim vobis : qui polluerit illud, morte morietur : qui fecerit in eo opus, peribit anima illius de medio populi sui. **15.** Sex diebus facietis opus ; in die septimo sabbatum est, requies sancta Domino. Omnis qui fecerit opus in hac die, morietur. **16.** Custodiant filii Israel sabbatum, et celebrent illud in generationibus suis. Pactum est sempiternum **17.** inter me et filios Israel, signumque perpetuum. Sex enim diebus fecit Dominus cœlum et terram, et in septimo ab opere cessavit. **18.** Deditque Dominus Moysi, completis hujuscemodi sermonibus in monte Sinai, duas tabulas testimonii lapideas, scriptas digito Dei.

Vers. 2. **2.** VOCAVI EX NOMINE BESELEEL, — *q. d.* Ego Deus nominatim præ cæteris omnibus delegi et designavi Beseleel, ut ipse fabricet tabernaculum, omnemque ejus supellectilem ; per catachresin

ponitur « vocavi » pro *designavi* : qui enim ab hominibus designantur magistratus vel præfecti, solent ad hunc statum nominatim evocari ; unde Hispani eos vocant *criados*.

Hur avus Beseleel, quis ? BESELEEL FILIUM URI, FILII HUR. — Hur hic avus Beseleel, videtur fuisse ille de quo cap. XVII, vers. 14, et cap. XXIV, vers. 14. Erat enim ille ex senioribus Israel, et proximus dignitate Aaroni fratri Mosis, ideoque in eo Moses sistit genealogiam Beseleel, quasi ipse ab avo Hur, cujus superius mentionem fecit, sat sit cognitus ; potuitque facile fieri, ut Beseleel etiam grandævus simul cum Hur avo suo vixerit, verbi gratia, si demus Beseleel annos sexaginta ; Hur vero centum, vel centum et decem. Negat hoc Abulensis, censetque Beseleel hoc tempore fuisse duo et nonaginta annorum. Sed quis credat tam senem ad tantam et tam laboriosam fabricam fuisse delectum ?

Porro Hur hic fuit filius Caleb (non exploratoris illius celebris, qui solus cum Josue murmurantibus restitit, ut vult R. Salomon ; ille enim hoc tempore non attigerat annum 40, ut patet *Josue* XIV, 10), sed alterius multo senioris, filii videlicet Esron, filii Phares, filii Judæ patriarchæ. Vide I *Paral.* II, vers. 6, 9, 19.

Symbolice. Symbolice Strabus, sive Glossa ordinaria : « In constructione, inquit, tabernaculi mysterium Trinitatis ostenditur, sicut in baptismo et transfiguratione Christi. In baptismo enim voce sonuit Pater, et Filius baptizatus est, atque in specie columbæ Spiritus Sanctus apparuit. Pari modo hic Ooliab, qui interpretatur protectio mea Pater, Patris personam significat. Beseleel, qui idem est quod in umbra Dei, significat Spiritum Sanctum de quo dicitur : Virtus Altissimi, id est Spiritus Sanctus obumbrabit tibi. Jussio autem, id est verbum, quo tabernaculum fieri jussum est, est Filius, per quem Pater in virtute Spiritus Sancti omnia operatur. » Sancta enim Trinitas tam tabernaculum hoc materiale, quam ejus antitypum Ecclesiam, et animas sanctas sibi in templum ædificat et efformat.

Tropologice. Tropologice, « Hur » hebraice *candorem* significat, lucemque candidam, qualis est fides. « Uri » significat *ignem*, qualis est charitas. « Beseleel » significat *in umbra Dei*, qualis est spes : hæc enim in ope Dei, quasi in umbra secure requiescit. Jam hæc tria, puta fides, spes, charitas, ædificant tabernaculum, id est domum animæ, ut sit templum Dei.

Vers. 3. 3. ET IMPLEVI EUM SPIRITU DEI, — puta spiritu meo. Loquitur enim Deus more Hebræo, de se tanquam de aliquo tertio. Similis enallage personæ est vers. ult. et *Gen.* XIX, 25, et *Num.* XII, vers. 6 et 8, et *Amos* IV, 11, et alibi. Porro spiritus Dei est qui sequitur, videlicet sapientia, intelligentia et scientia in omni opere fabrili, a Deo data et aspirata. Est enim appositio : « Spiritu Dei (qui est) sapientia, intelligentia et scientia in omni opere. » Vide dicta cap. XXVIII, vers. 3.

Vers. 6. 6. DEDIQUE EI SOCIUM OOLIAB FILIUM ACHISAMECH. — « Ooliab » hebraice idem est quod *tabernaculum meum*, vel *protectio mea est Pater*, scilicet cœlestis ; « Achisamech » idem est quod *fratres conjungens*. Hic ergo significat Apostolos virosque Apostolicos, qui per spem in Deum, Deique opem et protectionem, quam significat Ooliab, perque opem mutuam et fraternam, quam significat Achisamech, ædificarunt Ecclesiam, quæ est tabernaculum Dei. Ac nominatim, inquit Glossa : « Beseleel et Ooliab sunt Petrus et Paulus, qui duo post Christum ædificaverunt Ecclesiam Judæorum et Gentium. Beseleel enim, qui interpretatur umbra Dei, significat Petrum : nam ad tactum umbræ ejus virtute divina sanabantur infirmi, *Actor.* V. Ooliab, qui interpretatur protectio vel habitatio mea Pater, est Paulus, qui mente habitabat in Deo Patre omnium ; unde ait ipse *Philip.* III : « Nostra conversatio in cœlis est. »

Beseleel et Ooliab sunt Petrus et Paulus.

ET IN CORDE OMNIS ERUDITI POSUI SAPIENTIAM UT FACIANT CUNCTA QUÆ PRÆCEPI TIBI, — *q. d.* Peritis artificibus minoribus et inferioribus dedi etiam industriam suam et peritiam, ut ipsi juvent Beseleel et Ooliab in fabrica tabernaculi.

Mechanicæ artes sunt dona Dei. Disce hinc artes omnes, etiam mechanicas, esse dona Dei, saltem naturalia, neque in iis ut suis, suaque industria inventis aut partis, homini gloriandum esse, sed illas Deo adscribendas, ab eoque petendas, et in ejus obsequium expendendas esse. Ita Rupertus in cap. XXXV *Exod.* in fine.

Vers. 13. 13. VIDETE UT SABBATUM MEUM CUSTODIATIS : QUIA SIGNUM EST INTER ME ET VOS. — Abulensis et Lipomanus putant hic interjici mentionem sabbati hac de causa, ne scilicet Hebræi putarent licere sibi tabernaculum fabricare die sabbati. Verum hæc ratio angustior est, et Scriptura nullam ejus dat significationem.

Dico ergo, solius sabbati præceptum hic repetit Deus, illudque adjecta pœna mortis denuo sancit, tum quia præcipua erat cæremonialis lex hæc sabbati, recurrens singulis hebdomadis ; tum quia sabbatum erat cultus Dei maxime publicus et solemnis, unde subdit : « Quia signum est inter me et vos, » *q. d.* Quia sabbatum signum est quod vos mihi sitis populus, et ego sim vobis Deus, utpote in cujus honorem, et ob cujus obedientiam colitis septimum diem, puta sabbatum, sacro otio quasi protestantes me creatorem esse omnium, quæ sex diebus facta sunt, meque septimo hoc die ab omni opere meo cessasse, ideoque vobis annitendum est, ut illo die mens per orationem, aliaque pia exercitia in Deo quiescat, hic per gratiam, et in futuro per gloriam.

UT SCIATIS QUIA EGO DOMINUS, QUI SANCTIFICO VOS, — qui scilicet vos ad cultum meum applico, mihique quasi dico et consecro per hanc festivitatem meam sabbati, ut in ea me sancte colatis.

Vers. 14. 14. SANCTUM EST ENIM VOBIS, — *q. d.* Sabbatum

vobis est solemne festum, sancto Dei cultui dicatum. Vide *Deuter.* v, 12.

Violans sabbatum mulctatur morte.

QUI FECERIT IN EO OPUS, PERIBIT ANIMA (id est vita) ILLIUS DE MEDIO POPULI SUI, — *q. d.* Qui laborando violat quietem sabbati, morte plectatur per sententiam judicis, si crimen, puta sabbati violatio, constet; si non constet, tum homo ille aliis modis vindicante Deo, sive per homines quasi fortuito, sed fortuitum hoc intendente et dirigente Deo, uti dixi cap. XXI, 13, sive per alias creaturas Dei administras morte punietur, et, quod maximum est, peribit in æternum in gehenna, tanquam reus maximi criminis.

Vers. 15. 15. SABBATUM EST REQUIES, etc. — Hebræum est, *sabbaton est sabbat.* Hebræi per *sabbaton,* id est sabbatulum, accipiunt parvum additamentum ad sabbatum; quia enim ipsi non sciunt præcise momentum, quo incipit sabbatum, ut illi satisfaciant, horam unam citius illud auspicantur, et horam unam tardius finiunt, et hoc tempusculum putant vocari *subbaton,* id est sabbatulum. Verum hæc nimis arcta et anxia est religio. Optime ergo vertit et dispunxit noster Interpres, quem passim alii sequuntur.

Vers. 17. 17. PACTUM EST SEMPITERNUM INTER ME ET FILIOS ISRAEL. — Sabbatum vocat pactum, id est conditionem pacti. Septuaginta vertunt, *testamentum* sive *fœdus æternum est in me et filiis Israel,* ut scilicet filii Israel in me, puta in Deo, Deique visione et fruitione, per requiem æternam, quam eis promisi, quiescant, inquit S. Augustinus, *Quæst.* CXXXIX. Sed hic sensus non respondet Hebræo, in quo non est *in,* sed *inter;* et ita præpositio *in,* quam habent Septuaginta, exponenda est per *inter.*

IN SEPTIMO AB OPERE CESSAVIT. — Hebraice וַיִּנָּפַשׁ *iinnaphes,* id est respiravit a labore, et respirando quievit. Loquitur Scriptura de Deo anthropopathῶς.

Vers. 18. 18. DEDITQUE DOMINUS MOYSI, etc. DUAS TABULAS TESTIMONII (id est decalogi sive legis, quæ testimonium est voluntatis divinæ, quid scilicet Deus velit a nobis fieri) LAPIDEAS SCRIPTAS DIGITO DEI, — digito suo, hoc est a se, non ab homine vel angelo; est enallage, de qua dixi vers. 3. Nota τὸ *dedit,* non quasi Deus ante non dederit Decalogum : insevit enim omnibus cum natura hanc legem, uti docent S. Irenæus, lib. IV, cap. XXX; Cyrillus, lib. I *in Joan.* I, cap. I; S. Hieronymus in cap. XXIV *Isaiæ;* Ambrosius, *De Fuga sæculi,* cap. III. Sed *dedit* eam denuo scriptam tabulis lapideis, idque ad oblivionem, quæ ex illius neglectu et socordia hominum irrepebat, avertendam; atque ad acuendas mentes hoc signo ad legis firmam et arctam custodiam; ideoque eam non chartæ, sed lapidi inscriptam dedit.

Tabulæ legis ex sapphiro.

Porro lapidem hunc pretiosum fuisse, utpote adeo nove ad divinam hanc scripturam formatum et destinatum, conjicere licet. Hebræi censent fuisse sapphirum, teste Lyrano in *Exodi* XXIV, 12. Ubi idem de iisdem testatur Abulensis recteque confutat eosdem dicentes Mosen, fractis sapphirinis hisce tabulis ob peccatum populi, fragmenta earum collegisse, indeque se ditasse. Ex sapphiro quoque fuisse has tabulas diserte docent Suidas verbo *Moyses,* S. Epiphanius, lib. *De duodecim Gemmis,* Anastasius Nicænus, *Quæst.* XXXVIII *in S. Script.,* et Nilus Metropolita, *De Lapidum theorica.* Favet, quod Deus legem Mosi daturus apparuit cum suppedaneo sapphirino cap. XXIV, vers. 10. Vide quæ de sapphiro notavi ibidem, et *Apocal.* XXI, 21. Verum hac de re nihil certi statuere licet, cum Scriptura speciem lapidis non exprimat. Porro quod Chaldæus et Rabbini tradunt, sapphirum tabularum legis excisum fuisse e throno sapphirino Dei, *Exodi* XXIV, 12, crassa eorumdem est fabella.

Mystice, hæ tabulæ significabant tabulas cordis, in quibus scribenda sunt Dei mandata, I *Corinth.* III, 3 et sequent.

Duæ tabulæ legis duplicis charitatis præcepta continebant, scilicet prima Dei, secunda proximi.

Notant Isidorus, Abulensis, Hugo, Lipomanus, Hebræi, et alii passim, in prima tabula fuisse scripta præcepta, quæ Deum Deique dilectionem et cultum spectant, quæ Hebræi numerant quatuor; dividunt enim primum præceptum in duo, scilicet : Unum Deum cole, et, Non facies sculptile vel idolum. Catholici vero hæc duo in unum conjungunt, tantumque numerant tria primæ tabulæ præcepta, de quo *Deuter.* V. In secunda vero tabula scripta fuisse præcepta, quæ spectant proximum proximique dilectionem, quæ Hebræi numerant sex : conjungunt enim duo ultima præcepta de concupiscentia uxoris et rei alienæ, in unum; Catholici vero melius ea dividunt, ac consequenter numerant septem secundæ tabulæ præcepta. Compendium ergo utriusque tabulæ totiusque legis est : « Dilige Deum, et dilige proximum, » uti docet Christus.

CAPUT TRIGESIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hebræi, Mose absente, vitulum aureum conflant et adorant: hinc Deus vult eos disperdere; orat pro eis Moses, ac vers. 15, *descendens de monte tabulas legis frangit, vitulum comburit, idololatras occidit, Deumque iterato pro populo precatur, dicens, vers.* 32: Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo.

1. Videns autem populus quod moram faceret descendendi de monte moyses, congregatus adversus Aaron, dixit: Surge, fac nobis deos, qui nos præcedant; Moysi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit. 2. Dixitque ad eos Aaron: Tollite inaures aureas, de uxorum filiorumque et filiarum vestrarum auribus, et afferte ad me. 3. Fecitque populus quæ jusserat, deferens inaures ad Aaron. 4. Quas cum ille accepisset, formavit opere fusorio, et fecit ex eis vitulum conflatilem, dixeruntque: Hi sunt dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti. 5. Quod cum vidisset Aaron, ædificavit altare coram eo, et præconis voce clamavit, dicens: Cras solemnitas Domini est. 6. Surgentesque mane, obtulerunt holocausta, et hostias pacificas, et sedit populus manducare, et bibere, et surrexerunt ludere. 7. Locutus est autem Dominus ad Moysen dicens: Vade, descende; peccavit populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti. 8. Recesserunt cito de via, quam ostendisti eis; feceruntque sibi vitulum conflatilem, et adoraverunt, atque immolantes ei hostias, dixerunt: Isti sunt dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti. 9. Rursumque ait Dominus ad Moysen: Cerno quod populus iste duræ cervicis sit; 10. dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, et deleam eos, faciamque te in gentem magnam. 11. Moyses autem orabat Dominum Deum suum, dicens: Cur, Domine, irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de terra Ægypti, in fortitudine magna, et in manu robusta? 12. Ne, quæso, dicant Ægyptii: Callide eduxit eos, ut interficeret in montibus, et deleret e terra; quiescat ira tua, et esto placabilis super nequitia populi tui. 13. Recordare Abraham, Isaac, et Israel, servorum tuorum, quibus jurasti per temetipsum, dicens: Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cœli; et universam terram hanc, de qua locutus sum, dabo semini vestro, et possidebitis eam semper. 14. Placatusque est Dominus ne faceret malum quod locutus fuerat adversus populum suum. 15. Et reversus est Moyses de monte, portans duas tabulas testimonii in manu sua, scriptas ex utraque parte, 16. et factas opere Dei: scriptura quoque Dei erat sculpta in tabulis. 17. Audiens autem Josue tumultum populi vociferantis, dixit ad Moysen: Ululatus pugnæ auditur in castris. 18. Qui respondit: Non est clamor adhortantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fugam; sed vocem cantantium ego audio. 19. Cumque appropinquasset ad castra, vidit vitulum, et choros; iratusque valde, projecit de manu tabulas, et confregit eas ad radicem montis: 20. arripiensque vitulum quem fecerant, combussit, et contrivit usque ad pulverem, quem sparsit in aquam, et dedit ex eo potum filiis Israel. 21. Dixitque ad Aaron: Quid tibi fecit hic populus, ut induceres super eum peccatum maximum? 22. Cui ille respondit: Ne indignetur dominus meus; tu enim nosti populum istum, quod pronus sit ad malum. 23. Dixerunt mihi: Fac nobis deos, qui nos præcedant; huic enim Moysi, qui nos eduxit de terra Ægypti, nescimus quid acciderit. 24. Quibus ego dixi: Quis vestrum habet aurum? Tulerunt, et dederunt mihi; et projeci illud in ignem, egressusque est hic vitulus. 25. Videns ergo Moyses populum quod esset

nudatus (spoliaverat enim eum Aaron propter ignominiam sordis, et inter hostes nudum constituerat), 26. et stans in porta castrorum, ait : Si quis est Domini, jungatur mihi. Congregatique sunt ad eum omnes filii Levi; 27. quibus ait : Hæc dicit Dominus Deus Israel : Ponat vir gladium super femur suum; ite, et redite de porta usque ad portam per medium castrorum, et occidat unusquisque fratrem, et amicum, et proximum suum. 28. Feceruntque filii Levi juxta sermonem Moysi, ceciderunt que in die illa quasi viginti tria millia hominum. 29. Et ait Moyses : Consecrastis manus vestras hodie Domino, unusquisque in filio, et in fratre suo, ut detur vobis benedictio. 30. Facto autem altero die, locutus est Moyses ad populum : Peccastis peccatum maximum, ascendam ad Dominum, si quo modo quivero eum deprecari pro scelere vestro. 31. Reversusque ad Dominum, ait : Obsecro, peccavit populus iste peccatum maximum, feceruntque sibi deos aureos; aut dimitte eis hanc noxam, 32. aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti. 33. Cui respondit Dominus : Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo; 34. tu autem vade, et duc populum istum quo locutus sum tibi; angelus meus præcedet te. Ego autem in die ultionis visitabo et hoc peccatum eorum. 35. Percussit ergo Dominus populum pro reatu vituli, quem fecerat Aaron.

Vers. 1. 1. SURGE, FAC NOBIS DEOS, QUI NOS PRÆCEDANT. — « Deos, » id est Deum; unum enim aliquem tantum petierunt. Unde et Aaron eis satisfaciens unum tantum fecit vitulum. Sed in Hebræa lingua nomina Dei, puta *Elohim*, *Adonai*, *Saddai*, pluralia sunt, eisque modo singularia verba et adjectiva, modo pluralia jungunt Hebræi, uti videre est *Josue* XXIV, 19, *Deuteron.* V, 26, in Hebræo.

Hebraismum imitatus est hic Latinus interpres vertens *deos*, non *deum*, idque ut clarius idololatriam populi ob oculos poneret : idololatræ enim præter unum Deum verum, credunt et colunt alium, ita ut secundum illos plures ponendi sint dii; et quia ipsi, sicut ab uno Deo ad secundum deflexerunt, ita facile ab hoc in multos alios devolvuntur. Notavit hoc S. Hieronymus in *Daniel.* III : « Hanc, ait, dicunt S. Scripturæ consuetudinem, ut unum idolum appellet pluraliter. »

Nota hic miram populi erga Mosen et Deum ingratitudinem, pariter et cæcitatem; nam Mosen ducem suum tam benignum et beneficum, moræ impatientes contemnunt : deos quærunt duces, sed eos qui nondum sunt, quosque faciat Aaron : aspernantur Deum verum, qui eos per tot tantaque miracula, e dura Ægypti servitute liberaverat, qui eos ducebat in Chanaan, quicum paulo ante solemne fœdus inierant cap. XXIV, qui illis spolia Ægyptiorum dederat, illaque nunc secum, contempto Deo, idolo, puta vitulo, consecrant.

Dices : Hebræi columnam habebant ducem viæ; ad quid ergo quærunt alios duces, puta deos qui eos præcedant?

Respondeo : Columna hæc fixa steterat toto tempore, quo Moses fuerat in monte, neque movebatur, ut Hebræis viam præiret; ipsi autem castra movere, et in terram promissam festini tendere cupiebant. Petunt ergo non mortales duces, qui ut Moses ab eis auferantur, sed deos, quales in Ægypto viderant, ut videlicet Aaron fabricet eis simulacrum vituli aut bovis, puta Apis, in quod se numen insinuet, detque responsa, et præeat iter in Chanaan.

MOYSI ENIM HUIC VIRO. — Loquuntur Hebræi de Mose contemptim, quasi de incognito viro. Josephus asserit aliquos eorum putasse Mosen a bestiis comestum esse, alios eum a Deo raptum esse.

Fabulatur R. Salomon dæmonem pheretrum Mosis in aere ostendisse Hebræis, ut putarent eum esse mortuum.

Vers. 2. 2. TOLLITE INAURES. — Hebraice, *frangite inaures* : apte; « amissuri enim erant in judicium sibi, vera ornamenta aurium, Dei voces, » scriptas in tabulis legis, ait Tertullianus, *Scorpiaci* cap. III. Et S. Ambrosius *ad Romul.*, explicans hunc locum : « Congrue, ait, inaures auferuntur mulieribus, ne iterum Eva vocem serpentis audiret. Et ideo quia sacrilegium audierant, conflatis earum inauribus conflata est imago sacrilegii; » similiter et annulis, « quia nec fidei signaculum habere poterant. »

DE UXORUM, FILIORUMQUE ET FILIARUM VESTRARUM AURIBUS. — Facinus hoc, puta idolum, recusare omnino non audebat Aaron, ne occideretur a tumultuante plebe, sed hac postulatione divertere conatus est, flagitando inaures uxorum et filiarum aureas, quas ægerrime avaras et ornatus studiosissimas feminas sibi detracturas, idoloque daturas putabat; sed vicit hæc omnia earum improbitas et præpostera liberalitas, alias avarissimarum. Ita Theodoretus, Abulensis, Cajetanus, Lipomanus. Similes subinde videmus Christianorum mores, ut in carnis voluptates, pompam et luxum censum omnem profundant, Christo vero teruncium ægre largiantur; ideoque sæpe quod non capit Christus, hoc rapit fiscus.

Vers. 4. 4. FORMAVIT OPERE FUSORIO. — Plastes ergo formam vituli composuit e terra, argilla, aut simili materia, in eaque stylo (ut habent Hebræa) efformavit oculos, aures, os et cætera membra vituli;

deinde in hanc formam infudit aurum inaurium liquefactum, et sic ex ea expressus est aureus vitulus (1).

An Aaron ab idololatria possit excusari ?

ET FECIT EX EIS VITULUM. — Hinc patet vanitas fabellæ Rabbinorum, qua ipsi Aaronem suum a crimine idololatriæ liberare conantur, dicentes vitulum hunc non arte ab Aarone conflatum esse, sed opera magorum Ægyptiorum, quorum multi in tanta colluvie secuti erant Hebræos Ægypto exeuntes; Aaronem enim coactum a populo tantum injecisse aurum in ignem : ita enim se coram Mose excusat Aaron vers. 24; magos vero ope dæmonis illud in vituli formam effinxisse. Placuit ex parte hæc opinio Monceio, qui ingeniose nuper Aaronem ab idololatria excusare contendit in suo *Aarone purgato*, sed liber hic ejus (uti præmonueram) Romæ notatus, et in classem librorum prohibitorum relatus est.

Hæc enim sententia diserte repugnat Scripturæ hic, quæ asserit Aaronem fecisse vitulum, id est fieri curasse per aurificem. Sic enim habet : « Quas cum ille (Aaron) accepisset, formavit opere fusorio, et fecit ex eis vitulum conflatilem. » Rursum vers. 5 : « Quod cum vidisset Aaron, ædificavit altare coram eo (vitulo), et præconis voce clamavit, dicens : Cras solemnitas Domini (vituli) est. » Non ergo idolum tantum, puta vitulum, sed et altare eidem ædificavit, dedicavit, festumque indixit Aaron. Quid clarius? Denique Moses, *Deuter.* IX, 20, fratris crimen confitetur dicens : « Deprecatus sum Dominum pro fratre meo, quia volebat eum conterere. » Cessit ergo Aaron timori et populo furenti, nec ausus fuit illi obluctari ex metu mortis. Verius et cordatius R. Moses Gerundensis apud Lipomanum, non Ægyptios, sed Aaronem et suos Hebræos accusat dicens : « Non accidit tibi, o Israel, ultio aliqua, in qua non sit vel uncia de iniquitate vituli. »

Apis sive vituli Ægyptii forma.

VITULUM. — Fuit hic vitulus Apis Ægyptius bos, alio nomine Serapis dictus : ita Clemens, lib. VI, *Const.* 20, et Lactantius, lib. IV, X (2); quem ita depingunt : Apis, inquiunt, erat nigro corpore, candida fronte, et in tergo alba nota insignis, quem certos vitæ annos excedere non licebat; atque ideo demersum in lacum defunctumque plangebant, et alio invento mirifice lætabantur. Vide Alexandrum ab Alexandro, lib. VI *Genial.* cap. II.

Hebræi non vitulum, sed vituli caput conflarunt.

Porro Hebræos hic non integrum vitulum conflasse, sed tantum vituli caput, expresse tradit S. Cyprianus, lib. *De Bono patientiæ*, sub finem, ubi eum vocat *bubulum caput;* Ambrosius, *epist.* 62; Lactantius, lib. IV, cap. X; Augustinus, *Psalm.* LXXIII; Hieronymus in *Amos* V, et alibi sæpe : indeque aliqui dictum putant hebræum *serapim*, quasi bovis faciem; *schor* enim hebraice bovem, *appaim* vel *appim* faciem significat. Quare et vitulos, quos Jeroboam fecit et constituit in Dan et Bethel, contra quos ita detonant Prophetæ omnes, cum ad hujus vituli Aaronici imitationem facti sint, ut patet III *Regum* XII, 28, verisimile est vitulorum tantum capita fuisse, ideoque nunc vituli, nunc vitulæ nominantur : nam e capite sexus vix discerni potest.

Quanquam, si quod sexus indicium dederit hoc vituli caput, verisimile est vitulæ potius dedisse, quam vituli; nam Herodotus, lib. II, boves feminas maxime, docet sacras fuisse Isidi apud Ægyptios : unde et Josephus, lib. VIII, cap. III, vitulos Jeroboam vitulas fuisse dicit; vitulas quoque vocant Septuaginta, III *Reg.* XII, 28 et seq.: vitulus ergo hic non mas, sed femina accipitur, siquidem sexum prodiderit, uti dixi. Sic enim bos tam femina, quam mas dicitur. Ita Ribera in *Osee* X, num. 12. Altum hujus vituli silentium est apud Josephum; nimirum noluit ipse apud Ethnicos, quibus gentem suam commendare volebat, eam tam stolido idololatriæ crimine infamare.

An vitulus fuerit, an vitula?

CONFLATILEM. — Hic rursum explodas nugas R. Salomonis, qui fingit vitulum hunc fuisse animatum, ambulasse et comedisse; quod cum vidisset Aaron, ædificasse ei altare. Probat hoc ex *Psalm.* CVI, ubi dicitur : « Mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum.» Sed homo insulsus non advertit, non dici, « in vitulum, » sed « in similitudinem, » id est idolum, « vituli comedentis fœnum. » Erat enim hoc idolum vituli conflatum ex auro, uti hic dicitur : erat ergo aureum et inanime, non animatum et vivens. Ita Lyranus, et Abulensis qui multis et operose eum confutat.

Vitulum hunc fuisse animatum fingit R. Salomon.

HI SUNT DII TUI, ISRAEL. — Chaldæus, *hi sunt timor tuus, Israel, q. d.* Isti sunt dii tui, quos timere et colere debes. Ita stolidi aurum et saxa timent, Deum non timent, qui habet flatum eorum et animam in manu sua, ut eam præcipitet in tartara, aut ad cœlum sustollat.

5. QUOD CUM VIDISSET AARON, — scilicet non vitulum ambulantem, uti exponit R. Salomon, sed turbam ita congratulantem acclamantemque vitulo : « Hi sunt dii tui, Israel. »

Vers. 5.

ÆDIFICAVIT ALTARE CORAM EO, — idolo vituli. Mirus hic fuit Aaronis lapsus, ut ad favorem plebis, et forte quia absente Mose principatum et ducatum populi ambiebat, non jam metu, sed sponte sua altare ædificet vitulo, ejusque dedicationem et festum decernat; quin et vitulo nomen tetragrammaton (hoc enim est in Hebræo), quod incommunicabile est, et soli vero Deo proprium, attribuat et imponat. Quis sibi et suæ sanctitati fidat? quis non cum metu et tremore suam salu-

Aaron vitulum

(1) Verba Hebræa, quæ Vulgatus interpres reddit, *formavit opere fusorio*, alii aliter exponunt. Michaelis et de Wette, *formavit formam* (*ein Modell*) ligneam, *fecitque eam vitulum fusilem.* Melius Rosenmullerus, Maurer, etc., *et colligavit illud*, scil. aurum, *in loculo.* Cf. II *Reg.* V, 23.

(2) Et Bochartus. Quorum tamen sententiam refutavit Jablonsky in *Panth. Ægypt.* lib. IV, cap. II, § 16. Ex Jablonskii opinione, bovis imagine colebatur *Mnevis*, id est sol.

vocat Jehova. tem operetur, cum videt Aaronem, Origenem, Tertullianum, similesque cedros Libani cadentes, et tam turpiter ac profunde cadentes?

Objiciunt hæretici : Ergo tota Ecclesia cum suo capite potest deficere et apostatare a Deo; ita enim defecit hic Aaron pontifex, et totus populus.

Respondeo, Aaronem necdum creatum fuisse pontificem : Moses ergo erat populi caput et pontifex, qui non defecit; etiam Levitæ non defecerunt, ut patet vers. 26. Ergo nec caput, nec corpus Ecclesiæ defecit. Adde Aaronem non defecisse in fide, sed in professione fidei : sicut Petrus, negans Christum, non perdidit fidem, sed peccavit contra ejus confessionem.

Vers. 6. 6. SEDIT POPULUS MANDUCARE, — ex hostiis pacificis vitulo immolatis, ut ita ejus festum et solemnitatem communi, et sacro convivio celebraret.

ET SURREXERUNT LUDERE, — saltando, canendo, choros agendo; hos enim descendens e monte vidit Moses, vers. 19. Vide hic quam gulæ filia sit inepta et impura lætitia, uti docet S. Gregorius, I *Moral.* v. Eumdem abusum sacrificiorum apud Gentiles deplorat Epicharmus apud Athenæum, lib. II : « Ex sacrificio, inquit, epulum, ex epulo facta est potatio, ex potatione comus, ex como ludus, ex ludo judicium, ex judicio condemnatio, ex condemnatione compedes, sphacelus et mulctatio. » Inde ebrietates vocarunt μέθας quod μετὰ τὸ θύειν, id est post sacrificia, genio et ebrietati indulgerent. S. Ambrosius, epist. 36 *ad Sabinum* : « Ubi cœperit, ait, quis luxuriari, incipit deviare a fide vera. Ita duo committit maxima crimina, opprobria carnis et mentis sacrilegia, etc.; qui se ingurgitaverit atque immerserit ejusmodi voluptatibus, perfidiæ laqueos incurrit. Sedit enim populus manducare, et bibere, et fieri sibi deos poposcit. »

Porro hunc lusum impurum fuisse colligunt nonnulli ex eo, quod in honorem vituli (quod maxime lascivum et libidinosum est animal) lusisse videantur. Pro vitulo ergo et cum vitulo vitulati sunt. Ita Tertullianus, lib. *De Jejunio*, quem contra Psychicos (id est animales : ita rigidus ipse et severus vocabat Christianos et Catholicos, quasi laxius viventes) jam hæreticus et Montanista existens conscripsit; sic enim ait : « Surrexerunt ludere; intellige, inquit, S. Scripturæ verecundiam, lusum nisi impudicum non denotasse » (unde et Rabbini crasse exponunt *ludere*, id est fornicari). Sic enim Gentiles Romani et Græci in honorem deorum suorum ludos agebant, et quidquid libuisset, ac obscenissima quæque dicebant et agebant. Edebant et spectacula, quæ, utpote idolis dicata, æque ac idolothyta Christianis adire illicitum esse, docet Tertullianus, lib. *De Spectaculis*, quem hac de causa conscripsit.

Vide hic carnalium hominum cæcitatem, qui in peccatis suis securi deliciantur, ludunt et exultant, cum eis imminet vindicta Dei. Ita deliciabatur securus Balthasar, cum vidit manum scribentem in pariete, *mane, tekel, phares* : quæ eadem nocte exitium ei attulit. Vis recentius exemplum? Audi memorabile. Ugolinus factionis Guelphorum princeps, cum Gibellinis vel pulsis, vel perculsis, omnia regeret, die suo natali omnes suos ad convivium invitavit, ubi se suamque fortunam prædicans, unum ex suis rogavit, num quid sibi deesset? Ille quasi præsagus respondit : « Sola ira Numinis procul diuque abesse a tam secundis rebus non potest. » Itaque Guelphorum viribus consenescentibus, Gibellini armis correptis ædes ejus circumsistunt, oppugnant, unum ex filiis, unumque nepotem vim arcere conatos occidunt : ipsum et duos filios, tres nepotes in turrim includunt, obseratis foribus, clavibusque in Arnum flumen dejectis. Ibi fame in oculis suis, in gremio suo, charissima pignora, parens moriens morientia vidit. Vociferanti exposcentique, ut humanis suppliciis hostes essent contenti, sacræ confessionis et sancti viatici potestas facta non est, ut refert Paulus Æmilianus, lib. VIII *Hist. Francor.*

Ita S. Ambrosius Mediolano Romam proficiscens, cum in hospitem impium incidisset, qui inter alia affirmabat, adversam fortunam nunquam se esse expertum, ad comites conversus ait: « Propere hinc discedamus, ne divina vindicta hic nos obruat. Deus enim non moratur in hisce ædibus. » Cumque paululum cum suis progressus esset Ambrosius, terra dehiscens ædes istas cum hospite et tota ejus familia absorpsit.

7. LOCUTUS EST AUTEM DOMINUS AD MOYSEN. — Vers. 7. Satis patet ex fine præcedentis cap. hæc contigisse post acceptas legis tabulas, cum Moses jam descenderet de Sina, atque in ipso descensu hæc ad eum locutum esse Dominum. Ita Cajetanus.

PECCAVIT POPULUS TUUS.—« Tuus » non jam meus, qui tam graviter in me peccavit, qui me relicto ad vitulum accessit. Ita S. Hieronymus in cap. IX *Daniel.* Pro *peccavit* hebræum est שִׁחֵת *scichet*, id est corrupit, infregit, scilicet fœdus meum, ac consequenter fidem, viam vitamque suam.

10. DIMITTE ME, UT IRASCATUR FUROR MEUS CONTRA EOS. — Vers. 10. Quæres : Cur, si irasci et punire plebem volebat Deus, Mosi id impedituro revelat? Julianus Apostata ex hoc loco calumniatur, Deum Hebræorum varium esse, inconstantem et pœnitentem sui consilii. Verum ei bene respondet S. Cyrillus, lib. V contra eum, et Theodoretus hic, ac S. Gregorius, lib. IX *Moral.* XI et XII, id fecisse Deum non mutabilitate animi, sed *primo*, ut ostenderet quanti faciat Sanctos suos et preces eorum. « Sententia enim Dei Sanctorum precibus frangitur, » ait S. Hieronymus in XIII *Ezechiel.* Hoc significat τὸ *dimitte me*, id est, ut Chaldæus vertit, *intermitte deprecationem*, quæ scilicet mihi ligat manus. *Secundo*, ut ostenderet immensam clementiam suam; non enim absoluta et efficaci voluntate decreverat delere Hebræos, sed conditionata, si videlicet nullus se sequestrum et depre-

catorem pro eis interponeret: quam conditionem ipse poni voluit, ut clementiam suam patefaceret, ideoque Mosi revelavit peccatum populi, ut Moses oraret pro eo, ipseque exoratus populo parceret. « Quid est aliud, ait S. Gregorius, dimitte me, quam deprecandi ansam præbere, » et, ut Theodoretus, « dicere : Prohibe me? »

Voluit hic nos docere Deus, ut in ira nihil præcipitanter agamus, cujus nos postea pœniteat, sed sinamus eam subsidere, animumque ad quietem et clementiam componamus, antequam aliquid dicamus vel agamus. Ita Athenodorus ob senium valedicens Augusto Cæsari, hoc ei monitum reliquit : « Cum irasceris, Auguste, nihil ante vel dixeris vel feceris, quam tecum viginti quatuor litterarum elementa repetieris. » Mox Augustus, manu ejus arrepta : « Etiamnum, inquit, tua mihi opus est præsentia, » ac per totum porro annum eum secum detinuit, dicens : « Silentii tutum est præmium. » Testis est Plutarchus in *Apophtheg. Roman.*

Non ergo mutatur hic Deus, sed res ab eo dispositæ mutantur, juxta ipsius providam dispositionem : neque rursum mutatur Dei sententia, in peccatores lata, in ipsomet Deo, cum illa in Deo æterna sit, ipsique essentialis; sed mutatur ipsa in ipsis peccatoribus, puta in eorum a pœna, ad quam eos damnaverat, absolutione : idque fit non vanitate vel levitate judicii, sed deprecatione Sanctorum, vel conversione eorum in quos lata fuit hæc sententia. Ita S. Hieronymus in cap. v *Daniel.*, et S. Gregorius, lib. XX *Moral.* cap. XXIV. « Consilium, inquit Gregorius, Deus non mutat, sed rem (1). »

Dei sententia an mutatur?

Nota : Ira, furor, indignatio aliæque passiones cum in Scriptura tribuuntur Deo, non significant ullam perturbationem, sed puram Dei operationem et energiam. Ita S. Augustinus, lib. I *Contra Advers. legis*, cap. XX : « Pœnitentia, inquit, non est post errorem; ira Dei non habet perturbati animi ardorem; misericordia Dei non habet compatientis miserum cor, unde in Latina lingua nomen accepit; zelus Dei non habet mentis livorem; sed pœnitentia Dei dicitur, rerum in ejus potestate constitutarum hominibus inopinata mutatio : ira Dei est vindicta peccati; misericordia Dei est bonitas opitulantis; zelus Dei est providentia, qua non sinit eos quos subditos habet, impune amare quod prohibet. »

FACIAMQUE TE IN GENTEM MAGNAM, — non tam ex te nascituram, quam tibi subjiciendam, et te duce gubernandam. Id patet *Num.* XIV, 12, ubi similis promissio iteratur Mosi, ut patet ex Hebræo; ergo « in gentem » idem est, quod *super gentem.* Ita Abulensis.

Vers. 11. 11. MOYSES AUTEM ORABAT. — « Tales, inquit S. Chrysostomus, hom. 12 in cap. I *S. Joan.*, esse oportet eos, quibus animarum cura commissa est, ut perire malint cum his qui sibi crediti sunt, quam sine illis salvi esse. »

Mosis mansuetudo et charitas.

S. Ambrosius quoque, lib. II *Offic.* cap. VII, miratur mansuetudinem Mosis : *primo*, absorbentis, devorantis et obliviscentis omnes injurias sibi a populo illatas; *secundo*, respuentis ducatum alterius gentis majoris a Deo sibi oblatum; *tertio*, orantis tam enixe pro ingratis Hebræis, idque factum ait, ut Hebræi eum plus ob mansuetudinem diligerent, quam ob facta et portenta admirarentur. Nam, ut ait S. Gregorius, lib. XXVII *Moralium* VII : « Charitas in sancto ejus pectore ex persecutione ignescebat magis, » ac velut per antiperistasin magis se acuebat, sicut se acuit et intendit calor cum a frigore cingitur et oppugnatur.

Similis fuit charitas Abraamis monachi et episcopi, qui pro affligentibus se infidelibus intercessit et fidejussit, uti refert Theodoretus in *Philotheo*, cap. XVII. Et Religiosi insontis, qui ut fratrem sontem lucrifaceret, cum eo pœnitentiam egit, de quo Ruffinus, lib. IX in *Vitis Patrum*, num. 12. Et alterius, qui, ut fratrem a lapsu præservaret, ei mira lenitate per omnia obsecutus est, de quo ibidem, lib. V, cap. V, num. 28. Et Serapionis Sindonitæ, qui teste Palladio in *Lausiac.* cap. LXXXIII, Manichæo cuidam nobili in servum se vendidit, ut eum cum tota familia ab hæresi converteret, quod et intra biennium præstitit. Et sancti illius monachi, qui, ut fratrem lapsum et assidue fornicantem converteret, longam pro eo subivit pœnitentiam, de quo Joannes Moschus in *Prato Spirit.* cap. XCVII.

Vers. 12. 12. CALLIDE (hebraice, *cum malitia* aut *malignitate*, id est callide et dolose) EDUXIT EOS, — ut scilicet eis malefaceret, eosque disperderet in deserto.

ESTO PLACABILIS. — Hebraice, *pœniteat te super malo*, id est muta et revoca sententiam, qua decrevisti Hebræis malum inferre, eosque ob idololatriam punire.

Vers. 14. 14. PLACATUSQUE EST DOMINUS, — ne scilicet deleret populum, uti destinarat, sed ut alia plaga eum castigaret, de qua vers. ult. Vide quid unius Mosis preces hic apud Deum effecerint, quæ totius populi salutem impetrarunt. Augustus Cæsar, teste Plutarcho, capta Alexandria, cum cives extrema exspectarent, urbi se parcere dixit : *primo*, propter ejus magnitudinem et pulchritudinem; *secundo*, propter conditorem Alexandrum; *tertio*, propter Arium amicum. Præclarius longe hic Deus toti populo pepercit, propter unum Mosen, amicum suum.

Vers. 15. 15. ET REVERSUS EST MOYSES DE MONTE. — Hebraice, *et respexit*, vel *et vertit se, descenditque de monte.* Unde videtur quod Moses, prius colloquens cum Deo, impetrata jam populo venia et finito colloquio, ad montem et populum respexerit, verteritque faciem ad descensum.

(1) Sistitur Deus, qui haud obscure innuit magnam deprecationis Mosaicæ vim fore, tentare Mosem, utrum populi salutem magis appetat, an privati sui commodi studiosior sit.

PORTANS DUAS TABULAS TESTIMONII IN MANU SUA, SCRIPTAS EX UTRAQUE PARTE, — hebraice, *scriptas a duobus lateribus hinc et hinc*. Erant enim parvæ tabulæ, utpote quas Moses manu gestaret, et quæ in arca testamenti exigua depositæ, neque magnæ, neque graves esse poterant; alias perfregissent eam sensim suo pondere. Litteræ vero tabularum erant magnæ, ut eminus legi possent a populo, ideoque ab utraque parte tabularum scribendum fuit, ut in iis integer Decalogus scriberetur. Ita Abulensis. Alii putant in tabulis hisce bis scriptum fuisse Decalogum, scilicet ab utroque latere semel, ut decalogus in tabulis scriptus ab utraque parte, a consistentibus utrimque legi posset. Ita Lipomanus.

Tabulæ legis scriptæ erant ab utraque parte.

Vers. 18. 18. NON EST CLAMOR ADHORTANTIUM AD PUGNAM, NEQUE COMPELLENTIUM AD FUGAM. — Chaldæus, *non est vox clamandi : Fortiter; neque clamandi : Debiliter*; vel, *neque robustorum eorum, qui vincunt; neque debilium eorum, qui vincuntur, clamor est.* Qui enim prælio vincunt, lætas instantis, aut plenæ jam victoriæ voces edunt; qui vincuntur, tristes, inconditos et lugubres ejulatus, dum alii vulnerantur, alii animam agunt, alii pedibus proteruntur, alii alios in fuga protrudunt; unde clare R. Salomon vertit, *vox hæc non est virorum clamantium : Victoria, victoria; neque debilium vox, vociferantium : Væ, væ!* aut, *fugite, fugite;* Septuaginta, *non est vox præcinentium fugam;* Oleaster, *non est vox respondentium fortitudinem,* id est jactantium suas vires, *neque respondentium succisionem* (1), id est se esse succisos. Qualis ergo vox est? *sed vocem,* ait, *cantantium;* Chaldæus, *ludentium;* Septuaginta, *præcinentium vinum ego audio.*

Vers. 19. 19. IRATUSQUE VALDE PROJECIT DE MANU TABULAS, ET CONFREGIT EAS. — Fecit hoc Moses incitatus sancto zelo adversus publicam impietatem, absurdum ratus si legem Dei populo ebrio, legemque tam nefarie per suum idolum infringenti afferret. Ita S. Chrysostomus, Hieronymus, lib. II *Contra Jovinianum*, et Ambrosius, lib. *De Elia et Jejunio*, cap. VI : « Tabulas, inquit, legis quas accepit abstinentia, conteri fecit ebrietas. » Mystice significabatur priorem legem, veterem videlicet, abolendam esse, succedente alia, puta lege Evangelica. Ita S. Ambrosius, in *Psalm.* XXVIII, Augustinus, *Quæst.* CXLIV, et alii.

Jejunium ob fractas tabulas.

Ob hanc tabularum legis confractionem indictum postea Judæis statumque fuit jejunium septimodecimo die quarti mensis, quo hæc confractio contigit, uti patet ex Calendario Hebræorum, quod Genebrardus in Latinum transtulit, suisque commentariis in Psalmos præfixit; quod enim illo die hæc confractio contigerit, patet ex eo quod Moses statim a promulgatione legis, quæ per angelum in Sina facta est sexto die mensis tertii, uti ostendi cap. XIX, vers. 11 et 16, ascenderit in montem, ibique manserit quadraginta diebus; unde sequitur eum descendisse de monte ad populum, ac consequenter tabulas confregisse septimodecimo die mensis quarti : numera enim quadraginta dies a die sexta mensis tertii, pervenies ad decimum sextum diem mensis quarti; postero autem die, puta septimodecimo, descendit Moses, tumque confregit tabulas.

Hinc S. Hieronymus, Rupertus, Ribera et alii, illud *Zachar.* VIII, 19 : « Jejunium quarti, et jejunium quinti, et jejunium septimi, et jejunium decimi erit domui Juda, » ita interpretantur, ut jejunium quarti mensis fuerit id, quod Judæis indictum est ob tabulas legis confractas; jejunium quinti indictum fuerit, eo quod quinto mense Hebræi jussi sint montem non ascendere, sed per quadraginta annos longis ad terram sanctam circuire dispendiis, ut omnes qui murmurarant in solitudine morerentur, *Num.* XIV. Jejunium septimi fuerit id, quod indictum est ob cædem Godoliæ, de qua IV *Reg.* XXV, 25. Jejunium decimi indictum fuerit, eo quod illo mense Ezechiel et cæteri, qui erant in captivitate Babylonica, audierint Jerusalem esse captam, templumque incensum.

20. ARRIPIENSQUE VITULUM QUEM FECERANT, COMBUSSIT, — conjecit vitulum in ignem certis admixtis herbis, ut liquaretur in massam, et quasi in carbonem redigeretur. Vers. 20.

ET CONTRIVIT, — hebraice, *et moluit usque ad tenuitatem, q. d.* Moses carbonem illum, vel massam igne extractam contudit, et contrivit in minutum pulverem.

QUEM SPARSIT IN AQUAM, ET DEDIT EX EO POTUM FILIIS ISRAEL. — Moses pulverem vituli aurei sparsit in torrentem qui descendebat de Sina, et transibat per castra Hebræorum, eo tempore quo veniebant Hebræi ut inde haurirent aquam, adeoque in ipso aquæ haustu; quin, ut videtur, etiam coegit eos inde bibere. Fecit id Moses ex zelo, ut idolum suum vorent apostatæ, et ut contemnere discant quod in secessum projici vident, ait S. Hieronymus *ad Fabiolam* (2). Vitulum suum biberunt Judæi, cur?

Mystice S. Augustinus, lib. XXII *Contra Faustum*, cap. XCIII : Vitulus, ait, est idololatria Gentium, quæ per ignem zeli Christi Domini, et aciem verbi, et aquam baptismi, ab eis potius quos absorbere conatur, puta a Gentibus ipsis absorpta est. Mystice.

22. TU ENIM NOSTI POPULUM ISTUM, QUOD PRONUS SIT AD MALUM. — Septuaginta σὺ γὰρ οἶδας τοῦ λαοῦ τούτου τὸ ὁρμημα, id est, tu nosti populi hujus im- Vers. 22.

(1) Ita in hebræo, *nec vox clamandi stragem*, id est, eorum qui vincuntur.

(2) Quomodo Moses vitulum aureum combusserit, atque in pulverem contritum Israelitis potui dederit, vide Glaire, *Les Livres Saints vengés*, I, 442; Guénée, *Lettres de quelques Juifs à M. de Voltaire*, I parte, epist. 4. Nihil vero obstat, ait Rosenmullerus ad h. l., quo minus apud Ægyptios jam tum usus aliquis artis chemicæ esse potuerit, a quibus eam didicerit Moses.

petum, aviditatem, et quasi furentem impulsum, cui scilicet ego unus resistere non potui.

Vers 24. 24. PROJECI ILLUD IN IGNEM (ut inde liquefactum flueret in formam fusoriam vituli), EGRESSUSQUE EST HIC VITULUS. — Non ergo negat Aaron crimen, sed verbis extenuat, ut leniat fratris iram.

Vers 25. 25. VIDENS ERGO MOYSES POPULUM QUOD ESSET NUDATUS. — Targum Hierosolymitanum sic vertit, *videns Moses quod Hebræi denudati erant corona aurea, quæ fuerat in capitibus eorum cum nomine tetragrammato*, quasi libertatis et obedientiæ insigne. Videntur enim Hebræi, maxime principes, post legem acceptam in Sina, in signum fidei et obedientiæ Deo promissæ, ornasse capita sua coronis decoris, cum nomine tetragrammato illis inscripto, quod anno sequenti cum erectum est tabernaculum, soli Aaroni concessum est, uti præceperat Dominus Mosi in monte, *Exodi* cap. XXVIII, vers. 39. Ita R. Salomon, et Hieronymus Prado in cap. XXIV *Ezech.* pag. 312 : *Nudatus*, ait, id est excæsariatus, spoliatus sua cæsarie, privatus sua corona et diademate, quam gestarat quasi libertatis insigne.

Hebræi accepta lege inceserunt coronati, inquit R. Salomon.

Refellitur. Primo. Verum hoc est divinare, inquit Abulensis; Scriptura enim harum coronarum, habentium nomen tetragrammaton, nullam facit mentionem : imo nomen tetragrammaton soli pontifici consignat in lamina, illique soli hoc nomen tribuerunt Hebræi omni tempore. *Secundo*, ornatus hic quo nudati fuerunt Hebræi, fuit ablatus ab Aarone, uti sequitur; ait enim : « Spoliaverat enim eum Aaron. » Aaron autem non abstulit Hebræis coronas, sed inaures ad vitulum efformandum. *Tertio*, Hebræi post peccatum non deposuerunt suum ornatum, ergo nec coronas si quas habuerunt : nam ornatum hunc demum, jubente Deo, deponunt cap. seq., vers. 6. Rursum Vatablus vertit, *videns Moyses quod detectus esset populus*, id est, quod detecta esset ejus infamis idololatria, qua Deum suum eductorem et protectorem deseruerant, apud gentes vicinas, quæ proinde Hebræos invadere et opprimere potuissent. Verum et hæc expositio minus congrua est, minusque respondet Hebræo פרע *para*, quod non detegere, sed nudare, enervare, imbellem et infirmum efficere significat.

Secundo.

Tertio.

Vatabli versio rejicitur.

Vera expositio nudationis populi. Dico ergo nudatum fuisse populum tum suis inauribus, quas dederat Aaroni ad faciendum vitulum, tum consequenter et potius (inaurium enim parva erat jactura) honore suo, atque ope et auxilio Dei, quem per hoc scelus suum deseruerat : ita ut si hostes in eum tunc irruissent, Deo irato subducente suum patrocinium, prostratus sine dubio, et cæsus fuisset populus, uti accidit *Num.* XIV, 45. Atque facile id fieri poterat, cum vicini hostes scirent Hebræos jam per hunc vitulum deseruisse suum Deum, ac proinde ab eo vicissim esse desertos, a quo tam miraculose educti et protecti semper fuerant, ideoque facillime eos a se posse prosterni, vinci et deleri (1).

SPOLIAVERAT ENIM EUM AARON (tum inauribus, ut dixi, tum ope Dei) PROPTER IGNOMINIAM SORDIS. — Hebraice, *in ludibrium hostibus suis*. Hebræa enim vox שמצות *scimtsa* significat sibilum, susurrum, irrisionem, ludibrium. Ita Septuaginta. Noster Interpres utrumque malum quod populo ex vitulo Aaronis obvenit, distinctius explicat, dicitque *primo*, quod propter sordem, id est idolum hoc suum vituli (Hebræi enim idola vocant גללים *gillulim*, id est stercora, quia ut sordes et stercora abominanda sunt, uti dicitur *Deut.* VII, vers. ult.), spoliatus erat populus honore pristino, qui erat, quod populus hic esset et haberetur populus Dei. Honor enim ille jam per vitulum versus erat in ignominiam, ita ut Hebræi jam ludibrio forent vicinis hostibus. Dicit *secundo*, quod populus hic desertus a Deo, quasi nudus et inermis inter tot et tam diros hostes consisteret. Unde ait : « Et inter hostes nudum constituerat. »

26. STANS IN PORTA CASTRORUM, — in ingressu castrorum : nec enim castra Hebræorum erant muro circumdata instar urbis, ut proprie dictas haberent portas. Vers. 26.

AIT : SI QUIS EST DOMINI, JUNGATUR MIHI, — *q. d.* Qui non est vituli, sed *Jeheva*, id est Domini, servus et cultor, quique zelum habet Domini, ut injuriam illi per hunc vitulum illatam ulciscatur, hic mihi societur.

CONGREGATIQUE SUNT AD EUM OMNES FILII LEVI. — Hinc videtur, quod plerique Levitæ non consenserint in populi peccatum, et cultum vituli, quodque ille eis displicuerit. Imo R. Salomon et Abulensis putant nullum ex tribu Levi consensisse huic idololatriæ. Sed hoc falsum est : nam Aaron consensit, fecitque vitulum; Aaronem autem quasi caput tribus Levi, multi ex Levitis secuti sunt. Rursum multi Levitæ hic a suis occisi sunt : ergo fuerant illi participes criminis et vituli. Antecedens patet vers. 29, ubi Moses Levitis ultoribus dicit : « Consecrastis manus vestras hodie Domino, unusquisque in filio, et in fratre suo, ut detur vobis benedictio. »

An Levitæ adorarint vitulum?

Dices : Quomodo ergo hic dicuntur congregati ad Mosen omnes filii Levi, si aliqui ex eis occisi sunt?

Respondeo : Dicuntur « omnes, » id est plerique omnes, pene omnes, permulti congregati sunt ad Mosen. Vox enim *omnis* in Scriptura subinde non absolute omnes, sed magnam multitudinem significat, ut patet *Judic.* cap. XX, 11, ubi dicitur universus Israel congregatus, cum tamen deessent viri Jabes Galaad, uti dicitur cap. seq., vers. 8. Simile est II *Reg.* XVI, et cap. XVII, 14.

(1) Alii pro *nudatus* vertunt ex hebr. *dissolutus*, scil. populus, qui frenis quasi detractis feriis istis celebrandis sese dedit; quod bene convenit iis quæ sequuntur, *nam laxavit eum*, frena ei remisit, *Aaron*, qui populo concesserat hunc festum celebrare, ut res ista ei sit *in ludibrium apud populos insurgentes in eum*.

Zelus militum sub Juliano Apostata.

Nota hic zelum Mosis et Levitarum pro gloria Dei, contra idolum et idololatras. Similis fuit, sed in modo dispar, zelus militum Christianorum, quos Julianus Apostata dolo ad idololatriam voluit inducere. Cum enim eos invitaret, ut de manu sua munus acciperent, utque recedentes thuris grana quædam, honoris gratia, in focum conjicerent, coram se et suis, qui cæremoniam hanc ut idolis factam, et christianismi abjurationem tacitam interpretabantur : milites hi mente Imperatoris et fraude post factum comperta, frementes Julianum adierunt, exclamaruntque : « Non dona accepimus, Imperator, sed morte damnati sumus; non honoris causa vocati, sed ignominia notati sumus. Da hoc beneficium militibus tuis : Christo nos macta atque obtrunca, cujus unius imperio subjicimur. Ignem igni repende : pro illo in cinerem nos redige. Manus amputa, quas scelerate porreximus; pedes, quibus male cucurrimus. Alios auro dona, quos recepisse postea non pœniteat. Nobis satis superque est Christus, quem instar omnium habemus. » Julianus ira accensus, invidensque eis martyrii gloriam, eos exilio mulctavit. Rem fuse narrat Nazianzenus, orat. I *Contra Julianum*. Simili zelo Gedeon evertit altare Baal, *Judic.* cap. VI, vers. 31. Gedeonem imitatus est Wolfredus martyr Sueciæ, qui concionatus ad populum : « Si, inquit, potens est Deus vester Tostan, se vindicet; » et arrepta securi simulacrum in frusta concidit : quare ab astantibus mille confossus gladiis, occubuit. Ita Crantzius Metropolitanus, libro IV, cap. VIII.

Vers. 27. 27. HÆC DICIT DOMINUS DEUS ISRAEL. — Habebat Moses uti populi rector et dux, potestatem gladii in eum, idque a Deo : ab eo enim, non autem a populo constitutus erat dux; sed accedit hic voluntas et jussio Domini, ut ea magis incitet Levitas ad offensam Dei vindicandam.

OCCIDAT UNUSQUISQUE FRATREM, etc., — *q. d.* Occidat quisque quemlibet occurrentem, etiamsi arctissime sibi conjunctum : plerique enim omnes in populo rei et conscii erant idololatriæ vituli, idque satis tum voce, tum ornatu, tum choreis, tum ebrietate, aliisque modis prodebant. Alii apud Rupertum et Abulensem volunt nocentes ab innoxiis fuisse discretos potu cineris vituli : inde enim noxios auream barbam, vel aurea labra, alios etiam morbum contraxisse. Sed hæc Judæorum sunt fabulamenta (1).

Rector instar Mosis severitatem misceat cum misericordia.

Ecce quomodo Moses mansuetissimus mortalium, pro Deo severitatem et iram induit, ut paucorum pœna Deum toti populo reconciliet. Hæc est enim sancta ira, quæ irascitur peccato. « Ira *enim* est cos virtutis; » et : « Mentem non habet, qui iram non habet. » Ita Archidamus laudanti Charilaum, quod ex æquo omnibus esset mitis : « Qui potest, inquit, juste laudari, qui etiam malis se mitem præbet? » Vide S. Basilium, serm. *De Ira*, et Gregorium, lib. XX *Moral.* VI, et part. III *Pastor.* cap. XXIII. « Ecce, inquit Gregorius, (Moses) qui vitam omnium cum sua morte petivit, paucorum vitam gladio extinxit : intus ignibus amoris, foris accensus est zelo severitatis : utrobique legatus fortis, causam populi apud Deum precibus, causam Dei apud populum gladiis allegavit : intus amans divinæ iræ supplicando obstitit, foris sæviens culpam feriendo consumpsit. Succurrit citius omnibus in offensa paucorum; sed idcirco Deus eum citius audivit agentem pro populo, quia vidit quid super populum acturus esset pro Deo. In regimine ergo populi utrumque Moses miscuit, ut nec disciplina deesset misericordiæ, nec misericordia disciplinæ. »

Tropologice S. Ambrosius *ad Romulum* : « Ille, ait, est verus Levita, Dei ultor et vindex, qui carnem, et passionum ac vitiorum corpus interimit, ut servet animam, ut jam non sit caro peccati, sed Dei. Quis enim magis frater aut proximus est animæ, quam caro? » et paulo ante : « Sanctiora cæteris ad hoc eliguntur ministeria Levitarum, quorum portio Deus. Nesciunt enim suis parcere, qui nihil suum norunt : quoniam Sanctis omnia Deus est. »

28. CECIDERUNT IN DIE ILLA QUASI VIGINTI TRIA MILLIA HOMINUM. — Ita constanter legunt Biblia Romana, et passim antiquiora Latina; item S. Gregorius in I *Regum* XIV, Rupertus et omnes pene post S. Hieronymum veteres commentatores. Ita quoque legit S. Paulus, I *Corinth.* XI; unde et verisimile est et Septuaginta (hos enim sequi solet Paulus) ita legisse, videlicet εἴκοσι τρεῖς χιλιάδας, pro εἰς τρισχιλίους, uti jam legitur; et certe in tanta turba peccantium pauca sunt tria millia, præsertim cum alibi, ut *Num.* XXV, ob similem idololatriam cæsa sint 24 millia. Vers. 28.

E contrario *tria millia*, non autem 23 *millia*, legunt Hebræa, Chaldæa, Latina, Complutensia et Regia, Tertullianus, *Scorpiaci* III, S. Ambrosius, epist. 56 *ad Romulum*, Isidorus, Rabanus et Philo. Unde varietas aut error inciderit, incertum est. Lyranus putat, quod noster Interpres complexus sit eos, qui vers. 35, dicuntur a Domino percussi, eosque fuisse viginti millia. Sed hoc est divinare, neque Interpres noster hic illum locum vertit, sed hunc præsentem, in quo Hebræa jam habent tantum tria millia; illi enim vers. 35, non hac die, sed postea percussi sunt. Forte in Hebræo primitus inde error acciderit, quod scriba aliquis pro *viginti* scripserit per compendium litteram כ *caph*, quæ est nota vicenarii apud Hebræos, quod *caph* alii postea quasi notam similitudinis, acceperint pro *quasi*.

Vide hic quid possit unus dux magnanimus. Vere dixit Chabrias : « Terribilior est exercitus cervorum duce leone, quam leonum duce cervo. »

(1) Interficiebantur procul dubio tantum illi, qui ne per Mosis quidem præsentiam revocari poterant ab illis feriis, nec tentoria sua repetierant. Ita Allioli.

Instar cervi timidus Aaron cessit idololatris, castraque perdidit populi fidelis et fortis instar leonum : instar leonis interritus Moses castra invadit, subigit, et 23 millia trucidat; itaque iræ Dei restitit, et ex cervis rursum leones effecit. Ita Thebani quasi cervi timidi, ante et post Epaminondam semper servierunt, sed quamdiu vixit Epaminondas dux eorum leoninus, aliis dominati sunt; ut unus Epaminondas pluris fuerit quam tota respublica Thebanorum, inquit Plutarchus in ejus Vita. Talis fuit apud Aragones Alfonsus rex, cujus hæc erat vox : « Non abhorreo pericula quantacumque, sine quibus nemo unquam gloriam consecutus est. » Ita Panormitanus in ejus Vita. Hinc et Heraclius Patriarcha Hierosolymitanus veniens ad Henricum regem Angliæ, ut eum incitaret ad bellum pro terra sancta, cum rex ad id ingens ei auri pondus offerret, respondit : « Non pecunia, sed imperatore nobis opus est; » itaque regi suasit, sed non persuasit, ut ipse quasi dux belli præiret cæteris in terram sanctam. Ita P. Æmilianus, lib. VI *Histor. Francor.*

Vers. 29. Levitæ ob zelum meruerunt sacerdotium.

29. CONSECRASTIS MANUS VESTRAS HODIE DOMINO. — Hinc Levitæ meruerunt benedictionem et sacerdotium. Audi *Deut.* cap. XXXIII, 9 : « Qui dixit patri suo et matri suæ : Nescio vos; et fratribus suis : Ignoro illos, et nesciverunt filios suos; hi custodierunt eloquium tuum, et pactum tuum servaverunt, judicia tua, o Jacob, et legem tuam, o Israel : ponent thymiama in furore tuo, et holocaustum super altare tuum. » Sic et Phinees ob similem zelum, quo occidit fornicantes et colentes Beelphegor, meruit summum sacerdotium, *Num.* XXV, 15.

Vers. 30 et 31.

30 et 31. FACTO AUTEM ALTERO DIE, etc., REVERSUSQUE AD DOMINUM. — Hinc colligitur Mosen altero die a suo descensu de monte, in quo fuerat per 40 dies, rursum ascendisse in montem, ibique mansisse alios 40 dies, ut secundas legis tabulas acciperet, uti patebit cap. XXXIV, vers. 28.

Vers. 30.

30. SI QUO MODO QUIVERO DEPRECARI. — Nam quod vers. 14 dictum est : « Placatus est Dominus, » intellige ad hoc, ut non unica cæde et clade universum deleret populum, uti cogitarat. Igitur jure metuebat Moses ne Deus, tantæ offensæ memor, carptim per partes populum disperderet; quod ne faciat, oraturus et deprecaturus rursus ascendit in montem. Nota : Moses suæ orationi præmittit justitiam, justamque vindictam peccati : hæc enim est efficax dispositio ad exorandum Deum, uti ex S. Gregorio docui vers. 27.

Vers. 31 et 32. Quo sensu optarit Moses deleri de libro vitæ? Prima expositio.

31 et 32. AUT DIMITTE EIS HANC NOXAM, AUT SI NON FACIS, DELE ME DE LIBRO TUO QUEM SCRIPSISTI. — Quæres, quo sensu optarit Moses de libro vitæ deleri? et an hoc votum sit licitum et sanctum? *Primo,* Cajetanus intelligit de libro, id est decreto principatus, *q. d.* Moses : Aut dimitte, aut dele me de libro tuo, quo me designasti principem alterius gentis, si hanc meam perdis.

Secunda.

Secundo, S. Hieronymus *ad Algas.*, et S. Gregorius, lib. X *Moral.* VII, accipiunt de libro viventium, non in cœlo, sed in præsenti vita, *q. d.* Aut dimitte, aut occide et tolle me de hac vita.

Tertia.

Tertio, Hugo Victorinus respondet Mosen hoc dixisse non ex ratione, sed ex impetu humanæ affectionis : nec enim quis deleri potest de libro vitæ.

Quarta.

Quarto, alii librum legis vel potius legislaturæ accipiunt, *q. d.* Aut dimitte, aut dele et tolle me de hoc officio, ne scilicet sim legislator populi.

Refelluntur.

Verum hæc non satisfaciunt incensæ charitati et petitioni Mosis, neque verbis hisce ac sequentibus, ipsique responsioni Domini, qui respondet se non Mosen, sed eos qui peccaverint deleturum de libro suo, utique libro æternæ vitæ et regni cœlorum. Nam liber vitæ aut liber Dei, ubique in Scriptura significat conscriptionem eorum qui electi sunt vel absolute, vel inchoate ad vitam æternam, conscriptionem, inquam, et consignationem in mente et memoria divina, qui est liber æternæ prædestinationis. Id patet *Danielis* XII, 1; *Apoc.* XIII, 8, et XVII, 8, et cap. XXI, vers. 27; *Philipp.* IV, 3. Ita docet S. Augustinus, lib. XX *De Civit.* cap. XV, S. Ambrosius in *Psal.* LXVIII, Ansbertus et Haymo in *Apoc.* III, Rupertus hic, S. Bernardus, serm. 12 *in Cantica* (1).

Liber vitæ est liber divinæ prædestinationis.

Quinto, ergo S. Augustinus, *Quæst.* CXLVII, Lyranus, Abulensis, Lipomanus et alii probabilius censent hic esse hyperbolen, quæ tantum significat vehemens desiderium salutis populi in Mose : perindeque esse, ac si filius videns servum sibi charissimum juste domo ejici, dicat patri : Noli hunc ejicere, aut si eum ejicis, me quoque ejicito : sic enim et Moses ait : Aut dimitte populo, aut dele me, non quod vere deleri optet (illud enim erat impossibile), sed ut hac phrasi desiderium suum ingens aliqua ratione patefaciat, quod aliter efficaciter patefacere non poterat. Unde non ait Moses : Dele me, modo illis dimittas, quasi cuperet commutationem sui facere pro populo, populique absolutione; sed, si id non facis, dele me. Hinc et S. Augustinus, *Quæst.* CXLVII, ait Mosen hoc dixisse securum, *q. d.* Aut dimitte populo, aut dele me de libro tuo; sed scio quod me non delebis : ergo restat ut dimittas et parcas populo.

Verum pulchre Rupertus : Non debemus, ait, nos serio et gravissime a Mose dicta in sensum exilem coarctare, eo quod inopes et frigidi nos, divitias animi Mosis charitate flagrantis ignoremus; nec oportet excessum hunc charitatis Mosis

(1) Ut Moses singulorum civium Hebræorum nomina in libro quodam scripta habebat, *Num.* I, ita etiam Deus nomina omnium viventium in libro scripta habere sistitur. Pro *aut dimitte eis hanc noxam,* hebr. est ואם־עתה, etc., quod Rosenmullerus reddit, *et nunc, si condonabis peccatum eorum,* supple, bene est, non dico tibi : dele me; ut sit ellipsis, quali nil tritius est Arabibus. Maurer : אם haud dubie est particula optandi, ut sensus sit, *et nunc, o si,* utinam condones peccatum eorum!

ad nostras ordinarias charitatis et prudentiæ leges exigere. Dico ergo : Verba Mosis explicite significant hoc quod quinta expositione recensui; implicite tamen plus continent. Sensus itaque est: Si non dimittis populo, dele me de libro tuo, *q. d.* Si non dimittis, nolo scribi in libro tuo; malo enim deleri quam populo non dimitti : aut ergo dimitte, aut dele me; nam intolerabile mihi est scribi in libro tuo, et populum meum ex eo deleri : populum enim pluris facio, plus diligo, quam meipsum. Itaque implicite cum Paulo opto fieri anathema pro populo, et deleri de libro tuo, ut illi, remissione a te accepta, in eo scribantur: malo enim ut ego unus delear, quam ut tot hominum milliones deleantur. Hic sensus magis ex Hebræo elici potest; sic enim habet, *si dimittis, et si non, dele me de libro tuo quem scripsisti.* Quæ verba ob vehemens pathos abrupta et concisa, sic expleri possunt : *Si dimittis, dele me de libro tuo, q. d.* Opto deleri ut eis dimittas, puni me ut illis parcas, offero me in lytrum et piaculum pro populo meo: *et si non* dimittis, rursum oro et dico: *Dele me de libro tuo,* quia non possum videre me scriptum in libro, et populum meum ex eo deleri, ut scilicet ego salver, et populus meus pereat; aut ergo utrumque scribe et salva; aut si alterutrum vis delere et perdere, me unum potius dele et perde quam totum populum. Malo enim ut tua gloria a toto populo celebretur, quam a me solo: malo ut tot millia præsentium et futurorum ex eis gignendorum te colant, laudent, ament, quam ego solus per te sim felix : malo etiam totum populum salvari et beari, quam me solum. Hoc enim quasi dilemmate urget Moses et pene cogit Deum ut populo dimittat. Unde S. Chrysostomus in cap. IX *ad Rom.*, docet Mosen et Paulum transcendisse cogitatione, non tantum omnes præsentis vitæ agones et mortes; sed etiam pro Deo, quem magis quam se ipsum diligebant, cœlos et angelos supergredientes omnia invisibilia sprevisse, ac pro Dei amore ab ipsa Dei fruitione, beatitudine et ineffabili gloria (hanc enim significat liber vitæ, vel liber Dei) excidere non tantum petiisse, sed revera et serio optasse, *q. d.* Moses : Dele me de libro tuo, ut scilicet non perveniam ad æternam beatitudinem, ad quam me conscripsisti : inde, inquam, dele me potius, quam populum hunc tuum et meum deleas et perdas. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, Œcumenius in cap. IX epist. *ad Roman.*, Cassianus, *Collat.* XXIII, cap. VI, S. Bernardus, serm. 12 *in Cantica.*

Objectio prima. Dices : Optare privari æterna beatitudine est contra charitatem, estque peccatum; ergo id non optavit Moses. Antecedens probatur, quia optare carere beatitudine et visione Dei, est implicite optare carere amore beatifico, seu optare minus amare Deum, minusque ei placere, minus eum laudare; hæc enim sequuntur ex carentia visionis Dei : nam charitas patriæ excedit omnem charitatem viæ. Adde, charitas valde inclinat ad præsentiam et fruitionem sui amati, puta Dei : ergo hoc votum Mosis fuit præter vel contra inclinationem charitatis; ergo fuit inordinatum.

Respondeo, Mosen hic tantum comparasse suam gloriam, ut sua propria erat beatitudo et bonum, cum gloria Dei et salute tanti populi, maluisseque sua carere quam Dei gloriam periclitari, tum apud Gentiles, qui populo et Deo obtrectassent, si Deus populum suum in deserto delevisset; tum apud ipsos Hebræos, qui omnes in æternum periissent, blasphemassentque Deum in inferno; neque ulterius quid spectavit Moses, sed totus abreptus charitate Dei et gloriæ ipsius, non considerabat alia huic suo voto annexa, vel certe si id quod objicitur considerabat, cogitabat charitatem in via eamdem esse quæ in patria, neque illic essentialiter fore perfectiorem aut intensiorem quam sit hic : accidentalem autem charitatis perfectionem ex Dei fruitione manantem, uti et inclinationem ad Deo fruendum seponebat, eaque se hoc voto suo excidere permittebat, utpote pro qua reponeretur tum sibi major gratia, et charitas essentialis, per istum actum tam heroicum, quo tantopere Deum diligebat : nec dubitabat quin Deus eum per alias gratias copiosissime remuneraretur; tum etiam reponeretur major gloria Deo, per tot millia hominum spargenda, quam proinde a Deo fervide desiderabat, ut ad illius, et simul populi, cujus pro Deo dux erat constitutus, incolumitatem a Deo impetrandam, cuperet sua beatitudine privari, imo, ut ait Chrysostomus, homil. *De cruce et latrone,* particeps esse cuperet supplicii idololatræ populo irrogandi, perdique cum iis optaret, ut idem ait, homil. *De amore erga persequentes, q. d.* Moses : Aut dimitte populo, aut si eum a te domoque tua ejicis, ejice me simul cum ipso : non enim possum a populo hoc meo et tuo avelli aut separari, videre non possum ut populus hic meus et tuus pereat; quin si perit, cum eo peream et ego, ut ita tester charitatem quam erga populum tuum, et consequenter erga te, o Domine, in pectore meo incensam gero. Hoc ergo Mosis votum manavit ex charitate, putabatque Moses charitatem tam Dei quam populi, hoc votum a se quasi efflagitare. Moses enim hoc votum suum dirigebat ad hoc, ut per illud veniam populo impetraret, itaque magis Dei gloriam in populo promoveret; ideoque illud ipsum ipsimet Deo placiturum non ambigebat. Itaque nullum hic fuit peccatum : licet enim Moses petierit implicite carere amore beatifico, non tamen amicitiæ cum Deo aut charitatis imminutionem petiit; quin vero hæ ejus preces maximæ charitatis indicium, et incensum desiderium, ostendunt. Aliqui tamen huc quoque, scilicet ad gratiæ imminutionem, vel privationem, votum Mosis extendunt. Dicunt enim licuisse ei optare privari sua unius gratia, ut per hoc tot millia populi gratia donarentur. Charitas enim inclinat ad majorem Dei gloriam petendam, et procurandam. Major

Respon-sio.

autem Dei gloria est si multa millia Dei gratia potiantur, Deumque ament et colant, quam si ego solus id præstem. Ergo si alterutrum eligendum sit, prius eligendum videtur. Verum quidquid de hac re, an licita sit necne, sit, liber vitæ in Scriptura non est liber gratiæ, sed gloriæ, puta prædestinationis ad æternam felicitatem. Gloriæ ergo, non gratiæ privationem optavit hic Moses.

Objectio secunda. Dices *secundo* : Moses hic petiit rem impossibilem; impossibile enim est aliquem scriptum in libro Dei, ex eo deleri.

Respondeo *primo* : Qui inchoate tantum scriptus est in libro Dei, potest ex eo deleri. Sic omnes justi scripti sunt in libro vitæ, quia inchoant viam ad beatitudinem, in qua si perseverent, revera ad eam pervenient; sed quia multi non perseverant, hinc ex eo delentur. Unde dicitur *Psal.* LXVIII : « Deleantur de libro viventium. » Verum quia Moses videtur loqui de scriptione absoluta et perfecta in libro vitæ, hinc

Respondeo *secundo*, formaliter neminem sic scriptum posse deleri de libro vitæ, sic enim præscientia et prædestinatio Dei falleretur, aut mutaretur : materialiter tamen sive objective aliquem ex eo deleri posse. Sensus ergo est, *q. d.* Aut dimitte, aut priva me æterna beatitudine, ad quam me consignasti et conscripsisti : seposita enim præscientia et prædestinatione Dei, a qua abstrahebat Moses, absolute possibile erat Mosen privari sua beatitudine, quod est deleri de libro vitæ.

Objectio tertia. Dices *tertio* : Hoc votum Mosis videtur inordinatum et imprudens : nam privatio beatitudinis suæ non erat medium ordinatum ad remissionem peccati et salutem populi.

Respon sio. Respondeo : Moses tantum rei, puta medii hujus naturam in se spectavit, non autem consideravit, an medium illud esset congruum et aptum secundum ordinem et dispositionem jam a Deo constitutam : hoc enim positivum erat ex libera electione Dei, quæ rerum naturam non mutat. Licet ergo carentia beatitudinis neque ex se, neque ex Dei dispositione esset medium ordinatum ad gratiam populo impetrandam, non tamen in se suaque natura erat illicitum, aut impossibile, aut peccatum. Unde Moses illud optavit non ut medium connaturale et ordinarium, sed quod ei libera pietas et arcta necessitas, amorque populi suggerebant. Necessarium enim putabat summa vi conniti apud Deum : videbatur enim salus populi apud eum in summo esse discrimine, cumque aliud efficacius medium ad eam tuendam non occurreret, hoc usus est, excessu summi amoris ac cæcæ cujusdam charitatis, qui communes ordinariæ prudentiæ leges transcendit. Hoc autem non erat peccatum, sed maxime heroica virtus. Hinc patet quam gloria Dei nostris commodis, ipsique beatitudini nostræ anteferenda sit, quamque peccatum quodvis lethale ipsi e diametro repugnans, magis detestandum sit, quam privatio beatitudinis, aut ipse etiam ignis infernalis. Rursum, quanti cum Mose facienda et procuranda sit animarum salus. Sic simili modo ac motivo quo Moses, optavit Paulus pro Judæis fieri anathema a Christo, *Rom.* cap. IX, vers. 3. Ex dictis sequitur licitum, pium ac sanctum fuisse hoc votum Mosis, ac consequenter licere cuique illud ipsum concipere et imitari, uti docet Ludovicus Molina. Vide dicta *ad Rom.* cap. IX, 3, sub finem.

DELE ME DE LIBRO TUO QUEM SCRIPSISTI, — in quo scilicet me cum aliis electis, absolute et perfecte scripsisti : hoc enim significabat illa iteratio et inculcatio, « quem scripsisti. » Unde videtur quod Moses acceperit revelationem de sua electione et beatitudine ; atque hac de causa tam fidenter cum Deo, tanquam amicus cum amico expostulat. Mosis charitatem et zelum imitati sunt heroes Gentilium, sed eam minime assequi et adæquare potuerunt, quia corpus tantum pro populo et patria ad temporalem mortem devoverunt. Ita se devovit Codrus rex Atheniensium : cum enim oraculum edixisset eos victores fore contra Thraces, si rex caderet; Codrus vili amictu incognitus ad hostes venit, falcem gerens, et uno interfecto, mox ab alio occisus est : itaque vicerunt Athenienses. Ita P. Decius Romanus contra Albanos belligerans, per quietem imaginatus est, se sua morte Romanis vires additurum; itaque in medios hostes irruit, multisque occisis interfectus est. Eodem modo filius ejus Decius bello Gallico rem Romanam conservavit. Ita Junius Brutus duos suos filios securi percuti jussit, quod cum Tarquiniis contra patriam et libertatem Romanam conspirassent. Ita tergemini Horatii pro patria duello se offerentes, in eoque tergeminos Curiatios Albanos trucidantes, imperium Romæ in Albam asseruerunt. Idem prorsus fecerunt tergemini Tegeatæ pugnantes in tergeminos Pheneatas. Ita Curtius Romanus in hiatum armatus juxta oraculum insiliens, patriam calamitate liberavit. Idem prorsus apud Græcos fecit Anchurus. Ita Horatius Cocles solus impetum hostium sustinuit, dum sui pontem in Tiberi rescinderent, hostemque transitu prohiberent. Ita trecenti Fabii duce Fabio Maximo in castra Hannibalis irruerunt, multisque cæsis occubuerunt. Ipse dux in Hannibalem irruit, diadema ei detraxit, cum eoque mortuus est. Ita Leonidas cum trecentis Spartanis in innumerabilem exercitum Xerxis irruit, atque in ipsum Xerxem contendit, eique diadema avellit, cum eoque hastis confixus occubuit. Agesilaus, Themistoclis filius, se pro patria devovit, ac castra Xerxis ingressus Mardonium interfecit, putans esse Xerxem : errore cognito, manum igni imposuit, cruciatumque absque ullo pertulit gemitu. Vinculis proinde solutus, dixit : « Tales sunt omnes Athenienses : quod si non credis, etiam sinistram imposuero. » Xerxes metu concepto, eum in custodia jussit asservari. Idem pro Romanis fecit Mutius Scævola apud Porsennam regem Etruscorum. Hæc omnia

Moses accepit revelationem suæ salutis. Exempla Gentilium devoventium se pro patria.

enarrat Plutarchus in *Parallelis*. Verum quid hi ad Mosen, qui non corpus tantum, sed et animam pro populo devovit, cupivitque deleri de libro vitæ, ac in æternum affligi? Similis Mosi fuit S. Paulus, optans anathema fieri pro fratribus; et B. Jacoponus, qui ex amore Christi desiderabat sustinere in hac vita omnes labores, ærumnas, angores et dolores, qui verbis exprimi, aut animo concipi possunt: quinimo post hanc vitam trudi in infernum, ut ibi sua, et hominum, etiam damnatorum, et dæmonum (si fieri posset) peccata lueret et expiaret. Quid nos ad hæc?

Laudamus veteres, nos nostris utimur annis.

Vers. 34. 34. TU AUTEM VADE, — *q. d.* Non cures de eo quod petiisti pro populo, sed obtempera huic mandato meo. Hinc videtur non omnino populo reconciliatus fuisse Deus hac vice, cum adhuc se ulturum minetur: sed in fine quadraginta dierum, quibus Moses cum Domino secundo fuit in monte, eumque pro venia oravit, placatus fuit Dominus, ut patet *Deuter.* cap. IX, vers. 19, et hic cap. seq., vers. 14.

ANGELUS MEUS PRÆCEDET TE, — in columna ignis et nubis, quam movet, quaque vobis quasi dux viam præit et ostendit.

EGO AUTEM IN DIE ULTIONIS VISITABO ET HOC PECCATUM EORUM. — « In die ultionis, » non captivitatis Babylonicæ, aut Romanæ sub Tito; non etiam in die judicii, aut alias quando alia Hebræorum peccata Deus punivit; non etiam hoc ipso die quo hæc dixit Deus: sed eo die de quo proxime sequitur, dum ait:

Vers. 35. 35. PERCUSSIT ERGO DOMINUS POPULUM. — Hinc verisimile est Deum paulo post ob idolum vituli, Hebræis consistentibus adhuc in Horeb, plagam aliquam, v. g. pestem, immisisse. Hæc enim est ultio, quam ipsis vers. præcedenti comminatus est, et sic optime respondet hic versus præced., tanquam executio suæ sententiæ et comminationis; nam alioqui rumpitur hic series orationis Domini: quæ enim cap. sequenti de colloquio Mosis cum Domino narrantur, eadem serie cum colloquio Mosis et Dei, quod hic recensetur, uti contigerunt, pertexenda et connectenda sunt. Ita R. Salomon et Abulensis.

CAPUT TRIGESIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Minatur adhuc Deus populo, ille luget; Moses orans tandem omnino Deum populo reconciliat, impetratque ut non angelus, sed Deus ipse sit viæ dux. Secundo, vers. 18, petit Moses videre gloriam Dei, auditque: Videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Vade, ascende de loco isto tu, et populus tuus quem eduxisti de terra Ægypti, in terram quam juravi Abraham, Isaac, et Jacob, dicens: Semini tuo dabo eam, 2. et mittam præcursorem tui angelum, ut ejiciam Chananæum, et Amorrhæum, et Hethæum, et Pherezæum, et Hevæum, et Jebusæum, 3. et intres in terram fluentem lacte et melle. Non enim ascendam tecum, quia populus duræ cervicis es; ne forte disperdam te in via. 4. Audiensque populus sermonem hunc pessimum, luxit; et nullus ex more indutus est cultu suo. 5. Dixitque Dominus ad Moysen: Loquere filiis Israel: Populus duræ cervicis es, semel ascendam in medio tui, et delebo te. Jam nunc depone ornatum tuum, ut sciam quid faciam tibi. 6. Deposuerunt ergo filii Israel ornatum suum a monte Horeb. 7. Moyses quoque tollens tabernaculum, tetendit extra castra procul, vocavitque nomen ejus, Tabernaculum fœderis. Et omnis populus, qui habebat aliquam quæstionem, egrediebatur ad tabernaculum fœderis, extra castra. 8. Cumque egrederetur Moyses ad tabernaculum, surgebat universa plebs, et stabat unusquisque in ostio papilionis sui, aspiciebantque tergum Moysi, donec ingrederetur tentorium. 9. Ingresso autem illo tabernaculum fœderis, descendebat columna nubis, et stabat ad ostium, loquebaturque cum Moyse, 10. cernentibus universis quod columna nubis staret ad ostium tabernaculi. Stabantque ipsi, et adorabant per fores tabernaculorum suorum. 11. Loquebatur autem Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum. Cumque ille reverteretur in castra, minister ejus Josue filius Nun, puer,

non recedebat de tabernaculo. 12. Dixit autem Moyses ad Dominum : Præcipis ut educam populum istum ; et non indicas mihi quem missurus es mecum, præsertim cum dixeris : Novi te ex nomine, et invenisti gratiam coram me. 13. Si ergo inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, ut sciam te, et inveniam gratiam ante oculos tuos ; respice populum tuum gentem hanc. 14. Dixitque Dominus : Facies mea præcedet te, et requiem dabo tibi. 15. Et ait Moyses : Si non tu ipse præcedas, ne educas nos de loco isto. 16. In quo enim scire poterimus ego et populus tuus invenisse nos gratiam in conspectu tuo, nisi ambulaveris nobiscum, ut glorificemur ab omnibus populis qui habitant super terram ? 17. Dixit autem Dominus ad Moysen : Et verbum istud, quod locutus es, faciam ; invenisti enim gratiam coram me, et teipsum novi ex nomine. 18. Qui ait : Ostende mihi gloriam tuam. 19. Respondit : Ego ostendam omne bonum tibi, et vocabo in nomine Domini coram te ; et miserebor cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit. 20. Rursumque ait : Non poteris videre faciam meam ; non enim videbit me homo, et vivet. 21. Et iterum : Ecce, inquit, est locus apud me, et stabis supra petram. 22. Cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, et protegam dextera mea, donec transeam ; 23. tollamque manum meam, et videbis posteriora mea : faciem autem meam videre non poteris.

Vers. 1. 1. LOCUTUSQUE EST DOMINUS AD MOYSEN, — scilicet, quando jam secundo Moses ascenderat in montem Sina, ut dictum est cap. XXXII, vers. 31, in quo mansit continue totidem diebus quot manserat prius, videlicet 40, petens veniam pro peccato populi, et in fine horum secundorum 40 dierum accepit secundas tabulas legis (priores enim jam confregerat cap. XXXII, vers. 19), ut patet cap. XXXIV, vers. 28, et *Deuter.* IX, 18, et X, 1.

VADE, etc., IN TERRAM QUAM JURAVI ABRAHAM, ISAAC ET JACOB. — Soli Abraham expresse juravit Deus se daturum ei Chanaan ; Isaac vero et Jacob tantum eam promisit, sed simili forma qua Abrahamo, seu remittendo se ad id quod cum Abrahamo gestum erat : ergo promittendo eis idem quod Abrahæ promiserat, illudque ratificando et confirmando, implicite jurabat eis idem quod juraverat Abrahamo.

Vers 2. 2. MITTAM PRÆCURSOREM TUI ANGELUM. — Est apostrophe Dei ad populum ; nam paulo ante Mosi locutus erat Deus : hic vero se convertit ad populum, loquiturque Mosi quasi internuntio populi ejusque personam sustinenti.

PRÆCURSOREM ANGELUM, — qui te præeat in columna nubis et ignis, quique ante te præcedens exterreat Chananæos, et tibi contra eos viam sternat ad victoriam, ita scilicet ut angelus hic non Dei, uti hactenus fecit, sed suam personam repræsentet, voceturque angelus, non Deus, ac consequenter angelico tantum modo, et simplici custodia te comitetur, ut custos tuus ; non autem illustria illa patret miracula, quæ hactenus Dei virtute et potestate patravit, tanquam Dei nomen et personam sustinens et repræsentans.

Vers. 3. 3. NON ENIM ASCENDAM TECUM, — non comitabor te, non ero tibi præsens uti hactenus fui, videlicet per singulare illud patrocinium, perque operationem tot signorum et miraculorum. Res enim spirituales maxime præsentes esse sentiuntur per operationem sibi propriam et commensuratam. Ita Abulensis et colligitur ex Chaldæo vers. 16.

POPULUS DURÆ CERVICIS ES, — *q. d.* Es populus cervicosus, inobediens, refractarius : hinc ne ad iram me concites, nolo te comitari, sed mittam angelum qui te ducat. Hæc enallage personarum et commutatio sermonis, apud Hebræos passim est obvia.

NE FORTE DISPERDAM TE, — ne vindicem maximam tuam ingratitudinem, et irreverentiam in me meamque majestatem, ut habet Chaldæus, admissam, si videlicet ego, per tot miracula me tibi præsentem, et tam clementem, tuique amantem et curam gerentem ostendens, tamen a te negligar, spernar, et idolis postponar, uti jam vitulo postpositus fui.

4. AUDIENSQUE POPULUS SERMONEM HUNC PESSIMUM (tristissimum), LUXIT : ET NULLUS EX MORE INDUTUS EST CULTU SUO. — Quæ hic de populo dicuntur, ordine non suo inserta sunt. Abrumpunt enim continuum Dei cum Mose colloquium, quod fuit secundis illis 40 diebus in monte. Itaque Moses hic more suo, colloquio Dei historiam verbis Dei consonam interjicit, videlicet quid ad Domini verba dixerit et fecerit populus, quando ea audivit : quod factum est non eodem die, quo hæc Mosi dixerat Dominus, sed post 40 dies colloquii Mosis cum Deo in Sina, quando videlicet iis evolutis Moses de monte descendit, et narravit populo quid cum Domino egisset, quidque dixisset Deus. Hisce enim auditis, cognoscens populus Deum adhuc sibi esse infensum ob idolum vituli, luxit, et deposuit ornatum suum, et, ut Septuaginta vertunt, κατεπένθησεν ἐν πένθεσι, id est, *luxerunt in lu-* Vers. 4.

gubribus, scilicet vestibus. Est ergo hic hysteron proteron : Moses enim integros 40 dies mansit in monte cum Domino, nec inde descendit nisi die 39, ut tabulas legis dolaret; ac mox eodem die rursum in montem ascendit, ac sequenti die 40, Deus tabulis Decalogum inscripsit, uti patebit cap. sequenti. Ita Abulensis.

Vers. 5. 5. DIXITQUE DOMINUS AD MOYSEN. — Eadem scilicet vice, qua vers. 1, 2, 3, locutus est ad Mosen: unde et eadem quæ ibi dixerat hic repetit et inculcat Deus, ut ad pœnitentiam Hebræos magis inflectat; patet ex dictis vers. 4.

SEMEL ASCENDAM, ET DELEBO TE. — Est gravis objurgatio, *q. d.* Si semel in te irruam, omnino delebo te (1).

JAM NUNC DEPONE ORNATUM TUUM. — Hinc patet Hebræos paulo ante vers. 4, non deposuisse ornatum suum, sed illud per anticipationem ibi dici; alioqui enim postea hoc versu non juberentur ornatum suum deponere, si eum jam deposuerant. Ornatus hic fuerunt vestes mundæ et festivæ, quas accepturi legem in Sina induerant, cap. XIX, vers. 10, et huc usque non deposuerant, utpote Deo adhuc cum illis per Mosen loquente. Unde Septuaginta vertunt, *auferte stolas gloriarum vestrarum.* Ita Oleaster et alii. Chaldæus tamen sic explicat: *Depone ornatum tuum,* id est tua arma bellica.

Addit Hieronymus Prado in *Ezech.* XXIV, pag. 312, et alii, uti dixi cap. XXXII, 25, per ornatum hic accipi aureas byssinasve corollas, quas sibi in Sina Hebræi imposuerant, ut essent symbolum suæ desponsationis cum Deo. Unde Hebræum עדי *adi,* stolas, vela, pepla serica, monilia, coronas, similemque ornatum, qui vestibus affigitur et applicatur, magis significat, quam ipsas vestes ornatas, id est elegantes, pretiosas et festivas.

Nota : Sicut herus servum peccantem quem verberare constituit, nudari præcipit : sic hic voluit Deus, ut Israel se quasi nudaret, et nudum Deo flagris cædendum præsentaret, ut hoc humilitatis et pœnitentiæ habitu, veniam impetraret. Sic qui olim pœnitentiam publicam agebant in Ecclesia, posito ornatu ciliciis induti, sacerdotibus quasi reos ad pœnam et disciplinam se offerebant.

UT SCIAM QUID FACIAM TIBI. — Ut visa tua pœnitentia decernam qualem pœnam, an levem, an graviorem ulterius tibi infligere debeam.

Vers 6. 6. DEPOSUERUNT ERGO FILII ISRAEL ORNATUM SUUM, — tum ex spontaneo suo luctu, tum præcepto Domini incitati. Rursus hic interrumpitur colloquium Dei cum Mose, per historicam narrationem ejus quod præceperat Deus : nam hæc depositio ornatus contigit post 40 dies, cum Moses a monte et Deo rediit ad populum.

A MONTE HOREB — ad montem Horeb (est enallage præpositionis), puta consistentes juxta Horeb sive Sinai, ubi Deus propter vitulum offensus apparebat.

MOYSES QUOQUE TOLLENS TABERNACULUM, TETENDIT EXTRA CASTRA. — Nota, hæc quoque et sequentia usque ad vers. 12, per anticipationem dici, et suo ordine inserenda esse post cap. XXXIV. Id ita esse patet *primo,* ex eo quod hæc præcedenti ornatus depositioni annectantur, quasi simul hæc facta sint : ornatus autem depositio contigit post 40 diem, cum videlicet Moses jam descendisset de monte. Voluit enim Moses hæc simul narrare et jungere, tanquam pœnitentiæ signa, quibus se idoli sui pœnitere ostendit populus. Nam hoc ipso quo tabernaculum extra castra figebatur, castra summo suo decore spoliabantur, videbanturque esse quasi excommunicata. Idem, *secundo,* patet ex eo quod dicitur hic eo tempore vocatum fuisse hoc tabernaculum fœderis, puta a secundis tabulis legis, quibus fœdus denuo sancitum est, quas Moses in hoc tabernaculo, tanquam Dei domicilio deposuit. Nam has secundas tabulas fœderis confirmatrices, certum est Mosen non accepisse ante 40 diem jam dictam. *Tertio,* quia Moses ascendit secundo in montem cap. præced., vers. 31, ibique mansit per 40 dies continuos, uti patet cap. seq. vers. 28. Ergo quæ hic interjiciuntur, post hosce 40 dies, cum Moses jam de monte descendisset, contigerunt; nisi dicas hosce 40 dies fuisse interruptos per unum diem, quo Moses de monte descendit, egitque cum populo ea quæ hic enarrantur a vers. 4 ad 12. Verum hoc non est verisimile : nam Moses, cap. seq. vers. 28, indicat satis se continuis 40 diebus et noctibus fuisse cum Deo in monte. Ita Abulensis.

TABERNACULUM. — Tabernaculum hoc non fuit illud quod jussit Dominus fieri cap. XXVI, quodque post hæc factum et erectum narratur cap. XL, in quo urna cum manna, arca et Cherubim deposita fuerunt : nihil enim horum hoc tempore fabricatum erat; sed erat hoc tabernaculum parvum tentorium Mosis, quatenus ipse erat dux populi (2) : unde eo convenire solebant seniores acturi concilium cum Mose; huic etiam tabernaculo incubabat columna nubis, quæ erat dux itineris. Denique Deus ad ostium hujus tabernaculi se per nubem videndum exhibebat, ibique colloquebatur cum Mose spectante populo, ac dabat responsa, uti hic dicitur. Quando tabernaculum hoc factum sit, incertum est. Ex dictis credibile est factum esse sub idem tempus, quo columna nubis a Deo data est castris Hebræorum, cap. XIII, 21. Cessavit usus hujus taberna-

(1) Pro *semel* verti potest, *parum abest quin in te irruam,* etc.

(2) Michaeli et Rosenmullero versimile videtur, quod Hebræorum quidam statuerunt, Israelitas jam ante illud tabernaculum quod Deus exstrui jusserat, habuisse tentorium sacrum, sive templum portatile a majoribus traditum, quod Moses jam e castris per idoli cultum profanatis jussit efferri. Respicit ad illud, quod supra vers. 3 dixerat Deus, se non amplius in medio castrorum commoraturum.

culi fabricato altero illo splendido, quod Dominus jussit fieri cap. XXVI, quodque factum et erectum est cap. XL.

Vers. 8. 8. CUMQUE EGREDERETUR MOYSES AD TABERNACULUM, SURGEBAT UNIVERSA PLEBS, — quasi surgendo et stando reverentiam exhibens Deo, et Mosi Dei vices gerenti, suoque capiti et rectori.

Vers. 9. 9. LOQUEBATURQUE CUM MOYSE, — scilicet columna nubis quæ præcessit, id est angelus, qui columna nubis tegebatur, et hic vices Dei gerebat. Unde vers. 11 dicitur Dominus locutus, puta non per se, sed per angelum hunc columnæ præsidem. Id autem fiebat ad hoc, ut populus Mosen revereretur, sciretque eum non sua, sed Dei mandata promere.

Vers. 10. 10. ADORABANT PER FORES TABERNACULORUM SUORUM, — *q. d.* Adorabat quisque Deum stans, vel potius procumbens in genua in ostio tabernaculi sui, convertendo se ad tabernaculum Mosis, in quo angelus vice Dei cum Mose, per columnam nubis loquebatur.

Vers. 11. 11. LOQUEBATUR AUTEM DOMINUS AD MOYSEN FACIE AD FACIEM. — Chaldæus, *verbum ad verbum;* Septuaginta, ἐνώπιος ἐνωπίῳ, *præsens præsenti, facialis faciali.* Quare verisimile est angelum hunc specie corporea et humana apparuisse Mosi, et cum eo collocutum esse, quem tamen Mosen agnoscens non hominem esse, sed angelum Dei vices gerentem, summa humilitate et reverentia audivit eique respondit.

Tropologice S. Hieronymus in *Psal.* CXXXIII : Habet, inquit, Dominus Jesus qui quasi ad faciem suam sibi ministrant, puta monachos et virgines; habet alios quasi in agris sibi servientes, puta sæculares.

MINISTER EJUS JOSUE, FILIUS NUN, PUER, NON RECEDEBAT DE TABERNACULO. — Josue vocatur hic « puer, » non ætate: jam enim præfuerat bello contra Amalec cap. XVII; sed obedientia, innocentia et disciplina: erat enim discipulus Mosis, ab eoque erudiebatur tanquam futurus ejus in regimine populi successor. Sic passim in Scriptura discipuli et famuli vocantur pueri, quia minores et inferiores sunt magistro vel hero; et vice versa heri et magistri vocantur patres. Sic Elisæus Eliam vocat patrem dicens : « Pater mi, currus Israel (tu es) et auriga ejus; » sic servi Naaman eum vocant patrem, IV *Reg.* V, 13; sic Abrahæ servus vocatur puer, *Genes.* XVIII, 7; sic Giezi vocatur puer Elizæi; sic David loquitur pueris, id est famulis suis, et passim in libris Regum famuli vocantur pueri.

Josue ergo non recedebat de tabernaculo, ut locum sacrum quasi custodiret absente Mose, utque servaret legis tabulas; simul interim vacabat orationi et contemplationi.

Tropologice. De recessu Mosis a tabernaculo ad castra tropologiam vide apud S. Gregorium, part. II *Pastor.* cap. V : « Qui, inquit, præsunt aliis, Dominum sæpe consulant oportet, neque ita tamen Dominum contemplando appetant, quin deorsum quoque ad membra illius miserando descendant. » Unde Chaldæus hoc tabernaculum vocat domum doctrinæ, quia in eo a Deo docebatur Moses in negotiis et causis, de quibus eum consulebat.

12. DIXIT AUTEM MOYSES AD DOMINUM. — Redit Scriptura ad intercisam narrationem colloquii Domini cum Mose; igitur hæc connectenda sunt cum vers. 5. Vers. 12.

PRÆCIPIS UT EDUCAM POPULUM ISTUM, ET NON INDICAS MIHI QUEM MISSURUS ES MECUM. — Dixerat Dominus Mosi : « Angelus meus præcedet te, » sed certum aliquem non designaverat. Verum Moses ductu et comitatu angeli non contentus, volebat ut Deus ipse comitaretur, essetque dux castrorum : hoc hic verecunde, ideoque ambigue et in terminis generalibus petit Moses, dicens : « Non indicas mihi quem missurus es; » idque crescente sermone simul et animo, ac libertate clarius explicat cum subdit vers. 13 : « Ostende mihi faciem tuam, » *q. d.* Illam mitte nobiscum, facies tua nos ducat, iterque præeat. Rupertus et Lipomanus putant Mosen petere ut Deus mittat Christum : hic enim est ille qui mittendus est. Sed hoc non est litterale.

PRÆSERTIM CUM DIXERIS : NOVI TE EX NOMINE. — Septuaginta, *novi te præter omnes, q. d.* Præ omni te elegi et diligo, mihique places (1).

13. OSTENDE MIHI FACIEM TUAM. — Hebr. *ostende mihi viam tuam*, ut scilicet tu teipso et facie tua viam nobis præeas et ostendas : hæc enim est vita tua. Unde Septuaginta vertunt, *ostende mihi teipsum manifeste,* aut, *cognoscibiliter.* Quare immerito Eugubinus hic carpit Septuaginta et Interpretem nostrum. Hinc patet non petiisse hic Mosen visionem Dei, vel essentiæ divinæ, uti videtur velle S. Augustinus, *epist.* 112, et lib. II *Trin.* cap. XVI, et S. Gregorius, lib. XVIII *Moral.* XXXVI, et D. Thomas, in II *Corinth.* XII; nam paulo post Moses clariorem petet Dei visionem, quam eidem Deus negabit, cum prioribus hisce ejus petitionibus annuat. Vers. 13.

UT SCIAM TE, — ut cognoscam te mihi et populo placatum, propitium et præsentem.

14. DIXITQUE DOMINUS : FACIES MEA PRÆCEDET TE, — id est, ego ipse præcedam te; hoc enim petierat Moses vers. 13, scilicet ut non angelus, sed Deus ipse adesset et præcederet castra Hebræorum. Illud hic Moysi annuit Deus, unde Chaldæus vertit, *majestas mea præcedet te.* Vers. 14.

Aliena ergo a mente Scripturæ est expositio Ruperti et Abulensis, qui per *faciem* intelligunt angelum aliquem primarium, qui dicatur *angelus facierum,* eo quod proxime assistat Deo.

Utitur vero Deus *faciei* nomine; non enim dicit *ego*, sed, « facies mea præcedet te. » *Primo*,

(1) Locutio desumpta a principibus, qui non omnes suos cives, sed paucos duntaxat norunt, qui ad interiorem familiaritatem admittit et apud eos gratiosi esse solent.

quia, ut ait S. Gregorius, lib. XVIII *Moral.* II, per faciem designatur notitia et familiaritas, *q. d.* Ego facie mea te præibo familiariter et jugiter per quævis ardua, iterque quamvis invium videatur, facile et patens ostendam. *Secundo*, quia nomine faciei respectus gratiæ designatur, quæ Hebræos in terram promissam feliciter erat perductura. Hic ergo Deus Mosi annuit id quod petierat, atque adeo hic omnino se populo reconciliatum ostendit, conceditque pristinam suam præsentiam ad victorias illustres, et ad opera magnifica et miraculosa ac divina pro Hebræis patranda; hæc autem præstitit Deus non immediate per se, sed per angelum præsidem columnæ, ducemque exercitus Hebræorum, cui suas vices delegavit, quemque ita sua potentia et auctoritate instruxit, ut non angelus, sed Deus castra præire dicatur et videatur; hoc enim solum petiit Moses, hoc et impetravit.

ET REQUIEM DABO TIBI, — ut inter medios hostes mea nixus præsentia, signis et miraculis, in mea ope securus quiescas, tandemque ad terram promissam victor pervenias, eamque quiete possideas.

Vers. 15. 15. ET AIT MOYSES : SI NON TU IPSE PRÆCEDAS, NE EDUCAS NOS DE LOCO ISTO. — Pro *si non tu ipse præcedas*, Hebræa, Chaldæus et Septuaginta habent : *Si facies tua non præcedat*; unde patet Mosen hic non aliud petiisse quam confirmationem ejus quod Dominus jam concesserat; sed id fusius et urgentius explicare, tum quia illectus colloquio divino, eo diutius frui cupiebat, de quo vide S. Ambrosium, lib. III, epist. 11 *ad Irenæum*, pie et pulchre disserentem; tum quia ad hoc incitabat eum vehementia desiderii salutis populi : verebatur enim Moyses ne quo modo Dominus rursum irritatus negaret et revocaret id quod promiserat : unde et cap. sequent. vers. 9, rursus idem petit; tum denique quia Moses parturiebat aliam petitionem vers. 18, cui ut viam sternat, huic insistit diutius.

Vers. 16. 16. IN QUO ENIM SCIRE POTERIMUS, INVENISSE NOS GRATIAM IN CONSPECTU TUO, NISI AMBULAVERIS NOBISCUM? — Chaldæus vertit, *in quo sciemus quod invenimus gratiam coram te, nisi cum ambulaverit majestas tua nobiscum, ut fiant nobis miracula, et dividamur ab omni populo terræ?* Vides hic Mosen per « faciem Dei » non aliud petiisse quam illustria miracula et opera Dei : unde et sequitur,

UT GLORIFICEMUR AB OMNIBUS POPULIS. — Hebr. נִפְלִינוּ *nipplinu* tripliciter verti potest : *primo*, ut glorificemur; *secundo*, ut dividamur; *tertio*, ut mirificemur : unde apte et pulchre Chaldæus vertit, *ut fiant nobis miracula*; ad hoc enim petebat Moses non angelum, sed Deum ipsummet ducem viæ : idque ei concessit Deus dans ei angelum, qui non angeli, sed Dei nomen, personam et potestatem gereret et exerceret.

Vers. 17. 17. ET VERBUM ISTUD QUOD LOCUTUS ES FACIAM, — *q. d.* Expressius hic confirmo quod expressius petebas et repetebas, licet tacite idem concesserim ante, videlicet ut glorificem vos per signa et miracula, in conspectu omnium gentium, idque ex nunc, ut non discedatis ex hoc loco nisi me duce, directore et protectore, sed per angelum, cui meas vices demando.

Moraliter discant hic principes et Prælati, singulique fideles, quam in omnibus Dei ducatum et directionem exposcere debeant, uti facit hic Moses : sic enim eis omnia prospere cedent. Ita David orat, *Psal.* CXVIII, 133 : « Gressus meos dirige secundum eloquium tuum; » et *Psal.* XXIV, vers. 4 : « Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me; » unde I *Reg.* XVIII, 14, de eo dicitur : « In omnibus quoque viis suis David prudenter agebat, et Dominus erat cum eo. » Saule vero eum persequente multos composuit psalmos, quibus a Deo protegi et dirigi postulat; itaque Saulis manus evasit, rex creatus est, Syros, Philistinos, Ammonitas omnesque hostes suos felicissime debellavit. Moraliter, in omnibus Dei directio postulanda. Exempla.

Ita Salomon a Deo dirigi postulat : « Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam, quoniam servus tuus sum ego, et filius ancillæ tuæ, homo infirmus, » etc. *Sap.* IX, 4. Idem monet dicens : « In omnibus viis tuis cogita illum (Deum), et ipse diriget gressus tuos, » *Prov.* III, vers. 6; et cap. XVI, vers. 9 : « Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus ejus. »

Ita Josaphat rex cinctus ab hostibus, orat : « Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te; » itaque insignem a Deo victoriam impetravit, I *Paral.* XX, 12. Hunc imitemur in periculis, in arctis, in dubiis et perplexitatibus positi, totoque corde ad Deum recurramus, et similem Dei opem, lumen et directionem experiemur.

Hac de causa Tobias docet filium, dicens cap. IV, vers. 20 : « Omni tempore benedic Deum; et pete ab eo, ut vias tuas dirigat, et omnia consilia tua in ipso permaneant; » itaque faciens filius Raphaelem angelum viæ ducem, Saram uxorem, opes amplas omniaque prospera impetravit, quin et patri visum restituit.

Hinc et Cassianus monet ut ante singulas actiones oremus : « Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina. » Unde illud ipsum orat Ecclesia initio singularum Horarum canonicarum; atque mane quotidie ad Primam cum Davide orat : « Sit splendor Domini Dei nostri super nos, et opera manuum nostrarum dirige super nos, et opus manuum nostrarum dirige. » Atque ad Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, recitat *Psal.* CXVIII, quo orat Psaltes ut Deus vias nostras in lege sua dirigat.

Ratio est, *primo*, quia, ut ait Salomon, *Sapient.* IX, 14 : « Cogitationes mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ : » ergo a suprema pru-

dentia Dei dirigendæ sunt, ejusque directio efflagitanda est.

Secundo, quia ad Dei providentiam spectat, omnium creaturarum, præsertim hominum, actiones dirigere : hocque ejus est objectum. Quare Dei munus invadit, eique injuriam facit, qui hoc sibi arrogat, quasi sine Deo solus sapere, seque et suas actiones sapienter dirigere possit.

Tertio, quia solus Deus novit eventus futuros, tam absolute, quam conditionate, quid scilicet eveniet, si hoc vel illud egero, aut non egero; quid ego in hac illave re, hoc aut illo loco, tempore, statu, conditione essem acturus, ac præsertim an bene victurus, perseveraturus, ac salvandus, an male victurus et damnandus. Ergo qui sapit, ad Deum recurrat, oretque assidue : Domine, qui omnium habes præscientiam et providentiam, dirige me recte ad salutem, per illas vias quæ peccati non habent scandalum, per illas semitas quibus præscis me certo perventurum ad gloriam, ad quam me creasti; atque diverte et arce a me vias illas, quas si ingrediar, præscis me peccaturum et damnandum; in hoc enim cardo salutis vertitur, inde pendet mea electio vel reprobatio, mea gloria vel damnatio. Sic directus fuit a Deo pius Abraham, per omnes peregrinationis suæ vias sospes et felix. Sic directus fuit Jacob, unde de eo ait Sapiens, cap. x : « Hæc (sapientia Dei) justum deduxit per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei (in Bethel), et dedit illi scientiam sanctorum, et honestavit (id est ditavit) illum in laboribus, et complevit labores illius. » Sic directus fuit a Deo Joseph, de quo eodem cap. dicitur : « Hæc venditum justum non dereliquit, etc., donec afferret illi sceptrum regni, etc., et dedit illi claritatem æternam. » Sic directus fuit Moses cum Hebræis per mare Rubrum, per desertum duce angelo columnæ præside 40 annis, donec pervenirent in terram promissam. Sic directus fuit Josue in omnibus bellis, quibus Chananæos delevit. Sic directus fuit Judas Machabæus cum paucis contra plurimos dimicans, semperque vincens, quia Dei ductum ante prælium semper implorabat, excepto ultimo in quo occubuit. Sic directus fuit Gregorius Thaumaturgus, qui fide in Deum nixus, omnia quæ aggrediebatur feliciter perficiebat, idque sæpe per miracula : ideoque cum Neocæsaream ad episcopatum veniens 17 tantum fideles invenisset, moriens 17 tantum in ea infideles reliquit. Sic directus fuit Theodosius, Carolus Magnus, Carolus V, aliique pii reges et principes in bellis, quæ contra Ecclesiæ suosque hostes felicissime gesserunt.

Vers. 18. 18. QUI AIT : OSTENDE MIHI GLORIAM TUAM. — Petierat Moses, vers. 13, dicens : « Ostende mihi faciem tuam : » concessit hoc ei Deus; hic ulterius petit dicens : « Ostende mihi gloriam tuam; » sed hoc abnuit et recusat Deus.

Quam gloriam Quæres, quam Dei gloriam videre petit hic Moses? Philo, *De Monarchia*, per gloriam intelligit ideas et potestates quæ sunt in Deo et mente Dei. *Secundo*, Tertullianus intelligit gloriam humanitatis Christi, quam ipse ostendit in transfiguratione, in monte Thabor coram Mose et Elia, de quo paulo post plura. *Tertio*, alii per gloriam intelligunt essentiam divinam, quasi hanc videre petierit Moses. Ita S. Hieronymus, vel quisquis est auctor Comment. *in S. Marcum*, cap. ult.; Rupertus, Lipomanus ac S. Augustinus, lib. XII *De Genes. ad litt.*, cap. XXVII, et Suarez, *De Deo trino et uno*, lib. II, cap. XXX, numer. 13. Imo S. Ambrosius, in *Psalm.* CXVIII, serm. 8, videtur sentire, quod Moses petierit Dei essentiam videre oculis corporeis : « Norat, ait, sanctus vates Domini, quod invisibilem Deum facie ad faciem videre non posset; sed devotio sancta mensuram supergreditur. Putavit ergo Deo etiam hoc esse possibile, ut corporeis oculis faceret, id quod est incorporeum, comprehendi. Grata cupiditas atque inexplebilis, quod Dominum suum manu tenere, et obtutu oculorum videre cupiebat. » Verum S. Ambrosius videtur loqui de visione essentiæ divinæ, non in se, sed in aliqua idea, specie vel figura corporata. Videtur enim ipse sensisse, Dei substantiam a nemine, ne a Beatis quidem, immediate ut in se est videri posse, sed tantum mediante aliqua luce, umbra, velo, vel specie, quod etiam videntur sensisse S. Chrysostomus *Contra Anomœos*, et S. Basilius, lib. I *Contra Eunomium* : reprehendit enim eum, quod doceret Dei substantiam uti in se est, ab homine videri posse : licet aliqui hoc limitent, addantque « viribus naturæ, et in hac vita. » Hoc enim volebat Eunomius, nimirum se similesque viros sapientes sua acie ingenii, et suis viribus in hac vita posse videre, imo comprehendere Deum uti est in seipso, quod merito impugnant SS. Basilius, Chrysostomus et Ambrosius.

Dei videre petiit Moses? Prima sententia. Secunda. Tertia.

Verum dico, Mosen hic tantum petiisse, ut Dominus, id est angelus Domini personam sustinens, qui caligine tectus cum eo loquebatur, illam amoveret, ut clare gloriam ejus, id est speciem exteriorem gloriæ illius, videre posset; idque ad hoc, ut clariorem divinæ majestatis cognitionem ex hac visione perciperet, utque populo gloriam hanc Dei referre et deprædicare posset. Sic vidimus cap. III, vers. 13, eumdem Mosem petiisse a Deo revelari sibi nomen Dei, ut illud populo proponeret. Loquebatur enim Dominus cum Mose voce corporea, sed ab eo ob caliginem non videbatur : cupiebat ergo Moses formam ejus, qui secum loquebatur, videre. Id tantum Mosen petiisse, patet ex responsione Domini dicentis : « Non poteris videre faciem meam, » scilicet gloriam meam, quam tantopere tu, o Moses, videre postulas. *Gloria* ergo est facies gloriosa, vel corpus gloriosum Dei, quod Moses non potuit videre in facie, sed tantum in tergo, uti mox dicam. Ita Abulensis, Oleaster et alii.

Quarta et genuina.

19. RESPONDIT : EGO OSTENDAM OMNE BONUM TIBI. Vers. 19.

— Hebraice, *ostendam bonum meum*. Multi per hoc *bonum* intelligunt divinam essentiam (hæc enim est omne bonum), quam Mosen in hac vita vidisse putant. Ita sentiunt S. Augustinus, *epistola* 112, cap. XII et XIII; Basilius, hom. 1 *Hexam.*, qui tamen illud revocat lib. I *Contra Eunonium*; Ambrosius, lib. I *Hexam.* cap. II; Lyranus, Abulensis, Beda, Hugo, S. Thomas, II II, *Quæst.* CXXXIV, art. 3; Durandus, in IV, dist. 46, *Quæst.* VI; Sixtus Senensis, lib. V, cap. XLI. Verum, ut in fine capitis ostendam, ex hoc loco nihil pro hac eorum sententia colligi potest. Unde

Dico : Deus hic concedit Mosi id quod ipse petierat, dicens : « Ostende mihi gloriam tuam; » hanc enim hic vocat *bonum Dei*, vel *omne bonum*; *bonum* ergo hic idem est quod præstantia, excellentia et pulchritudo, hoc est gloria Dei apparens in corpore assumpto, quæ Dei majestatem aliquo modo referat, quæque sit tanta, quantam capere possit mortalis Mosis oculus, *q. d.* Petis, o Moses, videre corpus meum gloriosum; ego illud tibi ostendam, non in facie, sed in tergo. Unde Chaldæus vertit, *ego transire faciam omnem gloriam meam super faciem tuam*; Hebræa habent, *transire faciam omne bonum meum ante faciem tuam*, quod sine dubio non est aliud quam illud quod paulo post subditur : « Cum transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, et videbis posteriora mea. » Ita Abulensis, Oleaster et Molina, qui sic explicat : « Ostendam tibi omne bonum, » id est perfectissimum et excellentissimum quiddam (1).

ET VOCABO IN NOMINE DOMINI. — Aliqui legunt, *et vocabor*, id est, et vocari me faciam vestrum Deum et ducem ex miraculis, quæ pro vobis faciam, inquit Hugo. Verum Hebræa, Chaldæa, Septuaginta et Romana Latina habent, *et vocabo*, hæcque est vera lectio, *q. d.* « Ego vocabo in nomine Domini, » id est ego inclamabo nomen Domini; cum videlicet transibo ante te in petra tectum et absconditum, inclamabo, ut scias me transire, ac respicias, meaque posteriora videas; inclamabo, inquam, epitheta nominis Dei, dicendo, ut dicitur cap. XXXIV, vers. 6 : « Dominator, Deus misericors et clemens, patiens et verax, » etc., idque ut doceam te modum invocandi et deprecandi me, meque his epithetis compellandi. Id patet ex Septuaginta qui vertunt, *vocabo, Dominus coram te*; et ex cap. XXXIV, vers. 6, ubi Dominus præstat Mosi id quod hic ei promittit, quod maxime liquet in Hebræo, in quo utrobique eadem est phrasis : « Vocabo, *ergo* in nomine Domini, » id est vocabo et inclamabo epitheta jam dicta nominis Domini, et vocando eadem invocare te tuosque docebo.

MISEREBOR CUI VOLUERO. — Hebræa, Septuaginta, et ex iis S. Paulus, *Rom.* IX, 15, habent : « Miserebor cui miserebor, » id est miserebor cui voluero, cui mihi placuerit vel libuerit. Hoc *primo*, sic exponit Abulensis, Vatablus et Lipomanus, *q. d.* Ostendam tibi omne bonum, non ob tua merita, sed ex liberali mea clementia et misericordia. *Secundo*, S. Chrysostomus, Theophylactus, Theodoretus, Œcumenius in cap. IX *ad Roman.*, sic exponunt, *q. d.* Ego vituli adoratores, quos volo, per Levitas vel meipsum mactabo; aliis vero, quibus volo condonare, miserebor et parcam.

Verum dico : genuinus hujus loci sensus est hic : Ego Deus transiens ante te, o Moses, vocabo et inclamabo nomen Domini, dicendo : « Dominator Domine, » aliaque Dei epitheta, sed maxime hoc : « Miserebor cui voluero, » id est, ego et clemens et misericors sum, sed liberrime; misereor enim ei cui voluero. Hoc enim epithetum clementiæ pluribus vocibus exprimitur in hoc Dei transitu, cap. XXXIV, vers. 6, ubi hæc vox sive vocatio Dei enarratur; ibi enim impletur id quod hic promittitur : vult enim Deus maxime hoc nomine clementiæ a nobis invocari, utque illa nitamur, non autem nostris meritis. Principem enim, regium et divinum animum maxime decet et ornat clementia. Tò ergo *et miserebor cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit*, technice sive materialiter accipiendum est : pendet enim quasi objectum a verbo *vocabo*.

Moral. clementia decet Deum et principes.

Moraliter, nota hic magnum et divinum quid esse clementiam. « Nullum magis decet clementia, quam principem, » ait Seneca, libro *De Clementia*, apud quem vide multa præclara de hac re; et Cicero, lib. I *Offic.* : « Nihil, ait, est laudabilius, nihil magno et præclaro viro dignius placabilitate atque clementia. » Et Ovidius, lib. III *Trist.* eleg. 5 :

> Quo quisque est major, magis est placabilis iræ,
> Et faciles motus mens generosa capit.
> Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni :
> Pugna suum finem, cum jacet hostis, habet.
> At lupus, et turpes instant morientibus ursi,
> Et quæcumque minor nobilitate fera est.

Julius Cæsar tanta clementia erga hostes et rebelles usus est, ut Marius non semel dixerit : « Cæsar, qui apud te audent dicere, magnitudinem tuam ignorant; qui non audent, humanitatem et clementiam. »

Augustus Cæsar Cinnam necem sibi machinantem vocans : « Ego, ait, te servavi in castris hostium repertum, ego tibi patrimonium omne concessi, ego te ornavi sacerdotio : cur me occidere voluisti? » Perturbato Cinna, sic finit orationem : « Vitam tibi, Cinna, iterum do, prius hosti, nunc insidiatori et parricidæ. Ex hodierno die inter nos incipiat amicitia; contendamus utrum ego meliori fide vitam tibi dederim, an tu mihi debeas. » Et consulatum obtulit. Vis exitum? Cinnam habuit perpetuo amicissimum, solus ille Cinnæ fuit hæres. Ita Suetonius in Vita Augusti.

(1) Cf. Drach, *De l'Harmonie*, etc. tom. I, p. 424 seq.

Alexander Magnus tam clemens victor, quam acer bellator fuit, ait Plutarchus.

Nero Imperator initio imperii ita clemens fuit, ut cum sententiæ cujusdam capite damnati subscribere deberet, exclamarit : « Utinam litteras nescirem! »

Titus Imperator fratrem Domitianum insidias molientem non est ultus, sed his verbis admonuit : « Quid opus te parricidio petere, quod me volente obventurum est, imo quod jam habes, imperii particeps? » Nonne recte ait Claudianus :

Cum vincamur ab omni
Munere, sola Deos æquat clementia nobis?

Aurelianus Imperator, teste Vopisco, cum Tyanam venisset, eamque occlusam reperisset, iratus dixit : « Canem in hoc oppido non relinquam. » Hac voce erecti milites in spem prædæ; urbe autem capta, militibus respondit : « Agite; canem me negavi relicturum, canes omnes occidite, » et sic promissis satisfecit, et clementer hostes suos tractavit.

Galieni junioris Imperatoris uxori quidam gemmas vitreas pro veris vendiderat; re comperta mulier flagitavit vindictam. Cæsar jussit hominem corripi, quasi leoni objecturus. Dein in arenam, dum impostor et populus exspectant terribilem leonem, prosiliit caper. Cunctis rem tam ridiculam mirantibus, per præconem dici jussit : « Imposturam fecit, et passus est. » Eadem opera refellit impostorem, et derisit uxorem. Ita Trebellius Pollio.

Alexander Severus Imperator, cum uxor Memmia, et mater Mammæa ei objicerent, « quod nimia clementia ejus potestas vilesceret, » respondit : « Sed securior est et diuturnior. » Idem Ovimum Camillum senatorem rebellantem, et tyrannidem affectantem, consortem imperii fecit, Cæsaremque creavit, ait Lampridius.

Rudolphus Imperator cum post morum mutationem clementior æquo suis videretur, ait : « Severum et immitem fuisse me aliquando pœnituit, lenem et placabilem nunquam. » Ita Æneas Sylvius, lib. II *Comment. de gestis Alfonsi.*

Alfonsus rex, teste Panormitano, dicebat : « Malo multos mea clementia servare, quam paucos mea severitate perdere. » Et rigidioribus : « Vultisne, ait, ut leones et ursi regnent? » Idem : « Mali, ait, citius benevolentia, quam severitate in viam virtutis revocantur. Ego, ait, justitia bonis gratus sum, malis autem clementia. » Sigismundus Cæsar, teste Ænea Sylvio in ejus Vita, « eos reges beatos dicebat, qui ejectis ex aula superbis mansuetos sibi asciscerent. »

Vers. 20. 20. NON POTERIS VIDERE FACIEM MEAM : NON ENIM VIDEBIT ME HOMO ET VIVET. — Loquitur de facie corporea et assumpta (hanc enim videre petebat Moses, uti dixi), qua se aliquatenus majestas et gloria Dei repræsentat, et videndam exhibet. De ea enim, non autem de facie, id est essentia, deitatis hic sermonem esse, patet ex eo quod sequitur : « Videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris. » Sensus ergo est, *q. d.* Cupis, o Moses, videre fulgorem faciei meæ, ut in facie videas eum qui tecum loquitur, cujusque voces audis; verum scito id fieri non posse : nam fulgor hic faciei meæ, licet corporeus et assumptus, quia tamen aliquo modo fulgorem essentiæ et majestatis meæ referre, adumbrare et repræsentare debet, hinc talis tantusque est, ut illum ferre non possit mortalis oculus, quin protinus hoc fulgore homo excæcetur, imo exanimetur et moriatur; hoc enim est quod ait : « Non videbit me homo et vivet. » Ita Abulensis.

Symbolice Nyssenus : « Non videbit me homo et vivet, » quia cognitio præsens, inquit, est finita, Deus autem est infinitus. Symbolice.

Tropologice S. Gregorius, lib. XVIII *Moral.* cap. XXXVII : Nullus unquam Deum spiritualiter videt, et mundo carnaliter vivit : non enim possumus simul Deo frui et mundo. Quomodo videatur Deus a castis mentibus in hac vita, vide S. Bernardum, serm. 31 *in Cant.*, et S. Ambrosium, lib. *De Bono mortis*, cap. XI. Tropologice.

Vers. 21. 21. ECCE, INQUIT, EST LOCUS APUD ME (1), ET STABIS SUPRA PETRAM; CUMQUE TRANSIBIT GLORIA MEA, PONAM TE IN FORAMINE PETRÆ, ET PROTEGAM DEXTERA MEA, DONEC TRANSEAM : TOLLAMQUE MANUM MEAM, ET VIDEBIS POSTERIORA MEA; FACIEM AUTEM MEAM VIDERE NON POTERIS. — S. Augustinus, *Quæst.* CLIV *in Exod.*, negat hic corporalem Dei, vel angeli speciem promissam fuisse a Deo, aut visam a Mose, sed meram fuisse prophetiam, eo quod postea Mosen reipsa corporaliter vidisse Deum non legamus. Posteriora ergo Dei visa a Mose, censet esse mysteria Christi post ejus ascensionem credita a Judæis. Prædicante enim Petro dixerunt : Quid faciemus? et baptizati sunt, et acceperunt Spiritum Sanctum, *Actor.* II, 37; denique in fine mundi omnis Israel salvus fiet. S. Augustinum sequitur Cajetanus dicens : Non promittitur res gerenda, sed parabola est : petra significat erectam ac fixam mentem, qua elevatus est Moses, ut intelligibiliter cognosceret Deum; manus Dei apposita petræ significat quædam attributa ei velata fuisse, et tantum ea ostensa quæ Deus voluit, per manum transparente quasi luce sua, ei demonstrare. Verum hic mysticus est sensus. Certum est ad litteram promitti Mosi visionem Dei, id est, angeli vicarii Dei in corpore assumpto, eamque illi reipsa obtigisse patebit cap. seq., vers. 5 et 6. Porro hanc petram esse illam ipsam, e qua Moses jussu Dei aquam populo elicuit, *Exodi* XVII, 6, censet S. Augustinus hic *Quæst.* CLIV, ita ut aqua ex petra in Sina, per quatuor milliara fluxerit in Raphidim, ubi erant castra Hebræorum. Idem censet Fernandius, visione 7, sect. 2, qui et addit petram

(1) Litter. *mecum*, id est, habeo locum paratum in hac rupe, sive monte Sinai...

hanc comitatam esse Hebræos in deserto per quadraginta annos, aut per se, aut per fluxum aquæ. Verum hæc incerta sunt.

Allegorice, petra est Ecclesiæ fideique soliditas, sine qua nemo Deum cognoscere potest, de qua Christus Petro, *Matth.* XVI : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. » Ita Theodoretus et S. Gregorius, lib. XXXV *Moral.* cap. VI. Nyssenus vero : « Christus, ait, currentibus est locus et via, infirmis lapis, domus quiescentibus. » Insuper S. Thomas, II II, *Quæst.* CLXXI, art. 2, per applicationem manus ad foramen putat significari modum quo Prophetæ communicatur lumen propheticum, tantum scilicet, quantum Deus vult. Unde sæpe Prophetæ dicunt : Facta est super me manus Domini; quia lumen propheticum non est permanens, nec plenum, sed transiens, et manu Dei attemperatum. Hoc mysticum est, uti paulo ante dixi in expositione Cajetani, qui eam a S. Thoma hausisse videtur. Rabbini fingunt in tergo Dei scripta fuisse ejus epitheta : « Dominator Domine Deus, misericors, » etc., quæ recensentur cap. XXXIV, vers. 6.

Dicit ergo Deus : In Sina est petra cava, in cujus cavitate latere potes, o Moses, quæque tegi potest anterius; ego igitur in ea te collocabo, nubeque contegam, donec transeat facies mea gloriosa, tuncque nubem amovebo, ut possis videre posteriora, id est tergum meum; nam faciem meam videre non poteris, quin protinus vibrantibus ex ea majestatis meæ splendoribus exanimeris. Id ita factum esse patet cap. XXXIV, vers. 5 et 6.

Vers. 22. 22. PROTEGAM DEXTERA MEA, DONEC TRANSEAM, — *q. d.* Dextera mea nubem, vel corpus aliud opacum apponam, et opponam cavernæ, in qua latebis, o Moses, idque ne videas gloriam faciei meæ, transeuntis ante te, et moriaris.

Vers 23. 23. TOLLAMQUE MANUM MEAM, ET VIDEBIS POSTERIORA MEA, — *q. d.* Cum facies mea transierit, amovebo nubem quæ tegit te in caverna, ut tergum meum intuearis. Hinc videtur corpus hoc in quo Deus apparuit Mosi, non ab angelo, sed a solo Deo fuisse compositum, ornatumque tanto lumine anterius, ut solem longe vinceret : in tergo vero ita fuit lux hæc attemperata, ut eam Mosis aspectus ferret, eaque mirifice recrearetur; ita tamen hac luce aspersa et perfusa fuit facies Mosis, ut ex ea radiare, et cornuta esse cœperit, uti dicam cap. sequenti.

Dico a solo Deo formatum esse hoc lucidum corpus, non ab angelo, quia non est verisimile angelos posse per se immediate lucem producere, aut tantum luminis coacervare, quod solari æquiparetur.

Nota : Hoc corpus lucidum a Deo ita compositum subiit et ingressus est angelus, illudque movit, ut transiret ante cavernam in qua latebat Moses.

Secundo, angelus hic idem fuit cum eo, qui Hebræos ex Ægypto eduxit, præivitque in columna nubis, quique præerat tunc populo et Synagogæ, nunc autem præest Ecclesiæ, puta S. Michael.

Hunc esse litteralem hujus loci sensum, tota series orationis loquitur; item quod cap. seq., vers. 5 et 6, Dominus adimplens id quod hic promittit Mosi, revera et corporaliter transeat ante Mosen, ostendens ei tergum suum. Simili quodam modo S. Pachomius corporeis oculis vidit gloriam Domini, ut habet ejus Vita (1).

Allegorice, tamen sensus hic est potior, et magis intentus a Spiritu Sancto. Unde S. Augustinus, *Quæst.* CLIV, dicit hic esse prophetiam de Christo : facies enim Domini significat divinitatem Christi : hanc non viderunt Judæi cum Christum crucifixerunt, sed postquam Christus transivit per mortem et resurrectionem ad Patrem; tunc multi eorum posteriora hæc ejus viderunt, et crediderunt. Allegorice.

Tropologice Nyssenus : In hac, inquit, vita Deum videre non possumus; iste tamen videt posteriora Dei, qui supra petram, id est Christum, stat, quique corde et animo semper Deum sequitur, quocumque ducat, juxta illud Psaltis : « Adhæsit anima mea post te, me suscepit dextera tua; » et Christi : « Si quis vult venire post me, abneget semetipsum. » Rursum : « Veni, sequere me. » Sequi enim Deum mente, voluntate et actione, semper et ubique quocumque ducat, idipsum est Deum videre. Tropologice.

Symbolice, posteriora Dei sunt effectus et creaturæ Dei, e quibus solis Mosi et nobis in hac vita Deum speculari conceditur. Ita Philo, Anastasius in *Quæst. S. Scripturæ*, Quæst. XXIII; Irenæus, lib. IV, cap. XXXVII, Hilarius in *Psal.* CXIII. « Ex perpetuitate, ait S. Augustinus, creaturarum intelligitur Creator æternus, ex magnitudine omnipotens, ex ordine et dispositione sapiens, ex gubernatione bonus. »

Symbolice quoque, alii putant hic præsignatam et promissam esse Mosi visionem humanitatis Christi in transfiguratione, in monte Thabor; humanitas enim inferior et posterior est Christi pars, divinitas vero est prior et potior. Ita Tertullianus, lib. IV *Contra Marc.* XXII; Nazianzenus, orat. 2 *De Theologia;* Origenes hic *homil.* 12, et homil. 7 *in Num.* : de quo vide S. Augustinum, lib. II *De Trinitate*, cap. XVII, et Bernardum, serm. 61 *in Cantica.* Symbolice.

Rursum S. Ambrosius in *Psal.* XLIII, 24 : Moses, inquit, vidit posteriora Christi; vidit splendorem ejus ut homo est, vidit ejus gloriam passionis, per quam regnum nobis cœleste reparavit. Unde colligit Fernandius, visione 7, sect. 3, Mosen vidisse Christum flagellis cæsum, et spinis coronatum, qualem Pilatus populo exhibuit, dicens : « Ecce homo; » item vidisse eum cruci affixum. Unde exclamavit, cap. XXXIV, vers. 6 : « Misericors, clemens, multæ miserationis, » etc. Et huc allusisse S. Petrum, *epist.* I, cap. I, vers. 11, cum Prophetas

(1) Cf. *Iliad.* XIII, 71; *Æneid.* I, 401.

Spiritu Dei prænuntiasse ait eas, « quæ in Christo sunt passiones, et posteriores glorias, » ubi *et* significat *id est, q. d.* Passiones Christi sunt posteriores ejus gloriæ, quæ scilicet in tergo Domini glorioso ostensæ sunt Mosi. Verum hoc symbolicum est et mysticum, non litterale, ideoque incertum et conjecturale.

Ex dictis patet nullo modo ex hoc capite colligi posse quod Moses viderit divinam essentiam; neque enim Moses hoc petiit, neque si petiit, impetravit. Nam Dominus ei diserte respondet dicitque: « Faciem meam videre non poteris; » estque hæc aliorum Patrum pene omnium sententia, quos citat L. Molina, Valentia et alii, I part., *Quæst.* XII.

CAPUT TRIGESIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Moses reparatis tabulis redit in montem; Deus coram eo transit; videt Moses Dei posteriora sive tergum Hinc secundo, vers. 10, *renovat Deus fœdus cum Hebræis, legesque suas iterat. Tertio, vers.* 28, *tabulis a Mose allatis Deus decalogum inscribit. Quarto, vers.* 29, *Moses cornuta facie cum tabulis ad populum redit, timet ille et fugit : hinc Moses velat faciem, itaque ipse velatus cum populo, et populus cum eo loquitur.*

1. Ac deinceps : Præcide, ait, tibi duas tabulas lapideas instar priorum, et scribam super eas verba, quæ habuerunt tabulæ quas fregisti. 2. Esto paratus mane, ut ascendas statim in montem Sinai, stabisque mecum super verticem montis. 3. Nullus ascendat tecum, nec videatur quispiam per totum montem : boves quoque et oves non pascantur e contra. 4. Excidit ergo duas tabulas lapideas, quales antea fuerant; et de nocte consurgens ascendit in montem Sinai, sicut præceperat ei Dominus, portans secum tabulas. 5. Cumque descendisset Dominus per nubem, stetit Moyses cum eo, invocans nomen Domini. 6. Quo transeunte coram eo, ait : Dominator Domine Deus, misericors et clemens, patiens et multæ miserationis, ac verax, 7. qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem, et scelera atque peccata, nullusque apud te per se innocens est. Qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus, in tertiam et quartam progeniem. 8. Festinusque Moyses curvatus est pronus in terram, et adorans 9. ait : Si inveni gratiam in conspectu tuo, Domine, obsecro ut gradiaris nobiscum (populus enim duræ cervicis est), et auferas iniquitates nostras atque peccata, nosque possideas. 10. Respondit Dominus : Ego inibo pactum videntibus cunctis, signa faciam quæ nunquam visa sunt super terram, nec in ullis gentibus : ut cernat populus iste, in cujus es medio, opus Domini terribile quod facturus sum. 11. Observa cuncta quæ hodie mando tibi : ego ipse ejiciam ante faciem tuam Amorrhæum, et Chananæum, et Hethæum, Pherezæum quoque et Hevæum, et Jebusæum. 12. Cave ne unquam cum habitatoribus terræ illius jungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam; 13. sed aras eorum destrue, confringe statuas, lucosque succide : 14. noli adorare deum alienum. Dominus zelotes nomen ejus, Deus est æmulator. 15. Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum : ne, cum fornicati fuerint cum diis suis, et adoraverint simulacra eorum, vocet te quispiam ut comedas de immolatis. 16. Nec uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis : ne, postquam ipsæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant et filios tuos in deos suos. 17. Deos conflatiles non facies tibi. 18. Solemnitatem azymorum custodies. Septem diebus vesceris azymis, sicut præcepi tibi, in tempore mensis novorum : mense enim verni temporis egressus es de Ægypto. 19. Omne quod aperit vulvam generis masculini, meum erit. De cunctis animantibus, tam de bobus, quam de ovibus, meum erit. 20. Primogenitum asini redimes ove : sin autem nec pretium pro eo dederis, occidetur. Primogenitum filiorum tuorum redimes; nec apparebis in conspectu meo vacuus.

21. Sex diebus operaberis, die septimo cessabis arare et metere. 22. Solemnitatem hebdomadarum facies tibi in primitiis frugum messis tuæ triticeæ, et solemnitatem quando redeunte anni tempore cuncta conduntur. 23. Tribus temporibus anni apparebit omne masculinum tuum in conspectu omnipotentis Domini Dei Israel. 24. Cum enim tulero gentes a facie tua, et dilatavero terminos tuos, nullus insidiabitur terræ tuæ, ascendente te, et apparente in conspectu Domini Dei tui ter in anno. 25. Non immolabis super fermento sanguinem hostiæ meæ, neque residebit mane de victima solemnitatis Phase. 26. Primitias frugum terræ tuæ offeres in domo Domini Dei tui. Non coques hædum in lacte matris suæ. 27. Dixitque Dominus ad Moysen : Scribe tibi verba hæc, quibus et tecum et cum Israel pepigi fœdus. 28. Fuit ergo ibi cum Domino quadraginta dies et quadraginta noctes : panem non comedit, et aquam non bibit, et scripsit in tabulis verba fœderis decem. 29. Cumque descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonii, et ignorabat quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini. 30. Videntes autem Aaron et filii Israel cornutam Moysi faciem, timuerunt prope accedere. 31. Vocatique ab eo, reversi sunt tam Aaron quam principes Synagogæ. Et postquam locutus est ad eos, 32. venerunt ad eum etiam omnes filii Israel : quibus præcepit cuncta quæ audierat a Domino in monte Sinai. 33. Impletisque sermonibus, posuit velamen super faciem suam. 34. Quod ingressus ad Dominum, et loquens cum eo, auferebat donec exiret, et tunc loquebatur ad filios Israel omnia quæ sibi fuerant imperata. 35. Qui videbant faciem egredientis Moysi esse cornutam, sed operiebat ille rursus faciem suam, si quando loquebatur ad eos.

Vers. 1. 1. AC DEINCEPS, — supple locutus est Mosi Deus, atque sermonem suum prosequens, eum tandem complevit inscriptione secundarum tabularum.

PRÆCIDE (hebraice *dola*) TIBI DUAS TABULAS LAPIDEAS. — Priores tabulas dederat Deus, easque inscripserat Decalogo; verum quia eas Hebræi violarant et infregerant fabricando vitulum aureum, hinc in pœnam peccati jubet hic Deus, ut secundas has ipsimet comparent, easque Deo inscribendas offerant, supplicesque postulent in iis sibi denuo scribi legem a Deo.

Vers. 2. 2. ESTO PARATUS MANE, UT ASCENDAS STATIM IN MONTEM SINAI. — Hinc videtur quod Deus Mosi hæc pridie ascensus dixerit sub tempus matutinum, quodque tum statim descenderit Moses de monte ad castra, ibique præciderit et dolaverit per artifices duas tabulas lapideas, atque edixerit populo, ne quis ad montem accederet; deinde sequenti nocte rursus in montem conscenderit, ut mane proximo se Deo cum tabulis sisteret, ut eis Deus sua manu Decalogum inscriberet; quod et mox eodem die, qui fuit quadragesimus ab ascensu Mosis in montem, Deus fecit; unde sequitur, præcedenti die, qui fuit trigesimus nonus, Mosen descendisse de Sina, ut tabulas legis præcideret, et ad Deum afferret, uti ei hic præcipit Deus. Ita Abulensis.

Vers. 3. 3. BOVES QUOQUE ET OVES NON PASCANTUR E CONTRA, — e regione montis. Voluit hæc omnia Deus, ut duro et rudi populo sui timorem et reverentiam incuteret.

Vers. 5. 5. CUMQUE DESCENDISSET DOMINUS PER NUBEM, STETIT MOYSES CUM EO. — « Stetit, » scilicet Moses inclusus cavernæ, tectusque nube, in qua descendebat Deus, ut eum tegeret dum transiret, ne Moses videret faciem, sed tergum Domini, uti in fine capitis præcedentis Deus Mosi promiserat.

Vers. 5 et 6. 5 et 6. INVOCANS NOMEN DOMINI. QUO TRANSEUNTE AIT : DOMINATOR DOMINE DEUS, MISERICORS, etc. — « Ait, » quis? incertum est, an Moses, an Dominus. Hebræa utrique aptari possunt : sic enim habent ad verbum, *et descendit Dominus in nube, et stetit cum eo, et invocavit nomen Domini* (quod noster Interpres de Mose accepit : vertit enim, *stetit Moses cum eo invocans nomen Domini*), *et transivit Dominus ante faciem ejus, et clamavit : Domine, Domine*, etc.

Verum melius hæc aptentur Domino, ut Dominus ipse clamarit, dicens : « Dominator Domine, » etc. Unde in Hebræo et Septuaginta verba sunt tertiæ personæ, non autem secundæ, licet noster Interpres in secunda transtulerit claritatis causa. Quod enim Dominus hæc clamarit et dixerit, patet ex cap. præced., vers. 19, ubi dixit Dominus : « Vocabo in nomine Domini, » id est, inclamabo nomen Domini, dicens : « Dominator Domine, » etc. Idem patet *Num.* cap. XIV, vers. 17, ubi dicitur : « Sicut jurasti dicens : Dominus patiens, et multæ misericordiæ. » Ubi hoc dixit Deus, nisi hic? unde et Moses hic vers. 8, demum post hæc Domini verba corruens in terram, orare cœpit Dominum. Ita Abulensis, Oleaster, Vatablus, Cajetanus et Lipomanus.

Quare quod noster Interpres vertit, « quo transeunte ait; » *ait*, intellige *Dominus*, idque ex Hebræorum more, qui suppositum verbi non sem-

per accipiunt substantivum illud, quod proximum est, sed sæpe remotius revocant, uti videbimus hoc capite, vers. 28, et alibi.

Dominus ergo inclamavit Mosi dicens : *Dominator Dominus,* ut vertunt Septuaginta; vel uti clarius vertit Noster : *Dominator Domine,* non quasi seipsum invocaret aut oraret Deus, sed ut formulam invocandi se Mosi traderet; sicut fecit Christus Apostolis, cum dixit : « Sic ergo orabitis : Pater noster, qui es in cœlis, » etc. Pari modo fecit hic Deus Mosi, *q. d.* Sic me tu cum tuis invocabis, sic me deprecaberis : « Dominator Domine, qui custodis misericordiam in millia, » etc. Ita Abulensis.

Secundo, si verba nostri Interpretis de Mose velis accipere, tanquam ab eo prolata, dicito Deum transeuntem coram Mose hæc verba primo protulisse, deinde Mosem Deum secutum secundo illa pronuntiasse, ut ab eo hæc Dei verba iterata fuerint. Unde dixi cap. præc., τὸ *vocabo in nomine Domini* sic intelligendum esse, *q. d.* Vocando nomen Domini, illud idem invocare te docebo; itaque noster Interpres utrumque significare voluit, scilicet et Deum protulisse hæc verba : idque capite præcedenti satis expressit versu illo 19; et deinde Mosen ex Dei doctrina eadem repetiisse et recitasse : idque hoc loco dicit. Qua forte de causa Hebræa hic ambigua sunt, ut utrique, scilicet tam Mosi quam Deo aptari possint. Simile est *Matth.* cap. XXI, vers. 41, ubi principes sacerdotum et seniores dixisse narrantur : « Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis, » cum tamen *Marci* cap. XII, vers. 9, et *Lucæ* cap. XX, vers. 16, Dominus ipsemet hæc verba dixisse narretur; ubi Matthæus et Marcus ita conciliandi sunt, ut dicamus verba ista prius dicta esse a senioribus, ut ait Matthæus, deinde Christum eamdem repetiisse, ut eos suo responso coargueret, quod aiunt Marcus et Lucas. Ita Lipomanus.

Duodecim epitheta Dei quibus invocandus est.

DOMINATOR DOMINE. — Duodecim nomina quasi epitheta hic Deus sibi dat, quibus vult a nobis compellari et invocari, quia, ut aiunt Hebræi, hæc epitheta in Deo dicunt ordinem ad homines, hominumque salutem. *Primum* est, « Dominator Domine, » pro quo hebraice est, *Jehova,* vel potius *Jeheva,* quod est nomen tetragrammaton. *Secundum,* « Deus. » *Tertium,* « misericors. » *Quartum,* « clemens. » *Quintum,* « patiens. » *Sextum,* « multæ miserationis. » *Septimum,* « verax, » scilicet in promissis. *Octavum,* « qui custodis misericordiam in millia. » *Nonum,* « qui aufers iniquitatem. » *Decimum,* « nullus apud te per se innocens est. » *Undecimum,* « qui reddis iniquitatem patrum filiis. » *Duodecimum,* « ac nepotibus in tertiam et quartam generationem, » de quo dicam *Deut.* V, 9.

Misericordia Dei multiplex.

MISERICORS ET CLEMENS. — Hanc Dei misericordiam deprædicat S. Chrysostomus, homilia *in Psal.* L : « Impius, inquit, es? Magos tibi propone : » hos enim infideles Christus per stellam ad se vocavit. « Raptor es? publicanum cogita. Impurus es? animo tuo meretrix sese objiciat. Sicarius es? latro ille ante oculos tuos versetur. Flagitiosus es? in mentem tibi veniat Paulus, qui prius blasphemus erat, postea Apostolus; prius persecutor, postea Evangelista; prius lupus, postea pastor. Peccasti? resipisce. Millies peccasti? millies resipisce. »

Et S. Bernardus, serm. *De triplici misericordia* : « Magnus, ait, peccator magna misericordia opus habet; ut ibi abundavit delictum, superabundet et gratia. Hujus tres sunt gradus : *Primus,* cum tardat ferire Deus, ignoscere paratus. *Secundus,* quando dat gratiam resipiscentiæ. *Tertius,* quando peccati jugum a conscientia excutit. »

Idem de evangelio septem panum *serm.* 2 et 3 : « Misericordias, ait, Domini in æternum cantabo, » maxime septem. *Primo,* a multis peccatis adhuc in sæculo positum me custodivit; fateor et fatebor, nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus cecidisset in omne peccatum anima mea. *Secundo,* ego peccabam, et tu dissimulabas; non continebam a sceleribus, et tu a verberibus abstinebas; prolongabam ego multo tempore iniquitatem meam, et tu, Domine, pietatem tuam. *Tertio,* visitavit cor meum, et immutavit ut amara fierent quæ male dulcia prius erant. *Quarto,* pœnitentem misericorditer suscepit. *Quinto,* emendatius vivendi præstitit virtutem, ne recidivum paterer, et esset novissimus error pejor priore. *Sexto,* odium creavit in me præteritorum malorum, contemptum præsentium bonorum, et desiderium futurorum. *Septimo,* spem dedit obtinendi vitam æternam.

Prima misericordia consistit in occasionis subtractione, resistendi data virtute, affectionis sanitate. *Secunda* complectitur longanimitatem quam Deus exhibuit, electionem prædestinationis suæ quam impleri voluit, et immensam charitatem qua nos dilexit. *Tertia,* Deus concussit cor meum, excitans illud, ut adverteret suorum vulnera peccatorum, et vulnerum sentiret dolorem; terruit, deducens ad portas inferi, et præparata iniquis supplicia monstrans; mihi consolationem inspirans, spem indulgentiæ dedit. *Quarta,* Deus non damnat ulciscendo, non confundit improperando, nec minus diligit imputando. *Quinta,* Deus tuetur nos adversus carnis, mundi, Satanæ insidias omnes. *Sexta* exposita est. *Septima,* nulla penuria meritorum, nulla consideratio propriæ vilitatis, nulla æstimatio cœlestis beatitudinis, me ab altitudine spei dejicere possit in ea firmiter radicatum. Hæc et plura sparsim S. Bernardus loco citato.

Idem, *serm.* 52 inter parvos : Quando, inquit, ad Deum convertimur, pedes Domini osculamur. Duo sunt autem pedes Domini, misericordia et veritas. Et serm. 6 *in Cantic.* : Alterum, inquit, sine altero osculari non licet; quia et recordatio solius judicii in barathrum desperationis præcipitat, et misericordiæ fallax assentatio pessimam generat securitatem.

Latinares sunt placidi, cur?

PATIENS. — Hebraice est אֶרֶךְ אַפַּיִם *erech appaim*, *longus*, id est latus, *naribus*, hoc est tardus ad iram, sive μακρόθυμος et longanimis. Nam qui angustis sunt naribus, fumos ex corde ascendentes et choleram citius concipiunt, ac tardius efflant ob meatuum angustias, ideoque in bilem sunt procliviores : e contrario qui latis sunt naribus, meatus habent amplos, quibus choleram et fumos expirant, quibusque multum frigidi aeris admittunt quo temperatur ille æstus et bilis : unde hi placidiores sunt, magis patientes et longanimes. Ita Ribera in *Nahum.* cap. I, num. 9.

Morale, qui patiens est, potens est.

Moraliter disce hic Deum summe potentem, summe quoque esse patientem. Nam impatientia magna est animi impotentia; patientia vero est potentia. Audi Boetium, lib. III, metro 5 :

> Qui se volet esse potentem,
> Animos domet ille feroces,
> Nec victa libidine colla
> Fœdis submittat habenis.
> Etenim licet Indica longe
> Tellus tua jura tremiscat,
> Et serviat ultima Thule :
> Tamen atras pellere curas,
> Miserasque fugare querelas
> Non posse, potentia non est.

Diogenes adolescenti conquerenti, quod a multis turbaretur : « Desine, ait, et tu perturbationis indicia præ te ferre. » Idem, cum aliquis ei dixisset : Vituperant te multi : « Oportet, ait, sapientem ab insipientibus feriri; esse meliorem indicat lingua quem carpit. » Xenophon, teste Seneca, maledicenti sibi cuidam : « Tu, ait, maledicere didicisti, ego conscientia teste didici maledicta contemnere. » Antisthenes dicebat, « virtutem sibi sufficere ad felicitatem, nec ulla re opus habere nisi robore Socratico. » Socrates autem ad omnium rerum patientiam obduruerat.

NULLUSQUE APUD TE PER SE INNOCENS EST, — *q. d.* Ergo omnes egent tua, o Domine, misericordia, venia et gratia. *Num.* cap. XIV, 18, Noster interpres eadem verba quæ hic sunt in Hebræo, ita vertit, *nullumque innoxium derelinquens*, id est, qui omnes censes noxios, reos, tibique reatu aliquo obnoxios et obstrictos, ob culpam originalem, vel mortalem, aut venialem, intellige per se, seu quantum est ex parte hominis : nam si aliquem Deus sua gratia præservet (uti de B. Virgine pie credit Ecclesia), innocens omnino quis esse poterit. Ita Abulensis. Posset *secundo*, ex Hebræo sic verti, *nullumque innoxium*, id est impunitum, *derelinquens*. Hebr. enim נָקֹה *naka* significat et innocentem esse, et impunitum esse : hoc enim ex illo sequitur (1).

Vers. 9.

9. OBSECRO UT, etc., AUFERAS INIQUITATES NOSTRAS. — Prævidebat Moses Judæos cervicosos deinceps sæpius Deum offensuros; rogat ergo eum ut illis propitius sit, nec eos omnino deserat aut abjiciat propter peccata futura; sed eos, tanquam hæreditatem suam, ut habent Hebræa, firmiter possideat et tueatur; unde hic Judæos docet eodem nomine Deum compellare, invocare, et crebro ab eo veniam peccatorum petere.

Vers. 10.

10. RESPONDIT DOMINUS : EGO INIBO PACTUM VIDENTIBUS CUNCTIS, SIGNA FACIAM QUÆ NUNQUAM VISA SUNT. — Hebraice est, *ego ferio fœdus coram omni populo*, qui scilicet videt te hac (fœderis) causa ascendere in montem, et jam scit te hic mecum in monte eadem de causa versari, et nubem, atque alia forsan signa similia illis quæ edita sunt in priori fœdere, cap. XXIV, 17, intuetur, intuebiturque faciem tuam cornua lucis vibrantem, quando fœderis conditiones, videlicet has meas leges, et tabulas digito meo inscriptas ei propones.

Rursum, « inibo pactum videntibus cunctis, » scilicet sequentibus temporibus continue pactum hoc confirmando signis admirandis, quæ deinceps ea de causa in populi tutelam edam; ut maxime patuit tempore Josue in ejus bellis, et victoriis portentosis.

Fœdus porro Dei cum populo hic renovatum, fuit idem cum priori fœdere, ut scilicet Deus esset populi dominus et protector, populus vicissim soli Deo serviret et obediret : quorum utrumque significabatur datione et acceptione, sive acceptatione legis : Deus enim dabat tabulas legis, populus vero eas accipiebat et acceptabat.

Nota : Moses die 40 ab ascensu suo in montem, summo mane vidit illam visionem et gloriam Dei transeuntis, sed a tergo, de qua hic vers. 6, et cap. præcedenti, vers. 19 et 22; inde Deus rursum nube se tegens, collocutus est cum Mose, ac fœderis conditiones, puta leges suas, ei vers. 11 et seq. proponit, atque hoc ipso fœdus cum Mose et populo init, ac tandem dat Mosi tabulas Decalogi a se inscriptas, quasi symbolum et confirmationem fœderis : quibus acceptis Moses eodem die quadragesimo, ex monte ad populum cum tabulis descendit.

Vers. 11.

11. OBSERVA CUNCTA QUÆ HODIE MANDAVI TIBI. — « Tibi, » o populе meus : loquitur enim hic Deus Mosi, ut internuntio populi, ejusque personam sustinenti.

Vers. 14.

14. DOMINUS ZELOTES NOMEN EJUS, — τὸ *ejus* per hebraismum redundat, et ejus loco substituendum est τὸ *Dominus* in genitivo, ut dicas : « Domini nomen est zelotes, » id est, ut sequitur : Dominus est zelotes, æmulator honoris sibi debiti, nec patitur suum populum ad idola, quasi ad amasios deflectere.

Nota hebraismum, habere nomen, vel vocari, significat esse, ut jure hoc nomine vocari possit; sic de Christo dicitur : « Et vocabitur nomen ejus Emmanuel, admirabilis, consiliarius, fortis. » Item : « Accelera spolia detrahere, festina præ-

(1) Maurer, *et condonans non semper condonabit*, id est, qui quamvis clemens sit, et peccatorum pœnas remittat, tamen non semper peccatorem impunitum dimittet. Cf. *Isai.* XXX, 19.

dari, » *Isaiæ* VIII et IX, hoc est, Christus erit Emmanuel, id est nobiscum Deus, erit consiliarius, erit fortis, celeriter spolia detrahet, festine prædabitur. Vide can. 18.

Vers. 15. 15. NE CUM FORNICATI FUERINT CUM DIIS SUIS. — « Fornicati fuerint, » id est, deos sive idola coluerint. Sæpe Scriptura, maxime in Prophetis, idololatriam vocat fornicationem, eo quod homines divitiarum, voluptatum et licentioris vitæ spe ac libidine cæci, a Deo recedentes, idolis quasi amatoribus se corrumpendos subjicerent et traderent. Vide cap. II et III *Jeremiæ*, et cap. XVI *Ezechielis*.

Idololatria est fornicatio animæ.

E contrario Apostolus, II *Corinth.* XI, 2, fidelibus rite Deum colentibus ait : « Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo. »

UT COMEDAS DE IMMOLATIS, — itaque alliciaris ad immolandum; nam comedere idolothyta non est per se malum, nisi fiat eo modo, v. g. inter ipsa sacrificia in idoliis, ut censeatur quis hoc ipso consentire ipsi sacrificio idolis immolato ; est tamen malum et illicitum per accidens, videlicet propter periculum, aut conscientiam errantem, aut scandalum : quod maxime locum habebat apud Judæos. Vide de idolothytis dicta initio cap. VIII epist. I *ad Cor.* Reliquæ leges hic summatim iterantur ex cap. XXIII, ubi eas explicui.

Vers. 21. 21. DIE SEPTIMO CESSABIS ARARE ET METERE, — *q. d.* Etiamsi tempus messis aut arationis sit, quod præ aliis maxime operosum esse solet, sabbato tamen cessabis, nec eo metes vel arabis. Patet ex Hebræo.

Vers. 22. 22. SOLEMNITATEM HEBDOMADARUM FACIES TIBI IN PRIMITIIS FRUGUM, — *q. d.* Celebrabis festum Pentecostes post hebdomadem hebdomadarum, id est post 7 hebdomadas, puta post 49 dies, quinquagesimo die a Paschate, in eoque offeres primitias panum Deo.

ET SOLEMNITATEM, QUANDO REDEUNTE ANNI TEMPORE CUNCTA CONDUNTUR, — scilicet festum collectæ in mense 7, quo annus priscus et vulgaris incipiebat, de quo cap. XXIII, 16.

Vers. 24. 24. CUM DILATAVERO TERMINOS TUOS, — cum latos quos promisi tibi, dedero terminos : quod factum est statim tempore Josue post primam quietem a bellis; itaque, ut hinc colligitur, ante hanc quietem non obligabantur Hebræi hoc præcepto, eundi ter in anno ad tabernaculum, idque quia iter periculosum erat, et quia ipsi adhuc bellis cum indigenis distinebantur.

NULLUS INSIDIABITUR TERRÆ TUÆ, ASCENDENTE TE, ET APPARENTE IN CONSPECTU DOMINI DEI TUI TER IN ANNO, — hebraice est, *nullus concupiscet terram tuam*, ut videlicet eam te absente invadat, eique insidietur, *q. d.* Ne metuas hostes, cum obedis legi meæ, ut ascendas, id est eas ad Sanctuarium meum, quasi illi te absente urbes, masculis et bellatoribus vacuas invasuri sint : ego enim illos frænabo et divertam, ut eam nec concupiscant, nec cogitent. Ita Abulensis.

25. NON IMMOLABIS SUPER FERMENTO, — cum fermento. Vide dicta cap. XXIII, vers. 18. Vers. 25.

NEQUE RESIDEBIT MANE DE VICTIMA SOLEMNITATIS PHASE. — *q. d.* Non remanebit quidquam ex agno paschali in crastinum, sive in posterum mane; sed eodem die quo agnum immolabitis, eumdem totum comedetis. Vide dicta cap. XII, vers. 20.

27. SCRIBE VERBA HÆC, — hæc præcepta cæremonialia jam a me repetita, cum descenderis de monte, scribe in libro quopiam, in perpetuam memoriam cultus mei et fœderis. Ita scripsit ea Moses hic in libro *Exodi*. Vers. 27.

QUIBUS. — Hebraice, *juxta quorum os*, id est tenorem et rationem, inii tecum et cum populo tuo fœdus, ut videlicet illi sint populus mihi devinctus hoc cultu, et his cæremoniis; ego vicissim sim eorum Deus, tutor et provisor.

28. FUIT ERGO IBI CUM DOMINO QUADRAGINTA DIES. — Est secunda hæc Mosis mansio et statio in monte Sina per 40 dies. *Prima* enim totidem dierum fuit, cap. XXIV, vers. ult., in qua dicta et gesta sunt ea, quæ narrantur a cap. XXIV, vers. ult. ad cap. XXXII, vers. 15. *Secunda* vero hæc cœpit postridie quam Moses ex prima descenderat : postridie enim rursus ascendit in Sina, ibique mansit 40 dies. Hæc secunda Mosis statio continet dicta a vers. 31 cap. XXXII, hucusque : colloquia ergo præcedentia Dei cum Mose, quæ hactenus narrata sunt, contigerunt spatio horum 40 dierum, quibus secundo Moses mansit in monte, ut ex hoc loco patet. Vers. 28.

Nota : Moses primo ascendit in montem statim a data lege in Pentecoste, puta postera die (uti colligitur *Exodi* XXIV, vers. 12), quæ fuit septima mensis tertii : data est enim lex die sexta mensis tertii; inde Moses mansit cum Deo in monte 40 dies; mox descendit cum tabulis legis, quas a Deo acceperat, easque viso vitulo confregit 17 die mensis quarti; postera, scilicet 18 die, rursum ascendit ad Deum in Sina, ut patet cap. XXXII, vers. 30 et 31, ibique rursum mansit alios 40 dies, ut patet cap. XXXIV, vers. 28 : quibus evolutis accepit a Deo secundas legis tabulas, cum iisque cornutus descendit ad populum 28 die mensis quinti. Chronologia 40 dierum quibus secundo Moses fuit in Sina.

PANEM NON COMEDIT, ET AQUAM NON BIBIT, — id est, nihil omnino cibi sumpsit, sola oratione et Dei alloquio vivens. Solent enim Hebræi duabus partibus, sive rebus necessariis et sufficientibus ad famem et sitim levandam, videlicet aqua et pane, significare omnem cibum. Ita Augustinus, *Quæst.* CLXV, et S. Hieronymus in *Isaiæ* III. Jejunavit ergo Moses bis 40 dies, videlicet semel ante primam, et secundo ante secundam tabularum legis conscriptionem et acceptionem : de qua jejunii dispositione et virtute, vide S. Maximum, hom. 3 *De jejunio Quadragesimæ;* S. Hieronymum, lib. II *Contra Jovin.;* Chrysostomum, serm. 1 *De jejunio;* Cyprianum, tract. *De jejunio et tentationibus Christi*, et præ omnibus S. Basilium, serm. 1

De jejunio, et ex eo S. Ambrosium, lib. *De Elia et jejunio*. Audi pauca e multis.

« Jejunium, ait S. Hieronymus *ad Demetriadem*, non solum perfecta est virtus, sed et cæterarum virtutum fundamentum est, et sanctificatio, et pudicitia atque prudentia, sine qua nemo videbit Deum. » S. Ambrosius, serm. *De Quadrag.* : « Fames, ait, amica est virginitati, inimica lasciviæ; saturitas vero prodigit castitatem, nutrit illecebram. » Et rursum : « Ille, ait, quadragesimam facit, qui jejunando et vigilando ascendit ad pascha. Nam sicut reliquo anno jejunare præmium est, ita in Quadragesima non jejunare peccatum est. Illa enim voluntaria sunt jejunia, ista necessaria : illa de arbitrio veniunt, ista de lege : ad illa invitamur, ad ista compellimur. » Nota præceptum jejunii Quadragesimæ tempore S. Ambrosii. S. Chrysostomus, in cap. VI *Matth.* : « Sicut, ait, nec miles sine armis est aliquid, nec arma sine milite : ita nec oratio sine jejunio, nec jejunium sine oratione. » S. Basilius : « Jejunium, ait, est similitudo hominum cum angelis. » Rursum Chrysostomus : « Jejunium est alimentum animæ. » S. Augustinus : « Jejunium, ait, purgat mentem, sublevat sensum, carnem spiritui subjicit, cor facit contritum et humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis lumen accendit. » S. Athanasius, tract. *De Virg.* : « Vide, ait, quid faciat jejunium : morbos sanat, distillationes exsiccat, dæmones fugat, malas cogitationes expellit, mentem reddit nitidiorem, cor purgatius, et corpus salubrius. » S. Ambrosius, *De Elia et jejunio* : « Jejunium, ait, est mors culpæ, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentum castitatis : hoc gradu tanquam curru Elias ascendit. » Petrus Ravennas, serm. *De jejunio* : « Jejunium, ait, scimus esse Dei arcem, Christi castrum, murum Spiritus Sancti, vexillum fidei, castitatis signum, sanctitatis trophæum. » S. Gregorius : « Quoniam, ait, a paradisi gaudio per cibum cecidimus, quantum possumus, per abstinentiam resurgamus. » Exempla et præmia jejunantium attuli *Gen.* IX, 21, et hic cap. XXIV, vers. 18.

ET SCRIPSIT IN TABULIS VERBA FOEDERIS DECEM. — Puta decem præcepta Decalogi in tabulis lapideis scripsit, non Moses, uti voluit S. Cyprianus tract. *De Spiritu*, S. Augustinus, *Quæst.* CXVI, sed Deus. Nam licet de Mose proximus præcesserit sermo, hic tamen de Deo est, quod licet Latinis novum videatur, tamen Hebræis non est, qui sæpe vel intelligunt verbi supposition, vel remotius aliquod asciscunt, maxime si id notum sit, aut alias nominatum. Sic hic ex eo quod vers. 1, dixit Dominus se scripturum in tabulis hisce legem, manifestum relinquitur, id quod hic dicitur *scripsit ergo*, de Domino, non de Mose accipiendum esse. Deinde id ita esse omnino patet *Deut.* X, vers. 1, 2, 3, 4, ubi eadem hæc historia repetitur, diciturque Dominus scripsisse legem, non Moses.

29. CUMQUE DESCENDERET MOYSES DE MONTE SINAI, TENEBAT DUAS TABULAS, ET IGNORABAT QUOD CORNUTA ESSET FACIES SUA EX CONSORTIO SERMONIS DOMINI. — Nota *primo*, Deus Mosi et Hebræis tabulas legis daturus, et cum Mose hac de re in Sina colloquens, quasi sol radiantissimus Mosi suam gloriam, id est radios suæ lucis afflavit adeo fulgidos, ut Hebræi in faciem Mosis, quasi in alterum solem intueri non possent, sed ab eo facies suas avertere cogerentur. Hinc Moses, ut cum eis loqui posset, velo faciem et gloriam suam velabat; unde ait : « Ignorabat quod cornuta esset facies sua. »

Vers. 29.

Moses ex colloquio Domini accepit cornua, id est radios lucis.

Ubi nota *secundo* : Bene Interpres noster vertit, *cornuta*; verbum enim קרן *karan* significat proprie cornutum esse, non vero radiare, ut quidam confingunt : sicuti nomen קרן *keren* significat tantum cornu, idque pene in omnibus linguis.

Nota *tertio* : Cornutum hic metaphorice accipitur : non enim cornua habebat in fronte Moses, uti ei affingunt pictores; sed ita lucida erat facies ejus, ut radios luminis vibraret, ejusque quasi cornua emitteret (1). Unde Chaldæus non verba, sed sensum reddens ait : *Ignorabat Moses quod multiplicatus esset splendor gloriæ vultus sui*; et Septuaginta : οὐκ ᾔδει ὅτι δεδόξασται ἡ ὄψις τοῦ χρώματος, vel, ut alii legunt, χρωτὸς τοῦ προσώπου αὐτοῦ, id est, *non sciebat Moses quod glorificatus fuerat aspectus coloris*, vel *cutis faciei suæ*. Septuaginta sequitur S. Paulus, II *Cor.* III, 7, qui hæc cornua vocat « gloriam vultus Mosis. » Ex iisdem Septuaginta in officio Ecclesiastico transfigurationis Christi canitur : *Glorificata est facies Mosis*. Unde conjicias priscam editionem S. Scripturæ, qua usa fuit Ecclesia ante S. Hieronymum, fuisse Septuaginta Interpretum. Porro hi radii Mosis vocantur *cornua*, quia ita perstringebant et siderabant oculos Hebræorum, ut quasi cornibus feriri et transfigi viderentur. Adeo enim iis percellebantur, ut præ terrore retrocederent, et radiis hisce quasi repercussi, vim eorum non sustinentes, diffugerent. Idque hoc fine, ut Mosen legislatorem legemque ei a Deo datam revererentur et formidarent, nec eam amplius transgredi auderent. Cornua enim sunt symbolum, *primo*, principatus et regni, juxta illud *Psalm.* CXXXI, 17 : « Illuc producam cornu (id est robur et regnum) David. » Et de Josephi posteris, puta regibus nascituris ex Ephraim, ejus filio, ait Moses *Deut.* XXXIII, 17 : « Cornua rhinocerotis cornua illius, in illis ventilabit gentes. » Hisce ergo cornibus Deus Mosen in ducem et legislatorem auctoravit, et quasi principatus insignibus decoravit,

> Flammea cornuto librantem lumina vultu,
> Gestantemque sacris jura superna libris.

Hinc et cornua hæc fuere non ossis, sed lucis; quia *lex*, quam ex Deo quasi legislator daturus

(1) Nomen קרן ob similitudinem ad *radios* transferri, docet locus *Habac.* III, 4. Arabes quoque solis exorientis radios *cornu dorcadis* vocant.

erat, est *lux*, eaque cœlestis et divina, *Prov.* cap. VI, vers. 23.

Secundo, cornua Mosis significarunt legem ejus minacem fore et terribilem, quasi Moses cornutus, cornibus suis impetiturus esset eos, qui legem violarent, infligendo eis pœnam mortis. Lex enim vetus fuit rigoris et terroris : sicut nova e contrario est gratiæ et amoris.

EX CONSORTIO SERMONIS DOMINI. — Hinc patet hæc lucis cornua, id est hos radios afflatos esse Mosi ex consortio Dei, maxime quando transivit gloria Dei ante foramen petræ, et inclamavit : « Dominator Domine, » hoc cap. vers. 6. Petierat enim Moses videre faciem Domini, secum loquentis per nubem; sed respondet Deus : « Posteriora mea (id est dorsum meum in corpore per angelum assumpto) videbis; faciem autem meam (utpote nimis radiantem) videre non poteris. » Posuit ergo Deus, vel potius angelus Dei vices gerens, Mosen in spelunca, eamque nube texit, sicque coram Mose transivit in corpore glorioso et lucidissimo a se assumpto; et cum jam transisset, amovit nubem, ut Moses Domini, vel potius angeli tergum (in quo lux erat temperatior quam in facie) conspiceret; tunc ergo tergum Domini mirifice radians, Mosen intuentem ita perstrinxit, ut quasi cornua luminis ei affixerit.

Nam inde vel maxime radiasse faciem Mosis patet, quod prima vice, quando totidem diebus collocutus cum Domino accepit primas tabulas, *Exodi* cap. XXXII, 15, nihil de ejusmodi radiis legamus; similiter nec in secundo hoc colloquio proxime ante illam Dei visionem, cum Moses descenderet de monte tabulas ad Deum allaturus vers. 3 et 4, quod contigit die 39 mansionis secundæ in Sina, nihil tale narretur. Verisimile est ergo in splendidissima et eminentissima illa jam dicta visione, Mosen eos contraxisse, eique afflatos fuisse, scilicet ultimo et 40 die quo cum Deo fuit in Sina, quoque ab eo secundas legis tabulas accepit, idque *primo*, ut amorem suum erga Mosen declararet Deus, amoremque amori rependeret. *Secundo*, ut legem Israelitis promulgandam, certissimo hoc charactere divinam, et a Deo manantem ostenderet, terroremque incuteret, ne eam deinceps violare auderent; hanc causam assignat Apostolus II *Cor.* cap. III, 7. *Tertio*, ut auctoritatem Mosi apud populum conciliaret. *Quarto*, ut vim et fructum orationis ostenderet.

Cur Mosi cornua affixit Deus?

Prima causa. Secunda. Tertia. Quarta.

Quamdiu durarit hic vultus ejus splendor, Scriptura non exprimit. Abulensis iisdem rationibus jam dictis putat ad mortem Mosis perdurasse, ideoque Mosen post primum cum populo colloquium, deinceps usque ad mortem velasse faciem suam cum populum alloqueretur. Sic etiam sentit Ambrosius in *Psalm.* CXVIII, qui et allegoricam prosequitur causam : Moses, ait, id est lex vetus, semper habuit velamen; Jesus, seu Josue, ejus successor, nullum habuit : Christus enim abstulit omne legis velamen, ut ait Apostolus, II *Cor.* cap. III, vers. 14. Hanc sententiam innuit quoque illustrissimus Bellarminus, lib. II *De Reliq. Sanct.* cap. IV.

Cornua hæc Mosi ne fuerint perpetua?

Moraliter nota : Deus est lux immensa et increata, fons omnis lucis et luminis; hinc lux nobilissima et cœlestis est qualitas, qua Deus, cum apparuit, suam majestatem repræsentavit. « Lumen, ait S. Dionysius, *De Divin. Nomin.*, ex ipso bono est, et bonitatis imago. Ideo ipsum bonum luminis cognomento laudatur, tanquam imagine quadam exemplar expressum. » Hinc qui cum Deo versantur, et orantes cum eo sæpe colloquuntur, instar Mosis radiis Dei afflantur, fiuntque lucidi in anima, et subinde in facie et corpore. Ita Christus in oratione transfiguratus est, et resplenduit facies ejus sicut sol, ita ut suis radiis collustraret non tantum Eliam et Mosen, sed et Petrum, Jacobum et Joannem. Petrus enim hoc splendore et gaudio exultans, et quasi ebrius clamabat : « Domine, bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula : tibi unum, Mosi unum, et Eliæ unum. » Ita S. Antonii in oratione pernoctantis facies assidue splendebat, ut ex sola vultus luce et lætitia, inter tot millia monachorum agnosceretur Antonius : videbatur enim esse quasi quidam sol inter stellas. Ita S. Franciscus oratione ferventi sublatus in aera, radiabat et fervebat, adeoque ex se flammas et ignes vibrare videbatur. Ita S. P. N. Ignatius a S. Philippo Nerio, et aliis sæpe visus est vultu supra humanum augusto et fulgido. Ita radiabat facies augusta B. Virginis ex assidua conversatione cum Deo, et Verbo incarnato, ut dea quædam esse videretur, teste S. Dionysio. Porro hi lucis radii habebant speciem cornuum, ut significarent, per orationem Sanctos luce divina, non tantum collustrari, sed et fieri cornutos, id est constantes, fortes, robustos, invictos ad toleranda omnia dura, æque ac ad aggrediendum ardua quælibet. Ita per orationem roborata fuit S. Anna mater Samuelis, de qua dicitur I *Reg.* I, 18 : « Vultusque illius non sunt amplius in diversa mutati, » *q. d.* Eodem sibi semper constanti vultu deinceps excepit tam laudes Helcanæ, quam sannas Phenennæ; tam dura, quam dulcia; tam adversa, quam prospera.

Moraliter, oratio facit lucidos.

30. VIDENTES AUTEM AARON ET FILII ISRAEL CORNUTAM MOYSI FACIEM, TIMUERUNT PROPE ACCEDERE, — quia scilicet non valebant figere aciem oculorum, in vultum ejus ita fulgidum, sive in jubar hoc faciei ejus, et quia reverebantur Mosen, quasi divinum jam hisce radiis effectum : latebant vero hi radii ipsum Mosen, quia ipse absorptus erat visione et colloquio Dei, nec poterat intueri vultum suum nisi in speculo, quod si intuitus fuisset, vidisset utique et hos sui vultus radios.

Vers. 30.

31 et 32. ET POSTQUAM LOCUTUS EST AD EOS (puta Moses ad Aaron et principes populi), VENERUNT AD EUM ETIAM OMNES FILII ISRAEL, — jam ex timore confirmati, cum vidissent Aaronem et principes cum Mose colloqui.

Vers. 31 et 32.

Vers. 33. 33. IMPLETISQUE SERMONIBUS, POSUIT VELAMEN SUPER FACIEM SUAM. — Ex hoc loco colligitur, quod Moses præcepta Dei populo promulgavit, primo colloquio aperta facie et radiante, ob majestatem, reverentiam et testimonium legis; sed post primam illam promulgationem, deinceps quando loquebatur cum populo, velabat faciem, ut colloquii liberioris daretur copia : quando vero tabernaculum adibat, de quo cap. XXXIII, vers. 8, collocuturus cum Domino, velum auferebat (1).

(1) Insuper Apostolus, II *Cor.* III, minime dicit, Mosen, donec *loqueretur cum* Israelitis, vultum velasse, sed in universum faciei suæ velamen impositum habuisse, quod, uti e nostro loco liquet, non removit nisi tum, cum vel tabernaculum ingrederetur, cum Deo collocuturus, vel quæ ab eo mandata accepisset ad populum referret.

Allegoricam hujus velationis causam dat Apostolus, II *Corinth.* cap. III, vers. 14, 15, 16. Judæis enim vetus Testamentum est velamine obductum, ut non videant internam ejus lucem novi Testamenti et Christum, eo contenta et repræsentata : hoc velamen nobis in lege nova Christus abstulit, et auferet in fine sæculi a Judæis, ad fidem Christi convertendis. Allegorice.

Tropologice S. Gregorius, part. III *Pastor.* cap. V : Ut prædicator, inquit, auditori se attemperet necesse est; alta enim quæque debent multis audientibus contegi, et vix paucis aperiri. Tropologice.

Vers. 35. Hujus commatis posterior pars ex hebr. ita verti potest : *Tunc*, cum loqui desiisset, *reducebat velamen super faciem suam, donec ingrederetur* tabernaculum *ad loquendum cum eo*, Jova scil.

CAPUT TRIGESIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Refert Moses ad populum mandata Dei de sabbato, primitiis, et maxime de oblatione et fabricatione tabernaculi. Hinc, vers. 20, *Israelitæ liberaliter offerunt omnem materiam tabernaculo necessariam. Denique, vers.* 30, *designantur artifices tabernaculi Beseleel et Ooliab.*

1. Igitur congregata omni turba filiorum Israel, dixit ad eos : Hæc sunt quæ jussit Dominus fieri. 2. Sex diebus facietis opus; septimus dies erit vobis sanctus, sabbatum, et requies Domini : qui fecerit opus in eo, occidetur. 3. Non succendetis ignem in omnibus habitaculis vestris per diem sabbati. 4. Et ait Moses ad omnem catervam filiorum Israel : Iste est sermo quem præcepit Dominus, dicens : 5. Separate apud vos primitias Domino. Omnis voluntarius et prono animo offerat eas Domino : aurum et argentum et æs, 6. hyacinthum et purpuram coccumque bis tinctum, et byssum, pilos caprarum, 7. pellesque arietum rubricatas, et ianthinas, ligna setim, 8. et oleum ad luminaria concinnanda, et ut conficiatur unguentum, et thymiama suavissimum, 9. lapides onychinos, et gemmas ad ornatum superhumeralis et rationalis. 10. Quisquis vestrum sapiens est, veniat, et faciat quod Dominus imperavit : 11. tabernaculum scilicet, et tectum ejus, atque operimentum, annulos, et tabulata cum vectibus, paxillos et bases : 12. arcam et vectes, propitiatorium et velum, quod ante illud oppanditur : 13. mensam cum vectibus et vasis, et propositionis panibus : 14. candelabrum ad luminaria sustentanda, vasa illius et lucernas, et oleum ad nutrimenta ignium : 15. altare thymiamatis, et vectes, et oleum unctionis et thymiama ex aromatibus; tentorium ad ostium tabernaculi : 16. altare holocausti, et craticulam ejus æneam cum vectibus et vasis suis, labrum et basim ejus : 17. cortinas atrii cum columnis et basibus, tentorium in foribus vestibuli : 18. paxillos tabernaculi et atrii cum funiculis suis : 19. vestimenta, quorum usus est in ministerio sanctuarii, vestes Aaron pontificis ac filiorum ejus, ut sacerdotio fungantur mihi. 20. Egressaque omnis multitudo filiorum Israel de conspectu Moysi, 21. obtulerunt mente promptissima atque devota primitias Domino, ad faciendum opus tabernaculi testimonii. Quidquid ad cultum et ad vestes sanctas necessarium erat, 22. viri cum mulieribus præbuerunt armillas et inaures, annulos et dextralia : omne vas aureum in donaria Domini separatum est. 23. Si quis habebat hyacinthum, et purpuram, coccumque bis tinctum, byssum et pilos caprarum, pelles arietum

rubricatas, et ianthinas, 24. argenti ærisque metalla, obtulerunt Domino, lignaque setim in varios usus. 25. Sed et mulieres doctæ, quæ neverant, dederunt hyacinthum, purpuram, et vermiculum, ac byssum; 26. et pilos caprarum, sponte propria cuncta tribuentes. 27. Principes vero obtulerunt lapides onychinos, et gemmas ad superhumerale et rationale, 28. aromataque et oleum ad luminaria concinnanda, et ad præparandum unguentum, ac thymiama odoris suavissimi componendum. 29. Omnes viri et mulieres mente devota obtulerunt donaria, ut fierent opera quæ jusserat Dominus per manum Moysi. Cuncti filii Israel voluntaria Domino dedicaverunt. 30. Dixitque Moyses ad filios Israel : Ecce, vocavit Dominus ex nomine Beseleel filium Uri, filii Hur de tribu Juda. 31. Implevitque eum spiritu Dei, sapientia et intelligentia, et scientia et omni doctrina, 32. ad excogitandum, et faciendum opus in auro et argento et ære, 33. sculpendisque lapidibus, et opere carpentario, quidquid fabre adinveniri potest, 34. dedit in corde ejus : Ooliab quoque filium Achisamech de tribu Dan : 35. ambos erudivit sapientia, ut faciant opera abietarii, polymitarii, ac plumarii, de hyacintho ac purpura, coccoque bis tincto, et bysso, et texant omnia, ac nova quæque reperiant.

Vers. 2. 2. SEPTIMUS DIES ERIT VOBIS SANCTUS, SABBATUM, ET REQUIES DOMINI. — Disce hic quanta fuerit sabbati cura et religio, quam toties hic inculcat Deus, quantaque Dominicæ et festorum religio debeat esse Christianis.

QUI FECERIT OPUS IN EO, OCCIDETUR. — Hebraice, יומת *iumat*, id est morietur, scilicet per sententiam judicis, vel per Deum, qui occulto vel casuali modo illi mortem asciscet.

Vers. 3. Sabbato non licebat accendere ignem ad coquendum, sed bene ad se calefaciendum.

3. NON SUCCENDETIS IGNEM IN OMNIBUS HABITACULIS VESTRIS PER DIEM SABBATI. — « Non in omnibus, » id est nullis. Tanta religio et quies erat sabbati, ut eo ne vel ignem struere et accendere liceret : intellige ad coquendum cibos; nam in paschate et aliis festis licebat cibos coquere, ideoque ignem accendere, ut patet cap. XII, vers. 16; hoc autem non licebat in sabbato. Ita Abulensis, Cajetanus et R. Abraham Ben Esra, contra quem alii Rabbini librum scripserunt, quem vocarunt *Sabbatum*, eo quod sabbati contra eum loquentis, eumque quasi hæreticum damnantis personam inducant. Censent enim Rabbini, sabbato non licuisse accendere ignem ulla de causa, etiam frigoris, ad se calefaciendum. Sed hi nimis religiosi vel superstitiosi videntur. Unde addunt ipsi, non solum non esse struendum ignem die sabbati, sed neque ex lapide aut metallo eliciendum, neque fovendam lampadem, nisi forte propter infirmum; et ut nunquam nugari desinant, interpretantur, si propter vim frigoris ignis accendi debeat, non esse folle, sed arundine sufflandum. Vide hic quam lex vetus servorum fuerit dura et rigida, lex vero nova filiorum sit blanda et facilis (1).

(1) Rosenmullerus : « Quæ lex, ut aliæ a Mose traditæ, Palæstinæ tantum nec omnibus regionibus est apta. Scilicet in regionibus calidioribus cœna ordinarium epulum esse solet. Judæi igitur, qui diem a vespera ad vesperam numerabant, die hebdomadis sexto paulo ante sabbati initium cibos parare adeoque cœna frui, statimque post sabbati finem novam cœnam instruere poterant igne accenso. »

Vers. 5. 5. SEPARATE APUD VOS PRIMITIAS DOMINO. — « Primitias, » id est, primam vestram oblationem (nullam enim publicam et communem hactenus fecistis), et prima vestra dona, quæ Domino oblaturi estis pro fabrica tabernaculi. Horum donorum omnium tropologiam pete a S. Gregorio, lib. XXX *Moralium* cap. X, et Origene, *homilia* 13. Vide dicta cap. XXV.

Nota : Deus hic ab oblatione sua, et ab obsequio tabernaculi neminem, quantumvis pauperem vel miserum, excludit. Qui enim non poterat aurum, argentum, poterat saltem pelles, vel pilos caprarum offerre : qui nec hoc, poterat saltem eos nere, afferre et referre, aliisque modis artificibus et fabris tabernaculi subservire. Pulchre B. Ægidius, socius S. Francisci : « Si gratiam, ait, in precibus sentis, ora ut augeatur : si non sentis, ne cesses idcirco a precibus; gratos enim habuit Deus etiam caprarum pilos, qui ei justa præceptum legis offerebantur. »

Vers. 8. 8. ET UT CONFICIATUR. — Subaudi : offerat quilibet materiam capite XXV præscriptam, puta aromata, ut hic dicitur in Hebræo, et Noster exprimit vers. 28, ad conficiendum unguentum consecrationis sacerdotum, et ad thymiama componendum; nam thymiama non fiebat ex oleo, sed ex stacte, onycha, galbano et thure. Erat ergo oleum pro lucernis : erat et oleum in unguento consecrationis sacerdotum et tabernaculi. Hoc enim unguentum fiebat ex myrrha, cinnamomo, calamo, casia et oleo olivarum. Vide *Exodi* XXX, 23 et seq.

Vers. 10. 10. QUISQUIS SAPIENS EST, — quisquis peritus et industrius artifex.

Vers. 10 et 11. 10 et 11. ET FACIAT QUOD DOMINUS IMPERAVIT, TABERNACULUM SCILICET, ET TECTUM EJUS, ATQUE OPERIMENTUM. — « Tabernaculum » vocat ipsum

Sanctuarium cortinis decem, factis ex bysso, purpura, cocco et hyacintho, obvelatum et obtectum, quod hebraice dicitur משכן *miscan*. « Tectum » vero, quod hebraice dicitur אהל *ohel*, vocat secundum velum, sive sagum cilicinum, quod factum erat ex pilis caprinis. Denique « operimentum, » quod hebraice dicitur מכסה *michse*, vocat tertium velum ex pellibus arietum rubricatis, et quartum ex pellibus ianthinis. Ita Cajetanus et Lipomanus.

Vers. 11. 11. TABULATA, — tabulas connexas instar tabulati, idque a triplici latere tabernaculi; in longum enim erat tabulatum, sive connexio tabularum ad triginta cubitos, in latum vero erat tabulatum ad decem cubitos.

PAXILLOS. — Hebraice *columnas*, quæ hic a Nostro vel paxilli vocantur, quia parvæ erant, et acuminatas habebant bases instar paxillorum, ut possent terræ infigi; vel certe eas sub paxillis comprehendit: columnis enim affixi erant paxilli, et ex paxillis vela suspendebantur.

Vers. 17. 17. TENTORIUM, — id est velum (1).

Vers 25. 25. SED ET MULIERES DOCTÆ, QUÆ NEVERANT, DEDERUNT. — « Doctæ, » id est, nendi peritæ et sapientes artifices, puta netrices et textrices; hæc enim est doctrina et sapientia mulierum.

HYACINTHUM, — netum seu filatum hyacinthi, Vers. 29.
puta lanæ violaceæ. Sic et purpuram, vermicu- Vers 34.
lum et byssum intellige, non lanam, vel linum, sed netum, sive stamen talis lanæ vel lini.

29. VOLUNTARIA, — ultronea et spontanea dona.

34. DEDIT IN CORDE EJUS. — Hoc est, docuit eum, vel « dedit in corde ejus, » intellige scientiam, aut potius artem et cognitionem, ac praxin artificialem fabricandi, suendi, texendi, etc. Hebraice est, *et ad docendum dedit in corde ejus*, id est tam perfecte docuit eum, ut et alios posset docere. Alii vertunt, *facilem et propensum eum fecit ad docendum alios*. Contra ac faciunt plerique insignes artifices, qui suas artes et praxes ægerrime aliis communicant, easque secum intermori sinunt, itaque et se merito ac gloria, et rempublicam suis commodis et ornamentis privant.

OOLIAB QUOQUE. — Intellige quod de Beseleel socio ejus dixit, videlicet, vocavit et implevit sapientia.

35. UT FACIANT OPERA ABIETARII. — Hebraice, *ut* Vers. 35.
faciant opera fabri, scilicet lignarii, ut superius dixi.

POLYMITARII AC PLUMARII. — Hic distinguit hæc duo, quæ superius indifferenter usurpavit, ut scilicet phrygio vel plumarius sit, qui acu varie pingit : polymitarius, vel, ut hebraice est, *cogitans cogitationes*, sit, qui textura ingeniosa varia intexit et efformat, ut fit in tapetibus. Ita Abulensis et Lipomanus.

(1) Vers. 22. Pro *armillas* hebr. est חח, quæ vox aliis designat annulum, quem ornatus causa Arabes aliique Asiatici, feminæ præcipue, ex naribus perforatis pendentem gestare solebant. De quo more vid. not. ad *Gen.* XXIV, 22. כומז, quod Vulgatus interpres vertit *dextralia*, videtur Rosenmullero fuisse genus ornamenti muliebris, habens continuos globulos : quale ornamentum Romani vocabant *bullas*, et Virgilius *baccatum monile*.

CAPUT TRIGESIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Plus offerunt Hebræi quam opus sit ad tabernaculum : unde vetat Moses plura offerri. Secundo, vers. 8, *fabricatur tabernaculum, puta decem cortinæ polymitæ, saga cilicina, operimenta ex pellibus; et vers.* 20, *tabulæ; vers.* 31, *vectes; vers.* 35, *vela ante Sanctum sanctorum et ante Sanctum.*

1. Fecit ergo Beseleel, et Ooliab, et omnis vir sapiens, quibus dedit Dominus sapientiam et intellectum, ut scirent fabre operari quæ in usus Sanctuarii necessaria sunt, et quæ præcepit Dominus. 2. Cumque vocasset eos Moyses, et omnem eruditum virum, cui dederat Dominus sapientiam, et qui sponte sua obtulerant se ad faciendum opus, 3. tradidit eis universa donaria filiorum Israel. Qui cum instarent operi, quotidie mane vota populus offerebat. 4. Unde artifices venire compulsi, 5. dixerunt Moysi : Plus offert populus quam necessarium est. 6. Jussit ergo Moyses præconis voce cantari : Nec vir nec mulier quidquam offerat ultra in opere Sanctuarii. Sicque cessatum est a muneribus offerendis, 7. eo quod oblata sufficerent et superabundarent. 8. Feceruntque omnes corde sapientes ad explendum opus tabernaculi, cortinas decem, de bysso retorta, et hyacintho, et purpura, coccoque bis tincto, opere vario et arte polymita : 9. quarum una habebat in longitudine viginti octo cubitos, et in latitudine quatuor. Una mensura erat omnium cortinarum.

10. Conjunxitque cortinas quinque, alteram alteri, et alias quinque sibi invicem copulavit. 11. Fecit et ansas hyacinthinas in ora cortinæ unius ex utroque latere, et in ora cortinæ alterius similiter, 12. ut contra se invicem venirent ansæ, et mutuo jungerentur. 13. Unde et quinquaginta fudit circulos aureos, qui morderent cortinarum ansas, et fieret unum tabernaculum. 14. Fecit et saga undecim de pilis caprarum ad operiendum tectum tabernaculi: 15. unum sagum in longitudine habebat cubitos triginta, et in latitudine cubitos quatuor; unius mensuræ erant omnia saga: 16. quorum quinque junxit seorsum et sex alia separatim. 17. Fecitque ansas quinquaginta in ora sagi unius, et quinquaginta in ora sagi alterius, ut sibi invicem jungerentur; 18. et fibulas æneas quinquaginta, quibus necteretur tectum, ut unum pallium ex omnibus sagis fieret. 19. Fecit et opertorium tabernaculi de pellibus arietum rubricatis, aliudque desuper velamentum de pellibus ianthinis. 20. Fecit et tabulas tabernaculi de lignis setim stantes. 21. Decem cubitorum erat longitudo tabulæ unius, et unum ac semis cubitum latitudo retinebat. 22. Binæ incastraturæ erant per singulas tabulas, ut altera alteri jungeretur. Sic fecit in omnibus tabernaculi tabulis, 23. e quibus viginti ad plagam meridianam erant contra Austrum, 24. cum quadraginta basibus argenteis. Duæ bases sub una tabula ponebantur ex utraque parte angulorum ubi incastraturæ laterum in angulis terminantur. 25. Ad plagam quoque tabernaculi, quæ respicit ad Aquilonem, fecit viginti tabulas, 26. cum quadraginta basibus argenteis, duas bases per singulas tabulas. 27. Contra Occidentem vero, id est, ad eam partem tabernaculi, quæ mare respicit, fecit sex tabulas, 28. et duas alias per singulos angulos tabernaculi retro: 29. quæ junctæ erant a deorsum usque sursum, et in unam compaginem pariter ferebantur. Ita fecit ex utraque parte per angulos: 30. ut octo essent simul tabulæ, et haberent bases argenteas sedecim, binas scilicet bases sub singulis tabulis. 31. Fecit et vectes de lignis setim, quinque ad continendas tabulas unius lateris tabernaculi, 32. et quinque alios ad alterius lateris coaptandas tabulas; et extra hos, quinque alios vectes ad occidentalem plagam tabernaculi contra mare. 33. Fecit quoque vectem alium, qui per medias tabulas ab angulo usque ad angulum perveniret. 34. Ipsa autem tabulata deauravit, fusis basibus earum argenteis. Et circulos eorum fecit aureos, per quos vectes induci possent: quos et ipsos laminis aureis operuit. 35. Fecit et velum de hyacintho, et purpura, vermiculo, ac bysso retorta, opere polymitario, varium atque distinctum; 36. et quatuor columnas de lignis setim, quas cum capitibus deauravit, fusis basibus earum argenteis. 37. Fecit et tentorium in introitu tabernaculi ex hyacintho, purpura, vermiculo, byssoque retorta, opere plumarii; 38. et columnas quinque cum capitibus suis, quas operuit auro, basesque earum fudit æneas.

Vers. 3. 3. VOTA (voluntaria munera) POPULUS OFFEREBAT. — Ita Chaldæus.

Vers. 9. 9. JUSSIT ERGO MOYSES PRÆCONIS VOCE CANTARI. — Hebraice, *transire fecit Moses vocem per castra*, id est præconis tuba et voce edixit.

Vers. 14. 14. AD OPERIENDUM TECTUM TABERNACULI, — id est, ad fabricam tecti, sive ad integrandum tectum, quod operiret et tegeret tabernaculum: nam, ut dixi capite XXXV, versu 11, *miscan*, id est tabernaculum, præcise vocatur hic infimum tabernaculi, puta cortinarum polymitarum, velum; secundum vero e pilis caprinis, quod primum polymitum operiebat, vocatur tectum, hebraice *ohel*, sicut tertium vocatur *michse*, quod erat operimentum e pellibus.

Est hic Hebraica repetitio minuta et particularis omnium quæ Dominus jussit fieri, cap. XXV, XXVI, XXVII, XXVIII, XXX, ut ea hic facta et perfecta esse doceat. Similis repetitio usitata est apud Orientales aliosque populos, ut videre est apud Moscovitas, qui quoties Ducem vel Principem alloquuntur, toties seriatim longo ordine omnes ejus titulos iterant et repetunt.

Nota: Noster Interpres in hac repetitione non reddit verbum verbo, sed sensum, repetitionemque Hebræam breviter complectitur, quædam etiam per explicationem e supradictis accersit; hoc enim permittitur libertati, ingenio et dispositioni interpretis.

18. QUIBUS NECTERETUR TECTUM. — « Tectum, » Vers. 18.

id est scundum velum, sive sagum cilicinum tegens tabernaculum, uti dixi vers. 14.

Vers 33. 33. FECIT QUOQUE VECTEM ALIUM. — Hujus vectis nullam mentionem fecit Interpres noster capite XXVI, vers. 28. Septuaginta tamen et alii ejus mentionem ibi fecerunt; nam in Hebræo eadem pene sunt verba ibi, quæ hic, nisi quod ordo verborum nonnihil sit immutatus, et hic addatur articulus ΠΝ *et*, quasi certum alium designans vectem.

Est ergo hic alius a præcedentibus vectis, qui transibat per ipsas tabulas, scilicet earum crassitiem interius penetrando; erant enim hæ tabulæ crassiores : unde Septuaginta eas vocant columnas. Ita Lyranus, Hugo, Abulensis, Carthusianus. Reliqui enim vectes non interius, sed exterius dorsa tantum tabularum transibant, per annulos ad hoc dorso tabularum affixos. Fuit autem hic vectis, ut recte advertit Abulensis, a latere Occidentali tabernaculi, quod tegebat Sanctum sanctorum : illud enim latus solum habebat angulos; positus ergo est hic vectis, ut omnia latera tabernaculi firmius simul astringeret sibi. Hujus vectis meminit et Josephus, lib. III, cap. V, ubi enumeratis tabernaculi vectibus, ait præterea post tergum unum fuisse ordinem vectium, puta qui per omnes tabulas iret, quo per uncinos utriusque parietis latera continebantur.

34. IPSA AUTEM TABULATA (id est tabulas, quæ connexæ erant instar tabulati) DEAURAVIT. Vers. 34.

36. QUAS CUM CAPITIBUS DEAURAVIT, — ita ut columnæ tantum obducerentur auro, sive laminis aureis, capita vero essent aurea, uti Deus jusserat Mosi, cap. XXVI, vers. 32. Vers. 36.

37. FECIT ET TENTORIUM. — « Tentorium » hic et in seq. idem est quod velum. Vers. 37.

38. QUAS OPERUIT AURO. — Intellige similiter ex eodem cap. XXVI, vers. 37, ita ut columnæ tegerentur aureis laminis, capita vero essent aurea, nimirum ut clavi vel capita columnarum essent ex auro, columnæ vero tegerentur cælaturis, sive circulis aureis in gyrum euntibus, sicuti columnæ atrii argenteis ejusmodi gyris circumdabantur. Patet ex Hebræo; atque sic justa erat omnium proportio, cum scilicet columnæ atrii argenteis spiris ornarentur, tabernaculi aureis; Sancti sanctorum vero (utpote duæ intimæ et vicinissimæ erant oraculo) aureis, non spiris, sed laminis tegerentur. Vers. 38.

Regia Biblia in fine habent hæc ultima capitis verba : « Quas et operuit auro. » Verum hoc redundat; neque enim bases columnarum æneæ deauratæ fuerunt : reliqua vide cap. XXVI.

CAPUT TRIGESIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Fabricatur arca, propitiatorium, Cherubim. Secundo, vers. 10, mensa; et vers. 17, candelabrum; et vers. 25, altare thymiamatis, ac pro eo thymiama componitur.

1. Fecit autem Beseleel et arcam de lignis setim, habentem duos semis cubitos in longitudine, et cubitum ac semissem in latitudine; altitudo quoque unius cubiti fuit et dimidii, vestivitque eam auro purissimo intus ac foris. 2. Et fecit illi coronam auream per gyrum, 3. conflans quatuor annulos aureos per quatuor angulos ejus : duos annulos in latere uno, et duos in altero. 4. Vectes quoque fecit de lignis setim, quos vestivit auro, 5. et quos misit in annulos, qui erant in lateribus arcæ ad portandum eam. 6. Fecit et propitiatorium, id est, oraculum, de auro mundissimo, duorum cubitorum et dimidii in longitudine, et cubiti ac semis in latitudine; 7. duos etiam Cherubim ex auro ductili, quos posuit ex utraque parte propitiatorii : 8. Cherub unum in summitate unius partis, et Cherub alterum in summitate partis alterius : duos Cherubim in singulis summitatibus propitiatorii, 9. extendentes alas, et tegentes propitiatorium, seque mutuo et illud respicientes. 10. Fecit et mensam de lignis setim in longitudine duorum cubitorum, et in latitudine unius cubiti, quæ habebat in altitudine cubitum ac semissem; 11. circumdeditque eam auro mundissimo, et fecit illi labium aureum per gyrum, 12. ipsique labio coronam auream interrasilem quatuor digitorum, et super eamdem, alteram coronam auream. 13. Fudit et quatuor circulos aureos, quos posuit in quatuor angulis per singulos pedes mensæ 14. contra coronam; misitque in eos vectes, ut possit mensa portari. 15. Ipsos quoque vectes fecit de lignis setim, et circumdedit eos auro; 16. et vasa ad diversos usus mensæ, acetabula, phialas, et cya-

thos, et thuribula, ex auro puro, in quibus offerenda sunt libamina. 17. Fecit et candelabrum ductile de auro mundissimo. De cujus vecte calami, scyphi, sphærulæque ac lilia procedebant: 18. sex in utroque latere, tres calami ex parte una, et tres ex altera: 19. tres scyphi in nucis modum per calamos singulos, sphærulæque simul et lilia: et tres scyphi instar nucis in calamo altero, sphærulæque simul et lilia. Æquum erat opus sex calamorum, qui procedebant de stipite candelabri. 20. In ipso autem vecte erant quatuor scyphi in nucis modum, sphærulæque per singulos simul et lilia; 21. et sphærulæ sub duobus calamis per loca tria, qui simul sex fiunt calami procedentes de vecte uno. 22. Et sphærulæ igitur, et calami ex ipso erant, universa ductilia ex auro purissimo. 23. Fecit et lucernas septem cum emunctoriis suis, et vasa ubi ea quæ emuncta sunt extinguantur, de auro mundissimo. 24. Talentum auri appendebat candelabrum cum omnibus vasis suis. 25. Fecit et altare thymiamatis de lignis setim, per quadrum singulos habens cubitos, et in altitudine duos: e cujus angulis procedebant cornua. 26. Vestivitque illud auro purissimo, cum craticula ac parietibus et cornibus. 27. Fecitque ei coronam aureolam per gyrum, et duos annulos aureos sub corona per singula latera, ut mittantur in eos vectes, et possit altare portari. 28. Ipsos autem vectes fecit de lignis setim, et operuit laminis aureis. 29. Composuit et oleum ad sanctificationis unguentum, et thymiama de aromatibus mundissimis, opere pigmentarii.

Vers. 7. 7. DUOS ETIAM CHERUBIM. — Hinc patet duos tantum fuisse Cherubim juxta arcam, non quatuor, videlicet unum ab uno latere, alium ab alio; unde et Salomon in suo templo duos tantum fecisse legitur, III *Reg.* VI, 23. Quod ergo hic dicitur, duos Cherubim in singulis summitatibus, id est extremitatibus (hoc enim significat Hebræum קצה *katse*) propitiatorii esse positos, intellige ex eo quod præcessit, in singulis unum, non duos fuisse positos. Id patet ex Hebræis quæ habent, *ex propitiatorio fecit Cherubim a duobus ejus lateribus.* Ita Abulensis.

Vers. 17. 17. VECTE, — hastili, seu scapo candelabri.

Vers. 19. 19. ÆQUUM ERAT OPUS SEX CALAMORUM, — scilicet calamis, vel brachiis candelabri omnibus in eamdem altitudinem surgentibus: reliqua vide c. XXV et XXX.

CAPUT TRIGESIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Fabricatur altare holocausti; et vers. 8, *labrum æneum ex speculis mulierum; et vers.* 9, *atrium cum suis columnis et velis; denique, vers.* 24, *numerantur talenta auri et argenti et æris, in fabricam tabernaculi oblata et insumpta.*

1. Fecit et altare holocausti de lignis setim, quinque cubitorum per quadrum, et trium in altitudine; 2. cujus cornua de angulis procedebant, operuitque illud laminis æneis. 3. Et in usus ejus paravit ex ære vasa diversa, lebetes, forcipes, fuscinulas, uncinos, et ignium receptacula. 4. Craticulamque ejus in modum retis fecit æneam, et subter eam in altaris medio arulam, 5. fusis quatuor annulis per totidem retiaculi summitates, ad immittendos vectes ad portandum, 6. quos et ipsos fecit de lignis setim, et operuit laminis æneis: 7. induxitque in circulos, qui in lateribus altaris eminebant. Ipsum autem altare non erat solidum, sed cavum ex tabulis, et intus vacuum. 8. Fecit et labrum æneum cum basi sua de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi. 9. Fecit et atrium, in cujus australi plaga erant tentoria de bysso retorta, cubitorum centum, 10. columnæ æneæ viginti cum basibus suis, capita columnarum, et tota operis cælatura, argentea. 11. Æque ad septentrionalem plagam, tentoria, columnæ, basesque et capita columnarum, ejusdem

mensuræ, et operis, ac metalli erant. 12. In ea vero plaga, quæ ad Occidentem respicit, fuerunt tentoria cubitorum quinquaginta; columnæ decem cum basibus suis æneæ, et capita columnarum, et tota operis cælatura, argentea. 13. Porro contra Orientem, quinquaginta cubitorum paravit tentoria, 14. e quibus quindecim cubitos columnarum trium, cum basibus suis, unum tenebat latus; 15. et in parte altera (quia inter utraque introitum tabernaculi fecit) quindecim æque cubitorum erant tentoria, columnæque tres, et bases totidem. 16. Cuncta atrii tentoria byssus retorta texuerat. 17. Bases columnarum fuere æneæ, capita autem earum cum cunctis cælaturis suis, argentea; sed et ipsas columnas atrii vestivit argento. 18. Et in introitu ejus opere plumario fecit tentorium ex hyacintho, purpura, vermiculo, ac bysso retorta, quod habebat viginti cubitos in longitudine; altitudo vero quinque cubitorum erat, juxta mensuram, quam cuncta atrii tentoria habebant. 19. Columnæ autem in ingressu fuere quatuor cum basibus æneis, capitaque earum et cælaturæ argenteæ. 20. Paxillos quoque tabernaculi et atrii per gyrum fecit æneos. 21. Hæc sunt instrumenta tabernaculi testimonii, quæ enumerata sunt juxta præceptum Moysi in cæremoniis Levitarum per manum Ithamar filii Aaron, sacerdotis; 22. quæ Beseleel filius Uri, filii Hur, de tribu Juda, Domino per Moysen jubente, compleverat, 23. juncto sibi socio Ooliab filio Achisamech de tribu Dan; qui et ipse artifex lignorum egregius fuit, et polymitarius atque plumarius ex hyacintho, purpura, vermiculo et bysso. 24. Omne aurum quod expensum est in opere Sanctuarii, et quod oblatum est in donariis, viginti novem talentorum fuit, et septingentorum triginta siclorum, ad mensuram Sanctuarii. 25. Oblatum est autem ab his qui transierunt ad numerum a viginti annis et supra, de sexcentis tribus millibus, et quingentis quinquaginta armatorum. 26. Fuerunt præterea centum talenta argenti, e quibus conflatæ sunt bases Sanctuarii, et introitus ubi velum pendet. 27. Centum bases factæ sunt de talentis centum, singulis talentis per bases singulas supputatis. 28. De mille autem septingentis et septuaginta quinque, fecit capita columnarum, quas et ipsas vestivit argento. 29. Æris quoque oblata sunt talenta septuaginta duo millia, et quadringenti supra sicli, 30. ex quibus fusæ sunt bases in introitu tabernaculi testimonii, et altare æneum cum craticula sua, omniaque vasa, quæ ad usum ejus pertinent; 31. et bases atrii tam in circuitu quam in ingressu ejus, et paxilli tabernaculi atque atrii per gyrum.

Vers. 8. 8. FECIT ET LABRUM ÆNEUM CUM BASI SUA DE SPECULIS MULIERUM. — Pro *de speculis*, hebraice est במראת *bemarot*, id est in visionibus, vel in speculis, *q. d.* Fecit labrum ita tersum et politum, ut esset in speculum, quo scilicet intueri se possent mulieres, aliique convenientes ad tabernaculum. Ita Cajetanus. Verum Hebræum ב *beth*, id est *in*, sæpe sumitur pro מן *min*, id est *ex, de*. Unde alii passim vertunt, *de speculis*, quod primo, sic aliqui exponunt, non quod labrum factum esset ex speculis, sed quod haberet specula circum se pendentia, in quibus se specularentur et intuerentur sacerdotes, an maculis essent aspersi. Alii censent labrum factum esse ex speculis, id est, ex integumentis æneis speculorum. Ita Abulensis. Sed inania sunt hæc omnia; nam Septuaginta vertunt ἐκ κατόπτρων, et Chaldæus aliique passim per *marot* accipiunt specula, ex eisque proprie factum esse hoc labrum lavatorium censent. Neque mirum videri debet specula hæc facta fuisse ex ære: nam Plinius, lib. XXXIII, cap. IX, et lib. XXXIV, cap. XVII, docet olim optima specula fuisse Brundusina ex stanno et ære, diligentissime terso et polito, sed postea prælata fuisse argentea. Aliqui probabiliter censent specula hæc non confecisse totum labrum, sed ei circumcirca affabre fuisse inserta, et quasi intexta, quod satis facile concinnum videtur et elegans, dummodo fateamur ex his speculis constitisse labrum, non autem illa labro appensa fuisse duntaxat vel annexa: simili enim modo calices aurei intexuntur adamantibus aliisque gemmis magno tum pretio, tum ornatu et elegantia; de iis enim vere dici potest, quod facti sint vel constent adamantibus, esto majori ex parte constent auro (1).

Labrum factum ex speculis mulierum.

Specula olim flebant ex ære.

(1) S. Cyrillus, lib. II *De adorat. in spiritu et veritate:* « Mos erat Ægyptiorum præsertim mulieribus, si templa adirent, linea veste ornari, speculo sinistram, et sistro dextram, religiose decorari; quæ omnium electissimæ erant, et sacris initiatæ vix hunc honorem obtinebant. » Ex hoc loco Clericus concludit hujusmodi morem a mulieribus Ægyptiis Hebræas accepisse. Sed perperam. Pri-

Matronæ piæ olim sua ornamenta dicabant Deo.

Nota hic priscam devotionem et ritum, quo sanctæ mulieres, præsertim cum se totas Dei obsequio dicabant, sua specula et ornamenta, per quæ ante vanitati et mundo servierant, jam conversæ, secum pariter Deo consecrabant.

Exempla.

Ita Sophia socrus, et Constantina uxor Mauritii Imperatoris coronam in ecclesia Dei obtulerunt.

Ita S. Ludgardis matrona sanctissima, juxta ac castissima, præter patrimonium, totum etiam mundum muliebrem, quem in divite copia possidebat, ecclesiæ obtulit, ut divinus cultus inde promoveretur.

Ita Pulcheria, Arcadii filia, e patrimonio suo Virgini Deiparæ nobile templum ædificavit, in quo B. Virginis vestes cultu magnificentissimo asservari curavit, easque gemmis, monilibus, ac etiam vestibus propriis adornavit; itaque ipsa tam sua, quam se, suamque virginitatem B. Virgini devovit, atque in aula religiosam egit vitam, cum sororibus reginis, et cum fratre Theodosio Imperatore, ac postea cum Marciano marito Imperatore, illæsa semper virginitate; indeque ipsa imperium sub utroque piissime et felicissime administravit, tanti dux femina facti: testis est Cedrenus et alii.

De Paula Romana scribit S. Hieronymus in ejus epitaphio, eam, ubi primum se Deo dicasset, ornamenta sua omnia, atque adeo totum mundum muliebrem, in supellectilem sacram commutasse.

Idem fecit S. Elisabetha, filia Andreæ regis Hungariæ, et uxor Landgravii Thuringiæ, miræ sanctitatis matrona, pauperum mater et ancilla, uti videre est in ejus Vita.

Audi et Gentiles. Livia Augusti in Capitolio crystallum librarum circiter 50 dicavit: testis Plinius, lib. XXXVII, cap. II. Cum Romani pro decima prædæ parte, craterem aureum Delphos mittere decrevissent, nec aurum eis ad manum esset, statim matronæ ultro aurea ornamenta corpori suo detracta, omnia octo talentorum pondere, ad donum accommodaverunt. Ideoque a senatu decretum est, ut in earum laudibus, funebris haberetur oratio; testis est Plutarchus in *Camillo*.

Virgines ergo et feminæ Deo se dicantes abjiciant sua specula quæ inserviunt vitreæ carnis pulchritudini, eaque quasi anathemata Deo devoveant. Recte virginitas apud Nazianzenum in carmine ita suum habitum depingit :

Sordida cæsaries decor est mihi, vilis amictus.

Hinc S. Paula, teste S. Hieronymo, si vidisset virginem aliquam compliorem, contractione frontis et vultus tristitia arguebat errantem dicens: «Mun-

mum quidem, speculorum usus non apud Ægyptios tantum, sed et apud Indos veteres Græcosque reperitur : vid. Creuzeri *Symbolik*, III, p. 497. Deinde quid hic usus conjunctum habet cum speculis *mere privatis* mulierum Hebræarum, dum ea ultro, vel a Mose monitæ, pie et liberaliter conferunt ad labrum æneum conficiendum? Ita Bähr, *Symbolik des Mosaischen Cultus*. Tom. I, p. 496.

ditiam corporis atque vestitus, animæ esse immunditiam. »

Virginum ornamenta non in veste, sed in mente.

Quare virgines aliud sibi proponant speculum, quo mentem moresque suos imitando comant, videlicet B. Virginem, in qua, ut ait S. Ambrosius, lib. II *De Virg.*, « velut in speculo refulget species castitatis, et forma virtutis. » Vere S. Bernardus, *epist.* 113 : « Filiæ Babylonis, inquit, induuntur purpura et bysso, conscientia pannosa jacet; fulgent monilibus, moribus sordent. Contra, tu Sophia virgo, foris pannosa, intus speciosa resplendes, sed divinis aspectibus, non humanis: intus est quod delectat, quia intus est quem delectat. » Sileni imagines erant, quæ foris clausæ, ridiculam tibicinis speciem, apertæ, numen ostendebant. Talis fuit Socrates, inquit Alcibiades. Talis sit et virgo, foris vilis, intus formosa et divina.

QUÆ EXCUBABANT IN OSTIO TABERNACULI. — Pro *quæ excubabant*, Septuaginta vertunt; *quæ jejunabant;* Chaldæus, *quæ orabant;* Cajetanus vertit, *exercitantes*. Hebræum צבאת *tsobeoth* proprie significat *quæ militabant*, vel *excubabant* (1). Erant ergo, inquit R. Abraham, in Israel mulieres Deum colentes, quæ spreta mundi vanitate, soli Deo placere studentes, sua specula Domino offerebant, veniebantque per singulos dies ad ostium tabernaculi, ut orarent, et audirent Dei præcepta, quod postea fabricato solemni hoc tabernaculo, et præsertim exstructo templo magis in usu fuit: tunc enim certa ad ostium, vel in atrio tabernaculi habitatio constructa fuit hujusmodi piis mulieribus, deditis orationi, jejunio et servitio tabernaculi : qualis fuit Anna prophetissa, *Lucæ* cap. II, vers. 27; et de hisce loquitur Scriptura, I *Reg.* cap. II, vers. 22, et II *Machab.* cap. III, vers. 20. Inter has vixit et educata fuit B. Virgo, postquam triennis præsentata fuit in templo. Erat hic quasi cœtus religiosus feminarum devotarum illius temporis, qui quasi typus erat et umbra nostrarum Religiosarum, quæ merito ab hisce originem et antiquitatem suam arcessere possunt. Quin et Gentiles similem instituerunt cœtum virginum, quæ excubarent in fanis, et sacrum Vestæ ignem custodirent : unde et Vestales dicebantur.

Mulieres excubantes in tabernaculo, quales?

Ergo militantium exercitus est, virginum religiosarum multitudo, quæ in cœnobiis templisque in ipso ætatis flore præsentatæ, Deiparæ Virginis vexillum sequuntur. Nam, ut ait S. Chrysostomus, hom. 8 *in Matth.*, « Communis feminis et viris adversus diabolum pugna est, sæpeque in hujusmodi acie fortius viris feminæ decertarunt, ac trophæis insignibus claruerunt. » Atque ut alia taceam, femina infirma in se majorem habet hostem, puta inconstantiam et petulantiam mentis æque ac carnis, quam vir : victoria ergo feminæ nobilior est, quam viri. Quis non miretur Theclam,

Chori virginum sunt exercitus et milites Dei.

(1) צבא Non simpliciter *agminatim convenire* notat, sed *per vices* advenire ad ministeria obeunda, uti appareat e *Num.* IV, 23; VIII, 24.

Agnetem, Catharinam, Ursulam? « Hæc, inquit S. Ambrosius, lib. I *Virgin.*, est militia illa cœlestis, quam laudantium exercitus angelorum promittebat in terris. » Hinc illud *Cant.* cap. VII : « Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum ! » Castris similes sunt virginum congregationes, quia bellum cum hoste gerunt; choris, quia divinas laudes canunt, inquit Theodosius. Unde S. Ambrosius supra : « Quid, ait, de virginibus Bononiensibus loquar, quæ relicto parentum hospitio, tendunt in tabernaculis Christi indefessæ milites castitatis : nunc canticis spiritualibus personant, nunc victum operibus exercent? »

Vers. 9. 9. TENTORIA. — Ita vocat passim hic vela atrii vers. 10, 11, 12, 13, 15, 16, 18.

Vers. 17. 17. BASES COLUMNARUM FUERE ÆNEÆ, CAPITA AUTEM EARUM CUM CUNCTIS CÆLATURIS SUIS ARGENTEA. — « Capita, » recte : hoc enim Hebræum ו *vau* significare bene docet Oleaster ex cap. XXVII, vers. 10 et 11; ibi enim omnes *vauim* vertunt capita. Verum quia hic alia in Hebræo vox ponitur, quæ *caput* significat, ideo Septuaginta et Chaldæi *vauim* hic vertunt uncinos : utrique recte; nam *vau* clavum significat, ejusque caput : qualis est character litteræ Hebrææ ו *vau*, quem Septuaginta et Chaldæi vocant *uncinum;* et verisimile est talia fuisse columnarum capita, ut instar clavi inferius in cuspidem, superius in tuber desinerent, quod tuber erat capitum horum, sive uncinorum caput. Hebræa ergo sic vertas, *fixit columnarum capita cum suis cælaturis argentea, et operimentum, seu tuber capitum argenteum.* Sic intellige et versum 19.

Vers. 21. 21. HÆC SUNT INSTRUMENTA TABERNACULI, etc. IN CÆREMONIIS (id est *in ministerium*, ut habent Hebræa et Septuaginta) LEVITARUM. — Levitæ enim deserviebant tabernaculi dissolutioni et translationi, cum movenda essent castra; et rursus ejusdem compositioni, quando castra erant figenda, et his præerat Ithamar junior, Aaronis filius, cui proinde singulorum tabernaculi instrumentorum annumerandus erat computus : sicuti Levitis aliis ipsa vasa et supellectilem tabernaculi deferentibus, qui soli erant Caathitæ, sive posteri Caath, filii Levi, præerat Eleazar frater Ithamar senior; de his plura *Numer.* IV.

Vers. 25 et 26. 25 et 26. OBLATUM EST AUTEM AB HIS QUI TRANSIERUNT AD NUMERUM (qui numerati sunt) A VIGINTI ANNIS ET SUPRA, DE SEXCENTIS TRIBUS MILLIBUS, ET QUINGENTIS QUINQUAGINTA ARMATORUM; FUERUNT PRÆTEREA CENTUM TALENTA ARGENTI. — « Oblatum est, » non aurum quod præcessit : illud enim jam dixit non ex censu populi, sed ex spontaneis donariis fuisse collectum; sed id quod in censu ex lege cap. XXX, 13, jussum erat offerri, videlicet medius siclus argenti a singulis capitibus, ita ut oblata fuerint argenti centum talenta et 1775 sicli a sexcentis tribus millibus et 550 Hebræis (tot enim censebantur et numerabantur); sed noster Interpres id intelligendum reliquit ex cap. XXX, 13; et ne eadem toties repeteret, omisit, ut solet, maxime cum sequatur proxime illa argenti per censum collecti distributio : quod ergo vertit, « fuerunt præterea centum, » etc. idem est ac si dicat, « fuerunt ergo, » vel « unde fuerunt præterea, » *q. d.* Oblatum fuit in censu a sexcentis tribus millibus et 550, id quod erat præceptum, videlicet medius siclus a quolibet capite : unde factum est ut « præterea, » id est præter illa 29 talenta auri, de quibus dixi vers. 24, collecta fuerint ex censu populi argenti talenta centum. Hoc ita esse, hunc-que esse sensum patet ex Hebræo, qui sic habet ad verbum, *et argenti,* scilicet numerus et pondus, quod oblatum fuit *a numeratis Synagogæ,* fuit *centum talenta, mille septingenti septuaginta quinque sicli juxta pondus sanctuarii; dimidium sicli in singula capita,* vel *a singulis capitibus,* scilicet oblatum fuit. Pari modo habent Septuaginta et Chaldæa, sed noster Interpres multa ex iis, ob causam jam dictam, omisit. Ita Abulensis, Lipomanus et Hebræi.

Talentum Hebræum continebat tria millia siclorum. Probatur.

Hinc manifeste colligitur (ut recte advertit Vilalpando et pauci alii) talentum Hebræum continuisse tria millia siclorum. Id demonstro : nam Hebræa, Chaldæa et Septuaginta hic dicunt *primo,* eos qui fuerunt hic censi, et obtulerunt census pretium, fuisse sexcenta et tria millia cum 550; cumque quisque eorum obtulerit dimidium siclum, sequitur summam oblatam, sive summam siclorum fuisse dimidium numeri offerentium, ita ut tot fuerint integri sicli, quot erant offerentes dimidia ex parte; itaque cum offerentes medium siclum fuerint sexcenta et tria millia et 550, sequitur siclos integros ab eis oblatos fuisse ad trecenta millia et 1775. *Secundo,* Hebræa, Chaldæa et Septuaginta dicunt summam ab eis oblatam fuisse 100 talentorum et 1775 siclorum : summa autem oblata fuit, uti jam dixi, trecenta millia siclorum et 1775 sicli; ergo trecenta millia siclorum et 1775 sicli faciunt 100 talenta et 1775 siclos. Jam tolle 1775 siclos utrimque communes, ecce tunc remanent 100 talenta æquivalentia trecentis millibus siclorum; divide ergo trecenta millia siclorum per 100 talenta, habebis pro quolibet talento tria millia siclorum. Hic ergo clara demonstratione arithmetica concluditur talentum Hebræum continuisse tria millia siclorum, sive argenti, si argenteum esset; sive auri, si aureum esset talentum.

Objectio.

Dices : Josephus talento assignat sex millia siclorum; nam libro III, cap. VII, ait candelabrum (quod erat factum ex talento auri) fuisse pondo minarum 100; mina autem habebat siclos 60, ut patet ex *Ezech.* XLV, 12, et ex Josepho, lib. XIV *Antiq.* cap. XII. Jam multiplica centum minas per sexaginta siclos, invenies sex millia siclorum pro 100 minis, et consequenter pro talento. Aliqui, ut Arias Montanus, Didacus, Covarruvias, Torniellus, Robertus Cenalis, lib. *De Mensuris,* et alii, ob hoc argumentum putant fuisse duplex talentum apud Hebræos, unum minus et commune jam

An Hebræi habuerint duplex talentum?

dictum trium millium siclorum, alterum majus et sacrum sex millium siclorum, ex quo factum sit candelabrum. Verum ex Scriptura hæc diversitas et varietas talenti probari nequit; neque verisimile est Mosen æquivoce et varie sumere talentum. Adde Mosen siclos oblatos hic a populo jussisse appendi ad siclum sanctuarii, *Exod.* XXX, 24; ergo et talentum ad talentum sanctuarii appendit: talentum autem sanctuarii magnum erat, et secundum illos qui duplex ponunt, majus fuit profano et vulgari; majus ergo hic accipi debet, non minus, id ipsum pluribus demonstrat Vilalpando in *Apparatu urbis et templi*, part. II, lib. II, disp. IV, cap. XXXIII, fol. 409.

Resp. Ad Josephum respondeo, vel in numeris ejus hic, uti et alibi sæpe, irrepsisse errorem; vel Josephum minam hic minorem accipere, scilicet quæ non 60, sed 30 tantum siclos contineat: tunc enim 100 minæ facient tria millia siclorum. Cum ergo talentum Hebræum continuerit tria millia siclorum, siclus autem continuerit 4 drachmas, hoc est appenderit 4 regales Hispanicos, 5 stuferorum in argento, et 4 coronatos Francicos in auro: sequitur quod talentum auri continuerit et valuerit 12 millia coronatorum Francicorum; talentum vero argenti continuerit et valuerit tria millia florenorum.

Talentum auri valebat 12 millia coronatorum Francicorum. Argenti, tria millia florenorum.

Corollarium Primum. Hinc sequitur *primo*, talentum Hebræum majus fuisse Euboico, quod 400 aureos, et Attico, quod 600 valebat.

Secundum. Sequitur *secundo*, talentum Hebræum appendisse nonaginta tres libras auri, cum duodecim unciis: libram hic accipio majorem sedecim unciarum. Id patet; nam siclus continebat quatuor drachmas, sive semiunciam (octo enim drachmæ faciunt unciam): quare 32 sicli (qui faciunt 128 coronatos Francicos) faciunt unam libram auri; ergo per multiplicationem, talentum continens tria millia siclorum continebat 93 libras auri cum 12 unciis. Si vero libram accipias minorem, sive vulgarem duodecim unciarum, tunc talentum continebat 125 libras.

Talentum auri continebat 125 libras auri.

Tertium. Sequitur *tertio*, facile ex uno talento, id est ex 93 libris majoribus fieri potuisse candelabrum templi, *Exodi* XXV, 39. Rursum, Davidem coronam Melchom unius talenti non potuisse gestasse, sed tantum ex ea, id est ex ejus parte, fecisse sibi diadema, uti exponitur I *Paral.* XX, 2: non enim decuisset regem sanctum ipsam idoli coronam gestare.

Quartum, Giezi duobus talentis emit agros, vineas, etc. Sequitur *quarto*, Giezi duobus talentis argenti facile potuisse emere agros, vineas, pecora et ancillas, ut dicitur IV *Reg.* cap. V, 23 et 26; nam talentum argenti erant tria millia siclorum argenti, id est, tria millia florenorum: duo ergo talenta argenti valebant sex millia florenorum.

Quintum. Sequitur *quinto*, cum mina continuerit 69 siclos *Ezech.* XLV, 12, quod talentum continuerit 50 minas; mina ergo fere continebat duas libras, quare peltæ 300 minarum quas fecit Salomon, III *Reg.* X, 17, sexcentarum fere erant librarum, ac proinde ab uno homine vix ferri poterant, erantque magis magnificentiæ causa quam usus, unde alia scuta fecit ipse 600 siclorum.

Sextum. David Salomonis pro templo reliquit 2400 millia auri.

Sequitur *sexto*, cum David Salomoni pro templo reliquerit, ut habetur I *Par.* XXII, 14, centum millia talenta auri, et argenti mille millia talenta, eum reliquisse ipsi bis mille et quadringentos milliones auri; millionem voco decies centena millia aureorum; nam centum millia talenta auri faciunt mille ducentos milliones auri: tantumdem præcise in auro efficiunt mille millia talenta argenti; nam argenti ad aurum proportio est decupla: unus enim siclus auri valet 10 (et hoc tempore 12) siclos argenti. Quæ summa auri vix jam in tota Europa reperiretur; quare David eam non tam sua industria, quam Dei benedictione comparavit, ut discant reges si Deo servierint, se cum Davide et Salomone gloriosos et divites fore. Modum ea colligendi ex Ophir, ex tributis, ex bellis et spoliis, ex muneribus colligit Vilalpando et Pineda, tract. *De Salomone*. Undecumque ea habuerit, certum est e Scriptura tantum auri et argenti illum habuisse: unde et Scriptura ait tempore Salomonis tantam fuisse auri copiam in Jerusalem, quanta est lapidum, et argentum non fuisse æstimatum. Sed de talento et ponderibus plura dicam in fine Pentateuchi.

Vers. 25. 25. ARMATORUM. — Hæc vox non est in Hebræo, sed intelligitur: soli enim apti ad bella, et qui ferre poterant arma, censebantur, ut dixi cap. XXXVIII, vers. 14.

Vers. 27. 27. CENTUM BASES. — Erant enim 40 ad Austrum, 40 ad Aquilonem, 16 ad partem Occidentalem, 4 sub quatuor columnis dividentibus Sanctum a Sancto sanctorum, uti præceptum erat cap. XXVI, vers. 19 et 36. Ita Abulensis, Cajetanus et alii.

Vers. 28. 28. DE MILLE AUTEM SEPTINGENTIS ET SEPTUAGINTA QUINQUE. — Intellige, siclis, uti exprimunt Septuaginta et Chaldæa, et patet ex præcedentibus.

FECIT CAPITA COLUMNARUM, QUAS ET IPSAS VESTIVIT ARGENTO, — *q. d.* Id quod supra 100 talenta argenti, ex censu collecta, reliquum erat, puta 1775 siclos, impendit Moses capitibus columnarum et columnis inaurandis; non quasi hi 1775 sicli ad hoc sufficerent, sed quod ii ad hoc expensi fuerint; reliquum vero quod deerat, suppletum fuerit ex pecunia alia sponte a populo oblata, quæ hic non numeratur, cujus meminit Scriptura, cap. LV, 24: tantum enim voluit Moses hic recensere, in quem usum expensa fuerit pecunia ex censu collecta.

Nota: Pro *fecit capita*, hebraice est *texit capita*, *q. d.* Tuber capitum fecit ex argento; Septuaginta vertunt, *deauravit capita earum;* sed plane videtur in eis mendum irrepsisse, ut pro καταργύρωσε, id est deargentavit, irrepserit illi affine κατεχρύσωσε, id est deauravit: nam deargentata, non vero deaurata, fuisse hæc columnarum capita, docent Hebræa, Chaldæus et Noster, et patet vers. 19.

Nota *secundo*: Pro *vestivit*, hebraice est חשק *chissac*, id est circulavit, gyravit, id est vestivit per circuitum et gyrum.

Vers. 29. 29. ÆRIS QUOQUE OBLATA SUNT TALENTA SEPTUAGINTA DUO MILLIA, ET QUADRINGENTI SUPRA (alterius) SICLI. — Hebræa et Chaldæus sic habent, *æs oblatum fuit septuaginta talenta, et duo millia, et quadringenti sicli*. Quod Septuaginta uti nunc eos habemus sic accipiunt ut duo millia non ad talenta, sed ad siclos referant : eos sequuntur Cajetanus, Lipomanus, Vatablus et alii recentiores. Verum sic plura fuissent argenti talenta oblata et expensa, quam æris. Adhæc, tam pauco ære non potuerunt fieri 60 columnæ æneæ, de quibus dixi cap. XXVII, vers. 10, item bases, altare, ollæ, paxilli, etc. cum solæ bases argenteæ tabularum singulæ talentum continerent, ut vidimus cap. XXVII. Quare optime omnia consentient, si sic distinguas et interpungas : « Oblata sunt æris talenta septuaginta, duo millia (supple talenta, neque mirum majorem numerum hic postponi minori; hoc enim solemne est Hebræis) et quadringenti sicli; » ita ut fuerint duo millia talentorum æris, et 70 talenta, et 400 insuper sicli. Porro in Septuaginta plurimos irrepsisse errores in numeris nemo nescit, uti et hic trecenta supra alios numeros irrepserunt.

Nota : Duo millia talentorum cum 70 talentis et 400 siclis, faciunt 258766 libras; quare hæc omnia non potuerunt vehi sex plaustris, datis Gersonitis et Meraritis ad subvehenda vasa tabernaculi, *Numer.* VII, 3. Nam unum plaustrum cum duobus bobus non potest vehere tria millia librarum; sed ut summum duo millia cum medio, uti aurigæ testantur : quare ad 258766 libras subvehendas, opus fuit centum plaustris. Ergo quæ sex plaustris imponi non potuerunt, partim aliis imposita sunt, partim ab ipsis Levitis portata sunt, denique pars æris, quæ in vasa tabernaculi insumpta non fuit, sed superfuit, utpote profana, non a Levitis, sed a laicis aliarum tribuum curribus devecta fuit.

CAPUT TRIGESIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Vestes sacerdotales conficiuntur, completurque tota fabrica tabernaculi cum sua supellectile.

1. De hyacintho vero et purpura, vermiculo ac bysso fecit vestes, quibus indueretur Aaron, quando ministrabat in sanctis, sicut præcepit Dominus Moysi. 2. Fecit igitur superhumerale de auro, hyacintho, et purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta, 3. opere polymitario, inciditque bracteas aureas, et extenuavit in fila, ut possent torqueri cum priorum colorum subtegmine, 4. duasque oras sibi invicem copulatas in utroque latere summitatum, 5. et balteum ex iisdem coloribus, sicut præceperat Dominus Moysi. 6. Paravit et duos lapides onychinos, astrictos, et inclusos auro, et sculptos arte gemmaria nominibus filiorum Israel; 7. posuitque eos in lateribus superhumeralis, in monimentum filiorum Israel, sicut præceperat Dominus Moysi. 8. Fecit et rationale opere polymito juxta opus superhumeralis, ex auro, hyacintho, purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta : 9. quadrangulum, duplex, mensuræ palmi. 10. Et posuit in eo gemmarum ordines quatuor. In primo versu erat sardius, topazius, smaragdus. 11. In secundo, carbunculus, sapphirus, et jaspis. 12. In tertio, ligurius, achates, et amethystus. 13. In quarto, chrysolithus, onychinus, et beryllus, circumdati et inclusi auro per ordines suos. 14. Ipsique lapides duodecim, sculpti erant nominibus duodecim tribuum Israel, singuli per nomina singulorum. 15. Fecerunt in rationali et catenulas sibi invicem cohærentes, de auro purissimo, 16. et duos uncinos, totidemque annulos aureos. Porro annulos posuerunt in utroque latere rationalis, 17. e quibus penderent duæ catenæ aureæ, quas inseruerunt uncinis, qui in superhumeralis angulis eminebant. 18. Hæc et ante et retro ita conveniebant sibi, ut superhumerale et rationale mutuo necterentur, 19. stricta ad balteum, et annulis fortius copulata, quos jungebat vitta hyacinthina, ne laxa fluerent, et a se invicem moverentur, sicut præcepit Dominus Moysi. 20. Fecerunt quoque tunicam superhumeralis totam hyacinthinam, 21. et capitium in superiori parte contra medium, oramque per gyrum

capitii textilem; 22. deorsum autem ad pedes mala punica ex hyacintho, purpura, vermiculo, ac bysso retorta; 23. et tintinnabula de auro purissimo, quæ posuerunt inter malogranata in extrema parte tunicæ per gyrum : 24. tintinnabulum autem aureum, et malum punicum, quibus ornatus incedebat pontifex quando ministerio fungebatur, sicut præceperat Dominus Moysi. 25. Fecerunt et tunicas byssinas opere textili Aaron et filiis ejus, 26. et mitras cum coronulis suis ex bysso : 27. feminalia quoque linea, byssina; 28. cingulum vero de bysso retorta, hyacintho, purpura, ac vermiculo bis tincto arte plumaria, sicut præceperat Dominus Moysi. 29. Fecerunt et laminam sacræ venerationis de auro purissimo, scripseruntque in ea opere gemmario, Sanctum Domini; 30. et strinxerunt eam cum mitra vitta hyacinthina, sicut præceperat Dominus Moysi. 31. Perfectum est igitur omne opus tabernaculi et tecti testimonii, feceruntque filii Israel cuncta quæ præceperat Dominus Moysi. 32. Et obtulerunt tabernaculum et tectum et universam supellectilem, annulos, tabulas, vectes, columnas ac bases, 33. opertorium de pellibus arietum rubricatis, et aliud operimentum de ianthinis pellibus, 34. velum, arcam, vectes, propitiatorium, 35. mensam cum vasis suis et propositionis panibus; 36. candelabrum, lucernas et utensilia earum cum oleo; 37. altare aureum, et unguentum, et thymiama ex aromatibus, 38. et tentorium in introitu tabernaculi; 39. altare æneum, retiaculum, vectes et vasa ejus omnia, labrum cum basi sua, tentoria atrii, et columnas cum basibus suis; 40. tentorium in introitu atrii, funiculosque illius et paxillos. Nihil ex vasis defuit, quæ in ministerium tabernaculi, et in tectum fœderis jussa sunt fieri. 41. Vestes quoque, quibus sacerdotes utuntur in Sanctuario, Aaron scilicet et filii ejus, 42. obtulerunt filii Israel, sicut præceperat Dominus. 43. Quæ postquam Moyses cuncta vidit completa, benedixit eis.

Vers. 4. 4. DUASQUE ORAS, — supple fecit. De his oris vide cap. XXVIII, vers. 10 (1).

Vers. 29. 29. SCRIPSERUNTQUE IN EA OPERE GEMMARIO (id est in lamina insculpserunt, uti gemmarii insculpere solent in sigillis), SANCTUM DOMINI.

Vers. 31. 31. TECTI, — tegumenti ex sagis cilicinis, quod hebraice *ohel* vocatur, de quo cap. XXVI, vers. 7.

Vers. 43. 43. BENEDIXIT EIS, — scilicet Moses filiis Israel, qui tam liberaliter sua obtulerant Domino, et qui tam studiose operi tabernaculi insudarant, obedientes promptissime voci Domini. Patet ex Hebræo. Non recte ergo Abulensis sic explicat: « Benedixit illis, » scilicet instrumentis tabernaculi, quasi hæc benedictio fuerit eorum consecratio; nam illa non hic, sed postea cap. XL, vers. 9, in tabernaculi erectione per unctionem consecrata sunt.

Tropologice, qui in anima sua tabernaculum Dei, per humilitatem, charitatem, orationem aliasque virtutes ædificant, eo completo benedicentur a Domino, quia gratia et gloria cumulabuntur. « Benedictio super caput justi; os autem impiorum operit iniquitas, » inquit Sapiens *Proverb.* cap. XX. Sic benedictus fuit Abraham : « Per memetipsum juravi, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito : benedicam tibi, et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, » *Gen.* cap. XXII, vers. 16. Hinc *Eccli.* cap. XI, vers. 24 : « Benedictio Dei in mercedem justi festinat. » Et cap. XXXIX, vers. 27 : « Benedictio illius quasi fluvius inundabit, » præsertim in die judicii, cum suis electis dicet : « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. »

(1) Vers. 3. Apparent in toto hoc capite (in hebræo) verba singularia pluralibus mixta, cujus rei causa est, quia plures essent artifices : conf. supra XXXVI. Itaque sicubi Mosi sermo est singulari numero, vel alii artifices subaudiuntur, vel ab *uno* horum artificum res fuit elaborata.

Vers. 17-21. In Hebr. est : Et posuerunt duas catenas ex auro super duos annulos ad extremitates rationalis. 18. Et duas extremitates duarum catenarum posuerunt super duas fundas, et posuerunt illas super partes humerales ephod, e regione anteriori. 19. Et fecerunt duos annulos ex auro, et posuerunt super duas extremitates rationalis, juxta oram ejus, quæ est ad transitum ephod, intrinsecus. 20. Et fecerunt duos annulos ex auro, et posuerunt illos super duas partes humerales ephod infra, e regione anteriori, ad junctionem ejus, supra (prope) vinculum ephod. 21. Et obligaverunt pectorale per annulos ejus ad annulos ephod, cum vinculo hyacinthino, ut maneret super vinculum ephod, et non avelleretur pectorale de super ephod, ut præcepit Jehovah Moysi.

CAPUT QUADRAGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Moses erigit tabernaculum, illudque per omnes partes et membra apte disponit. Secundo, vers. 32, nubes gloriæ Domini operit tabernaculum, illique deinceps incumbit.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : 2. Mense primo, prima die mensis, eriges tabernaculum testimonii, 3. et pones in eo arcam, demittesque ante illam velum; 4. et illata mensa, pones super eam quæ rite præcepta sunt. Candelabrum stabit cum lucernis suis, 5. et altare aureum in quo adoletur incensum, coram arca testimonii. Tentorium in introitu tabernaculi pones, 6. et ante illud altare holocausti; 7. labrum inter altare et tabernaculum, quod implebis aqua. 8. Circumdabisque atrium tentoriis, et ingressum ejus. 9. Et assumpto unctionis oleo unges tabernaculum cum vasis suis, ut sanctificentur; 10. altare holocausti et omnia vasa ejus, 11. labrum cum basi sua : omnia unctionis oleo consecrabis, ut sint Sancta sanctorum. 12. Applicabisque Aaron et filios ejus ad fores tabernaculi testimonii, et lotos aqua 13. indues sanctis vestibus, ut ministrent mihi, et unctio eorum in sacerdotium sempiternum proficiat. 14. Fecitque Moyses omnia quæ præceperat Dominus. 15. Igitur mense primo anni secundi, prima die mensis, collocatum est tabernaculum. 16. Erexitque Moyses illud, et posuit tabulas ac bases et vectes, statuitque columnas, 17. et expandit tectum super tabernaculum, imposito desuper operimento, sicut Dominus imperaverat. 18. Posuit et testimonium in arca, subditis infra vectibus, et oraculum desuper. 19. Cumque intulisset arcam in tabernaculum, appendit ante eam velum, ut expleret Domini jussionem. 20. Posuit et mensam in tabernaculo testimonii ad plagam septentrionalem extra velum, 21. ordinatis coram propositionis panibus, sicut præceperat Dominus Moysi. 22. Posuit et candelabrum in tabernaculo testimonii e regione mensæ in parte australi, 23. locatis per ordinem lucernis, juxta præceptum Domini. 24. Posuit et altare aureum sub tecto testimonii contra velum, 25. et adolevit super eo incensum aromatum, sicut jusserat Dominus Moysi. 26. Posuit et tentorium in introitu tabernaculi testimonii, 27. et altare holocausti in vestibulo testimonii, offerens in eo holocaustum, et sacrificia, ut Dominus imperaverat. 28. Labrum quoque statuit inter tabernaculum testimonii et altare, implens illud aqua. 29. Laveruntque Moyses et Aaron ac filii ejus manus suas et pedes, 30. cum ingrederentur tectum fœderis, et accederent ad altare, sicut præceperat Dominus Moysi. 31. Erexit et atrium per gyrum tabernaculi, et altaris, ducto in introitu ejus tentorio. Postquam omnia perfecta sunt, 32. operuit nubes tabernaculum testimonii, et gloria Domini implevit illud. 33. Nec poterat Moyses ingredi tectum fœderis, nube operiente omnia, et majestate Domini coruscante, quia cuncta nubes operuerat. 34. Si quando nubes tabernaculum deserebat, proficiscebantur filii Israel per turmas suas : 35. si pendebat desuper, manebant in eodem loco. 36. Nubes quippe Domini incubabat per diem tabernaculo, et ignis in nocte, videntibus cunctis populis Israel per cunctas mansiones suas.

Vers. 1. 1. LOCUTUSQUE EST DOMINUS AD MOYSEN, — hoc eodem primo anno egressus Hebræorum ex Ægypto, cum adhuc Hebræi morarentur in Sina, cumque jam quasi completa esset fabrica tabernaculi, puta sub finem anni primi, et instante anno secundo. Ita Abulensis.

Vers. 2. 2. MENSE PRIMO. — Intellige secundi anni egressus ex Ægypto, ut patet vers. 15.

ERIGES TABERNACULUM TESTIMONII. — Hebraice, eriges *miscan ohel*, id est, tabernaculum tentorii testimonii : *miscan* enim, id est tabernaculum, vocatur infimum aulæum picturatum, quod supra

se habebat *ohel*, id est tentorium, sive sagum e pellibus caprinis.

Allegorice, tabernaculum erectum est, cum corpus Christi in utero B. Virginis efformatum, et post 33 annos rursum a mortuis excitatum est, inquit S. Cyrillus, lib. IV *in Joan.* cap. XXVIII. Rursum, cum Ecclesia Christi formata et collecta est; vide dicta cap. XXVI, vers. 1.

Vers. 4. 4. CANDELABRUM STABIT CUM LUCERNIS SUIS. — Pro *stabit* hebraice est העליה *haaleta*, id est ascendere facies, quod Septuaginta et Noster vertunt, *elevabis*, ut stet erectum in altum. *Secundo*, Chaldæus et recentiores vertunt, *accendes;* id quoque aptum est, si intelligas, *accendes*, scilicet vespere, juxta id quod præceptum est cap. XXVII, vers. 11 : utrumque enim factum est a Mose; sic et mensa posita est cum suis panibus. Vide *Numer.* cap. IV, initio.

Vers. 5. 5. TENTORIUM (id est velum) IN INTROITU TABERNACULI PONES, — puta ante Sanctum, de quo cap. XXVI, vers. 36 : passim enim hic *tentoria* vocantur vela, ut vers. 8, 26, 31.

Vers. 13. 13. UNCTIO EORUM IN SACERDOTIUM SEMPITERNUM PROFICIAT, — *q. d.* Ista consecratio faciet eos sacerdotes quamdiu vivent : sicut in novo Testamento sacerdotes per characterem Ordinis, quem semel in consecratione acceperunt, permanent sacerdotes in æternum. Ita Abulensis; unde Septuaginta et Hebræa pro *proficiat*, habent *erit;* Chaldæus vertit, *unges eum, sanctificabisque illum, ut ministret coram me.*

Vers. 15. Septem mensibus laboratum est in fabrica tabernaculi. 15. MENSE PRIMO ANNI SECUNDI, PRIMA DIE MENSIS COLLOCATUM EST TABERNACULUM. — Nota : Moses descendit de monte cum tabulis legis die 28 mensis quinti anni primi egressus ex Ægypto, uti ostendi cap. XXXIV, vers. 28; ab illa ergo die usque ad finem anni per septem menses fabricavit Moses tabernaculum cum suis vasis, ita ut initio sequentis anni, puta primo die, erexerit tabernaculum.

Nota *secundo* : In hac collocatione sive erectione tabernaculi finitur Exodus : unde patet Exodum finire et terminare historiam Hebræorum in anno secundo, mense primo, egressus eorum ex Ægypto, cum ipsi versarentur in 12 mansione in Sina, quod fuit anno mundi 2455, a diluvio anno 798.

Vers. 17. 17. TECTUM, — secundum aulæum caprinum, quod hebraice vocatur *ohel;* et super istud stravit tertium tabernaculi operimentum ex pellibus, quod hebraice vocatur מכסה *michse* (1).

Vers. 18. 18. POSUIT ET TESTIMONIUM (id est legem, puta tabulas legis) IN ARCA.

(1) Significat האהל generatim id, quod קלעים seu יריעות speciatim, nempe universas cortinas, quibus constabat אהל, ex multis cortinis confectum. Nec אהל idem est ac *tegumentum*, nam subditur, *et posuit tegumentum tentorii.* Tegebat Tabernaculi tegumentum ipsas cortinas, quia cortinæ, quibus tentorium constabat, non modo latera vestiebant, sed etiam pro tecto erant inferiore, cui tecto impositæ erant arietinæ pelles.

Vers. 24. 24. POSUIT ALTARE AUREUM SUB TECTO TESTIMONII, — sub tecto continente arcam, in qua erat testimonium, id est lex, sive tabulæ legis.

An altare thymiamatis fuerit in Sancto sanctorum? Affirmant Origenes et S. Augustinus. Prob. Primo.

CONTRA VELUM. — Gravis hic est quæstio, ubinam situm fuerit altare hoc aureum, puta thymiamatis, an intra Sanctum sanctorum, an extra? nam fuisse intra Sanctum sanctorum censet Origenes, hom. 9 *in Lev.*, S. Augustinus, *Quæst.* CLXXIII, et alii, quos sine nomine refert Theophylactus in cap. IX *Hebr.;* unde S. Augustinus τὸ *contra velum* ita accipit, ac si dictum esset, *intra velum.* Et probatur primo ex eo quod cap. XXX; vers. 10, dicitur : « Et deprecabitur Aaron super cornua ejus (altaris thymiamatis) semel per annum in sanguine; » hoc autem videtur accipiendum de Sancto sanctorum : nam in illud semel tantum in anno ingrediebatur pontifex, in Sanctum vero quotidie. *Secundo*, quia III *Reg.* cap. VI, vers. 22, dicitur : « Sed et totum altare oraculi texit auro, » quod non aliud esse potest, quam altare thymiamatis : erat ergo hoc altare oraculi, id est intra oraculum, et Sanctum sanctorum. *Tertio, Hebr.* cap. IX, vers. 3, Sancta sanctorum dicuntur habuisse aureum thuribulum; hoc autem non videtur aliud esse quam altare thymiamatis : nam Apostolus hujus altaris alio nomine non meminit, cum describit ea quæ erant in tabernaculo; nec Moses thuribuli istius meminit, quod ab altari thymiamatis distinctum, positum fuerit intra Sanctum sanctorum. Secundo. Tertio.

Accedit et ratio : altare enim illud factum erat ad thymiama coram Deo adolendum; ergo ponendum erat intra Sancta sanctorum ante arcam, ubi maxime Deus suam præsentiam exhibebat. Quarto.

Respondeo altare thymiamatis fuisse in Sancto.

Verum dico cum S. Hieronymo, Theophylacto in *Hebr.* cap. IX, Beda, lib. III *De tabern.* cap. XI et XII, S. Thoma, I II, *Quæst.* CII, art. 4, ad 6, Lyrano, Abulensi, Cajetano, Lipomano, Ribera et aliis, altare thymiamatis fuisse extra Sanctum sanctorum, ideoque inter illud et altare hoc medium fuisse velum. Est hæc expressa sententia Josephi, III *Antiq.* VII et VIII, cap. II. Probatur *primo*, ex eo quod cap. XXX, vers. 6, dicitur : « Pones altare contra velum, quod ante arcam pendet, » ubi hebraice est, *coram velo*, vel *ante velum*, non autem, intra velum. Resp. Primo.

Secundo, quia hoc cap. XL, vers. 4 et 5, ubi ordo tabernaculi describitur, dicitur quod Moses posuit arcam in tabernaculo, et appendit ante eam velum; deinde posuit mensam in tabernaculo, et candelabrum, et altare thymiamatis contra velum : ergo non erat hoc altare post velum, intra Sanctum sanctorum, sed ante, videlicet cum mensa et candelabro. Secundo.

Tertio, quia, ut cap. XXX, vers. 8, dicitur, quotidie debebat adolere sacerdos incensum in hoc altari; Sanctum vero sanctorum tantum semel in anno ingredi poterat : ergo hoc altare non erat intra Sanctum sanctorum. Unde *Levit.* cap. XVI, vers. 18, loquens de die expiationis (de qua et Tertio.

cap. XXX, vers. 10, loquitur Moses), quando sacerdos, post ingressum in Sanctum sanctorum, expiabat altare thymiamatis, sic ait : « Cum autem exierit (Sancto sanctorum) ad altare quod coram Domino est; » ergo egredi debebat ex Sancto sanctorum ad altare thymiamatis : non ergo altare hoc erat intra Sanctum sanctorum.

Quarto. *Quarto*, in Sanctum sanctorum ingredi tantum licebat summo sacerdoti : atqui ad altare incensi ingrediebantur, et apponebant incensum minores etiam sacerdotes, ut patet de Zacharia, *Luc.* XVIII, qui cum esset de vice Abia, quæ erat octava sors sacerdotum, I *Paral.* XIV, de qua non erat summus sacerdos, sorte exiit ut poneret incensum. Quod enim dicunt aliqui semel introisse pontificem in Sanctum sanctorum cum effuso sanguine, alias vero sæpe introisse, sed eo non effuso, plane repugnat Apostolo *ad Hebr.* IX, 6 et 7, et *Lev.* XVI, 2.

Ad primum Resp. Ad *primum* respondeo, non loqui Dominum de incenso quod adolebatur quotidie, sed de expiatione altaris thymiamatis, quod, ut dixi argumento tertio, semel in anno cum universo tabernaculo, post ingressum in Sanctum sanctorum, a sacerdote expiabatur.

Ad secundum Resp. Ad *secundum* respondeo, dici altare oraculi, quia factum erat ad hoc, ut incensum evaporaret versus oraculum : unde et velum, quod interpositum erat inter Sanctum sanctorum, et Sanctum, non pertingebat a deorsum ad tectum omnino, sed superne aliqua pars relinquebatur vacua, qua fumus aromatum ingrediebatur oraculum : quanquam et altare oraculi dici possit, quia contiguum erat oraculo, non vero dissitum ab eo, uti erat altare holocaustorum; imo altare hoc thymiamatis plane respondens erat oraculo, soloque velo ab eo dissidebat; clarius id Hebræa insinuant, quæ habent, *altare ad oraculum*, quod Septuaginta vertunt, *altare ante faciem oraculi*.

Ad tertium Resp. Ad *tertium*, interpretes multi, ut Anselmus, S. Thomas et Lyranus in IX *ad. Hebr.*, thuribulum, de quo Apostolus, esse volunt illud, quo pontifex intrans Sanctum sanctorum adolebat incensum; sed S. Augustinus et Origenes, *hom.* 9, hic bene docent thuribulum hoc non aliud fuisse quam altare thymiamatis, idque valide confirmat Abulensis, *Quæst.* VI; nam præter illa quæ argumentum proposuit, si illud thuribulum pontificis intrantis Sanctum sanctorum erat in Sancto sanctorum, ergo ter ut minimum ingrediebatur pontifex Sanctum sanctorum, videlicet *primo*, ut efferret thuribulum; *secundo*, quando cum eo thure et igne impleto redibat, ut adoleret incensum, et suffumigaret in Sancto sanctorum; *tertio*, cum rursum egrediendum illi erat ad cineres et ignem exponendum, et regrediendum ad reponendum thuribulum; cum tamen tantum semel illi licuerit ingredi Sanctum sanctorum, idque non nisi cum thuribulo et suffitu; nam moriturus alioqui erat pontifex, qui sine his ingrederetur, ut patet *Levit.* cap. XVI, vers. 12 et 13.

Altare thymiamatis Paulus vocat thuribulum, cur? Respondeo ergo, thuribulum hoc esse idem cum altari thymiamatis : neque mirum altare thuribulum dici, quia magni thuribuli instar erat, nec alium habebat usum, quam thuribulum, videlicet ut contineret ignem et incensum. Clarius hoc est in Græco *ad Hebr.* cap. IX, nam ibi hoc thuribulum dicitur θυμιατήριον, quo prorsus eodem nomine Josephus altare thymiamatis nominat, lib. III *Antiq.* cap. VII, et VI *Belli*, cap. VI; et si etymon spectes, suffumigatorium sonat : quod tam de thuribulo proprie dicto, quam de altari accipi potest. Simili terminatione θυσιαστήριον altare dicitur, quasi sacrificatorium.

Ad argumentum respondeo, quod dicit Apostolus Sanctum sanctorum habuisse aureum thuribulum, id est altare thymiamatis, intellige, non intra se, sed extra velum habuisse illud sibi obversum, et ob sui cultum et reverentiam erectum : unde et altare oraculi dicitur, ut dixi in responsione ad secundum. Varii enim sunt habendi modi, ait Aristoteles in *Postprædicamentis* : sic domus habet atrium; flumen habet ripam; templum habet turrem, non utique intra se : vide Riberam, lib. *De Templo*, cap. VII. Erat ergo hoc altare coram velo directe vergens ad propitiatorium, ait Cajetanus, ac consequenter erat in medio latitudinis tabernaculi, ita ut sacerdos super illud incendens thymiama et orans, faciem suam directe haberet ad propitiatorium, intercedente tamen velo, ut sic se quasi Deo obverteret. Vide Vilalpando, pag. 341.

Ad quartum. Ad *quartum* respondeo, erectum esse hoc altare ad adolendum thymiama coram Deo, sed non a Beatis in cœlo in clara Dei præsentia, qui significabantur Sancto sanctorum; sed ab Ecclesia militante, quæ per Sanctum significabatur : hæc enim per velum in ænigmate Deum cognoscit, colit et adorat; unde in Sancto, id est Ecclesia militante, non vero in Sancto sanctorum, id est in cœlo, constituendum fuit hoc altare.

Vers. 31. 31. POSTQUAM OMNIA PERFECTA SUNT, OPERUIT NUBES TABERNACULUM TESTIMONII, ET GLORIA DOMINI IMPLEVIT ILLUD. — « Gloria Domini » vocatur augusta illa nubes, quæ licet esset densa, erat tamen lucida et coruscans, Deique majestatem quasi velabat et significabat. Ita S. Augustinus, *Quæst.* CLXXIII. Sic *gloria* pro luce, claritate et splendore sæpe accipitur, ut *Exodi* cap. XXIV, vers. 17, et cap. XXXIII, vers. 18 et 22; *Levit.* cap. IX, vers. 23; *Num.* cap. IV, vers. 10; III *Reg.* cap. VIII, vers. 11; *Ecclesiastici* cap. XLV, vers. 3; *Ezech.* cap. XLIV, vers. 4.

Vers. 33. 33. NEC POTERAT MOYSES INGREDI TECTUM FOEDERIS, — tum ob reverentiam majestatis Domini, inquit Cajetanus, tum quia nubes illa densa omnia operiebat, ita ut Moses videre non posset (1).

(1) Collato hoc loco cum *Exod.* XXIV, 18, ubi Moses dicitur *ingressus medium nebulæ ascendisse in montem*, ait R. Manasse, Mosen ibi id fecisse jubente Domino vers. 16, hic autem *Exod.* XL, 33, idem in se recipere fuisse reve-

Simile accidit in dedicatione templi, III *Reg.* cap. VIII, vers. 11. Idque prima tantum vice factum est, cum dedicaretur tabernaculum; nam alias illud ingressus est Moses.

Allegoricam causam dat S. Augustinus et Rabanus. Moses enim Judæorum personam gerebat, quibus gloria Domini, quæ in tabernaculo est, id est gratia Christi quæ in Ecclesia est, tanquam nubes opponitur, ut eam non intelligant, non credant, ac proinde nec capiant, nec in eam intrent.

Vers. 34. 34. PROFICISCEBANTUR FILII ISRAEL PER TURMAS SUAS. — Hebraice *per profectiones suas,* quibus scilicet turmatim sive per turmas proficiscebantur.

SI QUANDO NUBES TABERNACULUM DESEREBAT, PROFICISCEBANTUR FILII ISRAEL. — Hebraice est, *si quando nubes ascendebat, et elevabatur supra tabernaculum* : tum enim ipsa nubes, puta columna nubis, prima iter inibat, illudque Hebræis præibat, ut ipsi eodem sequerentur, de quo plura *Num.* cap. IX.

Mystice, columna hæc dux viæ, non in Chanaan, sed in cœlum, est fides, gratia et illuminatio Spiritus Sancti : hanc fixe intueamur, hanc studiose nocte et die sequamur, ut ea nos illustres in cœleste et æternum Dei regnum deducat. Zeuxis celebris pictor, rogatus cur tam morose et exacte suas imagines quaquaversum depingeret, respondit : Pingo æternitati. Et nos ergo studiose et exacte per omnia vitam nostram depingamus. Pinge, imo vive, Deo, vive cœlo, VIVE ÆTERNITATI.

O stupor, o amentia, o insania filiorum Adæ! Ad æternorum infinitorumque bonorum possessionem conditi estis : ut quid vos tanto affectu ad fugaces vanissimasque reculas abjicitis? Deus vos cœli hæredes, æternitatis possessores scripsit : quid tam avide terram, temporanea et caduca affectatis? Sapite, sapite, VIVITE ÆTERNITATI.

Vos, o præcones verbi Dei, satores, inquam, æternitatis, clamate, quasi tuba exaltate vocem, vocate omnes ad æternitatem, insonate cum Christo : Pœnitentiam agite, appropinquat ÆTERNITAS, et vita æterna : ut quid diligitis vanitatem? VIVITE ÆTERNITATI.

ritum. Quæ tamen explicatio Hartmanno minime probatur. Vera hujus discrepantiæ ratio, ait, est hæc : In priori casu, *Exod.* XXIV, 18, Deus invisibiliter nubem qua mons circumtegebatur, censebatur inhabitare, ideoque non coram et in conspectu, sed e longinquo tantum præsens adesse; dum e contra in posteriori casu gloria Domini, certo loco circumsepta, ita tabernaculum replebat, ut ex eo quasi sanctissima sede mortales omnes merito arcerentur, *Historisch-Krit. Forschungen,* etc., p. 226.

DOXOLOGIA

DEI SALVATORIS

EX GESTIS ET EPITOME EXODI.

Lauda, Jerusalem, Dominum : lauda Deum tuum, Sion.

Quis loquetur potentias Domini : auditas faciet omnes laudes ejus?

In exitu Israel de Ægypto : domus Jacob de populo barbaro.

Facta est Judæa sanctificatio ejus : Israel potestas ejus.

Intravit enim Israel in Ægyptum : et Jacob accola fuit in terra Cham.

Auxit ibi Deus populum suum vehementer : et firmavit eum super inimicos ejus.

Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus : et dolum facerent in servos ejus.

Moses. Misit ad Pharaonem Mosen servum suum, et Aaronem electum Domini.

Posuit in eis verba signorum suorum, et prodigiorum in terra Cham.

Plagæ Ægypti. Convertit aquas eorum in sanguinem : et occidit pisces eorum.

Edidit terra eorum ranas : in penetralibus regum ipsorum.

Dixit, et venit cœnomyia : et ciniphes in omnibus finibus eorum.

Posuit pluvias eorum grandinem, ignem comburentem in terra ipsorum.

Et percussit vineas eorum et ficulneas eorum : et contrivit lignum finium eorum.

Dixit, et venit locusta : et bruchus, cujus non erat numerus.

Et comedit omne fœnum in terra eorum, et omnem fructum terræ eorum.

Misit tenebras, et obscuravit : perculit eos igne et spectris in nocte horrenda.

Percussit omne primogenitum in terra eorum : primitias omnis laboris eorum.

Eduxit Hebræos cum argento et auro : quibus spoliaverunt Ægyptum.

Egressus est populus Dei in exultatione : et electi ejus in lætitia.

Lætata est Ægyptus in profectione eorum : quia incubuit timor eorum super eos.

Columna nubis. Expandit Dominus nubem in protectionem eorum : et ignem, ut luceret eis per noctem.

Audivit Pharao eos concludi mari Rubro, dixit : Persequar, et interficiet eos manus mea.

Mare Rubrum. Ingressus est post eos cum curribus et equitibus suis in mare : et reduxit super eos Dominus aquas maris.

Filii autem Israel ambulaverunt per siccum : in medio ejus, quasi in deserto.

Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est : equum et ascensorem dejecit in mare.

Beatus es tu, Israel, quis similis tui? populo, qui salvaris in Domino.

Ascensor cœli auxiliator tuus : ipse est scutum auxilii tui et gladius gloriæ tuæ.

Pharao mergitur. Dominus quasi vir pugnator : omnipotens nomen ejus.

Currus Pharaonis et exercitum ejus projecit in mare : electi principes ejus submersi sunt in mari Rubro.

Abyssi operuerunt eos : descenderunt in profundum quasi lapis.

In spiritu furoris tui, Domine, congregatæ sunt aquæ; stetit unda fluens utrimque instar murorum : donec pertransiret populus tuus, quem possedisti.

Flavit spiritus tuus, et operuit Ægyptios mare : submersi sunt quasi plumbum, in aquis vehementibus.

Quis similis tui in fortibus, Domine? quis similis tui? magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, et faciens mirabilia.

Maria dux chori. Maria prophetissa duxit chorum mulierum, eisque cum tympano præcinuit : Cantemus Domino gloriose.

Prælusit illa B. Mariæ Deiparæ, matri Jesu, qui nos inferno liberavit : quam proinde beatam dicent omnes generationes.

Petierunt Hebræi carnes, et venit coturnix : dedit eis Deus manna, et pane cœli saturavit eos.

Manna. Panem angelorum manducavit homo : cibaria misit eis in abundantia.

Aqua e petra. In Raphidim eduxit aquam de petra : et adaquavit eos, velut in abysso multa.

Amalec vincitur. Venit Amalec, pugnans contra Israel : orante Mose, contrivit eum Josue.

Lex in Sina. In Sina descendit Deus in igne, fumo, procellis et buccina : voce tubali Decalogum promulgavit.

Dedit Mosi præcepta, judicia et cæremonias : quibus fœdus sanxit cum Hebræis.

Area et tabernaculum. Jussit fabricare arcam fœderis, Cherubim et propitiatorium : mensam panum propositionis et candelabrum aureum.

Tabernaculum, cortinas, vectes, atrium : et in eo altare holocaustorum, cum labro æneo.

Aaron pontifex. Altare quoque thymiamatis, cum incenso : Aaroni dedit sacerdotium gentis.

Circumcinxit eum zona : et induit eum stolam gloriæ.

Rationale. Femoralibus, tunica, humerali et rationali vestivit eum : posuit in eo duodecim gemmas, quasi stemmata et magnalia duodecim tribuum Israel.

Et Urim. Urim et tummim insculpsit ei : ut veritas doctrinæ et perfectio vitæ conderentur in pectore sacerdotis.

Poderis. In veste poderis totus erat orbis terrarum : cinxit illum tintinnabulis aureis, plurimis in gyro.

Dare sonitum in incessu suo, auditum facere pulsum in templo : in memoriam filiis gentis suæ.

Tiara. Coronam auream dedit super mitram ejus : expressam signo sanctitatis et gloria honoris : sanctum Domino.

Hæc omnia operati sunt Beseleel et Ooliab : quos implevit Dominus spiritu sapientiæ, ad fabricandum ea.

Vitulus aureus. Tardante Mose in Sina, Hebræi fecerunt vitulum aureum : et adoraverunt sculptile.

Et mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum.

Obliti sunt Deum, qui salvavit eos, qui fecit magnalia in Ægypto : mirabilia in terra Cham, terribilia in mari Rubro.

Et dixit, ut disperderet eos : si non Moses electus ejus stetisset in confractione, in conspectu ejus.

Dicens : Dimitte eis hanc noxam : aut dele me de libro tuo quem scripsisti.

Stetit Moses in petra : vidit tergum et gloriam Domini.

Cornua lucis afflavit ei Dominus : dedit ei duas tabulas inscriptas Decalogo.

Mosis cornua lucis. Fecit Moses tabernaculum cum vasis suis : erexit illud in templum Domino.

Tabulæ legis Dei. Laudate Dominum de cœlis : laudate eum in excelsis.

Laudate eum in tympano et choro : laudate eum in chordis et organo.

Laudate eum in cymbalis jubilationis : omnis spiritus laudet Dominum.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto : sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

FINIS.

VESUNTIONE. — EX TYPIS OUTHENIN-CHALANDRE FILII.

Les 20 premières pages de ce PDF donnent un aperçu de la qualité, *bonne ou mauvaise,* de l'édition papier. La qualité dépend du livre original dont nous nous sommes servi pour produire le fac-similé (*texte numérisé*).

Il est possible de commander l'édition papier à prix abordable en visitant le site :

canadienfrancais.org

Plusieurs autres livres sont également disponibles sur le même site, toujours à prix abordable.

Ô Marie conçue sans péché,
priez pour nous qui avons recours à vous!

Cet ouvrage est dans le domaine public.

Année 2020
canadienfrancais.org